43
6 G
5

MANVALE REGVLARIVM

R. P.

FRANCISCI PELLIZZARII

E SOCIETATE IESV;

BIBLIOTECA NAZ. ... ... EMANUELE

MANVALE REGVLARIVM

In quo continentur

TRACTATVS QVINQVE.

I. De Statu Religioſo in communi.
II. De Regularium Nouitiatu.
III. De Religioſa Profeſſione.
IV. De Votis Religioſis.
V. De præcipuis Regularium Obligationibus.

Et quidem

Ita, vt in vnoquoque de occurrente materia breuiter, clarè, ac ſolidè nòn ſolùm reſoluantur omnes ferè quæſtiones, quæ à Doctoribus tractari ſolent, ſed etiam plures aliæ eæq; grauiſſimæ ab alijs Authoribus non tractatæ.

AVTHORE
R. P. FRANCISCO PELLIZZARIO
Placentino E Societate Ieſu, Theologiæ Moralis Profeſſore.

Cum Indicibus Tractationum, Capitum, Sectionum, Subſectionum, ac Rerum notabilium copioſiſſimis.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VENETIIS, Apud Paulum Baleonium. MDCXLVII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

PETRO OTHOBONO

Viro Illuſtriſsimo, ac Reuerendiſsimo

ROMANÆ ROTÆ AVDITORI.

PAVLVS BALEONIVS BIBLIOPOLA F. P.

MARCO ANTONIO Fratri tuo, Vir ampliſſime, ciuili prudentia, ac omni virtutum genere cumulato ob egregiam humanitatem in me ſuam plurimam debeo: quod IO: BAPTISTÆ, & AVGVSTINO quoque fratribus veſtris Illuſtriſsimis, & inter auguſtiſſimæ Reipub. Magiſtratus receptis non ſemel teſtatum eſſe volui. Tibi verò, qui ex eadem peruetuſta, & cunctis decurſis ætatibus celeberrima OTHOBONA gente, ex eodem Patre MARCO EQVITE ſapientiſsimo, & peroptimo genitus, ad domeſticam præclariſsimam gloriam doctrinæ, pietatis, & virtutum omnium cumulum attuliſti; nondum me ſiſtere, ac debitum Officium, & cultum tribuere auſus fui, pudore quodam, & reuerentiſsima timiditate præpeditus. Modò vero cum frequenti hominum ſermone, quantum in iſto tuo ampliſsimo AVDITORATVS munere inter cęteros omnes præfulgeas, cum incredibili quadam facilitate, & humani-

manitate, apud omnes gentes, & populos celebretur, vt communi iam voto, & vocibus maiora in dies tibi deſtinentur: Debeamq. MANVALE REGVLARIVM R. P. FRANCISCI PELLIZZARII Viri vndequaque doctiſsimi, & celeberrimi E SOCIETATE IESV, typis meis in vulgus dare, velimq. de more ECCLESIASTICO SVMMO VIRO dedicare; facere non potui, quin ad te reuerenter accederem, rogaremque ex animo, vt veterem MARCI ANTONII FRATRIS ILLVSTRISSIMI Clientem, in eorum quoq. album referri iubeas, qui ſincerè, & ingenuè ſunt ingentis tuis virtutibus, & nomini præclariſsimo deuoti: Et librum hunc tibi dicatum, ex typographia noſtra vulgari concedas. Sic enim verè in lucem dabitur, ſi præter magni Autoris innatum lumen, tui præterea longè clariſsimi nominis luci-diſsimum ſidus, immo Solem veriùs quaſi tutelare numen accedere permiſeris. Vale.

Venetijs Kal. Aug. anno à Chriſto nato MDCXLVII.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

MAnuale Regularium plurium annorum ſpatio non ſine magno ſtudio à me elaboratum, & à Regularibus adeò expetitum: quod tibi, amice Lector, ſpopondi in præfatione tractationis de monialibus à me editæ anno 1644. & anno ſequenti iterum impreſſæ Venetijs; en tandem exhibeo: fidem quam obſtrinxeram, liberaturus accedo: datam promiſſionem lubens, ac volens exoluo. Qua ergò animi alacritate, ac humanitate tractationem præſatam excepiſti, eadem modò Manuale hoc Regularium excipite: forte enim eius Lectio non erit tibi inutilis, non ingrata, non iniucunda. At, inquies, poſt tot eruditiſſima, & omni ex parte abſolutiſſima præſtantiſſimorum Doctorum volumina de rebus ad Regulares ſpectantibus concinnata, & typis tanta cum laude edita; quid eſt nouum Manuale Regularium euulgare, niſi actum agere, fruſtra elaborare, tempus, ac operam perdere?

Habet quippe literaria Reſpublica priuilegia Mendicantium collecta ab Alphonſo Caſarubia, eruditis commentarijs illuſtrata à Corduba, & à Sorbo mirè locupletata: habet Nauarri conſilia de Regularibus, quæſtiones regulares Emmanuelis Rodriquez, Compendium quæſtionum regularium Hieronymi Rodriquez, Manuale Prælatorum Ludouici Mirandæ, eiuſque aureum Tractatum de ordine iudiciario: habet tomum tertium, & quartum de religione Franciſci Suarez, tomum poſteriorem Thomæ Sanchez in decalogum, vbi latè agit de ſtatu religioſo, profeſſione, ac Votis religioſis, Ioſephum Aldretam de diſciplina religioſè inſtituenda, tomum tertium Caſtri Palai, in quo plurimæ quæſtiones tractantur de Regularibus: habet Aſcanium Tamburinum de iure Abbatum; & de iure Abbatiſſarum, dubia regularia, ac reſponſiones morales Laurentij Portelli, commentaria Laurentij Peytini in priuilegia Fratrum Minimorum, tomos de Religioſo Prælato, & Religioſo ſubdito, & Formularium Fratrum eorundem Minimorum: habet Theſaurum Religioſorum Bartholomæi à S. Fauſto, Summam quæſtionum regularium Ioannis Baptiſtæ Lezanæ. Franciſci Bordoni reſolutiones regulares, eiuſque Tractatu de Nouitiatu, ac Profeſſione: habet Tribunal Regularium Ioſephi de S. Maria, Ioannem de la Cruz de Statu religioſo, ac eius priuilegijs, Georgium Pollaccum de poteſtate Prælatorum regularium: habet Lucernam regularem Nouarij, Tractationem Antonini Dianæ de dubijs Regularium, Tractatum Thomæ à Ieſu de Paupertate religioſa, & de Viſitatione regulari, Praxim Bartholomæi Vecchij de Nouitiatu: habet Confectium de mendicantium priuilegijs, Hieronymum Cenedum de religioſa Paupertate, Franciſcum Ghislerium de Iudice regulari, Samuelium, & Layman de electione canonica Prælatorum: habet Caramuelem in Regulam S. Benedicti, Sanctorum in Conſtitutiones Minorum Chrouſers in Regulam S. Franciſci, Humbertum in Regulam S. Auguſtini, Alexandrum Peregrinum in Regulam Clericorum Regularium, & Franciſcum Ceſpedes de exemptione Regularium; Habet, inquam, reſpublica literaria horum omnium Doctorum, & aliorum etiam Codices eruditiſſimos de Regularium rebus tractantes, & quidem tales, vt abſque temeritatis nota vix quidquam poſſe addi videatur. Vt quid ergò nouum Manuale hoc Regularium conſtruitur? vt quid literaria librorum ſupellex augetur, nulla cogente neceſſitate, nulla ſuadente vtilitate?

Sic inquis, amice Lector; & fortè non deerunt alij, qui primo aſpectu in tuam ſententiam ambobus (vt aiunt) pedibus deueniant verùm, vbi Manuale hoc ſtudioſè percurreris, fortaſſe illud non ita inutile, ac infructuoſum exiſtimabis; imò admodum vtile, ac proficuum vniuerſæ Regularium Communitati: idque ob plures cauſas, quarum aliquas breuiter hic ſubijcio.

In primis enim poſt tot volumina de Regularium rebus compoſita adhuc deſiderari poterat volumen, in quo vno materiæ omnes Statùm religioſum concernentes explicatæ ſimul comprehenderentur; quæ ab alijs Doctoribus in ſuis codicibus ſeorſim tractantur: idque maximè in gratiam illorum Religioſorum, quibus deeſt vel ſumptus ad tantam librorum copiam coemendam; vel tempus, ac ingenium ad illos lectitandos. Vt enim in conuiuio epularum copia, ac varietas oculos accumbentium oblectat, ſed grauat ſtomachum, & gignit faſtidium; ſic ex librorum multitudine, ac copia ornantur quidem Bibliothecæ, at legentium ingenia non tarò confunduntur, ac perturbantur: cui incommodo vt ipſe conſulerem, in hoc vno Manuali ſtudui colligere, ea omnia, quæ de Regularibus ſparſim ab alijs Doctoribus latè in ſuis codicibus explicantur.

Præte-

Præfatio ad Lectorem.

Præterea aliqui ex allegatis Doctoribus in ſuis codicibus de Regularium rebus conſcriptis plura identidem inſerunt, quæ bona ipſorum venia minus neceſſaria videri poſſunt, aut parum conducentia ad propoſitum finem, ſicque conferunt tantùm ad ornatum, ac eruditionem, & molem librorum plus iuſto excreſcere faciunt abſque vlla neceſſitate. Huic autem malo in conficiendo meo hoc Regularium Manuali pro viribus occurrere ſtudui, reſecando ea omnia, quæ ad inſtitutum videri poterant minus conducentia; & ea ſolum apponendo, quæ ad maiorem quæſtionis propoſitæ explicationem, ac probationem poterant deſeruire.

Accedit plurium, ac grauium difficultatum reſolutionem in relatis voluminibus omitti; quæ cum inter Regulares frequentiùs occurrere poſſint, ac eorum ingenia torquere ſoleant, omninò erant reſoluendæ: harum autem plurimas pro ingenij mei tenuitate hic reſoluo, ſiue in caſu occurrenti aliunde propoſitas, ſiue priuatim à me excogitatas; eas tamen, quæ teſte experientia rerum omnium magiſtra, progreſſu temporis occurrere poſſint.

Non ergò, amice Lector, in Manuali hoc conſcribendo actum egi; non tempus, ac operam perdidi: ſi libuerit, illud percurre, & fortè ſententiam mutabis, conſilium meum approbabis, laborem hunc à me ſuſceptum Regularibus non parum vtilem iudicabis, imò & neceſſarium. Præter quam quod vtile eſt, teſte *S. Auguſtino l. 3. de Trin. c. 1.* plures libros à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide, etiam de quæſtionibus ijſdem; vt ad plurimos res ipſa perueniat ad alios ſic ad alios autem ſic: maximè cum nullus ſit liber adeo malus, qui prodeſſe non poſſit, vt ait *Plinius l. b. 3. Epiſtol. Epiſt. ad Marcum*.

Cœterum explicaturus in hoc Manuali omnia, quæ de Regularibus diſquiri poſſunt, & ſolent; ipſum in X. tractationes diſtribuo: in quarum prima agitur de Statu religioſo in communi: in ſecunda de Regularium Nouitiatu: in tertia de religioſa Profeſſione: in quarta de Votis religioſis tum communibus omnium Religionum, tum proprijs aliquorum Ordinum: in quinta de præcipuis Regularium Obligationibus: in ſexta de eorum Prohibitionibus: in ſeptima de Pœnis contra ipſos latis de iure communi: in octaua de eorum Priuilegijs: in nona de eorum Gubernatione: in decima de peculiari Inſtituto Societatis Ieſu. Totum verò Manuale diuiditur in duos tomos: in quorum priori comprehendentur primæ quinque Tractationes; in poſteriori quinque poſtremæ; idque vt Manuale ipſum apud viros ſtudioſos vſum habeat commodiorem.

Quod ſpectat ad modum in Tractationibus ipſis ſeruatum; appono non ſolum ſimplicem quæſtionis propoſitæ reſolutionem, ſed etiam eius fundamenta tum ex naturalibus rationibus, tum ex Theologicis principijs, tum ex Iure Canonico, imo & Ciuili iuxtà conditionem materiæ, de qua agitur; breuiter tamen vna, aut altera ratione, eaque ſelectiori adducta; & quidem indicatis varijs opinionibus, ſi extant; & interdum etiam diſſolutis præcipuis fundamentis, quæ videntur noſtræ ſententiæ validius aduerſari.

In proponendis Doctorum ſententijs refero plerumque claſſicos, & grauiores: interdum tamen recentiores aliquos adduco; quippe qui in Libris à ſe editis plurimas, & difficiles quæſtiones reſoluunt, quas antiquiores Doctores ne leuiter quidem attigerunt, & aliàs de re literaria bene meriti apud viros doctos non exiguam habent laudem: paucos Doctores allego, ne nimia Auctorum multitudo legentis animum remoretur: propoſitas aſſertiones identidem confirmo, etiam auctoritate aliquorum Neothericorum à me conſultorum, qui Orbi ſunt celebres ob egregia volumina typis euulgata, aut certè doctrina, ac rerum moralium peritia adeò eminent, vt non immerito poſſint præferri ijs, qui proprij ingenij fœtus typis euulgarunt, etſi ij ex ſingulari ſua modeſtia, aut alia iuſta cauſa nullum librum ediderint.

Interdum in confirmationem mearum aſſertionum refero Declarationes Sacræ Congregationis, quia cenſentur magnæ auctoritatis in Eccleſia; vtpotè factæ interuentu doctiſſimorum, ac grauiſſimorum virorum: quamuis aliàs non ſint neceſſario habendæ pro lege; vtpotè procedentes à Iudicibus non habentibus auctoritatem faciendi leges: vt notauit *Caſtrus Palaus tr. 3. D. 3. p. 2. §. 3. num. 7. ex Suarez, Vaſquez, Sanchez, & Salas*, quibus conſentiunt alij grauiſſimi Doctores relati à *Diana p. 5. tr. 2. reſol. 96.* & ſuffragatur ipſamet Sacra Congregatio Concilij, dum iuſſu Vrbani VIII. die 2. Auguſti anno 1631. mandauit, ac præcepit, teſte *Barboſa in Collectaneis v. Congregatio pro interpretat. Conc. Trid.* eiuſmodi declarationibus tam impreſſis, & imprimendis, quam manuſcriptis nullam fidem eſſe in iudicio, vel extrà à quoquam adhibendam; ſed tantum illis, quæ in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſsimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem ſacræ Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint. Vt proinde damnari non debeant Doctores, ſi quando tradunt aliquas doctrinas præfatis declarationibus repugnantes; cum hæ non ſufficiant ad tollendam probabilitatem oppoſitæ opinionis; (vt aduertit *Granadus 2. 2. contron. 1. tr. 15. D. 14. ſect. 2. num. 8.* & confirmat *Layman l. 1. tract 4. c. 7. §. 7.*) & de ijs ſępè non conſtet authenticè; vt innuit ipſe *Layman vbi ſuprà*, & notat *Bonacina D. 1. de leg. q. 1. p. 8. num. 4*

Quod verò ſpectat ad ſtylum Curiæ, quem interdum in progreſſu Manualis allegabimus: notat *Fagundez præc. 2. Eccl. l. 8. c. 8. num. 38.* dictum ſtylum non tollere probabilitatem oppoſitæ opinionis, & eſſe varium pro varietate Pontificum. Quin etiam dicit *Peyrinus to. 2. de priuil. Conſtit. 1. Iulij II. num. 38.* quando dicitur Stylus Curiæ facere ius, debere id intelligi quò ad forum contentioſum, non item quo ad forum conſcientiæ: additque ex *Menochio conſ. 464 num. 27.* non eſſe

ſtandum

ſtandum vnius Doctoris aſſertioni de ſtylo Curiæ atteſtantis. Quæ proportionaliter confirmat *Fellucccius tr. 17. num. 89.* de ſtylo Pœnitentiariæ dicens ſignaturam Pœnitentiariæ ſolere mutari pro diuerſitate perſonarum, quæ in ea congregantur, & ſignant ſupplicationes; quæ hic ſemel monuiſſe ſufficiat.

Rurſus dicta de declarationibus Sacræ Congregationis (quibus per declarationem illam iuſſu Vrbani VIII. factam, & ſuperiùs adductam, non puto tolli, quin eæ admitti poſſint tanquam doctrinales) procedunt etiam de deciſionibus Rotæ, ac ſententijs Cancellariæ, iuxtà *Caſtrum Palaum ſuprà* pro ſe referentem *Suarez, Vaſq. Sanch. & Salas.*

Addo, ſi quando in progreſſu Manualis aliquam meam opinionem confirmo authoritate Doctoris alicuius recentioris meo iudicio admodum docti, ac probati contra alios Doctores in ſcholis maiori in æſtimatione habitos, non ideo poſſe hos hac de re conqueri iuſte, quaſi poſthabitos alijs Doctoribus minori authoritate præſtantibus: cuilibet enim licitum eſt ſequi opinionem, etiam minùs probabilem, quæ tamen ſit probabilis; vt benè oſtendit *Baldellus l. 4. D. 12.* & aliàs expedit ſcire, quorum Doctorum authoritate nitatur opinio, quam proponunt Doctores in ſuis codicibus, ſed non ſequuntur; vt Lectoribus conſtet, quantam habeat probabilitatem; hanc colligentes ex authoritate Doctorum illam ſuſtinentium: quod vtique cedit in honorem præfatorum Doctorum; etſi Author illos referens ab iis diſſentiat.

Præter quam quod huc faciunt, quæ habet *Iuſtinianus Imperator lib. 1. §. ſed neque C. de veteri iure enucleando*; nimirum quod *neque ex multitudine Auctorum quod melius & æquius eſt*, *indicari debet*; *cum poſſit vnius forſan, & deterioris ſententia & multos, & maiores aliqua in parte ſuperare.*

In initio cuiuslibet tranſactionis oſtendo, in quot, & quæ capita, ea diſtribuatur: in principio verò cuiuslibet capitis, ſectionis, ac ſubſectionis (imò interdum etiam in progreſſu, ſi contingat ea eſſe prolixiora, adeoque ſummarij vſus efficiatur minùs commodus) appono breue ſummarium earum rerum, quæ ibi reſpectiuè explicantur. Præterea, cum interdum contingat pluribus in locis de eadem re agere (adeo ſubiectæ materiæ eſſe ſolent inter ſe connexæ) id, quod vno in loco tractatur ex profeſſo, in alio ſolum attingitur, indicato loco, ad quem Lector, ſi fuſiorem cognitionem ea de re habere velit, recurrat.

Stylus, ac modus loquendi, quo vtor, nec eſt ita breuis, ac inuolutus, vt obſcurior euadat; nec ita diffuſus, ac prolixus, vt animum legentis defatiget; is eſt, qui in ſcholis ſolet vſurpari, & qui faciat ad faciliorem, ac expeditiorem intelligentiam quæſtionum, quæ diſcutiuntur.

In manuali hoc reperies non ſolum, quæ Religionibus omnibus communia ſunt, ſed etiam plura, quæ aliquibus earum peculiaria ſunt iuxta peculiare ipſarum Inſtitutum. qui enim vniuerſos Ordines religioſos ſummè diligo, omnibus, quantum potui, ſtudui inſeruire. Parcendum tamen, ſi in iis, quæ Societatem noſtram concernunt, explicandis latius ſpatier: fuit enim hoc à filio præſtandum matri; cuius in gremio adoleui, & cuius diſciplinæ rationem à teneris annis vſque ad annum ætatis quinquageſimum ſum ſecutus. præter quam quod in pleriſque aliarum Religionum ſuorum diligentia exornatis, & temporis antiquitate approbatis pauca ſunt, quæ noua indigeant diſcuſſione: cum è contra in Societatis Inſtituto aliqua probanda ſint ex antiquitate, quæ indocti quidam tanquam noua coarguunt, alia rationibus, & authoritatibus confirmanda, quæ improbantur à minus benè in ipſam animatis, alia denique in apertam lucem proferenda, quæ cauillatores mendaciorum nebulis obſcurare contendunt, vt Societatem apud indoctos, & vulgares homines exoſam, atque inuiſam efficiant: quippe hoc ei cum ipſa virtute, ac ceteris Ordinibus religioſis commune eſt, vt illam oderint, qui non viderint, & ament qui eam vident. Quo circa vt inter hæreticos ignorantia indoctos, ac ſceleſtos animos in nos concitat; ita Catholicos doctos, & benè moratos ipſa religionis, quam profitemur, ſpecies ob oculos propoſita ad iuſtam excitabit defenſionem: fietque vt, cum hæc ad legentium manus deuenerint, diſcant, ac ſibi denium perſuadeant Inſtitutum Societatis eſſe appoſitiſſimum quod profeſſores ſuos ad religioſam perfectionem ducat, ad proximorum ſalutem procurandam inſtruat, & ad catholicæ Eccleſiæ fines propagandos mirificè deſeruiat.

Porro vnum te monitum volo quod, quamuis Manuale hoc potiſſimum ſit conſtructum in gratiam Regularium, & plures materiæ in eo tractatæ ſint propriæ ipſorum: nihilominus eius lectio futura eſt vtilis, ac proficua etiam alijs quibuſcumque perſonis eccleſiaſticis, imo & laicis: cum in eo multa tractentur communia vniuerſis Eccleſiaſticis iam ſæcularibus, quam regularibus, & alijs quibuſcumque vt patet ex tractatu V. vbi agitur de vſu, ac frequentia Sacramentorum; de obſeruantia feſtorum, & auditione Miſſæ; de obligatione deferendi habitum, ac tonſuram; de recitatione horarum canonicarum tam in choro, quam extra, & quidem etiam ex titulo beneficij eccleſiaſtici; de obligatione celebrandi miſſam tum priuatam, tum ſolemnem, tum ex ſtipendio manuenſi, tum ex fundatione, ac legato perpetuo; nec non de reſtitutione debita ex occaſione Miſſarum; de obligatione faciendi Profeſſionem fidei; de intereſſentia ad Proceſſiones; & de procuranda ſpirituali ſalute Proximorum. Patet ex tractatu 6. in quo agitur de reſtrictione facultatis quo ad abſoluendum à reſeruatis tam Papalibus, quam Epiſcopalibus; de multiplici ſtipendio non admittendo per eadem Miſſa; de libris abſque debita facultate non imprimendis; de non legendis libris prohibitis, de non audiendis Monialium

✠✠ Mona-

Monaſterijs; de non alienandis bonis Eccleſiaſticis; de vitanda negotiatione; de cauendo ludo; & de alijs prohibitionibus, quæ ſunt communes etiam Eccleſiaſticis ſæcularibus: Patet ex Tractatu 7. vbi cum agatur non ſolum de pœnis, ac cenſuris in communi, ſed etiam de omnibus cenſuris in ſpecie, nempe de excommunicationibus, ſuſpenſionibus, ac interdictis, imò & de irregularitatibus, alijſq; pęnis priuatiuis latis contra Regulares; & plures illarum ſint communes Eccleſiaſticis ſæcularibus, tractatus vtriſque non poteſt non eſſe admodum vtilis, ac fructuoſus. Patet ex tractatu 8. In quo cum latè tractetur de priuilegijs tum in genere, tum in ſpecie, & ex priuilegijs conceſſis Regularibus plura ſint communia Eccleſiaſticis ſæcularibus; hi ex frequenti eius lectione magnam ſine dubio referent vtilitatem. Patet denique ex tractatu 9. in quo agitur de Gubernatione Regularium, & plurima inſeruntur, quæ proximè deſeruiant ad bonum regimen quorumcumque Eccleſiaſticorum.

Monitum item te volo, quod ſi cui ad commodiorem, ac faciliorem vſum Regulatium in mentem venerit Manuale hoc redigere in breuem Summam: is nouerit id ipſum à me quam primum fore præſtandum, & fortè cum maiori aliqua, vtilitate, ac fructu.

Demum quæcumque aſſero in hoc Manuali, Romanæ Eccleſiæ iudicio lubens ſubijcio; nec detrecto doctiorum virorum cenſuram, paratus ab ijs corrigi, imò & ſcripta ipſa retractare, ſi quid fortè in ijs occurrerit alienum à veritate, aut Eccleſiaſticis Canonibus contrarium: homo quippe ſum, & hominis eſt errare. Lector ſyncero animo cauſam agat; ſine contentionis ſtudio legat, euoluat, corrigat, at vbique memor humanitatis: meminerit ſe quamuis aliàs virum ingenio, doctrina, ac rerum experientia præſtantem, hominem tamen eſſe, qui dum aliena errata corrigit aliorum ſcripta coarguens, facilè poſſit decipi, ac errare: alioqui corroſor eſſe conuincetur non corrector, quia mordere, quam emendare maluit, vt loquar cum *S. Bernardo epiſt. 78.*

Non dubito, quin plura pluribus in hoc noſtro Manuali diſpliceant: ſed dapes omnes, quantumuis exquiſitæ, & apprimè conditæ, ac præparatæ omnium ſaporibus minimè ſatisfaciunt: quæ enim tibi videtur iucundiſſima, alteri erit inſipidiſſima. ſi quid ergo tibi in hoc opere diſplicuerit, fortè alijs mirabiliter placebit; ſicque nec facilè reprobes, nec facile comendes. Certè ſi quid tibi in eo placuerit, Deo Optimo Maximo tribuas velim. Vale.

***

INDEX TRACTATIONVM, CAPITVM, SECTIONVM, AC SVBSECTIONVM MANVALIS REGVLARIVM.

Tractatio Prima.

De Statu Religioſo in Communi.

Cap. I. De natura ſtatus religioſi, eiuſque proprietatibus.
Cap. II. De origine religionum in communi.
Cap. III. De Varietate, ac Perfectione religionum.
Sect. I. De Varietate religionum.
Sect. II. De Perfectione religionum tàm abſoluta, quàm reſpectiua.
Cap. IV. De bonis prouenientibus ex ſtatu religioſo.
Sect. I. De bonis, quæ proueniunt ex ſtatu religioſo ipſis religioſis.
Sect. II. De bonis, quæ vniuerſo Orbi proueniunt ex ſtatu religioſo.
Cap V. De reſormatione religionum.
Cap. VI. De ſpeciali Patrocinio Dei, ac Eccleſiæ erga religiones.
Sect. I. De ſpeciali Patrocinio Dei erga Ordines religioſos.
Sect. II. De ſpeciali Patrocinio Eccleſiæ erga Ordines religioſos.

Tractatio Secunda.

De Nouitiatu præmittendo Profeſſioni Religioſæ.

Cap I. De natura Nouitiatus, eiuſque circumſtantijs.
Cap. II. De poteſtate admittendi Nouitios ad habitum Religionis.
Cap III. De Informationibus iure poſitiuo præmittendis ad Admiſſionē Nouitiorū.
Cap. IV. De ijs, qui ad Nouitiatum admitti poſſunt, vel non poſſunt.
Cap. V. De Nouitiorum Inſtitutione.
Cap. VI. De eorum Obligationibus.
Cap. VII. De eorum Priuilegijs.
Cap VIII. De eorum Prohibitionibus.
De renunciationē bonorum ab ijs facienda ante Profeſſionem.

Tractatio Tertia.

De Profeſſione Religioſa.

Cap. I. De Natura religioſæ Profeſſionis, eiuſque qualitatibus.
Cap. II. De admittendis ad profeſſionem, aut excludendis ab illa.
Cap. III. De effectibus ex Profeſſione prouenientibus.
Cap. IV. De Indiſſolubilitate Profeſſionis.
Sect. I. De Indiſſolubilitate illius, quò ad vinculi perpetuitatem.
Sect II. De Iure reclamandi contra nullitatem Profeſſionis.
Sect. III. De Iure tranſeundi ad Ordinem arctiorem.
Cap. V. De Obligationibus inter Religionem, ac Religioni, & è contra.
Sect. I. De Obligationibus Religionis erga ſuos Religioſos.
Sect. II. De Obligationibus Religioſorum erga propriam Religionem.

INDEX.

Tractatio Quarta.

De Votis Regularium tum communibus ſtatus Religioſi, tum proprijs aliquorum Ordinum.

Cap. I. De Votis religioſis in communi, & de Voto Religionis in genere.

Sect. I. De Votis religioſis in communi.

Sect. II. De Voto Religionis in genere.

Cap. II. De Voto Paupertatis religioſæ.

Sect. I. De Natura Paupertatis religioſæ, alijſque ad ipſam pertinentibus.

Sect. II. De multiplici Varietate Paupertatis, quæ in Religionibus ſeruatur.

Sect. III. De Effectibus Voti Paupertatis religioſæ.

Sect. IV. De Obligatione huius Voti, eius Violatione, ac onere reſtituendi ex illa proueniente.

Subſ. I. De Obligatione Voti Paupertatis religioſæ.

Subſ. II. De Violatione illius.

Subſ. III. De Obligatione reſtituendi.

Sect. V. De Relaxatione Voti Paupertatis religioſæ.

Subſ. I. De eius Relaxatione per diſpenſationem.

Subſ. II. De eius Relaxatione per Conſuetudinem.

Subſ. III. De eius Relaxatione per Epycheiam.

Subſ. IV. De eius Relaxatione per Licentiam legitimè obtentam.

Cap. III. De Voto Caſtitatis religioſæ.

Sect. I. De natura Caſtitatis, alijſquè ad eam pertinentibus.

Sect. II. De effectibus ex ea prouenientibus.

Sect. III. De eius Obligatione.

Sect. IV. De eius Violatione.

Sect. V. De eius Diſpenſatione.

Cap. IV. De Voto religioſæ Obedientiæ.

Sect. I. De natura Obedientiæ religioſæ, & alijs ad eam ſpectantibus.

Sect. II. De Obligatione ex ea proueniente.

Sect. III. De eius materia, ſeu Obiecto.

Sect. IV. De ijs, quibus parendum eſt ex Voto religioſæ Obedientiæ.

Sect. V. De Violatione Voti Obedientiæ religioſæ.

Sect. VI. De eius Diſpenſatione.

Cap. V. De Votis, aut Iuramentis, quæ ſpecialiter fiunt in aliquibus Ordinibus.

Sect. I. De Votis, quæ peculiariter fiunt in Ordine Fratrum Minorum.

Subſ. I. De Voto ſpecialis Obedientiæ erga Papam, quod faciunt Fratres Minor.

Subſ. I. De Voto Clauſuræ, quod faciunt Moniales S. Claræ.

Sect. II. De Voto redimendi Captiuos, quod faciunt Fratres Mercenarij.

Sect. III. De Voto Vitæ quadrageſimalis, ac Promiſſione Fidelitatis, quæ fiunt in Ordine Fratrum Minimorum.

Subſ. I. De Voto Vitæ quadrageſimalis, quod faciunt Fratres Minimi.

Subſ. II. De Promiſſione Fidelitatis, quam faciunt eorum Fratres laici.

Sect. IV. De Iuramento non ambiendi, quod faciunt PP. Barnabitæ.

Sect. V. De Votis, quæ peculiariter fiunt in ſocietate Ieſu.

Subſ. I. De Voto Obedientiæ erga Papam circa miſſiones.

Subſ. II. De Voto non permittendi Relaxationem Paupertatis.

Subſ. III. De Voto non ambiendi intra ſocietatem.

Subſ. IV. De Voto non ambiendi extra ſocietatem.

Subſ. V. De Voto denunciandi Ambientes.

Subſ. VI. De Voto audiendi conſilia Generalis &c. ſi Profeſſus fiat Epiſcopus.

Subſ. VII. De Voto ingrediendi ſocietatem, quod fit cum votis biennij.

Sect. VI. De Voto Humilitatis, quod faciunt Diſcalceati Carmelitæ.

Sect. VII. De Voto non ambiendi extra Ordinem, & Iuramento non ambiendi intra Ordi-

Ordinem, quod faciunt Clerici Regulares Minores.
Sect. VIII. De Votis, quæ peculiariter faciunt Clerici Regulares miniſtrantes infirmis.
Subſ. I. De Voto ſeruiendi Infirmis, etiam peſte infectis.
Subſ. II. De Voto non conſentiendi, &c. in alterationem modi ſeruiendi ægrotis.
Subſ. III. De Voto non procurandi, &c. Adminiſtrationem bonorum Hoſpitalium.
Subſ. IV. De Voto non ambiendi, neque intra, neque extra Religionem.
Subſ. V. De Voto denunciandi Ambientes.
Sect. IX. De Voto Humilitatis, quod faciunt Auguſtiniani Diſcalceati.
Subſ. I. De Voto Humilitatis, quò ad non ambiendas Prælaturas.
Subſ. II. De Voto Humilitatis, quod faciunt eorum Fratres laici, quò ad non ambiendum ſtatum Clericalem, & Ius Vocis.
Sect. X. De Voto non ambiendi, quod faciunt Fratres Diſcalceati Trinitatis.
Sect. XI. De Voto ſeruiendi Infirmis, quod faciunt Fratres B. Ioannis Dei.
Sect. XII. De Votis peculiaribus, quæ faciunt Clerici Scholarum piarum.
Sect. XIII. De Statuto abſtinendi à carnibus, quod extat apud Carthuſianos.

Tractatio Quinta:

De Obligationibus Regularium.

Cap. I. De Obligatione acquirendi Perfectionem Religioſam.
Cap. II. De Obſeruantia Regularum, ac Conſtitutionum.
Cap. III. De Vſu, ac Frequentia Sacramentorum.
Sect. I. De Frequentia Sacramenti Pœnitentiæ.
Sect. II. De Frequentia Sacramenti Euchariſtiæ.
Cap. IV. De Obſeruantia Feſtorum, & Auditione Miſſæ.
Sect. I. De Obſeruantia Feſtorum.
Sect. II. De Auditione Miſſæ.
Cap. V. De Obſeruantia Ieiuniorum.
Cap. VI. De Obſeruatione Clauſuræ.
Sect. I. De Cuſtodia Clauſuræ, quò ad non egrediendum è clauſtris.
Sect. II. De Cuſtodia Clauſuræ, quò ad non admittendas Fœminas.
Cap. VII. De Obligatione deferendi Habitum religioſum, & Tonſuram.
Sect. I. De Obligatione deferendi Habitum religioſum.
Sect. II. De Obligatione geſtandi religioſam Tonſuram.
Cap. VIII. De Recitatione Horarum, tàm in Choro, quàm extra.
Sect. I. De Obligatione recitandi Horas in Choro.
Sect. II. De Obligatione eas recitandi extrà Chorum.
Sect. III. De Obligatione eas recitandi ex Titulo beneficij, &c.
Cap. IX. De Obligatione celebrandi Miſſam.
Sect. I. De Obligatione celebrandi Miſſam priuatam.
Sect. II. De Obligatione celebrandi Miſſam ſolemnem, & Conuentualem.
Sect. III. De Obligatione celebrandi Miſſam ex ſtipendio manuali.
Sect. IV. De Obligatione celebrandi Miſſas ex Fundatione, legato &c.
Sect. V. De Reſtitutione debita ex occaſione miſſarum.
Cap. X. De Obligatione faciendi Profeſſionem Fidei.
Cap. XI. De Obligatione intereſſendi Proceſſionibus.
Cap. XII. De Obligatione procurandi ſpiritualem ſalutem Proximorum.

Tractatio Sexta.

De Prohibitionibus Regularium.

Cap. I. De nimia Reſeruatione Caſuum cauenda, quò ad Relig. reſpectiuè ſubditos.
Cap. II. De Reſtrictione facultatis aliàs competentis Regularibus circa reſeruata.
Sect. I. De Abſolutione Reſeruatorum Papalium cauenda.

Sect. II.

Sect. II. De Abſolutione Reſeruatorum Epiſcopalium vitanda.
Cap. III. De multiplici ſtipendio non recipiendo pro eadem Miſſa.
Cap. IV. De Libris abſque debita facultate non imprimendis.
Cap. V. De non legendis libris prohibitis ſine licentia.
Cap. VI. De non adeundis Monialium Monaſterijs.
Cap. VII. De non Appellando à Correctione Prælati regularis.
Cap. VIII. De non Alienandis bonis Ordinis.
Cap. IX. De non faciendis munerum largitionibus in caſibus vetitis.
Cap. X. De vitanda Negotiatione.
Cap. XI. De vitando Ludo.
Cap. XII. De abſtinendo ab Actibus forenſibus, ſeu iudicialibus.
Cap. XIII. De non vtendo in regimine Notitia habita ex Confeſſione
Cap. XIV. De alijs Prohibitionibus Iure communi factis Regularibus.

Tractatio Septima.

De Pœnis latis contra Regulares.

Cap. I. De Pœnis in genere latis iure communi contra Regulares.
Sect. I. De Pœnis in genere ſpectatis in ordine ad Regulares.
Sect. II. De Cenſuris in genere reſpectu Regularium.
Cap. II. De Excommunicationibus latis contra Regulares.
Sect. I. De Excommunicatione in communi reſpectu Regularium.
Sect. II. De Excommunicationibus reſeruatis ſpecialiter latis contra illos.
Sect. III. De Excommunicationibus non reſeruatis ſpecialiter latis contra illos.
Cap. III. De Suſpenſionibus latis contra Regulares.
Sect. I. De Suſpenſione in communi reſpectu Regularium.
Sect. II. De Suſpenſionibus reſeruatis ſpecialiter latis contra illos.
Sect. III. De Suſpenſionibus non reſeruatis ſpecialiter latis contra illos.
Cap. IV. De Interdictis latis contra Regulares.
Sect. I. De Interdicto in communi reſpectu Regularium.
Sect. II. De Interdictis ſpecialiter latis contra illos.
Sect. III. De Ceſſatione à Diuinis reſpectu Regularium.
Cap. V. De Irregularitatibus, quibus ſubiacent Regulares.
Sect. I. De Irregularitate in communi reſpectu Regularium.
Sect. II. De Irregularitatibus in ſpecie, quas ij incurrere poſſunt.
Cap. VI. De Pœnis priuatiuis latis contra Regulares.
Sect. I. De Pœnis priuatiuis in communi reſpectu Regularium.
Sect. II. De Pœnis priuatiuis in ſpetie latis contra illos.

Tractatio Octaua.

De Priuilegijs Regularium.

Cap. I. De Priuilegijs in communi reſpectu Regularium.
Sect. I. De Natura, & Conditionibus Priuilegiorum.
Sect. II. De eorum Conceſſione.
Sect. III. De eorum Communicatione.
Sect. IV. De illorum Vſu.
Sect. V. De eorum Amiſſione.
Sect. VI. De eorum Interpretatione.
Cap. II. De Priuilegijs Regularium, quò ad Vſum Sacramentorum.
Sect. I. De eorum Priuilegijs, quò ad Vſum Sacramenti Pœnitentiæ.
Subſ. I. De eorum Priuilegijs, quò ad audiendas ipſorum Confeſſiones.
Subſ. II. De Facultate abſoluendi illos à Reſeruatis.
Sect. II. De Priuilegijs Regulariũ, quò ad Vſum Euchariſtiæ, tum in Miſſa, tũ extra.

Subſ. I.

Subſ. I. De Priuilegijs Regularium, quo ad Miſſæ celebrationem.
Subſ. II. De Priuilegio celebrandi, & audiendi Miſſam in Oratorio priuato à Papa viris laicis ſolito concedi.
Sect. II. De eorum Priuilegijs, quò ad miniſtrandum Pœnitentiæ Sacramentum.
Subſ. I. De eorum Priuilegijs, quò ad audiendas confeſſiones ſæcularium.
Subſ. II. De Facultate eos abſoluendi à reſeruatis.
Subſ. III. De Poteſtate commutandi, & diſpenſandi illorum Vota.
Subſ. IV. De Facultate expediendi literas Sacræ Pœnitentiariæ.
Subſ. V. De Indulto diſpenſandi ſuper petitione debiti coniugalis.
Sect. III. De eorum Priuilegijs, quò adminiſtrandam Euchariſtiam.
Sect. IV. De conceſſis, quò ad miniſtrandam extremam vnctionem.
Sect. V. De conceſſis, quò ad aſſiſtendum matrimonio.
Cap. IV. De Regularium Priuilegijs, quò ad exercenda miniſteria ſpiritualia.
Sect. I. De eorum Priuilegijs, quò ad prædicandum.
Sect. II. De conceſſis, quò ad docendum.
Sect. III. De conceſſis, quò ad exercendum munus Parochi.
Sect. IV. De conceſſis, quò ad Miſſiones.
Cap V. De Regularium Priuilegijs, quò ad ipſorum Eccleſias.
Sect. I. De Immunitate conceſſa eorum Eccleſijs, ac Monaſterijs.
Sect. II. De Exemptione ab Ordinario, quò ad illorum Eccleſias.
Sect. III. De Facultate benedicendi Veſtes, & conſecrandi Vaſa, &c.
Sect. IV. De Priuilegijs eorum, quò ad Electionem Sepulturæ.
Subſ. I. De Iure eligendi Sepulturam ipſis competente.
Subſ. II. De Iure competente eorum Eccleſijs, vt eæ eligi poſſint in Sepulturam.
Sect. V. De Indulgentijs conceſſis Regularium Eccleſijs.
Subſ. I. De Conceſſis reſpectu ipſorum Regularium.
Subſ. II. De conceſſis reſpectu externorum.
Sect. VI. De Priuilegio inſtituendi Confraternitates.
Cap. IV. De Priuilegijs Regularium conceſſis, quò ad eorum Perſonas.
Sect. I. De Exemptione ab Ordinariorum Iuriſdictione.
Sect. II. De Exemptione à Foro ſæculari.
Sect. III. De Priuilegio Canonis.
Sect. IV. De Habilitate ad Dignitates, & Officia extrà Ordinem.
Subſ. I. De Habilitate ad Prælaturas, & Officia Ordinis.
Subſ. II. De Iure Primogenituræ inter Religioſos Ordinis.
Subſ. III. De Habilitate ad Dignitates, ac Officia extra Ordinem.
Cap. VII. De Priuilegijs Regularium, quò ad bona temporalia.
Sect. I. De conceſſis, quò ad Bona tam immobilia, quam mobilia.
Sect. II. De conceſſis, quò ad ipſorum Monaſteria.
Sect. III. De Exemptione à Foro ſæculari competente ipſorum bonis.
Sect. IV. De exemptione à Gabellis.
Cap. VIII. De exemptione à Decimis.
Sect. I. De Priuilegijs Regularium, quò ad eorum Gubernationem.
Sect. II. De Multiplici Poteſtate Prælatorum Reg. in Religioſos ſubditos reſpectiuè.
Sect. III. De Priuilegijs eijciendi Incorrigibiles.
Sect. IV. De Facultate reuocandi Apoſtatas.
Sect. V. De Priuilegio eligendi Conſeruatorem.
Cap. I. De Protectore ſolito aſſignari Religioſis Ordinibus.

Tractatio Nona.

De Gubernatione Regularium.

Cap. I. De Gubernatione Regularium in communi.
Cap. II. De Electione Prælatorum Regularium.

Sect. I. De Electione ſecundum ſe.
Sect. II. De Electione quò ad eligentes.
Sect. III. De Electione, quò ad eligendos.
Subſ. I. De ijs, quæ poſitiuè requiruntur in eligendis.
Subſ. II. De ijs, quæ in ijſdem negatiuè requirantur.
Cap III. De Poteſtate Prælatorum in genere.
Sect. I. De Poteſtate Prælatorum Regularium in genere.
Sect. II. De eorum Poteſtate Directiua.
Sect. III. De eorum Poteſtate Coercitiua.
Sect. IV. De eorum Poteſtate Diſpenſatiua.
Sect. V. De Poteſtate Abſolutiua.
Sect. VI. De Poteſtate ad varia.
Cap. IV. De Iure viſitandi competente Prælatis Regularibus.
Sect. I. De Viſitatione Regularium.
Sect. II. De Forma iudiciali ſeruanda in viſitatione Regularium.
Sect. III. De Pœnis iudicialiter infligendis Regularibus.
Cap. V. De Obligationibus Prælatorum Regularium.
Cap. VI. De eorum Prohibitionibus.
Cap. VII. De Pœnis contra eos latis.
Cap VIII. De Capitulis Regularium.
Sect. I. De Capitulis in genere.
Sect. II. De Capitulis generalibus.
Sect. III. De Capitulis prouincialibus.
Sect. IV. De Capitulis localibus.

Tractatio Decima:

De peculiari Inſtituto Societatis Ieſu.

Cum in hac Tractatione ſummariè colligantur ea, quæ ſparſim explicantur in præcedentibus Tractationibus de peculiari Societatis Ieſu Inſtituto: non eſt cur Tractationem hanc diſtinguamus in ſua capita, ac ſectiones; cum eius capita, & ſectiones reſpondeant capitibus, ac ſectionibus præcedentium Tractatuum.

Approbatio

V I N C E N T I V S C A R R A F A

Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis.

Cum Manualis Regularium à P. Franciſco Pellizzario noſtræ Societatis Sacerdote quinque primos Tractatus compoſitos (quorum 1. eſt de ſtatu religioſo in communi, 2. de Nouitiatu, 3. de Profeſſione religioſa, 4. de Votis Regularium, & 5. de eorum Obligationibus) tres eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ijs, ad quos pertinet, ita videbitur. In cuius rei teſtimonium has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus, Romæ 10. Auguſti 1646.

Vincentius Carrafa.

TRACTATIO I.

DE

Statu Religioſo in Communi.

QVONIAM ille ordo doctrinæ eſt optimus, qui procedit ab vniuerſalibus ad ſingularia ; & à penitioribus docendi magiſtris ex Ariſtotele præſcripto 1. *Phyſ. tex.* 1. in vnaquaque facultate tradenda priùs explicari debent, quæ ſunt communia toti ſcientiæ, & poſterius alia, quæ ſunt propria vniuſcuiuſque partis: hinc eſt, quòd, cùm nos in præſentia, Deo dante, explicaturi ſimus ea, quæ de Regularibus quæri poſſunt, & ſolent in particulari, nimirum de nouitiatu, profeſſione, votis, obligationibus, prohibitionibus, pœnis, priuilegijs, gubernatione, ac inſtituto Societatis Ieſu: opus eſt, vt priùs diſſeramus de ijs, quæ ſpectant ad ſtatum religioſum in communi. Id autem præſtabimus in hac tractatione, illam diuidentes in 6. capita, In quorum 1. agemus de natura ſtatus Religioſi, eiuſque proprietatibus: In 2. de eius Origine in communi: In 3. de varietate, ac perfectione Religionum tàm abſoluta, quàm reſpectiua: In 4. de bonis, quæ proueniunt ex ſtatu Religioſo: In 5 de reformatione Regularis diſciplinæ facienda in Religionibus collapſis. In 6. de ſingulari patrocinio, quo Ordines religioſi proteguntur à Deo, & ab Eccleſia.

CAPVT I.

De Natura Status Religioſi, eiuſque Proprietatibus.

1 *DEfinitur ſtatus religioſus.*
2 *Quatuor ſunt de eius eſſentia.*
3 *Non ſubſiſtit abſque tribus votis religioſis.*
4 *Petit obſeruantiam aliquorum conſiliorum.*
5 *Petit, & aliquam immobilitatem conſurgentem ex votis.*
6 *Subſiſtit in ſolis votis ſimplicibus; & eſt de fide iuxta Suarez.*
7 *Explicatur aſſertio id negantium.*
8 *Votum ſimplex fieri poteſt ſolemne ſine noua voluntate vouentis.*
9 *Ad veram religionem requiritur approbatio Eccleſiæ.*
10 *Probatur aſſertio.*
11 *Solus Papa nunc approbat religiones.*
12 *Ad ſtatum religioſum petitur aliqua ſubiectio.*
13 *Item paupertas excludens vſum rerum ſuperfluarum*
14 *Item caſtitas ſaltem coniugalis.*
15 *Item obedientia ſubdens ſpirituali iuriſdictioni alterius.*
16 *Vota religioſa debent eſſe externa.*
17 *Item, & perpetua ſaltem ex parte religioſi.*
18 *Vt quis ſit religioſus debet eſſe pars religioſæ communitatis.*
19 *Antiqui Eremitæ iuxta aliquos fuerunt veri religioſi.*
20 *Non repugnat ducentem vitam ſolitariam eſſe verum religioſum.*
21 *Ad ſtatum religioſum requiritur traditio.*
22 *Item, & reciproca obligatio inter religionem, ac religioſum.*

23 *Idque, etſi ſtatus religioſus priuatim aſſumatur.*
24 *Non eadem conſilia ſeruantur in qualibet religione.*
25 *Qualibet religio debet eligere aliquam ex regulis approbatis.*
26 *Dari poteſt vera religio ſine profeſſione ſolemni.*
27 *Vota religioſa, etiam limitata, poſſunt facere verum religioſum.*
28 *Status religioſus non ſubſiſtit cum libertate recedendi relicta religioſo.*
29 *Immobilitas petitaad ſtatum religioſum ſufficit, quòd ſit moralis.*
30 *Aſſumptio ſtatus religioſi debet eſſe libera.*
31 *Status religioſus ſubſtantialiter eſt idem in qualibet religione, & varietas religionum deſumitur ex fine illarum.*
32 *Status religioſus eſt ſtatus perfectionis acquirendæ.*
33 *Inſtitui poteſt per ſe ordinatus ad bonum proximi.*
34 *Papa poteſt facere, vt religioſus deſinat eſſe talis.*
35 *Relaxans vota ſimplicia reſeruata non relaxat ſtatum religioſum conſtitutum ex votis religioſis ſimplicibus.*
36 *Religio eſt eadem, etſi mutetur in aliqua conſtitutione.*
37 *Vnitas religionis pendet ex vnitate finis, ac mediorum.*
38 *Habitus regularis non eſt de eſſentia ſtatus religioſi.*
39 *Item nec vſus Chori.*
40 *Multiplex eſt diuiſio ſtatus religioſi.*

QVÆRES I. Quid intelligatur nomine ſtatus religioſi.

1 ℞. Intelligi modum viuendi in communi, fidelium ad chriſtianę charitatis perfectionem tendentium, editis tribus votis religionis ſubſtantialibus; eumque ſtabilem, & ab Eccleſia approbatum, *ita Laym. l. 4. tr. 5. c. 1. n. 1.* & inde probatur, quod teſte *S. Thoma 2. 2. q. 186. a. 1.* religio eſt virtus, per quam homo ad Dei ſeruitium, & cultum aliquid exhibet: quo pacto antonomaſticè religioſos vocamus illos, qui ſublatis mundi huius impedimentis, ſe totos dicant Dei ſeruitio, quaſi holocauſtum Deo offerentes, ſiquidem chriſtiani hominis perfectio conſiſtit in eo, vt contemptis, & quantum fieri poteſt, reiectis vitæ præſentis cupiditatibus, per charitatem Deo inhæreat; quæ cum verſentur circa rès externas, corpus, & propriam voluntatem, per 3. vota ſubſtantialia religionis ab illis homo ſe eximit: per votum paupertatis abdicando res externas, per votum caſtitatis offerendo corpus, & per votum obedientię propriam voluntatem ſubijciendo: quia denique propriè loquendo, ſtatus hominis importat immobilitatem modo inferiùs explicando; propterea ad rationem ſtatus religioſi non ſufficit nudum propoſitum obſeruandi tria conſilia euangelica, nempe paupertatem, caſtitatem, ac obedientiam; ſed requiritur obligatio perſonalis prouenienſ ex votis Deo emiſſis, & quidem in perpetuum, ideſt vſque ad finem vitæ.

QVÆRES II. Quot, & quæ requirantur ad ſubſtantiam veræ, & propriæ religionis.

2 ℞. Requiri quatuor: nimirũ: 1. vt ſeruentur paupertas, caſtitas, ac obedientia, 2. vt ſeruentur ſub obligatione perſonali firmata voto, 3. vt ſeruentur in religione approbata à Sede Apoſtolica, 4. vt per hæc vouens conſtituatur ſub alterius iuriſdictione, ac poteſtate. Ita in terminis *Sanch. l. 5. mor. c. 1. num. 16.* alijque communiter, & conſtabit ex dicendis *in qq. ſequentibus.*

QVÆRES III. Quo modo ſit de ſubſtantia ſtatus religioſi, vt in eo ſeruentur euangelica paupertas, caſtitas, ac obedientia.

3 ℞. Eſſe ita de ſubſtantia, vt ſine illis non poſſit ſubſiſtere eſſentia ſtatus religioſi. Ita *S. Tho. ſup. a. 2. Suar. to. 3. de relig. l. 2. c. 2. n. 3. Sanch. ſup. Laym. loc. ſup. citato,* alijque communiter apud ipſum *Suar.* & probatur tum ex *c. cum ad monaſt. de ſtatu monach.* vbi dicitur caſtitatem, & paupertatem eſſe adeo annexa ſtatui religioſo, vt contra ea nec Papa indulgere poſſit: (intellige, ita vt in iis diſpenſet cum religioſo manente tali, cum alias eadem ſit ratio de obedientia, vt mox oſtendemus;) tum quia ſtatus religioſus eſt ſchola, ſeu ſtudium perfectionis acquirendæ; integra autem via perfectionis requirit auulſionem ab ijs omnibus, quæ multum obſtare poſſunt homini, ne expeditè tendat ad illam: vnde cum huiuſmodi obſtacula ſint vſus venereorum, cupiditas bonorum temporalium, & propria voluntas, & hæc coerceantur per votum caſtitatis, paupertatis, ac obedientiæ: iſta erunt omninò neceſſaria in ſtatu perfecto religionis: ſicque dicenda ſunt eſſe de ſubſtantia illius.

4 Vnde quis benè inferat eſſe de ſubſtantia ſtatus religioſi, vt præter præcepta, etiam conſilia obſeruentur, quamuis non omnia: obſeruantia enim præceptorum pertinet ad communem ſtatum vitæ chriſtianæ, cum ſit neceſſaria ad perfectionem eſſentialem charitatis, quam omnes fideles tenentur intendere, conſtat autem, quod ſtatus perfectionis religioſæ addit aliquid huic communi ſtatui fidelium, vt ſic facilior reddatur via creſcendi in charitate vltra id, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad charitatem.

QVÆRES III. Vnde requiratur ad eſſentiam ſtatus religioſi, vt homo ſeruet paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, non quomodocumque, ſed ex promiſſione firmata voto.

5 ℞. Requiri ex eo quòd ſtatus hominis, propriè loquendo, ſignificat immobilitatem, rationem ſcilicet vitæ, ad quam ſeruandam homo perſonaliter obligetur: vt conſtat in ſtatu coniugatorum, ac Epiſcoporum, qui hoc ipſo quòd ex ſolutis fiunt coniugati, aut ex non Epiſcopis Epiſcopi, dicuntur mutare ſtatum, & alium ſtatum amplecti. Vnde ad ſtatum religioſum non ſufficit ſimplex propoſitum ſeruandi paupertatem, caſtitatem, ac obedientiam euangelicam: ſed requiritur obligatio perſonalis per vota Deo emiſſa, & quidem non ad tempus determinatum, ſed in perpetuum; ideſt vſque ad finem vitæ: ſicque homo immobiliter, ac ſine vlla ſpe reſiliendi abſtractus à mundo, & Deo peculiariter dicatus pro-

priè

priè cenſetur mutare ſtatum, ex ſæculari factus religioſus. Colligitur ex S. *Tho.ſup.q.183.a.1.* & eſt communis Doctorum.

QVÆRES IV. An ſit de ſubſtantia ſtatus religioſi, vt præfata 3. uota ſolemnia, uel certè ſufficiat, quòd ſint ſimplicia.

6 ℟. abſolutè loquendo, ſufficere ea eſſe ſimplicia; idque in præſentia eſſe adeò certum, vt dicat Sãch. *ſup.num.25.* non licere vllatenus dubitare, & Suar. *to.4.de relig.tr.10.l.3.c.4.num.5.* vlteriùs addat eſſe omnino infallibile, ita vt ſine errore in fide negari non poſſit; idq. ex bulla Greg. XIII. edita pro Soc. Ieſu. *Quanto fructuoſiùs*, qui ſic habet. *Ad hæc dictam ſocietatem firmo noſtræ declarationis ſubſidio communire volentes ſtatuimus, atque etiam decernimus non modò eos, qui in coadiutorum formatorum, ſiue ſpiritualium, ſiue temporalium gradus, & miniſteria admittuntur, ſed etiam alios omnes, & quoſcumque, qui in ipſa Soc. admiſſi, biennio probationis peracto, tria prædicta vota, tametſi ſimplicia emiſerint, emittentque in futurùm, verè, & propriè religioſos fuiſſe, & eſſe, &c.* Cum enim ſententia Papæ in his, quæ pertinent ad doctrinam, contineat infallibilem certitudinem ex Chriſti inſtitutione, ac promiſſione, (vt eruditè oſtendit *Sua. vbi ſupra*;) & ex alia parte iſta conſtitutio Gregorij XIII. contineat declarationem cuiuſdam veritatis valdè neceſſariæ ad mores Eccleſiæ, & ad quietem, ac pacem animarum; planè dicẽdum eſt huiuſmodi declarationem continere infallibilem certitudinem: quod etiam probat *Vaſq.1.2.q.96.ar.4.d.165.c.9.n.94.& 95.*

7 Probatur autem iſta reſponſio, (quam docent *Caiet.2.2.q.88.a.7. Ribadeneira de inſtitut. ſoc. c.25. & ſeqq. Suar.ſup. toto cap.4. Sanch. vbi ſup. Vaſq. loco paulò antè citato c.2.3.& 9.& alij plures Recentiores,*) tum ex relata Gregorij XIII. *conſtitut.* in qua cum Apoſtolica auctoritate definiatur religioſos Societ. Ieſu adſtrictos ſolis ſimplicibus votis biennij eſſe verè, ac propriè religioſos, vt modo vidimus: conſequenter definit de eſſentia ſtatus religioſi non eſſe vota ſolemnia, ſed ſufficere ſola ſimplicia; tunc quia cauſa, ac origo, cur ſolemniter profeſſi ſint in vero, ac proprio ſtatu religioſo, eſt voluntas, & conſtitutio Eccleſiæ, per quam ſolam adinuenta eſt dicta ſolemnitas, (vt ſuo loco probabimus, & oſtendit *Sanch. ſup. n.6.*) & ad quam ſolam ſpectat inſtituere, ac erigere religiones, eis viuendi normam præſcribendo, ſicut infra dicemus *q.ſequenti*: non ergò ſolemnitas votorum eſt adeò neceſſaria ad ſtatum religioſum propriè conſtituendum, quin ipſa Eccleſia poſſit ſua conſtitutione approbare aliquam religionem cum ſolis votis ſimplicibus: ſiquidem per quas cauſas res naſcitur, per eas & diſſoluitur, quòd ſi *S.Tho.ſup.q.vlt.a.2. ad 1.Caiet.2.2.q.188.a.1.Sot.l.7.de iuſt.q.5. a.1. concl.8. Sylu.v. votum 4.q.5. alijque plurimi DD. antiqui* oppoſitum ſuſtinent, docentes ſtatum veræ religionis non poſſe conſiſtere abſque votis ſolemnibus, non loquuntur de poſſibili, ſed de facto; referentes id, quod tunc temporis contingebat, nimirum tunc de facto nullum fuiſſe verum religioſum, qui non eſſet ligatus votis ſolemnibus: quod eſt negare de facto non de poſſibili, vt patet.

Quòd ſi in hac occaſione quæras, an, & quo modo votum fieri poſſit ex ſimplici ſolemne abſque noua voluntate vouentis.

8 ℟. *Suar.to.3. de relig.l.2.c.11.n.2.* poſſe, & probat ex eo quod cum vota biennij, quæ emittuntur in Soc. Ieſu, à principio eſſent ſimplicia ex duplici capite, eo quòd ſcilicet non redderent vouentem inhabilem ad matrimonium, & non eſſent annexa traditioni perpetuæ, ac omninò indiſſolubili ex parte tam religionis, quam ipſius religioſi, ſed ſolum ex parte religioſi; modo quo ad priorem partem ſimplicitas voti caſtitatis talis inſtituti eſt veluti diminuta; cum iam ex Gregorij XIII. bulla *Aſcendente Domino* vouentem reddat inhabilem ad matrimonium, quamdiu votum permanet, (& quidem etiam illum, qui ante dictam bullam præfatum votum emiſerat, vt conſtat ex tenore illius;) quo ad alteram vero partem etiam nunc poſſet ea conditio impleri per Papam, ſi is à Societate auferret poteſtatem dimmittendi eos, qui poſt biennij probationem dicta vota in ea emiſiſſent, ſi Sedi Apoſtolicæ ita expedire videretur; quo caſu votum caſtitatis ſimplex, quod nunc fit in Societate, eſſet re vera ſolemne, vtpote habens omnes conditiones requiſitas ad voti ſolemnitatem: ſicut è contra, ſi nunc Papa quò ad hoc mutaret iura aliarum religionum, & ſtatueret, vt omnes poſſent religioſos profeſſos dimittere ratione incorrigibilitatis liberos à vinculo profeſſionis, & ab omnibus votis; iam vota, quæ modo sũt ſolemnia, fierent ſimplicia, vtpote carentia perpetuitate abſoluta, omninò requiſita ad rationem voti ſolemnis, quod eſt vota ſimplicia poſſe fieri ſolemnia, & ſolemnia fieri ſimplicia abſque noua voluntate vouentis. Cuius rei ea eſt ratio, quòd lex Eccleſiæ, ex qua pendet ſolemnitas votorum religioſorum, ſupponit quidem voluntatem vouentis ad inducendam inhabilitatem conſequentem ex voto (v.g. incapacitatem matrimonij ex voto religioſæ caſtitatis) voluntatem, inquam, viuendi in tali ſtatu religioſo ab Eccleſia approbato: non item in ſua duratione, ſeu ablatione legis, aut effectus illius; vt rectè aduertit idem *Suar. vbi ſupra.*

QVÆRES V. Quomodo ſpectet ad ſubſtantiam ſtatus religioſi, vt 3. vota religioſa emittantur in religione approbata à Sede Apoſtolica.

9 ℟. Ita ſpectare, vt ad conſtituendum ſtatum religioſum non ſufficiat modus viuendi ab Eccleſia approbatus, ſed requiratur præterea, vt talis modus viuendi ſeruetur in religione, quæ ab Eccleſia ſit approbata, ſeu acceptata tanquam vera religio. Quamquam non ſit per ſe neceſſarium, vt talis approbatio fiat immediatè à Papa; ſiquidem religiones Sanctorum Antonij, Baſilij, Auguſtini, ac Benedicti non videntur initio fuiſſe ſic approbatæ, ſed ab Epiſcopis, quibus tunc ſuberant, ipſo vſu admiſſæ ſunt, non repugnante ipſo Papa, & poſtea ſenſim laudatæ à Concilijs, & confirmatæ à Papa; ſicque ante admiſſionem Prælatorum eæ non erant perfectæ religiones, ſed ſolum inchoatæ, & veluti mancæ; ſicut notauit *Leſſ.l.2.c.41.numer.12.* hinc inſerens *numer.10.* ad ſtatum religio-

nis, ſaltem perfectum, neceſſariam eſſe Eccleſiæ approbationem, & votorum admiſſionem, ideoque, et ab initio Eccleſiæ Monachos fuiſſe ſolitos initiari per Epos, vt cõſtat ex *S. Dionyſ. cap. 6. Eccl. hier. c. vlt.*

10 Et certè, quòd ſit neceſſaria Eccleſiæ approbatio ad conſtituendum ſtatum religioſum, ſaltem perfectum, docent non ſolum plurimi DD. quorum aliquos refert, & ſequitur *Sanch. ſup. n. 19.* ſed etiam probatur, tum quia ſine dicta approbatione non poteſt dari ſtatus ſpiritalis ſupra ſtatum communem fidelium, ſed omnes ſtatus ferè ſunt laici, ſubiecti poteſtati ſæculari: niſi fortè aliqui ex illis ſint clerici, aut Sacerdotes; quod ijs non competit per iſtam rationem vitæ, ſed aliunde: religio autem perfecta eſt ſtatus ſpiritualis, & ſupernaturalis, diſtinctus à communi ſtatu fidelium, ac proinde à Chriſto peculiari modo debet deſcendere; idque mediante ipſius Vicario: non ſecus ac omnes gradus Eccleſiaſtici, & omnis ſpiritualis iuriſdictio iuxta illud *Epheſ. 4. ex quo totum corpus compactum, & connexum*; tum quia votum paupertatis, & obedientiæ religioſæ reſpiciunt auctoritatem Prælati habentis iuriſdictionem ſpiritalem (cum paupertas nulla re vti poſſit independenter à voluntate Prælati, obedientia verò ſupponat præceptum Prælati) ſicque requirunt in Superiore ſpiritualem poteſtatem à Chriſto manantem: quæ tamen non poteſt haberi, niſi ſuppoſita præfata approbatione, vt rectè aduertit *Leß. vbi ſup.* addens *n. 11.* quòd ſi plures in vnum corpus, & communitatem coirét vnique cõferrent poteſtatem ad illam regendam, etiam in ſpiritualibus, ij quidem tenerentur illi obedire, quamdiu eſſent pars talis communitatis: hæc tamen poteſtas non eſſet ſpiritalis, ſed politica (qualis eſt poteſtas Principum ſæcularium, qui nõ habent aliam poteſtatem, quàm quæ eis data eſt à Republica,) ideoque per eam non poſſet Superior ille propriè repreſentare Chriſtum, nec vices eius gerere, cum ab ipſo talem poteſtatem non acceperit, vt patet.

11 Quod autem dixi ad ſtatum religionis propriè conſtituendum non neceſſariò requiri approbationem Papæ; poſt Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. coactum non habet verum, cum in eo diſtrictius inhibitum ſit, ne aliquis de cætero nouum Ordinem, aut religionem inueniat, vel habitum nouæ religionis aſſumat, cunctis affatim religionibus, & Ordinib. Mendicantibus poſt dictũ Concilium inuentis, qui nullam approbationem Sedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubiectis, & quatenus proceſſerant reuocatis, quod eſt Papam ſibi reſeruaſſe ius approbandi religiones, vt notarunt *Sanch. ſup. n. 19. Leſſ. nu. 12. Azor. to. 1. l. 11. c. 23. q. 6.* alijq; & meritò ob rationes adducendas *cap. ſeq.*

QVÆRES VI. Qualiter ſit de ſubſtantia ſtatus religioſi, vt qui illum profitetur, conſtituatur ſub alterius iuriſdictione, ac poteſtate.

12 ℞. Quòd, quamuis in ſtatu religioſo neceſſaria ſit in Prælato poteſtas gubernatiua Monaſterij, & ſuo modo dominatiua ſingulorum religioſorum, diſtincta à poteſtate iuriſdictionis, & ab ea ſeparabilis: vt hinc patet, quòd ſola vota ſacra in manibus Prælati cum promiſſione obedientiæ non valent conſtituere aliquem religioſum, vt oſtendemus q. 9. ad ſtatum tamen religioſum ſimpliciter conſtituendum non requiritur propria iuriſdictio ſpiritualis diſtincta à poteſtate quaſi dominatiua, ſed ſufficit hæc talis poteſtas, vt patet in monialibus, quæ verè ſunt religioſæ, & tamen immediatè ſubſunt Abbatiſſæ, quæ caret iuriſdictione ſpirituali (ſtando præciſè in iure communi) imò, & temporali, cum non poſſit aſſignari, vnde illam habeat: ita *Suar. ſup. c. 18. n. 6. & 8.* monens *n. 13.* per hæc nõ tolli, quin dici poſſit ad perfectum regimen ſtatus, ſeu monaſterij religionis, eſſe neceſſariam propriam iuriſdictionem in aliquo Prælato talis religionis, ſaltem extrinſeco, & communi alijs fidelibus, qualis eſt Papa; qua de re *Sanch. ſup. n. 20.* Quod autem dicit *Suarez*, debet intelligi iuxta dicenda *tr. 3. c. 2. q. 2. §. quæ doctrina*.

QVÆRES VII. Qualis paupertas ſit de ſubſtantia ſtatus religioſi.

13 ℞. Eſſe illam, quæ excludat vſum rerum ſuperfluum vitæ, adeòque ad ſtatum religioſum conſtituendum nõ neceſſariò requiri, vt per votum paupertatis religioſus reddatur incapax dominij bonorum temporalium, aut vſus eorundem independentis, ita *Suar. to. 3. de relig. l. 8. c. 7. n. 10.* & conſtabit ex dicendis *in tract. de votis cap. 2. ſect. 1. q. 6.*

QVÆRES VIII. Qualis caſtitas requiratur, & ſufficiat ad ſtatum religioſum.

14 ℞. Probabile eſſe requiri, & ſufficere caſtitatem ſaltem coniugalem, non autem requiri caſtitatem abſolutã, ad hoc vt quis verè, ac propriè dici poſſit religioſus, Ita *Nau. conſ. 11. de regular. Suar. to. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. c. 4. n. 9. alijque*; penes ipſum communiter, & probatur tum quia Ordines militares S. Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & ſimiles promittunt ſolum caſtitatem coniugalem, & tamen approbati ſunt à Summis Pontificibus tanquam religiones, & in bullis eorum ſæpè ita nominantur; tum quia ſtatus dictorũ Ordinũ militarium nõ eſt ſtatus vitæ ordinariæ, ac cõmunis præceptorũ obſeruãdorum, ſed eleuatur ad obſeruanda cõſilia, & quidẽ cũ vera traditione totius hominis, totiuſq; vitę ipſius ad obſequiũ Dei, & in actu ſatis difficili; qualis eſt vitã pro defẽſione honoris, ac Eccleſię illius tot periculis, ac laborib. exponere, nec non cũ obligatione ad paupertatẽ, caſtitatẽ, ac obedientiã, quatenus ad illũ finẽ ſunt accommodata, & ſufficiũt: ergò ſtatus taliũ Ordinũ eſt ſtatus perfectionis: ergò & eſt verus ſtatus religionis; ſicq; etiã eius membra erũt veri religioſi.

QVÆRES IX. Qualis obedientia ſit de eſſentia ſtatus religioſi.

15 ℞. Non ſufficere quamcumq; obedientiam, ſed requiri eam per quam quis ſubijciatur ſpirituali iuriſdictioni alterius: ideoque non eſſe, nec dici poſſe religioſum illũ, qui edito voto perpetuæ caſtitatis, & paupertatis, obediẽtiam item perpetuam voueret præſtandam proprio confeſſario, aut Epiſcopo: cùm per tale votum vouens non ſubijciatur iuriſdictioni ſpirituali; quippe quæ à Chriſto medio Papa eius Vicario, prouenire debet. Vnde fit, ſicut eiuſmodi hominum ſubiectiones Eccleſia quòd, non approbat, nec acceptat, ſic neque tales homines fiunt perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed

vt

vt erant ante manent laicæ, ſicut notauit *Leſs.n.*10. & cum eo *Laym.n.*7. conſtat autem, quod obedientia, per quam quis ſubijcitur ſpirituali iuriſdictioni eſt illa tantùm, quæ promittitur in religione approbata auctoritate Apoſtolica, vt oſtendit *Suar. to.*3. *de relig.l.*2.*c.*18.*n.*4.

QVÆRES X. An poſſit quis conſtitui verè, ac propriè religioſus per emiſſionem 3. votorum ſubſtantialium religionis internè factam.

16 ℞. Non poſſe ſumendo ſtatum religioſum, pro vt à nobis hìc ſumitur; & ratio eſt, quòd quamuis votum internum ſufficiat ad inducendam obligationem apud Deum, quæ dici poteſt obligatio inuiſibilis, & per ſe occulta hominibus: non tamen ſufficit ad inducendam obligationem apud Eccleſiam, & ab hominibus cognoſcibilem, niſi votum per externam promiſſionem conſumetur; cum alioquin obligatio ad ſtatum religioſum neceſſaria debeat eſſe externa, & hominibus accomodata: quippe quæ debet acceptari ab Eccleſia vtpote habens rationem promiſſionis humanæ, quę cùm non poſſit humano modo acceptari immediatè à Deo debet ſaltem acceptari ab aliquo eius miniſtro per Eccleſiam deputato. colligitur ex *Suar.to.*3. *de relig. l.*1.*c.*12.*n.*8. ex dictis inſerens per votum internum poſſe quidem dici hominem eſſe in ſtatu perfectionis apud Deum, non item apud Eccleſiam: cum ipſa non iudicet de internis.

QVÆRES XI. An de ratione ſtatus religioſi ſit, vt obligatio ex votis religioſis proueniens habeat perpetuitatem, ſaltem ex parte vouentis, ſin minus religionis ea acceptantis.

17 ℞. Eſſe, & inde patet, quod iuxta dicta *quæſt.*3. de ratione ſtatus eſt immobilitas; immobilitas autem ſupponit perpetuitatem obligationis, ſaltem ex parte ſuſcipientis obligationem, vnde ipſamet ciuilis, & humana ſeruitus non conſtituitur per obligationem ſeruiendi, niſi illa de ſe ſit perpetua; ſicque, ſi quis ſe obliget ad ſeruiendum pro certo tempore, vel quamdiu ſibi placuerit permanere in contractu, non dicetur in ſtatu ſeruitutis, ſed famulus, aut mercenarius: cum aliàs ſtatus religioſus importet ſpeciem quamdam ſeruitutis voluntariæ iuxta illud, *Seruire Deo regnare eſt*. Colligitur item ex *Suar.ſup.n.*11. qui ait *n.*12. ad proprium ſtatum ita requiri moralem immobilitatem, adeoq; obligationem ſemper manendi in tali modo viuendi, quantum eſt ex parte illius, qui talem ſtatum aſſumit: vt alioqui homo non aſſumat ſtatum, ſed ſemper ſit quaſi in probatione, aut deliberatione de ſtatu, an ſit ſibi conueniens. Vnde ego inſero quod licet dari poſſit religio, in qua religioſus perpetuam habeat obligationem manendi in religione non item religio teneatur illũ perpetuò retinere, (vt patet in Societate Ieſu;) non tamen poteſt dari religio, in qua non ſolum ipſa religio ſit libera ad dimittendum religioſum, ſed etiam religioſus ſit liber ad recedendum ab illa; idque ob rationem hic allatam.

QVÆRES XII. An ſit de eſſentia ſtatus religioſi, vt qui illum aſſumit, vitam degat nõ ſolitariam, ſed cęnobiticam, ſicque fiat per aſſumptionem dicti ſtatus membrum alicuius religioſæ communitatis.

18 ℞. Eſſe, & maximè, poſtquam iure Eccleſiaſtico ſtatutum eſt ad hoc, vt vota religionis, & religioſa profeſſio validè fiant, debere fieri in religione approbata per Romanam Sedem iuxta *cap.vlt.de relig.dom.& cap.vn.eod.tit.in* 6. quo modo cum talis religio ſit communitas quædam ſub obedientia alicuius Prælati, & viuens ſub aliqua regula: neceſſe eſt, vt qui ſecundum illam aſſumit ſtatum religioſum, efficiatur eius membrum: quod repugnat degenti vitam ſolitariam abſque ſpeciali ſubiectione obedientiæ alteri tanquam proprio Prælato exibendæ ita *Suarez tom.*4. *de relig.tr.*9.*l.*1. *c.*2.*n.*13. id inde confirmans, quòd omnes, ſiue viri ſiue fęminæ virgines vitam priuatam ducentes, quantumuis ſe Deo dedicent, & voueant caſtitatem, vel etiam paupertatem, ac obedientiam, etiã in manibus Epiſcopi, verè non ſunt religioſi: cum illa non ſit vera profeſſio, nec traditio, vtpote non acceptata ab habente poteſtatem, nec modo præſcripto ab Eccleſia.

19 Dixi, *& maximè, poſtquam iure Eccleſiaſtico ſtatutũ eſt, &c.* vt indicarẽ ante emanationem talis iuris magis controuerſum fuiſſe, an ij, qui propriè degũt vitam ſolitariam, & dicuntur Eremitæ, (quales fuerunt S.S. Antonius, Paulus, & ſimiles) poſſint dici, & ſint veri religioſi, nam *S. Tho.*2. 2. *q.*186. *a.*5. *ad* 3. videtur eos computare inter religioſos; ideoque conatur declarare, quo modo retineant ſufficientem obedientiam ad illum ſtatum; quatenus ſcilicet ſubſunt Epiſcopis: idque ſaltem in præparatione animi, cum viris perfectis non ſit neceſſarium actu obedire. *Suarez* verò *ſup. nu* 12. ait quod cum probabilius, ac ferè certum videatur dictos Eremitas, nec votum obedientiæ, nec alia vota emiſiſſe in manu alicuius qui illa vice Dei eiuſque auctoritate acceptauerit; conſequenter nec veram profeſſionem religioſam emiſerunt, ideoque nec ſunt, nec dici poſſunt veri religioſi. Vnde ſubdit *Suar. in hac ergo re nihil certi habeo, quod reſpondeam, & ideo mallem aliorum iudicio hoc relinquere, quam quicquam definire; aut enim dicendum eſt hos Sanctos Patres, priuſquam in eremum ſecederent, religioſam profeſſionem in manibus Epiſcoporum feciſſe. quod eſt diuinare, cum in hiſtorijs eorum hoc nõ legatur, aut dicendum eſt eos non fuiſſe propriè, ac formaliter religioſos quo ad ſtatum publicum, & approbatum iure Ordinario in Eccleſia, ſed fuiſſe religioſos apud Deum altiori ratione ſpecialiter approbata peculiari Spiritus ſancti inſtinctu, quod videtur ſignificaſſe S. Tho. qu.*188.*a.*8. *cum ait in illis Sanctis viris Spiritum ſanctum ſua gratia suppleuiſſe, quod in alijs per exercitationem acquiritur: vnde dicere poſſumus in eis fuiſſe ſtatum religioſum quaſi eminenter per abundantiam gratiæ confirmantis illos quaſi immobiliter in tali modo viuendi, & supplentis directionem obedientiæ, quæ in alijs per homines fieri ſolet, & in illis Sanctis erat perfecta in animi præparatione reſpectu Prælatorum Eccleſiæ. hæc Suarez.*

20 Ex quibus inferri poteſt, & benè, ſecluſo iure Eccleſiaſtico, ſimpliciter nõ repugnare dari verum ſtatum religioſum in homine ducente vitam ſolitariam extra omnem hominum congregationem, & conuerſationem; idque ſiuè quis illam aſſumat, poſtquam per multos annos in cęnobio vixit ſub

obedientia, (quod eſt certum, cum ſic præſupponatur ſtatus religioſus aſſumptus, qui per tranſitum ad eremum non aufertur,) ſiue quis illam aſſumat immediatè inchoando ab illo, ſine tranſitu per cęnobium, nec pet profeſſionem in eo ſactam; ſi quidem in aſſumptione vitę ſolitarię obedientiam ſpecialem voueat Epiſcopo. colligitur apertè ex *Suar. ſup. n.*8. & conſtat ex dictis §. *praecedenti*, magiſque confirmatur ex iis, quæ habet idem *Suar. to.*3. *de relig. l.*2. *c.*4. *nu.*4. dicens non eſſe dubitandum, quin dicti Sancti Anachoretæ verum ſtatum religioſum habere potuerint; cum etiam modo poſſit Papa vota alicuius priuatim ſibi facta admittere tanquã ſubſtantialia religionis, (ſicut olim ſaciebant Epiſcopi,) & aliàs neq; ex ratione ſtatuta, vt ſic, neq; ex ratione perfectionis neceſſaria ſit conditio vitæ communis, vt optimè oſtendit ipſemet *Suar.* ex eo, quòd ratio ſtatus vt ſic ſolùm dicit immobilitatem: ſtatus verò perſectionis, quòd ſit in ordine ad actus perſectionis exercendos: ſtatus denique religionis non addit ſuprà ſtatum perfectionis, niſi quòd ſit in ordine ad perfectionem acquirendam: quæ omnia æque benè poſſunt ſubſiſtere in ducente vitam ſolitariam modo dicto.

QVÆRES XIII. An; & qualis traditio requiratur ad ſubſtantiam ſtatus religioſi.

21 ℞. Quòd cum homo per vota religioſa, ita ſe ipſum tradat Deo, vt ſpeciali modo dominium ſui transferat in ipſum Deum; idque Eccleſia nomine Dei dicta vota acceptante; ſequitur de ſubſtantia ſtatus religioſi eſſe, vt qui illum aſſumit, ſe ipſum tradat Deo, & Deus per Eccleſiam huiuſmodi traditionem acceptet, ita *Suar.* in terminis *ſup n.*5. *&* 6. probatq; quia ſtatus religionis eſt ſtatus ſeruitutis, vt docet *S. Tho.* 2. 2. *q.* 186. *a.* 1. dicẽs religioſum per antonomaſiam dici eũ, qui ſe totaliter mancipat diuino ſeruitio; ſeruitus autem non fit per ſolam promiſſionem, ſed requirit traditionem, & translationem dominij: ad quam vtique requiritur acceptatio, cùm in humanis traditio non habeat valorem ad transferẽdum dominium in alterum, niſi ab eo accèptetur; vnde, cùm Deus non acceptet immediatè per ſeipſum vllam donationẽ ſibi factam, neceſſe eſt, vt talis acceptatio fiat ab Eccleſia, ſeu miniſtro per illam deputato. Cum enim Deus iuxta ſuam ordinariam prouidentiam non ſuſcipiat curam peculiarem gubernandi priuatam perſonam immediatè per ſeipſum, nec egeat his rebus ſenſibilibus, vt eis vtatur immediatè, ac ſine interuentu cauſarum ſecundarum: donatio, quam homo per religioſa vota facit Deo de ſeipſo, vana cenſeretur, otioſa, vt quaſi tentans Deum, ab eo immediatum regimen exigendo; ſicque ei non placet, nec ab ipſo immediatè acceptatur, & vult illam acceptari ab Eccleſia nomine ipſius; quod eſt dicere traditionem, quæ eſt de ſubſtantia ſtatus religionis, debere eſſe acceptatam ab Eccleſia.

QVÆRES XIV. An, & quomodo ſit de eſſentia ſtatus religioſi, vt inter religionem, & religioſum intercedat reciproca obligatio.

22 ℞. Eſſe, loquendo de ſtatu religioſo aſſumpto in communitate religioſa, ideoque requiri, vt, ſicut religioſus per vota ſubſtantialia religionis immediatè Deo facta ipſi Deo obligatur; ſic etiam interueniat peculiaris obligatio humana per modũ pacti reciproci, quo religioſus ſe donet religioni, eiq obligetur; & religio acceptet illius traditionem, eique viciſſim obligetur ad ipſum tamquam membrum ſuum alendum, conſeruandum, ac gubernandum iuxta ſuum inſtitutum. ita *Nau. l.*3. *conſ. de regular. conſ.*5. *n.*17. *Sanchez li.*7. *de matr. D.*25. *n.*12. *& Canoniſtæ in cap. ad apoſtolicam de regular.* patetq; ex eo, quod religioſus profitendo in religione fit membrum talis religionis tamquam cuiuſdam corporis myſtici; id autem non poteſt fieri, niſi pèr mutuam vnitionem inter totum, & partem: quæ vnitio, cum moralis ſit, per mutuam fit obligationem: & cùm ſit actualis, & realis, fieri debet per traditionem actualem, & acceptationem ipſi proportionatam; at quo pacto talis obligatio erit vltrò, citroque humana, & hominibus proportionata, niſi aliquis vice Dei obligetur religioſo, ſicut ipſe religioſus ſe obligat Deo reſpectu religionis, in qua profitetur? id vero præſtat Prælatus, qui acceptat profeſſionem religioſi ſibi ſubditi, vt patet.

23 Quòd ſi ſtatus religioſus aſſumatur priuatim, & ſine vnione ad aliquam religioſam cõmunitatem; non poteſt quidem fieri abſque habitudine ad aliquem hominem, cui vouens ſe obliget, & poteſtatem in ſe ipſum tribuat; poteſt tamen interdũ hoc fieri per ſpeciale pactum cum tali perſona nomine Dei acceptatum, ex quo mutua oriatur obligatio; interdum verò (ex ſola natura rei talem ſtatum conſiderando) conſtitui poteſt ſine ſpeciali promiſſione, aut obligatione proximè, aut directè homini ſacta per ſola vota oblata Deo, & ſpeciali modo acceptata ab homine. ita *Suar. ſup. num.* 11.

QVÆRES XV. An de ratione ſtatus religioſi ſit, vt in vnaquaq; religione ſeruentur eadẽ cõſilia.

24 ℞. Non eſſe, ſi excipiuntur ea, quæ conſiſtunt in 3. votis ſubſtantialibus religionis, & ſunt communia omnibus religioſis. colligitur ex *Sua. ſup. l.* 1. *c.* 11. *numer.* 6. & probatur tum exemplo Apoſtolorum, qui, vt notat *S. Thom. opuſc.* 19. *c.* 2. *num.* 30. omnes quidem profitebantur ſtatum perſectionis, & tamen non omnes ſeruabant conſilium non accipiendi ſtipendia ab Eccleſijs, quibus prædicabant, ſed ſolus Paulus illud ſeruabat 1. *Cor.* 9. tum quia regula generalis fundata in natura mediorum ad finem eſt, vt in quocumque ſtatu ea Conſilia obſeruentur, quæ ei ſunt proportionata: eadem verò conſilia nõ ſunt proportionata cuicumque religioni, cùm religiones non habeant omnes eundem finem, ſed diuerſum, ideoque requirunt diuerſa media, quæ ſcilicet tali fini ſint proportionata.

QVÆRES XVI. An ſit de eſſentia ſtatus religioſi, vti fiat ſub certa aliqua regula præter eam, quæ continetur diuinis mandatis, & ipſis votis.

25 ℞. Eſſe, non quidem abſolutè, cùm obſeruantia mandatorum Dei, & votorum ſubſtantialium religionis impletio ſufficienter ducant hominem ad perfectionem: ſed per accidens, quatenùs ſcilicet Eccleſia ob iuſtas cauſas non ſolet huiuſmodi ſtatũ approbare pro religione abſque aliqua particulari regula, ita *Leſſ. l.* 2. *c.* 40. *num.* 9.

QVÆ-

QVÆRES XVII. An poſſit dari vera, & pro-priè dicta religio cum ſolis votis ſimplicibus à Sede Apoſtolica admiſſa, ita vt in ea nulla fiat profeſſio ſolemnis.

26 ℞. Poſſe dari, & religioſos talis religionis æquè futuros fuiſſe veros religioſos, ac ſunt in præſentia ſcholares approbati, aut coadiutores formati Societatis Ieſu. ita *Vaſq. 1.2. qu. 96. art. 4. D. 165. cap. 9. num. 105. & 106. Sanchez l. 5. mor. cap. 1. num. 23. & Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. l. 3. cap. 4. num. 7.* patetque tum quia vota ſolemnia, & conſequenter etiam profeſſio ſolemnis non deſiderantur ad rationem ſtatus religioſi, vt oſtendimus *ſup. q. 4.* tum quia de facto in Soc. Ieſu dantur ſcholares approbati, & coadiutores formati, qui ſunt merè, ac propriè religioſi, & tamen non faciunt profeſſionem ſolemnem, gradu profeſſorum in dicta Societate concomitanter ſolùm ſe habente; vnde fit, vt vota ſimplicia, quæ præfati ſcholares, & coadiutores emittunt, forent eiuſdem rationis, quantumuis in ea non fieret vlla profeſſio.

QVÆRES XVIII. An poſſit dari religio, verè, & propriè dicta, in qua emittantur. 3. vota ſubſtantialia, non abſoluta, ſed limitata; nimirum paupertas, quæ non reddat vouentem incapacem dominij, caſtitas ſolùm coniugalis, & obedientia reſtricta ad certam, ac definitam materiam.

27 ℞. Poſſe dari, immò, & de facto dari in aliquibus ordinibus militaribus, qui iuxta dicta *q. 8.* ſunt verè, ac propriè dictæ religiones, & tamen vota, quæ in ijs fiunt, non ſunt abſoluta, ſed valdè limitata; nempe paupertas, quæ relinquit vſum rerum temporalium ita firmum, vt non poſſit iure, & iā ab ipſa religione auferri, niſi in certis caſibus definitis in ea; caſtitas merè coniugalis, & obedientia quò ad actuale exercitium valdè diminuta ratione vſus, aut generalium diſpenſationum, quæ in dictis Ordinibus inductæ ſunt, ita docti viri à me conſulti, & patet tum ex dictis: tum quia non eſt maior ratio, cur ſimpliciter loquendo, ad rationē ſtatus religioſi ſufficere poſſit caſtitas limitata, videlicet coniugalis, & non poſſint ſufficere paupertas, & obedientia modo dicto limitatæ; tum quia, vt rectè aduertit *Suar. ſup. tra. 9. l. 1. cap. 4. n. 14. ex Naua. Couar. & alijs*, non eſt de ratione ſtatus religioſi in communi ſumpti, vt ſummam paupertatem, aut obedientiam profiteatur, ſed ſufficit, vt vnaquæque religio determinet ſibi certum modum, & menſuram circa materiam dictorum votorum, illumque ex fine ipſius religionis; ſiquidem res omnes morales ex fine ſortiuntur media, & ſpeciem, & modū, & formam: tum quia ſtatus viuendi, qui ſeruaretur in religione ita inſtituta, non eſſet ſtatus vitæ communis, ac ordinariæ obſeruandorum preceptorum, ſed præterea eleuaretur ad obſeruanda conſilia, & quidem cum vera traditione totius hominis, ac obligatione perpetua ad tria vota religionis eo modo, quo ſunt accommodata ad finem intentum a tali religione: ergò eſſet ſtatus perfectionis, & conſequenter non repugnat in eo ſaluari ſtatum religioſum, quem infra dicemus coincidere cum ipſo ſtatu perfectionis. Ita *Bordonus cap. 1. de profeſſ. regul. quaeſt. 10.*

QVÆRES XIX. An, ſicut poteſt dari religio, in qua, religioſo perpetuam habente obligationem manendi, in religione, religio ipſa manet ſemper libera ad illum dimittendus: ſic e contra dari poſſit religio, in qua, religione habente perpetuam obligationem retinendi religioſum, religioſus ipſe liberè poſſit illam dimittere, iuſta occurrente cauſa.

28 ℞. Non poſſe dari; cùm repugnet dari ſtatum, cui non ſit annexa immobilitas ex parte eius; qui dicitur eſſe in ſtatu, vnde ait *Leſſ. ſup. n. 8.* ad ſtatum ſufficere, vt te ipſe non poſſis ab ea vitæ conditione eripere; quamuis poteſtate Superioris, præſertim ſuprema, eximi poſſis: probatque exemplo ſerui, qui propriè dicitur eſſe in ſtatu ſeruitutis hoc ipsò, quòd non poteſt ſe ipſum eximere ab illo, quamuis aliàs dominus eum poſſit manumittere. ex quo patet diſparitas, cur poſſit dari religio, in qua religioſus perpetuò tenetur manere, ipſa religione manente libera ad ipſum dimittendum: & non poſſit dari religio, in qua, ipſa manente obligata ad religioſum retinendum, is liberè poſſit recedere; talis enim diſparitas in eo fundatur, quòd in priori caſu ſubſiſtit ratio ſtatus, qui neceſſariò ſupponitur ad conſtituendum religioſum, non item in poſteriori, ita docti Recentiores à me conſulti, & ſatis probabiliter.

QVÆRES XX. An poſſit dari religio, in qua religioſus ſe obliget per vota ad perſeuerandum nō abſolutè, ſed ſolùm quandiu non occurrerit grauis cauſa mutandi ſtatum, & non adſit licentia legitimi Prælati.

29 ℞. Simpliciter non videri repugnare, quòd detur talis religio, moueor, quòd, ſi quid obſtat, maximè quia ſic ſtatus religioſus non haberet ſufficientem perpetuitatem, ſeu immobilitatem, ipſo religioſo manente libero ad recedendum ab illo in caſu propoſito; at hoc eſt falſum: cùm immobilitas requiſita ad rationem ſtatus, non debeat eſſe naturalis, aut Metaphyſica, ſed moralis: ad quam ſufficit, vt ex graui cauſa, & ex propria obligatione perſonæ proueniat, eſtò per cauſam extrinſecam, & ob rationē grauiorem mutari poſſit. Sic *Suar. tom. 3. de relig. l. 1. c. 12. num. 14.* non repugnare ſtatum Epiſcopi eſſe ſtatum perfectionis, quamuis poſſit relinqui, & mutari quo ad obligationem exercendi actiones pertinentes ad perfectionem Epiſcopalem; ſiquidē Epiſcopus non poteſt ſuo arbitrio ſtatum mutare, ſed ſolum de licentia Papæ iuxta *cap. niſi cum pridem de renuntiat.* quòd verò poſſit mutare de licentia Papæ ob graues cauſas, non eſt contra rationem ſtatus; cùm eius immobilitas ſit moralis, non naturalis, vt iam dictum eſt; quæ doctrina cùm proportionaliter procedat in præſenti caſu, intentum probabit etiam in eo; pro vt mihi conceſſerunt Neoterici ſatis docti hac de re conſulti.

QVÆRES XXI. An de ratione ſtatus religioſi ſit, vt liberè aſſumatur.

30 ℞. Quòd, quamuis primo aſpectu pars negans videri poſſet probabilis, ex eo quòd in Concilio Tolet. 4. *can. 40.* relato *20. q. 1. c. Monachum* dicitur *Monachum aut paterna deuotio, aut propria profeſſio facit; quidquid horum fuerit, alligatum tenebit, proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes*

ad

ad ſæculum interdicimus regreſſus; & ex multis alijs, quæ adducit *Suar. ſup. l. 6. c. 3. n. 2.* abſolutè tamen ſuſtinenda eſt pars affirmans, quæ eſt *S. Thomæ 2. 2. q. 189. ar. 5.* communis ac certa apud eundem *Suar. n. 3.* probatur autem tum ex c. 1. *& 4. de Regul.* vbi id expreſsè habetur; tum quia aſſumptio ſtatus religioſi eſt quidam contractus humanus, qui ſine cõſenſu non perficitur; tum quia Concilium Toletanum allegatum, & alia ſimilia iura, quæ poſſent adduci, loquuntur de filijs oblatis in infantia, qui, poſtquam deuenerunt ad annos diſcretionis, expreſsè, aut tacitè conſenſerunt oblationi de ſe factæ a parentibus: quod eſt dicere illos ex proprio conſenſu, & conſequenter liberè aſſumpſiſſe ſtatum religioſum.

QVÆRES XXII. An, & quo modo ſtatus religioſus ſit vnus, ac idem in vnaquaque religione.

31 ℞. Quòd, cùm ſubſtantialitas ſtatus religioſi cõſiſtat tum in intendenda perfectione charitatis erga Deum, ac proximum; tum in renuntiatione ſæculi per 3. vota eſſentialia religionis, & traditionẽ dictis votis firmatam, per quam homo ſe totum conſecret diuino ſeruitio; & hæc duo vnicuique religioni ſint communia: ſtatus religioſus quò ad ſuam ſubſtantialitatem erit vnus, & idem in omnibus religionibus, differens tamen quò ad accidentia; quatenus ad eundem finem tendunt per diuerſa media, quamquam, cum ſingulæ religiones vltra finem generalem, quem habent comparandi perfectionem charitatis, fines etiam proprios habeant, & quidem interdum quaſi ſubſtantialiter diuerſos (cuiuſmodi eſt hoſpitalitas, & prædicatio verbi Dei) & aliàs in moralibus diſtinctio potiſſimùm deſumatur ex fine; conſequenter aliquæ religiones dici poterunt quodammodo diuerſæ ſpecie, & differre inter ſe ſubſtantialiter, quæ alioqui ratione finis generalis, communis vnicuique religioni, dici poſſunt conuenire in eadem ſubſtantia generica. Colligitur apertè ex *Suarez tom. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. 1. n. 3. & 5.* vbi loquens de religionibus habentibus fines diuerſos ſubſtantialiter; ait religiones, quę diſtinguuntur in fine (intellige proprio) dici poſſe ſpecie diuerſas; & hanc diuerſitatem fore tãto maiorem, quantò maior fuerit diuerſitas inter dictos fines: ſiquidem aliquando fines poſſunt eſſe diuerſi quaſi ſubſtantialiter; vt hoſpitalitas, & prędicatio: aliquando ſolum ſecundùm magis, & minus; vt cõtemplatio perpetua, ſeu diuturna, aut ſolùm definitis horis; quin etiam addit *Suar. n. 6.* religiones maximè diſtingui, ſi in votis ipſis, ac eorum obſeruantijs diuerſitatem habeant (eò quòd in ijs emittantur aliqua vota particularia) cùm enim in votis conſiſtat ſubſtantia religionis, diuerſitas in illis maximè accedit ad ſubſtantiales.

QVÆRES XXIII. An ſtatus religioſus ſit eſsentialiter ſtatus perfectionis acquirendæ, & quo modo.

32 ℞. Eſse, ideòque ſtatum perfectionis acquirendę, & ſtatum religionis eſse eundem; cum in fine & medijs cõueniant, ſolis nominibus differentes; finis enim intrinſecus, & omninò proximus ſtatus perfectionis eſt perfectio charitatis huius vitæ obtinenda per obſeruantiam tam conſiliorum, quàm præceptorum: extrinſecus verò finis eſt perfectio charitatis patriæ; hos autem eoſdem fines reſpicit ſtatus religionis, teſte *S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 1. ad 3. & 4.* vnde Chriſtus *Matth. 19.* cùm ſtatum religioſum promulgare cæpiſſet, dicens cuidam adoleſcenti *Vade, & vende &c.* ſubdit ea verba *Si vis perfectus eſſe*: ſic indicans finem ſtatus religioſi eſse ipſammet perfectionem charitatis tam Dei, quam proximi.

33 Dico *tàm Dei, quàm proximi*, vt innuam non repugnare ſtatui religioſo, quod aliqua religio ordinetur ad ſalutem proximi, & ad opera miſericordiæ exercenda: cùm talis finis ab ſcopo propriæ perfectionis non ſit alienus; ſtante quod homo procurando ſalutem aliorum maximè perficitur, & magis Deo vnitur; ſicut benè aduertit *Suar. tom. 3. de relig. l. 2. c. 1. n. 2.* & latè oſtendit *tom. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. 6. n. 20. 21. 22. 23. & 28.*

QVÆRES XXIV. An, & quo modo ſtatus religioſus poſſit diſſolui, ita vt homo de religioſo fiat verè non religioſus.

34 ℞. Poſſe eo modo, quo in *tract. de profeſs. cap. 5. ſect. 1. q. 4.* dicimus diſſolui poſſe vinculum religioſæ profeſſionis, videlicet per legitimam Papæ diſpenſationem, qua de re *Sanch. l. 8. de matr. D. 8. n. 7.* monens *l. 6. mor. c. 7. n. 87.* per legitimum tranſitum ad aliam religionẽ ceſſare profeſſionẽ prioris religionis; quod nõ habet verũ, neq; in caſu, quo religioſus promoueatur ad Epiſcopatum, vt conſtat ex dictis *citata ſect. q. 7.* neque in caſu, quo legitimè expellatur à religione, vt probauimus *ibidem qu. 9.* quod eſt, dicere ſtatum religioſum diſſolui poſſe; abſolutè quidem per Papæ diſpenſationem; ſecundùm quid vero (vt ita dicam) per legitimum tranſitum de vna religione ad aliam, quatenus vnus ſtatus religioſus mutatur in alium iuxta diuerſitatem Profeſſionis, quæ in talibus religionibus reſpectiuè emittitur.

Quòd ſi hac occaſione quæras, an, dato quòd inſtitueretur religio cum ſolis votis ſimplicibus (ſicuti verè poteſt inſtitui) tunc ſtatus religioſus ex eis conſurgens poſſet diſſolui per relaxationem dictorum votorum factam ab habente poteſtatem relaxandi vota omnia ſimplicia, etiam reſeruata Papæ.

35 ℞. Non poſſe diſsolui; & probatur tum ex principio iuris, quòd ſub generali conceſſione non veniunt ea, quæ ſpecialem rationem habent, ac difficultatem; quæ proinde non eſſet quis veroſimiliter in ſpecie conceſſurus: quod principium ſine dubio procedit in caſu noſtro, in quo agitur de relaxanda vera traditione religioſa conſurgente ex præfatis votis ſimplicibus, in qua nullus inferior Papa poteſt diſpenſare, tum quia *Suar. ſup. tr. 8. l. 2. c. 12. n. 33.* docet, & benè, vota ſimplicia, quæ vltra 3. ſubſtantialia fiunt in aliquibus religionibus, non poſſe relaxari ab habente generalem facultatem relaxandi vota non reſeruata, etiamſi illa non ſint peculiariter reſeruata: eò quod illa ſint vota veluti ſtatus, vt pote requiſita quaſi ad complementum profeſſionis talis inſtituti, ideoque non cenſentur comprehendi ſub generali facultate relaxandi vota non reſeruata, idque ob regulam paulò

ante

anre traditam: hæc autem doctrina à fortiori militat in votis ſimplicibus, quæ ſe ſolis verè, & propriè conſtituerent religioſum; cuiuſmodi ſunt illa, de quibus hic agimus.

QVÆRES XXV. An religio poſſit dici vna, ac eadem, ſi progreſſu temporis mutet inſtitutum in aliqua ſui parte; v.g. admittendo bona immobilia in communi, cùm antea non retineret.

36 ℟. Quòd, cùm in rebus moralibus, vt cenſeantur continuè durare, non debeat quæri tanta vnitas, ac immutabilitas, quanta reperitur in rebus naturalibus (quomodo vna; & eadem Eccleſia cẽſetur fuiſſe ab initio mundi vſque nunc; quamuis in modo vnionis, ac gubernationis magnam diuerſis tẽporibus admiſerit varietatem) non repugnat religionẽ dici vnam, ac eandem; quamuis ſucceſſu temporũ in vna, aut altera conſtitutione fuerit immutata, Colligitur ex *Suar. ſup. tr. 9. l. 1. c. 8. nu.* 10. & probatur tum quia in his rebus potiſſimum attenditur continua ſucceſſio perſonarum aliquo vinculo ſubſtantiali inter ſe pro ratione talis ſtatus vnitarum, in ordine ad aliquem certum finem; qualis vnio in religionibus fit per talia vota tali modo, ſeu ſecundũ talem regulam, aut conſtitutiones, emiſſa in ordine ad talem finem: ſicque quòd in vna, aut altera conſtitutione fiat aliqua mutatio, etiam in materia paupertatis, hoc non tollit identitatem religionis, ſed talis mutatio reputatur accidentalis: tum, quia Ordo Fratrum Eremitarum, & Carmelitarum fuit priùs purè monachalis, & poſtea tranſiuit in mendicantem, & tamen communi hominum æſtimatione reputatur eadem religio; quod eſt ſignum diuiſionem religionis in mendicantem, & non mendicantem non eſſe per differentias quaſi ſubſtantiales in tali genere; quamuis alioqui, adiunctis alijs circumſtantijs, faciant diuerſitatem in religionibus, præſertim iuxta præſentem vſum Eccleſiæ, ſicut notauit *Suar. vbi ſup.*

QVÆRES XXVI. Vnde deſumatur vnitas, ſeu identitas religionis.

37 ℟. Deſumi ex conuenientia in fine, & in medijs præcipuis, ac ſubſtantialibus; adeoquè tantò maiorem eſſe eiuſmodi vnitatem, quanto maior fuerit illa conuenientia & ratio eſt, quòd iuxta ſuperiùs dicta res morales maximè recipiunt vnitatem, vel diſtinctionem ex fine: finis verò non eſt omninò, & formaliter idem, ſi per diuerſa media quæratur, & hæc ſubſtãtialia, vt iã indicaui; ſecùs, ſi diuerſitas ſit in rebus minutioribus, & accidentalibus; hæc enim non obſtat, vt benè notat *Suar. ſup. c. 1. n. 9.* addens *num.* 10. ad vnitatem religionis non peti conueniẽtiam ſub vno capite, aut ſupremo Prælato proprio eiuſdem religionis, ſi alioqui ſit conuenientia in regula, ac origine religionis: vt patet in monialibus S. Claræ regulam profitentibus, quæ cenſentur eſſe eiuſdem religionis; eſtò aliqua illarum monaſteria ſubdantur Epiſcopo, & aliqua Prælato regulari nullam inter ſe ſubordinationem habentibus; quamquam negari non poſſit maiorem fuiſſe futuram vnitatem, ſi non ſolum regulam eandem, ſed etiã Prælatum eundem haberent: cùm politicum corpus (qualis eſt religio) etiam ex vnitate capitis recipiat vnitatem; ſiue tale caput ſit vna perſona, ſiue aggregatum ex pluribus.

QVÆRES XXVII. An habitus religioſus exterior ſit de eſſentia ſtatus religioſi, & ex eius conuenientia colligatur vnitas religionis.

38 ℟. Non eſſe de eſſentia, cùm Societas Ieſu ſit vera religio, & tamen non habeat proprium habitum, vt conſtat ex *p. 6. Conſtit. c. 2. n.* 15. ac proinde mirum non eſſe intra eandem religionem permitti aliquam diuerſitatem in illo, (vt videri eſt in religioſis laicis, & clericis aliquorum Ordinum) & quidem laudabiliter ob iuſtas cauſas. Vnde patet ad vnitatem religionis non requiri neceſſariò conuenientiam in habitu exteriori, quamuis aliàs talis conuenientia ſit ſignum talis, aut talis profeſſionis, ita *Suar. ſup. c. 1. num.* 1. monens diuerſitatem exterioris habitus nunquam poſſe eſſe tantam, quin conſeruetur aliqua vnitas, ſeu conuenientia indicans vnitatem talis religionis; vt manifeſtè apparet in religione S. Franciſci Obſeruantiæ, & Conuẽtualium, ac Capuccinorum; in religione Sanctiſſimæ Trinitatis, ac in religione Canonicorum regulariũ, nec non etiam in alijs religionibus, in quibus ſemper ſeruatur quò ad hoc aliqua vnitas, ſiue in figura, ſiue in colore, ſiue in vtroque ſigno, ſiue in aliquo alio ſpeciali ſigno; quod iuxta cuiuſque religionis regulam obſeruari debet ad hoc vt vnitas religionis, quo ad habitum, retineatur.

QVÆRES XXVIII. An Chori vſus ſit de ſubſtantia ſtatus religioſi.

39 ℟. Quòd, quamuis *Sotus l. 10. de iuſt. q. 5. art. 3. ſub finem* parum conſideratè, vt loquitur *Leſſ. l. 2. c. 41. n.* 23. inſinuet Ordinem illum, qui choro caret, vix mereri nomen religionis; nihilominus certum eſt vſum chori non eſſe de eſſentia ſtatus religioſi; vt, vel hinc conſtat, quòd Societas Ieſu eſt vera religio, & tamen non habet ex ſuo inſtituto vſum chori; ſed de hoc inferiùs *cap. 3. ſect. 2. q. 9.*

QVÆRES XXIX. Quibus modis diuidatur ſtatus religioſus.

℟. Diuidi in ſtatum ſolitarium, & cænobiticum: militarem, & non militarem: monachalem, & clericalem: mendicantem, & non mendicantem; prout conſtabit ex dicendis item *cap. 3.*

CAPVT II.

De Origine Religionum in communi.

1 *STatus religioſus eſt ex iure tum Diuino, tum humano.*
2 *In ſtatu innocentiæ non potuit dari, qualis modò eſt; etſi, ſimpliciter loquendo, dari potuerit.*
3 *Iuxtà aliquos cæpit in ſtatu naturæ, aut ſaltem legis ſcriptæ: at non fuit perfectus ante tempus legis gratiæ.*
4 *Idq; tum pro vt conſtat ex votis ſolemnibus, tum pro vt ex ſimplicibus.*
5 *A Chriſto perfectè inſtitutus in lege gratiæ.*
6 *Et probatur aſſertio.*
7 *Chriſtus tamen non inſtituit vllam religionem in particulari;*

lari; etſi dici poſſit inſtitutor religionis Apoſtolorum.
8 *Et hoc, licèt nullam ijs tradiderit regulam.*
9 *Chriſtus inſtituit ſtatum religioſum, etiam poteſtatiuè.*
10 *Status religioſus quò ad ſubſtantiam ſemper fuit idem.*
11 *Semper durauit in Eccleſia.*
12 *Noua religionis ſine conſenſu Papæ non inſtituenda.*
13 *Idque iuſtiſſimis de cauſis.*
14 *Contra indebitè inſtituentem religiones proceditur.*
15 *Et quidem etiam effectu non ſecuto.*
16 *Solus Papa approbat quemcumque modum viuendi participantem aliquo modo de ſtatu religioſo.*
17 *Permittitur in Eccleſia vita eremitica.*

QVÆRES I. An ſtatus religioſus fuerit inſtitutus in Eccleſia iure Diuino, vel certè poſitiuo eccleſiaſtico.

1 ℟. Cum diſtinctione; vel loquimur de ſtatu religioſo præciſe, & ſecundùm ſe, prout iuxta inferiùs dicenda inſtitutus fuit à Chriſto: & ſic quilibet ſtatus religioſus eſt ex iure diuino; ſiue fundetur in votis ſolemnibus, ſiue tantùm in ſimplicibus, vti diximus *cap. præced. q. 17.* vel loquimur de ſtatu religioſo determinato ad hunc, vel illum modum votorũ; & ſic quilibet ſtatus religioſus eſt ex iure humano, ideſt ex determinatione, ac inſtitutione Eccleſiæ. ita *Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. l. 3. cap. 3. num. 5.* probatque ex eo quòd, cùm Gregorius XIII. in bulla *Aſcendente*, loquens de ſtatu religioſo conſurgente ex votis ſimplicibus in Societate Ieſu contra impugnantes talem ſtatum dicat, *Non conſiderantes voti ſolemnitatem ſola Eccleſia inſtitutione inuentam eſſe, triaque huiuſmodi Societatis vota, tametſi ſimplicia, vt ſubſtantialia religionis vota ab hac Sede fuiſſe admiſſa*; in virtute ſic arguit; Eccleſia induxit ſolemnitatem in votis religioſorum; ergo etiam poteſt ſine tali ſolemnitate inſtituere ſtatum aliquem religioſum: quod eſt dicere ſtatum ex ſolis votis ſimplicibus factum eſſe ex inſtitutione eccleſiæ.

QVÆRES II. An, & quo modo in ſtatu innocentiæ dari potuerit vera ratio ſtatus religioſi.

2 ℟. Quòd, quamuis incertum ſit, vtrum in ſtatu innocentiæ futurus fuiſſet ſtatus religioſus; & aliàs certum ſit non potuiſſe tunc dari ſtatum religioſum, prout nunc eſt: cùm vota paupertatis, & caſtitatis, quæ modò ſunt media moraliter neceſſaria ad perfectionem, non futura fuiſſent neceſſaria in ſtatu innocentiæ, immò nec accommodata, vt benè aduertit *Suar. tom. 3. de relig. l. 6. c. 2. n. 24.* quia tamen in eo ſtatu potuiſſet dari obedientia, ac ſubiectio homini propter Deum, & ipſi Deo per votum, & traditionem conſecrari; & alioqui hæc fuiſſent ſufficientia ad ſtatum perfectionis. ſublata pro tunc neceſſitate paupertatis, & caſtitatis modo dicto: probabiliter dici poteſt per ſe, & ex vi ſtatus illius non repugnaſſe, quòd tunc daretur ſtatus religioſus: quippe qui nullam includit imperfectionem dicto ſtatui innocentiæ repugnantem; & aliùnde addit perfectionem ob maiorem dedicationem in cultum Dei.

QVÆRES III. An ſtatus religioſus cœperit à tempore legis naturæ, aut ſaltem à tempore legis ſcriptæ.

3 ℟. Quòd, licèt multorum ſententia ſit ſtatum religioſorum cœpiſse à tempore legis naturæ in Enos; de quo *Gen. 4.* dicitur cœpiſse inuocare nomen Domini, aliquo ſcilicet ſpeciali cultu: (nam communis Dei cultus fuit à principio in primis parentibus, Abel, & alijs fidelibus;) vel ſaltem in tempore legis ſcriptæ, ſiue in Nazaræis, de quorum votis fit mentio *Num. 6.* ſiue principaliter in Elia, Eliſeo, ac filijs Prophetarum, qui in collegijs habitabant, (idque ex inſtitutione Samuelis, de quo ait *Comeſtor in hiſtor. l. 1. reg. c. 10. Nota quòd Samuel primò inſtituit conuentus religioſorum iugiter pſallentium Domino:*) ſiue in Ioanne Baptiſta, quem ante tempus legis gratiæ ſtatum religioſum profeſsum fuiſse, illumque vel inſtituiſse, vel inſtauraſse indicat *Chryſoſt. hom. 1. in Marcum* dicens: *Sicut Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli, ſic monachorum princeps Io: Baptiſta eſt.* nihilominus, ſi ſumatur ſtatus religioſus abſolutè, ſimpliciter, & prout includit omnia, quæ ſunt de ſubſtantiali perfectione illius: dicendum eſt, illũ quidẽ fuiſse adumbratũ, & ex parte inchoatũ in lege naturę, & lege ſcripta; nõ tamen fuiſse perfectũ. ita *Rodriq. to. 1. q. 1. art. 1. Miranda tom. 1. manua. q. 3. art. 2. Suar. tom. 3. de relig. l. 3. c. 1. n. 4. Azor. tom. 1. l. 11. c. 23. q. 8. Plat. l. 2. de bono ſtat. relig. c. 19. & 20. Bellarm. l. 2. de monach. c. 5.* alijque communiter; & quidem quòd ſtatus religioſus fuerit aliquo modo adumbratus ante tempus legis gratiæ, conſtat ex modò dictis: quòd vero tunc non fuerit perfectus, vt nunc eſt, probatur tum quia *nihil ad perfectum adducit lex*, inquit *Apoſtolus hebr. 7.* vocans *Galat. 4.* tempus legis veteris tempus infantiæ, ſeu pueritiæ his verbis, *ita & nos, cùm eſſemus paruuli, ſub elementis mundi huius eramus ſeruientes*; tum quia, eſtò ante tempus legis gratiæ euenire potuerit, vt aliqui emiſerint 3. vota religionis (abſtrahendo ab ipſorum ſolemnitate) de nullo tamen particulari poteſt id aſseri cum ſufficienti fundamento, multoque minùs de aliqua communitate, & ritu aliquo viuendi pro omnibus hominibus communiter propoſito: pręſertim cùm talia vota ijs temporibus non eſsent accommodata, ſiue propter non vſum, ſiue ob minorem lucem Euangelicę perfectionis, ſiue ob temporales promiſſiones, quę tunc fiebant, & ob alias ſimiles cauſas: & tamen abſque dictis votis non ſubſiſtit ſtatus religioſus integer, & perfectus, vt conſtat ex dictis.

4 Confirmatur quia vel loquimur de ſtatu religioſo, vt conſtante ex votis ſolemnibus: & tale genus uoti nõ poſsumus cum fundamento aſſirmare fuiſſe in uſu in lege naturę, aut ſcripta, quo ſcilicet uouens fieret inhabilis ad matrimonium contrahendum, & matrimonium ritè contractum ante conſummationem dirimeretur, uel etiam fieret inhabilis ad acquirendum dominium rerum temporalium: quę ſunt propria eccleſię Chriſti, & uel nunquam, uel raro fuerunt cognita à ueteribus; quamuis aliàs multi eorum coluerint paupertatem, & caſtitatem. Vel loquimur de ſtatu religioſo conſtante ex uotis ſimplicibus; &, cùm hic requirat in hominibus ſpecialem poteſtatem acceptandi illa nomine Dei, & traditionem quamdam, quę in ſtatu religioſo eſt coniuncta cum illis; hoc ipſo quòd talis poteſtas eſt ſupernaturalis, & propria legis

nouę,

nouæ, nec cum probabili fundamento tribui poteſt antiquioribus: conſtat ſtatum religioſum hoc modo ſumptum non extitiſſe ante tempus legis gratiæ.

QVÆRES IV. Quo tempore, & quo auctore cæperit ſtatus religioſus.

5 ℞. Quòd, cùm iam probatũ ſit ſtatum religioſum integrũ, ac perfectũ non cæpiſſe, neq; in lege naturæ, neque in lege ſcripta; & nõ poſſit aſſignari aliud tempus, in quo dicatur cæpiſſe, niſi lex gratiæ: dicendum omninò eſt illum cæpiſſe in tempore legis gratiæ, & quidem auctore Chriſto, qui illum inſtituit quòd ad omnia ſubſtantialia, nempe quo ad 3. vota, paupertatem ſcilicet, caſtitatem, ac obediẽtiam, & quo ad traditionem ſui, quæ fit à religioſo profitente in manibus Prælati, & eſt de ſubſtantia ipſius ſtatus religioſi; quamuis aliàs illum non inſtituerit quo ad particularem eius determinationem ad talem regulam, aut circumſtantias. quod ſufficit ad hoc, vt Chriſtus dicatur auctor ſtatus religioſi: cùm res ſimpliciter dicatur talis ratione ſuæ ſubſtantiæ, ac eſſentiæ; & ideò producens ſubſtantiam abſolutè dicatur illam producere, eſtò non conferat accidentalia; quo pacto Chriſtus dicitur inſtituiſſe Sacramenta, quia docuit ea, quæ ſunt de eorum ſubſtantia, etſi eorum accidentalia commiſerit Eccleſiæ.

6 Et certè quod Chriſtus inſtituerit ſtatum religioſum quo àd ſubſtantialia, inde ſuadetur, quòd in lege euangelica conſulit paupertatem, caſtitatem, obedientiam, ac ſui ipſius traditionem in manibus Prælati; quæ diximus eſſe ſubſtantialia ſtatus religioſi: paupertatem quidem *Matthæi* 10. *nolite poſſidere aurum, neque argentum*: caſtitatem *Matth.* 19. *Sunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Dei*: obedientiam *Lucæ* 9. *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum*; quibus verbis etiam conſulit perfectam ſui traditionem in manibus Prælati, cum, teſte *Suar. ſup. c.* 2. *n.* 6. Patres omnes exponant hominem tum maximè ſe ipſum abnegare, quando ſe priuat ſua propria voluntate, ac libertate propter Chriſtum, quod maximè facit per illam traditionẽ; cum ergo Chriſtus inſtituerit ſtatum religioſum quo ad omnia eius ſubſtantialia, meritò dicitur auctor, ac inſtitutor ſtatus religioſi.

Quòd ſi quęras, quam religionem inſtituerit Chriſtus in ſpecie.

7 ℞. Quòd, quamuis, in rigore loquendo, nullam religionem inſtituerit in particulari, ſed ſolùm ſtatũ religionis ſecundùm ſe, ac immobiliter; vt loquuntur Dialectici (quo modo dicitur inſtituiſſe Sacramentum baptiſmi, non in particulari hoc, aut illud, ſed ſimpliciter baptiſmum) cùm tamen vocauerit Apoſtolos ad aſſumendum verum ſtatum religioſum per 3. vota eſſentialia religionis, & hæc ab ijs emiſſa fuerint, vt pertinentia ad ſtatum perfectionis, teſte *S. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *ad* 3. *& quæſt.* 186. *art.* 6. *ad* 1. dicente Apoſtolos ſecutos fuiſſe Chriſtum tamquam immobiliter ei adhærentes, & numquam receſſuros: quod confirmat *Chryſoſtomus relatus à Suarez ſup. num.* 9. dicens Apoſtolos impleuiſſe, quæ nunc monachi faciunt; probabiliter dici poteſt Chriſtum feciſſe religionem quamdam in particulari, quoſdam homines congregando, ijſque proprium, ac particularem modum vitæ religioſæ tribuendo. ita *Suar. c.* 2. *num.* 8. *&* 9. addens *n.* 10. quòd, cùm ſtatus religioſus ordinari poſſit ad diuerſos fines particulares comprehenſos ſub vita contemplatiua, aut actiua, aut mixta: Chriſtus Apoſtolos vocauit ad genus vitæ mixtæ, vt conſtat ex *Matth.* 4. *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, ſicq; dici poteſt condidiſſe ſpecialem religionem.

8 Nec obſtat, quòd Chriſtus huic ſuæ religioni particulari non tradiderit ſpecialem regulam, neq; ſtatuerit quidquam quo ad ea, quæ in religionibus ſunt accidentaria, ſeu cæremonialia; cùm enim Apoſtoli haberent Chriſtum præſentem, qui erat viua regula ſufficiens, non erat neceſſaria alia regula ſcripta; eo autem mortuo, non poterant adſtringi talibus cęremonijs, aut ſpeciali regula, cùm per vniuerſum orbem ſpargendi eſſent: immò nec ea indigebant, cùm eſſent perfectiſſimi, & regi potiſſimùm deberent à Spiritu ſancto; præter quàm quòd ex parte hominum viuus etiam Petri influxus ſatis ijs futurus erat.

QVÆRES V. An Chriſtus inſtituerit ſtatum religioſum per doctrinam tantùm, nempe manifeſtando illius excellentiam, & ad illum exhortando, vel etiam per poteſtatem, ei ex vi inſtitutionis efficacitatem aliquam, ac virtutem tribuendo, quæ aliàs ipſi non competebat.

9 ℞. Inſtituiſſe tum per doctrinam, tum per poteſtatem aliquam, & facultatem conceſſam Eccleſiæ; per doctrinam quidem, quatenùs in ſtatu religioſo nihil eſt, quod ex ſe non pertineat ad maiorẽ animi perfectionem, ac proinde per ſolam doctrinam, ac ſapientiam potuiſſe Chriſtum homines excitare ad illum (quo ſenſu dicit *Suar. ſup. num.* 11. *cum Soto* abrenunciationem ſæculi, quæ per ſtatum religioſum fit, non modò iure diuino exiſtere per Chriſtum conſtituto, ſed ex viſceribus iuris naturalis depromi.) per poteſtatem vero, quatenus ſtatus religioſus requirit non ſolum promiſſionem, ſed etiam traditionem factam homini, vt vicẽ Dei tenenti, & acceptanti traditionem ipſam nomine Dei; & ex alia parte hoc non poteſt fieri ex ſola natura rei, ſed oportet, vt Deus oſtenderit ſe velle talem contractum inire cum homine, & quòd alicui dederit facultatem, vt ſuo nomine illum perficere valeat; vnde cùm Chriſtus id fecerit, dicendo fidelibus *Abneget ſemetipſum, & ſequatur me*; ſequitur ipſum in inſtituendo ſtatu religioſo exercuiſſe ſuã poteſtatem, & conſequenter illum inſtituiſſe, etiã per poteſtatem. præter quàm quod alioqui Chriſtus non poſſet dici propriè inſtitutor religioſi ſtatus: ſicut nec dicitur inſtituiſſe prohibitionem vſurarum ex eo præcisè quòd eam docuit, ſicut benè aduertit *Suar. ſup. num.* 12.

QVÆRES VI. An ſtatus religioſus in exordio Eccleſię fuerit eiuſdem rationis, ac eſt ille, qui nunc viget.

10 ℞. Fuiſſe quo ad ſubſtantiam, ac eſſentiam, imò & in ipſis cæremonijs, ſeu ritibus religioſis, ſaltem in genere ſumptis magnam extare conuenientiam inter religioſos primitiuæ, & præſentis Eccleſiæ,

quę

quæ ſunt habitus, communis habitatio, exercitia, actiones, & modus ſanctæ conuerſationis illorum. ita *Suar. ſup. c. 4. num.* 2. *&* 6. alijque docti recentiores; & quidem quòd ſtatus religioſus ſemper fuerit idem quo ad ſubſtantiam, patet, quia ſtatus religioſus ſubſtantialiter in eo conſiſtit, quòd ſit quædam ratio uiuendi, in qua homo ſe totum diuino ſeruitio conſecret, profitendo votum paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ: talis autem ſuit ſtatus religioſus primitiuæ eccleſiæ, & qui nunc eſt, vt facilè conſtabit conſideranti: quòd autem in ſtatu religioſo primitiuæ eccleſiæ, ac præſentis extet magna conuenientia quo ad cæremonias, ſeu ritus religioſos, latè oſtendit *Suar. num.* 6. 7. 8. 9. *&* 10. nec eſt difficilis probationis.

QVÆRES VII. An ſtatus religioſus perpetua traditione, & ſine interruptione durauerit ſemper in Eccleſia.

11 ℟. Loquendo de continuatione ſtatus religioſi ab eo tempore, quo Chriſtus illum inſtituit, eſſe probabile illum perpetuò duraſſe in eccleſia: idque ex communi Patrum conſenſu, & traditione, de qua teſtantur *S. Dionyſ. S. Hieron. & Tertull.* relati à *Suar. ſup. cap.* 3. *num.* 2. qui noſtram hanc reſponſionem approbat, probatque toto illo *cap.* & maximè *num.* 11.

QVÆRES VIII. An, & quo modo poſſint induci in eccleſiam noua religionum inſtituta.

12 ℟. Non poſſe induci abſque auctoritate Papæ; & hoc ex *cap. ne nimia de religioſ. domib.* vbi dicitur *Ne nimia religionum diuerſitas grauem in Eccleſia Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat: ſed quicumque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis aſſumat;* quod item ſtatuitur in ca. *religionum eod. tit.* his verbis. *Religionum diuerſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, generale Concilium conſulta prohibitione vetauit.* Quamquam, vt benè notant *Suar. D.* 23. *de cenſur. ſect.* 4. *num.* 20. *Caiet. v. excommunic. c.* 5. *Filliuc. tract.* 14. *num.* 130. *& Bonac. D.* 2. *de cenſur. in partic. quæſt.* 8. *par.* 1. *num.* 5. inducens indebitè nouam religionem nullam incurrat excommunicationem: quod eit contra *Nauarrum cap.* 27. *numer.* 127. *Sylu. v. excommunic.* 9. *num.* 45. *Sayrum l.* 3. *de cenſur. cap.* 33. *nu.* 5. *Ang. v. excommunic.* 7. *caſu* 22. & alios putantes in præſenti caſu contrahi excommunicationem latam in *cap. vn. de religioſ. domib.* aut certè eam, quæ lata eſt à Ioanne 22. in extrauag. *de relig. domib* cum tamen hic ſit ſolum ſermo de ſecta Fraticellorum, & conſequenter textus non faciat ad rem præſentem.

13 Notat autem *Leſſ. l.* 2. *cap.* 41. *num.* 12. Pontifices approbationem nouarum religionum ob iuſtiſſimas rationes ſibi reſeruaſſe: & quidem 1. vt compeſcerent quorumdam hominum indiſcretum ardorem, qui nouis religionibus excogitandis erant intenti, cum graui diſpendio Eccleſiæ: 2. ne irreperet aliqua religio errores continens, aut aliter noxia Eccleſiæ, aut ſaluti animarum: 3. quia maiores cauſæ Eccleſiæ reſeruari debent Sedi Apoſtolicæ, *cap. maiores* 3. *de bapt. & eius effectu*, talis verò eſt approbatio religionum, vt patet.

14 Quin etiam Sacra Congregatio ſancti Officij 16. Iulij 1556. commiſit Eminentiſſimis DD. Cardinalibus Inquiſitoribus generalibus, ſiue R. D. Commiſſario facultatem procedendi, ſeu procedi faciendi in futurum contra quaſcumque perſonas volentes inſtituere, ſeu inſtituentes nouam religionem cuiuſcumque ſtatus, gradus, & conditionis exiſtât, & de contentis in titulo, ſeu titulis *de religioſ. domib.* & de conſtituentibus nouam religionem, monaſteria, vel alia quęcumque loca pia, quod poſſint dicti Eminentiſſimi Cardinales, ſeu dictus R. Commiſſarius ea reuidere, & corrigere, ac omnia alia, & ſingula in pręmiſſis facere, quę eis reſpectiuè videbuntur iuri conſona.

Dubium eſſe poſſet, an delinquat contra præſentem prohibitionem, qui ſolum attentat inducere nouam religionem, etiam effectu non ſecuto.

15 ℟. Delinquere, cum hic prohibeatur, ne quis quantùm eſt ex ſe religionem tentet introducere: ſicque violator eſt legis, & grauiſſimè peccat, qui tentat, licet effectum aſſequi non potuerit, nec obſtat, quòd religio inducta contra talem prohibitionem non eſſet vera religio, ſed tantum quædam illius vmbra, ideòque inducens non videtur poſſe dici inducere nouam religionem: ſiquidem adhuc peccat; ſicut & peccat contrahens matrimonium ſine Parrocho, ac teſtibus, etſi matrimonium ſit nullum.

Illud item hic quæri poteſt, an hoc tempore approbatio Papæ requiratur, non ſolum ad conſtituendam veram religionem, ſed etiam ad quemcumque modum viuendi honeſtum, obſeruantem cęremoniis aliquas religioſas abſque tribus votis ſubſtantialibus.

16 ℟. Requiri, & probatur tum quia in *cap. religionum de religioſ. domib. in* 6. fit expreſſa mentio de religionibus, ac Ordinibus, cum tamen ordo, etiam propriè dictus, latiùs pateat, quam religio; ideoque comprehendat congregationes pias, alioqui veritatem ſtatus religioſi non attingentes: tum quia non minor confuſio, ac periculum ex multiplicatione illorum ordinum, quam ex multiplicatione religionum ſequi poterat; ac proinde procedit regula iuris, *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio.* Ita *Suar. to.* 3. *de relig. l.* 2. *c.* 16. *n.* 22. addens *n.* 24. quòd ſicut in *cap. ne nimia de religioſ. dom.* non ſolum prohibetur, ſed irritatur inductio nouæ religionis; ſic in cap. *religionum eod. tit. in* 6. prohibetur, & irritatur inductio talium Ordinum, ſeu congregationum: quatenus omnia pacta, & promiſſiones humanæ, quę in ordine ad talem congregationem erigendam fiunt, nullæ ſunt, & nullam inducunt obligationem: ſicut, & nullum eſt votum obedientiæ, ſi ibi fiat; imò, & votum caſtitatis, ſi fiat cum intentione ſeruandi illud in tali communitate, & non aliàs. Quo modo *Gloſs. in Clem.* 1. *de elect.* dicit ſine approbatione Papę non licere manere ſub vmbra religionis; & *Theſaurus p.* 2. *praxis v. religioſi cap.* 4. ait Epiſcopos non debere permittere congregationes laicorum, aut clericorum, in quibus habitus alteretur, ſeu nouus aſſumatur perpetuò geſtandus, diſtinctus ſcilicet colore, & forma à communi: etſi proteſtentur ſe nolle eſſe religioſos, ſed ſæculares, & velle ſolùm vacare pijs operibus.

Addo

17 Ad hoc ego, quòd cum in citatis iuribus ſit ſermo de religione, aut ordine, in quo ſit profeſſio vitę communis, & alicuius modi viuendi, qui per receptionem plurium congregati, & per ſucceſſionē conſeruari poſſint: ſub illis non comprehenduntur agentes vitam ſolitariam, aut priuatim viuentes in ſuis hoſpitijs; ſicque non prohibentur ibi ſeruire Deo in habitu quaſi religioſo, dummodo id non faciant tamquam veri religioſi.

CAPVT III.

De Varietate, ac Perfectione Religionum.

EXplicata origine Religionum in communi, in præſenti cap. ſe ſe offert explicanda varietas, ac perfectio earumdem; ſicq; ad maiorem diſtinctionem caput diuidemus in 2. ſectiones, in quarum 1. agemus de Varietate Religionum: in 2. de earum Perfectione.

SECTIO I.

De Varietate Religionum.

1 *VArietas religionum confert ad bonum Eccleſiæ.*

2 *Nec diſſentit S. Baſilius.*

3 *Bona ex varietate religionum procedentia præponderãt incommodis inde prouenientibus.*

4 *Varietas religionum alia eſſentialis, alia accidentalis.*

5 *In eadem religione extare poteſt magna varietas; cùm è contrà religiones diuerſæ in pluribus conuenire poſſint.*

6 *Varietas religionum ſumitur ex fine, ac medijs principalioribus.*

7 *In eadem religione dari poteſt varietas tum ſubſtantialis, tum accidentalis, vt in Societate Ieſu.*

8 *Varietas graduum in ipſa Societate Ieſu commendabilis; & eſt adumbrata in Apoſtolis, & Diſcipulis Chriſti.*

9 *Differunt inter ſe religiones varijs modis.*

10 *Ordo monachalis per ſe ordinatur ad diuinum cultum.*

11 *Clerici regulares communiter non veniunt nomine monaci.*

12 *Ordo Mendicans profitetur vitam mixtam, & paupertatem in communi.*

13 *Simpliciter tamen habere poteſt bona in communi.*

14 *De ratione Ordinis Mendicantis non eſt, vt actu mendicet.*

15 *Dari poteſt religio purè contemplatiua profitens mendicitatem.*

16 *Paupertas tamen in communi minùs congruit monachis.*

17 *Ordo clericalis per ſe ordinatur ad proximum, & profitetur vitam minùs auſteram.*

18 *Non repugnat monachos vacare ſaluti proximorum.*

19 *Ordo clericalis diuiditur in Canonicos, ac Præsbyteros ſimplices.*

20 *Clerici regulares in odioſis non veniunt ſub nomine monachorum, aut Fratrum, immò nec ſemper ſub nomine Canonicorum.*

21 *Religioſi laici Ordinis clericalis in odioſis non veniunt nomine Clericorum.*

22 *Scholares approbati Soc. Ieſu etiam nondum tonſurati verè ſunt, & dicuntur Clerici.*

23 *Clerici regulares interdum vocantur nomine Fratrum.*

24 *Ordo militaris per ſe ordinatur ad pugnandum pro eccleſia, &c.*

25 *Vota religioſa conferunt ad finem Ordinis militaris.*

26 *Proponitur, & ſoluitur obiectio.*

27 *In Ordinibus militaribus extant tria genera perſonarum.*

28 *Ordo militaris, in quo vouetur ſolùm caſtitas coniugalis, eſt vera religio.*

29 *Eius ſectatores ſunt perſonæ verè eccleſiaſticæ.*

30 *Milites S. Io: Melitenſes, ſunt propriè religioſi.*

31 *Religioſi militaris Ordinis certas obligationes contrahunt ex 3. votis religioſis, quæ faciunt.*

32 *Votum caſtitatis, quod faciunt, ſuam habet ſolemnitatem.*

33 *Ordo hoſpitalarius per ſe ordinatur ad exercendam hoſpitalitatem cum ægrotis, & alijs indigentibus.*

34 *Plura in Concilio Vienuenſi ſtatuta de regimine hoſpitalium.*

35 *Tertiarij ſunt verè religioſi, ſi ſub Superiore faciant 3. vota ſubſtantialia religionis; non item, ſi ea non faciant.*

36 *Dicuntur Tertiarij, quia medii inter religioſos, ac ſæculares.*

37 *Tenentur ad aliqua vi ſtatus aſſumpti: ſed non ſub voto, etſi in ſua profeſſione vtantur verbo* Promitto.

38 *Tertiarij Fratrum Minorum ſeorſim viuentes ſubſunt ſuo Ordini ſolùm quò ad directiuam.*

39 *Tertiarij non gaudent priuilegijs Ordinis, ſi non ſeruent certas conditiones, quæ referuntur.*

40 *Non omnes fœminæ admittendæ inter Tertiarios.*

41 *Religioſi Conuerſi, Oblati, Donati, ſeu Commiſſi verè ſunt religioſi, ſed non omnes.*

42 *Oblati, qui non profitentur, ſunt capaces matrimonij, & dominij.*

43 *Status religioſus ſaluatur etiam in votis religioſis ſimplicibus.*

44 *Tria vota ſimplicia religionis, vt ſic non faciunt verè religioſum.*

45 *Scholares approbati Soc. Ieſu verè ſunt Mendicantes.*

46 *Status religioſus diuiditur in actiuum, contemplatiuum, & mixtum.*

47 *In Monialibus habet varietatem, quam habet in viris religioſis.*

48 *Et in odioſis veniunt nomine religioſorum, ac regularum.*

49 *Religioſi eiuſdem Ordinis alij ſunt Obſeruantes, alij Conuentuales.*

50 *Religioſi clerici differunt à religioſis laicis ſolùm accidentali.*

QVÆRES I. An, & quas ob cauſas varietas religionum expediat bono ſpirituali Eccleſiæ.

1 ℞. Quòd quamuis hæretici ſtatum religioſum implacabili odio proſequentes, multitudinem, ac diuerſitatem religionum maximè damnent; putantes, ſalua vnitate fidei, & charitatis non poſſe admitti huiuſmodi multiplicationem; cum illam admittere ſit inducere in Eccleſiam ſchiſmata, ac diuiſiones: nihilominùs veritas catholica eſt varietatē Ordinum religioſorum pertinere ad decorem, ac vtilitatem ipſius Eccleſiæ, maiuſque Dei obſequium. ita *Suar. to. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. 1. numer. 2.* & probatur tum exemplo Sanctorum, qui varias religiones inſtituerunt, vt vidimus *cap. præcedenti tota ſect. 2.* tum ex communi Eccleſiæ conſenſu, ac Summorum Pontificum authoritate, qui illas approbarunt, & maximè Gregorij XIII. qui in bulla *Aſcendente Domino* loquens de inſtitutione Societatis Ieſu ſic habet. *Cum diuina prouidentia pro temporum neceſſitate varia, & ſalutaria Ordinum inſtituta in Eccleſia ſua produxerit, nouiſque in ea ſubinde naſcentibus morbis noua remedia, nouiſque emergentibus hoſtium impugnationibus noua regulariũ Ordinum auxilia excitarit, & cuique illorum iuxta cuiuſlibet peculiaris gratiæ vocationem peculiaris quaſdam notas peculiaria inſignia, & opportuna ad finem, quem intendunt media ſuggeſſerit, &c.* tũ quia ſtatus religioſus proponitur fidelibus velut via vtiliſſima ad perfectionem cōparandam: non poteſt autem fieri, vt vna religio, ac vna norma viuendi omnibus accommodetur ob varias hominum complexiones, ac propenſiones, vt benè aduertit *S. Gregorius l. 6. mor. c. 26.* tum quia religiones ex intentione Spiritus S. inſtitutæ ſunt, vt per earum alumnos vniuerſa Eccleſia iuuetur; cùm ergo varia ſint miniſteria, in quibus religiones poſſint inſeruire Eccleſiæ, & non ſufficiat vna pro omnibus, ideò ex earum varietate conſurgit plenitudo miniſtrorum, qui Eccleſiam iuuare poſſint in omni genere miniſteriorum.

2 Quòd ſi S. Baſilius *in regul. fuſ. diſp. c. 35.* quærens, an expediat in eodem pago plures extare conuentus religioſorum, dicit non expedire; tum quia difficile eſt vnum inuenire condignum Prælatum, nedum plures: tum quia inter illos, qui ſunt eiuſdem artis, facilè exurgunt contentiones, ac æmulationes iuxta illud: *Figulus figulum odit*; id dicit non de diuerſitate religionum (de qua nos hic loquimur,) ſed de multiplicatione monaſteriorum eiuſdem Ordinis, & in eodem oppido, ſicque nobis non aduerſatur; cùm à diuerſis non fiat illatio, & probabile ſit ipſum S. Baſilium in præſenti quæſtione à nobis non diſſenſurum: idque ob varietatem circumſtantiarum, quæ concurrunt in vtroque caſu.

3 Adde, quòd ſi quæ incommoda oriuntur ex diuerſitate religionum, (v. g. æmulationis quo ad prędecedentiam honoris, loci, famæ, exiſtimationis apud homines, doctrinę, &c.) ea ſunt minoris mo-mēti; neq; poſſunt comparari cũ vtilitatibus ex dicta varietate prouenientibus: res quippe humanæ ſunt eius rationis, vt nunquam careant omnibus incommodis: vnde ſi hæc ſequantur non ex re ipſa, aut actione, ſed ex infirmitate, vel malitia hominum, ob ea non debent omitti maiora bona, ſed adhibenda remedia, ne mala illa ſequantur, quorum potiſſimum eſt charitas; ſicut indicat *S. Bernard. in apolog. Guillel. Abb.* his verbis: *Requiratur à me, cur cum omnes Ordines laudem, omnes non teneam: laudo enim omnes, & diligo, vbicumque iuſtè, & piè viuitur in Eccleſia: vnum opere teneo, cæteros charitate.*

QVÆRES II. Quotuplex varietas poſſit reperiri in religionibus.

4 ℞. Quòd cùm res morales poſſint eſſe inuicem diuerſæ tam ſubſtantialiter, quam accidentaliter, non ſecùs ac poſſunt eſſe res phyſicæ: & aliàs in moralibus diuerſitas maximè debeat deſumi ex fine; hoc ipſo, quòd fines diuerſarum religionum modo ſunt diuerſi quaſi ſubſtantialiter, (vt hoſpitalitas, & prædicatio verbi Dei) modò ſolum accidentaliter, (vt contemplatio perpetua, ſeu diuturna, vel tantùm definitis horis:) poſſunt & ipſæ religiones dici differre inter ſe, ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidentaliter; pro vt fines ipſis ex proprio inſtituto propoſiti ſunt inuicem diuerſi, ſiue ſubſtantialiter, ſiue accidentaliter, ideſt ſecundùm magis, & minus; quamquam, de rigore loquendo, inter religiones non poſſit eſſe diuerſitas ſimpliciter ſubſtantialis; cum vota ſubſtantialia religionis, & traditio, quæ fit per profeſſionem (in quibus conſiſtit tota ſubſtantialitas ſtatus religioſi), non habeant inter ſe diuerſitatem ſubſtantialem, ſed ſolùm accidentalem; vt benè indicat *Suar. ſup. num. 5.* hinc inferens, quòd licèt religionum diuerſitas non poſſit eſſe in ſubſtantia ſtatus religioſi: moraliter tamen eę dici poſſunt quodammodo ſubſtantialiter diuerſæ, ſi differant inter ſe in primario fine, nec nō in votis, eorumque obſeruantijs: quippe in quibus conſiſtit ſubſtantia religionis, ideoque diuerſitas in eis maximè accedit ad ſubſtantiam.

5 Accedit, quòd intra eandem religionem poteſt interuenire tanta diuerſitas, vt cenſeri moraliter poſſint plures religiones, (vt in ordine Fratrum minorum): & hoc maximè, ſi militent ſub diſtinctis Generalibus: tunc quippe ſunt veluti diuerſi exercitus habentes diuerſos duces, inſignia diuerſa, & interdum etiam diuerſa arma, quamuis alioquin multum conueniant in fine, & alijs. è contra inter diuerſas religiones interdum adeſt tam parua diuerſitas, vt videantur ſolo numero diſtingui; patet id in religione S. Benedicti, & S. Bernardi inter Ordines monachales, & inter militares in Ordine Alcantaræ, & Calatrauæ, in quibus extat differentia ſolum quò ad habitum, inſignia, & paucas cæremonias, quæ non videntur ſufficere ad hoc, vt dici poſſint inuicem differre ſubſtantialiter.

QVÆRES III. Vnde deſumi debeat varietas religionum.

℞. Quod

6 ℞. Quòd cùm vnitas, ſeu identitas religionis iuxta dicta *hic cap. 1. q. 26.* colligatur ex conuenientia in fine, & in medijs præcipuis, ac ſubſtantialibus, ijſque non ſubordinatis, neque connexis inter ſe; ſic diuerſitas religionum deſumetur ex diſconuenientia, ſeu diuerſitate in fine, ac in medijs ordinatis ad conſecutionem talis finis: idque ob doctrinam traditam *q. præcedenti*, quæ ſine dubio procedit in præſenti caſu, vt conſideranti facilè conſtabit. Dixi *ijſque non ſubordinatis, neque connexis inter ſe*; vt innuerem, quòd cum intrà eandem religionem eſſe poſſint plura media, & conſequenter plures gradus perſonarum ad diuerſa munera deputatarum: ex tali tamen varietate non impeditur vnitas Ordinis, cum ſint veluti membra eterogenea eiuſdem corporis; ſicut ingenioſè aduertit *Suar. numer. 9.*

QVÆRES IV. An, & qualis varietas dari poſſit in vna, ac eadem numero religione.

7 ℞. Poſſe dari, eamque non ſolùm accidentalē, ſed etiam ſubſtantialem, immò de facto dari in Soc. Ieſu, quæ cum ſit vna numero religio, diſtinguitur in tres ordines, ſeu gradus eſſentialiter diuerſos, videlicet in Scholares approbatos, qui sũt adſtricti votis ſimplicibus biennij, & ſunt verè, ac propriè religioſi: in coadiutores formatos, ſiue ſpirituales, ſiue temporales, qui licèt non ſint profeſſi, ſunt tamen iam in termino conſtituti (in quo differunt à ſcholaribus approbatis: qui, etſi ſint ſubſtantialiter religioſi, nondum tamen ſunt in vltimo termino conſtituti): & profeſſos tum trium, tum quatuor votorum, quos putat *Suar. ſupr. tr. 10. l. 7. c. 4. num. 1.* non differre inuicem, niſi in numero votorum, ideòque ipſos profeſſos trium votorum interdum comprehendi *in Conſtitut. Societ. p. 5. c. 1. lit. A. in declarat.* ſub gradu profeſſorum. Et certè quòd illi gradus in Societate diſtinguantur ſubſtantialiter ſuaderi poteſt tum ex diuerſitate vinculi, ſeu votorum, quæ emittunt (cum vota Scholarium approbatorum, & coadiutorum formatorum ſint ſimplicia, ſolemnia uerò, quæ emittuntur à profeſſis:) tũ ex diuerſitate obligationum ex dictis uinculis conſequentium per modum quarumdam proprietatum, ut uoti paupertatis coadiutor formatus fiat incapax cuiuſcumque dominij, non item Scholaris approbatus: & per profeſſionem factam in Societate, etiam trium uotorum, dirimatur matrimonium ratum, non conſummatum, antea contractum, non autem per emiſſionem trium uotorum ſimplicium factam à Scolare approbato, aut etiam à Coadiutore formato: conſtat autem, quòd etiam in phyſicis ex diuerſitate proprietatum, ſeu paſſionum benè arguitur diuerſitas eſſentiarum; ſicque mirum non eſt id ipſum proportionaliter procedere in rebus moralibus. Quod tamen non facit quin Societas dici poſſit una, ac eadem religio, cùm reſpectu illius militet doctrina data *q. præcedenti* in fine.

8 Neque diſtinctio iſta graduum improbari debet in Societate eò, quòd inde excitari poſſint perturbationes animorum, iudicia uaria, ac ſiniſtra de Superioribus, quòd potiùs affectione, aut falſa informatione accipiant perſonas, quam iuſtè eligant, ac diſtribuant inconſtantia in uocatione, & alia ſimilia incommoda; hic enim facit doctrina, quam in ſimili tradidimus *q. 1. §. adde.* ideoque non eſt, cur multum laboremus in tuenda huiuſmodi diuerſitate graduum; maxime cum ipſemet Chriſtus miſſurus prædicatores in mundum priùs vocauerit ad talem effectum 12. Apoſtolos, & poſtea ijs adiunxerit 72. diſcipulos tanquam illorum cooperatores; ſic indicans diuerſitatem graduum, ac perſonarum, quæ poſtea futura erat in Soc. ad idem munus prędicandi diuinitùs deſtinata: Vnde non immeritò poſſet quis dicere in Apoſtolis, qui fuerunt pauci, deſignatos fuiſſe profeſſos 4. votorum, qui iuxta conſtitutiones debent eſſe valdè pauci: Et in 72. Diſcipulis coadiutores ſpirituales formatos, qui debent eſſe in maiori numero, & ipſos profeſſos coadiuuare in munere prædicationis. Præter quam, quod in profeſſis 4. votorum multæ dotes poſtulantur, tum gratiæ, virtutis, ac ſpiritus, tum doctrinæ ſacræ, philoſophiæ, ac omnis eruditionis neceſſariæ ad docendum, concionandum, explicandum res fidei, eaſque ab eius hoſtibus defendendum, & ad res morales, caſuſque in illis occurrentes expediendũ hæ autem omnes dotes non poſſunt in omnibus reperiri, ac proinde nec omnes admittendi ad profeſſionem 4. votorum; ſicut è contra, non valentibus ipſis profeſſis ſe ſolis ſuſtinere omnia miniſteria Societatis, ij indigent etiam opera aliorum, qui ipſis ſuppetias ferant; ſicque opus eſt, vt ijs adiungantur Coadiutores formati modo dicto.

QVÆRES V. Qualis varietas de facto detur inter religiones.

9 ℞. Dari magnam, ac multiplicem; cùm inter illas aliæ ſint monachales, ſeu cęnobiticæ; aliæ Mendicantes, aliæ Clericales, aliæ militares, aliæ hoſpitalariæ, aliæ Tertiariæ, & aliæ Oblatorum, ſeu Donatorum, de quibus in ſequentibus quæſitis.

QVÆRES VI. Per quæ maximè religio conſtituatur monachalis.

10 ℞. Conſtitui tum ex eo, quòd per ſe ordinatur ad ea, quæ aguntur in diuino cultu; cùm aliàs Clericalis religio per ſe ordinetur ad ſpiritualia miniſteria verſantia circa proximos: tum quia vtens medijs proprio fini, accommodatis ex vi ſui inſtituti non vacat ſtudijs, neque alijs exercitijs ordinatis ad ſalutem proximorum: tum quia habet proprium habitum, nempe cuculam iuxta illud *Enſis militem, cuculla monachum, ſtola Sacerdotem indicat*: tum quia ſeruat genus vitæ auſterioris, quo ad victum, veſtitum, lectum, & ſimilia: quo modo *Suar. ex S. Thoma* ſupponit tanquam differentiam certam inter Canonicos regulares, & monachos, quod Canonici non tenentur abſtinere à lineis indumentis, à quibus monachi tenentur abſtinere colligitur ex *Suarez ſupr. tractat. 9. l. 1. cap. 7. num. 6. 7. 8. 9.*

11 Vbi notandum nomen monachi iuxta frequentiorem vſum non tribui clericis regularibus, ſed ſolùm illis religioſis, qui propriè ſunt monachi: ſiquidem iuxta primæuum ius, ac inſtitutionem, monachi à clericis diſtinguebantur *16. q. 1.* per multa capita. vnde fit, vt, quando iura, præſertim odioſa, volunt comprehendere omnes religioſos, ſimplici-

ter loquantur de regularibus, vt *Concilium Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de regular. & ſequentibus*, (quæ vox eſt vniuerſalis) aliàs expreſsè nominando monachos, & clericos, aut canonicos regulares, vt *Clemen. 1. de ſtatu monach.* quod tamen non procedit in fauorabilibus, ac in ijs, quæ per ſe ſolùm reſpiciunt ſubſtantiam, aut decentiam ſtatus religioſi; in his enim nomen *monachi* ampliatur, vt comprehendat etiam canonicos regulares, & alios quoſcumque religioſos; vt conſtat ex *cap. ex parte de poſtulando*, & indicatur in *cap. poſt translationem de renunciat.* qua de re *Suarez ſup. num. 9. Lezana tom. 2. cap. 2. num. 1. & 2. Peyrin. tom. 1. priuil. conſtit. 12. Iulij 2. numer. 2. Miranda tom. 1. q. 10. a. 5. Sanchez l. 6. mor. cap. 13. n. 1.*

QVÆRES VII. Per quæ religio conſtituatur verè, ac propriè mendicans.

12 ℞. Conſtitui potiſſimùm ex eo quòd profitetur vitam mixtam ex contemplatione, & ſpirituali actione, præſertim circa proximum, & vi ſui inſtituti amplectitur paupertatem, etiam in communi, excludendo dominium, ac vſum quorumcumque bonorum immobilium, & victum neceſſarium ex eleemoſynis comparando; ſiue dicta excluſio fiat ex regula, ſiue ex Conſtitutionibus Ordinis: quo modo aliqui Ordines dicuntur mendicantes ex regula, (vt Fratres Minores de Obſeruantia) alij ex Conſtitutionibus, (vt Fratres Dominicani) ſicut aduertit *Azorius tom. 1. l. 12. c. 23. q. 1.* Et quidem, quòd per hæc duo religio conſtituatur mendicans; patet tum ex inductione religionum, quibus primò tributum eſt hoc nomen *Mendicantis*; nempè Dominicanorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, qui omnes profitentur genus vitæ mixtæ: tum ex ipſo nomine *Mendicantis*, quod deducitur à *Mendicitate*, vt notauit *Gloſſa in cap. ex eo v. mendicantes de exceſſib. prælat. in 6.* dicens, *Mendicantes dicuntur ij, quibus victum tribuit incerta mendicitas, & qui redditus, aut poſſeſſiones ex regula, vel conſtitutionibus habere nequeunt ex cap. vn. de religioſ. domib. in 6.*

13 Quod autem dixi de ratione Ordinis Mendicantis eſſe, vt ex vi ſui inſtituti amplectatur paupertatem in communi; indicat non repugnare, quod detur de facto Ordo mendicans, qui admittat bona in communi; ſicuti re vera dantur in Eccleſia aliqui Ordines; qui, cum verè ſint mendicantes, nihilominùs admittunt in communi bona ſtabilia; vt conſtat ex vſu, & Conſtit. Pij V. *ad vberes* & *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regular. c. 3.* Vnde fit ad propriam rationem Ordinis mendicantis ſufficere, vt ſaltem in ſua prima inſtitutione amplectatur paupertatem in communi; non autem requiri neceſſariò, vt de facto obſeruet huiuſmodi paupertatem; quod benè notauit *Suarez c. 8. n. 4.* alijs citatis monens in *ca. 1. de ſtat. regular. in 6. §. ſanè* ſupponi monaſteria, etiam Ordinum mendicantium poſſe habere propria bona.

14 Illud item hìc rectè aduertit *Lezana ſup. c. 1. n. 1.* quòd, ſicut non debet dici Ordo mendicans ille, qui ex regula, aut conſtitutionibus poteſt habere bona immobilia, etiamſi viuat ex emendicato: ſic è contra Ordo, qui ex ſua inſtitutione profitetur paupertatem in communi, manet ſub gradu, ac ordine mendicantium, quantumuis ex priuilegio Apoſtolico de facto non mendicet, nec ſeruet hoc genus paupertatis; quod etiam aduertit *Suar. vbi ſupr. ex Lapo, Felino, Calderino, Baldo, Franco, Geminiano, Mandoſio, ac Iulio Claro.*

15 Addit *Suar. n. 6.* & benè, quòd, quamuis de poſſibili non repugnet dari religionem purè contemplatiuam, quæ profiteatur paupertatem in communi, immò & mendicitatem; cum in hoc non adſit repugnantia, neque ex ſola natura rei, neque ex vllo iure id prohibente; tamen ex conſuetudine Eccleſiæ religiones mendicantes profitentur genus vitæ mixtæ, & in vinea Domini laborant. quod eſt adeò verũ, vt *Suar. ſup.* dicat in ſententia illorũ, qui contendunt inſtitutum Carmelitarum eſſe purè contemplatiuum, Ordinem illum, quo tempore contemplationem ſolùm profeſſus eſt, non fuiſſe mendicantem, & ex quo annumeratus eſt mendicantibus, proprium inſtitutum aliquo modo immutaſſe, actionem contemplationi adiungendo. Illud certè faciliùs admitti poteſt, dari poſſe religionem mixtam, & inſeruientem proximo, quæ non ſit mendicans: quales videntur eſſe Ordo S. Mariæ à Mercede, religio SS. Trinitatis, & ſimiles alij Ordines; qui, licèt interdum mendicent ob humilitatem, aut neceſſitatem, non ideò tamen ſunt verè mendicantes. cùm vi proprij inſtituti non cogantur mendicare, aut bona ſtabilia non habere.

16 Vt autem id obiter notem, ratio, cur paupertas in communi minùs congruat Ordini monachali, deſumitur tum ex eo quòd monachi profitentur vitam ſolitariam, & ſeparatam vnà cum ſtrictiori clauſura, ideoquè non poſſunt commodè iuxtà ipſorum inſtitutum viuere è mendicato: tum quia hoc ipſo quòd non miniſtrant proximis, ſibi, & ſoli Deo vacantes, non habent cauſam ita manifeſtam, nec titulum adeò iuſtum poſtulandi ab eis neceſſariam ſuſtentationem; quæ non procedunt in religioſis mendicantibus, qui, cum inſeruiant proximis, iure poſſunt ab ijs petere eleemoſynas, & viuere ex ipſorũ bonis, iuxtà illud *Lucæ 10. dignus eſt operarius mercede ſua*; & *1. Cor. 9. non alligabis os boui trituranti.*

QVÆRES VIII. Per quę religio conſtituatur clericalis.

17 ℞. Conſtitui ex eo quòd per ſe ordinetur ad diuina miniſteria circa proximos exercenda, vacat ſtudijs neceſſarijs ad dicta miniſteria obeunda, habitum clericalem aliquo modo retinet, vt habitus concordet cum vita, ac ſtatu, & profitetur genus vitæ minùs auſteræ. colligitur ex *Suar. ſup. cap. 7. n. 6. 7. 8. & 9.* & conſtat tum ex dictis *q. 6.* tum quia media adhibenda in vnaquaque religione debent eſſe accommodata fini, qui in ea intenditur: conſtat autem quòd ablegatio ſtudiorum, delatio habitus monachalis, & vitæ auſteritas per ſe non ſunt media proportionata ad procurandam proximorum ſalutem, ad quod tanquam ad finem ordinantur religiones mendicantes.

18 Dixi ſub initium reſponſionis *ex eo quod per ſe ordinetur ad diuina miniſteria circa proximos exercenda*; vt innuerem non repugnare, quod etiam monachi inſiſtant miniſterijs ſpiritualibus, quæ circa proximos exercentur: at id non faciunt, niſi pro vt par-

ticipant

ticipant de vita actiua; quod vtique non repugnat; immò aliqui putant de facto fuiſſe practicatum a S. Benedicto Abbate, dum nobilium Romanorum, atque aliorum Italię magnatum filios in ſuo monaſterio erudiendos reciperet; de quo non nihil dubitat *Suar. ſup. tr. 10. l. 5. c. 5. n. 9.*

19 Cæterùm religio clericalis vera, ac propria diuiditur in canonicos regulares, ac presbyteros (vt ita dicam) ſimplices item regulares, quos conſtituere religionem diuerſam à religione canonicorum regularium, vel inde conſtat, quòd clericos theatinos Ieſuitas, aut alios ſimiles, qui ſine dubio ſunt clerici regulares; nemo vocabit canonicos regulares; cùm nomen canonici ſit nomen aliquo modo dignitatis, ac excellentiæ, quod non competit ſimplicibus presbyteris. quamquam, ſi nomen canonici ſumatur, pro vt ſignificat clericum vitæ contemplatiuæ ſolùm vacantem, ac primariò inſtitutum ad ſacra miniſteria cultus diuini, & pro vt dictum nomen deriuatur a canonica, per quam importatur ius ſpirituale habendi ſtallum in choro, & locum in capitulo: non immerito etiam clerici regulares dici poſſent canonici regulares; præſertim cum in *c. decimas 16. q. 1.* clerici communiter viuentes dicantur canonici regulares, vt notat *Suar. tr. 9. l. 1. c. 9. n. 9.* monens tamen *n. 8.* hanc doctrinam non habere locũ in religioſis Soc. Ieſu, quippe qui neque viſui inſtituti profitentur chorum, neque habent propriè locum in capitulo, cum ordinarie non per capitula, ſed per proprios Prælatos regantur: ſicque iјs non poteſt conuenire nomen canonici regularis; licet alias ſint clerici regulares, & nomine clericorum exprimantur in conſtitutionibus pontificijs.

20 Notant autem *Suar. ſup. c. 7. n. 10.* & *Lezana to. 2. c. 4. n. 4.* quòd, quamuis clerici regulares in pænalibus, ac odioſis non veniant nomine monachorum, neque Fratrum, immò ab iјs diſtinguantur; vt conſtat ex *16. q. 1. can. 6.* vbi dicitur: *Alia cauſa eſt monachorum, alia clericorum*: in fauorabilibus, & in iјs, quæ reſpiciunt ſubſtantiam, aut decentiam ſtatus religioſi, nomen monachi extenditur etiam ad Clericos regulares, ſicut & ad Canonicos regulares, vt dictum eſt *q. 6.* Immò addunt, *Suar. c. 9. n. 13. & Lezana vbi ſup.* ea, quæ in iure diſponuntur de Canonicis regularibus, non debere extendi ad Clericos regulares, niſi quatenus diſponũt de re, quę ſolũ fũdetur in ſtatu religioſo clericali, pro vt talis eſt; aut certè continent fauorem religionis vt ſic; ſecùs ſi contineant licentiam vitæ laxioris; tunc enim ea non debent extendi, nec applicari ad omnes Clericos regulares, niſi quatenus accommodata fuerint vniuſcuiuſque inſtituto. Addit etiam *Lezana*, Clericos regulares non ſolùm comprehendi nomine religioſorum, ſeu regularium cùm illi verè ſint religioſi, ac regulares: ſed etiam includi ſub diſpoſitionibus factis in iure pro clericis, cùm eſſe regularem non ſit additum diminuens obligationem clerici, ſed augens; ideoque non extet ratio, cur clerici regulares, cùm verè ſint clerici, non debeant comprehendi ſub diſpoſitionibus factis in iure pro clericis; quæ ſunt benè aduertenda.

Difficultas modò eſt, an religioſi laici (quos vocant conuerſos) veniant in iure nomine clerici.

21 ℞ non venire in odioſis; idque ſiue ſint ordinis monachalis, vt patet ex *cap. ſi quis ſuadente*, ex titulo *ne clerici, vel monachi*, & ſimilibus iuribus, in quibus inuicem contradiſtinguuntur clerici, ac monachi, vt rectè aduertit Suarez. *to. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 2. n. 24.* ſiue ſint ordinis clericalis: hi namque dici quidem poſſunt eſſe ex religione clericorum regularium, non tamen dici poſſunt clerici regulares; ſicut neque conuerſi canonicorum regularium dicuntur canonici regulares, eſtò ſint de religione canonicorum regularium. Dixi *in odioſis*, quia in fauorabilibus religioſi laici veniunt nomine clericorum, ſicut etiam Nouitijs comprehenduntur nomine religioſorum; idque ex regula iuris: *fauores oportet ampliari, odia reſtringi*.

Quod ſi quæras, an comprehendantur ſub nomine clericorum regularium religioſi Soc. Ieſu, qui ſunt ſolùm adſtricti votis biennij, & nullo ordine ſunt initiati, immò nec primam tonſuram habent.

22 ℞ comprehendi, cum iј non ſolùm ſint ex ordine clericorum (quo modo diximus §. *præcedenti* eſſe etiam religioſos laicos ordinum clericalium) ſed ipſi vere ſint, & dicantur clerici, eſtò nondum initiati ſint vllo ordine, aut tonſura; vt pote ſuo tempore promouendi ad ſacros ordines, & ad hoc admiſſi: quod non habet locum in religioſis laicis eorundem ordinum, vt patet, ita *Bonac. d. 2. de cenſur. in partic. q. 2. p. 7. n. 5.*

23 Addo, quod ſi Paulus III. in ſua conſtitut. *licet debitum* edita in fauorem Soc. Ieſu anno 1548. religioſos dictæ Societatis ſæpius vocat nomine *Fratrum*: huiuſmodi nomen ſumit latè, quatenus omnes religioſi, etiam monachi, aut canonici regulares ſunt inter ſe fratres ſpirituales: cùm aliàs non ſint, nec dici poſſint fratres in eo rigore, quo dicuntur religioſi illi, qui communiter vocantur fratres.

QVÆRES IX. Per quid religio cõſtituatur militaris.

24 ℞ Conſtitui per hoc, quod cum eſſentialibus tribus votis ſubſtantialibus religionis per ſe primò, & ex vi proprij inſtituti ordinetur tanquam ad ſcopum, ac finem ad militandum pro defenſiòne chriſtianæ religionis, Eccleſiæ, ac innocentum, & ratio eſt, quod, cùm ſtatus religioſus debeat primario reſpicere cultum Dei, pietatem, ac perfectionem animæ: hòc ipsò quòd bellum non ſolum eſt iuſtum, ſed etiam pium, ac religioſum modo dicto (cuiuſmodi non eſſet illud, quod cùm ſit iuſtum, proximè ordinaretur ad finem tantùm temporalem, v. g. ad recuperandũ dominium aliquod temporale iniuſtè vſurpatum) poteſt eſſe finis ſtatus religioſi, & eſt aptus vt propter illum inſtituatur aliqua religio; quod nõ procedit in caſu, quo bellum ſit quidem iuſtum, ſed ordinetur ſolum ad finem temporalem: cùm ſic non contineat cultum diuinum, nec ſit opus pietatis, nec per ſe conferat ad animę perfectionem, quin potius ſit expoſitum multis periculis; quę niſi compenſentur ex aliquo fine perfecto religionis, ac boni communis, non ſunt eligibilia ei, qui velit perfectionem obtinere. Colligitur ex *S. Thoma 2. 2. q. 188. a. 3.* & eſt ſententia communis, pateтq; tum ex ipſo vſu Eccleſiæ; quæ plures ordines militares approbauit ſub nomine religionũ; tũ quia bellũ iuſtũ, ac religioſum

modo dicto eſt finis optimus,& valdè pſectus,& ad Dei cultũ,ac religionẽ pertinet:ex alia parte ad talẽ finem poſſunt eſſe aptiſſima media illa eadem, quæ ſtatum religioſum ſubſtantialiter conſtituunt; ergò, ſi accedat debita poteſtas,ſeu auctoritas Papæ, (vt facilè poteſt) nihil deerit ad conſtituendum verum ſtatum religioſum.

35 Et certè quòd ea, quæ ſtatum religioſum ſubſtantialiter conſtituunt, poſſint eſſe aptiſſima media ad finem Ordinis militaris, conſtat 1. de voto Caſtitatis: tum quia obligatio coniugis, & onera matrimonij multùm impediunt libertatem neceſſariam ad militandum; & ipſe cælibatus plurimùm iuuat tum ad cõſeruandam animæ puritatem adeò neceſſariam ijs, qui vitam tot periculis expoſitam gerunt, tum ad tuendam ſanitatem, ac robur corporis ad bellandum ita neceſſarium; conſtat 2. de voto paupertatis, quia ſtatus militiæ requirit animum liberum ab omni cura, ac ſolicitudine vel augendi, vel conſeruandi bona temporalia, & perfectam deſpicientiam rerum huius mundi, ad quæ vtique confert quàm maximè abrenunciatio bonorum temporalium; conſtat 3. de voto obedientiæ, quòd, etiam ſecluſa religione, virtus obedientiæ per ſeſe eſt neceſſaria in bello; cùm ſine illa nec debitus ordo, nec executio opportuna occurrentium actionum, ac mediorum, nec debita ſolicitudo, ac prouida rerum omnium diſtributio ſeruari poſſit, & tamen aliàs hinc maximè pendeat fælix euentus belli.

36 Nec obſtat, quòd ſtatus religionis debet eſſe ſchola perfectionis acquirendę, ad quam requiritur tũ carentia, aut diminutio culparum quò ad fieri poſſit, tum profectus in omnibus virtutibus, præſertim in charitate, ac cognitione Dei: ad hæc autẽ ſtatus militaris videtur eſſe valdè improportionatus, vt pote expoſitus innumeris occaſionibus peccandi, & minus ſufficienter prouiſus medijs neceſſarijs ad virtutum acquiſitionem. nõ obſtat; inquã; cùm ſtatus perfectionis ſit omnis ille, in quo vltrà præceptorũ obſeruantiam ex vi talis modi viuendi cuſtodiuntur 3. conſilia euangelica; & hoc totum æque bene requiri poſſit in Ordine militari; quamquam alioqui ad talem effectum moraliter neceſſarium ſit, vt, antequã milites actuali militiæ cõmittantur, in virtute per aliquod tempus inſtruãtur,& exerceãtur. Vnde *Didacus de Mota l.1. de fund.Ord.S. Iacobi c.2. §.2. & c.3.* notat, quod, cùm ille Ordo priùs per modum cuiuſdam fraternitatis incæpiſſet in ſolis militibus,& milites illius ad ſe reuerſi intellexiſſent ſe nõ poſſe perſeuerare in honeſtate vitæ, ac virtutis profectu, ac inſtitutum ſuum ſecundùm debitum finem perficere abſque religioſis Sacerdotibus, à quibus ſpiritualia reciperent: ideo cũ religioſis quibuſdam Canonicis regularibus in vnũ corpus conuenerunt: quod item communiter faciunt alij Ordines militares.

37 Quare in Ordinibus militaribus 3. genera perſonarũ reperiuntur;aliæ.n. ſe exercent in militando pro fide, Eccleſia, aut aliqua alia pia cauſa; aliæ ſunt in ſtatu clericali,& vacant diuino cultui,ac ſpirituali bono dictorum militum, frequentando chorum, miſſas celebrando, illorum confeſſiones excipiendo, & gubernando eccleſias ſubiectas ipſis Ordinibus militaribus; aliæ denique admittuntur, vt in obſequijs domeſticis inſeruiant tam militibus, quam clericis talium ordinum, & ſunt inſtar Conuerſorum:& hi ſunt vere religioſi, ſi faciant tria vota ſubſtantialia religionis: non item, ſi ea non faciunt: quales ſunt Fratres Ordinis S. Ioannis, qui geſtant mediam Crucem albam; ſicut notat *Lezana tom.2. cap.5. numer.4.* qua de re *Azorius par.1 l.13. cap.3. quaſt.1.*

38 Id, quod magis controuertitur inter Doctores de Ordinibus militaribus, eſt, an Ordines illi, in quibus promittitur caſtitas tantum coniugalis (cuiuſmodi ſunt Ordo S. Stephani, S. Mauritij, ac ſimiles) ſint verè, ac propriè religiones; verùm, cùm ex dictis *cap. 5. quaeſt.* 8. conſtet illis conuenire rationem religionis ſimpliciter dictæ; non eſt cur diutiùs immoremur in diſcutienda tali quæſtione; prçſertim cùm ea videri poſſit latè, ac eruditè tractata apud *Suar.ſup. tr.9. l.1. cap.4. à num.*8. qui *num.26.* tandem ſic concludit, *Igitur abſolutè aſſerendum cenſemus hos milites quò ad ſtatum eſſe proprios religioſos; quamuis quò ad vſum, ac obſeruantiam re vera non viuant ſimpliciter religioſè, ſed valdè ſecundum quid: hoc enim negare non poſſumus, niſi adulatores videri velimus.*

39 Ex eo autem quod milites talium Ordinum ſunt propriè religioſi quò ad ſtatum, ſequitur illos eſſe perſonas ſimpliciter eccleſiaſticas, & vt tales gaudere priuilegio canonis, ac fori: imò & religioſas ſimpliciter loquendo, vtpote aſſumptas ſub protectione Papę tanquam perſonas diuino cultui ſpecialiter deſtinatas, & habentes in Eccleſia propriũ, ac ſpecialem ſtatum eccleſiaſticum; qui cùm non ſit ſęcularis, nec clericalis, omnino cenſeri debet religioſus; quo pacto in bullis pontificijs ſimpliciter appellantur nomine religioſorũ, & ſub hoc nomine veniũt in iure, prçſertim quò ad fauores,& gratias.

30 De militibus certè S. Ioannis indubitatum eſt illos eſſe verè, ac propriè religioſos; cùm habeant verum, & totale votum caſtitatis, per quod diſſoluitur matrimonium ratum, non conſummatum antea contractum (quod non euenit reſpectu voti caſtitatis, quę promittitur in alijs Ordinibus militaribus, etiam ſi aliàs ſit ſolemne; ſicut aduertit alijs citatis *Diana p.3. tract.2. reſolut.30.*) verum etiam votum paupertatis, per quod fiunt incapaces dominij, immò & vſus independentis à Superiore: & verum votum obedientię verſantis circa rem adeò difficilẽ, & arduam, qualis eſt ſe exponere grauiſſimis periculis belli in fidei defenſionem.

Quòd ſi quęras, quid operetur votum paupertatis, caſtitatis, ac obedientię quò ad milites Ordinis S. Iacobi, & aliorum ſimilium.

31 ℞. Votum quidem paupertatis illos reddere incapaces dominij, ideoquè propriè loquendo, non poſſe dici habere titulũ annuorum redditũ, quos habent: cùm hic appellatione tituli veniat dominium, vel quaſi dominium; ac proinde eos potius habeant in adminiſtrationem, & commendam, ideoque vocentur Commendatarij; quamquã aliàs quo ad vſum dictorum redditũ ęquiparentur ijs, qui habent dominium, aut quaſi dominiũ, nẽpè titulũ prçfatis redditibus fruẽdi de cõſenſu Superiorum,

rum, ſoluta religioni aliqua penſione, aut ſaltem aliqua alia re præſtita, per quam indicetur vſum illorum redditiuum pendere à Superioris voluntate, (quæ doctrina procedit etiam quo ad bona, quæ milites illorum Ordinum habent, ſiue ex hæreditate, ſiue ex donatione, ſiue ex propria induſtria; idque ſiue illa acquiſiuerint ante profeſſionem, ſiue poſt, vt notauit *Lezana to.2.c.5.n.23.ex Nauarro, & Motta.*) Votum verò caſtitatis, quod faciunt milites iſtorum Ordinum, obligat eos ad abſtinendum à venereis extra matrimonium, immò & in ipſo matrimonio, quãdo, & eo modo, quo talis abſtinentia eſt neceſſaria ad finem propriæ profeſſionis: ex quo infert *Suar.ſup.n.19.* votum caſtitatis, quod emittitur in iſtis Ordinibus, comprehendere aliquam continentiam, quæ ſimpliciter ſit in conſilio, & non in præcepto. Votum denique obedientiæ, quod faciunt præfati milites, obligat illos ad non diſponendum de proprijs perſonis, niſi de licentia expreſſa, aut ſaltem implicita ſuorum Superiorum: quippe qui ratione talis voti quodammodo non ſunt ſui, ſed religionis; vnde non poſſunt ſe alteri adſtringere homagio, confœderatione, aut iuramento, ſicut nec ſe obligare feudo, per quod obligentur ad ſeruitium aliquod reale, aut etiam perſonale minùs congruens dignitati ipſorum: quod in ſpecie notauit *Rodriq.to.2.q.71.a.2.*

32 Illud demum hic benè notat *Suar.n.29.* quòd licèt votum caſtitatis, quo ſe adſtringunt iſti milites, non habeat ſolemnitatem, quò ad vim dirimendi matrimonium ratum, non conſummatum, antea contractum, vt iam diximus: non nihil tamen participat de ſolemnitate, quò ad perpetuitatem abſolutam: idque ob coniunctionem, quam habet cum vera traditione religioſa: ex quo fit, vt vota talium militum à Doctoribus vocentur ſolemnia, & multò difficiliùs diſpenſentur, quàm vota ſimplicia: ſiquidem traditio ipſa ex genere ſuo, & natura difficiliorem habet diſpenſationem, quam votum merè ſimplex.

QVÆRES X. Per quæ religio conſtituatur hoſpitalaria.

33 ℞. Conſtitui per hoc quòd emiſſis 3. votis eſſentialibus religionis, per ſe primò, & ex vi inſtituti ordinetur tanquam ad proprium ſcopum, ac finem ad exercendam hoſpitalitatem, ſiue in curandis infirmis, ſiue in excipiendis peregrinis; idque non ratione lucri temporalis, ſed ex mera charitate in Deum, ac proximos. Colligitur ex dictis *q. præcedenti*, & probatur, tum ex ijs, quæ ibi adduximus, & hic proportionaliter applicari poſſunt: tum quia curare infirmos, & excipere peregrinos ex virtute ſupernaturalis charitatis eſt opus religionis; poſſunt autem inſtitui religiones ad huiuſmodi opera pia, ac religioſa, vt conſtat in ordinibus militaribus, in religionibus erectis ad redimendos captiuos, & indicat *Suar. ſup.c.3.n.1.*

34 Illud porrò hìc ſtudioſè aduertendum, quod ſtatuit Concilium Viennenſe ſub Clemente V. & habetur in *c.2.Clem.de religioſ.domib.* his verbis. *Quia contingit interdum quod xenodochiorum, leproſariorum, eleemoſynariorum, ſeu hoſpitalium rectores, locorum ipſorum cura poſtpoſita, bona, res, & iura ipſorum interdum ab occupatorum, & vſurpatorum manibus excutere negligunt, quinimmò ea collabi, & deperdi, domos, & ædificia nimis deformari permittunt, & non attento, quòd loca ipſa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fuerint, vt pauperes, infectique lepra reciperentur inibi, & ex prouentibus ſuſtentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, prouentus eoſdem in vſus ſuos damnabiliter conuertentes; cum tamen ea, quæ ad certum vſum largitione deſtinata ſunt fidelium, ad illum debeant non ad alium (ſalua quidem Sedis Apoſtolicæ auctoritate) conuerti. nos autem incuriam, & abuſum huiuſmodi deteſtantes, hoc ſacro approbante Concilio, ſancimus, vt ij, ad quos id de iure, vel ſtatuto in ipſorum fundatione locorum appoſito, aut ex conſuetudine præſcripta legitimè, vel priuilegio Sedis Apoſtolicæ pertinet, loca ipſa ſtudeant in prædictis omnibus ſalubriter reformare, ac occupata, deperdita, & alienata indebitè in ſtatum reduci debitum faciant, & ad ipſarum miſerabilium perſonarum receptionem, & ſuſtentationem debitam iuxta facultates, & prouentus locorum ipſorum Rectores prædictos compellere non omittant. In quo ſi fortè commiſerint negligentiam, vel defectum, ordinarijs locorum iniungimus, vt etiamſi pia loca prædicta exemptionis priuilegio munita conſiſtãt per ſe ipſos, vel alios impleant omnia præmiſſa, & ſingula, & Rectores eoſdem vtique non exemptos propria, exemptos verò, & alios priuilegiatos apoſtolica ad id auctoritate compellant, contradictores, cuiuſcumque ſtatus, aut conditionis exiſtant, ac præbentes eiſdem circa præmiſſa conſilium, auxilium, vel fauorem, per cenſuram eccleſiaſticam, & alijs iuris remedijs compeſcendo, nullum tamen per hoc exemptionibus, ſeu priuilegijs ipſis, quo ad alia præiudicium generando.* Quibus ſimilia habentur *in Concilio Trid. ſeſſ.7.c.15. ſeſſ.22. de reformat.c.8. & 9. ſeſſ.25.c.8.* vnde fit, vt quamuis hoſpitalia regularium ob ipſorum priuilegia eſſent omninò exempta ab Ordinarij iuriſdictione: attentis tamen præfatis decretis, nequaquam ſint exempta; ſicque Religioſi, qui illis præſunt, poſſunt viſitari, inquiri, puniri, ac coerceri, non quidem in ijs, quæ concernunt regularem obſeruantiam, ſed in ijs, quę ſpectant ad ipſorum hoſpitalium adminiſtrationem, vt rectè aduertit *Lezana ſup.c.6.n.12*, id confirmans ex eo quod Sacra Congregatio declarauit hoſpitalia adminiſtrata à Fratribus B. Ioannis de Deo non eſſe exempta ab ordinarij iuriſdictione, niſi ſolum quo ad regularem obſeruantiam.

QVÆRES XI. An, & qualiter Ordo Tertiariorum ſit, & dici poſſit vera, ac propria religio.

35 ℞. Eſſe, & dici poſſe, ſi Tertiarij viuant in religione, emiſſis 3. votis ſubſtantialibus religionis ſub obedientia proprij Prælati regularis; ſecùs, ſi vel præfata 3. vota emittant in communitate aliqua non approbata à Sede apoſtolica, aut etiam ſeorſim non ſecundùm vllam certam, ac determinatam regulam, vel certè non emittant dicta 3. vota, ſed ſolum promittant caſtitatem, ac obedientiam; ſic quippe congregatio Tertiariorum non eſt verè, ac propriè religio, cùm ſine 3. votis ſubſtantialibus non poſſit ſtare vera religio, vt conſtat ex dictis, & vota illa, vt faciant vouentem verè religioſum, debeant fieri ſecundum certam, & determinatam regulam à Sede apoſtolica approbatam, vt colligitur ex *cap.vn.de voto, & voti redempt.in 6.* benè tamen

appel-

appellari poteſt Ordo, cum Ordo iuxta præſentem ſignificationem ſignificet ſolùm modum viuendi ordinatum ſub certa regula, ac determinatis cæremonijs: quæ omnia requiruntur in congregatione Tertiariorum; quæ proinde, appellari poteſt Ordo approbatus ab Eccleſia, cùm illorum regula verè ſit approbata à Sede apoſtolica; vt oſtendit Lezana *ſup.cap.*14.*num.*7.addens, quòd quamuis ſtatus huiuſmodi Tertiariorum non poſſit dici ſimpliciter religioſus, latè tamen, & analogicè talis dici poteſt, quatenus imperfectè, & incompletè participat de ratione religioſi ſtatus, quòd etiam notauit *Suar. to.3. de relig. l.2. c.2. num.*17. *ex S.Thom. Henriq. & Nau.* cum quibus ſentit *Leſſ.c.*40. *num.*10. aſſerente poſſe eſſe aliquem modum viuendi ad perfectionem, pertinentem, & approbatum, qui tamen non ſit ſufficiens ad ſtatum propriè religioſum.

36 Tertiarij autem religionum ex eo traxerunt nomen, quod ſunt veluti tertium genus hominum, & quaſi medium inter religioſos, ac ſæculares, (quatenus, etſi ſimpliciter ſint ſæculares, in aliquibus obſeruant ea, quæ pertinent ad religioſos, nimirum regulam cum obſeruantia votorum caſtitatis, ac obedientiæ): ſiue quòd in aliquibus religionibus extat triplex genus perſonarum, quæ regulam Ordinis profitentur, nimirum Fratrum religioſorum, Sororum monialium, & laicorum ſæcularium, qui vocantur Tertiarij.

Quòd ſi quæras, ad quid teneantur Tertiarij religionum vi ſui ſtatus.

37 ℞. Si quidem emittant aliqua vota, (quo modo emittunt Tertiarij Carmelitæ, ſaltem in aliquibus locis, teſte Lezana *num.*18.) teneri illa obſeruare; ſi verò nulla vota emittant, ſed ſolùm promittant diuina præcepta ſeruare, & ſatisfacere pro transgreſſionibus, (vt Tertiarij minorum), vel promittant emendare in melius vitam, & mores, (vt Tertiarij Fratrũ minimorum,) vel viuere de cętero ſecundùm regulam Ordinis, (vt Tertiarij Dominicanorum, ac Seruitarum;) etiamſi tranſgrediantur ea, quæ in ſua profeſſione promittunt, non ideò vllum peccatum committunt, neque cenſeri debent violatores voti, quod comprehendatur ſub verbo *promitto*, & ratio eſt, quòd licet ij vtantur verbo *promitto*, illud tamen ex parte intentionis tam Pontificum hunc modum viuendi approbantium, quam Prælatorum regularium, in quorum manibus præfati Tertiarij profitentur, non habet vim voti, nec inducit obligationem ad culpam: ſed indicat ſolum propoſitũ faciendi ea, quæ promittuntur; ita vt *promitto* in præſenti caſu idem ſit ac *propono*; vel ſi indicat aliquam promiſſionem, talis promiſſio eſt communis, ac generalis, ſimilis ei, quæ fit in baptiſmo de non peccando, quam certum eſt non inducere ſpecialem obligationem voti, ita *Portel. de dub. regul. v. Tertiarij numer.*5. *Peyr. tom.*1. *priuileg. conſtitut.*18. *Iulij* 11. §.2. *& Lezana ſupr. numer.*18. *&* 19.

38 Addit *Portel. ſup. num.*6. *ex Rodriq. to.*3. *q.*69. *a.*1. Prælatos Fratrum minorum ſupra Tertiarios ſui Ordinis viuentes extra communitatem non habere vim coactiuam, ſed ſolum directiuam, per quam illos dirigere valeant, non item punire, ac proinde, ſi dicti Tertiarij præfatis Prælatis non pareant, non peccare, neque venialiter; cum alioqui *Lezana n.*20. generaliter dicat Tertiarios teneri ſuſtinere pęnam a proprijs Pręlatis impoſitam ob transgreſſiones regulæ: in quo tamen non diſſentit *Lezana à Portelo*, cum loquatur de pęna ſalutari pro foro conſcientiæ, loquente *Portelo* de pęna vindicatiua pro foro externo.

39 Accedit, quod Tertiarij non gaudent priuilegijs Ordinis: viri quidem niſi collegialiter viuant, ſeu cum clauſtralibus habitent; mulieres verò, niſi virginalem, ſeu cælibem, aut caſtam vidualem expreſſo voto, & ſub habitu Tertiariorum vitam ducant; idque ex decreto Concilij Lateranenſi, & Sacræ Congregationis Concilij relatis à *Lezana numer.*26. *&* 29. ſed de hoc plura *in tract. de priuilegijs*.

40 Loquendo autem de mulieribus Tertiarijs, ex decreto Sacræ Congregationis edito anno 1616. non debent admitti ad habitum earum, niſi fęminæ quæ fuerint ſpectatæ vitæ, & ſaltem 40. annorum, habeant de proprio, vt inde ſufficienter viuere poſſint, cohabitent tantùm cum conſanguineis, aut affinibus in primo gradu coniunctis, & admittantur ab Ordinario loci: qui tamen non aliter illas admittere debet, niſi de huiuſmodi qualitatibus præuio diligenti examine ipſi conſtet: in habitu verò deferendo debent mulieres Tertiariæ omninò abſtinere à velo ſupra caput, quod ſuperiutum vocant, nec non à pectorali vulgò *ſottogola*, & à patientia, (vt vocant).

QVÆRES. XII. An, & qualiter conuerſi, laici, oblati, Donati, ſeu commiſſi ſint, aut dici poſſint religioſi.

41 ℞. Poſſe dici, & eſſe ſi in religione approbata emittantur 3. vota ſubſtantialia religionis: in tali ſiquidem emiſſione conſiſtit ratio eſſentialis ſtatus religioſi; ſecùs, ſi vel nullum votum, vel duo tantùm vota emittant, vel etiam vnum ſolum: hi quippe non ſunt verè religioſi, etiamſi geſtent habitum Ordinis, & viuant ſub Prælati regularis obedientia: cùm deficiant in ijs, quæ ſunt de ſubſtantia ſtatus religioſi, quod tamen non facit, quin iſti dici poſſint perſonæ eccleſiaſticæ, cum ſint Deo ſpecialiter dicati, ſimiles religioſis in habitu, & habitatione, vtpote habitantes in monaſterijs, & in multis alijs participent de ſtatu religioſo, vt indicat *Rodr. to.*2. *q.*123. *a.*1. monens oblatos propriè dici illos, qui ſe, & ſua dicarunt religioni, habitu tamen non mutato, ſaltem ſimpliciter; hos autem alij vocant Donatos, alij Commiſſos, alij etiam Semifratres. Quòd ſi fortè iſti non viuant in monaſterijs, aut habitum aliquo modo non mutent; tunc nec dici poſſunt perſonæ eccleſiaſticæ, niſi latè, & ſecundùm quid; cùm ſic non cenſeantur Deo ſimpliciter dicati, quòd aduertit *Rodr. ſupra*, quia etiam iſti non gaudent priuilegijs, ac exemptionibus Oblatorum, cum *in Concilio Trid. ſeſſ.*24. *cap.*11. vſus illorum reſtringatur ad illos Oblatos, qui viuunt intra ſepta monaſteriorum ſub obedientia Prælati regularis.

42 Addo ex *Rodriq. to.*1. *q.*1. *a.*8. quod, ſicut oblati religionum, qui non emittunt profeſſionem religioſam, poſſunt recipi in Oblatos, etſi ſint vxorati: ſic & poſſunt de licentia Superioris matrimonium

con-

contrahere, etiã poſt oblationem ſui factam; prętereà ſunt capaces proprij, teſte *Sanch. l. 7. mor. c. 34. n. 1.* & ſi quæ bona ſibi reſeruarunt, poſſunt de ijs teſtari; cùm ſint veri domini illorum; non item, ſi ſe, & omnia ſua præſentia, ac futura monaſterio donarunt, cum ſic non appareat, de qua re teſtari poſſint; in quo diſſentit *Sanch. ſupr. l. 7. c. 8. n. 43.* dicens quòd, cùm hæreditas ſit nomen iuris, adeòque poſſit eſſe ſine aliquo corpore *l. hæreditas ff. de petit. hæred.* ſimpliciter non repugnat præfatos oblatos poſſe teſtari, licèt omnia omninò ſua bona Eccleſiæ obtulerint: quod non approbat *Lezana ſup. c. 8. n. 16.*

QVÆRES XIII. An benè diſtinguatur ſtatus religioſus in eum, qui conſurgit ex votis ſolemnibus, & in eum, qui conſiſtit in ſolis votis ſimplicibus; qualis eſt ſtatus ſcholarium approbatorum Soc. Ieſu.

43 ℞ Quòd, cùm iuxtà dicta *cap. 1. q. 4.* vota ſimplicia religionis poſt biennium probationis facta in ſocietate vouentem faciant verè, ac propriè religioſum; & hoc, teſte *Suar. to. 4. de relig. tr. 10. l. 3, c. 3. n. 2.* ſit adeò certum, vt ſine magna temeritate, ac errore negari non poſſit, vt pote definitum à ſummis Pontificibus, & maximè à Gregorio XIII. in bulla *Aſcendente Domino*; in qua ſępius diſertis verbis aſſerit eos, qui in Soc. Ieſu 3. vota ſubſtantialia emiſerunt, verè, ac propriè religioſos eſſe; etiam ſi illa vota ſimplicia ſint, & non ſolemnia: vtique neceſſario fatendum eſt ſtatum religioſum benè diſtingui in eum, qui conſurgit ex votis ſolemnibus (quod eſt apud omnes indubitatum) & in eum, qui conſequitur ex votis ſimplicibus: quod licèt aliàs apud aliquos fuerit controuerſum, modò tanquam certum ab omnibus ſuſtinendum eſt; cum authoritate Papæ non ſemel deciſum fuerit contra aliquos, qui omnia ex aliorum regularium ordinum communibus rationibus, formis, & ſtatutis metientes, ſicut loquitur Gregor. XIII. in allegata conſtitut. *Aſcendente Domino*; ſocietatis (intellige Ieſu) inſtitutum, peculiares conſtitutiones, & vim votorum ſimplicium illius in eadem ſocietatis religione probatam admiſſorum penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiquo, quæ poſt illud ſucceſſu temporis huius ſedis authoritate, approbatione, & confirmatione ac peculiaribus priuilegijs ſancita, & roborata eſſe dignoſcuntur, perperam interpretantes conuellere nituntur.

44 Verum tamen eſt ad hoc vt congregatio aliqua perſonarum Deo dicatarum verè, ac propriè dici poſſit religio, non ſufficere, quod in ea fiant 3. vota ſimplicia religionis; ſed requiri, vt dicta congregatio a Sede Apoſtolica ſit approbata tanquam vera religio, quod ſatis apertè indicat *Sanch. l. 5. moral. c. 1 n. 19.* dum ait ad veræ, & propriæ religionis ſubſtantiam requiri, vt 3. vota ſubſtantialia religionis emittantur in religione per Sedem apoſtolicam approbata, nec ſatis eſſe, vt modus viuendi ab illa approbetur, niſi tanquam vera religio approbetur. Moueor, quod in congregatione clericorum pauperum Matris Dei ſcholarum piarum, antequam à Gregorio XV. approbaretur in veram religionem cum votis ſolemnibus, ex indulto Pauli V. fiebant 3. vota ſimplicia religionis, vt conſtat ex *conſtitutione illius 101. in ordine*: & tamen talis congregatio non erat vera religio; cum in citata conſtitutione nullum extet verbum, ex quo id colligatur, imò potius in ea oppoſitum indicetur, dum dictorum votorum diſpenſatio Papæ pro tempore exiſtenti reſeruatur; non enim opus fuiſſet id exprimere, ſi vota illa tunc conſtituiſſent vouentem verè, ac propriè religioſum: ſiquidem de his, quatenus talibus, erat omninò certum eorum diſpenſationem reſeruari Papæ; cum vota, ex quibus conſurgit ſtatus verè, ac propriè religioſus, natura ſua ſint perpetua, vt pote importantia immobilitatem ſtatus: quæ doctrina inde etiam confirmari poteſt, quod Gregorius XIII. in Bulla *Aſcendente Domino* volens decidere per 3. vota ſimplicia religionis, quę fiunt in Soc. Ieſu, vouentem conſtitui verè, ac propriè religioſum; id expreſſis verbis declarauit dicens, *Statuimus, atque decernimus 3. vota huiuſmodi, etſi ſimplicia, ex huius ſedis inſtitutione, ac noſtra etiam declaratione, & confirmatione eſſe verè ſubſtantialia religionis vota, ac in dicta ſocietate, tanquam in religione approbata per ſedem eandem fuiſſe admiſſa*: quod cùm non fecerit Paulus V. reſpectu congregationis ſcholarum piarum; ſignum eſt ipſum non intendiſſe, quod 3. vota religionis ſimplicia, quæ in ea fiebant, vouentē facerent verè ac propriè religioſum, ita viri docti à me conſulti.

Quòd ſi obiter quis quærat, an ſcholares approbati, qui dicta vota ſimplicia religionis emittunt in Soc. Ieſu, dici poſſint mendicantes.

45 ℞ Videri poſſe; & probatur tum quia, eſtò ſint capaces bonorum, etiam in particulari, hoc ipſo tamen quod inſtituuntur ad hoc vt ſuo tempore incorporentur ſocietati tanquam vera membra illius, participant de qualitatibus ipſius, cum vniuſcuiuſq; rei finis vltimus inſpici debeat, & animi deſtinatio, quæ ex actu inchoato, quamuis non conſummato, deprehenditur, interdum habeatur pro opere perfecto, & conſummato, licèt ex caſu fortuito, aut alio impedimento non perueniat ad effectum; vt ex iure bene animaduertit *Rodriquez loco mox referendo*; tum quia ſi tales ſcholares de facto non haberent bona, cogerentur mendicare, imò, etiam ſi habeant bona, interdum mendicant. ita *Rodriq. in terminis to. 3. q. 49. a. 2.* monens, quod, etiamſi dicti ſcholares non eſſent mendicantes, nihilominus ſocietas dici poſſet mendicans: quo modo etiam ordines mendicantes non deſinunt eſſe tales ex eo quod Nouitij illarum adhuc retineant ſua bona: cum tamen alias prefati ſcholares nonnullam habeant ſimilitudinem cum Nouitijs; pręſertim in eò quod poſſunt dimitti è ſocietate à Præpoſito generali, etiò ipſi non poſſint liberè recedere.

QVÆRES XIV. An, & qualiter diuidatur ſtatus religioſus in actiuum, & contemplatiuum.

46 ℞ Sic diuidi, vt tamen ſatis probabiliter addi poſſit tertium membrum; ita vt ſtatus religioſus adæquatè diuidi poſſit in actiuum, contemplatiuũ, & mixtum, actiuus eſt, qui ordinatur ad ſubleuandas proximorum miſerias, ſiue ſpirituales, ſiue temporales medijs actionibus virtutum, & præſertim miſericordię: contemplatiuus eſt, qui ordina-

tur

tur ad ſubleuandam mentem hominis in Dei cognitionem, vt ei totam animam vniat: mixtus eſt, qui ordinatur ad vtrumque. Et quidem quod ſtatus religioſus rectè diuidatur in actiuum, & contemplatiuum; patet, quia religio ſupra communem vitæ rationem ſolum addit conditionem ſtatus tendendi ad perfectionem; certum eſt autem, quod tam vita actiua, quam contemplatiua confert ad comparandam perfectionem; cum vtraque perficiat charitatem, & quantum eſt ex ſe, excludat omnia peccata (in quibus duabus rebus conſiſtit ſubſtantia perfectionis) ſicque vtraque vita eſt apta, vt per modum ſtatus tendendi ad perfectionem aſſumatur, & votis religioſis conſecretur, quod verò poſſit addi tertium membrum vitæ mixtæ, ſuadetur quia non repugnat dari religionem, quæ ſimul actioni, ac contemplationi principaliter intendat; cum hæc duo poſſint ſimul iungi, imò & Chriſtus de facto iunxerit profitendo vitam mixtam, eamque ſeruandam tradiderit Apoſtolis, ita *Suar. to. 4. de relig. tr. 9. l. 1. c. 5. n. 6. & 17.* addens *n.* 18. religionem, quæ profitetur vitam mixtam, non ordinare vnum munus ad alterum, ſed poſſe vtrumque per ſe intendere tanquam finem: præſertim ſi religio ad eam partem vitę actiuæ ordinetur, quæ in ſpiritualibus actionibus circa proximũ conſiſtit; quamuis aliàs negari non poſſit, quin actus vitæ contemplatiuæ in tali religione ordinentur ad actionem: quod eſt intendere contemplationem tum per modum finis, tum etiam tanquam medium, & quidem etiam per ſe maximè appetibile, & cum in tali religione re vera magis per ſe intendatur propria perfectio, quam proximorum, & perfectio propria præcipuè conſiſtat in contemplatione, & in ea acquiratur.

QVÆRES XV. An, & quam varietatem admittat ſtatus religioſus, etiam quo ad moniales.

47 ℞. Quod, cum pertinentia ad ſtatum religionis ferè omnia locum habeant in monialibus cum proportione ad ipſarum ſexum, & in particulare religiones fęminarum tanquam quid acceſſorium reducantur ad religiones virorum, ſicut acceſſorium ſequitur naturam principalis, ſic & religiones monialium ſequuntur religiones virorum, ideoq; iuxta harum diſtinctionem etiam illæ ſuo modo differũt, ſeu variantur. Vnde ex monialium ordinibus alij ſunt monachales, & alij Mendicantes; vt innuitur *cap. vn. §. ſanè de ſtat. regul. in 6.* idque eſtò moniales alioqui in profeſſione vitæ mixtæ ex miniſterijs ſpiritualibus viris aſſimilari non poſſint: ſiquidem ad hoc ſufficit, quod vna quæque religio monialiũ illam mendicantem imitetur, cui adiungitur, profitendo eius regulam, ac obedientiam, imitando eius habitum, mores, conſtitutiones, & præcipuè paupertatem; à qua mendicantium nomen principaliter ſumptum eſt. Preterea alij ordines monialium militant ſub regula canonicorum regularium, vt pote modo peculiari imitantes illorum aſſiſtentiam in choro, & curam circa obſequia, ac miniſteria diuina; alij verò ſub regula ordinum militarium cum inſignibus, & habitu illorum, licèt alias finis ordinis militaris ſexui fęmineo omninò repugnet: ad id enim ſufficit, quod dicti ordines militares conſtant partim ex clericis, aut monachis, qui ex ſuo inſtituto non vacent militiæ, ſed diuino cultui, cuius vtique ſunt capaces, etiam fęminæ, vt patet.

48 Notat autem *Suar. ſup. c. 12. n. 3.* pręcepta, quę in iure communi reperiuntur facta religioſis, aut perſonis eccleſiaſticis, à fortiori obligare moniales: quippe quæ computantur inter perſonas eccleſiaſticas, & comprehenduntur ſub nomine religioſorum, aut regularium; præſertim in his, quæ pertinent ad ſubſtantiam, ac decentiam religionis; quod tamen non admittit abſolutè *Bonac. d. 2. de cenſur. in partic. q. 4. p. 7. n.* 10. dicens oppoſitum eſſe probabilius. Ex quibus patet, quid dicendum ſit de ea doctrina, quam tradit idem *Suar. c. 10. n.* 8. alijs citatis, nimirum diſpoſitiones iuris circa religioſos mendicantes comprehendere etiam moniales eiuſdem ordinis, ſeruata proportione. Certè de Tertiarijs Ordinis S. Franciſci, & talibus vitam cælibem ducentibus ac collegialiter viuentibus *Barboſa l. 1. iur. eccl. vniu. c. 41. n. 8. ex Riccio* cenſet illas venire nomine monialium; ideoque legatum relictum ſub hac forma, *ſi nupſerit, aut monachabitur*, verificari de dictis Tertiarijs.

QVÆRES XVI. qualiter diuidatur ſtatus religioſus in obſeruantes, & conuentuales, ſeu clauſtrales.

49 ℞. Quod, cum religioſi obſeruantes, & conuentuales relatiuè opponantur: hòc ipſo quod conuentuales dicuntur ij, qui ab antiqua ſua perfectione, & ſtricta propriæ regulæ obſeruantia deficiunt: obſeruantes è contra dicentur illi, qui ſuam regulam obſeruant ad literam, ſeu iuxta intelligentiam veram, ac literalem abſque vlla prorſus diſpenſatione, mitigatione, aut moderatione facta ex iuſta cauſa a ſummis Pontificibus. ita *Miranda to. 1. manu. q. 12. a. 2.* monens hæc nisi non tam ætymologijs nominum, ac ſignificationibus, quam ipſa veritate, ac communi hominum exiſtimatione; addenſque hinc non tolli, quin inter religioſos conuentuales quamplures reperiri poſſint ſanctitate conſpicui, & propriæ regulæ obſeruantiſſimi: ſicut è contra inter obſeruantes poſſunt extare non pauci valdè deficientes à perfectione proprij inſtituti, & a ſtricta obſeruantia regulæ ſui ordinis.

QVÆRES XVII. Qualis ſit diuiſio ſtatus religioſi in monachos, & laicos, quos vulgò vocamus conuerſos.

℞. Eſſe, non ſubſtantialem; cum vtrique emittant vota ſubſtantialia religionis; ſed ſolum accidentalem, quatenus monachi ſuſcipiuntur ad vſum chori, & promouentur ad ordines, laici verò nullis ordinibus initiantur, ad chorum regulariter non admittuntur, ſed tantum occupãtur in miniſterijs domeſticis; vnde & laici appellantur, non quod ij nò ſint perſonę eccleſiaſticæ, ac religioſæ, ſed quod ordinibus careant. Ex quo fit huiuſmodi diuiſionem non habere locum in religionibus monialium, cum omnes fœminæ ſint ordinum eccleſiaſticorum incapaces, ac proinde non poſſint recenſeri, niſi inter religioſos laicos; vt benè aduertit *Suarez ſupr. numer. 7.*

SECTIO

SECTIO II.

De Perfectione ſtatus Religioſi tum abſoluta, tum reſpectiua.

51 *Status religioſus eſt ſtatus perfectionis.*
52 *Hominem Deo perfectè vnit.*
53 *Eſt ſtatus perfectionis acquirendæ.*
54 *Et tamen ſimpliciter dici poteſt ſtatus perfectionis.*
55 *Triplex eſt gradus religioſæ perfectionis.*
56 *Perfectio religionum alia eſt abſoluta, alia reſpectiua.*
57 *Deſumitur ex fine, & medijs illarum.*
58 *Religio ex inſtituto aſperior vt ſic non eſt perfectior.*
59 *Maior aſperitas religionis licitum facit tranſitum ad illam.*
60 *Etſi alij putent in hoc debere attendi maiorem perfectionem religionis vt ſic.*
61 *Maior aſperitas religionis deſumenda ex primaria regula, & ex conſtitutionibus illius.*
62 *Alij eam colligunt ex maiori obſeruantia regulæ, ac Conſtitutionum religionis; ſicque inſtitutum Soc. Ieſu dici poteſt arctum.*
63 *In Soc. Ieſu viget vſus auſteritatum corporalium.*
64 *Eæ tamen ſapienter non taxantur in regula Societatis.*
65 *Maior rigor paupertatis non facit religionem perfectiorem.*
66 *Item nec vſus Chori.*
67 *Et is prudenter non eſt inductus in Societate Ieſu.*
68 *Perfectior eſt religio profitens vitam contemplatiuam ea, quæ profitetur vitam actiuam.*
69 *Perfectior eſt religio profitens vitam mixtam.*
70 *Vita mixta fructuoſior, quàm contemplatiua.*
71 *Religio ſolitaria perfectior cænobitica, ſed non abſolutè.*
72 *Vita ſolitaria indebitè aſſumpta eſt periculoſa.*
73 *Debito modo aſſumpta non eſt ſemper perfectior vita cænobitica.*
74 *Solemnitas votorum religioſorum vt ſic non facit religionem perfectiorem.*
75 *Religioſi choriſtæ ſunt in ſtatu maioris perfectionis, quàm ſint religioſi laici.*
76 *Status religioſus non eſt perfectior ſtatu epiſcopali.*
77 *Proponitur, & ſoluitur obiectio.*
78 *Status religioſus eſt perfectior quouis ſtatu clericali infra epiſcopalem.*

QVÆRES I. An, & quo modo ſtatus religioſus ſit ſtatus perfectionis.

51 ℞. Eſſe, & probatur ex eo, quod ij conueniunt in fine, ac medijs, & differunt ſolis nominibus deſumptis à diuerſis reſpectibus eiuſdem ſtatus; finis quippe intrinſecus, & omninò proximus ſtatus perfectionis eſt ipſa perfectio charitatis præſentis vitæ per obſeruationem mandatorum Dei, & conſiliorum euangelicorum obtinenda: extrinſecus verò finis eſt perfectio charitatis patriæ; hos autẽ eoſdem fines, & eadem media reſpicit ſtatus religioſus; vt conſtat ex dictis *cap. 1. q. 23.* & oſtendit *Suar. tom. 3. de relig. l. 2. c. 1. n. 2, 3. & 4.*

QVÆRES II. In quo conſiſtat perfectio ſtatus religioſi.

52 ℞. Quod, cum perfectio hominis ſit Deo coniungi, & coniunctio charitate concilietur: perfectio ſtatus religioſi in eo, quod homo per obſeruationem tam præceptorum Dei, quam conſiliorum euangelicorum ipſi Deo tanquam vltimo ſuo fini perfectè copuletur; ſiquidem quælibet res tunc demum perfecta cenſetur, quando ſuo fini copulatur. colligitur ex *S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 1. & 2.* & conſtabit ex dictis in *tract. de obligat. cap. 1. q. 2.* vbi hac de re latè diſſeremus.

QVÆRES III. An ſtatus religioſus ſit ſtatus perfectionis acquirendæ, aut certè iam acquiſitæ.

53 ℞. Eſſe ſtatum perfectionis acquirendæ, ideoq; contradiſtingui à ſtatu epiſcopali, qui eſt ſtatus perfectionis iam acquiſitæ. deſumitur ex *S. Thoma ſup. a. 5.* docente perfectionem religioſorum, ac Epiſcoporum ſecundum diuerſa attendi: cum ad perfectionem religionis pertineat ſtudium, quod quis adhibet ad propriam ſalutem, ad perfectionẽ verò ſtatus epiſcopalis ſtudium ad proximorum ſalutem; quod eſt dicere ex diuerſitate finis, qui intenditur in ſtatu religioſo, & in ſtatu epiſcopali, colligi diuerſitatem perfectionis, quæ in dictis ſtatibus præſupponitur; cum enim ſtatus religioſus ordinetur ad perficiendum ſe ipſum, ideoque vocetur ſchola, & ſtudium perfectionis: ſtatus verò epiſcopalis ad perficiendum alios; hòc ipſo quod non poteſt tale munus rectè obiri abſque præſuppoſita perfectione iam acquiſita; ſequitur ſtatum epiſcopalem eſſe ſtatum perfectionis iam acquiſitę, non autem ſolum acquirendæ.

54 Neque ex eo quod ſtatus religioſus eſt ſtatus perfectionis acquirendæ, ſequitur illum non debere vocari ſtatum perfectionis, ſed potius viam ad perfectionem, cum repugnet eſſe in ſtatu, & in via, cum enim ſtatus religioſus ita ſit via ad perfectionem, vt etiam terminum includat, habens non ſolum inchoantes, ſed etiam prouectos, ac perfectos, non immeritò ſimpliciter dici poteſt ſtatus perfectionis, à perfectis, qui ſunt præcipui, & maximè intenti in religione, ſumens denominationem: præſertim cum hæc via ſimul ſit cum termino magis, aut minùs perfecto iuxta maiorem, aut minorem progreſſum in tali via factum; vnde in omnibus verè profitentibus ſtatum religioſum inuenitur aliquis gradus perfectionis, licèt non in ſingulis in gradu perfecto; quomodo tamen poteſt, & debet eſſe in toto corpore. Vbi notandum, quod cum vitæ religioſæ perfectio, quantumcumque ſit in eo ſemper conſiſtat, vt ad maiorem perfectionem anhelet, propterea etiam reſpectu perfectorum in religione exiſtentium, ſtatus religioſus ſemper eſt ſchola perfectionis; quamuis alioqui item ſit, & dici poſſit ſtatus perfectionis; quippe qui non ſiſtit in gradu proficientium, ſed maximè tendit ad gradum perfectorum.

QVÆRES IV. Quot, & qui gradus perfectionis reperiantur in ſtatu religioſo.

55 ℞. Reperiri 3. gradus; quorum primus dicitur *Incipientium*, ſecundus *proficientium*, & tertius *perfectorum*; cum enim in vnoquoque ſtatu perfectionis acqui-

acquirendę poſſint hæc 3. membra diſtingui; quatenus vnuſquiſque ſtatus perfectionis eſt ſtudium quoddam habens initium, medium, & finem: id etiam concedendũ eſt in ſtatu religioſæ perfectionis acquirendæ; cum in eo debeat eſſe peculiaris ratio inchoandi perfectionem, & inde tranſeundi ad ſtudium proficiendi in perfectione, vt tandem ſequatur inſtitutio ipſius perfectionis: & quidem ita vt ſingulis gradibus propria exercitia, media, atque actiones deputentur.

QVÆRES V. Quotuplex perfectio conſiderari poſſit in ſtatu religioſo.

56 ℞. Eſſe duplicem, abſolutam vnam, & aliam reſpectiuam: abſoluta eſt illa, quæ eſt communis omnibus Ordinibus religioſis tam virorum, quam fæminarum: reſpectiua, quæ eſt propria vniuſcuiuſq; religionis, & eſt varia iuxta varietatem inſtituti, quod quælibet religio profitetur.

QVÆRES VI. vnde, generaliter loquendo, colligi poſſit, & debeat, quod vna religio ſit perfectior alia, vel æquè, vel minùs perfecta.

57 ℞. Poſſe, & debere colligi tum ex fine, ad quem quælibet religio particularis ordinatur, tũ ex proportione mediorum, quæ apponit ad illum conſequendum. eſt communis DD. ſententia ex *S. Dionyſio de diuin. nomin. cap.* 7. quem refert, & ſequitur *S. Thom. ſup. q.* 188. *a.6.* & conſtabit ex dicendis *in ſequentibus qq.*

QVÆRES VII. An religio ex vi proprij inſtituti dici poſſit perfectior alia, ex eò præcisè, quod eſt aſperior, arctior, & durior.

58 ℞. Non poſſe, niſi fortè ad faciendum tranſitum iure permiſſum de vna religione ad aliã. & ratio eſt, quod, cum iuxta dicta *q. præceden.* maior perfectio religionis abſolutè ſumpta deſumi debeat ex fine, & medijs ad finem in ea inſtitutis; hòc ipſo, quod poteſt dari religio, quę minorem corporis auſteritatem ex propria regula profitens nihilominùs ordinetur ad finem longè altiorem, habeatque media ad illum magis accommodata: poterit & dari religio, quę ſit minùs arcta quò ad corporis afflictiones, & tamẽ ſit perfectior; non ergo pręcisè ex maiori vitę aſperitate pręſcripta vi regulę colligitur, quod vna religio ſit perfectior alia. & ratio eſt, quod hę corporis afflictiones non ſunt ita per ſe bonę, vt in eis conſiſtat religioſa perfectio, ſed vt ſint inſtrumenta perfectionis acquirendę, vt docet *S. Tho.* 2. 2. *q.* 188. *a.* 6. *ad* 1. & eſt doctrina communis Patrum apud *Suarez. to.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 1. *c.* 9. *n.* 18. vnde, ſi ſpectato fine, eoque perfectiſſimo, religionis maior aſperitas ex vi regulæ iudicetur non ſolum non neceſſaria, verùm nec conueniens: non ideo religio iudicanda eſt in ſe imperfecta, aut minùs benè inſtituta; maximè cùm talis defectus poſſit compenſari aliunde ex maiori perfectione obedientiæ, contemptu honorum, ac dignitatum, aſſidua ſui ipſius abnegatione, continuatione laborum circa ſalutem proximi, exercitatione ſolidarum virtutum, & ſimilibus. Certè religio quæ fuit à Chriſto inſtituta, nempe Apoſtolorum, non fuit ſundata in certa, aut vniformi auſteritatis regula: & tamen nemo dicet illam non fuiſſe perfectiſſimam; cum, attento fine ei propoſito, diſcurrendi per vniuerſum orbem ad prædicandum euangelium omni creaturæ, aſperitas vitæ ex regula ipſi minùs conueniret, quo modo *Suar. n.* 15. *ex S. Thoma* de Chriſto dicit non fuiſſe conueniens, vt vitam auſteram duceret in hoc mundo quo ad cibum, ac potum, ideoque in his vitam egiſſe communem, vt omnia omnibus factus omnes Deo lucrifaceret.

59 Dixi ſub initium reſponſionis, *niſi fortè ad faciendum tranſitum iure permiſſum de vna religione in aliam*; vt indicarem quo ad hoc maiorem perfectionem religionis aliunde deſumi, nimirum ex maiori auſteritate, quam opinionem cenſet *Sanch. l.* 6. *moral. c.* 7. *n.* 21. ex *Rodriq. to.* 3. *q.* 52. *ar.* 4. *Leſſio l.* 2. *c.* 41. *n.* 100. *Azorio to.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 2. alijſque canoniſtis eſſe probabiliorem, oppoſitum tamen ſuſtinens eſſe valdè probabilem, quæ eſt *Syluestri v. religio* 4. *q.* 1. & aliorum, quos citat idem *Sanch. n.* 20. docentium iura concedentia tranſitum ad religionem perfectiorem, nomine perfectioris intelligere perfectiorem in ſe, ac fructuoſiorem. Opinio autem *Sanchez* non tam nititur ratione, quam iure, videlicèt *cap.* 1. 20. *q.* 4. vbi dicitur: *Virgines ſacræ, ſi pro lucro animæ ſuæ propter diſtrictiorem vitam ad aliud monaſterium pergere diſpoſuerint, Synodus concedit*; & Extrauag. *viam de regular.* in qua conceditur tranſitus ab omnibus mendicantibus ad Carthuſiam; cum tamen hæc non ſit perfectior alijs ordinibus quo ad finem; vt pote quæ nullatenus eſt inſtituta ad vacandum ſaluti proximorum, ſed ſoli orationi, ac ſilentio cum arctiſſima clauſura; quod eſt ſignum iura citata, & alia ſimilia ſolum reſpicere maiorem vitę aſperitatem: quidquid ſit de ratione maioris perfectionis deſumptæ ex ipſa natura rei; quo modo maior perfectio religionum non debet deſumi ex maiori vitæ aſperitate præſcripta in regula, ſed ex maiori præſtantia finis, ad quem religio ordinatur, vt iam ſupra diximus. quamquam, cum tranſitus ab vna ad aliam religionem ſpectet ad forum externum, & in hoc foro iura præualeant rationi, in praxi ſequenda videtur opinio *Sanchez*, & de facto communiter practicatur quod non obſcurè indicauit *Suar. ſup. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 11. dicens opinionem *Syluestri*, quam ipſe etiam ſequitur *n.* 10. eſſe ſine dubio veram; loquendo tamen magis in foro conſcientiæ, & ſecundùm veritatem, quam in foro exteriori, & apparentia.

60 Probat autem *Suarez* ſuam ſententiam, nimirum in præſenti materia attendendam eſſe excellentiam ac perfectionem religionis ſecundum veritatem, tum quia ratio tranſitus ab vna religione ad aliam, vt ſit licitus, eſt maior Dei honor, & maior ſpiritualis perfectio propria: ſi ergò verè, & in re ipſa religio in hoc præmineat, dabitur in ea ratio huius liciti tranſitus; tum quia profeſſus in religione perfectiori, licet minus auſtera, ſi tranſeat ad ordinem minus perfectum, quamuis arctiorem, dicitur re vera retrocedere, vt pote minus exactè tendens ad perfectionem promiſſam; ergò è contra tranſiẽs ab ordine arctiori ad perfectiorem, verè non retrocedit, & conſequenter licitè tranſit: tum quia ipſum ius non videtur diſcordare ab hac ſententia; cum in *cap. licèt de regular.* quod pro ſe allegant Auctores contrariæ opinionis; vbi dicit *arctioris religionis ob-*

tentu

tentu, poſtea ſubdatur *prætextu maioris religionis*; & infra *ad frugem melioris vitæ valeat tranſmigrare*; & iterum *licitè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere*: cum alioquin certum ſit illam vitam eſſe meliorem, ac ſanctiorem, quæ eſt perfectior in ordine ad finem charitatis; vt proinde putet *Suar.* iura loquentia de arctiori religione, vel debere intelligi cæteris paribus in alijs perfectionibus, vel certè (quod veriſimile putat) loqui non de arctitudine tantum quo ad corporis auſteritates, ſed abſolutè quo ad totam regulam, & totum viuendi modum: quo ſenſu *Palud. in 4. d. 38. q. 2. num. 17.* dicit arctiorem cenſeri religionem, non quæ maioris auſteritatis, ſed quæ eſt perfectioris, & maioris meriti. hęc *Suar.* & benè niſi obſtaret cōis praxis religionū.

Quod ſi quęras, quę religio ſit arctior, & aſperior.

61 ℞. Ad id dijudicandum debere inſpici non ſolum primęuam regulam vniuſcuiuſque Ordinis, ſed etiam conſtitutiones ipſi regulæ poſtea adiectas; & ſi his Ordo reddatur arctior, quam alia religio ex ſua primęua regula ſtrictiori, illum dici abſolutè arctiorem, vt tranſitus ad eum permittatur; & hoc eſtò dictæ conſtitutiones tolli poſſint: ſiquidem quamdiu de facto non tolluntur, ea vita eſt aſperior. ita *Sanch.* alijs pluribus citatis *num. 23.* addens *num. 24.* in præſenti caſu attendi debere non regulæ, ac conſtitutionum inſtitutionem, & aſperitatem, ſed præſentem illarum obſeruantiam; ideoque poſſe contingere aliquam religionem ex inſtituto laxiorem quo ad regulam, ac conſtitutiones, dici poſſe arctiorem alia ex regula, ac conſtitutionibus arctiori, eò quod hæc quo ad præſentem obſeruantiam ſit valdè relaxata, illa alia arctiorem viuendi modum de præſenti obſeruante, ſicque licitum forè tranſitum ad hac ad illam.

62 *Suarez* verò *ſup. tr. 10. l. 1. c. 9. num. 17.* conſequenter ad ſuam ſententiam ſuperius propoſitam docet regulam religionis non dici arctam, aut laxam ob corporales afflictiones maiores, aut minores (quāuis hoc etiam adiuuet) ſed præcipuè ob maiorem rigorem, ac obſeruantiam in omnibus operibus virtutum, ac conſiliorum, tantoque maiorem cenſeri arctitudinem, quantò fuerit maior obſeruantia in his, quæ ſunt maioris momenti, ac perfectionis; vnde infert *Suar.* Inſtitutum Societ. Ieſu eſſe ſatis arctum, ac rigoroſum, quamuis ex regula certam corporis auſteritatem non profiteatur; quippe quæ in obſeruantia 3. votorum religionis eſt arctiſſima, vt apertè conſtat ex ejus conſtitutionibus, & maximam requirit vigilantiam in cuſtodia omnium ſenſuum, circumſpectione verborum, abnegatione propriæ voluntatis, ac mortificatione omnium affectuum, præſertim ambitionis, & elationis; quæ omnia non ſolum corpus, ſed etiam ſpiritum valdè conſtringunt, & interdū etiam nō parum affligunt.

63. Illud porrò hìc obiter aduertendum, quod, licèt in Societate non ſint ex regula præſcriptæ certæ auſteritates corporis; in ea tamen non deeſt vſus talium auſteritatum, & quidem maior, quam ſi eę certa aliqua regula fuiſſent præſcriptæ; quin etiam religioſi Societatis ex vi ſuæ regulę vti debent ſimilibus auſteritatibus (iuxta arbitrium tamen proprij Superioris, aut Confeſſarij) vt inde conſtat, quod, cum in *conſtitut. cap. 1. examinis §. 6.* dicatur: *Ratio viuendi in exterioribus iuſtas ob cauſas, maius Dei obſequium ſemper intuendo, communis eſt, nec vllas ordinarias pænitentias, vel corporis afflictiones ex obligatione ſubeundas habet*; ſtatim ſubditur *ſed illas* (intellige pęnitentias) *aſſumere quiuis poterit, quæ ſibi videbuntur cum approbatione Superioris ad maiorem ſui ſpiritus profectum conuenire, & quas propter eundem finem Superiores eis poterunt imponere.* pręterea in *3. p. Conſtitut. c. 2. §. 5.* dicitur, *Corporis caſtigatio immoderata eſſe non debet, nec indiſcreta in vigilijs, & abſtinentijs, & alijs pænitentijs externis, ac laboribus, quæ ei nocumentum afferre, & maiora bona impedire ſolent*: quod eſt ſupponere in Societate dari vſum auſteritatum corporalium.

64 Quod ſi in regula Societatis non præſcribuntur certæ corporis auſteritates, id ſumma ſapientia à S. P. N. Ignatio factum, & ex iuſtiſſimis cauſis; quarum 1. eſt, vt pęnientiæ ſic eſſent non ſolum pęnitentiæ, ſed etiam obedientia, ac humilitas, religioſo quo ad eas ſe omninò conformante iudicio Superioris, aut Confeſſarij: 2. vt ſic vniuſcuiuſque vtilitate ſpirituali, & corporali opportuniùs conſuleretur, conſtitutione ſcripta non valente complecti pænitentias, quæ vnumquemque ſingillatim attingunt; vnde meliùs eſt, vt eæ ab vnoquoque iuxta arbitrium Superioris, qui eſt regula animata, ſuſcipiantur: 3. vt ſic religioſi communem viuendi rationem cum alijs ſequi poſſent, quamuis aliàs inſeruiant muneribus valdè laborioſis, & quidem abſque diſpenſatione, ac conceſſione exemptionum, quæ ſolent eſſe occaſio obmurmurationis, inuidiæ, ac relaxationis.

QVÆRES VIII. An religio ſit, & dici poſſit perfectior alia ex eo præcisè, quod profitetur maiorem paupertatem.

65. ℞. Non eſſe, quamuis cæteris paribus quo maior eſt paupertas religionis, eò perfectior ſit, & dici poſſit religio. ita in terminis *Leſſius l. 2. c. 41. n. 22. ex S. Tho.* & patet, tum quia modus rigidioris paupertatis poteſt eſſe non ita accommodatus ad finem intentum in hoc, aut illo Ordine: cum tamen iuxta dicta perfectio religionis deſumatur tam ex fine, quam ex medijs ad finem obtinendum inſtitutis: tū quia religioſa paupertas non petit, vt nihil poſſideatur, neque in communi, ſed ſolum vt religioſus non habeat, niſi neceſſaria, idque cum aſſidua dependentia ab arbitrio Superioris.

QVÆRES IX. An religio ſit, & dici poſſit perfectior alia ex eo pcisè, q ex ſuo inſtituto vacat choro.

66 ℞. Non eſſe; & probatur tum quia fieri poteſt, vt chorus impediat functiones principales, ad quas potiſſimum hęc, aut illa religio inſtituta eſt; nimirum prędicationem, confeſſionem, adminiſtrationem Sacramentorum, inſtructionem rudiū, ethnicorum conuerſionem: vnde fit, vt in religionibus habētibus vſum chori, primarię perſonę, quę dictis miniſterijs vacare poſſunt, paſſim à chori frequentatione eximantur; tum quia, etiamſi Eccleſia non haberet cantū, poſſet tamen eſſe perfecta religio; tum quia perfectio conſiſtit in officijs charitatis erga Deum, ac proximum; quę omnia pręſtari poſſunt abſque cantu; tum quia, vt benè

dicit *S. Tho. 2. 2. q.91. ar.2. ad 3.* Diaconi, ac Prælati, quibus competit per prædicationem, & doctrinam animos hominum prouocare in Deum, nō debent cantibus inſiſtere, ne per hoc à maioribus retrahantur: ad quod etiam facit *cap.2. diſt.92.* vbi dicitur eſſe valdè reprehenſibile, vt cantui vacent, qui ad prædicationis officium ſunt deſtinati. ita in terminis Valentia *to.3.D.10. q.6.p.2.* dicens religionis perfectionem minimè metiendam eſſe ex cantu, aut longa pſalmodia. Conſentiunt *Leſſ.ſup.n.23.* & *Suar.ſup.* c.8.*n 9.* hinc inferens ex eo quod Societas Ieſu caret choro, non poſſe inferri illam eſſe minùs perfectã alijs religionibus illũ habẽtibus; quippe quæ poſsunt ab illa excedi in ijs, quæ pertinẽt ad obedientiam, cõtinentiam, zelũ animarũ, & ſimilia, quæ ſunt longè maiora, ac præſtantiora: cum alias ſit ſimpliciter melius, quod excedit in melioribus; quidquid dixerit *Sotus l.10. de iuſt.q.5.a.3.*

67 Quin potius dicendum eſt prudenter inſtitutum eſſe, vt in Societate non extaret ordinarius chori vſus: idque maximè ob rationes allegatas *6. p. Conſtitut. c.3. §.4.* his verbis, *Quoniam occupationes, quæ ad animarum auxilium aſſumuntur, magni momenti ſunt, ac noſtri inſtituti propriæ, & valdè frequentes: cumque alioqui noſtra habitatio tam ſit in hoc, vel in illo loco incerta, non vtentur noſtri choro ad horas canonicas, & Miſſas, & alia officia decantanda, quandoquidem illis quos ad ea audienda deuotio mouerit, abundè ſuppetet, vt ſibi ipſis ſatisfaciant: per noſtros autem ea tractari conuenit, quæ noſtræ vocationis ad Dei gloriã magis ſunt propria*; quamquam, vt conſtat ex declaratione eiuſdem Conſtitutionis eandem cum illa auctoritatem habente; prudentiæ Societatis relinquatur, quoties ad maiorem animarum fructum expedire cenſuerit, partem aliquam vſus chori aſſumere, vt ea occaſione v. g. fideles ad conciones audiendas, & confeſſiones faciendas frequentiùs conueniant: ea tamen moderatione, quæ dicto fini inſeruiat, & maiora bona non impediat.

QVÆRES X. Quæ religio ſit perfectior alia; actiua ne, an contemplatiua.

68 ℟. Eſſe perfectiorem illam, quæ eſt contemplatiua, ſi gradus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ ſecundùm ſe comparemus, & non pro vt actiua participat etiam de contemplatina (quomodo iuxta dicenda *q. ſequenti* appellatur vita mixta.) ita *S.Thom. 2. 2. quæſt. 188. a. 6. Miranda tom.1.manual.quæſt.9. art.2. Suar. tom.4. de relig. tract.9. l.1. cap.6. num.1.* alijque communiter, & probatur tum quia gradus vitæ purè actiuæ conſtituitur in infimo gradu; vt colligitur ex *Luca 10. optimam partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea*: tum quia vita purè contemplatiua eſt magis apta ad actus charitatis exercendos frequentiùs, & ardentiùs: conſtat autem, quod perfectio ſtatus religioſi conſiſtit in perfectione charitatis; præterquam quod perfectio conſiſtit in maiori peccatorum diminutione, & in frequentiori Dei memoria: quæ faciliùs, ſecuriùs, ac vberiùs habentur per vitam purè contemplatiuam.

QVÆRES XI. Quæ religio ſit perfectior alia, actiua ne, an cõtemplatiua, vel mixta ex vtraq;

69 ℟. Eſſe perfectiorem illam, quæ eſt mixta ex actiua, & contemplatiua: ducor, quod vita mixta includit totam perfectionem vitæ contemplatiuę, & in nullo eam diminuit, ſed potiùs auget; vt vel hinc conſtat, quòd ſi in aliquo diminuit, maximè quia quo tempore vacatur ſaluti proximorum, diſtrahit, & occupat animum, ne poſſit actu Deum diligere in ſe; at hoc non ita habet tum ex vi talis actionis, quæ per ſe includit cogitationem de Deo, ac rebus diuinis: tum ratione debitæ intentionis, per quam omnis talis actio ordinatur ad Dei gloriam (quod eſt dilectionem proximi eſſe virtualem quamdam dilectionem Dei, qui eſt tota ratio diligendi proximum:) tum ob excellentiam miniſteriorum, quæ ex diuino auxilio potiſſimum pendent, ſicque ad hoc obtinendum frequentem poſtulant aſcenſum cordis in Deum. ita *S. Thomas loco ſup. citato, Sylu. v. religio 1.q.4. S. Antonin.3.p.tit.16. cap.1.§.2.* & alij quos citat, & ſequitur *Suar.ſup.n.8.* monens *num. 31.* loquendo in particulari, poſse contingere, vt religio purè contemplatiua ſuperet mixtam; ſi nimirum hæc vel in fine minùs participet de contemplatione, quam ad exactam perfectionem neceſſarium eſt, vel non habeat media perfecto fini accõmodata: ꝙ eſt benè aduertendũ.

70 Nec obſtat, quod ſtatus vitę contemplatiuę eſt aptior ad creſcendum in charitate, ac perfectione, vtpote ſeiunctus magis ab exterioribus curis, maiuſque habens otium ad vacandum Deo, & minùs expoſitus occaſionibus detractionis per ſermonem, per ſenſus, & per alia phantaſmata; ſi quidem in ſtatu vitę mixtę non ſolum adeſt prouidentia ſufficiens ad vitanda pericula, ſed etiam dantur plures occaſiones exercendi ſimul cum charitate plures, ac excellentiores virtutes; adeſt & maior commoditas conſequendi maiorem Dei notitiam, ac modo quędam altiori exercendi eius charitatem: extant & plures occaſiones ſuſtinendi labores, ac patiendi mala propter Deum; itaut exceſſus, qui attenditur in ſtatu vitæ contemplatiuę ſit ſolum, (vt ita dicam) in cauſalitate per accidens, remouendo ſcilicet magis impedimenta: exceſſus verò ſtatus vitę mixtæ ſit in cauſalitate per ſe, præbendo ſcilicet materiam, & opera maioris meriti, ac media ſufficientia ad ea perfectè præſtanda.

QVÆRES XII. An religio ſolitaria ſit perfectior religione cęnobitica.

71 Reſpondetur, Eſse, ſi vita ſolitaria debitè aſsumatur; nimirum à viro religioſo diutius exercitato in cænobio, & cum debita ſubordinatione proprij Superioris; quo modo vita ſolitaria iã ſupponit verum ſtatum religioſum, & importat veluti tranſitum religionis à vita cænobitica ad vitam ſolitariam. ita *S.Thom.ſup.a.8. Miranda tom.1. manual. quæſt.9. a.4. Suar.ſup.c.2.num. 14.* alijque: & probatur tum auctoritate *S. Auguſtini lib. de opere monach. cap.23.* dicentis inter monachos, ſanctiores eſse illos, qui à conſpectu hominum ſemoti nullius ad ſe præbent acceſsum, viuentes in magna orationum intenſione, & continuò vacantes contemplationi; tum quia ſolitudo eſt perfectorum, & competit ſolum viris perfectis, ac in religioſis exercitijs diu, & ſtrenuè exercitis: vnde, ſicut id, quod iam eſt perfectum, prçeminet ei, quod tendit

ad

ad perfectionem, ſic & vita ſolitaria præeminet vitæ cęnobiticę: cum ſic vita ſolitaria comparetur ad cęnobiticam tanquã terminus ad viã,&alioqui terminus ex ſuo genere ſit perfectior via, vt patet.

72 Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi vita ſolitaria debitè aſſumatur*, vt innuerem modum vitæ religioſæ ſolitariæ, ſi indebitè aſſumatur, eſſe periculoſum, ideòque non immerito ferè ab vſu Eccleſiæ fuiſſe ſublatum; ſicut è contra vtiliſſimus eſt ſtatus religioſus in vita communitatis, cum in eo adſit quaſi continuus obedientiæ influxus, adiutorium aliorum fratrum per exemplum, per correptionem, & alia opera charitatis, multiplex occaſio exercendi omnes virtutes, & præſertim humilitatis, & charitatis, maior cuſtodia, & vigilantia ad proficiendum, & vitandos omnes defectus, aliaque id genus; vt proinde dicat *Suar. num.16.* abſolutè, & humano modo loquendo, modum viuendi omninò ſolitarium immediatè aſſumptum non cadere ſub humanum conſilium, nec poſſe dici ſimpliciter meliorem, ſed ſolum cum addito, niſi ſpecialis inſtinctus Spiritus S. interueniat; itaut homo interiùs ab eodem Spiritu S. efficiatur certus ſe ab ipſo ſuſceptum iri ſub peculiari protectione, ac directione. Quin etiam regulariter ipſis viris religioſis diù exercitatis in vitæ Sanctimonia ſalubrius eſt degere in cęnobio, quam in ſolitudine, vt apertè docet *S. Baſil. ſerm. 1. de inſtitut. Monach.*

73 Quod autem diximus vitam ſolitariam debitè aſſumptam eſſe perfectiorem vita cęnobitica; intelligi debet, præcisè ſtando intra latitudinem vitæ contemplatiuę: ideo enim vita ſolitaria præfertur, quod aptior eſt ad actualem contemplationem; non item ſi vita omninò ſolitaria comparetur cum vita actuoſa actione manãte ex contemplatione, & aliquam conuerſationem inter homines requirente, huiuſmodi vita eſt ſimpliciter perfectior illa, quæ eſt omninò ſolitaria: idque ob rationes adductas *q.* 11. quæ videntur poſſe confirmari exemplo S. Ioannis Baptiſtæ, qui poſt vitam ſolitariam acceſſit ad prædicandum.

QVÆRES XIII. An religio, in qua fiunt vota ſolemnia, ſit perfectior illa, in qua herent ſolum vota ſimplicia, iuxta dicta *cap.1.q.4.* eaque conſtituentia vouentem verè, ac propriè religioſum.

74 ℞. Simpliciter loquendo, non eſſe; imò poſſe contingere, vt perfectior cenſeri debeat religio, in qua ſolum fiant vota ſimplicia modo dicto. colligitur ſatis apertè ex *Suarez ſup. tr.10.l.1.c.4. num.18.* dicentem per vota ſimplicia, quæ emittuntur in Soc. Ieſu poſt biennium probationis, vouentem conſtitui verum, ac proprium religioſum, qui comparatus ad alium ſtatum conſtitutum per vota ſolemnia poteſt eſſe multò ſtrictior, ac perfectior, & probatur ex eo quòd quamuis religio, in qua ſolum fierent vota ſimplicia, excederetur in ſolemnitate voti, ac in modo obligationis; poſſet tamen excedere in perfectione finis, ac mediorum, in materia votorum ſubſtantialium, & in rigore obſeruantiæ, ac religioſæ diſciplinæ, qui exceſſus maior abſque dubio magis pertinet ad perfectionem animæ, & cultum Dei: cum voti ſolemnitas ſit quid extrinſecum magis pendens ex conſtitutione extrinſeca, quam ex propria voluntate; conſtat autem ex dictis maiorem perfectionem religionum deſumi ex perfectione finis, ac mediorum, quæ in vnaquaque religione conſtituuntur.

QVÆRES XIV. An ſtatus religioſus ſit perfectior quo ad religioſos in ſtatu clericali conſtitutos (quos vocant choriſtas,) quam quo ad religioſos, qui vulgò dicuntur conuerſi.

75 ℞. Eſſe, & colligitur ex *Suarez to.3. de relig. l.1. c.21. numer.8.* aſſerente ex *S. Thoma 2.2.q.184. a.8.* dignitatem Sacerdotis eſſe maiorem, maioremque poſtulare perfectionem, ac ſanctitatem, quam ſtatum ſimplicis religioſi laici, ſeu conuerſi, probat autem *S. Tho.* ſuam, ac noſtram aſſertionem, quia per ſacrum Ordinem aliquis deputatur ad digniſſima miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſeruitur in Sacramento altaris: ad quod requiritur maior ſanctitas interior, quam requirat religioſus ſtatus; monaſticus ſiquidem ordo, teſte *S. Dionyſio r.6. eccleſ. hierarc.* debet ſequi Sacerdotales ordines, & ad earum imitationem in diuina aſcendere; vnde grauiùs peccat, cæteris paribus, Clericus in Sacris ordinibus conſtitutus, ſi aliquid contrarium ſanctitati agat, quam aliquis religioſus, qui non habet Ordinem ſacrum; quamuis laicus religioſus teneatur ad obſeruantias regulares, ad quas illi, qui ſunt in ſacris ordinibus, non tenentur.

QVÆRES XV. An ſtatus religioſus ſit perfectior ſtatu epiſcopali.

76 ℞. Non eſſe; cum ſtatus epiſcopalis tanquam altior obliget ad opera perfectiora, & requirat in perſona plures, ac perfectiores virtutes; eſſe tamen vtiliorem ad perfectionem obtinendam, conſeruandam, & augendam, moraliter loquendo, omnibuſque penſatis; vnde fit, vt ſtatus religionis magis procurari poſſit, quam epiſcopalis. Ita *Suar. ſup. c.18. num.12.* monens *num.11.* quod licet ſtatus epiſcopalis ſit perfectior cæteris; ob ea tamen, quæ habet adiuncta, eſt in illius appetitu periculum pręſumptionis, ambitionis, auaritiæ, aut cupiditatis diuitiarum, ideòque eiuſmodi appetitum moraliter, ac per ſe loquendo, non eſſe laudabilem, aut conſulendum, & conſequenter non eſſe materiam voti, cum non poſſit voueri, niſi quod tanquam melius poteſt deſiderari, quæ non procedunt in ſtatu religioſo, quippe qui licèt ſit minùs perfectus, ſimpliciter tamen eſt melius bonum, quam quodcumque aliud illi incompoſſibile, & aliunde de ſe non habet illa pericula, imò remouet impedimenta perfectionis, & incentiua illorum vitiorum, quæ impediunt perfectionem, ſicque appeti, voueri, & conſuli poteſt, quamquam per ſe, & intrinſecè malum non ſit vouere acceptare epiſcopatum, ſi præſcindatur à commodis temporalibus ei annexis, & epiſcopatui annexa ſint contraria incommoda, vt erat in primitiua Eccleſia, & modo in Iaponia, China, & alijs locis ſimilibus.

77 Neq. ex eo quod religioſi aliquorum Ordinũ ex vi proprij inſtituti, & ſtatus ſe exercent in iis operibus, quę in Epiſcopo videntur eſſe ſummę perfectionis (cuiuſmodi ſunt contemplatio rerum diuinarum, prędicatio verbi Dei, cura, & ſolicitudo animarũ:) ſequitur ſtatum religioſũ, ſaltẽ reſpectu

illorum, eſſe æquè perfectum, ac eſt ſtatus epiſcopalis, imò & perfectiorem, vtpote complectentem totam perfectionem ſtatus epiſcopalis, & prętereа addentem perfectionem ſtatus religioſi, cum enim dicti religioſi exerceant actiones illas perfectionis communicandæ circa alios ſolum miniſterialiter, & per quamdam delegationem à ſupremis Prælatis: ideo ſtatus illorum non attingit excellentiam ſtatus epiſcopalis, ad quem eæ actiones principaliter, & quaſi proprio iure ſpectant. Cuius rei ſignum eſt, quod obligatio exercendi tales actiones, & procurandi ſalutem animarum, & perdendi pro illis animam, ſi oportuerit, longè maior, & altior eſt in Epiſcopo, quam in quocumque ſimplici religioſo, cuiuſcumque ſit inſtituti; ſicque, etiam ex ea parte ſtatus epiſcopalis eſt perfectior ſtatu religioſo.

QVÆRES XVI. An ſtatus religioſus perfectior ſit quocumque, ſtatu clericali infra epiſcopatum, & quomodo.

78 ℞. Eſſe ex genere operis, ſi de ſe non ſiſtat in proprio profectu, ſed vlterius ordinetur ad ſpiritualem profectum proximorum; ſic quippe ſtatus religioſus præter proprium perfectionem comprehendit etiam perfectionem Parochorum, aliorumque ſimilium Prælatorum inferiorum Epiſcopis: ita *Suar. ſup. c. 21. num.* 8. addens quod quamuis Prælati ſupradicti ſemper in eo ſuperent religioſos quod magis ex officio, & maiori obligatione iuſtitiæ ad præfata opera præſtanda teneantur: nihilominus id poteſt compenſari in religioſis tam ex obligatione voti, paupertatis, ac obedientiæ, quam ex maiori feruore charitatis, ac puriori intentione, quã vi ſtatus habere poſſunt, & debẽt, nulla tẽporalia lucra, aut honores per talia miniſteria quærẽdo.

CAPVT IIII.

De Bonis prouenientibus ex Statu Religioſo tum ipſis Religioſis, tum etiam alijs.

Acturi in hoc cap de bonis, quæ proueniunt ex Statu Religioſo tum ipſis Religioſis, tum etiam alijs: caput diuidemus in 2. ſectiones: in quarum priori explicabimus bona, quę proueniunt religioſis: in poſteriori verò, quæ alijs.

SECTIO I.

De bonis, quæ proueniunt ex Statu Religioſo ipſis Religioſis.

1 *Bona ſtatus religioſi ſunt in triplici differentia.*
2 *Status religioſus cõfert ad vitãdas occaſiones peccati.*
3 *Vtilis eſt religioſo paupertas religioſa.*
4 *Vtilis eſt religioſa caſtitas.*
5 *Vtilis eſt obedientia religioſa.*
6 *Status religioſus confert ad plenam peccatorum remiſſionem.*
7 *Item ad ſatisfaciendum Deo pro peccatis.*
8 *Item ad vacandum ſibi, & Deo.*
9 *Item ad faciliorem obſeruantiam mandatorum Dei.*
10 *Item ad faciliorem virtutũ chriſtianarum acquiſitionẽ.*
11 *Item ad vberius meritum comparandum.*
12 *Item ad ſpiritualem profectum vi gubernij.*
13 *Religioſis vtilis eſt regula directio.*
14 *Illos iuuant bona exempla.*
15 *Status religioſus vtilis ad paſſionum mortificationem.*
16 *Vtilis ex communicatione bonorum operum totius Ordinis.*
17 *Vtilis ratione trium votorum religioſorum.*
18 *Mors religioſorum iucunda.*
19 *Aßumptio ſtatus religioſi indicium eſt prædeſtinationis.*
20 *Gloria religioſorum in cælo maxima.*
21 *Copioſa eorum remuneratio, etiam in hac vita.*
22 *Religioſi cæteris honorabiles.*
23 *Status religioſus confert ad vitæ diuturnitatem.*
24 *Religioſorum vita hilaris.*
25 *Magna dignitas ſtatus religioſi.*

QVÆRES I. Quę bona generaliter loquendo proueniãt religioſis ex ipſo ſtatu religioſo.

1 ℞. Quod cùm 3. ſint genera bonorum, quibus homines moueri ſolent, nimirum vtile, honeſtum, ac delectabile; hæc omnia genera bonorum conſequuntur religioſi ex ſtatu religioſo; & quidem ſimul; quod rarum valdè eſt in reliquis vitæ præſentis rebus: ſiquidem ita fermè comparatũ eſt, vt quæ ſunt ſalubria, amata, ac inſuauia guſtatu videantur: quæ verò dulcia, & iucunda, rarò cum dignitate coniuncta ſint. Accedit, quod cum religioſi conſtent ex anima, & corpore, bonis quò ad vtramque partem proportionatis abundant; vt proinde meritò dicere poſſint, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

QVÆRES II. Quantũ conferat ſtatus religioſus ad declinandos laqueos, & occaſiones peccandi.

2 ℞. Ita conferre, vt moraliter loquendo, vix aliter declinari poſſint: vnde Arſenio petenti, ac quærenti, quo demum pacto euadere poſſet innumeros vitæ præſentis laqueos, diuina vox illa illapſa eſt, *Arſeni fuge homines; plena enim ſunt omnia periculis, inquit S. Leo ſer. 5. quadrag. plena laqueis, incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrẽt;* ſiquidẽ mũdus totus in maligno poſitus eſt *Io. 1. cap. 5.* ſiue reſpicias peruerſas, ac præpoſteras mũdi leges ex diametro oppoſitas ſalutarib' Chriſti legibus ſiue attendas mala exempla vndiq; ingruẽtia, quibus ferè nullũ eſt, & acrius incitamẽtum ad peccandum: ſiue ſpectes frequentiſſimas, ac penè innumerabiles peccandi occaſiones, quæ ſemper miſeros circumſiſtunt homines: ſiue conſideres hominis infirmitatem ex propria concupiſcentia prouenientem, quæ quaſi abrupto fręno non modo non rationi obtemperat, vt debet, ſed illam ſæpè captiuam facit, ſuæque libidini ſubijcit: ſiue denique hoſtium immanitatem, ac calliditatem intuearis, quorum eò periculoſior eſt impetus, quò mi-

minus poteſt præuideri. Hæc tamen omnia mala, ac pericula euitat homo aſſumendo ſtatum religioſum; cui propterea mirifice congruunt verba illa *Pſal. 54. quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?*

QVÆRES III. Quæ bona afferat votum religioſæ paupertatis.

3 ℞. Auferre omnium ſcelerũ, ac vitiorũ inſtrumenta, plurimũ conferre ad præterita peccata expiãda, ac delenda, hominẽ liberare inutili rerum caducarum occupatione, abdicare ſolicitudinem pręſentis ſęculi, præbere iter ad Deum abſque impedimento, expellere omnem triſtitiam, amouere affectum à rebus hiſce infimis, hominem denique immittere in poſſeſſionem regni cæleſtis; quo modo *S. Auguſt. ſer. 28. de verb. Apoſtoli* hæc habet, *Fælicitas magna chriſtianorum, quibus datum eſt vt paupertatem faciant pretium regni cælorum: non tibi diſpliceat paupertas tua; nihil ea poteſt ditius inueniri; vis noſſe, quam locuples ſit? cælum emit.*

QVÆRES IV. Quæ bona habeantur ex voto Caſtitatis religioſæ.

4 ℞. Haberi ſequentia; quod voluptatum illicitarum materiam, ac fomitem remouet, aſpectus ſcilicet, colloquia, conſuetudines, familiaritates, & ante omnia commoditatem, ac facultatem, quæ eſſe ſolet magnum incitamentum peccandi: eximit à ſeruitute duriſſima matrimonij, & conſequenter à grauiſſimis curis inde conſurgentibus quò ad familię gubernationem, filiorum educationem, ac improbę vxoris tolerantiam: ſubtrahit à noxia illa diuiſione, de qua ait Apoſtolus 1. *Cor. 7. qui cũ vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt*, efficitque vt homo cor ſuum nulla eiuſmodi diminutione imminutum, ſed totum, ac integrum Deo offerat.

QVÆRES V. Quę bona percipiantur ex voto religioſę Obedientię.

5 ℞. Percipi tum maius augmentum meriti, quatenus vi obedientię & meliora fiunt, quę ex ſe ſunt bona, & quę per ſe nihil eſſent, adiuncto illius ornamento, mirificè illuſtrantur, & fiunt Deo gratiſſima: ac ſpecialem ipſius Dei directionem, per quam homo diuinę ſubijcitur gubernationi, adeoque fidenter poteſt dicere, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit Pſalm. 22.* ad quod faciunt, quę habet *Platus ex Climaco dicens, Obedientia eſt perfecta abnegatio propriæ animæ, & proprij corporis, mors voluntaria, vita ſine ſolicitudine, nauigatio ſine damno, ſepultura voluntatis, vita humilitatis, & quaſi ſi quis dormiendo iter faciat*: & inferiùs; *Viuere in obedientia nihil aliud eſt, quàm ſuum onus aliorum humeris imponere, natare ſuper aliorum vlnas & ſuſtentari in aquis ne mergamur: ſic Platus l. 1. de ſtatu relig. cap. 11.*

QVÆRES VI. Quo modo ex ſtatu religioſo obtineatur pleniſſima remiſſio omnium peccatorum.

6 ℞. Obtineri eo modo, quo diximus in *tract. de profeſſ. cap. 4. quæſt. 5.* vbi hac de re fuſiuſcule diſſerimus; interim qui vult conſulat *Platum l. 1. de bono ſtat. relig. c. 13. per totum.*

QVÆRES VII. Quantum conferre poſſit ſtatus religioſus ad hoc vt homo plenam Deo exhibeat ſatisfactionem pro peccatis ſuis.

7 ℞. Quòd, cùm ſtatus religioſus ſit ſtatus pęnitentiæ, & tota vita religioſa eo potiſſimùm dirigatur, vt præteritas culpas ſatisfaciendo redimat: clarè conſtat nullam certiorem, ſuauiorem, ac efficaciorem rationem id præſtandi extare, quam ipſum ſtatum religioſum. Ad hoc facit abdicatio omnium voluptatum huius mundi, coniugij, epularũ, compotationum, venationum, ludorum, ludricorum, ſpectaculorum, & aliorum eiuſmodi oblectamentorum, quæ tanti æſtimari ſolent ab hominibus: facit tolerantia ærumnarum, ac incommodorum, quæ à religioſis ſuſtinentur eaque adeò grauia, vt *Chryſoſt. hom. 56. ad pop.* religioſos meritò appellandos putarit crucifixos; vtpote in perpetua cruce viuentes: facit frequens vſus ieiuniorum, vigiliarum, ciliciorum, flagellationum, aliarumque carnis macerationum, quas vel cuiuſque religioſi pietas, ac feruor excogitat, vel proprium cuiuſque inſtitutum iniungit: facit virtutum omnium exercitatio, & maximè humilitatis, obedientiæ, & charitatis in Deum ac homines quoſcumque, quarum virtutum operibus religioſa vita eſt plena: facit propriæ volũtatis abnegatio, ſiue quã homo exercet per ſe ipſum, dum ſuos appetitus, tam varios, tamq; interdum violentos ſubigit, ſiue quæ in eo exercetur à Prælatis, ex quorum voluntate cùm totus, & omninò pendeat, conſtat illum in perpetua quadam ſuæ voluntatis caſtigatione viuere. Neque ex eo quòd iuxtà dicta *q. præcedenti* in ipſo ingreſſu religionis, & primo aditu obtinetur perfecta peccatorum remiſſio, inutilis, ac ocioſus debet reputari ſtatus religioſus quò ad eiuſmodi effectũ; cùm *Eccleſ. 5.* ſcriptum eſt *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu*: & aliàs in re tanti momenti nunquam homo ſibi ſatis cauiſſe exiſtimare debeat, ipſumque odium peccati, ſi verum eſt, requirat, vt peccata, etiam condonata vltrò vindicemus, & quaſi hoſtes, qui tantopére nocuerunt voluntarijs pænis puniamus: quod in terminis aduertit *Platus ſupr. c. 14.*

QVÆRES VIII. Quale, & quantum bonũ ſit, quòd religioſi vacare poſſint cognitioni, & conſiderationi illarum rerum, quæ ad vitam ritè, ac ſalubriter ordinandam valent.

8 ℞. Eſſe bonum omninò ſingulare; & inde conſtat, quòd ſunt in mundo, qui ita viuant, quaſi mẽtem nõ habeant, adeò præſentibus bonis toti inhęrent, nunquam ad futura præuidenda, ac diſponẽda ſe erigunt, nunquam adeò neceſſariam cognitionem ſuſcipiunt, qui ſint, & vnde veniant, aut quo tendant, & quem eos ad exitum ducat via, quam incedunt, & mores, quos ſequuntur: vnde fit, vt in tanta, & ſui ipſorum, & Dei, & ſpiritualium rerum ignorantia cæcutientes ſępè ſępius in grauiſſima peccata impingant, quę nec vident, nec ſentiunt iuxta illud *Ierem. 12. deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.* Quàm vtilis ergò cenſeri debet ſtatus religioſus, qui nos in cęleſtium, ac ſupernaturalium rerum commentatione ſemper continet, & aſſiduè exercet; & quidem maximè nos liberando ab externis occupationibus, ac terrenis negotijs, quę ſummo-

pere animum diſtrahunt à dictarum rerum cogitatione, ſicut enim inter ſtrepitus, & fragores non poteſt homo attentè meditari; contra verò in noctis ſilentio, aut in aliquo loco deſerto ipſa ſolitudo quodam modo inuitat ad contemplandum: ſic in ſæculo, vbi tam multa aſſiduè obſtrepunt, difficilimum eſt ſeſe ad interiora reuocare; contra verò quies religioſa ſegregata ab omni tumultu facilius nos poteſt in ſtudio meditationis continere, etiam abſque labore noſtro: quo pacto ait *S. Bernard. epiſt. 78. Iuge ſilentium, & ab omni ſtrepitu ſæcularium perpetua quies cogit cæleſtia meditari.*

QVÆRES IX. Quam facilis in religione reddatur obſeruantia diuinorum mandatorum, & quibus ex cauſis.

9 ℞. Reddi ita facilem, vt ſine vllo propemodum labore, aut difficultate omnia impleantur; ſiue quia ſtatus religioſus omnium ferè criminum materiam à ſenſibus amouet, hominem ſegregando à mundo, eiuſque illecebris, ſiue quod animus religionis diſciplina excultus nouum acquirit robur, ſiue quòd auaritia, ambitio, & incontinentia, quæ ſunt fontes omnium peccatorum, vi ſtatus religioſi longè ablegantur: ſiue quòd religioſi maioribus ſtudijs aſſueti minora faciliùs exequuntur.

QVÆRES X. Quam facilè acquirantur virtutes in religione.

10 ℞. Facillimè acquiri; pateтque inde, quòd ſicut variæ ſunt diſciplinæ literarum, armorum, aliarumque artium, eæque ſingulæ ſuos habent magiſtros, ſua gymnaſia, vbi tractantur, exercentur, & addiſcuntur: ſic virtutum diſciplina traditur in religione: vt ſi definienda ſit religio, iure virtutis ſchola poſſit appellari; & quidem meritò, cùm in ſtatu religioſo virtutes omnes aſſiduè vigeant, & in perpetua fermè actione contineantur: & aliàs virtus ſit ex genere habituum, qui non gignuntur niſi ex actibus frequentatis; loquendo de habitibus acquiſitis qua de re *Plat. ſup. cap. 21.* latè oſtendens *cap. 22.* ad acquiſitionem virtutum, quam maximè conferre vberem influxum gratiæ religioſis prouenientem, tum ex ratione ipſius ſtatus religioſi, tum quia in eodem cætu conuiuunt ſancto charitatis vinculo colligati iuxta illud *Matt. 18. vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*; tum quia inuicem participant de influxu ſpiritus, & auxilij interni a tota communitate in ſingulos.

QVÆRES XI. Qualiter vberius meritum comparetur in religione.

11 ℞. Comparari quia quę in religione tractantur maxima ex parte ſpiritualia ſunt, aut certè cum ſpiritualibus valdè coniuncta, & fiunt non ex fine temporali, ac terreno, ſed ſpirituali, ac cæleſti, nempe ad Dei obſequium, & honorem: cum tamen ad meritum requiratur tum res, quæ agitur, tum finis propter quem agitur; vnde fit, vt viro religioſo nullus elabatur dies, in quo non magnum meritorum peculium lucrari poſſit, ſi quæ facit, cum debita intentione, ac fine efficiat: cum è contra viris ſæcularibus, qui tot labores, ac moleſtias perferunt omnis eorum fructus miſere depereat.

QVÆRES XII. Quantùm iuuet ad profectum ſpiritualem gubernatio Prælatorum regularium.

12 ℞. Iuuare quàm maximè, & quidem non ſolùm quatenus iter virtutis eſt ſeptum multa obſcuritate, & caligine, ideòque ne in illo erretur, neceſſaria eſt ductoris alicuius opera, & lumen, ſed etiam quatenus tentatio eſt vita hominis ſuper terram, ſicque ad detegendas, aut profligandas malignorum demonum tentationes opus eſt alicuius rectoris ductu, qui hoſtium fraudes manifeſtent, & qualiter eæ præcaueri poſſint, oſtendat; ſed de hoc in *tract. de Nouitiatu cap. 5. q. 3. 4.*

QVÆRES XIII. Quam vtilitatem referant religioſi ex proprijs regulis, ac conſtitutionibus.

13 ℞. Eam referre, quòd ea præſcripta fuerunt quæ hominem quodommodo cogunt viuere ex virtute, quaſi neceſſitatem benè viuendi ipſis imponendo, per quam tamen illud aſſequimur, vt cum initio quaſi coacti benè viuere cęperimus, aſſuetudo deinde, exercitatio, & quaſi experientia quædam ſuauitatis latentis in virtute eam nobis amabilem faciat, ac voluntariam. Ad quod faciunt quæ habet *S. Hierony. ep. 4. ad Ruſtic. Tibi*, inquit, *cum in monaſterio fueris, hæc facere non licebit, & increſcente paulatim conſuetudine quod primum cogebaris, velle incipias, & delectabit te labor tuus, oblituſque præteritorum ſemper priora ſectaberis.* Hoc igitur faciunt regulæ Religioſorum, vt doceant quid ſit agendum, quæue totius vitæ ratio teneri debeat: & quidem ita vt nullam vitæ partem relinquant, quam non informent, interiora, exteriora, animum, corpus, publicè, priuatim, domi, ac foris.

QVÆRES XIV. Quæ bona proueniant religioſis ex bonis exemplis.

14 ℞. Quòd cum teſte *S. Gregorio l. 24. mor. c. 9. vita bonorum ſit viua lectio, ex qua homo poteſt deprehendere, quid ſibi deſit boni, & quid mali inſit*: eo ipſo quod in religionibus vigent tot bona exempla, ſtatus religioſus non poteſt non eſſe vtiliſſimus, etiam ex hoc capite. *Plus* enim inquit *Seneca ep. 6. viua vox, & conuictus, quam oratio proderunt: primum quia homines plus oculis, quam auribus credunt; deinde quia longum iter eſt per præcepta, breue, & efficax per exempla.*

QVÆRES XV. Quantum conferat ſtatus religioſus ad perfectam paſſionum mortificationem.

15 ℞. Quod cum omnis motus paſſionum in animis noſtris ex duplici cauſa ſoleat fieri, opinione ſcilicet boni, & opinione mali; & qualis eſt iſta opinio, tales ſint appetitiones, & animi commotiones: & aliàs religio in eo ſit tota, vt virum religioſum à terrenis, quæ falsò vocantur bona, ad ſpiritualia, quæ ſunt vera bona, traducat, imò & expoliet omninò illis, conſtat ex religioſo ſtatu hominem eo deuenire, vt in omnibus turbulentis motibus ſedatis, ac compreſſis vna dominetur ratio, eaque cum vi nulla teneatur, facilè ſe diuinæ ſubijciat voluntati, ſicque tanquam in familia benè conſtituta nihil iam diſſideat, nihil diſcordet, ſed omnia in officio contineantur, quod eſt in terra frui primitijs quibuſdam cæleſtis ſtatus, in quo ſumma pax; iuxta illud *Iſaiæ 32. & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

QVÆ-

QVÆRES XVI. Quæ bona religioſis proueniant ex communione ſpiritualium bonorum exiſtente in religionibus.

16 ℞. Prouenire plurima, & maxima bona, quorum illud præcipuum eſt, vt religioſus, etiam conſidens in proprio cubiculo, particeps fiat omnium laborum quos tota religio per tot vrbes, & prouincias diffuſa in Dei obſequio perfert meditando, concionando, animabus iuuandis, multis piè agendis, aut fortiter ſuſtinendis. Præterea ſi tentatur religioſus, dicta bonorum communio ei impetrat arma, quibus muniatur: ſi ſua imbecillitate fluctuat, conſtantiam, ac firmitatem tribuit: ſi quid à Deo petendum eſt, aut ex alia cauſa coram Deo apparendum, non verendum eſt, ne vacuus appareat in eius conſpectu; quando non ſolum propria, ſed etiam aliorum facta ipſum ei commendant, in eius preces influunt, iiſque gratiam, ac pondus addunt: denique ipſa illius tepiditas, ipſa peccata his iiſdem, quibuſcum coniunctè viuit officijs ſic compenſantur, vt ſæpè plus proſint hæc officia ad Deum conciliandum, quam ea peccata ad eum irritandum.

QVÆRES XVII. Quæ proueniant bona ex votis religioſis.

17 ℞. Prouenire ſequentia; nimirum 1. quod quæ fiunt ex voto, ſunt multo preſtantiora, Deoque gratiora, quam ſi fiant ex libera, ac ſoluta voluntate; cum opus virtutis inferioris ad ſuperiorem virtutem relatum, vel à ſuperiori virtute imperatum eò ipsò fiat nobilius; & aliàs virtus religionis, cuius actus eſt votum, abſolutè antecellat virtutibus moralibus. 2. cum bonum quodlibet acceſſione alterius boni augeatur, & fiat melius; vtique maius bonum eſt vouere, & facere, quam ſolùm facere; cùm ſic vltra opus, quod fit, concurrat promiſſio, quæ etiam inter homines æſtimatur. 3. cum præcipua laus operum pendeat ex radice voluntatis, ideoque ea tanto ſint laudabiliora, ac meliora, quãto melior fuerit voluntas; & alioqui inter bonas voluntatis qualitates ea ſit maxima, quod ſit ſtabilis, ac perpetua; hoc ipſo quod talis firmitas oritur ex votis, ea cenſeri debent vtiliſſima.

QVÆRES XVIII. Qualiter ex ſtatu religioſo ſequatur mortis ſecuritas, ac tranquillitas.

18 ℞. Quod, cum in morte tria interueniant grauiſſima incommoda: primum quod non ſolum ipſa amara eſt, ſed & eius memoria: deinde quod eſt periculoſa ob infeſtas dæmonum tentationes, qui tunc maximè ſæuiunt, & verſant hominem in omnes partes: denique quòd etiam horribilis eſt, propter illud tribunal, ac diſtrictum iudicium, quod cum ſit extremè formidoloſum, quantò magis iam iamque quaſi tangitur, tanto vehementius formidatur: hæc omnia tollit ſtatus religioſus, & ita tollit, vt pro acerbitate etiam iucunditatem, pro periculo ſecuritatem, pro illa tanta formidine ſpem afferat certiſſimam. Quæ enim tempore mortis homines angere ſolent (nempe receſſus à diuitijs, honoribus, delicijs, ac commodis; tum etiam ab iis, qui chari ſunt, ab amicis, propinquis, fratribus, liberis, coniuge; præterea diremptio animæ à corpore, cum quo tandiu, & tam iucundè vixit) in viris religioſis partim nulla ſunt, partim penè nulla; quippe qui externa omnia, quæ diximus, iam ante omnia reliquerunt, quando mundum reliquerunt, & non tunc primùm incipiunt mori, quando ſpiritus migrat, ſed multo ante id meditati ſunt, idque ſemper egerunt; vt proinde nullus eos in huius vitæ exitu moleſtiæ ſenſus mordeat, quaſi res aliqua difficilis, aut inſueta contingat: præterquam quod non auelluntur ab ea vita, in qua multa ſint, quæ eos retineant, ac delectent, ſed potiùs in qua ſunt multa incommoda, paupertatis, vigiliarum, laborum, multa volutatis, multa ſenſuum mortificatio, quæ mortem ipſis efficere poſſunt ſummè amabilem. Accedit, quòd religioſi contra dæmonum tentationes, quibus mors hominum ſolet eſſe infeſta, facilè poſſunt præualere aliorum religioſorum auxilijs, cohortationibus, conſilijs, precibus, aliſque eiuſmodi remedijs. Denique moriuntur religioſi cum ſingulari fiducia fœlicitatis æternæ in eo fundata, quòd nullius criminis ſibi ſunt conſcij, & alioqui memores ſunt bonorum operum, quę in vita præſtiterunt, & maximè in religione.

QVÆRES XIX. Quantum bonum inſit ſtatui religioſo, quòd ſit ſignum moraliter certum diuinæ prædeſtinationis.

19 ℞. inde poſſe colligi, quòd, cum tam ſæpè, tam certò, tam expreſsè conteſtatus ſit Dominus multos eſſe, qui viam perditionis inueniant, paucos verò, qui viam ſalutis incedant; meritò non poteſt nõ eſſe magna omniũ hominum ſolicitudo, angor, & trepidatio: ſicut è contra in trepidatione tam iuſta, tamque graui nullum maius ſolatium in hac vita reperiri poteſt, quam ſi indicia aliqua ſalutis, ac prædeſtinationis noſtræ habeamus: huiuſmodi autem indicium eſt electio ad ſtatum religioſum, & quidem tale, vt citrà reuelationem nullum maius, aut expreſſius haberi poſſit, hinc enim Chriſtus *Matth. 19. Marci 10. & Lucæ 18. ait Omnis, qui reliquerit patrem aut matrem, & fratres, aut domum, & agros propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*; qua de re latè *Platus ſupr. capitul. 32. per totum.*

QVÆRES XX. Quantam gloriam conſequantur religioſi in cælo.

20 ℞. conſequi quam maximam, cum gloriæ cæleſtis gradus vnicuique tribuatur iuxtà proportionẽ meritorum cuiuſque & alias ſtatus religioſus adeò vberem præbet materiam meritorum, tum per regulam, & conſtitutiones proprij ordinis, tum per ſuperiores, ac æquales, tum per domeſticos, ac extraneos: & hoc ita, vt non voluntas tantum, ac feruens cuiuſque ſtudium valeat, ſed quædam etiam neceſſitas, vbi iis ſe legibus religioſus obligauit, quibus modò orare, modò legere, modò ad humilia, miniſteria ſe demittere, modò varia charitatis fraternæ munera obire cogatur; vt, etiam ſi velit, quieſcere non poſſit à rectè agendo; vnde, cùm omnis hora, & omnis dies plenus ſit eiuſmodi benefactis, facilè eſt videre, quę tandem ſumma, & quam grandis efficiatur.

QVÆRES XXI. Quam copioſa remuneratio tribuatur religioſis, etiam in præſenti vita.

21 ℞. Tribui in centuplum; & quidem non ſolum in futura vita, ſed etiam in præſenti; vt diſertis verbis promit-

promittitur *Marc.* 10. *Accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, & in ſeculo futuro vitam æternam*: non ſolum quò ad bona ſpiritualia, ſicut explicat *S. Hierony. l.3. in Matth.* ſed etiam quo ad temporalia, vt exponit *Caſſianus collat.* 24. *c.*26. & quotidiana docet experientia: Siquidem religioſus vnicam reliquit domum, & tot domos obtinuit, quot ſunt monaſteria ordinis, in quo degit (vt proinde quocunque pergat, ſiue in Hiſpaniam, ſiue in Galliam, ſiue in Germaniam, ſiue in Poloniam, ſiue in Italiam, ibi reperiat hoſpitium, in quo humaniſſimè excipiatur, & tractetur: quod non habent ipſimet Principes, quamuis aliàs potentiſſimi): vnum reliquit patrem, & matrem, & tot patres acquirit, quot ſuperiores, qui enixiùs ipſum diligunt, quam parentes carnales, eiuſque bonum tam temporale, quam ſpirituale accuratiùs procurant; paucos reliquit fratres, & tot inuenit, quot ſunt religioſi ordinis, qui ipſum perfectiùs amant, nempe propter Deũ, & abſque reſpectu propriorũ commodorũ, cũ aliàs fratres carnales ſe diligant ob priuatum commodum, & in dilectione quærant, quæ ſua ſunt; paucos reliquit famulos, vel fortè etiam nullum, & plures acquiſiuit, non quidem in vno tantùm loco, ſed in omnibus penè orbis partibus, qui ei inſeruiãt in tractandis negotijs domeſticis, in parandis cibis, in diſpenſandis neceſſarijs ad veſtitum, & in ipſa infirmitate; paucos reditus annuos reliquit, vel etiam nullos, & multò plures acquiſiuit, eoſque non in vno ſolùm loco, ſed in quacumque regione, quantumuis remotiſſima: aut certè, ſi eſt in religione nõ admittente annuos redditus, ex fidelium eleemoſynis habet vnde abundãter proſpiciat ſuis neceſſitatibus iuxtà illud 2. *Cor.* 6. *nihil habentes, & omnia poſſidentes*; vt meritò dici poſſit verificari de religioſis id, quòd dicitur *pſal.* 104. *Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt; vt cuſtodiant iuſtificationes eius*: & quod habetur *Ezechieli* 44. *Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum, & poſſeſſionem non dabitis eis in Iſrael, ego enim poſſeſſio eorum.*

QVÆRES XXII. Quanto in honore habeatur ſtatus religioſus, etiam apud viros ſæculares, & quidem primarios.

22 ℞. Haberi in ſummo honore; & quidem iure optimo, cum 1. *Reg.* 2. dicatur, *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum*, &, teſte *Ariſtotele* 4. *ethic. cap.* 3. vera honoris materia ſit bonum, idque eò magis, quò bonum eſt excellentius. vnde cùm religioſi toti ſint in amplificanda Dei gloria, & ſtatus religioſus ſit bonum præſtantiſſimum; mirum non eſt religioſos communiter adeò honorari, etiamſi aliàs in ſæculo eſſent obſcurè, & infimo loco nati, &, ſi in ſæculo remanſiſſent, in eadem ſemper ignobilitate iacuiſſent. Teſtis ſit Franciſcus Paulenſis, qui cùm eſſet vir inops, & planè ignobilis, nihilominùs à Ludouico XI. Galliarum rege ab extremis Calabriæ finibus ad ipſum accedens tum precibus eiuſdem Ludouici, tum etiam Sixti IV. interpoſita auctoritate, amanter, ac honorificè, & cum exultatione totius illius regni exceptus eſt; teſtis Arſenius, qui cum Arcadium adoleſcentem Theodoſij Imperatoris filium inſtituendum ſuſcepiſſet, tam parua eius gratia, vt ei fugiendũ fuerit, quòd necẽ ſibi ab eo parari comperiſſet; poſtquàm diu latens compertus eſt in Dei famulatu, ab ipſo Arcadio iã ad imperium prouecto ſic honoratus eſt, vt ad eũ vltrò ſcripſerit literas penè ſupplices, quibus ſe, ac imperium ſuum illi commendabat; teſtis denique Io: Becanus ex minorum Ordine; qui cùm ſui ſæculi eruditiſſimus Romæ in ſacro palatio publicè Theologiam docens audiretur à pluribus Epiſcopis, & Cardinalibus non paucis: vbi ad Cantuariẽſem Archiepiſcopatum promotus eſt, ad eum adhúc pergentem docere non ampliùs accedebat vllus Cardinalium, quòd antea (vt aiebant) honorem illum virtuti tribuerent, cui ſe inferiores agnoſcebant: tum verò dignitati tribuere viſi eſſent, qua erant illi ſuperiores.

QVÆRES XXIII. Qualiter ſtatus religioſus conſerat ad vitæ, etiam corporalis diuturnitatem.

23 ℞. Conferre tum ex tranquillitate, & animi lætitia, quę in religioſis eſſe ſolet perennis; tum ex victus moderatione, ac eodem tenore vitę, per quem inducitur ſiccitas, vnde prouenit valetudinis integritas; cũ alioqui viri ſæculares, præſertim diuites, inter delicias, ac epulas viuentes tum vinolentia, tum cruditate, tum inſomnijs fermè perpetuò laborent, ſæpiùs in morbos incidant, grauiùs ægrotent, triſtiùs curentur, denique ſubiaceant multò pluribus mortis caſibus. Certè S. Hieronymus annos vixit 100. S. Antonius attigit 105. Pachomius 110. Arſenius, & Romualdus 120. compleuerunt: S. denique Franciſcus Paulenſis in vita quadrageſimali, & continuo ieiunio à pueritia inchoato, & quidem vt plurimùm ſolo pane, & aqua contentus vixit annos 91. vt proinde dici poſſit tantùm abeſſe, quòd religioſis diminuatur aliquid de vitæ curſu, vt potiùs aliquid addatur ex continentia, & ſobrietate.

QVÆRES XXIV. Quantis, & quibus gaudijs fruantur religioſi vi ipſius ſtatus religioſi.

24 ℞. Ijs frui gaudijs, ac delectationibus, vt de ijs meritò dici poſſit, quòd *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* 1. *Cor.* 2. Quid enim ſuauius, quam carere moleſtijs præſentis ſæculi adeò frequentibus, & grauibus, vt vitam ipſam reddant miſerrimam? quid dulcius, quàm vniuerſos animi motus, & immoderatas corporis affectiones omninò ſubiugaſſe rationis Imperio? quid iucundius, quam admitti ad familiare Dei conſortium, & conuerſari in cælis? quid lætius, quam nihil habentem omnia poſſidere? quid gratiùs, quàm in carne vitam degere angelicam? quid delectabilius, quàm viuere in manibus Dei, ſeque ei committere geſtandum, regendum, ac fouendum? quid expetibilius, quàm vti ſuauiſſima tot ſpiritualium fratrum conſuetudine? quid fælicius, quam in terris prægustare delicias vitæ cęleſtis? hæc autem omnia præſtat ſtatus religioſus, ideòque non immerito comparatur paradiſo tum terreſtri, tum cæleſti, vt eruditè oſtendit *Platus ſup. l.* 3. *c.* 14.

QVÆRES XXV. Ad quantam dignitatem euehantur religioſi vi ipſius ſtatus religioſi.

℞. Eu-

25 ℞. Euehi ad tantam dignitatem, vt eius comparatione dignitas ipſa regia, quæ hominum iudicio ſumma eſt, qua humana ambitio nil habet altius, quo aſcendat, longo interuallo inferior iudicetur, ſicque mirum non eſt tot Imperarores, Reges, Principes, ac Dynaſtas ſtatum religioſum apprehendiſſe, & tanta cum laude vſque ad extremum vitæ ſpiritum retinuiſſe; ſicut latè oſtendit *Plat. ſup. l. 2. c. 26.* & *27.* quin etiam ſtatus religioſus æquiparatur martyrio, vt benè probat idem *Plat. c. 12.* hominem facit Dei filium, amicum, & ſponſam conſecrat in Dei templum, offert in perpetuum ſacrificiũ; pro vt videre eſt apud eundem *Platum ſup. c. 13. 14.* & *15.*

SECTIO II.

De bonis, quæ vniuerſo Orbi proueniunt ex ſtatu religioſo.

26 *Religioſi vtiliſſimi ſunt toti Eccleſiæ.*
27 *Plures ex ijs promoti ad papatum.*
28 *Illi Papæ vtiliſſimi.*
29 *Vtiliſſimi Epiſcopis.*
30 *Vtiliſſimi Parrochis.*
31 *Et maximè ratione priuilegiorum ipſis conceſſorum: ſicque Parochi Deo gratias agere debent.*
32 *Religioſi vtiliſſimi locis, in quibus degunt.*
33 *Non ſunt damnoſi ſecularibus, neque quò ad bona temporalia.*
34 *Sunt vtiliſſimi Principibus ſecularibus.*
35 *Item academijs, ac ſtudentium vniuerſitatibus.*
36 *Item educationi Iuuentutis.*
37 *Item ad fidei chriſtianæ conſeruationem, & propagationem.*
38 *Item & defunctis.*

QVÆRES I. Quæ bona prouenerint, & proueniant vniuerſæ Eccleſiæ ex ſtatu religioſo.

26 ℞. Prouenire plurima, & maxima: primò enim religioſorum preces, & tacita etiam merita magnoperè valent ad Deum humano generi vniuerſo conciliandum: 2. ab ijs didicere homines, qualiter Deus colendus, qua reuerentia, quo timore in templis, in ſacramentis adorandus, qua diligentia, quauè attentione orandus. quæ in rebus duris patientia tenenda, quæ proximo præſtanda charitas; nulla denique virtus chriſtiana eſt, cuius exemplar ab ijs mundo non ſit exhibitum; vel ſolus illorum aſpectus eſt tacita ad virtutem cohortatio, tacita vitiorum obiurgatio; 3. quam maximè conferunt ad hominum ſalutem audiendis confeſſionibus, habendis concionibus, vitijs arguendis, tollendis, quantum licet, peccandi occaſionibus, ſimultatibus ac diffidijs conciliandis, & in his ipſi iam ita verſantur, vt præter illos pauci, & hi ipſi pauci non niſi eorum imitatione, ſæpè etiam æmulatione, verſentur. 4. bellum cum hæreticis Eccleſiæ hoſtibus gerunt diſputando, concionando, libris ſcribendis, priuatis, ac publicis ſermonibus, & quidem ita vt talis belli molem vix iam ſit alius qui ſuſtineat; 5. euangelij lumen in nouas prouincias, ac regna, vbi nullum erat, inferunt, vbi obſcuratum erat, inſtaurant, fidem, ac religionem, ſiue iam labefactatam, ſiue penitus perditam reſtituunt, ac redintegrant, idque etiam proprium effundendo ſanguinem, mortem ſæuiſſimam oppetendo, duriſſimum martyrium ſubeundo vt propterea iure dici poſſit Eccleſiam ſuſtentari humeris religioſorum tam quò ad fidem, & doctrinam, quam quo ad morum correctionem, ſacramentorum adminiſtrationẽ, ac chriſtianę diſciplinæ cõſeruationẽ: quod olim diuinitus oſtẽſũ fuit Innocẽtio III. dũ inſomnis ſibi videre viſus eſt Lateranenſem baſilicam, quæ tunc erat ſedes Pontificum, conuulſis fundamentis labantem humeris ſuppoſitis ſuſtineri a S. Franciſco Aſſiſinate ſub ſpecie cuiuſdam pauperis ad talem effectum accurrente, ſicut poſtea re ipſa compertum eſt.

27 Accedit, quod ſtatus religioſus plurimos, & ſanctiſſimos Pontifices Eccleſiæ ſubminiſtrauit, nimirum 18. ex Ordine S. Benedicti, totidem ex religione Canonicorum regularium, 4. ex ordine Cluniacenſi, 2. ex Ciſtercienſi, 3. ex Dominicano, 4. ex Franciſcano; plurimos etiam ſubminiſtrauit Cardinales eoſque ſapientiſſimos, innumeros Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & alios zelantiſſimos Prælatos, plurimos, & ſanctiſſimos Doctores, nec non innumerabiles alios ſcriptores, qui doctiſſimis ſuis codicibus ſcientias, & facultates omnes a religioſo inſtituto non alienas mirum in modum illuſtrarunt.

QVÆRES II. Quam vtilis, ac fructuoſus ſit ſtatus religioſus Papæ.

28 ℞. Quòd, cùm iuxtà dicta *q. præcedenti* ordines religioſi ſint maximè vtiles toti Eccleſiæ: conſequenter cenſeri debent & vtiles Papæ; quippe cui incumbit tota gubernatio ipſius Eccleſiæ: ſunt autem vtiles tum in præbendis ſalutaribus conſilij, ſi promoti ad Cardinalatum ei aſſiſtant: tum in regendis particularibus eccleſiis, ſi prouecti ad Epiſcopatum, illarum curam ſuſcipiant: tum in negotijs arduis, ac difficilibus tractandis, ſi (quod non rarò euenit) deſtinentur Nunci ad principes tam fideles, quàm infideles: tum in paſcendis fidelibus tam verbo prædicationis Apoſtolicę, quam iugi ſacramentorum adminiſtratione (quod peculiariter fuit à Chriſto commiſſum Petro, ac Succeſſoribus eius *Io. 21.* ijs verbis *paſce agnos meos, paſce oues meas*) tum in ſtabiliendis orthodoxæ fidei dogmatibus, ſi authoritate pontificia conueniant ad concilia generalia; tum in confutandis hæreticorum erroribus, & confirmandis fidelibus in catholicæ fidei veritate (quod item ex proprio munere ſpectat ad Papam iuxta illud *Lucæ 22. & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*) tum in diſſeminando Euangelio, ac vera fide propaganda inter infideles, & barbaras nationes, ſicque Romanæ Eccleſiæ, & cõſequenter ſummi Pontificis iuriſdictionem, ac dominium magis, & magis amplificando: certè de S. Vincentio Ferrerio conſtat ex hiſtorijs, Iudæorum ſupra 20. & 5000 millia ab eo ad Chriſtum addu-

ēta fuiſſe, Saracenorum 8000. Chriſtianorum verò perditorum plus quam 100000. de S. Franciſco Xauerio Indiarum Apoſtolo item referunt hiſtoriȩ illum ſolius decennij ſpatio proprijs manibus baptizaſſe ſupra ducenta millia decies centena millia infidelium, immò & 10000. breuiſſimo vnius tantum diei interuallo. Vt proinde meritò Pius V. in bulla *etſi mendicantes in ordine* 41. confirmaturus omnia priuilegia Ordinibus mendicantibus antea conceſsa, ſic dicat; *Attendentes etiam illos, qui onus diei, & æſtus tam in prædicationibus, quàm in cæteris ſpiritualibus muneribus, quotidie ſuſtinent;* quibus ſimilia ſunt, quȩ habet idem Pius in bulla in fauorem Societatis Ieſu edita 7. Iulij 1571. nimirum. *Dum indefeſſa conſiderationis intuitu perſcrutamur, Quantam chriſtianæ reipublicæ vtilitatē attulerint dilecti filij præſbyteri Societatis Ieſu*: & infra, *quia non minùs quàm cæteri mendicantes in excolenda vinea Domini aſſiduè laborant, fructuſque ingentes, & ſalutiferos produeunt?*

QVÆRES III. Quàm vtilis, ac fructuoſus ſit ſtatus religioſus Epiſcopis, Archiepiſcopis, alijſque Ordinarijs diæceſanis.

29 ℞. Eſſe vtiliſſimum, & quidem multis ex capitibus, maximè loquendo de religioſis Ordinum Mēdicantium, qui propterea à Doctoribus dicuntur eſſe conſtituti in eccleſia veluti coadiutores Epiſcoporum, & Parochorum, vt in ſpecie aduertit *Sanch. l. 6. moral. c.2. n.60.* nec immeritò, cùm in ſalute ſpirituali proximorum procuranda illos mirificè adiuuent, modò paſcendo populos verbo euangelicæ prædicationis, ac pijs exhortationibus, modò ijs adminiſtrando Sacramenta, modò illos ad chriſtianam pietatem excitando religioſis proceſſionibus, modò illis obtinendo maximas indulgentias, modò ijs faciliorem reddendo miſſæ auditionem copia Sacerdotum celebrantium, modò inſtruendo rudiores de rebus ortodoxæ fidei, modò corpora defunctorum comitando ad ſepulturam, aut etiam tumulando in ſuis eccleſijs, modò pro animabus defunctorum deuotè celebrando, modò alia id genus præſtando; itaut ex muneribus arduis, moleſtis, ac laborioſis, quæ in bonum ſpiritualem ſuorum ſubditorum obiri deberent ab Epiſcopis, & Parochis vi proprij officij, pauca ſuperſint ab ipſis peragenda, ſi excipias ea, quæ vel ſunt propria ordinis epiſcopalis, vel ijs reſeruātur in ſignum debitæ iuriſdictionis, ſanè, ſi Epiſcopi non haberent regulares, quos exponerent ad prædicandum in proprijs diȩceſibus tàm intra ciuitates, quàm in pagis, villis, ac oppidis, quo pacto poſſent tempore quadrageſimæ, & aduentus prouidere de tot concionatoribus, quot habent neceſſarios? vnde, amabò, illos conquirerēt? ex clericis certè ſæcularibus pauciſſimi ſunt, qui tale munus poſſent pro dignitate ſuſtinere; vnde & rariſſimi ſunt, qui de facto illud exerceant: cùm è contrà ex religionibus tot, & tam celebres prodeant Concionatores, qui & dignè, & fructuosè huiuſmodi munus exerceant. Accedit, quòd Epiſcopi vtuntur opera Regularium modò in decidendis controuerſiis doctrinalibus in propria diæceſi occurrentibus, eos ſibi aſſiſcentes in Theologos: modò in exploranda doctrina tam eorum, qui debent promoueri ad beneficia eccleſiaſtica, quàm eorum, qui debent initiari ordinibus ſacris; eos eligentes in examinatores ſuæ diæceſis, interdum etiam Synodales: modò in recognoſcendis libris, qui debent imprimi, eos deputantes in librorum reuiſores: modo in audiendis confeſſionibus monialium ſibi ſubditarum, illos deſignantes in Confeſſarios earum extraordinarios, immò & interdum ordinarios: modò in viſitandis locis propriæ diæceſis, viſitatorum munus ijs committentes: modò in alijs muneribus arduis, ac difficilibus, quȩ fortè ab alijs non ita dignè obiri poſſent.

QVÆRES IV. Quàm vtiles, ac fructuoſi ſint Regulares Parochis.

30 ℞. Etiam ipſis eſſe vtiliſſimos, cùm iuxta dicta *q. præcedenti* munia difficiliora, & magis laborioſa, quæ ex officio ſpectant ad Parochos, ipſi promptiſſimè obeant, ſicque ipſos Parochos magna ex parte liberent ab oneribus parochialibus: quod eſt frui beneficij fructibus abſque onere penſionis. Sic religioſi morientibus aſſiſtunt diu, & noctu cum maximo ipſorum incommodo: ſic frequentes aſſident confeſſionibus audiendis: ſic auguſtiſſimū Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrant: ſic diſponunt tempora diuinorum officiorum, vt eis fideles commodiùs intereſſe poſsint: ſic pias habent conciones & publicas, & priuatas: ſic rudimenta chriſtianȩ fidei pueros, & alios rudiores edocent: ſic diſsidia, & ſimultates conciliant: ſic proximiores peccandi occaſiones ſubtrahunt: ſic modis omnibus ſtudent fouere chriſtianam pietatem in fidelibus, quæ ſine dubio per ſe ſpectant ad Parochos, & aliàs non ſine magno labore, ac moleſtia obiri poſſent ab ipſis. Vnde, cùm Religioſi ea ipſa loco illorum prȩſtent, & quidem gratis, abſque vlla mercede, ac præmio, immeritò aliqui contrà illos inuehuntur, dicentes eos eſſe alienȩ iuriſdictionis vſurpatores, mittere falcem in meſſem alienam, ac hierarchiam eccleſiaſticam omninò ſubuertere; quin potiùs deberent & Deo, & ipſis religioſis gratias agere, & habere; Deo quidem, quòd ijs adiunxerit coadiutores animarum adeò ſtrenuos; religioſis verò, quòd gratis tot, & tantos labores pro ipſis ſubeant, vicem eorum ſupplentes, & onera ipſorum officio annexa ſuſtinentes.

31 Addo quòd, cùm Regulares habeant varia priuilegia conferentia ad bonum ſpirituale proximorum, nimirum ad abſoluendum à reſeruatis, ad relaxanda vota, ac iuramenta, ad expediendas literas Sacrȩ Pȩnitentiariȩ, ad diſpenſandum coniuges in impedimento petendi debiti, & ſimilia, quibus communiter carent Parochi, in hoc ipſo liberant Parochos à moleſtia, ac onere recurrendi ad proprium Ordinarium cauſa obtinendi ſuis Parochianis ſupradicta; quod vtique non eſt leue beneficium. Præterea in audiendis confeſſionibus non rarò occurrunt grauiſſimæ difficultates, quæ non niſi à viro valdè docto reſolui poſſunt: ſicque Regularibus eiuſmodi confeſſiones audientibus, liberantur Parochi à moleſtia reſoluendi occurrentia dubia, aut conſulendi ad talem effectum viros doctos, eorumue codices impreſſos: vt proinde Religioſi dici poſſint inſeruire Parochis tanquam Cappellani, & quidem ſine ſtipendio; cum aliàs

non pauci Parochi ex ſuis prouentibus certum ſoluant ſtipendium annuum exercenti pro ipſis tale munus.

QVÆRES V. Quam vtiles, ac fructuoſi ſint regulares ciuitatibus, & locis, in quibus degunt.

32 ℞. Eſſe vtiliſſimos, & quidem non ſolùm ratione miniſteriorum ſpiritualium, quæ exercent in bonum ſpirituale proximorum, & à nobis propoſita ſunt *qq. præcedentibus*: ſed etiam quò ad externam politiam; idque non ſolum quatenus amplectẽdo ſtatum religioſum a ſe abdicant omnia bona temporalia, ea relinquendo fratribus, ac conſanguineis: (quo pacto familiæ commodius conſeruantur in priſtino ſplendore, quæ aliàs ex multiplici bonorũ diuiſione non parum periclitarentur ad extremam pauperiem redactæ:) ſed etiam quatenus ex bonis, quę monaſteria religioſorum poſſident, ſiue ex hæreditate, ſiue ex legato, ſiue ex priorum fidelium eleemoſynis, ſubueniunt indigentię pauperum ad ipſos accurrentium, tam incolarum, quam peregrinorum (quod item cedit in bonum reipublicæ) & occurente caſu neceſſitatis publicæ propria bona exponunt, parati ea inſumere, ſiuè ad malum imminens præcauendum, ſiue ad communem indigentiam ſubleuandam: quod non ſemel factum fuiſſe etiam noſtris hiſce temporibus docuit experientia.

Quòd ſi dicas Ordines religioſos obeſſe externę politiæ ratione bonorũ, quæ in dies acquirũt modò ex hereditate, modò ex Legato, modo ex donatione, modo ex emptione, alioue ſimili cõtractu: (quo pacto ciues sẽper magis, & magis depauperãtur, maximè cũ bona religioſorũ ſemel acquiſita nõ poſſint alienari abſq; ſpeciali Papę indulto:) tum quia ratione exemptionis, quam habent à vectigalibus, ac quibuſcunque contributionibus, ſic indirectè tantò magis grauantur alij ciues, dum in defectum religioſorum exemptorum, eò maiora coguntur ſoluere vectigalia, & ijs tantò auctiores imponuntur contributiones: cùm interim minoribus fruantur bonis.

33 ℞. Quòd, cùm ea bona liberè relinquantur Religioſis ex amore Dei, & pro bono ſpirituali propriæ animæ, , liberèque ijs conceſſa ſit exemptio a vectigalibus, ac contributionibus ab illis, quorum intererat: non poſſunt alij de hoc iuſtè conqueri, & ſi conquerantur, aduersùs eos vſurpari poteſt, quod habetur *Matth. 20. Amice, non facio tibi iniuriam: tolle quod tuum eſt, & vade*, præter quàm quòd præfata bona, & exemptiones etiam ex alijs titulis, hiſque iuſtiſſimis, debentur Religioſis, nimirum ratione laborum, quos ſuſtinent in bonum proximorum; ſiquidem dignus eſt operarius mercede ſua, & qui miniſtrat ad altare, æquum eſt, vt viuat de altari: nec non ratione ipſiuſmet ſtatus, quem profitentur; quo modo de filijs Iſrael *pſal. 104.* dicitur: *Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum poſſederunt, vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.* Neque timendum eſt temporis progreſſu euenturum tot bona acquiri a religioſis, vt publicum ærarium minùs ſufficiat publicis oneribus implendis; cum enim hoc non euenerit vſque ad hoc tempus; minùs eueniet impoſterum, fideliũ charitate adeo tepeſcente, ne dicam frigeſcente: argumentum quippe à præteritis ad futura validum eſt, ſicut & argumentum ab experientia.

QVÆRES VI. Quàm vtiles ſint religioſi etiam Principibus ſæcularibus.

34 ℞. Eſſe vtiliſſimos, & quidem multis modis, videlicet audiendo illorum confeſſiones, reſoluendo quæſtiones ad forum conſcientiæ pertinentes, ſalutaria conſilia iuxtà rerum ocurrentium exigentiam præbendo, ipſorum filios inſtruendo tàm chriſtianis moribus, quam liberalibus diſciplinis, interdum etiam legationibus fungendo, aſſiduas preces pro ipſis, ac eorum ſubditis fundendo, ſe totos, & ſua omnia impendendo in bonum eorum, quibus cum viuunt, & de quorum bonis aluntur, vt proinde mirum non ſit viros religioſos a pijs Principibus adeò amari, honorari, ac æſtimari, vtpote agnoſcentibus, quot, & quanta bona ex eorum opera, ac induſtria proueniant tum ipſis, tum ipſorum ſubditis.

QVÆRES VII. Quàm vtiles ſint religioſi vniuerſitatibus, & Academijs quò ad acquiſitionem ſcientiarum, ac diſciplinarum liberalium.

35 ℞. Eſſe vtiliſſimos; idque tum docendo in publicis ſcholis Theologiam tam ſcholaſticam, quàm moralem, Philoſophiam, Mathematicã, & quaſcunque alias facultates à religioſo inſtituto nõ alienas: tum diſputando in literarijs congreſſibus; tum conſcribendo doctiſſima volumina, eaque typis ad publicam vtilitatem imprimendo: tum proprias Academias erigendo, eaſque plurimis, & maximis priuilegijs inſtructas; ita vt Religioſi meritò gloriari poſſe videantur, pleraſque doctrinas ipſorum ſtudio, ac labore eſſe quaſi ab interitu vindicatas; aliàs verò meliores, ac cultiores effectas; quid enim eſſet Theologia, ſcientia adeò præſtans, niſi fuiſſet a religioſis exculta, & ad hanc, quam nunc videmus, rationem, ac viam redacta? ipſa verò Philoſophia, quamuis alios habuerit ſcriptores, ac doctores, quantam lucem, ac incrementum ab ipſiſmet religioſis accepit, multis ab ipſis additis, multis explanatis, denique multis etiam ad fidei veritatem correctis? quod demum ſpectat ad doctiſſima volumina à religioſis edita in omni genere, ea ſunt tot numero, & ita præſtantia, vt fateri neceſſe ſit religioſos in hoc præſtare ſæcularibus viris; qui vult conſulat Tritemium, qui ſcriptores omnes Eccleſiaſticos a Chriſti ortu per omnem ætatem diligenter, & accuratè collegit; conſulat, & cathalogum Scriptorum Societatis Ieſu, quę in hoc genere, licèt poſtremo quaſi loco aduenerit, aliquid tamen operis, & adiumenti ad rem literariam contulit, & quidem in omni genere facultatum, ac ſcientiarum, vt meridiana luce clariùs conſtat vniuerſo Orbi.

QVÆRES VIII. Quãtùm conferat ad bonum politiæ externæ, quòd religioſi eruditioni iuuentutis vacent.

36 ℞. Quòd cùm, teſte *Tullio orat. 2. in Verrem* nullum reipublicæ maius, meliuſque afferri poſſit, quã ſi doceamus, atque erudiamus iuuentutem, & adoleſcentum educatio ſit totius reipublicæ fundamẽtum, vt dicebat Diogenes Laertius, apertè conſtat, quàm vtile ſit externæ politię, & bono ciuitatũ,

quòd

quòd iuuenes religioſis viris tradantur educandi, ac inſtruendi, quantumque debeant Ciuitates illis religioſis, qui ex propoſito vacant inſtitutioni puerorum, & adoleſcentum tàm quò ad mores, quàm quò ad liberales diſciplinas; ſiue id faciant in proprijs ſcholis, ac vniuerſitatibus (ſicuti faciunt religioſi Societatis Ieſu, & alij) ſiue in alienis collegijs, aut Seminarijs, quibus præficiuntur; cùm ad profectũ diſcipulorum tam in moribus, quàm in doctrina, ſummoperè conferat probitas vitę, ac diligentia præceptoris, quæ per ſe loquendo, & ex vi ſtatus ſupponuntur eſſe maiores in viris religioſis, quàm in laicis, quo pacto in Concilio Mediolanenſi 1. ſub S. Carolo p. 1. §. de ludi magiſtris habetur magiſtros debere eligi non minus fidei, & vitæ, quàm doctrinæ, & ſcientię laude commendatos; ſed de hoc latè *Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 5. cap. 5. per totum*.

QVÆRES IX. Quantum contulerit, & conferat opera religioſorum ad chriſtianam fidem tum reſtituendam, tùm propagandam.

37 ℞. Ita contuliſſe, & in præſentia etiam conferre, vt qui hiſtorias percurrere voluerit, & modum cognoſcere, quo in ſingulas prouincias fides inducta eſt, poſt Apoſtolos, & apoſtolica illa tempora, vix aliorum nomen, quàm religioſorum inueniat. Longum eſſet omnes recenſere, ſed aliquos tantum exempli cauſa attingemus. Remigius monachus Franciam vniuerſam cum Clodoueo rege ad Chriſti fidem traduxit: Martinus item monachus Sueuos ab Ariano errore ſanauit: Auguſtinus Anglus cum 4. alijs monachis totam Angliam ad Deum conuertit: Lambertus Leodienſis monachus Teſſandriam Germaniæ prouinciam, eodemque tempore Rilianus monachus Scotus Francorum gentẽ ad fidelium numerum aggregarunt. Vilfridus ex Hirpuenſi monaſterio fidei lumen importauit ad auſtrales Saxones & ſimul conuertit totam inſulam, quę Vettula dicitur: Bonifacius Scotus item monachus Chriſto adiunxit Thuringiam, Friſiã: & Haſſiam: Villeardus, & Lugderus ex monaſterio S. Villibrondi in Galliæ in Franconia Germaniæ prouincia plurimos filios Chriſto pepererunt: Anſgarius cum 3. Socijs ex monaſterio Corbiẽſi in Gallia Belgica euangelij cauſa peragrarunt Daciã, Sueciã, Gottiã, & Grolandiam, ibique incredibilem fructum effecerũt: Stephanus itidem monachus Helingenſem prouinciam totam ab erroribus ad viam veritatis adduxit: Adalbertus Caſſinenſis monachus totam Pannoniã Chriſti cultu imbuit, nec non poſtea euangelium promulgauit Sarmatis, Ruſſis, Lituanis, Moſchis, Pruſſianis, ac Polonis: Bruno etiam monachus plurimos Rutenos ad viam ſalutis reuocauit: Humbertus monachus Benedictinus Nicetam ſchiſmaticum coram Conſtantino Imperatore ita diſputando conuicit, vt librum ab ipſo conſcriptum comburere coegerit: Otho ex monaſterio Vabergenſi Pomeraniæ principem Varciſlaum conuertit cum ſuis, omnia loca Daciæ, ac Poloniæ maritima, quæ erant finitima, peragrauit cum magna animarum conuerſione, & complures Saxoniæ vrbes obiens magnos vbique ad ſalutem motus effecit: Vicellinus item monachus vnà cum 4. ſocijs vniuerſam Vandalorum regionem 30. totis annis chriſtianis pręceptis erudiuit: Religioſi S. Dominici deſtinati ad infidelium conuerſionem multas barbarorum prouincias peragrarunt, in quibus nulla fidei, & Chriſti extabat notitia, & quidem eo fructu, vt ſcriptum ſit iniri non poſſe numerum animarum per eos ad fidem traductarum, præſertim in gente Cumanorum: Fratres item minores S. Franciſci in multis regionibus tam infidelium, quam hæreticorum admirabiles progreſſus effecerunt; ita vt ſpatio dierum 50. octo illorum, ducenta millia Hungarorum ad Chriſtum adduxerint, & Io: Capiſtranus einſdem ordinis vna tantum excurſione duodecim millia infidelium, & multos etiam Schiſmaticos Eccleſiæ aggregauerit: idem pręſtiterunt & religioſi aliorum Ordinum, etiam Societatis Ieſu, quæ non ſolum in Italia, ac Hiſpania, vbi catholica fides viget incorrupta, eam operam nauat, quam omnes norunt, & vident, ſed etiam in Gallia, Belgio, Germania, Polonia, & toto illo ſeptentrionis tractu hæreſum peſte laboranti, nec non in India tam orientali, quàm occidentali, Iapone, & regno Sinenſi ſtrenuè adlaborat, eoque animarum fructu, ac fidei progreſſu, quo conſtat vniuerſo Orbi, quod quantopere diſpliceat Satanæ, ipſemet olim declarauit, dum in energumena quadam vi exorciſmorum adactus confeſſus eſt inter cætera; nullam ſe gentem acerbius odiſſe, quàm Ieſuitas.

QVÆRES X. Quàm vtiles ſint religioſi etiam ipſiſmet defunctis.

38 ℞. Eſſe vtiliſſimos; idque pluribus modis, nempe pro ijs offerendo ſacrificia, & celebrando diuina officia iniuncta, ſiue ex fundatione capellaniarum, ſiue ex legato, ſiue ex eleemoſynis manualibus (quę vbique ad eum iam numerum excreuerunt, vt ſoli Sacerdotes laici ad ea implenda non eſſent ſatis), eorum corpora aſſociando ad locum ſepulturæ, interdum etiam, & nõ rarò in proprijs Eccleſijs illos tradendo Eccleſiaſticæ ſepulturę, illis aliquando etiam concedendo habitum propriæ religionis, & quidem cum plurium indulgentiarum conſecutione.

CAPVT V.

De Reformatione Religionum.

1 R*Eformatio religionum eſt reſtitutio earum ad priſtinam obſeruantiam regularis diſciplinæ.*

2 *Neceſſaria eſt in religionibus reformatio.*

3 *Maximè procuranda quando corruit diſciplina regularis; cenſetur autem corruere, ſi exceſſus non puniantur.*

4 *Procuranda à Prælatis in Capitulis.*

5 *Immò, & à Prælatis localibus in ſuis monaſterijs.*

6 *Idque maximè ſalutares pœnas imponendo delinquentibus.*

7 *Reformatio inducitur, reuocando primæuam obſeruantiam regulæ.*

8 *Ad eam plurima conferunt.*

9 *Confert vſus orationis mentalis.*

10 *Confert obſeruantia regularum, etiam minimarum.*

11 *Proba-*

11 *Probatur aſſertio quò ad regulas minimas.*
12 *Confert exactus vſus ſpiritualium exercitationum.*
13 *Confert recta iuuentutis educatio.*
14 *Confert electio bonorum Prælatorum.*
15 *Confert fuga nimiæ euagationis.*
16 *Confert vitatio conuerſationum ſæcularium.*
17 *Confert abdicatio ſuperfluarum exemptionum; quæ maximè viget in Societate Ieſu.*
18 *Confert ablegatio omnimoda ambitionis.*
19 *Confert vita communis quò ad victum, veſtitum &c.*
20 *Confert fraternæ charitatis conſeruatio.*
21 *Conferunt ſtudia literarum.*
22 *Proponitur, & ſoluitur obiectio.*
23 *Confert rerum neceſſariarum competens ſuppeditatio.*
24 *Confert diſcreta tranſgreſſionum punitio.*
25 *Reformatio, ſi præſcribatur, acceptanda à religioſis.*
26 *Proponitur, & ſoluitur obiectio.*
27 *Limitatur primò aſſertio propoſita.*
28 *Limitatur ſecundò.*
29 *Reformatio inducta ſuprà regulam non obligat.*
30 *Excipe, niſi religioſi in eam liberè conſentiant.*
31 *Aſſertio procedit etiam quò ad Papam.*
32 *Supra regulam ſunt, quæ nec impliciter in ea continentur; contrà quod videri poſſet facere obiectio, quæ ſoluitur; fauet autem doctrina quædam Bordoni, quæ refertur.*
33 *Religionum reformatio difficillima.*
34 *Multas ob cauſas procuranda.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hìc nomine Reformationis.

1 ℞. Quòd, cùm reformare idem ſit, ac iterum formare; & formare nihil aliud ſit, quàm rem conſtituere in ſuo eſſe, iuxtà illud Philoſophi *Forma dat eſſe rei*; dicendum eſt nomine reformationis hìc intelligi reſtitutionem religionis per inobſeruantiam regularis diſciplinæ iam collabentis, aut collapſæ, ad priſtinum eſſe, nimirum ad priſtinam obſeruantiam tàm votorum ſubſtantialium, quàm propriæ regulæ, ac conſtitutionum; ſicque reformata dicetur illa religio, quæ cùm paucos haberet diſciplinæ regularis obſeruantes, legitima poteſtate ad eũ ſtatum reuocata eſt, vt in illa communiter vigeat regularis obſeruantia; & quidem non ſolùm quò ad ſubſtantialia ſtatus religioſi, ſed etiam quò ad accidentalia, idque cum maximo incremento.

QVÆRES II. Vnde proueniat neceſſitas eiuſmodi reformationis.

2 ℞. Prouenire ex eo quòd quęcunque ſub cęlo exiſtunt, eius ſunt naturæ, ac conditionis, vt paulatim deficiant à priſtino nitore, ac ſpecie, iuxta illud *Poetæ* Lyrici *lib. 3. ode 7. Damnoſa quid non imminuit dies, ætas parentum peior auis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem*: cui conſonat illud Maronis *Georg. I. Vidi lecta diu, & multos ſeruata per annos degenerare tamen*; hoc autem euenit etiam in religionibus, & maximè in ijs, quæ fundatæ ſunt in maiori vitæ aſperitate: in his enim paulatim deferbuit priſtinus feruor regularis obſeruantiæ, defecit ſtudiũ propriæ perfectionis, remiſſus eſt rigor vitæ præſcriptus in regula, præſtantia denique ſtatus religioſi quàm maximè degenerauit; vt proinde non immeritò ijs adaptari poſſint verba *Ieremiæ threm 4. quo modo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus; filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quo modo reputati ſunt in vaſa teſtea?* quamquam, Deo dante, in vnaquaque religione quantumuis collapſa plures ſemper reperiantur religioſi obſeruantes, pij, regularis diſciplinę ſtudio, & morum ſanctimonia inſignes, de quibus proinde verificatur, quòd non curuauerunt genua ante Baal *Rom. 11.*

QVÆRES III. Quo tempore procurari debeat reformatio religionum.

3 ℞. Debere procurari eo tempore, quo in religione conſtat diſciplinam regularem ita paulatim relaxari, vt meritò timeri poſſit eam, ſecluſa reformatione, penitùs fore euertendam. Id autem timeri poteſt probabiliter, quando regulæ, ac conſtitutiones Ordinis paſſim impunè violantur, idque ſcientibus ipſis regularibus Prælatis; cùm è contrà regulę, & ſtatuta religionum dicantur eſſe in viridi obſeruantia, quando tranſgreſſores communiter puniuntur à proprijs Superioribus, & debita punitione retrahuntur à nouis tranſgreſſionibus; ea quippe eſt natura legis, etiam iuxtà theologos, & iuris peritos, vt dicatur eſſet in viridi obſeruantia non ſolùm quando ea inuiolabiliter obſeruatur, ſed etiã quando ea paſſim violatur, puniuntur tamen ij, qui illam violant: ſicque lex tunc demum cenſetur derogata, aut abrogata per non vſum, vel per vſum contrarium, quando ea liberè violatur, & eius violatio non punitur; quod inter alios optimè notauit *S. Bonauentura tract. de 6. alis Seraph. cap.* 3. dicens in hoc differre religiones obſeruantes, ac reformatas, à relaxatis, ac inobſeruantibus, quòd in illis puniuntur trangreſſiones regularum, in his verò negliguntur, nec vlla ratione coercentur. Vnde in *Conſtitut. Soc. Ieſu p. 3. c. 1. §. 28.* ſic habetur *Et aliquoties ſingulis annis omnes à Superiore ſibi pænitentias iniungi propter defectum obſeruationis regularum petant; vt hæc cura indicium ſit illius, quam de ſuo profectu ſpirituali in via Dei quiſque habet.*

QVÆRES IV. Per quos induci debeat reformatio religionum.

4 ℞. Quòd, cùm, teſte *Rodriq. to. 3. q. 47. a. 3.* morum reformatio, & inſtituti proprij omnimoda obſeruatio debeat eſſe illud, quod principaliter ventiletur, & conſulatur in capitulis tam generalibus, quàm prouincialibus; hinc ſatis ſuperque apparet reformationem religionum debere induci per Prę-latos ſuperiores, ſiue Generales, ſiue Prouinciales: & quidem in capitulis, quibus ij reſpectiuè præſident, nimirum in capitulo generali, ſi reformatio induci debeat per Prælatum generalem, in prouinciali verò, ſi per Pręlatum prouincialem; quamquam id ipſum ij debeant pro viribus procurare, etiam in viſitationibus, quę ab ipſis reſpectiuè fiunt, cum ex re vera ad talem effectum potiſſimũ inſtitutæ ſint iuxta illud *Iere. 1. Cõſtitui te ſup gẽtes, & ſup regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plãtes:* Et certè quòd religionũ reformatio pręcipuè debeat procurari in capitulis, ſuadetur tũ ex eo quòd, quãdo Deus *Exod. 3.* pręcepit Moyſi, vt educeret filios Iſrael de poteſtate Pharaonis, dixit ei, *Vade cõgrega ſeniores Iſrael; & dices ad eos: Dominus Deus patrum noſtrorũ apparuit mihi, &c &*

D *audient*

audiet vocem tuam, ingredieriſque tu, & ſeniores Iſrael ad regem Ægypti; tum quia reformatio religionis eſt negotium valdè arduum, & maximi momenti; hæc autem negotia ſolent, & debent tractari in capitulis: tum quia reformatio religionum debet eſſe firma, & ſtabilis; ideoquè neceſſe eſt, vt legitimis ſtatutis ſtabiliatur: at hæc ſtatuta communiter non fiunt extra capitula; vt pote non facienda, niſi cùm maxima conſideratione, & de conſilio virorum nō minùs integritate morum, ac pietate, quam doctrina, ac prudentia inſignium.

5 Verum tamen eſt, quòd Prælati locales poſſunt etiam ipſi in hoc inſiſtere, immò & debent; quippequi ratione ſui muneris tenentur curare, vt in loco ſibi ſubiecto regula Ordinis ſeruetur, & ea collapſa reſtauretur: ſicque ad talem effectum poſſunt imponere præcepta, quæ durent pro toto illo tempore, quo ipſi perſiſtunt in officio. ita *Sanchez lib. 6. moral. cap. 2. num. 37. ex Roſela, Sylu. & Ang.* ſuſtinentibus Superiores poſſe præcipere ea, quæ conducunt ad pleniorem regulæ obſeruantiam tanquā implicitè, ſeu indirectè contenta in regula.

6 Illud porrò hic notent Prælati locales ad reformandam religionem nullum efficacius remedium adhiberi poſſe, quam ſi debita cum diſcretione tranſgreſſiones regulę identidem occurrentes puniant, ſalutares pænitentias imponendo tranſgreſſoribus: ſiquidem oderunt peccare mali formidine pęnę; nihilque magis retrahit religioſum minùs perfectum à violatione proprię regulæ, quàm timor pænæ ob illam infligendæ: vnde fit, vt, vbicūq; viget vſus pænitentiarum, ibi cenſeatur vigere regularis obſeruantia, quamuis aliàs interdum violetur regula. Non enim in vnaquaque religione deſunt neceſſariæ conſtitutiones, quæ per ſe ſufficiant ad reformationem regularis diſciplinæ, ideoque ſimpliciter loquendo, non eſt opus, quod multiplicentur ſtatuta, ac ordinationes, dummodo hæc vna impleatur; nimirum quòd ſtatuta, ac ordinationes religionis ſub grauibus pænis temporalibus executioni mandentur: quod aduertit *Rodr. vbi ſup.*

QVÆRES V. Qualiter debeat induci reformatio religionum.

7 ℞. Quod, cùm non ita facilè credi debeat ſtatuta cuiuſque religionis ab initio edita, fuiſſe minùs idonea ad conſequendum finem ſibi præſcriptum: ad reformationem religionis non videtur neceſſarium aſſumere ſeueriores alterius religionis regulas: ſed inſpiciendum eſt, quid ſit illud, quod in qualibet religione peculiarem inſtituti illius modū relaxauerit, & ea parte remedium adhibēdum, prioribus ſtatutis reſtauratis, & ad ſeueriorem obſeruātiam reductis. ita *Sanch. ſup. n. 36.* & ante illum *Vaſq. 1. 2. q. 95. a. 2. D. 154. cap. 4.* probantquę ex eo quod alioqui cōfunderentur peculiaria inſtituta religionum, ſi regulis Ordinis reformandi ſuperadderentur rigidiores alterius religionis regulę proprię peculiaris illius inſtituti. ſecùs, ſi habita ratione temporis, ac loci id neceſſarium iudicaretur ad reformationem: nam tunc id licitè fieri poſſet, & deberet, quamuis cum maxima conſideratione.

QVÆRES VI. Quæ media efficaciùs conferre poſſint ad inducēdā reformationē religionū.

8 ℞. Poſſe conferri ſequentia, quæ ſunt vſus frequens orationis mentalis: inuiolabilis obſeruantia regularum, etiam minimarum: exacta impletio omnium exercitiorum ſpiritualium: ſedula, & accurata iuniorum educatio: electio bonorum Prælatorum: fuga nimiæ euagationis extra clauſtra: vitatio familiaritatis ſæcularium: abdicatio ſuperfluarum exemptionum: relegatio omnimoda ambitionis: inductio vitæ communis quò ad victum, veſtitum, & reliqua: fraternę charitatis conſeruatio: ſtudium ſcientiarum tàm ſacrarum, quàm prophanarum: competens ſuppeditatio rerum neceſſariarū.

QVÆRES VII. Qualiter vſus orationis mētalis conferat ad reformandas religiones à primæua ſua perfectione collapſas.

9 ℞. Conferre non ſolum quatenus *rectè nouit viuere, qui rectè nouit orare*, vt inquit *S. Aug. ho. 4. ex. 50.* ſicque communiter qualis eſt oratio, quæ manè fit à religioſo, talis eſt vita moralis, quæ eo die traducitur, teſte quotidiana experiētia: quo ſenſu loquēs de orationis ſtudio dixit olim vir ſanctiſſimus: *Sine iſto ſtudio omnis religio eſt arida, imperfecta, & ad ruinā promptior*; ſed etiam quatenus vi orationis mentalis intimiùs ſpirituales noſtras neceſſitates dignoſcimus, defectus noſtros meliùs percipimus, ad illorū emendationem magis excitamur, neceſſaria tandē auxilia faciliùs obtinemus; vt proinde dicant communiter magiſtri vitæ ſpiritualis fruſtrà profectum virtutum ſperari ſine oratione: quod etiam confirmat *B. Laur. Iuſtin. de grad. perf. c. 12.* his verbis *Nullus perfectè enarrare ſufficit, quàm neceſſaria ſit oratio cunctis, & quantùm ad perfectionem venire anhelantibus omninò ſit congrua: audeo etiam dicere neminē abſq; illa poſſe ad ſalutem pertingere*. Hinc fit, quòd in vnaquaque religione obſeruanti extat aliqua obligatio orandi mentaliter certis quibuſdam temporibus; cum, teſte *Trithemio hom. 8. ad monach.* conſiliū illud Chriſti Domini *Oportet ſemper orare, & numquam deficere*, præcunctis mortalibus maximè deceat monachos, & omnes in quacunque religione clauſtrales, quorum omnis actio, & tota vita, immò quidquid faciunt, aut oratio eſſe debet, aut ſaltem orationi conforme; *monachus* quippe, inquit Climac. *grad. 1. eſt qui ſolùm ad Deum aciem mentis intentus illum ſemper orat in omni tempore, loco, & re*.

QVÆRES VIII. Quantùm conferat ad reformationem religionum exacta obſeruantia regularum, etiam minimarum.

10 ℞. Quòd, cū regulæ ſint quaſi oſſa, ac nerui religionū, vt ſine iis non poſſint conſiſtere: tunc demū religio benè habebit, & cenſebitur retinere ſuū primæuum vigorem, quando regularis obſeruantia vigebit; ſecùs, ſi nulla, vel ſaltem admodū ſuperficialis extet obſeruantia regularū: tunc enim religioſi non erunt niſi de nomine religioſi; quippequi in Eccleſia vocantur regulares à regularum obſeruantia, & religioſi, eò quòd ſint quaſi relegati ad obſeruanda non ſolum Dei præcepta, ſed etiam conſilia contenta in propria regula: quo modo *S. Bernard. ep. 321. ad Fratres de Sancto Anaſtaſio* hæc habet: *Rogo vos, Fratres, & multùm obſecro, ſic agite, & ſic ſtate in Domino, dilectiſſimi ſoliciti ſemper circa cuſtodiam ordinis, & ordo cuſtodiat vos*. & certè quod

reli-

religioſus ſtatus non poſſit ſubſiſtere abſque exacta regularum obſeruantia, oſtendit *Vmbert. de mod. prædic. l. 2. c. 6.* quodam ſimili valdè accommodato, *Sicut enim* (inquit) *dolia diſſipata religantur, vt ſint idonea ad vini capacitatem ſic religantur viri per religionem, vt ſint apti ad ſpiritualem gratiam recipiendã; ſunt autem ſex quaſi circuli, qui valent ad religationem huiuſmodi doliorum: primus eſt propria regula, ſecundus propriæ Conſtitutiones, tertius approbatæ conſuetudines, quartus mandata Prælatorum, quintus correctiones viſitatorum, ſextus eſt ordinationes;* Sic refert *Plutarch. in conuiu.* diſceptantibus inter ſe ſapientibus, quis populus, quæue reſpublica foret optima, & fęliciſſima, Biantem dixiſſe, *In qua legem vniuerſi tanquam tyrannum metuant* (at melius dicerem ego ad rem noſtrã, *In qua legem vniuerſi tanquam matrem diligunt;* cùm lex euangelica ſit lex non timoris, ſed amoris); ſic Plato dicere ſolebat ſine lege nec domum, nec ciuitatem, nec gentem, neq; hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum naturam omnem, neque ipſum mundum poſſe; ſic etiam *Ariſtoteles 5. polit. c. 9.* innuit viuere ſecundùm leges *eſſe ipſam* ſalutem: ſic *Prou. 3.* habetur *Cuſtodi legem, atque concilium, & erit vita animæ tuæ.*

11 Quòd verò ad conſeruationem religionum, & conſequenter ad earum reformationem requiratur exacta obſeruantia regularum, quamtumuis minimarum; docet ipſa experientia rerum optima magiſtra; qua conſtat aliquas religiones, quæ cum magno feruore, ac vitę ſanctimonia initium habuerũt, minima neligentes traditionum paternarum in proceſſu temporis paulatim corruiſſe, & exinanitas fuiſſe vſque ad fundamenta in eis, cuius rei ca eſt ratio, quòd modica ſpernens paulatim decidit *Eccl. 19.* & *à minimis incipiunt, qui in maxima proruunt,* inquit *S. Bern. de ord. vit. §. vlt.* dicens *ſer. 1. de conuerſ. S. Pauli: Cauete deinceps, fratres, ne quis parua reputet: nemo dicat in corde ſuo, leuia ſunt iſta; non euro corrigere, non eſt magnum, ſi in his maneam venialibus, minimiſque peccatis; hæc enim; dilectiſſimi, impænitentia, blaſphemia in Spiritum S. blaſphemia irremiſſibilis;* pręter quàm quòd teſte *B. Laur. Iuſtin. de diſcip. monach. c. 8. qui in paruis negligens eſt, ſublimium donorum omninò indignum ſe facit.* Vnde placet concludere cum *Boſſio in ſpeculo monach. Si paruipendis conſtitutiones, & ordinationes ſacræ religionis, quantumuis paruæ ſint, monachus non es.*

QVÆRES IX. quantùm conducat ad reformationem religionis, quòd in ea inducatur exacta impletio omnium exercitiorum ſpiritualium.

12 ℞. Quòd, cùm perfectio ſtatus religioſi non cõſiſtat pręcisè in peragendis varijs bonis operibus; nimirum in meditando, pſallendo, Sacramentis ſuſcipiendis, miniſterijs exercendis, & ſimilibus, ſed in talibus operibus benè faciendis iuxtà illud S. Hieronymi *Epiſt. ad Paulin. Non Ieroſolymis fuiſſe, ſed Ieroſolymis benè vixiſſe laudandum eſt:* propterea tunc demum religio aliqua dicetur reformata, quando illius alumni benè, ac perfectè implent quæcumque ipſis pręſcribuntur in regula; ita vt de vnoquoque illorum meritò dici poſſit, *Benè omnia fecit.* Non enim religio reformata differt à religione relaxata, quòd in ea multa opera bona, & pia fiant, non item in hac (ſiquidem etiam in religione relaxata plura peraguntur bona opera, vt patet); ſed in eo differt, quòd in religione reformata, quæ fiunt bona opera, fiunt benè, ac perfectè: in religione verò relaxata fiunt imperfectè, & maxima cum negligentia. Ad quod poteſt facere parabola, quæ habetur *Matth. 13.* de ſemine quod miſſum in terram bonam aliud dedit fructum centeſimum, aliud ſexageſimum, & aliud trigeſimum; ſemen quippe eſt exercitium bonorum operum, quòd fit in vnaquaque religione, ſiue reformata, ſiue relaxata: fructus autem, qui inde percipitur, eſt meritum; iſte verò fructus eſt maior, aut minor; pro vt benè, aut meliùs, vel malè fiunt bona opera; nimirum aut centeſimus, aut ſexageſimus, aut trigeſimus, aut etiam nullus.

QVÆRES X. Quantùm iuuet ad reformationem religionum recta educatio iuniorum.

13 ℞. Iuuare quàm maximè, immò hinc potiſſimũ pendere bonum ſtatum cuiuſque religionis tam quo ad eius conſeruationem, quam quo ad amplificationem; quo pacto in 1. *regula magiſtri nouitiorum Societ. Ieſu* dicitur, *Rem eſſe magni momenti ſibi commiſſam intelligat, quandoquidem ex prima nouitiorum inſtitutione pendet maiori ex parte eorundem profectus, & ſpes noſtræ Societatis;* in cuius rei confirmationem adduci poteſt tum quod habet *Ariſtoteles 8. polit. c. 1. Iuuentutis diſciplina neglecta facit magnum reipublicæ detrimentum:* tum quod ait *S. Bonau. in informat. nouit. p. 2. c. 1.* his verbis *Puer, qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam religionem: peruerſus, & inſolens in onus religionis, & diſſolutionem admittitur.* Ratio autem reſponſionis eſt, tum quia; teſte eodem *S. Bonau. in prologo ſpeculi diſcipl. formam, quam primum quis recipit, vix deponit, & qui diſciplinam in nouæ conuerſationis initio negligit, ad eam poſtmodùm difficilè applicatur;* tum quia, inquit *B. Laur. Iuſtin. lib. de obed. c. 20.* ſunt nouitij in via Dei tanquam arbuſculorum virgę tenerrimę, quæ ad poſſidentis libitum huc, illucque abſque contradictione flectuntur: at verò, ſi indurnerint, nequeunt ad ſe emollire; tum quia *adoleſcens,* dicitur *Prou. 22. iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea;* ſicque *bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua Thren. 3.* tum quia ad rem pręſentem facit, quod ait Sapiens *Eccl. 25. Quæ in iuuentute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua inuenies?* Quocirca Clement. VIII. editurus quædam decreta ſuper receptione, ac educatione nouitiorum, quæ habentur in *bullar. to. 3. bulla ipſius in ordine 82.* ſic ait, *Cùm ad regularem diſciplinam in ſingulis religioſorum monaſterijs propagandam nouitiorum inſtitutio maximè vtilis ſit, ac neceſſaria, &c.*

QVÆRES XI. Quantùm conferat ad reformationem religionum electio bonorum Prælatorũ.

14 ℞. Conferre quàm plurimùm: 1. quidem quia *regis ad exemplum totus componitur orbis;* ſiquidem, vt loquitur *Seneca Epiſ. 6. homines ampliùs oculis, quã auribus credunt, & longum iter eſt per præcepta, breue, & efficax per exempla.* 2. quia Prælatus minùs bonus, ac moribus ipſis negligens regularẽ diſciplinã non audebit illã procurare in ſubditis, ſibi ab eo dicterio cauẽs, *Medice, cura te ipſũ,* 3. quia, vt habet Sapiens *Eccleſ.*

Eccleſ. 10. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius; & qualis eſt rector ciuitatis, tales & habitantes in ea*; ideoq; vt reformentur religioſi ſubditi, neceſſe eſt, vt priùs reformentur eorum Prælati: 4. quia, teſte *S. Gregorio l. 6. epiſt. ind.* 15. *ep.* 7. ita ſibi regentium merita connectuntur, & plebium, vt ſæpè ex culpa præſidentium deterior fiat vita ſubiectorum, 5. quia Prælatus monaſterij hòc ipſo quòd pia affectione caret erga regularem obſeruantiam quò ad ſe; refugiet illam procurare in alijs, cùm omne ſimile appetat ſibi ſimile. 6. quia admonitio Prælati minùs boni non eſt efficax, ſed otioſa, ac omninò inutilis; ſicut optimè aduertit *S. Ephrem in paræn. num.* 15. dicens, *& quid prodeſt nobis alios admonere, ſi ipſi contraria agamus?*

QVÆRES XII, Quantopere deſeruiat ad reformationem religionum fuga nimię euagationis extra monaſteria.

15 ℟. Deſeruire mirum in modum, idqne ex multis capitibus. 1. quia inquit *B. Tho. Villanoua conc.* 2. *in* 1. *Dom. quadrag.* monachum, vel religioſum extra cœnobium ducit Sathan, vt ſic per plateas vagantem libidine inficiat, curioſitate ſauciet, ambitione inflet, curis ſæcularibus diſturbet, & à deuotionis feruore diſtrahendo tepefaciat, & infrigidet: cùm ergò hæc mala euitentur per fugam nimiæ euagationis, talis fuga uon poterit non maximè conferre ad reformandam religionem. 2. quia, vt reformetur religio, neceſſe eſt, vt religioſi exequãtur pia conſilia, quæ Deus immittit homini loquẽs ad cor; Deus autem non ſolet loqui in medijs plateis, ac publicis vijs ciuitatum, ſed in ſolitudine iuxta illud *Oſeæ* 2. *ducam eam in ſolitudine, & loquar ad cor eius*; 3. quia ipſa diuagatio extra monaſterium impedit acquiſitionem religioſæ perfectionis; vnde *S. Benedictus cap.* 4. *regulæ* recenſens ea, quæ pertinent ad monachi perfectionem ſic habet; *Officina, vbi hæc omnia operemur, clauſtra ſunt monaſterij, & ſtabilitas in congregatione.* 4. quia monachus extra cellam eſt, ſicut piſcis extra aquam (dicebat S. Antonius Abb.) vnde, ſicut piſces, ſi tardauerint in ſicco, moriuntur; ita & monachi tardantes in ſæculo extra cellam à quietis propoſito reuoluuntur. 5. quia indicat *S. Baſil. in conſtit. monac c.* 17 *non aliũde, quàm ex animi distractione mundanas cupiditates in nobis naſci, à quibus cum varijs poſtea tumultibus vexata mens noſtra fuerit, ſegniores ad capeſſenda recta officia reddimur*; quod ſine dubio impedit reformationem religionis. 6. quia ad reformationem religionis neceſſarius eſt vſus orationis mentalis, vt oſtendimus q. 7. nihil autem magis obſtat vſui orationis, quàm frequens euagatio extra monaſterium, vtpote replens mentem vanis, ac inutilibus cogitationibus, quæ poſtea oranti recurrentes importunè illũ diſtrahunt à meditatione; ſiquidem, teſte quotidiana experientia rerum magiſtra, qualis liquor vaſi infunditur, taliter tedolebit; & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, talia ſemina germinabunt.

QVÆRES XIII, Qualiter ad reformationem religionum profit euitatio familiaritatis ſæcularium.

16 ℟. Prodeſſe tũ quia ſic euitantur occaſiones peccandi iuxtà illud *Thomæ de Kempis in dial. nouit. ca.* 4. *ſi intendis proficere, & in bono perſeuerare* (dixerim ego ad rem noſtram, & reformari) *fuge conſortia hominum ſæcularium, caue occaſiones tentationum, vt non videas, nec audias, quæ mundi ſunt, ne corpore aſſociatus, eis mente inquineris*: & inferiùs, *fuge, tace, quieſce, abſcondere, elongare, ama neſciri, diſce mori; luge præterita: ſperne præſentia, meditare futura*: tum quia religioſorum conuerſatio debet eſſe in cælis iuxtà illud *Philipp.* 3. *noſtra autem conuerſatio in cælis eſt*: *non ergò*, (vt loquar cum *Trithemio hom.* 12. *de monach.*) *conueniunt monacho frequentes amicitiæ mortaliũ, per quas & vigor mentis diſſoluitur, & variæ occupationes ingeruntur*; vnde Arſenio adhuc ſæculari degenti in aula Imperatoris ea vox illapſa eſt, *Arſeni fuge homines*; tum quia grauis, & nimis periculoſa eſt mundana conuerſatio, vt benè aduertit *S. Bernardus in florib. cap.* 33. dicens, *periclitatur caſtitas in delicijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam ſæculo*, tum quia *S. Bonau. q.* 19. *in regula* inter cauſas relaxationis religionum, quibus (inquit ipſe) *ſtatus religionis deficit, vt non ſolum fiat deterior, ſed etiam quaſi deſperabilis, quod vix vnquam, niſi Deus ordinet aliter, reformetur*; ponit *frequentiam inter ſæculares, ex qua oritur multarum tentationum carnalium materia, & temporis, &c.* quod etiam repetit in quadam epiſtola his verbis; *Inter cauſas, cur ſplendor Ordinis obſcuratur, Ordo exteriùs inficitur, & nitor conſcientiarum interiùs defœdatur, occurrit multiplicatio familiaritatum, quã regula prohibet.*

QVÆRES XIV. Quo pacto in reformationẽ religionum influat abdicatio ſuperfluarũ exẽptionũ.

17 ℟. Quòd quamuis moderatæ exẽptiones, quæ in aliquibus religionibus concedi ſolent viris benè meritis de Ordine, abſolutè non debeant damnari; cum id rationi, & æquitati ſit maximè conſentaneum, (vt inde patet, quòd interrogatus Socrates, quænã ciuitas rectè gubernari poſſit, reſpondit, *Ea in qua inuitantur boni præmijs*) ſuperfluæ tamen exẽptiones quamplurimum impediunt reformationem religionum, vtpote deſtruentes regularem obſeruantiam, & maxima mala gignentes in communitatibus religioſis; quo modo non minùs argutè, quàm piè dicit ille, diſpenſari in obſeruantijs regularibus nihil aliud eſſe, quàm cum licẽtia pręcipitari in infernum. Ad quod facit formidabilis caſus, quẽ refert *Delrius l. 6. diſquiſit. magic. c. 2. ſect. 3. q. 3.* pluriũ religioſorũ cuiuſdã Ordinis, qui propriã damnationẽ atteſtantes Priori monaſterij, dixerunt ſe pro maiori parte fuiſſe magiſtros, priores, Superiores, baccalaureos, lectores, & alijs officijs donatos, ſeque fuiſſe damnatos ex multa ambitione, ſuperbia, inuidia, & alijs huius generis vitijs: quæ vtique ſunt fructus ſuperfluarum exemptionum; id quippe intendit Dæmon per eiuſmodi exemptiones; nimirum, vt diſciplinam regularem euertat in monaſterijs, & religioſos ipſos miſerrimè perdat. ſic refertur *in hiſtoria Sancti Franciſci par. 1. l. 1. cap.* 53. quòd, cùm coactis generalibus comitijs Ordinis Minorum, dæmones ipſi etiam ſua comitia aduersùs illum coegiſſent, ad ipſum in perfectione religioſa fælicius excreſcentem diſſipandum: ex ijs vnus cæteris callidior

ſignifi-

ſignificauit dictum Ordinem quàm primùm euerſum iri, eò quòd in illo plures futuri eſſent, qui ſuperfluas diſpenſationes, ac immunitates à regularibus obſeruantijs ſectarentur.

Hinc non ſine cauſa *S. P. Ignatius in Conſtitut. c. 7. examin.* præcipit, vt petens ingreſſum Societatis interrogetur, an contentus fuerit eodem, atque alij, modo in collegio agere, nulliſque priuilegijs, aut prærogatiuis minimum omnium, qui in eo fuerint, anteire: idque ad fęliciùs, & faciliùs conſeruandam perfectionem, in qua primò fundata eſt Societas, & ad cauenda mala, quæ proueniunt Ordinibus religioſis ex inductione ſuperfluarum exemptionum, quò ſpectat menſa communis, quæ adeò in Societate eſt communis, vt nullus, quantumuis grauis, & antiquus, ſiue ſuperior, ſiue doctior, ſiue cuiuſcũque alterius conditionis, ab ea excipiatur, niſi cauſa ægritudinis; dempto tamen Generali, cui ob graue pondus occupationum, aliaſque cauſas id ſingulariter conceſſum fuit in Congregat. generali III. *decr.* 38. quamquam poſtea in 7. Congregat. generali *decr.* 7. maximè commendetur pia propẽſio, quam illi ſignificauerat ipſemet Generalis, tollendi omninò menſam priuatam: quod licèt non obtinuerit, facto tamen ipſo ſe illa priuauit. Ratio autem, cur permiſſio ſuperfluarum exemptionum adeò obſtet reformationi religionum, inde deſumitur, quòd, teſte *S. Baſilio ſerm. de inſtit. monach. vbi æqualitatis defraudatio eſt, inuidia,, odijque materia, ac ſeminarium exiſtit ijs, qui defraudantur*, præterea per ſuperfluas exemptiones fouetur ſuperbia origo omnium vitiorum; cum alioqui prima ratio humilitatis in communis vitæ verſetur officijs, quibus, & diuina clementia conciliatur, & ſocietas humana connectitur, ſicut loquitur *S. Ambroſ. Ep. 84. ad Demetr.*: per exemptiones denique ſuperfluas ablegatur omninò charitas iuxta illud *S. Bonauentura l. 1. pharet. c. 32. Si peculiaritas à monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione eadem poterit permanere.*

QVÆRES XV. Quantùm conferat ad religionum reformationem omnimoda ablegatio ambitionis.

18 ℞. Quod, ſicut nullum vitium poteſt eſſe magis pernicioſum Communitati religioſæ, quam ambitio; cùm ex ea inuidiæ, diſſenſiones, contentiones, odia, calumniæ, perſecutiones, detractiones, & ſexcenta alia vitia, quę ſunt peſtes religionum, oriantur: ſic nulla virtus magis confert religioſis ad conſeruandum primęuum feruorem ordinis, quàm humilitas, & ambitionis omnimoda relegatio: vnde *S. Iſidorus l. 3. ſent. c. 20.* ait, *Summa virtus monachi humilitas, ſummum vitium eius ſuperbia eſt: tunc autem ſe quiſque monachum indicet, quando ſe minimum exiſtimauerit*; quòd ſi humilitas valet ad conſeruandum primæuum feruorem religionis, valebit & ad illum reſtaurandum, ſi fuerit deperditus, aut aliquo modo diminutus. Et quidem quòd grauiſſima, ac innumera vitia ſint adiuncta ambitioni, ſatis apertè indicat *S. Baſil. in conſtit. monach. c.* 10. dum loquens de ambitioſis ait, *Qui autem ab hoc vitio captiui tenentur, eos inuidos, contentioſos, inſimulatores, impudentes, calumniatores, aſſentatores, veteratores, humiles, vbi non conuenit, illiberales, glorioſos, ſexcentis denique alijs huiuſcemodi turbis refertos exiſtere neceſſe eſt: illorum etiam interitum exoptabit, quò videlicet ſublatis de medio in deferendis muneribus neceſſariò ſuffragia ad ipſum deueniunt: atque ex hoc etiam aliud ſequetur, quòd ijs, penes quos illa deferendi poteſtas erit, adulabitur, atque ita multa illiberaliter, ac ſeruiliter aget: aduersùs inferiores verò, ſi aduerſentur, ſuperbè, ac præfidenter ſe geret: dolos conſciens commachinabitur, perturbationeſque innumerabiles, ac ſuſpiciones ſibi acceſſet, à ſequi animi trãquillitatem fugabit, & Deus pacis expelletur, vtpotè cui locus in eo non ſit, vbi acquieſcat*; quę autem morum reformatio ſperari poteſt in tãta vitiorum collunie? Præterquamquod honores mutant mores, ſicque ambitioſus ſtatim ac eſt ad honorem promotus, in ſuperbiam extollitur, in iactantiam effrænatur, non curat prodeſſe, ſed gloriatur præeſſe; ſicut in ſpecie aduertit *Innoc. l. 1. c. 27.* quod ſi *Plato l. 3. de repub.* dicit, vbi de principatu contenditur, cùm propriũ hoc ſit, & inteſtinum bellum, tum eos, qui ita pugnant, tum reliquam ciuitatem perdi: id à fortiori locum habebit in ordinibus religioſis, ſi in iis vigeat ambitio, ac dominandi libido: vt conſtat ex dictis.

QVÆRES XVI. Quantùm prodeſſe poſſit ad reformationem religionum inductio vitæ communis quò ad victum, veſtitum, &c.

19 ℞. Quàm plurimùm prodeſſe, tum quia ſic Religioſi liberantur ab ea ſollicitudine comparandi neceſſaria ad decentem ſuſtentationem ipſis interdicta. *Matt. 6. nolite ſoliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* adeoque poſſunt liberius, & accuratiùs vacare tum exercitijs ſpiritualibus religionis, tum miniſterijs ordinis, tum ſtudijs literarum; quę ſine dubio maximè poſſunt iuuare ad reformandam religionem; tum quia *qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli, & tentationes, ac deſideria multa inutilia, quæ mergunt hominem* (addiderim ego, totam religionem) *in interitum, & perditionem 1. Timot. 6.* tum quia benificio vitæ cõmunis commodè poſſunt religioſi abſtinere a committendis quibuſdã rebus indignis, ad quas alioqui turpis egeſtas eos identidem impelleret; tum quia ſic fęliciorem vitam traducunt; cùm Pittacus rogatus, quis populus, quænamue reſpub. foret optima, & fęliciſſima, reſponderit, *In qua neque requirũtur ſuperuacanea, neque deſiderantur neceſſaria*: quod omninò verificatur de religioſis vitam communem degentibus: tum quia ſic maiori cum libertate poſſunt procedere cum proximis, vt potè non indigentes ipſis, nec rebus ipſorum; quod minus facere poſſunt religioſi, quibus è bonis monaſterij non ſuppeditatur competens ſuſtentatio, hi quippe in ſuorum miniſteriorum vſu timendum eſt, ne dicant quod Io: Bugen Hagio impoſtor Lutheranus ſe cõferens ad Daniam cauſa prædicandi ſuam hæreſim dicebat, *Tu meum habeas, Dania, euangelium: ego tuos nummos*: tum quia reuera ſuperflua bonorum temporalium poſſeſſio quam maximè obſtat reformationi monaſteriorum, vt ſatis apertè inſinuat Trithem. *hom.* 7. his verbis, *Quandiu fuerunt pauperes monachi, Deum in veritate coluerunt: poſtea verò quàm diuitijs abundare cæperunt, ſimplicitatem fugauit duplicitas: integritas namque obſeruantia*

regularis abundantiam peperit rerum temporalium, ſed paulatim diuitiæ monachorum puritatem ordinis funditus extinxerunt.

QVÆRES XVII. Quàm vtilis ſit fraternæ charitatis cõſeruatio ad reformationẽ religionum.

20 ℞. eſſe vtiliſſimam; vt vel inde patet, quòd, ſicut omne regnum in ſe ipſum diuiſum deſolatur, iuxtà illud *Oſeæ* 10. *diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt*; ſic nihil magis conferre ad conſeruationem cuiuſcũque communitatis, quàm concordia: vnde enatum eſt illud effatum *Concordia parua res creſcunt, diſcordia maximæ dilabuntur*, hinc S. Hieron. *in regul. monach.* cap. 1. loquens de charitate ſic ait, *Hæc religioſos, hæc monachos facit: ſine hac cænobia ſunt tartara, habitatores ſunt dæmones: cum hac verò ſunt paradiſus in terris, & in eis degentes ſunt Angeli.* Quòd ſi charitas eſt vinculum perfectionis, teſte *Apoſtolo Coloſſ.* 3. quis non videt, quantum conferre poſſit vnio charitatis ad reformationem religionum, cum per hanc reformationẽ id vnum intendatur, vt per eam religioſis facilior reddatur acquiſitio perfectionis? certè ex ordine charitatis, quæ debet vigere inter religioſos, religiones vocantur ordines, ideoque religio, in qua uon ſeruatur ordo debitę charitatis, uequaquam meretur uomen Ordinis, *Si enim* inquit *S. Bern. de modo benè viuendi ſer.* 17. *detractio, & iurgia ſunt in clauſtro, vbi eſt taciturnitas regularis? vbi ſanctitas religionis? vbi ſilentium Ordinis? vbi religioſitas monaſterij? vbi vinculum charitatis? vbi pax vnitatis? vbi concordia fraternitatis? vbi amor ſocialis? heu proh dolor, perijt taciturnitas regularis, ablata eſt ſanctitas religionis, defecit ſilentium Ordinis, ad nihilum deuenit religioſitas monaſterij, annullata eſt charitas fraternitatis.*

QVÆRES XVIII. Quantùm conferre poſſit ad reformationem religionum ſtudium ſcientiarum tam diuinarum, quàm humanarum.

21 ℞. Conferre plurimum, idque multis ex capitibus; nimirum 1. quod ſic vitatur otioſitas, quæ docuit omnem malitiam, & eſt omnium vitiorum ſeminariũ, adeoq; cauſa relaxationis religionũ; cùm.n. religioſi non poſſint in iugi rerum diuinarum meditatione, ac exercitio orationis perſiſtere, ſed neceſſitatem habeant identidem interrumpendi, ne inde plùs iuſto defatigentur, & ex defatigatione tædium concipiant: & ex alia parte, data ea interruptione, occupati non poſſint in re magis conuenientes ipſorum ſtatui, quam in ſtudio ſcientiarum; manifeſtè liquet, quantũ vtilitatis ex eo referre poſſint, in ordine ad proprium ſpiritualem profectum, & conſequenter ad reformandam totam religionem; vnde factum eſt, vt ipſimet Ordines monachales (de quibus 16. *q.* 1. *c.* 4. dicitur *Monachus non doctoris habet, ſed plangentis officium*) multis in locis ſtudia ſcientiarum, etiam naturalium, diutiùs intermiſſa reſumpſerint, ſibi certò perſuadentes ea fore vtiliſſima ad primæuam monaſticæ diſciplinæ feruorẽ augendum, non modo conſeruandum 2. quia vix credi poteſt, quantùm deſeruiant ſtudia ſcientiarum ad edomandum iuuenilis ętatis feruorem, & ad compeſcendos prauos animi motus inſurgentes: vnde rarò reperias virũ ſtudioſum, qui ſit vitioſus: id autem maximè iuuabit ad reformandos religioſorum mores, vt patet, & innuit *S. Hieron. ad Florent.* dicens, *Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis.* 3. quia cognitio rerum diuinarum, quæ habetur ex ſtudio ſcientiarum, valdè influit etiam in profectum virtutũ; ſicut indicat *S. Ephrem. in paræn.* 1. ijs verbis *Initium bonæ vitæ monachi eſt cognitio Dei: ignorantia autem de Deo, monachi mentẽ excæcat.* Quæ omnia confirmari poſſunt ex ijs, quæ habet Io: Nider Dominicanus *tit.* 2. *c.* 17. dicens *Octaua radix perditionis religioſæ eſt ſtudij religioſi omiſſio, quæ iam mendicantium Ordines, eos comparando ad præterita, multùm tendere facit ad occaſum, percepi id ipſum ab ordine poſſeſſionatorum, & à viris optimæ conſcientiæ ſe non diù reformatos eſſe manſuros, niſi ſtudium apud ſe reſuſcitaſſent*; habet igitur locum hodie in vtriſq; illud Oſeæ. 4. *Conticuit populus meus, eò quòd non habuit ſcientiam: quoniam tum ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

22 Nec obſtat, quòd S. Franciſcus Aſſiſinenſis Fratrem Ioannem de Stracia Bononienſe ſtudium in Ordine inſtituentem abſque ipſius Sancti licentia, ſic acriter increpauit dicens, *Tu vis deſtruere Ordinem meum: deſiderabam enim, & volebam exemplo Domini mei, Fratres meos magis orare, quam legere*; non obſtat, inquam; cùm S. Franciſcus ex modo illo loquendi damnaſſe videatur ſtudium, non ſimpliciter, ſed quod aſſumitur cum diſpendio proprij profectus ſpiritualis, ac præiudicio regularis diſciplinæ (cuiuſmodi fortè erat, quod primò inſtituit præfatus F. Ioannes:) idque colligo ex illis verbis, *magis orare, quam legere*: quod eſt dicere, non quidem lectionem, ſeu ſtudium debere ablegari abſolutè, ſed ſolum ita, vt oratio, ſeu proprius profectus ſpiritualis præferatur lectioni, ideſt ſtudio ſcientiarũ, alioqui, ſi eius religioſi omninò à ſcientiarum ſtudijs abſtinuiſſent, quo pacto vtiliter operam ſuam præſtare proximis potuiſſent, prædicando, conſulendo, docendo, audiendo confeſſiones, & alia ſimilia miniſteria obeundo? ad quę tamen eorum ordo ex primęua ſua inſtitutione fuerat in Eccleſia inductus.

QVÆRES XIX. Quantopere iuuet ad religionum reformationem competens rerum neceſſariarum ſuppeditatio.

23 ℞. Iuuare quàm maximè, & quidem 1. quia quãtò melius tractantur religioſi ſubditi in temporalib' ſpectãtib' ad victũ, veſtitũ, habitationẽ, & alia neceſſaria, eò exactiorẽ poteſt Superior exigere obſeruãtiã, iuxtà illud, *Vbi nõ eſt abũdãtia, ibi nõ eſt obſeruãtia*: conſtat autem, quòd reformatio religionum fũdatur in exacta regularum obſeruantia: 2. quia vbi Religioſis debita miniſtrantur alimenta iuxtà decentem ipſorum ſtatum, inter ipſos non exaudiuntur voces illæ *Num.* 11. *quis dabit nobis ad veſcendum carnes? recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mente nobis veniunt cucumeres, pepones, porrique, & cepæ, & allia: anima noſtra arida eſt*; quin potiùs omninò ablegantur ſingularitates, quæ adeò impediunt reformationem religionum, vt oſtendimus *q.* 14. & docet quotidiana experientia. 3. quia religioſi de neceſſarijs liberaliter prouiſi alacriùs laborant in vinea Domini, & vegetiores redduntur ad ambulandum in via diuinorum mandatorum

datorum

datorum dicentes cum Dauid *pſal.* 118. *viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum*; quæ vtique conducunt ad reformationem religionum inducendam.

QVÆRES XX. Quantum conducat ad reformationem religionum, quòd regulæ trangreſſiones cum debita diſcretione à Superioribus puniantur.

24 ℞. Conducere quàm maximè, patetque ex dictis *q.* 4. §. *Illud.*

QVÆRES XXI. An caſu, quo in aliqua religione inducatur legitima reformatio regulæ collapſæ, teneantur religioſi illius obſeruare regulam ſic reformatam, etiam ſi antea profeſſi ſint.

25 ℞. Quòd cùm relaxatio regulæ 3. modis induci poſſit, nimirum 1. per legitimam diſpenſationem, aut priuilegium, aut alia licita ratione (quo modo regula dici debet potiùs moderata, quã relaxata;) 2. per conſuetudinem ab initio quidem peccaminoſam, poſtea tamen ſufficientem ad derogandas contrarias conſtitutiones: 3. per difformationem ita per ſe, & intrinſecè malam, vt nulla conſuetudine præſcribi, aut honeſtari poſſit (qualis relaxatio videtur ſolum poſſe habere locũ in ijs, quæ ſunt contra vota emiſſa in religione:) Si quidem relaxatio fiat primo modo, certum eſt religioſos in caſu propoſito non teneri obſeruare primitiuam regulam ſecundùm eius rigorem (niſi fortè reformatio fieret, non propter maiorem perfectionem, ſed propter obſeruationem neceſſariam ad finem religionis, etiam ſpectatæ in eo ſtatu diſpenſationis, ac moderationis;) & ratio eſt, quòd nemo poteſt obligari ad acceptandum, quod nec directè, nec indirectè nouit: religioſi autem in præſenti caſu non vouerunt talem rigorem regulæ, cùm profeſſi fuerint regulam legitimè mitigatam, nec promiſerunt viuere ſecundùm illam, cùm ea tunc non eſſet reformata, ſed moderata, ſicque nec per Superioris præceptum poſſunt ad id obligari, cùm ille poſſit ſolùm præcipere iuxta regulam: Si verò relaxatio facta ſit ſecundo modo; & fiat reformatio; tunc religioſi, etiam antea profeſſi, tenentur illam acceptare; cùm talis reformatio verè non ſit additio ſupra regulam, ſed reſtitutio moraliter neceſſaria ad perfectam obſeruationem regulæ, & alioquin praua conſuetudo, eſtò habeat vim relaxandi obligationem regulæ, quamdiù illa durat, non tamen auferre poſſit religioſi, aut Papæ poteſtatem reformandi dictam regulam, & tollendi ipſammet conſuetudinem: vnde, qui profeſſus eſt talem regulam, etiam tempore relaxationis, virtualiter ſe ſubiecit ijs, qui poſſunt illam reformare, & per conſequens ſe obligauit ad amplectendã reformationẽ, ſi fiat: ſi deniq. relaxatio facta ſit tertio modo, & fiat reformatio, tunc potiori ratione tenentur religioſi illam obſeruare; cùm relaxatio, aut conſuetudo nunquã poſſit preualere contra ſubſtãtialia religionis, quippe quæ obligant ex voto, cuius obligatio eſt de iure diuino, & naturali, contra quod non currit præſcriptio, neque contraria conſuetudo. ita *Suar. to.* 3. *de relig. l.* 10. *cap.* 8. *nu.* 16. 17. 18. 19. *&* 20. vbi monet, loquendo de ijs, quæ multum conferunt ad ſeruanda ſubſtantialia religionis, eſtò ea immediatè non obligent ex voto, poſſe nihilominus Prælatum ſemper ea præcipere, & hoc maximè ex *Clem. exivi de verb. ſignificat.*

26 Nec obſtat dictis, quòd votum non obligat vltrà intentionem vouentis, vouens autem in noſtro caſu non cenſetur profiteri regulam, niſi prout illam inuenit, nempe relaxatam: quamuis enim id fortè verum ſit quò ad intentionem expreſſam, non tamen quò ad intentionem implicitam, & debitam, quæ vtique ſufficit ad obligationem inducendam, iuxtà *cap. ex parte de regular.* ita *Suar. ſup. num.* 14. addens, quòd ſi poſt factam moderationem regulæ, etiam per diſpenſationem Papæ, experientia conſtet talem diſpenſationem eſſe nociuam, quatenus, ablato rigore regulæ per eiuſmodi remiſſionem, nõ poſſunt reliqua conueniẽter obſeruari: tũc & Papa ſolus poſſet auferre dictam diſpenſationem; vel etiam religio, ſi ex maiori parte conſentiat, poteſt ei renunciare, & ſe reducere ad priſtinum rigorem, obligando etiam recens profeſſos ad illum ſeruandum, cum hoc re vera non excedat vim profeſſionis illorum.

27 Limitat tamen *Sanch. l.* 6. *mor. c.* 2. *num.* 39. *ex Anton. Tab. Armil. Nau. Azor. & alijs*, niſi tempore profeſſionis reſtricta fuiſſet intentio non ſe ampliùs obligandi, quàm ad illam regulam ſic relaxatam: actus enim agentium non operantur, nec debent extendi vltra intentionem ipſorum, & aliàs cauſa limitata non operatur niſi effectum limitatum; quamquam profitens in tali caſu, ſecuta reformatione, teneretur vel tranſire ad aliud monaſterium æqualis obſeruantię, ac erat prius monaſterium, vel denuò ſe obligare ad illam reformationẽ. quod in ſpecie tradit idem *Sanch. nu.* 39. *ex Anton. Tabien. & Armil.* addens *num.* 40. non tamen profuturam proteſtationem, ſaltem pro foro externo, quam profeſſurus faceret ante profeſſionem, ſe nolle obligare, niſi eo modo, quo regula tunc temporis ſeruaretur, ſi poſtea profiteretur abſolutè; ſi quidem proteſtans faciendo actum contrarium proteſtationi cenſetur ab ea recedere, & ſimpliciter conſentire, vt latè probat ipſemet *Sanch. l.* 2. *de matr. D.* 45. *num.* 19. alijs pluribus allegatis.

28 Addit *Sanch. l.* 6. *mor. cap* 2. *num.* 18. *ex Innoc. Anton. Henrico, & alijs Canoniſtis*, doctrinam traditam in præſenti reſponſione debere etiam limitari, niſi profeſſus tempore regulæ eſſet adeò delicatus, vt moraliter cenſeretur impotens ad ſuſtinendam nouam regulæ iam collapſæ reformationem; tunc enim cum ipſo diſpenſandum eſſet, vt tranſiret ad religionem ſimilem illi collapſæ, in qua profeſſus eſt; quod alij etiam admittunt tacito nomine relari à *Miranda to.* 1. *manu. q.* 31. *a.* 15. dicente, quòd, ſicut nouitijs datur annus probationis ad experiendos rigores, & aſperitates religionis: ſic & in noſtro caſu debet concedi vnus annus probationis ad probandas nouas aſperitates inductas ex occaſione reformationis; ita ut, ſi eas perferre non poſſint, petita licentia, & ſeruata forma iuris communis, poſſint ſe transferre ad aliam religionem.

Vnum hic moneo ex bulla Pij II. in *bullario Rodriq.* relata in ordine 26. & bulla Sixti IV. in eodem bullario adducta in ordine 37. Superioribus Ordinis

nis Carmelitarum iniungi reformationem, & ad id auxilium, ac brachium Prælatorum, ac Principum extrà Ordinem exhiberi, Fratribuſque reformationi reſiſtentibus excommunicationem infligi ipſo facto; à qua donec reſipuerint cum effectu, abſolui nequeant præter quàm in mortis articulo conſtitutui: quod indultum religioſis aliorum Ordinum communicari cenſet *Lezana v. reformatio regularis numer. 6.*

QVÆRES XXII. An Regulares poſſint cogi ad ad obſeruandam reformationem regulæ factam præcisè propter maiorem perfectionem, ac rigorem:

29. ℞. Non poſſe, & conſtat ex eo quòd iuxtà veriſſimam ſententiam à nobis probandam *in tract. de votis cap. 4. ſect. 3. q. 1. & 5. §. cæterum* non poſſunt Prælati religioſis ſubditis præcipere, niſi ea, quæ ſunt iuxtà regulam; quæ ſcilicet ad eam pertinent, ſiue directè, ac expreſsè, ſiue indirectè, ac implicitè; ſicque ipſi religioſi ſubditi non tenentur iis obedire, ſi præcipiant, quæ ad regulam neutro modo reducuntur, ſed ita ſunt indifferentia, & varia, vt ſint omninò præter regulam, aut certè ita ſuprema, vt ſint ſupra regulam: id autem eueniret in præſenti caſu, vt patet. ita *Miranda ſup. q. 26. a. 10. Sanch. vbi ſup. num. 15.* aliique plurimi penes ipſum; inter quos benè notat *Miranda* ad inducendam prefatam reformationem non ſufficere conſenſum Capituli conſiſtentem in maiori parte; ſed requiri, vt omnes, & ſinguli in eam conſentiant iuxtà regulam iuris, *Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* patet autem reſponſio tum ex dictis hic, tum quia, ſicut nemo vi ſuæ profeſſionis emiſſæ in vna religione poteſt cogi tranſire ad aliam religionem arctioris regulæ; ſic nec poteſt quis in propria religione obligari ad vitam arctiorem, niſi ipſe in id liberè conſentiat.

30. Dico, *niſi ipſe in id liberè conſentiat*, vt innuam non repugnare, quod in aliqua religione inducatur reformatio ſupra regulam ſi modo ſuperiis explicato omnes, & ſinguli religioſi dictæ religionis in eam liberè conſentiant, ſicut enim quilibet illorum potuiſſet primo eligere religionem ex regula arctiorem; ſic & poſteà conſentire poterit in arctiorem viuendi modum intrà religionem à ſe aſſumptam: cum volenti, & conſentienti non fiat iniuria: colligitur apertè ex *Miranda ſupra*.

Difficultas maior eſt, an Papa poſſit cogere religioſos ad ſeruandam regulam arctioris vitæ, quàm prima, & antiqua ſui inſtituti norma petat: & ratio dubitandi eſt, quòd Prelati regulares, & Capitula generalia religionum habent à Papa iuriſdictionem limitatam in religioſos ſubditos iuxta votum ſuę profeſſionis, ideoque non poſſunt obligare ſuprà regulam: Papa verò abſolutam habet iuriſdictionem à Deo in omnes fideles, vt eis licita, ac honeſta præcipiat; ſicque poterit etiam religioſos cogere ad arctius vitæ inſtitutum ſuo prùtino ſeruandum.

31. ℞. Tamen, quòd, cùm peculiaris poteſtas, quã habet Papa in religioſos ratione profeſſionis monaſticæ, proueniat ex propria voluntate ipſorum, qua ſe ei velut ſupremo Generali voluntariè voto obedientiæ adſtrinxerunt: dicta poteſtas iuxtà limites talis voti eſt reſtricta, ſicque non extenditur ad præcipiendum, niſi in iis, quæ ſint iuxta regulam: quamuis alias Papa à Deo acceperit abſolutam iuriſdictionem in religioſos, quatenus fideles. ita *Sanch.* in terminis *num. 22.*

Quòd ſi quæras, quænam dicantur eſſe ſuprà regulam, itaut non poſſint præcipi religioſis, neque à Papa, neque à Prælatis regularibus, neque a tota religione, niſi modo ſupradicto.

32. ℞. Eſſe ea, quæ ad regulam Ordinis non pertinent neque directè, ac expreſsè, neque indirectè, ac implicitè: ſicut è contra illa dicuntur iuxtà regulam, quæ ad illam pertinent aliquo ex modis dictis. ita *Sanch. num. 15.*

Nec obſtat dictis, quòd Pius V. per bullam editam anno 1567. iuſſit omnes Franciſcanos Conuentuales, ſeu clauſtrales in Hiſpania degentes eiici à propriis conuentibus, & tranſire ad aliquam religionem mendicantium, quæ erat multò arctior ſua profeſſione: idque parte non citata; quod eſt contrà ius naturæ, adeoquè excedit poteſtatem Papæ iuxta *cap. 1. de cauſ. poſſeſſ.* vbi dicitur *nec nos contrà partem inauditam aliquid poſſumus definire*; non obſtant, inquam, cùm Pius, re maturè conſiderata, & perpenſis multis ſcandalis ortis in Hiſpania ex modo viuendi, quem profitebantur illi religioſi, iiſque probatis, ac notoriis, ſententiam illam tulerit, conſiderans id eſſe neceſſarium ad hoc, vt ij obſeruarent vota ſubſtantialia religionis, quæ profeſſi fuerant: & in tali caſu citatio partis omitti poteſt à ſupremo Principe, teſtibus *Bald. l. nec cauſas nu. 3. C. de appellat. & Nau. c. 25. num 10.*

Notat autem *Bordonus c. 2. de profeſſ. q. 41.* profitentem regulam minorum non poſſe cogi tranſire à Conuentualibus v. g. ad Obſeruantes; & probat tum quia nemo cogitur creſcere *cap. geſta, diſt. 74.* tum quia, etſi Conuentuales, & Obſeruantes profiteantur eandem regulam, non tamen ad illam tenentur eodem modo: nam Conuentuales profitentur illam relaxatam variis indultis Pontificum, Obſeruantes verò iuxtà primæuum ipſius rigorem.

QVÆRES XXIII. Quàm difficile ſit reformare religiones ſemel collapſas.

33. ℞. Eſſe difficillimum, idque multis de cauſis, quarum nonnullas afferemus; 1. eſt quod, teſte *S. Bonau. in ſpecul. diſcipl.* formam, quam primò quis recipit, vix deponit, & qui diſciplinam in nouæ conuerſationis initio negligit, ad eam poſtmodùm difficilè applicatur: quod etiam indicauit *S. Bernard. dum epiſ. 96.* loquens de quibuſdam religioſis ad meliora conuerſis ſic habet, *quis dabit mihi, vt tranſeam, & videam viſionem hanc magnam? nec enim minùs mira, minùſue iucunda eſt promotio, quàm illa mutatio: niſi quòd multò faciliùs reperies multos ſæculares conuerti ad bonum, quàm vnumquempiam de religioſis tranſire ad melius: rariſſima auis in terris eſt, qui de gradu, quem fortè in religione ſemel attigerit, vel parùm aſcendat.* 2. cauſa eſt, quòd corruptio optimi peſſima; quæ autem peſſima ſunt, vix reduci poſſunt ad meliorem ſtatum, vt certa oſtendit experientia; vnde *Bellarm. de gem. columb. l. 2. c. 6.* ait; Regulares ſimiles videri ficubus Ieremiæ, inter quas quæ bonæ

erant

erant,erãt bonæ valdè & quæ malę,malę valdè:quo pacto *Dion.Carthuſ. ſer.4.de S.Laur.* ait *In religioſis ſe ipſos non reformantibus, nec dignè proficientibus inueniũtur, & regnant peiores, periculoſioreſque paſſiones, quàm in mundanis hominibus: ita quòd qui ſe ipſos iuxta ſuæ profeſſionis exigentiam non frangunt, nec vincunt, nec coram Deo ſoliciti ſunt, qualiter ſuæ ſatisfaciant vocationi, ac profeſſioni, fiunt deteriores, quàm fuerunt, ac eſſent in ſæculo.* 3. cauſa eſt, quòd reformatio regulæ non poteſt efficaciter ſtabiliri,niſi cum aliqua violentia, per quam ſcilicet Prælati vim inferant ſubditis dictæ reformationi reſiſtentibus, eos impellendo ad illam obſeruandam, & religioſi ipſi item ſibi vim inferant ad pręfatam reformationem amplectendam contrà naturæ corruptæ propenſionem inclinantis ad relaxationem vitæ,ac morum corruptelam;nullum porrò violentum durabile eſt.

QVÆRES XXIV. Quibus ex capitibus debeant Regulares inſiſtere reformationi proprij Ordinis, ſi ea reuera ſit neceſſaria.

34 ℟. Debere inſiſtere ex pluribus capitibus: 1. quia quælibet res naturaliter inclinat ad ſui ipſius conſeruationem; religio autem, ſi ſit relaxata, non poteſt conſeruari in ſuo eſſe morali, niſi reformetur: 2. quia ſtatus religioſus eſt ſchola virtutum, domus ſanctitatis, caſtitatis cuſtodia, pudicitiæ firmamentũ, religionis magiſteriũ, obedientiæ ſanctæ ſpeculum, ac omnimodæ perfectionis tabernaculum; ideòque quam maximè decet, vt etiam quò ad ſingulares perſonas ipſum profitentes integre conſeruetur, aut certè, ſi à priori perfectione deciderit, ad illam quàm primùm reſtituatur: 3. quia ex deprauatis moribus improborum religioſorum blaſphematur nomen Dei, hęreticis inde ſumentibus occaſionem dicendi vota, & opera religioſorum eſſe obſeruationes fatuas, hypocriticas ſimulationes, traditiones phariſaicas, atque mahumeticas, nec non ipſos religioſos vocandi hominum monſtra, inimicos humanæ ſocietatis,& contra totam ſecundam tabulam delinquentes: quæ conuicia vtique tollerentur, ſi religioſi communiter vitam degerent religioſam, qualis vnicuique præſcribitur in regula: 4. quia ex bono ſtatu Religioſorum quàm maximè pendet bonus ſtatus totius Eccleſiæ: quo pacto *B. Thom. Villanoua in ſerm. 2. de S. Michaele* ait: *Væ diſcolis religioſis, quorum exemplo viuificandi erant ſimplices, & perduntur: vnde hodie in Eccleſia tanta tepiditas, & iniquitas? vnde tanta in omnibus auaritia, & cupiditas? niſi quia in maioribus, & proceribus illius, vnde fulgere debuit ſanctitas, viget iniquitas.* 6. quia ex liberioris vitæ licentia, quam degunt aliqui religioſi, non pauci fideles retrahuntur à ſuſcipiendo ſtatu religioſo, quem alioqui magno cum ſui, ac ipſarum religionum bono apprehenderent: quod quanta reprehenſione, ac pœna dignum ſit, oſtendit *Petr. Damianus l.6. ep.32.* his verbis, *Quanti ſanguinis reus eſt, qui ſub ſacri habitus ſchemate talem ſe per ſuſceptæ profeſſionis incuriam exhibet, vt quærentes accedere peruersè viuendo diſturbet? euangelica illi nimirum ſententia congruit: qua dicitur: Qui ſcandalizauerit vnum ex his puſillis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris: tolerabilius enim fuerat, vt ſolus in eius, quem reliquit, mundi vertigine rotaretur, quam multos nunc à ſalutifera ſtationis reuocaret acceſſu.*

CAPVT VI.

De ſpeciali Patrocinio tam Dei, quàm Eccleſiæ erga religioſos Ordines.

PRo complemento præſentis tractationis agendum nobis ſupereſt de ſpeciali patrocinio tam Dei, quàm Eccleſiæ erga religioſos Ordines: hinc ad maiorem diſtinctionem caput diuidemus in 2. ſectiones, in quarum priori agemus de ſpeciali patrocinio Dei in Ordines religioſos, in poſteriori de præcipua cura, ac tutela, qua Eccleſia eoſdem Ordines proſequitur.

SECTIO I.

De ſpeciali Dei Patrocinio in Ordines religioſos.

1 *Deus mirè protegit Ordines religioſos.*
2 *Idque ob plures cauſas, quæ adducuntur.*
3 *Et talis protectio eſt vtiliſſima religioſis.*
4 *Protegit Deus religioſos quò ad animam.*
5 *Protegit quo ad corpus.*
6 *Deus conſeruat, & propagat Ordines religioſos.*
7 *Ad illos vocat viros nobiles, & doctos.*
8 *Item & fœminas nobiliſſimas.*
9 *In religionibus florent ſcientiæ cuiuſuis generis.*
10 *Deus illas protegit contra perſecutores.*
11 *Dæmones religioſis infeſti ob plures cauſas.*
12 *Deus protegit religioſos pro tempore tentationis.*
13 *Item in aduerſitatibus.*
14 *Item in morte.*

QVÆRES I. Qualiter Deus protegat Ordines religioſos.

1 ℟. Protegere tanquam rem ſuam, ſibique chariſſimam; ac proinde non poſſe cum ijs non omnino præclarè agi. patet ex verbis, quæ Chriſtus ipſe S.Franciſco Aſſiſinati òranti, & Ordinem à ſe inſtitutum commendanti ſuppliciter, ad ipſum conſolandum reſpondit; videlicet *Quid turbaris Franciſce, aut quid angeris, cum tuorum Fratrum quiſpiam, vel Ordinem deſerit, vel in Ordine ſcandalum concitat; an fortè exiſtimas ita te rectorem huius gregis conſtitutum, vt non me intelligas eius eſſe rectorem? quis eum plantauit, niſi ego? aut quis præter me homines ad pœnitentiam vocat, vel vocatis vires perſeuerandi tribuit? ego eos perduxi, ego eos retinebo, & ſeruabo, ego, illis cadentibus*

bus, alios erigam, atque ſubſtituam; quamobrem hoc tibi præcipio, ne te in poſterum adeò diſcrucies, ſed ſcias hanc à me familiam diligi, ac ſi vnus ad vomitum redeat, me in eius locum alterum excitaturum, qui illius coronam accipiat, iſque ſi nondum natus fuerit, effecturum, vt naſcatur, quod ſi tres tantum in ea permanſerint, eos ipſos numquam deſeram, ſed erit hæc ſemper familia mea. hæc quidem Chriſtus Franciſco: ſed idem exiſtimandum, & omninò credendum de omnibus alijs religionibus, cùm omnium ſit par, & eadem ratio.

QVÆRES II. Quas ob cauſas ſic Deus protegat religioſos Ordines.

2 ℞. Protegere ob multas cauſas, quarum 1. eſt, quod ipſe ſit Author religionum, ipſe primùm illas efformauit, ipſe ſingulos ad eas accedentes excitat, ipſe ſolus hæc deſideria inſpirat, ipſe perſeuerandi gratiam, & opem præſtat: vnde fit, vt ſicut pater filium, & quiuis artifex opus ſuum, ſic Deus hunc ſuum partum, talemque præcipuè partum diligat, foueat, protegat. 2. cauſa eſt, quod ſtatus religioſus eſt Deo non parùm vtilis ob fructum ex ipſo prouenientem ad amplificandam Dei gloriam: quo modo Religioſi ab Apoſtolo 2. *Tim*. 2. appellantur *vas ſanctificatum in honorem, & vtile Domino*. 3. cauſa eſt, quòd in ſtatu religioſo mirificè viget virtus, ac pietas; cuius ea eſt vis, vt in quibus eſt, eos quàm maximè Domino Deo commendet, ſicq; numquam illos ſuâ peculiari curâ deſertos eſſe patiatur; iuxta illud *pſalmi* 40. *me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmaſti me in conſpectu tuo in æternum*. 4. cauſa eſt, quòd ij, qui maximè humanis deſtituuntur auxilijs, ſolent à Deo maximè recipi in ſuam fidem, prout dicitur *Pſal*. 9. *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*: tales autem ſunt religioſi, ideòque Deus eorum ſuſcipit patrocinium.

QVÆRES III. Quæ bona prouenient Ordinibus religioſis ex ſpeciali cura, ac patrocinio Dei in ipſos.

3 ℞. Prouenire plurima, & maxima, quæ fermè reuocari poſſunt ad 4. capita; alia enim ad animam, alia ad corpus ſpectant; alia ad ipſorum Ordinum perpetuam conſeruationem; alia denique ad defenſionem aduersùs illorum hoſtes.

QVÆRES IV. Qualiter Deus protegat Religioſos quò ad animam.

4 ℞. Protegere, eos efficacioribus auxilijs promouendo ad virtutem, ac profectum ſpiritualem, non permittendo ipſos tentari ſupra id, quod poſſunt, & in eo ipſo, quòd permittit, gratiam præſtando, vt ſuperiores euadant, ſanctas cogitationes immittendo, & neceſſarias vires miniſtrando ad eas exequendas, difficultates in via Dei occurrentes explanando, infenſas Aduerſariorum vires inſtingendo, lapſus eorum grauiores præcauendo, denique ipſorum profectui ſpirituali ſic inuigilando, vt de ijs non immeritò dici poſſit, quod habetur *Pſal*. 93. *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de lege tua docueris eum*.

QVÆRES V. Qualiter Deus protegat Religioſos quò ad corpora.

5 ℞. Ita protegere, vt nullus vnquam paterfamilias liberis à ſe genitis, alendis, ac ſuſtentandis tantum ſolicitudinis impendat, quantum Deus religioſis alendis. Si enim *Marci* 8. Chriſtus multitudine, quæ illum ſecuta fuerat, conſpecta, dixit, *miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent*: quid dicet de Religioſis, qui ſe Deo in religione dicarunt, & ipſum ſuſtinent, non tribus diebus tantùm, ſed plurimis annis, & tota vita, nec quicquam ſibi retinent, quibuſcumque bonis temporalibus per votum paupertatis à ſe abdicatis. Ad Dei prouidentiam vtique ſpectat neceſſariam ſuſtentationem ijs ſuppeditare: quin eam ita aſſiduè, ac diligenter miniſtrat, vt tali procuratione etiam delectari videatur; ſic largè, & abundanter, vt de ijs plane verificentur verba illa Apoſtoli 2. *Cor*. 6. *nihil habentes, & omnia poſſidentes*; ita liberaliter, vt non pauca ijs ſuperſint, quæ erogent in eleemoſynam; idq; non ſolùm medijs ordinarijs, ad hoc impellendo, ac mouendo fidelium pietatem; ſed etiam inſolitis, ac extraordinarijs, miraculosè ipſorum indigentiæ, ac neceſſitati conſulendo; vt videre eſt apud *Platum l*. 1. *de ſtat. relig. c*. 33. Quis non ſummopere admiretur tot millia millium Religioſorum nullos redditus poſſidentium, neque in communi, neque in particulari ex ſolis fidelium eleemoſynis ita abundè ſuſtentari? quis non ſuſpiciat ingentes redditus Ordinibus religioſis bonorum temporalium capacibus vbique terrarum relictos ex chriſtianorum ſingulari munificentia? quis non ſuſpiciat copioſas hæreditates, & pinguia legata, quæ identidem religioſis relinquuntur? quis non ſuſpiciat magnificentiam templorum, ac monaſteriorum, quę in toto orbe terrarum religioſis extructa ſunt, & in dies extruuntur, ſupellectilem pretioſam, quę viſitur in eorum eccleſijs, ampliſſima prędia, quæ poſſident? quis non ſuſpiciat tot millia religioſorum debita ſuſtentatione prouideri, etiam in terris infidelium, etiam in regionibus hæreticorum, & ſchiſmaticorum, etiam in orbe nouo? mira ſunt hæc ſine dubio, ſed vera, ſed nota, quæ nobis apertiſſimè oſtēdūt, quantùm Deus protegat Ordines religioſos, quo ad corpora, & quò ad bona præſentis vitæ temporalia; qua de re conſulantur etiam quæ diximus *ſup. cap*. 4. *ſect*. 1. *q*. 20. & quæ habet *Platus ſup. lib*. 3. *cap*. 13.

QVÆRES VI. Qualiter Deus protegat Ordines religioſos quò ad eorum conſeruationem, ac propagationem.

6 ℞. Sic protegere, vt meritò in hoc ipſo diuina prouidentia ſuſpici poſſit, & debeat; quòd cùm per tot iam ſæcula tam multæ prodierint aliæ alio tempore religiones, & hæ partim diſſimiles, partim etiā finitimæ, omnibus tamen perpetuò ſuffecti ſint homines, ita vt nulla illarum ex antiquitate exoleuerit, nulla ex nouitate fuerit repudiata: vt enim in fontibus neceſſe eſt vim aliquam latere, ex qua perennis illa aquæ copia diffluat; ſic in Ordinibus religioſis vis aliqua debet aſſignari, per quam ij conſeruentur, multiplicentur, & opportunis ſupplementis inſtruantur; hæc autem non eſt humana, ſed diuina, cùm Deus ipſe ſit author omnium religionum, ad eas vocet, in ijs det perſeuerare. Accedit quod, cùm ex tot religionibus aliqui interdum fuerint valdè relaxati à priſtina diſciplinæ regularis obſeruantia: ijs nihilominùs diuina bonitas opportunos

quos ſuppeditat operarios, vt ſtent, ſuumque locum, ac ſtationem in Dei Eccleſia retineant, vt vel hinc intelligatur, quàm conſtanter fidem, ac patrocinium præſtet ijs, quos ſemel in ſuam clientelam receperit, & quid integris, atque incorruptis religionibus facturus ſit, quando relaxatos, & penè labentes non deſpicit.

Et quidem, vt magis conſtet, quam ſingulare fuerit Dei patrocinium erga Ordines religioſos in ijs propagandis; placet hîc proponere Religiones, quæ ſub vnaquaque ex 4. communibus regulis ab Eccleſia approbatis militant; nimirum ſub regula S. Baſilij, ſub regula S. Benedicti, ſub regula S. Auguſtini, & ſub regula S. Franciſci: omiſſis aliquibus alijs religionibus, quæ propriam habent regulam.

Militant autem ſub regula S. Baſilij non ſolum monachi, ab ipſo S. Baſilio inſtituti, ſed etiam monachi omnes Græciæ, ac Orientalis Eccleſiæ: quin etiam ſub ea militarunt tum monachi Armeni, tum Carmelitæ, teſte *Barboſa l. 1. iur. eccleſ. vniu. c. 41. numer. 23. & 24.* vbi monet in præſentia Monachos Armenos viuere ſub regula S. Auguſtini, & Carmelitas ſub regula ijs tradita ab Alberto Patriarcha Cõſtantinopolitano in monte Carmelo, & à varijs Pontificibus confirmata.

Sub regula verò S. Benedicti militant Monachi Caſſinenſes, Cluniacenſes, Camaldulenſes, Monachi Ordinis Fontis Coryli, Valliſumbroſani, Grandimontenſes, Ciſtercienſes, Ordo Frontis Ebraldi, Guillelmitæ, Ordo montis Virginis, Gilbertini, Ordo S. Guillelmi Ducis Aquitaniæ, Humiliati, Ordo Floriacenſis, Sylueſtrini, Ordo Vallis caulium, Cæleſtini, Oliuetani, Congregatio S. Iuſtinæ Patauinæ, Ordo militaris S. Sepulchri, Ordo militaris Equitum templi (quos vocant Templarios) Ordo militaris Auiſij in Luſitania, Equites S. Mariæ de Calatraua, Ordo militaris aleæ, Equites Alcantaræ, Ordo militaris Chriſti, Ordo militaris Monteſiæ, Equites S. Stephani Papæ, & m. Equites S. Mauritij apud Sabaudos.

Sub regula item S. Auguſtini referunt Authores militare, Fratres Eremitas, Canonicos regulares Lateranenſes, Canonicos regulares S. Ruffi, Ordinem S. Antonij Eremitæ, Canonicos regulares Aroaſiæ, Canonicos S. Victoris, Præmonſtratenſes, Canonicos regulares Mantuanos S. Marci, Canonicos regulares S. Sepulchri; Canonicos regulares S. Crucis Conimbricenſis, Ordinem S. Spiritus in Saxia, Fratres de pœnitentia S. Demetrij, Dominicanos, Ordinem S. Pauli primi Eremitæ, Ordinem vallis ſcholariorum, Seruitas, Cruciferos, Fratres pænitentiæ S. Mariæ Magdalenæ, Ordinem mulierum pœnitentium, Ordinem Charitatis S. Mariæ, Ordinem Clericorum hoſpitaliorum, Ieſuatos, Ordinem S. Brigittæ, Eremitas S. Hieronymi per Hiſpaniam, Ordinem Clericorum vitæ communis, Canonicos regulares Grodonael, Eremitas S. Hieronymi per Italiam, Eremitas B. Petri de Piſis, Canonicos regulares Vuindeſmenſes, Ordinem S. Hieronymi iu Feſſulanis, Canonicos regulares Frigionariæ, Canonicos regulares S. Saluatoris, Canonicos ſæculares S. Georgij i Alga, Ordinẽ S. Ambroſij ad nemus, Fratres Apoſtolos, Canonicos regulares S. Petri de monte Corbulo, Clericos boni Ieſu Rauennatis, Theatinos, Barnabitas, Clericos regulares Somaſchæ, Fratres B. Ioannis Dei, Congregationem Clericorum matris Dei Lucæ, Clericos ſcholarum piarum, Ordinem militarem S. Lazari, Equites S. Ioannis militenſis, Ordinem militarem Theutonicorum, Equites S. Iacobi apud Hiſpanos, Equites S. Iacobi apud Luſitanos, Equites montis Gaudij apud Hieroſolymitanos, Equites S. Mariæ de mercede apud Aragonios, Equites S. Mariæ glorioſæ apud Italos, Eremitas diſcalceatos, & Equites S. Mariæ de monte Carmelo.

Sub regula denique S. Franciſci militant Fratres Conuentuales, Minores Conuentuales reformati, Obſeruantes Tertiari, de penitentia, Reformati, Capucini, & Ordo militaris Conceptionis B. Mariæ Virg.

QVÆRES VII. Quantùm illuxerit diuinæ vis protectionis erga Ordines religioſos, in eo quod illis aggregauerit viros tam nobilitate generis, quàm doctrinæ affluentia conſpicuos.

7 ℞. Sic illuxiſſe, vt *S. Bernard. ep. 109.* id ipſum maximè admirans dicat; *Legeram non multos nobiles, non multos ſapientes, non multos potentes elegit Deus; at nunc præter regulam mira Dei potentia talium conuertitur multitudo, vileſcit gloria præſens, iuuentutis flos conculcatur, non reputatur generoſitas, ſapientia mundi ſtultitia iudicatur, non acquieſcitur carni, & ſanguini, parentum, & charorum renunciatur affectibus, fauores, & honores, & dignitates reputantur vt ſtercora, vt Chriſtus lucrifiat.* Ex Imperatoribus certè religioſam vitam amplexi ſunt Anaſtaſius anno 715. Theodoſius paucis poſt annis, Michael anno 800. alter Michael anno 1040. Iſaacius Commenus anno 160. Lotharius, & Vgo. Ex regibus vero ſe religioſo ſtatui aggregarunt Rachiſius è gente Longobardorum, Pipinus rex Italiæ & primogenitus Caroli Magni Galliæ regis, Bamba Hiſpanus, Veremundus Caſtellæ rex Ranurus rex Aragoniæ Sigibertus Nortumbriæ in Anglia rex, Elteredus rex Merciæ, nec non Chinedus eius nepos, cui regnum reliquerat, Offa rex Orientalium Saxonum in eadem Anglia, Inas item rex eorumdem Saxonum, Ceolulfus rex Nortumbriæ, Carolus Mannus Auſtraſiæ, & Sueuiæ rex, Trebellius rex Bulgarorum, Io: Brena rex Ieruſalem, & Imperator Conſtantinopolitanus, Henricus rex Cypri, Io: rex Armeniæ, & filij item regum Vgo, Drogo, ac Pipinus filij Caroli Magni, Troſens, Foilnanus, & Vltanus filij Vibcani Hyberniæ regis, Iodocus filius regis Britaini, Villebaldus & Vnebaldus Richandi Angliæ regis, Clotarius, & Carolus Nanus Caroli Franciæ regis filij, Henr. filius Ludouici item Frãciæ regis, Iacobus primogenitus regis Maioricarum, Ludouicus Caroli II. Gallorũ regis filius, Petrus filius regis Aragoniæ, & nouiſſimè Caſimirus filius Regis Poloniæ, qui ingreſſus eſt Societatem Ieſu, & poſtea ab Innocentio X. Eminentiſſimorum Cardinalium Collegio cooptatus eſt anno 1646. ex Ducibus, ac Dynaſtis religioſi facti ſunt Algerius dux Aquitaniæ vnà cũ Amando eius filio Anſelmus dux Mutinæ (quem poſtea nouiſſimè imitatus eſt Alphonſus Eſtenſis III. item dux Mutinæ; qui ſumma cum totius orbis admira-

tione

tione Capuccinorum Ordini ſe adiunxit) Dietlandus, & Aneigradus duces Sueniæ, Vigeſius dux Spoleti, Gulielmus dux Vaſconum, Gulielmus Burgundiæ dux, Adulphus Alſatiæ comes, Franciſcus Borgia dux Gandiæ, Antonius Cordubenſis ducis Feriæ filius, Rodulphus Aquauiua filius ducis Atrienſis, Aloyſius Gonzaga princeps Caſtaleoni; & nouiſſime Carolus Lotaringius, qui abdicato à ſe Archiepiſcopatu Verduni cum facultate S.D.N. Gregorii XV. Societatem Ieſu ingreſſus eſt, & Caſimirus frater Regis Poloniæ.

8 Neq; ex fæminis defuerũt plurimæ, quæ cũ eſſent ex nobiliſſimo genere procreatæ, ſtatũ religioſũ arripuerunt; ſiquidem ex Imperatricibus vitam religioſam amplexæ ſunt Theodora Imperatrix vxor Imperatoris Theophili, Auguſta coniux Imperatoris Iſaaci, Richarda Carolo Craſſo Imperatori nupta, Cunegunda Henrici Angliæ regis vxor, Agnes coniux Henrici III. Imperatoris, Eliſabeth vxor Alberti I. Imperatoris, & Archiducis Auſtriæ; ex reginis verò Teſia Italiæ regina, Radegundes nupta Clotario Galliæ regi, Adoera Chilperici regis Galliæ vxor vna cum Childerada filia, Batilda coniux regis Clodouei itidem Galli, Nugnez vxor regis Hiſpaniarum Veremundi, Teraſia nupta Abdalæ Toletano regi Saraceno, Alfreda regi Nortumbriæ deſponſata, Exerburga regis Inæ Angli, Eteldrada, (quæ prius duobus regibus coniuncta matrimonio cum vtroque virginitatem ſeruauit) Sesburga Cãtienſis regina, Alſreda Merciæ, ac Nortumbriæ regina; ex filiabus denique regum religioſum ſtatum amplexæ ſunt (omiſſis antiquioribus) Margarita Belæ regis Hungariæ filia, Sanctia Siciliæ, & Hieruſalem regina, Agnes Orethi Boemiæ regis filia, Chunegunda filia regis Hungariæ, Ioanna regis Nauarræ filia, Iſabel'a Francorum regis filia S. Ludouici Soror, Blanca filia regis Philippi, & Margarita Auſtriaca ex Maximiliano Imperatore, & Maria Sorore Philippi regis Hiſpaniarum nata.

9 Quantũ verò illuxerit diuina protectio erga Ordines religioſos quò ad viros omni ſcientiarũ genere præſtãtes, qui in iis ſingulari beneficio totius Eccleſiæ extiterunt; conſtat tum ex dictis ſupra *cap. 4. ſec. 2. q. 7.* tum ex iis, quę habet *Plat ſup. l. 2. c. 25. & 32.* vbi latè hoc argumentum proſequitur.

QVÆRES VIII. Qualis ſit Dei protectio erga Ordines religioſos contra ipſorum aduerſarios ac perſecutores.

10 ℞. Eſſe, & fuiſſe ſemper talem, vt verè dici poſſit diuina bonitas, cum dęmonis malitia circa religioſos Ordines ab initio Eccleſiæ, in quo cępit ſtatus religioſus, vſque ad præſentia tempora decertaſſe: illa quidem in iis conſtituendis, ornandis, ac ſtabiliendis, hæc verò in iis oppugnandis, omnique telorum, ac machinarum genere diuexandis; ſic tamen, vt ea vicerit; vt non immeritò dici poſſit, quod ſicut teſte *S. Hieronymo ep. 62. ad Theophilum* fundendo ſanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias Chriſti fundata eſt Eccleſia, creuitque perſecutionibus iuxtà illud: *Sanguis martyrum ſemen eſt Chriſtianorum*; ſic etiam ſpeciali Dei patrocinio factum eſt, vt Ordines religioſi mediis oppugnationibus tam dęmonum, quàm improborum hominum fęliciſſima ſuſceperint incrementa; vt conſtat ex vniuſcuiuſque ordinis hiſtoriis. vnde hæc ſit gloria religioſorum, vt dicere poſſint cum Dauid *pſal. 32. Anima noſtra ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor, & protector noſter eſt: In eo lætabitur cor noſtrum, & in nomine ſancto eius ſperabimus; ſi enim Deus pro nobis, quis contra nos?*

Quòd ſi quæras, cur Dęmones adeò infenſi ſint Ordinibus religioſis, & ipſimet homines tam hæretici, quam improbi chriſtiani viros religioſos ſic auerſentur, & perſequantur.

11 ℞. Id contingere ex multis cauſis; quarum 1. eſt, quod cùm Deus opera Religioſorum maximè vtatur in procuranda proximorum ſalute, & promouenda ſua gloria; non poteſt dæmon, qui Dei gloriæ, & animarum ſaluti aduerſatur, non eos plurimum odiſſe, ac diſturbare in tanto, & tam ſalubri operę: quod innuit *S. Greg. l. 13. mor. c. 5.* dicens *Illos præcipuè reprobi in S. Eccl. perſequuntur, quos multis conſpicimus eſſe profuturos*; 2. cauſa eſt, quod ſicut ſimilitudo morũ cõciliat amorẽ, ita diſſimilitudo excitat odiũ: cõſtat autẽ, quòd mores religioſorũ ſunt alii à morib. improborũ ſęculariũ: vnde *Io. 15.* dicitur: *Si de mũdo fuiſſetis, mũdus quod ſuum erat diligeret, quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* 3. cauſa eſt, quòd religioſi ſuis ſpiritualibus miniſteriis impediunt improba ſæcularium conſilia, ideoque contrà ſe, ipſorum odia concitant iuxta illud *Io. 7. nõ poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit, quia ego teſtimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala ſunt.* Gaudeant ergò Religioſi ſe eſſe mundo crucifixos; glorientur ſe tanquã purgamenta huius mundi effectos eſſe, omnium peripſema vſq; adhuc; ſæpiùs recolant verba illa Apoſtoli *Galat. 1. ſi hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem*; meminerint demum quòd *amicitia huius mundi inimica eſt Dei, & quicumque voluerit amicus eſſe ſæculi huius, inimicus Dei conſtituitur Iacob. 4.*

QVÆRES IX. Quàm præſentem ſentiant Religioſi protectionem Dei tempore tentationum.

12 ℞. Quòd, cùm tentari ſit proprium hominis, & maximè hominis accedentis ad ſeruiturem Dei, iuxta illud *Eccleſ. 2. fili, accedens ad ſeruitutem Dei ſta in timore, & tremore, & præpara animam tuam ad tentationem*: vtique ex hoc capite Religioſi indigent ſpeciali patrocinio Dei; illudque ſentiunt præſentiſſimum, non ſolùm quatenus non patitur eos tentari ſuprà id, quòd poſſunt, ſed etiam iis ſuppeditando efficaciſſima auxilia ad quaſcumque dæmonum impugnationes ſuperandas, ſurgentes tentationum ſtimulos retundendo, opportuna ſolatia in ipſa tentatione miniſtrando, & faciendo de tentatione prouentum. præter quàm quòd religioſi illud etiam aduersùs omne tentationis genus habẽt præſidium, quòd quaſi ex edita quadam arce depugnant, ſicque ipſi inimicorum iaculis non patẽt, & faciliùs poſſunt inimicos ferire: cum è contra viri ſæculares pugnent in loco valdè lubrico, ac prono ad lapſum, adeoquè valdè iniquo loco cum Satana congrediantur. Accedit, quòd religioſi in remedium cuiuſcumque tentationis poſſunt conuenire proprios Superiores, qui non ſolùm conſilio,

lio, ac ratione, & prudentia ijs medeantur, ſed etiam plerumque eos omninò liberent à moleſtia præſentis tentationis; nulla enim tentatio adeò grauis, ac moleſta eſt, quę patefacta Patri ſpirituali vt plurimùm victa non remaneat, ac prorſus profligata; quod ſicut eſt maximè admirandum, ita referri debet in ſpeciale Dei patrocinium.

QVÆRES X. Qualis ſit Dei protectio ergà religioſos præſentis vitæ aduerſitatibus diſtentos.

13 ℞. Eſſe talem, vt factis ipſis experiantur in ſe completam promiſſionem olim factam Abrahæ *Gen.* 15. *Noli timere, ego protector tuus, & merces tua magna nimis*; idque multis ex capitibus, videlicet eorum imbecillitatem viribus ſupernaturalibus ita corroborando, vt intrepidi dicere non formident cũ Apoſtolo *Rom.* 8. *quis nos ſeparabit à charitate Christi? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius?* eos mirificè recreando in ipſo aduerſitatum furore cæleſtium conſolationum pabulo, & quidem interdum ita, vt cum Indiarum Apoſtolo Xauerio cogantur dicere, *Satis eſt Domine, ſatis eſt*: illis proponendo ſupernę retributionis magnitudinem, & ſæpè ſæpius in memoriam reuocando momentaneum, & leue tribulationis æternum gloriæ pondus operari: ipſorum voluntates, diuinæ ſuæ voluntati conformando, vt vel in ipſis tribulationibus quàm maximè exultent, ſcientes, quia hæc eſt Dei voluntas: ipſas denique aduerſitates ſic mitigando, vt non tententur ſupra id, quod poſſunt.

QVÆRES XI. Qualiter Deus protegat religioſos pro tempore mortis.

14 ℞. Sic protegere, vt mors corporis, cuius vel memoria eſt homini amara, & acerba, religioſis reddatur gratiſſima, ac iucundiſſima; vt cupiant diſſolui, & eſſe cum Chriſto, exultent in ipſa morte, &, vt loquar cum *S. Bernardo ſerm.* 26. *in Cant.* morti inſultent, vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? iam non eſt ſtimulus, ſed iubilus, cantando moriantur, & moriendo cantent. Protegit autem Deus religioſos morientes tum in eo quòd frequentiori mortis recordatione eos ita paulatim diſponit ad mortem, vt non imparati inuadantur, ſicque minùs ſentiant mortis moleſtiam iuxtà illud, *Iacula præuiſa minùs feriunt*: tum quia aduersùs dæmonum tentationes, quæ tempore mortis ſunt æquè graues, ac periculoſæ mirum in modum inſtruit, & confirmat, timorem abſtergens, manus ipſorum, ac digitos ad bellum, ſcuto bonæ voluntatis ſuę illos circundans, ac tegens, nec non infuſis ſolatijs animum recreans, illumque erigens ad fiduciam æternitatis: accedunt prætcrea fratrum auxilia, cohortationes, conſilia, preceſque aſſiduę, in quibus tum ſemper, tum neſcio quomodo in mortis articulo plurima adeſt vtilitas ad morientem confirmandum, & ad dęmonum impetus effringendos, iuuat etiam, quòd cùm in morte ipſa vitæ amiſſio ſit moleſtiſſima, ſtatus religioſus animum ita aſſuefacit, vt etiam in pręſenti vita corporeis compagibus incluſus minima ſui parte teneatur, immò, & foras promineat, dum ſe amore in Deum, ac deſiderio in cęleſtia effundit: iuuat, quòd religioſi non auelluntur ab ea vita, in qua adſint multa, quę illos retineant, ac delęctent, ſed multa potiùs incommoda, ac ęrumnæ, quæ ad ſupernæ vitæ quietem ardentiùs optandam, & alacriùs amplectendam impellant, iuuat denique fiducia certa fælicitatis æternæ, quam in religioſo efficiunt tum ſibi nullius criminis conſcium eſse, tum memoria, & copia bonorum operum antea partorum.

SECTIO II.

De ſpeciali Eccleſiæ patrocinio in Ordines religioſos.

15 *Eccleſia tenetur protegere religioſos.*
16 *Multis modis eos protegit.*
17 *Reſeruat ſibi religionum approbationem.*
18 *Religioſos eximit à poteſtate tum laicorum, tum Ordinariorum.*
19 *Congregatio Cardinalium erecta in fauorem religioſorum.*
20 *Cenſurantur impugnantes inſtituta religionum, & conficientes libellum famoſum contra religioſos; puniuntur moleſtantes illos in priuilegijs: excommunicantur qui illos damnificant.*
21 *Et hæc procedunt quò ad omnes religiones.*
22 *Excommunicãtur cogentes fœminam ad religionem, nec non retrahentes ab illa maſculos.*
23 *At non ante monitionem.*
24 *Excommunicantur moleſtantes Superiorem recipientem ad religionem.*
25 *Excommunicantur item recipientes religioſum apoſtatam.*
26 *Plures religioſi promoti ad papatum, cardinalatum, ac epiſcopatum, plures etiam canonizati, ac beatificati.*
27 *Religioſi ab Eccleſia protecti quò ad perſonas.*
28 *In eorum defenſionem dantur Protectores, Conſeruatores, Syndici.*
29 *Syndici eorum gaudent varijs priuilegijs.*
30 *Syndici Fratrum Minorum magnam habent poteſtatem.*
31 *Iuxta aliquos ſubſunt Conſeruatoribus Fratrum, etiam quo ad proprias cauſas perſonales:*
32 *Eccleſia protegit Nouitios, Oblatos, ac Tertiarios.*
33 *Protegit conuentuum fundatores, ac benefactores.*

34 *Varijs conceſſa indulta in fauorem Fratrum Minimorum.*
35 *Et hæc per communicationem transfunduntur ad alios Ordines.*
36 *Titulus fundatoris acquiritur 3. modis.*
37 *Benefactores religioſorum fruuntur varijs gratijs.*
38 *Titulus benefactoris ampliatur.*
39 *Religioſorum parentibus conceſſa indulgentia plenaria; plura indulta facta eorum Medicis, ac famulis.*
40 *Nomen famuli hîc ſumitur ſatis amplè; etſi aliàs non omnes famuli religioſorum gaudeant dictis priuilegijs.*
41 *Quod tamen aliqui non ita ſtrictè interpretantur.*
42 *Varia decreta edita ab Eccleſia ad ſpiritualem profectum religioſorum.*
43 *Templa, ac monaſteria gaudent varijs priuilegijs.*
44 *Illis varia indulta facta pro ipſorum miniſterijs.*
45 *Plurima, & maxima conceſſa priuilegia religioſis.*
46 *Eccleſia varijs modis aſſiſtit gubernationi religioſorum.*
47 *Et quidem etiam quo ad forum contentioſum.*
48 *Eccleſia fouet ſtudia religioſorum.*
49 *Varijs modis defendit illorum bona.*

QVÆRES I. An, & quantùm deceat Eccleſiam ſpeciali cura protegere Ordines religioſos.

15 ℞. Omninò decere, & quidem 1. quod ipſa Eccleſia de facto tam quò ad morum pietatem, quàm quo ad vſum doctrinæ orthodoxæ maxima ex parte nititur humeris Ordinum religioſorum, qui proinde ad eius conſeruationem, ac propagationem vbique terrarum ſtrenuè laborant, & moleſta quæque ſufferunt, etiam cum extremo vitæ propriæ diſcrimine; vt conſtat ex dictis hìc *cap. 4. ſec. 2. q. 1. 2. 3. 4 5. & 6.* ſępiuſque teſtantur Summi pontifices in proęmio bullarum, quas ediuit in fauorem religioſorum: 2. quia ſtatus religioſus in Eccleſia eſt optima pars illius, Deoque ipſi magis accepta, & chara, ſicque digna, quæ ametur, æſtimetur, protegatur: 3. quia Ordines religioſi plerumque ſunt inuiſi hominibus ſecularibus, frequentibus, & grauibus perſecutionibus oppugnantur, à pluribus malè tractantur, ideòque ne omnibus omninò auxilijs deſtituantur, ęquum eſt, vt ſaltem pia mater Eccleſia illorum curam ſuſcipiat, eos protegat, ac defendat iuxtà illud *pſal. 9 Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor*: 4. quia Deus peculiarem curam gerit ſtatus religioſi, vt iam oſtendimus, & hoc intendit facere non ſolum per ſe, ſed etiam per alios, & principaliter per Eccleſiam ſponſam ipſius dilectiſſimam: 5. quia in omni republica benè adminiſtrata protegi debet innocentia iuxta verba *pſal. 40. me autem propter innocentiam ſuſcepiſti*; ergò & in Eccleſia, quā regit peculiariter Spiritus S. promoueri debet ſtatus religioſus, in quo potiſſimum viget innocentia, morum integritas, totius ſanctitatis perfectio.

QVÆRES II. An, & qualiter Eccleſia protegat Ordines religioſos.

16 ℞. Protegere quam maximè, & quidem non ſolùm quò ad ipſorum perſonas, aliaſque ijs coniunctas, ſed etiam quo ad illorum Eccleſias, miniſteria, ſtudia, bona temporalia, & alia quæcumque ad ipſos pertinentia, vt apertè conſtabit ex inferiùs dicendis.

QVÆRES III. Qualiter Eccleſia in ſignum ſpecialis protectionis reſeruauerit ſibi approbationem Ordinum religioſorum.

17 ℞. Quòd cùm inſtitutio religionum in Eccleſia ſit res maximi momenti, vt potè ſpectans ad doctrinā morū, & ad bonū vniuerſalis Eccleſię; ſicut benè aduertit *Suar. to. 4. de relig. tractat. 10. l. 3. cap. 4. num. 6.* docens *num. 5.* ſententiam Papæ in ijs, quæ pertinēt ad approbationem religionum continere infallibilem certitudinem ex Chriſti inſtitutione, ac promiſſione; propterea Sedes apoſtolica ſibi reſeruauit facultatem approbandi religiones de nouo erectas, quæ aliàs competebat Epiſcopis pro ſua diæceſi; vt conſtat ex *cap. fin. de relig domib. & cap. fin. eod. tit. in 6.* & notauit *Sanch. l. 5. mor. cap. 1. nu. 15.* Id autem fecit Sedes apoſtolica tum ad indicandum approbationem Ordinum religioſorum eſſe onus maximę conſiderationis, adeoque non exequendum ſine maturiori diſcuſſione; ſed etiam ad oſtendendum ſpeciale patrocinium ipſius erga dictos Ordines, quippe quos vult ſuæ protectioni ſubeſſe non ſolùm inſtitutos, ſed etiam in ipſa illorum inſtitutione: idque ex ſpeciali affectu, quo eos proſequitur.

QVÆRES IV. Quo modo in ſignum peculiaris protectionis Eccleſia Ordines religioſos exemerit non ſolùm à poteſtate Principum ſęcularium ſed etiam ab iuriſdictione Epiſcoporum, quibus antea ſubijciebantur.

18 ℞. Quòd cum valdè æquum eſſet, vt Regulares immediatæ gubernationi ſuorum Prælatorum ſubeſſent; idque ex multis, ac iuſtiſſimis cauſis; & aliàs non expediret illos ſubdi adminiſtrationi Epiſcoporum, ſimul ac Prælatorum regularium; propterea Summi Pontifices Religioſos ferè omnes exemerunt ab Epiſcoporum iuriſdictione, illoſque immediatè ſubiecerunt Sedi apoſtolicæ, exceptis tantum aliquot peculiaribus caſibus à nobis latè explicandis *in tract. de priuil. cap. 6. ſect. 1.* & adductis à *Barboſa de offic. epiſc. allegat. 105. Portelo de dub. regul. v. Trid. Concil. Lezana to. 1. cap. 11.* & alijs. Et quidem quod talis exemptio ſit argumentum peculiaris protectionis Eccleſiæ in religioſos; colligit *Portel. p. 2. reſp. mor. caſu 13. num. 3.* tum ex *cap. nimis praua de exceſſ. Prælat.* vbi Gregor. IX. recenſens pluſquàm 20. grauamina grauia, quæ Epiſcopi religioſis imponebant ſuper materia iuriſdictionis, eaque in rebus, ad quas non ſe extendebat ipſorum iuriſdictio; hinc cepit occaſionem illos eximendi à poteſtate Ordinariorum, & de facto exemit, tum ex Conſtit. Pij V. *etſi mendicantium*, in qua Pius ipſe multa priuilegia concedens Ordinibus Mendicantibus, reddenſque cauſam, cur ijs tot exemptiones concederet, ait, *quia Epiſcopi, & Archiepiſcopi decretis Concilij Trid. in prauum ſenſum diſtortis, Religioſos varijs incommodis afficere, & perturbationibus*

conan-

nominantur, eorumque priuilegijs non modicum afferre grauamen: quod eſt dicere ſe velle ſuſcipere curam, & patrocinium religioſorum contra eos, qui ipſis infenſi eos malè tractabant, & plùs æquo moleſtabant.

QVÆRES V. Quantum elucear Eccleſiæ protectio in ordines religioſos ex inſtitutione Congregationis erectæ à Sixto V. quam vocant pro conſultationibus Regularium.

19 ℞. Id ſatis apertè colligi ex tenore verborum, quibus erecta eſt talis Congregatio; ea verò ſic habent; *Nec ſanè minùs de Regularium Ordinibus ſolliciti ſumus, qui Eccleſiæ Dei magnum adiumentum, atque ornamentum omni tempore præſtiterunt: immò verò ſummopere cupientes eorum ſalutaria ſtudia, progreſſus ad poteſtatem promouere, qui è fluctibus ſæculi in portum regularis vitæ confugerunt, ob eam cauſam, vt remotis impedimentis, & inanibus contentionibus amputatis ſub ſuaui religionis iugo, & ſuorum inſtitutorum obſeruantia quietè viuant, gratumque Altiſſimo famulatum exhibeant, quinque alios Cardinales deligimus, &c.* & infra, *Poſtremò eoſdem Cardinales quaſi religioſorum omnium tutiſſimum perfugium eſſe volumus, vt eorum auctoritate, & auxilio recordati ſtudium religioſæ vitæ, & regularis perfectionis ſine impedimento percurrant.* ex quibus verbis quis non videat quàm enixè cupiat Summus Pontifex eſſe conſultum bono Regularium tam ſpirituali, quàm temporali, quantumque inuigilet ipſorum indemnitati, vt pote ſubiacentium immediatæ protectioni Eccleſiæ?

QVÆRES VI. Qualiter Eccleſia protegat Ordines religioſos contrà illos, qui vel impugnant ipſorum inſtitutum, ac Conſtitutiones, vel contrà ipſos conficiunt libellos famoſos, vel eos moleſtant in vſu ſuorum priuilegiorum, vel damnificant in bonis temporalibus.

20 ℞. Protegere contra eos quidem, qui impugnant ipſorum inſtitutum, ferendo contrà ipſos excommunicationem ipſo facto incurrendam, Papæ reſeruatam (quam ſcilicet Gregor. Decimus tertius tulit contra impugnantes inſtitutum Soc. Ieſu in ſua Conſtit. 102. quæ incipit *aſcendente Domino*;) contrà verò conficientes libellos famoſos, ferendo item excommunicationem ipſo facto (fuit autem lata expreſsè in fauorem Dominicanorum, & Fratrum Minorum, teſte *Filliuccio tract. 40. numer. 81.* qui tamen nullam facit mentionem de reſeruatione;) contrà moleſtantes in vſu ſuorum priuilegiorum, præcipiendo diſtrictiùs in virtute ſanctæ obedientiæ, ac alijs pœnis arbitrio Summi Pontificis infligendis, quibuſuis locorum Ordinarijs, ac alijs quibuſcumque, ne eos contrà concessa priuilegia moleſtare, inquietare, vel perturbare audeât, vel præſumât, (& habetur in conſt. Pij V. cuius initium eſt *Apoſtolicæ Sedis*, edita pro Fratribus Minimis, & relata à *Peyrino to. 2. priuil. Conſtit. 3. Pij V.*) denique contrà damnificantes in bonis temporalibus, ferendo excommunicationē latæ ſententiæ Papæ reſeruatam; quæ fuit à Iulio II. edita in fauorem Fratrum Auguſtinianorum, & à *Caſarubio in Comp. v. bona num. 10.* refertur his verbis: *Idem Iulius præcepit omnibus Chriſti fidelibus, vt nemo ipſorum bona Ordinis S. Auguſtini occupare, vel damnificare audeant: quod tam de attinentibus ad perſonas Fratrum, quàm de pertinentibus ad loca, ſeu Conuentus, & poſſeſſiones eorumdem intelligi voluit; & quod ſi contrarium facientes admoniti à Fratribus prædicti Ordinis non reſtituerint omnia integrè, aut vexare deſtiterint, infrà tridui ſpatium excommunicationis ſententiam incurrant, à qua non niſi per Summum Pontificem abſolui poſſint.*

21 Illud porrò hìc notandum eſt, quòd quamuis hæc iura edita ſint ſolùm in ſpecie pro certis Ordinibus particularibus; nihilominùs per viam communicationis ea ſuffragantur etiam alijs Ordinibus, ſicut expreſsè notarunt Filliuc. de cenſura lata contrà conficientes libellos famoſos dicens, *Quo etiam priuilegio gaudent ferè aliæ religiones mendicantes & clauſtrales*: cùm tamen in ſpecie conceſſum fuerit tantum pro Fratribus Dominicanis, ac Minoribus; eſt autem eadem ratio de alijs priuilegijs hìc relatis, & alijs ſimilibus, vt patet. Verum quidem eſt, quòd licèt religioſi Societatis Ieſu gaudeant conceſſione Iulij II. poſtremo loco relata, vt conſtat ex *Compend. priuileg. Societ. v. bona* §. 5. adeòque per ſe, vel per alios poſſint Superiores modo dicto damnificantes admonere de excommunicatione contra ipſos ferenda: non tamen poſſunt curare, vt ij declarentur excommunicati, niſi conſulto Generali, vt habetur in ipſomet *Comp. poſt citatum* §. 5.

QVÆRES VII. Qualiter protegat Eccleſia Ordines religioſos contrà eos, qui liberum religionis ingreſſum impediunt, ſiue cogendo ad ingreſſum, ſiue retrahendo ab ingreſſu, aut illum aliter impediendo.

22 ℞. Protegere contrà eos quidem, qui cogunt moniales ad ingrediendum religionem, ferendo excommunicationem latæ ſententiæ, non tamen reſeruata: quę refertur in *Concil. Trident. ſeſſ. 25. de regular. cap. 18.* non tamen incurritur ab ijs, qui viros cogunt ad ingrediendum religionem, vt notant communiter DD. & apertè colligitur ex ipſo textu, cùm in eo ſolum fiat mentio de fœminis; contra eos verò, qui retrahunt ab ingreſſu religionis, ſubijciendo excommunicationi ipſo facto contrahendæ, & Papæ reſeruatæ; prout in fauorem monachorum Sancti Benedicti, Congregationis Beatæ Mariæ Montis Oliueti conceſsit Iulius Secundus, ſeu potiùs Eugenius Quartus vt notat *Peyrin. tom. 1. priuileg. Conſtitut. 10. Iul. II.*) & quidem per bullam, cuius tenorem refert *Peyrin.* in hæc verba: *Conceſſit, & prohibuit, ne aliqui cuiuſcūq; ſtatus, gradus, vel cōditionis exiſtant perſonas, quæ de iure communi religionem ingredi non prohibentur, ex ſæculo fugientes, & ad conuerſationem huiuſmodi Congregationis venire cupientes, verberibus, aut violentijs quibuſcunque impedire, vel prohibere, aut à monaſterijs, & locis Congregationis monachorum S. Benedicti euellere, aut extrahere, iniuriam ingredi volentibus, aut recipientibus irrogando, ſeu eos moleſtando audeant, vel præſumant: contrarium verò facientes ipſo facto ſententiam excommunicationis incur-*

rant, dum tamen, cùm hoc præſens ſtatutum fuerit eis ad notitiam deductum, non deſiterint a prædictis; à qua non poſſint, præterquam in mortis articulo, niſi per Sedem apoſtolicam beneficium abſolutionis obtinere.

23 Vbi notandum ex *Peyrino vbi ſup. num.2.* quod cum iſta excommunicatio non ſit latæ ſententiæ niſi poſt monitionem; vt conſtat ex illis verbis *dum tamen cum hoc præſens ſtatutum fuerit eis ad notitiam deductum, non deſiterint*, per conſequens ante monitionem eſt ſolùm comminatoria; quamquam, cùm in iſta conceſſione Papa apertè loquatur de volentibus aſſumere habitum religioſum, qui aliàs de iure ad id non ſint inhabiles (nimirum iuxta ius commune, aut conſtitutionem Sixti V. à nobis explicatam *in tract. de nouitiatu cap.4.*) præſens cenſuram non incurratur ab ijs, qui fortè per vim, aut iniurioſè impediant ab ingreſſu religionis aliquem modo dicto inhabilem; ſicut nec incurreretur, ſi præfatus ingreſſus impediretur precibus importunis, aut conſilio: cùm talis conceſſio ſolùm loquatur de impedientibus facta iniuria vi, ac moleſtia; ſicut aduertit *Portel. de dub. regul. v. nouitius in addit. numer.2.* addens ſe credere euiuſmodi cenſuram incurſuros eſſe illos conſanguineos, qui iuuenem proficiſcentem ad nouitiatum alicuius Ordinis in ipſo itinere impedirent, ne ſuum iter proſequeretur, aut illum iam admiſſum ad probationem reuocarent ad domum alicuius ſæcularis; ſiquidem talis impeditio, ac reuocatio eſſet moleſta, iniurioſa, ac violenta, vt patet. Notat autem idem *Portel.* dicta conceſſione gaudere etiam Ordines mendicantes, ac proinde ſæculares debere aduertere, quam culpam, aut pœnam in tali materia contrahant.

24 Addit *Peyrin. to.3 priuil. cap.3. num.43.* affici tali excommunicatione non ſolùm eos, qui verberant, moleſtant, aut iniuriant volentes ingredi religionem, ſed etiam illos, qui talia faciunt contra Superiores religionis volentes dictos nouitios recipere; intellige ſi moleſtatio ſequatur cum effectu, ita vt nouitius re vera impediatur ab ingreſſu religionis; ſicque non ſufficit ſola attentatio, cum per ea, quæ habet *Gloſſa in cap. perpetuo de elect. in 6.* verba intelligi debeant cum effectu.

Addo ex *Farinacio de hæreſi q.183. §.6. numer.85. & Lezana v. nouitij numer.35.* impedientes, ac moleſtantes ingredientem religionem, ſi eo deueniant, vt illum rapiant à monaſterio, capite plecti.

QVÆRES VIII. Qualiter Eccleſia protegat ordines religioſos contra illos, qui recipiunt religioſos apoſtatas, aut fugitiuos eiſue præbent auxilium, conſilium, vel fauorem.

25 ℟. Protegere clypeo excommunicationis maioris, & quidem reſeruatæ Papæ, quam tulerunt Iulius Secundus in fauorem Fratrum Auguſtinianorum, alijque Pontifices pro alijs Ordinibus; vt videre eſt apud *Caſarub. in comp. v. apoſtata*, & Pius V. in fauorem Societatis Ieſu, vt conſtat ex *bullario ipſius Societ. pag. 90.* vbi fertur excommunicatio ipſo facto incurrenda, Papæ, aut Superiori Societ. reſeruata tã in Religioſos, qui profeſſos, ſiue Scholares, aut Coadiutores Societatis recipiũt, quam in ipſos receptos recedentes, etiam prætextu cuiuſuis indulti conceſſi, aut concedendi, etiam quæſito colore ob frugem melioris vitæ, aut ſtrictioris obſeruantiæ: quodque ſecus facta non teneant; ſed de hoc plura *in tractat. de priuileg. cap. 8. ſect.3. q.25.*

QVÆRES IX. Quot, & quantis honoribus Eccleſia afficiat, & affecerit Religioſos in ſignum ſpecialis protectionis.

26 ℟. Affeciſſe tot, & tantis honoribus, vt meritò de ijs vſurpari poſſit, quod habetur *pſal. 138. mihi autem nimis honorati ſunt amici tui, Deus*; idque modò ex religioſis Ordinibus aſſumendo ad papatum, & quidem ſæpiùs cùm ad hæc tempora 52. religioſi creati fuerint Summi Pontifices; modo promouendo religioſos ad Cardinalatum, eoſque in tanto numero, vt *Tritheim. l.4. de viris illuſtr. cap.21.* ad ſua vſque tempora teſtetur ex ſolis Benedictinis 184. Cardinales fuiſſe electos, quorum nomina ſciri potuerant; modò ex religioſis eligendo Archiepiſcopos, ac Epiſcopos, & eos tali numero, vt ex Benedictinis 5070. collegerit Thrithemius, eoque ampliùs, *l.4. cap.29.* & 170.) *S. Antoninus relatus à Plato infra* ex Dominicanis ad ſuam vſque ætatem dumtaxat 125. recenſuerit, monens non omnes à ſe nominatos, ſed potius paucos: ex Franciſcanis denique referat *Plat. l.2. de bono ſtat. relig. cap.29.* his proximis 70. annis quorum plenior potuit eſſe memoria, plures quam 180. fuiſſe enumeratos: modò ſolemni ritu adſcribendo Sanctorum, aut Beatorum cathalogo religioſos, ac religioſas huius aut illius Ordinis: idque ita frequenter, vt qui modo referuntur inter Sanctos, aut Beatos, plerumque ſint ex religioſo aliquo Ordine; vt conſtat ex poſtremis canonizationibus factis, & maximè ex canonizatione SS. Iſidori, Ignatij, Xauerij, Philippi, ac Thereſiæ facta a Gregorio XV. quorum 3. fuerunt verè religioſi, & 4. nempe S. Philippus (vt ſic loquar) quaſi religioſus vtpote inſtitutor Congregationis Patrum Oratorij, qui ſine dubio moribus ſunt religioſi, licèt non ſtatu; modò eos referendo in albo Doctorum Eccleſiæ, & quidem itaut è ſex celebrioribus Eccleſiæ Doctoribus quinque ſint religioſi, videlicet Gregorius, Auguſtinus, Hieronymus, Thomas Aquinas, & Bonauentura; modò ipſis committendo grauiſſimas, & difficillimas legationes, quas ij fæliciſſimè obierunt, & in dies obeunt.

QVÆRES X. Qualiter Eccleſia protegat religioſos quò ad eorum perſonas.

27 ℟. Protegere illos eximendo non ſolùm à poteſtate fori ſæcularis, vt fusè oſtendemus in *tract. de priuileg. cap. 6. ſect. 2. per totum*, ſed etiam ab Epiſcoporum iuriſdictione, *vt loco citato ſect.1.* item demonſtrabimus: nec non ſubijciendo maiori excommunicationi reſeruatæ Papæ eos, qui ſuadente diabolo, ipſos iniurioſè percuſſerint: de qua fusè agemus in *relata tract. citato cap. ſect.3.* plurimas, & maximas indulgentias ipſis concedendo à nobis explicandas in allegata tractat. *relato cap. ſect.5.* varia denique priuilegia ijs conferendo concernentia bonum

num ipſorum tam ſpirituale, quàm temporale, quæ in citata tractat. de priuilegijs varijs locis exponemus.

QVÆRES XI. Quo modo Eccleſia protegat religioſos etiam opera Protectoris, Conſeruatoris, & Syndicorum, ſeu Procuratorum.

28 ℞. Protegere eo modo; quo oſtendimus *in tractat. de priuileg. cap.8.* de Protectore quidem *ſect.5.* de Conſeruatore verò *ſect.4.* in quibus locis diximus ea, quæ hic poſſent deſiderari. Solùm hoc loco aliqua breuiter attingemus de Procuratoribus, ſeu Syndicis Regularium, qui ipſorum Regularium negotia gerenda ſuſcipiunt, eaque de facto iuridicè tractant; ſiue ex commiſſione Sedis Apoſtolicę immediatè (quod eſt proprium Syndici Fratrum Minorum, qui tamen debet nominari à Prouinciali, non item à Guardiano, niſi id ei ſpecialiter committatur) ſiue de mandato monaſterij illos capitulariter eligentis (quo pacto eliguntur Procuratores aliorum ordinum.) ita *Portel. de dub. regul. v. Syndicus numer.1. & 2.* & ante illum *Rodriq. to.3. q.41. ar.1.* monens procuratorem, ſeu Syndicum regularium ita debere gratis prſtare ſuam operam, vt ſi quam recipiar mercedem, non procuratot, ſeu ſyndicus, ſed locator operum debeat nuncupari.

29 Cæterùm, vt præfati Procuratores, ſeu Syndici (qui tamen teſte *Lezana to.2. cap.17. numer.12.* ab aliquibus inuicem confunduntur, & præſertim à *Rodriq. vbi ſup.*) tantò accuratius, & maiori cum vtilitate monaſteriorum ſuam impendant operam: plura ijs à ſummis Pontificibus priuilegia, gratiæ, ac exemptiones conceſſa ſunt; in primis ergo Clemens IV. per bullam conceſſit Minoribus, quòd ſi quando in terras, in quibus ipſi reſident, vel in earũ perſonas feratur ſententia excõmunicationis, aut interdicti, ea nequaquã afficiatur negotiorũ geſtores, pro ut teſtatur *Caſarub. in comp. v. famulares numer.4.* referens *v. interdictum 3. num. 1.* ſimilem conceſſionem ab Alex. IV. per bullam fuiſſe factam iiſdem Fratribus Minoribus (intellige iuxtà moderationem factam à Leone X. in Concilio Lateranen. & bulla *Dum intra mentis,* niſi dicti negotiorum geſtores, ſeu procuratores cauſam dederint præfatæ ſententiæ excommunicationis, aut interdicti; vel certè dantibus cauſam præſtiterint conſilium, auxilium, aut fauorem.) Prætetea dicti Procuratores, ſeu Syndici pro tempore Interdicti poſſunt admitti ad diuina ex cõceſſione bullata Sixti Quarti facta Fratribus Minoribus, & ab Alexand. Sexto Fratribus Dominicanis: ſi tamen ij interdicto cauſam non dederint, aut non ſint ſpecialiter interdicti, vel excommunicati; cenſet item *Sorbus in comp. v. interdictum 3. §. 5. in annotat.* poſse præfatis Procuratoribus, ſeu ſyndicis tempore Interdicti conferri omnia Sacramenta, immò & concedi Eccleſiaſticã ſepulturam (cum limitatione tamen modo indicata:) at non approbat *Lezana ſup. num.7.* denique Procuratores, ſeu Syndici Regularium ex indulto bullato Iulij II. allegato à Peirino *to.1. priuil.conſlit.4. ipſius Iulij II. §.5.* participant de omnibus, & ſingulis ieiunijs, orationibus, ſacrificijs, ac quibuſcumque alijs bonis faciendis, & recitandis in toto Ordine, cui reſpectiuè operam ſuam nauant: quod indultum in ſpecie fuit factum pro Procuratoribus, ac Procuratricibus Frarrum Minimorum.

30 Quod autem ſpectat in particulari ad Syndicos Fratrum Minorum notat *Portel. ſup. num.3.* eos habere facultatem procurandi in omnibus cauſis, ac locis Fratrum Minorum ad Romanam Eccleſiam ſpectantibus, & Fratrum vſui conceſſis: nec non pro immunitatibus, libertatibus, iuribus, ac priuilegijs eorundem Fratrum: poſſe prætetea alienare bona illorum permutando, vendendo, &c. idque per conceſſionem bullatam Martini IV. relatam à *Rodriq. in bullar. conſlit. eius 1.* in qua continetur tota poteſtas, ac iuriſdictio, quæ competit Syndicis Fratrum minorum; poſſe item petere in iudicio bona acquiſita per Fratres apoſtatas ad effectum, vt illa expendant in neceſſitatibus occurrentibus monaſterij: & hoc ex indulto Leonis X. facto Minoribus teſte eodem *Portello num. 7.*

31 Adde, quod attinet ad priuilegia conceſſa Syndicis Fratrum Minorum, præter quàm quòd gaudent omnibus prinilegijs, quibus iam diximus frui Procuratores Regularium: illud ipſis in ſpecie per bullam à Clemente VII. fuiſſe conceſſum; quòd ijs in quibuſuis cauſis, ac rebus ipſos concernentibus, tam ciuilibus, quàm criminalibus, aut mixtis, non teneanrur reſpondere, niſi coram Iudicibus conſeruatoribus Fratrum, quibus inſeruiunt; idque non ſolum in cauſis tangentibus ipſos Syndicos ratione officij (quod eſt certum) ſed etiã in ijs, quę tangunt ipſos, prout ſunt tales perſonæ particulares: quod aliqui ſuſtinent cum *Rodriq. tom. 3. quæſt.39. a. 4.* non diſſentiente *Portello ſup. num.4.* negat verò *Lezana num.13.* dicens huiuſmodi priuilegium non videri intelligendum, niſi de cauſis tangentibus Syndicos, quatenus tales, & ad minimum in hoc ſtandum eſſe conſuetudini: cùm talis conceſſio ſit magna valdè, & multùm exorbitans à iure communi.

QVÆRES XII. Qualiter Eccleſia protegat ordines religioſos quo ad eorum Nouitios, oblatos, ſeu Donatos, ac Tertiarios.

32 ℞. Protegere, non ſolùm eos omnes referendo inter perſonas eccleſiaſticas, ita vt ſint, & dici poſſint perſonæ eccleſiaſticæ, & vt tales fruantur multis exemptionibus proprijs eccleſiaſticorum, quamuis ſimpliciter ſint perſonæ ſæculares (hic enim loquimur de oblatis, & Tertiarijs, qui verè, ac propriè non ſunt religioſi:) ſed etiam ijs concedendo multa, & magna priuilegia, gratias, fauores, ac conceſsiones, quæ in ſequentibus tractationibus, & maximè in tractatu de priuileg. varijs locis explicabuntur, nec non in *tract. de Nouitiis c.7.* loquendo de priuilegijs, quæ competunt Nouitijs: vnde non eſt, cur ea hic referamus. Interim qui vult, conſulat *Caſarub. in comp. v. nouitius, v. oblatus, & v. Tertiarij Rodriq. in qq. regull. multis locis, Lezanam tom. 1. cap.24. & tom. 2. cap.8. & 14. Mirandam in manu. multis locis, & alios.*

QVÆRES XIII. Qualiter Eccleſia protegat Ordines religioſos quò ad Fundatores, ſeu fundatrices monaſteriorum, aut etiam benefactores.

33 ℞. Protegere conferendo ipſis Fundatoribus, ſeu fundatricibus tria iura (& quidem de iure communi, ſicut norat *Peyrin. in formul. lit. F. c. 3. n. 1.*) nimirùm quòd ipſi teneantur defendere, ac protegere monaſterium à ſe erectum; quòd ius habeant exigendi neceſſaria alimenta à religioſis dicti monaſterij caſu, quo illi ad paupertatem redigantur, & monaſterium ipſum habeat redditus, qui ſuperſint vltra victum, ac veſtitum religioſorum, nec non vltra expenſas ad diuinum cultum neceſſarias, & ad reparationem, ſeu inſtaurationem propriæ habitationis, ac Eccleſiæ: & quod ipſi fundatores in Eccleſia ab ipſis fundata præ ceteris honorari in omnibus debeant in occurſu, ſeſſione, traditione pacis, thuribulo, ac ſimilibus; & quidem quòd iure communi debeantur illis conuenientia alimenta, habetur expreſsè in *cap. quicūq; fideliū 16. q. 7.* his verbis *Quicumque fidelium deuotione propria de facultatibus ſuis Eccleſiæ aliquid contulerint, ſi fortè ipſi, aut filij eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Eccleſia ſuffragium vitæ pro temporis vſu percipiant*; quamquam talis obligatio alendi fundatorem deſineret adſtringere monaſteriū, ſi ille vel haberet fratrē, aut filiū, qui ipsū poſſet alere, vel poſſet exercere artē ſuo ſtatui minimè repugnantē, vnde ſibi, & propriæ familiæ debita pararet alimenta, vel rurſus deueniret ad pinguiorem fortunam.

34 Conceſſit prętereà Iulius 2. in ſua *Conſtitut. Dum ad Sacrum Ordinem*, quā primā in ordine refert *Peyrin. to. 1. priuil.* Fundatoribus, ac Fundatricibus monaſteriorum Ordinis Minimorum, ipſorumque liberis omnibus vtriuſque ſexus, tam procreatis tempore fundationis; quam poſtea procreandis, vt gaudeant omnibus, & ſingulis priuilegijs, immunitatibus, gratijs, libertatibus, exemptionibus, indultis, conceſſionibus, ac indulgentijs, quibus gaudent, & vtuntur Fratres ipſius Ordinis minimorum. Quod eſt dicere, inquit idem *Peyrin. in formul. lit. F, c. 3. n. 2.* pręfatos fundatores, &c. poſſe abſolui ab ijs reſeruatis, à quibus vi ſuorum priuilegiorum poſſunt abſolui Fratres, frui omnibus indulgentijs Ordinis, poſſe intereſſe diuinis tempore Interdicti, dummodo cauſam non dederint ipſi interdicto, gaudere omnibus bonis ſpiritualibus, ieiunijs, orationibus &c. quæ fiunt in toto Ordine tam à Fratribus, quā à monialibus, & hoc, licèt alioqui non habeant literas participationis; quod ijs in ſpecie conceſſit idem Iulius 2. *Conſtit. 4. relata à Peyrino to. 1. priuil.* Quæ conceſſio verè eſt magna, ſi tota etiam modò ſubſiſteret; at re vera non ſubſiſtit, neque quò ad ea, quę poſſunt perturbare iuriſdictionem Epiſcoporū (v. g. ne dicti fundatores, &c. poſſint conueniri coram Epiſcopis, ab ipſis excommunicari, ſuſpendi, ac interdici;) cùm quò ad hæc fuerit reuocata à *Concilio Trid. ſeſſ. 24. de reformat. c. 11.* immò neque quò ad facultatem abſoluendi à reſeruatis, à quibus religioſi, quantumuis priuilegiati, prohibentur abſoluere ſeculares, cùm talis facultas reuocata ſit in decreto Clementis VIII. edito *9. Ian. 1602.*, quòd non admittit *Peyrin. vbi ſup. Conſtitut. 1. Iulij 2. numer. 52.*

35 Illud porrò hic notandum eſt, quod, ſicut *Peyrin. in formul. lit. F. c. 3. n. 2.* præfatam conceſſionem Iulij 2. ampliat ad fundatores, eorumque liberos, cùm tamen in conſtitutione Iulij 2. in qua refertur, fiat tantum ſermo de fundatricibus; ſic talis conceſſio per viā cōmunicationis priuilegiorū videtur poſſe extendi etiam ad fundatores, ac fundatrices aliorum Ordinum: cùm ſit fauor conceſſus Ordini Minimorum, & conſequenter cadat in generalem communicationem priuilegiorum, de qua participant, alij Ordines religioſi vigore plurium conceſſionum.

Quòd ſi quęras, quot, & quibus modis acquiri poſſit titulus fundatoris.

36 ℞. Iure communi poſſe acquiri 3. modis, nimirū per fundationem, aſſignando fundum, in quo conſtruatur Eccleſia, aut monaſterium; per conſtructionem, ea conſtruendo proprijs ſumptibus; & per dotationem, etiam fundata, ac conſtructa ſufficienter dotando; quæ omnia ſub hoc carmine comprehenduntur: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*, ita *Rodriq. tom. 2. q. 49. a. 7. Laym. l. 4. tr. 2. c. 13. n. 1.* & cum ijs *Lezana to. 2. c. 9. n. 2.* monens dotantem inſufficienter non acquirere ius patronatus, ſed ſolùm dici benefactorem. Dixi *de iure communi*: quia iure proprio cuiuſque Ordinis euenire poteſt, vt res aliter habeat, vnde in I. Capitulo Genuenſi ſtatuerunt Fratres Minimi mulierem, quæ perpetuos redditus annuos aureorum 50. aſſignaret alicui Monaſterio, poſſe frui priuilegijs Fundatricum; quamquam eiuſmodi Fundatrices conſtitutæ, vt ita dicam, ex priuilegio re uerà non gaudeant, nec gaudere poſſint priuilegijs conceſſis Fundatricibus propriè, & ſimpliciter dictis, cum illæ verè non ſint fundatrices, ſed ſolùm benefactrices. quod tamen non facit, quin poſſit in aliquo Ordine ſtatui, vt priuilegia, quæ vi regulæ competunt fundatoribus propriè dictis communicentur etiam Fundatoribus modo dicto inſtitutis ex priuilegio.

37 Quòd verò ſpectat ad benefactores Ordinum religioſorum, conceſſit Vrbanus V. vt Generales, & Prouinciales totius ordinis Minorum poſſint communicare, ſuffragia, indulgentias, orationes, & bona ſpiritualia benefactoribus Ordinis: idque per bullam, vt videre eſt apud *Caſarub. in comp. v. indulg. quò ad ſecul. 4. numer. 6.* Circa quā conceſſionem notat *Peyrin. de R. P. q. 3. cap. 6. num. 9.* quòd quamuis nihil de nouo det, quatenus indulget, vt Prælati regulares poſſint communicare benefactoribus ſuffragia, & bona opera Ordinis (cùm id ijs proprio iure competat:) eſt tamen magna gratia, quatenus concedit, vt præfatis benefactoribus concedi poſſint indulgentiæ ordinis; ſiue id fiat illis applicando fructum dictarum indulgentiarum eo modo, quo applicantur defunctis; ſiue concedendo, vt ijs per ſe poſſint illas indulgentias lucrari, implendo ea, quæ ad illarum conſecutionem præſcribuntur; & hoc etiam ſi præfati benefactores non exprimantur in ipſa conceſſione indulgentiarum,

cum

cum alioquin indulgentiæ non poſſint applicari, niſi ijs perſonis, quæ in tenore conceſſionis exprimuntur, quippe quæ tantum valent, quantum ſonant: puto autem huiuſmodi conceſſionem cadere ſub generalem communicationem priuilegiorum, adeoque illam ſuffragari, etiam religioſis aliorum Ordinum participantibus de priuilegijs Fratrum minorum.

38 Notat autem *Peyrin. num.* 13. quòd cùm Benefactores religioſorum dici poſſint tum ij, qui ſuis opibus, ac eleemoſynis ſubueniunt eorum neceſſitatibus, tum ij, qui illos defendunt à calumnijs, ac iniurijs, de ijs ſemper benè loquendo, ac debitam reuerentiam exhibendo, tum ij, qui illorum iura tuentur in iudicio fungentes munere Aduocati, procuratoris, Notarij, &c. tum ij, qui gratis in ipſorum monaſterio aliquam ſcientiam docent; aut aliquam artem exercent, v. g. medici, his omnibus poteſt ſuffragari relata conceſſio Vrbani V. quamquam, ſi admiſſi modo dicto ad participationem bonorum operum alicuius ordinis, ceſſent ei benefacere, eo ipſo ceſſet effectus dictæ participationis, & maximè indulgentiarum, quæ ſolum competunt benefactoribus.

QVÆRES XIV. Qualiter Eccleſia protegat Religioſos quo ad ipſorum parentes, medicos, & famulos.

39 ℞. Protegere quò ad parentes quidem ijs concedendo indulgentiam plenariam, etiam in Purgatorio exiſtentibus: & hoc ex conceſſione Calixti III. relata à *Caſarubio ſup. v. indulg. quò ad ſæcul.* 8. §. 1. (quamquam, cum talis conceſſio facta fuerit viuæ vocis oraculo, non ampliùs vigeat, niſi quis mallet ſuſtinere eam adhuc ſubſiſtere ob doctrinam *Peyrini to. 3. priuil. cap. 12. ad conſtit. 18. Vrb. VIII. num. 1.*) medicos verò ordinarios, ijs conferendo illa eadem priuilegia, & gratias, quæ iuxta dicta q. 11. competunt Procuratoribus, ſeu Syndicis ordinum religioſorum: idque ex indulto Alexandri VI. relato à *Rodriq. to. 2. q. 114. a. 3.* quod cum non conſtet fuiſſe factum viuæ vocis oraculo præſumi poteſt bullatum, & conſequenter adhuc durare; quidquid dicat *Lezana ſup. cap. 17. num. 11.* famulos denique ijs concedendo multa, & magna priuilegia, gratias, ac exemptiones, quæ recenſentur à *Caſarubio ſup. v. familiares, ſeu famuli Fratrum*, explicãtur à *Rodriq. to. 2. q. 67. Portelo de dub. regul. v. famuli, Peyrino to. 1. priuil. conſt. 1. Iul. II. §. 15. & Lezana to. 2. c. 16.* varijſque locis à nobis exponentur in ſequentibus tractationibus.

40 Vnum hìc placet monere, nimirum quòd, licèt nomine familiarium, ſeu famulorum veniant ij, qui Religioſorum monaſterijs inſeruiunt, & cum illis cohabitant continuò, vel quaſi continuò manentes in eorum domibus, ita vt ſint, & dici poſſint quaſi eorum commenſales; ad id tamen non videtur ſimpliciter neceſſarium, vt inſeruiant monaſterio ex ſtipendio, ac mercede: cùm non repugnet, quod quis alteri famuletur omninò gratis, & nihilominus ſit domino ſuo commenſalis. ita *Lezana ſup. numer. 1. ex cap. vltim. de verb. ſignificat. in 6.* & ante illum *Rota Rom. diuerſ. p. 2. deciſ. 302. num. 2. Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. l. 9. c. 4. num. 14. Barboſa de offic. ep. alleg. 5. num. 2. & Bonac. D. 8. de ſacr. q. vn. p. 4. num. 18.* & alij; inter quos *Suar. num. 15.* cenſet nomen familiaris, ſeu famuli in rigore non exigere, vt quis actu habitet continuò, ſeu quaſi continuò in domo eius, cui inſeruit, ſed ſufficere, quòd habitet in eius domo (vt ſic loquar) formaliter ſumpta, vt ſcilicet dicit congregationem domeſticam, ſeu familiarem, ac œconomicam; quo pacto à fortiori dici poterit familiaris is, qui ęgrotat, aut etiam pro aliquo tempore degit extra monaſterium, cui inſeruit, ad tractanda negotia, ſiue propria, ſiue ipſiuſmet monaſterij. Quamquam, ſi loquamur de ratione *familiaris*, pro vt requiritur ad vſum priuilegiorum conceſſorum familiaribus regularium, iuxtà diſpoſitionem *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 11. de reformat.* ad talem effectum petentis, vt familiares, ſeu famuli religioſorum ipſis religioſis actu inſeruiant, & intra eorum ſepta, ac domos reſideant, ſubque eorum obedientia viuant: præfata doctrina *Suarez* non procedat; cùm, attento decreto dicti Concilij, requiratur, vt famuli actu inſeruiant monaſterio, & præterea habitent intra ſepta, ac domos religioſorum, quibus famulantur: non tamen quòd promiſerint obedientiam, cùm verba illa Concilij, *ſubque eorum obedientia viuant*, ſolùm importent ratione muneris ſeruiendi conſequens eſſe, vt obedire debeant.

41 Putat tamen *Rodriqu. tom. 1. quæſt. 55. artic. 21.* diſpoſitionem illam Concilij Tridentini non reſpicere, niſi priuilegia, quę in Epiſcoporum iuriſdictione excitare poſſunt perturbationem, & exemptis laxioris vitę occaſionem prębere cognoſcuntur, ideòque priuilegia; quæ nihil tale parere poſſunt (cuiuſmodi ſunt indulgentiæ, & ſimiles aliæ conceſſiones) poſſe ſuffragari famulis regularium, etiam ſi non habeant vtramque illam conditionem requiſitam in Concilio.

QVÆRES XV. Quo modo Eccleſia protegat Religioſos quò ad profectum ipſorum ſpiritualem.

41 ℞. Protegere tum pręcipiendo ea, quæ poſſunt conferre ad ipſum profectum ſpiritualem; tum prohibendo, quæ poſſunt illum impedire: idque non rarò ſub grauiſſimis pęnis; vt, ſi minùs amore virtutis, ſaltem ex metu pænę præcepta impleant, & à prohibitis abſtineant. huc ſpectant decreta iuſſu Clementis VIII. edita 20. Maij 1601. pro reformatione regularium tam monachorum, quàm mendicantium cuiuſcumque Ordinis, ac inſtituti, & poſtea ab Vrbano VIII. innouata, & confirmata: huc decreta eiuſdem Clementis VIII. de Nouitijs ad habitum regularem, & profeſſionem non admittendis, niſi in certis monaſterijs: huc Conſtitutio Sixti V. de qualitatibus eorum, qui ingreſſuri ſunt religionem: huc inſtitutiones ſuper receptione, ac educatione nouitiorum editæ à Sacra Congregat. de mandato Clementis VIII. huc decreta omnia à ſacris generalibus Concilijs, & præ Trid. lata circa regulares: huc Conſtitutio Pauli V. de certo religio-

ligioſorum numero conſtituendo in vnoquoque monaſterio iuxta redditus proprios, aut conſuetas eleemoſynas; huc decreta Clementis VIII. ſuper reſeruatione caſuum ab omnibus Prælatis regularibus obſeruanda: huc decreta Vrbani VIII. *de Regularibus apoſtatis, & eiectis* edita 21. Sept. 1624. huc Conſtitutio Clementis VIII. *de largitione munerum* ad relegandam ambitionem à Religioſis promulgata, & poſtea iuſſu Vrbani VIII. innouata, & confirmata, immò, & moderata: huc denique ſexcenta alia decreta, ac conſtitutiones circa Regulares edita à ſummis Pontificibus ad profectum ſpiritualẽ ipſorum, qui maximè debet intendi in religionibus, promouendum.

QVÆRES XVI. Qualiter Eccleſia protegat religioſos quò ad eorum Eccleſias, & monaſteria.

43 ℞. Protegere non ſolùm ea recipiendo ſub immediata ſua iuriſdictione, ijs exemptis à poteſtate Ordinariorum, vt oſtendemus in *tract. de priuil. c. 5. ſect.* 2. ſed etiam illis conferendo priuilegium immunitatis à nobis loco citato explicatum *ſect.* 1. iiſque concedendo plurima, & maxima priuilegia, quæ in allegata *tractat. toto illo cap.* 5. explicabimus; inter quæ illud etiam recenſeri poteſt, quòd cùm iure communi Eccleſiæ conſecrari non poſſint, niſi ſint ſufficienter dotatæ, vt colligitur ex *cap. cum ſicut de conſecr.* Eccleſ. tamen Regularium, etiam non dotatæ, poſſunt conſecrari; vt notat *Barboſa l. 2. iur. Eccleſ. vniuerſ. capit. 2. numer.* 2.

QVÆRES XVII. Quo pacto Eccleſia protegat Regulares quò ad eorum miniſteria ſpiritualia.

44 ℞. Protegere, ijs conferendo plurima, & maxima priuilegia, quę, Deo dante, à nobis explicabuntur in *tract. de priuil.* prę ſertim *cap.* 3. *ſect.* 1. 2. 3. 4. & 5. *cap. 4. ſect.* 1. 2. 3. & 4. Vnde fit, vt dicta miniſteria obire poſſint maiori cum fructu proximorum, & minori ipſorummet religioſorum difficultate.

QVÆRES XVIII. Qualiter Eccleſia protegat Ordines religioſos quò ad priuilegia ipſis legitima poteſtate conceſſa.

45 ℞. Protegere tum concedendo ampliſſima priuilegia, & quidem in quacumque materia, & motu proprio, & ex certa ſcientia, ac plenitudine poteſtatis: tum ea iterũ atque iterum confirmando, innouando, ac firmitatis perpetuæ robur adijciendo (quod certatim præſtiterunt ferè omnes Pontifices, & prę ſertim Pius V. in ſua conſtit. *Etſi mendicantes*): tum ea extendendo per viam communicationis ab vno Ordine ad alium tàm inter mendicantes, quàm non mendicantes (quod item fecerunt multi Pontifices, & maximè Pius V. in *citata conſtitut.*): tum illorum interpretatione ſibi reſeruando (quod expreſsè ſtatuit Clement. IV. teſte *Caſarub. in comp. v. priuilegia Fratrum* §. 5. diſtrictè inhibens omnibus Prælatis Eccleſiarum, ne interpretari præſumant priuilegia, & indulta conceſſa Fratribus minoribus, & Prædicatoribus, ſiuè clara, quæ interpretatione non indigent, ſiue dubia contineant): tum ſtatuendo, ne vi quarumcunque literarum apoſtolicarum poſſit præiudicari ſeu derogari dictis priuilegijs, niſi de ipſo Ordine, cui conceſſa ſunt, & de literis id ipſum concedentibus (quæ ſunt Eugenij VI. penes *Caſarubium ſup.* §. 6.) fiat expreſſa mentio de verbo ad verbum: tum ex certa ſcientia per bullam confirmando, ac innouando omnia viuę vocis oracula Regularibus antea conceſſa, ſicque efficiendo, vt iam induant naturam priuilegij bullati, adeòque non veniant ſub generali reuocatione viuæ vocis oraculorum, quæ poſtea fiat (quòd fecerunt in fauorem Fratrum Minimorum Pius V. die 15. Iun. 1567. & Greg. XIII. die 18. Oct. 1575. vt conſtat ex eorum bullis relatis à *Peyrino to. 3. priuil. c.* 12. *ad Conſt.* 18. *Vrb. VIII.*: tum ſtatuendo graues pœnas contra omnes perſonas inhibentes, ſeu impedientes, quò minus religioſi vtantur priuilegijs, & gratijs ſibi conceſſis (quod fecit Sixtus IV. in bulla aurea Fratrum Prædicatorum ac Minorum, teſte *Caſarub. ſup.* §. 12.) tum concedendo, quòd priuilegia Regularium integrè, & ad verbum, vt ſonant, pleniſſimè, atque inuiolabiliter vbique obſeruentur (quod per bullam conceſſit Iul. II. apud *Caſarub.* §. 17.) tum prę cipiendo (quod fecit per bullam idem Iul. II. penes eundem *Caſarub.* §. 19.) vt quæcumque priuilegia Regularibus vtcunque conceſſa, ſiue ipſa exemplaria, ſiue eorum tranſumpta oſtendantur Prælati alicuius, aut publici Notarij manu ſignata, aut etiã Generalis Ordinis ſigillo firmata, eandẽ omninò vim habeant, & illis fides adhibeatur, ac ſi plumbi ſignum haberent: tum indulgendo, vt religioſi poſſint vti priuilegijs conceſſis, etiam ſi ob ſimplicitatem, ac iuris ignorantiam retroactis temporibus illis vſi non fuerint, dummodò per prę ſcriptionem, aut aliàs ijs legitimè non ſit derogatum (quod indulſit Nicol. IV. per bullam, teſte *Caſarubio ſup.* §. *ex priuil. Carthuſienſ.*) His ergò, & alijs ſimilibus indultis (quę videri poſſunt apud *Caſarubium ſupra*) quaſi quibuſdam clypeis protegit Eccleſia Ordines religioſos quò ad eorum priuilegia, ſicque apertè indicat quanto eos affectu complectatur.

QVÆRES XIX. Quo pacto Eccleſia protegat Ordines religioſos quò ad eorum regimen, ac gubernationem.

46 ℞. Protegere non ſolùm regularibus Prę latis, ſiuè immediatis, ſiue mediatis conferendo iuriſdictionem ſpiritualem ordinariam tam pro foro externo contentioſo, quam pro foro conſcientię, vt oſtendit *Suarez tom. 4. de religion. tract.* 8. *libr.* 2. *cap.* 1. *numer.* 8. ſuſtinens iuriſdictionem dictorum Prę latorum non eſſe propriè de iure diuino, ſed de iure humano, vt potè manantem ab Eccleſia; ſed etiam concedendo religionibus plurima, & maxima priuilegia, quę mirificè conducunt ad meliorem, & faciliorẽ ipſarum gubernationem. Tale priuilegium eſt, quòd religioſi ſubditi ab inſtitutis, ordinationibus, correctionibus, & mandatis Capituli generalis, aut ipſius Generalis, aut aliorum Superiorum Ordinis appellare non poſſint ad quemcumque, neque ad Papam, niſi de

ſpeciali

ſpeciali ipſiuſmet Papæ licentia ; quòdque appellationes deſuper pro tempore interpoſitæ , & inde ſecuta irrita habeantur : quod conceſſit Iulius II. Canonicis S. Saluatoris , vt videre eſt in *Compend. priuilegior. Societat. Ieſu verb. appellatio §. ſecund.* vbi alia ſimilia indulta referuntur ; tale priuilegium eſt , quod per bullam conceſſit Iulius II. Fratribus S. Auguſtini penes *Caſarub. in compend. verb. apoſtata* §. 26. nimirùm quòd Fratres , qui ab Ordine receſſerint, aut habitum reliquerint , ſi poſt Generalis mandatum infrà 8. dies mandato proximos ad obedientiam non redierint , habitumque perpetuò geſtandum reſumperint , excommunicationis latæ ſententiæ pænam incurrant Papæ reſeruatam , & quod eandem pænam ſubeant quicunque illis auxilium , conſilium , aut fauorem in hoc præſtiterint : tale priuilegium eſt , quòd religioſi incorrigibiles legitima poteſtate eijci poſſint ab Ordine , ſeruatis tamen ſeruandis iuxtà decreta ſacræ Congregation. iuſſu Vrbani VIII. nouiſſimè edita ; tale eſt , quòd conceſſum fuit in *Concil. Tridentin. Seſſion.* 25. *de regular. cap.* 19. ne ſcilicet religioſi prætendentes ſe per vim, & metum ingreſſos eſſe religionem , aut etiam profeſſos fuiſſe ante debitam ætatem , poſſint reclamare vltrà quinquennium à die profeſſionis ; tale eſt , quòd nemo regularis cuiuſcumque facultatis vigore transferatur ad religionem laxiorem ; nec detur licentia cuiquam regulari occultè ferendi habitum ſuæ religionis, quod habetur in eodem *Concilio loco citato* : tale eſt , quòd neque ad Ordinem ſtrictiorem , ac perfectiorem liceat tranſire abſque licentia proprij Prælati , ſin minùs obtenta , ſaltem petita , pro vt habetur in *Capitul. licèt de Regular.* prætetquam quod Eccleſia confert ad bonum regimen Regularium opera Protectoris , Conſeruatoris , Procuratoris , & Syndici , de quibus ſuprà.

47 Et quidem , quod attinet ad forum contentioſum, confert Eccleſia ad bonam Regularium Gubernationem , non ſolum indulgendo, vt Prælati Ordinum religioſorum in cauſis ſuorum ſubditorum , rimulis , & apicibus iuris poſtpoſitis, procedere poſſint ad correctiones, ac puniriones eorum iuxtà conſuetudines approbatas, & generalia ſtatuta proprij Ordinis , ſicut conceſſit per bullam Bonifac. VIII. Ordini Minorum , teſte *Caſarub. ſupr. verb. correctio* §. 6. Sed etiam indulgendo , vt cauſæ illorum tam ciuiles , quàm criminales , ac mixtæ cognoſci poſſint à proprijs Conſeruatoribus : idque ſiue ipſi religioſi ſint rei, ſiue actores (quod teſte *Lezana tom. ſecund. capitul.* 10. *numer.* 29. conceſſerunt Sixtus IV. Carmelitis , Clemens VII. Minimis , & Gregorius XIII. Religioſis Societat. Ieſu) ; quamuis modò talis facultas reſtricta ſit à Gregorio XV. in ſua Conſtitution. *Sanctiſſimus*, edita Anno 1621. vt oſtendemus in *tractat. de priuileg. capitul. octauo ſectione quinta quaſtione*, 21. *& aduertit Lezana ſupra numero* 60. *& ſequentibus*.

QVÆRES XX. Qualiter Eccleſia protegat Regulares quò ad ipſorum ſtudia literaria.

48 ℞. Protegere tum prohibendo , ne vacent ſtudijs facultatum minùs vtilium , & non conuenientium ipſorum ſtatui , vt videbimus *in tractat. de prohibit. cap.* 13. *quaſt.* 12. & conſtat ex *cap. non magnopere ne Cleric. vel monac.* tum concedendo plura , & ampla priuilegia maximopere conducentia ad profectum literarium ; quæ poſtea explicabimus in *tract. de priuil. cap.* 4. *tota ſect.* 2.

QVÆRES XXI. Qualiter Eccleſia protegat Ordines religioſos quò ad bona ipſorum temporalia.

49 ℞. Protegere tum ea eximendo ab omnibus, & ſingulis exactionibus tam vrbanis, quàm ruſticis , nec non datijs , gabellis , pedagijs , vectigalibus , collectis , impoſitionibus , oneribus ordinarijs , ac extraordinarijs , tam realibus , quàm perſonalibus , tam meris , quàm mixtis , etiam ſubſidio triennali , augmento , ac facultatibus , equorum taxis , militumque hoſpitijs , ac alias quibuſcumque nominibus nuncupatis, quauis auctoritate , ac quomodolibet imponi conſuetis , ac in futurum imponendis, & cæt. (quod conceſſit Pius Quintus in ſua Conſtitutio. *ad vberes* 29. *Iulij* 1566. omnibus Ordinibus Mendicantium , & poſteà etiam extendit ad non Mendicantes , comprehendendo etiam Moniales ;) tum prohibendo ſub grauibus pænis , ne bona Regularium , inconſulta Sede Apoſtolica , poſsint alienari abſque debita ſolemnitate ; vt latè oſtendemus in *tractat. de prohibit. toto cap.* 8. tum reddendo religioſos capaces bonorum tam feudalium , (quod conceſsit Cæleſtinus Quintus Congregationi Cæleſtinorum, vt habetur in *comp. priuil. Societat. Ieſu verb. bona* , §. 6.) quàm emphyteoticorum eccleſiaſticorum (quod conceſſum fuit Congregationi Sancti Georgij in Alga , pro vt refertur in citato *comp. Societat.*) tum indulgendo , ne contrà bona religioſorum currat vlla præſcriptio minor , quàm ſexaginta annorum : quod conceſsit Eugenius Quartus Ordini Sancti Benedicti Valliſoleti, & Iulius Secundus Congregationis Sancti Saluatoris , vt videre eſt in dicto *comp. Societ. verb. præſcriptio* ; tum indulgendo , vt legata relicta religioſis ad certum vſum poſſint à Prælatis Monaſteriorum conuerti in alium vſum : idque ex conceſsione tam Sixti IV. facta Fratribus Minoribus , quàm Leonis X. eiſdem Fratribus confirmata , & ampliata (quamquam , cùm ab vtroque fuerit facta viuę vocis oraculo, attenta generali reuocatione viuę vocis oraculorum , de qua alibi , non ampliùs ſubſiſtat , ſicut notauit *Lezana tom. ſecundo capitul.* 19. *numer.* 47. addens priuilegium bullatum à *Peyrino* relatum *tom. primo priuileg. Conſtitution. ſecunda Iuli. II. numer.* 74. & ab ipſo Iulio II.

ad ta-

ad talem effectum Ordini Minimorum conceſſum, eſſe ſatis obſcurum, ac limitatum: ſed de hoc in *tract. de priuileg. capitul. ſeptimo ſectione prima quaſt.* 25.) tum concedendo religioſis, vt gaudeant priuilegio Minorum, & conſequenter frui poſſint beneficio reſtitutionis in integrum: ſicut oſtendimus in *tract. de priuileg. capit.* 7. *ſection. prima. quaſtion.* 29. tum graues pænas, ac cenſuras infligendo contra damnificantes bona regularium, vt indicauimus *hic quæſtione ſexta*; tum denique conferendo plurima alia, & maxima priuilegia à nobis explicanda in *tractat. de priuileg. eo. capitul. ſeptimo tota ſectione citata*: quæ priuilegia ſummopere conferunt ad bona temporalia Ordinum religioſorum tam acquirenda, quam conſeruanda, ac amplianda.

Finis Tractationis Primæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

TRACTATIO II.

DE

Nouitiatu præmittendo Profeſsioni Religioſæ.

PRÆMISSIS ijs, quæ diximus in præcedenti Tractatu de Religioſo Statu in Communi; in hoc Tractatu agemus de Nouitiatu; qui in omnibus Religionibus ſolet peragi ante Religioſam Profeſſionem. Tractatum diuidemus in 9. Capita; in quorum 1. diſſeremus de natura Nouitiatus, eiuſque circumſtantijs: In 2. De poteſtate admittendi ad Nouitiatum: In 3. De ſeruandis in ipſa admiſſione: In 4. De ijs, qui poſſunt, aut non poſſunt admitti ad Nouitiatum: In 5. De inſtructione Nouitiorum: In 6. De illorum obligationibus: In 7. De eorum priuilegijs: In 8. De prohibitionibus ipſorum præcipuis: In 9. De renunciatione bonorum, quæ fit à Nouitijs ante profeſſionem.

CAPVT I.

De Natura Nouitiatus, eiuſque Circumſtantijs.

1 *Nouitiatus eſt probatio, qua religio probat nouitium, & nouitius probat religionem.*

2 *Eſt multiplex, & varius iuxta varietatem religionum.*

3 *Quatuor ſunt de eius eſſentia.*

4 *Ante pubertatem non inchoandus.*

5 *Impubes ante pubertatem admiſſus ad religionem eſt latè nouitius.*

6 *Certa ætas requiritur in admittẽdis ad Societatem Ieſu.*

7 *Regulariter nouitiatus debet fieri in conuentu.*

8 *Impuberes de conſenſu parentum recipi poßunt ad religionem.*

9 *De valore nouitiatus eſt, vt fiat in habitu religioſo: quod negat Suar.*

10 *Annus nouitiatus debet eſſe integer, & continuus.*

11 *Secùs attento indulto Iulij II. conceßo Fratribus Minoribus.*

12 *Tenet nouitiatus factus in continua infirmitate.*

13 *Non item factus in amentia ſuperueniente, quæ non ſit breuis.*

14 *Non factus ab ingrediente ficto animo, etſi poſtea illum mutet.*

15 *Aliqui tamen oppoſitum ſuſtinent non improbabiliter, & monent, quid agendum ſit in tali caſu.*

16 *Tenet nouitiatus factus cum impedimento occulto, ſi hoc ante profeſſionem ceſſet.*

17 *Tenet, ſi eo abſoluto, nouitius recedat, & poſtea redeat.*

18 *Limitatur aſſertio.*

19 *Dimiſſus è Societ. Ieſu poſt vota biennij ſi iterum recipiatur, de rigore iuris non ſemper repetit nouitiatum.*

20 *Religioſus profeſſus tranſiens ad alium Ordinem nouum facere debet nouitiatum.*

21 *Et, ſi indebitè tranſeat, adhuc validè inchoat nouitiatum; & quidem etiam in habitu prioris Ordinis.*

22 *Profitens ex Pij V. indulto ante finem nouitiatus non tenetur poſteà abſoluere nouitiatum quod alij negant.*

23 *Tenet nouitiatus ingredientis ex alterius dolo, vi, aut metu.*

24 *Inchoari poteſt ante annum ætatis 15. & abſolui ante annum 16. completum.*

25 *Ex decreto Clementis VIII. fieri debet in locis deputatis: quod non procedit in omnibus Ordinibus, &*

aliàs

aliàs admittit paruitatem materiæ.

26 *Declaratur Decretum Vrbani VIII. hac de re editum.*

27 *Refertur ipſum decretum.*

28 *Reijcitur quædam Naldi doctrina ſuper dicto decreto tradita.*

29 *Reſoluuntur duo dubia curioſa circa praxim præfati decreti.*

30 *Religioſus laicus transferri poteſt ad ſtatum clericalem ſine nouo nouitiatu.*

31 *Religioſi Ordinum militarium non tenentur ad nouitiatum.*

32 *Nouitiatus vt teneat, ſupponit admiſſionem in religionem..*

33 *Et vt nouitius probet, & probetur tanquam nouitius.*

34 *Nouitiatus inchoatur, à die ſuſceptionis habitus, regulariter loquendo, ſed non de rigore iuris.*

35 *Annus nouitiatus de momento in momentum computandus.*

36 *In anno biſſexto duo dies pro vno computantur.*

37 *Nouitiatus duobus modis interrumpitur.*

38 *Vt interrumpatur per dimiſſionem habitus, hæc debet eſſe conſummata, ac perfecta.*

39 *Ex cauſa prorogari poteſt tempus nouitiatus.*

40 *In omni caſu profeſſioni præmittendus integer annus nouitiatus.*

41 *Etiam in caſu, quo ſponſus ante matrimonij conſummationem ingrediatur religionem.*

42 *Omitti non poteſt nouitiatus de conſenſu partium.*

43 *Nouitius iniuſtè ciectus, ſi iterum recipiatur, non tenetur inchoare nouitiatum ab initio: ſecùs, ſi iuſtè.*

44 *Annus nouitiatus ex conſenſu partium non diminuitur.*

45 *Admiſſi ad religionem in loco non deſignato poſſunt mitti ad faciendum nouitiatum in loco deputato.*

QVÆRES I. quid ſit Nouitiatus.

1 ℞. Quòd, cùm Nouitij vocentur in Religionibus ij, qui, nondum emiſſa profeſſione expreſſa, aut tacita, per aliquod tempus degunt in Religionibus, vt ipſi experimento agnoſcant auſteritatem regulæ, & religionis, quam intendunt profiteri, ſicque maturiùs, ac prudentiùs deliberent, num illa ratio viuendi ipſis conueniat, nec ne; & Religio ipſa eos intimiùs cognoſcat, eoſque varijs probationibus exercẽs videat, num eos debeat admittere ad religioſam profeſſionem, aut excludere: Nouitiatus dici poteſt, quòd ſit tempus Probationis, quo Religio probat Nouitium, & Nouitius probat Religionem ad effectum cognoſcendi, vtrũ expediat, quòd ipſi admittantur ad profitendum, vel reijciantur; vnde fit, vt loca, in quibus degunt Nouitij Societatis Ieſu, vocentur *Domus probationis*: & annus nouitiatus dicitur annus probationis: idque iuxta *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 15.*

QVÆRES II. Quotuplex ſit Nouitiatus.

2 ℞. Quòd, cùm nouitiatus iuxtà dicta ſit quędam probatio, ſicut in aliquibus ſaltem Religionibus multiplex eſt probatio, ita & multiplex dici poteſt nouitiatus; non quidem ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, cùm & ipſa multiplicitas probationis non ſit ſubſtantialis, ſed ſolùm accidentalis. Et certè quòd probatio in aliquibus Religionibus ſit multiplex, conſtat ex eo quòd in Ordine PP. Theatinorum non ſtatim ac quis admiſſus eſt ad locum nouitiatus, admittitur inter alios nouitios, ſed per aliquot dies ibi commoratur laico habitu indutus, inſpecturus proximè rationem illam viuendi; poſtea verò, ſi ſpem exhibeat perſeuerandi, induitur habitu clericali, &, ſi ſit admiſſus pro clerico, per quatuor menſes ibi detinetur pro hoſpite, poſt quos tandem inchoat nouitiatum: quo modo hic interueniunt 3. probationes, quarum prima durat vſque ad conceſſionem habitus religioſi: ſecunda vſque ad legitimam inchoationem Nouitiatus: tertia vſque ad emiſſionem profeſſionis; quę proinde dici poſſent quaſi 3. nouitiatus accidẽtaliter diuerſi. Sic in Soc. Ieſu non induitur nouitius veſte religioſa ſtatim ac peruenit ad domum nouitiatus, ſed priùs ad quindecim dies ſolet detineri in exercitio ſpiritualis meditationis, pię lectionis, ac pęnitentię (& vocatur prima probatio:) tum indutus religioſo habitu admittitur ad communem cõuictum, inchoatq; nouitiatum, (& dici poſſet ſecunda probatio;) demum poſt ſtudia literarum abſoluta, alium annum nouitiatus peragit, & in Conſtit. Societatis vocatur tertius annus probationis, & impenditur ſolùm in deuotionis, & humilitatis exercitijs; vt, ſi qua fortaſſe in re virtutum feruor per literarum occupationem intepuerit, per earundem virtutum frequentiorem exercitationem, ardentioremq; diuini auxilij vocationem recaleſcat, vt dicitur in bulla Gregor. Decimotertio *Aſcendentes Domino*; vnde fit, vt Religioſi Soc. tribus diuerſis probationibus exerceantur, & conſequenter faciant quaſi 3. nouitiatus. Similes probationes fiunt fortè etiam in alijs ordinibus iuxtà eorum conſtitutiones, quę proinde ex ijs colligi debent; mihi enim ſatis eſt attigiſſe ea, quę ſunt magis familiaria; vt hinc conſtet nouitiatum in Religionibus non eſſe vnum, ſed multiplicem; quod tamen non eſt nouũ in Eccleſia, cùm S. Benedictus in *regula cap. 55.* dicat non eſſe facilè concedendum ingreſſum petenti, ſed conſilium *Ioannis ep. 1. cap. 4.* ſeruandum eſſe, *Probate ſpiritus, an ex Deo ſint*, ideoque ad talem finem priùs extrà monaſterium detinendum eſſe per aliquot dies, & patientiam eius tum dilatione, tum etiam aliquibus iniurijs probandam: poſtmodum verò intra monaſterium in hoſpitio eſſe detinendum per aliquot dies, priùs quàm ad nouitiatum admittatur.

QVÆRES III. Quid requiratur ad hoc, vt nouitiatus ſit legitimus.

3 ℞. Requiri, vt fiat in ætate legitima: in loco debito: in habitu religionis; & tempore continuato; idque iuxta dicenda in qq. ſequentibus.

QVÆRES IV. Quæ ętas requiratur ad legitimum Nouitiatum.

4 ℞. Requiri, vt Nouitius peruenerit ad pubertatem completam; nimirum vt habeat 14. annos completos, ſi ſit vir, 12. verò, ſi ſit fęmina: completos inquam de momento in momentum, non ſecùs ac debent eſſe anni requiſiti ad religioſam profeſſionem, vt ſuo loco oſtendemus; vnde ſicut malitia non ſupplet ætatem petitam ad profeſſionem, ita, nec ſupplet in præſenti caſu, cùm par ratio vtrobique militat. ita *Sanch. l. 5. in decal. cap. 4. n. 22.* ex *Palud. Sylu. Ang. Tab. Lopez. Azor. & alijs*,

pa-

pateтque tum ex *Clem.vlt. de Regul.* iunċta *Gloſſa v. ætate*: tum quia annus nouitiatus datur ad auſteritates Religionis experiendas, & præſertim obſeruantiam caſtitatis, quæ inter eas ſupremum habet locum: conſtat autem impuberes non poſſe plenè experiri difficultates, quæ in ea ſeruanda reperiuntur: quod tamen non facit, quin etiam ante pubertatem admitti poſſiat aliqui ad Religionem, cùm iure naturali ad voluntariam ſuſceptionem habitus religioſi ea tantùm ętas requiratur, quæ ſufficiat ad perfectam deliberationem (qualis eſt ea, in qua quis habet vſum rationis) nullumque ius diuinum aut humanum eccleſiaſticum adſit in contrarium; ſicut benè oſtendit *Suar.to.3. de Relig.l.5.c.1.num.4. & 5.* dicens *num.7.* non ſolum poſt annos pubertatis, ſed etiam ante illos licitum eſſe habenti vſum rationis ingredi religionem, ſi velit; quamquam, ſicut notat *Sanch.ſup.* verè, & propriè in tali caſu non poſſit dici inchoare nouitiatum, niſi completis annis pubertatis, vt iam dictum eſt.

5 Dixi *verè, & propriè*; vt indicarem impuberem modo dicto admiſſum in Religionem poſſe dici nouitium largè; adeòque cum talis admiſſio ſit valida eum gaudere priuilegio Canonis ęque ac gaudent Nouitij puberes; quod in ſpecie docent *Palud. & Ang.apud Sanch.n.24.* & benè, niſi fortè per Conſtitutiones alicuius Ordinis prohibeatur admitti impuberem, ita vt admiſſio ſit irrita, ſic enim cum admiſſio ſit irrita, admiſſus nullo gaudet priuilegio Religionis; ꝙ putat *Sanch.* eſſe verum, etiam de eo, q ante vſũ rationis admitteretur ad Religioné, etiã à parentib. oblatus: quippequi nec impropriè dici pôt Nouitius, donec acquiſito vſu rationis, conſentiat in talẽ admiſſionẽ: tũ de omni eo, cuius admiſſio ſit irrita, ex quacumq; cauſa id demũ proueniat.

6 Certè in Soc. Ieſu, cùm nemo admitti poſſit ad nouitiatum, qui ſit minor 15. annis, aut maior 50. & in hoc Prouinciales non poſſint diſpenſare, ſed ſolus Generalis, vt conſtat ex *regula 36. Prouincialis*; ſi Prouintialis quemquam admittat ante 15. annos aut poſt 50. abſque P. N. Generalis diſpenſatione, admiſſio eſt irrita ex defectu poteſtatis in admittente; cùm Prouincialis non habeat facultatem admittendi, niſi limitatam eo modo, quo diximus; & quãdo ab initio conceditur poteſtas limitata aliàs non habenti, actus illam excedens ſit nullus, etſi nõ adſit decretum irritans. Vnde fit vt is nouitiatus ſit inſufficiens ad emittenda biennij vota, adeoque illa validè emitti non poſſint, niſi 17. ętatis anno completo (niſi fortè P. Generalis diſpenſet;) ſi quidem ad ea validè emittenda prærequiritur biennium nouitiatus: quod ſine ea diſpenſatione inchoari nequit ante 15. annos expletos, ſicut nec iure cõmuni ante pubertatem. ita *Sanch.n.26.* qui tamen concedit, quod ſi Prouincialis aliquem minoré, aut maioré ętate ſtatuta admitteret ſub ſpe ratihabitionis P.N. Generalis in tali caſu legitimus nouitiatus inciperet à tempore ratihabitionis (dũmodo ille tunc eſſet pubes;) & quidem ita, vt nouitiatus non ſolùm incipiat valere à die ratihabitionis, ſed etiam valeat is, qui ante dictam ratihabitionem fuit factus, ſicq; proſit ad validam emiſſionem votorum biennij; idque ſententia ſatis probabili ſuſtinente Nouitiatum irritum non eſſe repetendum, quam eruditè tuetur, & probat ipſemet *Sanch.l.7 de matr. D.37.nu.47.* Et hæc aſſertio eſt conformis Canoni 9. Congregationis generalis VIII. qui ſic habet: *Prouinciales ſine Generalis diſpenſatione non habent facultatem admittendi ad probationem ante 15. nec ad vota Societatis ante 17. expletos annos: ita vt irritum ſit defectu poteſtatis quidquid contra fuerit factum.*

7 Quod autem dicunt DD. cum *S.Th.2.2.q.189. a.5.* poſſe pueros recipi in Religione ante annos pubertatis cum voluntate parentum; videtur interpretandum negatiuè, ideſt parentibus non contradicentibus. ita *Suar.n.7.* hinc inferens non peccare filium impuberem ingrediendo religionem ſine licentia parentis, ſi ſit paratus eam relinquere, quandocumque parens eum reuocauerit intra illã ætatem: cùm poſita tali voluntate nullum violet præceptum parentum, nullam ijs faciat iniuriam.

QVÆRES V. An, & quo modo ſit de eſſentia Nouitiatus, vt peragatur intra monaſterium.

8 ℟. Eſſe, adeòque nouitiatum poſſe reddi irritum ex eo præciſè quòd extra monaſterium peragatur; niſi fortè id fiat cum legitima Superioris regularis licentia; quo modo Nouitius degens extra monaſterium fictione iuris cenſetur eſſe in Monaſterio; vtpote ibi exiſtens ſub proprij Prælati obedientia. ita *Azor.p.1.l.12.c.2.q.8. & c.3.q.7. Rodriq. to.3.q.15.a.10. Sà v.religio n.9. & 53.* alijque & probatur tum ex *c.1. de reg.in 6.* vbi dicitur. *Quòd ſi per totum ſequentem annum in monaſterio permanſerit* tum ex quadam declaratione Sacræ Congreg. relata à *Sanch.l.5. in decal.c.4.n.27.* tum quia nouitiatus ad eum finem eſt inſtitutus, vt & Nouitius experiatur aſperitates Religionis; & Religio ſumat experientiam morum ipſius: hoc autem non poſſet obtineri, ſi Nouitius extra Ordinem perageret nouitiatum; quamquam, ſi id faciat de Superioris licentia, id ſufficiat ad valorem nouitiatus: cùm non ſit opus, vt Nouitius experiatur omnes in ſpecie Religionis aſperitates, ſatisq; experiri eas præſumatur ad valorẽ profeſſionis hoc ipſo quòd extra monaſteriũ, ita manet ſub obedientia Prælati, vt ipſo iubente, ſit paratus redire, quandocumque eum reuocauerit ad Religionem: quod alijs citatis, aduertit etiam *Caſt.Pal.tr.16.D.1.p.12.§.4.num.2.*

Notat autem *Bordonus de profeſſ.c.4.q.14.* doctrinam traditam (quod ſcilicet de licentia Prælati extrà monaſterium peragi poſſit aliqua pars nouitiatus) procedere, etiam poſt decretum Clem. Octaui referendum *qu.18.* in quo ſtatuitur nouitiatum faciendum eſſe in aliquo ex Conuentibus deſignatis. probat autem ex eo quòd nouitij etiam conuerſi vi præſati decreti debent facere nouitiatum in loco deſignato, vt conſtat ex §. *cum autem dicti decreti*: hi autem non poſſunt experiri præcipuas auſteritates Ordinis, niſi exerceantur in quæſtuando, etiam extrà ciuitatem; quod vtique ſupponit illos per plures dies pernoctare & commorari extra conuẽtum: quis verò dicat per talem commorationem interrumpi nouitiatum? quod ſi videtur non interrumpi, ſignum eſt illũ de licentia Prælati poſſe fieri ex parte extra Cõuentum. ad quantum autẽ tẽpus dari poſſet hæc licentia, conſtabit ex dicendis *q.18.*

QVÆRES VI. An ſit de eſsentia nouitiatus, vt peragatur in peculiari habitu Religionis ſuſceptæ, non autem in habitu ſęculari.

9 ℞. Eſſe, niſi aliter præſcribatur in regula Ordinis à Papa approbata, vel vſus legitimè præſcriptus obtinuerit: vt in Soc. Ieſu, quæ cum nullũ particularem habitum profiteatur, in eius nouitijs nulla requiritur ſuſceptio, aut mutatio habitus, ſed ſufficit, vt is, qui habet poteſtatem admittendi, hìc, & nunc velit recipere hanc perſonam ad probationem Societatis, & vt talem ſuam voluntatem verbo, aut alio ſigno externo ſufficienter declaret, conſentiente, ac exterius etiam acceptante eo, qui recipitur, ita vt ex tunc incipiat viuere ſub obedientia, ac regimine Societatis. Eſt communiſſima DD. apud *Peyr. de R. P. q. 3. c. 1. §. 4. num.* 103. & probatur tum quia talis eſt vſus Religionum: tum quia in *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. c.* 15. id videtur expreſse decidi, dum ſtatuit annum nouitiatus ad valorem profeſſionis numerandum eſſe à die ſuſceptionis habitus: tum quia in ipſa delatione habitus religioſi adeſt quædam auſteritas, difficultas, ac labor, quæ inter experimenta Religionis recenſentur, ideòque neceſſe eſt, vt Nouitius ea experiatur. Diſſentit tamen *Suar. ſup. c.* 14. *n.* 10. generaliter docens habitũ Nouitiorũ (etiam vbi eſt diſtinctus ab habitu profeſſorũ) nõ eſſe de ſubſtantia nouitiatus, ita vt neceſſarium ſit illum deferre, vt quis dicatur in probatione ſtare, ſuamque probat ſententiam varijs rationibus, quæ eam videntur efficere non improbabilem, ſicque eam ſuſtinet *Caſtr. Palaus ſup. numer.* 4.

QVÆRES VII. An ſit de eſſentia nouitiatus, quod duret per annum integrum, & hunc continuum, non autem interpolatum.

10 ℞. Eſſe, & quidem quòd debeat durare per annũ integrum, conſtat ex *Concilio Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 15. *de Regul.* vbi id expreſsè ſtatuitur; quòd verò debeat eſſe continuus, probatur, tum quia quoties in aliquo decreto petitur aliquod tempus, id neceſſariò debet eſſe continuum, vt tradunt *Gloſſa* alijque *Canoniſtæ apud Sanch. n.* 31. ergò cùm *Conc. Trid. ſup.* ad valorem profeſſionis petat abſolutè integrum annum nouitiatus, is neceſſariò debet eſſe continuus; tum quia is annus præſcribitur, vt Nouitius integrè, ac perfectè experiatur aſperitates Religionis; at inter alia non infimum locum tenet, quod eas perferat ſine intermiſſione; vt vel hinc patet quod difficilius eſt ieiunare 40. diebus continuis, quàm interpolatis, ita *Sanch. ſup.* ex communiſſima DD. ſententia contra aliquos Canoniſtas ab eo citatos *n.* 30. oppoſitum ſentientes ob varia iura, quę ipſi afferunt, ſed minùs ſufficientia ad probandum intentum; vt oſtendit idem *Sanch.* addens *nu.* 32. ex *Nau.* & alijs interpolationem 2. aut 3. dierum, per quam interrumpatur Nouiatus, ſufficere ad impediendam continuationem nouitiatus; idq; licèt Nouitius taliter interrumpẽs recederet ab Ordine retẽto habitu, immò & interim regulam obſeruaret, fugeretq; animo redeundi: ſi quidè propriè ſit fuga, qua deſeritur religio animo redeundi; quod vtique non eueniret in caſu, quo Nouitius ad breue tẽpus exiret à monaſterio (v. g. gratia fornicandi, aut cõuiuij,) & quidem depoſito habitu Ordinis, ſtatim reuerſurus. A *Sanch.* diſſentiunt *Leſſius, Nauar. Azor. & Nald.* citati à *Diana p.* 5. *tr.* 5. *reſol.* 19. inter quos *Leſſius l.* 2. *c.* 41. *n.* 59. ait paucorum dierum interpolationem non interrumpere nouitiatum; cum non adſit moralis interruptio, nec obſtet, quò minùs nouitius dici poſſit experiri religionem, & religio nouitium.

Et hæc de iure communi: nam ex priuilegio bullato Iulij II. conceſſo minoribus, & relato à *Caſarub. in comp. v. nouitius n.* 23. *p.* 12. poſſunt Regulares, in caſu, quo annum probationis inceptum interrumpant deſerendo Religionem, & dimittendo habitum, & poſtea ad illam redeant, poſſunt inquã tẽpus prioris receptionis habitus cũ tẽpore poſterioris ſibi computare iuxtà diſcretionem, ac determinationem Superiorum; & hoc etiam poſt Concil. Trid. iuxtà *Rodriq. ſup. a.* 5. referentem multos viros doctos huic ſententiæ ſubſcripſiſſe; nimirum eiuſmodi priuilegium non fuiſſe derogatum à *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 15. quippequod ſolum petit annum nouitiatus expleri. non ſtatuens, an is debeat eſſe continuus, nec ne: cum alioqui in caſu noſtro integer annus expleatur, etſi non ſit continuus: quod eſt contra *Sanchez num.* 35. & alios relatos à *Diana p.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 89. oppoſitum ſuſtinentes: quorum doctrinæ conformatur praxis Societatis, vt ad me reſcripſit *Card. de Lugo*, & in facti cõtigentia anno 1643. de facto obſeruatum eſt, qua de re plura *Bordonus cap.* 4. *de profeſſ. q.* 13.

QVÆRES VIII. An validus cenſeri debeat nouitiatus, ſi nouitius toto tempore illius ægrotet, ideoque non poſſit experiri auſteritates religionis.

12 ℞. Validum reputari, ac proinde talem nouitium poſſe, completo anno, ſtatim profiteri. ita *Suar. ſup. numer.* 15. *ex Nauar. Miranda par.* 1. *quæſt.* 22. *ar.* 5. *Sanch. num.* 25. *Rodriq. ſup. a.* 10. alijque & probatur ex eo quod ſic nouitius, quantum eſt ex ſe, verè manet in ſtatu probationis in tali religione, & ſub illius obedientia; quòd autem actu probari non poſſit, eſt per accidens; nec refert, quòd annus probationis inſtitutus eſt ad capiendã experientiam; tum quia finis legis non eſt de ſubſtantia legis; tum quia in caſu propoſito nouitius ſatis probatur per infirmitatem, in qua religio ſufficienter poteſt explorare naturam illius, & aptitudinem ad religionem: ſicut & ipſe poterit cognoſcere charitatem, & mores religionis, quod non admittit *Bordonus quæſt.* 40. ſuſtinens inualidè profiteri in Ordine Minimorum eum, qui toto tempore nouitiatus de licentia medici veſcitur carnibus; idq; etſi aliàs concedat non eſſe opus, quòd nouitius experiatur omnes aſperitates religionis in ſpecie; id enim putat nõ habere locum in prçcipuis auſteritatibus religionis, qualis eſt abſtinentia à carnibus apud Minimos.

QVÆRES IX. An caſu, quo quis ſui compos inchoat nouitiatum, & in progreſſu illius incidit in furorem, tempus furoris computandum ſit in anno nouitiatus; ita vt, ſi duret ferè toto anno, eo elapſo, ſi iterum fiat ſui compos, validè poſſit profiteri, ac ſi toto eo tempore fuiſſet ſui compos.

℞. Non videri computandũ; & probatur tũ quia

qui

qui non eſt ſui compos non poteſt experiri, & explorare monaſticam diſciplinam, nec propriè eſt ſub iugo obedientiæ; cùm tamen ad id detur annus nouitiatus: tum quia tempus, quo quis ante pubertatem degit in religione, non computatur in anno nouitiatus, eo quod impubes non habeat plenum vſum rationis, quo experiatur aſperitates religionis, (& hoc, eſtò malitia videatur ſupplere ętatem;) ergò à fortiori multò minùs computandum erit tale tempus in furioſo, qui omninò caret vſu rationis. ita *Sanch. ſup. numer. 54. cum Sylu. v. religio 5. q. 2. Armilla v. nouitius num. 5. & Tab. ibi q. 4. num. 5.* addens ſupra dictum tempus ceſſante poſtea furore ſupplendum eſſe, non tamen iterum inchoandum nouitiatum; quippe qui medio furoris tempore non interrumpitur manente furioſo in Religione, aut certè extra de Prælati licentia, ſed tantum dormit, ſeu ſuſpenditur: quomodo *l. ſicut C. de præſcript. 30. ann.* præſcriptio incepta contra defunctum, cui pupillus ſuccedit, durante ętate pupilli dicitur dormire: quod etiam notat *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 1. p. 12. §. 2. num. 9.*

Secùs dicendum, ſi furor ille citò tranſeat (vt euenit in phreneſi tempore morbi ſuperuenientè, & durante 12. aut 15. diebus;) is enim non impedit curſum anni nouitiatus, adeòque anno tranſacto, id tempus non eſt ſupplendum; ſed in eo computandum; cum talis ſit praxis Religionum, & iura poſcentia annum nouitiatus non negent dictum tempus eſſe modo dicto computandum, vt notauit idem *Sanch. vbi ſup. & Caſtrus Palaus loco citato.*

QVÆRES X. An validè faciat nouitiatum, qui religionem ingreditur ficto animo cum deliberatione non profitendi, ſi poſt aliquot menſes propoſitum mutet, & intendat poſt annum profiteri.

14 ℞. Quod, cum ad hoc vt aliquis poſſit dici Nouitius alicuius religionis, opus ſit, vt cum propoſito viuendi, & moriendi in eà ſub illius obedientia verſetur profeſſurus ſuo tempore: ſatis probabile eſt ingredientem eo animo ficto religionem, non poſſe in conſcientia computare in tempus probationis tempus illud, in quo habuit fictum illum animum: cum ſic re vera non ſit in probatione niſi materialiter; quod non videtur ſufficere ad faciendum validum nouitiatum. ita *Suar. to. 4. de Rel. tr. 10. l. 2. c. 5. num. 15.* quamuis *n. ſeq.* dicat quòd, cùm talis doctrina videri poſſit duriuſcula, & in praxi ſit expoſita multis incommodis, ac grauibus difficultatibus: probabiliter dici poteſt eiuſmodi probationem, licèt pro eo tempore, quo ſit modo ſupra dicto, ſit ficta potiùs, quam vera, deficiente intentione, à qua pendet omnis actio humana; retrotrahi, mutata intentione, & ratificari: ſiquidem regula iuris *Actus non operantur vltra intentionem agentis*, non procedit, quando impletio actus non pendet ab intentione agentis, vt in præſenti caſu; & factum ipſum perimit intentionem, & nouitiatus opere magis perficitur, quam intentione.

15 Cum Suarez ſentit *Sanch. l. 7. de matr. D. 37. n. 56.* ea potiſſimum ductus ratione, quod cùm nouitiatus inſtitutus ſit, vt & religio probare poſſit Nouitium, & Nouitius religionem, & id totum ſufficiēter habeatur in caſu propoſito, ceſſat finis repetendi nouitiatum: ea proportionaliter ratione, qua DD. communiter dicunt matrimonium ſemel contractum coram Parocho, ac teſtibus, ſed inualidum ob impedimentum occultum, non eſſe neceſſariò iterandum in præſentia Parochi, & teſtium; cum ſic de eo ſufficienter conſtet Eccleſiæ, & euitentur peccata ex clandeſtinis nuptijs pullulantia; quod maximè intendit *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim.* dum requirit ad valorem matrimonij præſentiam Parochi, ac teſtium: idem ſentit & *Bordonus q. 16.* & non improbabiliter meo iudicio.

Addit tamen *Sanch. num. 57.* quod, ſi quis in caſu propoſito malet ſequi oppoſitam opinionem, nimirum iterandum eſſe nouitiatum, vt ſic tutior ſit fauor ratificationis profeſſionis: tunc ad cauendam infamiæ notam, quam Nouitius poſſet incurrere repetendo nouitiatum, ſub ſigillo confeſſionis poſſet proprio Superiori detegere vitium, petendo, vt ipſum denuò admittat ad nouitiatum peragendum inter alios profeſſos habitu illorum geſtato: & ſi nō ſufficiat conſenſus ſolius Superioris ad Nouitij admiſſionem, ſed requiratur ſimul conſenſus Conuentus, in tali caſu Superior tacito nomine profeſſi, & explicata nullitate prioris profeſſionis petat ſuffragia Conuentus; quamquam meliùs eſſet impetrare ſecretò diſpenſationem à Papa, ſicque per eam ſupplere defectum nouitiatus.

QVÆRES XI. An teneat nouitiatus illius, qui à legitimo Superiore fuit admiſſus, ſed habens impedimentum occultum, ita vt, ceſſante tali impedimento, non ſit opus illum iterare ad validè profitendum.

16 ℞. Probabile eſſe, quod teneat; idque ex doctrina *q. præcedenti* tradita, quæ locum habet etiam in præſenti caſu: ſicut & in caſu, quo nouitiatus fit irritus, eo quòd Nouitius fuit admiſſus à non habente poteſtatem; ſicut in terminis notat *Portel. de dub. Reg. v. nouitius n. 52.* quod tamē negabunt ij, qui apud *Sanch. ſup. n. 46. cum Nau. Rodriq. & Palat.* ſuſtinent nouitiatum, hoc ipſo quòd ex aliquo defectu eſt irritus, iterandum eſſe, & valdè probabiliter (inquit *Sanch.*) cum nullum iuris effectum operari poſſit, quod i ſe eſt nullū, & ad prętēritū nō ſit potētia.

E contra cenſet *Bordonus q. 20.* non tenere nouitiatum illius, qui intruſus, aut receptus fuit à nō habente poteſtatem ſub ſpe ratihabitionis, niſi à die rati habitionis legitimè ſubſecutæ: & probat quia ratihabitio hìc non poteſt retrotrahi, ſicut in ijs, in quibus ſpectatur initium, vt dicit *Gloſſa* ſuper regulam de ratihabitione.

QVÆRES XII. An proſit nouitiatus ad valorem profeſſionis, ſi eueniat Nouitium, eo expleto, recedere à religione, & poſtea iterum redire.

17 ℞. Videri prodeſſe, adeòque Nouitium in tali caſu nouo nouitiatu non egere ad profitendum, niſi fortè conditio perſonæ, aut religionis ſit ita mutata, vt iam non cenſeantur moraliter exploratæ difficultates illius. ita *Rodriq. to. 3. q. 15. a. 10. Sylu. v. religio 5. q. 4. Ang. v. nouitius n. 15.* alijque quos refert, & ſequitur Sanch. *l. 5. in decal. c. 4. n. 34.* contra *Suar. to. 3. de Rel. l. 5. cap. 15. nu. 8. Peyr. de R. P. q. 3. cap. 1. nu. 99. & Vecch. de nouit. D. 11. d. 3. n. 5.* probātque tum quia ſic annus proba-

tionis verè eſt integer, & continuus, nec vllum ius extat, quod petat eum continuari cum profeſſione, aut quod vetet fieri profeſſionem, ſi inter nouitiatum, & illam tempus aliquot vitæ ſæcularis intercedat; tum quia in iſto caſu Nouitius per annum continuum expertus eſt aſperitates religionis, ad quod ſolum inſtitutus eſt nouitiatus.

18 Dixi *niſi fortè conditio perſonæ, aut religionis ſit ita mutata, &c.* vt indicarem ex hac noſtra ſententia non ſequi inconueniens, quod infert *loco cit. Suar.* nimirum quod ſic poſſit quis nunc inchoare nouitiatum, anno ętatis 14. & finire initio anni 15. & poſtea redire ad ſęculum vſque ad complementum ætatis 16. annorum, & tunc iterum reuerti ad religionem, ibique ſine alia probatione profiteri; ſiquidem iuxta datam diſtinctionem, vel in tali caſu ita mutatur conditio perſonæ, aut religionis, vt non cenſeantur moraliter exploratæ illius difficultates; & ſic non ſufficeret ad profitendum prior nouitiatus, ſed deberet iterari, vt volunt Aduerſarij; vel non eſt facta talis mutatio; & ſic non apparet adeò magnum eſſe abſurdum dicere, quod prior nouitiatus tunc ſufficeret ad profitendum.

Hinc patet, quid dicendum ſit in caſu, quo quis dimittatur poſt emiſſa vota biennij è Societ. Ieſu, & iterum poſtea admittatur, num ſcilicet is poſſit admitti ad eadem vota abſque eo quòd nouum peragat nouitiatum.

19 ℟. Enim iuxta datam diſtinctionem poſſe, ſi ſpectaris concurrentibus circumſtantijs arbitrio boni viri iudicetur in eo non eſſe factam talem mutationem, vt reſpectu illius non poſſint præſumi exploratæ difficultates Inſtituti Societatis: & hoc ſtando in rigore iuris: in praxi enim de facto ad nouam emiſſionem dictorum votorum pręmitti ſolet aliud biennium nouitiatus, quamuis ſæpè non totum fiat in domo probationis, ſed extrà.

QVÆRES XIII. An nouitiatus peractus in aliqua Religione ſuffragetur Religioſo poſt legitimam profeſſionem tranſeunti ad alium Ordinem, ita vt in iſto profiteri poſſit abſque nouo nouitiatu.

20 ℟. Non ſuffragari, ſiue tranſitus fiat ab Ordine mendicante ad non mendicantem, ſiue ad alium mendicantem. moueor tum quia Tridentinum petit generaliter ad validam profeſſionem præmitti annum nouitiatus; ergò cùm Religioſus in præſenti caſu debeat profiteri in alio Ordine, debet præmittere nouum nouitiatum: tum quia nō repugnat eundē eſſe veteranum in vno Ordine, & tyronem in alio; tum quia paſſim contingit aptiſſimum vni religioni eſſe ineptiſſimum alteri, ac proinde hoc ipſo quòd quis profeſſurus eſt in alia religione, opus eſt, vt & ipſe experiatur aſperitates illius, & illa exploret mores ipſius. *ita Nau. l. 3. cōſil. de Regular. cōſ.* 49. *n.* 4. *& conſ.* 53. *n.* 5. Sà *v. Religio n.* 35. *Azor. p.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 15. Rodriq. *ſup. a.* 11. Peregr. *p.* 2. *Conſtit. c.* 1. *lit. C.* §. 19. alijq; contra *Cordubam*, & alios apud Sanchez *n.* 12. oppoſitum ſuſtinentes: cum quibus ſentit *Caramuel D.* 45. *in reg. S. Bened. num.* 544. ſuamque ſententiam probat tum quia *Concilium Trid. ſeſſ.* 25. *de Regul. cap.* 15. prohibens, ac irritans profeſſiones eorum, qui non fuerunt nouitij integro anno, non loquitur expreſsè de tranſeuntibus ad alium Ordinem, ideòque eius decretum, cum contineat materiam obligationis, quæ eſt ſtrictæ interpretationis, ad illos extendi non debet: tum quia Concilium ibi loquitur de profeſſione ſubſtantiali, per quam profitens ex non religioſo fiat ſubſtātialiter religioſus; non autem de accidentali, per quam exiſtens iam religioſus in vno Ordine fiat religioſus alterius Ordinis (vt euenit in caſu hìc propoſito, ī quo profitēs non dicitur ingredi religionem, ſed mutare) tum quia tranſiens ad alium Ordinem iam probauit ſubſtantialia ſtatus religioſi, ſicque ei ſolum ſuperſunt probanda accidentalia Ordinis, ad quem tranſit: horum autem probatio non requirit tantum temporis, quantum requirit Concilium ad probanda ſubſtantialia ſtatus religioſi: ſicque dici poteſt id relictum conuentioni contrahentium. ita *Caramuel*, cui *Diana p.* 7. *tr.* 11. *reſol* 25. dicit ſe adhæſurum libenter, niſi eius doctrinæ obſtaret praxis, & communis DD. ſenſus oppoſitum ſuſtinentium etiam in caſu, quo tranſitus fiat ab Ordine ſtrictiori ad laxiorem, imò & reſpectu eiuſdē Ordinis: vt ſi Capuccinus tranſeat ad Zoccolātes ſtrictioris obſeruātiæ.

Quòd ſi Religioſus à poſteriori Ordine, ad quem legitimè tranſierat, redeat ad priorem: ait *Bordonus q.* 44. *& cap.* 2. *q.* 72. §. *vndecimo* non teneri ibi repetere nouitiatum; & probat quia talis religioſus probauit aſperitates prioris Ordinis, & hic mores illius: cum ergò ex nullo alio capite repeti debeat nouitiatus, non eſt cur repetatur: nihil enim fruſtra faciendum eſt.

QVÆRES XIV. An Religioſus profeſſus alicuius Religionis, ſi abſque legitima facultate proprij Prælati admittatur in aliam religionem, poſſit ibi validè inchoare nouitiatum, nondum obtenta tali facultate.

21 ℟. Poſſe, cum re vera ſic ipſe probet religionem, & religio ipſum, quod ſolùm requiritur, & ſufficit ad probationem nouitiatus; peccare tamen, & quidem peccato apoſtaſiæ, vt patet. Imò, cùm iuxtà dicta *q.* 5. poſſit probatio nouitiatus de licentia Superioris fieri extrà monaſterium, etiam in curia alicuius Principis ad negotia pertractanda, vt declarauit Sacra Congreg. apud *Nau. ſup. conſ.* 82. & ex dictis *q.* 6. non ſit improbabile delationem habitus religioſi non eſſe de eſſentia nouitiatus: probabile eſt in caſu propoſito poſſe nouitiatum inchoari in priori religione cum habitu proprio dictæ religionis: dummodo Religioſus incipiat ibi manere tanquam ſub obedientia Pręlati religionis, in quam de nouo admiſſus eſt (quod *q.* 6. diximus ſufficere ad hoc, vt quis conſtituatur formaliter nouitius alicuius Ordinis) Dixi *inchoari*, quia in praxi non videtur concedendū, quòd Nouitius, totum nouitiatū, aut maiorem eius partem peragat extrà religionem. cū ſic non poſſit experiri difficultates illius, quod tamen moraliter loquendo, eſt omninò neceſſarium, ne alioqui progreſſu temporis incidens in illas habeat anſam pęnitendi: quamquā ſimpliciter non repugnet totum nouitiatum peragi extrà Religionē, quā Nouitius profeſſurus eſt; cū actualis probatio non ſit de ſubſtantia nouitiatus, eſtò fortaſſe ſit in præcepro reſpectu Prælati, qui malè facit, non probando Nouitium, vt oſtendit *Suar. ſup. cap.* 14. *num.* 5.

num. 5. addens, quòd, ſi Nouitius fortè reſiſtat huic actuali probationi, non quidem omninò retrocedendo, ſed impatienter eam ferendo, indeque potius capiendo damnum, quàm fructum: nihilominùs per hoc ipſum cenſetur ſufficienter probari, quatenus per hoc ſufficienter cognoſcitur eum nō eſſe aptum religioni: vnde, ſi hoc non obſtante, retineatur, & admittatur ad profeſſionem, valida erit profeſſio, validus nouitiatus; quod eſt ſignum ad valorem nouitiatus non peti, vt nouitius actualiter probetur, ſed quòd ſit in ſtatu, quo poſſit, & ſimpliciter ſinat ſe probari modo ſupradicto.

QVÆRES XV. An Nouitius ex priuilegio Pij V. conceſſo per bullam monialibus S. Dominici, & relato à *Portelo de dub. regul. v. nouitia numer.* 5. profitens in articulo mortis, ſi conualeſcat, teneatur abſoluere reliquum nouitiatus, quod ipſi ſupererat tempore profeſſionis emiſſæ.

22 ℞. Videri probabile non teneri. Ducor quòd ex vna parte *Sanch. ſup. n.* 16. *Peyr. tom.* 2. *priuil. conſt.* 5. *Pij V.* §. 2. *n.* 1. *Lezana tom.* 1. *c.* 25. *num.* 39. *Diana p.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 17. *& p.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 139. alijque docent profeſſionem factam vi talis priuilegij eſſe ita ratam, vt non ſit neceſſe eam iterare, etiamſi nouitius poſtea conualeſcat: ex alia parte docet *Suar. ſup. c.* 14. *num.* 4. ſtatum nouitiatus includere, quòd aliquis non fecerit profeſsionem per vota, & traditionem acceptatam in tali religione, probatq; tum quia, ſicut de neceſsitate motus eſt non perueniſſe ad terminum, ita & de ſubſtantia nouitiatus eſt non emiſiſſe profeſsionem: cùm, fine acquiſito, deſinat inquiſitio, & formato iudicio ceſſet conſultatio; & alioqui nouitiatus probatio ordinetur ad profeſsionem tamquam ad finem, ſitque velut inquiſitio ad ferendum iudicium de futura profeſsione: tum quia probatio ſupponit libertatem aſſumendi, vel non aſſumendi ſtatum, cuius gratia fit probatio, cùm ad hoc ordinetur, vt is, qui probatur, experimento diſcat, num ſibi talis ſtatus expediat; ergo probationi vt ſic repugnat profeſsionis vinculum non ſolùm re vera contractum, ſed etiam falsò exiſtimatum. quòd ſi admittantur hæ doctrinæ (vt verè debent admitti) admittendum etiam videtur non eſſe in caſu propoſito proſequendum reſiduum nouitiatus, quod ſuperetat; ratio eſt, quia repugnat eum eſſe in ſtatu nouitiatus, qui iam eſt actu profeſſus: & eſſe in probatione eum, qui iam fuit incorporatus (loquendo de vno, ac eodem ordine,) ſed nouitius, qui vi ſupradicti priuilegij fecit profeſsiónem, verè eſt profeſſus, etiam poſtquam conualuit, & quidem ita, vt non teneatur iterum profiteri: ergo non poteſt ampliùs eſse in ſtatu nouitiatus: ergo nec tenebitur proſequi nouitiatum, cùm id repugnet, & repugnantium non ſit obligatio. ita ego ſentio, ſicque mecum ſenſerunt alij viri docti à me conſulti; quidquid contradicant *Miranda p.* 1. *q.* 22. *art.* 10. *Portel. loco cit. Rodriq. in addit. ad ſum. to.* 4. *c.* 63. *n.* 5. & alij, qui ſupponentes profeſſionem in iſto caſu iterandam eſſe, conſequenter docent nouitium ſic profeſsum teneri continuare nouitiatum, & iterum profiteri ſuo tempore: quāuis *Portel.* id non dicat expreſsè ſolum citans Rodriquez, & non reijciens.

QVÆRES XVI. An valeat nouitiatus illius, qui religionem ingreditur ex dolo alterius, aut vi, aut metu cadente in conſtantem virum.

23 ℞. Valere; & probatur tum quia in præſenti euentu religio conſentit admiſsioni nouitij, & ipſe nouitius habuit voluntatem ingrediendi ad experiendum, licet coactam; nec ius canonicum irritat talem nouitiatum; tum quia annus nouitiatus inſtitutus eſt ad probandas auſteritates religionis: hæ autem non minus probantur ab ingrediente ex dolo, vi, aut metu, quàm ab ingrediente omninò liberè, ac ſpontaneè; tum quia diuerſa eſt ratio nouitiatus, & profeſsionis; cùm hæc ſemel valida diſſolui nequeat, nec iniuria illata reſarciri, quod non habet locum in nouitiatu, vt patet. Colligitur ex *Sanch. l.* 7. *de matr. D.* 37. *n.* 51. & conſtat ex dictis.

QVÆRES XVII. An ſit de eſsentia nouitiatus, vt non ſolùm fiat in ætate pubere, ſed etiam quòd inchoetur poſt 15. annum expletum, ita vt probatio proximè præcedat profeſsionem, & conſequenter profeſsio immediatè ſubſequatur nouitiatum, vt videtur ſupponi in *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *de Regular. c.* 15.

24 ℞. Non eſse, adeòq; annū probationis poſse inchoari ante 15. & expleti ante 16. ita *Nau. ſup. conſ.* 30. *n.* 1. *Mir. q.* 12. *a.* 3. *Leſſ. l.* 2. *c.* 41. *n.* 59. *Sà v. relig. n.* 3. alijque communiter DD. qui poſt Trid. ſcripſerunt. Ratio eſt, quia ante Conc. Trid. poterat annus probationis inchoari ante 15. dūmodò inciperet poſt pubertatem; Concilium autem quò ad hoc nihil innouauit, ſicut nec ſtatuit, vt ſtati expleto 16. anno ꝓfeſsio fiat: ſiquidē dū ait loc. cit. *vt finito tēpore nouitiatus, Superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profeſſionē admittant, aut è monaſterio eiciāt*, nō loquitur abſolutè, ſed ex hypotheſi, niſi quid obſtet, & qui probantur, tunc habiles inueniantur, aut è cōtrà iudicentur inhabiles; vnde fit, quòd ſi non ſit omninò completus annus 16. vel occurrat alia iuſta cauſa differendi profeſsionem (vt ſi nouitius ægrotet, aut in probatione minùs ſatisfecerit, &c.) licitè poteſt differri profeſsio; quod declarauit ſacra Cōgreg. Cardin. apud Suar. his verbis: *Hæc verba* (nimirum *finito autem tempore nouitiatus Superiores nouitios, &c.*) *reſpiciunt tantùm ad habiles, & ita ex licentia S. D. N. explicante hunc textum Illuſtriſs. Card. Blarenallenſi cenſuit Congreg. dictum tempus nouitiatus eſſe arbitrarium*. quæ omnia confirmari poſsunt ex dictis *q.* 12. clarèque indicant, loquendo de ijs, qui iuxtà particularia ſtatuta proprij Ordinis nō poſsunt admitti ad profeſsionem, niſi poſt annum 15. non eſse opus, quod annum probationis incohent in 17. ętatis anno (vt putāt *Ang. v. nouitius n.* 7. *& Sylu. v. relig.* 5. *q.* 3.) ſed poſse illū inchoare, etiā ante 17. annum.

QVÆRES XVIII. An ſit de ſubſtātia nobitiatus, vt fiat in certis aliquibus monaſterijs, & non in alijs.

25 ℞. Eſse, idque ex decreto Clem. 5. relato à *Naldo verb. religioſus numer.* 41. in quo diſtrictè pręcipitur omnibus Generalibus, Prouincialibus quibuſcumque, cęteriſq; Superioribus quorūcunq; monaſteriorum intra Italiam, & Inſularum adiacentium fines exiſtentium quorumcunque Ordinū Mendicantium, & non Mendicantiū (exceptis tamen Carthuſienſium, Fratrū Min. de ſtrictiori ob-

ſeru. nec non Capuccinorum S. Franc. reformatorum S. Dominici, Diſcalceatorum Ordinis Carmelitarum, nec non Fratrum Congreg. Fulienſis Ciſtercienſis Ordinis, ac Eremitarum eremi Camaldulenſis, & montis coronæ, Clericorum regularium Theatinorum, Soc. Ieſu, S. Pauli decollati, & aliorum de Somaſcha, miniſtrorum infirmorumne, ſub cuiuſuis licentiæ, & facultatis impetratæ, vel impetrandæ obtentu, niſi per literas in forma Breuis dumtaxat, & non aliàs, quemquam ad habitum Regularium ſuſcipiendum, nec etiam Conuerſos, niſi in conuentibus, monaſterijs, & domibus auctoritate eiuſdem S. D. N. propediem in vnaquaque prouincia deſignandis recipere, aut receptos admittere ad Profeſſiones vllo modo audeant. Quin & in prę ſato decreto vltra pęnas, quas incurrunt Prælati Regulares illius transgreſſionis, & quas nos explicabimus *in tract. de pœnis c. vlt. ſect.* 2. *q.* 15. additur receptiones, & profeſſiones quaslibet eorum, qui contra huiuſmodi decretum admiſſi fuerint, eſſe irritas ad quemcumque effectum: & hoc putat *Bordonus cap.* 4. *de profeſſ. q.* 14. habere verum, etiam in caſu quo Nouitius per ſex menſes maneret extra deſſignatum conuentum. Qua in re non conueniunt DD. ſiquidem *Nau. conſ.* 32. *de Regul.* concedit Nouitium de licentia Superioris poſſe degere extra Conuentum per 6. menſes: *Azor. to.* 1. *l.* 12. *cap.* 2. *q* 8. admiſit hoc pro toto anno Nouitiatus: alij apud *Sanch.* non concedunt niſi 2. menſes, idemque ferè ſentit *Rodrig.* citatus à *Bordono vbi ſupra: Sanch. l.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 28. & cum eo *Diana de dub. Regul. reſol* 84. aſſignant maiorem partem anni: vnde patet tale tempus iudicio prudentis deffiniendum eſſe ſpectato in primis fine, ad quem inſtitutus eſt Nouitiatus; qui eſt, vt Nouitius experiatur Ordinis aſperitates, quas minùs benè experiri poteſt extra Conuentum vt patet.

26 Verum tamen eſt, quod Vrb. VIII. die 2. April. 1631. motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione Ordinarijs locorum, ſiue Prę fectis, aut Superioribus Generalibus Religioſorum commiſit, & mandauit, quatenus omnes, & ſingulos Religioſos, qui ad habitum Regularem aliàs canonicè recepti annum probationis in monaſterijs, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis minimè fecerunt, ſubindeque profeſſionem nihilominus emiſerũt, ad profeſſionem denuò ſeruatis alias ſeruandis, emittendam, quæ ſic emiſſa illis & eorum cuilibet tam in foro interiori, quam exteriori ſuffragari debeat abſque nouo probationis anno recipiant, & admittant: eoſdemque poſtquam profeſſionem denuò emiſerint ad omnes gradus, honores, dignitates, prę eminentias, atque habilitates, quas ſi ab initio validè profeſſi eſſent, legitimè obtinerent, reſtituant, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarent; ita vt habeãt eundem locum, ſeſſionem, & votum, prout haberent, ſi Profeſſiones validè feciſſent. Patet ex Conſt. Vrb. VIII. hac de re edita, quam habes in *bullario to.* 4. *conſt.* 115. *Vrb. VIII.*

Ad cuius Conſtitutionis declarationem placet aliqua breuiter adnotare, & quidem 1. in hac bulla concedi fauorem ſolum Religioſis volentibus perſeuerare in Religione, ita vt eorum Prælati non poſſint eos moleſtare eijciendo ab Ordine, *Peyrin. to.* 3. *priuil. cap.* 12. *ad bullam* 7. *Vrb. VIII. num.* 1. *&* *Lezana to.* 1. *cap.* 24. *num.* 24. dicens intentionem Papæ fuiſſe, vt qui modo dicto in locis non deſignatis admiſſi fuerant ad habitum, aut profeſſionem iterum profiterentur, abſque onere tamen faciendi nouum Nouitiatum, quæ opinio eſt pia, & probabilis; præſertim attento decreto Sacræ Congreg. paulo poſt afferendo.

Secundo ex eo quod Papa in relata Conſtitutio. dicit, ſiue ipſorum Religioſorum Præfectis, aut Generalibus, non ſequitur ſolos Generales poſſe in caſu propoſito recipere profeſſionem, ſed id ſpectabit ad alios Prælatos Ordinis iuxta propria ſtatuta, ac conſuetudines: ſicque ly *vel* non ſumitur declaratiuè, ſed diſiunctiuè. præſertim cum Papa non deroget ſpecialibus ſtatutis Ordinum, niſi faciat expreſſam mentionem de ijs, quam tamen non facit in caſu noſtro.

Tertio ſub verbis illis *Cæteriſque Ordinarijs locorum* quæ habentur in adducta Conſtitut. non veniunt Ordinarij nullius diæceſis, ſed Ordinarij habentes dięceſim, imò & eorum Vicarij, nec non Capitulum, Sede vacante. *Bordonus c.* 6. *de Profeſſ. q.* 25. & meo iudicio probabiliter.

Quarto, etſi præter profeſſionem ratificatam conſtare debeat de reſtitutione graduum, officiorum, ac confirmatione contractuum factis, & declaratis à Prælato recipiente profeſſionem, vt patet ex verbis illis citatæ Conſtit. *eadem auctoritate reſtituant, ac reſtitutos eo ipſo eſſe, & cenſeri declarent, ita vt habeant eundem locum, &c.* Quia tamen huiuſmodi reſtitutiones, ac confirmationes ſubſequuntur profeſſionem publicè factam velut ei acceſſoria; ſi Prælatus ex negligentia omittat ea præſtare adhuc cenſetur virtualiter ea præſtitiſſe recipiendo profeſſionem iuxta facultatem ei traditam in præfata Conſtitutione *Bordonus q.* 26. *&* 29. *alijque*.

Quinto profeſſio nulla ex nouitiatu facto extra locum deſignatum, ſi nullitas ſit notoria, ratificari debet iuxta formam citatæ Conſtit. non item, ſi occulta. *Bordonus q.* 27.

27 Decretum autem Sacræ congr. de quo locuti ſumus §. præcedenti, & editum fuit die 5. Ianuarij 1636. ſic habet. *Ad occurrendum motibus, qui poſſent in Religionibus oriri occaſione receptionis nouitiorum, & profeſſionis per eos emiſſæ in Conuentibus non deſſignatis contra formam decretorum S. M. Clem. VIII. S. D. N. Vrb. declarauit, & decreuit huiuſmodi receptos, & profeſſos contra formam dictorum decretorum allegantes propterea nullitatem receptionis, & profeſſionis non poſſe ſuper huiuſmodi nullitate poſt lapſum quinquennij quoquo modo audiri, quod ſi aliqui contra formam prædictorum decretorum recepti, & profeſſi è Religione infra quinquennium exire, vel Superiores extra eam reſpectiuè illos eijcere voluerint, eadem Sanct. ſua decreuit, vt tam ipſi profeſſi, quam Superiores reſpectiuè teneantur iura, quæ ſibi fauere viſa fuerint, prius deducere coram eadem Sacra Congreg. quæ ex ſpeciali, & ſuæ Sanct. facultate ſuper hoc conceſſa prouidebit. inhibendo propterea Primatibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, & Prælatis inferioribus iuriſdi-*

ctionem

ctionem exercentibus, ac quibuſcumque Iudicibus, ordinarijs, & delegatis, & Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditoribus, & S. R. E. Cardinalibus, & de latere Legatis, Sediſque Apoſtolicæ Nuncijs, ne impoſterum in hoc, quoquo modo ſe ingerant abſque ſpeciali eiuſdem Sanctitatis commiſſione ſub pæna ipſo facto incurrenda quoad Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, & Primates interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ: quò ad Abbtes Prelatos inferiores, ac alios Iudices prædictos excommunicationis latæ ſent. quò vero ad Nuntios, & ad S. R. E. Cardinales, & de Latere Legatos indignationis ſuæ Sanctit.; & pænarum arbitrio eiuſdem ponendarum, ſi verò ijdem vt ſupra recepti, & profeſſi, iuribus ſuis minimè deductis coram Sacra Congreg. Concilij, & ſine illius expreſſa licentia è Religione exire, vel Superiores Religionis eos eijcere auſi fuerint: ipſi recepti, & profeſſi tamquam Apoſtatæ puniantur, & pro talibus habeantur, nec non contra eoſdẽ iuxtà formam decreti de Regularibus Apoſtatis, & eiectis eiuſdem Sanctitatis ſuæ iuſſu ab eadem Sacra Congreg. ſub die 21. Septembris 1634. editi procedatur, & Superiores, qui eiecerint, pænam Suſpenſionis à diuinis, nec non priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea impoſterum obtinenda, voci ſque actiuæ, & paſſiuæ ipsò facto abſque alia declaratione incurrant.

28 Quod autem dicit *Nald. v. profeſſio Religioſa n. 13.* religioſos allegantes nullitatem ſuæ profeſſionis ob receptionem, ſeu profeſſionem in locis non deſignatis, non comprehendi decreto *Concilij Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 19.* diſponentis Regulares prætendentes nullitatem ſuæ profeſſionis intra quinquennium, & non vltra audiri poſſe a Superiore Ordinis, ac Ordinario, adeoque eos poſſe audiri & poſt quinquennium elapſum; cum eatenus Concilium prohibeat profeſſo Regulari, ne poſt quinquẽnium reclamet de nullitate propriæ profeſſionis, quatenus præſumit eum tamdiù manendo in Religione noluiſſe eam ratificare: cum tamen talis præſumptio locum non habeat in caſu noſtro, quo profeſſio non poteſt vllo modo ratificari, vtpote quæ eſt irrita ex defectu, qui abſolutè non poteſt ſuppleri per ipſum profitentem, hoc inquam, quod ait Naldus, modo non ſubſiſtit, ſtante decreto S. Congreg. paulo ante allegato: cum in eo expreſsè prohibeatur; ne prætendentes nullitatem profeſſionis ex eo quod facta ſit in loco non deſignato, quoquomodo audiantur poſt elapſum quinquenniũ, imo nec intra ipſum quinquenium, niſi deductis coram Sacra Congreg. proprijs iuribus; vt conſtat ex tenore præfati decreti: quamquam talis prohibitio non ſit ex vi Concilij Trid. ſed ex decreto Sacræ Congreg. ſuperius relato: à quo omnino abſtrahit *Naldus loco citat.* nullam de eo mentionem faciens.

Addo ex *Bordono c. 4. de profeſſ. q.* 18. quod ſi Nouitius, finito probationis anno in 15. ætatis ſuæ anno, recedat a loco nouitiatus, & commoretur per annum in monaſterio aliquo non deputato, validè poſtea profitebitur, cum Concil. Trid. & decreta Clementis VIII. requirant probationem vnius anni legitimam in loco deputato factam (quæ omnia in præſenti caſu verificantur) & aliàs tempus interpoſitum non vitiet nouitiatum, aliàs legitimum ita & ſentit *Nald. v. profeſſio n. 1. ex Nauar. contra Vecchium d. 11. de nouit. d. 3. n. 5.*

Addit *Bordonus q. 15.* nouitiatum factum partim in vno conuentu, & partim in alio de conſenſu Prælati eſſe validum: cum ſic diuerſa ſolum ſint loca, & perſeueret idem nouitiatus, aliáſque habeatur finis nouitiatus, qui eſt, vt nouitius probetur, ac probet. Nec diſſentit *Nauar. à Bordono* relatus, dũ ait nullam fuiſſe profeſſionem illius, qui profeſſus eſt peracto nouitiatu in duobus locis; loquitur enim de tranſeunte ſine licentia ab vno ad alium locum.

An autem in caſu, quo monaſterium legitimè deſignatum in locum nouitiatus, transferatur in alium locum eiuſdem ciuitatis, aut oppidi, cenſeri debeat retinere idem ius, vt in eo legitimè inſtitui poſſint nouitij iuxta decreta ſup. relata.

29 ℞. Videri retinere idem ius, adeoque nouitios poſſe in eo legitimè inſtitui, & poſtea validè profiteri. Ducor tum quia hac in re attendi debet id, quod eſt formale, non autem id, quod eſt materiale; remanet autem idem formale in noſtro caſu, vt patet: tum quia *Fillucius tr. 8. n. 134.* probabile putat indulgentiam conceſſam eccleſiæ, quam habuerit talis religio in tali loco, durare in ea Eccleſia translata in alium locum eiuſdem ciuitatis; eadem autem ratio videtur militare in caſu noſtro: tum quia loci mutatione non amittitur priuilegium, ſed ſequitur locum ſecundum ex *Gloſſa in regul. 7. in 6.* maxime cùm reſpicit rem ex *l. 2. §. 1. de priuil. credit. l. tempus ff.* de re iudic. vt proinde Innoc. in c. cum ex iniuncto de *oper. nou. nunt. Philip. Franchus in c. cum perſonæ §. ſi verò de priuil. in 6. Vuameſius conſ. 63. n. 2.* doceãt tranferri. Sic ego reſpõdi in facti contingentia, & reſponſionem approbaruit viri doctiſſimi, maximè *P. Bordonus* addens, vt nouitiatus transferatur in caſu propoſito, requiri, vt locus de nouo receptus habeat habitationem pro nouitijs conformem decretis Clementis VIII. inferiùs allegandis.

Putant autem aliqui aſſertionem procedere, etſi in nouo monaſterio degunt religioſi in minori numero, adeoque ibi minùs vigeat regularis obſeruantia: cum id ſit per accidens: & hoc ipſum euenturum fuiſſet in euentu, quo id contigiſſet in priori monaſterio, ſic ego reſpondi in contingentia facti.

QVÆRES XIX. An caſu, quo Religioſus laicus transferendus ſit ad ſtatum Clericorum, neceſſe ſit, vt iſte nouitiatum iteret ad talem effectum.

30 ℞. Videri probabile quòd non, & probatur tum quia ad eſſentiam nouitiatus non ſpectat, vt nouitius actu probetur in omnibus aſperitatibus religionis, ſed ſufficit, vt per annum maneat ſub obedientia Prælati regularis eo modo, quo diximus *q. 5. & 14.* (quo pacto corruit ratio, quæ in contrarium afferri poſſet, nimirum quòd Regulares laici tempore nouitiatus non probantur in omnibus auſteritatibus, ac obſeruantijs, in quibus probantur Religioſi clerici, ideòque ſi inter hos transferantur, debent in ijs priùs probari); tum quia nouitiatus peragitur ad hoc vt religio probet nouitium, & nouitius religionem, ſicque vterque ſit liber, hic ad exeundum, illa ad expellendum: in caſu autem noſtro non datur talis libertas, neque reſpectu religionis,

nis, neque reſpectu religioſi (quamqnam dici poſſet eiuſmodi libertatem conſiſtere in eo quòd religioſus redire poteſt ad priorem ſtatum, & religio ipſum ad illum eundem remittere); tum quia in Breuibus concedentibus talem trauslationem apponi ſolet non raro clauſula, *Et nullo nouitiatu de nouo peracto*; tum quia ita obſeruatur in praxi, & declaratio ſacræ Congreg. quam aliqui contra nos adducunt, vel non eſt vera, vel certe non eſt vſu recepta. Ita *Peyr.* in terminis *de R. P. q. 3. c. 1. n. 148.* addens *n. 149.* ſacra Congreg. Card. negotijs Regularium præfectam iuſſu Vrb. VIII. die 2. Auguſ. 1630. declaraſſe clauſulam, *de licentia ſuperiorum* in ſup. dictis Breuibus ſolitā apponi intelligendam eſſe de Generali Ordinis, ac Prouinciali Oblatorum huiuſmodi (qui ſcil. de ſtatu laicorum transferuntur ad ſtatum Clericorum); ita vt pro eorundem Breuium executione requiratur vtriuſque licentia, & conſenſus.

QVÆRES XX. An nouitiatus peragi debeat in omnibus religionibus, etiam Ordinum militarium.

31 ℟. Non debere, idque non obſtante Conc. Trid. decreto *ſeſſione: 25. de Regularib. c. 15.* ſtatuente nullam profeſſionem eſſe validam, non permiſſo integro anno nouitiatus, ita *Sanch. l. 7. de matr. d. 44. nu. 8.* cum *Flaminio* contrà *Nau. & Rodriq.* patetque tum quia Religioſi Ordinum militarium non ſunt, loquendo in propriſſimo rigore, Religioſi; adeoque præſumi poteſt eos non fuiſſe comprehenſos dicto decreto Tridentini: præſertim cùm ipſum Tridentinum, quando ſuis decretis intendit comprehendere Religioſos Ordinum militarium, expreſſam de illis faciat mentionem; vt *ſeſſ. 23. de reform. c. 18.* tum quia eadem *ſeſſ. 25. de Regul. c. 16.* idem Concilium loquitur continuatiuè ad *cap. 15.* præcedens (vt colligitur ex clauſula *quoque* poſita in principio. *Nulla quoque renuntiatio*) at Concilium c. 6. agens de bonorum renuntiatione apertè loquitur de Religioſis veram paupertatem vouentibus, quales non ſunt qui profitentur in ordinibus militaribus; ergo: & *cap. 15.* præcedens loquens de ætate, & nouitiatu requiſitis ad validitatem profeſſionis, cenſendū eſt non loqui de Religioſis Ordinum militarium, qui proinde validam facient profeſſionem, etiam ſi nullum præmittant nouitiatum; quòd erat probandum. Monet autem *Sanch.* quòd ſi ſacra Congreg. in contrariū ſtatuit de militibus S. Ioannis: id ipſis eſt peculiare ex nouo eorum ſtatuto, ideòque talis declaratio extendi non debet ad alios milites.

QVÆRES XXI. An caſu, quo quis per annum integrum maneat in monaſterio (v. g. occaſione famulatus) & quidem ita, vt Religio illum ſufficienter probet, & ille re vera experiatur aſperitates religionis: poſſit ei talis probatio prodeſſe ad faciendā profeſſionem, ſine alio nouitiatu, ſi ipſe nōdum fuerat legitimè admiſſus ad religionem, & toto illo anno inceſſit habitu ſæculari.

32 ℟. Quòd, quamuis alicui videri poſſet probabilis pars affirmans, ex eo quod ceſſante fine legis, ceſſat lex; & finis intentus in probatione nouitiatus, (qui eſt, vt nouitius probet religionem, & religio probet nouitium) in præſenti caſu ceſſare videtur, nihilominus pars negans ſuſtinenda eſt; videlicet probationem eiuſmodi non ſufficere ad hoc vt dictus famulus validam faciat profeſſionem. Ducor tum quia quòd dicitur ceſſante fine legis ceſſare legem, non procedit, quando aliquid eſt de forma; vt no. ant *Garcias de benefic. p. 4. c. 1. n. 24. & 25. Gloſ. in cap. de Petro v. ignota diſt. 47.* quòd omninò verificatur in caſu propoſito, vt patet: tum quia vſus cōmunis omnium Religionum, qui eſt optimus legis interpres, habet, vt probatio Nouitij fieri debeat ſub Prælato tanquam ſub Prælato, & non tanquam famuli ſub Domino, ſeu mercenarij ſub Oeconomo; quod eueniret in iſto caſu, in quo proinde probatio non eſſet religioſa, ſed merè ſeruilis: tum quia probatio religioſa, ſeu nouitiatus eſt quaſi cōtractus, quo quis nouum vitæ genus eligens animo ſe conſeruandi Deo, petit admitti ad religionē cum conditione oneroſa, vt, ſi ſufficientibus experimentis iudicauerit religionem illam ſibi congruere, velitque in ea preſeuerare, & religio viciſſim illum iudicauerit habilem ad tale genus vitæ, recipiatur ad profeſſionem, & repelli nequeat ſine iniuria; hæc autem non verificantur de famulo in præſenti euentu, vt conſideranti facilè conſtabit.

33 Nec obſtat quod *Portellus de dub. regul. v. nouitius n. 52. ex Sanchez l. 7. de matr. d. 37. n. 47.* & alijs docet ad valorem profeſſionis religioſæ ſufficere probationem factam à nouitio nulliter admiſſo à non habente poteſtatem (eo quod ſic Nouitius nihilominus verè experitur religionem, & religio ipſum, & alioquì perinde eſt eſſe nulliter admiſſum, ac non eſſe ſimpliciter admiſſum; æquiparatorum autem idem eſt iudicium,) non obſtat inquam; cum nulliter admiſſus ad nouitiatum, & per annum probatus verè probetur, & probatione religioſa, ideſt facta in exercitijs proprijs religioſorum; ſicque Prelatus, qui validè illum admittit ad profeſſiones: per fictionem iuris, & retrotractionem cenſetur reualidare priorem admiſſionem: famulus verò, de quo hìc, non eſt probatus probatione religioſa, ſed merè ſeruili, vt iam dictum eſt: quippe qui non fuit probatus vt nouitius religionis, neque cum alijs nouitijs: in conuictu cum nouitijs, in colloquijs, orationibus publicis, aut priuatis, accubitu in menſa, veſtitu, mortificationibus iniungi ſolitis à capitulo, aut alibi, publicis reprehenſionibus, abnegatione proprij iudicij, ac voluntatis, ac demum in notitia, ac praxi plurimarum regularum.

QVÆRES XXII. Quandonam cenſeatur inchoari annus nouitiatus, & quo modo debeat computari ad validè profitendum.

34 ℟. *Miranda to. 1. q. 22. a. 3.* inchoari à die ſuſceptionis habitus, ſeu (quod idem eſt) à die, quo Nouitius communem ſequitur vitam aliorum Religioſorum, & incipit experiri aſperitates religionis: computandum verò eſſe de momento in momentum (ita vt ſuſcipiens habitum die 1. Ianu. poſt meridiem non poſſit profiteri anno ſequenti niſi poſt meridiem diei 1. Ianuarij,) & conſequenter, vbi modo dicto fuerit annus abſolutus, non eſſe opus ad validè profitendum expectare vnum diem, vt aliqui falſo opinati ſunt. ita *Miranda*; & benè, loquendo de eo, quod fit communiter: ſi enim loquamur

mut de rigore iuris, conſtat ex dictis *q.6.14. & alijs* ad ſubſtantiam nouitiatus ſimpliciter non requiri, quod nouitius aut deferat habitum, aut maneat intra monaſterium, aut actu experiatur aſperitates Ordinis. Quare, abſolutè loquendo, dicendum videtur annum nouitiatus inchoari ab eo tempore, quo nouitius habilis, & in legitima ętate conſtitutus à legitimo Superiore admittitur ad probandas religionis difficultates: in hac enim legitima admiſſione conſiſtit religionis ingreſſus. ita *Caſtrus Pal. ſup. §.31. num.1. & 2. ex Gloſſa Sylu. Lopez & Sanchez* alios referente.

35 Quod autem dixi annum nouitiatus computandum eſſe de momento in momentum, non omnes admittũt; ſi quidẽ *Henriq. Rodriq. Grat. & Ricc.* quos refert, & ſequitur *Peyr. de R. P. q.3. c.1. n.96.* dicens illorũ opinionẽ in praxi poſſe ſecurè ſeruari, immò & practicari in multis tribunalibus, putant non eſſe neceſſariam adeò ſubtilẽ computationem, ſed ſufficere, quòd vltima dies anni ſit cæpta: id ſibi inde ſuadentes, quòd in fauorabilibus dies incæpta habetur pro completa, & in moralibus parum pro nihilo reputatur; verùm in re tanti momenti non videtur recedendum à ſententia communiſsima, ne alioqui profitens ſe exponat periculo faciendi profeſsionem irritam.

36 Immò notant DD. communiter in computando anno nouitiatus, incidente anno biſsexto, 2. dies pro vno computandos eſse; cuius rei ea eſt ratio, quòd, cùm hæc materia ſit ciuilis, ac politica, politicè & ciuiliter de ea loquendum eſt; ac proinde parum refert in caſu propoſito, quòd iam ſit completus annus naturalis, & ſolaris, qui conſtat 365. diebus, & 6. horis: cùm potiùs ſpectari debeat annus politicus, & ciuilis, pro tali inter ciues computatus; ſi quidem annus nouitiatus eſt annus à Repub. taxatus, atque vt talis declaratus, non ſecùs ac in alijs commercijs, & negotijs humanis communiter ſeruatur. Hinc refert *Miranda vbi ſup.* quòd, cùm anno 1582. (quo tempore auctoritate Gregor. XIII. dempti ſunt ab anno dies 10. nempe à 5. die Octob. vſque ad 16.) dubitatum fuiſset, vtrùm quò ad initiandos ſacris ordinibus deberet ille annus integer reputari, ita vt iudici poſsent habere legitimam ætatem ad dictos ordines requiſitam; reſponſum fuit communiter illum annum reputari debere integrum, nec opus eſse expectare dies illos 10. cùm talis annus eſset integer, ſin minùs naturaliter, & ſecundùm curſum ſolarem, ſaltem politicè, & ciuiliter, vt iam dictum eſt: quod tamen locum habet proportionaliter in anno biſsextili, in quo, quamuis ſuperſit vnus dies iuxtà curſum ſolarem: nihilominùs, (quod attinet ad noſtrum propoſitum) non ſupereſt, cùm duo illi dies pro vno debeant computari.

QVÆRES XXIII. Quot, & quibus modis interrumpatur nouitiatus, ita vt opus ſit illum iterum inchoare.

37 ℟. Interrumpi duobus modis: primo faciendo profeſsionem, eo nondum completo, & quidem animo, ac exiſtimatione faciendi veram profeſsionem; ſic quippe nouitius non manet ampliùs in probatione, vt oſtendit *Suar. to.3. de relig. l.5. c.14. num.5.* cùm tamen iuxtà Conc. Trid. ſtari debeat in probatione per totum annum nouitiatus. Secundo interrumpitur nouitiatus per dimiſsionem habitus, ſeu exitum à religione; cum etiam per hoc nouitius deſinat eſse in probatione, & in ſtatu idoneo; vnde continuitas nouitiatus, per ſe loquendo, non eſt moralis, ſed propria, & phyſica, quanta eſse poteſt in tempore, & anno: ſi quidem non eſt continuitas actionis, ſed ſtatus, aut quaſi ſtatus, cùm tamen duratio in ſtatu ſit omninò continua; ſiue actu experiatur aſperitates regulæ, ſiue non. ita *Suar. ſup. cap.15. n.5.* addens *n.6.* ad cognoſcendum, quæ interruptio ſufficiat, vt moraliter cenſeatur annus nõ eſse cõtinuus ad effectũ ſufficientis probationis, attendendam magis eſſe grauitatem actionis, per quã interrumpitur probatio nouitiatus, quàm temporis diuturnitatem; vnde; ſi Nouitius, dimiſſo habitu, egrediatur animo non redeundi, eò ipsò interrumpit nouitiatum, cum talis egreſſio moraliter interrumpat perſeuerantiam, & conſtantiam, propter quam petitur continuitas in probatione, ſicq; nouitius amittat ſtatum, quem habebat; & hoc, quamuis paulò poſt intrà eundem diem pæniteat, ac redeat; quod non eueniret in caſu, quo nouitius exiret animo redeundi, & quidem depoſito habitu, & ſine Superioris licentia (v. g. ad fornicandum) ibique maneret extrà monaſteriũ per aliquot dies; ſic enim verè non mutatur ſtatus vitę, qualis poteſt eſſe in nouitio, & nouitius non ideo dici poteſt inconſtans in vocatione, & præſeuerantia (quod maximè ſpectandum eſt in continuatione nouitiatus:) eſtò malè viuat in eo ſtatu, qua de re *Caſtr. Pal. ſup. §.2. num.7.*

38 Notat autem Suarez, & benè ad interrumpendũ nouitiatum per dimiſſionem habitus requiri, vt dimiſſio ſit conſummata, ac perfecta nimirum quòd fiat animo mutandi ſtatum, & quòd talis mutatio, & egreſſio è monaſterio moraliter conſummetur; quo modo non cenſeretur interruptus nouitiatus in caſu, quo Pręlatus regularis aliquem nouitium dimiſſurus feciſſet illum exui habitum religionis, ac indui proprijs veſtibus, poſteà verò, antequàm egrederetur è monaſterio, mutata ſententia, nouitio habitum denuò reſtitueret; ſic enim actus dimittendi non fuiſſet conſummatus: præſertim ſi reluctante nouitio, id peractum fuiſſet; quamquam etiam in caſu, quo, ipſo nouitio petente, id factum fuiſſet, adhuc dici poſſit non fuiſſe interruptum nouitiatum moraliter, cùm, hoc non obſtante, actus non fuerit omninò conſummatus, quę ratio item probat neque interrumpi nouitiatum caſu, quo Nouitius intrà monaſterium ſe abſcondit animo fugiendi, & fortè iam mutato habitu, poſtea verò inuentus à Superiore, & blanditijs illectus deponit animum fugiendi, manet in monaſterio, & profitetur; quod concedit *Peyr. de R. P. q.3. c.1. n.100.* etiam in euentu, quo dictus nouitius egrederetur è monaſterio ſolùm ad vitandam Prælati ſæuitiam; quæ ſunt valdè notanda.

QVÆRES XXIV. An, & quo modo prorogari poſſit annus nouitiatus,

39 ℟. Poſſe, ſi adſit iuſta cauſa (putà infirmitatis, ætatis &c.) ita *Leß. l.2. c.41. n.59. Sà v. religio n.3. Nald.*

3. *Nald. v. profeſſ. regul. n.* 8. *Sanch. l.* 5. *in decal. c.* 4. *n.* 21. alijque plures a pud *Peyr. ſup. n.* 102. & probatur tum quia id ſæpius declaratum fuit a ſacra Congreg. teſte *Peyrino loco cit.* tum quia quando *Conc. Tridentin. ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 16. diſponit, vt finito tempore nouitiatus, Superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profeſſionem admittant, aut è monaſterio ejiciant: loquitur de ijs, qui, ſunt idonei ad profeſſionem, nec ſubeſt iuſta cauſa differendi, prçter quam quod hòc ipsò quòd *Concilium* dicit, *quos habiles inuenerint*, ſufficienter declarat ſe non comprehendere hoc ſuo decreto infirmos, carentes legitima ętate, & ſimiles, cum hi re vera non ſint habiles; tum quia talis eſt vſus Religionum, vt conſtat in Ordine Minimorum, qui profeſſionem differunt vſque ad annum 18. & quidem ex propria regula prohibente *cap.* 2. ne ante illam ætatem fiat profeſſio: nec non in Soc. Ieſu, in cuius *Conſtitutionibus* habetur *c.* 4. *in exam.* §. 43. poſſe differri vota biennij in alium annum, quando Superior dubitaret, an nouitius admittendus eſſet; cũ tamen ipſum Concilium expreſsè dicat ſe non intendere derogare Conſtitutionibus dictæ Societatis.

QVÆRES XXV. An ſtante decreto *Concilij Trid. ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 15. ſtatuentis nullum admittendum eſſe ad profeſſionem, niſi tranſacto integro anno nouitiatus, dari poſſit aliquis caſus, in quo probatio nouitiatus non neceſſariò debeat durare per annum integrum.

40 ℟. Nullum omninò dari, ac proinde neceſſariò præmittendum eſſe profeſſioni integrum annum nouitiatus tum in caſu, quo ante conſummatum matrimonium alter coniugum religionem ingrediatur: tum in caſu quo Religioſus profeſſus in Ordine non mendicante tranſeat, ad mendicantem ita *Sanch. l.* 2. *de matr. d.* 24. *nu.* 7. *cum Henriq. Ledeſma, Palac. Rodriq. Vega*, alijque, quos ſequitur *Leſſ. l.* 2. *c.* 41. *n.* 59. & probatur tum quia Concilium generaliter, & per verba negatiua ſtatuens, ne ante annum fiat profeſſio, intelligi debet generaliter, & in omni caſu: ſi quidẽ lex vniuerſalis negatiua vniuerſaliter intelligenda eſt *c. ſolitæ* §. *fin. de maiorit. & obed.* & *l. de pretio ff. de public. in rem act.* quod procedit etiã, quando adeſt maior ratio, cur non debeat includere magis vnam ſpeciẽ, quam aliam: cuius ratio eſt, quòd iuxtà regulã logicam *negatio quidquid poſt ſe inuenit, deſtruit*, & *eius oppoſitum ponit*. prçter quàm quòd ratio, cur inſtitutus ſit annus probationis (videlicet vt conuerſus experiatur auſteritates monaſterij, & monaſterium illius mores) non minùs habet locum in coniugatis, & tranſeuntibus ab Ordine non mendicante ad mendicantem, quàm in alijs, vt patet.

41 Vnde infert Sanch. *n.* 8. quod, ſi ſponſa duodennis tranſeat modo dicto ad religionem, tenetur ſponſus expectare per quadriennium: cùm ipſa profiteri nequeat ante annum 16. completum; quãquam, ſi alter ſponſus prætextu religionis nimis differret matrimonium conſummare vagando de vna in aliam religionem intra annum nouitiatus, poſſet Iudex, dato termino peremptorio, eum cogere, vt maneret in vna religione, in qua, completo anno probationis, profiteretur, vel certè rediret ad alium ſponſum, & matrimonium conſummaret; aliàs id cederet in præiudicium alterius ſponſi, qui ſic non poſſet aliud matrimonium contrahere.

Nec obſtat quòd in *cap. ad apoſtolicam de Reg.* dicitur tempus Nouitiatus conſtitutum fuiſſe in fauorem tam nouitij, quam monaſterij, adeòq; de conſenſu vtriuſq; videtur poſſe anticipari profeſſio, renuntiante nouitio tali fauori: cùm quilibet poſſit renunciare ei, quod in ſuum fauorem inductum eſt.

42 ℟. Enim olim quidem potuiſſe id fieri validè; modò tamen non poſſe, eò quòd per *Conc. Triden.* correctum fuerit *cap. ad apoſtolicam*; vt clarè inſinuãt generales locutiones, & clauſulæ irritantes: *non admittatur, profeſſio ſit nulla, nullum effectum operetur*, quibus vtitur ipſum Concilium; ſi quidem in præſentia annus probationis conceditur non ſolum in fauorem nouitij, ſed etiam Religionis, & quidem magis principaliter: vnde mirum non eſt, quòd Nouitius hodie nequeat renunciare tali fauori; cũ nemo renunciare poſſit iuri inducto in fauorem publicum.

QVÆRES XXVI. An nouitius eiectus ab Ordine, & iterum admiſſus debeat repetere nouitiatum, ac ſi primò eſſet nouitius.

43 ℟. *Bordonus q.* 12. *& Vecchio* debere iterum inchoare nouitiatum, ſi iuſtè fuit eiectus: ſicut enim ipſe iudicatus eſt ineptus ad Ordinem; ita nullus eſt nouitiatus in eo factus. Secùs, ſi iniuſtè fuit eiectus: nam ſic habet ius recurrendi ad Prælatum, & faciẽdi ſe reſtitui in integrum ad continuandum nouitiatum inchoatum iuxta regulam iuris 41. *Non imputatur ei per quem non ſtat, ſi non faciat quod per eum faciẽdum fuerat*. Præter quam quod nemo ſine ſua culpa debet priuari iure ſuo, niſi occurrat iuſta cauſa id faciendi: quapropter; cum in iſto caſu nouitius abſque ſua culpa ſupponatur priuatus iure proſequendi nouitiatum, reſtitui debet in integrum. Sic *Bordonus* addens *q.* 13. non interrumpi nouitiatum per acceſſum ad Superiorem cauſa appellationis, aut ad dicendum ius ſuũ; cũ ſic non adſit receſſus ab Ordine, ſed iuſtus recurſus ad Superiores Ordinis.

QVÆRES XXVII. An nouitio, ac monaſterio renunciantibus anno nouitiatus ex cauſa, poſſit admitti nouitiatus non durans per annum integrum.

44 ℟. Non poſſe admitti: cùm talis renuntiatio poſt Concilium Tridentinum non teneat, vt pote ab eo prohibita cum irritatione profeſſionis: aliàs enim Concilium fruſtrà irritaſſet profeſſionem modo dicto emiſſam; ſiquidem quælibet profeſsio fieret valida facta renuntiatione prædicta, ſicque eluderetur mens Concilij, cum quilibet poſsit cedere iuri ſuo: præter quam quòd hic currit regula 84. *Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*: ſicque cenſeri debet ſublatum tale ius renuntiandi. Ita *Rodriq. to.* 3. *q.* 15. *a.* 7. *Sanch. l.* 5. *mor. c.* 4. *n.* 19. alijque communiter apud *Bordonum q.* 5. contra *Henriq. l.* 12. *c.* 40. *n.* 2. & alios oppoſitum ſuſtinẽtes. Fallit tamen reſponſio tum quò ad religioſos Ordinum militarium, qui poſſunt infrà annum nouitia-

uitiatus profiteri, vt potè non comprehenſi ſub relato decreto Concilij: tum quò ad eum, cui confertur abbatia, ſeu prioratus in commendam: is enim ex decreto ipſius *Concilij ſeſſ.* 25. *de regul. c.*21. debet profiteri intra 6. menſes.

Quamuis autem nouitiatus non ſit validus, ſi nõ fiat in loco deputato: id tamen non facit, quin, etiã ſtantibus decretis Clementis VIII. ſuper *nouitiorum receptione, & educatione* Prælati conuentuum, in quibus adeſt vſus filiationis, poſſint nouitios recipere iuxtà formam decretorum, & in ſuorum locorum filios iuxta cuiuſque Ordinis conſtitutiones adſcribere, ſicq; adſcriptos cum literis teſtimonialibus tranſmittere ad loca nouitiatuum, vbi tãquam filij dictorum monaſteriorum eorundem nomine, ac inſtantia recipi, & in nouitiatu probari; & antequam remittantur ad monaſteria filiationis, in profeſſorio ad perfectionem exerceri debebunt. Quin in dictis decretis ſtatuitur, vt per Capitulum generale, aut prouinciale numerus religioſorum cuiuſque conuentus admittentis vſum filiationis præfiniatur, ne aliàs loca vnius conuentus ab alio præoccupentur.

CAPVT II.

De Poteſtate admittendi Nouitios ad Habitum.

1 *PRælatorum regularium eſt admittere ad religionem.*
2 *Et quidem etiam localium in aliquibus Ordinibus.*
3 *De conſilio tamen, & conſenſu ſui Capituli.*
4 *Et quo ad hoc varia iura edita ſunt.*
5 *Refertur bulla Sixti V. hac de re facta, & moderatiua alterius ſimilis bullæ ab ipſo edita.*
6 *Hodie nouitij recipi poſſunt extrà capitulum generale, aut prouinciale.*
7 *Refertur modus recipiendi nouitios in Ordinibus capitulo carentibus.*
8 *Fratres S. Dominici ſpeciale indultum habent quò ad hoc.*
9 *Simile indultum habent Clerici miniſtrantes infirmis.*
10 *Eſt de eſſentia receptionis conſultatio, & conſenſus capituli.*
11 *Declaratur qualiter requiratur conſenſus Definitorum.*
12 *In caſu diſcordiæ inter Prouincialem, ac Definitores admitti poteſt petens ingreſſum religionis.*
13 *Capitulo iniuſtè diſſentiente, Prælatus ſe ſolo recipit.*
14 *Prælatus localis cum capitulo validè admittit, etſi id ei prohibitum ſit à Prælato ſuperiore.*
15 *Prælatus, etiam abſens, poteſt cum ſuo capitulo admittere.*
16 *Admiſſio facta ab vno ſolùm vocali, & à Prælato interdum tenet.*
17 *Non item facta à capitulo ſine Prælato, vel eius ſubſtituto.*
18 *Suffragia in admiſſione dari poſſunt per literas, aut ſubſtitutum.*
19 *Tenet admiſſio, ad quam concurrit occultè excommunicatus.*
20 *Non omnes deputati debent concordare in admiſſione facta in terminis bullæ Sixti V.*
21 *Excluſus a capitulo poſteà admitti poteſt, & è contrà.*
22 *Admiſſus, ſi nimis differat ingreſſum, eget noua admiſſione.*
23 *Vt teneat admiſſio iuxtà Sixti V. bullam, dies 10. intercedere debent inter vnumquodque trium capitulorum præſcriptorum.*
24 *Suffragia in admiſſione ferri poſſunt tum occultè, tum palàm.*
25 *Admiſſio fieri poteſt per compromiſſum.*
26 *Non tamen, ſi fiat iuxtà bullam Sixti V.*
27 *Facultas admittendi ad religionem petit ſpecialem expreſſionem.*
28 *Petens admitti, ſi ſit habilis, ſine cauſa excludi nequit.*
29 *Admiſſio interdum negari poteſt iuxtà aliquos ob indignitatem cognitam ſolùm in foro ſacramentali; quod nos negamus.*
30 *Admittens tamen, etiam iuxtà dictos Doctores, non tenetur negare admiſſionem in caſu propoſito.*
31 *De idoneitate perſonæ admittendæ præmittendum competens examen.*
32 *Tenet admiſſio paſſiua habentis impedimentum dirimens.*
33 *Limitatur aſſertio.*
34 *Et limitatio procedit in Societate Ieſu.*
35 *Sed non quò ad impedimentum ætatis requiſitæ in admittendis.*

QVÆRES I. Quinam poſſint generaliter admittere nouitios ad religionem, ita vt validè inſtituant nouitiatum.

1 ℞. Poſſe omnes illos, qui poſſunt admittere ad profeſſionem: qui enim vult vnum propter aliud, vnũ ſolùm velle videtur: cùm tamen admiſſio ad nouitiatum ordinetur ad profeſſionem; quamuis aliàs hæc duo ſint valdè diuerſa; cùm receptio ad profeſſionem ſit contractus formalis, & purus, quo receptus incorporatur in membrum religionis, itaut deinceps, rebus immutatis, neque religio poſſit eũ dimittere, neque ipſe poſſit religionem deſerere; receptio verò ad nouitiatum ſit contractus mutabilis, reſolutiuus, & quaſi conditionalis, vt loquitur *Sanch. l.6. moral. c.*10. *num.* 21.

QVÆRES II. Penes quos Prælatos regulares reſideat poteſtas admittendi nouitios.

2 ℞. Quòd, quamuis de iure communi talis poteſtas reſideat ſolùm penes Abbatem, ſeu Præfectũ monaſterij, ipſumque monaſterium, vt expreſsè notat. *Gloſſ. in cap. fin. de Regular. lib.6.* de conſuetudine tamen communi religionum habent talem poteſtatem non ſolùm Generales in toto Ordine, & Prouinciales in ſua prouincia, ſed etiam Prælati locales monaſteriorum vnà cum capitulo, niſi fortè ex regula, priuilegio, conſtitutione, aut conſuetudine idipſum prohibeatur; quomodo re vera prohibetur in Soc. Ieſu; In qua ſolus Generalis per ſe, aut per alium poteſt admittere ad nouitiatum, ſiue ad vota biennij, vt habetur *p.9. Conſtitut. c.* 3. §. 1. ita

Miran-

Miranda to. 1. quæſt. 15. ar. 1. cum pluribus Canoniſtis, & pręſertim cum *Nauarro l. 3. de Regul. conſ. 62.* patetque, quod ſpectat ad Generales, & Prouinciales ex *cap. exut de verb. ſignific. l. 5. in 6.* vbi dicitur: *Liceat non ſolùm Generali, ſed etiam Prouincialibus miniſtris perſonas fugientes à ſæculo in Fratres recipere, quæ Prouincialium miniſtrorum licentia per Generalem ipſum poſſit coarctari, ſicut ſibi expedire videbitur*; quæ conceſsio, cum ſit fauorabilis, vtique eſt communis alijs Ordinibus, eſtò in ſpecie facta ſit ſolum pro Fratribus Minoribus à Nicolao Tertio; quod verò ſpectat ad Prælatos locales, conſtat ex vſu ferè communi Religionum.

QVÆRES III. An Prælati regulares poſſint ſe ſolis admittere nouitios, vel certè ad id requiratur conſultatio, & conſenſus Capituli.

3 ℞. Stando in iure communi, non ſufficere conſenſum Prælati regularis, ſed requiri conſenſum, & conſultationem Capituli, ſeu Conuentus. ita *Miranda ſup. a. 2. ex Nauar.* alijque & probatur tum ex praxi omnium ferè Ordinum: tum ex eo quòd in *cap. quanto de his, quæ fiunt à Prælatis* præſcribitur Prælatis, vt ſine conſilio ſui Capituli non audeant quidquam inſtituere, aut deſtituere, neque aliqua ſuæ Eccleſiæ negotia tractare, ſi ſint grauia: tum quia in receptione nouitiorum interuenit contractus quidam mutuus inter nouitium, qui recipitur, & Conuentum, qui recipit, ipſos ad inuicem obligans: non eſt autem conſentaneum rationi, neque iuri naturali, vt quis obligetur ex contractu, in quẽ ipſe non conſenſit; quod tamen eueniret in caſu noſtro, ſi Prælatus ſine conſultatione, & conſenſu monaſterij poſſet admittere nouitios. Et hæc de iure communi; iure enim ſpeciali Ordinum poteſt contingere, vt res aliter ſe habeat: quo modo in Soc. Ieſu ſolus Generalis, et Prouinciales ex poteſtate ab eo ipſis commiſſa admittunt nouitios, et quidẽ independenter à conſenſu tum Conſultorum, qui admittendos examinant, (hi ſiquidem non habent ſuffragium definitiuum, ſed ſolùm conſultatiuum) tum Capituli, cùm Societas non habeat vſum Capituli.

QVÆRES IV. An capitulum Conuentus neceſſario debeat interuenire, quotieſcunque debet quis admitti ad nouitiatum, idque ſtando in iure communi religionum.

4 ℞. Cum diſtinctione: vel is. qui debet admitti ad religionem, nondum expleuit annum 16. & ſic tam iure communi antiquo, quàm nouo ad eius admiſſionem debet interuenire conſenſus tum Prælati, tum Capituli, ſeu Conuentus, vt probatum eſt *q. praeced.* vel admittendus exceſſit annum 16. & tunc adhuc diſtinguendum eſt: vel loquimur de iure cõmuni antiquo, ſicque non poteſt quis admitti ad religionem abſque conſenſu Conuentus, vt iam oſtendimus; vel loquimur de iure communi nouo inducto per Sixtum V. Gregorium XIII. Clemen. VIII. in bullis infrà allegandis, & ſic ſubdiſtinguendum; vel Ordo, in quem nouitius debet admitti, eſt ex illis, in quibus inducta eſt perpetua filiatio Religioſorum: & ita ex Conſtitutione Gregor. XIV. edita 12. Cal. April. 1591. quę incipit, *circumſpecta*, debet fieri admiſſio à Pręlato de conſenſu ſui Capituli, præhabita tamen aliqua informatione tam de his, de quibus in quolibet Ordine iuxtà proprias Conſtitut. interrogari debet recipiendus, quàm de ijs, quę continentur in Conſtitutionibus Sixti V. hac de re editis, & infrà adducendis (quæ informatio poſtea fiat pleniſſima eo modo, quo inferiùs explicabimus, antequam nouitius ſic receptus admittatur ad profeſſionẽ). Vel Ordo, in quẽ nouitius admitti debet, non admittit dictam filiationem perpetuam; Et ſic ad eius receptionem non concurrit Capitulum conuentus, cùm in tali caſu receptio facienda ſit iuxtà formam Conſtit. Sixti V. editæ 6. Cal. Dec. 1587. cuius initium eſt. *Cùm de omnibus &c.* nimirùm in Capitulo generali, aut prouinciali cum conſenſu tam Generalis, ſeu Prouincialis, quã Definitorum ad talem effectum deputandorum modo infra dicendo; in his enim ſolùm, non autem in toto Capitulo, ſiue generali, ſiue prouinciali, reſidet facultas admittendi Nouitios, ſtando in terminis præfatæ Conſtit. Sixti V. eſtò vi illius ad Capitulum, ſiue generale, ſiue prouinciale deferri debeat informatio ſumpta de nouitio admittendo iuxtà tenorem dictæ Conſtitutionis non quidem vt ij, qui interſunt Capitulo, ferant de dicta informatione ſententiam, ſed vt ipſum Capitulum reddatur certum de informatione facta, prout à Papa præſcriptum eſt.

5 Quamquam idẽ Sixtus V. in alia ſua conſtit. edita 12. Cal. Noueb. 1591. ſupra dictam ſuam Conſtit. moderatus ſit his verbis: *Cùm verò in quibuſdam religionibus Capitula prouincialia, aut nunquam, aut non quotannis, ſed rariùs celebrentur, quædam etiam monaſteria, aut domus huiuſmodi remotiſſimis regionibus hæreticorum, aut infidelium tyrannidi finitimis ſita ſint; ne ij, quos extra Capitula ad habitum, vel profeſſionem Regulares admitti prohibuimus, tempus celebrandis Capitulis præfixum nimis diu expectare, aut ad ea cum maximo incommodo accedere cogantur concedimus, & indulgemus, vt in qualibet prouincia ſaltem duo, vel, ſi commodè fieri poterit, tria, aut plura monaſteria, ſeu domus Regularium deputentur, quarum, ſeu quorum Superiores infrà annum ſaltem ad inquiſitionem ſuper nouitijs faciendam, & ad ipſos Religioſos iuxtà formam præfatæ Conſtit. recipiendos, & ad alia, quæ in ipſa Conſtit. cõtinentur, peragenda inſimul congregentur quòd ſi paucitas, aut nimia diſtantia monaſteriorum ne id quidem patiatur, ſaltem tribus ex antiquioribus Patribus vnius monaſterij, aut domus eius prouinciæ huiuſmodi facultas, & auctoritas per Capitulum, generale ſcilicet monachorum, vel prouinciale mendicantium, & reliquorum Regularium eiuſdem Ordinis demandetur. Verum in ijs monaſterijs, & domibus locis regularibus, quæ aut nondũ in congregationem redacta aut aliàs nulli prouinciæ ſubiecta ſunt, ſtatuimus, vt trina Capitula conuentualia tribus diſtinctis eũ interuallo, ſaltem 10. dierum vicibus celebrata eandem de recipiẽdis nouitijs per trinas huiuſmodi diſtinctas vices approbatis habeant auctoritatem, quæ per noſtram conſtit. Capitulis prouincialibus eſt attributa. Neque verò ſi in generalibus, vel prouincialibus capitulis aliqui vocales deſint, nec ſi à Definitorum conſenſu aliqui diſcrepauerint, idcirco receptio Religioſorum retardari, impediri, aut impugnari debebit: ſed ſatis eſſe volumus, ſi vocalium, & ſuffragiorum numerus legitimus à iure, vel per cuiuſcum-*

que

que Ordinis ſtatuta præfinitus interuenerit. Et quòd de Capitulo prouinciali, aut generali dictũ eſt, idem iuris ſtatuimus, ſi quæ religiones nõ capitulorũ, ſed Congregationum, aut dietarum, vel alio quouis nomine vti reperiantur, hęc Sixtus V. in citata Conſtit. quę incipit *Ad romanum Pontificem*.

6 Ex quibus patet ſtante iſta Conſtit. (quæ eſt declaratoria alterius bullæ eiuſdẽ Sixti editæ contrà illegitimos, & criminoſos) poſſe in præſentia admitti Nouitios ad religionẽ, etiã extra tẽpus Capituli, ſiue generalis, ſiue prouincialis: nimirũ (ſi Ordo ſit diſtinctus in Prouincias) de conſenſu duorũ, aut trium ex Superioribus monaſteriorũ aut ſaltẽ ſi id fieri nequeat, triũ Patrũ ex antiquioribus dictæ prouincię à Generali, aut Prouinciali ad talẽ effectũ deputãdorũ; qui ſimul in vnũ conuenięntes præmittãt debitã inquiſitionẽ de nouitijs admittendis, vti ſuprà dictũ eſt; vel certè (ſi monaſtriũ, de quo agitur, nõ ſubijciatur vlli prouincię) de consẽſu ipſiuſmet Conuẽtus, qui tamẽ ad hoc pręmittere debet tria capitula diſtincta, quorũ vnũquòdq; diſtet ab alio per 10. *dies* ad minus: & hoc, vt melius conſtet de idoneitate, aut inhabilitate perſonæ admittendæ, ſicque vtiliùs conſulatur bono Religionis.

7 Addo poteſtatẽ, quã diximus p Cõſtit. Greg. XIV. ſuperiùs relatã collatã eſſe Superiorib' monaſteriorũ quò ad recipiendos nouitios vnà cũ cõſenſu ſui Capituli: extendi etiã ad illas Religiones, quę nõ habent vsũ capituli; cũ hoc tamẽ, quòd loco Capituli Superiores hac in re habeant cõſenſum 3. aut 4. Religioſorũ proprij monaſterij ad id in generali cõgregatione deputatorũ per vota ſecreta, ſeruatis aliàs ipſorũ regularibus inſtitutis, alijſque quæ diximus ſeruanda eſſe vigore Conſtitutionum pontificiarũ.

8 Et hęc de iure cõmuni nouo ſeruãda sũt in admittendis nouitijs, niſi Religioſi habeãt aliquod ſpeciale priuilegiũ, quod de facto eximantur à tali iure, ipſiſq; cõcedatur alia forma admittẽdi nouitios. Tale autẽ priuilegiũ habent PP. Dominicani ex bulla Clement. VIII. relata à Rodriq: *to. 3. q. 54. a. 6.* fine; quòd ſcilicet quoſcũque iuuenes, etiã 16. ætatis ſuæ annũ excedentes ad habitũ eorũ admitti petẽtes, recepto ab eis iuramento, quòd nõ ſint criminoſi, rationibus reddendis obligati, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut detenti alijs impedimentis contentis in bulla Sixti V. recipere poſſint; ita tamẽ vt vbi fuerint admiſſi in Nouitios p Religioſũ eiuſdẽ Ordinis ad id deputatũ, procedatur ſine ſtrepitu iudiciario ad inquirendã vitã, mores, & alia præſcripta in pontificijs Cõſtitutionibus indaganda in receptione nouitiorũ, & talis informatio fideliter referatur Priori, aut Subpriori Conuentus, nec nõ Magiſtro nouitiorũ, ac Studẽtiũ vt hi, ea attẽtiùs examinata, nouitios modo dicto admiſſos valeant approbare, aut reprobare quò ad faciẽdã profeſſionem; quòd putat *Portel. de dub. Regul. v. nouitij informat. n. 4.* obſeruãdũ eſſe, ſiue pręſata informatio fiat ante ingreſſum nouitij, ſiue poſt: additq; quòd, ſicubi non adſit magiſter ſtudentiũ, loco illius poni poſſet Lector Theologiæ, vel alius Religioſus Ordinis antiquior, aut doctior.

9 Simile priuilegiũ conceſſit idẽ Clem. VIII. Clericis miniſtrãtibus infirmis p bullã, quæ incipit *Aſſidua*, & eſt in ordine 121. quòd ſcilicet in qualibet eorum domo vbicũq; locorũ exiſtẽtes tres ex antiquiorib' Patribus à capitulo conuẽtuali deputari poſſint, q eandẽ habeãt facultatẽ, & poteſtatẽ in admittendis nouitijs, q̃ cõmiſſa fuit Capitulis generalibus, & prouincialibus, alijſq; deputãdis iuxtà *Cõſtitut. ſuper nouitiorũ receptionẽ editas* à Sixto V. dũmodo in reliquis earũdẽ cõſtitutionũ formã ſeruent. Similia priuilegia cõceſſa ſunt & alijs Ordinib', vt videre eſt apud *Peyr. to. 2. priuil. Conſt. 2. Sixti V. n. 9.* ac 10. & *Lezanam to. 1. c. 24. n. 14.* qui benè monet, quòd, ſicut eiuſmodi priuilegia per viã cõmunicationis ſunt cõmunia, et alijs Ordinibus, ita in eorũ vſu cautè procedẽdũ eſt, attendendo vim tenoris illorum.

QVÆRES V. An, & quo modo ad validam nouitiorum receptionem requiratur conſultatio, & conſenſus capituli, ſeu conuentus.

10 ℞. Requiri, nõ quidẽ ſtãdo præcisè in iure communi antiquo, ex quo nihil certi ſtatui poteſt quò ad hoc, *teſte Suarez to. 3. de rel. l. 5. c. 9. n. 6.* ſed ſtãdo in iure, tũ proprio vniuſcuiuſq; Ordinis inducto p cõſuetudinẽ, quę eſt optima legũ interpres; tũ cõmuni nouo inducto per Sixtũ V. in bullis allegatis; ſi quidẽ ex illis apertè colligitur receptionẽ nouitiorũ factã ſine cõſultatione, & cõsẽſu Capituli, ſeu (vt rectiùs loquar) Definitorij eſſe nullã: cũ ſuffragia Definitorũ ibi requirãtur nõ ſolũ cõſultatiua, ſed et definitiua: ſicut cõſtat ex illis verbis, q̃ habẽtur in citata cõſtit. *Cũ de omnib' Superioris generalis, ſeu prouincialis & Definitorũ cõsẽſu approbãdos, & ad regularẽ habitũ admittẽdos fore, qui religionẽ ingrediũtur*; quod eſt dicere poteſtatem recipiendi non eſſe in ſolo Prouinciali; aut Abbate, ſed et in Definitoribus, qui proinde vnà cũ dicto Prouinciali, aut Abbate debẽt cõcurrere ad nouitiorũ receptionẽ: eo tamẽ modo, quo dicem' in qq. inferiùs tractãdis; quin etiam hæc doctrina, teſte *Suar. n. 18.* eadẽ ꝓportione locũ habet et in illis alijs, quos iuxta Conſtit. Sixti V. declaratoriam, & priuilegia ſuperius relata diximus poſſe loco dictorum Definitorum concurrere ad receptionẽ nouitiorũ.

QVÆRES VI. An attenta Conſtit. Six. V. modò relata ad valorem receptionis requiratur, quòd omnes definitores ſup. dicti conſentiant in illã vnà cum Prouinciali, nullo prorſus diſcrepante.

11 ℞. Cõſensũ quidẽ Prouincialis eſſe õninò neceſſariũ, adeòq; ſi det õnes definitores cõsẽtire in receptionẽ, disẽtiẽte Prouinciali, receptionẽ eſſe nullã: cũ ſpecificè, & diſtinctè exigatur cõsẽſus Prouincialis (quod nõ verificat, etſi õmnes alij cõſentiant); nõ reqri tamẽ cõsẽsũ õmniũ definitorũ, ſed maioris partis illorũ: quippe, cũ petat indefinitè cõsẽsus definitorũ, id ſatis ſupq; verificat ſi plures eorũ cõsẽtiant cũ Prouinciali, & qdẽ in eo numero, qui aliàs de iure reqreretur, & ſufficeret cũ Prouinciali ad ſẽtẽtiã ferẽdã. ita *Peyr. de R. P. q. 3. c. 1. n. 19. 20. ex Suarez addẽte n. 19.* quòd, cũ Sixtus V. in cõſtit. ſua declaratoria à nobis infrà adducẽda cõceſſerit, vt ſine capitulo prouinciali Prouincialis cũ 2. aut 3. localibus antiquiorib' Patrib' alicuius monaſterij ad hoc electis à capitulo prouinciali mẽdicantiũ, aut general monachorum poteſtatẽ habeat recipiẽdi nouitios: id, quod paulò ante diximus de definitorio, dicendum proportionaliter eſſe de hoc concilio coacto ex Prouinciali & alijs Religioſis.

Quòd ſi quęras, an admitti poſſit Nouitius in caſu, quo ex 3. Religioſis modo dicto coniunctis cum Prouinciali, vnus tantum conſentiat cum Prouinciali, alijs duobus diſſentientibus.

12 ℞. Poſſe, ſiue in Ordine ſtatutum ſit ad recipiendum nouitium in caſu diſcordiæ recipientium ſufficere, quòd ex 3. ſocijs vnus concordet cum ſuperiore (quale eſt in Ordine Minimorũ teſt. *Peyr. n. 21.*) ſiue etiam ſtando in iure communi: ſi quidem in *cap. fin. de ſent. & re iudic.* decernitur quòd, quando Iudices in æquali numero diſcordant in ſententia, ſi ſunt ordinarij, tenet ſententia pro reo, cùm promptiora ſint iura ad abſoluendum, quàm ad condemnandum *c. ex literis de probat. & c. inter dilectos de fide inſtr.* ita *Peyr. vbi ſup.* addens hanc reſponſionem habere locum, etiam ſi ex ſtatuto Religionis dicatur receptio nouitiorum pertinere ad Prælatum vnà cum ſocijs: quo modo videtur importari omnimoda vnitas; nam fictione iuris factum dicitur ab omnibus, quòd fit à maiori parte, vt tradit *Menochius vol. 1. conſ. 96. n. 5.* cùm tamen in noſtro caſu maior pars cenſeatur pars Superioris.

QVÆRES VII. An Pręlatus regularis ſe ſolo poſſit admittere nouitium, ſi capitulum ſine iuſta cauſa deneget conſenſum.

13 ℞. Poſſe, dummodò ſufficienter conſtet iniuſtè denegari conſenſum: patet, quia quotieſcumque conſenſus eſt neceſſarius ad aliquem actum, ſi qui illum præſtare debet, ſine cauſa denegauerit, habetur pro præſtito *cap. licet §. talis ergò de Regul. ita Peyr. n. 22. & Vecchio de nouit. D. 7. d. 2. n. 8.* monens in præſenti caſu conſenſum petendum eſſe à Religioſis, non ſeorſim, ſed vnitis, & collectis; ſi quidẽ, cùm ad hoc requiratur conſultatio iuxtà informationes habitus modo infrà explicando, conſtat eiuſmodi conſultationem neceſſariò faciendam in cõmuni; quamquam non ſit opus, quòd ſuffragia dẽtur occultè; vt infra *q. 18.*

QVÆRES VIII. An Prælatus localis, cui aliàs competit facultas admittendi nouitios cum Capitulo, validè admittat eũ, quẽ ex iuſta cauſa ꝓhibit' eſt admittere, ſiue à Generali, ſiue à Prouinciali.

14 ℞. admittere, ſi Generalis, aut Prouincialis prohibeat quidem, non tamen irritet actum in caſu cõtrauentionis: multa enim fieri prohibentur, quæ tamẽ facta tenent, vt notãt paſſim Doctores, & clarè colligitur *ex c. nemo 2. q. 1.* Secùs, ſi ita prohibeant, vt etiam irritent, ſuſpendendo pro illo actu facultatem admittendi nouitios, aliàs competentem Prælato locali, eamque ſibi pro tunc reſeruando; quòd vtique illi facere poſſunt, cùm ab illis deriuetur ſup. dicta facultas in Pręlatos locales, & res, p quas cauſas naſcitur, p eas & diſſoluatur *c. 1. extrà de reg. iur.*

QVÆRES IX. An Pręlat' regularis abſẽs à ꝓprio monaſter. poſſit cõcurrerẽ ad receptionẽ nouitij capitulariter faciẽdã in ſuo monaſterio, & quo modo.

15 ℞. Videri poſſe, niſi adſit cõſuetudo in cõtrariũ, vel extet aliquod peculiare ſtatutũ id prohibẽs: idq; cõſtituẽdo procuratorẽ, qui in Capitulo cogendo præſtet pro eo ſuffragiũ. Ducor tũ quia non eſt contra ius cõmune, quòd elector, ſi fuerit abſens, & iuſto detẽtus impedimẽto, eligat, & inſtituat procuratorẽ, qui habeat votũ ipſius in electione facienda: immo hoc expreſsè habetur in *c. quia propter de elec.* quod nõ fuit derogatũ à *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 6.* dicẽte, vt in poſterum non liceat voces, & ſuffragia abſentiũ ſupplere: cũ ibi Conciliũ intenderit ſolũ tollere abusũ quorũdã Prælatorũ regularium, qui, vt facerent electiones iuxta ſuã volũtatẽ, vocem, & votũ abſentiũ dabãt alijs; quòd ſi hoc eſt verũ de quocũq. electore, a fortiori habebit locũ in Pręlato, maximè in præſenti caſu, quo ipſe principaliter debet cõcurrere ad receptionẽ nouitij, nec obſtat, quod ſic nõ poteſt explorare mores nouitij admittẽdi: ſi quidẽ in hoc poteſt ſtare informationi factæ ab alijs, poteſtq; aliàs exploraſſe mores illius, vt patet.

QVÆRES X. An valida ſit admiſſio Nouitij, ſi fortè in monaſterio, in quò illa debet fieri, non adſit niſi Prælatus, & vnus alius religioſus ius habens ad talem admiſſionem.

16 ℞. Diſtinguẽdo: vel iſta admisſio debet fieri capitulariter, ꝓ vt de iure cõmuni, & ſic eſt valida, cũ totũ ius capituli reſidere poſſit in vno ſolo, vt notat *Gloſ. in c. 2. de poſtul.* vel admisſio debet fieri iuxtà cõſtitutiones põtificias, & priuilegia relata *q. 4.* & non puto illã eſſe validã: cũ in hoc caſu certus numerus Religioſorũ reqratur ad eã faciẽdã, nõ vt capitulariter fiat (quo modo diximus, ꝙ ſufficeret et vnus tãtũ capitularis) ſed qa poteſtas admittẽdi nõ cõceditur, niſi cũ illa limitatione: vnde, ſi in hoc excedat, nihil fit ex defectu debitę poteſtatis, vt in ſimili aduertit *Nald. v. mandatum n. 6. & v. matrim. n. 17.*

QVÆRES XI. An admiſſio nouitij dici poſſit valida, ſi fiat capitulariter, & capitulo non interſit Prælatus, neque alius loco ipſius.

17 ℞. Nõ poſſe. Moueor, quod admiſſio nouitij vniuerſaliter reqrit cõſẽſũ Prælati, ſiue fiat capitulariter, ſiue nõ (& hoc omnes cõcedũt) ergò, ſi ille nõ adſit, ſaltẽ p aliũ, cui ſuam poteſtatem quò ad hoc delegauerit, nihil fiet; ꝙ multò magis habet verũ in caſu, quo admiſſio fieri debeat iuxta cõſtitut. & priuilegia allegata *q. 4.* cũ tũc cõſẽs' Prælati diſtinctè, & ſpecificè poſtulet, vt facilè cõſtabit eorũ tenorẽ ꝑpẽdẽti; ꝓter quã ꝙ, et ſi id in ſpecie nõ exprimat (vt de facto nõ exprimit in priuilegio facto ordini miniſtrãtiũ infirmis) id nihilomin' debet ſubintelligi tãquã aliqd neceſſariò ꝑſuppoſitũ iure cõm, & (penè dixerim) naturali, cum admisſio Nouitiorum ſit res maximi momenti, adeòq; non deceat eam tractari abſque interuentu Superioris modo ſup. dicto.

QVÆRES XII. Vtrũ in caſu, quo nouitij admisſio facienda ſit iuxtà cõſtitutiones pontificias, & priuilegia adducta *q. 4.* poſſit quis validè admitti, abſente aliquo ex deputatis ad talem effectũ, ſi is præſtet ſuum ſuffragium, ſiue per literas, ſiue per ſubſtitutum.

18 ℞. Videri nõ poſſe, ſi admisſio fieri debeat in terminis Cõſtitut. Sixt. V. declaratoriæ; patetq; qa in ea reqritur, vt Religioſi deputati ad recipiẽdos nouitios ſimul in vnũ cõgregẽtur (& qdẽ meritò, vt ſic meli' examinare poſſint mores admittẽdorũ): nõ poſſũt autẽ dici cõgregare ſimul, niſi corporaliter interſint; ꝓſertim cũ habeãt poteſtatẽ delegatã, quæ nõ poteſt ſubdelegari. Secùs, ſi admiſſio faciẽda ſit iuxtà bullam Greg. XIV. dicto. *q. 4.* allatam, & illa alia priuilegia ibidem adducta; cum in his non videatur requiri niſi conſenſus, aut conſultatio ſupra dictorum

rum

rum deputatorũ: quæ non repugnat præſtari etiam ab abſente per litteras; dico *per litteras*: non.n.puto in iſto caſu poſſe alterum ſubſtitui iuxtà regulã *qui per alium facit, &c.* cum in tali euẽtu electa ſit induſtria perſonæ, & ſubſtitutio, ſeu delegatio non habeat locum, vbicumq; electa eſt induſtria perſonæ, vt tradunt DD.communiter.

QVÆRES XIII. An admiſſio nouitij ſit valida, ſi quis ex dictis deputatis ſit occultè excommunicatus, aut priuatus voce actiua, & paſſiua, &c.

19 ℞. Eſſe, cum ſic Eccleſia ſuppleat iuriſdictionem iuxta *l. Barbarius. ff. de offic. prat.* immo puto id eſſe verum, etiam ſi aliquis eorum eſſet notoriè inhabilis ad eligendum, dummodo tamẽ ex alijs habilibus ſupereſſet numerus requiſitus, & ſufficiens ad validam electionem: quod notauit *Lezan.to.1.c.15.n.6.* aſſerens cum hac limitatione explicandam eſſe ſententiam *Imolæ in Clem.de at. & qual.* pro ſe referentis *Ioannem de Lignano, Paulum, & alios*, quòd ſcilicet electio non vitietur ob ſuffragia inhabilium, etiam ſcienter admiſſorum (præter quam in caſibus à iure expreſſis) eò quòd ſuffragia habilium ſeparari poſſint ab inhabilibus, & vtile per inutile non vitietur. Notat autem *Peyr ſup.q.2.c.5 num.13.* quod quamuis .m. peccet inhabilis, ſi ſe ſponte intromittat cum alijs ad eligendum, exiſtente eius inhabilitate publica, & notoria: alij tamen electores cum eo concurrentes ad electionem non peccarent, niſi dictus inhabilis eſſet excommunicatus nominatim denuntiatus, aut notorius Clerici percuſſor; ſed de hoc plura cum de electione.

QVÆRES XIV. An caſu, quo Nouitij admiſſio facienda ſit iuxta bullã Sixti V. declaratoriã, & priuilegia relata q.4. ad validitatem ipſius admiſſionis requiratur, vt illi 3. aut 4. deputati omnes conueniant per ſua ſuffragia, in fauorẽ Nouitij admittẽdi.

20 ℞. Quod cum in dicta Cõſt. Sixti V. & conceſſione illorum priuilegiorum nihil tale exprimatur, vt conſtabit conſideranti tenorem ipſorum; conſequenter in caſu iſto ſeruandum erit ius commune; nimirum quòd in fauorem admiſſionis concurrat maior pars ſuffragantium; ſi quidem vbi iure nouo nihil ſtatuitur in aliquo caſu, in eo ſtandum eſt iuri antiquo: vt tradunt communiter DD.

QVÆRES XV. An Nouitius, vbi ſemel, ac iterũ fuit excluſus capitulariter ab admiſſione, poſſit coacto iterum Capitulo admitti; & è contrà poſſit capitulariter excludi, qui p capitulũ iã fuit admiſſus.

21 ℞. Poſſe; & quidem quod excluſus poſſit admitti poſtea; conſtat ex eo, quòd nullum extat ius prohibens, aut irritãs eiuſmodi admiſſionẽ; quin potiùs occurrere poſſunt de nouo rationes, quę id ſuadeãt: quod verò admiſſus poſſit excludi, probatur tum ex modo dictis; tũ quia quod dicitur *in ca. nulli liceere de elec. in 6.* poſt publicationem ſcrutinij non eſſe locũ variationi, procedit ſolum in electione, per quã publicato ſcrutinio, acquiſitũ eſt ius ei, qui eſt electus: quod certtè non verificatur in caſu noſtro, quo agitur de contractu faciendo inter Nouitium, & religionem, in quo nullum ius acquiritur nouitio ex eo quòd capitulariter concluditur vt contractus fiat. i. vt petens admittatur ad nouitiatum: tũ quia quod dicitur *l. nemo. ff. de re iudic.* neminem poſſe mutare conſilium in alteriùs præiudicium; *& reg. 21. de reg. iur. in 6. quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt;* in præſenti caſu non habet locum, cùm hìc non intendat p̃iudiciũ perſonæ particularis, ſed bonũ cõe religionis, ꝙ ſine dubio p̃ferri debet bono cuiuſcũq. particularis. *ita Pereg. p. 2. Conſt. c. 5. lit. R, §. 11. & 12.*

QVÆRES XVI. An admiſſus capitulariter ad religionem, ſi per multos menſes differat ingreſſum, poſſit poſtea abſque nouo Capitulo ingredi.

22 ℞. Videri non poſſe, ſi diſtulit ex propria volũtate, & ratio eſt, ꝙ cũ intrà dictos menſes potuerit cõtingere aliquid noui, aut etiã manifeſtari aliquid antiquum, quod præuiſum retraxiſſet Capitulũ ab illo admittendo, non cenſetur ipsũ Capitulum perſiſtere amplius in priori volũtate eũ admittendi ad religionem, ideoq; neceſſe eſt, vt iterum, præmiſſis debitis requiſitis ſtatuat, an denuò admitti debeat, nec ne ſicq; iterum illum admittat, ſi iudicet id expedire. Secùs ſi admiſſus non ſponte diſtulit ingreſſum, ſed vel ex morbo, vel ex culpa aliorum, & conſtet nihil noui adueniſſe, ob quod debeat excludi; tunc videtur poſſe ingredi ſine nouo Capitulo, cum in talibus circumſtantijs rationabiliter pręſumi poſſit Patres capitulares manere in priori voluntate iuxta regulam 21 modo adductam, *Quod ſemel placuit, ampliùs diſplicere non poteſt.* Colligitur ex *Peregrino vbi ſupra lit. E.* in caſu non diſſimili.

QVÆRES XVII. an caſu, quo admiſſio Nouitij facienda ſit per trina Capitula iuxta bullam Sixti V declaratoriã, valida ſit admiſſio, ſi inter vnũquodq. dictorum capitulorũ nõ intercedat ſpatiũ 10. dierũ.

23 ℞. Non eſſe, niſi paruitas materiæ excuſet (vt ſi deſit vnus dies) ratio eſt, quia eũ forma det eſſe rei, non ſubſiſtit actus, qui ſit ſine ijs, quæ ſunt de forma illius; in noſtro autem caſu, quòd 10. dies interponantur inter pręfata capitula, videtur requiri à Sixto V. tanquam de forma actus, adeòq; eius omiſſio vitiabit actum. dixi, *niſi paruitas materiæ excuſet*, quia talis diſtãtia non mathematicè, ſed moraliter ſumẽda eſt, & quod parũ diſtat, nihil diſtare videtur: quo modo *Zecchius de repub. eccl. tit. de regul. c. 3. nu. 14. limitat. 8 ex Zerola* putat etiam renunciationem bonorũ ex decreto Conc. Trid. faciendã intra 2. mẽſes proximos à profeſſione, valere, ſi fiat modica diſtãtia ante dictos 2. menſes; quod tamen negat *Sanch. l. 7. in decal. c. 5. n. 81.* & meritò cùm Trid. diſponat, à quo tempore præfatum bimeſtre incipiat, nempe à die profeſſionis futuræ (in quo euentu computãtur dies de momento in momentum, vt oſtendit idem *Sanch. l. 2. de mat. D. 24. n. 15.*) quod non euenit in caſu noſtro, quo ſolũ p̃ſcribitur, vt in admiſſione nouitiorum fiãt 3. capitula diſtincta cum interuallo ſaltem 10. dierum inter vnũquodq. illorum; & hoc nullam apponendo clauſulã ex qua colligatur dicta interualla ſumenda eſſe de momento in momentũ.

QVÆRES XVIII. An ſuffragia, quibus Nouitius capitulariter ad habitum admittitur ferri debeant occultè, & ſecretò, an verò palam, & publicè.

24 ℞. Quod, cum ea poſſint ferri, & occultè (ſi talis ſit vſus, & mos Ordinis, aut aliàs occurrat iuſta ratio ſic faciendi) & publicè (quo modo fit in Ordine Prædicatorũ, & declarauit S. Cõg. Cõc. poſſe fieri ab examinatorib. ſynodalib. in caſu, quo ferẽdũ ſit iudiciũ de prouidẽdo ad beneficiũ iuxtà *Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 12.*) quò ad hoc cõſulenda eſt cõſuetudo vniuſcu-

inſq;Ord.eaq;ſeruãda;vt innuit *Pey.ſup.q.3.c.1.n.22*

QVÆRES XIX. An licita, & valida ſit admiſſio nouitij, quæ fiat per compromiſſum; videlicet cõmittendo aliquibus Religioſis grauioribus facultatem admittendi nomine totius Capituli.

25 ℞. Videri licitam, & validam, ſi admiſſio facienda ſit capitulariter. Moueor quòd in *cap. quia propter de elect.* talis modus compromittendi admittitur; etiam in electione Prælatorum regulariũ, quę eſt res maximi momenti; ergò & poterit admitti in receptione Nouitiorum, quę eſt res minoris momenti; præſertim cùm ſic ſaluetur quidquid requiritur ad legitimam admiſſionem; nimirum quod ſit prudens, libera, & facta ab habente poteſtatem; & aliàs qui per alium facit, per ſe ipſum facere videatur; idque de iure communi, in quo (quòd mihi conſtet) non prohibetur talis modus recipiendi nouitios: vnde, ſi extet in aliquo Ordine peculiare ſtatutum id prohibens, illud ſine dubio ſeruari debet.

26. Dixi *ſi admiſſio facienda ſit capitulariter*, vt indicarẽ ſecùs dicendum in caſu, quo admiſſio fieri debeat iuxta Conſtit. Sixti V. & priuilegia relata *q. 4.* tunc enim non videtur poſſe fieri ſup. dictum compromiſſum, cùm ſic eligatur induſtria perſonæ, & conſequenter poteſtas admittendi vi talium iurium nõ ſit delegabilis, vti diximus *q. 12.* præter quàm quòd in caſu præſẽti eſt de forma admiſſionis, vt illi 3. aut 4. deputati concurrant ad receptionem nouitiorũ, ſicut oſtendimus *q. 10.* ac proinde non ſubſiſtit admiſſio, ſi ad illam non concurrant præfati omnes deputati: quòd non accidit in caſu, quo admiſſio fiat capitulariter, cùm iuxtà dicta *q. 10.* citato, totum ius Capituli reſidere poſſit etiam in vno tantum, ſicque admiſſio facta ab aliquibus deputatis ex ipſo Capitulo, dici poſſit facta à capitulo; quod tamen non eueniret, ſi compromiſſum fieret in Religioſos, qui non eſſent de Capitulo; cùm id fieri non poſſit abſque delegatione, & poteſtas admittẽdi nouitios competens Capitulo, non ſit ordinaria, ſed delegata, vt inferiùs dicemus; ideoque non poſſit ſubdelegari. De Prælato quidem regulari puto, quòd, ſicut Capitulum poſſet in ipſum facere modo dicto compromiſſum, cùm etiam ipſe ſit membrum, immo caput Capituli, ſicque non dicatur conferri extraneo ius conueniens Capitulo; ita & poſſet idem Prælatus talem poteſtatem delegare alteri, etiam extraneo; quippe quæ reſpectu illius eſt ordinaria (vt pote commiſſa perpetuò, & ratione officij,) & ꝑ cõſequẽs poteſt delegari; vt inter alios benè notauit *Mirãda p.1.q.15.ar.1.cõcluſ.4.*

Quod ſi quæras, an facultas admittendi nouitios veniat in generali commiſſione, vel certè indigeat ſpeciali expreſſione.

27 ℞. *Peyr. in formul. lit. N. c. 2. n. 7.* indigere ſpeciali expreſſione; ſiue ſpecifica, ac explicita, ſiue implicita, videlicet ſub aliqua Clauſula id ſufficienter ſignificante (*v. g. vt poſſis omnia facere, quæ per nos facere poſſumus, etiam ſi ſpeciale noſtrum mandatum requirerent,*) quod licèt generaliter non probet Peyr. probari tamen poteſt ex eo, quòd cùm receptio nouitiorũ in Religionibus ſit res maximi momenti, & vnũ ex grauiſſimis negotijs, quæ ſpectãt ad Prælatos regulares, non præſumitur conceſſa niſi in ſpecie exprimatur iuxtà *regulã 81. de regul. iuris in 6. In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

QVÆRES XX. An, concurrentibus omnibus neceſſarijs tam ex parte recipiendi, quã ex parte religionis, vt cõueniẽter, & vtiliter fieri poſſit receptio, teneantur Regulares habentes talem poteſtatẽ admittere poſtulãtem, vel certè poſſint eum nihilominus excludere.

28. ℞. teneri, niſi interueniat aliqua cauſa legitima excuſans: teneri, inquã, & ex officio, & ex charitate tum reſpectu religionis, quę ſic augetur, & ex parte cõſequitur ſuũ finẽ; tum reſpectu proximi, qui ſine cauſa magno priuatur beneficio, quod alter ei conferre tenetur ex bonis cõmunibus Chriſti, & Eccleſię tãquã fidelis diſpẽſator. Ita *Sua. to. 3. de relig. l. 5. c. 10 n. 28.* monẽs tamẽ eiuſmodi obligationẽ non eſſe de re adeò neceſſaria, quin multis de cauſis ceſſare poſſit; ſiue quia religio tũc nõ habeat ſufficiẽtẽ cõmoditatẽ temporalẽ, & nõ poſſit ſine graui onere alere nouũ religioſũ; ſiue quia multi aliàs æquales petant religionẽ, & alioqui non poſſint omnes ſimul recipi ob causã allatã (quo caſu vtiq; licebit hos potiùs reijcere, quã illos): ſiue quia res ſit dubia, aut vtrinque probabilis, an expediat recipere talẽ ꝑſonã nec ne; tũc.n. poteſt ea nõ admitti, & quidẽ eò faciliùs, quò id cedit in maius bonum religionis, qua de re *Caſtrus Pala. tra. 16. D. 1. p. 9. nu. 13.*

QVÆRES XXI. An Prælatus regularis, alijque Religioſi poſſint reijcere petentes admitti ad religionem, ſi eos agnoſcãt indignos ex ſola confeſſione ſacramentali.

℞. *Pery. de R. S. q. 1. c. 31. §. 2. q. 1. ex Suar. Sãch. Nau. & Regin.* poſſe, ſi electio non ſit publica, & perſona, quæ reijcitur, nõ ſit talis, quæ cõmuniter reputetur digna (tũc quippe nõ liceret eã reijcere, ne aliàs gigneretur ſuſpicio alicuius delicti cogniti ꝑ cõfeſſionẽ, ſicq; in præiudiciũ ſigilli cõfeſſionis, cõfeſſio ipſa odioſa redderetur pęnitẽti). Ratio reſpõſionis eſt: tũ quia ſic nõ poteſt reddi cõfeſſio odioſa, cũ pænitẽs nõ poſſit cognoſcere in ſpecie ſe fuiſſe excluſũ à proprio Cõfeſſario (vt ſuppono) tũ quia Cõfeſſari⁹ nõ audita confeſſione illius potuiſſet ipſũ reijcere, nec ille habuiſſet iuſtã causã cõquerẽdi, ergò & idẽ poterit facere, audita cõfeſſione, cũ adhuc retineat ſuã libertatẽ, & aliàs non ſubſit iuſta ratio ſuſpicandi, quod in tali caſu violetur ſigillũ confeſſionis, vt ſuppono; cũ Peyrino ſẽtiũt *Ochag. Kelliſon. & Mercer. apud Dianã p. 5. tr. 11. reſol. 4.* qui mordicùs ſuſtinet oppoſitũ cũ multis alijs DD. quos citat tũ iſta *reſol.* tũ *reſol. prçcedẽti*: quorũ opinionẽ ego ſequor iuxtà decretũ P. N. Generalis Aquauiuæ editũ anno 1590 & relatũ ab ipſo Diana *dicta reſol. præced.* prohibens nobis diſtrictè, ne cõtrariã ſẽtẽtiã vllo modo practicemus, aut doceamus, ſiue publicè, ſiue priuatim.

Difficultas maior eſt an, poſito quòd licitũ ſit vti notitia habita in cõfeſſione ſacramentali, teneatur Confeſſarius reijcere petẽtẽ admitti ad religionem, ſi eius indignitatem non nouit niſi ex confeſſione.

30 ℞. nõ teneri; & probatur tũ quia Sacramentum pænitẽtiæ inſtitutũ eſt ad medẽdũ pænitenti ſolum in foro interno cõfeſſionis, ergò nõ eſt obligãdus Cõfeſſarius ex notitia occultiſſimi fori ad medẽdũ pænitẽti extrà talẽ forũ; quia alioqui hoc eſſet tranſgredi limites talis inſtitutionis: tum quia præcepta

moralia, & ordinata ad fines ordinis naturalis debent habere media eiuſdem ordinis (cùm finis, & media debeant proportionari:) cum ergo vſus notitiæ habitæ ex confeſſione hìc ordinetur ad ſeruandum præceptum correctionis fraternæ, quod eſt morale, & ordinis naturalis, ad talem effectum non poteſt requiri notitia habita ex confeſſione, quæ eſt ordinis ſupernaturalis. ita *Sanch. l. 3. de matrim. D. 16. num. 6.* alijque plures apud ipſum cum *S. Tho. 4. d. 21. q. 3. a. 1. quæſt. 1. Rodriq. tom. 2. q. 33. a. 4. Peyr. ſup. alijque.*

QVÆRES XXII. Quam diligentiam debeant adhibere Regulares ad cognoſcendum, an perſona admittenda ad nouitiatum ſit digna, nec ne.

31 ℞. Teneri adhibere illam diligentiam, quam viri diligentes ſolent adhibere in rebus proprijs curandis; ſed de hoc infrà.

QVÆRES XXIII. An teneat ingreſſus illius, qui eſt ligatus aliquo impedimento ſtatuto in Ordine, quem ingreditur, non tamen dirimente, nec illud debitè manifeſtat admittenti.

32 ℞. Tenere, ſi admiſſio fiat ab habente poteſtatem diſpenſandi in dicto impedimento: & hoc, ſiue illud manifeſtetur admittenti, (quod eſt certiſſimum,) cùm eo ipſo cenſeatur diſpenſare, ſiue non manifeſtetur; & ratio eſt, quòd cùm tale impedimentum non ſit ſubſtantiale, Superior admittens cenſetur conſentire in ſubſtantiam ingreſſus: non ſecùs ac quando Epiſcopus admittit ad ordines aliquem excommunicatum, aut irregularem, valida eſt admiſſio, eò quòd in ſubſtātiali collatione ordinis adſit debitus conſenſus, nec tali conſenſui obſtet, quòd Epiſcopus, detecto impedimento, non conſentiret: non enim præſens conſenſus regulatur ex euentu futuro; præſertim cùm circumſtantiæ omninò mutentur. Concedo quidem, quòd, ſi admittens haberet voluntatem expreſſam non admittendi in religionem eum, qui ligatus dicto impedimento peteret admitti, eo non manifeſtato; tunc admiſſio eſſet nulla: at talis voluntas non eſſet iuſta, nec debet præſumi ob inconuenientia inde prouenientia; quin potiùs contraria voluntas præſumenda eſt, quæ ſcilicet conformetur & cognitioni Superioris admittentis, & rebus ipſis, nempè Superiorem velle admittere nouitium abſtrahendo, an habeat, vel non habeat impedimentum. Colligitur ex *Rodriq. to. 3. q. 17. a. 9. Sanch. lib. 5. mor. c. 4. num. 57.* alijſque & expreſsè proponitur à *Caſtro Palao tr. 16. D. 1. p. 8. §. 2. n. 8. & 9.*

33 Dixi *ſi admiſſio fiat ab habente poteſtatem diſpenſandi, &c.* vt innuerem ſecùs dicendum eſſe, ſi admittens non habeat talem poteſtatem: tunc quippe nō teneret ingreſſus, ſiue impedimentum manifeſtaretur admittenti, ſiue non; ſiquidem admiſſio fieret à non habente poteſtatem recipiendi: quippe qui, (vt ſuppono) poteſtatem admittendi habet limitatam, non ſe extendentem ad habentes aliquod tale impedimentum. nec obſtat huiuſmodi impedimentum non eſſe ſubſtantiale; quia id ſolùm probat poſſe ſuper eo diſpenſari à Prælato Superiori, (v. g. à Generali) non tamen probat receptionem à quocunque Superiore factam cum ſimili impedimento tenere, ſtante quòd is non poteſt in eo diſpenſare.

34 Certe in Societate Ieſu cùm Prouinciales aliàs habentes facultatem recipiendi nouitios in prouincia ſibi commiſſa non poſſint diſpenſare in impedimento tum deformitatis, tum notabilis defectus (qualem habent Eunuchi) tum teneræ ætatis, vel prouectæ, tum matrimonij rati, tum generis infecti, tum maioratus; vt conſtat ex regula Prouincialis 35. & 36. ex *decreto 52. Congreg. V. generalis, & decreto 18. eiuſdem V. Congregationis*: ſi Prouincialis attentaret admittere quempiam affectum aliquo ex his impedimentis abſque ſpeciali facultate Generalis, nulla eſſet receptio, vt pote facta à non habente poteſtatem. cùm enim tota poteſtas recipiēdi nouitios in Societate ſit penes Generalem, nec competat alijs Superioribus, niſi quatenus ab illo ijs fuerit communicata, vt habetur *1. p. Conſtit. cap. 1.* & aliàs Prouincialibus non ſit communicata poteſtas admittendi nouitios ligatos aliquo ex dictis impedimentis, immò potiùs ſit denegata; conſequenter talis admiſſio erit nulla: idque iuxta doctrinam traditam à *Sanche, num. 26.* quòd quoties aliqua poteſtas cum limitatione alicui conceditur aliàs non habenti, ſi limitationem excedat, actus quò ad illum exceſſum eſt nullus: cui doctrinæ ſimilis eſt illa alia, quam ex *cap. cum delicto de reſcript.* tradit *Gonzalez reg. 8. cancellar. gloſſ. 18. num. 76. & ſeqq.* nimirùm formam, ſub qua alicui delegatur facultas efficiendi aliquem actum, debere ſeruari ad vnguem; vnde eſt regula in iure ſatis recepta idem eſſe fieri aliquid contra formam, ac ſolemnitatem iuris, & diſpoſitionem Pontificum, & principum, ac non fieri.

35 Quod autem ſpectat ad impedimenta, in quibus diximus Prouincialem Societatis non poſſe diſpenſare; putat *Caſtrus Pal.* quò ad impedimentum teneræ ætatis, quòd, ſi quis recipiatur in ætate 14. annorum completorum antequam compleat 15. valet receptio: probatq; tum quia dicit ſibi conſtare iam omnibus Prouincialibus ſpecialem ad id facultatem datam eſſe à P. N. Vitelleſco: tum quia, inquit, vſu ſatis receptum eſt, Prouinciales in receptione nouitiorum nunquam inueſtigaſſe, an nouitij 15. annum compleuerint, ſed ſolùm an habeant 14. completum, & 15. inchoatum, (quod tamen fallit quo ad hanc noſtram Prouinciam Venetam, in qua hæc ſcribo:) tum quia eſtò in regula Prouincialis 31. oppoſitum ſtatuatur, ideoque *Sanch. ſup. num. 7. & 26.* mixtus dicta regula à nobis diſſentiat: praxis tamen, quæ viget in contrarium, ſufficit ad derogandum dictam regulam; cùm conſuetudo legitimè præſcripta ſufficiat ad derogandam quamcumque legem, & concedendam iuriſdictionem aliàs non habenti. ita *Caſtr. Pal. n. 5. 6. & 7.* cuius doctrinam idem P. N. Vitelleſcus literis datis ad Prouinciales declarauit procedere quò ad validè, non item quò ad licitè; vt mihi per literas teſtatus eſt P. Io. Stephanus Menochius Prouincialis Romanus: etſi poſtea in *Congregatione generali 8. can. 9.* ſtatutum ſit talem admiſſionem eſſe inualidam, vt vidimus *cap. 1. num. 6.*

CAPVT III.

De Informationibus, quæ præmitti debent iure poſitiuo ad Receptionem Nouitiorum.

1 *EX decreto Sixti V. certæ informationes præmittendæ nouitiorum receptioni.*
2 *Et quidem de quocunque petente ingreſſum religionis.*
3 *Non tamen de admittendo in terris longinquis.*
4 *Item nec in caſu, quo admittendus ſit notoriè dignus.*
5 *Dictum decretum ex ſe afficit religioſos cuiuſcunque Ordinis, ſed non Societatis Ieſu ex Gregorij XIII. indulto.*
6 *Sumenda informatio de patria, ac parentibus ex vi præfati decreti.*
7 *Et quidem etiam modò, quòd ſpectat ad parentes.*
8 *Item de vita, ac moribus nouitij admittendi.*
9 *Ex dicto decreto excluduntur à religione varij criminoſi.*
10 *Si tamen concurrant 4. conditiones, quæ referuntur.*
11 *Petens ingreſſum agnoſci debet duci bono ſpiritu.*
12 *Hodie præfatæ informationes non neceſſario mittendæ ad Capitulum.*
13 *Tenet admiſſio, etſi illæ omittantur; idque ex Clement. VIII. bulla.*
14 *Secùs, attento Sixti V. decreto ſuperiùs indicato.*
15 *Idque probatur ex tenore ipſius decreti.*
16 *Varijs pœnis ſubſunt admittentes ſine dictis informationibus.*
17 *Sed non in caſu, quo admiſſus re verà non ſit criminoſus.*
18 *Item nec in caſu, quo admittatur bona fide criminoſus, præmiſſis debitis informationibus.*
19 *Idem procedit, ſi admittatur religioſus eiectus vt incorrigibilis, eò quòd putetur emendatus.*
20 *Oſtenditur per quos ſumi debeant præfatæ informationes.*
21 *Sufficit eas ſumi à iudice ſæculari.*
22 *In ijs adhibendi teſtes iurati.*
23 *Aſſignatur materia illarum, & modus illas ſumendi.*
24 *Item & tempus, quod debet ſumi iuxtà diuerſa iura.*
25 *Petens admitti debet interrogatus reſpondere iuxtà veritatem.*
26 *Idque etſi cum aliquali ſua infamatione.*
27 *Occaſione dictarum informationum detegi poſſunt exceſſus, etiam grauiores, ac infamatorij perſonæ admittendæ.*
28 *Admiſſi, ſi veritatem tacuerint, eijci poſſunt, etiam poſt profeſſionem factam, ex indulto Leonis X.*
29 *Nec talis eiectio facienda iuxtà formam Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regular. c. 19.*
30 *Item nec ei obſtat Vrbani VIII. decretum 5 Ianu. 1636. editum.*
31 *Dictæ informationes ſolùm faciendæ in admiſſione ad nouitiatum.*
32 *Pœnæ latæ cõtrà omittentẽ illas, bis incurruntur, ſi omittãtur in admiſſione tã ad habitũ, quã ad profeſſionem.*

QVÆRES I. Quæ informationes fieri debeant à Regularibus antequam admittant Nouitios ad habitum religionis,

1 ℞. Debere fieri eas, quæ in Conſtit. Sixti V. in ordine 71. præſcribuntur his verbis: *Perpetuò ſtatuimus, & ordinamus iuuenes, aut viros adultos maiores 16. annis non aliter in aliquam religionem recipi poſſe, nec debere, niſi priùs de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum ſit eos neque aliquorum criminum, qualia ſunt homicidia, furta, latrocinia; vel alia ſimilia, aut grauiora, reos vel ſuſpectos exiſtere vt proptereà dãnati ſint aut ne damnentur, formident, neque ingenti ære alieno ſupra vires facultatum ſuarum grauatos, vel reddendis ratiocinijs ita obnoxios, vt ex huiuſmodi cauſa, lis, vel moleſtia eis iam illata, vel timendum ſit, ne inferatur: niſi denique conſtet ipſos non humana aliqua ratione, ſed tantùm deuotionis, & pietatis feruore vitam religioſam ſponte, & ex animo elegiſſe, deque his omnibus in generali, vel prouinciali Capitulo plena, & indubitata fide facta tam Superioris generalis, ſeu prouincialis quam Definitorum conſenſu approbati, & ad habitum regularem admiſſi fuerint; omnes autem, & quoſcumque vt dictum eſt, & criminoſos, vel ſuſpectos, aut æri alieno, vt etiam diximus, vel rationibus reddendis obligatos ad religionem perpetuò inhabiles declaramus.* Ita Sixtus V. qui hac ſua Cõſtit. ſimul pręſcribit modũ, ſeu formã recipiẽdi, & ſtatuit, à quo fieri debeat receptio; vt cõſtabit ex dicẽdis in ſequentibus quęſtionibus.

QVÆRES II. An iſtæ informationes ſumi debeant de quocumq; petente admitti ad religionẽ.

2 ℞. Non debere ſumi, *niſi* de iuuenibus ſæcularibus, qui ſunt maiores 16. annis, & tunc primò fiunt religioſi: vnde fit, vt, ſi quis Religioſus ab vno Ordine tranſeat ad alium, non ſit opus præmittere dictas informationes: vt pote quæ probabiliter ſupponi poſſunt factæ, quando admiſſus eſt in priorem Ordinem: ſi quidem bulla Sixti V. clarè loquitur de ſolis iuuenibus ſæcularibus primò receptis ad habitum Ordinis, & cùm ſit odioſa, non debet extendi ad caſus in ea non comprehenſos. Ita *Rodriq. tom. 3. q. 10. art. 13. Portel. de dub. regul. v. nouitius nu. 8.* & alij, quos puto poſſe intelligi etiam de Nouitio tranſeunte ab vno Ordine in alium, nulla poſita intercapedine, non autem ſolùm de Religioſo profeſſo modo dicto tranſeunte: idque ob rationem modò adductam, & ob doctrinam generalem, quòd in odioſis ſtricta ſemper debet fieri interpretatio.

3 Adde quòd, ſi admittẽdus degat in terris longinquis, tunc non eſt opus præmittere adeò exactam informationem: & hoc ex Conſtit. Sixti V. declaratoria id diſertis verbis explicante, vbi notat *Rodriq. ſup.* eam dici patriam longiſſimè remotam, ad quã intrà annum non poteſt quis ire, ac redire, niſi cum magna difficultate: monetque quò ad hos ſufficere, quòd informatio capiatur ab ijs, qui in hiſce noſtris regionibus exiſtentes illos ſpecialiter nouerant.

Vtrùm verò pręfatę informationes ſumi debeant in caſu, quo admittendus aliunde cognoſcitur ſufficienter quò ad omnes conditiones.

4 ℞. *Suar.*

4 ℞. *Suar.to.4.de Rel.tr.10.l.2.c.3.nu.3.* in tali caſu ceſſare neceſſitatem alterius diligentiæ, ſolumque oportere obſeruare certitudinem, vt non priuato affectu, ſed intuitu maioris boni tam Religionis, quam nouitij receptio fiat, vel denegetur: probatq. tum quia ſic ceſſat finis Conſtitutionis Sixti Quinti, adeòque ceſſat eius obligatio, cùm ceſſet obligatio legis, ceſſante illius fine, etiam ſolùm in particulari, vt oſtendit *Diana p.2.tr.10.reſol.*28. pro ſe adducens alios 10. Doctores; tum quia *Portel.ſup.n.6.ex Rodr. to.3.q.54.a.4. Diana p.3.tr.2.reſol.83. & Vecch. apud ipſum* non improbabiliter docent Prælatos admittentes ad religionem Nouitios non præmiſſis ſupradictis informationibus euadere pęnas latas à Sixto V. ſi admiſſi reuera careant omni impedimento: ſiquidem textus ſolum ligat eos, qui recipiunt criminoſos: perinde verò ſe haber admittere carentem omni impedimento ſine præſcripta informarione, ac admittere eum, qui ſine informarionibus aliunde cognoſcitur non habere vllum impedimentum: vnde ſi in priori caſu non violatur bulla Sixti V. nec violatur in iſto poſteriori; cùm par ratio militet in vtroque, vt conſtabit conſideranti.

QVÆRES III. An Regulares omnium Ordinum teneantur præmittere iſtas informationes in recipiendis Nouitijs.

5 ℞. Teneri, niſi fortè habeant aliquod ſpeciale priuilegium, per quod à tali obligatione eximantur; quale habent Ieſuitæ à Gregorio XIV. die 30. Aug. 1601. per bullam his verbis *Societati prædictæ, vt ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam in Nouitijs etiam cuiuſuis generis illegitimis admittendis, quam in diſpenſationibus ad qualibet officia, gradus, & dignitates in Soc. obtinenda ipſis cuiuſuis generis illegitimis concedendis formam, & rationem omnimodam in illius apoſtolicis diplomatis, ac priuilegijs quibuſuis, nec non & in conſtitutionibus, decretis, & regulis expreſſam liberè, & licitè proſequi, & retinere valeat, apoſtolica auctoritate decernimus, & quatenus opus ſit, etiam de nouo concedimus, & indulgemus, eamque perpetuò obſeruari volumus, & mandamus: prædictis ac noſtra nuper edita, quæ incipit circumſpecta, alijſque Conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis non obſtantibus quibuſcumq;* Ratio autem reſponſionis eſt, quod bulla Sixti V. loquitur generaliter, cum dicat non aliter in aliquam religionem recipi poſſe, nec debere: lex autem generaliter loquēs generaliter debet intelligi, & vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Quamquam, ſi Religioſi aliorum Ordinum volunt vti iſta conceſſione Gregorij XIV. non video, cur eis debeat id denegari, cum per communicationem ipſis ſit communis; eſtò ex peculiari ratione gubernationis, quam ſeruat Soc. Ieſu, ei magis ſit neceſſaria, ac conueniens, vt expreſsè dicitur in præfata bulla Gregorij XIV.

QVÆRES IV. Qualis informatio ſumi debeat de patria, & parentibus illius, qui petit admitti ad Religionem.

6 ℞. Ex vi Conſtit. Sixti V. non eſſe opus inquirere ſpeciales qualitates patriæ, aut parentum: v.g. vtrum parentes ſint pauperes, an diuites, nobiles, an ignobiles, matrimonio coniuncti, an ſoluti: nihil enim tale ibi dicitur; ſed ſolum vt inquiratur de eorum patria, & parentibus: vnde ſufficit interrogare, quæ ſit patria, & qui parentes; vt hinc conſtet de recipiendo, cuias ſit, & quorum filius, ſicque certior notitia de eo habeatur, Vnde fit, vt ſi poſt talem inquiſitionem nihil inueniri poſſit de patria, & parentibus (vt ſi is, de quo inquiritur, ſit expoſitus) is nihilominus recipi poſſit in religionem: ſiquidem in citata Conſt. non dicitur vt aliquid innoteſcat quò ad parētes, & patriam, ſed ſolum vt diligenter inquiratur; pterquā quòd ex tali inquiſitione ſaltem conſtabit recipiendum parentes incertos, & incognitos habere, & cùm iuxtà ius commune ex hoc capite nihil mali præſumi debeat in recipiēdo, non eſt, cur is impediatur ab ingreſſu religionis; præſertim cum verba illa, quæ ſubduntur in prædicta Conſt. *vt accurata informatione exploratum ſit*, ſolùm ad mores recipiendi referantur, vt clarè colligitur ex textu. ita *Suar.to.3.de relig.l.5.c.10.n.12.&* 13. addens idem dicendum eſſe, etiam in caſu, quo per diligentem inquiſitionem inueniri non poſſit legitima filiationis probatio, ſiue ob terrarum diſtantiam, ac difficilem acceſſum, ſiue ob aliud impedimētum: nihilque certè haberi poſſi: de patria, idque ob rationem ſuperiùs adductam, & ob declarationem ipſiuſmet Sixti V. qui in Conſt. ſua declaratoria loquens de exteris, & aduenis longiſſimè à patria degentibus, vel quorum patria eſt impedita, ait; quamuis non liquido conſtet de his omnibus, quæ in Conſtit. requiruntur, tamen ſi diligentia adhibita, nihil appareat, quod eos impediat; recipiendos eſſe.

Quòd ſi quæras, an ſit neceſſe, vt etiam in præſentia fiat dicta inquiſitio de parentibus Nouitij recipiendi, ſtante quòd videtur ceſſaſſe finis talis inquiſitionis, nimirùm vt conſtet recipiendum non eſſe illegitimum cum Sixti Conſtit. prohibens illegitimos recipi in Religionem, quò ad hoc ſit ablata.

7 ℞. Eſſe, adeòque dictam inquiſitionem nullo modo omitti debere: cum Papa abſolutè illam requirat, nec declaret illum fuiſſe adęquatum finem talis præcepti; & alioquin poſſit deſeruire ad alios effectus: videlicet ad certiorem perſonæ recipiendæ cognitionem, eiuſque mores meliùs cognoſcendos.

QVÆRES V. Quæ, & qualis inquiſitio ex Conſt. Sixti V. fieri debeat de anteacta vita, & moribus Nouitij recipiendi.

8 ℞. Quòd cùm ibi dicatur, *deque anteacta vita diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, ac exploratum ſit*, debet fieri diligens inquiſitio, quæ ſufficiat ad fidem humanam faciendam: qualis eſt duorum, aut trium teſtium, qui abſque ſuſpicione ſint, & iuridicè cum iuramento interrogentur ab aliquo fideli miniſtro ad id deputato per Prælatum regularem. Ducor, quod verba Papæ, non debent præſumi continere puram exagerationem; & aliàs in quolibet negotio ea cenſetur moralis diligentia ſufficiens, & in humano iudicio cum proportione ſufficit ad fidem faciendam. ita *Suar. num.* 14. qui benè notat, quòd cùm in verbis adductis non petatur quòd aliquid boni poſitiui (vt ſic dicam) probetur de tali forma, ſed ſolùm vt conſtet recipiendum non eſſe criminoſum

ſum; ſiue id fiat per poſitiua teſtimonia affirmantia talem perſonam non habere talia crimina (quod eſt valdè difficile) ſiue quia teſtes aſſerant ſe neſcire in tali perſona extare vllum ex dictis criminibus, cùm alioqui profiteantur ſe illius mores bene noſſe: qui modus probandi eſt facilior, & pro materiæ qualitate ſatis probabilis, ſi aliàs adſit ſufficiens teſtium numerus.

9 Vnum hìc benè monet *Lezana to.1.c.24.num.16.* ad hoc vt aliquis ex vi bullæ Sixti V. excludatur à Religione tanquam criminoſus, non ſufficere, quòd commiſerit crimina recenſita in dicta Conſtit. ſed requiri, quod conſtet actis publicis Iudices, & curiam ſæcularem ante ſuſceptionem habitus, de aliquo tali crimine aduerſus eum accuſationem ſuſcepiſſe, vel inquiſitionem inſtituiſſe; idque ex Conſtit. declaratoria eiuſdem Sixti, qui ſic moderatus eſt priorem illam ſuam Conſtitutionem; Quamquam in caſu, quo quis per calumniam fuiſſet iniuſtè inquiſitus de aliquo graui delicto, ſi poſtea conſtaret illum fuiſſe innocentem, non ideò excludendus eſſet à Religione; cùm talis caſus non comprehendatur in præfata Conſtit. Sixti; quod in ſpecie notat *Peyr. ſup. q.3.c.1.n.7. ex Suar. Sanch. Rodriq. Mir. & Portel.* addens ex *Suar. & Vecch.* idem proportionaliter aſſerendum etiam in caſu, quo quis iuridicè de delicto conuictus, & ad pęnam damnatus illam iam impleuit, & tã Reipub. quã parti lęſæ ſatisfecit; intentio enim Papæ ſolùm eſt præcauere, ne colore religionis criminoſi maneant impuniti; Addit *Suar. c.7.n.19.* non debere excludi à Religione eum, qui commiſit reuerà aliquod ex illis delictis, & de eo inquiſitus iuridicè illud negauit, ſicque fuit abſolutus: ratio eſt, quòd eiuſmodi delictum in his circumſtãtijs reputatur occultum, & accuſatio, aut inquiſitio, cùm iam per abſolutionem ſit terminata, perinde eſt, ac ſi non præceſſiſſet.

10 Quin etiam notat *Peyr. ſup. n.7.* ad hoc vt criminoſi ex vi Conſt. Sixti V. ſint inhabiles ad religionẽ, quatuor requiruntur: 1. vt actis publicis conſtet de accuſatione, & inquiſitione eorum: 2. vt contra eos in particulari ſit inquiſitum: 3. vt hæc ſecuta ſint ante ſuſceptionem habitus: 4. quod facta ſint coram Iudice laico. Vnde fit, vt ſi quod horum deſit, recipiendus non ſubiaceat Conſtitutioni Sixti V. quę cùm ſit odioſa, & valdè exorbitãs à iure communi, non debet ampliari, ſed reſtringi, quantum patitur proprietas verborum.

QVÆRES VI. Qualiter iuxtà Conſtit. Sixti V. conſtare debeat, quòd recipiendus ad religionem ducatur bono ſpiritu, eligatque religionem ſpontè, & ex animo.

11 ℞. Poſſe conſtare tum per probationem negatiuam, quatenus ij, qui illum norunt, teſtificantur ſe nihil tale, ſeu alienum à diuina vocatione de eo vnquam audiuiſſe, nec ipſis ſubeſſe aliquam rationem, ob quam id ſuſpicari poſſint; tum per coniecturas, eo quòd poſt prudentem examinationem factam per miniſtros Ordinis prudenter iudicatur nullam adeſſe rationem probabilem ſuſpicandi vocationem illius eſſe ab humano, vel à malo ſpiritu; cum enim vocatio ex obiecto ſit bona, & pertineat ad Spiritum S. dici poteſt conſtare, quod ſit talis, quamdiu oppoſitum non probatur, nec in probabilem ſuſpicionem venit.

QVÆRES VII. An, & quomodo, attenta Conſt. Sixti V. in præſentia neceſſe ſit ad nouitiorum receptionem, vt ſupra dictorum omnium plena, ac indubitata fides fiat in Capitulo, ſiue generali, ſiue prouinciali,

12 ℞. Non eſſe, cùm ipſemet Sixtus in alia ſua Conſtit. declaratoria conceſſerit, vt ſumptis debitis informationibus, nouitij recipi poſſint ad habitum quocumque tempore à tribus deputatis per Capitulum prouiciale, aut etiam locale Capitulũ, vt diximus *c. præc. q.4.* pręter quàm quòd ad talem effectum plura, & varia priuilegia conceſſa ſunt Regularibus, vt videre eſt *citato q.4. & in hoc ipſo c. q.3.* quare hoc tempore, ſtando in iure communi, poſſunt nouitij admitti, etiam extrà tempus Capituli prouincialis, nec opus eſt, vt præfatæ informationes mittantur ad prouinciale Capitulum, dummodo cætera ſeruentur, prout dictum eſt in præcedentibus qq.

QVÆRES VIII. An receptio Nouitij facta ſine ſupra dictis informationibus ſit valida, ſtando in iure communi.

13 ℞. Eſſe attenta bulla Clementis VIII. in ordine 83. qua moderatus eſt bullam Sixti V. irritantis eiuſmodi receptionem in hæc verba: *Si qui eorum contra præſentem noſtram Conſtit. temerè admittentur, tam ſuſceptionem habitus, quam profeſſionem exinde ſecutã ex nunc pro vt ex tunc pariter annullamus, & irritamus.* Vbi notat *Suar. ſup. c.10.nu.21.* particulam illam *temerè* quo ad receptionẽ id operari, vt quamuis receptio facta contra tenorem dictæ Conſt. bona fide, & ex ignorantia ſit aliquo modo inualida, quamdiu ſcilicet non ſuppletur defectus in ea commiſſus, non eſt ita inualida, quin cognito defectu, eoque ſuppleto, incipiat eſſe valida, ideſt ſufficiens, vt ab ea computari poſſit annus nouitiatus: hoc enim videtur intendiſſe Sixtus in Conſt. declaratoria, dum ait *non aliàs admittendos eſſe ad profeſſionem, quàm facta inquiſitione, & ſeruata forma in ipſa Conſtit. præſcripta*: quaſi dicat, facta inquiſitione, poſſe ſtatim admitti ad profeſſionem, non expectata noua receptione; quod non euenit in profeſſione facta abſque prædicta informatione (quantùm colligitur ex præſata Conſt. declaratoria:) ſi quidem talis profeſſio ita eſt nulla, vt quamuis bona fide fiat, nihilominus, etſi poſtea ſuppleatur defectus, maneat inualida. vt conſtat ex illis alijs verbis, quæ habentur in eadem Conſtit. declaratoria: *Et eorum, qui etiam ignoranter non habita dicta inquiſitione, & non ſeruata forma ad profeſſionem admiſſi fuerint, profeſſionem nullius eſſe roboris, aut momenti*: vnde quo ad profeſſionem nihil operatur particula *temerè* ſic declarante Papa, ſiue ea fuerit declaratio, ſiue additio. ita *Suar. num. 22.* monens, quod ſi receptio fiat contra præſcriptam formam temerè, ea ſimpliciter eſt nulla; ita vt, licet poſtea inquiſitio fiat, prior receptio nihil valeat ad computandum nouitiatum; idque ſtando tum in priori Conſtit. Sixti, tum in eius declaratoria. Dixi, *quantùm colligitur ex præfata Conſtit. declaratoria*, vt innuerem, quòd ſi præciſè attendatur Con-

ſtitutio

ſtitutio prior Sixti, tunc dicendum eſt non eſſe inualidam receptionem, quæ contra formam dictæ Conſtitut. fiat bona fide, & ex probabili ignorantia, immò nec profeſſionem, cùm ſic receptio nequeat dici temeraria: quod tamen in dicta Conſtit. præſupponitur ad hoc vt inualida ſit receptio, & profeſſio, vt aduertit idem *Suar. vbi ſup.n.21.*

14 Difficultas eſt quo modo receptio nouitij dicatur inualida ob ſolum defectum in modo recipiendi; ſtante quòd ante verba, quæ in bulla Sixti indicant eiuſmodi inualiditatem: *Si qui eorum verò contra præſentem noſtram conſtit. temerè admittentur, &c.* immediatè ante, hæc alia præcedunt *omnes, & quoſcumque vt dictum eſt criminoſos, &c. ad religionem inhabiles declaramus*: ita vt ly *eorum* videatur reſpicere tantum criminoſos; & conſequenter receptio tunc demum cenſenda ſit inualida, quando receptus eſt modo dicto criminoſus, non item, ſi ſolum interueniat defectus in modo recipiendi, cùm aliàs receptus ſit habilis.

15 Verùm obſtat bulla Sixti declaratoria §. 12. vbi declaratur omnem receptionem ad habitum regularem factam nō ſeruata illa forma eſſe inualidam: & ſic dicendum eſt ly *eorum* non referri ad ſolos criminoſos, & inhabiles, de quibus proximè præceſſerat ſermo, ſed ad omnes, qui admittuntur ad religionem poſt annum 16. vt vel hinc patet, quòd, ſi ibi eſſet ſermo ſolū de inhabilibus, non erat, cur eorum receptio diceretur nulla: cùm de ſe conſtet receptionem cuiuſcumque inhabilis hoc ipſo eſſe nullam.

QVÆRES IX. Sub quibus pęnis teneantur Regulares præmittere dictas informationes in recipiendis nouitijs.

16 ℞. Teneri ſub pæna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ in perpetuum, dignitatum, officiorum, ſeu graduum, quæ habent, & perpetuæ inhabilitatis tū ad ea, tum ad alia quæcumque impoſterum obtinenda; idque ſiue ſint Superiores, ſiue Religioſi ſubditi, & concurrant ad nouitiorum receptionem, non ſeruata forma Conſtitut. Sixti V. quæ quo ad hanc partem non fuit moderata; quamquam ea loquatur ſolùm de receptione nouitiorum excedentium annum 16. vt colligitur ex eius tenore. patet ex Conſtitut. Sixti V. in ordine 71. & ex dicendis in *tract. de Pænis cap. 6. ſect. 2. quæſt. 12.* ſi moneo cum *Portel. de dubijs regul. v. nouitij informat. num. 5.* probabile eſſe eiuſmodi pænas, (quæ incurruntur ipſo facto) non incurri à Prouinciali recipiente nouitios iuxtà formam Clem. VIII. poſitam *ſ. præc. quæſt. 4.* & committente Prælato locali, vt ſumat ordinarias informationes, (quod ſemper cenſetur committere virtualiter;) ratio eſt, quia Clem. non committit iuramentum exhibendum, & informationes ſumendas niſi Prælato locali, ideoque is ſolùm ſubiacebit pęnis, ſi deficiat in ijs, quę ſpectant ad munus ipſius.

17 Accedit, quòd probabile videtur prę̨fatas pęnas non incurri, ſi Nouitius admiſſus ſine præſcriptis informationibus re vera non ſit criminoſus, nullumque habeat ex impedimentis in Conſtit. Sixti recēſitis. ita *Rodriq. tom. 1. quæſt. 54. art. 4.* & poſt illum *Portell. ſup. num. 6. & Diana p. 3. tr. 2. reſolut. 83.* cum *Vecchio*, patetque quia textus ligat ſolum recipientes criminoſos, & quę clara ſunt, examinatione nō indigent *cap. manifeſta 2. q. 1.* & in notorijs nō ſeruare ordinem iuris ordo eſt *cap. ad noſtram el 3. de iureiur.* quamuis, vt benè notat *Peyr. de R. P. q. 3. cap. 1. nu. 26.* nobiſcum ſentiens, hæc non habeant locum in foro fori, ſed ſolùm in foro conſcientiæ.

18 Addit *Portel. cum Rodriq.* & cum illis *Peyr. n. 25.* dictas pænas non incurri, ſi Prælatus modo ordinario ſumat ſolitas informationes de nouitio recipiendo, & cùm inde iudicio Patrum deputatorum non conſtet recipiendum vllo laborare impedimēto, illum bona fide admittit, &, vbi admiſſus eſt, verè apparet eum pati defectum inhabilitantem ad religionem per bullam Sixti; hæc quippe ſolùm punit recipientes criminoſos temerè: quod non euenit in caſu noſtro, vt patet. In caſu autem, quo Prælatus regularis incurrat tales pænas, eas incurrunt etiam Religioſi cum eo concurrentes ad receptionem ex officio: cùm in textu dicatur *quoſcumq; Religioſos, & eorum Superiores, qui receperint:* non dicitur autem propriè *recipere*, qui id non facit ex officio.

19 Idem putat *Portel. num. 8.* dicendum eſſe in caſu, quo Prælatus regularis cum PP. deputatis iterum recipiat ad Ordinem Religioſum incorrigibilem, & criminoſum aliàs eiectum, eò quòd credat ipſum eſſe emendatum: nimirum non incurrere pænas latas contra recipientes criminoſos; nam Sixtus in ſua conſtitut. loquitur ſolùm de iuuenibus ſęcularibus primò receptis ad habitum, & cùm iſta lex ſit pęnalis, non debet extendi ad recipientes iam profeſſum in religione; quod euenit in caſu noſtro.

QVÆRES X. Per quos debeant ſumi eiuſmodi informationes.

20 ℞. Si quidem receptio Nouitij fiat iuxtà formam Conſt. Clementis VIII. relatam q. 4. debere fieri per Religioſum eiuſdem Ordinis deputatum à Superiore locali: ſic enim ſtatuit Clem. vt conſtat ex textu; ſi vero fiat receptio iuxta formam Conſt. Sixti V. poſſunt fieri informationes per Iudices tàm Eccleſiaſticos, quàm ſæculares: dummodo examinanda proponantur ijs, ad quos ſpectat nouitium recipere, & ipſa informatio ſit iuridica, nempe facta per 2. aut 3. teſtes iuratos, qui iurent in tali perſona à ſe benè cognita non extare vllum ex impedimentis contentis in Conſt. Sixti; patet quia in Conſt. Sixti non exprimitur à quo debeant ſumi tales informationes, ideòque poſſunt ſumi tum per Iudicem eccleſiaſticum, aut ſæcularem, vt iam diximus; tum per aliquem Religioſum ad id ſpecialiter deputandum ab ijs, qui habent poteſtatem recipiendi nouitium: qui Religioſus deputatus poterit coram Notario ſæculari; aut religioſo, aut etiam per ſe ipſum examinare teſtes etiam ſęculares abſq; ſtrepitu iudicij, eiſque iuramentum imponere ſine facultate Ordinarij, ſicque ſumere prædictas informationes, eas poſtea præſentando illis, qui de ijs debent conſultare iuxta ſupra dicta. ita *Portel. ſup. q. 3. Peyr. n. 29. 30. 31.* alijque penes ipſum.

Vtrum verò ſufficiat, quod eæ informationes ad inſtantiā nouitij fiant à Iudice ſæculari, antequam ille recipiatur ad Religionem.

℞. Por-

21 ℞. *Portel.* quòd, cùm Sixtus non limitet, neque exprimat, à quo Iudice fieri debeant tales informationes, & ſolùm requirat, quòd certò conſtet nouitium carere impedimentis inhabilitantibus ad religionem; probabile eſt, quod dictæ informationes ſufficerent ad recipiendum nouitium ſine periculo incurrendi pænas *quæſt. præcedenti* adductas. Secùs, ſi admiſſio facienda eſſet iuxtà formam Clementis, de qua ſupra, tunc enim informatio debet ſumi per religioſum eiuſdem ordinis, cùm id expreſsè ſtatuerit ipſe Clem. vt iam vidimus.

22 Et quidem quod hæ informationes debeant ſumi per teſtes iuratos, conſtat ex eo quòd teſtes ſine iuramento non faciunt fidem, vt aduertit *Gloſſa in cap. cum olim v. fratrum de priu.* & habetur in *cap. tuis, cap. nuper de teſtam.* immò, cùm tale iuramentum ſit in fauorem religionis, non poteſt omitti, quantumuis partes in id conſentiant: quod ait *Miranda par. 1. quæſt. 21. art. 3. concl. 4. & Peyr. num. 30.* monens ex *Suar. tom. 3. de relig. l. 5. cap. 10. num. 14.* quòd ſi teſtes non iurent perſonam, de qua ſumitur informatio, eſſe ſibi benè notam, nihil probarent, & conſequenter informatio non eſſet ſufficiens.

QVÆRES XI. Circa quæ debeant ſumi dictæ informationes.

23 ℞. Debere ſumi circa ea omnia, quæ exprimuntur in citata Conſtitut. Sixti V. §. 4. (omiſſa tamen inquiſitione legitimitatis natalium, cùm per conſtit. Gregorij XIV. ſuperiùs adductam quò ad hoc ſublata ſit dicta conſtitut. Sixti;) quæ autem ſint ea, de quibus debent fieri tales informationes, dicemus *cap. ſequenti.* Solùm hìc moneo cum *Peyr. n. 33.* quòd, cùm in receptione nouitiorum debeant fieri informationes non ſolùm ſecundùm conſtit. præfatam Sixti, ſed etiam ſecundùm ius naturale, ius cõmune, & ius proprium cuiuslibet ordinis: non eſt neceſſe, quòd eæ fiant iuridicè, niſi quò ad ea, quæ præſcribuntur in conſtit. Sixti, ſufficitq; quod fiãt, itaut conſtet de veritate; vnde nec incurruntur pænæ relatæ *quæſt. 9.* niſi in caſu, quo omittantur informationes præſcriptæ à Sixto, quod eſt benè aduertendum.

QVÆRES XII. Quo tempore ſumi debeant iſtę informationes.

24 ℞. Diſtingnendo: vel receptio fit in terminis conſtitut. Sixti V. & ſic informationes fieri debent, antequam nouitius recipiatur; id enim expreſsè ſtatuitur in citata conſtit. ipſius Sixti §. 4. ijs verbis. *Statuimus, & ordinamus iuuenes, aut viros adultos maiores 16. annis non aliter in aliquam religionem recipi poſſe, niſi, &c.* vel receptio fit in terminis bullæ Clementis Octaui relatę ſup. qu. 4. & ſic ſufficit dictas informationes ſumi, ante quàm Nouitius recipiatur ad profeſſionem; cum hoc tamen, vt ij, quorum intereſt recipere nouitios, non recipiant quemquã ad habitum, niſi priùs iuret ſe eſſe liberum ab omnibus illis impedimentis, quæ in conſtit. Sixti referuntur: vnde & ait ea omnia debent in ſpecie proponi nouitio recipiendo. Vbi notat *Portel. num. 2.* quòd ſi Prȩlatus regularis non exhibeat nouitio recipiendo tale iuramentum, incurrit pænas q. 9. explicatas, peccatque m. vtpote violans bullam Clementis ſupra citatã, quæ loco informationum ex conſtitutione Sixti V. præmittendarum ad nouitiorum receptionem, requirit exhibitionem præfati iuramenti, ac proinde non poteſt omitti ſine culpa graui; quamquam exhibitio talis iuramenti non ſpectet ad Prouincialem, ſed ad Superiorem localem, cùm de hoc, non de illo loquatur bulla Clementis.

QVÆRES XIII. An caſu, quo nouitius recipiendus interrogetur de aliquo defectu graui, & fortè etiam non parùm infamatorio, teneatur nouitius eum aperire purè, ac ſyncerè.

25 ℞. Teneri, patetque ex eo quòd ſicut ſi quis velit cum alio conuenire in emptione equi v. g. & eius conditiones inquirat, quæ ad rem faciunt, & ſpectant ad ſuam commoditatem, ac vtilitatem, tenetur verum fateri: ita & in caſu noſtro hoc ipſo quod Nouitius recipiendus vult quaſi pactum inire cum Religione, quam intendit ingredi, ideòque voluntariè ſe ſubijcit examini, iuſtè interrogatur, ac proinde tenetur fateri veritatem; alioquin dari poſſet quaſi bellum ex vtraque parte iuſtum: quod negant DD. communiter, niſi in caſu ignorantiæ probabilis, quæ tamen in præſentia non habet locum. ita *Suar. to. 4. de Rel. tr. 10. l. 2. c. 3. nu. 5.* addens hac in re tantam ſubeſſe obligationem, vt ſi nouitius nimium in hac falſitate excederet decipiendo religionem in rebus grauioribus, & quę perſonam redderent omninò inhabilem ad talem religionem, fieret receptio nulla: cùm ſic Religio decepta in re ſubſtantiali non cenſeatur conſentire receptioni, tali ignorantia cauſante inuoluntarium, & aliàs deficiẽte legitimo conſenſu recipientis receptio ſit inualida iuxta *cap. vlt. cum Gloſſa de reg. in 6. cum Suar.* ſentit *Sanch. l. 4. mor. c. 16. n. 35.*

26 Nec obſtat, quod nemo tenetur detegere propriam turpitudinem, ſe ipſum infamando, ſi quidem in noſtro caſu nulla, vel certè leuis ſequitur infamatio: cum is, cui modo dicto detegitur defectus, vi ſecreti naturalis non poſſit illud alteri manifeſtare; & alioqui infamatio, quæ fit apud vnum, aut alterum tantùm, qui perinde ſe habebunt erga infamatum, ac ſi nihil ſcirent, non cenſetur notabilis (vt docent *apud Leſſium l. 2. c. 11. d. 11. Nauar. Caiet. Cordub. & P. Nau.*) & ſi eſſet notabilis, debet poſtponi communi bono Religionis, quod ſine dubio præferri debet famę perſonæ priuatę; prȩter quam quòd volenti, & conſentienti non fit iniuria: qui autem vult admitti in Religionem, & petit admitti, ſpontè ſe ſubijcit huic incommodo detegendi proprios defectus; ſicque cedit iuri ſuo iuxtà illud; *qui vult finem, vult conſequentia ad finem.* qua de re *Portell. p. 1. caſu 8. nu. 7. & Bordonus ca. 4. de profeſſ. q. 54.*

QVÆRES XIV. An caſu, quo quis occaſione dictarum informationum interrogatur de vita, & moribus nouitij recipiendi, poſſit detegere defectus illius graues, & quidem etiam infamatorios, ſiue naturales, ſiue morales.

27 ℞. Poſſe, immò & teneri ex charitate. ratio eſt, quia nemo habet ius tuendę famę cum damno graui alterius inde iniuſtè conſequenti; & vnuſquiſque ius habet ad detegendum id, quod in ſua cognitione abditum tenet, ſi ex occultatione alijs damnum proue-

proueniat: ſi enim quiſque id poteſt facere ad auertendum proprium damnum, cur nõ etiam ad auertẽdum damnum alterius, & maximè alicuius communitatis? hæc autem eueniunt in caſu noſtro, vt patet: ita in terminis, *Leſſ. ſup. d. 9. n. 59.* dicẽs quòd, quando agitur de officio, ac beneficio conferendo, de matrimonio contrahendo, de Religione ſuſcipienda, ſi quis ſciat iuſtum aliquod impedimentũ, vnde timeri debeat aliquod notabile incommodũ, poſſunt aperiri occulta delicta illius, de quo agitur.

QVÆRES XV. An caſu, quo Nouitius ante receptionem interrogatus ſuper impedimentis ſtatutis in ordine quò ad recipiendos, aliquod ex illis taceat, expelli poſſit ab Ordine, etiam ſecuta illius profeſſione.

28 ℞. Poſſe ex priuilegio bullato Leonis X. conceſſo Fratribus Minoribus die 15. Martij 1516. & relato à *Peyrino* loco mox citando, vt Generales, & Prouinciales Ordinis etiam profeſſos, qui grauiſſimis, & ſcandaloſis delictis notati, & diffamati fuerint, quæ fraudulenter, ac doloſè in eorum receptione, ac profeſſionis emiſſione (monitione ſuper his per prædictos Prælatos præmiſſa) tacuerunt, non obſtante, quòd iam recepti ſint, & profeſſionem emiſerint, à domibus, & conuentibus ordinis expellere, & remouere liberè, & licitè poſſint, & valeant, pro vt cõſcientijs prędictorũ Superiorũ viſũ fuerit iuſtũ, & honeſtũ: ne morbida, & infecta pecus ouile Dñi corrũpat, & vt alijs cedat in exẽplũ. Vbi notat *Peyr. de R. S. q* t. *c. 25. §. 3. ex Rodriq. to. 3. q. 17. ar. 9.* ad hoc vt vi præſentis Conſtitut. expelli poſſint præfati Regulares, non eſſe opus, quòd eorum delicta ſint per accuſationem, denuntiationem, aut inquiſitionem deducta in iudicium (quo modo requiritur ex vi Conſtitut. Sixti V. iuxtà dicta *q* 5.) ſed ſufficere, quòd de ijs fuerint diffamati, & notati; non ideò tamen eorum profeſſionem hoc ipſo cenſendam eſſe irritã; cùm vi huius priuilegij ſolùm concedatur, vt præfati Religioſi expelli poſſint ab Ordine, non autem quòd eorum profeſſio declaretur irrita, ſicuti ſtatuerat Sixtus in illa ſua Conſtit. quam tamen quo ad hoc moderatus eſt Clem. VIII. vt conſtat ex dictis *q.* 8.

An verò in caſu, quo Religioſus virtute ſupra dicti priuilegij expellendus ſit a religione, ſeruandum ſit in eius expulſione decretum *Concilij Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 19. quòd quicumque Regularis prætendat ſe per vim, aut metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, veliτque habitum dimittere quacumque de cauſa, &c. non audiatur, &c. niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario.*

29 ℞. Tale decretum non eſſe ſeruandum: quippe quod loquitur de caſu, in quo profeſſio ſit irrita, non quidem ex ſtatutis religionis à Papa confirmatis (vt euenit in præſenti euentu) ſed ex cauſis irritantibus profeſſionem de iure: ſicut colligitur ex exemplis, quæ ibi afferuntur, vt quòd profeſſio fiat ante debitam ætatem, vel metu graui, aut dolo. ita *Peyr. ſup. §. 4. ex Rodriq. Nau. Mir. Gerald. Sanch. & Zach.* hinc inferens cum *Sanch.* eiuſmodi Religioſos, etiam poſt quinquennium poſſe eijci, & debere audiri, ſi reclament, non obſtante decreto Concilij Trid. id prohibente: idque ob rationem allatam.

30 Nec obſtat decretum Sacræ Congreg. 5. Ianu. 1636. iuſſu Vrb. VIII. editũ, & à nobis relatũ in *tract. hac c. 1. q.* 18. quo vniuerſi Regulares nullitatẽ profeſſionis prętendẽtes prohibẽtur reclamare coram proprio Superiore, ac Ordinario, etiam intra quinquennium; ſi quidem neque iſtud Decretũm procedit in noſtro caſu, cùm loquatur expreſsè de ijs, qui contra formã decretorum Clementis VIII. recepti, aut profeſſi ſunt in Conuentibus non deſignatis, ideòque intendunt reclamare: qui caſus eſt valdè diuerſus ab eo, de quo in præſentia loquimur, vt patet.

QVÆRES XVI. An ſupradictæ informationes fieri debeant ſolum in receptione nouitiorum ad habitum, vel etiam in admisſione ad profesſionem.

31 ℞. Sufficere quòd fiant in receptione ad habitum, adeòque ſi tunc factæ ſint legitimè, non eſſe opus eas repetere, quando Nouitius admittitur ad profesſionem: alioqui eæ eſſent omninò inutiles, cùm tamen nulla lex obliget ad actum inutilem. Secùs, ſi non ſint factæ, quo tempore Nouitius recipitur ad habitum; tunc enim ſine dubio fieri debent in ipſa admisſione ad profesſionem, cũ onus eas faciendi in receptione ad habitum non ſit ad finiendam, ſed ad ſolicitandam obligationem, ac proinde adſtringat, etiam pro tempore, quo fit receptio ad profeſſionem; præſertim cùm finis eiuſmodi informationum maximè reſpiciat tempus admiſſionis ad profeſſionem; ſtante quòd per eam receptus incorporatur Religioni, fitque membrum illius, ſiue bonum, ſiue malum iuxtà ipſius ſtatum, & conditionem, ſiue bonam, ſiue malam: quod poſtea cedit in bonum, aut malum ipſius religionis, in quam quis per profeſſionem modo dicto recipitur.

Vtrum verò in caſu, quo quis recipiatur tum ad habitum, tum ad profeſſionem religionis ſine debitis informationibus, bis incurrãtur pœnæ latæ cõtra omittentes dictas informationes in recipiendis nouitijs ad religionem, nimirum tam in receptione ad habitum, quàm ad profeſſionem.

32 ℞. Probabile eſſe bis incurri: cùm Sixtus V. in ſua bulla dicat non aliter (.i. quam præmittendo informationes ab ipſo præſcriptas) iuuenes, aut viros adultos maiores 16. annis *in aliquam religionem recipi poſſe, nec debere*: & infrà loquendo de ſupradictis pęnis ſubdat, *quoſcumque Religioſos eorumque Superiores, qui aliquas perſonas, vt dictum eſt, inhabiles receperint*, nulla diſtinctione facta inter recipere ad habitũ, & recipere ad profeſſionem: cùm tamen verbũ *recipere* de ſe ſit indeterminatũ ad ſignificandam tam receptionem ad habitum religionis, quàm receptionem ad profeſſionem, & de ſe vtrumque ſignificet, quando conditio materiæ, de qua agitur, vtrumque admittit: vt in caſu noſtro, in quo cùm lex generaliter loquatur de receptione, generaliter debet intelligi: præſertim cùm finis ipſius legis, vnde legum interpretatio deſumitur, non minùs militet in receptione ad profeſſionem, quàm in admiſſione ad habitum, vt iam dictum eſt. Quod idem puto proportionaliter dicendum in euentu, quo

rece-

receptio nouitij fiat iuxtà conceſſionem Clementis Octaui de qua *q.4. & 12.* cùm ſit eadem ratio; niſi quòd ſtando in terminis iſtius Conſtitut. loco informationum, quas Sixtus V. præcipit fieri ante receptionem ad habitum, præmittitur exhibitio illa iuramenti, de qua diximus citato *q.12.*

CAPVT IV.

Quinam admitti poſſint, vel non poſſint ad Nouitiatum Religionis ſtando in iure tum naturali, tum humano.

1 *AD religionem admittendi ſolum idonei.*
2 *Et quidem cum magno delectu.*
3 *Regulariter expedit illos eſſe ætatis paulò prouectioris.*
4 *Cæteris paribus expedit eos eſſe nobiles, potentes, ac diuites, etſi in Soc. Ieſu habentes maioratum in Hiſpania non recipiantur abſque Generalis licentia.*
5 *Communiter non expedit nouitios recipi, inuitis parentibus.*
6 *Impuberes non recipiendi ſine conſenſu parentum.*
7 *Recipi poſſunt viri facinoroſi; ſed non poſt Sixtum V.*
8 *Recipiendi, etiam ex nationibus extraneis.*
9 *Item ex nationibus barbaris.*
10 *Non recipiendi carentes vſu rationis.*
11 *Recipi poßunt iuncti matrimonio non conſummato.*
12 *Immò, & in caſu, quo matrimonium per vim, aut metum conſummetur.*
13 *Item ſi conſummatum ſit, ſed non ex parte fœminæ.*
14 *Item ſi ſit conſummatum ex parte vtriuſque coniugis; at aliquibus ſeruatis.*
15 *Tenet receptio coniugis facta ſine conſenſu alterius coniugis, ſi is poſtea conſentiat.*
16 *Reuocari poteſt licentia data coniugi ad ingreſſum religionis.*
17 *Tria requiruntur, vt coniux conſummato matrimonio, recipiatur.*
18 *Tenet profeſſio coniugis modo dicto recepti, etſi alter coniux iuuenis maneat in ſæculo.*
19 *Idque iuxtà aliquos procedit de fœmina quinquagenaria.*
20 *Vxore ingrediente, vir, ſi ſit ſenex, poteſt manere in ſæculo.*
21 *Imo, ſi ſit iuuenis, ſufficit illum ingredi Ordinem militarem S. Ioannis.*
22 *Coniuge adulterante, coniux innocens recipi poteſt ad religionem.*
23 *Ingredi poſſunt ſponſi de futuro, etiam iurati.*
24 *Tale enim iuramentum eſt virtualiter conditionatum.*
25 *Nequit ingredi ſponſus de futuro, qui ſub ea ſpe puellam deflorauit, & hoc in duobus caſibus, qui afferuntur.*
26 *Recipi poſſunt profeſſi alterius Ordinis, ſed de conſenſu prioris Ordinis.*
27 *Si tamen recipiatur, receptio non eſt abſolutè nulla.*
28 *Regulariter non expedit recipere religioſos aliorum Ordinum.*
29 *Idque ob varias rationes, quæ adducuntur.*
30 *Sine licentia Papæ non recipiuntur Epiſcopi.*
31 *Habens votum religionis illicitè acceptat Epiſcopatum.*
32 *Alumni Collegij Anglicani Romæ erecti recipi nequeunt ad religionem ob iuramentum ab ipſis de hoc factum.*
33 *Tenet iuramentum non ingrediendi religionem inſcio Superiore ſuo.*
34 *Eius tamen obligatio non eſt perpetua.*
35 *Recipi poſſunt Alumni Seminarij, etſi dent fideiuſſionem ſe non deſerturos ſtatum clericalem.*
36 *Statui poteſt, quòd Alumni Seminarij religionem ingredientes teneantur de alimentis.*
37 *At id regulariter non expedit.*
38 *Recipi nequeunt ad religionem ſerui propriè dicti.*
39 *Item nec poſſunt recipi filij, qui habent parentes indigentes.*
40 *Triplex neceſſitas ſpectari poteſt in parentibus.*
41 *Aſſertio non procedit quo ad alios conſanguineos.*
42 *Ex parentum neceſſitate ſuſpenditur obligatio voti religionis.*
43 *Habens filios indigentes non ſemper admittitur ad religionem.*
44 *Item nec habens fratres indigentes.*
45 *Impletio voti religionis non differtur ob indigentiam fratrum.*
46 *Non ſemper excluditur ære alieno grauatus.*
47 *At excluditur, ſi non ſit ſoluendo nec in re, nec in ſpe.*
48 *Secùs, ſi dubitetur, an ſit ſoluendo.*
49 *Debita contracta ex liberalitate non obſtant admiſſioni; quod ſi debitor ex iuſtitia admittatur, non tenetur poſtea laborare, vt ſatisfaciat creditoribus, nec Prælatus tenetur in hoc conſentire.*
50 *Validè admittitur impotens ad ſoluenda debita.*
51 *Admitti poteſt, qui operam ſuam alij promiſit.*
52 *Non item obnoxius ratiociniis reddendis.*
53 *In aliquo tamen caſu poteſt admitti.*
54 *Illegitimi de iure communi poſſunt admitti.*
55 *Et quidem tum licitè, tum validè.*
56 *Non item regulariter impotens ad ſeruandam regulam ex morbo, aut ſenectute.*
57 *Proponitur obiectio, & ſoluitur.*
58 *Omninò illiterati admitti nequeunt.*
59 *Admitti poßet habens votum intrandi Ordinem, etiam ſtrictiorem.*
60 *Idque ex Prælati diſpenſatione conceſſa vi priuilegiorum.*
61 *Admitti poſſunt deſcendentes ex genere maculato.*
62 *Item legitimè eiecti à proprio Ordine, in quo profeſſi ſunt ſi perpetuò eiecti ſint, nec egent licentia Prælati, qui eos eiecit.*
63 *In Soc. Ieſu Generalis ſuos religioſos dimittit ad quemcumque Ordinem.*

QVÆRES I. Quinam vniuersè admitti poſſint, & debeant ad nouitiatum.

1 ℞. Non poſſe, nec debere admitti niſi eos, qui per ſufficientem examinationem ijs dotibus tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus prædìti reperiuntur, vt meritò cenſeri poſſint futuri apti, ac idonei ad finem, ac media religionis, in quam petunt admitti, & in vocatione ſua perſeueraturi; ne aliàs de ijs dicatur: *cœpit ædificare, & non potuit conſumma-*

ſummare; quo modo Nicol.III. in *cap. exijt qui ſeminat §. verum quia de verb. ſignific. in 6.* grauiter commendat Prælatis Minorum, ne indifferenter omnes admittant ad Ordinem, ſed eos tantùm, *qui ſuffragãtibus eis literatura, idoneitate, vel alijs circumſtantijs poſſint vtiles eſſe Ordini, ſibique per vitæ meritum, alijſq; proficere per exemplum*: ſic S.P. Ignatius 1. *p. Cõſt. c. 1. §. 3.* dicit *plurimum referre ad diuinũ ſeruitiũ, conuenientem habere delectum eorum, qui admittuntur, & diligentiam adhibere vt intelligatur, quæ eorum ſint dotes, & vocatio.*

QVÆRES II. An Regulares debeant eſſe faciles in admittendis nouitijs ad habitum religionis.

2 ℞. Non debere: ſiquidem, vt habetur in *cap. cum ſit de æt. & qual.* ſanctius eſt paucos bonos, quàm multos malos habere miniſtros; & teſte *S. Clemente Papa ep. 2.* melius eſt Domini Sacerdotium paucos habere miniſtros, quàm multos inutiles, qui onus graue ordinatori adducant; quod enim ratum eſt, plùs appetitur; diaconos paucitas honorabiles, præsbyteros turba contemptibiles facit *c. legimus d. 93.* Hinc de S. Franciſco referunt fuiſſe ſolitum dicere; *Vtinam Fratres mei eſſent adeò pauci,] vt quando homines viderent, illos mirarentur.* S. verò P. Ignatius 10. *p. Conſtit. §. 7.* ait *vt perpetuò totius huius corporis bonus ſtatus conſeruetur, confert plurimum quod in 1. 2. & 5. p. dictum eſt de turba, & hominibus ad noſtrum inſtitutum ineptis, vt ne ad probationem admittantur.* Bonum quippe Religionum non cõſiſtit in perſonarũ multitudine, ſed probitate, & aptitudine ad miniſteria: præter quàm quòd, vbi multitudo, ibi confuſio, & vt loquitur *Suar. infrà ex Ariſtotele*, plurium multitudo difficilè bona eſt, cum plures ad virtutem ducere arduum ſit; vt proinde dicat *S. Bonau. p. 4. opuſc. in expoſit. regulæ q. 10. Omnes paſſim recipere non expedit nobis, neque Eccleſiæ Chriſti: nobis non, quia variæ ſunt conditiones hominum, qualitates, & mores*; additque q. 19. inter cauſas, ob quas aliqua religio à ſuo primo feruore diſcedit, præcipuam eſſe multitudinem intrantium, ſi non cum magna prudentia recipiantur: qua de re *Suar. to. 4. de relig. tr. 10. l. 2. c. 3. n. 2.*

QVÆRES III. An cedat in maius bonum religionum, quod in eas recipiantur perſonæ minoris ætatis, etiam impuberis, vel certè prouectioris.

3 ℞. Regulariter non cedere, ſed conſultum eſſe, vt recipiendi ſint ætatis paulò prouectioris; idque etſi religio ſit monachalis. Colligitur ex *Suar. to. 3. de relig. l. 5. c. 3.* & probatur tum quia pueri, in religionem recepti non ſunt apti ad labores, & onera religionis, ibique per multos annos coguntur manere otioſi quo ad miniſteria, quæ Ordines mendicantes exercent erga proximos: cùm viri prouectioris ętatis breui incipiant eſſe vtiles religioni; tum quia recepti in tenella ætate cùm per multos annos gaudeant varijs exemptionibus eorum ætati, ac conditioni debitis, paulatim aſſueſcunt vitę laxiori, ſicque progrediente ætate vix poſtea poſſunt ſe accomodare rigori regularis diſciplinę iuxtà illud: *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu*; tum quia cũ in religionibus modo non vigeat religioſa obſeruãtia, quæ antiquitus florebat, & alioqui ætas puerilis, qua facilitate bonum amplectitur, ſi benè educetur, eadem deprauetur defectu diſciplinæ, & prauis aliorum exemplis; parum vtile poterit eſſe pueris, quòd educantur in religione; tum denique quia periculoſum eſt, vt recepti in ætate puerili ad habitum religionis minùs liberè poſteà faciant ſuã profeſſionem, ſicque inquieti viuant vſque ad mortem; quippequi, quando recipiũtur ad nouitiatum nondum ſenſuum, & carnis illecebras ſenſerunt, tẽpore verò profeſſionis ex quadam verecundia, ſeu timore retrahuntur à regrediendo ad ſæculum, ad quod tamẽ ſentiẽtes difficultates religionis, & carnis ſtimulos ſuſtinentes quam libentiſſimè reuerterentur. Quare ego puto quod ſicut non expedit regulariter recipere ad Religionem homines ætatis prouectioris; cùm hi aſſueti libertati, & experti oblectamenta ſæcularis vitæ longè difficiliùs ſe accõmodent religioſæ diſciplinę, vixque poſſint ſubijcere colla iugo religioſæ obedientiæ (quo modo *Thren. 3.* dicitur *bonum eſt viro, portare iugum ab adoleſcentia ſua:*) ita nec expedit communiter, quod recipiantur pueri impuberes, ac tenellæ ætatis, qui potiùs indigeant nutrice, quam magiſtro nouitiorum (idque pręſertim loquendo de Ordinibus mendicantibus;) vnde *S. Hieron. ep. 141. ad Algaſiam q. 8.* ait *Præceptum eſt Apoſtolis, eſtote perfecti: Apoſtolis, non pueris præcipitur, verum iam ætatis robuſtæ, vt aſſumant perfectionem.*

QVÆRES IV. An expediat bono Religionũ, vt in eas recipiantur viri potentes, nobiles, & diuites.

4 ℞. Expedire, ſi alias ſint bonæ indolis, modeſti, virtuoſi, & apti ad finem religionis. Ducor tum quia iſti, depoſito per religioſam ſui abnegationẽ innato faſtu ſuperbiæ ſunt magis dociles, ingenioſi, vrbani, affabiles, magnanimi, & habiles ad ardua quæq; ſi quidem, vt ait *Ariſt. 3. polit. c. 8.* conſentaneum eſt ex melioribus ortos eſſe meliores: eſt enim generis virtus nobilitas: tum quia viri nobiles cæteris paribus ſunt aptiores ad tuẽda bona, & iura religionis, magiſque attrahunt ad Ordinem perſonas dignas, eunque reddunt præ alijs conſpicuum. Dixi, *ſi aliàs ſint bonæ indolis, &c.* vt innuerem in recipiendis ad religionem attẽdendam eſſe magis nobilitatem animi, (quam ratio, & virtutes efficiunt, nec genere, ſed moribus deſignatur, vt inquit *Nazianz. or. 11. n. 7.*) quàm nobilitatem carnis, & ſanguinis, quæ non eſt noſtra, ſed aliena, adeoque ſi ſit ſola, parui æſtimãda iuxtà illud: *& genus, & proauos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra voco*: cui conſonat *S. Thom. in Boet. l. 3. de conſol. proſa 6.* dum ait: *melius eſt à patre ignobili deſcendere, & morigeratum eſſe, quàm à nobili, & per vitia degenerare*; ſi quidem, vt ait *Petrarca de rem. vtr. fort. l. 1. dial. 6. claritas non naſcendo quæritur, ſed viuendo.*

In Societatem tamen Ieſu ex decreto 18. Cong. V. generalis, nemo gaudens maioratu in Hiſpania, recipiendus ſine Generalis licentia: & ille debet eſſe ijs dotibus ornatus, vt ſpem magnam præbeat ſe poſt biennium probationis fore talem, qualem Conſtitutiones Societat. requirunt, vt ad profeſſionem 3. votorum admitti poſſit; quamquam, ſi qualitas maioratus talis ſit, vt promotio ad ſacrum ordinem firmitati illius abdicationis ſufficiat; tunc non profeſſio, ſed ordinatio debeat procurari. Notat autem *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 2. p. 8. §. 2. n. 2.* decretum hoc intelligendũ eſſe de ma-

ioratu conſtituto ſiue regia auctoritate, ſiue etiam propria auctoritate inſtituentis; cum maioratus vtroque modo inſtitutus verè, & propriè ſit maioratus; quippequi eſt quoddam fideicommiſſum familiæ relictum, in quo ſine vlla diuiſione proximior in gradu ſuccedit ex inſtituentis voluntate; vt oſtẽdit *Molinus l.1.de hiſpan. primog.c.1.n.7. & 22.*

QVÆRES V. An poſſint, & debeant recipi in religionem Nouitij, inſcijs, & inuitis proprijs eorum parentibus.

6 ℞. Poſſe, ſi ſint puberes, imo & in aliquo caſu teneri ex charitate; quamuis regulariter nõ expediat præſertim ſi parentes ſint viri potentes, primarij, & nobiles, qui inſenſi Religioni, in quam filius modo dicto admittitur, grauia damna inferre ei poſſint, magnos excitare tumultus, magnam cauſare perturbationẽ: quo caſu præferri ſine dubio debet bonum totius religionis bono priuato huius, vel illius particularis Nouitij. Et quidem quod abſolutè loquendo poſſint admitti in religionem filij puberes, etiam reluctantibus parentibus, patet quia ſic nulla fit iniuria parẽtibus; cum filij in electione ſtatus ſint liberi, & nulla ratione ſubijciantur voluntati parentum: vt colligitur ex *S.Thom.2.2. q.104. a. vlt.* & ex *Ariſtotele 9.ethic.c.2.* vbi de filiorum obligatione ergà parentes diſſerens, & quærens, num in omnibus officijs ita ex eorum obedientia viuere debeant, vt nunquam poſſint ab ea recedere, reſpondet non debere: ad idque affert aliqua exẽpla, quibus addi poteſt etiam ingreſſus religionis; vnde *S.Bern.cap.111.* ait *Sola cauſa, qua non liceat obedire parentibus, Deus eſt, ipſe enim dicit, qui amat patrem, & matrem pluſquã me, non eſt me dignus.* quo facit etiam quod ait *S. Hieron. ep.1. ad Heliodorum,* vbi inter alia hæc habet: *licèt paruulus ex collo pendeat nepos: licèt ſparſo crine, & ſciſſis veſtibus vbera, quibus te nutrierat, mater oſtendat: licèt in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, ſiccis oculis ad vexillum Crucis euola: ſolum pietatis genus eſt hac in re eſſe crudelem.* Quod verò poſſit contingere filios debere recipi in religionem, etiam inuitis parentibus, hinc conſtat, quod quis poteſt in eo ſtatu verſari, vt non poſſit moraliter vitare æternam perditionem, niſi ingrediendo religionem idque ob naturæ ſuæ procliuitatem ad malum, ob imminentia pericula, & animæ, & corporis, ob frequentes peccandi occaſiones: quod eſt eſſe in graui neceſſitate ſpiritualis ſalutis, cui ſine dubio ex charitate tenemur cõſulere, ſi abſq; notabili noſtro incõmodo poſſimus, cũ vnicuiq; mãdauerit Deus de proximo ſuo.

6 Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi ſint puberes,* vt innuerem, quòd ſi recipiendus in religionem ſit impubes, nec poteſt, nec decet admitti parentibus cõtradicentibus. colligitur ex *S.Tho.2.2.q.189. a.5.* & patet, quia voluntas filij impuberis cùm ſit pro ea ætate imperfecta, in omnib. ſuis actionibus, & obligationibus, vt firmæ, & ſtabiles ſint, pendet à volũtate parentum; vnde in *c.2. de Regul.* dicitur, *Si quis ante annos legitimos tonſuratus eſt* (i. fuerit receptus ad habitum religionis) *ſi parentes ipſius infrà annum non reclamauerint, in Clericatu permaneat* (i. in ſtatu eccleſiaſtico, ſeu regulari; quo modo *Gloſſa* exponit *clericus factus, i. monachus;*) ex quibus patet iuxtà ius canonicum patrem habere ius reuocandi filium, qui tempore impubertatis ingreditur religionem ſine eius conſenſu, adeòq; filium impuberem poſſe quidem ingredi religionẽ ſine licentia parentis, debere tamen eſſe paratum ad eam relinquendam, ſi parẽs ipſum reuocauerit intrà tempus iure conceſſũ, nempe intrà annum computandum à die ſcientiæ, & hoc tam in foro conſcientiæ, quam in foro externo, ſi probetur ſufficienter: quod aduertit *Suar.to.3. de relig.l.5.c.1.nu.8.* vbi hac de re fuſiuſculè diſſerit.

QVÆRES VI. An poſſint admitti ad nouitiatum viri facinoroſi, & qui in ſæculo priùs perpetrarunt grauia delicta.

7 ℞. Poſſe, ſecluſo iure poſitiuo lato per Sixtum V. in ſua Conſtit. *Cum de omnibus*, in qua ſub grauiſſimis pœnis *cap. præced.* explicatis prohibet, ne recipiantur in religionem ij, qui vel commiſerunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia ſimilia, aut grauiora crimina, vel etiam de iis ſunt ſuſpecti: qualia cenſet *Portel. de dub. regul. v. nouitij qualit. num. 15.* eſſe publicum adulterium, ſodomiam, falſarium regium, & ſimilia; quamuis iſta prohibitio non ſit intelligenda nudè, & ſimpliciter, ſed eo modo, quo diximus *q.5.* & quidem, quòd, ſecluſo iure poſitiuo, admitti poſſint ad religionem viri facinoroſi, ſuadetur tum quia in iure communi nulla extat prohibitio in contrarium, quin potius Steph. V. in *33.q.2.c.8.* conſulit cuidam homicidæ, vt fiat monachus ad faciendam pœnitentiam, idque non diſpenſando, ſed conſulendo: quod eſt ſignum homicidium non obſtare ingreſſui religionis; tum quia praxis ante dictam Conſt. Sixti erat in contrarium; ſiquidem S. Romualdus Camaldulenſium Inſtitutor prius fuit homicida; ſicut & S. Gulielmus Dux Aquitaniæ, qui poſtea reformauit Ordinem Eremitarum S. Auguſtini, S. Bernardus item, & alij Patres Ordinum receperunt ad habitum publicos latrones: quod tñ ij nõ feciſſent, ſi qua extitiſſet hac de re prohibitio; qui vult, conſulat *Suar. c.10.n.26.*

QVÆRES VII. An poſſint, & debeant recipi in religionem etiam viri nationum extranearum, & barbararum.

8 ℞. Poſſe, ſi aliàs habeant dotes requiſitas ad ſtatum religioſum, & probabiliter cenſeri poſſint futuri vtiles ad religionem, in quam admittuntur: immò & debere, præſertim ſtante decreto Sacræ Congreg. *de propaganda fide* edito 15. Decem. 1624. quod ita habet: *Nihil tam magnæ curæ eſt ſacræ de propaganda fide Congregationi, quàm vt operarios plures linguis inſtructos habeat, quos in meſſem Domini præſertim ſub hæreticis, & infidelibus Principibus conſtitutam mittere poſſit: proinde animaduertens aliam quoque eſſe eoſdem multiplicandi, & augendi breuiorem viam, Generales omnes annuente S.D.N. admonendos eſſe cenſuit, vt præter ſtudia linguarum aliàs à Sacra Congreg. Regularibus indicta ſpeciali ſub decreto præcipere velint, vt in nouitiorum receptionibus in poſterum faciendis aliqui ſemper ex varijs nationibus, & linguis pro modulo tamen ſuarum religionum vnà cum alijs, qui hactenus recipi conſueuerunt, ad habitum aſſumantur, qui peracto ſtudiorum curſu, & in ſimplici ſacerdotio conſtituti, & Epiſcopali dignitate ornati ad eorum prouincias propagandæ fidei gratia mitti poſſint.* Vbi noto, quòd, licèt Sacra Congregat. Generalibus re-

ligionum

ligionum non præcipiat, vt ipſi Prouincialibus, alijſque quorum intereſt admittere ad religionem, præcipiant, quod impoſterum aſſumant ad habitum ex varijs nationibus, & linguis, ſed ſolum conſulat; vt colligitur ex verbo illo *admonendos eſſe*: vbi tamen Generales id præceperint, tenentur Prouinciales, & alij, quorum intereſt, exequi præceptum, & quidem ſub m. cum præceptum ſit de re graui, & cedente in maximum bonum Chriſtianæ fidei.

9 Cæterum, quod poſſint recipi in religionem ex omnibus nationibus, etiam barbaris, conſtat tum ex eo quod ſtatus religioſus eſt maximũ bonũ, bonũ autẽ eſt ſui ipſius diffuſiuum: tum quia lex charitatis poſtulat, vt nemini claudamus oſtium ſalutis, ſed omnia omnibus fiamus, vt oẽs Chriſto lucrifaciamus: quo ſenſu dicebat *Apoſtolus Rom.* 1. *ſæpè propoſui venire ad vos, vt aliquem fructum habeam & in vobis, ſicut & in cæteris gentibus. Græcis, ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum: ita quod in me promptum eſt, & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare*; tum quia Chriſtus ipſe omnes vocat ad ſtatum perfectionis acquirendum: vnde S. Lucas, antequam referat verba Chriſti inuitãtis ad perfectionem *qui vult venire poſt me*, immediatè ante dicit *cap.* 9. *v.* 23. *dicebat autem ad omnes*: quòd ſi Chriſtus vocat omnes, omnes vult admitti à ſuis miniſtris, & conſequẽter neminẽ vult excludi: ſiquidẽ apud Deũ nõ eſt acceptio perſonarũ.

QVÆRES VIII. An poſſint admitti ad nouitiatum qui carent vſu rationis.

10 ℞. Non poſſe, ſi talis carentia ſit perpetua, adeòque ſi receptus tempore amentiæ poſteà conſentiat, ſtatim ac redit ad ſe, non ideò priorem receptionẽ computandam eſſe, ſed ex tunc inchoari, ex quo conſentit; ſi quidem priùs perſona erat inhabilis, & quod ab initio eſt nullum, non firmatur tractu temporis; præſertim cùm iuxta regulam iuris ratũ haberi non poſſit, quod alicuius nomine non eſt geſtum, & receptio hominis perpetuò amentis non potuerit fieri ipſius nomine. ita *Suar. to.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 4. *n.* 3. *Sanch. l.* 5. *in decal. c.* 4. *n.* 53. *Azor. to.* 1. *l.* 12. *c.* 2. *q.* 5. *alijque apud Peyr. de R. P. q.* 3. *c.* 1. *n.* 37. *& Sãc.* pateтque tum ex dictis, tum quia perpetuò amens eſt ineptus ad profeſſionem, ergo & ad propriam receptionem, quæ ad illam ordinatur: cùm enim ingreſſus ad profeſſionem ordinetur tanquam via ad terminum, qui eſt incapax termini, erit & viæ. Oppoſitum tamen ſentiunt *Hoſt. Io: And. Cardin. & Anchar. apud Sanch.* qui benè aduertit noſtram ſententiam intelligendam eſſe de dementia abſoluta, non autem de ea, quæ eſt in vna, aut altera materia, & conſequenter non omninò mente priuat.

QVÆRES IX. An poſſint admitti ad nouitiatum, qui contraxerunt matrimonium de præſenti, ſed non conſummarunt.

11 ℞. Poſſe, & quidem non ſolùm in priori bimeſtri poſt initum matrimonium, ſed etiam poſteà, vſque dum matrimonium conſummetur: poſſe, inquã & licitè & validè. Ratio eſt quod ſpeciali Dei priuilegio, vt oſtendit *Leſſ. l.* 2. *c.* 41. *n.* 69: conceſſum eſt profeſſioni religioſæ, vt poſt contractum matrimonium, ſed nõ cõſummatum, vterque coniux habeat ſpatium duorum menſium ad deliberandum de ingreſſu religionis, ſicque non teneatur pro eo tempore reddere debitum alteri coniugi petenti imo poſſit licitè ingredi religionẽ, etiã altero inuito: elapſo verò bimeſtri peccet quidem coniux nõ reddẽdo debitum petenti, validè tamen ingredi poſſit religionem, & profiteri, quouſq; matrimoniũ non fuerit cõſummatũ. modò, dato hoc priuilegio, in probationẽ huius reſpõſionis ſic arguo: poſſunt coniuges, matrimonio non conſummato, ingredi religionem & validè, & licitè, non ſolum quamdiu durat priùs bimeſtre, ſed ẽt eo elapſo; vt tradunt DD. cõmuniter apud *Bonacinam q.* 3. *de matr. p.* 4. *n.* 4. ergò ij item validè, ac licitè poſſunt admitti in religionem tum in dicto priori bimeſtri, tum etiam poſt: aliàs inutile eſſet illud priuilegium.

12 Imò, quod maius eſt, *Regin. l.* 31. *n.* 39. *Lezana to.* 1. *c.* 3. *n.* 3. Bonac. *n.* 8. & alij cum Sanch. *l.* 2. *de matr. D.* 22. *n.* 6. putant quod ſi alter coniugum per vim, aut metũ cogatur conſummare matrimoniũ intra primũ bimeſtrẽ, nihilominùs ingredi poteſt religionẽ, & poſtea profiteri; cum æquũ non ſit, vt ob alterius culpã, ac iniuriã ſibi illatã patiatur damnũ; quod tñ non habet locũ in coniuge nocẽte, is. n. renitẽte coniuge innocente non poteſt ingredi religionem neq: validè, neq; licitè: quippe qui per voluntariam matrimonij conſummationem amiſit ius ingrediendi religionem. diſsentiunt *Gutier. Henriq. & alij apud Bonac.* docentes in præſenti caſu neutrum coniugem poſse ingredi religionem, altero inuito: cùm iura abſolutè dicant, conſummato matrimonio, neutri coniugi licitum eſse tranſitum ad religionem, altero inuito; quod tamen non facit, quin ſuſtineri poſſit noſtra ſententia tanquam pia, & probabilis, ſtante quod iura debent intelligi de conſummatione matrimonij ſine iniuria: quod non euenit in caſu noſtro.

Difficultas maior eſt, an caſu, quo matrimoniũ conſũmetur, ſolo viro ſeminante intra vas naturale propriæ vxoris, ipſa vxore nullo modo ſeminãte, adhuc ij poſſint ingredi religionem ſine conſenſu alterius coniugis, idque ex doctrina tradita *q. præced.*

13 ℞. Quod cum Sanch. *ſup. D.* 21. *n.* 11. alijq; plures DD. apud Dianam *p.* 5. *tr.* 13. *reſol.* 54. probabile putẽt ad veram conſummationem matrimonij requiri, quòd vterq; coniux ſeminet, cum per vtriuſq; ſeminis commixtionem coniuges fiant vna caro, in quo conſiſtit conſummatio matrimonij propriè dicta (quod tamẽ negant plures alij apud *Sanch. n.* 10. ea ducti ratione, quòd, cùm ſemen fœminæ non ſit neceſsarium ad generationem, hoc ipſo, quòd vir ſeminat intra vas naturale fœminæ, conſummatur eò ipſo matrimonium, etſi ipſa fœmina non ſeminet:) cõſequenter probabile eſt coniuges in iſto caſu poſse ingredi religionem, & quidem irrequiſito conſenſu alterius. ratio eſt, quòd coniuges poſsunt, ſaltem validè modo dicto ingredi religionem, quãdiu matrimonium nõ eſt conſummatum: at in præſenti caſu probabile eſt matrimoniũ re verà nõ eſse conſummatũ, vt iam probatũ eſt; ergò poterũt cõiuges ingredi religionem. ita in terminis *Diana vbi ſup.* & meo iudicio ſatis probabilitèr; quæ doctrina ſine dubio à fortiori haberet verum in caſu, quo coniuges attentaſsent per copulam coniugalem conſummare matrimonium, ſed re vera nõ conſumaſsent, ſiue quia neuter illorum ſemina-

tis facta violatione clauſtri, ſiue quia ſola fœmina ſeminauit; quòd vtique non eſt ſatis ad matrimonium conſummandum; vt aduertit *Bonac.ſup.q.3.p.12.n.12.ex Palud.Sylu.Soto, Sanch.& alijs.*

QVÆRES X. An,& quo modo admitti poſſint ad nouitiatum, qui matrimonium contraxerunt, & ſimul conſummarunt.

14 ℞. Non poſſe, niſi adſit conſenſus alterius coniugis; ratio eſt, quia ſecluſo tali conſenſu, eiuſmodi admiſſio eſt directè repugnans cum vſu matrimonij, quem alter coniux licitè poteſt exigere, & conſequenter continet manifeſtam iniuriam; ergo ex natura rei eſt & illicita,& inualida; vt vel hinc patet, quòd ſit iniuria alteri coniugi, & is poteſt ſtatum reuocare côiugem receptum in religionem, & cogere ad egreſſum: quod eſt ſignum receptionem illam fuiſſe illicitam, & inualidam: inualidam, inquam, non ſimpliciter, & abſolutè, itaut probatio ſeu nouitiatus in ea fundatus valere non poſſit ad validè profitendum, ſi tempore profeſſionis adſit conſenſus alterius coniugis: ſed ſub condione, niſi ante profeſſionem alter coniux ſufficientem præſtet conſenſum: quod eſt eiuſmodi admiſſionem eſſe validam ſub conditione contraria, ſi per exhibitionem ſufficientis conſenſus auferatur impedimentum obſtans valori illius; quod benè notauit *Suar.ſup.n.11.* pro ſe adducens *Sanchez l.7. de matr. D.37.n.46.& ſeqq.& Azor.ſup.c.1.q.6.& Leß.l.2.c.41.n.66.& 67.* noſque ipſi infra oſtendemus.

Si ergò quæras, an ingreſſus vnius coniugis ab initio factus ſine licentia alterius, per ſuperuenientem illius conſenſum poſſit confirmari, & ratus haberi, itaut in eo fūdari poſſit valida probatio ad ꝓfitēdū.

15 ℞. Videri poſſe, adeòque ſi contingat virum ingredi religionem ſine licentia vxoris,& per 6.mēſes manere in monaſterio, inuita ipſa vxore, poſtea verò obtinere ab illa facultatē permanendi in religione,& profitendi: non eſſe opus, vt vir nouum annum nouitiatus inchoet, ſed poſt annum expletum à primo ingreſſu poſſe profiteri. ita *Suar.vbi ſup.cum citatis DD.*& probatur tum quia nullo iure, aut ratione probatur præfatum ingreſſum ita fuiſſe inualidū, vt ſuperueniente alterius coniugis conſenſu, non poſſit ſufficere ad validè profitēdum; ſi quidem iura irritant ſolùm profeſſionē factam ab vno coniuge ſine alterius licentia, de primo autem ingreſſu nihil ſpeciale ſtatuunt, cùm tamen odia non debeant extendi, ſed reſtringi: tum quia in ſupradicto ingreſſu interueniunt illa omnia, quæ requirūtur,& ſufficiūt ad probationem, ac experientiam religionis, nimirum conſenſus religionis,& religioſi admiſſi, nec nō humanum experimentum ex vtraque parte: hæc verò ſola requiruntur,& ſufficiūt ad veram probationem, & verum ingreſſum, in quo ea fundari poſſit, ſtando præcisè in iure naturali: ex iure autem poſitiuo nulla lex adeſt ſpecialiter irritans hoc factum, nec irritatio profeſſionis ſufficit, ſi ante illā auferatur impedimentum, vti dictum eſt §.*præced.* nobiſcū ſentit *Caſtr. Pal.tra.16.D.1.p.7.§.3.n.3.*

Dubium iam eſt, an vbi alter coniux dedit alteri facultatem ingrediendi religionem, poſſit eam ad libitum reuocare ante profeſſionem.

16 ℞. Poſſe, & probatur tum quia, teſte *Suar.ſup.n.7.* ferè omnes DD. fatentur poſſe maritum reuocare licentiam datam vxori ad vouendum, ſi eam præueniat, priuſquam votum emittat: quippe nondum orta eſt obligatio ad Deum ex parte eius, cui data eſt licentia, nec qui illam dedit, ſtatim intendit ſe priuare dominio ſuo, vt eam reuocare nequeat (quæ ratio tota militat in præſenti, vt conſideranti conſtabit;) tum quia in propoſito caſu coniux, qui ingreditur religionem, poteſt ſua ſponte exire ante profeſſionem,& ad alterum redire, qui tenetur illū recipere,& maritalem vitam cum eo agere: ergò & ipſe poteſt alterum reuocare, & ipſe tenetur parere; iura enim debent eſſe paria, & vterque intelligi debet eſſe pro eo anno in probatione, an ſibi expediat perpetuò ab alio ſeparari. ita *Suar.vbi ſup.*& ſatis probabiliter contra *Peyr.de R.P.q.3.ca.1.nu.52.* oppoſitum ſuſtinentem tum ex *regula 21. in 6. quod ſemel placuit amplius diſplicere nō poteſt:* tū ex eo quòd licentia ingrediendi religionem data alteri coniugi, reſpectu illius eſt quidā fauor,& quaſi priuilegium; dans autem priuilegium non poteſt illud reuocare, niſi in caſu abuſus, qui non adeſt in caſu noſtro.

17 Cæterum conditiones, quæ requiruntur ad hoc vt coniux poſt matrimonij conſummationem poſſit ingredi religionem de licentia alterius coniugis, ſunt tres: 1. eſt quòd coniux relictus, ſi ſit iuuenis, etiam ipſe ingrediatur religionem, & altero profitente, ipſe item profiteatur; ſi verò ſit ſenex, & de quo nulla eſſe poſſit ſuſpicio incontinentiæ, debet vouere caſtitatem iuxta *cap.cum ſis, cap.vxoratus,& cap.ad apoſtolicam de conuerſ.coniugat.* 2. conditio eſt, vt licentia ingrediendi religionem ſit libera, non autem extorta dolo, aut metu cadente in conſtantem virum; aliàs profeſſio eſt nulla, & coniux profeſſus poteſt reuocari ab alio relicto; quamquam ſufficiat iuxta *Suar.ſup.l.6. c.7. nu.10.* quòd dicta licentia ſit tacita; qualis eſſet, ſi alter coniux ſciat alterius factum, & non prohibeat, vt notat *Peyr.ſup.nu.50.ex Azorio,& Regin.* 3.conditio eſt, vt id fiat de conſenſu Ordinarij,& quidem ſecundùm *Rebellum p.2.l.3.q.4.ſect.2.n.18.* ſub peccato. m: quod tamen negant alij cum *Sanch.l.7.de matr.D.32.nu.3.* aſſerentes conſenſum Ordinarij ad hoc non requiri, niſi de honeſtate, etiam ex vi capitis *ſi vir,& vxor 27.q.2.* ſicq; ratū vſu receptū eſſe; quod itē approbat *Peyr.* dicēs in eo ſaltem conuenire omnes DD. eiuſmodi conſenſum Ordinarij nō habitum, nec requiſitum haud officere validitati profeſſionis, ſi alias ſit legitima.

18 Quòd verò ſpectat ad 1. cōditionem notat *Sāch.ſup.D.33.nu.2.* profeſſionem coniugis legitimè trāſeuntis ad religionem eſſe validam, etſi alter coniux ſit iuuenis, & ſuſpectus de incontinentia maneat in ſæculo, dummodo voueat caſtitatem: nam iura citata §.*præced.* petunt quidem vt coniux iuuenis ſimul profiteatur in aliqua religione, non irritant tamē alterius coniugis profeſſionem ſi ſecùs eueniat; quin addit *Sāch.n.4.* validam eſſe profeſſionem, etiā in caſu, quo alter coniux ſit iuuenis, & tamen maneat in ſæculo nullo caſtitatis voto emiſſo: & hoc ex *cap. ex parte,& cap. Agathoſa 27.q.2.*

Difficultas eſt, an quòd ſpectat ad rem præſentem, mulier quinquagenaria dici poſſit ſenex, ita vt viro illius ingrediente religionem, & poſtea ſuo tem-

tempore profitcente, ea poſſit manere in ſęculo cum voto caſtitatis.

19 ℞. *Diana p.4. reſolut.73. ex Sanch. Gutier. Barboſa Fillluc. & Bonac.* poſſe, probatque ex eo quod, attento breuiori curſu vitæ fęminarum, ac celeriori ſenectutis acceſſu, vbi ea peruenit ad 50. annum, cõmuni æſtimatione reputatur ſenex, & cùm in ea ætate tepeſcat in muliere ardor libidinis, fiatque regulariter ſterilis, verè exiſtimatur ſenex, & de ſuſpicione incontinentiæ libera: quod tamen non admittunt *Sotus Ricc. Cordub. Azor. & alij penes eundem Dianam* ſuſtinentes mulierem ad præſentem effectũ non poſſe communiter dici ſenem, niſi quando eſt ſexagenaria.

Dubitari hìc etiam poteſt, an ſicut vxor ingrediente viro religionem, poteſt remanere in ſæculo, ſi ſit ſenex, & voueat caſtitatem: ita vxore ipſa religionem ingrediente, poſſit vir ſenex remanere in ſæculo, emiſſo voto caſtitatis perpetuæ.

20 Poſſe, & colligitur aperte ex *c. ad apoſtolicam de conuerſ. coniugat.* vbi dicitur non eſſe alterum coniugum recipiendum ad obſeruantiam regularem, niſi relictus perpetuam continentiam repromittat, ſed & vitam mutet, niſi fortè ſit eius ætatis, vt ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere, vnde mirum eſt, quòd *Hurtad. tr. de matr. D. 11. difficult. 9. n. 8.* contrà Pontium *l. 9. de matr. c. 12. nu. 3.* dicat ipſum ſine fundamento ſuſtinere quòd ingrediente vxore religionem, vir modo ſupra dicto poſſit remanere in ſæculo: cùm DD. conueniant neutrum coniugum poſſe ingredi religionem, niſi vterque ingrediatur, vt exprimitur in c. vxoratus; vbi excipitur poſſe maritum ingredi, non ingrediente vxore, quando vxor eſt ſenex, & non ſuſpecta de incontinentia, ſi caſtitatem voueat: cùm tamen nullibi excipiatur poſſe vxorem ingredi, non ingrediente viro, quamuis prouectæ ætatis, & potentis manere in ſæculo abſque periculo. ita *Diana ſup. cum Pontio, & alijs* addẽs ex *Bonac.* virũ, vt manens in ſæculo dicatur prouectæ ætatis, debere eſſe ſexagenarium, vel certè habere illam ætatem, quæ ex praua valetudine reſpondeat ætati ſexagenariæ, itaut iudicio prudentis credi poſſit abeſſe ab incontinentię periculo ratione ætatis.

21 Addit *Diana ex Pontio* alijſq; doctis viris ab eo cõſultis contrà *Sanch. ſup. D. 32. n. 4.* probabile eſſe, ingrediente coniuge religionẽ ad profitendum ſufficere, quòd vir ingrediatur Ordinẽ militũ S. Ioannis: idq; cõſtare ex praxi, quam ipſe Pontius teſtatur ſe vidiſſe ſeruari.

QVÆRES XI. An, & quando poſſint admitti ad habitum religionis coniuges, ſi conſummato matrimonio alter illorum adulteretur.

22 ℞. Poſſe, ſi adulterium ſit notorium; cum hac tamen differentia, quod coniux innocens poteſt admitti, inuito altero coniuge, vtpote liberatus à debito coniugij ob adulterium ab altero perpetratum iuxtà *c. ſignificaſti de diuortio, & c. fin. de adult.* coniux verò nocens non poteſt admitti inſcio, inuito, ac inconſulto altero coniuge innocente: idque etſi lata ſit iuridica ſentẽtia diuortij: cùm enim diuortium ſit in fauorem innocẽtis, non debet inde priuari dominio, quod habet ſuper coniuge nocente: alioqui puniretur ſine culpa, quod eſt contra æquitatem: quamquam, vt diximus *q. præced. §. cæterum,* ad hoc vt coniux nocens poſſit in præſenti caſu ingredi religionem, ſufficiat licentia tacita coniugis innocentis, quæ præſumitur, ſi is ſciat, & non contradicat, aut certè monitus de adultero ſibi reconciliãdo recuſet, cum hoc ſit concedere tacitam licentiã mutandi ſtatum, vt aduertit *Peyr. ſup. n. 53.* ſubdens in tali caſu nõ poſſe coniugẽ nocentem reuocari ante profeſſionem: quod non puto admittendum eſſe iuxtà dicta *q. præced. §. dubium iam eſt.* Verum quidẽ eſt, quòd coniuge nocente tranſeunte ad religionẽ, poteſt innocens, licèt iuuenis, manere in ſæculo, nec tenetur vouere caſtitatem, aut ingredi religionem; cum id nullo iure cautum ſit; quod notat *Sanch. l. 10. de matr. D. 10. n. 16.* monens *D. 11. n. 11. & 12.* quod, quamuis, exiſtente adulterio occulto, non liceat cõiugi innocenti in foro externo ingredi religionem; ſi tamen id fiat ſine ſcandalo, non videtur illicitum, cũ ſic ingrediẽs vtatur iure, ꝙ reuera habet.

QVÆRES XII. An poſſint admitti ad religionem, qui iam contraxerunt ſponſalia de futuro, & quidem etiam iurata.

23 ℞. Poſſe, &, ſi admiſſus bona fide ingrediatur, manere liberum à ſponſalibus, itaut, ſi exeat, non teneatur ſtare illis, vtpote ab illis omninò ſolutus per ingreſſum religionis. ita *Sanch. l. 1. de matr. D. 42. nu. 5. Regin. l. 31. n. 258. Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 11. num. 10.* alijque & patet ex eo quòd ſi iuxtà dicta *q. 9.* poſſunt admitti ad religionem qui contraxerunt ſponſalia de præſenti, ſed non conſummarunt, à fortiori admitti poterunt, qui contraxerunt de futuro; cum ſtrictiùs obligẽt ſponſalia de præſenti, quã quæ cõtrahũtur de futuro. Dixi *bona fide,* quia, ſi quis in caſu propoſito ingrediatur religionem ad eludendam promiſſionem factam, ſtatim egreſſurus: is quidem, qui manet in ſæculo ſolutus eſt ſpõſalibus, & poteſt velle ijs non ampliùs ſtare: ſecùs qui ingreſſus eſt religionem, is enim ſi redeat ad ſæculum, & alter velit ſtare ſponſalibus, tenetur, debetque contrahere matrimonium: ſi quidem fraus, & dolus nemini debent patrocinari *cap. ex tenore de reſcript.*

25 Quòd verò in caſu propoſito liceat ingredi religionem, etiamſi ſponſalia ſint iurata, docent Ang. *v. religioſus §. 2 Sylu. v. religio 2. q. 9. Sanch. lib. 1. de matr. D. 43. n. 3. alijque,* & probatur non quidem ex eo quod non infringit iuramentum, qui illud in melius commutat *cap. peruenit el 2. de iure iur.* (quod habet verum in ſolo iuramento præſtito ſoli Deo; vt aduertit *Sanch. l. 3. in decal. c. 19. n. 9.*) ſed quia ſimilibus obligationibus ſemper ineſt tacita conditio, *niſi tranſitus ad religionem placeat,* vt benè oſtendit *Sanch. l. 1. de matr. D. 43. nu. 3.* etiam de præſenti caſu exponens *caput commiſſum de ſponſal.* quod non parum aduerſari videtur.

QVÆRES XIII. An poſſit admitti ad religionẽ, qui cõtraxit ſpõſalia, & ſub ea ſpe deflorauit virginẽ

25 ℞. Non poſſe, cum is teneatur ducere virginem ſic defloratam non potens aliter compenſare iniuriam ipſi illatam, quam tamen reſarcire tenetur ex iuſtitia; & hoc, etiamſi promiſſio fuerit ficta, imo etſi ſpõſa nõ fuerit deflorata, ſi aliunde paſſura ſit grauẽ

iacturam in ſama ob nimiam ſamiliaritatem habitam cum ſponſo. ita *Sanch.ſup.D.44.num.3. Leſſ.l.2.c.41.n.31.* alijque apud *Peyr. de R.P.q.3.c.1.nu.54.* qui rectè notant ſponſum in iſtis caſibus non ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi matrimonium contrahat, & ante conſummationem ingrediatur religionem: ſic enim non reſarcitur ſufficienter iniuria virginitatis, & famæ; vt notauit *Sanch.num.7.* addens *nu.8.* ſponſum in pręfatis caſibus non eximi ab obligatione matrimonij, ſi poſt regulam ea ſpe extortam faciat votum ingrediendi religionem: cum emiſſio talis voti, tanquam cedens in præiudicium tertij non obliget, niſi poſt mortem ſponſæ, aut certè poſt legitimam ſponſaliorum diſſolutionem; quo modo etiam tenetur ducere virginem defloratam ſub ſpe matrimonij, qui priùs erat voto religionis adſtrictus, cum vinculum iuſtitiæ ſit fortius vinculo religionis: quod tamen non haberet locum in caſu, quo virgo deflorata noſſet deflorantem ſub ſpe matrimonij eſſe adſtrictum voto religionis, & nihilominus conſentiret in deflorationem; cùm ſic cenſeatur ſciens, & volens cedere iuri ſuo; ſicut nec in caſu, quo quis virginem deflorat, nulla promiſſione matrimonij facta, & habita copula, ei promittit ſe illam ducturum, is quippe adhuc poſſet ingredi religionem (quantùm ſpectat ad forum conſcientiæ) cum talis promiſſio ſit merè liberalis.

QVÆRES XIV. An, & qualiter admitti poſſint ad religionem, qui profeſſionem emiſerunt in alio Ordine.

26 ℞. Non poſſe, quamuis alioqui talis admiſſio non ſit abſolutè, & ſimpliciter nulla, ſed ſolùm, quamdiu admiſſus non obtinet licentiam ab Ordine, in quo priori fecit profeſſioné (talis enim licentia requiritur ad hoc vt dicta admiſſio ſit licita, & dici poſſit ſimpliciter valida.) ita *Suar. to.3. de relig. l.5.c.5.n.12.& 13.* alijque & probatur ex eo quod, ſicut vinculum matrimonij carnalis impedit vinculum profeſſionis religioſæ, & conſequenter etiam ingreſſum religionis ad illam ordinatum: ita ſpirituale vinculum profeſſionis in aliqua religione impedit ingreſſum, & receptionem in alia, vt pote directè repugnantem traditioni factæ per priorem profeſſionem; intellige, ſi admiſſio fiat in Ordine, ad quem Religioſus admiſſus tranſire non poſſit, ſiue ex natura rei (vt ſi religio, ad quam tranſitur, ſit laxior) ſiue ex ſpeciali declaratione Papæ, ac prohibitione irritantis poſteriorem profeſſionem, & conſequenter impedientis poſteriorem ingreſſum; vnde fit, vt ſi tranſitus nec per ſe ſit malus, nec prohibitus, licitus, & validus ſit ingreſſus in poſteriori religione, adeòq; licita, & valida ſit admiſſio. immò licèt ingreſſus ſit illicitus, ex modo (quia v.g. factus ſine debita licentia,) non ideò tamen eſt inualidus, niſi aliquo iure humano irritetur; quod iure communi non reperitur, vt notat *Suar. nu.12.* dicens inualidum non poſſe iudicari ingreſſum religionis, quoties profeſſio facta in poſteriori religione eſt valida, quidquid ſit de culpa commiſſa in ipſo tranſitu, qui proinde ſit peccaminoſus.

27 Dixi, *quamuis alioqui talis admiſſio non ſit abſolutè, & ſimpliciter nulla, &c.* vt innuerem, quod, licèt Religioſus ſine debita facultate habitum alterius religionis ſuſcipiens, expleto ibi nouitiatu, validè non poſſit in eo ſtatu profiteri; nihilominùs, ſi in diſcurſu anni facultatem ſupra dictam legitimè obtineat, eò ipſo prior ingreſſus incipit eſſe validus in ordine ad poſteriorem faciendam: ita ut nouitiatus computari poſſit non ſolùm à die facultatis obtentæ, ſed à die ipſius ingreſſus. ratio eſt, quia inhabilitas illa non erat abſoluta, & (vt ſic loquar) intrinſeca, ſed ſolùm ex defectu facultatis: cum tamen tali defectu non obſtante, in ipſo facto ingreſſus, ac receptionis interueniat ſufficiens conſenſus ex vtraque parte, & probatio nouitiatus potuerit fieri ſufficiéter item ex vtraque parte (quæ ſola requiruntur, & ſufficiunt ad valorem actus:) vnde, cùm nullum ius humanum extet directè irritans ipſam receptionem; ea non debet cenſeri ſimpliciter inualida, ſed tantùm ſub conditione ſuperiùs adducta.

Quòd ſi hac occaſione quæras, an expediat Religioſos aliorum Ordinum recipere in propriam Religionem.

28 ℞. Regulariter non expedire, cùm tranſitus ab vna religione in aliam non ſit per ſe laudabilis, niſi ob magnam neceſſitatem, aut ſpecialem vtilitatem: quod tamen, cùm ſit valdè rarum, ac extraordinarium, regulariter dici poteſt non expedire. Colligitur ex *Suar.to.4.de relig.tr.10.c.1.nu.17.* patetque tum ex dictis, tum ex eo quod apud *Caſſianum collat.14.cap.5.* ait Abbas Neſtorius: *Vnicuique* inquit, *vtile, & conueniens eſt, vt ſecundum propoſitum, quod elegit, ſiue gratiam, quam accepit, ſummo ſtudio, ac diligentia ad operis arrepti perfectionem peruenire feſtinet, & aliorum quidem laudans, admiranſque virtutes, nequaquam à ſua, quam elegit ſemel profeſſione diſcedat:* quod confirmat ipſemet Imperator Iuſtinianus in *Auth. de monachis collat.5.* his verbis; *Si quis relinquens monaſterium, in quo conuerſationem habuerit, ad aliud tranſeat monaſterium, competens eſt reuerendiſſimos Abbates eum non ſuſcipere: erronea namque eſt talis vita monaſtica, nullatenus tolerantiæ proxima, neque conſtantis, & perſiſtentis animi.* Vt proinde mirum non ſit in Societate Ieſu conſtitutum fuiſſe tanquam impedimentum dirimens ingreſſum illius, habitum ſuſcepiſſe alicuius religionis Fratrum, vel Clericorum vitam aliquandiu in obedientia cum eis agendo, ſiue emiſſa, ſiue non emiſſa profeſſione: idque licèt geſtatio habitus religioſi fuerit per vnum diem tantum, dummodo id factum ſit animo aſſumendi religionem, ſaltem quo ad probationem, ſeu nouitiatum; vt videre eſt *p.1 Conſtit.Soc.cap.2. examinis,* & conſtat ex vſu Societatis.

29 Non expedit ergò, vt in religionem admittantur religioſi aliorum Ordinum, idque vt dixi, regulariter, & ob rationes infrà adducendas: 1. eſt, quia in eo, qui aliam religionem probauit, & deſeruit plerumque manent aliqua veſtigia prioris profeſſionis, & aliqui conceptus, ſeu apprehenſiones diuerſæ, & diſcrepantes ab inſtituto religionis, in quã de nouo admittitur. ideoque teneri poteſt aliqua difformitas, quę poſſit pacem communem turbare: 2. eſt, quia vt plurimũ mutatio religionis eſt ſignũ animi incõſtãtis, & mutabilis, cũ *Apoſt.1.Cor.7.* dicat

vnuſ-

vnuſquiſque in vocatione, qua vocatus eſt, in ea permaneat; 3, eſt,. quia ex tali tranſitu non rarò oritur ſcandalum, & infamia religioni deſertę, vt aſſerit *S. Baſil. in reg.* 10. *ex fuſioribus* dicens: *In ijs, qui iſtiuſmodi ſunt, magnopere ſuſpecta inconſtantia eſſe debet, qui præter id, quod nullam ipſi vtilitatē inueniunt, cæteris etiam ſunt detrimento, quod inſtitutū viuendi noſtrū falſis probris, & nequiſſimis maledictis magnopere infamant*: 4. eſt, quia apud homines ſenſatos nonnulla nota ſemper eſt defeciſſe à religione ſemel accepta, & quidem etiam quò ad nouitiatum tantùm: 5. eſt, quia certa pro dubijs relinquere nō eſt tutum; forſan enim hoc tenere poteſt, illud non poterit: vnde ait *S. Tho.* 2. 2. *q.* 189. *a.* 8. bona conſueta relinquere, & inſolita inchoare non ſolere ad proficiendum eſſe vtile: 6. eſt, quia non rarò qui curant tranſire ab vno in alium Ordinem, id faciunt, non ſtudio maioris perfectionis, ſed ex rationibus merè naturalibus v. g. vt commodiorem vitam degant, vt faciliorem acceſſum habeant ad honores, dignitates, & gradus, vt maiori gaudeant libertate.

QVÆRES XV. An, & quo modo poſſint admitti ad religionem ij, qui ſunt inſigniti dignitate Epiſcopali, aut alia eccleſiaſtica dignitate.

30 ℞. Non poſſe, niſi ex licentia Papæ, & probatur tum ex *cap. licet de reg.* vbi expreſsè ſtatuitur, quòd nullus ſine Romani Pontificis licentia occaſione quacumque debet deſerere præſulatum (etſi ibi præcipuè ſit ſermo de ſtatu religionis, & conſequēter de ingreſſu per profeſſionem;) tum quia ſtatus Epiſcopalis eſt altior ſtatu Religioſorum, ideoque ab illo ad iſtum non datur tranſitus ſine diſpenſatione Papæ; cùm hoc ſit deſcendere, tranſeundo à ſtatu perfectorum (qualis eſt ſtatus Epiſcoporum) ad ſtatum perficiendorum (qualis eſt ſtatus religioſus,) vt rectè aduertit *S. Thom.* 2. 2. *q.* 174. *a.* 7. addens tamen *quæſt.* 185. *a.* 4. iuſta interueniente cauſa, poſſe Epiſcopos renuntiato Epiſcopatu trāſire ad religionem, dummodò id fiat de licentia Papæ petita, & obtenta; quod eſt Epiſcopis prohiberi ingreſſum religionis, non ſimpliciter, ſed ſolùm ne fiat abſq; licentia Papæ, vt iā dictū eſt. Ex quo fit, vt inſignitus dignitate Epiſc. ſit inhabilis, ad ingreſsū religionis, non abſolutè, ſed tantùm ſub conditione (ne ſcilicet ingrediatur abſq; licentia Papæ) ſicq; ingreſſus, ſi fiat abſque præſata conditione, ſit nullus, non omninò, & abſolutè, ſed quamdiu illa cōditio petita non fuerit obtenta; proportionaliter vt diximus *q. præced.* de Religioſo tranſeunte ab vno Ordine ad alium. ita *Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 5. *cap.* 5. *num.* 14. *Mir. tom.* 5. *quæſt.* 17. *a.* 3. *Lezana to.* 1. *c.* 24. *num.* 11. *Barboſ. de poteſt. Epiſc. alleg.* 58. *nu.* 23. *& ſeqq.* alijque communiter benè addentes ſecùs dicendum de quibuſcumq; alijs inferioribus Prælatis, ſeu Rectoribus Eccleſiarum: hos ſcilicet, etiamſi ſint mitrati, & in multis gaudeant pontificali poteſtate, liberè poſſe admitti ad religionem; quippequi nullum habent vinculum, quod ex natura rei dimittere nō poſſint ob maiorem perfectionem, & alioqui nullo iure humano ſint prohibiti id facere; ſi quidē iura, quæ adducuntur, loquuntur ſolùm de Epiſcopis, ideòque, cùm ſint odioſa, non debent extendi ad perſonas in ijs non expreſſas.

De Patocho certè, & quocumque alio beneficiario docet *Caſtrus Palaus tr.* 16. *D.* 1. *p.* 6. §. 1. *nu.* 1. poſſe illos ingredi religionem etiam contradicente Epiſcopo; vt conſtat ex *cap. duæ* 19. *quæſt.* 2. decere tamen vt ſtatim moneant Epiſcopum, vt prouideat paſtorem loco ſui: additque *cap. licèt de Regul.* quod poſſet in contrarium adduci, loqui ſolum de religioſis tranſeuntibus ad Ordinem ſtrictiorem.

Addit *Caſtrus Palaus tr.* 16. *D.* 1. *p.* 7. §. 1. *num.* 4.
31 *ex Suarez to.* 3. *de relig. L.* 1. *cap.* 20. *n.* 7. Papam non teneri dare licentiam Epiſcopo, vt tranſeat ad religionem, ſi facilè reperiri non poſſit alius, qui æque benè prouideat illi Eccleſiæ; tunc enim bonum cōmune illius Eccleſiæ præferri debet priuatæ vtilitati ſpirituali Epiſcopi: ſecùs, ſi adſint plures, qui æquè benè, immò aptiùs Eccleſiam illam regant; cùm eo caſu conſulatur & bono communi illius Eccleſiæ, & bono particulari Epiſcopi: idque iuxtà *cap. iam pridem de renuntiat.* quod affert, & explicat *Caſtr. Pal. loco citato.*

QVÆRES XVI. An licitè poſſint admitti ad religionem Alumni collegij Anglicani Romæ, qui iuxtà Conſtit. Gregorij XIII. in ordine, iurant, abſolutis ſtudijs, *ſe vitam Eccleſiaſticam perducturos, ſeq; omni tempore ad iuſſum Superiorum in patriam reuertendum, & ad animas, quantùm in Domino potuerint, adiuuandas paratos fore.*

32 ℞. *Laym. l.* 4. *tr.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. *ex Nau. l.* 3. *conſil. de Regul. conſ.* 1. non poſſe; & probatur ex eo, quod ij, ſtante dicto iuramento, non poſſunt abſq; periurio ingredi religionem; ergò nec poſſint licitè in eam admitti, cùm hæc duo ſint correlatiua, ac proinde ex vno aliud neceſſariò inferatur. Et quidem quod ij non poſſint licitè ingredi religionem, conſtat ex eo quòd eorum iuramentum editur in vtilitatem Eccleſiæ Anglicanæ: iuramentum autem, quod in gratiam, aut vtilitatem hominis, aut Eccleſiæ, alteriuſue Communitatis ſit de opere honeſto, ſemper obligat, nec arbitratu iurantis in aliud opus, quamuis longè melius, pôt cōmutari; vt ex cōmuni docēt *Sylu. v. iuramentum* 4. *q.* 20. *mol. tr.* 2. *D.* 149. Suar. *lib.* 2. *de Iuramento c.* 12. *n.* 14. *Sanch. l.* 3. *mor. c.* 9. *n.* 19. ex regula iuris canonici recepta, quod iuramentum homini prętitum ſeruandum eſt, quotieſcunque ſine peccato, ſiue ſalutis diſpendio ſeruari poteſt: idque, ſiue iuramentum ſit propriè promiſſorium ab homine acceptatum, ſiue ſit abſque promiſſione: quin etiam, ſi ſolo interno animo concipiatur cùm ſemper pariat obligationem ex virtute religionis ob diuini nominis reuerentiam, vt aduertit *Suar. ſup. n.* 21. At diſſentit *Fagūdez. l.* 2. *in decal. c.* 16. *n.* 5. vbi quærens, an iuuenes Angli, ac Hyberni, de quibus hic, poſſint tuta cōſcientia ingredi religionem: contra *Nauarrum conſ.* 1. *de Regular.* dicit poſſe, eò quod ſic iuramentum in melius commutent, & commutans propria authoritate iuramentum, aut votum in ſimpliciter melius non ſit periurus; vt habetur in *cap. peruenit* 2. *de iure iur. & cap. ſcript. tum de voto*, vbi dicitur, *Reus facti voti non eſt, qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſeruantiam commutare.*

33 Addit *Fagundez* validum eſſe iuramentum, quo adoleſcentes Scholaſtici in aliquibus collegijs, in

quibus

quibus aluntur, iurant ſe non ingreſſuros religionẽ, inſcio Rectore ſuo, aut eo, cui iurant: cum tale iuramentum non impediat ijs maius bonum, aut religionis ingreſſum: quippequi non iurant abſolutè ſe non ingreſſuros religionem, ſed ſe eam non ingreſſuros ſine petitione facultatis ſuorum Superiorum; qua petita, & non obtenta, poſſunt ingredi religionem, repugnante, & contradicente proprio Superiore.

Difficultas modò eſt, an præfati Alumni vi illius iuramenti ſimpliciter prohibeantur ingredi religionem, ita vt non poſſint ingredi, neque quandiu degunt in Collegio Anglicano, neque poſtquam redierunt ad propria.

℞. Non prohiberi ingredi ſimpliciter, ſed pro tempore, quo manent in Collegio, & intrà integrũ triennium a die, quo receſſerint à dicto Collegio; ſic enim iurant: *Spondeo, & iuro, quòd, dum in hoc Collegio permanebo, & poſtquam ab eo quocumque modo, ſiue completis, ſiue non completis ſtudijs, exiero, ante elapſum triennium nullam religionem, Societatem, aut congregationem regularem ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia, vel euſdem Sedis Nuncij ingrediar, neque in earum aliqua profeſſionem emittam.*

35 Hac occaſione hìc vnum moneo in caſu, quo Alumni alicuius Seminarij non admittantur, niſi data fideiuſſione, quod ſoluent alimenta ſi deſeruerint ſtatum clericalem, tali obligationi, ac oneri non ſubiacere eos, qui fortè à ſtatu Clericali tranſeant ad religioſum; cùm mens facientis tale ſtatutum non videatur comprehendiſſe iſtum caſum, ſed, ſolùm voluiſſe cauere, ne præfati Alumni ſumptibus Eccleſiæ per multos annos educati ad vitam tranſeant ſecularem (quod certè non euenit in caſu noſtro); præſertim cùm conditio retrahens à religione ſit nulla, & haberi debeat pro non appoſita, iuxtà probabilem multorum DD. ſententiam, qui proinde apud *Sanch. l. 1. de matr. d. 34. n. 12.* ſuſtinent, ſi cui legentur 200. ſi vxorem duxerit, 100. verò, ſi ingrediatur religionem, eum conſecuturum 200. eò quòd illa conditio tanquam aduerſa religioni ſit inualida; quod tamen plures alij negant apud eund. *Sanch. n. 13.* Ego certè Ferrariæ, cùm hæc ſcriberem, vidi ita practicatum cum quodam alumno Seminarij Clericorum, qui cùm per multos annos ſumptibus Seminarij educatus fuiſſet, demũ ingreſſus eſt noſtram Societatem nulla alimentorum reſtitutione facta; non obſtante quòd Alumni dicti ſeminarij præfatam fideiuſſionem ſoleant pręſtare, quando in eo recipiuntur; idque approbante Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo DN. Macchiauello tũc Epiſcopo Ferrarienſi, poſteà etiam Cardinale S. R. Eccleſ.

An autem fieri poſſit ſtatutum, quòd ingrediens tale Collegium, aut Seminarium eius expenſis educandus abſolutè teneatur reſtituere alimenta recepta in caſu, quo is tranſeat ad ſtatum religioſum.

36 ℞. Poſſe, abſolutè loquendo, non tamen communiter expedire probatur tum quia tale ſtatutum fecit Gregor. XIII. pro Collegio Anglicano Romæ inſtituto, vt diximus in *reſp. præſentis quæſt.* tum quia, vt benè aduertit *Sanch. ſup. n. 14.* impium quidem eſt apponere conditionem eo fine, vt quis retrahatur à religione, iuſtiſſimè tamen apponi poteſt talis conditio ob bonum ſiue proprium, ſiue alterius tertij: quo modo in primogenitis, ac meliorationibus licitè apponitur conditio, vt nec monachi, nec ſacro ordine initiati poſſint in eis ſuccedere, cùm talis conditio ordinetur tantùm ad conſeruandam familiam, non autẽ ad auertendum a propoſito religionis; ſic ergò in propoſito caſu poterũt Epiſcopi, vel alij ferre ſtatutũ, vt, ſi Alumni alicuius collegij, aut ſeminarij complectãtur vitam religioſam, teneantur reddere collegio, aut ſeminario alimenta percepta, non quidem eo animo retrahendi à religione, ſed vt conſulant bono propriæ Eccleſiæ, detinendo ad eius ſeruitium eos, qui illius ſumptibus longo tempore fuerunt educati.

37 Dixi *non tamen communiter expedire*: quamuis enim iuſta ratio occurrere poſſit, quòd fiat ſup. dictum ſtatutum (quo pacto verè occurrit pro Collegio Anglicano, vt ſcilicet Eccleſia Anglicana in tanta penuria Operariorum catholicorũ inde dignis miniſtris prouideretur); talis tamen ratio non vbiq; nec ſemper militat: vnde ego regulariter non conſulerem tale ſtatutum; cùm vi illius non pauci retrahi poſſint à religione, quibus magis expediret tranſire ad religionem, quàm manere in ſæculo; præſertim cùm alioqui Epiſcopi vti poſſint, & de facto cum maxima vtilitate ſuarum diæceſum vtantur opera Regularium tum in miniſtrandis ſacramentis, & habendis concionibus, tum in alijs miniſterijs exercendis ad animarum ſalutem mirè conducentibus ita vt de Religioſis dici meritò poſſit, quòd portant pondus diei, & ęſtus, modò hæreticorum contumaciã ſcriptis, ac diſputationibus retundendo, modò chriſtianã fidem inter ethnicos, & barbaras nationes vſque ad ſanguinis effuſionem diſſeminando, modò prauos chriſtianos publicis concionibus, & priuatis adhortationib' ad ſaniorẽ frugẽ reuocãdo, modò orthodoxæ fidei rudimẽta imperitiorib' tradẽdo, modò ſacramẽta fidelib' adminiſtrãdo, modò diſciplinas tũ ſacras, tũ prophanas edocẽdo, modò diſſidẽtes animos inuicẽ reconciliando, modo ſalutaria conſilia ſuggerendo, modò agonizantibus in priuatis domibus aſſiſtendo, modò comitando reos ad ſupplicium mortis, modò conſcientiæ nodos diſſoluẽdo, modò diuina officia recitando, modò defunctorum corpora aſſociando, eiſque eccleſiaſticam tradendo ſepulturam, modò intereſſendo pijs proceſſionibus, modò alia id genus munia obeundo in Dei honorem, eccleſiæ ædificationem, & proximorum vtilitatem; idque vt omnia omnibus facti omnes Chriſto lucriſaciant. Vnde non videtur æquũ vt Epiſcopi ſe prægrauatos oſtendant, quòd vnus, aut alter ex ipſorum ſeminarijs tranſeant ad religionem, conquerentes ſe eos per plures annos ſumptibus propriæ Eccleſiæ enutriuiſſe in bonum religioſorum Ordinum, & iniuſtè priuari ſuis miniſtris; quin potiùs hinc deberent gaudere, memores tantillum hoc damni in centuplum modis dictis compenſari, ſicque ſe non ſuos amittere miniſtros, ſed tradere ad perficiendum, vt poſtea propriæ Eccleſię inſeruire valeant, & quidem meliùs, ac perfectiùs, quàm ſi remanſiſſent ſub habitu clericali in ſæculo.

QVÆ-

QVÆRES XVII. An poſſint admitti ad religionem Serui propriè dicti.

38 ℞. Non poſse abſque licentia ſuorum dominorum: patetque ex eo quòd, cùm tales ſerui, (quos propriè vocamus mancipia) quò ad actiones vtiles, ſint toti ſuorum dominorum, furtum ſui faciunt, ſi ſe illis ſubtrahunt; vnde fit, vt, etiamſi religioſam emiſerint profeſſionem, nihilominùs, ſi à dominis repetantur intrà triennium inchoandum ab initio ſuæ probationis, ipſis reſtitui debeant, ſicut habetur in *cap. ſi quis 17. q. 2.* iuncta *Gloſs.* ita *Sylueſt. v. religio 2. q. 3. leſſ. l. 2. c. 41. n. 31. Lezana to. 1. c. 24. nu. 20. Sanch. l. 5. mor. c. 4. n. 42. Mir. p. 1. q. 17. a. 2. alijque apud ipſos*, & patet ex dictis, magiſque patebit ex dicendis in *tract. de profeſſione cap. 2. q. 18.* Addo hic ſolùm ex Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 8. nu. 2.* ea, quæ diximus de Seruis propriè dictis, habere locum etiam in ſeruis, qui dicuntur originari; ſeu adſcriptij; ſi dominis obligati ſint non tantùm ratione poſſeſſionum, ſed etiam perſonarum, ita vt non niſi ſoluto pretio, aut gratis manumiſſi a proprio domino recedere poſſint: immò, & in alijs colonis, qui ratione poſſeſſionis, aut adminiſtrationis obligati dominis nondum rationem adminiſtrationis reddiderunt.

QVÆRES XVIII. An poſſint admitti ad religionem filij, qui habent parentes graui egeſtate laborantes.

39 ℞. Non poſſe, ſi aliunde parentibus ſuccurri non poſſit, & ipſi differendo ingreſſum religionis eorum neceſſitatem, ac indigentiam ſubleuare valeant. ita *S. Thom. 2. 2. q. 101. a. 4. Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 5. n. 11. Laym. l. 4. tra. 5. c. 4. n. 2.* alijque communiter, & probatur quia propter opera conſilij non debet prętermitti præceptum diuinum, & naturale: at filius per ſe loquendo, etiam ſecluſo conſilio de ſtatu perfectionis tenetur ex pręcepto naturali ſubuenire parentibus in graui neceſſitate conſtitutis; ergò non obſtante tali conſilio tenetur pręceptum illud ſeruare; ſi quidem præceptum eſt neceſſitatis, conſilium verò tantùm voluntatis: cũ tamen ſemper præferri debeat, quod eſt neceſſariũ. Quæ ratio, ſi probat intentum quò ad parentes exiſtentes in graui neceſſitate (quo modo re verà probat) à fortiori probabit etiam quò ad parentes conſtitutos in Extrema neceſsitate, vt notauit *Suar. ſup. n. 4.* (cum duplici tamen illa limitatione, quam appoſuimus ſub initium reſponſionis) addens *n. 3* eſſe certum, filium non teneri omittere, aut differre ingreſſum religionis ob eam parentum neceſsitatem, quam DD. vocant communem.

40 Triplex enim neceſſitas in præſenti caſu attendi poteſt; extrema, grauis, & communis: extrema dicitur, quando quis eſt in eo vitæ diſcrimine, vt, niſi ei ſubueniatur, moraliter certa ſit mors, aut grauiſſimum periculum illius: grauis dicitur, quando vita præſens ſuſtentari non poteſt, niſi cum magna penuria, indigentia, ac difficultate, aut cum magno dedecore, aut notabiliter cadendo a proprio ſtatu, aut exercendo opus alienum à conditione propriæ perſonæ: communis denique eſt, quando homini neceſſarium eſt parcè, & moderatè viuere, & non ſolùm ſuperfluis, ſed etiam congruis aliquando carere, & ſtatum potiùs mutare, quàm augere, vt poſſit hanc vitam tranſigere, cum adhibita induſtria, ac diligentia interim non deſint neceſſaria.

41 Addo quòd, cùm peculiaris titulus, ex quo filij tenentur differre, aut omittere ingreſſum religionis modo ſupradicto (qui titulus eſt, quòd filij à parentibus habent quidquid ſunt, tanquam à propria, & per ſe cauſa ſui eſſe) non militet quò ad alios conſanguineos, etiam auum: obligatio illa manendi in ſæculo, abſolutè loquendo, non debet ad hos extendi, licèt aliàs debitum pietatis, quo tenemur ſubuenire parentibus, etiam ad ipſos extendatur: ſi quidẽ quò ad hos debitum pietatis operatur ſolùm, vt iuxtà ordinem charitatis illi alijs præferantur, vel certè quòd ijs maius aliquod auxilium, aut ſubſidium exhibeatur, non tamen cum tanto diſpẽdio, maximè per multum tempus. ita *Suar. n. 9.* monens *n. 8.* quòd, quamuis teneamur ex bonis fortunæ ſubuenire proximis in extrema neceſſitate exiſtentibus, quando ea bona habemus, & nobis non ſunt neceſſaria ad conſeruationem vitæ; non tamẽ, regulariter loquendo, tenemur talia bona procurare, & acquirere magno cum labore, aut longioris temporis iactura, ſi ea non habemus: idque etſi ſubueniendum ſit proximo extremè laboranti: pręciſa enim ratio charitatis, ac miſericordiæ non obligat cum tanto rigore.

42 Quod autem diximus filios non poſſe ingredi religionem in caſu indigentiæ parentum grauis, aut extremæ: verum eſt, etiam ſi filius habeat votum ingrediendi, ratio eſt, quòd votum non poteſt obligare ad actum contrarium iuri naturali, & illud ipſum, quod redderet votum illicitum, ſi in principio exiſteret, excuſat ab obligatione voti, ſi poſtea ſuperueniat: cum tamen certum ſit, quòd filius, exiſtente patre in graui neceſsitate, non poſſet licitè vouere ingreſſum religionis, durante tali neceſſitate.

QVÆRES XIX. An poſſint admitti ad religionem qui habent filios indigentes.

43 ℞. Diſtinguendo: vel filij adhuc ſunt ſub cura parentum, ideſt ſub actuali patris ſubiectione; & ſic parentes non poſſunt admitti ad religionem, niſi ſufficienter illis prouideant de neceſſarijs, eoſque inſtituere poſſint per alios; hæc eſt enim naturalis obligatio ex naturali præcepto, ideòque omitti nõ poteſt ob opus, aut ſtatum non præceptum: vel filij iam ſunt emancipati, & non ſunt ampliùs ſub cura parentis, ſed gerunt ſe vt perſona omninò ſui iuris, & (vt ſic dicam) condiſtincta; & ſic, cùm pater, per ſe loquendo, non teneatur alere, aut inſtituere tales filios, ſed ſupponatur id ſufficienter feciſſe, quando eos emancipauit, poſſunt parentes admitti ad religionem, cùm hoc modo cenſeantur abſoluiſſe munus, & officium patris, iamque finita ſit obligatio naturalis alendi, ac inſtituendi filium, vt pote quæ non erat perpetua, ſed pro ſtatu naturalis, indigentiæ filij, quod tamen non facit, quia poſſit contingere patrem per accidens teneri ſubuenire filio indigenti eodem genere obligationis, vt diximus filios teneri erga parentes in neceſsitate conſtitutos: ſi quidem vinculum obligationis inter patrem, & filium eſt reciprocum quò ad ſtatum,

tum, & neceſſitatem, adeoque ſicut filius, licèt emancipatus tenetur ſuccurrere patri exiſtenti in neceſſitate; ita & pater tenebitur ſubuenire filio pati neceſſitate laboranti, quantumuis ſit emancipatus. ita *Suar. ſup. c. 6. n. 2.* ex dictis inferens parentes non ex accidenti ſolùm, ſed per ſe teneri alere, & inſtituere filios, nimirum ratione ſui muneris: cùm è contra filij non teneantur alere proprios parentes, niſi per accidens, ratione neceſſitatis; quod eſt benè notandum.

QVÆRES XX. An poſſit admitti ad religionem, qui habet fratres indigentes.

44 ℞. Sub diſtinctione; vel fratres ad huc ſunt ſub cura parentis: & ſic non poteſt admitti ad religionem qui habet fratres indigentes: nò quidem quòd frater per ſe teneatur alere fratrem, quamuis minorem natu (non enim tenetur cùm non ſit illius principium) ſed quòd fratres indigentes ſub cura parentis adhuc exiſtentes cenſentur augere neceſſitatem, & indigentiam illius, quatenus ij in tali ſtatu conſiderantur vt pars patris, & alioqui ſub neceſſitate parentis comprehenduntur quæcunque pertinent ad munus, & ſtatum illius, inter quæ vtique præcipuum locum tenet filiorum educatio; vel fratres conſiderantur vt ſeparati à parentibus iam defunctis; & ſic poteſt admitti ad religionem qui habet fratres indigentes; cùm obligatio vnius fratris ad alium ſit ſolius charitatis, maior quidem, quàm ſit inter extraneos ratione maioris coniunctionis, non tamen excedens modum illius obligationis: vnde, licèt vrgente neceſſitate de præſenti, aut ad breue tempus, poſſit occurrere aliqua obligatio ſuccurrendi fratribus, etiam differendo ingreſſum religionis, cùm moraliter eiuſmodi nocumentum pro nihilo reputetur; non poteſt tamen frater obligari ad expectandum longo tempore, vt in futurum fratribus prouideat: ſi quidem charitas, aut miſericordia per ſe ad hoc non obligant cum eo damno, quod moraliter reputatur graue ita *Suar. n. 4.* concedens tamen indigentiam fratrum eſſe cauſam valdè iuſtam ad differendum, aut omittendum ingreſſum religionis: cùm ex ſe illud opus ſit magnæ charitatis, & ex natura rei magnam habeat decētiam, eſto non perueniat ad rigorem obligationis.

45 Addit *Suar. n. 5.* quòd, quamuis aliqui viri docti cenſeant habentem votum religionis ex ſe iam obligans poſſe tuta conſcientia, etiam ſine diſpenſatione, differre ingreſſum ob huiuſmodi neceſſitatē fratrum, iudicio viri prudentis: oppoſitum tamen videtur ſuſtinendum; cùm voti obligatio omitti non poſſit propria auctoritate, niſi ipſa priùs ceſſet: cùm tamen ex ſe, ſecluſa diſpenſatione, non ceſſet, niſi quando eius materia ratione nouæ mutationis ſit incapax voti obligationis, aut certè moraliter creditur non cecidiſſe pro eo caſu ſub intentionem vouentis: quorum nullum in præſenti caſu habet locum, vt conſtat ex dictis: qua de re conſulatur *Sanchez l. 4. mor. cap. 20. nu. 31. & 32.*

QVÆRES XXI. An poſſint admitti ad religionem, qui ſunt onerati debitis.

46 ℞. Diſtinguendo: vel debita ſunt incerta (ſiue ex parte creditorum, eò quòd non conſtet, quinam ij ſint: ſiue ex parte ipſius debitoris, eò quòd dubitet, num verè debeat); & non impediunt ingreſſum religionis, ſi ingreſſurus non habeat vnde ſoluat, aut certè vnà cum ſua perſona omnia ſua bona tribuat religioni (nec in caſu; quo ſit impotens ad ſoluendum, tenetur priùs quærere, aut lucrari vnde reſtituat, imò nec per breue tempus expectare, etſi certò ſperet ſe intra illud habiturum, vnde ſoluat: cùm enim reſtitutio nulli certæ perſonæ fieri debeat, parum refert creditoribus, etiam ſi omittatur ob præſentem impotentiam). Vel debita ſunt certa: & hæc ſine dubio impediunt debitori ingreſſum religionis, ſi ſint ingētia ſuprà vires hęreditatis, aut certè creditores nō remittant debitū vel omninò, vel acceptando cautionem, aut aliam conditionem à debitore; quamquam, ſi debitor ſit valdè diues, adeoque habeat, vnde ſoluat abundanter, poſſit admitti ad religionem, data cautione ſupradicta, aut impoſita obligatione de ſoluendo ſuper bona propria immobilia, cùm & creditores ſint tuti de ſolutione, & conſequenter immeritò ſint inuiti quò ad ingreſſum religionis faciēdum à proprio debitore. ita *Portel. v. nouitij qualit. num. 19. Rodriq. tom. 3. q. 10. a. 9. Mirand. tom. 1. q. 17. a. 7. Nald. v. religioſus num. 2. Peyr. de R. S. quæſt. 1. cap. 25. §. 3. Sanch. l. 4. mor. c. 19. nu. 2. & ſeqq.* alijque, inter quos benè aduertit *Portel.* hanc reſponſionem habere verum, ſiue debita ſint realia, (v. g. pecuniæ, frumenti, &c.) ſiue ſint perſonalia, cuiuſmodi eſt debitum illius, qui fuit damnatus ad aliquam pœnam perſonalem.

Modò difficultas eſt, an poſſit admitti ad religionem is, qui eſt oneratus ingenti debito, & de præſenti non habet, vnde ſoluat.

47 ℞. Adhuc diſtinguendo: vel debitor eſt impotens ad ſoluendum tum in re, tum in ſpe, eò quòd nec in præſenti habeat, vnde reſtituat, nec ſperet ſe habiturū; & ſic poteſt admitti ad religionem cū inanis ſit actio creditoris, quam excludit inopia debitoris, & debitor in tali ſtatu perinde excuſetur à ſolutione debiti, ac ſi nihil deberet; vel debitor nō habet quidem actu, vnde ſoluat, probabiliter tamē ſperatur fore, vt manens in ſæculo acquirat bona, quibus ſoluat; & ſic, quamuis probabile ſit hunc nō poſſe admitti ad religionem; cùm præceptum naturale ſoluendi pręferri debeat cōſilio ingreſſus religionis; & nefas ſit quærere lucrum ſpirituale cùm præiudicio tertij; probabile tamen eſt etiam oppoſitum, hunc ſcilicet poſſe admitti ad religionem; modò cedatur bonis in fauorem creditorum, & debitor non poſſit breui tempore (ideſt per biennium) manendo in ſæculo, acquirere bona, quibus ſit ſoluendo, & quidem abſque notabili difficultate. Ita *Sanch. ſup. n. 7. & 8.* alij penes ipſum, & probatur, quia perſona debitoris pro debitis non ita aſtringitur, vt ipſa ſit debita, & quaſi captiua inſtar ſeruorum, ſed tantum obligatur ad illis ſatisfaciendum; ſola autem eius bona ſunt priori modo alligata; ergò, ſi ſit moraliter impotens ad ſatisfaciendum, ſufficiet, quòd bona, quæ habet, tradat creditoribus; at reputatur moraliter impotens, qui non poteſt proximè acquirere bona, quibus ſoluat; aut certè non ſine magna difficultate: vt vel hinc patet, quod ſicut cenſetur moraliter impotens ad ſoluendum,

qui nequit acquirere abſque iactura famæ, ita & cenſeri debet, qui non poteſt ſine notabili difficultate, & maximo detrimento boni ſpiritualis; quale eſſet diu expectare in ſeculo modo ſup. dicto, quod non approbat *Caſtr. Pal. ſup.* §. 4. *num.* 7. dicens, ſi ſit ſpes ſoluendi per dilationem ingreſſus religionis, debitorem teneri expectare in ſæculo non ſolùm biennio, ſed quadriennio, & ſexennio.

48 Dices, quid ſi, ſpectatis omnibus circunſtantijs, dubium ſit, an debitor, expectato biennio, & quidem ſine notabili difficultate poſſit comparare bona, quibus ſatisfaciat creditoribus, poſſet ne tunc admitti ad religionem?

℟. *Sanch. n.* 9. non poſſe, eò quod in tali dubio præualeat ius creditorum, vt pote qui poſſident ius, vt ſibi ſoluatur; ſecùs, ſi adſint vtrinque rationes probabiles, tunc enim probabiliter iudicari poteſt debitorem poſſe admitti ad religionem, cùm in tali caſu probabile ſit etiam non ſubeſſe ſpem acquirendi bona ſufficientia ad ſoluendum, & alioqui, concurrentibus duabus opinionibus probabilibus de eadem re, liberum ſit amplecti, quam maluerimus, & quidem etiam minus probabilem.

49 Porrò quæ dicta ſunt occaſione huius quæſt. verum habent ſolùm quò ad debita prouenientia ex mutuo contractu, vel delicto, non item quòd ad ea, quæ oriuntur ex ſola liberali promiſſione; quò ad hæc enim putant, *Medina, Gerſon. & Carbon. apud Sanch. num.* 10. *Suar. cap.* 7. *num.* 13. *& alij* non poſſe contingere, quòd debitor teneatur manere in ſeculo ad effectum ea ſoluendi: cùm eiuſmodi promiſſiones ita ſemper intelligendæ videantur, vt ingreſſum religionis non retardent: idque ex interpretata intentione promittentis, qui in talibus promiſſionibus non cenſetur voluiſſe ſe obligare cum tanto rigore, & diſcrimine.

Addit *Caſtrus Pal. num.* 8. *ex Sylu. Sanch.* debitorem, ſi neglecta obligatione ſoluendi debita profiteatur in religione, neque Prælatum teneri dari ei licentiam manibus laborandi, vel alia via decenti bona acquirendi ad ſoluenda debita; nec ipſum debitorem teneri vti dicta licentia: cùm is iam ſit religionis, & profeſſione facta cum bonorum ceſſione. diſſentit tamen *Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 6. *cap.* 10. *n.* 7.

An autem ſit valida admiſſio illius, qui cùm ſit ſupra vires ſuæ hæreditatis grauatus ære alieno, recipitur in religionem.

50 ℟. Eſse tum iure communi, tum poſt bullam Sixti V. explicatam *cap. praced.* iure quidem communi ex eo quòd perſona debitoris non eſt ſerua creditorum, nec eis debita, quamuis ſit obligata ad ſatisfaciendum; ideoque tenebit traditio, qua debitor ſe tradit religioni, licèt aliàs poſſit eſse illicita; poſt bullam verò Sixti V. ex eo quòd Clemens Octauus dictam Conſtitutionem moderatus ſit, quatenus declarabat irritam profeſſionem eorum, qui in religionem admittebantur, cùm eſsent ingenti ære alieno grauati ſuprà vires ſuarum facultatum, vel reddendis rationibus ita obnoxij, vt ex huiuſmodi cauſa lis, vel moleſtia illata ſit, vel timendum ſit, ne inferatur: vnde, ſtante hac moderatione, profeſſio grauatorum ære alieno eſt valida, etſi illicitè ii aliàs admittantur; quippe quæ iure communi valebat, & modò per Conſtit. Sixti non irritatur, cùm quò ad hoc illa fuerit reuocata, & ad ius commune redacta; quòd ſi talis profeſſio eſt valida, vtiquè & valida erit admiſſio ad nouitiatum, cuius validitas neceſsariò præſupponitur ad valorem profeſſionis, vt patet: & hoc inſinuat *Suar. ſup. l.* 5. *cap.* 7. *num.* 21. dicens bullam Sixti moderatam fuiſse quo ad hoc vt profeſſio ſupradictorum hominum valeret, quòad illicitam eorum receptionem, & pœnas recipientium in ſuo adhuc manſiſse vigore.

QVÆRES XXII. An poſſint admitti ad religionem, qui promiſerunt ſe aliquid facturos in alterius vtilitatem (v. g. ſe lecturos ad aliquod tempus in publica vniuerſitate,) & adhuc non impleuerunt promiſſionem.

51 ℟. Poſse ſiue promiſſio illa firmata fuerit iuramento, ſiue non: patetque ex dictis *q.* 12. §. *quod vero.* ita in terminis *Sanch. nu.* 31. citans plures alios pro ſe *Suar. n.* 13. & alij; inter quos *Sanch. n.* 34. exiſtimat in caſu propoſito eum, qui non implet promiſſionem, non teneri perficere per alium, nec obligari ad æſtimationem, neque ad damna inde conſequentia: ſiquidem cùm tali contractui inſit conditio tacita, niſi elegerit tranſire ad religonem, hòc ipsò quòd eligit talem tranſitum, nihil amplius debet, obligatione contractus manente omniuò extincta ex defectu conditionis non purificatæ: in quo videtur diſſentire *Suar. n.* 13. cum dicat in iſto caſu obligatum ſatisfacere implendo per alium, quamuis non expreſſe dicat eum ad id teneri.

QVÆRES XXIII. An admitti poſſint ad religionem qui ſunt obnoxij reddendis ratiocinijs.

52 ℟. non poſſe: ſiue ratiocinia pertineant ad officium publicum, aut communitatem, ſiue ſint priuata, qualia ſolent exigi ab Oeconomo, Tutore, Curatore, & ſimilibus ita *Suar. ſup. num.* 20. *Miranda p.* 1. *q.* 17. *artic.* 6. *Portel. de dub. Regul. verb. nouitij qualit. num.* 20. & alij con. *Sanch. vbi ſupr. num.* 19. *Peyr. ſup.* §. 3. alioſque ab ipſis relatos ſuſtinentes obligatum ad ratiocinia non excludi à religione, niſi quando ratiocinia ſpectant ad officium publicū; quamquam dici poſſit iſtos loqui iuxtà ius commune antiquum latum in *c. legem d.* 53. vt innuit *Miranda* dicens, poſt Conſtit. Sixti V. noſtram ſententiam eſſe neceſſariò ſequendam patet reſponſio ex Conſtit. Sixti *Cum de omnibus*, quæ cùm generaliter dicat, *vel reddendis ratiocinijs ita obnoxios, vt ex huiuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eis iam illata, vel timendum ſit, ne inferatur*; generaliter debet intelligi, ita, vt comprehendat ratiocinia tam priuata, quàm publica: dummodò tamen in ijs verificetur conditio ibi appoſita, & modò relata; vnde, ſi ratiocinia moraliter credatur poſſe reddi ſine lite, aut magno grauamine, vel diſtractione, dicta conditio non impediet ingreſſum religionis: idque iudicio viri prudentis, attenta qualitate, aut grauitate ratiociniorum; quamquam (inquit *Suar.*) conſultius ſit prius omninò expedire hæc ratiocinia, ſicq; regulariter obſeruandum ſit, niſi vbi ſpecialis aliqua neceſſitas coegerit, concurrente ſimul prudenti iudicio, & probabili ſpe, quòd res ſine lite, ac moleſtia tranſigi, & finiri poterit.

Quin

53 Quin etiam dicit *Peyr. loco cit. Diaz in pract. c. 2. n. 6. Nald. verb. religioſus num. 2.* quod ſi patrimonium illius, qui eſt obnoxius ratiocinijs reddendis, & vuult profiteri in religione, longè ſuperet æſtimationem adminiſtrationis præſtitæ, & rationes eius nō ſint adeo implicatæ, vt ei ꝓbabiliter credatˉ inde inferri poſſe moleſtiā, poſſet is licitè profiteri (adde tu & admitti ad religionem, cùm ſit eadem ratio, immò & maior): dico licitè; certum quippe eſt admiſſionem, & profeſſionem in pręſenti caſu eſſe validam, vt in ſpecie aduertit *Portel. vbi ſup.* & conſtat ex dictis *q. 21. §. an autem.* Dicit præterea *Peyr. ex Diaz* neque impediri ab ingreſſu religionis eum, qui ante ingreſſum ſufficientem præſtat cautionem, qua alij tanquam fideiuſſores ſuſciperent obligationem reddendi ratiocinia pro ipſo: cùm ſic ceſſet ratio prohibitionis, vt patet.

QVÆRES XXIV. An poſſint admitti ad religionem viri illegitimi.

54 ℞. Poſſe, niſi obſtent peculiares Conſtitutiones religionum: & probatur ex eo quod, licèt Sixtus V. in citata Conſtit. Cum de omnibus prohibuerit illegitimos quoſcunque admitti ad habitum, & profeſſionem religionis, niſi certis quibuſdam conditionibus poſitis, eorumque profeſſionem irritam declarauerit; poſteà tamen Greg. XIV. anno 1591. in ſua Conſtit. *Circumſpecta*, quæ eſt 2. in ordine, dictam Conſtitut. Sixti V. moderatus eſt, ſtatuens eos, qui quouis modo illegitimè procreati fuerint, ad habitum, & profeſſionem regularem admitti poſſe, quemadmodum admitti poterant, ſi ſup. dicta Conſtitut. eiuſque declaratio editę non fuiſſent: ita tamen, vt, cùm de recipiendis quomodocumq; illegitimè natis ad habitum, & profeſſionem Ordinum quorumcumque ageretur, ij, ad quos ſpectat huiuſmodi receptio, præter alia, de quibus ex dictarũ Conſtitutionum pręcepto circa quoſcumq; etiam legitimos perquirere debent, diligenter vitā eorũ & mores inquirant, & ita demũ eos recipiant; ſi tamen bonā indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, & tot eis merita ſuffragentur, vt natalium ſuppleant defectum, eorumque receptio religionis commodo, & vtilitati profutura videatur, & ſuper hoc ipſo ij, ad quos pertinet huiuſmodi receptio, matura deliberatione ita cenſuerint, & iudicauerint: dummodò tamen filius illegitimus in religione, in qua pater, ſiue ante, ſiue poſt natiuitatem dicti filij profeſſus fuerit, ipſo patre viuente, non admittatur. Ex quo infert *Portel. ſup. num. 11.* & benè mortuo patre filij illegitimi, hunc poſſe admitti ad religionem; monens ex *Miranda quæſt. 21. a. 5.* hanc vltimam limitationem appoſitam à Gregor. XIV. fuiſſe abrogatam à Clemente Octauo, adeòque in tali caſu validam eſſe profeſſionem, eſtò Pręlatus admittens non euitet pænas.

Dubitat hìc *Lezana tom. 1. cap. 24. num. 21.* an ſtantibus conſtitutionibus Sixti V. Gregorij XIV. & Clementis Octaui editis de recipiendis illegitimis in religionem, eorum receptio in præſentia, ſicut eſt valida, ita & ſit licita: ratio dubitandi eſt, quòd Clemens Octauus in ſua Conſtit. *In ſuprema* edita anno 1602. non eſt moderatus pænas à Sixto V. latas contra Præfatos admittentes illegitimum ad habitum, & profeſſionem religioſam, vt iam dictum eſt, & conſequenter declarauit dictam admiſſionem eſſe illicitam: cùm non taxetur pæna, niſi vbi eſt culpa.

55 ℞. Nihilominus videri dictam admiſſionem eſſe licitam, ideoque dicendum pænas præfatas, etiā modò afficere Prælatos admittentes ad religionem illegitimos, non quidem abſolutè, ſed ſolùm in caſu, quo admiſſio fiat, non ſeruatis conditionibus præſcriptis in bulla Gregorij XIV. præter quàm quòd dici poteſt Clementem Octauum in illa ſua Conſtitut. moderatoria loquutum fuiſſe de Conſtitutionibus Sixti, non autem de bulla moderatoria Gregorij XIV. de qua hìc; ac proinde pænas prædictas, quatenùs continentur in Conſt. Gregorij, non ampliùs ſubſiſtere, ſed fuiſſe ſublatas.

QVÆRES XXV. An poſſint admitti ad religionem, qui præ morbo, aut ſenectute non poſſunt obſeruare regulam proprij Ordinis.

56 ℞. Regulariter non poſſe, niſi fortè perſona admittenda eſſet talis, vt, quamuis non poſſet ſeruare accidentalia regulæ, eius admiſſio ceſſura eſſet in maximum bonum religionis, ac inſigne ædificationis exemplum. ita *Peyr. de R. P. q. 3. cap. 1. num. 74. cum Ledeſm. Suar. Rodriq. Vecch. & alij cum S. Tho. 2. 2. q. 189. a. 10.* patetque tum quia turpis eſt pars, quæ non congruit ſuo toti: quod tamen eueniret in caſu noſtro; tum quia profitens in religione promittit obſeruare regulam, & conſtitutiones ſui Ordinis: quo modo autem poteſt id promittere, qui certò ſcit ſe fore ad hoc impotentem, & quidem non ad breue tempus, ſed perpetuò, vel certè ad longum tempus? cùm tamen nouitiatus ordinetur ad profeſſionem.

57 Nec obſtat, quòd profitens promittit ſeruare regulam eo modo, quo ipſa obligat; regula autem non obligat, quamdiu iuſta cauſa excuſat: ſi quidem tunc demum habet locum iſta doctrina, quando iuſta cauſa nō eſt præſens, ſed ſuperuenit: alioqui ſimilis promiſſio dicenda eſt potius irriſio, quàm promiſſio; non ſecùs ac cenſeretur irridere, qui, cùm ſit pauperrimus alteri promitteret 1000. dicens, ſeruabo promiſſum eo modo, quo promiſſa debent ſeruari, nimirum ſi potero; quod eſt contra *Sanch. Rodriq. & Fauſtum apud ipſum Peyrinum.*

QVÆRES XXVI. An poſſint admitti ad religionem viri omninò illiterati.

58 ℞. Non poſſe, ſi admitti debeant inter Clericos, ratio eſt, quòd iſti iure communi ſunt irregulares quò ad ſacros ordines; vt ſatis apertè colligitur ex *cap. illiteratos d. 36.* præterea id cedit in notabile damnum Ordinis, qui cùm pro ſuis miniſterijs indigeat viris prudentia, doctrina, & morum probitate conſpicuis, videt ſibi aggregari homines ineptos, indoctos; imprudentes, ac otioſos, ideoque præ dolore ingemiſcens ſuam deplorat calamitatem cũ *Iſaia cap. 9. multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam*: qua de re *Miranda p. 1. q. 29. a. 5.*

QVÆRES XXVII. An poſſint admitti ad certam aliquam religionem, qui vouerunt ingredi aliam, & quidem ſtrictiorem.

59 ℞. Poſſe ex priuilegio conceſſo Camaldulenſibus montis Oliueti, & relato in *comp. priuilegiorum*

Fratrum

Fratrum S. Hierony. de Hiſp. v. nouitius, vbi habetur, quòd poſſunt per communicationem priuilegiorũ Priores Ordinis omnes, & ſingulos ad probationem & profeſſionem recipere, licèt aliam Religionem, aut Ordinem, etiam arctiorem ingredi vouiſſent, eoſque auctoritate apoſtolica ab huiuſmodi voto abſoluere, & ſuper omnibus alijs votis (religionis excepto) cum ipſis diſpenſare. tale priuilegium conceſſit Leo X. Camaldulenſibus, Iulius II. Congregationi montis Oliueti, Eugen. IV. Ordini S. Auguſt. & Alex. IV. Carthuſienſibus, teſte *Sorbo in comp. v. nouitius fol. mihi* 437. (qui tamen non explicat, num talis conceſſio fuerit per bullam facta, an ſolùm viuæ vocis oraculo) & per viam communicationis eſt commune omnibus Ordinibus (ſi quidem tanquam viuæ vocis oraculo non fuit ablatum in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum facta à Gregor. XV. & Vrb. VIII. quamqnam in dubio, an fuerit reuocatum, præſumi poſſit non reuocatum, cùm in dubio melior ſit conditio poſſidentis.)

60 Notat autem *Portel. ſup. v. votum in addit. n.* 36. ad hoc vt quis ex vi talis priuilegij poſſit admitti in Ordinem minùs ſtrictum poſt emiſſum votum Ordinis ſtrictioris requiri, vt admittẽdus Prælato admittenti manifeſtet tale votum; ſi quidem in conceſſione ſupra dicti priuilegij expreſsè dicitur, vt Prelatus recipiens priùs diſpenſet, & poſtea recipiat; ad quod vtiq; requiritur, vt votũ ipſum manifeſtetur.

QVÆRES XXVIII. An poſſint admitti ad religionem, qui ſunt maculati ob parentum genealogiam, eò quod fuerunt Iudæi, Turcæ, hæretici, &c.

61 ℟. Poſſe, ſtando in iure communi, quidquid ſit de iure particulari vniuſcuiuſque Ordinis; quod eſt valdè varium, vt notauit *Portel. ſup. v. nouitius in addit. n.* 22. dicens *nu.* 23. quod quamuis filij hæreticorum, & ſimilium iuxtà communiorem DD. ſententiam non incurrant pænas in iure ſtatutas contra filios hæreticorum, ſi hi concepti ſint ante delictum parentum, vt oſtendit *Sanch. l.* 2. *mor. c.* 27. *nu.* 13. *& ſeqq.* nihilominus, quod ſpectat ad rem præſentem videntur excludendi à religione, ſi in aliquo Ordine filij hæreticorum prohibeantur recipi in eo: idque etſi illi fuerint modo dicto geniti ante delictum parentum; ratio eſt, quod ſtatuta religionum nõ prohibent recipi in religione filijs hæreticorum in pænam delictorum parentum (quo modo ius commune contra dictos filios ſtatuit, vt ſint infames, bona amittant, &c.) ſed hæc decernunt pro quiete, pace, ac honore religionis; quę ratio vtique militat, etiam in filijs conceptis ante delictum parentum: vnde non eſt mirum, etiam illos comprehendi ſub dictis ſtatutis. ita Pottel. & meo iudicio probabiliter.

QVÆRES XXIX. An, & quo caſu admitti poſſint ad alium Ordinem Religioſi, qui à proprio Ordine legitimè eiecti ſunt.

62 ℟. Poſſe, & quidem inconſulto proprio Prælato, & ſine licentia Papæ, ſi iam ſint emendati, & deſperent fore, vt iterum recipiantur ad priorem Ordinem. probatur tum quia religioſus in perpetuum eiectus quaſi fit ſui iuris, nec prior religio præſumitur velle obeſſe bono ipſius, cũ tamen eiecto melius ſit ingredi alium Ordinem, quam commorari in ſæculo: tum quia currit paritas inter matrimoniũ carnale, & profeſſionem religioſam, quæ eſt matrimonium quoddam ſpirituale; ſicut ergò vir adulter poteſt ingredi religionẽ, ſi emẽdatus petit ab alio coniuge gratiam reconciliationis, & non obtinuit, nec poteſt reuocari poſt emiſſam profeſſionẽ; ita & Religioſus in perpetuum eiectus, ſi poſt emendationẽ petat iterum admitti, & non obtineat, ingredi poterit alium Ordinem, nec, emiſſa profeſſione, poterit ampliùs reuocari à priori Ordine: cùm per hãc poſteriorem profeſſionem acquiſitum ſit ius poſteriori Ordini, & prior religio ſibi imputare debeat, quod illum prius non reuocauerit, & admiſerit. ita *Bonac. de clauſ. q.* 2. *p.* 12. *§.* 4. *num.* 1. *cum Nau. Armill. Sanch. Rodriq. Sanctarel. & alijs contra Tabien. v. religio q.* 26. *& Ang. ibi n.* 42. aſſerẽtes in caſu propoſito petendam eſſe licentiam à Prælato prioris Ordinis, & contra *Suar. D.* 22. *de cenſur. ſect.* 5. *n.* 20. alioſque docentes religioſum eiectum non poſſe ingredi aliam religionem abſque licentia Papæ.

63 Nec obſtat bulla Greg. XIII. edita 22. Sept. 1582. qua conceditur Præpoſito generali Soc. Ieſu (& quidem incommunicabiliter,) vt ijs, quos iudicauerit dimittere à Soc. dare poſſit licentiam demigrandi ad quemuis alium mendicantium, vel non Mendicantium paris, laxioris, aut arctioris obſeruantiæ Ordinem per ipſum Præpoſitum illis præſcribendum, ibique habitum recipiendi, ac profitendi, de conſenſu tamen Prælati loci, ad quem deſtinantur: quod eſt ſignum Religioſum eiectum non poſſe liberè tranſire ad alium Ordinem. nõ obſtat inquam, cum hęc conceſſio extendatur ad quoſcumque eiectos (quod vtique eſt priuilegium peculiare Societatis) nos verò loquamur de caſu particulari, quo eiectus in perpetuum à ſuo Ordine modo ſupra dicto tranſit ad aliam religionem: qui caſus eſt valde diuerſus, adeòque non debet reputari excluſus per ſupradictam conceſſionem; cùm à diuerſis non fiat illatio.

CAPVT V.

Qualis debeat eſſe nouitiorum Inſtitutio.

1 *Magiſter nouitiorum debet eſſe in ſuo genere omni exceptione maior, & eſt omninò neceſſarius.*
2 *Pluribus, & varijs dotibus debet eſſe inſignitus.*
3 *Eius conſilijs, ac directioni debent ſtare nouitij.*
4 *Propriam conſcientiam ei debent aperire.*
5 *Exercendi in oratione, ac pia meditatione.*
6 *Afferuntur media ad orandum, ac meditandũ vtiliùs.*
7 *Exercendi in piorum librorum lectione.*
8 *Indicatur modus id faciendi maiori cũ fructu ſpirituali.*
9 *Facere debent conſcientiæ examen tam generale, quàm particulare.*
10 *Oſtenditur praxis examinis particularis.*
11 *Aſſignantur regulæ ad illud vtilius faciendum.*
12 *Iuuandi pijs adhortationibus tum priuatis, tum publicis.*
13 *Debent frequentare ſacramenta.*
14 *Admiſſi inter nouitios inſtituunt generalem cõfeſſionem.*
15 *Debent inſiſtere ſui ipſius abnegationi.*
16 *Exercendi in auſteritatibus corporalibus.*
17 *Sed debita cum ſubordinatione, ac diſcretè.*
18 *Aſſuefaciendi colloquijs ſpiritualibus.*

19 *Obſeruare debent ſilentiũ iuxtà regulã, ac uſum Ordinis.*
20 *Non permittendi vacare ſtudijs literarijs.*
21 *Remouendi à conuerſatione ſacularium; & ad hunc effectum à Clemente VIII. varia præſcripta ſunt.*
22 *Ex decreto eiuſdem Clementis in varijs exercitijs ſpiritualibus exercendi, quæ enumerantur.*
23 *Morum compoſitio, etiam externa, ab ijs procuranda.*
24 *Moderatæ recreationes illis concedendæ.*
25 *Puniendi, ſi delinquant contrà regulas, ſed diſcretè.*
26 *Debent opportuna corporis exercitia obire.*
27 *Ex decreto Clementis inſiſtendum bonæ inſtitutioni nouitiorum, quos vocant Conuerſos.*
28 *Ex eiuſdem Clementis decreto peculiaris ratio habenda in inſtitutione nouitiorum recens profeſſorum.*
29 *Oſtenditur qualis debeat eſſe habitatio nouitiorum ex dicto decreto.*
30 *Decreta lementis allegata videndum eſt, an, & qualiter modo obligent in vnoquoque Ordine.*

QVÆRES I. Quantum conferat ad Nouitiorum inſtitutionem quod ipſis præficiatur magiſter idoneus.

1 ℞. Summè conferre, & quidem non minùs, quàm cõferat medicus ęgrotanti, ductor itinerãti, Imperator militi, magiſter diſcipulo, nutrix infanti; vide *B. Laur. Iuſtin. li. de obed. c. 20.* ait: *Omni ſedulitate exercẽdi ſunt in religione rudes, ne pereffluant, ne torpeãt, ne obdureſcant, ne ſuo imitantur ſenſus, proprioq; ducãtur arbitrio, ſed tanquã diuino oraculo ſuo in omnibus credant pedagogo, & ipſius in cũctis obtẽperent nolũtati; nolint diſcernere, quare, ſed quid præcipiat, illo neminẽ iudicẽt ſanctiorẽ, prudentioremq; ipſum purè diligant, ipſum venerentur, ipſi tota deuotione famulentur, &c.* ſic *S. Bernard. ſer. 77. in cant.* expendens illa verba *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Audiant,* inquit, *qui ſine duce, & præceptore vias vitæ ingredi non formidant: ipſi ſunt in arte ſpirituali exiſtentes, & diſcipuli pariter, & magiſtri; non ſufficit hoc, etiam coacernant diſcipulos ſibi caci duces cæcorum; videant proinde, qui eiuſmodi ſunt, quo modo cautè ambulent, & de Sponſa exemplum ſumant, quæ nõ prius ad eum, quem deſiderabat, vllo modo valuit peruenire, quàm ſibi occurrerent quorũ magiſterio vteretur ad cognoſcendum de dilecto; certè ad diſcendum timorem Domini ſeductori dat manum qui dare diſſimulat præceptori,* ait Salomon *prou. 11. Vbi non eſt gubernator, populus corruet; ſalus autem, vbi multa conſilia;* ſic denique *Act. 9.* Paulo dicenti *Domine quid me vis facere,* non reſpondit Chriſtus hæc, & hæc facias, ſed dixit, *Surge, & ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere.*

QVÆRES II. Qualis debeat eſſe magiſter Nouitiorum.

2 ℞. Iuxtà decreta Clement. VIII. edita 19. maij 1603. *ſuper educatione, ac receptione Nouitiorum,* debere eſſe talem, vt ſit Sacerdotali ordine initiatus, ac in quinto ſaltem ſupra 30. ętatis ſuæ annum conſtitutus, doctrina, & vitæ etiam anteactæ exẽplo præſtans, addictus operibus orationis, & mortificationis, prudentia, & charitate refertus, non ſine affabilitate grauis, zelum Dei cum mãſuetudine pręferens, ab omni cordis, ac animi perturbatione, ira præſertim, & indignatione quàm longiſſimè alienus, & talis demum, vt in omnibus ſe ipſum bonorum operum exemplum præbeat, ſicque ij, qui eius curæ ſubſunt, illum non tam metuant, quam reuereantur, nec illi vnquam detrahere poſſint.

QVÆRES III. Qualiter debeant Nouitij inſiſtere conſilijs proprij magiſtri, eiuſque ductum ſequi in omnibus.

3 ℞. Debere ſequi non ſolum in fuga mali, ſed etiã in aſſecutione boni, itaut ipſe & orationis ſpatium metiatur, & ieiunia moderetur, & vigilias ſuccidat, & corporis afflictationes moderetur, &, ſi fieri poſſit, nõ ſolũ quę agẽda ſunt, ſed etiam ipſum agẽdi modum in omnibus præſcribat. huc facit quod ait *S. Baſilius ſerm. 1. de inſtitut. Monach. Continentia, & omnis incommodorum perpeſſio vtiliter hæc quidem comparata ad aliquid ſunt; at ſi quis propria obſequens volũtati ſpretis conſilijs Antiſtitis ſui id facere voluerit quidquid ipſi collibitum ſit, hic plus erit quod faciet mali, quã quod boni.* Quo facit conſilium Salomonis *Eccl. 38. Da locum medico;* ipſe enim videt, quæ æger non videt, ſiue affectu immoderato captus, ſiue timore cęcus, ſiue afflictione oppreſſus; & morbi radicẽ exſcindens illud ſanat, quod patienti iam deſperatũ, & inſanabile videbatur; facit denique quod ait *Caſſian. collat. 4. c. 20.* his verbis *Vnum ſanè atque idem inobedientiæ genus eſt vel propter operationis inſtantiam, vel propter otij deſiderium ſenioris violare mandatum: tamq; diſpendiorum eſt pro ſomno, quàm pro vigilantia monaſterij ſtatuta conuellere.* Hæc igitur benè aduertãt nouitij, hincque ſinant ſe à proprio magiſtro in omnibus regi, memores volentem ſine obedientia proficere eò ipſo deficere, magniſque periculis ſubiacere iuxta illud *prou. 26. Vidiſti hominem ſapientẽ ſibi videri? magis ſpem illo habebit inſipiens;* audiant deniq; quæ habet *S. Vincentius Ferrerius tr. de vita ſpirit. Sciẽdum eſt,* inquit, *quod homo faciliùs, & in breuiori tempore poſſit ad perfectionem pertingere, ſi haberet inſtructorẽ, cuius regimine duceretur, cuius obedientiam in omnibus actibus paruis, & magnis totaliter ſequeretur, quã aliquis poſſet ſe ipſum perficere, quantumcumque vigeat acumine intellectus, & libros habeat, in quibus videat virtutũ omnium ſtructuram exaratam: immò plus dico quod nunquã Chriſtus ſuã gratiã miniſtrabit, ſi homo habet, à quo poſſit inſtrui, & deduci, & negligit, vel non curat alterius ducatum amplecti credens ſibi ſufficere, & per ſe poſſe inueſtigare, & inuenire, quæ ſunt vtilia ad ſalutẽ.* ita S. Vincent. & ſuo malo expertus eſt Herõ ille, de quo *Caſſian. coll. 2. c. 5.* refert. quòd, cùm in remiſſione ieiunij, ac ſilẽtij nũquã acquieuiſſet maiorũ monitis, & cõſilijs, iuſto Dei iudicio permiſſus eſt à Dęmone miſerè decipi, ſe ipſum in profundiſſimũ puteũ conijciendo, ibiq. poſt tertiã diem moriendo cum certa opinione ſe id feciſſe ductu boni Angeli.

QVÆRES IV. Quanta cũ ſynceritate debeãt nouitij proprio magiſtro ſuã conſcientiã manifeſtare.

4 ℞. Debere ita ſe manifeſtare, vt ipſi ſe totos prodant, & vniuerſa cordis ſecreta aperiant; quo modo defectus ſuperẽt; quo pacto affectus mortificẽt, qua ratione tentationes vincãt; cuius virtutis amor eos maximè teneat, quæ ſtudioſa exercitatio delectet, quem gradum profectus ſpiritualis attigerint: quẽ modum ſeruent in orando, & meditando, quas experiantur conſolationes in oratione, quanta attentione, aut mentis euagatione pſalmos recitent, quo genere afflictionis carnem edoment, quibus impedimentis retardentur à perfectione, quibus

medijs

mediis ampliùs proficiāt, quidquid tandem in anima malum, aut bonum eſt, lætum, aut triſte, manifeſtum, aut dubium, magnum, aut paruum, totū detegant magiſtro ſpirituali; ita vt ei ipſorū conſcientia ſit omnino aperta, clara, & detecta. quod ſine dubio quàm maximè conducet ad ſpiritualem profectum nouitiorum: ſi quidem *tamdiu Dæmonis ſuggeſtiones noxiæ dominantur in nobis*, inquit *Caſſian. collat. 2. c. 10. quamdiu celantur in corde: illico enim vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marceſcit, & antequam diſcretionis iudicium proferatur, ſerpens teterrimus velut è tenebroſo, ac ſubterraneo ſpecu virtute confeſſionis pertractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehoneſtatus abſcedit*; è contrà, ait *Salomon prou. 28. qui abſcondit ſcelera, non dirigetur*; ſiquidem quod ignorat medicina, non ſanat. vnde dicit Dominus *Ierem. 6. ſtate ſuper vias, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris.*

QVÆRES V. Qualiter nouitij debeant vacare pijs meditationibus, & ſanctis orationibus.

5 ℞. Quòd, cùm ſancta oratio, & meditatio ſit magiſtra ſcientiæ, quam nouitius ignorat; dux viæ, quā neſcit; medicamentum vitiorū, quibus ægrotat; frę-num paſſionum, quibus vrgetur; munditia peccatorum, quæ commiſit; expultrix puſillanimitatis, qua afficitur; & effectrix ſtabilitatis, qua indiget; conſequenter nouitij ſe totos tradere debent meditationi, ac orationi, ſerio, & frequēter recogitantes peccati fæditatem, ſęculi vanitatem, mortis horrorem, iudicij ſeueritatem, gehennę ſupplicia, beatitudinis præmia, Chriſti paſſiones, actiones, & verba; nec nō à Deo poſtulātes neceſſaria ad vitæ reformationē, vitiorum extinctionem, ac omnium virtutum adeptionem. nam valdè miſerum eſt incipientē religioſum ſola pſalmorū decantatione occupari, nec miſerias ſæculi, nec beneficia diuina, neq; vitā, & mortē Saluatoris ſingulis dieb. per aliquot horas euoluere; ſi .n. in vitæ ſpiritualis initio orationi, ac meditationi nō vacat, nunquā meditationis conſuetudinē capiet, qua ſublata, neſcio ſanè quo pacto ꝑficiet.

6 Placet hìc aliqua proponere, quæ non parū proderunt ad fructuoſiorem meditationem faciendā; primò tempus meditationis non inſumatur totū in diſcurſibus, & conſiderationibus intellectus, ſed in ea excitentur varij affectus, quibus amplectamur virtutes, & vitia deteſtemur: ad hoc enim principaliter ordinatur meditatio, cùm perfectio religioſa conſiſtat in operando, non autē in intelligendo; 2. oratio, & meditatio fiat non ſpeculatiuè, ſed practicè, nobis ipſis applicādo ſingula puncta meditationis iuxtà præſentem neceſſitatem: ſi quidem meditationis præceptorum cæleſtium intentio, vel finis operatio eſt, inquit *S. Ambr. in Pſal. 118.* v. g. præcipitur Religioſo, vt eat in locum, à quo maximè abhorret, vt incumbat miniſterio, quod valdè auerſatur: quid ipſe faciat? recurrat ad meditationem, inquirat rationes, quibus ſe excitet ad implēdum Superioris præceptum, nec deſiſtat, vſq; dum firmiter ſtatuat obedire. 3. in meditatione virtutū deſcēdamus ad caſus particulares, & per eam nos ipſos diſponamus ad eos ſtrenuè amplectendos, ſi fortè occurrant; v. g. meditaris virtutem humilitatis, non ſufficit, vt te excites ad exercendam humilitatē in genere, dicendo, unpoſterum volo eſſe humilis, ſed debet præmeditari, quæ genera humiliationis iuxtà rationem tui ſtatus tibi contingere poſſint in particulari; ſicq; animū præparare ad ea generoſè ſuſtinenda, ac ſi verè eſſent actu præſentia. 4. qui meditatur, potiſſimùm inſiſtat in acquiſitione illius virtutis, cuius præ cæteris indigētem ſe agnoſcit, iuxtà illud *Pſal. 26. Vnam petij à Domino, hanc requirā.* in eam principaliter intēdat, ad eam præcipuè dirigat neruum & vim meditationis; ſi enim plura ſimul velit amplecti, nullum comprehendet iuxtà illud: *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.* 5. antequam accedas ad meditationem, pręfinias tibi pūcta meditanda quod videtur inſinuari *Eccl. 18.* his verbis: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum*; quin & debet prædeterminari fructus, quem ex ipſa meditatione intendimus percipere iuxtà peculiarem noſtram neceſſitatem, quę pro varietate temporum, locorum, negotiorū poteſt eſſe varia. 6. in meditatione cauendum, ne puncta illius feſtinanter percurrantur, ea ſuperficialiter perpendendo; immò in vnoquoque eorum inſiſtēdum eſt, quamdiu ſalutaris aliqua cogitatio inde nobis ſuboritur, & voluntas firmiter proponit exequi, quod per ſedulam meditationem ipſi repręſentatur; vnde *S. P. Ignatius in libro exercit. ſpiritu.* præſcribit in fine ſingularum meditationum, vt eas ſemel, atq; iterum repetamus. 7. meditationem rerū diuinarum pręcedat ſollicita cordis, & ſenſuum cuſtodia; ſi quidem *quales orantes volumus inueniri*, ait *Caſſian. coll. 9. c. 3. tales nos ante orationis tempus præparare debemus, ex præcedenti enim ſtatu mens, atq; animus in ſupplicatione formatur*: & quales herbas in horto cordis tui plantaueris, dicebat olim vir doctrina, & ſanctitate clarus, talia ſemina germinabunt. Hęc ergo, & ſimilia monita ſi nouitijs proponantur maximè ipſis proderunt ad hoc vt magno fructu rerum diuinarum meditationi vacent, vtilemque meditandi vſum Deo iuuante acquirant.

QVÆRES VI. Qualium librorum lectio pręſcribi debeat nouitijs ad perfectionem religioſam comparandam.

7 ℞. Quòd, ſicut lectio ſpiritualium librorum viris religioſis omnibus eſt maximè vtilis, ita nouitijs eſt in primis neceſſaria: cū per eā diſcant, quid agēdū, quid vitādū ſit; quę bona, quæ meliora, quæ optima; & quæ mala, quæ peiora, quæ peſſima, vnumquodque in ſuo ordine, aut fugiant, aut amplectantur. Nouitio tamen non concedatur lectio, niſi eorum librorum, qui inſtitutum à ſe arreptū doceant, qui vitam ſuo ſtatui congruam ſuadeant, qui eum confirment in ſua vocatione; quippe, ſicut diuerſæ ſcientiæ in diuerſis libris continentur; ita & diuerſa ſunt religionum inſtituta, adeòq; non omnes libri ſunt vnicuiq; inſtituto accommodati. Cæterum curandum eſt, vt nouitij inſiſtant lectioni librorū ſpiritualium; cum, teſte *S. Bonau. in pharetra l. 4. cap. 26.* ſcriptura ſacra mentis oculis quaſi quoddā ſpeculum opponatur, vt interna noſtra facies in ipſa videatur: ibi enim fæda, ibi pulchra noſtra cognoſcimus, ibi ſentimus, quantum proficimus, ibi docemur à profectibus quam longè diſtamus.


8 Porrò, vt vtilior ſit librorum ſpiritualium lectio, aliqua debent aduertere Nouitij: & quidem 1. ne nimis feſtinent in legendo, cùm potiùs debeant attentiùs examinare, quæ legunt; itaut lectio quaſi tranſeat in meditationem: quomodo *S. Bernard. in tract. ad Fratr. de mon. Dei* dicit: *Hauriendus eſt ſæpè de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio, quæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, quam puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* 2. Nouitij debent legere libros ſpirituales, non tam quærendo ſcienliam, quàm ſaporem, ideſt proprium profectum ſpiritualem; aliàs qui legit quærendo ſcientiam, ſtudet alijs, nimirum ad concionandum, ad hortandum, ad docendum, non autem ſibi ipſi, & ſuo profectui. 3. videant, ne longiori lectione ſpiritum defatigent, quin potius pauca ſingulis vicibus legant, ſed attentè, & reflexè, vt dictum eſt; alioqui lectio non reficit, nec prodeſt, ſed laſſat, & nocet, non ſecùs ac nimius cibus in ventrem iniectus, ac minùs digeſtus ſolet afferre non leue nocumentum. 4. quandocumque legunt, aliquid peculiariter decerpant, quod poſtea ruminent, & maturius perpendant; ad quod hortatur *S. Bernard. vbi ſup.* his verbis *ſed & de quotidiana lectione aliquid quotidie in ventrem memoriæ dimittendum eſt, quod fideliùs digeratur, & rurſus reuocatum crebriùs ruminetur, quod propoſito conueniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum, vt aliena cogitare non libeat.* 5. denique vt fructuoſa ſit lectio ſpiritualium librorum, antequam Nouitij ſe accingant lectioni, mentem eleuent ad Deum, eumque enixè rogent, vt & benè percipiant, quæ lecturi ſunt, & quæ inde diſcunt efficaciùs operentur.

QVÆRES VII. Quo modo exerceri debeant nouitij in examinandis proprijs conſcientijs, quamque ſit vtile hoc exercitium.

9 ℞. Debere; & quidem non ſolùm in faciendo examine generali, quo quotidie recolant quidquid mali fecerint, aut boni (quod ſine dubio eſt vtiliſſimum ad conſeruandum conſcientiæ puritatem, & ad frequentiorem vſum confeſſionum:) ſed etiam in faciendo examine particulari, quod aſſumitur contra vnum ſpeciale vitium, vt in eo vitando maior cura adhibeatur, ſicque procedendo per ſingula vitia, omnia paulatim eradicentur; quod genus examinis piè, & ſapiēter fuit excogitatum à S.P.N. Ignatio, & aliquo pacto inſinuatum à *S. Baſilio in regul.* 289. vbi ait; *quando aliquis frequentiùs in aliquo peccat, conſiderare debet radicem, & ibi ſpecialiter medicinam adhibere, atque in ſingulis peccatis ſimili modo.*

Quòd ſi quæras, qua methodo fieri debeat examē iſtud particulare, vt maiori cum fructu peragatur.

10 ℞. Debere fieri hoc ordine; nimirùm quòd primo mane ſtatim ac excitor à ſomno, proponam diligentem mei ipſius cuſtodiam circa aliquod vitium particulare, cui video me magis addictum; tū tempore pomeridiano petenda eſt à Deo gratia, vt poſſim reminiſci, quoties inciderim in tale vitiū, illudque in poſterum cauere, ſeduloque inquirendum eſt, quoties inciderim, idque percurrendo ſingulas diei partes ab ea hora, qua ſurrexi, vſque ad præſentem, & vbi reperero, quot vicibus inciderim, eas adnotem in priori linea figuræ hìc ſubſcriptæ, elicito iterum propoſito per reliquum diei ſpatiū abſtinendi diligentiùs à tali vitio: demum veſpere poſt cœnæ horam facienda eſt ſecunda diſcuſſio conſcientiæ, & inquirendum, quot vicibus à priori examine vſque ad præſens in ſupra dictum vitium inciderim; idque percurſis itidem horis ſingulis: vbi autem rememorauero, & enumerauero vices, quibus deliquero, parem eis punctorum numerum ſignabo in poſteriori linea figuræ præfatæ correſpondentis diei, quo fit diſcuſſio: figura verò eſt ſequens.



11 Quatuor autem regulæ traduntur à S.P.N. Ignatio in aureo libello exercitiorum ſpiritualium, quæ vtiliorem reddere poſſunt vſum examinis particularis: 1. eſt, vt quoties incido in vitium, contra quod aſſumitur examen, manu pectori admota, doleam de lapſu; idque etiam alijs aſſiſtētibus, non tamen aduertentibus. 2. eſt, vt ſub noctem enumeratis, comparatiſque inuicem punctis linearum, quarum prior priori examini, poſterior poſteriori aſſignatur, attendam, num à priori examine vſque ad aliud aliqua occurrerit emendatio: 3. vt cōferā diei ſecundæ, ac præcedentis examina inuicem, conſiderans, ecquid emendationis interuenerit: 4. vt collatis hebdomadarum duarū inter ſe examinibus, pari modo rationē habeam emendationis factę, aut non factę; talis enim emendatio ſupponitur, ac proinde in figura ſuperius poſita effingitur 1. linea cæteris longior, & deputatur diei primę, puta Dominicæ: 2. diei lunę paulo breuior, & ſic deinceps; immò in vnaquaq. die linea longior aſſignatur tempori pomeridiano, & breuior tempori veſpertino: cū ęquum ſit diminui in dies numerum erratorū; qua de re plura *Alph. Rodr. p. 1. exercitij perfectionis tra. 7. à c. 2. vſq; ad finē ipſius tract.* ad quem remitto religioſū lectorē.

QVÆRES VIII. Qualiter iuuari debeant Nouitij pijs adhortationibus, monitis, & conſilijs, tum priuatis, tum publicis.

12 ℞. Debere iuuari his potiſſimum documentis: 1. vt religioſę perfectionis acquiſitionem pręferant quibuſcumque alijs præſentis vitæ bonis iuxtà cōſilium *Salomonis Sap. 7. dicentis optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, & præpoſui illā regnis, & ſedibus, & diuitias nihil eſſe duxi in comparatione illius, nec comparaui illi lapidem pretio-*

ſum

ſum : quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua , & tanquam lutum æſtimabitur argentum in comparatione illius. 2. vt curent quàm maximè affici rebus ſpiritualibus animæ ſalutem concernentibus, adeòque totis viribus eorum ſtudio ſe addicant, memores illius conſilij, quod traditur *Eccleſ.* 12. *Deũ time, & mandata eius obſerua: hoc eſt enim omnis homo.* 3. vt maximum proprij profectus deſiderium concipiant; ſi quidem vera ſapientia *facile videtur ab his, qui diligũt eam* (dicit *Salom. Sap.* 6.) *& inuenitur ab his, qui quærunt illam, præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat: qui de luce vigilauerit ad illam, non laborabit, aſſidentem enim illam foribus ſuis inueniet;* dummodò tamen debita deſiderijs reſpõdeat executio: alioqui *deſideria occidunt pigrum,* dicitur *prou.* 21. *noluerunt enim quidquam eius manus operari : tota die concupiſcit, & deſiderat.* 4. vt ſæpiùs meminerint in via Domini non progredi eſſe regredi; vnde *tamdiu non relabimur retrò* (inquit *S. Auguſt. ep.* 143. *ad Demetrium.*) *quandiu ad priora contendimus : at vbi cœperimus ſtare, deſcendimus, noſtrumque non progredi reuerti eſt: ſi volumus non redire, currendum eſt.* 5. vt cum Apoſtolo Paulo *Philip.* 3. nunquam arbitrentur ſe comprehendiſſe, ſed quæ retro ſunt, obliuiſcentes ad ea, quæ ſunt priora, extendant ſe ipſos, ad deſtinatum perſequentes, ad brauium ſupernæ vocationis : in *Apocalypſi* quippe 22. dicitur, *qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur.* 6. vt iuxtà conſilium Apoſtoli 1. *Cor.* 12. æmulentur charismata meliora; & cum Dauid *Pſalm.* 83. aſcenſiones in corde ſuo diſponant, ſæpiùs animo recolẽtes, quod dicit Chriſtus Religioſis *Matth.* 5. *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* 7. vt ſollicitè caueant à quibuſcumq; defectibus, etiam minimis, ſcientes ſpernentẽ modica paulatim decidere *Eccl.* 19. quo modo *Chryſoſt. hom.* 87. *in Matth.* hæc habet: *mirabile quidẽ, & inauditum dicere audeo: ſolet mihi nonnunquam non tanto ſtudio magna videri eſſe peccata vitanda, quàm parua, & vilia: illa enim vt auerſemur, ipſa peccati natura efficit; hæc autem hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt, & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere: vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia noſtra;* ita Chryſoſt. & benè, ſi addatur negligentem defectus leues ſe efficere indignum diuinis auxilijs ſpecialibus, ſine quibus is quidem poteſt reſiſtere tentationi, & vitare peccatum graue, de facto tamen plerumq; non reſiſtet, nec vitabit, adeòque ſe exponit periculo labendi in plurima, & grauiſſima peccata. 8. vt re ipſa quàm diligentiſſimè impleant monitum illud Abbatis Agathonis: *Vide qualis fueris primo die, quando exiſti de ſæculo, & receptus fuiſti in clauſtro, & talis permane ſemper :* quod monitum habetur item apud *S. Auguſt. epiſt. ſuperiùs adducta* his verbis *Obliuiſcere omne præteritũ, & quotidie inchoare te puta;* & colligitur ex *pſalmo* 76. *Dixi, nunc cæpi.* 9. vt quidquid faciũt nõ ſecùs faciant, ac ſi ſtatim poſt illum actum eſſent morituri: ſic. n. maiori cũ diligentia ſtudebũt benè operari, & cautiùs abſtinebunt à peccatis: 10. vt frequẽtiùs inſpiciant virtutes ſuorũ Sociorũ; ſicq; ad earũ imitationem ſe excitent ab vno addiſcendo humilitatem, ab alio patientiam, ab alio taciturnitatem, & ſic deinceps : 11. vt ſępè ſæpius ſibimetipſis inculcent, quod ſibi ipſi dicebat Arſenius: *Arſeni, Arſeni ad quid veniſti?* his ergò, & alijs monitis poterit magiſter Nouitiorum iuuare ſuos alumnos ad vitam ſpiritualem, ad perfectionem religioſam, ad acquiſitionem virtutum, & ſi voluerit, conſulat *Alphonſum Rodriq. ſup. tr.* 1. *per totum.*

QVÆRES IX. Qua frequentia debeant Nouitij confiteri, & communionis euchariſtiæ Sacramentum recipere.

13 ℟. Quod cùm frequentia confeſſionis, & communionis ſummopere conducat ad comparandam animi puritatem; eamque conſeruandam (vt docet quotidiana experientia,) & ea in primis deſideretur in viris religioſis; conſequens eſt, quod Nouitij paulatim debent aſſuefieri tali frequentiæ : idque iuxtà ſtatuta, aut conſuetudinem vniuſcuiuſque Ordinis. ego ſuaderem, vt Nouitij, ſin minùs ſingulis 8. diebus (quod fit in Soc. Ieſu, alijſque Ordinibus obſeruantibus) ſaltem ſingulis 15. diebus communicarent, & vnaquaque hebdomada confiterentur; vt ſic magis & magis rebus ſpiritualibus afficerentur, & ex frequentia Sacramentorum plus virium ſpiritualium comparantes plùs etiam proficerent, tum in extirpandis vitijs, & prauis inclinationibus, quas à ſæculo deferunt; tum in ſuperandis hoſtium tentationibus; tum in religioſis virtutibus acquirendis: ſi quidem *quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem teſta diu :* & vt dicitur *prou.* 22. *adoleſcens iuxtà viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea;* vnde *S. Bonau. in prologo ſpeculi diſcipl.* ait: *Formã, quã primo quis excepit, vix deponit; & qui diſciplinam in noua conuerſationis initio negligit, ad eã poſtea difficilè applicatur.*

14 In decretis quidem Clementis VIII. editis *ſuper educatione, & receptione Nouitiorum* habetur, vt ſtatim atque Nouitij ad habitum recepti, & in locum nouitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confeſſionem totius anteactæ vitæ conſcientiam diſcutiant, & expurgent; idque iure, & meritò, tum vt ſic ſuppleant præteritarum confeſſionum defectus, ſi quos fortè commiſerunt: tum vt omnia ſua delicta in vnum recolẽtes eò magis excitentur ad ſuperandas regularis diſciplinæ difficultates, & faciendos fructus dignos pęnitentię tum vt redimentes tempus eò maiori cum feruore Deo impoſterum famulentur: tum vt proprio malo docti diſcant impoſterum magis effugere iniquitates, & ſcelera, quæ vident tanta cum facilitate à ſe fuiſſe commiſſa in ſęculo : tum vt propriam indignitatem intuentes beneficium religioſę vacationis ſoli Deo acceptum referant dicentes, *miſericordiæ Domini, & non ſumus conſumpti:* tum denique vt confundantur ab iniquitatibus ſuis, ſicque eo altiores mittant radices in virtute humilitatis.

QVÆRES X. Quo pacto Nouitij exerceri debeant in ſui abnegatione, & ſuarum paſſionum moderatione.

℟. Debere ita exerceri, vt ſi quæ videre cupiũt, dum ſunt inutilia, non videant; quæ audire volunt, ſi vana, & curioſa, non audiant; quæ olfactui ſuauia, aut guſtui dulcia, aut tactui mollia percipere cupiunt, ſi neceſſaria non ſunt, nequaquam percipiant, ſed ab eis conſtanter ſe abſtineãt; inſuper cohibeant imaginationẽ, ne ꝑ varia diſcurrat; affectib. amoris,

odij, auerſionis, dilectionis, triſtitiæ, audaciæ, timoris, ſpei, deſperationis, iræ, ac indignationis acriter imperent: ſe ipſos contemnant, conculcent, & proterant; ab vniuerſis contemni, & pro nihilo haberi appetant, honoris, gloriæ mundanæ, ac dignitatum āppetentiam quàm maximè extinguant: fugiant, taceant, quieſcant, abſcondantur, elongentur: ament neſciri, diſcant mori: lugeant præterita, ſpernant præſentia, meditentur futura; denique in omnibus ita ſe gerãt, vt de ijs moraliter dici poſſit, ꝙ habetur *Pſ.* 115. *os habent, & nõ loquẽtur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & nõ odorabunt: manus habent, & nõ palpabũt, pedes habent, & nõ ambulabunt, nõ clamabunt in gutture ſuo;* quod eſt crucifixũ eſſe mũdo, & mortificationẽ Ieſu Chriſti in corpore ſuo circumferre, abnegare ſemetipſum, & tollere crucem ſuam quotidie. Quamquam Religioſi ſtudio abnegationis ſui vacare debeant, non ſolùm tempore nouitiatus, ſed quamdiu viuunt: quod innuit *S. Ephrem. in exhortat. pietat.* dicens: *bellum militum breue, ſed Monaci pugna quo ad vſque migret ad Dominum, durat;* cuius rei ea eſt ratio, quod, vt benè aduertit *S. Bernard. ſerm.* 58. *in Cant. vitia deprauata naturæ & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta: parum eſt ſemel putaſſe; ſæpè putandum eſt, immò ſi fieri poteſt, ſemper, quia ſemper quod putare oporteat, ſi non diſſimulas, inuenies: quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, ſi vitia putas emortua, & non magis ſupreſſa: velis, nolis, intra fines tuos habitat Iebuſæus; ſubiugari poteſt, ſed non exterminari.*

QVÆRES XI. Qualiter exercendi ſint Nouitij in auſteritatibus corporis.

16 ℞. Eſſe exercendos; nimirum in ieiunijs, vigilijs, cilicijs, diſciplinis, alijſque id genus pęnitentijs: cum debita tamen moderatione, ac diſcretione iuxtà ſtatum, ætatem, vires, aliaſque eiuſmodi circumſtantias vniuſcuiuſq; Nouitij, nec non ſemper cum debita ſubordinatione, ac directione magiſtri nouitiorum; ſic enim teſte *Palladios c.* 38. *ſua hiſtoria* Angelus dixit B. Pachomio, vt in ſua regula vnicuique ſuorum monachorum concederet, *vt comedat, & bibat pro ratione virium, & pro viribus comedentium eis quoque mandaret opera, quæ proportione conueniant, ac reſpondeant; ſi quidem fortibus fortia opera, imbecilla autem, & leuia his, qui imbecilliores ſunt, conueniunt.* Cæterum conſtat non ſolum expedire, ſed etiam opus eſſe, vt Nouitij in corporis afflictionibus exerceantur, tum vt pro peccatis anteactæ vitæ debitam Deo ſatisfactionem exhibeant; tum vt carnem propriam reluctantem, ac recalcitrantem ſpiritui ſubijciant: tum vt maius peculium meritorum acquirant: tũ etiam vt paulatim aſſueſcant ad implendas auſteritates in regula proprij Ordinis præſcriptas.

17 Dixi, *necnon ſemper cum debita ſubordinatione, &c.* vt ſciant Nouitij & quicumque alij Religioſi, etiam in hoc ipſo teneri ſequi conſilium, ac directionem proprij magiſtri, certo ſibi ſuadentes eum, qui prætextu boni eſt inobediens, non ſolùm nihil gratum efficere, ſed etiam àmittere meritum operis, quod facit, & quod per eius omiſſionem propter obedientiam lucratus fuiſſet; vnde B. Virgo S. Brigittæ valdè triſtanti ob corporis aſperitates iuſſu Prælati interruptas dixit eum, qui habet voluntatem efficacem ieiunij, aut alterius pij operis, illudque omittit ex mandato proprij Superioris, non perdere meritum omiſſi operis, immò potius augere meritum, addendo valorem obedientiæ.

QVÆRES XII. Quo modo Nouitij debeant aſſueſieri colloquijs ſpiritualibus.

18 ℞. Quòd, cùm ex abundantia cordis os loquatur, & vnumquemque loquela ſua manifeſtum faciat: curandum eſt magiſtro nouitiorum quàm diligentiſſimè, vt ij aſſueſcant non loqui, niſi ea, quæ ſapiunt deuotionem, virtutem, & ſanctimoniam, à ſe ipſis omninò relegantes verba inutilia, iocoſa, ſcurrilia, vana, & quæ ad rem non pertinent; ſi quidem, vt benè ait *S. Bernard l.* 2. *de conſiderat. ad Eugen. cap.* 13. *inter ſæculares nugæ nugæ ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ.* Studeant ergò (vt loquar cum B. *Laur. Iuſtin. de diſcipl. & perfect. monaſt. conuerſ. c.* 15.) quando in vnum congregantur, & inuicem reperiuntur, ſemper de rebus neceſſarijs, vel de animæ profectibus habere ſermonem, maximam namque, & indeficiẽtem loquendi materiam inuenient, ſi de miſeria præſentis vitæ, de periculis huius peregrinationis, de varijs tentationum generibus, de diaboli fraudibus, & de vitiorum deformitate, de virtutum ornamentis, & meritis, de mortis ineuitabili neceſſitate, de pęnis inferni, de regno Dei, & pręmio paradiſi, frequentiùs verò de Dei ineffabili charitate per Chriſtum, & in Chriſto exhibita; qua de re plura *Aluarez de perfect. relig. l.* 5. *p.* 2. *c.* 28. *Alph. Rodriq. ſup. p.* 2. *tr.* 2. *c.* 12.

QVÆRES XIII. Quale ſilentium obſeruare debeant Nouitij.

19 ℞. Quòd, cùm in multiloquio non deſit peccatum, & in multis ſermonibus inueniatur ſtultitia; debent nouitij eſſe valdè accurati in obſeruando ſilentio iuxtà regulam, & conſuetudinem proprij Ordinis; *Iacobi* quippe *cap.* 1. *dicitur: ſi quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio:* & *prou.* 25. *ſicut vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum;* dicant ergò ſæpè cum *Dauid Pſalm.* 140. *pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis:* dicant cum Sapiente *Eccl.* 22. *quis dabit ori meo cuſtodiam & ſuper labia mea ſignaculum certum, vt non cadam ab ipſis, & lingua mea perdat me:* recolant identidem quod ait *S. Iacob.* 1. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum:* meminerint conſilium, quod tradit *S. Bernard. in ſpec. mort. Antequam verba proferas, bis ad limam veniant, quàm ſemel ad linguam:* meminerint, quod ſæpius repetebat *Arſenius me ſæpè pœnituit dixiſſe, nunquam autem tacuiſſe:* meminerint, quod *qui cuſtodit os ſuum & linguam ſuam, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam* hęc, inquam omnia benè meminerint, hęc ſępius recolant, hęc attentiùs meditentur, ſicque afficiantur ad obſeruantiam ſilentij, & aſſueſcant non loqui, niſi cum magna cautela, & loquacitatis vitium à ſe omninò ablegent.

QVÆRES XIV. An conſultum ſit, vt nouitij tempore nouitiatus ſinantur vacare ſtudijs ſcientiarum.

℞. Non

20 ℞. Non eſſe, & probatur tum ex praxi religionum magis obſeruantium, in quibus nô permittitur quòd Nouitij, durãte nouitiatu, dent operã ſtudijs: tum quia hoc ipſum ſupponitur in decretis à Clement VIII. editis *de educatione nouitiorum*, dum ibi præcipitur magiſtro nouitiorum, *vt curam adhibeat diligentem, vt nouitij omnes in regulari diſciplina ſedulo exerceantur, agnoſcantque præcipuè diuina, qua digni facti ſunt, vocationis præſtantiam, & excellentiam: quæ vera ſit, atque perfecta votorum ſolemnium, & quàm neceſſaria cuiuſque Ordinis conſtitutionum obſeruantia: modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia, ad quæ natura per peccatum labefactata omni tempore prona eſt, atque procliuis, per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, ieiunia, cilicia, diſciplinas, cõſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, ſacramentorum frequentiam, confeſſionem præſertim, quæ bis ſaltem ſingulis menſibus fiat per aperitionem quotidianã motuum internorum cordis, & tentationum manifeſtationem, per exercitiũ humilitatis circa viliora miniſteria, per modeſtiam in omnibus actionibus, diuturnumque ſilentium: quilibet Nouitius bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbat, vnuſquiſque ſecundum propriam capacitatem, & ordinem ſibi à magiſtro præſcriptum, ac pluries in die propriam conſcientiam vnuſquiſque examinare contendat* (quæ ſine dubio cum actuali ſtudiorum exercitio conſtat eſſe incompoſſibilia); tum quia, teſte experientia, per literatum ſtudia, vt pote totum hominem requirentia, non parùm intepeſcit feruor deuotionis, & amor virtutum (quo modo Religioſi Societatis Ieſu, abſolutis ſtudijs, antequam profeſſi, vel coadiutores ſpirituales formati fiant, tertium probationis annum in deuotionis, & humilitatis exercitijs impendunt, vt ſi qua fortaſſe in re virtutum feruor per literarum occupationem intepuerit, per earundem virtutum frequentiorum exercitationem, ardentioremque diuini auxilij vocationem recaleſcant; (ſicut dicitur in Conſtit. Gregorij XIII. quæ incipit *Aſcendente Domino*, & eſt in ordine 89.) vnde fit, vt ſtudium literarum, ſi Nouitijs permittatur, non poſſit non obſtare ipſorum profectui ſpirituali, qui principaliter debet intendi in probatione nouitiatus; cum hinc maximè dependeat tota ſpiritualitas viri religioſi, & conſequenter bonus ſtatus ipſarummet religionum.

QVÆRES XV. Quantopere debeant Nouitij abſtinere à conuerſatione ſæcularium, etiam conſanguineorum.

21 ℞. Debere ita abſtinere, vt non niſi valdè raro, & ex cauſa grauiori ſinant ad eos accedere viri ſæculares ad agendum cum ipſis; & tunc, præſente ipſo magiſtro nouitiorum, & non aliter, vt præſcribitur in citatis decretis Clementis VIII.; vix enim credi poteſt, quantùm obſint Nouitijs conſortia, & colloquia ſæcularium, quantumuis conſanguineorum; ſi quidem non ſolum diſtrahuntur, & amore eorum, quæ reliquerunt, iterum ad mundana reſiliunt, ſed etiam exponuntur grauiſſimis tentationibus, & inſtar tenelli floris, qui facillimè tactu læditur, & ſpinis perforatur, celeriter incenduntur igne carnalis concupiſcentiæ, inquinantur pice lubricalis vitæ, & mores ſæculares, quos nondum perfectè exuerunt, iterum reſumunt; non ſecùs ac ſal, qui ex aqua efficitur, ſi in aquam conijciatur, ſalis naturam amittit, & iterum in aquam conuertitur; ad quod facit, quod habetur *pſal. 105. Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorũ, & factum eſt illis in ſcandalum*: facit quod ait *S. Baſil. epiſt. ad Chilonem: ſi mortuus es cum Chriſto à cognatis tuis ſecundum carnem, quid rurſus inter ipſos conuerſari cupis? ſi verò quæ deſtruxiſti propter Chriſtum, rurſus ædificas propter cognatos tuos, tranſgreſſorem te ipſum conſtituunt; ne igitur ob cognatorum tuorum neceſſitatem ſeceſſeris à loco tuo: nam diſcedens è loco fortaſſis ex æquo diſcedes a moribus tuis*: facit quod dicit idem *S. Baſil. in qq. fuſius diſp. q. 32. Supra hoc quod illis nullam vtilitatem exhibemus* (loquitur de conſanguineis) *in ſuper & noſtram ipſorum vitam tumultibus, & turbatione replemus, & peccatorum occaſiones attrahimus*: faciunt denique quę piè, & ſanctè ſtatuit Clemens VIII. ad talem effectum in decretis hìc non ſemel allegatis, nimirum quod clauis clauſurę nouitiatus apud magiſtrum ſemper aſſeruetur, illique ſoli liceat ex graui tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere: & ſi quis Nouitiorum quempiam alloqui voluerit: magiſtro præſente, & non aliter alloquatur; quod pro communibus, & proprijs cuiuſque neceſſitatibus, quæ accidere poſſunt, vnus ex Nouitijs ipſis ætate, moribuſque prouectior deputetur, qui abſente Socio, magiſtro permittente, omnia, pro vt opus fuerit, agat: cui etiam ianuæ cuſtodia, & rerum leuioris momenti prouiſio intra nouitiatum committi poterit; quòd denique non liceat nouitijs durante nouitiatus, & probationis tempore, vnà cum profeſſis, niſi in choro, in Eccleſia tempore officiorum, in proceſſionibus, aut in cænaculo cauſa refectionis cõmorari, nec permittatur eis profeſſos domo exeuntes comitari; quæ omnia ſine dubio confirmant noſtram reſponſionem.

QVÆRES XVI. Quibus exercitijs ſpiritualibus debeant Nouitij vacare ex vi eorundem decretorum Clementis VIII.

22 ℞. Eos debere non ſolùm intereſſe quotidie ſacrificio miſſæ, & ſtatutis horis in choro, nocturnis diurniſque diuinis officijs aſſiſtere; ſed etiam bis quotidie orationi mentali, & vocali incumbere iuxtà propriam vniuſcuiuſque capacitatem, & ordinẽ ſibi à magiſtro præſcriptum, nec non pluries in die propriam conſcientiam examinare; debent prętereà bis ſaltem ſingulis menſibus confiteri, & communicare, aperire quotidie motus internos cordis, & tentationes manifeſtare, humilitatem exercere, circa viliora miniſteria, ſeruare modeſtiam in omnibus actionibus, & diuturnũ ſilentiũ, ſeq; in diſciplina regulari ſerio exercere, addiſcentes modũ in oratione tum vocali, tum mentali fructuosè perſiſtendi, illicitas paſſiones, & vitia per ſenſuum cuſtodiam, & mortificationem cohibendi, auſteritatem, ieiunia cilicia, diſciplinas, conſcientiæ puritatem, crebram illius diſcuſſionem, cæremonias Eccleſiaſticas, & Ordinis.

QVÆRES XVII. Quo ſtudio debeant Nouitij procurare in ſe ipſis morum compoſitionem, etiam externam.

℞. Quod

23 ℞. Quòd, cùm iuxtà *Eccl..19.* ex viſu cognoſcatur vir, & ab occurſu faciei vir ſenſatus, amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuncient de illo: par eſt, vt nouitij, qui intus religioſos induunt mores, eos exhibeant item exteriùs, ſicque in vtroque homine præferant ſanctitatem. Caput ergò aliquantulum demiſſum teneāt, oculos habeant modeſtos, manus geſtent quietas, moderatè incedant, grauiter, & ſubmiſsè loquantur: in fronte ſine ruga mentis præferant ſimplicitatem, omnemque malitiæ, & duplicitatis ſuſpicionem à cordibus inſpicientium excludant: labia nec nimius rigor comprimat, nec oſcitantia diducat: in facie ſint abſque diſſolutione hilares, & ſine immoderata ſeueritate graues, quæ nec triſtitiam, nec alium affectum inordinatum oſtendat. Tales ſe debent Nouitij exhibere quo ad hominem exteriorem: ita tamen, vt etiam interiorum virtutum ornamenta in ſe ipſis procurent: non enim vera religioſitas conſiſtit in ſola exteriori compoſitione, ſed in interiori ſymetria virtutum; vnde *S. Bernard. ſer. 63 in Cant.* loquens in ſpecie de Nouitijs ait, *Videtis iſtos Nouitios: nuper venerunt, nuper conuerſi ſunt: non poſſumus de ipſis dicere, quia vinea noſtra floruit; floret enim interim: quod in eis apparere videtis, flos eſt; fructuum tempus nondum aduenit; flos nouella conuerſatio eſt; flos formula recens vitæ emendationis eſt; induerunt ſibi faciem diſciplinatam, & bonam totius corporis compoſitionem; verùm quia hæc nouiter cæpere, ipſa ſui nouitate flores cenſenda ſunt, & ſpes fructuum magis, quam fructus.*

QVÆRES XVIII. An, & quales recreationes concedi debeant Nouitijs.

24 ℞. Omninò debere concedi, ſed licitas, ſed ſtatui religioſo conuenientes, ſed moderatas: licitas quidem, eo quòd ſemper, & vbique cauenda ſit offenſio Dei, quæ vtique maiori cum circumſpectione caueri debet in animi relaxatione; conuenientes ſtatui religioſo, eò quòd religioſus in omnibus ſuis actionibus ſuam debet exhibere religioſitatem: moderatas denique, quia *eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines, quos vltrà, citràque nequit conſiſtere virtus.* & quidem, quòd debita recreatio concedi debeat Nouitijs, patet tum ex decretis Clementis ſuperiùs allegatis *q.14.* tum ex eo quòd humanæ naturę conditio non fert perpetuam contentionem in ſpiritualibus exercitijs, adeòque aliquam relaxationem poſtulat; maximè, ſi vacans exercitijs ſpiritualibus ſit iuuenis viuidioris complexionis, ac naturæ, & alijs aſſuetus ſimilibus relaxationibus (quod vtique euenit in caſu noſtro;) tum quia alioqui expetent cæpas, allia, & carnes Aegypti, ſtatum religioſum faſtidient, Deique famulatum non ſine magno propriæ ſalutis diſpendio deſerent. Cōcedantur ergò Nouitijs ſuæ recreationes; ſed curetur, vt ijs debito modo vtantur, ita ut non tranſeant in diſſolutiones: quod ſine dubio eſt valde periculoſum, ideoq; Clemens VIII. in decretis ſuprà citatis modeſtam animi recreationem concedens Nouitijs pręcipit, vt ea fiat in ſolitario loco, & cōmodo extra nouitiatum ſemel in hebdomada, vel in alternis ſaltem hebdomadibus longior ſtatuatur: fiatque ſemper magiſtro præſente, vel Socio; qui multū inuigilent, ne duo ab alijs commorentur diſtincti, atque eo tempore cuiuſque in quam natura feratur, propenſionem ſcrutentur.

QVÆRES XIX. An, & qualiter puniri debeant Nouitij, etiam publicis pænitentijs, ſi delinquant contra regulas, & conſuetudines Ordinis.

25 ℞. Debere puniri, & quidem cum aliquo rigore, qui tamen ſit ſecundum ſcientiam, & cum debita diſcretione: ne alioqui Nouitius animum deſpondeat, & vitæ religioſæ tædio affectus recedat à religione, & reuertatur ad ſæculum. Vnde, ſicut cauendum eſt, ne nimis delicatè educentur Nouitij; cùm hoc non poſſit non cedere in graue præiudiciū tum religionis, quæ poſtea illos experitur contumaces, iuxtà illud *prou. 29. qui delicatè à pueritia nutrit ſeruum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem;* tum ipſorum Nouitiorum, qui ſic videntes ſe impunè delinquere ipſo tempore nouitiatus (quo procedi ſolet maiori cum rigore) minùs ſtudioſè curāt exuere prauos habitus, & paulatim aſſueſcunt libertati peccandi, ita vt poſtea non niſi cum maxima violentia coerceri poſſint, ſicque maiori periculo perditionis exponantur; Quamuis ergò magiſter nouitiorum in puniendis exceſſibus nouitiorum debeat iuxtà prudentiæ regulas moderari rigorem ſeueritatis cum ſuauitate, ac lenitate; regulariter tamen conſultum videtur, vt potiùs aliquantulum excedat in rigore, quàm in lenitate: ſi quidem nouitij, vt pote recens à libertate ſęculari ad regularem obſeruantiam tranſeuntes, plerumque ſupponuntur imperfecti, ideoque ducuntur magis timore pænæ, quam amore virtutis: vnde & efficacius retrahētur ab exceſſibus, ſi ſibi perſuadeant ſe non impunè abituros. Immò cenſeo expedire, vt aliquando nouitijs imponantur pænitentiæ publicæ, etiam pro defectibus non culpabilibus: cum in ijs ſufferendis magis eluceant virtus humilitatis, & ſui ipſius abnegatio; *quæ enim eſt gloria* (vt habetur 1. *Petri* 2.) *ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis? ſed, ſi benè facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.*

QVÆRES XX. An Nouitij debeant vacare exercitationibus etiam corporalibus, & quo modo.

26 ℞. Debere, idque in ſpecie pręſcribi à Clemente VIII. in Decretis ſæpiùs adductis in hęc verba, *Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel ſcribant res ſpirituales, &c.* cùm enim ex vna parte otium tanquam origo omnium malorum relegandum ſit à domibus religioſis, & ex alia parte continuatio in ſpiritualibus exercitijs neceſſariò indigeat aliqua intermiſſione iuxtà illud *quod caret alterna requie, durabile. non eſt;* apertè conſtat eſſe omnino neceſſarium, vt nouitij diſtrahantur interdum ab occupationibus mentalibus, & exercentur in aliquibus exercitijs corporalibus, quæ & tollant faſtidiū, & conferant ad corporis ſanitatem: talis certè eſt praxis Religionum, & maxime in Societ. Ieſu, quæ ſuos exercet nouitios in varijs officijs abiectis, & humilibus, vt culinæ, refectorij, ægrotorum cura, ac domeſticis alijs id genus: & hoc, nullo tempore definito pręfixo, & non omiſſis interim exercitijs ſpiritualibus, quæ ab ijs principaliter exiguntur, vt pote magis conducentia ad finem, quæ in probatione nouitiatus intenditur.

QVÆ-

QVÆRES XXIV. Qualiter inſtituendi nouitij, quos vocant conuerſos.

27 ℞. Inſtituendos eſſe non minori diligentia, quã inſtituantur nouitij clerici; habita tamen ratione ſtatus ipſorum; quin putat *Peyr. de R. P. q. 1. c. 5. num. 13.* maiori cum ſtudio procurandam eſſe inſtitutionem nouitiorum laicorum, quàm clericorum; quippequi liberiùs, & frequentiùs tractant cum ſæcularibus, vacant occupationibus valdè diſtractiuis, communiter ſunt moribus rudiores, & maioribus ſubiacent periculis; vt proinde Clemens VIII. in decretis *de educatione nouitiorum* editis, & à nobis in hoc cap. ſæpiùs relatis (quæ referuntur in *Bullar. tom. 3. Conſtitut. Clemen. VIII. in ordine* 84.) ſic dicat: *Cum autem licèt clericorum benè inſtituendorum cura debeat eſſe præcipua: conuerſorum tamen religioſa inſtructio nõ ſit prætermittenda, quin potiùs æquanimiter amplexanda: quandoquidem ſatis exploratum eſt iſtorum etiam, cùm regulam profiteantur;* addẽs *perfectam educationem tũ Religioni decorem, & ornamentum, tum alijs Chriſti fidelibus ædificationem, exemplum, atque vtilitatem afferre;* deinde ſubdit: *Conuerſis ipſis à Clericorum nouitiatu ſeparatus ad dormiendum locus, quantum commodè fieri poterit, aſſignari præcipitur: illi tamen, hac ſeparatione non obſtante, Magiſtro nouitiorum, ſeu ſuperioribus monaſteriorum, & conuentuum iuxtà cuiuſque Ordinis ſtatuta, & conſtitutiones ſubditi eſſe, & obedientiam præſtare debebunt, à quo non tantùm circà corporalia obſequia probandi, & exercendi, verùm etiam pro eorum capacitate, & commoditate de ſpiritualibus, præſertim de modo mentaliter orandi, diligenter inſtruendi erunt: quod vt commodiùs fiat, ad capitula, & ſpirituales conciones, quæ per magiſtros nouitijs fieri ſolent, accerſiri debeant, & in Eccleſijs ſtatutis horis conueniant; niſi tunc in ſuis officijs actualiter occupati fuerint; tempore verò probationis elapſo ij tantum qui non ſolum religioſæ perfectionis capaces, ſed ad laborem corporalem apti nono, ac diligenti examine reperti fuerint, dummodò ætatis ſuæ annum 21. exceſſerint, ad profeſſionem admittantur.*

QVÆRES XXII. Qualiter inſtituendi Nouitij poſt emiſſam profeſſionem ad hoc vt meliùs confirmentur in bono ſpiritu, ac obſeruantia regularis diſciplinæ.

28 ℞. Debere inſtitui eo modo, quo Clemens VIII. ſtatus religioſi zelantiſſimus in ſup. citatis decretis præſcripſit; nimirùm vt ſtatim poſt profeſſionem factam, ſi in Conuentibus, aut monaſterijs pro nouitiatibus aſſignatis locus aderit ſecundi nouitiatus, ſiue profeſſorum ab ea, quæ nouitiorum eſt, atque antiquorum profeſſorum habitatione diſtinctus, & ſegregatus; ibi collocentur, ſi monaſteriũ, aut conuentus eos alere queat: ſin minùs; in alium commodiorem conuentum, ſeu monaſterium transferantur; in quo is locus cum requiſitis ad nouitiatum ſupra narratis reperiatur, vel accommodetur, aut de nouo conſtruatur. Ab hoc tamen illæ Religiones excipiuntur, quæ ſuarum conſtitutionum, ſeu inſtitutionum vigore maioris temporis curſus nouos profeſſos intrà nouitiatum detinere conſueuerunt, quibus in hac parte non derogatur, illis autem permittitur, vt, prædictis earum conſtitutionibus non obſtantibus, idipſum facere poſſint, ſi id rationi, ac religioni magis expedire dijudicauerint; quibus in locis degant ſub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam ſeruent antiquiores profeſſi, ita quòd in negotijs monaſteriorum, aut conuentuum non ſe intromittere, nec communibus tractatibus intereſſe, neque alicuius exterioris obedientię officium exercere debeant, ibique permaneant, quòuſque ad ætatem ſacris ordinibus ſuſcipiendis ſufficientem deuenerint, vel ſaltem per triennium poſt profeſſionem: quo etiam tempore poterunt, quin imò & debebunt literarum ſtudijs operam nauare ſub directione, ac regimine ſuperioris, qui eas qualitates habeat, quibus nouitiorum magiſtrum præditum eſſe oprtere dictum eſt.

QVÆRES XXIII. Qualis debeat eſſe forma loci deſignandi pro nouitiatu iuxtà decreta Clementis VIII. ſuperiùs iterum, atque iterum allegata.

29 ℞. Eiuſmodi locum debere eſſe ita diſpoſitum, vt propria clauſura ab ea parte Conuentus, & monaſterij, in qua degunt profeſſi, ſegregatus ſit, atque diſtinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas ſeparatas, quot erunt numero Nouitij: vel dormitorium ita capax, vt pro ſingulis ſinguli lectuli commodè ſterni poſſint: in quo etiam cellula, vel certus, ac determinatus locus pro magiſtro, eiuſque ſocio reperiatur, in eo etiam pręter alias communes commoditates aptus locus adſit ad ſpirituales collationes, ſeu conferentias faciendas, ac lectiones, inſtructioneſque magiſtri audiendas, & in quem hyemis tempore ad calefaciendum ſe igne communi recipiant: Oratorium inſuper, ſeu capella, ſi commodè fieri poterit, ad nouitios in ſpiritualib⁹, præſertim in ceremonijs, eccleſiaſticiſq; functionibus exercendos: hortus quoque peculiaris ad honeſtam recreationem benè concluſus, atque munitus adſit, ſin minùs hortum cæteris fratribus cõmunem recreationis tempore ingrediantur: ipſis verò nouitijs ibi commorantibus curabit magiſter, cum loci ſuperioris auctoritate, ſi opus fuerint, ne in eundem quiſquam alius ingrediatur: ad huiuſmodi locum nouitiatus nemini eiuſdem, vel alterius ordinis Regulari, etiam conuentus, & monaſterij Officiali vllo vnquam tempore ſub quouis prætextu aditus pateat, præter quam magiſtro, eiuſque Socio, ac etiam monaſterij, aut conuentus ſuperiori, ſi quandocumque ingrediendum ſibi neceſſariò exiſtimauerit: quo tamen caſu aliquem ſemper ex ſenioribus conuentus, vel monaſterij Patribus ſociũ aſſumat: huius loci clauſuræ clauis apud magiſtrum ſemper aſſeruetur, illique ſoli liceat ex graui tantùm cauſa ingreſſum illuc alicui permittere, ſi quis autem Nouitiorum quempiam alloqui voluerit, magiſtro præſente, non aliter alloquatur

30 Quod autem ſpectat ad obſeruantiam ſup. dictorum decretorum à Clemente VIII. editorum *ſuper receptione, ac educatione Nouitiorum*, & in pręſenti cap. Explicatorum; illud hic moneo, in vnoquoque ordine videndum eſſe, an, & quo modo ea fuerint acceptata, & in præſentia ſint in vſu; cùm poſſit contingere, quòd fuerint acceptata ſecundùm vnam partem, & non ſecundùm aliam (vt notant Nau. Val. Salas, & Regin. apud Baldell. *l. 5. D. 18. n. 25.*) immò & quòd fuerint legitimè abrogata, ſin nimius

in to-

in totum, ſaltem quò ad aliquam partem, vt notant iidem Doctores, & conſtat ex eo quòd quæ eſt proportio, & ratio totius ad totum, eadem eſt, & partis ad partem; ideoque ſi non vſus, aut non receptio totius legis poteſt ſuſpendere, & impedire obligationem totius legis, ita, & non vſus, aut non receptio alicuius partis poteſt ſuſpendere, & impedire obligationem partis. Certè, ſi eiuſmodi ſtatuta fuerunt acceptata, & non ſunt abrogata: ea ſub peccato mortali debent obſeruari, cũ ſint de re grauiſſima concernente bonum commune religionis: idque ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebũt Religioſi tranſgredientes præfata decreta, aliiſque pœnis grauioribus pro modo culpæ admiſſæ infligendis a ſacra Congreg. Regularium; vt conſtat ex tenore ipſorum decretorum.

CAPVT VI.

De Obligationibus, quibus ſubiacent Nouitij.

1 *Nouitij ſubſunt iuriſdictioni Ordinis, in quo probantur.*
2 *At liberè ab ea ſe ſubtrahunt recedendo.*
3 *Incarcerari, torqueri & puniri poſſunt, ſi velint perſeuerare.*
4 *Magiſter nouitiorum in eos caret iuriſdictione externa.*
5 *Prælati Ordinis eis præcipiunt ſub cenſuris.*
6 *Nouitij ex graui decentia ſolùm tenentur ad regulam.*
7 *Idque etſi priuatim faciant tria vota religionis.*
8 *Non tenentur ad religioſam paupertatem.*
9 *Liberè diſponunt de ſuis bonis.*
10 *Non tenentur ad caſtitatem religioſam.*
11 *Tenentur ad aliqualem obedientiam.*
12 *In virtute obedientiæ iis præcipi non poteſt.*
13 *Non tenentur ad horas canonicas, etſi ſint choriſtæ.*
14 *Non ſubſunt pœnis latis contra religioſos.*
15 *Niſi in ſpecie exprimantur.*
16 *Non ſemper tenentur implere pœnas impoſitas ob exceſſus commiſſos.*
17 *At interdum coguntur ſub cenſura illas implere.*
18 *Non tenentur ſoluere ſuffragia pro defunctis Ordinis.*
19 *Tenentur tamen ad ſuffragia debita benefactoribus ordinis ex contractu oneroſo; ſed non ex iuſtitia.*
20 *Nouitij liberè poſſunt recedere ab ordine.*
21 *Secùs, ſi habent votum perſeuerantiæ.*
22 *Vel certè ingreſſi ſunt ex voto religionis emiſſo.*
23 *Quod tamen alij negant probabiliter.*
24 *Vouens religionem ingredi debet animo probandi religionem.*
25 *Nouitij recedentes non tenentur de alimentis, ſecluſo pacto.*
26 *Nec obſtant iura aliqua, quæ referuntur.*
27 *Si quid tamen donarunt ordini, retinetur ad ratam pro alimentis, etiam ipſis recedentibus.*
28 *Nouitijs recedentibus, non reſtituitur habitus regularis, ſed eius pretium.*
29 *Secùs, ſi habitus fuit emptus ex fidelium eleemoſynis.*
30 *Nouitij non ſubſunt reſeruatis ordinis; etſi alij diſſentiãt.*
31 *Certè aſſertio non procedit quò ad nouitios Societ. Ieſu.*
32 *Prælati nequeunt reſeruare caſus pro ſolis nouitijs.*
33 *Nouitij tenentur aperire impedimenta ante ingreſſum occultata.*
34 *Validè confitentur cuicumque approbato ab ordinario.*
35 *Sed non ſemper cuicumque religioſo ordinis approbato ab ordinario.*
36 *Limita, niſi ordinarius in ſpecie approbet pro nouitijs.*
37 *Ad eorum confeſſiones audiendas ſufficit approbatio Prælati regularis.*
38 *Varijs exercitijs ſpiritualibus debent nouitij vacare.*

QVÆRES I. An, & quo modo Nouitij ſubiaceant iuriſdictioni Prælati regularis, in cuius monaſterio degunt.

1 ℞. Subiacere, & quidem non ſolùm iuriſdictioni interiori quò ad forum conſcientiæ, ſed etiam exteriori, ac contentioſæ; ſi tamen velint permanere in religione, adeoque ſi incidant in aliquod delictũ, ſiue ciuile, ſiue criminale, etiam capitale debent cõueniri coram Prçlato regulari, & ab eo puniri, non autem coram ordinario, aut Iudice ſæculari. Ita *Sanch. lib. 6. moral. c. 10. num. 11. mol. to. 3. d. 671. num. 2. Azor. p. 1. l. 12. cap. 2. q. 11. Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 16. num. 18. Lezana to. 1. cap. 24. nu. 4. alijque* penes ipſos, & probatur tum quia alioqui delicta nouitiorum manerent impunita, quippe qui (vt *cap. ſequente* oſtendemus) fauore religionis eximuntur à iuriſdictione tam ordinarij, quàm Iudicis ſæcularis, quamdiu volunt perſeuerare in religione; adeòque ſi non poſſent puniri à Prælato regulari, nullum haberent Iudicem, à quo punirẽtur: tum quia alij nouitij hinc ſumerent occaſionem liberiùs delinquendi; quod vtique cederet in graue præiudicium regularis diſciplinæ, imò & ipſorum nouitiorum.

2 Dixi, *ſi tamen velint permanere in religione*; ſi enim velint recedere, & redire ad ſęculum; tunc eò ipsò fiunt immunes ab iuriſdictione Prælati regularis: vnde cùm nouitij iuxta *c. 1. & 2. de regular. in 6.* poſſint liberè retrocedere à religione, conſequenter, & poſſunt ſe ſubtrahere a dicta iuriſdictione Prçlati regularis, quãquã, ſi res nõ ſit integra, eò quòd iudicium delicti ſit iam inceptum à dicto Prælato, teneatur nouitius ſtare ſententię ipſius Prælati, eiuſq; pęnam exequi, niſi ea ſententia per iuſtam appellationem ſuſpendatur: ſi quidem, vbi cæptum eſt iudicium, ibi debet finem accipere *l. vbi acceptum ff. de iudicijs,* quòd benè notauit *Sanch. nu.* 13. monens *n.* 14. quod ſi, re integra, & iudicio nondum cæpto nouitius poſt commiſſum delictum eligat egredi è religione, tunc ſi quidem ſit aliquo ordine inſignitus, puniri poteſt, & debet à Iudice eccleſiaſtico; ſi verò ſit merè ſæcularis, à Iudice laico: cùm delictũ non debeat manere impunitum, & nouitius egreſſus à monaſterio ſit merè ſæcularis, vt patet.

3 Ex quibus inferunt *Anchar. Lupus, & alij apud Sãchez nu.* 13. Prælatum regularem poſſe nouitios delinquentes, ſi velint manere in religone, eos perpetuo etiam carceri damnare: immo & ſubijcere torturæ (inquit idem *Sanch. n.* 12. *cum Nau.* ſi tortura

ſit

ſit neceſſaria ad cóprobandum delictum;) cùm ſic, ſuppoſita voluntate permanendi, Prælato regulari plenè ſubdantur quò ad delicta; ſecùs ſi nolint permanere; tunc quippe maneut exempti à poteſtate Prælati regularis, & conſequenter non poſſunt ab eo modo ſupradicto puniri; quamuis aliàs *Suar. vbi ſup.* doceat Nouitium delinquentem poſſe detineri in Religione, vſque dum ſufficienter puniatur, & poſtea dimitti; ſi ipſa dimiſſio attenta qualitate delicti commiſſi, non iudicetur ſufficiens punitio: idq; ne delicta relinquantur impunita, & detur alijs Nouitijs occaſio liberius delinquendi, & hoc inquit *Sua.* non obſtante *cap. ſtatuimus de regul. & c. non ſolum eo. tit. in 6.* quæ præcipiunt liberè dimitti Nouitium volentem diſcedere; illa enim loquuntur per ſe, ſeu re integra, ſeu in ordine ad ſtatum, non verò impediunt iuſtam punitionem delicti, ratione cuius Nouitius ſpecialiter ſubditur Prælato regulari, vt dictum eſt.

Imò *Caſtrus Palaus tr. 16. D. 1. p. 8. §. 1. n. 3. ex Suar. to. 3. de relig. l. 5. c. 16. n. 18.* cenſet Prælatum regularem poſſe punire nouitium delinquentem, etiam recedere volentem; & quidem pœna exequenda poſt receſſum, ſi ea iudicialiter iniuncta ſit: ſic enim illa habet vim præcepti, & ſententiæ datæ ſubdito, qui proinde illam acceptatam nequit effugere propria auctoritate: ſecùs ſi pæna inflicta ſit abſq; ſtrepitu iudicij; tunc quippe cenſetur impoſita nouitio vt membro religionis, & quamdiu tale eſt.

Quòd ſi quæras, an magiſter nouitiorum habeat poteſtatem aliquam iuriſdictionis in eos, etiam quò ad forum externum: ſtante quòd Clemẽs VIII. in decretis cap. præced. ſæpe allegatis hac de re loquens dicit, *habeat etiam magiſter plenam, & abſolutam poteſtatem circa nouitiorum inſtitutionem.*

4 ℞. *Lezana to. 2. c. 13. n. 48.* non habere, adeòque præfata decreta quò ad illam partem intelligenda eſſe de iuriſdictione fori interni: cum iuriſdictio pro foro externo competat ſolum veris Prælatis, qualis vtique non eſt magiſter nouitiorum; & alioqui iuxtà prædicta decreta magiſter debeat audire confeſſiones Nouitiorum, quod vtique præſupponit iuriſdictionem fori interni.

Vtrum verò Prælatus regularis, occurrente iuſta cauſa, præcipere poſſit Nouitijs aliqua etiam ſub cenſuris.

5 ℞. *Suar. loco ſup. citato* poſſe, & quidem in ijs omnibus caſibus, in quibus poſſet Ordinarius ea modo dicto præcipere ſuis ſubditis; ratio eſt, quod eiuſmodi præceptum fundaretur, non in voto obedientiæ, quod Nouitius nondum emiſit, ſed in iuriſdictione Eccleſiaſtica Prælatis regularibus conceſſa à Papa; à Suarez non diſſentit omninò *Lezana to. 1. c. 24. num. 2.* concedens quidem Prælatos regulares poſſe aliquid præcipere Nouitijs ſub pœna excommunicationis, non tamen ita frequenter, ſed in caſu valde rarò, ſicque in praxi conſulendum eſſe.

QVÆRES II. An, & quomodo Nouitij teneantur ad obſeruantiam regularum, & conſtitutionum Ordinis, in quo probantur.

6 ℞. Per ſe, & directè non teneri: teneri tamen ex graui decentia, poſito, quòd velint manere in probatione. ita *Suar. n. 18. Sanch. n. 7. Lezana n. 2. Peyr. de R. P. q. 3. c. 1. §. 3. n. 119. aliique* apud ipſos; & quidem quod per ſe, & directè non teneantur, probatur tum quia nondum profeſſi ſunt regulam, neque ſe totos religioni tradiderunt, ſed verſantur in probatione ad experiendum, an debeant admitti, nec ne: tum quia etiam Cathecumeni non adſtringuntur legibus Eccleſiæ, donec per baptiſmum in Eccleſiæ gremium perfectè admiſſi ſint: quippe qui non ſunt vera membra Eccleſiæ, ſed ſunt in via, vt fiant per baptiſmum; eadem autem ratio militat quò ad Nouitios reſpectu obſeruantiæ regularis; cùm hi verè non ſint partes communitatis religioſæ, ſed ſolùm ſint in via, vt per profeſſionem religioſam ad eam admittantur. Quod verò teneantur ex graui decentia, conſtat tum quia, vt habetur *cap. recolentes de ſtatu monach.* dignum eſt, vt qui ſimilem cum alijs vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam: tum quia ſunt aliquo modo ſubditi religionis, eiuſque gaudent priuilegijs, vt *cap. ſeq.* videbimus: tum quia, eſto non teneantur in conſcientia ſeruare regulam, debent tamen ita ſubiacere religioſæ diſciplinæ, vt per violentiam non reſiſtant; cum hoc ſit neceſſarium ad conuenientem gubernationem, & aliàs in monaſterio ſequi poſſit magna inordinatio, & confuſio; ipſique Nouitij ad illud virtualiter cenſeantur ſe obligaſſe, quando habitum ſuſceperunt, inito pacto cum religione, vt quamdiu ibi manerent, ſicut ab ea ſuſtentari, dirigi, & doceri debent, ita & ab ea religioſè corrigi poſſint; præter quã quòd dici poſſunt obligari ad regularum obſeruantiam ex eo quòd tenentur non præbere alijs Religioſis ſcandalum, aut prauum exemplum, vt patet.

Difficultas maior eſt, vtrum Nouitius in conſcientia teneatur ſeruare regulas, ſi ex deuotione priuatim emittant 3. vota ſubſtantialia religionis; (prout non rarò fieri ſolet à Nouitijs Soc. Ieſu) & ratio difficultatis eſt, quòd hac ratione Nouitius promittit obedientiam ſecundùm regulam.

7 ℞. Nouitios, neque in iſto caſu teneri per ſe, & directè ad obſeruantiam regularum; patetque quia ſupra dictum votum intelligitur eo modo, quo obligat ipſa regula; regula autem non cenſetur obligare, niſi veros Religioſos, qui plenè ſubijciuntur ipſi, & ſunt vera membra communitatis religioſæ; quales ſine dubio non ſunt Nouitij, neque poſt præfatam emiſſionem trium votorum, quantumuis factam de conſenſu Superioris. ita *Sanch. ſup. nu. 8.*

QVÆRES III. Quam obligationem habeant Nouitij in materia paupertatis.

8 ℞. Quòd quamuis ij ex vi voti Paupertatis ad nullam actionem, aut omiſſionem teneantur, cùm illud nondum emiſerint; aliùde tamẽ poſſunt in materia paupertatis grauiter delinquere, non quidem contra votum paupertatis, quod cùm non ſit emiſſum, non poteſt obligare; ſed contra iuſtitiam; idq; ſiue bona monaſterij vſurpent, ea extrà religionem diſtrahendo, v.g. ea donando exteris (in quo ſine dubio interueniet ratio furti ſacrilegi obligantis ad reſtitutionem:) ſiue dictis bonis vtendo propriam vtilitatem ſuprà quantitatem conceſſam à religione; quo caſu, ſi quidem res vſurpata non ſit vſu conſumptibilis (qualis eſt vſus libri) rarò committetur

tur grauis culpa, cum illa materia, ſiſtendo in rigore iniuriæ ſit leuis, quatenus monaſterium inde non patitur niſi paruum damnum, etſi res illa alioqui ſit prætio æſtimabilis (dummodo ex tali vſu ea non grauiter lędatur, aut minuatur eius gradus, neque aliqua extrinſeca incommoda, ſeu nocumenta ſequantur:) ſi vero res modo dicto vſurpata ſit vſu conſumptibilis, & non ſit pretioſa, nec extraordinaria, & aliàs exceſſus non ſit nimius, licèt ſit frequens, non committetur grauis culpa, cum iudicio prudentis tale nocumentum non cenſeatur graue, & religio non præſumatur moraliter inuita, in eò gradu, ſeu ratione nocumenti, ſed magis ratione indebiti ordinis, ſeu modi (& hoc ſiue dictus vſus in propriæ perſonæ vtilitatem vſurpetur, ſiue detur alteri eiuſdem religionis): quod tamen non admmittit *Suar. ſup. n. 5.* in caſu, quo Nouitius extrà religionem diſtrahat quantitatem notabilem de bonis monaſterij; dicit enim eiuſmodi diſtractionem ratione quantitatis iudicandam eſſe grauem eadē ratione, ac iudicaretur de quacumq; alia perſona extranea: cùm quò ad hoc nulla ratio peculiaris interueniat reſpectu Nouitij.

9 Cæterìm, loquendo de bonis proprijs Nouitiorum, ij poſt ingreſſum religionis poſſunt ea habere, ac de illis diſponere, æquè ac poterant ante; adeòque, quantum eſt ex parte religionis, neque impediuntur ijs vti, ſi antea plenam, ac expeditam eorum facultatem habebant, poſſuntque de nouo acquirere & validè, & licitè, etiam ſine licentia Prælati, vt benè oſtendit *Suar. n. 6.*

QVÆRES IV. Ad quod teneantur Nouitij in materia Caſtitatis.

10 ℞. Quòd, ſi aliàs ex priuata deuotione non voueant caſtitatem, nulla noua, ſeu ſpeciali obligatione tenentur eam ſeruare, ſed ſolùm ea, quæ naſcitur ex iure naturæ: cùm Religioſus profeſſus non teneatur ſeruare caſtitatem, niſi ratione voti, nec alia ratio talis obligationis excogitari poſſit. Quòd autem ratione ſcandali vitandi, & cauſa honoris habitus religioſi, & totius religionis teneatur nouitius maiori quadam obligatione ſeruare caſtitatem, quandiu talem habitum portat, & perſeuerat in eo quaſi ſtatu: id eſt valdè accidentarium, ac proinde, ſi nouitius in indiuiduo peccet contra caſtitatē, pręcauendo ſufficienter, ne ſequatur ſcandalum, aut infamia religionis, non incurrit ſpecialem malitiam, aut difformitatem; ſicut rectè adnotauit *Suar. ſup. n. 3.* hinc benè inferens nouitium in confeſſione fornicationis à ſe commiſſæ non teneri exprimere circunſtantiam propriæ perſonæ; cùm nullo ſufficienti fundamento probari poſſit fornicationem nouitij ita aggrauari per circunſtantiam perſonę, vt id ipſum ſit neceſſarium exprimere in confeſſione; quod etiam docet *Peyr. ſup. c. 2. §. 1. n. 57. cum Diana.*

QVÆRES V. Ad quid teneantur nouitij in materia obedientiæ.

11 ℞. Quòd, cùm Prælati regulares non habeant in ſuos nouitios poteſtatem dominatiuam ipſis cōpetentem quò ad Religioſos profeſſos ratione voti obedientię, quod illi emittant, immò neque poteſtatem iuriſdictionis, niſi eo modo, quo diximus *q. 1.* conſequenter non poſſunt obligari in cōſcientia per præcepta communia, aut particularia dictorum Prælatorum, niſi liberè eligant, & velint perſeuerare in religione, vt ſup. dictum eſt, & in ijs, quæ per ſe cadunt ſub iuriſdictione epiſcopali abſq; ſpeciali reſpectu ad profeſſionem religioſam (v. g. ad dicendam veritatem in caſu occurrenti, in quo legitimè interrogentur, ad vitandam talem occaſionem peccati, ad reſtituendum ablatum, & ſimilia; quę ſpectant ad ordinariam Epiſcoporum iuriſdictionem; & aliàs non poſſunt ab Epiſcopis exerceri circa nouitios tanquam exemptos, quandiu ipſi volunt perſeuerare in religione).

Quòd ſi quęras, an Pręlatus regularis poſſit imponere nouitijs præcepta in virtute obedientiæ obligantia ſub peccato mortali.

12 ℞. Non poſſe, niſi fortè nouitius iuxtà dicta *q. 2.* ex priuata deuotione emiſerit 3. vota ſubſtantialia religionis: patetque quia præfata pręcepta ſupponunt votum obedientiæ iam emiſſum, ideòque non poſſunt imponi nouitio, qui tale votum non emiſit; quòd tamen non facit, quin nouitius violans præceptum proprij Prælati illi in caſu permiſſo præcipientis dici poſſit inobediens, videlicet inobedientia non religioſa, ſed ciuili, & politica, (vt ſic loquar) qualis eſt inobedientia filij familias ergà matrem familias. Secus dicendum, ſi nouitius modo ſup. dicto voueat Obedientiam; tunc enim poſſet Prælatus regularis præcipere in virtute obedientiæ, & ſub peccato mortali; non quòd habeat ius in nouitium, cuius vota ei non ſunt emiſſa, nec ab eo acceptata; ſed quòd nouitius per illam emiſſionem votorum promiſit Deo exhibere obedientiam huic Pręlato, ac proinde, hoc ipſo quod is aliquod præcipit, tenetur ille ei parere; non ſecùs, ac ſi quis promitteret Deo ſe recitaturum coronam, quoties confeſſarius id iuſſerit, hòc ipsò quòd ille præciperet recitari coronam, ille teneretur recitare, cùm ſic in re ponatur conditio, qua poſita ille ſe obligauit Deo; & tamen Confeſſarius in tali euentu nullum ius acquirit in vouentem, cùm nulla ipſi promiſſio facta ſit, nec acceptata, vt rectè aduertit, *Sanch. ſupra num. 8.*

QVÆRES VI. An Nouitij clerici teneantur recitare horas canonicas.

13 ℞. Non teneri; & probatur, quia illi verè non ſunt Religioſi, nec adeſt nullus titulus, ex quo dicantur ad id obligari, nullum adeſt præceptum, nulla conſuetudo præſcripta. Ita *Leſſ. l. 2. c. 37. d. 9. n. 49. Sà v. horæ canon. n. 1. Sot. l.* 10. *de iuſt. q. 5. a. 3. Sylu. v. hora q. 2. aliyque con. Palud. in 4. d. 15. q. 5. nu.* 10. oppoſitum ſuſtinentem ex eo quòd, cùm nouitius gaudeat priuilegijs religionis, eiuſque redditibus alatur, aut fidelium eleemoſynis, debet, & ipſe ſubire ſaltem hoc onus quod eſt veluti officium publicum, ob quod Religioſi ab Eccleſia aluntur: quæ tamen ratio facilè eludi poteſt, tum quia clerici in minoribus habitum clericalem deferentes gaudent priuilegio canonis, & tamen non tenentur recitare diuinum officium; cùm ad vſum dicti priuilegij ſufficiat, quòd illi ſint in via ad altiora miniſteria; quæ ratio vtique militat in nouitio, qui eſt in via ad profeſſionem religioſam, & quodammodo incipit conſecrari Deo; tum quia ratio proxima,

cur

cur Religioſi alantur ex redditibus eccleſiaſticis, ſeu eleemoſynis, non eſt recitatio diuini officij, vt dicemus ſuo loco.

QVÆRES VII. An Nouitij ſubiaceant pœnis generaliter latis contra Religioſos, ſiue in Conſtitutionibus pontificijs, ſiue in ſtatutis proprij Ordinis.

14 ℞. Non ſubiacere, niſi in ſpecie exprimantur; & ratio generalis eſt, quòd Nouitij in odioſis nõ veniunt nomine Religioſorum (cum tamen veniant in fauorabilibus, vt dicemus *cap. ſeq.*) ac proinde non ſubijciuntur pœnis generaliter latis contra religioſos: aliàs enim hæ nimis extenderentur contra regulã iuris, *Odia reſtringi oportet, fauores ampliari.*

15 Dixi, *niſi in ſpecie exprimantur*, vt innuerem, quòd, cùm iuxtà dicta *n.* 5. poſſit Prælatus regularis ferre cenſuras in Nouitios ſibi ſubditos, vt pote habens in eos iuriſdictionem, etiam pro foro externo: ſi per ſtatuta alicuius Ordinis ſit lata aliqua cenſura in Nouitios (v. g. alloquentes religioſum profeſſum) eam ſine dubio incurret Nouitius tale ſtatutum violans, vt pote factus ſubditus Ordinis ratione domicilij ab eo contracti hòc ipsò quòd incæpit habitare in monaſterio animo manendi perpetuò, vt benè notauit *Bordonus c.4. de profeſſ. q.* 53.

QVÆRES VIII. An Nouitij in conſcientia teneantur implere pœnitentias à Prælato regulari iniunctas ob defectus commiſſos.

16 ℞. Non teneri, ſi pœnitentiæ imponantur more religionis, & abſque figura iudicij, & Nouitius velit deſerere religionem; cùm enim hoc modo pœnitentiæ imponantur more religioſo, & tanquam religionis membris, intelliguntur impoſitæ, rebus in eodem ſtatu permanentibus: quod eſt commune omnibus actibus, vt ſcilicet intelligantur, rebus in eodem ſtatu manentibus *l. quod Seruius ff. de condict. cauſa data*; immò etſi nouitij velint remanere, non tenentur ſub culpa implere dictas pœnitentias; cùm ex ſolo Superioris imponentis præcepto ad eas teneãtur, & alioqui præcepta Superioris regularis non adſtringant Nouitios (exceptis tamen caſibus allatis *q.* 5. in quibus diximus Prælatos regulares poſse pæcipere Nouitijs, & Nouitios teneri obedire). Quæ doctrina vtique non habet locum in caſu, quo pœna Nouitio imponeretur à Prælato regulari in figura iudicij: tũc vbi nouitius elegit perſeuerare in religione, ſeque ſubiecit iudicio Prælati, nec res eſt integra: non poteſt amplius euitare tale iudicium, ſed tenetur ſtare ſententiæ Superioris, eiuſq; pœnam exequi, vt diximus *q.* 1. ita *Sanch. l.* 6. *mor. c.*10. *nu.*13. monens ex Anchar. Franco Lupo, & Dominico, quòd ſi in conſtitutionibus alicuius Ordinis imponatur certa aliqua pœna alicui delicto (v. g. perpetui carceris) non ideò infligenda eſſet tanta pœna Nouitio, qui fortè committeret tale delictum; quippe, cum annus probationis cõcedatur ad probandam auſteritatem regulæ, non debet tranſgreſſio illius ſub ea pœna prohibentis ita graui delicto tribui Nouitio; cum in eo ſtatu conſtitutus ſit, vt experiatur an eam prohibitionem poſſit ſuſtinere.

17 Addit *Sanch. num.*17. quòd, quamuis excommunicatio non poſſit ferri ob delictum merè præteritum, nihilominus Prælatus regularis in caſu, quo imponeret pœnam nouitio ratione delicti, poſſet ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ei præcipere, vt illam pœnam ſubiret: alioqui inutilis eſſet poteſtas iuriſdictionis, quam habet Prælatus etiam pro foro externo ad effectum obligandi ad illam pœnam. Poſſet præterea Prælatus regularis caſu, quo nouitius faceret aliquid prohibitum à Papa ſub pœna excommunicationis, eam fulminare contrà ipſum nouitium, ſicut & infligere quamcumque aliam pœnam à Papa ſtatutam in tranſgreſſores: ſiquidem, quamdiu nouitij eligunt manere in religione, Prælatus regularis eſt Iudex legitimus ad imponendas pœnas eorum delictis condignas, vt iam dictum eſt.

QVÆRES IX. An nouitij in conſcientia teneãtur præſtare conſueta ſuffragia, quæ ex ſtatuto, aut conſuetudine Ordinis ſolent ſolui pro defunctis eiuſdem Ordinis.

18 ℞. Non teneri in rigore iuris; cùm iuxtà dicta *q.*2. non adſtringantur regulis, ac conſtitutionibus Ordinis, & conſequenter neque conſuetudinibus, quæ vtique non obligant ſtrictiùs, quàm ipſæ regulæ: teneri tamen ex æquitate: cùm dicta ſuffragia præſtari ſoleant etiam ipſis Nouitijs tempore probationis decedentibus; & aliàs æquum ſit, vt qui ſentit commodum, ſentiat & onus.

Maior difficultas eſt, an Nouitij teneantur in cõſcientia ſoluere illa ſuffragia, ad quæ monaſterium, in quo ipſi degunt, tenetur ex contractu oneroſo; v. g. pro fundatoribus, aut alijs extraneis relinquentibus legata cum onere miſſarum, aut officiorum.

19 ℞. Teneri, non quidem ex iuſtitia (quo modo tenentur Religioſi profeſſi, cùm ſint vera membra monaſterij habentis ſup. dicta onera) ſed ex charitate, & ex fidelitate: ideoque, ſi inſcio Superiore omittant perſoluere dicta ſuffragia, peccare tum contra charitatem, quatenus defraudant defunctos præfatis ſuffragijs, quæ alioqui præſtarentur ab alijs Religioſis monaſterij, ſi Superiori conſtaret ea ab illis non ſolui; tum contra fidelitatem, quatenus non ſatisfaciunt obligationi ab ipſis acceptatæ, & decipiunt proprium Prælatum bona fide putantem eo modu impleri obligationem impoſitam ſuo monaſterio; vnde exiſtimo Nouitium in præſenti caſu poſſe grauiter peccare, niſi excuſet ignorantia inuincibilis, aut leuitas materiæ.

QVÆRES X. An Nouitij perſeuerare teneantur in religione, ita vt recedere ab ea non poſſint abſque iuſta cauſa.

20 ℞. Non teneri, niſi fortè emiſerint votum perſeuerandi, omnino cedendo iuri ſuo quò ad tempus probationis. Ita *Suar. ſup. l.*5. *c.*11. *n.*2. *Peyr. de R. P. q.*3. *c.*1. *§.*4. *n.*110. *Lezana to.*1. *c.*24. *n.*3. alijque penes ipſum Suar. & probatur tum ex *cap. ſtatuimus de regular.* vbi dicitur Nouitium infrà annum poſſe liberè redire ad priſtinum ſtatum (quod eſt ſignũ ex vi ingreſſus vt ſic nullam oriri obligatiõnẽ perſeuerandi in religione): tum quia ad hunc finem inſtitutus eſt annus probationis, vt religio experiatur nouitium, & Nouitius religionem: tum quia nulla adeſt lex, quæ obliget Nouitiũ ad permanendum, nullũ adeſt hac de re votũ, nullaue promiſſio, vt ſuppono, tũ qa

in obligationibus, quæ non ſunt iuſtitię commutatiuæ, ſed diſtributiuæ, aut charitatis; non eſt neceſſe, quòd obligatio ſit mutua; ideoque mirum non eſt, quòd, quamuis religio non poſſit abſque cauſa iuſta dimittere Nouitium, Nouitius tamen poſſit religionem dimittere ſine rationabili cauſa; maximè, cùm religio in dimiſſione Nouitij non ſe gerat vt domina, ſed vt diſpenſatrix; Nouitius verò, vt pote ſui dominus poſſit de ſe ipſo liberè diſponere, vnde ſic concludit *Suar. Neque etiam aliud genus culpæ hic neceſſariò interuenit, dummodo ſeruetur generalis ratio operandi ob honeſtum finem: illa autem ſeruari poteſt, etiam ſi non ſufficiat ad iuſtam cauſam dimittendi ſtatum religioſum*; in quo non diſſentiunt *Sanch. Caiet. & Paſſarel. apud Peyr.* aſſerentes Nouitium exeuntem à religione ex leuitate, aut religionis tædio peccare venialiter, quod, vt puto, non negaret Suar. cùm hic egreſſus è religione fiat abſque honeſto fine, & conſequenter ſit actio otioſa, quæ non poteſt excuſare à veniale

21 Dixi ſub initium reſponſionis, *niſi fortè fecerint votum perſeuerandi*, ad indicandum, quòd ſi Nouitius vouit perſeuerantiã in religione, tunc ſine dubio nõ poteſt exire, niſi ex iuſta cauſa: vt ſi tempore probationis aliquam magnam difficultatem experiatur ab ipſo, tempore voti inuincibiliter ignoratam, aut ſuperueniat aliqua notabilis difficultas; tunc enim poſſet licitè egredi, notabili rerum mutatione excuſante: teneretur tamen, ceſſante impedimento, iterum ingredi, ſi eam religionem vouit in ſpecie, aut certè, ſi religionem vouit in genere, ingredi illam aliam religionem, in qua non eſſet illa difficultas: ſi quidem aliàs votum religionis non eſt impletum quò ad perſeuerantiam, & alioqui impedimẽtum non excuſat, niſi pro tempore, quo durat, & reſpectu illius tantùm religionis, in qua adeſt impedimentum. Cuius rei ea eſt ratio, quòd vouens perſeuerantiam duo promittit, nimirum ingredi, & profiteri, ideoq; nõ ſatisfacit promiſſioni ꝑ ingreſſũ, niſi etiã ſuo tempore profiteatur; maximè cùm per votum perſeuerantiæ cædat iuri ipſi conceſſo per canones concedentes facultatem egrediendi tempore nouitiatus: quæ ceſſio vtique fieri poteſt, etiã poſt *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regular. c. 15.* vt pote conceſſa in *c. ad apoſtolicam de regul.* & a dicto Concilio correcta ſolum ad effectum, vt non valeat profeſſio ante annum nouitiatus expletum. Ita *Sanch. l. 4. c. 16. nu. 81.* cum pluribus alijs contra *Sotum Aragon. Ledeſmam*, & Sà docentes apud ipſum *Sanch. nu.* 80, nihil intereſſe inter votum ingreſſus, & votum perſeuerantiæ, adeoque vtrumque impleri ingrediendo bona fide, & animo probandi, & poſtea ex iuſta cauſa egrediendo: quippe, cùm illud vtrumque votum intelligi debeat iuxtà canones annum probationis concedentes; vt, ſi religio experta non placeat, integrum ſit egredi; quòd eſt dicere in eo voto perſeuerantiæ hanc tacitam conditionem ipſo iure ineſſe.

Quòd ſi quæras, an vouens præciſè ingreſſum religionis ita teneatur in ea perſeuerare, vt non poſſit egredi ſine iuſta cauſa modo ſup. dicto.

22 ℞. *Sanchez ſupra numer. 90. cum Caiet. Soto Arag. Tol. Paſſarel. Rodriquez* alijſque plurimis vouentem in tali caſu non ſatisfacere voto, ſi ingreſſus religionem retrocedat ex ſola libertate Nouitijs iure conceſſa; ſed exigi iuſtam recedendi cauſam, ac proinde, ſi in religione inueniat omnia grata, teneri ſub mortali perſeuerare; &, ſi exeat, teneri iterum ingredi: probat tum quia materia huius voti eſt id, quod communiter intendunt qui ingrediuntur religionem; at hi intendunt perſeuerare, ſi inueniant omnia grata; ergo materia huius voti eſt ingredi, & perſeuerare modo dicto; tum quia iura, quæ ingredienti religionem concedunt libertatem exeundi, loquuntur de ingredientibus abſque voto, ideoque cum ſit ratio longè diuerſa de ingredientibus ex voto, ad hos non debent extendi dicta iura iuxtà regulam iuris, *Vbi non militat eadem ratio, non militat eadem iuris diſpoſitio.*

23 Oppoſitum ſuſtinent *Gandau. Nau. Palat. Azor. Ang. alijque* penes *Sanch. n. 89.* & quidem probabiliter, teſte ipſomet Sanch. qui ſolùm dicit ſuam ſententiam eſſe veriorem; probantque ex eo quòd, ſicut iuramentum factum in materia iuris recipit omnes limitationes, ac interpretationes, quas ipſum ius recipit *l. fin. C. de cond. indeb.* & *l. fin. ff. qui ſatiſdare cogantur*: ita & votum recipiet omnes limitationes &c. cùm quò ad hoc par ſit ratio vtriuſque, ergò votum ingrediendi religionem debet intelligi ad experiendum eo modo, quo iure ſtatutum eſt; & conſequenter, cum annus probationis concedatur vt Nouitius experiatur religionem cum omnimoda libertate exeundi, & cum eadem libertate exeundi intelligendum eſt votum ingrediendi religionem.

24 Vnum hic moneo ex eodem *Sanch. nu. 74.* vouentem ingreſſum religionis teneri ingredi animo experiendi religionem bona fide, adeòque ſi vouens ingrediatur animo exeundi, non implere votum, ſi ingreſſus poſtea exeat, ſed ex vi voti emiſſi teneri mutare voluntatem, & habere animum experiendę religionis, num illius inſtitutum ſibi conueniat; hòc enim ipsò quòd actus promittitur, promiſſæ cenſentur omnes circunſtantiæ, ſine quibus actus non poteſt eſſe apta voti materia; vt benè oſtendit idem *Sanch. ſup. c. 11. nu. 30.* ex eo quòd quicunque vult aliquid implicitè vult id, ſine quo id eſſe non poteſt; conſtat autem ingreſſum religionis animo ſtatim exeundi eſſe vanum ac proinde materiam voti ineptam: quidquid dicat *Gandau. quodlibet 3. quæſt. 19.* eiuſmodi voto ſatisfieri ingrediendo religionem animo exeundi.

QVÆRES XI. An Nouitij egredientes a religione teneantur ſoluere expenſas in ſuis alimentis conſumptas in monaſterio.

25 ℞. Non teneri, niſi pactum ineatur largiendi dictas expenſas, vti fit in monaſterijs monialium, quibus, ſiue monialis perſeueret, ſiue non, expenſę debentur, & quidem, nulla ratione habita miniſterij in bonum religionis exhibiti: ſi quidem in omni euentu, & ſine vlla exceptione initur contractus ſoluendi expenſas. Ita *Azorius tom. prim. libr. 12. capit. tertio quæſt. 6. Sà verb. religio numer. octauo Rodriquez tom. tertio quæſt. 15. articul. vlt. Suarez ſup. numer quinto Peyr. num. 105. Lezana vbi ſup.*

alijque

alijque penes ipſos, & apud, *Sanch. lib. 6. mor. cap. 10. num. 4.* patetque reſponſio ex eo quòd iuxtà ſupra dicta Nouitius liberè poteſt redire ad ſæculum, non poſſet autem liberè redire, ſi ad præfatas expenſas teneretur: ſæpe enim retineri poſſet, quòd non haberet, vnde ſolueret expenſas; tum quia talis eſt vſus, & inſtitutio religionum: tum quia nulla adeſt talis obligatio iuſtitiæ, ſiue quia redditus, aut eleemoſynæ monaſterij non ſunt tantùm ad alendos profeſſos, ſed etiam nouitios: ſiue quia ingrediens religionem ſtatim ſe offert ſeruitio, ac vtilitati religionis, ideòque debitum eſt, vt eius bonis alatur; quamquam *Lezana* putet hanc reſponſionem non habere locum in eo, qui religionem ingreditur deprauata intentione: cùm non deceat illum referre commodum ex delicto: idemque indicat *Sanch. num. 3.* A nobis non diſſentit *Bordonus cap. 3. de profeſſ. q. 13.* vbi docens poſſe eijci nouitium aliàs idoneum ex eo præcisè quòd nolit ſoluere alimenta debita ex pacto; iudicat licitum eſſe exigere ex pacto à nouitijs alimenta: quòd probat tum ex *Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 16.* concedente quòd à nouitio exigi poſſint victus, ac veſtitus: tum quia pacta, & conuentiones ſeruanda ſunt *cap. 1. & 3. de pactis*.

26 Nec obſtat quod in *cap. de lapſis 16. q. 6. & cap. ſi quis rapuerit 7. q. 1.* ſtatuitur in probatione exiſtentes non debere, eſſe oneroſos monaſterio: nam iſta iura non loquuntur de nouitijs, qui in religione ſunt ad experiendum, an is ſtatus ipſis conueniat, ſed de Regularibus, qui cauſa pœnitentiæ detruſi ſunt in aliud monaſterium: quare hæc iura non faciunt contra nos, vt benè notat *Sanch. ſup. ex Anchar. & Io: Andrea*.

27 Concedit tamen *Suar. ſup.* & benè, quòd ſi ingrediens religionem aliquid in ſui ſuſtentationem pro tempore nouitiatus donet monaſterio: non tenetur monaſterium ei egredienti reſtituere, niſi eam partem, quam non conſumpſit pro rata temporis: idque etiam poſt Concilium Trid. vt conſtat ex eius *ſeſſ. 25. cap. 16. de regular.* vbi hæc habentur, *excepto victu, & veſtitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt*. Imò, ſi Nouitius ab initio nihil donauit ingrediens, ſed ſe obligauit ad ſoluendam certam ſummam pro ſumptibus nouitiatus, poterit monaſterium exigere talem ſummam; cùm eiuſmodi donatio ſit iuſta, & per conſequens iuſta, & valida, per ſe loquendo, ſit obligatio inde conſurgens: ex iſto tamen titulo non poteſt impediri liber Nouitij egreſſus, ſed iuxtà *cap. non ſolum* ſuperiùs adductum liberè debet permitti, exacto poſtea debito; quòd ſi timeatur impotentia, aut difficultas recuperandi, imputet ſibi monaſterium, quòd à principio non poſtulauerit, vel quòd maiorem cautionem in hoc non adhibuerit.

28 Addit *Peyrin. ſupr. numer. 107. cum Barboſa in capitul. ſuper eo de regular. numer. quinto*, in caſu, quo Nouitius egrediatur è religione, non eſſe ei reſtituendum habitum religioſum, quantumuis factum expenſis ipſiuſmet Nouitij, ſed ſolùm ei debere reddi tantum pretij, quanti dictus habitus æſtimatur eo tempore, quo Nouitius illum dimittit: & hoc iuxtà decretum *Concilij Tridentin. ſupr.* præcipiens, vt Nouitijs à religione retrocedentibus reſtituantur quæcumque ſecum ab initio ingreſſus detulerunt: ita declarauit Sacra Congregatio teſte *Peyrino*, qui benè notat in caſu propoſito poſſe detineri habitum Nouitij loco alimentorum ipſi pro toto eo tempore conceſſorum, ſi fortè interceſſit hac de re pactum, aut certè dicta alimenta excedant ſeruitium præſtitum: quod innuit etiam *Sanchez ſupra numer. ſecundo* ſuſtinens, quòd ſi miniſteria à Nouitio exhibita monaſterio æquiualeant præfatis expenſis, tunc certum eſt nihil ab ipſo deberi, eſtò ille fuiſſet ingreſſus animo redeundi ad ſæculum: cùm ſic expenſæ reuera compenſentur dictis miniſterijs; quamquam ad hoc vt miniſteria dicantur æquiualentia alimentis, neceſſe ſit, vt monaſterium ſeruitio illius Nouitij indigeret; ita vt, eo per illum non exhibito, totidem expenſas facturum fuiſſet pro alio miniſtro: ſecùs, ſi dictum obſequium per alios eiuſdem monaſterij miniſtros ſupplendum fuiſſet, non multiplicatis nouis expenſis.

29 Quòd ſi detur habitum Nouitij fuiſſe emptum, non ſumptibus ipſius Nouitij, ſed ex eleemoſynis piorum virorum eo fine elargitis, vt ille religionem ingrederetur: tunc putat *Peyr. num. 108.* monaſterium ex iuſtitia non teneri eum reddere Nouitio exeunti: cùm ſic ceſſet finis, ob quem habitus donatus eſt, videlicet vt Nouitius religionem ingrederetur, & in ea perſeueraret.

QVÆRES XII. An Nouitij ſubiaceant reſeruationi caſuum, & cenſurarum factæ à Prælatis regularibus Ordinis, in quo probantur.

30 ℞. *Diana p. 3. tr. 2. reſol. 4. cum Portel. Fay Villal. Miranda Azor, Vega Vgol. Bellecch. Corioli Floron. Nald. Sà Graff. Homob. Io: de la Cruz & Ledeſma* non ſubiacere: idque ob eam rationem potiſſimùm, quòd reſeruatio eſt actus iuriſdictionis, quæ non exercetur, niſi in ſubditos; Nouitij autem non ſunt ſubditi ſimpliciter Prælato religionis, adeòque non comprehenduntur ſub dicta reſeruatione: præſertim cùm ea ſit odioſa, ac proinde non ampliari debeat, ſed reſtringi. Oppoſitum ſentiunt *Corduba, Rodriq. Laym. Vecch. apud ipſum Dianam, Lezana to. 1. c. 24. nu. 7.* & alij, probantque: tum quia quicumq; habet poteſtatem Eccleſiaſticā ordinariam, is Sacerdoti inferiori ſubdito poteſt committere poteſtatem abſoluendi cum reſtrictione, ſeu reſeruatione; Prælatus autem regularis, etiam reſpectu Nouitiorum habet poteſtatem Eccleſiaſticam ordinariā; quippe qui ſunt exempti ab Ordinariorū iuriſdictione, & alioqui cenſentur mutaſſe domicilium, & territorium, maximè quò ad ea, quę ſpectant ad Sacramenta neceſſaria, iuxtà *cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſ. & c. ad apoſtolicam de decimis*: tum quia par eſt, vt Nouitij ſubijciantur alicui Ordinario, ideòque cùm non ſubijciantur Epiſcopis, neceſſe eſt eos ſubdi proprijs Prælatis regularibus: præſertim cùm, teſte *Leſſ. l. 2. c. 40. nu. 107.* dicti Pręlati etiam comparatione nouitiorum, habeant quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem; vnde

cum habens iuriſdictionem epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem quò ad ſuos ſubditos poſſit reſeruare caſus, quibus ij ſubijciantur, ita & poterunt reſeruare Prælati regulares quò ad nouitios ſibi ſubditos, non ſecùs ac Epiſcopi reſeruant quò ad clericos ſęculares ſubditos, vt innuit *P. Laym. l. 4. tractat. 5. cap. 4. numer. 4. ad argum.*

31 Verùm quidquid ſit de probabilitate iſtarum duarum opinionum extremè oppoſitarum: certè in Societat. Ieſu quò ad nouitios ipſius Societatis ſuſtinenda eſt ſententia affirmans ex decreto Reuerend. P. N. Generalis Aquauiuæ; qui 9. Maij 1614. per litteras encyclicas expreſsè prohibuit Noſtris, ne partem negantem vllo modo defendant quòd ad nouitios ipſius Societat. eamue vllatenus conſulant; in quorum confirmationem addi poſſet conceſſio facta à Paulo Quinto Congregationi Sanctæ Mariæ Fulienſis 17. Auguſt. 1609. quòd eius Superiores poſſint reſeruare caſus, etiam quò ad nouitios: niſi dicta conceſſio facta fuiſſet viuæ vocis oraculo, teſte *Peyrino tom. 2. priuil. Conſtit. x. Vrb. Octaui num. 9.* adeòque ſublata in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum indicta à Greg. XV. & Vrb. Oct.

An autem Prælati regulares liberè poſſint reſeruare caſus, & cenſuras peculiares pro nouitijs ſubditis, ſtante decreto Clementis Octaui prohibentis ipſis Prælatis, ne extrà capitulum generale, aut prouinciale reſeruent caſus, quò ad Religioſos ſubditos.

32 ℞. Non poſſe, etiam dato quòd nouitij ſubiaceant reſeruationi caſuum proprij Ordinis. ducor, quòd, quamuis præfatum decretum editum fuerit in fauorem Religioſorum, ne Superiori ſuo conſcientię maculas detegere formidantes adducantur in periculum æternæ damnationis, & ſpiritualis remedij deſperationem; eius tamen beneficio dici poſſunt gaudere etiam nouitij, vtpote qui in fauorabilibus veniunt nomine religioſorum, & tanquam infirmiores, ac imperfectiores magis indigent eo remedio, ne ex iuuenili erubeſcentia peccata aliqua reticentes damnationis æternæ periculum incurrant; vbi verò militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio, loquendo de diſpoſitione fauorabili: quæ regula vtique militat in caſu noſtro, in quo concurrit non ſolùm identitas rationis, ſed etiam maioritas; vt patet.

QVÆRES XIII. An nouitij in progreſſu probationis teneantur manifeſtare impedimenta obſtantia ingreſſui, ſi ea non manifeſtarunt quo tempore captæ ſunt informationes pro ipſo ingreſſu iuxtà bullam Sixti V. *cap. 3.* à nobis adductam, & per varias qq. explicatam.

33 ℞. Iuxta dicta citato *cap. 3. quæſt.* 13. teneri: & hoc tum ob rationes ibi allegatas; tum quia obligatio manifeſtandi præfata impedimenta non vrget ſolum ante ingreſſum, ſed etiam toto tempore probationis, ne alioqui admittatur indignus ad profeſſionem cum graui præiudicio religionis, adeoq; debet impleri. diſſentit *Portel. 1. p. reſponſ. caſu* 8. *num. 6.* nixus quadam doctrina *Sanch. l. 7. de matr. D. 17. numer. 6.* eamque applicando ad præſentem caſum dicit nouitium homicidam, ſi bona fide ſuſcipiat habitum religioſum, non teneri poſtea manifeſtare ſuum delictum, quod ſit omninò occultum; cùm præceptum conſeruandæ propriæ famæ pręualeat cuicumque præcepto eccleſiaſtico; & in *cap. quis aliquando de pænitent. d. 1.* dicatur. *Non dico tibi, vt tè prodas*: immò putat, quod ſi Prælatus regularis ante conceſſionem habitus, & ante informationes factas iuxtà decretum Clementis Octaui relatum *ſup. cap. 2. quæſt. 4.* exhibeat iuramentum petenti habitum, vt dicat, num habeat aliquod ex impedimentis à Sixto V. ſtatutis, & relatis *cap. 3.* ſi quod illorum habet, poteſt illud reticere reſpondendo cum æquiuocatione; idque etiam in caſu, quo delictum illud ſit alicubi notorium, occultum tamen in loco, vbi petit admitti, & probabiliter credi poſſit illud ibi non detectum iri; & hoc, ne alioqui ſe infamet: ita *Portel.* qui tamen dicit hoc vltimum non reſolutè aſſerere, neque conſulere: quàm probabiliter verò differat etiam in reliquis, conſtat ex dictis *c. 3. q. 13.*

QVÆRES XIV. Cui debeant nouitij Sacramentaliter confiteri.

34 ℞. Quòd, licèt expediat eos regulariter confiteri magiſtro, & idipſum expreſsè ſtatuatur in Decretis Clementis Octaui *cap. præced.* ſæpius allegatis, in hæc verba. *Ipſi autem magiſtro ſoli nouitiorum confeſſiones audiendi cura committatur* (quamquam poſtea addatur, *liceat tamen Superiori etiam locali, ſi ita expedire iudicauerit, vel per ſe ipſum, vel per alium ab eo deputandum ſemel, aut bis in anno eorundem nouitiorum confeſſiones audire*:) & quidem meritò, vt ſic ipſi nouitij melius dirigi poſſint à magiſtro in via ſpirituali; abſolutè tamen loquendo, probabile eſt nouitios validè confiteri poſſe cuicumque Sacerdoti, ſiue ſæculari, ſiue regulari, qui ſit approbatus à proprio Ordinario, vel etiam à Prælato ipſorum nouitiorum; idque non obſtante decreto illo Clementis (quo nituntur *Peregr. Megala Tamburin. & Vecch. apud Dianam par. 3. tractat. 2. reſolut. 4.* oppoſitum ſuſtinentes) quippequod latum eſt per modum, non præcepti irritantis confeſſionem, ſed regulæ, ac conſilij. ita *Diana cum Molfeſ. Ortiz Rodriq. Portel. Fay Villal. Mir. Riccio*, alijſque & probatur quia nouitij in odioſis non reputantur religioſi, adeoque non ſubiacent oneribus religioſorum; vnde non ſequitur: Religioſi non poſſunt confiteri extrà religionem; ergò neque nouitij; hi enim quò ad onera religionis reputantur quaſi ſæculares; pręterea nullo iure probatur, quòd nouitij non poſſint confiteri etiam extrà religionē; & de facto Aduerſarij nullum adducunt præter decretum Clementis Octaui, quod iam ſolutum eſt.

35 Illud certè concedendum eſt, quod aduertit *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 17. nu. 13.* quòd, cum iuriſdictio audiendi confeſſiones omnium fidelium competens Regularibus ex priuilegijs Pontificijs regulariter non deſcendat ad ſingulos Religioſos, niſi media conceſſione, & voluntate ſuorum Prælatorum: ſi contingat Prelatum religionis expreſsè prohibere ſuis ſubditis audire confeſſiones ſuorum nouitiorum, tunc non poterunt nouitij illis

lis

lis confiteri; non quia ipſi nouitij ex parte ſua impediti ſint, ſed quia Religioſi iuriſdictionem non habent quò ad nouitios: cùm re vera Superior poſſit illam coarctare, & communicare, prout voluerit, adeòque approbare ad confeſſiones ſæcularium audiendas, & non regularium, etiam nouitiorum: quo pacto item poteſt (quantùm eſt ex parte ſua) approbare ad audiendas confeſſiones virorum, & non fœminarum. Ex quo infert *Suar.* quòd ſi Prælati religionum vellent, poſſent ita limitare iuriſdictionem ſuorum ſubditorum, vt ab ea excluderent non ſolùm nouitios propriæ religionis, ſed etiam aliorum ordinum, cum iuxtà dicta delegatio poteſtatis omnem hanc limitationem admittat; quod maximè locum habet in Soc. Ieſu, in qua præfata iuriſdictio ita communicatur ſubditis, vt ſemper in eius vſu pendeant à proximis Prælatis.

Difficultas maior eſt, an caſu, quo Prælatus monaſterij modo dicto prohibeat ſuis ſubditis, ne audiãt confeſſiones nouitiorum, eas nihilominus poſſint audire, iuriſdictione ad id ſpecialiter accepta ab Epiſcopo loci, in quo nouitius confitetur.

36 ℞. Videri probabile, quòd poſſint. ducor, quòd Regulares ex vna parte poſſunt validè audire confeſſiones per iuriſdictionem obtentam à ſolo Epiſcopo (ſi ſtemus in iure communi,) quod oſtendit *Laym. l. 5. tr. 6. cap. 10. num. 19.* ex alia parte non repugnat quem habere ſimul, & eodem tempore duos ordinarios Paſtores inter ſe non ſubordinatos in foro pœnitentiali, (quod docet *Nau.* allegatus à *Suar. num. 14.* & admittit ipſemet *Suar.*) ergò, cùm nouitius non acquirat domicilium firmum omninò, & ideò adhuc retineat prius domicilium, conſequenter cum ſubiectione ad Prælatum monaſterij retinebit ſubiectionem ad Epiſcopum præſertim in foro confeſſionis, quod eſt voluntarium, ſicque poterit confiteri Sacerdoti, qui ſit approbatus vel à proprio Epiſcopo, vel à ſuo Prælato regulari; cum hi quo ad hoc concurrant cumulatiuè vtpote habentes iuriſdictionem in nouitium. ita viri docti à me conſulti, & ſatis probabiliter, patetque ſufficienter ex dictis, ſi monuero in caſu, quo Prælatus regularis ſuis ſubditis prohibeat audire confeſſiones nouitiorum, & quidem irritando factũ, tunc nõ ſufficere, quod religioſus auditurus cõfeſſionem nouitij ſit generaliter approbatus pro confeſſionibus ſæcularium, ſed requiri, vt ſit ſpecialiter approbatus, obtenta iuriſdictione ab Epiſcopo ad confeſſionem nouitij audiendam: ratio eſt, quòd Epiſcopus approbans Religioſos pro ſæcularium confeſſionibus regulariter non intendit ijs conferre iuriſdictionem, vtpote ſciens eos illam habere immediatè à Papa, adeòque ſi in aliquo caſu egent religioſi dicta iuriſdictione ab Epiſcopo (ſicut verè egent in caſu præſenti, cùm illam non habeant à Papa, vt iam dictum eſt) neceſſe eſt, vt Epiſcopus approbans intendat conferre approbationem ſimul, & iuriſdictionem.

37 Quòd verò ad audiendas confeſſiones nouitiorum ſufficiat approbatio Prælati regularis ipſorum nouitiorum, ſiue Confeſſarius ſit ſæcularis, ſiue regularis, etiam alterius Ordinis: conſtat ex eo quòd iuxtà dicta §. *præced.* nouitius duplicem habet Ordinarium pro foro pœnitentiæ, nimirùm Epiſcopum loci, in quo peragit nouitiatum, & Prælatum monaſterij, in quo probatur: quilibet autem Ordinarius poteſt approbare Confeſſarios pro ſuis ſubditis.

QVÆRES XV. *Quibus exercitijs ſpiritualibus debeant vacare Nouitij.*

38 ℞. Iure quidem naturali debere vacare ijs, quæ decent ſtatum religioſum quem intendunt profiteri, quæque à nobis propoſita, & explicata ſunt *c. præced.* iure verò poſitiuo debere vacare ijs exercitationibus ſpiritualibus, quæ præſcribuntur in decretis Clementis Octaui *citato cap.* declaratis, & in ſpecie referuntur *ibi quæſt. 16.* nec non ijs, quæ in ſtatutis vniuſcuiuſque Ordinis iuxtà formam proprij Inſtituti indicuntur; quamquam, ſi nouitij omittant dicta exercitia ſpiritualia, non ideò damnandi videantur de peccato, per ſe loquendo: cùm decreta ſupradicta Clementis Octaui lata ſint per modum conſilij, non autem præcepti, vt iam diximus, & aliàs nouitij non adſtringantur ſtatutis religionis, vt oſtendimus *ſup. quæſt. 2.* Dixi, *per ſe loquendo*, quia aliunde poteſt contingere, vt nouitius peccet omittendo præfata exercitia ſpiritualia, ſicut facile conſtabit conſideranti.

CAPVT VII.

Quibus Priuilegijs gaudeant Nouitij.

1 *Nouitij gaudent priuilegijs Ordinis.*
2 *Et quidem etiam ante ingreſſum, ſi breui ingreſſuri ſint.*
3 *Secùs, ſi animo ficto ingrediantur.*
4 *Gaudent, etſi ſint impuberes.*
5 *Fruuntur indulgentijs Ordinis.*
6 *In receptione habitus lucrantur indulgentiam plenariam.*
7 *Gaudent priuilegio fori.*
8 *Sed non ſemper, ſi poſt delictum patratum ingrediantur.*
9 *Idque de iure nouo; non autem de iure antiquo.*
10 *Quod ius nouum procedit, etiam de nouitijs ingredientibus ex voto.*
11 *Sunt exempti ab Ordinariorum iuriſdictione.*
12 *Immunes ſunt à gabellis.*
13 *Gaudent priuilegio canonis.*
14 *Sed non in ordine ad ſuos Superiores, ac Religioſos ſeniores.*
15 *Si ſint illegitimi, iuxtà aliquos ſiunt habiles ad Ordines ſacros.*
16 *Alij tamen id negant, etſi pars affirmans non ſit improbabilis.*
17 *Soluitur prima ratio, quæ affertur contrà partem affirmantem.*
18 *Soluitur ſecunda ratio.*
19 *Soluitur.*

20 *Per ingreſſum religionis diſſoluuntur ſponſalia; quod negat Suar. ex parte.*

21 *Ingrediente ſponſo de futuro, alter nubit liberè.*

22 *Nouitÿ recedentes repetunt bona data monaſterio; ea tamen ipſis ante profeſſionem decedentibus, non reſtituuntur parentibus.*

23 *Retinent beneficia ſacularia vſque ad profeſſionem.*

24 *Et euocandi ad electionem, ſi eligendi ius habeant.*

25 *Lucrantur legata ſub onere ingrediendi religionem, ſi ingreſſi recedant.*

26 *Secus, ſi fictè ingrediantur.*

27 *Legatum puellæ ad dotem in caſu, quo fiat monialis, debetur ingredienti monaſterium non exigens dotem, ſi legatum ſit abſolutum.*

28 *Non ſemper liberantur a ſoluendis debitis antea contractis.*

29 *Ea ſoluere Conuentus tenetur, ſi nouitÿs aliqua bona relinquantur.*

30 *Validè teſtantur de bonis abſque forma iuris ciuilis iuxtà aliquos; at oppoſita ſententia in praxi amplectenda eſt.*

31 *Aſſertio procedit proportionaliter de alÿs contractibus.*

32 *Nouitÿ per ſuos Prælatos abſoluuntur à reſeruatis æquè ac profeſſi.*

33 *Idque etiam quando breui admittendi ſunt ad habitum.*

34 *Non reincidunt cenſuras, ſi abſque ſua culpa dimittantur.*

35 *Pluries abſolui poſſunt à reſeruatis.*

36 *Diſpenſari poſſunt ſuper pluribus irregularitatibus.*

37 *Et quidem ſuper irregularitate ex homicidio, mutilatione, & bigamia.*

38 *Relaxari poſſunt eorum vota, ſed non per irritationem.*

39 *Et quidem etiam à proprio Epiſcopo.*

40 *Non tenentur ad vota facta ante ingreſſum, vt pote tunc ſuſpenſa.*

41 *Idque etſi ea non obſtent obſequÿs Ordinis.*

42 *Vota illorum à Prælato regulari irritari nequeunt, etſi priuatim emiſerint 3. vota religionis.*

43 *Diſpenſari poſſunt à Prælato regulari ſuper Eccleſiæ præceptis.*

44 *Si recedant, diſpenſari nequeunt ab eo ad effectus perpetuos.*

45 *Confiteri poſſunt Sacerdoti approbato à ſolo ordinario; idque etſi intendant mox recedere ab Ordine.*

46 *Poſſunt recipere ordines, etiam ſacros.*

47 *Et quidem etiam ab Epiſcopo loci, in quo probantur.*

48 *Dimiſſorias tamen accipiunt a Prælato regulari.*

49 *Sine eius licentia poſſunt recipere ordines.*

50 *Nequeunt ordinari in ſacris titulo paupertatis.*

51 *Vti poſſunt bulla Cruciatæ aliàs vetita religioſis Ordinis.*

52 *Exponuntur ad ſæcularium confeſſiones, ſeruatis aliàs ſeruandis.*

53 *Poſſunt concionari, etiam nondum ordinati.*

54 *Immò, etſi nondum habeant primam tonſuram.*

55 *Iura enim actum concionandi prohibent ſolùm ſimplici laico.*

56 *Nec obſtat Gregorÿ XIII. bulla* Dilecti filij *edita pro Societ. Ieſu.*

57 *Item non obſtat vſus Societatis in contrarium.*

58 *Ante finem nouitiatus profitentur in articulo mortis.*

59 *Eligere poſſunt ſepulturam.*

60 *Dimitti non poſſunt ſine cauſa.*

61 *Non ſubſunt interdictis generaliter latis contra clericos.*

QVÆRES I. An Nouitij poſſint vti priuilegijs ſui Ordinis.

1 ℞. Poſſe; & probatur tum quia iuxtà communem DD. ſententiam Nouitij in fauorabilibus veniunt appellatione religioſi arg. *c. religioſo §. quamuis de ſent. excommunic. in 6.* vbi, vt nouitius gaudeat priuilegio canonis, dicitur comprehendi ſub nomine religioſi: vnde, cùm priuilegia ordinum dicantur concedi religioſis ipſorum ordinum, ea debent extendi etiam ad nouitios, vt pote qui iuris fictione in fauorabilibus reputantur religioſi; tum quia nouitij pro tempore nouitiatus ſunt ſub poteſtate religionis, & ſuo modo ſuſtinent onera illius; ergò, & par eſt, vt participent priuilegia, & fauores illius iuxtà communem regulam, quæ eſt 55. de *regul. iur. in 6.* ita *Suar. to. 4. de relig tr. 10. l. 9. c. 1. n. 18. & to. 3. l. 5. c. 16. n. 17. Mol. to. 1. D. 139. Azor. to. 1. l. 12. c. 2. q. 10. & Diana p. 3. tr. 2. reſol. 73.* alijque penes ipſum contra *Rodriq. tom. 3. q. 51. ar. vlt.* & *Portel. de dub. regul. v. nouitius n. 54.* negantes nouitium gaudere priuilegijs, quæ conceduntur religioſis profeſſis, niſi id ipſum in conceſſione exprimatur vti de facto interdum exprimitur. 2

Quin etiam docet *Peyr. to. 3. priuil. c. 3. n. 3.* nouitios nondum indutos habitu religioſo, ſed breui induendos gaudere ijs omnibus priuilegijs, quibus gaudent Religioſi profeſſi, ac nouitij (in quantùm ſunt eorum capaces) probatque tum quia in fauorabilibus breui accingendus habetur pro accincto *l. penult. ff. de milit. teſtam.* tum quia *Archidiac. in cap. ſi quis ſuad. 17. q. 4. n. 8.* dicit eum, qui nullum habet ordinem, ſed tantùm geſtat coronam, & eſt clericus animi deſtinatione, gaudere priuilegio canonis: tùm ex varijs alijs congruentijs, quæ videri poſſunt apud ipſum *Peyrinum*; cum quo ſentit etiã *Vecch. D. 9. de nouitÿs d. 1. n. 2.* & benè, maximè, ſi loquatur de nouitijs, qui iam peruenerunt ad locum probationis, & ſunt in pruna (vt ſic loquar) probatione, manentque in monaſterio per modum hoſpitij habitu ſæculari inducti, vt fit in aliquibus religionibus.

Vtrum verò gaudeat priuilegijs religionis nouitius, qui ficto animo illam ingreditur, nimirum animo non perſeuerandi, ſed exeundi vbi primùm obtinuerit id, quod intendit.

3 ℞. Non gaudere; & probatur, quia eatenus is gaudet ſupra dictis priuilegijs, quatenus eſt nouitius; at poſito illo prauo animo, non eſt nouitius niſi materialiter; vt benè oſtendit *Suar. to. 4. de relig. tract. 10. l. 2 cap. 5. numer. 15.* ergò nulla adeſt ratio, cur dicatur gaudere præfatis priuilegijs; prætereà non eſt iuſtum, vt ex delicto reportet commodum: vnde dicit *Suarez* nouitium ficto animo ingredientem, ſi poſtea egrediatur, teneri ad reſtitutionem expenſarum, & damnorum, quæ ob eam cauſam religio pateretur.

Du-

Dubitari hìc etiam poteſt, an impubes admiſſus ad religionem participet de priuilegijs religionis eo modo, quo de ijs participant nouitij.

4 ℞. Non videri improbabile, quòd participet; dummodò talis admiſſio non ſit irrita ex vi conſtitutionum Ordinis. ducor tum quia taliter admiſſus, ſin minùs propriè, ſaltem largè eſt nouitius, & pro ſuo modulo onera ſuffert religionis; ergò & debet participare de priuilegijs nouitiorum; cùm talis participatio ſit maximè fauorabilis, adeoque debeat ampliari, itaut non reſtringatur ad nouitios propriè dictos, ſed extendatur etiam ad illos, qui largè dicuntur nouitij: tum quia taliter admiſſus iuxtà *Palud. & Angel.* quos refert, & ſequitur *Sanchez l.5.mor.c.4.num.24.* gaudet priuilegio canonis concesso nouitijs *cap. relig. de ſent.excommunic. in 6.* ergò ſaltem ſecundùm hos DD. gaudebit & alijs priuilegijs nouitiorum; cū non ſit maior ratio, cur gaudeat priuilegio canonis, & non gaudeat alijs priuilegijs religionis: ſtante quòd iura expreſsè nō concedunt priuilegium canonis, niſi nouitijs propriè dictis, & tamen citati DD. illud ampliant ad eiuſmodi nouitios impropriè dictos; quod eſt ſignū priuilegia conceſſa nouitijs extendi non ſolùm ad nouitios propriè dictos, ſed etiā ad eos, qui impropriè dicuntur nouitij: cuiuſmodi ſunt ij, de quibus hìc loquimur; tum denique quia *Rota deciſ. 1. tit.de teſtam.* tenet, quòd pro bonis deſtinatis ad ædificationem Eccleſiæ poteſt peti reſtitutio in integrum iure Eccleſiæ, eſtò Eccleſia nondum ſit ædificata: ſicut & partus conceptus in his, quę concernunt eius præſeruationem, vt producatur in eſſe, gaudet priuilegio iam natorum iuxtà *l. prægnantis ff.de penis & l.qui in vtero ff. de ſtat. hom.* quæ ſine dubio facere poſſunt etiam ad rem præſentem, vt conſideranti conſtabit.

QVÆRES II. An nouitij poſſint frui indulgentijs, quæ conceſſæ ſunt, aut conceduntur Religioſis profeſſis.

5 ℞. Poſſe, non tam ex conceſſione Sixti Quarti relata à *Caſarub. v. indulg. ſtat. quò ad fratr. numer.8.* & facta monialibus S.Claræ, vt earum nouitiæ poſſint promereri omnes indulgentias almæ Vrbis viſitando ſuas Eccleſias (quæ cùm ſit reſtricta ad particulares indulgērias, & nitatur viuæ vocis oraculo, poſt generalem reuocationem viuę vocis oraculorum non ampliùs ſuffragatur:) quàm quia iuxtà dicta *quæſt. præced.* nouitij in fauorabilibus veniūt nomine religioſorum, ideoque indulgentię, quę conceduntur religioſis profeſſis, cenſentur conceſſæ etiam nouitijs. ita *Portel. ſup.* citans pro ſe *Rodriq. q.tom.3.quæſt.51.a.12.* qui tamen loquitur, non generaliter, ſed ſolùm de quibuſdam particularibus indulgentijs, ſuamque ſententiam confirmat tantùm illo viuę vocis oraculo, quod, vt dixi, non ampliùs ſubſiſtit.

Quòd ſi hac occaſione quæras, quam indulgentiam obtineat nouitius in receptione habitus religioſi.

6 ℞. Obtinere indulgentiam plenariam à Paulo V. conceſſam eo modo, quo commodiùs explicabimus in *tract. de priuil. cap.5. ſect. 5. ſubſ.1. q.3.* vbi hac de re fuſiùs differemus.

QVÆRES III. An nouitij gaudeant priuilegio fori, & quo modo.

7 ℞. Gaudere, ideoque non poſſe conueniri pro vllo delicto, ſiue ciuili, ſiue criminali coram Iudice ſæculari; ſed debere conueniri coram Prælato religionis, ab eoque puniri, dato quòd ij velint permanere in religione. ita *Nau. l.3. conſil.de regular. conſ. 58. num. 4. Mol. tom.3. D.671. num.2. Azor. par.1. l.12. cap.2. quæſt.11. Sanch. lib.mor. cap.10. num.11. Lezana tom.1. cap. 24. num.4. alijque* penes ipſos; & probatur tum quia nouitius ex vi ingreſſus religionis reputatur perſona eccleſiaſtica, & conſequenter fruitur priuilegiis perſonarum eccleſiaſticarum, inter quæ eſt immunitas à Iudice laico; tum quia Sixtus V. in ſua Conſtit. *ad Romanum* relata *cap. 3.* cùm declaraſſet receptionem quorumdam criminoſorum eſſe irritam, declarat ſimul iudices ſæculares retinere in eos poteſtatem; hinc indicans, quòd ſi eorum receptio eſſet valida, dicti Iudices talem in eos non haberent poteſtatem, vt ingenioſè aduertit *Suar. tom.3. de relig. l.5. cap. 11. num.12.* tum quia *l. ſtatu liber. ff.de quæſtionibus* habetur ſtatu liberum in delicto repertum, non vt ſeruum ob ambiguum conditionis ſtatum, ſed vt liberum puniendum eſſe; ergò & pari ratione nouitius, cuius ſtatus dubius eſt, an futurus ſit religioſus, vel laicus, deſerto monaſterio, ſi delinquat, non inſtar laici coram Iudice ſæculari, ſed inſtar religioſi conueniendus eſt.

Difficultas maior eſt, an nouitius, qui poſt patratum delictum aſſumit habitum religioſum in fraudem poteſtatis ſæcularis, poſſit nihilominùs iudicari, & puniri à Iudice laico.

8 ℞. Stante ſupradicta Conſtit. Sixti V. *ad Romanum*, (quæ quò ad hanc partem non fuit derogata à Clemente VIII.) vtendum eſſe diſtinctione; vel Iudex ante ingreſſum nouitij cæpit cognoſcere de delicto ab eo commiſſo in ſæculo, ſiue via accuſationis, ſiue via inquiſitionis; & ſic poteſt nouitius per iudicem laicum extrahi ab Ordine, iudicari, & puniri etiam durāte nouitiatu; vel iudex de pręfato delicto ante ingreſſū nouitij nō cæpit iudicare vllo ex dictis modis; & ſic nouitius non poteſt extrahi ab Ordine, nec iudicari, nec puniri; idque ex citata Conſtitut. Sixti V. §.17. vbi hoc expreſsè deciditur; vt aduertit *Portel. ſup. num.17.*

9 Dixi, *ſtante ſupradicta Conſtit. Sixti V.* hac enim ſecluſa, non videtur improbabile quod docet *Bonac. D.10. de leg. q.2. p.1. §.1. n.16. & Genuenſ. in praxi c.8. n.5.* Iudicem laicum non poſſe in vlla cauſa procedere contra laicum conuentum, poſtea factum Clericum (adde tu factum religionis.) moueor, tum quia etiam reus confugiens ad Eccleſiam poſt delictum animo fraudandi curiam ſæcularem, adhuc gaudet immunitate, eſtò remaneat laicus: ergò multo magis id debet concedi ei, qui propriam perſonam Deo dicat per ſuſceptionem ordinum, aut receptionem habitus religioſi ad effectum famulandi Deo in perpetuum; tum quia *l. qui cum vno §. reus ff. de re militari* habetur reum capitalis criminis accuſatum, ſi efficiatur miles non remitti, ſed à iudice militiæ iudicandum eſſe: quod vtique videtur potiori ratione admittendum de eo, qui efficitur

miles

miles Dei modis ſupradictis; tum quia *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 4. de refor.* prohibet Epiſcopis, ne ordinent eos, qui animo declinandi forum ſæculare ordines ſuſcipiunt; eſſet autem fruſtranea talis prohibitio, ſi aliàs ij verè non eſſent à poteſtate laica exempti. oppoſitum tamen ſuſtinent communiter alij DD. apud *Dianam p. 1. tr. 2. reſol. 26.* aſſerentes in caſu propoſito non poſſe Iudicem laicum procedere contra reum factum Clericum modo dicto, per pœnam corporalem, ſed ſolùm pecuniariam; quod non approbat *Genuenſ. vbi ſupra*.

10 Quod verò ait *Rodriq. to. 3. q. 10. a. 8.* nouitium in præſenti caſu non poſſe extrahi à Iudice laico, ſi ante delictum patratum habebar votum ſimplex religionis, idque iuramento atteſtetur; non placet *Portelo loco cit.* nec mihi: cum id gratis aſſeratur, & alioqui hinc aperiatur via ſceleſtis viris liberiùs delinquendi ex ſpe impunitatis.

QVÆRES IV. An Nouitij ſint exempti à iuriſdictione Epiſcopi.

11 ℞. Eſſe, & probatur ex eo quòd ſicut fauore religionis nouitij inſtar profeſſorum eximuntur à ciuili poteſtate, vt oſtendimus *q. præced.* ita, & ſunt exempti ab epiſcopali iuriſdictione, quamdiu verſantur in probatione; quomodo iam ſunt communiter exempti omnes Religioſi profeſſi. ita *Molina tom. 1. D. 139. Azor. p. 1. l. 12. c. 2. q. 11. Sanch. loco ſup. cit. Lezana* ſup. alijque penes ipſos; inter quos notat *Sanch. nu. 14.* quod, ſicut Nouitius egrediens è religione poſt delictum ibi commiſſum poteſt, & debet puniri à Iudice laico, ſi ille ſit merè ſæcularis: ita ſi ſit aliquo ordine inſignitus, debet, & poteſt puniri ab epiſcopo tanquam à Iudice competente; quod nos etiam aduertimus *cap. præced. quæſt. 1. §. dixi ſi tamen*.

QVÆRES V. An Nouitij, etiam nullo ordine initiati ex vi nouitiatus eximantur à ſolutione gabellarum.

12 ℞. Eximi, & probatur, tum quia nouitij in religionem admiſſi ſunt pars communitatis Eccleſiæ, ideòque reputari debent tanquam perſonæ Eccleſiaſticæ; tum quia receptiſſimus vſus habet, vt nouitius non ſoluat tributum merè perſonale, cùm eius perſona reputetur eccleſiaſtica; ergò, cũ agnoſcatur pro eccleſiaſtico, etiam quò ad bona patrimonialia debet eſſe exemptus inſtar aliorum eccleſiaſticorum; tum quia gaudent priuilegio canonis, & fori, immò & alijs priuilegijs religionum; ergò, & gaudebunt priuilegio exemptionis à gabellis, & à quibuſcumque alijs impoſitionibus, ac contributionibus, quibus ſubiacent bona perſonarum ſęcularium ita *Sanch. n. 16. Mol. to. 3. D. 672. num. 2. Mena l. 2. var. qu. 21. num. 198.* Peyr. *de R. P. q. 3. c. 1. §. 4. num. 131. Lezana ſup. Diana reſol. 37.* alijque apud ipſos contra *Rodriq. to. 3. q. 74. a. 9. Gutier. de gabellis q. 95. n. 35. & ſeqq.* & Laſſarte *de decima. vendit. c. 19. n. 50.* oppoſitum ſentientes.

QVÆRES VI. An Nouitij gaudeant priuilegio, quod vocant, *Canonis*.

13 ℞. Gaudere; idque ex *cap. religioſo de ſent. excommunic. in 6.* vbi id expreſsè ſtatuitur. ita *Suar. ſup. nu. 12. Ang. v. nouitius num. 21. Filliucius tr. 15. numer. 14. Portel. de dub. regul. v. nouitius nu. 35. Lezana loco cit.* alijque communiter, hinc inferentes eum, qui percutit nouitium ſuadente diabolo, incurrere excommunicationem *canonis* æquè ac ſi percuteret religioſum profeſſum. Immo probabile eſt eiuſmodi effectum oriri nõ ſolum ex proprio ingreſſu, à quo incipit nouitiatus, ſed etiam ex eo, quo impubes ante ætatem legitimam admittitur ad educationem religioſam ſub habitu religioſo eo fine, vt debito tempore probetur, & profiteatur; quamuis enim hoc expreſsè non declaretur in citato cap. *religioſo*, quia tamen textus abſolutè loquitur de ingredientibus religionem, & ſumus in materia fauorabili, poteſt ampliari etiam ad iſtum caſum, & de facto à DD. ampliatur, vt vidimus *ſup. q. 1. §. dubitari*.

Dixi, *qui percutit nouitium ſuadente diabolo*; certum eſt enim quòd ſi magiſter, aut Superior percutiat nouitium ad correctionem, non ſubiacet præfatæ excommunicationi; quippe quæ ſupponit, quod percuſſio ſit facta ſuadente diabolo, & conſequenter peccaminoſa; qualis certè non eſt, quæ fit ad correctionem.

14 Addo ex dictis in mea *tract. de monial. c. 10. ſect. 3. ſubſ. 3. qu. 19. §. vnum hic moneo* quod dicunt *Suar. D. 22. de cenſur. ſect. 1. nu. 48. & alij*, ſenioribus Clericis concedi percutere ad correctionem, & ex zelo deuotionis ſolum Clericos, qui ſunt pueri, aut iuuenes in minoribus conſtituti, non autem Clericos ordinatos in Sacris; poſſe extendi ad religioſos Seniores reſpectu Religioſorum iuniorum; illos ſcilicet poſſe ad correctionem percutere Nouitios (quippe qui æquiparantur Clericis in minoribus conſtitutis) non item profeſſos, etſi iuniores, cum hi comparentur Clericis conſtitutis in Sacris. quod ingenioſè aduertit *P. Dominicus Zanettus Soc. Ieſu* mihi amiciſſimus, & in morali Theologia præſtantiſſimus in literis ad me de hac re reſcriptis; monens quod cum in cap. *cum voluntate de ſent. excommunicat. §. ſi quis verò* dicatur: *Quod de his dicendum eſt qui aliquos de familia ſua, vel propinquos inferiorum graduum ſimili modo vt cohibeantur ab ſuis inſolentijs, & ſcientia boniſque moribus informentur, duxerint corrigendos*: hinc colligitur limitationem illam (quod poſſint ſolum percuti Clerici in minoribus conſtituti, qui interturbent diuina officia) non videri neceſſariam: cum textus loquatur abſolutè, & non ſolum in ordine ad delictum turbationis diuinorum officiorum. Vnde ſequitur Religioſos ſeniores poſſe ad correctionem percutere leuiter Nouitios, quocumque genere delicti delinquant: quamuis practicè loquendo id non expediat ob varias rationes, quæ facilè poſſunt occurrere.

QVÆRES VII. An, & quo modo Nouitij per ingreſſum religionis liberentur ab irregularitate contracta ex defectu natalium, ita vt abſque alia diſpenſatione poſſint admitti ad Sacros ordines.

15 ℞. *Rodriq. to. 1. q. 13. a. 4.* eſſe opinionem doctiſſimorum virorum non ſolum per profeſſionem, ſed etiam per educationem religionis, ideſt per probationem nouitiatus tolli ipſo iure irregularitatem ex defectu natalium prouenientem, adeòque nouitium illegitimum eſſe habilem ad ſacros ordines ſuſcipien-

ſcipiendos: probatque hanc ſuam ſententiam tum quia *Gloſſa, & DD.* communiter dicunt ſimpliciter, & abſolutè per ingreſſum religionis tolli illegitimationem, non coarctantes ingreſſum ad profeſſionem; idque ex iuribus modo allegandis; conſtat autem, quod cùm hoc ſit conceſſum in fauorem non illegitimorum, ſed religionis, non ſtrictè, ſed latè interpretandum eſt; vt probat *Sanch. l. 8. de matr. D. 1. n. 13.* quod non fieret, ſi talis conceſſio reſtringeretur ad ingreſſum per profeſſionem; tum quia iura, ex quibus colligitur iſta conceſſio, non loquuntur de profeſſione; vt patet ex *cap. 1. de filijs præsbyt.* vbi dicitur, *ne illegitimè nati ad ordines promoueantur, niſi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viuentes* (quæ verba ſic explicantur à *Gloſſa*; *illegitimus non ordinetur, niſi vt religioſus fiat*) & ex *c. 1. d. 56.* quod ſic habet, *filios presbyterorum à ſacris miniſterijs remouemus, niſi aut in cœnobijs, aut in canonica religione probati fuerint*: vbi notat *Rodriq.* non dici, quod debeant eſſe profeſſi, ſed quòd debeant eſſe probati: qui modus loquendi ſufficienter ſaluatur per probationem nouitiatus; ſicque debere ſaluari conſtat ex eo quòd continet fauorem religionis, qui debet ampliari. ita *Rodriq.* qui mordicùs ſuſtinet hanc ſententiam addens, quòd ſi nouitius illegitimus modo dicto admittatur ad Ordines ſacros, & poſtea ante profeſſionem recedat à religione, manet irregularis quo ad vſum ordinis ſuſcepti: non ſecùs ac iuxta priuilegium Clem. IV. nouitius abſolutus à cenſuris reincidit eas, ſi recedat ante profeſſionem: ſed de hoc infra q. 14.

16 Contra *Rodriquez* ſentit *Sanch. l. 5. mor. c. 5. nu. 2.* dicens omninò tenendum eſſe per ſolam profeſſionem ceſſare ſupra dictam irregularitatem: probatque tum quia textus *c. 1. de filijs præsbyt.* ad hoc petit, vt illegitimi fiant monachi, cùm tamen nouitius non ſit vere monachus, nec religioſus; tum quia quod ibi additur, *vel in congregatione canonica regulariter viuentes*, additum eſt tantùm ad ſignificandum non ſolos monachos, ſed etiam Canonicos regulares eo priuilegio frui: quod etiam clarius videtur colligi ex illis alijs verbis, quæ habentur *c. 1. d. 56. aut in canonijs religiosè probati fuerint conuerſati*; quod eſt dicere, niſi fuerint monachi, aut Canonici regulares; tum quia ſententia Rodriq. aduerſatur communi intellectui textus *cap. 1. de filijs præsbyt.* quem DD. exponunt in proprijs terminis de ſola profeſſione; ita *Sanch.* & cum eo *Caſtr. Palaus tr. 16. D. 2. p. 8. n. 10.*

Verùm, quamuis opinio *Sanchez* ſit probabilis, & tutior, maximè quo ad forum externum; non puto eſſe improbabilem omninò opinionem Rodr. ſtando intra fines fori conſcientiæ; idque non ſolùm ob rationes adductas ab ipſo Rodr. ſed etiam ex eo quòd rationes, quas affert *Sanch.* pro ſe non videntur conuincere, vt conſtabit ex earum ſolutione. quare

17 ℞. Ad primam quòd, cùm verſemur in materia fauorabili, quæ debet ampliari, dici poteſt nouitius fieri monachus hòc ipſo quòd ingreditur religionem: quo modo etiam dicitur religioſus; cùm tamen religioſus propriè non ſit, niſi is, qui eſt profeſſus; vnde ſicut q. 1. diximus Nouitios frui priuilegijs conceſſis Religioſis, eo quòd in fauorabilibus veniant nomine religioſi, licet non ſint propriè religioſi; ita & in caſu noſtro ad effectum abolendi irregularitatem ex defectu natalium dici poteſt nouitius fieri, & eſſe monachus, etſi nondum ſit profeſſus; præſertim cùm, proximè accingendus habeatur pro accincto; & communiter vulgò dicatur factus religioſus, qui ingreditur religionem ad peragendam probationem nouitiatus; quare minùs benè negat *Sanch.* ex vi ingreſſus religionis aboleri ſupradictam irregularitatem, eo quòd nouitius non ſit verè monachus, & religioſus: eſt enim quantùm requiritur ad participandum de priuilegijs, quorum participatio tanquam fauorabilis debet ampliari, etiam ad religioſos minùs propriè dictos, quales ſunt nouitij.

18 ℞. Ad 2. rationem, expoſitionem illam, quod *in c. 1. de filijs præsbyt.* per ea verba *vel in congregatione canonica regulariter viuentes* non veniant nouitij, ſed Canonici regulares; ſicut & per illa alia *c. 1. d. 56. aut in canonijs religiosè probati fuerint conuerſati*, videri minùs neceſſariam: ſi quidem, vt benè aduertit *Bonac. D. 3. de cenſur. in part. q. 8. p. 11. num. 7. ex Panorm. Nau. & Suar.* diſpoſitio, etiam odioſa loquens de monachis extenditur ad Canonicos regulares, quando fundamentum diſpoſitionis eſt tale, vt monachi, & Canonici regulares æquiparentur: quod cum eueniat in caſu noſtro, dicendum eſt canonicos regulares in citatis iuribus fuiſſe comprehenſos nomine monachorum; & conſequenter non erat neceſſe, vt iterum in ſpecie exprimerentur; ne ergò iura dicantur adhibuiſſe verba ſuperflua, explicari potiùs debent de Nouitijs exiſtentibus in regulari probatione, vti nos de facto illa explicauimus; præter quàm quòd ſi verba ſupradictorum iurium explicentur de Canonicis regularibus, vt potè minùs ſufficienter expreſſis nomine monachorum, ſequeretur Religioſos aliorum Ordinum, qui non ſunt neque monachi, neque Canonici regulares, non gaudere priuilegio ibi conceſſo; quod non videtur admittendum: ſi autem dicatur eos comprehendi nomine monachorum, cur etiam idem non dicatur de Canonicis regularibus, cùm ſit par ratio de vtriſque?

19 ℞. Ad 3. rationem quod ſi DD. magno numero relati à *Sanchez* profeſſioni religioſæ tribuunt ablationem illegitimitatis; iura abſolutè dicunt eam tolli per ingreſſum religionis, ideòque cùm per ingreſſum religionis ſignificari poſſit non ſolum profeſſio religioſa, ſed etiam probatio nouitiatus, & alioqui verſemur in materia fauorabili, ea probabiliter explicari poſſunt etiam de ipſa probatione nouitiatus: & per conſequens ſuſtineri poteſt per ſimplicem ingreſſum religionis tolli irregularitatem ex defectu natalium; quod erat probandum.

QVÆRES VIII. An, & quo modo per ingreſſum religionis diſſoluantur ſponſalia antea contracta, & quidem etiam profeſſione non ſecuta.

20 ℞. Probabile eſſe ea diſſolui ex parte tum ſponſi ingredientis religionem, tum alterius manentis in ſæculo (dummodo ingrediens religionem, id faciat bona fide, vt fit communiter) ac proinde, ſicut ſpon-

ſponſus manens in ſæculo poteſt contrahere aliud matrimonium, ita & poſſe nouitium, ſi egrediatur è religione. Ratio eſt, quòd licèt expreſſum non inueniatur, vt nouitiatus omninò diſſoluat ſponſalia; ſicut inuenitur de profeſſione reſpectu matrimonij rati, at ex quadam proportione, & ſimilitudine duci poteſt argumentum, vt ſicut per profeſſionem, qua quis efficitur conſummatè religioſus, diſſoluitur omninò matrimonium ratum ſponſalia conſummans: ita per nouitiatum, qui initium quoddam eſt profeſſionis, & per quem nouitius initiatiuè, vt ita dicam, fit religioſus, dirimuntur omninò ſponſalia, quæ ſunt initium matrimonij; præſertim cùm talis diſſolutio non ſolùm proueniat ratione notabilis mutationis, aut renuntiationis ſponſalium, ſed fauore ſtatus; non ſecùs ac fauore ſtatus profeſſionis dirimitur omninò matrimonium ratum, non autem ratione repugnantiæ, aut notabilis mutationis: aliàs etiam matrimonium conſummatum diſſolueretur per profeſſionem, quod eſt falſum. ita *Sanch.l.1. de matr.D.42.num.5.* cum pluribus alijs ab ipſo relatis *numer.2.* contra *Suarez to.3.de relig.l.5.cap.11.num.10.* & alios aſſerentes per ingreſſum religionis diſſolui ſponſalia ſolùm ex parte ſponſi manentis in ſæculo, qui proinde poterit cum alio ſtatim contrahere, & non tenetur expectare, vſq; dùm alter profiteatur: cùm ingrediens religionem hòc ipſo cenſeatur cedere iuri ſuo, & remittere obligationem ortam ex ſponſalibus alteri ſponſo manenti in ſæculo, illo interim manente libero ad perficiendum matrimoniũ caſu, quo ingrediens religionem exeat; quamquam *Suar.num.11.* putet probabile eſſe, quòd, ſi ſponſus manens in ſæculo remiſſionem illam animo non acceptauit, ſed expectauit ſucceſſum alterius, vt de ſe diſponeret, & cum eo exeunte perficeret ſponſalia; tunc etiam ſponſus manens in ſæculo teneretur ſtare ſponſalibus: quod tamen abſolutè negandum eſt, & quidem non omninò repugnante ipſemet *Suarez.* qui dicit tantam obligationem non eſſe imponendam ſponſo manenti in ſæculo; idque ob mutationem ex altera parte factam, quæ ſufficit ad excuſandum ab obligatione promiſſionis, etiamſi abſque remiſſione alterius acceptata.

21 Monet autem Suar. & benè quod, licèt in caſu, quo ſponſus relictus in ſæculo velit contrahere ante alterius profeſſionem, aut etiam ipſo inuito, poſtquam ingreſſus eſt, & ſponſalia ſint publica, conſultius ſit petere licentiam à Paſtoribus Eccleſiæ ad tollendam occaſionem ſcandali, & rixæ; ſimpliciter tamen id non eſt neceſſarium, cùm nulla lege cautum ſit.

QVÆRES IX. An, & vnde Nouitij habeant ius repetendi, quæ ex ipſorum bonis tributa ſunt monaſterio, ſi non emiſſa profeſſione retrocedant.

22 ℞. Habere ex *Concilio Trid.ſeſſ.25.c.16. de Regular.* vbi ſub pęna excommunicationis ferendæ prohibetur, ne ante profeſſionem, excepro victu, & veſtitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monaſterio aliquid ex bonis eiuſdem tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat; quin etiam ibi præcipitur, vt nouitijs abeuntibus ante profeſſionem reſtituantur ea omnia, quæ ex eorum bonis data ſunt monaſterio: & quidem etiam cum fructibus, ſi qui ſint deducto tamen victu, & veſtitu; & ſi Religioſi renuerint ſupradicta bona reſtituere, ad id compelli poſſint ab Epiſcopo, etiam per cenſuras eccleſiaſticas, ſi opus fuerit. Imò putàt *Zerola in praxi p.2.v.monialis d.3.& Peyrin. de R.S.q.1. c.29. §. noto 5.* eandem reſtitutionem faciendam eſſe parentibus, ſi is fortè moriatur ante profeſſionem, & alias exiſtens ſui iuris de dictis bonis non diſpoſuit: hoc tamen ipſi nullo iure, aut ratione probant, nec mihi probatur; cùm ſimus in materia pęnarum, quæ induci non debent ſine ſufficienti fundamento, & in tali caſu ceſſet finis Concilij, qui eſt, vt nouitius cum omnimoda libertate profiteatur, ſicut dicemus *cap.ſeq.q.13.* vbi de hac re fuſius agemus. interim conſulantur *Suar.ſup. c.9 n.16. Peyr. loco cit. Lezana to.1.c.24.n.32.& c.11. nu.12. Sanch.l.7. in decal.c.5. Azor.p.1.l.12.c.3.q.6. Nald. v. nouitius num.6.* inter quos *Peyr. de R.P.q.3. c.1.n.107.* notat non eſſe nouitio retrocedenti reſtituendum habitum religionis, niſi eo modo, quo diximus *cap præced.q.11.*

QVÆRES X. An Nouitij poſſint retinere pro toto tempore nouitiatus beneficium eccleſiaſticum ſæculare antea acquiſitum, & quo modo.

23 ℞. Poſſe retinere; adeòque illos non poſſe eo tempore priuari ſuis beneficijs, neque ſine ipſorum conſenſu (quod clarè deciditur *cap. beneficium de regular. in 6.* cum aliquibus tamen limitationibus, quæ hodie non habent locum, vt aduertit *Suar. ſup. cap.16.num.12.*) neque ex ipſorum conſenſu, niſi beneficij renuntiatio fiat cum ſolemnitate præſcripta in *Conc. Trid. vbi ſup.* & ita, vt non habeat effectum, niſi ſecuta profeſſione; quamquam interim teneantur inſeruire beneficio, tũ per ſe ipſos pręſtãdo illud ſeruitium, q̃ ĩ tali ſtatu per ſe exercere poſſũt, (quale eſt recitare horas canonicas) tũ per aliũ exhibendo alia omnia ſeruitia, quæ per ſe ipſi præſtare nõ poſſunt: idq; aſſignata eiuſmodi Vicario cõgruenti portione ex fructibus ipſius beneficij; prout declaratur in citato cap. *beneficium*; vnde fit, quòd nouitius beneficiarius, per ſe loquendo, non debet priuari omnibus fructibus, quos percipit ratione tituli, & ratione quorum tenetur ad recitandum diuinum officium. eſt communior DD. apud *Suar. vbi ſup.* qui benè notat, quòd ſi ſeruitium debitum ex beneficio ſit tale, vt per alium ſuppleri non poſſit (qualis eſt reſidentia in choro,) tunc nouitius priuatur diſtributionibus, quæ requirunt perſonalem reſidentiam, non item fructibus beneficij: niſi fortè alicubi iure, aut recepta conſuetudine inductum ſit ad faciendum fructus ſuos requiri perſonalem reſidentiam; tunc enim nouitius priuaretur etiam fructibus, ac ſi omitteret reſidere ob quamcumque aliam cauſam: ſi quidem quò ad hoc non extat, (quod ſciam) vllum priuilegium, nouitio indulgens acquiſitionem dictorum fructuum; vnde conſulenda ſunt peculiaria ſtatuta vniuſcuiuſque diœceſis.

Dubium

Dubium iam eſt, an caſu, quo nouitius habeat beneficium, cui eſt annexum ius eligendi, poſſit concurrere ad eligendum, immò & debeat ad id vocari.

24 ℞. Poſſe concurrere, & debere vocari, ſiue ius eligendi competat ipſi, vt eſt pars alicuius Capituli (cuiuſmodi habet Canonicus ad eligendum Epiſcopum:) quod negant *Sylu. Ang. & Io: Andr. apud Suar. ſup. c. 16. n. 16.* ſed malè, cùm nouitius retineat ſuum ius eligendi, & eo ſine lege non debeat priuari ob ſolas congruentias, quas adducunt citati DD. (maximè cùm poſſit ſuum ſuffragium alteri committere iuxtà *c. quia propter §. illud de elect.* & ipſius nouitij, ac Prælati ſit iudicare, an expediat, nec ne quòd interſit electioni;) ſiue ius eligendi competat nouitio ex iure ſpeciali, ac perſonali, quale eſt ius nominandi conueniens patrono: quod concedunt etiam DD. ſupra adducti, alijque communiter, cum in tali caſu ſuffragium ſit magis neceſſarium quam in priori, quo per alios ſine nouitio commodè poteſt fieri electio, & regulariter id præſtari poſſit ſine multa diſtractione, ac egreſſu nouitij, & diſpendio religionis; ſicut rectè aduertit *Suar.* addens quòd quando nouitius habet ius eligendi tanquam pars Communitatis alicuius, ſi quidem ipſe velit adeſſe electioni, non poteſt excludi, alij tamen non tenentur eum vocare, cùm ille regulariter non poſſit commodè interuenire, vt patet; quod non admittit *Peyr. de R. P. q. 3. c. 1. nu. 124.* dicens cum *Baiſio* in hoc ſeruandam eſſe conſuetudinem loci, ſi adeſt: ſin minùs, nouitium vocandum eſſe ad electionem, vt per ſe, aut per alium ad electionem modo ſupradicto concurrat.

An autem Nouitius tempore nouitiatus poſſit acquirere noua beneficia Eccleſiaſtica, ſiue regularia, ſiue ſæcularia, dicemus *cap. ſequenti q. 2.*

QVÆRES XI. An Nouitij acquirant legatum ipſis relictum ſub conditione ingrediendi religionem, ſi ingreſſi exeant anno nouitiatus.

25 ℞. Eſſe ſatis probabile, quòd acquirant, dummodo ingrediantur bona fide animo experiendi religionem, & exitus ſit ex iuſta cauſa. moueor tum quia ingredi religionem, & in ea profiteri vt diuerſa ponuntur *cap. beneficium, & cap. qui poſt votum de regular. in 6.* ideòque cùm teſtator in iſto caſu non meminerit profeſſionis, ſed ſolius ingreſſus, per ſolum ingreſſum impletur conditio requiſita ad conſecutionem legati: eò vel maximè quòd in dubio non præſumitur aliam fuiſſe teſtatoris intentionem, quam verba ſignificent *l. Labeo ff. de ſupellect. legat.* tum quia vouens religionis ingreſſum ſatisfacit voto, ſi ingrediatur, & tempore nouitiatus exeat: ſi quidem, teſte *S. Thom. 2. 2. qu. vlt. a. 4.* quem omnes ſequuntur, votum ingreſſus explicari debet ſecundùm formam iuris communis concedentis annum ad experiendum, vbi non conſtat de contraria intentione; ergò etiam conditio ingreſſus religionis adiecta à teſtatore debet intelligi iuxtà eamdem iuris communis diſpoſitionem; cùm in dubio verba teſtatoris non debeant intelligi, vt inducant aliquod à iure exorbitans; vt cum multis docet *Mantica de coniect. vlt. vol. l. 6. tit. 6. numer. 1. & ſeqq.* ita *Sanch. l. 1. de matr. D. 34. n. 17.* alijque penes ipſum contra alios apud eundem; qui addit *D. 33. num. 17.* probabile eſſe eum, cui aliquid legatur ea lege, vt monachus fiat, legatum conſequi, ſi primò vxorem ducat, & poſtea, ea defuncta, religionem ingrediatur: quamuis dicat oppoſitum eſſe verius, id eſt probabilius.

26 Dixi ſub initium reſponſionis, *dummodò bona fide ingrediantur*, vt indicarem, quòd ſi legatarius religionem ingrediatur eo ſolo animo, vt obtineat legatum, poſtea egreſſurus, aut etiam bona fide ingreſſus abſque iuſta cauſa exeat: non ſatisfacit, & conſequenter non comparat legatum: cùm teſtator non intendat actum vanum (vt eſt ille) immò intendat ingreſſum religionis iuxtà formam iuris, quæ eſt, vt quis ingrediatur bona fide, animo experiendi.

Quod ſi hac occaſione quæras, an legatum relictum puellæ ad conſtituendam ipſi dotem in caſu, quo fiat monialis, ei debeatur, ſi eligat ingredi monaſterium monialium nullam exigentium dotem.

27 ℞. Deberi, ſi verba illa *in caſu quo fiat monialis*, ſupponantur non importare conditionem propriè dictam, (vt ſupponitur in mea *tract. de monial. c. 9. quæſt. 28. num. 48. §. an autem ſi 500. aurei in 2. edit.* vbi hanc partem ſuſtinui.) Secus, ſi ea verba ſupponantur importare veram conditionem: vt ſuppoſuit *P. Bordonus* à me conſultus, qui proinde amplexus eſt partem negantem, eamque probauit 1. Quia in caſu propoſito legatum non debetur ſimpliciter, ſed ſolum tanquam dos, quæ in hoc monaſterio non requiritur, ſicque ceſſat finis legati; cum aliàs legata reſtringantur à cauſa finali *l. ſi habitatio 11. §. ſed ſi ff. de vſu, & habitat.* probauit 2. quia qualitas ſuperueniens generi illud diſtinguit, & ponit ſub alia ſpecie *cap. licet canon iuncto cap. ſtatutum de elect. in 6. l. ius ciuile ff. de iuſt. Rota volum. 4. deciſ. 781. n. 9.* cum ergò legatum hoc ſimpliciter ſit ſub genere dotis, recipit illius conditiones; & ſicut pater puellæ ingredienti monaſterium incapax dotis non tenetur illam ſoluere; ſic nec legatum hoc in caſu propoſito ſolui debet, cum aliud non ſit quàm dos: probat 3. quia quando duæ cauſæ concurrunt ad aliquid agendum, ſi vna deeſt, nulla eſt obligatio agendi, cum ius obligationis pendeat ab vtraque cauſa; vt in præſenti caſu, in quo deeſt qualitas dotis. ita P. Bordonus vir doctus & orbi notiſſimus ob egregias ſuas reſolutiones editas, & alios libros tum editos, tum edendos.

QVÆRES XII. An Nouitij per ingreſſum religionis liberentur ab obligatione ſoluendi debita proprijs creditoribus, & quomodo.

28 ℞. Liberari eo modo, quo diximus *ſup. cap. 4. q. 21.* nimirum ſi ſint impotentes ad ſoluendum & re, cum de præſenti non habeant vnde ſoluant; & ſpe, cùm deſperent ſe futuros eſſe ſoluendo, niſi maneant longo tempore in ſæculo; ſecùs dicẽdum, ſi vel re, vel ſpe modo dicto ſint potentes ad ſoluendum. ita *Diana p. 3. tr. 2. reſolut. 41. cum Lopez, Azor. Leſſ. & Sanch.* patetque ex dictis citato *q. 21.* ſi hic ſolùm monuero ex eodem *Diana*, quòd ſi nouitio ingreſſo, non ſolutis debitis, relinquatur aliqua hæreditas, legatum, aut donatio, tenetur monaſterium illius debita ſoluere: quamuis aliàs nouitius

uitius ad talem effectum non teneatur laborare, quidquid in contrarium aſſerant *Mol. to.3. D.758. n.2. Azor.to.1.l.12.c.1.q.5. & alij.*

29 Quod autem dicit *Diana* monaſterium in caſu propoſito teneri ſoluere debita, non puto habere verum, niſi in euentu, quo hæreditas, donatio, aut legatum acquirantur religioſo adhuc nouitio; ſi enim is iam ſit profeſſus, in rigore iuris monaſterium non tenetur ſoluere eius debita: cùm ex vna parte ſolutio debitorum facienda ſit de bonis ipſius debitoris, & ex alia parte hæreditas, & legatum relicta religioſo profeſſo non acquirantur ipſi religioſo, ſed monaſterio; ita vt ſint, & dici debeant bona non religioſi, ſed monaſterij iuxtà regulam *Quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio.*

QVÆRES XIII. An Nouitij poſſint validum facere teſtamentum, ſeruatis tantùm ſolemnitatibus iuris eccleſiaſtici, non autem ciuilis.

30 ℞. Quòd quamuis non omninò improbabilis videatur pars affirmans, quam ſuſtinent *Prepoſ. Anchar. Suarez Tapia Mol. & Azor. apud Sanch. l.7. in decal. c.3. nu.19.* ea ducti ratione, quod nouitij inter perſonas eccleſiaſticas computantur, gaudentque priuilegio fori inſtar eccleſiaſticorum; & quòd militi militiæ cæleſtis non debet denegari, quod conceditur militi militiæ armatæ, iuxtà *Gloſſam l. miles v. facere ff. de re iudic.* nimirum vt poſſit facere teſtamentum abſque forma ſolemni iuris ciuilis; probabilior tamen eſt pars negans, & in praxi omninò ſequenda ad vitanda litigia, quam ſequitur ipſe *Sanch. n.20.* probatque ex eo quòd nulli eccleſiaſtici ſunt exempti à legibus ciuilibus, quę non ſunt contra libertatem eccleſiaſticam, & ſunt inſtitutæ ad bonam Reipub. adminiſtrationem: vnde dicit *Vaſq. 1.2. q.96. a.1. D.167. c.4. num.34.* quòd licèt Clerici non ſubdantur pęnis legis ciuilis, ſubduntur tamen legibus ciuilibus irritantibus contractus, & teſtamenta, niſi tali ſolemnitate, & modo fiant; cùm eiuſmodi irritationes, non ſint pęnæ, ſed legum diſpoſitiones ad irritandos contractus, & conſulendum communi bono, & paci Reipub. cùm ergò Religioſi eodem prorſus modo ſubiaceant legibus ciuilibus, ac Clerici ſæculares (vt probant *Vaſq. ſup. & Mol. to.1. D.133.*) à fortiori ijs ſubiacebunt nouitij, qui non ſunt ſimpliciter, & abſolutè religioſi, ideoque ſi velint teſtari, debent ſeruare ſolemnitates iuris ciuilis.

31 Quod verò dicimus de teſtamento Nouitiorum, proportionaliter dicendum eſt & de alijs eorumdem contractibus: quamuis *Anch. Dec. & Suar. iuriſta* aſſerant contractus nouitiorum eſſe contentos ſolis ſolemnitatibus iuris eccleſiaſtici (quod tamen limitat *Suarez* niſi nouitius deſeruerit religionem.)

QVÆRES XIV. An, & quo modo Nouitij poſſint abſolui à reſeruatis.

32 ℞. Poſſe per proprios Prælatos, etiam locales, & quidem non ſolùm ab omnibus peccatis ante, vel poſt ingreſſum religionis commiſſis, ſed etiam ab omnibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus ſententijs, cenſuris, & pęnis à iure, vel ab homine latis; præter quam à relapſu in hæreſim, ſchiſmate, literarum apoſtolicarum falſificatione, & delatione prohibitorum ad infideles, quæ ſpecialiter à Sixto IV. reſeruata fuerunt; vt videre eſt apud *Caſarub. v. abſol. ordin. quo ad Fratres num.13.* idque ex varijs priuilegijs, etiam bullatis ab eodem *Caſarub.* adductis *ibi nu.4.* in quibus hæc omnia expreſsè conceduntur, etiam reſpectu illorum, qui nondum habitum ſuſceperunt, ſed ingredi volunt religionem: cum hoc tamen, vt *niſi mox ingrediantur, eò ipſo in priſtinas ſententias, à quibus abſoluti fuerint, reincidant, etiamſi ſuper hoc induciæ eis à Prælatis religionis concedantur;* quod diſertis verbis habetur in bulla Clem. IV, hac de re edita pro Fratribus minoribus, & in Conſtit. Pauli III. facta pro Soc. Ieſu, & relata *in bullar. ipſius Soc. pag.32.*

33 Et quidem quòd hac conceſſione gaudeant, qui volunt ingredi religionem, etiam antequam recipiantur ad habitum, apertè colligitur ex eo quòd in bulla Clem. IV. priùs dicitur *volentes ingredi, &c.* & poſtea ſubditur, *ac eos, qui poſt aſſumptum habitum, vel profeſſionem emiſſam recoluerint;* vnde talis abſolutio videtur conceſſa quaſi quædam præparatio ad ingreſſum religionis, ſeu receptionem habitus, vt rectè aduertit *Suar. tom.4. de relig. tract.8. l.2. c.24. num.5.* hinc inferens, quòd ſi quis petat ingredi religionem abſq; animo ingrediendi, ſolùm vt abſoluatur, abſolutio eſt nulla: ſicut etiam eſt nulla in caſu, quo quis ad dictum effectum ingrediatur abſque animo perſeuerandi, mala fide ingrediendo, idest intentione exeundi, etiamſi non occurrerit iuſta cauſa recedendi.

An verò reincidentia illa cenſurarum habeat locum in caſu, quo quis bona fide religionem ingrediatur animo perſeuerandi, ſed poſtea non perſeueret ſine ſua culpa, eò quòd dimittatur.

34 ℞. *Suar. ſup. num.6.* contrà communem Doctorum ſenſum, non habere; & probat tum quia verba illa, *niſi mox Ordinem intrauerint,* ſuperiùs relata benè explicari poſſunt de primo ingreſſu ad nouitiatum, non autem neceſſariò explicanda de ingreſſu per profeſſionem; tum quia non eſt æquum, vt qui abſoluitur in ordine ad inſignem actum ingrediendi religionem, illumque bona fide expleuit, priuetur poſtea illo beneficio; tum quia aliàs nouitij cogerentur profiteri ſaltem ad euitandum illam reincidentiam. Quamquam, ſubdit *Suar. num.7.* nouitij certiùs liberari poſſint à periculo reincidendi, ſi abſoluantur, non vigore prædictorum priuilegiorum, ſed abſolutè vt ſæculares per facultatem à Paulo III. conceſſam, & alibi referendam, quæ tamen non extenditur ad omnes caſus, ad quos extenditur indultum Sixti IV. ſuperiùs allegatum, prout aduertit idem *Suarez.*

35 Cùm autem in allegatis conceſſionibus indulgeatur, vt Nouitij poſſint abſolui ab omnibus peccatis commiſſis ante, vel poſt ingreſſum, & quidem non limitando ad vnam vicem: puto eos vi dictarum conceſſionum poſſe abſolui a reſeruatis ſupradictis non ſemel, ſed iterum, atque iterum; & hoc, licet ea committant in progreſſu nouitiatus. ducor tum quia ſumus in materia fauorabili animæ, quæ debet ampliari: tum quia, vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; tum quia non pauci DD. penes *Dianam p.3. tr.4. reſol.151.* probabile putant

tant

tuit poſſe quem vi iubilei pluries abſolui à reſeruatis, ſi pluries repetat præſcripta in iubileo; idq; etſi in eius conceſſione appoſita ſit clauſula *hac vice tantum*: ergò à fortiori concedendum eſt in caſu noſtro, in quo nulla apponitur limitatio.

QVÆRES XV. An, & qualiter Nouitij diſpenſati poſſint in irregularitatibus.

36 ℞. Poſſe, & quidem etiam ſuper cõtractis in ſeculo, idq; præſertim ex conceſſione bullata Sixti IV. qua teſte *Rodriq. to. 1. q. 24. a. 15.* indulgetur, *vt per confeſſionem poſt ingreſſum religionis poſſint nouitij diſpẽſari in omnibus irregularitatibus, homicidij voluntarij, & mutilationis membri exceptis* (imò & bigamiæ, inquit *Rodr.* cùm talis irregularitas ſit grauior reliquis ad diſpenſandum,) quod autem dicit *Rodr.* ad vſum talis conceſſionis peti, vt nouitius diſpenſandus habeat propoſitum profitendi, & quod exiens à religione ante profeſſionem reincidat in irregularitates, in quibus fuerat diſpenſatus; quo ad priorem partem admitto ob dicta *q. præc.* quo ad poſteriorẽ verò mihi non placet, cũ gratia principis nõ debeat reſtringi ſine ſufficienti fundamento, & rationes allatæ ab ipſo *Rodr.* re vera non conuincant, vt conſtabit eas conſideranti. Aliam cõceſſionem bullatã adducit *Rodr.* ad rem præſentem, ſed magis limitatam, ac reſtrictam, quæ fuit conceſſa à Sixto IV. PP. Dominicanis, quòd ſcilicet magiſter Ordinis Prædicatorum, Prouinciales, Priores conuentuales, & eorum vicemgerentes poſſunt diſpenſare cum Nouitijs, qui in ſæculo inciderunt in irregularitatẽ, eò quòd excõmmunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, aut in locis interdictis diuina celebrarunt), vel ordines ſuſceperunt, dato à Iudice generaliter fuerit data, vel lata, vel à iure dicta cenſura: ita tamen, quòd ſi ex huiuſmodi ſententijs propter debita ſunt adſtricti, ſatisfaciant. Vbi notat *Rodr.* quòd ſi nouitius à Iudice particulariter fuerit excommunicatus, ſuſpẽſus, ac interdictus, tunc vi huius conceſſionis non poſſet diſpenſare ſuper irregularitate: idque colligit ex illis verbis *dato à Iudice generaliter lata cenſura fuiſſet*.

37 Vtrũ verò Nouitij ex aliquo alio priuilegio poſſint à proprio Prælato diſpenſari ſuper irregularitate homicidij voluntarij, mutilationis, aut bigamiæ, dicemus alibi agentes de poteſtate, quam habent Prælati regulares quò ad diſpenſandum cum ſuis ſubditis profeſſis ſuper iſtis irregularitatibus, ſi enim detur dictos Prælatos poſſe diſpenſare cum iſtis, vtiq; poterunt & diſpẽſare cum Nouitijs, quippe qui gaudent priuilegijs ſui Ordinis, vt iam dictũ eſt: interim conſulatur *Bordonus c. 4. de profeſſ. q. 56.*

QVÆRES XVI. An, & quam poteſtatem habeant Prælati regulares ſuper vota Nouitiorũ.

38 ℞. Habere poteſtatem, non quidem ea irritãdi (cùm talis poteſtas præſupponat poteſtatem dominatiuam in vouentem; qualẽ ſine dubio non habent dicti Prælati in ſuos nouitios,) ſed commutandi, & diſpenſandi. ita *Sanch. l. 4. mor. c. 39. n. 17. Leſſ. l. 2. c. 40. n. 107. Rodr. to. 1. q. 25. a. 8. Miranda p. 2. q. 32. a. 6. Diana p. 3. tr. 2. reſol. 71.* alijque apud ipſos, & probatur ex eo quòd, quamuis Prælatus regularis careat poteſtate dominatiua in nouitios (vt iam dictum eſt) habet tamen in illos iuriſdictionem ſpiritualem, & quidem quaſi epiſcopalem, ſicut iam dictum eſt; hæc autem requiritur, & ſufficit ad commutanda, & diſpẽſanda vota propriorum ſubditorum; cũ commutatio, & diſpenſatio ſit actus iuriſdictionis ſpiritualis competens Prælatis eccleſiaſticis: præter quã quòd iuxtà ſupradicta nouitij gaudent priuilegijs religionis, ideòque ſicut poſſunt commutari, & diſpenſari vota religioſorum à proprijs Prælatis; ita & poterunt commutari, & diſpenſari vota nouitiorum. Immo addit *Lezana tom. 1. c. 18. nu. 47.* quòd, licèt vota nouitiorum irritari non poſſint à proprio Prælato ob rationem adductam; ab eo tamen poſſunt indirectè irritari ea vota, quæ gubernationi, ac conuenienti Ordinis regimini poſſunt aduerſari; cùm quò ad hoc Prælatus habeat iuriſdictionẽ, etiam in nouitios; ſicut notauit *Suar. tom. 2. de relig. l. 6. de voto c. 7. n. 11. & 12.* & cum eo *Lezana vbi ſup.*

39 Concedit tamẽ *Sanch. n. 18.* & *Henriq. l. 7. c. 22. n. 7.* ꝙ, cũ Prælatus regularis nondũ plenã iuriſdictionẽ habeat in nouitios, hi licitè poſſunt ſe ſubijcere Epiſcopo, vt cum ipſis diſpenſet, aut commutet illorũ vota; idq; ſiue nouitius accedat ad Epiſcopũ loci, in quo peragit nouitiatũ, ſiue ad priorẽ propriæ habitationis: ad vtrũq; .n. putat *Sanch. n. 20.* nouitiũ poſſe accedere; etſi dicat probabilius eſſe, quòd debeat adiri epiſcopus diæceſis, in qua fit nouitiatus; & hoc ob rationes allatas ab ipſo *Sanch.*

Quòd ſi quæras, an nouitij teneantur implere vota ante ingreſſum emiſſa, dum exiſtunt in probatione nouitiatus, caſu quo, modo ſupradicto ea non commutentur, nec diſpenſentur.

40 ℞. Non teneri, ſiue vota nõ ſe compatiantur cũ eo ſtatu, ſiue etiam ſe compatiantur; ea .n. iure optimo commutari poſſunt in ordinarios labores, ac aſperitates nouitiatus; idque concurrente Prælati regularis auctoritate, aut etiam ſola voluntate nouitij; cùm ſic commutatio fiat in bonum euidenter melius; ſicut notauit *Suar. to. 3. de relig. l. 5. c. 11. n. 9.* hinc inferens talia vota non propriè auferri, ſed ſuſpendi, ſi ex ſe non ſint diuturniora, ac proinde in caſu, quo nouitius religionis habitum dimittat, eorum obligationem reuiuiſcere; vt pote quæ non erat extincta, ſed ſolum ſuſpenſa.

41 Quin addit *Sanch. ſup. c. 33. n. 33.* poſſe contingere, quòd Prælatus regularis poſſit ſuſpendere votum nouitij factum de re, non obſtante exercitijs religionis, nec eam aggrauante (v. g. de ſeruando ſilentio in regula præſcripto, de audienda miſſa, &c.) & ratio eſt, quòd quamuis iſta vota ex ſe non aggrauent religionem, nec impediant eius exercitia, inde tamẽ ſuboriri poſſunt tot ſcrupuli in nouitio, vt ferè ineptus eſſet miniſterijs Ordinis, aut certe multò grauiora redderentur; vnde ad bonum regimen nouitij opus eſt, vt Prælatus in caſu ſimili iuriſdictionem habeat quò ad ſuſpendenda eiuſmodi vota nouitij, eius directioni commiſſi.

An autẽ ꝙ diximus Prælatum regularẽ nõ poſſe directè irritare vota ſuorum nouitiorum, verum ſit etiam in caſu, quo nouitius ex priuata deuotione tria vota ſubſtantialia religionis emiſerit.

42 ℞. *Sanch. n. 29.* eſſe verum; probatq; ex eo quòd, licèt nouitius per ea vota maneat obligatus quò ad Deum, religio tamẽ vi illorum nullum ius acquirit in ipſum, nec vllã iuriſdictionẽ; cùm tamen ad irritationẽ votorũ requiratur iuriſdictio, & alioqui iure eccleſiaſtico non ſit inductum, vt per emiſſionem

L ſupra-

ſuptadictorum votorum ſubſtantialium religionis vlla iuriſdictio in vouentem acquiratur.

QVÆRES XVII. An Prælati regulares poſſint diſpenſare cum Nouitijs non ſolùm ſuper obſeruantijs regularibus, ſed etiam circa obſeruātiam præceptorum Eccleſiæ, v.g. ieiunij, miſſę, aut ſimiliū.

43 ℞. Poſſe; cùm nouitij pro tempore probationis gaudeant priuilegio exemptionis, & quo ad ſpiritualia ſint ſub propria cura Prælatorum regulariū: qui proinde circa illos exercere poſſunt iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, ad quam pertinet talis diſpenſatio; præſertim, cùm talis modus diſpenſationis regulariter ſit neceſſarius hoc ipſo, quòd in tali ſtatu nec expedit, nec conuenit, vt nouitius in ſimilibus caſibus recurrat ad alium, quàm ad ſuum Prælatum regularem: vnde ſi is ex proprijs priuilegijs maiorem aliquam in hoc poteſtatē habet circa ſuos religioſos, ea debet extendi ad nouitios, vt pote qui in fauorabilibus veniunt nomine religioſi. ita *Suar. to.4. de relig. tr.8. l.2. c.14. nu.8.* monens quòd, cùm nouitij non ſubiaceant communibus obſeruantijs religionis in rigore loquendo, quò ad eas non indigent propria diſpenſatione; ſed vt ſuæ religioni, & probationi ſatisfaciant, indigebunt licentia Prælati; quam certum eſt ab eo poſſe dari quamuis, vt id fiat rectè, prudens cauſa requiratur.

QVÆRES XVIII. An Nouitij vi priuilegiorum religionis poſſint à Prælato regulari diſpenſari ad effectus perpetuos, ideſt in ipſis permanentes, etiamſi religionem dimittant: qualis eſt diſpenſatio ad ordines ſuſcipiendos.

44 ℞. *Suar. n.9.* non poſſe; probatque tum quia talis diſpenſatio eſſet irrationabilis, vtpote quæ cederet potiùs in damnum religionis, quàm in fauorem: tum quia nullo iure, aut priuilegio nititur talis poteſtas: tum quia nouitij non ſunt abſolutè, & perpetui ſubditi, vt poſſit cum ijs modo dicto diſpenſari. Verùm iſtæ rationes non conuincunt, ita vt argui poſſit improbabilitatis oppoſita ſententia; ſicut oſtendemus *in tr. de gubernat. cap.3. ſect.5. q.15. §. quod autem.*

QVÆRES XIX. An Nouitij poſſint confiteri Sacerdoti ab Ordinario loci approbato, inſcio, ac inuito Prælato monaſterij.

45 ℞. Videri poſſe, patetque ex dictis *cap. præced. q.14.* ſi aduertero hic obiter, quod ſi nouitius modo dicto confiteatur Sacerdoti approbato à ſolo Ordinario, tunc vi priuilegiorum Ordinis non poteſt abſolui à reſeruatis Papæ; cùm eiuſmodi priuilegia regulariter concedantur, non tam religioſis pœnitentibus (quo modo datur facultas reſeruatorū vi iubilæi) quàm Confeſſarijs ipſis regularibus, & conſequenter approbatis à proprio Prælato Ordinis, non autē à ſolo Ordinario loci. Imò puto nouitiū in tali caſu nec poſſe abſolui à reſeruatis Ordinario loci; non quidem quòd nouitius ſubiaceat reſeruationi dicti Ordinarij (cùm enim ſit exemptus ab eius iuriſdictione, eſt item exemptus ab eius reſeruatione,) ſed quòd confeſſario vi reſeruationis ſublata ſit facultas abſoluendi ab eo peccato, quod ibi eſt affectum reſeruatione: quo pacto *Suar. D.30. de pænit. ſect.1. nu.6.* ex communiori, & probabiliori DD. ſententia docet Confeſſarium non poſſe abſoluere pænitentem à peccato, quod eſt reſeruatum Epiſcopo Confeſſarij, eſtò non ſit reſeruatum Epiſcopo pænitentis: quamquam ſi quis velit ſuſtinere cū *Fagund. præc.2. l.8. cap.8. nu.21. Naldo v. abſol. à pecc. num.14.* & alijs allatis à *Fagund.* peregrinum committentem reſeruatum in aliena diæceſi poſſe ab eo abſolui per quemcumque Confeſſarium approbatum, eò quòd peregrinus non ſubiaceat reſeruationi alieni Ordinarij, quippequæ eſt actus iuriſdictionis, quæ ſolùm afficit ſubditos; is conſequenter poſſet dicere nouitium in caſu propoſito poſſe abſolui à reſeruatis Ordinario loci; cùm ab eius iuriſdictione ſit exemptus, vt iam dictum eſt, adeoque ſit immunis ab eius reſeruatione.

Illud autem vt certum ſupponit *Bordonus cap. 4. de profeſſ. q.69. ex Vecchio* nouitium mox receſſurū ab Ordine poſſe nihilominus confiteri Sacerdoti approbato ſolùm à Prælato regulari; & probat tum quia talis nouitius, vſque dum actu non recedit, verè eſt nouitius, & vt talis tractatur æquè, ac alij nouitij; ſicque debet ſe accommodare vitæ, & moribus eorum, cum quibus viuit *can.22. 16. q.7.* tum quia religioſus certò eijciendus à propria religione ſubijcitur adhuc iugo religionis, eiuſque fruitur priuilegijs vſque dum actu eijcitur; ergò & idem dicendum de nouitio receſſuro.

QVÆRES XX An Nouitij poſſint initiari quibuſcumque Ordinibus Sacris.

46 ℞. Poſſe, cū id nullo iure ipſis interdicatur: ſi quidem *cap. monaſterij 19. quæſt. 3.* (quod adducunt Aduerſarij ad probandum nouitium, neque ad primam tonſuram poſſe promoueri,) nequaquam loquitur de ordinibus recipiendis; ſed ſolum prohibet, ne tonſuram monachalem faciant nouitij, habitumque profeſſorum induant: vt hinc conſtat, quod, cum dixiſſet *monaſterijs omnibus fraternitas veſtra diſtrictius interdicat vt eos, quos ad conuerſionem ſuſceperint, priuſquam biennium in conuerſione compleant, nullo modo audeant tonſurare:* poſtea ſubdit, *ſed hoc ſpatio vita, moreſque eorum ſollicitè comprobentur, ne quis eorum non ſit contentus eo, quod voluit, aut ratum non habeat id, quòd elegit.* ita *Sanch. l. 6. mor. c.10. n.19. Laym. l.4. tr.5. c.4. n.5.* & alij, qui tamen iuxta dicenda *cap. ſeq. q.16.* debent intelligi ex ſuppoſitione quòd nouitij habeant beneficium Eccleſiaſticū, aut habeant patrimonium, cuius titulo ordinentur: aliàs enim nō poſſunt ordinari in ſacris.

Sed difficultas eſt, à quo Epiſcopo Nouitij debeant ordinari.

47 ℞. Quòd, quamuis valdè probabile ſit eos ordinari debere à proprio Epiſcopo, quippequi per nouitiatum non cenſentur acquiſiuiſſe domicilium in loco probationis, cùm non habeant animum perpetuò manendi in religione, ſed eam experiendi, eaque experta ſtatuendi, num ibi permanſuri ſint: quomodo non compararet domicilium, qui à proprio domicilio recederet aliò, nondum firmiter ſtatuens illic permanere, ſed ſolùm experiri, an id ſibi expediat, cum aliàs ad comparandum domicilium requiratur animus perpetuò manendi; eſt tamen probabile nouitios poſſe ordinari ab Epiſcopo, in cuius diæceſi probantur: ſi quidem nouitius per habitus religioſi aſſumptionē cenſetur acquirere domiciliū, vtpote qui ingreditur religionē cum propoſito ibi manēdi perpetuò, quantū

eſt ex parte ſua, niſi fortè mutatio aliqua contingat, ratione cuius inſtitutũ religionis ei conueniens non videatur; quod certè non obſtat, quò minùs dicatur acquirere domicilium; ſicut nec obſtat alijs, qui regulariter eo animo conſtituunt domicilium; vt ſi caſus incidat, aut melior occaſio offeratur, mutaturi ſint. ita *Sanch.* ſu. *nu.* 20. & cum eo *Laym. vbi ſup. alijque* penes ipſos, cum quibus ſentiunt *Nald. v. ordo n.* 10. *Lezana loco ſup. citato*.

48 Dimiſſoriæ autem, quæ requiruntur ad ordines ſuſcipiendos, debent Nouitio ordinando dari, non ab Epiſcopo, ſed à Prælato monaſterij, non ſecùs ac ab illo conceduntur Religioſis profeſſis. ita *Diana par.* 3. *tr.* 2. *reſol.* 7. *cum Sanch. Tambur. Tiber. Vecch. Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 5. *cap.* 16. *n.* 17. *Lezana vbi ſup. alijque*: & patet, quia nouitij gaudent priuilegijs religionis, ac proinde, cùm inter alia priuilegia illud etiam extet, quòd Prælati regulares poſſunt dare dimiſſorias religioſis ſubditis ad effectum ſuſcipiendi ordines; eo etiam frui poterunt nouitij; idque ſiue tale priuilegium religioni conceſſum ſit cum ampliatione communicandi illud nouitijs, ſiue nõ; cùm ad hoc ſufficiat, vt nouitij gaudeant priuilegijs Ordinis, vt benè notauit *Suarez*.

49 Addit *Sanchez n.* 22. ad hoc vt nouitius ſuſcipiat ordines, etiam ſacros, non requiri, vt licentiam obtineat à Prælato monaſterij, quippecui quò ad ordinum ſuſceptionem non ſubijcitur, neque ex voto obedientiæ, quod nondum emiſit, neque ex vllo alio præcepto; quamquam in hac re grauis inordinatio interueniret contra diſciplinam regularem, ideòque non eſſet nouitius excuſandus à peccato veniali graui; quæ doctrina ſine dubio non habet locum, dato quòd nouitius petat dimiſſorias à proprio Prælato monaſterij, eaſque obtineat: haberet tamen in caſu, quo nouitius dictas dimiſſorias obtineret à proprio Epiſcopo, ſiue originis, ſiue beneficij (ſi fortè ſit beneficiarius) ſiue prioris domicilij, ſiue etiam loci, in quo peragit nouitiatum: ab his enim omnibus, etiam ſecundùm noſtram ſententiam probabilem ſuperiùs adductam poteſt nouitius obtinere præfatas dimiſſorias, eſtò non cogatur; cùm poſſit eas habere, etiam à proprio Prælato; qui proinde quò ad hoc dici poteſt cumulatiuè concurrere cum ſupradictis Epiſcopis.

50 Quæri poſſet hoc loco, an nouitij ordinari poſſint ordinibus ſacris titulo paupertatis; quo modo ordinantur Religioſi profeſſi; ſed de hoc dicemus in *tract. de priuil. c.* 2. *ſect.* 3. *q.* 3. vbi ſuſtinebimus partem negantem.

QVÆRES XXI. An Nouitij poſſint vti Bulla Cruciatæ, ſi alioqui eius vſus ſit interdictus religioſis Ordinis iam profeſſis.

51 ℟. Poſſe; & probatur quia ex vna parte verba Bullæ ſunt generalia, & comprehendunt omnes fideles, & conſequenter etiam nouitios: ex alia parte ſpecialis ratio, ob quam DD. putant præfata Bulla non comprehendi religioſos, videtur ceſſare quò ad nouitios; quippe qui reuera non ſunt religioſi, & ſimpliciter ſunt liberi, ideòque de ſe, & de ſuis actibus poſſunt diſponere *cap. religioſo de ſent. excomm.* & *ca. non ſolum de Regul. in* 6. *ita Suar. to.* 4. *de reli. tr.* 8. *l.* 2. *c.* 16. *n.* 10. addens hanc ſuam reſponſionem ſubſiſtere, etiam poſt declarationes Pontificum quòd Religioſi non poſſint vti Bulla Cruciatæ, idque ob doctrinam generalem tradendam *cap. ſequenti q.* 1. *cum Suarez* ſentit *Lezana ſup. n.* 7.

QVÆRES XXII. An Nouitij, ſi ſint Sacerdotes, & aliàs idonei, poſſint exponi ad audiendas confeſſiones ſæcularium, &, ſi exponantur, poſſint vti facultate reſeruatorum vi ſuorum priuilegiorum competente Religioſis Ordinis.

52 ℟. Poſſe exponi, ſtando in iure communi; &, ſi exponantur poſſe vti præfata facultate caſu, quo exponantur à proprio Prælato regulari: non item, ſi à ſolo Epiſcopo: & hoc ob rationes afferendas in *tr. de priui. c.* 3. *ſect.* 2. *ſubſ.* 1. *q.* 3. *§. dubiũ maius eſt*; quod tamen negant quo ad facultatem abſoluendi à reſeruatis Mirand. *p.* 1. *q.* 45. *a.* 12. & Portel. *de dub. regul. v. nouitius n.* 54. & benè, ſi loquerẽtur præcisè de nouitijs Societatis Ieſu ſine licentia proprij Prælati expoſitis ad audiendas confeſſiones: idque ex eo, quòd in Societate vſus priuilegiorum totus pendet à ſuperioribus illum communicantibus: certum eſt autem, quòd ſi nouitius, inſcio, ac inuito Superiore ſe exponeret cum ſola Epiſcopi approbatione, non poſſet præſumi ei communicari præfatum vſum priuilegiorum: quod tamen eſt omninò neceſſarium, vt oſtendemus ſuo loco.

QVÆRES XXIII. An Nouitij poſſint exercere munus prædicandi, etſi nullo ordine ſint initiati, immò neque prima tonſura.

53 ℟. Poſſe, ſi alioqui ſint idonei: idq; ex indulto bullato Pauli III. relato in bullar. Soc. pag. 20. ſub his verbis. *Cuilibet veſtrum, qui ad hoc idoneos repertus, & per veſtræ Soc. Præpoſitum deputatus fuerit; in quibuſuis Eccleſijs, & locis, ac plateis cõmunibus, ſeu publicis vbiq; locorum Clero, & populo verbũ Dei prædicandi, proponẽdi, & interpretandi, &c. liberam facultatem auctoritate Apoſt. concedimus.* Vbi notandum, quòd, cùm nouitij in fauorabilibus veniant nomine religioſorũ, & aliàs verba illa *cuilibet veſtrum* ſint vniuerſalia, & fauorem contineant, tam ipſorum religioſorum, quàm animarum; iure cenſeri debent ijs comprehenſi etiam nouitij iuxtà illud, *beneficium Principis amplè intelligendum eſt l. vlt. ff. de conſtit. princip.*

54 Quod autẽ ait *Suar. tr.* 10. *l.* 9. *c.* 1. *n.* 14. & 16. ſup. dictam conceſſionem prædicandi intelligendã eſſe ſolùm de religioſis Soc. ſaltem prima tõſura initiatis, minùs mihi placet; cùm ſic reſtringatur priuilegiũ, aliàs ampliandum, & quidem ſine graui neceſſitate, vt videtur; patet quia quod laicus, ideſt non initiatus, neq; prima tonſura prædicet, neq; iure cõmuni eſt prohibitũ, neq; eſt actus iuriſdictionis eccleſiaſticæ, quæ committi non poſſit laico, cùm importet ſolum docere, illuminare, ac monere, quæ exerceri poſſunt etiam à non habente vllum ordinem eccleſiaſticum, & ad ſummum requirunt iuriſdictionẽ vt imperantem; cùm ergò in ſup. dicto indulto abſolutè, & ſimpliciter concedatur facultas prædicandi abſque vllo addito omnibus ijs, qui ſunt e Societate, & nouitij, qui in ea probantur, in fauorabilibus dici poſſint eſſe è Soc. vt quid eis denegãda eſt communicatio talis conceſſionis, ex eo præcisè quòd non habeant primam tonſuram, cùm vi textus non præexigatur talis cõditio? nõ ne hoc eſt

 reſtrin-

reſtingere beneficium principis? non ne hoc eſt diſtinguere (& quidem in fauorabilibus vbi ius non diſtinguit?) non ne hoc eſt fauores reſtringere contra communem regulam, *fauores oportet ampliari?*

55 Nec obſtat, quòd, quamuis iura non prohibeant expreſsè, quòd laicus prædicet, ſatis tamen indicant, per ſe loquendo, munus prædicandi eſſe alienum à ſtatu laici, ideòque non eſſe ei regulariter concedendum; quo pacto *S. Hieronym. ad Vigilant.* dicit *monachus non docentis, ſed plangentis habet officium*; & ſimilia, quæ referuntur 16. *quæſt.* 1. *cap.* 4. vnde fit, vt per verba generalia non cenſeatur facta conceſſio prædicandi laicis, neque prima tonſura non initiatis; non obſtat inquam, quòd iura poſſunt explicari de ſimplici laico, cuiuſmodi certè non ſunt nouitij, qui modo ſupradicto comprehenduntur nomine *religioſi*; vel certe, ſi excludunt monachos in ſpecie, loquuntur de monacho propriè dicto, qui cùm ex vi ſui inſtituti debeat vacare tantùm Deo, & ſibi, non debet ſe immiſcere miniſterio prædicationis ordinato ad bonum proximi.

56 Non obſtat præterea quòd Greg. XIII. in bulla *dilecti filij*, quæ habetur *in Soc. bullario pag.* 254. confirmans, & declarans conceſſionem ſupradictam Pauli III. dicat *Vobis inſuper concedentes, vt etiam Clerici veſtri prima tantum tonſura inſigniti, pro vt huc vſque fecerunt, valeant deinceps ipſum Dei verbum vbique populo prædicare*; non enim hinc videtur neceſſario inferendum (vt putat *Suar.*) iuxtà mentem ipſius Gregorij XIII. & Pauli III. ad vſum talis conceſſionis requiri, vt religioſus ea vſurus ſit ſaltem initiatus prima tonſura: ſi quidem id expreſſit in ſpecie, quia fortè de eo in ſpecie fuit interrogatus, vt videtur colligi ex illis verbis: *verum quia nonnullis dubitatio curioſiùs inceſſit, an dictum priuilegium prædicandi etiam eos comprehendat, qui ad ordines ipſos nondum aſcenderunt*: cùm alias nullam apponat clauſulam, qua limitetur conceſſio Pauli III. facta abſque vlla limitatione, vt conſtat ex eius tenore.

57 Non obſtat denique, quòd ipſa Soc. Ieſu præfatam conceſſionem ita intellexit, ac vſu recepit, talemq; vſũ cõfirmauit Greg. XIII. ijs verbis *pro vt huc vſque fecerunt, valeant, &c.* nimirum, quod vtentes dicta conceſſione ſint initiati prima tonſura; ſi quidem multa licent, quæ non expediunt; & eſt quid diuerſum, quòd aliquid non poſſit fieri de rigore iuris, aliud, quòd non deceat ex æquitate; quæ vtique locum habent in præſenti caſu; vnde concedo quidem regulariter expedire, vt ad maiorem decentiam religioſus prædicans ſit ſaltem prima tonſura initiatus; nego tamen id requiri ex vi conceſſionis Pauli III. & Greg. XIII. qua ſine dubio per viam communicationis vti poſſunt Religioſi, etiam aliorum Ordinum.

QVÆRES XXIV. An, & quo caſu Nouitij poſſint facere profeſſionem religioſam, nondum abſoluto anno probationis, etiam poſt Concilium Trid. & quo iure.

58 ℟. Poſſe, ſi iam expleuerint legitimam ætatem videlicet 16. annorum, & ſint conſtituti in articulo mortis: idque ex conceſſione bullata Pij V. facta monialibus S. Dominici; quæ ſine dubio ſuffragatur Religioſis, etiam aliorum Ordinum, ſiue maſculis, ſiue feminis, vt dicimus *in tract. de profeſſ. relig. cap.* 2. *q.* 3. *vbi* fuſiuſculè diſſeremus de hac conceſſione, & *in tract. de monial. in* 2. *editione cap.* 9. *nu.* 18. *& cap.* 10. *num.* 224.

QVÆRES XXV. An Nouitij habeant ius eligendi ſepulturam.

59 ℟. Habere, patetque; quia *c. fin. de ſepult. in* 6. ſolis religioſis interdicit electionem ſepulturæ: nouitij autem in odioſis non comprehendũtur nomine *religioſi*; prçter quam quod nouitij habent velle, & nolle, ideòque reſpectu eorum ceſſat ratio, ob quam iura denegant religioſis profeſſis electionem ſepulturæ. ita *Sanch. l.* 6. *mor. c.* 14. *n.* 10. *cum Franco Armilla, & Tab. Peyr. de R. P. q.* 3. *c.* 1. *n.* 130. alijque penes ipſum: qui benè notat ex *Sylu. Rodriq. Grat. & alijs*, quòd ſi nouitius non eligat ſepulturam, ſepeliendus eſt in monaſterio, in quo obijt; cùm talis ſit conſuetudo, & ad hoc ſe extendant priuilegia regularium à nobis explicanda *in tract. de priuileg. cap.* 5. *ſect.* 4. *ſubſ.* 1. *q.* 6.

QVÆRES XXVI. An Nouitij eijci poſſint à religione abſque iuſta cauſa.

60 ℟. Non poſſe; & probatur ex eo quòd quamuis vi ſolius primi ingreſſus de rigore iuſtitiæ nec ingrediens obligetur ad permanendum, nec religio ad eum retinendum: ex alio tamen capite non poteſt religio licitè eum dimittere ſine iuſta cauſa, eo quòd illa in tali caſu non ſe gerat vt domina, ſed vt diſpenſatrix diuinorum miniſteriorum: cùm interim nouitius non teneatur perſeuerare, vt pote qui eſt ſui dominus, & de ſe ipſo liberè poteſt diſponere, ſicuti diximus *cap. præced. q.* 10. ita *Suar. to.* 3. *de relig l.* 5. *c.* 11. *n.* 5. *& cum eo Peyr. ſup. n.* 111. *ex Caiet. & Paſſarelo* addens religionem eijcientem nouitium ſine iuſta cauſa peccare, non contra iuſtitiam commutatiuam, ſed diſtributiuã, & contra charitatem: Nouitium verò in tali caſu habere ius reclamandi contra monaſterium, ac ſuperiorem illius, nec non recurrendi ad Prælatum ſuperiorem, qui eum reſtituat in integrum, ipſum admittendo ad profeſſionem.

QVÆRES XXVII. An Nouitij ſubiaceant communibus interdictis latis contra perſonas Laicorum exiſtentes in aliqua ciuitate, quo modo interdictum eſt perſonale.

61 ℟. *Peyr. ſup. n.* 205. *ex Campanili* (quod etiam docent alij) non ſubiacere, vtpote qui ſunt exempti, & in fauorabilibus veniunt nomine *religioſi*. Quin etiam, ſi detur aliquem eſſe affectum interdicto perſonali, & durante tali interdicto ingredi religionem: hoc ipſo liberatur ab interdicto, cùm ſic deſinat eſſe pars ciuitatis modo ſupradicto interdictę, & conſequenter incipiat eſſe exemptus ab oneribus illius: patet hoc ex dictis in *tract. de pœnis c.* 4. *ſect.* 1. *q.* 14. vbi id aſſeruimus contra *Sayrum* putantem non eximi nouitium ab interdicto ſic incurſo, niſi poſt emiſſam profeſſionem.

CA-

CAPVT VIII.

Quibus Prohitionibus ſubiaceant Nouitij.

1 *NOuitij non ſubſunt prohibitionibus factis contra religioſos, aut laicos.*
2 *Sicque ſunt velut ex leges, vt ſunt etiam Vagi.*
3 *Puniuntur tamen, ſi religioſorum prohibitiones violent.*
4 *Non ſubiacent pænis latis contrà religioſos, aut laicos.*
5 *Acquirunt beneficia eccleſiaſtica.*
6 *Sunt capaces penſionum.*
7 *Sed hoc alij negant.*
8 *Explicatur textus, qui videtur obſtare noſtræ ſententiæ.*
9 *Iure Concilij Trid. ſunt capaces beneficij regularis, ſed non abſolutè.*
10 *Intellige, beneficij ſimplicis, non autem duplicis.*
11 *Declaratur limitatio appoſita à Tridentino.*
12 *Eligi poſſunt ad dignitates eccleſiaſticas, non item ad regulares.*
13 *Profeſſus tranſiens ad alium Ordinem, durante eius probatione eligi nequit in Prælatum dicti Ordinis.*
14 *Eligi tamen poſſet in Prælatum prioris Ordinis.*
15 *Nouitij retinent ius eligendi aliàs ipſis competens.*
16 *Validè, non licitè matrimonium contrahunt.*
17 *Bimeſtre conceditur ſponſis de præſenti ad deliberandum.*
18 *At ſi ingrediantur religionem, profitentur ſolum poſt annum nouitiatus.*
19 *Nouitij validè ſtant in iudicio, etiam inſcio Superiore.*
20 *Non ſubſunt prohibitioni factæ religioſis, ne moniales adeant.*
21 *Illas tamen non adeunt ſine licentia Ordinarij.*
22 *Edunt libros ſine facultate Prælati regularis.*
23 *Appellant ab eo, etſi religioſis Ordinis id ſit vetitum.*
24 *Cum profeſſis monaſterij non conuerſantur.*
25 *Liberè faciunt vota tam realia, quam perſonalia.*
26 *At conſulendi, vt ſolùm voueant ſub conditione, ſi Superior voluerit.*
27 *Se ſubijciunt Epiſcopo in ijs etiam, quæ præſtari poſſunt à ſuo Prælato.*
28 *Nequeunt dare de ſuis bonis Conuentui, in quo probantur.*
29 *Immò nec toti Ordini, aut alij monaſterio illius.*
30 *Item nec ijs dare poſſunt mutuum; etſi in certo caſu oppoſitum non poſſit conuinci falſitatis.*
31 *Multò minùs damnari poteſt mutuum datum conuentui cum pacto, vt reſtituatur aliquot menſibus ante profeſſionem.*
32 *Idque admittunt varij, & graues Doctores.*
33 *Parentes nouitij de ſuis bonis dare poſſunt monaſterio.*
34 *Nouitij de ſuis bonis diſponunt per modum vltimæ voluntatis.*
35 *Nouitij Soc. Ieſu vix teſtari poſſunt de bonis ſine Prælati facultate, abſque peccato.*
36 *Renuntiant nouitij bonis ſolùm tempore præſcripto.*

QVÆRES I. An Nouitij ſubiaceant communibus prohibitionibus à legitimo Superiore factis contra Religioſos profeſſos, aut contra perſonas laicas.

1 ℞. Videri non improbabile, quod ſint exempti à communibus prohibitionibus, tum religioſorum profeſſorum, tum virorum ſæcularium; idque ratione ſtatus, in quo reperiuntur, qui eſt quaſi medius inter ſtatum religioſum, & laicum. moueor, tum quia, hoc ipſò, quod nouitij in fauorabilibus cenſentur religioſi, & in odioſis reputantur laici; conſequenter non ſubſunt prohibitionibus religioſorum profeſſorum (quæ ſine dubio habent rationem odij) eo quòd in ordine ad illas cenſentur laici; neque prohibitionibus laicorum, eo quòd reſpectu earum reputantur religioſi: cùm tamen neque religioſi ſubiaceant prohibitionibus laicorum, neque laici prohibitionibus religioſorum, vt patet tum quia ex eo quòd nouitij gaudent priuilegijs religioſorum profeſſorum, minùs bene infertur eos debere ſentire, & ipſorum onera, iuxtà regulam *qui ſentit commodum, debet ſentire & onus*: ſi quidem Regulares, alijque eccleſiaſtici de facto fruantur priuilegijs laicorum, & tamen non ſuſtinent eorum onera, neque realia, neque perſonalia: vnde regula illa *qui ſentit commodum*, teſte *Laym. l. 1. tr. 4. c. 12. num. 5.* non habet locum, niſi quando onus ex propria inſtitutione eſt annexum commodo; vt euenit in inſtitutione hæredis beneficio eccleſiaſtico, &c. nō item ſi ea ſint diſparata, vt in caſu noſtro.

2 Nec obſtat, quòd ſic nouitij eſſent exleges, nulliſque ſubiacerent prohibitionibus particularibus; quod videtur alienum à recta gubernatione; nam hoc idem concedunt *Leſſ. l. 4. c. 2. nu. 49. Sayr. in clau. reg. l. 3. c. 4. n. 14. Laym. ſup. n. 7. Sanc. in ſelectis D. 54. n. 34. & Diana p. 2. t. 10. reſol. 16.* de Vagis, eos ſcilicet non teneri legibus locorum, in quibus pro tempore reperiuntur, probantque ex eo quòd generalis doctrina *cap. vlt. de foro compet.* neminem ſortiri forum, niſi vel ratione domicilij, ſeu habitationis, vel ratione delicti, vel ratione contractus (adde tu cum *Laym.* vel ratione rei fide poſſeſſionis ſitæ in territorio, vel etiam interdum ratione originis, ſiue patriæ) habet locum etiam in Vagis, vt pote qui nullo horū modorū ſunt ſubiecti, quòd ſi hæc doctrina admittatur, vt probabilis (ſicut videtur admittēda, quamuis contraria communi aliorum DD. ſenſui, vt videre eſt apud *Dianam*) vtique ea poteſt, & debet admitti ſaltem vt non improbabilis etiam quò ad Nouitios; cùm ſit par ratio de his, ac de Vagis; vt facilè conſtabit conſideranti.

3 Quòd ſi dicas Nouitios puniri, ſi violent aliquam ex prohibitionibus Religioſorum: non ideo probas eos in foro conſcientiæ ſubiacere dictis prohibitionibus: ſi quidem *Laym.* hoc idem concedit de Vagis, & tamen negat eos ſimpliciter, & in omnibus ſortiri forū, ſeu iuriſdictionem loci, in quo exiſtunt; addēs per conſuetudinem inductū fuiſſe, vt etiam Vagi, cū proprium Iudicem non habeant, puniri poſſint, vbicumque inueniantur, ne aliqui eorum delicta maneant impunita: quæ reſponſio item poteſt applicari ad noſtrum caſum.

4 Adde, quòd ſi demus nouitios non adſtringi prohibitionibus communibus, ſiue ſæcularium, ſiue religioſorū profeſſorum, vti iam probatū eſt: cōcedetur

detur conſequenter eos neque ſubiacere pænis, quæ ſolent adiungi dictis prohibitionibus: ſed de hoc agendum commodiùs *in tract. de pænis, cap. 1. ſect. 1. q. 9.*

QVÆRES II. An licitè, & validè poſſint nouitij acquirere beneficium eccleſiaſticum, ſiue ſæculare, ſiue regulare.

5 ℞. Loquendo de beneficio ſeculari, illud quidẽ validè conferri nouitijs: cùm ipſi adhuc ſint ſui iuris, capaces habendi proprium, & de facto poſſint acquirere alia bona temporalia, nullumque extet ius irritans talem collationem; ſed tamen illicitè; ſi quidem vel datur beneficium, vt ſic religionem deſerat, & hoc eſt contra charitatem; vel datur, vt ijs fructibus fruatur ſiue ipſe, ſiue religio, quamdiu profeſſionem non fecerit; & hoc tam ex parte dantis, quàm ex parte recipientis eſt illicitum, cùm ſit contra inſtitutionem, & finem beneficij, quo pacto DD. communiter dicunt recipere beneficium ſine animo ſeruiendi ſolùm ad fruendum fructibus pro aliquo tempore eſſe illicitum; ſicut & illud dare cũ eadem intentione, aut ei, quem conſtat non aliter illud recipere. ita *Suar. to. 3. de relig. l. 5. cap. 16. n. 13.* addens tamen id non eſſe adeò intrinſecè malum, quin Superior habens legitimam poteſtatem poſſit in fauorem religionis ſuper hoc diſpenſare; ſicque intelligendam, vel limitandam eſſe *Gloſſam in ca. beneficium v. conferendum de regular. in 6.* quæ aliàs videtur nobis aduerſari.

6 Addit *Suarez* ſecùs dicendum de penſione, eam videlicet conferri poſſe nouitijs, vt pote quæ non datur proprio titulo ſpirituali; &, ſi quod onus habet annexum, illud eſt valde ſimplex, nempe recitare officium Virginis, quod optimè poteſt impleri à nouitio; præter quàm quòd recipere penſionem animo eam retinendi breui, ſeu definito tempore non eſt contra vllam legem, nec cedit in damnum ſeruitij eccleſiaſtici, ſed potiùs in fauorem beneficij, cui adiuncta eſt penſio.

7 Contra *Suarez* ſentiunt *Gloſſa*, alijque tum Canoniſtæ, tum Summiſtæ apud *Sanch. l. 7. mor. ca. 4. n. 21.* ſuſtinentes beneficium ſeculare conferri non poſſe nouitijs neque licitè, neque validè; & quidem probabiliter iudicio ipſius *Sanchez*, qui dicit opinionẽ oppoſitam, quam ille ſequitur, eſſe veriorem, ideſt probabiliorem. probant, tum quia dubius ſtatu non promouetur ad militiam, *l. qui de libert. 29. ff. de liberali cauſa*; ſtatus autem nouitij eſt dubius, videlicet ſit ne profeſſurus, nec ne; tum quia per collationem beneficij preberetur anſa recedendi à ſtatu religioſo ad effectum fruendi beneficio, vt iam dictum eſt.

8 Verũ textus ille, quo potiſſimũ nituntur Aduerſarij, non facit contra nos; vtpote qui nihil diſponit de beneficio eccleſiaſtico, immò nec diſponere põt, cùm ſit iuris ciuilis; ſed ſolùm decidit eum, cuius ſtatus eſt dubius, an ſcilicet ſeruus ſit, aut potiùs liber, non eſſe promouendum ad militiam, donec ſententia deciſum ſit illum eſſe liberum: quę deciſio, vt dixi, non facit ad rem, pręſertim cùm ſtatus nouitij non ſit dubius, ſed certus, cùm pro tunc cõſtet eum eſſe liberum, & ſui iuris, ſolumque dubitetur, num ex propria voluntate mutaturus ſit ſtatum. ita *Sanch.* monens *n. 23*, quòd ſi, ſtando in ſententia *Gloſſæ* nouitius vocetur ad aliquod beneficiũ ſeculare (ſiue quòd ſpecialiter ad illud vocatus ſit, ſiue quòd vocatus ſit coniunctior ſanguine cũ fundatore,) & dictus nouitius ſit talis, in tali caſu nulli poteſt conferri beneficium, ſed expectanda eſt nouitij profeſſio, deſignato interim vicario, qui beneficio inſeruiat cum debita illius portione; ratio eſt, quod cum nouitius per eam nominationem acquiſierit ius ad tale beneficium, non debet ſpoliari iure, nec in re, nec ad rem: vnde, ſi alteri interim fiat collatio, erit nulla.

Vtrum verò nouitijs conferri poſſint beneficia eccleſiaſtica regularia.

9 ℞. Non poſſe, ſtando in iure antiquiori, cùm in *Clem. quia regulares de ſupplen. neglig. prælat.* & *Clem. ne in agro §. ſanè prioratus de ſtatu monach.* decernatur, quòd ſolis profeſſis conferantur beneficia regularia; non item attento iure *Concilij Trid. ſeſſ. 14. de reform. c. 10.* ſtatuentis beneficium regulare poſſe dari nondum profeſſis, immò & his, qui habitum religionis nondum ſuſceperunt, modò habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur. Verba autem Concilij ſunt hęc: *Regularia beneficia in titulum regularibus profeſſis prouideri conſueta, religioſis tantum illius Ordinis vel ijs, qui habitum omninò ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, & non alijs, &c.* vbi notat *Suar. ſup. num. 14.* quòd, licèt Concilium expreſsè non decidat nouitijs poſſe conferri beneficia regularia, id tamen ſatis apertè inſinuat hoc ipſo quòd dicit licere ea conferre ijs, qui nondum ingreſſi ſunt religionem; dummodò obligentur ad ſuſcipiendum habitum, ac profeſſionem emittendam: ſi enim iſtis licitum eſt conferre dicta beneficia, à fortiori ea conferri poterunt nouitijs ſub eodem onere, obligatione, ac conditione; quamquã, ſi nouitius modo ſupradicto prouiſus malit relinquere beneficium collatum, eo ipſo liberetur ab obligatione profitendi, cùm talis obligatio non adſtringat, niſi in quantum ille vult potiri beneficio, & non ampliùs.

10 Adde facultatem, quam facit Concilium Triden. ſecularibus, ac nouitijs, obtinendi beneficia regularia ſub pręfata obligatione, ſeu conditione, intelligendam eſſe ſolùm de beneficijs ſimplicibus: & hoc ex declaratione Sacrę Congregationis Concilij, quam refert *Suar. ſup. ex Marzilla, & Farinacio* in hæc verba: *Viſo hoc capite Concilij Congregatio cenſuit poſſe etiam ordinarios collatores portiones monachales, & canonicales, & ſimilia ſimplicia beneficia regularibus prouideri conſueta conferre, nedum eius Ordinis profeſſis, ſed etiam ſæcularibus, qui habitum ſuſcipere, & profeſſionem emittere* omnino teneantur: Abbatias tamen, & beneficia adminiſtrationem habentia non niſi profeſſis iuxtà canones per ordinarios inferiores conferri poſſe.

11 Cæterum obligatio illa ſuſcipiendi habitum, ac emittendi profeſſionem, quam requirit Concilium, non ſufficit, quòd ſit ex voto, cum obligatio proueniens ex voto ſolum Deum reſpiciat, & non forum externum, quod videtur petere Concilium; ſed debet eſſe ex conuentione: itaut, ſicut beneficia curata habent conditionem tacitam, quando dantur

tur non Sacerdoti, *vt intra annum teneatur promoueri ad ſacerdotium*, ſic & prouiſus beneficio regulari teneatur intra tempus incertum tranſire ad religionem, & profiteri. ita *Sanch. ſup. num. 24.*

QVÆRES III. An Nouitij poſſint eligi, ad dignitates Eccleſiaſticas, & qualiter.

12 ℞. Cum diſtinctione: vel loquimur de dignitatibus intra religionem; & ad has eligi non poſſunt nouitij, neque licitè, nec validè: cùm *in cap. nullus de elect. in 6.* id expreſsè prohibeatur his verbis: *Nullus religioſus ad abbatiam, ſeu prælaturam ſuæ, vel alterius religionis de cætero eligatur, niſi antea fuerit ordinem regularem expreſsè profeſſus: quòd ſi ſecùs actum fuerit, eo ipsò irritum habeatur* (vnde patet excludi non ſolum nouitios, ſed etiam eos, qui ſolum tacitè ſunt profeſſi; cùm tamen ad eligendum actiuè disertè petatur ſolùm profeſſio tacita, aut expreſſa:) vel loquimur de dignitatibus extrà religionem; & quò ad has, poſſunt quidem nouitij licitè, & validè eligi ad epiſcopatum (quod habetur in *citato cap. nullus*) ad aliàs verò dignitates validè, ſed minùs licitè; validè inquam, eo quod per ſe, & ex natura rei ab ijs non excludantur, & iure poſitiuo ſolum prohibeantur eligi ad prælationem religioſorum; cuiuſmodi non ſunt dignitates extra religionem; minùs verò licitè, eo quòd quælibet dignitas ſæcularis infra epiſcopatum inferior ſit quò ad ſtatum perfectionis, immò & de ſe ei repugnans; ideòque non decet eam conferri nouitio, ne ſic à propoſito religionis diſtrahatur; cum aliàs epiſcopatus ſit ſtatus maioris perfectionis, & valdè neceſſarius ad commune bonum eccleſiæ: vnde mirum non eſt nouitium ſtatim prouocari poſſe ad ipſum, etiam non expectata profeſſione. ita *Suar. n. 15.* & cum eo *Peyrin. de R. P. q. 3. c. 1. n. 123.* qui præterea notant nouitium poſſe epiſcopatum acceptare, & poſteà, ſi velit, profiteri, nec non conſecrari in Epiſcopum, ſicque eſſe ſimul religioſum, & epiſcopum.

Poſſet modo hìc quæri, an validè, & licitè eligi poſſet in Prælatum monaſterij is, qui poſt emiſſam profeſſionem expreſſam in aliquo Ordine, tranſit ad illum, in quo eligitur, ibique tunc temporis eſt nouitius; ratio dubitandi eſt, quòd cum in allegato cap. *nullus* dicatur *Nullus religioſus ad abbatiam, ſeu prælaturam ſuæ, vel alterius religionis de cætero eligatur, niſi antea fuerit ordinem regularem expreſsè profeſſus, &c.* non diſtinguendo, debeat ne eſſe profeſſus in ordine, in quo eligitur, vel in aliquo alio: videtur ſufficere ad electionem licitam, & validam, quod electus ſimpliciter ſit profeſſus: ſi quidem vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; præſertim in odioſis, quæ debent reſtringi.

13 ℞. Electionem in tali caſu non fore neque validam neque licitam; moueor, quòd cùm in *Clem. 1. de elect.* prohibeatur, ne religioſus aliquis in Abbatem, vel prælatum alterius religionis, vel habitus de cætero eligatur; quod ſi ſecùs actum extiterit eò ipſo irritum, & inhabile; & hoc ipſum ius poſtea fuerit renouatum *in Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 10. de refor. & ſeſſ. 25. c. 21. de Regul.* ex alia verò parte profeſſus vnius Ordinis non poſſit dici religioſus alterius Ordinis, ad quem tranſijt, & in quo eſt nouitius; manifeſtè ſequitur quod ſi is eligatur in Prælatum Ordinis, ad quem tranſijt, eiuſmodi electio eſt, & illicita, & inualida, non tam ex cap. *nullus* ſuperiùs relato, quam ex *Clementina* modo adducta; cum tamen apud DD. non ſit nouum, vnum ius explicari per aliud.

14 Illud quidem concedo, quòd ſi Religioſus profeſſus in vno Ordine, vbi tranſiuit ad alium, ibique probatur in nouitiatu interim ad prælaturam prioris Ordinis eligatur, valida eſſet electio: cum ſic re vera eligatur religioſus profeſſus Ordinis, in quo exercenda eſt prælatura, & reſpectu dicti Ordinis materialiter ſe habeat, quòd tunc temporis ſit nouitius in alio Ordine; vnde conſtat in tali electione obſeruari tum cap. *nullus*, tum adductam Clementinam.

QVÆRES IV. An Nouitij habeant ius eligendi, quamdiu ſunt in probatione.

15 ℞. Habere, ſi tale ius ipſis competat ratione beneficij eccleſiaſtici, v. g. canonicatus, aut titulo iuriſpatronatus; idque eo modo, quo diximus *cap. præced. q. 10. § dubium iam eſt*, ſecùs, ſi loquamur de iure eligendi competente, ex vi ſtatus religioſi: ſi quidem *in cap. ex eo de elect. in 6.* habetur: *In eccleſijs quoque regularibus, vel monaſterijs hi, qui non ſunt tacitè, vel expreſsè profeſſi, non debent cum profeſſis, vel conuerſi laici cum clericis electionibus intereſſe:* præter quam quòd talis eſt praxis omnium religionum, vt ad electiones, quæ fiunt intra monaſterium, nunquam admittantur nouitij: & meritò, cùm ij præſummantur nondum ſatis experti religionem, & conſequenter non habere notitiam ſufficientem tum perſonarum, ac negotiorum, tum iurium, ac conſuetudinum ipſius religionis: quæ ſine dubio à potiori locum habent in electione, quæ fiat Prælati monaſterij: cùm in tali caſu ad ius eligendi præſupponatur, vt eligens verè, ac ſubſtantialiter ſit membrum communitatis, & quod teneatur obedire Prælato, non ad arbitrium (vt nouitius) ſed perpetuò; ſicut benè aduertit *Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. l. 2. cap. 4. n. 2.* monens ad eligendum Prælatum monaſterij ſufficere, quòd eligens ſit profeſſus profeſſione tacita.

QVÆRES V. An, & qualiter Nouitij, durante nouitiatu, poſſint contrahere matrimonium.

16 ℞. Poſſe contrahere validè, non tamen licitè; idque ex *cap. conſuluit, qui cler. vel nou. matr.* vbi expreſsè dicitur, quod, *ſicut votum ſimplex matrimonium impedit contrahendum; & non dirimit iam contractum; ita habitus ſine profeſſione ſuſceptus, ne contrahatur impedit, ſed contractum nequaquam diſſoluit;* quod iure, & meritò ſtatutum eſt in reuerentiam habitus religioſi, & ad vitandas fraudes, & ſcandala. ita *Suar. to. 3. de relig. l. 5. c. 11. num. 8. Peyr. ſup. n. 132. & alij*, inter quos rectè notat *Suar.* quod ſicut nouitius in tali caſu tenetur ſtatim egredi à religione, ſi matrimonium conſummauit, & commodè poteſt: quia aliàs faceret iniuriam religioni, fictè manendo in ea, cùm iam non poſſit profiteri; immò & teneretur reſtituere quidquid poſtea conſumeret: ita, ſi matrimonium non ſit adhuc conſummatum, poteſt nouitius manere in religione cum animo profitendi, aut certè expectandi, ſi fortè à Deo moueatur ad profitendum: idque laudabiliter; cum

ſic

ſic vtatur nouitiatu ad aliquem finem, propter quem inſtitutus eſt; & hoc per 2. integros menſes à die matrimonij contracti, pro vt conceditur in *cap. ex publico de conuerſ. coniugat.* & nos explicauimus *ſup. cap. 4. q. 9.*

17 Placet hoc loco vnum monere ex *Sanch. l. 2. de matr. D. 24. n. 21.* quòd, cùm præfatum bimeſtre currat à tempore contracti matrimonij, vt iam diximus, illi duo menſes computari debent, ſecundùm quòd occurrit in Kalendario, accipiendo de menſe ſeqoenti quod deficit præcedenti: & ſic illi menſes habebunt 30. vel 31. dies, pro vt in Kalendario occurrerit; probat *Sanch.* hoc ex doctrina generali, quam tradunt *gloſſa*, *alijque non pauci Canoniſtæ à Sanch.* relati; nimirùm quòd, quando lex, aut ſtatutum concedens menſem v. g. diſponit à quo tempore menſis incipiat; tunc menſis accipitur ſecundùm quòd occurrit in Kalendario, accepto de menſe ſequenti eo, quod deficit illi menſi: quæ doctrina eſt ſatis probabilis, & communiter admittitur.

An verò Nouitius in propoſito caſu teneatur, elapſo dicto bimeſtri, profiteri, vel debeat expectare, vſque dum abſoluatur annos probationis, poſſet eſſe aliqua difficultas ex eo quòd, quamuis Iudex iuſta de cauſa poſſit regulariter reſtringere, aut prorogare terminum lege præſcriptum, teſte *Bartolo l. 2. n. 4. ff. de ſent. & re iudic.* quem communiter ibi ſequuntur ſcribeotes: id tamen non procedit, quando elapſo termino, apponitur pęna priuationis, aut alia ſimilis: quòd in præſentia videtur, euenire, ſtante quòd bimeſtre illud ponitur à iure; &, eo tranſacto, ſponſus priuatur iure ampliùs deliberandi, & excommunicandus eſt, ſi renuat conſummare matrimonium.

18 ℞. Nouitium in caſu poſito non poſſe, nec teneri profiteri, niſi poſt elapſum annum probationis Iudice (qoi reſpectu nouitij non eſt alius: quàm Pręlatus regularis) terminum dicti bimeſtris prorogante; quod poſſe fieri in præſenti caſu inde probat *Sanch. ſup. n. 12.* quòd, licèt, quando datur terminus à lege abſque Iudicis miniſterio, eum nequeat iudex reſtringere, aut prorogare, cùm non ſit ſup. legem; ſecùs eſt, vbi terminus datur miniſterio iudicis, vt in citato *cap. ex publico*, in quo non ſignatur bimeſtre, ſed mãdatur Iudici vt deſignet: quamuis iudex non debeat facilè recedere ab eo bimeſtri, cùm iuris terminus ſit; niſi occurrat iuſta, & grauis cauſa, qualis verè euenit in caſu noſtro; nimirum ad ſeruandum decretum Concilij Trid. præcipientis, vt integer annus probationis præmittatur profeſſioni: per quod decretum conſtat correctum fuiſſe *cap. ex publico* ſuperiùs adductum, dans ſponſis bimeſtre ad profitendum, quidquid in contrarium dicant aliqui apud *Sanch. n. 6.* & ſatis probabiliter, teſte ipſo *Sanch.* qui tamen *nu.* 7. dicit noſtram ſententiam eſſe probabiliorem.

QVÆRES VI. An licitè, & validè poſſint Nouitij accuſare, teſtificari, & ſtare in iudicio abſq; legitima Prælati regularis facoltate.

19 ℞. Poſſe validè; cùm prohibitio quò ad hoc in iure lata contra religioſos non afficiat nouitios, vt pote qui in odioſis non reputantur religioſi, adeòque legitimam ſtandi in iudicio perſonam habent; non tamen licitè, tum quia ſolitudo maximè decet ſtatum nouitij, cui ex diametro opponitur libertas agendi in iudicio: tum quia noo exhibent proprio Prælato debitam ſubordinationem, vt tenentur dato quòd velint manere in religione; tum quia non obſeruant quod Chriſtus monet *Matth. 8. dimitte mortuos ſepelire mortuos.*

QVÆRES VII. An Nouitij ſubiaceant prohibitioni factæ Regularibus, ne accedant ad monaſteria monialium.

20 ℞. Non ſubiacere, quatenus ea facta eſt à Sixto V. vt pote quæ facta eſt Religioſis (quales non ſunt re vera nouitij in odioſis); ſubiacere tameo ei, quatenos eſt facta in *cap. periculoſo de ſtatu regul.* his verbis *Nulliq; aliquatenus in honeſtæ perſonæ, nec etiã honeſtæ, niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat ac de illius, ad quem pertinuerit ſpecialis licentia, ingreſſus, vel acceſſus pateat ad eaſdem moniales*: quæ prohibitio, cùm ſit generalis (vt conſtat ex tenore verborum D.) vtique comprehendit Nouitios (quamuis aliàs iuxta dicta q. 1 non ſubiaceant oeque prohibitionibus proprijs Religioſorum, neque ijs, quæ in ſpecie fiont perſonis ſæcularibus): præſertim, cum pręſata prohibitio innonata ſit in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 5.* & in quodam motu proptio Pij V. edito anno 1569. qoi eſt in ordine octauus.

Cùm autem in citato *cap. periculoſo* dicatur *ac de illius, ad quem pertinuerit ſpecialis licentia*; dubitari poteſt, an Nouitij, vt licitè accedant ad moniales, teneantur petere, & obtinere licentiam ab ordinario loci ad quem ſolet regulariter pertinere talis licentia: & ratio dubitandi eſt, quòd cùm nouitij ex dictis *cap. præced. q. 4.* ſint exempti ab ordinarij iuriſdictione, neque quo ad hoc videntur ei ſubiacere.

21 ℞. Nihilominùs teneri, cùm quò ad hoc expreſsè ſubijciantur Ordinario à potente, volente, & ſuã voluntatem ſufficienter declarante; quo modo Sacra Congregatio in decreto 12. Cal. Oct. 1623. ſubiecit. Regulares Ordinatio quò ad obtinendam facultatem accedendi ad moniales, vt ſuo loco dicemus.

QVÆRES VIII. An Nouitij poſſint imprimere libros ab ipſis conſcriptos ſine licentia, ac recognitione Prælati regularis, non obſtante decreto *Concilij Trid.* hac de re edito *ſeſſ. 4.*

22 ℞. De rigore iuris poſſe; cùm ſup. dictum decretum loquatur in ſpecie de Regularibus, & iuxtà ſæpiùs repetita nouitij in odioſis (cuiuſmodi eſt pręſens prohibitio) non comprehendantur nomine regularium, ſeu religioſorum; ſecùs, ſi loquamur ſecundùm æquitatem; ſic enim nullo modo decet, vt nouitij id faciant: &, ſi id facerent, ex hoc ſolo capite mererentur dimitti è religione, tanquam non præſtantes proprijs Superioribus debitam ſubordinationem.

QVÆRES IX. An Nouitij adſtringantur iuribus prohibentibus, ne Religioſi appellent à proprijs Superioribus; ita vt occurrente caſo appellandi, neque ipſi appellare poſſint.

23 ℞. Non adſtringi: & quidem nec in caſu, quo ipſi iuſtè puniri poſſint à proprio Prælato: ratio eſt, quòd ex vna parte iura prohibentia appellationem expreſ-

expreſsè loquuntur de Religioſis (nouitij autem in odioſis non reputantur religioſi) ex alia parte eo ipsò quòd quis ſubiacet poteſtati coercitiuæ alterius, non ideò hòc ipsò prohibetur appellare ab illo, vt patet; vnde ex eo quòd nouitius in aliquo caſu poteſt puniri à proprio prælato non ſequitur ei interdictam eſſe facultatem appellandi, vt patet.

QVÆRES X. An, qualiter, & quo iure Nouitij prohibeantur conuerſari cum religioſis eiuſdem Ordinis, & monaſterij.

24 ℞. Prohiberi ex decretis à Clemente VIII. editis *ſup. receptione, & inſtitutione nouitiorum 19. Martij* 1603. nimirum quod non liceat eis durante nouitiatu, & probationis tempore, vnà cum profeſſis, niſi in choro in Eccleſia tempore officiorum, in proceſſionibus, aut in cænaculo cauſa refectionis commorari, nec permittatur eis Profeſſos domo exeuntes comitari: præterea quòd, nouitijs commorantibus in horto ad honeſtam recreationem, nullus alius in eundem ingrediatur; denique quòd ſi quis quempiam nouitiorum alloqui voluerit, magiſtro præſente, & non aliter alloquatur: hæc omnia habentur in præfatis decretis; quibus addi poſſunt ea, quę quò ad hoc piè, & laudabiliter in vnoquoque Ordine ſancita ſunt, aut certè per legitimam conſuetudinem inducta.

QVÆRES XI. An Nouitij licitè, & validè poſſint emittere vota tum realia, tum perſonalia, etiam inconſulto proprio Superiore.

25 ℞. Simpliciter loquendo poſſe; cùm ſint ſui iuris, & domini rerum ſuarum: quæ duo requiruntur, & ſufficiunt ad licitè, & validè facienda vota tam realia, quàm perſonalia; cum hoc tamen ſtare, vt, ſi nouitius emittat vota perſonalia præiudicia gubernationi, & conuenienti ordini religionis, ea pro tempore nouitiatus non obligent, ſi Prælatus regularis iubeat ea non ſeruari, vt pote quæ ſunt impeditiua maioris boni, quatenùs obſtant quo minùs nouitius obſeruet regulam, & ſit paratus ad obediendum Superiori, vt poſſit probare religionē, & ab ea probari; contrà quod vtrique non poteſt votum obligare, quippequod debet eſſe de meliori bono: vnde fit, vt hæc doctrina non extendatur ad vota realia; cùm horum executio non impediat obſeruantiam religionis: immò nec ad omnia perſonalia, ſed ſolùm ad ea, quæ præfatæ obſeruantiæ modo dicto obſtare poſſunt: & quidem pro eo tempore tantùm, quo durat ſtatus nouitij; quo pacto, ſi nouitius exeat è religione, tenebitur ea implere, ſi ea ad illud tempus relata ſint. Ita *Suar. tom. 2. de relig. lib. 6. de voto c. 7. num.* 12. patetque ex dictis tum hic, tum *cap. præced. q. 16. per totum*.

26 Monet autem *Suar. num.* 11. conſulendum eſſe Nouitijs, vt, ſi quæ vota emittunt, id non faciant abſolutè, ſed appoſita conditione, *Si Prælatus, aut magiſter nouitiorum votum probauerit, vel in eo conſenſerit*; tunc enim ſup. dicti poterunt irritare eiuſmodi uota, tum per ſubtractionem conditionis, tum ratione materiæ obſtàris rectæ gubernationi religionis, ut iam dictum eſt: idque ex iuriſdictione, cui quò ad hoc ſubiacet nouitius pro tempore probationis.

QVÆRES XII. An Nouitij inuito, aut inſcio prælato regulari poſſint ſe ſubijcere Ordinario loci in iis, quæ cadunt ſub poteſtatem ipſiuſmet Prælati.

27 ℞. Poſſe; cùm quò ad illos cumulatiuè concurrat poteſtas ſpiritualis proprij Prælati cum ſpirituali iuriſdictione Ordinarij, ideòque liberè poſſint cōfugere ad quem maluerint ex ipſis; quamuis alioqui deceat, vt in ijs, ad quæ ſe extendit poteſtas Prælati regularis, ad ipſum, & non ad alium confugiant; præſertim ad ſeruandam debitam ſubordinationem, & vitandam diuagationem.

QVÆRES XIII. An, quo iure, & qualiter Nouitij prohibeantur dare ex bonis proprijs monaſterio, in quo probantur.

28 ℞. Prohiberi ex decreto *Concilij Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* his verbis *Ne ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione eſt, quocumque prætextu à parentibus, aut propinquis, aut Curatoribus eius monaſterio aliquid ex eiuſdem bonis tribuatur, ne hac occaſione diſcedere nequeat, quòd totum, vel maiorem partem ſubſtantiæ ſuæ monaſterium poſſideat*. vbi notat *Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 5. *c.* 9. *n.* 16. quòd, cùm finis iſtius prohibitionis ſit conſulere libertati nouitij, ideò talis prohibitio non obſtat, quin poſt profeſſionem nouitij tribui poſſit monaſterio ex bonis illius, ſed ſolùm ante profeſſionem; ante profeſſionem verò impedit tantùm, ne ſup. dicta largitio fiat ex bonis nouitij: vnde, ſi parentes, amici, aut propinqui de proprijs bonis in gratiam nouitij aliquid tribuere velint monaſterio, vt ipſe beneuolentiùs tractetur, aut citiùs admittatur, non agerent contra hoc decretum; cùm textus expreſsè dicat *de bonis eius*, idest nouitij; ſicque ceſſet finis Concilij, quatenus bona illa ad ipſum non pertinent, nec ea recuperare poteſt, aut debet, vnde difficilior fiat eius egreſſus, ſi religionem dimittere voluerit, quare vi iſtius prohibitionis non poſſunt Nouitij ante profeſſionem, ſiue per ſe, ſiue per alios ſub vllo prætextu quid quam ex propris bonis dare, ſiue monaſterio, in quo probantur, ſiue toti religioni; idque ſub pæna excommunicationis ferendæ, tum contra dantes, tum contra recipientes; pro vt habetur in eodem *Concilio Trid.* his verbis, *Sancta Synodus præcipit dantibus, & recipientibus ſub anathematis pæna, ne hoc vllo modo fiat*; intellige, excepto victu, ac veſtitu ipſius nouitij, ſicut excipit ipſum Concilium: immò fortè etiam excipi poſſet caſus, in quo de bonis nouitij daretur vltrà victum, & veſtitum aliqua quantitas, quæ, licèt in ſe eſſet notabilis, talis tamen non eſſet, habita ratione facultatum ipſius nouitij, ac proinde indicio prudentis non cenſeretur eum retardaturum à libero egreſſu, ſi aliàs nollet perſeuerare: moueor ex illis verbis Concilij, *ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem ſubſtātiæ ſuæ monaſterium poſſideat*: quæ verba videntur indicare ſecùs dicendum, ſi quantitas data monaſterio non ſit ita notabilis, adeòq; ceſſet finis Concilij modo ſup. dicto, idque iuxtà regulam communem quòd, *ceſſante fine legis, ceſſet etiam lex*: quòd notat *Sanch. l.* 7. *moral. c.* 5. *n.* 22.

29 Dixi, *ſiue toti religioni*; vt innuerem, quòd ſi dicta largitio fieret toti religioni, aut alteri monaſterio

Ordinis

Ordinis ab eo, in quo probatur, talis largitio verè eſſet contra Concilium: quippe cùm eodem modo poſſit impediri libertas nouitij ex difficultate recuperandi præfata bona, quæ poteſt æqualiter contingere in præſenti caſu, ac ſi darentur monaſterio, in quo nouitius probatur: conſtat autem, quòd, vbi militat eadem ratio, militat et eadem iuris diſpoſitio.

Difficultas eſſe poſſet de mutuo, vtrum ſcilicet de bonis nouitij poſſit dari monaſterio ſub titulo mutui: & ratio dubitandi eſt, quòd lex odioſa debet coarctari ad proprietatem verborum; mutuare autem non eſt tribuere; cùm tamen in decreto Concilij ſuperiùs adducto (quod vtique eſt odioſum) vſurpetur verbum *tribuatur*.

30 ℞. *Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. c. 9. nu. 16.* non poſſe dari; cùm non minùs ex mutuo, quàm ex alia largitione impediri poſſit libertas nouitij ob difficultatem, quæ ſæpè reperitur in recuperando eo, quod titulo mutui datum eſt; eò vel maximè, quòd in tali mutuo virtualis quędam donatio includitur, non abſoluta, ſed ſub conditione, *ſi nouitius perſeueret*; quo modo Concilium per verbum *tribuatur* intelligit quamcumque actualem traditionem bonorum nouitij, per quam ea deueniant in vſum, poteſtatem, adminiſtrationem, aut etiam dominium religionis, non obſtante quacunque obligatione ea reddendi, ſi nouitius habitum dimittat, quod idem putat *Suar.* dicendum eſſe, etiam ſi monaſterium, ſit tale, vt ſine difficultate ab eo recuperari poſſint bona mutuata; non enim ideò ceſſat prohibitio Concilij; cùm ceſſante fine legis in particulari non ceſſet obligatio legis: quod tamen cũm negent *Sà Henrique Nau. Soſa Ang. Granado*, & alij apud *Dianam p. 2. tract. 10. reſol.* 28. conſequenter negarent prohibitionem iſtam Concilij extendi ad iſtum caſum, & ſi negarent, non poſſent conuinci falſitatis: cum *Suarez* ſentit *Caſtrus Paul. tr. 16. D. 1. p. 17. numer.* 8.

Dices, quid ſi in caſu propoſito mutuum illud fiat monaſterio cum obligatione reddendi illud ante profeſſionem nouitij, v. g. ad quinque, vel ſex menſes: eſſet ne tale mutuum contra citatum decretum Concilij?

31 ℞. Quod cum in tali caſu ceſſet finis Concilij, non ſolum in euentu particulari, ſed etiam per ſe, ac ex vi talis actionis, & talis datio non ſit largitio ſimpliciter, etiam iuxtà ſubiectam materiam (ſtante quòd non dantur talia bona ſub ea conditione tantum, niſi nouitius retrocedat, ſed vt reſtituantur ante profeſſionem, etſi ipſe perſeueret) non videtur talis datio omninò aliena ab intentione Concilij, ita vt ſimpliciter non poſſit excuſari; quamquam *Suar.* dicat eam non carere ſcrupulo, vt pote quæ ſaltem poteſt retardare nouitium, ſine ante ſolutum mutuum exeat à religione, etſi alias id deſideret, & intendat; præter quàm quòd poſt acceptum tale mutuum facile eſt religioni ſolutionem differre ſpe retinendi nouitium: & è contra difficile erit parentibus nouitij cogere religionem, vt ſoluat, ſed intuitu ipſius nouitij conniuebunt; quæ rationes ſuadent quidem abſtinendum eſſe ab iſto contractu, & quouis alio ſimili; non tamen euincunt illum eſſe abſolutè damnandum: quo modo nec ipſe *Suar.* eum abſolutè audet damnare, ſed cautè dicit illum eſſe alienum ab intentione Concilij, non carere ſcrupulo, & ab eo abſtinendum.

32 Certè *Rodr. to. 2. q. 48. a. 5. alijque DD.* graues Academiæ Salmanticenſis à *Sanch.* relati *num.* 24. quorum ſententiam dicit ſe non audere damnare, exiſtimant (& quidem non diſſentiente *Peyrino de R. P. q. 1. c. 29.*) ſupradictum mutuum licitum fore, ſi pro eo intercedat pignus, aut fideiuſſio ſufficiens, probantque, quia ſic ceſſat finis Concilij in ijs verbis, *nec facilè ſi diſceſſerit, id recuperare poſſit*, cùm dato pignore, aut competenti fideiuſſione, facilè poſſit nouitius è religione egrediens recuperare præfatum mutuum; cui ſententiæ fauent tum idem *Rodr. to. 2. ſum. c. 7. nu. vltimo* dicens ſe eam non damnare, eſtò non audeat illam amplecti, eo quod Concilium prohibeat quocumque prætextu tribui monaſterio de bonis nouitij, aut nouitiæ: tum *Hondedeus vol. 2. conſ. 73. n.* 20. qui cùm dicat in Tridentini decreto diſponi, nihil poſſe dari monaſterio, vt acquiratur ante profeſſionem; conſequenter innuit poſſe dari mutuo, vtpote quod monaſterio non acquiritur; tum *Miranda tract. de monial. q. 8. a. 9.* vbi ait, quod quamuis multo melius, ſecurius, atque conſultius ſit Concilij prædicti (idest Tridentini) decretum ad vnguem, atque ad litteram obſeruare; in caſu tamen, quo monaſterium egeat, ſufficienti præſtita cautione nõ videtur omninò illicitũ nouitiæ alicuius dotẽ mutuatam recipere Abbatiſſam, aut parentes, & curatores ipſius eamdem monaſterio commodare: & hoc, non obſtante quod in Concilio dicatur, *ne quocumque prætextu, & vllo modo tribuatur monaſterio de bonis nouitij*; ſi quidem hæc verba interpretari poſſunt, & debent de prætextu ficto, & modo aliquo, quo intentio legis poſſit fruſtrari. quod fieret, ſi quid daretur titulo mutui, ſeu commodati abſque ſufficienti cautione data, ſiue pignoratitia, ſiue fideiuſſoria, ita vt mutuum, ſeu commodatum vix, aut ne vix quidem recuperari poſſit, adeòque nouitia cogatur inuita profiteri: quæ certè non eueniunt in caſu noſtro, vt patet.

Admittit præterea *Sanch. loc. cit.* non fore contra ſupradictum Concilij decretum ſi parentes, nõ quaſi de proprijs filiæ bonis, ſed de ſuis mutuo darent monaſterio paciſcendo, vt, ſi filia profiteatur, quãtitas data maneat in monaſterio pro dote monialis, ſi verò non profiteatur, nequaquam imputetur filiæ in legitimam, ſed ſubiaceat periculo ipſorum parentum: probatq; quia Concilium prohibet ſolum, ne tribuatur monaſterio de bonis nouitij, aut nouitiæ, quod non euenit in præſenti caſu; vnde ſubdit *Sanch.* in tali euentu neque indirectè offendi mentem Concilii; quidquid dicat *Velaſc. de part. cap. 16. num.* 32. alias atteſtans ſe vidiſſe non ſemel, & ſecurè practicari iſtam doctrinam *Sanch.*

QVÆRES XIV. An nouitii poſſint facere teſtamentum, codicillum, aut donationem cauſa mortis, ſtante decreto *Concilij Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* quòd nulla renunciatio, aut obligatio facta à nouitio valeat; niſi cum licentia Epiſcopi, vel eius Vicarii fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem.

℞. Poſſe;

34 ℞. Poſſe ; patetque ex eo quòd tale decretum prohibet ſolum eas renunciationes, aut donationes, quæ obligationem inducunt renuntianti nouitio, & aliquam ei imponunt neceſſitatem profitendi religionem : hoc autem non euenit in vltimis voluntatibus, vtpote quæ ſunt reuocabiles vſque ad profeſſionem. ita *Sanch. l. 7. mor. cap. 5. num. 13. Rodriq. tom. 2. q. 47. a. 10. Mol. tr. 2. D. 139. Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 5. cap. 7. num. 5.* alijque communiter apud ipſum, qui benè addit in præfato decreto non prohiberi obligationes, ſeu contractus reciprocos, quibus inuicem aliquid datur, & recipitur ; puta emptionis, permutationis, locationis: quod etiam notat *Sanch. ſup. num. 42.*

35 · De Nouitijs quidem Societatis Ieſu dicit *Suarez tom. 4. de relig. tract. 10. l. 4. c. 6. n. 16.* eos vix poſſe excuſari à veniali, ſi ante emiſſa vota in ſecundo anno nouitiatus, inſcio Superiore, condant teſtamentum: cùm hoc non niſi inordinatè fieri poſſit, ſtante quòd nouitius debet, quamdiu manet in probatione, ſeruare debitam ſubordinationem ad Superiorem; idque ex tacita conuentione inter ipſum nouitium, ac religionem, quæ fieri intelligitur, quando religioſus ad communem vitam religioſorum admittitur.

QVÆRES XV. An & quo modo Nouitij prohibeantur facere renuntiationem propriorum bonorum intra tempus probationis.

36 ℞. Prohiberi eo modo, quo explicabimus cap. ſequenti: & hoc ex decreto *Concilij Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.*

CAPVT IX.

Qualis debeat eſſe Renunciatio, quæ ante Profeſſionem fieri ſolet à Nouitijs.

1 Explicatur natura renunciationis, de qua hìc agitur.
2 Nouitij de rigore non tenentur renunciare, præter quam in Soc. Ieſu.
3 Renunciatio bonorum certam petit ſolemnitatem vi Concilij Trident.
4 Si quidem fiat ante ingreſſum religionis ; quod alij negant.
5 Hi tamen admittunt noſtram ſententiam eſſe probabilem.
6 Diluuntur fundamenta oppoſitæ ſententiæ.
7 Dicta ſolemnitas ſeruanda à renunciante, etiam maiore 16. annis.
8 Non item à nouitijs Societatis Ieſu.
9 Idque etſi renuncient ſine facultate Superioris.
10 Societas capere poteſt de eorum bonis, ſi ea tribuantur ipſi ; nec tenetur ea reddere nouitio recedenti.
11 Succedit item in hæreditatem à ſuo religioſo relictam, ſi is, patre viuo, profiteatur, & poſtea, ipſo viuente, pater moriatur.
12 Nouitij de bonis liberè poſſunt teſtari.
13 Seruanda dicta ſolemnitas, etſi fiat renunciatio ſub conditione (ſi perſeuerauero)
14 Renunciatio, quæ fit in Soc. Ieſu, debet eſſe abſoluta ; & talis præſumitur, niſi exprimatur conditio.
15 Secùs, ſi fiat non iuxtà Societatis Conſtitutiones.
16 Et tunc, ſi renuncians recedat, bona renunciata recuperat.
17 Decretum Concilij extenditur ad quoſcumq; contractus, in quibus non recipitur tantum, quantum datur.
18 Non item ad caſum, quo nouitius eximat tutorem à reddendis rationibus.
19 Beneficia renunciari nequeunt ſine dicta ſolemnitate.
20 Idque etſi renunciatio beneficij aliàs debeat eſſe abſoluta.
21 Fructus medij, beneficij renunciati ſunt renunciantis.
22 Sine ea ſolemnitate tranſigi poteſt inter parentes nouitij, ac monaſterium de portione debita nouitio.
23 Nouitius poteſt renunciare ſub conditione recuperandi bona, ſi eligatur in epiſcopum.
24 Si enim abſolutè renunciet, ea tunc non recuperat (quod alij negant) ſicut nec in caſu, quo ex diſpenſatione recedat ab Ordine.
25 Item poteſt ſibi reſeruare certam portionem.
26 Renunciat paternam hæreditatem nondum obtentam in fauorem Ordinis : immò iuxtà aliquos in fauorem alicuius extranei ; nec tunc petitur ceſſio monaſterij ; etſi expediat illam fieri.
27 Præterea obligare poteſt patrem, vt det loco pio certam portionem.
28 Inſinuatio non eſt de valore renunciationis.
29 Renunciatio facta ſine præfata ſolemnitate non tenet, etſi iurata.
30 Cadit ſolùm ſuper bona præſentia.
31 Nouitio morienti, bonis non renunciatis, ſuccedit hæres neceſſarius.
32 Niſi fortè in ingreſſu ſua bona contulerit ordini, nec reuocauerit.
33 Nouitij liberè renunciant in fauorem cuiuſcunque maluerint.
34 Aliquid item relinquere poſſunt Ordini.
35 Et ad hoc licitè inducuntur.
36 De valore renunciationis eſt licentia Ordinarij.
37 Proponuntur quæcunque veniunt nomine Ordinarij quò ad hoc.
38 Ordinarius per alium dare poteſt hanc licentiam.
39 Et hæc requiritur, etiam in præſentia ; quid quid alij id negent.
40 Renunciatio facienda intra bimeſtre proximum profeſſioni.
41 Et quid de bimeſtri ſumpto de momento in momentum : etſi alij id negent.
42 Tenet renunciatio, etſi poſteà differatur profeſſio.
43 Diſpenſatus ad profitendum nono menſe debet renunciare bimeſtri ante hoc tempus profeſſionis.
44 Profitens ante finem nouitiatus in articulo mortis non adſtringitur dicto bimeſtri quò ad renunciationem.
45 Et, ſi tunc non renunciet bonis, non poſteà renunciat conualeſcens.
46 Renunciatio hæc non petit ſolemnitatem iuris ciuilis.
47 Vim habet ſolùm à tempore profeſſionis.
48 Reuocatur ante profeſſionem per confectionem teſtamenti.
49 Non tenet, ſi profeſſio ſit inualida.

50 Petit

50 *Petit certam ætatem attento decreto Concilij Tridentini.*

51 *Non tenet, ſi nouitius ea facta, recedat, & poſtea redeat ad Ordinem.*

52 *Reuocari nequit à nouitio volente perſeuerare; nec limitari licèt renuncians poſſet minari renunciatario ſe egreſſurum e religione (cum intendat perſeuerare,(vt ille conſentiat in limitationem.*

53 *Fructus medij temporis à die renunciationis vſque ad profeſſionem ſpectant ad renunciantem.*

54 *Qui verò extant poſt profeſſionem, pertinent ad hæredem renunciantis, ſi is antea non diſpoſuit de illis.*

55 *Reuocari autem nequit renunciatio, eò quod ſit contractus conditionalis.*

56 *Fructus hæreditatis renunciatæ in Soc. Ieſu ſub conditione ſuſpenſiua perſeuerantiæ ſunt ipſius renunciantis.*

57 *De bonis ſub tali conditione renunciatis renunciatarius non contrahit validè.*

58 *Ea tamen recuperat renuncians, ſi formatus in Coadiutorem dimittatur è Societate; non item, ſi ſit profeſſus; quòd ſi Coadiutor formatus bona ſua renunciet filio, & hoc mortuo, ille dimittatur filio ſuccedunt eius liberi: legatum verò relictum religioſo Societ. ſub conditione, ſi non perſeuerauerit, ab eo acquiritur, ſi iam formatus dimittatur: idemque eſt de legato relicto ſub conditione, ſi non fecerit profeſſionem.*

59 *Legatum relictum ſub conditione, ſi non perſeuerauerit in Societ. comprehenditur ſub generali bonorum renunciatione poſtea facta; idque etſi legatum relinquatur poſt factam renunciationem, ſed ante formationem, aut profeſſionem.*

60 *Bona renunciata iuxtà Conc. Trid. ſtatim tradi poſſunt renunciatario.*

61 *In aliquo caſu bonorum renunciatio reuocatur ob ingratitudinem: & hæreditas tunc ſpectat ad monaſterium, ſi reuocatio fiat poſt profeſſionem.*

62 *Quin & ipſum monaſterium dictam reuocationem interdum facere poteſt.*

63 *Renuncians ſub conditione perſeuerantiæ, ſi dimittatur è Societate nondum promotus ad gradum, & poſtea redeat, renunciatio non reuiuiſcit.*

64 *Religioſus iam profeſſus nequit renunciare bonis ſine conſenſu Ordinis.*

QVÆRES I. Quid intelligatut lìc nomine renunciationis.

1 ℞. Intelligi ceſſionem propriorum bonorum temporalium factam in fauorem tertij, non quidem reuocabiliter (cuiuſmodi eſt, quę fit in teſtamento, alijſque ſimilibus diſpoſitionibus) ſed irreuocabiliter, ita vt ea recuperare non poſſint ampliùs, ſicq; cedens maneat ijs ſpoliatus in perpetuum.

QVÆRES II. An Nouitij tencantur facere renunciationem ſuorum bonorum, antequàm faciant profeſſionem.

2 ℞. Non teneri, cùm nullum extet ius, quod eos adſtringat ad dictam renunciationem faciendam, nec vlla ratio conuincat eam eſſe neceſſariam, niſi quòd parentes, & conſanguinei ipſorum nouitiorũ in ea procuranda ſolent eſſe valdè ſoliciti, ne alioqui religio, in quam nouitius admittitur, ſuccedat in portionem hęreditatis ipſi debitam: quòd ipſis quam maximè diſplicet; vt proinde *Saluianus lib. 3. ad Eccleſiam* dicat, *qui à parentibus filij Offeruntur Deo, omnibus filijs poſtponuntur: indigni iudicantur hæreditate qui digni fuerant conſecratione, ac per hoc vna tantùm re parentibus viles ſunt, quia cæperint Deo eſſe pretioſi; ex quo intelligi poteſt, quòd nullus pæne apud homines vilior eſt, quàm Deus: cuius vtique fit deſpectione, vt eos præcipuè parentes filios ſpernant, qui ad Deum cæperint pertinere*: & infra *ſunt ex parentibus multi, qui æquales filijs ſuis faciant portiones: niſi quòd vna tantum eos conditione diſcernunt, quòd in ijs partibus, quæ religioſis videntur adſcribi, vſum iubent ad eos, proprietatem ad alios pertinere, at verò multò hoc eſt peius, & infidelius: tolerabilioris quippe impietatis eſſe videtur cum proprietate aliquem filijs ſuis relinquere, quàm proprietatem ijs rerum penitus auferre: vſum enim his dedit, vt eſſet, quo ipſi viuerent: proprietatem ijs tulit, vt quod Deo relinquerent, non haberent*. ſic *Saluian.* & valdè appoſitè ad rem pręſentem; cùm è contra in *cap. ſi quis iraſcitur 13. q. 2.* S. Auguſt. moneat fidelem morientem teſtari volentem, vt, ſi vnum habet filium putet Chriſtum alterum; ſi duos habet, putet Chriſtum tertium; ſi decem habet, vndecimum Chriſtum faciat. Ex nullo igitur iure vel efficaci ratione teneantur nouitij renunciare bonis, & de facto multi non renunciant: ſicque ſi profiteantur in Ordine capaci, Ordo ipſe ſuccedit in ipſorum bona, vt benè notat *Sanch. l. 7. mor. c. 12. nu. 4.*

Quod autem dixi Nouitios religioſos non teneri renunciare proprijs bonis; fallit quò ad Nouitios Societatis Ieſu, hi enim vi ſuarum Conſtitutionum tenentur facere bonorum renunciationem, vt oſtendemus *tr. 4. cap. 2. n. 156.* Vnum hic obiter aduerto Religioſum Societatis a Superiore iuſſum renunciare bonis non ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi de bonis diſponat per modum teſtamenti: idque etſi per profeſſionem, imo & per vota Coadiutoris formati teſtamenrum confirmetut, vt per mortem naturalem, teſte *Sanchez l. 7. mor. c. 3. n. 47.* Moueor tum quia teſtamentum non eſt renunciatio, nec obligatio, vt aduertit idem *Sanch. ſup. c. 5. nu. 13.* Conſtitutiones autem Societatis pręſcribunt fieri bonorũ renunciationem, & hoc ipſum pręcipit Superior in iſto caſu; ſicque religioſus faciendo teſtamentum non ſatisfacit; cum non faciat id quòd præcipitur, ſed aliud; tum quia Societas intendit ſuum Religioſum a puncto, quo renunciat bonis, priuari dominio illorum, vt conſtat ex dictis *q. 8. § quod ſi*; quod vtique non euenit, ſi faciat teſtamentum: cum ſic retineat dictum dominium vſq; ad illud tempus, quo emittit profeſſionem, aut vota Coadiutoris formati: quare quo ad hoc non impletur mens Societatis, vt patet. Ita ego reſpondi in contingentia facti.

QVÆRES III Cum qua iuris ſolemnitate fieri debeat bonorum renunciatio.

3 ℞. Quidquid ſit de iure communi antiquo, in præſentia ſeruari debere eam formam ſolemnitatis, quæ iure nouo inducta eſt in *Concilij Trident. ſeſſ. 25. de Regul. ca. 16.* his verbis: *Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento, vel in fauorem cuiuſcumque cauſa pia valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij fiat intrà duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter verò facta, etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renunciatione, etiam iurata,*

ſit ir-

ſit irrita, & nullius effectus; hæc itaque forma, & ſolemnitas ſeruari debet à nouitijs in ſacienda bonorum ſuorum renuntiatione, & quidem eo modo, quo explicabimus in ſequentibus quæſtionibus.

QVÆRES IV. An teneantur ſeruare hanc formam ij, qui cauſa ingrediendi religionem renunciant proprijs bonis, dum adhuc exiſtunt in ſæculo.

4 ℞. Non teneri; & probatur tum ex declaratione Sacræ Congreg. quæ teſte *Sanch.* cenſuit ſupradictum decretum non habere locum in renuntiatione facta ante ſuſceptionem habitus religioſi: tum quia Concilium in præfato decreto loquitur de Regularibus: renuncians autem in præſenti caſu eſt perſona merè ſęcularis: tum quia dictum decretum eſt correctorium iuris communis, præſertim quatenus infirmat vices iuramenti, & auſert liberā facultatem diſponēdi de proprijs bonis omni iure competentem; ergò non debet extendi à caſu expreſſo ad non expreſsum: tum quia in dubio, textus intelligendus eſt iuxtà rubricam, ſub qua conſtituitur; cùm quilibet textus ſubdatur titulo congruo *l. ſi quid autem §. ſi quid verò C. de vet. iur. enucleando*, adeòque, cùm intelligentia præſentis textus ſit dubia, ſumi debet ex rubrica, ſub qua conſtituitur, quę cum ſit de Regularibus, non debet textus intelligi de merè ſęcularibus, quales ſunt qui nondum ingreſſi ſunt nouitiatum; tum denique quia ſic indicatum fuit in prætorijs, pro vt refert *Rodriq. to. 2. qu. 47. a. 8. ita Sanch. ſup. ca. 5 num. 4. ex Mandoſ. Vega Paſſarelo Velaſc. Gratian. Nau. & alijs Portel. de dub Regul. v. nouitius n. 43. Peyr. to. 1. priuil. conſt. 2. Sixti IV n. 73. Lezana to. 1. cap. 24. num. 34. Diana p. 3 tr. 2. reſol. 55. alijque contra Mirandam p. 1. quaſt. 23. a. 3. Laym. l. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 7. numer. 7. Mol. tract. 2. D. 139. poſt medium Leſſium l. 2. cap. 41. num.* 40. & alios oppoſitum ſuſtinentes: tum ex eo quòd alioqui minùs ſufficienter eſset conſultum libertati nouitiorum ad dimittendam religionem, (quod tamen intenditur principaliter in præſato decreto Concilij:) tum ex eo quod apud *Marzyllam*, referente Layman, Cardinales declararunt, quòd ſi donatio, vel renuntiatio facta fuerit intuitu religionis ingrediendæ; tunc tanquam facta in fraudem huius canonis videtur ſubeſse eius diſpoſitioni.

5 His fundamentis præcipuè probant Aduerſarij ſuam ſententiam, & probabiliter; non tamen noſtram arguunt improbabilitatis; vnde & aliqui eorum concedunt illam eſse probabilem; inter quos *Laym.* hæc habet: *Quare in conſcientia tutus erit, qui donationem ante ingreſſum accepit, ſeu ſit monaſterium, ſeu alius quiſpiam, donec per Iudicis ſententiam reſcindatur: puto enim quod Epiſcopus re ad ipſum delata poſſet reſcindere donationem, ſi ante ingreſſum facta videatur in fraudem canonis Tridentini, idque ad tuendam intentionem, & finem, quem Concil. Trid. ſpectabat.*

6 Quòd autem ſpectat ad fundamenta Aduerſariorum, ijs facilè ſatisfiet, ſi dixeris, quòd, quamuis finis prohibitionis Concilij militet etiam in renuntiatione facta à volentibus ingredi religionem, non tamen ad eos debet illa extendi; cùm verba textus ipſis adaptari nequeāt, vtpote ferè expreſſa de nouitijs, ſicut iam oſtendimus: pręter quam quòd hinc item inferri poſſet ſub dicta prohibitione comprehendi etiam renuntiationem factam non intuitu ingreſſus religionis; tanquam impeditiuam libertatis nouitij: quod tamen neque ipſi Aduerſarij admittunt. Quod verò ſpectat ad declarationem Cardinalium relatam à *Marzylla*, cum etiam nos habeamus pro noſtra ſententia aliam declarationem eorundem Cardinalium extremè oppoſitam; colligi hinc poreſt eſse verum, quod ait *Granado 2. 2. controu. 1. tr. 15. D. 14. ſect. 2 num. 8.* reſponſa Cardinalium eſse quidem magnæ auctoritatis, non tamen ſufficere ad tollendam probabilitatem oppoſitæ ſententiæ; quod item confirmat *Fagund. prae. 2. Eccl. l. 8. cap. 8 num.* 18. dicens ſtylum Curię non tollere probabilitatem oppoſitę opinionis, variumque eſse pro varietate Pontificum: quod vtique proportionaliter locum habet in declarationibus Cardinalium, vt patet.

QVÆRES V. An nouitij maiores 16. annis in renuntiatione bonorum teneantur ſeruare ſolēnitatem pręſcriptam in *Concil. Trid. loco ſupra cit.*

7 ℞. Teneri, (quidquid contradicant *Menoch. & Zecch. apud Sanch. ſup. num. 6.*) patetque ex eo, quòd finis intentus à Concilio eſt, vt conſulat libertati nouitij egredi volentis; ne ea occaſione diſcedere nequeat, quòd totam vel maiorem ſubſtantię ſuę partem donarit, nec facilè eam recuperare valeat; eiuſmodi autem finis militat etiam in maioribus 16. annis: & cùm ratio ſit ſimilis, par quoque diſpoſitio eſse debet *l. illud ff. ad l. Aquiliam.* ita *Rodriq. tom. 2. q. 47. a. 13. Gutier. l. 2. quaſt. canonic. c. 1. n. 34. Sanch. ſup. n. 7. Lezana vbi ſup. alijq; apud Sanch.*

QVÆRES VI. An nouitij Soc. Ieſu teneantur ſeruare pręſatam ſolemnitatem caſu, quo velint renuntiare proprijs bonis.

8 ℞. Non teneri, ideoque eos poſse renunciare bonis, non ſeruata dicta ſolemnitate, & non expectato bimeſtri ante profeſſionem, aut ante vota biennij. ita *Mol. ſup. D. 139. §. autem quam, Sà v. religio n. 5. Leſſ. ſup. n. 41. Rodriq. loco ſup. cit. a. vlt. Sanch. num. 9.* alijque doctiſſimi Theologi, ac Canoniſtę conſulti ab ipſo *Rodriq.* atteſtante ſic declaratum fuiſse à Sacra Cardinalium Congregatione; probant autem tum quia ſic ſemper obſeruatum fuit in Soc. conſuetudo autem eſt optimus legis interpres *cap. cum dilectus de conſuetud.* & quidem, etiamſi pręſatum decretum Concilij obligaſset religioſos Societatis, dicta conſuetudo ſufficeret, vt illud decretū tanquam non receptum, & abrogatum in pręſentia non obligaret: tum quia *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.* cùm ſtatuiſset duo, nimirùm ne renuntiatio bonorum fiat ante bimeſtre proximum profeſſioni, & vt finito tempore nouitiatus, nouitij admittantur ad profeſſionem, aut à monaſterio eijciantur; ſtatim ſubdit ſequentia verba: *Per hæc tamen S. Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin religio clericorum Soc. Ieſu iuxta pium illorum inſtitutum à S. Sede Apoſtolica approbatum Domino, & eius Eccleſiæ inſeruire poſſit*; vbi notandum, quòd, cùm Concilium dicat in plurali *per hæc*, talis clauſula referri debet ad duo ſupradicta, videlicet ad profeſſionem ſolemnem faciendam immediatè poſt nouitiatum, & ad renuntiationem bonorū faciendam iuxtà formam ibi præſcriptam: ſi quidem

non eſt maior ratio, cur illa verba potiùs referantur ad profeſſionem, quam ad renuntiationem, ſtante quòd Conſtitutiones Soc. quæ ibi omninò per illud decretum approbantur, in vtroque caſu contrarium diſponunt; vnde vel dicendum eſt ea verba referri ad vtrumque, vel ad nullum ex illis.

Cum autem Trid. Concilium in eo decreto ſolùm profiteatur ſe nolle contrauenire inſtituto Soc. Ieſu, ſicque videatur non irritare eam tantum renuntiationem nouitiorum, quæ facta ſit iuxtà inſtitutum ipſius Soc. dubitari hic poteſt, an doctrina tradita §. *præcedenti* locum habeat in caſu, quo nouitius Societatis renunciet bonis ſine Superioris licentia, & in opera prophana: cùm aliàs in Conſtitutionibus Soc. præſcribatur, ſi ſtatim ob iuſtas cauſas non fiat renuntiatio, eam faciendam eſſe, quandocumque per Superiorem iniunctum fuerit poſt primum nouitiatus annum, atque in opera pia, vt videre eſt *in examine cap.4.§.2.*

9 ℞. Nihilominùs renuntiationem in hoc etiam caſu eſſe validam; patetque ex eo quòd cùm mens Concilij in citato decreto fuerit non comprehendere nouitios Societatis, vtpote qui illud ſeruare non poſſent, niſi contraueniendo ſuis conſtitutionibus qualitercumque ij renuncient, etiã violando conſtitutiones Soc. non poteſt renuntiatio reddi irrita ob defectum ſolemnitatis petitæ in Concilio, ita *Sanch. numer.* 10. & ante illum *Leſſ. vbi ſup.* qui ſuſtinens per dictum decretum Concilij irritari renuntiationes factas intuitu ingreſſus religionis ante ipſum ingreſſum; de nouitijs tamen Societatis concedit eos poſſe de bonis proprijs diſponere in quaſcumque cauſas, etiam ante ingreſſum: quod tamen non admittit *Laym. ſup. nu.* 11. loquendo de renuntiationibus, quę fiant ſub conditione regreſſus, quippe quas Soc. improbat, vt infra.

Dubitari hic item poteſt, an Societas Ieſu capere poſſit de bonis, quæ ipſius nouitij in eius fauorem renuntiant. ratio dubitandi eſt, quòd Conc. Trident. in citato *cap.*16. vbi dicit ea verba: *per hæc tamen S. Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin religio Clericorum Soc. Ieſu, &c* ibi etiam prohibet, ne ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu nouitij aliquid ex bonis eius tribuatur monaſterio, nec à tali prohibitione excipit ipſam Societatem; ſicuti excipit in duobus caſibus ſupra allatis.

10 ℞. *Sanch. numer.*11. *ex Molina* Societatem poſſe capere de dictis bonis, vtpote non comprehenſam in hoc poſteriori decreto Concilij: probatque tum quia hęc poſterior clauſula eſt velut appendix prioris, adeòque cùm in priori non comprehendatur Societas, & concedatur ipſi, quod maius ius eſt, nempe poſſe fieri renuntiationem, præſumi poteſt conceſſum etiam, quod minus eſt, nimirum quòd poſſit capere de bonis à nouitio in eius fauorem renuntiatis: tum quia clauſula in quacumque parte diſpoſitionis collocata, ſiue collocetur in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, cenſetur referri ad omnia contenta in ea diſpoſitione, ſi eadem ſit omnium ratio; vt oſtendit *Menoch. de præſump. l.*4. *præſ.*181. *n.*2. hoc autẽ euenit in præſenti caſu. ergò.

Quin addit *Laym. numer.*10. *ex Molina, & Sanch.* quòd ſi renuntiatio bonorum modo dicto fiat in fauorem Societatis, & poſtea contingat eum, qui renunciarat, dimitti ab ipſa Societate, nihil ei de rigore iuſtitiæ reſtituendum eſt; cum talis renuntiatio præſumatur facta iuxtà Conſtitutiones Soc. quæ exigunt donationes fieri abſolutè, ac irreuocabiliter, id eſt ſine vlla ſpe recuperandi: vt colligitur ex *cap.4. exam. gen. & p.*5. *Conſtit. c.*1. §.7. quamquam euenire poſſit, vt lex prudentiæ, æquitatis, ac ædificationis, & interdum miſericordiæ petat, vt aliquid reſtituatur, vt dicitur *p.*2. *Conſt. cap.*3. *in declarat. lit. B*, immò ſi renuntiatio ſit omnium bonorum, aut maioris partis, & is, qui renunciarat, egreſſus è Soc. aliunde non habeat congruam ſuſtentationem, iure gratitudinis tenetur Soc. ei ſuppeditare alimenta neceſſaria, quamdiu indigebit: & ſi id non faciat, poſſet reuocari donatio, vt in ſpecie notat *Sanch. l.*7. *mor. c.*1. *n.*39.

Maior difficultas eſt an caſu, quo nouitius, aut ſcholaris approbatus Societatis renuntiet paternæ hæreditati in fauorem ipſius Societatis, &, patre viuo, fecit profeſſionem, ſeu vota Coadiutoris formati, ſi, ipſo adhuc viuente, moriatur pater, Societas poſſit ſuccedere in hæreditatem hoc modo ipſi competentem.

11 ℞. Poſſe ſuccedere; & probatur tum quia talis hæreditas non defertur profeſſo Societatis, ſed ei, in cuius fauorem facta eſt renuntiatio: idque vi iuris acquiſiti per renuntiationem: ſicque defertur Societati ob ius per renuntiationem ipſi conceſſum à profeſſo eo tempore, quo valdè poterat concedere; tum quia, quòd profeſſus eo tempore, quo pater illius moritur, & defertur hæreditas Societati, ſit incapax ſuccedendi, non obſtat tali delationi; cùm Societas non ſuccedat ex iure, quod profeſſus eo tempore Societati concedat; ſed ex iure, quod ei dedit renuntiando, & quod ſine dubio non extinguitur per profeſſionem, vt patet. ita *Caſtr. Palaus tract.* 16. *D.* 1. *par.*18. *num.*5. contra *Sanc. ſup. c.*9. *n.* 25. contrarium ſuſtinentẽ.

QVÆRES VII. An Nouitij, ſtante decreto ſupradicto Concilij Tridentini liberè poſſint facere teſtamentum, non ſeruata forma ibi præſcripta.

12 ℞. Poſſe; patetque ex dictis *cap. præced. qu.* 14. vbi aſſerimus idem dicendum eſſe de quacumque vltima voluntate (qualis eſt donatio cauſa mortis, & codicillum, nec non quicunque alius contractus reuocabilis) cùm eadem ratio in his militet, quæ militat in teſtamento; nempe quòd poſſunt reuocari modo ibi dicto. Moneo hic ſolùm, quòd ſi in teſtamento, mutata eius natura, inearur aliquis contractus irreuocabilis, (quod poſſe fieri docet *Sanchez cap.*5. *num.* 16. ex iure ciuili, gloſſa, & ex Doctoribus) tunc, vt tales contractus validè fiant, in ijs ſeruanda eſt forma Tridentini: quippe qui cùm ſint ſtatim irreuocabiles, induunt naturam non teſtamenti, ſed contractum inter viuos; & in ijs militat ratio intenta in decreto ipſius Trid.

QVÆRES VIII. An attento præfato decreto Tridentini poſſint nouitij liberè renunciare proprijs bonis, ſaltem cum ea conditione, quòd renuntiatio ſit conditionata.

℞. Videri

13 ℞. Videri non poſſe; & probatur tum quia etiam renuntiatio facta cum ſolemnitate præſcripta in Tridentino includit tacitam conditionem, vt profeſſione non ſecuta, ea ſit omninò irrita, vt expreſsè ibi deciditur; & tamen non poteſt fieri ſine dicta ſolemnitate; ergò & idem erit, ea conditione expreſſa; cùm taciti, & expreſſi idem ſit iudicium *l. cum quid ff. ſi certum petatur*, & fruſtra exprimatur, quod tacitè ſubintelligitur, vt communiter notant DD. tum quia longe diuerſa eſt ratio renuntiationis factæ ſub ea conditione, & teſtamenti; ſi quidem teſtamentum ſemper poteſt reuocari, renuntiatio verò illa, vtpote quæ eſt inter viuos, & perfecta reuocari non poteſt, niſi egreſſo nouitio è religione, vt infra; tum quia eſtò per eiuſmodi renuntiationem non contraueniatur libertati egreſſus, contrauenitur tamen maturitati quæ à Conc. Trid. requiritur in renuntiationibus, & donationibus non aliter reuocabilibus, quam per egreſſum nouitij; nempe vt non fiant niſi bimeſtri proximo profeſſione, & cum licentia Ordinarij. ita *Sanch. n. 17. cum Nau. & Menoch. Laym. l. 3. ſect. 5. tract. 5. cap. 7. numer. 8. Portel. de dub. regul. v. nouitius num. 39. Rodriq. to. 2. q. 47. a. 8. Mirand. p. 1. qu. 23. a. 2. alijque contra Mol. tract. 2. D. 149. & Menoch. de arbitrar. Iudic. qq. l. 2. centur. 5. caſu 336. num. 6. & 7. Leſſium l. 2. c. 41. num. 42. §. circa Barboſam de offic. Epiſc. alleg. 99. n. 17. & Caſt. Pal. tract. 16. D. 1. p. 14. n. 14.*

Quod ſi hac occaſione quæras, an renuntiatio bonorum, quæ fit in Soc. Ieſu poſt primum annum nouitiatus ante vota biennij, ſit abſoluta, aut conditionata conditione, ſiue tacita, ſiue expreſſa recuperandi propria bona, ſi fortè Nouitius defecerit ab ipſa Societate.

14 ℞. Debere eſſe abſolutam; ſi fiat iuxtà Soc. Conſtitutiones; patetque tum quia dictæ Conſtitutiones decernunt bona, quorum fit renuntiatio, diſtribuenda eſſe in pauperes, & opera pia, (quæ alienatio eſt prorſus irreuocabilis:) tum quia in *c. 4. exam. §. 1.* dicitur faciendam eſſe bonorum renuntiationem, ſubmouendo à ſe omnem fiduciam eadem vllo tempore recuperandi, vt firmius, & ſtabilius in ſua vocatione perſeuerent; tum quia propterea in alijs religionibus renuntiatio cenſetur facta cauſa ſolius profeſſionis futuræ, & per conſequens dependenter à profeſſione, eò quòd talis præſumatur animus renunciantis, adeòque ſi de contrario animo conſtat, renuntiatio cenſebitur abſoluta: in noſtro autem caſu conſtat de animo contrario, cum nouitius in Soc. renunciet proprijs bonis iuxtà ipſius Societ. Conſtitutiones, & hæ iuxtà dicta clarè præſcribant renuntiationem bonorum fieri omninò abſolutè. ita *Sua. to. 4. de relig. tr. 9. l. 4. c. 4. nu. 19. Sanch. l. 7. mor. cap. 1. num. 35. Laym. ſup. numer. 9. Molin. ſupr. D. 139.* alijque, qui benè notant idem à fortiori dicendum de renuntiatione, quæ fiat in Soc. poſt vota biẽnij, vtpote quæ præſumitur facta iuxta Soc. Conſtitutiones præſcribentes eam faciendam eſſe omninò abſolutè; quod etiam declarauit P. N. Generalis anno 1584. dicens renũtiationem bonorum, quæ fit in Societ. eſſe abſolutã, ac independentem à perſeuerantia: cum tamen Greg. XIII. in bulla *Aſcendente* interdicens gloſſas, ac interpretationes Conſtitutionum Soc. & inſtituti adhiberi, reſeruet dubia circa ipſa occurrentia per Sedem Apoſtolicam, & P. N. Generalem declaranda: vnde colligitur quãtũ valeat citata eius declaratio.

Sed difficultas eſt, an item abſoluta cenſeri debeat renuntiatio bonorum, quæ fit in Soc. non iuxtà ipſius Soc. Conſtitutiones.

15 ℞. Cenſeri debere, non abſolutam, ſed conditionatam, ideſt pendentem à futura profeſsione non ſecùs ac eſt ea, quæ fit intuitu ingreſſus in alias religiones, ideòque nouitium è Societate egrediẽtem recuperare ſua bona; idque eſto exiret poſt vota biennij. ratio eſt, quòd ſola renuntiatio facta in Soc. ſecundum eius Conſtitutiones habet vim abſolutæ donationis, eò quòd ita præſcribatur in dictis Conſtitutionibus: quæ ergò non fit iuxtà præfatas Conſtitutiones, non erit abſoluta, cùm ſit diuerſę rationis; ſed conditionata, taliſque præſumetur in dubio, ſi non conſtet de contrario animo renuntiantis. quod exiſtimo eſſe verum, etiamſi renuntiatio fiat poſt vota biennij, ſed non iuxtà Conſtitutiones Soc. modo ſupradicto: cum etiam reſpectu huius militet ratio modò adducta; &, quòd ea ſit facta poſt vota biennij, ſuperaddat ſolum eã eſſe illicitam, ac peccaminoſam, nec non infirmam, ac irritabilem per voluntatem Superioris, vt benè notauit *Suar. c. 6. n. 12. & 14.*

16 Addo ex *Sanch. nu. 38.* eiuſmodi renuntiationem factam à nouitio Societatis ſub conditione perſeuerantiæ non confirmari per vota biennij, quæ poſteà ab ipſo emittantur, ſed tantùm per vota Coadiutorum formatorum, aut Profeſsorum: ideòq; ſi ille poſt ſola vota biennij egrediatur è Soc. poſse recuperare bona renunciata in ijs omnibus caſibus, in quibus ea recuperaſset egrediens ex alijs religionibus tempore nouitiatus. ratio eſt, quòd quãuis nouitius Soc. per vota biennij efficiatur verus, ac perfectus religioſus, non ideò tamen abdicat à ſe dominium, & ius ad propria bona, ſed ſolũ vſum quò vſq; vel renunciet dicto dominio, ac iuri, vel emittat vota Coadiutorũ formatorum, ſiue profeſsorũ: tũc enim & nõ antea renuntiatio redditur omninò abſoluta; vnde fit, quòd, ſi religioſus Societ. velit ſuã renuntiationem eſse omninò perfectam, & ſine ſpe recuperandi, perinde ac ſi tunc faceret profeſſionẽ, debet renuntiare iuxtà ipſius Soc. Conſt. ſi quidem tunc non poterit renuntiatio reuocari, ſi nouitius, qui renuntiauit, egrediatur è Soc. idq; ea prorſus ratione, ac reuocari non poteſt renuntiatio facta ab ingredientibus alias religiones.

QVÆRES IX. An præfato Tridentini decreto comprehendãtur omnes contractus, tam lucratiui, ſeu gratioſi, quam oneroſi, itaut, ſi fiant abſque forma ibi præſcripta, eo ipſo ſint irriti.

17 ℞. Comprehendi quidem omnes contractus lucratiuos (quales ſunt donationes, ac renuntiationes,) non tamen omnes, ſed ſolùm illos in quibus non recipitur tantumdem, quantumdem datur; cuiuſmodi eſset dare pecuniam in dotem puellę marito futuro, & fideiubere, quamuis accepto pretio, cùm in priori caſu nouitius ſuis bo-

nis ſe ſpoliet nihilo recepto, & in poſteriori non recipiat quantum eſt id, ad quod ſe obligat, exponendo proprium patrimonium iacturæ, abſque æquali ſpe lucri. ita *Sanch. ſup. cap.5. numer.32. ex Rodriq. to.2. ſum. cap.7. numer.4. Bordonus tractat. de profeſſ. cap.3. quæſt.58. Laym. ſup. numer.5. Portel. vbi ſup. numer.38. elijque*; & probatur ex eo quòd, cum finis præfati decreti ſit, ne nouitius patrimonio deſtitutus cogatur profiteri, hoc ipſo quòd in contractibus oneroſis ſupradictis manet ſuis bonis deſtitutus, dicendum eſt eiuſmodi contractus includi eo decreto; non item alios, in quibus recipit quantum dat; cùm reſpectu horum verè ſuis bonis non ſpolietur; quod idem habet locum in ijs contractibus, in quibus nouitius exponitur periculo lucri, & iacturæ (qualis eſt contractus Societatis, & ludi:) hi quippe non veniunt nomine obligationis, quæ prohibetur in decreto Concilij, nec ſpoliant nouitium proprijs bonis, nec minuunt patrimonium eius; idemque putat *Laym.* ſupra eſſe dicendum de mutuo, cùm in eo tantundem recipiatur, quantum datur: quod alij negant, & nouiſſimè *Caſtrus Palaus tractat. 16. D.1. p.17. numer.8.*

18 Secùs dicendum putat *Sanch. numer.35. cum Nau. l.3. conſ. de Regul. conſ.83. edit.2.* de contractu, quo Nouitius tutorem, ſeu Curatorem ſuum liberet à rationibus reddendis, eum ſcilicet, non poſſe fieri ſine ſolemnitate præſcripta in Concilio; quippe qui eſt contractus gratioſus, & quædam renuntiatio iuris petendarum rationum, & obligatio ad eas non petendas: cùm tamen ſupradicto decreto comprehendatur omnis obligatio, vt conſtat ex illis verbis, *nulla quoque renuntiatio, aut obligatio, &c.* hoc autem non eueniret, ſi nouitius rationes integras, & perfectè redditas, ſolum approbaret reddens tutorem liberum: cùm ſic nulla interueniat renuntiatio, aut obligatio, ſed potius ſatisfiat obligationi, quam habet nouitius reddendi immunem eum, qui integrè rationem reddit: quo modo etiam poſſet ſine ſolemnitate præſati decreti dare chirographum ſolutionis ei, qui ſolueret debitum: eſt enim par ratio in vtroque caſu.

QVÆRES X. An ſtante ſupradicto decreto Concilij Trid. poſſint nouitij renunciare beneficio Eccleſiaſtico aliàs obtento abſque ſolemnitate ibi præſcripta.

19 ℞. Non poſſe; & probatur quia ex vna parte, attento præfato decreto, non poteſt nouitius modo renuntiare beneficium quocumque tempore, pro vt olim poterat iure communi; cum tale decretum in vniuerſum agat de renuntiatione, & eius finis militet etiam in renuntiatione beneficij eccleſiaſtici, vtpote quæ tollit nouitio libertatem egreſſus, non minus, quàm tollat renuntiatio bonorum temporalium; ex alia parte valdè durum eſt priuare nouitium omnimoda libertate renunciandi beneficium, eumque ad illas anguſtias redigere, vt ſecuta ipſius profeſſione, beneficium ex ſe ipſo vacet: quod tamen ſequitur, etſi detur nouitium poſſe beneficium renunciare, quando moraliter ſequutura eſt profeſſio; idest tempore proximo profeſſioni: ſi quidem, abſolutè loquendo, poteſt contingere, quod profeſſio non ſequatur, & conſequenter quòd nouitius maneat ſpoliatus ſuo beneficio, vel certè ex tali timore cogatur profiteri; quæ tamen abſurda euitantur, ſi dicamus nouitium poſſe renuntiare ſuum beneficium ſeruata forma præſcripta in decreto Tridentini ſuperiùs allegato. ita *Sanchez ſupra numer. 38. Marol. l. 3. de irregul. cap.6. numer.2. Rodriquez tom. 1. quæſt. 37. articul. 2. Laym. ſup. numer. 6. Mirand. artic. 5. Peregrin. in Conſtitut. par. 2. cap.1. litt.G. §. 1.* alijque penes ipſos; inter quos *Sanchez numer. 40.* docet idem aſſeri poſſe, etiamſi beneficium, cui renunciandum eſt, ſit illud, cuius titulo nouitius ordinatus eſt, dummodò in renuntiatione fiat mentio nouitium eius titulo initiatum fuiſſe; ſi quidem talis renuntiatio tacitam habet cōditionem, ſi profeſſio ſequatur, &, ſi hæc non ſequatur, beneficium redditur nouitio, qui proinde neque in hoc euentu exponitur periculo carendi debita ſuſtentatione.

20 Nec obſtat, quod obijcit *Rodriquez vbi ſup.* renunciationem beneficij eccleſiaſtici ſecundùm canones debere fieri abſolutè, non autem ſub vlla conditione, ac proinde in caſu propoſito non poſſe nouitium renunciare ſuum beneficium iuxtà decretum Concilij Tridentini; cùm talis renuntiatio non poſſit fieri niſi ſub conditione ſecuturæ profeſſionis, adeoque iſta non ſecuta, reſtitui debeat beneficium, ac ſi nulla fuiſſet facta renuntiatio; non obſtat, inquam: cùm conditiones, quæ ex iuris præſcripto inſunt, rectè apponi poſſint in quacumque diſpoſitione, & per conſequens in renuntiatione beneficij; quin, etſi eæ non apponerentur, nihilominùs tacitè ſubintelligerentur; quo pacto collatio beneficij curati facta non Sacerdoti eam habet conditionem, vt, ſi intrà annum non promoueatur ad ſacerdotium, hòc ipſo maneat eo priuatus: ita ut perpetuitas collationis pendeat ex tali conditione; quòd benè aduertit *Sanch. vbi ſup.* addens ex *Flaminio* Epiſcopum in caſu propoſito non debere conferre beneficium, niſi poſt profeſſionem nouitij, qui renunciauit, ſicque ſæpius declaratum fuiſſe à Sacra Cardinalium Congregatione.

Quòd ſi quæras, cuius interim ſint fructus beneficij modo dicto renunciati à die antequam renuntiatio admittatur à Superiore.

21 ℞. Eſſe renunciantis, vtpote qui nondum amiſit dominium, ac poſſeſſionem beneficij *cap. quod in dubijs de renuntiat.* fructus verò perceptos à die admiſſæ renuntiationis pertinere ad beneficiarium ſucceſſorem, ſi nouus ſubſtituatur, ad nouitium autem, ſi egreſſus ab Ordine recuperet beneficium renuntiatum. ita *Laym. loco ſupra cit.*

QVÆRES XI. An ſtante præfato decreto Concilij Tridentini poſſint parentes, aut fratres nouitij paciſci cum monaſterio ſe ei daturos certam ſummam pecuniæ pro legitima, & omni eo, quod ratione profeſſionis dicti nouitij

ad

ad ipſum monaſterium ſpectare poſſet in caſu, quo nouitius ibi profiteatur nulla ſuorum bonorum diſpoſitione facta; & ratio dubitandi eſt, quòd ſic nouitius videtur diſponere de proprijs bonis, non ſeruata forma Concilij Tridentini; ideòque illicitè, & inualidè diſponit.

22 ℞. Eiuſmodi contractum videri & licitum, & validum; ratio reſponſionis eſt, quòd ſic nouitius re vera nullam facit renuntiationem, aut donationem, ſed ſolum per monaſterium fit tranſactio eius portionis, quæ ad ipſum poterat pertinere vi profeſſionis nouitij: hæc autem tranſactio nihil nocet nouitio, nec ei impedit liberum egreſſum è religione, ſtante quòd ipſe non conſentit tranſactioni: vnde & poteſt liberè teſtari, & bimeſtri ante profeſſionem renunciare in fauorem cuiuſcumque; monaſterium autem licitè poteſt facere ſupradictam tranſactionem, cum ea bona nouitij nondum ſint incorporata ipſi monaſterio, niſi poſt profeſſionem nouitij. ita *Sanch. l.7 mor. cap.5. numer.*45. & cum eo *Peregrin. ſup.* §.24. addens non fore contra decretum Concilij Trident. ſupra citatum, ſi nouitius ante profeſſionem conueniat cum monaſterio, vt caſu, quo ipſe ibi emittat profeſſionem, non facta vlla diſpoſitione ſuorum bonorum, & eius parentes, aut fratres dederint ipſi monaſterio mille aureos, monaſterium teneatur cedere, & relaxare præſatis parentibus quodcumque ius aliàs vi profeſſionis nouitij poterat pertinere ad ipſum monaſterium: hic, inquam contractus non eſſet contra decretum Concilij, idque ob rationem adductam pro priori caſu.

QVÆRES XII. An Nouitij poſſint renunciare proprijs bonis cum hac conceſſione, quòd ſi contingat ipſos poſt profeſſionem promoueri ad epiſcopatum, aut aliter recedere à religione, bona illa ad ipſos iterum reuertantur, ac ſi non fuiſſent renunciata.

23 ℞. Videri poſſe; & probatur tum quia bonorum renuntiationi poteſt adijci conditio pro libito renunciantis, poſſuntque ea dari ad tempus *l.*2.§.*ſi pecuniam ff. de donat.* & talis appoſitio conditionis non eſt contra ſubſtantiam religionis cum fiat in tempus habile, & idem ſit fieri tempore habili, ac referri in tempus habile, vt paſſim notant DD. tum quia Frater minor promotus ad epiſcopatum recuperat ius ſuccedendi parentibus adhue ſuperſtitibus, & ius acquirendi legatum conditionale, cuius conditio tunc impleatur, etſi aliàs per profeſſionem illa iura fuerint extincta: (quod probat *Sanch. l.7. mor. cap.*32. *num.*26. *&* 27. noſque alibi oſtendemus) ergò à fortiori poterit recuperare bona, quæ ſibi modo dicto reſeruauerat, cum propria prouiſione nihil ſit tutius, aut munitius, adeo vt potiùs auferri poſſit beneficium legis, quàm illud, quod quis proprio conſilio ſibi parauit, vt vult *Gloſſa l. aſſiduus* 12. *v.* licet *C. qui potiores in pignore habeantur*; tum quia ſecundum *Suar. to.*4. *de relig. tr.*8. *l.*3. *c.*16. *numer.*14. religioſus, qui non fecit renunciationem, & conſequenter retinuit ius ad hæreditatem paternam, ſi viuente adhuc eius patre transferatur ad Epiſcopatum, ſecum defert dictum ius hæreditatis: ergò & deferet ius bonorum, quæ ſibi reſeruauit ſub ea conditione, cùm illa, pendente præfata conditione, perinde ſe haberent reſpectu religionis, in qua profeſſus fuerat, ac ſi ea ſibi non reſeruaſſet. ita *Sanch. ſup. cap.*17. *numer.* 26. in terminis dicens cum *Natta vol.*1. *conſ.*180. poſſe quem ante profeſſionem ſuam apponere conditionem reſolutiuam donationi, aut legato à ſe factis, vt reſoluantur, & redeant ad ipſummet, ſi contigerit ipſum auctoritate apoſtolica, aut aliàs legitimè redire ad ſæculum: quæ doctrina ſine dubio militat in caſu noſtro, vt patet.

24 Vtrum verò Religioſus factus Epiſcopus, qui ante profeſſionem, abſolutam bonorum renuntiationem fecit iuxtà formam Concilij Trident. ea iterum recuperet: negat *Peyr. de R. P. q.*3. *cap.*1. *numer.* 211. ſuamque pluribus probat ſententiam, concedens tamen *numer.* 213. quòd ſi religioſus, cui relictum eſt peculium annui redditus ſub ea conditione, vt niſi religio permittat liberum illius vſum dicto religioſo, legatum ammittatur; ſi inquam, talis religioſus fiat Epiſcopus, tale peculium ſecum deferet: vtpote quod relictum eſt præcisè in bonum religioſi. Quin etiam notat *Bordonus cap.*7. *de profeſſ. quæſt.*42. *ex Aldano & Barboſa* 11. Ianuar. 1631. deciſum fuiſſe religioſum profeſſum, ſi fiat Epiſcopus recuperare ius ſuccedendi in legitima renunciata, ad fauorem tamen ſuæ Eccleſiæ.

Addit *Bordonus cap.*7. *de profeſſ. quæſt.*42. religioſum ex diſpenſatione Papæ recedentem ab Ordine non recuperare bona legitimè renuntiata, etiam intuitu ingreſſus: & probat quia diſpenſatio ſtrictè debet interpretari, & ſi quid operetur, non debet vlterius extendi, vt de communi docet *Sanch. l.*8. *de matr. D.*1. *numer.*3. cum ergò in hoc caſu diſpenſatio maximè exorbitet, vtpote verſans circa ius naturale, ac diuinum, non debet ampliari, vt reuocet renunciationem bonorum iam factam: tum quia, eſtò hæc renuntiatio fiat intuitu religionis, ſeu profeſſionis, ideòque ſit ei acceſſoria, & ſic videatur diſpenſatio extendi debere ad illam (quo modo diſpenſatio ad plura beneficia extenditur ad reſidendum ſolùm in altero iuxtà commune placitum Canoniſtarum, & Gloſſam v. retinere *cap. non poteſt de præben. in* 6.) de facto tamen non extenditur; cùm acceſſorium ſeparabile a principali non ſequatur naturam principalis. & in tali caſu ſufficiat diſpenſationem obtinere ſuum effectum circà principale; vt ex communi docet *Sanch. numer.*20. Dixi ſub initium, *etiam intuitu ingreſſus*, vt innuerem quòd ſi renuntiatio fiat alio intuitu, & ſub alia ratione, tunc doctrina hìc tradita non habet difficultatem.

25 Hinc autem conſtat, quod, ſi nouitius ante profeſſionem renunciet ſuis bonis, cum hoc onere, vt is, cui renunciat, teneatur ipſi ſoluere certam pecuniæ ſummam, ſiue pro vna vice, ſiue quotannis; id vtique poteſt facere licitè; vt fuſiùs probat *Miranda p.*1. *q.*23. *a.*9. ma-

ximè ex eo quòd nouitius tunc temporis eſt dominus ſuorum bonorum, ac proinde poteſt de ijs diſponere, pro vt ipſi libuerit nimirum vel cum aliquo onere, vel abſque vlla obligatione, quæ propterea debebit impleri ab eo, cui fit renuntiatio.

QVÆRES XIII. An poſſit renunciari validè hæreditas nondum obtenta, ſed ſperata, v. g. patris adhuc viuentis, & quidem eo inſcio.

℞. *Caſtrus Palaus tr.* 16. *D.* 1. *p.* 15. *nu.* 4. poſſe ſi renuntiatio fiat in fauorem monaſterij, aut alterius communitatis: & probat quia ſic ceſſat periculum mortis captandæ (ad quod vitandum lata eſt lex finalis *C. de pactis*, quæ poſſet afferri in contrarium:)

26 communitas enim animam non habet, nec præſumi poteſt ſingulos de communitate mortem capturos eſſe; cum beneficium collatum communitati non cenſeatur ſingulis fieri, vt probat *Sanch. ſup. c.* 2. *num.* 54. *& ſeqq.* quod procederet etiam in caſu, quo renuntiaretur quæcumque hæreditas quocumque modo obueniens: non item, ſi renuntiatio fieret in fauorem perſonæ particularis, cum ſic ſubeſſet periculum captandæ mortis. cum *Caſtro Palao* ſentiunt alij, ſed diſſentit *Laym. l.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 5. *cap.* 7. *numer.* 15. *ex Sanchez ſup. cap.* 9. *numer.* 25.

Addit *Caſtrus Palaus p.* 17. *numer.* 18. alijs citatis, probabilius eſſe ad hoc, vt renuntiatio hæreditatis patris viuentis facta à nouitio, in fauorem alicuius extranei diſtincti à monaſterio habeat effectum, non peti conſenſum, & ceſſionem ipſius monaſterij: ſiquidem taliter renuntians ſe priuat iure ſuccedendi, illudque transfert in renuntiatarium: vnde fit, vt is ex tali iure per renuntiationem obtẽto ſuccedat, & renuntians omninò priuatus ſit iure ſuccedendi: conſenſus ergò, & ceſſio monaſterij eſt in caſu propoſito ſuperfluus; cum ius ſuccedendi non habeat niſi pro vt repræſentat perſonam monachi dictum ius habentis: quare cum monachus, etſi eſſet ſui iuris, nullum tale ius haberet, vtpote ab eo abdicatum; nec monaſterium vllum ius habebat; ſicque non eſt, cur ei cedat. ita *Caſtrus Palaus* contra plures alios ab ipſo relato *nu.* 17. monens quòd cum oppoſita ſententia ſit probabilis, ad vitandas lites, conueniens eſt, vt monaſterium faciat dictam ceſſionem: præſertim cum eam facere poſſit abſque ſolemnitate petita in alienationibus, vtpote hæreditatis deferendæ.

27 Concedit præterea *Laym.* poſſe Nouitium ante profeſſionem paciſci cum patre, vt in præmium renuntiationis, quam ipſe facit hæreditatis paternæ, & quidem in commodum ipſius patris, aliquam ſummam pecuniæ teneatur pater applicare loco pio per filium deſignato; cùm enim hæreditatis renuntiatio fiat ex quadam neceſſitate, & adiectio dicti pacti nullam afferat obligationem, ſed ſolum patri: non eſt probabile talem diſpoſitionem fuiſſe comprehenſam à Concilio Trid. in illo ſuo decreto, ideòque nec ad eam requiretur licentia Ordinarij.

QVÆRES XIV. An caſu, quo renuntiatio, aut donatio facienda à Nouitio excedat quantitatem 500. ſolidorum (ideſt ſcutorum hiſpanicorum 700. ant 750. teſte *Leſſio l.* 2. *c.* 18. *n.* 97.) ſit opus, vt ea fiat cum inſinuatione, nimirum declarando coram Iudice ſe liberè donare id, quod donat.

28 ℞. Non eſſe, adeòque poſſe fieri dictam renuntionem, aut donationem licitè, & validè abſque iuridica inſinuatione: ſiue fiat ad cauſas pias (quod communiter concedunt DD. apud *Leſſ. num.* 102.) ſiue ad cauſas prophanas: ducor, quòd ſecundùm plures DD. quos citat, & ſequitur *Sanch. ſup. cap.* 6. *n.* 19. donatio facta à minori intuitu ingrediendi religionem, etſi fiat in fauorem perſonæ priuatæ, valida eſt; quamuis in ea non ſeruentur ſolemnitates à iure requiſitæ in diſpoſitione minorum; idque ex cap. *de his de ſepult.* vbi de volentibus tranſire ad loca religioſa dicitur *liberum eſt eis tunc bona ſua non ſolùm religioſis, ſed etiam quibuſuis priuatis conferre perſonis*: cum tamen ly *liberum* idem ſignificet, ac ſine alicuius auctoritate, licentia, ac diſpenſatione, & importet nullius contradictionem, aut iuris impedimentum obſtare; prout notant *Gloſſa, & alij DD.* penes *Sanch.* quæ certè non verificarentur, ſi prærequireretur inſinuatio, quæ eſt vna ex ſolemnitatibus à iure requiſitis; præterea *in* §. *illud quoque auth. de monachis* conceditur volentibus ingredi religionem, quo voluerint modo vti bonis; quæ verba remouent legis ſolemnitatem *l.* 1. *ff. de milit. teſtam. & l.* 1. *C. de ſacros Eccl.* non ergò in renuntiatione bonorum facienda à nouitio requiritur inſinuatio, quæ eſt vna ex ſolemnitatibus iuris, vt iam dictum eſt; idque inquit *Sanch. ex Beroio*, verum eſt non ſolùm, quando nouitius iam factus diſponit, ſed etiam quando diſponit, antequam ingrediatur religionem, intuitu tamen ingreſſus.

QVÆRES XV. An renunciatio bonorum facta à nouitio abſque ſolemnitate præſcripta in Cõcilio Trid. ſit valida, ſi iuramento firmetur.

29 ℞. Non eſſe, ac proinde nullam parere obligationem, neque in foro externo, neque in interno, ideſt in foro conſcientiæ. ita *Rodriq. tom.* 2. *q.* 47. *a.* 9. *Miranda p.* 1. *q.* 23. *a.* 3. *aliique* communiter, & patet ex eo quod *Concilium Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 16. *de Regul.* irritam, & nullam declarat renunciationem bonorum factam contra formam ab ipſo præſcriptam, dicens: *alter verò facta etiam ſi cum huius fauoris expreſſa renuntiatione, etiam iurata, ſit irrita, & nullius effectus*; conſtat autem quòd, quamuis lex ciuilis nõ poſſit annullare iuramenta, aut prohibere, ne fiant, aut ne adimpleatur donatio iurata; ad hoc tamen extenditur poteſtas iuris canonici, ac eccleſiaſtici, vti conſtat ex decreto Concilij ſupra citato, & benè aduertit *Miranda vbi ſup.*

QVÆRES XVI. Super quæ bona cadat renunciatio, quæ fit à nouitijs ante profeſſionem iuxtà formam Concilij Tridentini.

30 ℞. Cadere ſuper bona acquiſita ante profeſſionem, non item ſuper ea, quæ poſt eam acquirũtur; patetque ex eo quòd non poſſumus diſponere, niſi de bonis noſtris: ea autem ſolùm ſunt bona nouitij, quæ ipſe acquirit ante profeſſionem, non verò quæ poſt: hæc enim ſunt omninò monaſterij, nec quidquam iuris in ea habet religioſus, cùm ea acquirantur monaſterio iuxtà illud, *quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio.* ita *Laym. l.* 3 *ſect.* 5. *tr.* 3. *c.* 3. *num.* 9.

num. 9. ex Nau. & Sanch. alijque plures Canoniſtæ apud ipſum *Sanch.* qui benè monet ſecùs dicendum in caſu; quo Religioſus profeſſus alicui conſanguineo ſuccedat ab inteſtato: quippe, cùm ius ſanguinis, quod naturale eſt, ſit principium, & cauſa talis acquiſitionis, & id religioſo non competat tanquam monacho, ſed competeret ante ingreſſum tāquam cognato; ea bona cenſebuntur acquiſita veluti ante profeſſionem, adeoque hæredes neceſſarij debent de illis participare ratione cognationis; quod eſt valdè notandum.

Quòd ſi quis hic obiter quærat, quis ſuccedat Nouitio decedenti ab inteſtato, & nulla facta renunciatione.

31 ℞. Succedere hæredes ab inteſtato, niſi fortè nouitius in ipſo ingreſſu expreſſè contulerit propria bona monaſterio, & moriens expreſſè non reuocauerit: ita *Sanch. l. 7. mor. c. 3. nu. 92. Rebell. p. 2. l. 1. q. 8. ſect. 5. n. 52. Rodriq. tom. 2. q. 80. ar. 2. mol. tr. 2. d. 140. §. 2. Azor. par. 1. l. 12. c. 3. q. 3.* alijque plurimi apud *Sanch.* contra plures alios Canoniſtas apud eundem *Sanch.* oppoſitum ſuſtinentes. Ratio reſponſionis eſt, quòd non cenſetur nouitius bona ſua donare religioni, niſi cum actu profitetur, nec vſque tunc cenſetur cum effectu religioſus: ergò nulla eſt ratio, cur bona illius pertineāt ad monaſterium, adeòque illi ſuccedent hæredes ab inteſtato; quo modo corruit fundamētum, quo nituntur Aduerſarij; quòd ſcilicet nouitius ingrediens religionem eò ipſo quòd à principio elegit religionem vero animo perſeuerandi, cēſetur conſequenter eligere monaſterium, vt ſuum futurum hæredem; & quandiu non conſtat de contraria voluntate, cenſetur excludere hæredes ab inteſtato, ſi quidem perſeuerantia in priori voluntate præſumitur, dum non reuocatur *cap. maiores de baptiſmo* iuncta *gloſſa v. perdurare* ſub initium reſponſionis, *niſi fortè nouitius in ipſo ingreſſu expreſſè contulerit, &c.* in tali quippe euentu probabile eſt bona nouitij remanere apud monaſterium: cùm tacita conditio, quæ ineſt nouitio donanti, non ſit præciſe, ſi ſequatur profeſſio, ſed, ſi ille in religione perſeuerauerit, eſtò mors profeſſionem impedierit; quod tamen non eueniret, ſi nouitius ſe explicaret ſe nolle donationem aliter valere, quàm ſecuta profeſſione: tunc enim redirent ad ſuccedentes ab inteſtato, vt patet.

QVÆRES XVII. In cuius fauorem debeant nouitij renunciare proprijs bonis, in fauorem ne monaſterij, aut pauperum, vel cuiuſcumq; alterius?

33 ℞. De rigore iuris non teneri renunciare, neque in fauorem monaſterij: neque pauperum, ſed poſſe renunciare in fauorem cuiuſcunque maluerint, ſiue conſanguineorum, ſiue extraneorum. ita *Suar. to. 3. de relig. l. 5. c. 16 num. 7. Nau. comm. 2. de Regul. n. 49. alijque plurimi apud Sanch. ſup. cap. 3. numer. 34.* qui, quamuis loquantur in ſpecie de teſtamento, ſi tamen velint philoſophari conſequenter, idem debent dicere & de renuntiatione: probatur autem ex eo quòd nouitij tum ante ingreſſum religionis, tum poſt pro toto tempore probationis retinent dominium, & poſſeſſionem ſuorum bonorum, illorumque vſum nullo nouo vinculo habent ligatum; vt pote qui non promiſerunt quidquam monaſterio, nec vllo iure, ſiue Pontificio, ſiue Cæſareo adſtringuntur ad faciendam potiùs hanc diſpoſitionem ſuorum bonorum, quàm aliam; quamquam, ſi loquamur de conſilio, longè meliùs, & laudabilius eſſet dictam renuntiationem fieri in fauorem pauperum, non autem conſanguineorum, aut affinium (niſi fortè etiam hi ſint pauperes:) idque ob varias rationes à *Suarez* adductas *tom. 4. de relig. tr. 10. l. 4. cap. 5.* quæ maximè locum habent in Soc. Ieſu, cuius alumni ex vi ſuarum conſtitutionum tenentur renunciare proprijs bonis, non in fauorem conſanguineorum, ſed in opera pia, ac religioſa; vt innuimus *quæſt. 6. §. cùm autem*, & expreſſè aſſeritur in *3. p. conſtit. cap. 1. in declarat. lit. G.* his verbis: *Ante ingreſſum quiuis de bonis ſuis temporalibus pro ſuo arbitratu ſtatuere poteſt: ſed poſtquàm ingreſſus eſt, tam de eccleſiaſticis, quàm de ſæcularibus diſponat oportet, ita, vt decet vitæ ſpiritualis ſectatorem.*

34 Moneo vnum, quòd, licèt monaſterium nullum ius habeat in bona nouitij modo ſup. dicto nō tamē excluditur, quin poſſit nouitius renuncians aliquod ei relinquere, immò & aliquando debeat ex lege charitatis, vt oſtendit *Suar. to. 4. de relig. vbi ſup. n. 7.* ex eò quod vnuſquiſq; debet iuxtà ordinem charitatis plus diligere ſibi coniunctos ſpiritualiter, quam extraneos: vnde, cùm inter religionem, & religioſum intercedat peculiaris coniunctio ſpiritualis, ſi ea æquè indigeat, per ſe loquendo, ordo charitatis petit, vt religioſus in bonis ſuis diſtribuendis eam præferat.

Ex quibus *Caſtrus Palaus tr. 12. D. 1. p. 15. nu. 7.* infert in Societate per renunciationem bonorum transferri dominium rei renunciatæ in renunciatarium ab ipſo puncto renuntiationis; etſi reuocabiliter in caſu, quo renuncians dimittatur e Societate.

35 Addo quòd, cùm iuxtà modò dicta poſſit contingere nouitium ex charitate teneri aliquod ex ſuis bonis tradere monaſterio indigenti: conſequenter poterit Superior declarare nouitio talem indigentiam, eumque hortari ad ferendum aliquod ſubſidium; dummodò id fiat cum debita moderatione, prudentia, ac ædificatione: id enim per ſe bonum eſt, & laudabile; vnde in *regula S. Benedicti cap. 58.* legitur de religioſo profitente *Si quid in bonis habeat, pauperibus diſtribuat, vel facta ſolemni deuotione monaſterio donet, nihil ſibi reſeruando* ita *Suar. ſup. Sanch. l. 7. mor. cap. 3. num. 15. Portel. de dub. Regul. verb. nouitius nu. 44.* alijque & patet ex dictis, ſi munero nullo pacto videri permittendum, neque in Ordinibus, qui ſuccedunt in iure filiationis, & nomine, ac loco ſuorum religioſorum poſſunt obtinere hæreditatem, quòd nouitius vi, aut metu cogatur renunciare bonis in fauorem monaſterij, aut ei relinquere aliquod legatum; aliàs non relinqueretur ei debita libertas ad diſponendum de ſuis bonis, & aliqualis committeretur iniuſtitia.

QVÆRES XVIII. An, & quo modo ad validam renunciationem bonorum faciendam à Nouitijs iuxtà decretum Concilij Trident. requiratur licentia Epiſcopi, aut eius Vicarij generalis.

36 ℞. Requiri; vt clarè conſtat ex ijs verbis Concilij

lij ſoperiùs relatis, *niſi eum licentia Epiſcopi, ſiue eius Vicarij id fiat*; & quidem ita vt non ſufficiat, quòd ſit petita, aut ſubſequens ipſam renuntiationem, ſed debet eſſe actu obtenta, & debet præcedere renunciationem; quamuis aliàs non ſit opus, quòd ſit in ſcriptis, aut quòd ſit expreſſa; ſed ſufficiat quod ſit tacita, habita tamen ex ratihabitione de præſenti, vt pote quæ requiritur ad valorem actus, ideòq; debet ad eum ſupponi. Ita *Sanch. vbi ſup. cap. 5. nu. 64. & ſeqq.* aliique communiter; & quidem, quòd talis licentia debeat eſſe obtenta; conſtat quia decretum Concilij dicit *cum licentia*: non dicitur autem fieri cum licentia, quando ea ſolùm eſt petita: præter quàm quòd vbi ius exigit licentiam tantùm petitam, id ſolet exprimere, vt in *cap. licet de Regul.* quòd verò eiuſmodi licentia debeat præcedere renunciationem, ex eo probatur quòd ea requiritur ad valorem renunciationis; quoties verò ad valorem actus requiritur licentia, ea neceſſario debet præcedere; vt pluribus citatis probat *Sanch. l. 3. de matr. D. 35. nu. 18. ex auth. licentia C. de Epiſcopis, & cler.* (quamquam, ſi renuntiatio fieret ſub conditione, ſi poſtea Epiſcopus approbet, ſufficeret approbatio ſuperueniens); quòd autem dicta licentia non debeat eſſe in ſcriptis, inde ſuadetur quòd Concilium nullam mentionem facit de ſcriptura; cùm tamen, vbi eam intendit, id ſoleat exprimere (vt in *ſeſſ. 25. de Regul. cap. 5.* agens de licentia ad ingrediendum monaſteria Monialium) & aliàs omnis diſpoſitio fieri poſſit verbo, niſi lex ad valorem actus exigat ſcripturam; vt probat *Sanch. ſup. D. 35. nu. 10.* monens *l. 7. mor. c. 5. n. 76.* in præſenti caſu vtiliſſimum eſſe licentiam obtinere in ſcriptis cum notarij ſubſcriptione fidem de ea facientis, vt, ſi fortè de valore eius lis fiat, allegato licentiæ huius defectu, poſſit de illa fides fieri in foro externo.

37 Cæterùm eiuſmodi licentiam poteſt dare: 1. Epiſcopus confirmatus, etſi nondum conſecratus; cùm ei à die confirmationis competant illa omnia, quæ ſunt iuriſdictionis, quale eſt hoc; 2. Archiepiſcopus conſecratus, etiam ante pallium receptum; eſt ei ante pallium receptum interdicatur ſolùm cogere concilium, ac exercere ea, quæ pertinent ad ordinem epiſcopalem; 3. Capitulum, ſede vacante, vt pote quod ſuccedit in omnem iuriſdictionē Epiſcopis competentem; 4. Abbates, & alij Prælati habentes iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, nullique Epiſcopo ſubiecti in ſuis diœceſibus (non autem Archiepiſcopus in diœceſi ſuffraganei, niſi fortè, Epiſcopo talem licentiam denegante, res deuolueretur per appellationem ad ipſum Archiepiſcopum) ij enim gaudent iuriſdictione epiſcopali; 5. Vicarius generalis Epiſcopi, cùm ſic expreſsè ſtatuatur in Concilio; cuius decretum locum habet non ſolùm in Vicario quorumcumque Prælatorum epiſcopali iuriſdictione gaudentium, quippequi cenſetur Vicarius Epiſcopi, ideſt habentis iuriſdictionem quaſi epiſcopalem; ſed etiam in Vicario capitulari Sede vacante, vt iam diximus, cùm is poſſit dici Vicarius Epiſcopi, quatenus habet iuriſdictionem epiſcopalem: præter quàm quòd doctrina *Felin cap. eam te num. 17. v. faciunt de reſcript.* quæ obſtare videtur, loquitur de iuriſdictione delegata, non autem de ordinaria, qualis eſt ea, quæ competit Vicario capitulari, vt benè notat *Sanch. ſup. n. 69.*

38 Preterea ita competit ſupradictis Prælatis facultas concedendi illam licentiam, vt tam ipſi, quàm eorum Vicarij poſſint eam alteri delegare; ratio eſt, quòd talis facultas iure communi per *Conc. Trid.* eſt perpetuò annexa dignitati, aut officio, & conſequenter eſt ordinaria; omnis autem poteſtas ordinaria eſt delegabilis; vt latè probat *Sanch. l. 2. de matr. D. 40. n. 14.*

39 Quod autem aſſerunt *Rodriq. & Vega apud Sanch. l. 7. mor. cap. 5. num. 75.* in aliquibus religionibus abiiſſe in deſuetudinem, quòd modo ſupra dicto petatur licentia ab Epiſcopo in caſu, quo renuntiatio bonorum facienda ſit à nouitio; in hiſce noſtris regionibus vtique non eſt verum: & *Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 5. cap. 7. num. 14.* putat maximè intelligendum, ſi renūtiatio facienda ſit ex neceſſitate propter Ordinis conſtitutiones, vt apud Mendicantes. Verùm, quidquid ſit de hoc, tutiſſimum eſt, inquit *Sanchez ſup. num. 75.* ne renuntiationis valor litigio exponatur, & incumbat Religioſis probare hanc legitimæ conſuetudinis præſcriptionem, exigere licentiam Epiſcopi, aut Vicarij, eamque obtinere. vtpote quæ piè, & ſanctè præſcripta eſt, tum vt Iudicis præſentia omnem metus præſumptionem excludat *l. fin. ff. de eo quod metus cauſa*; tum ad excludendas fraudes, metum, aut preces importunas, quæ alioqui induci poſſent ad effectum, vt bona nouitij relinquerentur monaſterio.

QVÆRES XIX. Quo tempore debeant nouitij facere bonorum renuntiationem iuxtà decretum Concilij Trid. ſuperiùs allegatum.

40 ℟. Debere facere *intra duos menſes proximos ante profeſſionem*: hæc enim ſunt ipſiſſima verba Concilij; circa quæ notat *Sanch. ſup. num. 80.* Concilium non dixiſſe, vt renuntiatio fiat bimeſtri ante profeſſionē, ſed vſum eſſe particula *intra* vt innueret ex vi huius decreti non eſſe opus, vt renuntiatio fiat integro bimeſtri ante profeſſionem, ſed ſufficere, quòd fiat toto illo bimeſtri, quamuis immediatè ante profeſſionem; ſi quidem finis talis decreti eſt, vt renuntiatio fiat maturiori conſilio, ac deliberatione: maior autem eſt deliberatio, quo longiùs eſt tempus nouitiatus, ac profeſſioni propinquius: cùm alioqui dicatur factum toto illo ſpatio, quod fit intra illos duos menſes. ita *Sanch. num. 80. Peregr. in Conſtitut. par. 2. cap. 1. litt. G. §. 20. Barthol. à S. Fauſto l. 5. theſauri relig. quæſt. 192.* aliique, & patet ex dictis.

41 Porrò ſupradictum bimeſtre accipiendum eſſe, non morali, ſed mathematico modo, ideſt de momento in momentum, & ſecundùm quod occurrit menſis in Kalendario, ſumendo ex menſe ſequenti id, quod deficit præſenti; ſuſtinent DD. citati, aliiq; communiter; quamuis *Zecchius, & Zerola à Sanch.* relati exiſtiment bonorum renuntiationem non irritari, ſi fiat modica diſtantia ante id bimeſtre; cùm talis diſtantia non mathematico, ſed morali modo recipienda ſit; quòd idem admittunt Barthol. *à S. Fauſto quæſt. 193.* dicens oppoſitum eſſe multò vetius, & aliqui recentiores à me cōſulti non reprobant; quamuis, cùm ſimus in materia obnoxia foro externo

externo ad auferenda litigia, quæ ibi poſſent excitari ob varietatem opinionum, in praxi omninò amplectenda ſit prior opinio: vtpote quæ eſt cõmunis, tutior, & longè probabilior, ſicut videre eſt apud *Sanch. num.* 81. eam in primis probans ex eo, quod Concilium diſponit à quo tempore bimeſtre illud incipere debeat, nempe à die profeſſionis futuræ: in tali autem euentu computatur dies de momento in momentum, vt occurrit in Kalendario, quod ipſemet Sanch. probat *l. 2. de matr. D. 24. n.* 15.

Dubium modò eſt, an renuntiatio ſit valida, ſi ea facta iuxta formam Concilij, profeſſio poſt annum nouitiatus completum vlteriùs differatur ex cauſa aliqua iuſta, & rationabili.

42 ℞. Eſſe: idque licèt differatur ex defectu legitimæ ætatis. ita *Sanch. lib. 7. moral. cap. 5. numer.* 82. *Barthol. à Fauſto quæſt. ſup. citata num.* 3. *Peyr. de R. P. quæſt. 3. cap. 1. num.* 214. alijque. & probatur tũ quia lex ea, quæ frequentiùs contingunt, ſpectat *l. nam ad ea ff. de legib.* adeòque cùm profeſſio attento iure, & frequentius fieri ſoleat completa ætate debita, & abſoluto anno nouitiatus, decretum Concilij petens renuntiationem fieri bimeſtri ante profeſſionem, debet intelligi de bimeſtri proximo tempori, quo regulariter fit profeſſio: tum quia in tali caſu verè ſaluatur mens Concilij, quæ fuit, ne nouitij feruore vocationis ducti temerè proprijs bonis renunciarent, ſed ſolùm poſtquàm ſufficienter experti ſunt difficultates religionis; quod vtique ſupponitur, quando iam per decem menſes manſerũt in probatione nouitiatus: ſicut benè aduertit *Menoch. vol. 4. conſ.* 388. *n.* 7.

Maius dubium eſt, an caſu, quo nouitius profeſſurus eſſet ex diſpenſatione pontificia nono menſe probationis, aut minor 16. annis, ſicque abbreuiandum eſſet tempus profeſſionis iure præſcriptum, tunc ſufficeret bonorum renuntiationem fieri bimeſtri ante id tempus profeſſionis.

43 ℞. Videri probabile, quòd ſufficeret; cũ diſpenſatio, quamuis ſit ſtricti iuris, extendatur ad connexa, vt oſtendit *Sanch. l. 8. de matr. D. 1. num.* 19. vnde, cum ex decreto Concilij Trid. ſit connexũ profeſſioni, vt renuntiatio fiat bimeſtri ante profeſſionem, diſpenſatio, qua conceditur, vt profeſſio fiat ante tempus legitimum, extendetur etiam ad faciendam renuntiationem bimeſtri proximo. ita *Sanch. l. 7. mor. c. 5. nu.* 83. & cùm eo *Pereg. ſup.* §. 21. qui tamen docent oppoſitum eſſe probabilius; nimirum in caſu propoſito non poſſe renunciari bonis bimeſtri illo ante profeſſionem, ſed debere fieri proximè profeſſioni, nempe eodem die, aut præcedenti: probantque tum quia cum in eo caſu non poſſit fieri renunciatio tempore deſignato à Concilio, ſaltem curandum eſt, vt, in quantum fieri poteſt, fiat proximè profeſſioni, ſicque derogetur Cõcilio quàm minimùm fieri poteſt, tum quia diſpenſatio non extenditur ad acceſſoria ſeparabilia, ſed tantùm ad acceſſoria inſeparabiliter connexa, vt probat *Sanch. l. 8. de matr. D. 1. n. 19. & 20.* non eſt autem inſeparabiliter connexum, quòd renunciatio bonorum fiat integro bimeſtri ante profeſſionem; cùm Tridentinum concedens id ſpatium agat de profeſſione facienda poſt completam legitimam ætatem, & finitum annum nouitiatus, non autem de ea profeſſione quæ fit in caſu extraordinario, cuiuſmodi eſt is, de quo in præſentia loquimur.

44 Ex hac porrò doctrina ſequitur validam eſſe renunciationem illius, qui ex indulto bullato Pij V. referendo in *tract. de profeſſ.* morti vicinus ante annum probationis expletum facit ſolemnem profeſſionem; ſi quidem alias renunciatio fiat iuxtà formã Concilij, ita *Peyr. tom. 1. priuil. conſt.* 2. Sixti IV. *n.* 77. in terminis, & probatur ex eo quòd, cum profeſſioni religioſæ ſit annexa facultas diſponendi antèa de proprijs bonis (vt pote quòd non poteſt fieri poſt profeſſionem) indultum illud Pij V. dicendum eſt extendi etiam ad anticipandum tempus renunciationis: ita tamen, vt, ſi non poteſt præcisè ſeruari tempus præſcriptum in iure, ſeruetur quàm maximè fieri poteſt: nimirum proximè profeſſioni: quod facilè obſeruabitur in præſenti caſu, vt patet; qua de re *Caſtrus Palaus tr. 16. D. 1. p. 15. n.* 9.

Dices, quid ſi Nouitius in caſu propoſito profiteatur, nulla facta renunciatione bonorum, & poſtea conualeſcat, poterit ne poſtea renunciare ſuis bonis in fauorem illius, quem maluerit?

45 ℞. Quod non; & conſtat ex eo quòd nouitius profitens vigore ſup. dicti indulti, ſi conualeſcat, non indiget alia profeſſione, & gaudet omnibus priuilegijs profeſſorum; eò autem ipsò quòd quis emiſit ſolemnem profeſſionem, non poteſt ampliùs diſponere de proprijs bonis, vt innuimus paulo ante, & inferiùs probabimus ſuo loco.

QVÆRES XX. An Nouitius minor 25. annis validè poſſit renunciare proprijs bonis abſque authoritate Curatoris, decreto Iudicis, alijſque ſolemnitatibus iure ciuili requiſitis.

46 ℞ Poſſe; idque ob rationes adductas *ſup. q.* 14.

QVÆRES XXI. A quo tempore renuntiatio Nouitiorum incipiat vim habere iuxtà decretum *Tridentini ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul.*

47 ℞. Non habere, niſi à ſecuta profeſſione: & hoc ex decreto *Concilij Triden.* quod ita habet: *ac nõ alidàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione*, vbi notandum ex *Sanch. l. 7. mor. cap. 5. nu.* 49. clauſulam illam *non alidàs* eſſe adeo prægnantem, vt non patiatur diſpoſitionem contrahentis recipere aliquem alium intellectum, aut modificationem ſeparatam à verbo, ideoque non ſufficere; quòd ea impleatur in æquipollenti; vnde Concilium in ſup. dicto decreto ita intendit conſulere libertati nouitiorum, vt quacumque ex cauſa non profiteantur, liberam habeant facultatem diſponendi de illis bonis, quibus iam renunciarant. Ita *Mol. tr. 2. D.* 140. §. 2. *Sà verb. religio n.* 7. *Rodriq. tom. 2. q. 47. ar.* 12. *Peyr. ſup. num.* 76. alijque quos citat, & ſequitur *Sanch. vbi ſup.* ex dictis inferens renunciationem factam à nouitio in fauorem monaſterij, aut cuiuſcumque alterius, quamuis factam cum debita ſolemnitate, omninò corruere, ſi contingat nouitium mori ante profeſſionem: quod tamen negant *Pereg. ſup.* §. 14. *Fuſcus de viſitat. l. 2. cap. 15. num.* 67. alijque cum *Caſtro Palao ſup. p. 16. num.* 2. qui tamen ait oppoſitam Sententiam eſſe ſatis probabilem.

48 Hinc fit quòd, quamuis renunciatio facta à nouitio

-1

uitio

uitio iuxtà formam Concilij Trident. ſit irreuocabilis, ſi ſequatur profeſſio: & quidem ita, vt nec ante illam reuocari poſſit à nouitio, vt probabimus *infrà qu.* 24. poteſt tamen reuocari per confectionem teſtamenti, quòd habeat effectum caſu, quo nouitius moriatur ante profeſſionem; cum enim in tali euentu ceſſet valor prioris renũciationis, ea perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet facta; ſicque poteſt nouitius de bonis aliàs renunciatis aliter diſponere in euentum, quòd mors ſequatur ante profeſſionem. ita *Rodriq. ſup.* & cum eo *Sanch. num.* 50. monens eiuſmodi diſpoſitionem bonorum, cùm habeat rationem vltimæ voluntatis, non indigere ſolemnitate præſcripta in ſup. citato decreto Concilij Trid. cùm talis diſpoſitio non præiudicet intẽtioni ipſius Concilij, ſicut in ſimili aduertit *Portel. de dub. regul. verb. nouitius n.* 42. vniuersè aſſerens nouitium morientem in anno probationis quouis tempore, ſi tẽpore mortis donet monaſterio, aliàs capaci, validè donare: cùm id non præiudicet intentioni Concilij, quæ eſt conſulere libertati nouitij donantis: vnde nec in tali caſu opus eſt ſeruare formam præſcriptam in ipſo Concilio.

QVÆRES XXII. An ad hoc vt renuntiatio facta à Nouitijs iuxtà formam Concilij ſit firma, & valida, requiratur, vt etiam profeſſio ſit valida.

49 ℞. Requiri, & probatur tum quia Concilium petit ſequi profeſſionem; verba autem debent intelligi cum effectu, perindeque eſt actum non fieri, & eſſe nullum; vt oſtendit *Sanch. l.* 3. *de matr. D.* 2. *n.* 5. tum quia Concilium voluit conſulere libertati nouitij quò ad egrediendum; quandiu verò profeſſio eſt irrita, profitens eſt verè nouitius, & licitè poteſt egredi, adeòque renunciatio cenſeri debet inualida, alioqui poſſet retardare nouitium ab egrediendo, quod eſt contra mentem Concilij. Ita *Sanchez l.* 7. *moral. cap.* 5. *num.* 55. *cum Rodriq.* & *Lud. Lopez* quos refert, & ſequitur cum *Barthol. à S. Fauſto Peregr. ſup.* §. 17. qui tamen concedunt ſecùs dicendum, ſi profeſſio ſit nulla, non ratione ætatis legitimæ ad profitendum, ſed ex alio capite: eò quòd v. g. non tranſierit integer annus nouitiatus, vel quòd profeſſio facta ſit ex metu, aut alia cauſa, cum enim in tali caſu renunciatio ab initio valuerit, eiuſque firmitas pendeat à profeſſione validè emiſſa: quamuis profeſſio fuerit irrita initio, & conſequenter non confirmarit renunciationem; hòc ipsò tamen quòd hæc perſeuerat adhuc in ſuo priſtino valore, vtique confirmabitur, quoties ea profeſſio fuerit ratificata per aliam profeſſionem validam, ſiue expreſſam, ſiue tacitam; ſiue ante quinquenniũ conceſſum ad reclamandum, ſiue poſt. quod certè non euenit in caſu, quo profeſſio ſit nulla ex defectu legitimæ ætatis; tunc ſi quidem non ſolùm profeſſio eſt nulla, vt pote facta ante debitam ætatem, ſed etiam nulla eſt ipſa renunciatio, cùm tunc etiam deficiat ætas legitima ad renunciandum; vnde non conualeſcit, ſecuta poſtea legitima ætate, & legitima profeſſione.

50 Dixi, *& deficiat ætas legitima ad renunciandum*; vt innuerem quòd, cùm Concilium in decreto ſupra citato prohibeat fieri renunciationem bonorum ante bimeſtre proximum profeſſioni (loquendo de renunciatione; quæ fit poſt ingreſſum religionis,) & profeſſio ex decreto eius Concilij non poſſint fieri, niſi poſt annum 16. completum: conſequenter ad hoc vt nouitius validè renunciet bonis, requiritur, vt expleuerit 15. ætatis annos vnà cum 10. menſibus: quod eſt indirectè præſcripſiſſe ætatem legitimam ad renunciandum.

Notant autem *Bordonus reſolut.* 8. *num.* 31. *&* 40. *& cum eo Lezana v. nouitij num.* 32. in caſu, quo profeſſio ſit nulla ex eo præcisè quòd nouitiatus non ſit peractus in conuentu à Sede Apoſtolica deſignato: hòc ipſo quòd profeſſio ratificatur, etiam bonorum renuntiationem factam cum debita ſolemnitate ratificari: vt colligitur ex *motu proprio Vrbani VIII.* à nobis relato *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 26.

QVÆRES XXIII. An valida cenſeri debeat renuntiatio nouitij facta iuxtà Decretum Tridentini, ſi nouitius, ea facta, recedat à religione, & poſtea ductus pænitentia ad eam reuertatur.

51 ℞. Non cenſeri; ideoq; eam denuò faciendã eſſe: ſiue nouitius recedat ante finem anni nouitiatus, ſiue eo abſoluto. ita *Peregr. ſup.* §. 22. alijque docti viri à me conſulti, & conſtat ex eo quòd prior renũtiatio, etſi aliàs legitimè facta, corruit per egreſſum è religione, nec conualeſcit per nouum ingreſſum: quo modo nouitio egredienti non computatur ad annum probationis illud tempus nouitiatus, quod ante egreſſum peregerat in Religione, ſed iterum debet inchoare annum nouitiatus, vt diximus *ſup. cap.* 1. *quæſt.* 7. excepto tamen caſu, quo ille egrederetur, abſoluto anno nouitiatus: tunc enim *citato ca. q.* 12. diximus probabile eſſe ad emittendam profeſſionem non requiri nouum annum nouitiatus, ſed eam poſſe ſtatim emitti. idem ſentit *Sanch. l. moral.* 7. *c.* 5. *n.* 84. addens, quòd, ſicut in hoc poſteriori caſu non requiritur nouus annus nouitiatus ad profitendum, ita poſſet nouitius ſtatim, ac redijt, facere iterum ſuam renuntiationem, ſiue poſtea differatur profeſſio, ſiue non: cùm ſic renuntiatio non fiat ante bimeſtre proximum profeſſioni, & conſequenter ſeruetur decretum Concilij, vt patet.

QVÆRES XXIV. An renunciatio bonorũ facta à nouitio ſecundùm formam Concilij Trident. poſſit ante profeſſionem reuocari ab eodem nouitio aliàs volente perſeuerare in religione.

52 ℞. Non poſſe; & probatur tum quia alioqui renuntiatio fieri poſſet quocumque tempore nouitiatus, nulla ſeruata ſolemnitatem præſcripta in præfato Concilio; ſi quidem eę petuntur ibi, eò quòd renunciatio eſt ſtatim irreuocabilis, niſi deficiat cõditio: tum quia donatio conditionalis non poteſt, pendente conditione, reuocari; cùm ex contractu conditionali non minùs oriatur obligatio in ſpe, ideſt in euentum conditionis, quàm ex contractu abſoluto, & puro oriatur obligatio abſoluta, & in re: ſtante quòd vterque contractus in ſuo ordine, & gradu eſt perfectus: ergò, cùm renunciatio nouitij contineat in ſe tacitam conditionem, vt non habeat ſuum effectum, niſi ſecuta profeſſione, ea non poterit reuocari ab ipſo nouitio volente perſeuerare, cùm ſemper pendeat conditio. Ita *Peregr. ſup.* §. 18. *cum Sanch. & Barthol. à S. Fauſto, Peyr.*

tom.

tom. 1. priuil. Conſt. 2. Sixti 4. nu. 79. alijque.

Quod autem dicit *Sanch. ſup. num.* 50. dictam bonorum renunciationem poſſe reuocari teſtando de ipſis bonis ante profeſsionem; id debet reſtringi ad caſum, in quo nouitius moriatur ante ipſam profeſsionem: vt proinde *Sanch. loco citato* benè ſubdat; *Vt habeat euentum reuocatio caſu, quo Nouitius moriatur ante profeſſionem: quia, cum in eo euentu ceſſet valor prioris renunciationis aut donationis, eſt perinde, ac ſi facta non fuiſſent:* ſicque concludit *Sanch. ergò integrum eſt Nouitio de ijs bonis aliter diſponere in euentum mortis ante profeſſionem; quod benè docet Manuel.*

Addo renunciationi bonorum iam factæ, & acceptatæ à renunciatario non poſſe apponi aliquod onus de nouo: idque ob doctrinam *Leſſij l. 2. capit. 18. num. 63.* dicentis ex *Couarruuia l. 1. var. cap. 14. num. 1.* promisſioni, aut donationi poſt acceptationem non poſſe vllum onus apponi ſine conſenſu promiſſarij: cùm is iam conſecutus ſit ius ad rem ſine onere, ideoque ea ſine onere ipſi ſit debita *l. perfecta C. de donat. quæ ſub modo*, quæ dicit *Perfecta donatio conditiones poſtea non capit.*

An autem Nouitius in caſu propoſito poſſit licitè comminari ſuo renunciatario ſe egreſſurum è religione ante profeſsionem, vt ille conſentiat in appoſitione præfati oneris, cum re vera intendat perſeuerare.

℞. Videri poſſe ob doctrinam *Leſſij ſup. cap. 26. num. 23.* contra *Molinam tr. 2. de iuſt. D. 514. nu. 4.* ſuſtinentis ludentem ludo illicito poſſe fingere ſe repetiturum in iudicio lucrum factum ex dicto ludo ad effectum vt colludens ei illud ſoluat (cùm verè non habeat animum repetendi) eum ſic ludens cedat iure, quod habet ad repetendũ, & aliàs habeat iuſtam cauſam æquiuocandi: quæ doctrina vtique facit ad præſentem caſum, ut facilè patebit conſideranti.

QVÆRES XXV. Cuius ſint fructus medio tempore prouenientes ex hæreditate fructifera renunciata, qui ſcilicet percepti ſunt à tempore renunciationis uſque ad profeſsionem, per quam renuntiatio confirmatur.

53 ℞. Spectare ad ipſum nouitium renuntiantem, ſi ante profeſſionem dictos fructus conſumpſit, aut certè de ijs diſpoſuit: ducor, quòd ex vna parte quælibet res fructificat ſuo domino §. *is verò Inſtit. de rerum diuiſ.* ex alia parte hæreditas fructifera, cui renunciat nouitius, toto illo tempore, quod mediat inter renũciationẽ, & profeſsionẽ nõ eſt illius, cui ſit renũtiatio, ſed nouitij, qui renunciat; vt vel hinc conſtat, quòd conditio poſita in decreto Concilij Trident. ſæpiùs allegato, quòd renunciatio non habeat effectum, niſi ſecuta profeſſione, verè eſt ſuſpenſiua; ſicut colligitur ex ijs verbis ipſiuſmet decreti, *ac non aliàs intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione*, quæ ſine dubio important conditionem ſuſpenſiuam, teſte *Menochio vol. 4. conſ. 388. num. 19.* & ſignificant omnem effectum donationis fuiſſe poſitum in ſuſpenſo, ideòque interim nullum effectum obtinere (quòd eſt propriũ cõditionis ſuſpenſiuæ, quæ nihil ponit in eſſe) & cùm reſpiciant tam præſens, quàm futurum tempus, ab initio impediunt effectum, & conſequenter perfectionem ipſius donationis; vnde ſit, vt hæreditas fructifera, cui renunciat nouitius iuxtà formam ſup. dicti decreti, non incipiat fructificare ei, in cuius fauorem renunciatur, niſi à die, quo purificata eſt conditio ſuſpenſiua, nempe à ſecuta profeſſione: ſiquidem ab ea die, & non prius hæreditas illa tranſijt in eius dominium, colligitur ex *Sanchez ſup. num. 63.*

54 Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi ante profeſſionem dictos fructus inſumpſit, aut de ijs diſpoſuit*; ſi enim tales fructus poſt profeſſionem nouitij extant, & de ijs ipſe non diſpoſuit, tunc vtique ſpectant ad hæredem, cum iam computentur inter bona hæreditatis, ac proinde cum reliquis bonis nouitij renunciãtis pertineant ad hæredem. Quod ita eſt verum, vt, ſi Nouitius in renunciatione bonorum ſup. dicta relinquat alicui rem aliquam fructiferam, inſtituendo extraneum hęredem, fructus percepti ex tali re medio illo tempore, quod intercedit inter renunciationem, & profeſſionem nouitij renunciatis, cõfirmata per profeſsionem renunciatione, non ſpectant ad eum, cui relicta eſt res fructifera, ſed ad hæredes; quippequi non poſſunt pertinere ad illũ, cui res illa relicta eſt, cum is ſolum à die profeſsionis nouitij cæperit eſſe dominus dictæ rei, & conſequenter fructuum ex ea deinceps percipiendorum; & aliàs præfati fructus computentur in bonis hæreditatis, quæ omnia ſimul ad hæredem inſtitutum in renunciatione debent deuolui; ſicut benè aduertunt DD. communiter.

55 Neque ex eo quòd hæreditas fructifera, etiam poſt legitimam nouitij renunciationem ei tanquam domino fructificat toto illo tempore, quod mediat inter renunciationem, & profeſsionem: ſequitur eũ poſſe dicto tẽpore medio reuocare renunciationẽ: id enim eſt falſum, vt oſtendimus *q. præcedenti*, & malè deducitur ex eo fundamento; ſiquidem quòd nouitius non poſſit reuocare renuntiationem à ſe factam iuxtà formam Concilij, non inde prouenit, quòd ille adhuc non retineat dominium bonorum renuntiatorum; ſed ratione contractus conditionalis ab eo voluntariè initi, à quo proinde non poteſt reſilire, vt conſtat ex dictis.

Dubium maius eſt de renuntiatione facta in Societate Ieſu ſub conditione expreſſa, ſi *perſtitero in Societate*, an ſcilicet fructus hęreditatis ſic renuntiatæ à die renuntiationis vſque ad profeſſionem, aut formationem ſint ipſius renuntiantis, aut certè renuntiatarij; & ratio dubitandi eſt, quòd ex vna parte doctrina tradita in præſenti reſponſione videtur procedere etiam in hoc caſu; maximè attenta doctrina, quam tradit *Sanch. l. 7. mor. cap. 1. num. 37.* nimirùm renuntiationem bonorum, quæ ſit in Societate non iuxtà ipſius Societatis Conſtitutiones, (qualis eſt, quæ ſit ſub conditione perſeuerantiæ) intelligendam eſſe eo modo, quo intelligitur renuntiatio facta contemplatione ingreſſus in alias religiones; ex alia parte obſtat praxis communis, iuxta quàm renuntiatarius acquirit fructus hæreditatis ſub præſata conditione ſibi renuntiatæ, etiam à die renuntiationis vſque ad profeſſionem, ſeu formationem.

56 ℞. Quòd, cùm iuxtà doctrinam *Sanchez* modò tra-

traditam conditio illa *ſi perſeuerauero*, cenſeri poſſit ſuſpenſiua, non ſecùs ac ſuſpenſiua eſt conditio tacita, quæ ineſt renuntiationi factæ in alijs religionibus; & conditio ſuſpenſiua nihil ponat in eſſe; ſicut vigore renuntiationis factę in alijs religionibus fructus hæræditatis renuntiatæ percepti à die renuntiationis vſq; ad profeſſionem acquiruntur renuntianti, non autem renuntiatario, vt iam diximus: ſic etiam fructus hæreditatis ab alumno Societatis renuntiatæ ſub conditione expreſſa perſeuerantiæ acquirentur ipſi renuntianti à die renuntiationis vſque ad profeſſionem, ſeu formationem: cùm militet par ratio in vtroque caſu, adeòque procedat regula iuris, *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio*. Secùs dicendum, ſi ſuſtineamus conditionē illam, *Si perſeuerauero in Societate*, non eſſe ſuſpenſiuam; ſed merè reſolutiuam (quod vtique poſſet probabiliter ſuſtineri, immò, & pròbari ex eo quòd verba iſta præciſa *renuncio, ſi perſeuerauero in Societate* per argumentum à contrario ſenſu in ſe inuoluunt hæc alia *non renuncio, ſi non perſeuerauero*; cùm ergò hæc vltima verba æquipolleant iſtis, *Si non emiſero religioſam profeſſionem*, non valeat mea renunciatio; & hæc ipſa verba faciant ſenſum reſolutiuum, teſte *Sanchez ſup. cap. 5. nu. 62.* ſequitur etiam verba præcedenria iſtis æquipollentia facere ſenſum reſolutiuum, ſiſtendo in rigore verborum); ſic enim præfati fructus acquirerentur renunciatario: cùm conditio reſolutiua non impediat actum eſſe purum, eiuſque valorem, ac effectum non ſuſpendat, ſed ſolùm efficiat illum reſoluendum, ſeu irritum reddendum ea conditione deficiente; ſicut notauit *Sanchez ſupra numer. 59. ex Tiraquello, & Menochio*. Nec obſtat praxis, quæ viget in contrarium; cùm dici poſſit renunciatarium frui modo ſupradicto fructibus hæreditatis renunciatæ ab alumno Societatis, ſub conditione perſeuerantiæ, non quidem iure proprio ipſi competente in illos, ſed potiùs ex quadam indulgentia renunciantis; quatenus is ſciens, & volens ſinit eum frui præfatis fructibus aliàs ſibi de iure debitis. ita viri docti è Societate, & ego cum illis in facti contingentia.

QVÆRES XXVI. An is, cui ab alumno Societatis renunciatur hæreditas ſub expreſſa conditione perſeuerantiæ, poſſit validè contrahere de bonis illius (v. g. ea vendendo, aut permutando,) etiam conditione non impleta.

57 ℟. Non poſſe; cùm talis renunciatio non ſit abſolnta, ſed conditionalis, & quidem conditione ſuſpenſiua actum ita ſuſpendente, vt ſine vllo prorſus effectu maneat, antequàm exiſtat conditio: & aliàs nemo poſſit contrahere ualidè de bonis non ſuis; talia autem ſunt bona ab Alumno Societatis renunciata ſub conditione perſeuerantiæ: quippe quorum dominium manet penes renunciantem uſque ad mortem ipſius naturalem, uel certè uſque dum profiteatur, aut formetur in Coadiutorem: quod ſi penes illum manet dominium, utique, & penes ipſum manet ius exigendi fructus hæreditatis renunciatæ, cùm quælibet res fructificet ſuo domino. Præter quāquòd non eſt æquum, ut renuncians in caſu, quo dimittatur è Societate, cogatur hinc, & illinc emendicare ſua bona, ea repetendo ab illegitimo detentore, & reſcindendo contractus de illis indebitè initos. ita ſenſi in contingentia facti interrogatus, & mecum ſenſerunt viri docti è Societate.

QVÆRES XXVII. An religioſus Societatis, qui modo dicto renuntiauit ſuis bonis ſub conditione perſeuerantiæ, ſi iam formatus in Coadiutorem dimittatur è Societate, habeat ius recuperandi ſua bona renunciata, æque ac habuiſſet, ſi ante formationem fuiſſet dimiſſus.

58 ℟. Habere, ſi conditio appoſita renuntiationi fuit, *Si perſeuerauero in Societate*; & ratio eſt, quòd per formationem vt ſic talis conditio non fuit purificata, immò nec plenè purificabitur niſi in morte naturali renunciantis; cùm ſemper poſſit dimitti è Societate, ſicque conditio perſeuerantiæ maneat in ſuſpenſo, vſque ad mortem naturalem renunciantis; conſtat autem quòd donatio conditionalis non tenet, niſi impleta conditione, ſub qua eſt facta. Secùs, ſi conditio appoſita tali renunciationi eſſet, *Si gradum ſuſcepero in Societate*; nam tunc renuncians nō poſſet recuperare bona à ſe ſub tali conditione renunciata, cùm ſic purificata ſit conditio, & purificata conditione, diſpoſitio conditionalis tranſeat in abſolutam.

Quòd ſi profeſſus Societatis, facta renunciatione ſub conditione *ſi perſeuerauero in Societate*, dimittatur: non ideò recuperat bona; cùm ex puncto profeſſionis completa ſit conditio ab ipſo appoſita: quod non procedit reſpectu Coadiutoris formati: qui cum per dimiſſionem fiat capax rehabendi, & ſæcularis; renuncians ſub conditione perſeuerantiæ, loquitur de perſeuerantia vſque ad profeſſionem incluſiuè.

Concedo tamen quòd ſi Coadiutor formatus poſt bonorum renuciationem factam filio dimittatur è Societate, mortuo filio, cui renunciauerat, in tali caſu in bonis ipſius non ſuccedat ille vt pater, ſed liberi filij demortui; non quidem quòd ille ſit incapax ſuccedendi (nam per dimiſſionem eſt factus capax) ſed quod ab inteſtato ſuccedunt filij æqualiter, & ſi eorum aliquis ſit præmortuus, pro eo ſuccedunt filij, & filiæ, vt notauit *Sà v. hæreditas numer. 5. ex Sylueſtro, Molina, & Fumo* addens *n. 6.* deficientibus filijs, ſuccedere patrem, & matrem æqualiter, & pro ijs auum, & auiam ex vtraque parte.

Adde quòd, ſi religioſo Societatis, antequam formaretur, relictum fuit legatum ſub conditione, *ſi non perſeuraueris in Societate*: ſi is iam formatus dimittatur, acquirit tale legatum, & ratio eſt quod profeſſi, & Coadintores formati Societatis non ſunt incapaces legati, ſed ſolius hæreditatis, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato; vt aduertit *Sanch. l. 7. moral. cap. 27. numer. 24. 25.* & alioqui Coadiutor formatus per dimiſſionem rehabilitatur ad recuperandum præſatum legatum, ſicut & rehabilitatur ad matrimonium ad quod in illo ſtatu erat inhabilis. Quod non procederet de hæreditate, quæ modo dicto ei fuiſſet relicta: hanc enim poſt dimiſſionem non recuperaret; quippe cuius factus eſt incapax hoc ipſo quod fuit formatus in Coadiutorem.

Quòd

Quod ſi prædictum legatum religioſo Societatis relinquatur ſub conditione, *ſi non fecerit profeſſionem*: ſi is verè non faciat profeſſionem, ſed ſolum formetur in Coadiutorem, & poſt formationem dimittatur è Societate; tunc vtique acquirit legatum; cum purificata ſit conditio, ſub qua relictum eſt: ſiquidem formari in Coadiutorem non eſt facere profeſſionem; & aliàs verſamur in materia odioſa, quæ non debet ampliari, ſed reſtringi.

An autem præfatum legatum relictum ſub conditione *Si non perſeuerauerit in Societate*, comprehendatur ſub generali renunciatione bonorum, quæ poſteà fiat à legatario, ac proinde ſi is è Socieate dimittatur, illud non recuperet.

59 ℞. Comprehendi, ſi renunciatio ſit facta vniuerſaliter de omnibus bonis tam futuris, quàm præſentibus; & quidem etiam de iuribus, atque actionibus ex quouis titulo competentibus: ſicut enim per dimiſſionem non recuperantur alia bona lègitimè renunciata iuxtà probabilem, immò & probabiliorem ſententiam; ita nec recuperabitur ius ad dictum legatum ſub ea vniuerſali renunciatione comprehenſum; cùm ſit par ratio de vtriſque. Nec obſtat, quòd conditio appoſita tali legato videtur reſpicere tempus, quo renuncians erit habilis, nimirum poſt dimiſſionem: nam hòc ipsò quòd renunciauit ius ad illud legatum, non poteſt illud recuperare, ſiue poſtea fiat habilis, ſiue non; alioqui renunciatarius ſpoliaretur iure legitimè acquiſito. Secùs, ſi religioſus ſub ſua renunciatione non comprehendiſſet dictum legatum; quippe quæ v. g. eſt facta ſolùm de bonis præſentibus: tunc enim poſt dimiſſionem recuperaret legatum, quantumuis per formationem factus fuiſſet incapax illius: idque ob dicta tum in reſponſione principali, tum in §. *adde*.

Dices, quid ſi tale legatum religioſo relinquatur poſt renunciationem bonorum factam, ſed ante formationem, aut emiſſionem profeſſionis, debet ne is, ante quàm formetur, aut profiteatur, expreſsè renunciare eiuſmodi legato: vel certè comprehenſum cenſeri debet ſub renunciatione iam facta?

℞. Cenſeri debere comprehenſum, ſi iuxtà modò dicta renunciatio ſit facta vniuerſaliter de omnibus bonis, etiam futuris, & quidem etiam de iuribus, & actionibus, in quibus vtique contineretur prædictum legatum; vt conſideranti facilè conſtabit.

QVÆRES XXVIII. An vi renunciationis factæ à nouitio iuxtà formam Concilij Tridentini omnia bona tradi poſſint renunciatario etiam ante profeſſionem emiſſam à renunciante.

60 ℞. *Caſtrus Palaus tractat. 16. D. prima parte 17. numer.* 15. probabilius eſſe quod poſſint: & probat tum quia ex iure antiquo talis traditio erat licita, quocumque tempore fieret bonorum renunciatio; ergò & modò erit licita: cùm Concilium quò ad hoc non immutauerit ius antiquum: tum quia ratio, quam in contrarium adducit *Sanchez lib. ſeptim. moral. capitul. quinto numer.* 53. (nimirum quòd ratio differendi renunciationem ad vltimum bimeſtre proximum profeſſioni, procedit quoque in traditione bonorum) probat ſolùm eiuſmodi traditionem potuiſſe rationabiliter prohiberi, ſed non probat illam fuiſſe de facto prohibitam.

QVÆRES XXIX. An renunciatio bonorum à Nouitio facta ſecundùm formam Concilij Tridentin. poſſit reuocari ratione ingratitudinis renunciatarij.

61 ℞. Poſſe, ſed nomine monaſterij (ſi ſit capax) & ex tacita voluntate Prælati: poſſe, inquam, reuocari, & quidem in omnibus ijs caſibus, in quibus iuxta *L. vltim. C. de reuocand. donat.* poſſunt reuocari aliæ donationes dum modò renunciatio non ſit facta in fauorem Eccleſiæ, aut monaſterij: in quo caſu monet *Layman. l. 3. ſection. 5. tractat. 4. cap. 10. num. 17. ex Clara contra Abbatem in capitul. verum numer. 3. de conditionibus appoſitis*, donationem factam Eccleſiæ reuocari non poſſe propter ingratitudinem Prælati, ipſiuſque capituli: vt pote quæ cenſetur facta non intuitu perſonarum, ſed ex pietate ergà Deum. Ducor, quod ius ciuile concedit facultatem reuocandi donationes propter ingratitudinem, & quidem vniuersè (quamuis ſolùm in caſibus ipſo iure expreſſis, quæ cùm verſentur circà materiam pænalem, extendi non debent ad alios ſimiles, vt notat *Laym. ſup.*) & talis facultas non reprobatur iure canonico neque in vniuerſum, neque in ſpecie quò ad renunciationem, quæ iuxtà formam Concilij Tridentin. fieri ſolet ante profeſſionem: cùm ergò ius ciuile, etiam pænale, habeat locum etiam in foro canonico, quandocumque contrarium iure canonico non reperitur diſpoſitum; ſicut aduertit *Nald. verb. ius num. 1. ex Rota Rom. deciſ. 72. num. 35. p. 2.* ſequitur facultatem reuocandi donationem ob ingratitudinem extendi ad renunciationem ſup. dictam: ſicque adueniente caſu ingratitudinis, poterit Nouitius reuocare renunciationem non ſolùm ante profeſſionem, ſed etiam poſt: cùm ius concedens facultatem ſup. dictam generaliter, ac indefinitè loquatur, nec extet vllum ius, quo vſus illius prohibeatur religioſo iam profeſſo: ſi quidem id fiat nomine Conuentus, Et de licentia ſaltem tacita, ac præſumpta Superioris: cum enim religioſus per profeſſionem fiat incapax dominij, & cuiuſcumque iuris realis acquiſiti, aut acquirendi: vtique, & erit incapax iuris ei competentis ad reuocandam renunciationẽ modo hic explicato, adeoque illam nequibit reuocare nomine ſuo, ſed ſolũ nomine monaſterij: quòd proinde propriè loquendo cenſeri debet in caſu propoſito reuocare renunciationem iuxta illud, *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*.

Quòd ſi talis reuocatio fiat poſt profeſſionẽ, hereditas à donatario ingrato reuoluetur ad monaſteriũ religioſi reuocantis, ſi ſit capax: ſin minùs ad eos, qui ab inteſtato ſuccederent dicto religioſo.

Sed iam dubium eſt, an, occurrente caſu, quo renunciatio reuocari poſſet ob cauſam ingratitudinis, poſſit talis reuocatio fieri à monaſterio, in quo renuncians profeſſus eſt, vt pote quod ſucceſſit in omnia iura religioſi renunciantis, ſtatim ac ille emiſit profeſſionem.

62 ℞. Quod, cùm ſolutio iſtius dubij pendeat ex ea quæſtione, vtrum donatio reuocari poſſit ob cauſam ingratitudinis ab hæredibus donantis; ſicut quo ad hanc quæſtionẽ diſſentiunt inter ſe DD. alij partem affirmantem ſuſtinentes cum *Mol. tr. 2. de contr. D. 281. nu. 4.* & alij negantem cum *Laym. l. 3. ſect. 5. tr. 4. c. 12. nu. 17.* ita & in præſenti dubio vtraque pars ſuſtineri poſſet tanquam probabilis; quamquam meo iudicio pars affirmatiua ſit probabilior: cùm ex vna parte iura vniueſaliter concedant donationem natura ſua reuocabilem ob cauſam ingratitudinis reuocari poſſe, & nulla peculiaris ratio occurrat id denegandi monaſterio ſuccedenti in iura ſui Religioſi vi profeſſionis facti in quantùm ad ſe incapacis quò ad reuocandam modo dicto donationem à ſe factam ante ipſam profeſſionem; ex alia parte probabile ſit hæredem donantis poſſe facere dictam reuocationem, vt iam diximus ex *Molina* pro ſe referente *Gregorium Lopez*; ita viri docti à me conſulti; non enim caſum reperi in terminis deciſum à Doctoribus.

QVÆRES XXX. An Scholaris approbatus Societatis caſu, quo dimitteretur è Societate poſt renuntiationem bonorum factam ſub conditione perſeuerantiæ, & conſequenter recuperaret ſua bona; ſi poſtea iterum admitteretur in Societatem, eò ipsò vigore renunciationis olim factæ cenſeretur deſtitutus ſuis bonis, æquè ac erat, antequam dimitteretur.

63 ℞. Quòd, cùm obligatio ſemel extincta non reuiuiſcat, vt pote non ſuſpenſa, ſed omninò ſublata; & per egreſſum è Societate in propoſito caſu obligatio renunciationis prorſus extinguatur, deficiente conditione ipſi appoſita: non apparet, quomodo dici poſſit reuiuiſcere, ex eo præcisè quod renuntians iterum recipitur in Societatem; niſi ergo iterum renunciet, perinde ſe habet renunciator, ac ſi numquam renunciaſſet, adeòque regreſſus in Societatem perinde eſt dominus ſuorum bonorum, ac erat, antequàm proprijs bonis renunciaret.

QVÆRES XXXI. An renunciatio bonorum fieri poſſit à religioſo poſt emiſſam profeſſionem independenter à conſenſu monaſterij.

64 ℞. Non poſſe, & probatur tum quia religioſus per profeſſionem transfert in monaſterium omnem ſuam voluntatem, & omnia ſua iura, ita vt ex tunc non ſibi, ſed monaſterio deferatur immediatè hæreditas, nec ius adeundi ſibi, ſed monaſterio competat, vt alijs citatis aduertit *Sanch. l. 7. mor. c. 12. num. 47.* cùm ergò non poſſit quis renunciare id, quòd ſuum non eſt; nec religioſus profeſſus poterit renunciare hæreditatem aliàs ſibi competentem; tum quia, teſte eodem *Sanchez nu. 37.* repudiatio hæreditatis facta à religioſo profeſſo ſine licentia Prælati non valet; ergò multò minus valebit renunciatio hæreditatis iam acquiſitæ facta ſine dicta licentia; cùm ius rei acquiſitæ ſit fortius iure rei acquirendæ. Poterit tamen fieri talis renunciatio de conſenſu monaſterij, & quidem ſine licentia Sedis apoſtolicæ, cùm hìc non interueniat alienatio propriè dicta; quæ eſt ſolùm circa acquiſita, non circa acquirenda; cuiuſmodi eſt hęreditas, de qua agimus in præſentia.

TRACTATIO III.

DE

Profeſsione Religioſa.

CVM iuxtà ſtatuta Eccleſiæ, & conſtitutiones vniuerſarum Religionum poſt completum nouitiatum ſequatur religioſa profeſſio, per quam ſtatus religioſus conſummatur: par eſt, vt & nos, abſoluta tractatione de Nouitiatu, modò aggrediamur tractatum de Profeſſione Religioſa. hunc autem diuidemus in 5. Capita, in quorum 1. Agemus de natura Profeſſionis Religioſæ, eiuſque qualitatibus tam eſſentialibus, quàm accidentalibus: In 2. Oſtendemus, quæ perſonæ admitti poſſint ad profeſſionem, & quæ non: In 3. Diſſeremus de effectibus ex ipſa prouenientibus: In 4. Declarabimus, quæ ſit illius perpetuitas: In 5. Exponemus obligationes, quæ vi profeſſionis oriuntur inter Religioſum profeſſum, ac Religionem, & inter Religionem, ac ipſum religioſum.

CAPVT I.

De Natura Profeſſionis Religioſæ, eiuſque Qualitatibus tàm eſſentialibus, quàm accidentalibus.

1 *EXplicatur, quid veniat nomine profeſſionis religioſæ.*
2 *Affertur eius definitio.*
3 *Profeſſio alia eſt expreſſa, alia tacita.*
4 *Tacita fit tribus modis.*
5 *At modò non admittitur, niſi cum certis conditionibus.*
6 *Conditiones quinque ſunt de illius ſubſtantia; quamuis ea impediri poſſit per contrariam proteſtationem.*
7 *Profeſſio expreſſa non fit abſque aliquo ſigno externo.*
8 *Profitendi forma non eſt eadem in vnaquaque religione.*
9 *At verba, quibus ea profertur, non ſunt eſſentialia.*
10 *Aliqua tamen neceſſariò debent in ea exprimi.*
11 *Profeſſio facta ſub conditione non ſemper tenet.*
12 *Aſſignatur, quod in ea operetur conditio indifferens de futuro.*
13 *Profeſſio ſub tali conditione facta obligat ad profitendum iterum.*
14 *Ad profeſſionem admittendi ſoli habiles.*
15 *Eam debet præcedere annus probationis completus de momento in momentum.*
16 *Vota biennij facta in Soc. Ieſu ante finem biennij interdum tenent.*
17 *Secùs, ſi non ſit expletus integer annus probationis.*
18 *Et hic annus petitur item ad valorem profeſſionis, quæ fit in Societate, etſi ea diutiùs differatur.*
19 *Tenet profeſſio nouitij recedentis poſt expletum nouitiatum, & poſtea iterum ad Ordinem redeuntis.*
20 *Recipienda à Prælato vnà cum ipſo monaſterio.*
21 *Et quidem interueniente legitimo vtriuſque conſenſu.*
22 *Non tenet profeſſio facta in communi.*
23 *Certi ritus ſeruandi in admittenda profeſſione iuxtà cuiuſque Ordinis ſtatuta, & conſuetudines.*

24 *Non eſt de eius eſſentia, vt ſcriptis legatur.*
25 *In Soc. Ieſu non tenet, ſi in ea non exprimantur 4. vota.*
26 *In ea profitens, tacito quarto voto, & parte ſua eſt profeſſus, non item ſemper ex parte Societatis.*
27 *Profeſſio iure communi non requirit teſtes.*
28 *Non petit mutationem habitus.*
29 *Fieri poteſt per procuratorem.*
30 *Seruatis tamen quinque conditionibus.*
31 *Fieri poteſt & per literas.*
32 *Non petit certum locum, in quo fiat.*
33 *Non tenet facta in monaſterio diuerſi ſexus.*
34 *Profeſſio religioſa fieri poteſt quouis tempore.*
35 *Non facienda ante expletum annum probationis.*
36 *Iure nouo ad eam requiritur annus 16. completus; ſed non reſpectu ordinum militarium.*
37 *Fratres Minimi validè profitentur ante 18. annum, etſi ante iſtam ætatem prohibeantur profiteri.*
38 *Non tenent vota bienniј facta in Soc. Ieſu ante 16. annum completum.*
39 *Tenet profeſſio facta poſt annum 16. etiam in Ordine requirente maiorem ætatem.*
40 *Religioſi laici ex decreto Clem. VIII. nequeunt profiteri ante 23. annum inchoatum; ſed hoc non eſt in vſu.*
41 *Profeſſio nouitiorum legitimè regiſtranda.*
42 *Facienda debita cum intentione.*
43 *Emiſſa fictè ratificari debet.*
44 *Secùs, ſi ſit nulla ex defectu ætatis, aut anni probationis, vel alio impedimento irritante; in quo diſſentit Sanchez.*
45 *Probat Sanch. ſuam ſententiam.*
46 *In ratificatione profeſſionis non repetenda ſolita ceremonia.*
47 *In Soc. Ieſu vota bienniј ratificari poſſunt in votorum renouatione.*
48 *Nuliter profeſſus non tenetur ratificare profeſſionem.*
49 *Niſi ad vitandum ſcandalum.*
50 *Locus genituræ acquiſitus ex profeſsione inualida retinetur, ſi bona fide fuit obtentus.*
51 *Profeſsio fit nulla ex errore, ignorantia, aut dolo verſante circa ſubſtantialia religionis.*
52 *Indicatur, quando error fit circa ſubſtantialia religionis, & quando circa accidentalia.*
53 *Error, ac ignorantia circa ſubſtantialia profeſsionem nullam faciunt, vndecumque proueniant.*
54 *Iure eccleſiaſtico profeſsio facta ex metu eſt nulla.*
55 *Si quidem metus ſit grauis & cadens in conſtantem virum.*
56 *Nulla item eſt profeſsio facta ex metu reuerentiali.*
57 *Vt metus annullet profeſsionem, debet incuti ad eam extorquendam.*
58 *Cogentes virum ad profeſsionem non ſubſunt excommunicationi.*
95 *Profeſsio facta ex vi eſt nulla.*
60 *Inualidè profeſſus poteſt reclamare ex Concilio Triden.*
61 *Tenet profeſsio facta ex ira, vel alia paſsione.*
62 *Tenet facta ob malum finem.*
63 *Tenet facta ſimoniacè.*
64 *Sicque profitens acquirit ius ad alimenta recipienda ab Ordine.*
65 *Incurrit tamen poenas latas contra ſimoniacos, ſecuta iam profeſsione.*
66 *Profeſsio religioſa irritatur ex reticentia impedimenti alias manifeſtandi, ſed non ſemper.*
67 *Reticens impedimentum, etiam accidentale, aliàs eijci poterat ab Ordine, ſed non hodie.*
68 *Limitatur aſſertio.*
69 *Reualidari poteſt profeſsio nulla ex defectu poteſtatis in admittente, ſi aliàs fuit admiſſa nomine legitimi Superioris.*
70 *Profeſsio aliàs nulla non ratificatur ex ſuſceptione ordinis ſacri.*
71 *Iteranda profeſsio ſi profeſſus rebaptizetur ſub conditione.*
72 *Non tenet profeſſio, in cuius emiſſione omittitur aliquod ex votis ſubſtantialibus religionis.*
73 *Item, ſi omittatur aliquod votum peculiare Ordinis.*
74 *Profeſſio irrita non ſemper obligat inſtar voti ſimplicis.*
75 *Profeſſio in dubio præſumitur valida.*
76 *Peccat profitens ex malo fine.*
77 *Peccat & profitens ex fine indifferenti.*
78 *Item profitens ex duplici fine, vno apto, & alio inepto, ſi hos fines intendat collectiuè.*
79 *Tenet profeſſio facta in Ordine relaxato.*

QVÆRES I. Quid ſignificetur nomine profeſſionis religioſæ.

1 ℞. Ex communi vſu Eccleſiæ ſignificari actum illum, quo is, qui vult fieri religioſus, ſtatum illum publicè, ac ſolemniter aſſumit: ſiue profeſſio fiat per vota ſolemnia, abſolutè, ac irreuocabiliter (quo modo regulariter fit in omnibus religionibus) ſiue etiam per vota ſimplicia, & dependenter ab aliqua conditione, quæ proinde diſſolui poſſit (vt in Soc. Ieſu, loquendo de iјs, qui bienniј vota emittunt, iјſque tantùm adſtricti per plures annos manent in Societate cum tamen ſint veri religioſi, & omnibus religioſorum priuilegiјs gaudeant.)

QVÆRES II. Quid ſit profeſſio religioſa formaliter, & ſubſtantiatur ſumpta.

2 ℞. Loquendo de profeſſione abſtrahente ab explicita, & implicita, poſſe definiri, quòd ſit Contractus moralis, non merè humanus, ſed religioſus, & ſacer, per quem homo voluntariè ſe ipſum tradit Deo in tali religione approbata, quatenus approbata eſt: & quidem promittendo 3. vota, paupertatem, caſtitatem, & obedientiam (ſiue talis promiſſio fiat explicitè, ſiue implicitè): idque interueniente Prælati regularis acceptatione, qui dictam traditionem nomine Dei acceptet. Et certè quòd requiratur ad ſubſtantiam profeſsionis religioſæ præfata traditio, inde probatur, quòd 3. vota religionis non ſufficiunt ad conſtituendum ſtatum religioſum (ſi quidem nouitius ante expletum annum probationis poteſt ea priuatim emittere, & tamen non ideò cenſebitur emiſiſſe profeſsionem) ſed requiritur aliquid aliud: hoc autem nihil aliud eſſe poteſt, niſi dicta traditio, quam homo à ſe ius ſui ipſius abdicet, illud in Religionem transferendo: & hoc propter Deum, vnde *S. Bonau. l. de informat. nouit. p. 1. ca. 2.* ait *Te dediſti ei propter Dominum, & iam non es tuus:* quo modo diximus profeſſionem eſſe contractum moralem religioſum, & ſacrum, non verò merè humanum: quod ſatis apertè innuit *S. Baſil. conſtit. monaſt. c. 22.* vocans profeſſionem religioſam pactum cum Spiritu San-

præterea, quòd dicta traditio fieri debeat in religione approbata, quatenùs approbata eſt, patet: quia alioqui materialiter tantùm, & per accidens ſe haberet approbatio; cùm tamen ad veram profeſſionem non ſufficiat fieri vota in religione approbata vt ſic, ſed requiratur, vt fiant in ea, pro vt eſt approbata, ideſt ad illum modum viuendi, qui approbatus eſt, non autem ad alium voluntarium, ſeu priuata deuotione inuentum: quod videtur contigiſſe in caſu relato à *Nauarro conſ. 49. de Regul.* quo quidam ſe obtulit monaſterio in manu Abbatis per hæc verba: *Ego N. me dono, & offero in oblatum monaſterio S. Benedicti vouendo paupertatem, caſtitatem, & obediētiā tibi eius Abbati, nō autē profiteor regulā Ordinis, nec me obligo ad ceremonias, & obſeruantias eius.* quòd verò præter eam traditionem requiratur ad ſubſtantiam profeſſionis etiam emiſſio 3. votorum, probatur: quia nulla res poteſt ſtare, aut concipi ſine aliqua ex ſuis partibus eſſentialibus: tria autem vota ſunt de eſſentia profeſſionis, vt pote quę ſunt de eſſentia ſtatus religioſi, ad quem aſſumendum ordinatur emiſſio profeſſionis. Quòd denique ad rationem profeſſionis petatur acceptatio præfatæ traditionis nomine Dei facta à Prælato regulari, conſtat ex *cap. ad apoſtolicam de Regul.* vbi, cùm dixiſſet Innoc. III. probationem ordinari in fauorem conuerſi, & monaſterij, vt ſe ſe inuicem experiantur, ſtatim ſubdit *Si vtraque pars renunciet iuri ſuo, & conuerſus profeſſionem emittat, & Abbas acceptet, obligationem oriri;* non eſt autem neceſſaria illa probatio, niſi quia profeſſio requirit ſubſtantialiter traditionem vnius, & acceptationem alterius; ſicut benè aduertit *Suar. tom. 3. de relig. l. 6. c. 2. nu. 5.*

QVÆRES III. Quotuplex ſit profeſſio.

3 ℞. Eſſe duplicem, expreſſam ſcilicet, & tacitā: expreſſa eſt illa, quæ fit ab aliquo legitimam ætatem habente poſt annum probationis in manu Prælati habentis poteſtatem incorporandi religioni, aut certè de ipſius licentia, in religione per ſedem apoſtolicam approbata cum conſilio, ſiue conſenſu Capituli ſecundùm aliquam certam, ac determinatam regulam, promittendo tria vota eſſentialia religionis: idque vel verbo, vel ſcripto, vel vtroque ſimul. Profeſſio tacita eſt illa, quæ fit ab aliquo ſine voce, ac ſine ſcriptura poſt legitimam ætatem, & expletum annum probationis in religione approbata à Sede apoſtolica; in qua profitens tacitè ſe obligat ad obediendum Prelato religionis iuxtà eius regulam, & ad ſeruanda 3. vota ſubſtantialia religionis, paupertatem, caſtitatem, ac obedientiam. eſt communis DD. & patebit ex quæſtionibus infrà proponendis, & ſoluendis de hac vtraque profeſſione; & maximè de expreſſa: de tacita enim pauca occurrunt dicenda, vt pote quæ poſt concilium Trid. quàm rariſſimè contingit, quòd validè fiat; ſicut aduertit *Sanch. li. 5. mor. c. 3. nu. 13.*

4 Tacita autem profeſſio 3. modis præſumitur facta: 1. ſi poſt annum probationis exactum geſtetur habitus proprius profeſſorum, & diſtinctus à habitu nouitiorum per triduum: idque ex *cap. ad noſtram de Regul: & c. conſtitutionem eod. in 6.* 2. ſi tali ſuſcepto habitu, quamuis ante triduum exactum exerceatur actus proprius profeſſorum, qualis eſſet ferre ſuffragium in capitulo: & hoc iuxtà *cap. vidua de Regul.* 3. ſi anno continuo habitus religionis deferatur, in qua nulla patens diſtinctio ſit inter habitus nouitiorum, & profeſſorum: quod habetur *in Clem. eos de Regul.* intellige, niſi ante finem anni habitus deponatur, vel ſaltem fiat aperta proteſtatio à deferente ſe non intēdere propterea profiteri religionem, ſi quidem, quando aliquod factū habet ambiguum intellectum, contraria proteſtatio iuuat, quò minùs factum intelligatur; ſicuti aliàs de iure præſumitur: vnde, cùm quis geſtare poſſit habitum religionis per annum, aut etiam vltra, nō animo profitendi, ſed vlteriùs probandi, ſi hanc ipſam ſuam voluntatem proteſtetur, talis proteſtatio euincet præſumptionem iuris; vt rectè notat *Sylu. v. religio 3. qu. 19.* cum *Gloſſa in cit. Clem. v. profeſſorum,* & cum eo *Laym. l. 4. tr. 5. c. 5. n. 1.* Qua de re Bordonus *c. 1. de profeſſ. q. 36.* monens, quod aliqui dicunt proteſtationem contrariam non releuare proteſtantem, non procedere, quando factum pendet à voluntate proteſtantis: vt colligitur ex *Bartolo in l. non ſolū §. morte n. 17. ff. de operis noui nunt.* Cōſulantur *Sanch. ſup. n. 35. & Rodr. to. 3. q. 17. a. 15.*

5 Et hæc de iure antiquo; ſi enim ſpectemus ius nouum inductum à *Concilio Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 15. & 16.* profeſſio tacita non habet locum, niſi inducatur elapſo anno nouitiatus, & expletis 16. ætatis profitentis annis: quæ vtique ſtando in iure antiquo non requirebātur ad tacitè profitendum. Vnde patet per Tridentinum non fuiſſe ſublatas profeſſiones tacitas, abſolutè loquendo, ſed potiùs fuiſſe limitatas, &, vt ita dicam, modificatas: de ijs quippe Concilium nihil omninò ſtatuit, adeòque militat regula, quòd caſus omiſſus manet in diſpoſitione iuris antiqui, vt benè animaduertunt Doctores, præſertim *Miranda p. 1. q. 24. a. 12.* Ex quo fit, quòd, quamuis per Tridentinum ſublata ſit profeſſio tacita inducta *per cap. vidua, & c. ad noſtram de regular.* quatenus inducitur ſtatim delato habitu profeſſorum patenter diſtincto ab habitu nouitiorum cum exercitio actuum profeſſorum, aut altero horum concurrente cum tridui perſeuerantia (cùm aliàs Tridentinum petat integrum annum nouitiatus:) ſupradicta tamen profeſſio per citatos textus inducta poſſet admitti in caſu, quo, abſoluto integro anno nouitiatus, & completis 16. annis ætatis, quis modo ſupradicto indueret habitum profeſſorum diſtinctum patēter ab habitu nouitiorum, aut certè cum alijs profeſſis exerceret actum iure, vel conſuetudine ſolis profeſſis competentem: ſi quidem tunc non contrauenitetur decreto, nec deſideraretur tridui perſeuerantia in exercitio actus profeſſorum, aut delatione habitus ipſorum: ſtante quod ea iure communi non petebatur, quando præceſſerat annus nouitiatus.

6 Addo ad valorem cuiuſcumque profeſſionis tacitæ requiri quinque conditiones: 1. eſt, vt actus, per quem inducenda eſt profeſſio, fiat authoritate, & conſenſu eius, cuius eſt in eam religionem admittere, qui ſaltem indicetur per eius ſcientiam, & patientiam: 2. eſt, vt ea per quæ induci debet profeſſio, fiant ſpontanea voluntate: 3. vt fiant ſcienter, ita vt ijs actibus vtens ſciat

eos pertinere ad ſolos profeſſos: 4. vt ijs actibus vtens verè intendat profiteri: 5. vt dictis actibus vtens ſit conſtitutus in ætate legitima petita ad valorem profeſſionis expreſſæ, quæ olim erat pubertas completa, modo verò eſt annus 16. de momento in momentum completus. ita *Sanch. ſup. num.* 14. *& ſeqq.* alijque penes ipſum; qui docet *num.* 39. ad inducendam profeſſionem tacitam per annuam delationem habitus communis nouitijs, ac profeſſis non eſſe opus, vt talis delatio fiat poſt annum 16. ætatis completum, ſed ſufficere illam expleri completis 16. annis: probatque; quia *Conc. Trid.* ſtatuit ſolum, ne profeſſio valeat ante annos 16. completos: vnde cum profeſſio incipiat ſuum valorem ſortiri, quando impletur annus delationis dicti habitus, ſatis erit deferentem tunc temporis habere 16. annos; quòd ſi completo anno delationis deferens nondum compleuerit illos eo quòd, abſoluta pubertate, ſtatim illum aſſumpſerit, in tali caſu ſufficiet, quod continuet delationem habitus vſq; ad annũ 16. & ſtatim ac is complebitur, profeſſio incipiet valere: de profeſſione tacita aguut *Sanc. ſup. cit. c. 3. à nu.* 13. vſque ad finem *Miranda q. citata ab a.* 7. *vſque ad* 12. *Portell. de dub. regul. v. profeſſio numer.* 2. *vſque ad* 5. *Peyr. de R. S. qu.* 1. *cap.* 26. *§.* 3. *Rodriq. to.* 3. *quæſt.* 17. *ab a.* 1. *vſque ad* 4. *Azor. p.* 1. *l.* 12. *cap.* 4. *q.* 3. 4. *&* 5.

QVÆRES IV. Quibus ſignis, & qua fama emitti debeat profeſſio expreſſa.

7 ℞. Poſſe emitti non ſolùm verbis (quod regulariter fit) ſed etiam nutibus, aut ſcriptura: ſi quidem nullibi reperitur verba eſſe neceſſaria ad profeſſionem; vnde fit, quòd mutus à natura, qui ſubinde etiam ſit ſurdus, poteſt validè profiteri, dummodo mutus ille ſit ingenij adeo perſpicacis, vt ſignis edoceri valeat naturam ſtatus religioſi, poſſitque conſenſum exprimere ſigno aliquo ſenſibili; vt benè notat *Azor. q.* 1. & cum eo *Sanch. nu.* 2. addens *num.* 5. profeſſionem faciendam eſſe in ſcriptis iuxtà *c. ſi.* 20. *q.* 1. vt ſic de ea authenticè cõſtet; ideòque profeſſum tacitè cogi poſſe, vt expreſsè profiteatur in ſcriptis: quippequi cùm iam ſit religioni ſubditus, ab ea poteſt compelli ad ea præſtanda, quæ ius præſcribit; ſicut & ipſe poteſt cogere religionem, vt admittat eius profeſſionem expreſſam: cùm obligatio ſit reciproca ipſius ad monaſterium, & huius ad ipſum, ſuaque interſit profiteri expreſsè: quippequi non poteſt eſſe Prælatus, niſi ſit profeſſus expreſsè *ca. nullus de elect. in* 6.

8 Quod autem ſpectat ad formam profitendi: ea non eſt eadem in omnibus religionibus, ſed varia iuxtà varia Ordinum inſtituta. quandoque enim profitens promittit ſe ſeruaturum regulam; quandoque obedientiam regulæ, (quod intelligitur de ijs, quæ in regula continentur tanquam præcepta:) quandoque dicit ſe profeſſionem facere, exprimẽdo 3. vota ſubſtantialia religionis; quandoque promittit ſtabilitatem, & conuerſionem morum, perpetuam continentiam, carentiam proprij, & obedientiam ſecundùm regulam S. Auguſtini; quandoque promittit ſtabilitatem, & conuerſionem morum, & obedientiam coram Deo, & Sanctis eius ſecundùm regulam B. Benedicti in præſentia N. Abbatis; quandoque promittit ſtabilitatem, obedientiam, & conuerſionem morum, (vt in Ordine Carthuſienſium:) quandoque promittitur ſolum obedientia ſecundùm regulam S. Auguſtini, & conſtitutiones proprij Ordinis, nulla mentione facta caſtitatis, aut paupertatis, (vt in Ordine Prædicatorum.) Circa quas formas profitendi notat *Azor. q.* 2. in ijs ſub promiſſione expreſſa obedientiæ regularis comprehendi etiam paupertatem, & caſtitatem, vtpote quæ continentur in regula.

9 Cæterum notat *Sanch. ſup. nu.* 4. *ex Gloſſ. Abb. Lopez, Sylu. Roſel. Tab. Armill. & Ang.* quòd, quamuis religionis regula præſcribat certam formã profitendi: non ſunt tamen ea verba adeò neceſſaria, vt, ſi fiat alijs verbis, profeſſio ſit irrita; quin ea eſt valida, quibuſcumq; verbis fiat; intellige, niſi fortè regula à Sede Apoſtolica approbata exprimat profeſſionem alia forma factam fore irritam: tunc enim ſine dubio eſſet inualida, vt patebit ex dicendis infra *quæſt.* 12.

10 Monet etiam *Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 6. *cap.* 12. *n.* 6. de neceſſitate formæ profitendi eſſe, vt per eam exprimatur obligatio 3. vototum cum traditione, ſeu reſpectu ad certam, ac determinatam regulam, probatque quia ex vna parte ſubſtantia profeſſionis religioſæ iuxtà dicta *qu.* 2. requirit 3. vota vnà cum traditione, adeòque hoc totum exprimi debet per formam illius; ex alia parte de ratione validæ profeſſionis eſt, vt fiat in manibus eius, qui poſſit incorporare religioni. ergò, cùm nullus ſit, qui poſſit incorporare religioni in genere, ſed huic, aut illi in particulari, neceſſe eſt, vt traditio fiat determinando religionem, cui fit, & conſequenter, vt profeſſio fiat cum reſpectu ad certam religionem in particulari; vnde *in c. fin. de religioſ. domib.* dicitur quicumque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis aſſumet: quod vtiq; non eueniret, ſi profeſſio fieret abſque reſpectu ad certam religionem in particulari: prçter quàm quòd actiones verſantur circa particularia.

QVÆRES V. An valida ſit profeſſio facta non abſolutè, ſed ſub conditione.

11 ℞. Diſtinguendo: vel profeſſio fit ſub conditione repugnante ſubſtantiæ ſtatus religioſi (vt ſi quis profiteatur ſub conditione, vt ſibi liceat proprium retinere:) & ſic profeſſio non eſt valida, cùm deficiẽte parte ſubſtãtiali, vel conſenſu in illã non poſſit perfici contractus, & conſequenter nec profeſſio iuxta *cap. tua nos de ſponſal.* & aliàs quocumque ſubſtãtiali, ſeu eſſentiali ablato, tota res deſtruatur, vel profeſſio fit ſub conditione indifferenti, & ſic, ſi quidem conditio ſit de præſenti, aut de præterito, vtique profeſſio eſt valida, cum talis conditio non ſuſpendat actum, adeòque non participet propriè de natura conditionis: ſi verò conditio ſit de futuro (v.g. promitto paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, ſi pater meus cras voluerit) probabile videtur profeſſionem in tali caſu futuram validam abſque eo quòd impleta conditione denuò emittatur (modo nec religio admittens, nec profeſſus priorem cõſenſum mutauerint.) ducor ex eo quod *Sanch. l.* 5. *de matr. D.* 8. *num.* 5. cum communi Canoniſtarum ſententia, & aliquibus Theologis ſu-

ſtinet

ſtinet matrimonium initum ſub conditione de futuro fieri validum, ſtatim ac purificatur conditio abſque nouo alio conſenſu: eſt autem eadem ratio de profeſſione religioſa, ac de matrimonio carnali, vt aduertit Sanch. *l. 5. moral. cap. 4. nu.* 88. nobiſcum ſentiens, & concedit etiam *Suar. ſup. nu.* 18. quamuis aliàs oppoſitam ſequatur ſententiam tam quo ad matrimonium, quam quo ad profeſſionem; vnde ſi doctrina *Sanchez* eſt probabilis quo ad matrimonium, (quo modo re vera eſt) erit etiam probabilis quo ad profeſſionem iuxta regulam iuris, *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio.*

12 Ex quo infert *Sanch. num. 89. & 90.* quòd ſicut profitens ſub conditione indifferenti de futuro, ea adhuc pendente, poteſt validum inire matrimoniũ, eò quòd ante euentum conditionis nõ ſit conſummata profeſſio, ſed pendens à futuro euentu: ſic, ſi ille ſub ſimilibus conditionibus profiteatur in duplici religione, & vtraque conditio ſimul impleatur, neutra profeſſio valebit; cùm vtraque ſe mutuò impediat: ſicut è contrà, impleta priùs altera ex dictis conditionibus, valebit profeſſio emiſſa ſub tali conditione; ſiue prior fuerit, ſiue poſterior, & altera omninò corruet.

Quòd ſi quæras, an, ſtando in ſententia *Suarez*, quam probabilem eſſe concedit *Sanchez numer.* 88. profeſſio facta ſub conditione indifferenti de futuro, aliquam obligationem inducat, & qualem.

13 ℞. Inducere obligationem iterum profitendi, adeòque eo modo profitentem poſſe cogi ad iterum profitendum, ſi de priori illa profeſſione ſufficienter conſtiterit; ſi enim matrimonium factum ſub conditione indifferenti de futuro æquiualet ſponſalibus de futuro quò ad vim obligandi ad contrahendum matrimonium, impleta conditione (vt colligitur ex *cap. ſuper eo de condit. appoſ.* vbi dicitur, *niſi voluntas patris poſtmodùm intercedat, nequaquam cogendus eſt ad matrimonium contrahendum*: ſic innuendo, quòd, ſi interueniſſet, voluntas patris, tunc ille cogendus fuiſſet ad matrimonium contrahendum: cum talis coactio iuſtè fieri non poſset, ſi ille ex eo priori contractu ad hoc non manſiſset obligatus;) ſi, inquam, matrimonium de futuro ſub præfata conditione æquiualet ſponſalibus de futuro, ergò & idem proportionaliter dicendum eſt de profeſſione, quæ fiat ſub eiuſmodi conditione, ſicque taliter profeſſus cogi poterit ad iterum profitendum, non ſecùs, ac cogi poteſt ad matrimonium de præſenti is, qui ſub dicta conditione matrimonium contraxit. ita *Suar. ſup. num.* 20. addens *num.* 21. id maximè procedere, quando profeſſio conditionata fit in manibus eius, qui habet poteſtatem admittendi ad profeſſionem: immò & in caſu, quo profeſſio fiat in manibus non habentis poteſtatem ſub conditione, ſi Superior conſenſerit, ſeu ratum habuerit, ſeu poteſtatem conceſserit: idque eſt magnum abuſum illius profeſsionis inuſitatum in Eccleſia, & valde repugnantem menti Prælatorum, à quibus pendet talis conditio.

QVÆRES VI. Quinam licitè, & validè admitti poſſint ad profeſſionem.

14 ℞. Poſſe admitti omnes illos, qui nullum ad id habent impedimentum, ſiue naturale, ſiue iure communi inductum, ſiue ex peculiaribus ſtatutis cuiuſuis Ordinis, & aliàs legitimum abſoluerunt nouitiatum eo modo, quo diximus in *tract. præcedenti cap. 1. q. 3. 4. 5. 6. & 7.* hæc autem reſponſio meliùs conſtabit ex dicendis *cap. ſeq.* vbi commodiùs in ſpecie oſtendemus, quinam poſſint admitti ad profeſſionem religioſam.

QVÆRES VII. Vtrum annus nouitiatus, qui neceſsariò præmittendus ad religioſam profeſſionem ex decreto *Concilij Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de Regul.* computari debeat de momento in momentum.

15 ℞. Debere computari, adeòque eum, qui die 1. Ianu. ſuſcepit habitum religionis poſt meridiẽ, non poſſe validè profiteri ante meridiem eodem die recurrente in termino anni, ſed expectandum eſſe punctum ſuſcepti habitus. ita *Sanch. Mol. Graff. Leſſ. Henriq. Regin. Suar. Mir. Villalob. Nald. Vecch. alijque* quos citat, & ſequitur *Diana p. 3. tr. 2. reſol.* 57. patetq; ex dictis in *tract. præced. c. 1. q. 7. & c. 9. q. 19.* quamuis *Nald. verb. profeſſio regul. n. 7. cum Henriq. l. 13. c. 40. n. 2. & Rodriq. to. 3. q. 15. ar. 4.* dicat non eſſe improbandam contrariam opinionẽ, nempe ſatisfieri præcepto ſup. dicto Concilij Trid. ſi profeſſio emittatur in principio illius diei, in quo fuit aſſumptus habitus religioſus; cùm ſic ſatis perfecta dicatur dies, quæ fuit incæpta: idque ob fauorem profeſsionis, quæ cùm multa bona conferat profitenti, meritò reputatur fauorabilis, adeòque gaudet beneficio regulæ illius, quam tradit idẽ *Nald. verb. tempus nu.* 3. quòd ſcilicet in fauorabilibus dies incępta habetur pro completa; cum *Naldo* ſentit *Caramuel D. 40. in reg. S. Benedicti nu.* 463. ea ductus ratione, quod præcepta Eccleſiæ non mathematicè, ſed moraliter debent intelligi. Decretum tamen præfatum Concilij non extenditur ad Ordines militares, vt aduertit *Sanchez numer.* 17. alijs relatis.

Sed difficultas ſpecialis eſt quò ad religioſos Societatis, an eius nouitij validè faciant vota ſimplicia, per quæ fiunt veri religioſi, ſi nondum expleuerunt biennium probationis per Conſtitutiones ipſius Societatis petitum, vt quis admittatur ad ea vota.

16 ℞. Cum diſtinctione: vel ij emittunt præſata vota ex diſpenſatione Præpoſiti generalis, & ſic talis Emiſſio votorum eſt valida, ſi quidem neque iure communi, neque proprio Societatis probari poteſt illud biennium totum eſſe neceſſarium ad validam emiſſionem dictorum votorum: non iure cõmuni, cùm Societas addens alterum annum probationis anno iure communi requiſito, non ideò cenſenda ſit ſub eadem lege, ac neceſſitate illum addidiſſe, ſub qua iure communi ſtatutus erat vnus annus: nulla enim apparet ratio talis conſecutionis, niſi id in iure nouo explicetur: non iure proprio Societatis cùm potius oppoſitum expreſsè declaratũ videatur *p. 5. conſtit. c. 1. lit. C.* vbi, cùm in conſtitutione indefinitè dicatur tempus ad admittendum vltrà biennium eſſe oportere: in declaratione additur hoc temporis ſpatium ſicut prorogari, ita, & contrahi poſſe quibuſdam in caſibus ex cauſis non leuis momenti iudicio Prępoſiti generalis, cuius erit diſpen-

diſpenſandi ius, licèt raró id debeat fieri; quòd ſi *Congregat. generalis v. can.* 12. ſtatuit, *vt in nullo caſu exercere liceat facultatem contrahendi biennij ſpatiū ad hoc quòd quiſpiam ante expletum biennium cenſeatur verus religioſus, & ſcholaſticus approbatus per emiſſa vota ſimplicia Societatis*, hinc non ſequitur ſup. dictam facultatem fuiſſe ſublatam Prępoſito generali, ſed ſolùm ei prohibitum fuiſſe vſum illius; quod eſt valde diuerſum, cùm multa fieri prohibeantur, quæ tamen facta tenent; vt videre eſt in omnibus iuribus prohibentibus aliquem actum, ſed eum non irritantibus. Vel nouitij Societatis emittunt vota biennij ante ipſum biennium expletum ſine diſpenſatione Generalis; & ſic emiſsio eſt inualida, adeóque non facit, quod emittens efficiatur vetus religioſus; ſi quidem in Societate nullus Superior habet facultatem admittendi ea vota, per quæ quis incorporetur ipſi Societati, niſi Prępoſitus Generalis, & is cui ille eam communicauerit, vt conſtat ex illius Conſtitutionibus *p.* 5. *cap.* 1. *& p.* 9. *cap.* 3. §. 1. Præpoſitus autem generalis nulli alteri Superiori, neque locali, neque Prouinciali communicat facultatem incorporandi aliquem in Societatem, niſi biennio probationis expleto, immò ex decreto Congreg. generalis paulò ante allegato prohibitus eſt eam communicare; vnde ſi aliquis Superior Societatis dicta vota ſine Generalis diſpenſatione admittat, admiſſiò eſt omninò irrita, vtpote facta à non habente poteſtatem admittendi, & hoc, etſi nullum interueniat decretum dicta vota irritans; & vouens ex vi illorum non manebit obligatus, cum non intenderit ſe obligare, niſi ex ſuppoſitione quod ſua vota admittantur. ita *Sanch. l.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 20. *Suar. to.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 2. *cap.* 4. *nu.* 9. *& to.* aijque multi viri doctiſſimi ab ipſo Sanch. conſulti, & tacito nomine relati vbi ſupra cum quibus ſentit *Caſtr. Pal. tr.* 16. *D.* 1. *p.* 13. *n.* 5.

Dubitari hic etiam poteſt, vtrum ad validam emiſſionem 3. votorum ſimplicium in Societ. requiratur, vt iuxta decretum *Concilij Trid ſeſſ.* 25. *ca.* 15. *de Regul.* eam præcedat integer annus nouitiatus: & ratio dubitandi eſt, quòd Concilium ibi ſolum loquitur de profeſſione, dicens, *profeſſio autem antea facta ſit nulla*, ac proinde cum dicta emiſſio votorum in toto iuris rigore non ſit profeſſio, decretum Concilij tanquam odioſum non debet extendi, vt comprehendat iſtum caſum.

17 ℞. *Suar. ſup. l.* 3. *cap.* 6. *nu.* 2. *&* 3. quòd quamuis olim probabile cenſuiſſet præfato decreto Concilij nullatenus comprehenſam fuiſſe emiſſionem votorum ſimpliciū, qua Societate incorporâtur illius nouitij; re tamen attentiùs conſiderata ſuſtinendum eſt oppoſitum tanquam verum; idque probat multis rationibus, quæ videri poſſunt apud ipſum. certè, ſi Concilium voluiſſet excipere Societatem ab eo decreto generali, id aliquo modo inſinuaſſet: ſicut in *cap.* 16. fecit excipiendo Societatem à generali regula, quam tradiderat, vt expleto anno probationis nouitij vel eijciantur, vel admittantur; prę ter quàm quòd decretum ſupradictum eſt fauorabile religioſo, in cuius commodum cadit, quòd ante ſufficiens vnius anni experimentum non poſſit ligari, ideòque debet ampliari, ita vt non extendatur ſolùm ad incorporationem, quæ fit per ſolemnem profeſſionem, ſed etiam ad quamcumque aliam.

18 Addit *Suar. ſup. l.* 2. *cap.* 4. *num.* 8. quòd licèt in Societate inter annum primum probationis, & profeſſionem plures anni interponantur, non propterea interrumpitur probatio (quam ipſe *Suar. n.* 7. ſupponit debere continuari per annum, & quidem cum profeſſione abſque morali interruptione;) totumquippe illud tempus ordinatur ad maiorem confirmationem, & certitudinē ipſius probationis; maximè cum neque in alijs Ordinibus dicatur interrumpi probatio per dilationem profeſſionis poſt annum, ſi nouitius in eadem religione perſeuerer, quamuis, per ſe loquendo, talis dilatio in alijs Ordinibus non concedatur.

19 Vtrum verò, ſi Nouitius, expleto anno nouitiatus, recedat à religione, & poſtea ad illam iterum reuertatur, egeat nouo nouitiatu ad profitendum, nec ne, conſtat ex dictis in *tract. præced. cap.* 1. *q.* 12. vbi etiam *q.* 21. §. *Imo notant* oſtendimus, occurrente anno biſſextili, in computando anno nouitiatus duplicem diem reputari pro vna.

QVÆRES VIII. An, & quo modo ad recipiendam profeſſionem nouitij concurrant tum Pręlatus monaſterij; tum ipſum monaſterium.

20 ℞. Concurrere eo modo, quo dicemus *cap.* 4. *per multas qq.*

QVÆRES IX. Qualiter debeat præſtari conſenſus pro recipiendis ad profeſſionem.

21 ℞. Debere præſtari, vti diximus *tract. præced. cap.* 2. *q.* 3.

QVÆRES X. An teneat profeſſio facta in religione in communi.

22 ℞. Non tenere; & probatur ex *cap. vn. de voto in* 6. *vbi* dicitur votum ſolemnizari per profeſſionem expreſſam, vel tacitam alicui de religionibus approbatis per Sedem apoſtolicam.

QVÆRES XI. Quid requiratur ex parte Prælati admittentis profeſſionem, ad hoc vt ea validè emittatur.

23 ℞. Ordinariè non requiri vlla verba, quibus ſignificetur acceptatio profeſsionis: exigi tamen aliquod ſignum, ſeu exteriorem demonſtrationem, qua indicet Prælatus ſe admittere profeſſionem. ratio eſt, quòd contractus humanus, generaliter loquendo, ita requirit conſenſum interiorem, vt ſimul petat illum manifeſtari ſigno aliquo exteriori: nam abſque ſignis externis non poſſunt homines inter ſe mutuos conſenſus agnoſcere, aut acceptare; profeſſio autem, licèt principaliter includat obligationem ad Deum, non fit tamen ſine aliquo contractu inter homines, ideòque exigit aliquod ſignum ſenſibile, vt dictum eſt. Sic in Societate Ieſu, cùm in Conſtit. *p.* 5. c. 3. deſcribatur forma particularis, quam proferre debet is, qui profitetur, nullum additur verbum, quod proferendum ſit ab acceptante: ſolùm Sacerdos, qui acceptat profeſſionem: accipere ſolet ſcriptam profeſſionem de manibus profitentis in ſignum acceptationis; quāuis teſte *Suar. to.* 4. *de relig. tra.* 10. *l.* 6. *cap.* 5. *num.* 12. neceſſaria non ſit talis acceptio, nec de ea mentio fiat in Conſtitutionibus: cum ſatis cenſeatur acceptari

ptari ptofeſſio, hoc ipſo quòd publicè poſt ſacrificium miſſæ auditur à Sacerdote ad profitentem, ſe conuertente, recepta præ manibus Sacroſancta Euchariſtia, nec non conſentiente, & ſacram communionem ſtatim impertiente. Quod quidem non eſt eſſentiale, at non caret myſterio; cum Sacerdos dans Euchariſtiam indicet ſe acceptare profeſſionem, & in ſuam communionem ſpiritualem profeſſum recipere: Deus autem, & Chriſtus ſe ipſum principaliter dans, auxilium ſuum ad fidem ſibi datam ſeruandam tacitè promittat; pignuſque ſingularis prẹmij poſtea conſequendi, ſi ab ea non defíciat, tribuat, profeſso interim Chriſtum ipſum ſuſcipiendo, eum adducente quaſi in fideiuſſorem, Deoque offerente de fide, ac promiſſione præſtita ſeruanda. Quæ autem ſigna in vnaquaque religione adhiberi debeant ad oſtendendam acceptationem profeſſionis, colligendum eſt ex conſuetudine, ac conſtitutionibus ſingulorum Ordinum, quibus omninò ſtandum eſt.

QVÆRES XII. An ſit de eſſentia profeſſionis, vt ea ex ſcripto legatur.

24 ℞. Regulariter non eſſe, niſi fortè in aliqua religione aliter ſtatutum ſit: quo modo ſtatutum videtur in Soc. Ieſu; ſi quidem propoſitis in *v.p.Conſt.c.3.* pluribus circumſtantijs obſeruandis in emittenda profeſſione, in declaratione (quæ vim habet conſtitutionis) dicitur non omnes illas eſſe ſimpliciter neceſſarias, ſed decentes; additur tamen, *Illud autem eſſentiale eſt, vt publicè votum legatur coram ijs, &c.* vnde infert *Suar. tom.3. de relig.l.6. cap.12. numer.3.* quòd cùm verbum *legatur* in omni rigore, & proprietate præſupponat debere eſſe ſcriptum, quod legẽdum eſt, ſequitur de ratione profeſſionis, quæ fit in Soc. eſſe ſcripturam, ſicque videri omninò obſeruandum, nec carere ſcrupulo nullitatis, ſi profeſſio aliter fiat. Qui modus loquendi, ſi attentius obſeruetur, indicare videtur ſecundum Suarez non excludi abſolutè, quominus in Societate profeſſio legi poſſit ex libro impreſſo, in quo ea extet, & conſequenter ſaluari proprietatem verbi *legatur* abſque eo quòd profeſſio ſit ſcripta.

25 Vnum hic obiter moneo ex *Suar. tom.4. de relig. tract.10. l.6. cap.5. num.2.* quòd ſi religioſus Societatis in legenda profeſſione ſolùm diceret *Ego profeſſionem facio in Soc. Ieſu*, promiſſionem expreſsam votorum tacendo, non fieret profeſsus; ſi quidem in Soc. ex mente Conſtitutionum eius videtur eſse de ſubſtantia, ac neceſſitate profeſſionis, quæ fit in illa, vt 4. vota expreſsè emittantur (loquendo de profeſſione 4. votorum,) itaut verba profeſſionis quò ad votorum expreſſionem, ac profeſſionem ſumantur per modum vnius continuatę orationis, quę non habet perfectum ſenſum, donec tota proferatur.

26 Ex quo infert *Suar.n.3.* quòd, ſi religioſus Societatis accedens ad emittendam profeſſionem 4. votorum dicta forma profeſſionis vſque ad expreſſionem 3. votorum ſubſtantialium, nollet vlterius progredi, nec quartum votum emittere (quo promittitur ſpecialis obedientia Papæ circa miſſiones) ex parte quidem ſua maneret profeſsus, cùm ſupponatur habere intentionem profitendi eo modo, qui per ſe ſumptus ſufficit ad quamdam veram profeſſionem faciendam; ex parte verò Societatis tunc ſolùm verè profeſsus maneret, quando profiteretur coram Generali, & is vellet acceptare talem profeſſionem, prout liberè poteſt: ſic enim nihil deeſset ad valorem profeſſionis, cùm ad eam concurrat & intentio profitentis, & legitima acceptatio Superioris, ſecùs, ſi profeſſio fiat coram alio ex commiſſione ipſius Generalis; ſi quidem, cùm ei commiſsa ſit ſolùm poteſtas admittẽdi talem perſonam ad profeſſionem 4. votorum, non poteſt profeſſionem factam cum reticentia quarti voti acceptare in præſenti caſu, cùm ei commiſsa ſit tãtùm poteſtas acceptandi ad profeſſionem 4. votorum, & non aliam, ideoque non poſſit admittere ad alium gradum, etiam inferiorem, ſinè noua Generalis conceſſione; ad quod probandum facit *cap. cui de non ſacerdotali de præbend. in 6.* vbi deciditur, quòd, cui mandatur prouideri de integra præbenda, etiãſi in Eccleſia extent tam integræ, quam dimidiæ prębendæ, & ipſe velit dimidia eſſe contentus, non poteſt de illa prouideri: & cui mandatur dari præbenda certæ quantitatis, non poteſt dari præbenda minoris valoris, etiam ipſo volente, *non enim* (inquit textus) *huiuſmodi mandata, quorum fines diligenter ſeruari oportet, debent ad caſus alios, quàm expreſſos extendi*; quæ ratio, & deciſio cùm eadem, aut etiam maiori proportione locum habet in caſu hìc propoſito, vt patet.

QVÆRES XIII. An ſit de eſſentia profeſſionis, vt ea fiat coram teſtibus.

27 ℞. De iure communi non eſse, ac proinde profeſſionem factam inter eum, qui poteſt incorporare religioni, & profitentem validam eſse corã Deo; cùm in iure communi nullum reperiatur decretũ, quod eam irritet; quamuis, ſi natura talis actus ſpectetur petat vt coram teſtibus ſufficientibus fiat, ad hoc vt conuenienter fiat: quippe, cùm per profeſſionem aſsumatur ſpecialis ſtatus Eccleſię, debet profeſſio ita fieri, vt de ea poſſit conſtare ipſi Eccleſiæ. Dixi *de iure communi*, vt indicarem hac in re conſulenda eſſe peculiaria iura religionum: quale eſt illud, quod habetur in *Conſtitutionibus Soc. Ieſu loco ſup. citato*, in quibus eſſentiale eſſe dicitur, vt vota legantur coram ijs de Societate, & externis qui adfuerint; imò *Palud. in 4. d.38. q.2. diuiſ.8.* dicit expreſſam profeſſionem debere fieri prẹſentibus duabus partibus Conuentus, & maiori parte conſentiente, & non debere aliter fieri, nec factum tenere: quod tamen benè limitat *Suar. to.3. de relig. l.6. c. 12. n.5.* ſi ita iure particulari religionis cautum ſit: aliàs enim hæc doctrina non eſt vera.

QVÆRES XIV. An mutatio habitus ſit de eſſentia profeſſionis religioſæ.

28 ℞. Non eſſe; & probatur, quia dicta mutatio eſt circumſtantia ſatis extrinſeca profeſſioni, ideòque nulla adeſt ratio, cur dicatur eſſe de illius ſubſtantia: eſt communis DD. apud *Suar. nu.24.* & ſatis exprimitur in *cap. inſinuant qui Cler. vel nou.* ſumiturque ex *cap. porrectum de Regul.* quod tamen non facit, quin pie, & laudabiliter in aliquibus religionibus talis mutatio habitus ſit vſitata: vnde *q.3. §. tacita autem* diximus vnum ex modis, quibus induci-

tur profeſſio tacita, conſiſtere in eo, quod per triduum geſtetur habitus proprius profeſſorum, & diſtinctus ab habitu nouitiorum.

QVÆRES XV. An, & qualiter poſſit fieri profeſſio per Procuratorem.

29 ℞. Poſſe, ſi ſeruentur conditiones inferius apponendæ, & non obſtent ſpecialia iura religionum, & obſeruentur aliæ ſolemnitates, aut circumſtantiæ, quæ in vnoquoque Ordine tanquam eſſentiales declaratæ fuerint: alids enim ſi qua illarum eſſet incompoſſibilis cum tali modo profitendi in abſentia, is locum non haberet in ea religione; quamquam ordinariè nullæ videntur eſſe eiuſmodi circumſtantiæ, ita *Suar. ſup. n. 22. & 23. Sanc. l. 5. mor. cap. 3. nu. 7. Sà v. religio num. 14. Azor. p. 1. l. 12. cap. 5. q. 5. Rodriq. to. 3. quæſt. 17. a. 3. Mirand. p. 1. q. 24. a. 11. Peregr. in Compen. p. 2. cap. 5. lit. C. §. 5.* aliique plures apud Sanch. & probatur tum quia matrimonium fieri poteſt per procuratorem *cap. vlt. de procurat. in 6.* ergò & profeſſio, cum valeat argumentum à matrimonio carnali ad ſpirituale, vt ex multis probat *Euerard. in ſuis topicis loco à matrimonio carnali;* tum quia omnis contractus fieri poteſt per procuratorem, ſi non ſit lege prohibitum *l. 1. §. vſus ff. de procurat. & reg. 68. de regul. iur. in 6.* ſed profeſſio fit per modum contractus, vt iam diximus, nec vllo iure excipitur à ſupradicta regula, vt hinc patet, quòd *Gloſſa* adhibens plures exceptiones, huius non meminit, neque in *l. Pomponius ff. de procurat.* neque in *c. qui ad agendum de procurat. in 6.* ergò profeſſio fieri poteſt per procuratorem.

30 Conditiones autem, quæ deſiderantur, vt talis procurator validè profiteatur, ſunt quinque: 1. eſt, vt habeat ſpeciale mandatum ad profitendum nomine alterius: 2. eſt, vt mandatum ſit ad profitendum in religione determinata (quamquam *P. Suarez ſupra nu. 23.* putet in rigore ſufficere mandatum ad profitendum cum expreſſa indifferentia, & optione eligendi religionem:) 3. vt procurator per ſe ipſum ſequatur (intellige, niſi habeat facultatem ſubſtituendi:) 4. vt quo tempore procurator profitetur, non ſit reuocata poteſtas: 5. eſt, vt conſtitutio procuratoris non ſit extorta metu graui. ita *Sanch. num. 8. Peregr. vbi ſup. Rodriq. a. cit.* & alij; inter quos bene aduertit *Sanch.* ad hunc procuratorem conſtituendum non referre diuerſitatem ſexus, nec requiri in eo determinatam ætatem, aut qualitatem, quam rationis vſum iure naturali peritum ad explicandum conſenſum nomine alterius; ipſamque profeſſionem valere, quantumcumque temporis intercedat inter conſtitutionem procuratoris, & profeſſionem: dummodo prior ille conſenſus nec expreſsè, nec tacitè reuocatus fuerit: quæ omnia ſunt benè aduertenda.

31 Quin addit *Suar. nu. 23.* profeſſionem expreſſam fieri poſſe, etiam per literas: ſi quidem etiam alij contractus poſſunt hoc modo perfici; neque hic occurrit aliquid ſpeciale in contrarium præter ea, quæ in ſimili ſolent tractari de matrimonio, & videri poſſunt apud *Sanch. l. 2. de matr. D. 12.*

QVÆRES XVI. In quo loco debeat fieri profeſſio, vt ſit valida.

32 ℞. Non eſſe neceſſarium, vt fiat in Eccleſia, aut intra religionem, quod tradunt communiter DD. apud *Suar. nu. 24. ex cap. inſinuante qui Cler. vel vou. & cap. porrectum de Regul.* & ſi fiat intra religionem, poſſe fieri in monaſterio diuerſo ab eo, in quo peractus eſt nouitiatus, ſi ſic mandet Prouincialis; ita *Portel. de dub. regul. v. profeſſio num. 6.* ex Beia.

Vtrum verò valida ſit profeſſio, quæ fiat in monaſterio diuerſi ſexus, vt ſi mulier, ementito ſexu, profiteatur in monaſterio virorum?

33 ℞. Non eſſe; & probatur, quia ad valorem profeſſionis requiritur conſenſus non ſolum profitentis, ſed etiam Superioris recipientis profeſſionem; in noſtro autem caſu vel deeſt vterque conſenſus, eo quòd profitens noluit profiteri, niſi in eo monaſterio, & admittens non intendit recipere talem profeſſionem (cum nullus Prælatus admittere poſſit talem profeſſionem:) vel certè, ſi profitens voluit profiteri in ea religione quo ad ſpeciem, ſed non quo ad ſexum, defuit conſenſus admittentis, qui non intendit recipere, niſi ad religionem ſexus, in qua ille alter profeſſus eſt. ita *Suar. nu. 25. Sanch. l. 5. mor. cap. 4. nu. 40.* citans pro ſe *Nau. Sà Henriq. & Rodriq. Peregr. lit. C. §. 14. Lezana to. 3. cap. 2. num. 20.* aliique contra *ſpecul. Abb. Archid. S. Anton. Syln. & Io. And. à Sanch. relatos Portel. ſup. num. 23. Comitol. l. 2. reſp. mor. q. 8. nu. 5.* aliique adductos à Portello cenſentes profeſſionem in tali caſu non eſſe irritam, ſed cogendum eſſe profitentem ad tranſeundum in monaſterium ſui ſexus: quippe qui reuera emiſit vota eſſentialia, in quibus conſiſtit religionis eſſentia, ad quam per accidens ſe habet diſtinctio ſexus; ſed de hoc plura in *tract. de Monialib. cap. 3. n. 32.*

QVÆRES XVII. Quo tempore fieri debeat profeſſio, vt licita ſit, & valida.

34 ℞. Poſſe fieri quocumque tempore, ſiue matutino, ſiue veſpertino, & quidem etiam poſt cænam; quidquid contradicat *Nau. apud Naldum infra* ſuſtinens emittere profeſſionem poſt cænam eſſe peccatum mortale; ſed improbabiliter, & aduertit *Nal. v. profeſſio regul. num. 11.* dicens poſſe contingere id fieri ſine vllo peccato, etiam veniali, ſi nimirum concurrant ſpeciales circumſtantiæ, quæ ſuadeant profeſſionem fieri tunc temporis.

35 Quo modo autem ad validitatem profeſſionis requiratur, vt ea non fiat, niſi anno probationis completo, & quidem continuato: conſtat ex dictis *qu. 7.* nec non ex iis, quæ diximus in *tract. praced. cap. 1. q. 7.*

QVÆRES XVIII. Quotus ætatis annus de iure communi requiratur ad validam profeſſionem emittendam.

36 ℞. (Quidquid ſit de iure antiquo, quod in maſculis requirebat annum 14. expletum: & in fœminis 12. item completum ad hoc vt validè profiterentur, ſicut habetur in *cap. 1. de Regul. in 5. & c. 1. 20. quæſt. 1.*) modò poſt *Conc. Triden.* requiri 16. annum completum de momento in momentum; ſiue profeſſio emittatur in religione virorum, ſiue mulierum; & , ſi infra hanc ætatem fiat profeſſio, eam eſſe irritam, & nullam: ſic enim ſtatuitur in *Concilio ſeſſ. 25. cap. 15. de Regul.* his verbis: *In quacumque religione tam virorum, quàm mulierum profeſ-*

ſio

ſio non fiat ante 16. annum expletum; nec qui minori tĕpore quàm per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obſeruationē, aut ad alios quoſcumque effectus. Vbi notat *Portell. n.*14. quod, cùm Concilium loquens de anno ætatis petitæ ad profeſſionem addat *expletum* (quod non addit, quando loquitur de anno nouitiatus:) maiori ratione annus ætatis debet eſſe completus de momento in momentum, quàm annus nouitiatus: ideoque cùm DD. communiter aſſerant annū nouitiatus debere eſſe integrum de momento in momentum, à fortiori tenentur id dicere de anno ætatis petito ad profeſſionem: quod ita eſt verum, vt neque in articulo mortis poſſit nouitius profiteri ante 16. annum ætatis completum, non obſtante quòd poſſit profiteri ex conceſſione Pij V. *c. ſequenti q.* 3. adducenda ante annum nouitiatus expletum: non tamen comprehendit Decretum Cōcilij religioſos Ordinum militarium, vt notat *Sanch. l.*5 *mor. cap.*4. *num.*17. adducens pro ſe alios DD. & declarationem Sacræ Congreg. addenſque *cap.* 4. *num.*4. ætatem in præſenti materia debere computari à die natiuitatis.

Modo dubium eſt, an de eſſentia profeſsionis, quam faciunt PP. Minimi ſit, vt ij ad minùs attingant 18. annum; & ratio dubitandi eſt, quòd in eorum *regula cap.*2. ſtatuitur nullum ad profeſſionem admittendum, niſi 18. annos attigerit: nec tali ſtatuto derogat Conc. Trid. ſup. vtpote ſolùm ſtatuēs nullibi poſſe fieri profeſsionem ante 16. annos cōpletos: ex quo non ſequitur profeſſionem factam ea ætate fore ſemper validam, ſed ſolùm eam vi illius decreti non fore irritam; cum quo vtique ſtat, quòd aliunde eſse poſſit irrita.

37 ℞. Non eſse, adeòque profeſſionem factam à PP. Minimis, ante quam attingant 18. annum, eſſe validam. ita *Rodriq. tom.*3. *quæſt.*17. *ar.*20. *Sanch. l.*5. *mor. cap.*4. *num.*6. *Portel. ſup. numer.*14. *Mirand. p.*1. *q.*24. *a.*2. *Paſſarell. in cæremon. Minim. not.*8. alijque cōtrà *Nau. Sorb. & Caſtillum* relatos apud *Peyr. de R. P. q.*3. *cap.*1. §.6. *num.* 160. moueor tum quia non omnis actus contra legem factus eſt ipſo iure irritus; ſi quidem multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent, *cap. ad apoſtolicam de Regul.* in regula autem Minimorum non extat decretum irritans profeſſionem factam à non attingente 18. annum, ſed ſolùm prohibetur, ne ad profeſſionem admittatur, qui non attingit 18. annum; tum quia in *Correctorio* eorumdem Minimorum habetur, quod quicumque recepti fuerint contra ſupradictam formam (intellige ad profeſſionem) approbandi reſeruentur Correctori generali, & ibi poſtmodum approbetur, & eorum receptio admittatur & confirmetur: hoc verò indicat profeſſionem illam eſſe validam: non enim dicitur confirmari niſi id, quod iam eſt validum; cùm è contrà dicatur ratificari, quod eſt de ſe irritum, & nullum; tum quia de hoc lata eſt in terminis expreſsa declaratio à Sac. Congregat. Concilij 2. Nouemb. 1582. quam refert Peyr. *nu.* 178. dicens ex tali declaratione noſtram ſententiam reddi omninò certam.

Reſponſio autem hæc procedit proportionaliter de emittentibus vota biennij in Soc. Ieſu ante 17. annum completum: quamuis enim iure Societatis regulariter non fiant dicta vota ante 17. annū completum; cùm in eam non admittatur nouitius ante 15. annum expletum. ſi tamen Generalis diſpenſet in hoc, quòd quis admittatur ante 15. annum, eò ipſo abſque noua diſpenſatione is, expletò biennio probationis, emittere poterit vota biēnij, etſi nondum expleuerit 17. annum, expleto tamen 16. anno, vt mox dicemus: talis eſt praxis in Societate, & meritò; aliàs diſpenſatio illa Generalis parùm prodeſſet.

Quòd ſi hac occaſione quæras, an, ſtante præfato decreto Concilij valida ſint in Societate Ieſu vota ſimplicia biennij emiſſa ante 16. annum completum.

38 ℞. Videri non eſse; & probatur tum ex dictis *ſup. q.*7. §: *dubitari hic etiam*: tum quia, ſi dicatur eo decreto Concilij non comprehendi Societatem, valida item erit ſolemnis profeſſio facta ante 16. annum completum, quod nemo dicet: tum quia, ſi quid obſtat, maximè obſtat, quòd Concilium noluit ibi derogare conſtitutionibus Societ. at in hoc non derogaret, cùm iuxtà eas ad vota biennij emittenda deſiderentur 17. anni completi, ſtante quòd præſcribunt neminem admitti ad nouitiatum ante 15. annos completos, & nouitiatum durare biennio; vnde fit, vt, ſecluſa Generalis diſpenſatione, nullus recipiatur ad vota ſimplicia biennij ante 17. annum ætatis completum. ita *Suar. tom.*4. *de relig. tract.*10. *l.*3. *c.*6. *num.*3. *Sanch. num.*7. *alijque* docti viri è Societate à me conſulti: quamuis, cùm *Sanch.* dicat ſolùm iſtam doctrinam eſse magis rationi cōformem, videatur innuere oppoſitum ſibi videri non omninò improbabile.

39 Noto hìc vnum ex *Suar. tom.*3. *de relig. l.*6. *cap.*3. *num.* 8. ex eo quòd in aliquibus religionibus præſcribitur maior ætas ad profitendum, quàm 16. annorum (quo modo Fratres Prædicatores habent ſpecialem conſtitutionem, vt Fratres laicos nō admittat ad profeſſionem ante 18. annum:) non ideò ſequitur profeſſionem emiſsam in ijs religionibus intrà illam ætatem eſse irritam, dummodò profitēs cōpleuerit annū 16. prout ſtatuitur in *Conc: Trid.* niſi ex tenore legis, ac ſtatuti præcipientis illam ætatē conſtet per ea non ſolum prohiberi profeſſionem aliter factam, ſed etiam irritari: aliàs enim poteſt contingere, quòd ſolùm prohibeant, non autem irritent factū, vt ſuperiùs dictum eſt de PP. Minimis.

40 Addo ex decreto Sacræ Congregat. de mandato Clem. Oct. edito 19. *Martij* 1603. *ſuper receptione, & educatione nouitiorum* præcipi generaliter, ne nouitij, (quos vocant Conuerſos) admittantur ad profeſſionem, niſi annum 21. exceſserint: ad quod ſine dubio requiritur nō ſolùm vt iam expleuerint annum 21. ſed quòd inchoauerint etiam 22. id quippe importatur per verbum *exceſſerint*; non puto tamen decretum illud quò ad hoc eſse in vſu, ſiue quòd non fuerit acceptatum, ſiue quòd legitima præſcriptione fuerit abrogatum.

QVÆRES XIX. An, & qualiter regiſtrati debeat profeſſio nouitiorum.

℞. Debere

41 ℟. Debere, & quidem eo modo, quo ſtatuit Sacra Congreg. in decreto *§. præcedenti* allegato his verbis: *Superior cuiuslibet conuentus, in quo nouitiatus fuerit conſtitutus, particularem librum habeat, in quo vniuſcuiuſque nouitij profeſſio regiſtretur, illamque nouitius profeſſus propria manu, & duo teſtes, qui præſentes fuerint, ſubſcribant: conuerſus verò literarum ignarus profeſſus in eorundem teſtium, qui ſe ſubſcripſerint, præſentia, propria manu ſignum Crucis apponat: aſſeruetur-que liber, & cuſtodiatur in archiuio, vbi ſcripturæ ad monaſterium, ſeu conuentum pertinentes reponi conſueuerunt.*

QVÆRES XX. Quæ intentio requiratur ad validè profitendum.

42 ℟. Requiri non ſolùm, vt profitens intendat profiteri (aliàs enim profeſſio non eſſet vera, ſed ficta promiſſio, ideòque quo ad Deum inualida; quamuis quo ad Eccleſiam, & forum externum reputaretur valida; cùm Eccleſia non iudicet, niſi de externis, & ſigna externa talis profeſſionis indicent illam vſſe validam, vt ſuppono) ſed etiam vt intendat promittere; alioqui, cùm de eſſentia profeſſionis ſit promiſſio, hòc ipsò quòd non eſſet promiſſio, neque eſset profeſſio, & conſequenter nec eſset valida, ſaltem quo ad Deum: non requiritur tamen, vt profitens intendat expreſsè ſe obligare, & habeat animum implendi, quod promittit: cùm.n. ex natura promiſſionis naturaliter ſequatur obligatio, & iuxtà dicta profeſſio ſit eſsentialiter promiſſio, quæ intrinſecè includit obligationẽ, implicat in adiecto aliquẽ velle promittere, & nõ velle obligari; velle profiteri, & nõ velle manere obligatũ ad implendum, quod promittit; quod tamen negat *Val.2.2.D.6.q.6.p.1.* aſſerens votum, in quo eſt animus promittendi, & ſe obligandi, ſed non implendi, non eſſe verum votum, ſed fictitium, ac proinde non obligare coram Deo: quod reprobat *Sanc.l.4. mor. cap.1. numer.23.* dicens non repugnare verum animum admittendi obligationem cum animo eam non exequendi. ita *Lezana to.1. cap.2. num.27.* & colligitur ex *Sanch. ſup. numer. 23. vſque ad* 28. niſi quod *num.27.* cum *Val. & Azorio* ſuſtinet non manere reuera obligatum eum, qui vouet, & conſcius naturæ voti, poſitiuè intendit non ſe obligare; quamuis etiam admittat noſtram ſententiam eſſe probabilem, cùm ſolum dicat ſuam eſſe veriorem.

Dubium tamen eſt, an caſu, quo quis fictè modo ſupradicto profeſſus eſt, cum aliàs eſſet habilis ad profeſſionem, poſſit talis profeſſio ratificari, & reualidari abſque noua acceptatione Superioris conſcij nullitatis prioris profeſſionis, per ſuperuenientem conſenſum illius, qui fictè profeſſus fuerat.

43 ℟. Probabile eſſe, quod poſſit, dummodo Superior, qui eam profeſſionem acceptauerat, priorem conſenſum non reuocauerit. Ducor quòd, cum tam matrimonium, quam profeſſio religioſa requirant externam traditionem, & acceptationem; ſitque vtriuſque eadem ratio: ſicut probabile eſt matrimonium, quod eſt nullum ex defectu ſufficientis conſenſus alterius coniugis, poſſe reualidari per ſolum conſenſum ſuperuenientem illius coniugis, dum alter conſenſum non reuocauerit; ſic & poterit reualidari profeſſio irrita ex defectu conſenſus per conſenſum illius, qui fictè profeſſus fuerat, abſque eo quòd interueniat noua acceptatio Superioris. Et quidem quòd in caſu matrimonij ſufficiat conſenſus coniugis, qui fictè conſenſerat, conſtat, quia conſenſus alterius de ſe fuit validus, ac ſufficiens ad matrimonium, nec fuit reuocatus, vt ſuppono, adeòque ex parte illius nihil deſideratur, deeſt autem ſolum conſenſus ſponſi, qui fictè conſentit; ergò ſi is accedat, validum fiet matrimonium. ita *Sanch.l.2. de matr. D.32. num.15. & l.7.D.37.num.60.* addens *num.61.* probabile eſſe ad reualidandam profeſſionem in caſu propoſito requiri nouum conſenſum Superioris; idem ſuſtinent *Sà v. religio num.23. Rodriq. to.2. Sum.cap.92.num.5. & to.3.q.17.a.3. Sylu.v. religio 5.q.2. Barthol. à S. Fauſto l.5.theſ.q.238.num.1. & q.251. Peregr.p.2. in Conſt. c.1 lit.C.§.17. Portel. de dub. regul. v. profeſſio nu.41. Peyr. de R.P.q.3.c.1.n.145.*

44 Secus dicendum, ſi profeſſio fuit nulla ob defectum ætatis, vel quòd annus probationis non fuerit integer, vel ob aliud impedimentum irritans; tunc quippe requiritur ad reualidandam profeſſionem nouus conſenſus, tam Superioris, quam ipſius profitentis, ac proinde non poteſt dici reualidata ex eo quod eſt ſublatum impedimentum; ſi quidem iuxtà *reg.18. non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit.* ita *Sanch.l.2. de matr.D.35.n.4. Portell.nu.42. Peyr.nu.143* alijque, & patet tum ex dictis, tum quia, cùm in præſenti caſu prior conſenſus fuerit omninò inualidus ex parte tam Superioris, quam profitentis, vtpote qui cecidit ſuper illegitimam, & inhabilem materiam; vterque denuò renouari debet, cum non poſſit durare conſenſus, qui fuit omninò nullus, & hoc ipſo quòd fuit inualidus, perinde ſit, ac ſi non fuiſset; vnde fit, vt ſic ut à principio erat neceſsarius conſenſus externo ſigno maniſeſtatus, ita & ſit nunc; quamquam *Sanch. l.7. de matr. D.37. num.64. cum Nau. Rodriq. Sorbo, & alijs* oppoſitum probabile eſse putet, & tutum in praxi; videlicet in caſu propoſito non eſſe opus noua acceptatione Superioris, ſed ſufficere, quod profeſsus ſublato illo impedimento, & conſcius nullitatis profeſſionis eam ratificet; & hoc, ſiue impedimentum ſit perpetuum, ſiue ad tempus: cùm profeſsus non minùs ſit inhabilis eo tempore, quo inhabilitatur impedimento temporali, quàm ſit inhabilis perpetuò, dum inhabilitatur impedimento perpetuo.

45 Probat *Sanch.* hanc ſuam ſenteatiam tum quia *Conc. Trid. ſeſſ.25. de Regul. cap.19.* agens de profeſſione irrita ex defectu ætatis, vel quauis alia cauſa, præſumit eam ratificari per taciturnitatem quinquennij, exercendo actus profeſsorum, & geſtando eorum habitum, idque nouo religionis conſenſu, ac ſcientia nullitatis prioris profeſſionis, ſicque ſupponit non eſse opus noua acceptatione Superioris, Eccleſia ipſa nomine religionis acceptante modo infra explicando; tum quia, eſtò in caſu propoſito verè deſideretur noua acceptatio cùm ſcientia nullitatis prioris profeſſionis, non ideò tamen ſequitur eiuſmodi acceptationem ſaciendam eſse à Superiore religionis, cum fiat à Papa iuxtà *c.*

ſigni-

ſignificatum de regul. & cap. 1. eod. tit. in 6. vbi ſtatuunt Pontifices profeſſionem irritam defectu legitimæ ætatis conualeſcere per ipſius profeſſi ratificationem, aut delationem annuam habitus profeſſorum: quod eſt Pontifices tanquam ſupremos religionum Generales acceptaſſe profeſſionem illam, aliàs irritam per ipſius profeſſi ratificationem ad conſulendum paci, ac tranquillitati tum religionis, tum religioſorum; tum quia diuerſa eſt ratio de matrimonio, ac de profeſſione; adeòque minùs benè infertur ex eo quòd matrimonium irritum non poteſt reualidari ſine nouo conſenſu vtriuſque coniugis ſcientis nullitatem prioris matrimonij, neque profeſſionem irritam ex aliquo impedimento poſſe reualidari abſque nouo conſenſu tam profitentis, quàm religionis; ſi quidem Papa poteſt nomine religionis acceptare profeſſionem, cùm ſit ſupremus Generalis religionum; non poteſt autem acceptare matrimonium nomine alterius coniugis, & conſequenter nec ſupplere conſenſum illius, quo modo poteſt ſupplere conſenſum religionis in caſu profeſſionis, vt iam dictum eſt.

46 Vtramuis autem harum duarum opinionum velimus amplecti, omninò fatendum eſt cæremonias ex præſcripto regulæ, aut vſu adhiberi ſolitas in profeſſione nullo modo eſſe repetendas: cùm ea non ſint de ſubſtantia illius, & iam ſemel adhibitæ ſint, aliàſque non ſine nota poſſint iterari. ita *Azor. p. 1. l. 12. cap. 4. q. 7. Nau. l. 3. conſil. de Regul. conſ. 46. num. 2.* dicens non oportere, vt hìc denuò publicè profiteatur, & cum ijs *Sanch. num. 66.* id probans à ſimili ex matrimonio; quod ſi ſit irritum, & poſtea ex Papæ diſpenſatione ratificetur, in eo non repetuntur benedictiones, cùm iam adhibitæ ſint in priori matrimonio irrito: quod benè probat ipſemet *Sanch. l. 2. de matr. D. 37. num. 13.*

47 Ex quibus inferre licet, quòd, ſi quis in Societate inualidè emittat 3. vota biennij, ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter; cùm primùm ea de more Societatis renouauerit cum alijs nondum graduatis, (quod bis fit in vnoquoque anno) poteſt ea ratificare, & reualidare auferendo impedimentum, aut præſtando debitum conſenſum: idque etiam, non ſignificando Superiori nullitatem dictorum votorum, ſi velimus amplecti poſteriorem ſententiam, quam *Sanch.* dicit eſſe probabilem & nos etiã vt talem admittimus; quamquam tutius erit in tali caſu vti remedio, quod innuit *Sanch. l. 7. de matrim. D. 37. num. 65.* & à nobis indicatum eſt in *tract. præced. cap. 1. q. 10. §. addit tamen,* quod deſeruire poteſt etiam ad præſentem caſum.

Grauior dubitatio eſt, an is, qui inualidè profeſſus eſt ex aliquo impedimento irritante, aut defectu debiti conſenſus, teneatur modo ſuprà dicto ratificare profeſſionem, &, ſi non ratificet, poſſit recipere alimenta, acceptare prælaturas, ferre ſuffragia, ſuſcipere Ordines, & alia præſtare.

48 ℞. Non teneri; ſiue profeſſio ſit nulla ex culpa ipſius, ſiue abſque culpa, &, ſi abſque ſcandalo, aut infamiæ nota nequeat euitare, poſſe & alimenta percipere, & reliqua omnia præſtare; quamuis in conſcientia teneatur captare occaſionem recedendi à religione, eaque oblata quàm primùm recedere, vel certè modo dicto profeſſionem ratificare. Ratio reſponſionis eſt, quòd, cùm ſuſceptio ſtatus religioſi ob magnam ſuam perfectionem exigat ſpontaneum conſenſum, & ſit maximè ardua, ad eam nemo debet adſtringi inuitus, præſertim ad euitanda incommoda modò adducta, quæ non ſunt tanti redimenda, & abſque impoſitione medij tam ardui poſſunt non difficilè compenſari, aut tolerari; ſuffragante *l. Barbarius ff. de offic. præt.* ita *Sanch. num. 38. & 39.* quem ſequuntur *Portell. ſup. num. 43. & 44. Peyr. num. 141. Suar. tom. 3. de relig. l. 7. cap. 2. num. 6. & 9.* alijque penes ipſos; & conſtat ex dictis, ſi monuero religioſum in præſenti caſu, licèt inualidè profeſſum, in foro exteriori teneri ſeruare vota religionis ad vitandum ſcandalum, &, ſi inſeruiat monaſterio, poſſe eximi à reſtitutione alimentorum, ſi iudicio prudentis, eius ſeruitium cenſeatur æquiualere dictis alimentis.

49 Dixi, *ſi abſque ſcandalo, aut infamiæ nota nequeat euitare*: aliàs enim debet abſtinere à ferendis ſuffragijs, recuſare officia, non accedere ad ordines, & eſſe animo paratus ad reſtituenda alimenta, niſi iuxtà dicta adæquentur obſequijs, quæ interim præſtat religioni: &, ſi ſecùs faciat, peccat, & quidem etiam in ſi in eo ſtatu ſuſcipiat ordines, aut admittat prælaturas Ordinis, aut ferat ſuffragia (niſi in hoc excuſet paruitas materiæ), & recipiat alimenta ſine intentione reſtituendi: hæc quippe ipſi non ſunt debita, & ad illa alia poſitiuam habet incapacitatem.

Vtrum verò inualidè profeſſus retinere poſſit locum geniture obtentum vigore profeſſionis inualidę.

50 ℞. Poſſe, ſi bona fide obtinuit; cùm hęc efficiat, vt quis non amittat quod putabat eſſe ſuum, idque etiam pro foro conſcientiæ: ſecùs, ſi mala fide, cùm ſic nullus interueniat iuſtus titulus retinendi dictum locum; quamuis *Sanchez ſuprà numer. 68.* cenſeat retineri poſſe locum inualidę profeſſionis, etſi mala fide obtentum, cùm ſit res parui momenti; quod non approbat *Peyr. ſuprà numer.* 152. ſaltem pro ſuo Ordine, concedens tamen quòd, ſi quis bona fide inualidam fecit profeſſionem, &, eadem bona fide durante, legitimè pręſcripſit genituram ſpatio 30. annorum, (quod requiritur ad pręſcribenda iura perſonalia ſecundùm *Angelum, v. præſcriptio numer. 42.*) poteſt frui dicta genitura, etiam adueniente mala fide; niſi alius contradicat; quòd ſi quis contradicat, re detecta poſt 4. annos à pręſcriptione finita, impetrata reſtitutione in integrum, tenebitur Superior reſtituere genituram ei, cui ſecluſa pręſcriptione, debebatur: cùm non poſſit quis inſcius, & non negligens re ſua priuari, ſicut notat *Sylu. v. præſcriptio 1. quæſt. 14.* ita *Peyr. ſup. ex Suar. Sanch. Nau. Rodriq. Graff.*

QVÆRES XXI. An, & quando valida ſit profeſſio, quę fit ex errore, ignorantia, aut dolo.

51 ℞. Diſtinguendo: vel error, ignorantia, & dolus verſantur circa ſubſtantialia religionis, aut

certè adeò grauia, vt moraliter cenſeri poſſint ſubſtantialia; & ſic profeſſio eſt inualida; vel verſatur circa accidentalia, ſeu inferioris ordinis; & profeſſio eſt valida. ratio reſponſionis eſt, quòd non poteſt profeſſio eſſe valida, niſi ſit voluntaria: ignorantia autem, error, & dolus, ſi verſentur circa ſubſtantialia, cauſant inuoluntarium, aut ſaltem non voluntarium; ſi quidem obiectum eo ipsò quòd nõ eſt cognitum, non eſt volitum: ignorantia autem, error, & dolus faciunt, vt obiectum non cognoſcatur, & conſequenter efficiunt, vt operans non conſentiat, nec illud velit; quod tamen non euenit, quando ignorantia, error, & dolus verſantur circà accidentalia religionis; cùm tunc non excludant conſenſum ſubſtantialem, qui ſolus requiritur, & ſufficit ad valorem profeſſionis. ita *Suar. ſup. lib. 6. cap. 5. n. 4. & 6. Sanch. lib. 4. mor. cap. 2. nu. 10. & 11. aliique* communiter; inter quos benè aduertit *Suar. num.* 10. poſſe ex parte religionis contingere tantam deceptionem circa profitentis perſonam, ac eius qualitates, vt ſufficiat ad reddendam profeſſionem ſimpliciter inuoluntariam quò ad religionem acceptantem, & conſequenter omninò inualidam; idque iudicio viri prudentis; quod eſt valdè aduertendum.

52 Subſtantialia autem religionis ſunt ea, quæ verſantur circa ſubſtantiam ipſius religionis, & circa difficultates magni momenti, quæ notabiliter ſuperent exiſtimationem profitentis. & quibus cognitis ille non fuiſſet profeſſus; vt ſi quis putet ſe vi profeſſionis non obligari in perpetuum; per eam non priuari dominio rerum, aut quid ſimile, quod ſit contra ſubſtantiam religionis: talis eſſet deceptio circà obſeruantiam delectus ciborum in aliqua religione, aut ieiuniorum, aut alterius obſeruantiæ valdè arduæ; quippequæ, licèt non ſint de ſubſtantia religionis vt ſic, ſunt tamen de ſubſtantia talis religionis, & per conſequens talis profeſſionis in particulari. Accidentaria verò, ſeu minoris momenti cenſentur ea omnia, quæ vel ſunt extrinſeca, (vt ſunt motiua, ſeu cauſæ extrà honeſtatem religionis) vel, ſi ſunt intrinſeca, non attingunt gradũ qualitatis ſubſtantialis; cuiuſmodi ſunt aliæ obſeruantiæ religionis. ita *Suar. num.* 3. & *Sanchez num.* 11. monens ad valorem voti non peti conſiderationem omnium difficultatum; & vouentem ſibi debere imputare, quòd rẽ non benè expenſam, & cognitam promiſerit: ſi quidem ex eo quòd, dictis difficultatibus cognitis, non voueret, ſolùm colligitur id votum non emittendum, nec fore voluntarium, iis cognitis, non autem quòd de facto ſit abſolutè inuoluntarium, cùm iam abſolutè illud emiſerit, & ad illud emittendum non ſit ductus ex ignorantia dictarum difficultatum; ita *Sanch.* quæ vtique applicari poſſunt ad rem præſentem, vt facilè conſtabit conſideranti.

Ex quibus benè inferri poteſt putantem inuincibiliter profiteri in Ordine Sancti Dominici, ſi profiteatur in religione Carmelitarum, nulliter profiteri: cùm actus agentium non operentur vltrà intentionem illorum, & quidem maximè in contractibus; & valeat argumentum à matrimonio carnali ad profeſſionem religioſam, teſte *Sanchez lib. 10. de matrimon. D. 9. numer.* 21. vnde fit vt, ſicut nullum eſt matrimonium contractum cum Berta, ſi credas te contrahere cum Titia; ſic & ſit in caſu noſtro. ita *Bordonus cap. 2. de profeſſ. quæſt.* 24. de communi, addens *quæſt. 25. ex Soto, Sanchez, & aliis* irritam eſſe profeſſionem illius, qui credens probabiliter in Ordine, in quo profitetur, concedi eſum carnium, reperit eas ibi omninò prohiberi: votum enim factum cum errore verſante circa difficultates magni momenti æquiparantur voto facto cum errore ſubſtantialia concernente; quod vtique nullum eſt.

53 Inſuper notat *Suarez numer.* 9. doctrinam hìc traditam procedere, ſiue contingat error, aut ignorantia per iniurioſam deceptionem, ſiue ex quauis alia cauſa naturali, ſeu extrinſeca: probatque quia impedimentum profeſſionis in tali caſu non prouenit ex iniuria, ſed proximè ex defectu conſenſus: conſtat autem conſenſum impediri non ſolùm per iniurioſam deceptionem, ſed etiam ex ignorantia, ſiue hæc proueniat per errorem, ſiue per ſcientiæ priuationem: cùm quilibet ex his modis impediat conſenſum; quamuis moraliter contingere non poſſit ignorantia purè priuatiua, cùm neceſſe ſit profeſſionem apprehendi aliter, quàm ſit, ad hoc vt impediatur conſenſus: quod vtique non poteſt ſtare cum ignorantia purè priuatiua, vt patet. Parum quidem refert in præſenti, quòd ignorantia ſit probabilis, vel quòd interueniat aliqua negligentia, dummodò ignorantia non ſit affectata; cùm ignorantia, quamuis craſſa, & ſupina, impediat verum, & directum conſenſum, qui eſt neceſſarius ad valorem profeſſionis; ſecùs, ſi adſit ignorantia affectata: tunc enim interuenit directa voluntas ignorandi, & conſequenter virtualis conſenſus in actum, qui fit, confusè illum volendo, prout eſt in re ipſa: ſic quippe interpretari debet ille conſenſus, niſi aliter conſtet de expreſſa intentione vouentis, aut profitentis.

QVÆRES XXII. An, & quo iure inualida ſit profeſſio facta ex metu.

54 ℟. Eſse iure eccleſiaſtico, non autem naturali, ſi metus ſit cadens in conſtantem virum; talis ſcilicet, vt uir, etiam fortis, & conſtans eo moueri poſſit. ita *Sanch. ſup. cap. 3. nu. 9. Henriquez lib. 11. cap. 9. num. 1. & 3. Leſſ. lib. 2. cap. 40. num. 18. Arag. 2. 2. quæſt. 88. articul. 3. concluſ. 1. & Suarez ſupra cap. 4. numer. 6. & 12.* dicens *numer.* 6. hanc ſententiam eſse frequentiùs receptam in ſcholis contra *Sotum, Philiarc. Panormitan. & Nau.* aſserentes talem profeſſionem eſse nullam ex natura rei, non autem ſolo iure eccleſiaſtico; cùm nullum ius expreſsum poſitiuum reperiatur, in quo fiat talis irritatio; & alioqui non ſit veroſimile, quòd Deus acceptet traditionem ſibi factam coactè; quod tamen euenit, ſi admittatur eam profeſſionem non eſse irritam ex natura rei. Et quidem, quòd iure Eccleſiaſtico ſit irrita, & nulla facta ex metu cadente in conſtantem virum: probatur, inquit

Suar.

Suar. ex communi conſenſu DD. & communi ſenſu totius Eccleſiæ, quo tales profeſſiones iudicantur inualidę; qui conſenſus magni ponderis eſt in hac materia, ſiue quia conſuetudo eſt optima legum interpres; ſiue quia, eſto tale ius non eſſet ſcriptum, ex tali ſenſu communi poſſet intelligi eſſe traditum, & vſu receptum in Eccleſia; quod maximè videtur confirmari ex *Conc. Trid. ſeſſ.25.cap.19.de Regul.* quòd cum dicat: *Quicumque regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante debitam ætatem profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile*; clarè ſupponit ex hoc capite inualidam fieri profeſſionem, non ſolùm exiſtimatione Eccleſiæ, ſed etiam re ipſa: vnde & concedit quinquennium ad allegandam hanc nullitatem profeſſionis. quod decretum ita ſeruatur in Eccleſia, vt ſi quis ante elapſum quinquennium in eccleſiaſtico iudicio probet ſe per metum fuiſſe coactum ad profitendum, hoc ipſo ſimpliciter, & abſolutè iudicetur liber ab omni obligatione: quod non fieret, ſi Eccleſia hac in re ſolum niteretur præſumptione, quòd profeſſio fictè emiſſa fuiſſet; tunc enim Eccleſia oneraret conſcientiam profeſſi, quòd ſi non obſtante metu interiùs conſenſit profeſſioni, nullo modo dimittat religionem: id autem non facit Eccleſia, adeòque iudicat profeſſionem in caſu propoſito fuiſſe nullam; ſiue profitens conſenſerit, ſiue non. Quod verò profeſſio facta ex metu graui non ſit nulla iure naturali, ſuadetur ex eo quod, ſtando in iure naturæ, ea deliberatio requiritur, & ſufficit ad valorem voti, & conſequenter profeſſionis conſiſtentis in votis, quæ ad culpam mortalem (ſicut benè probat *Sanch. ſup.c.1. numer.2.*) at hæc reperitur cum metu graui, vt conſtat in fęmina fornicante ex metu graui, quæ ſine dubio mortaliter peccat.

55 Dixi, *ſi metus ſit cadens in conſtantem virum*; quia metus leuis non ſufficit ad irritandam profeſſionem; vt colligitur ex *cap.1.de ijs quæ vi*, vbi ſolum fit mentio de metu mortis, alijſque iuribus adductis à *Suar. num.12.* & inde probatur, quòd metus leuis non multum immutat voluntatem, & conſequenter non diminuit notabiliter eius libertatem; idque puto eſſe verum, etiam ſi contingat aliquem non minus moueri interius ex obiecto leui, quàm moueatur vir conſtans ex graui; cum enim metus irritet profeſſionem, non ex natura ſua, ſed ex iure Eccleſiaſtico; & iuxtà dicta Eccleſiaſtico iure nullibi irritetur profeſſio facta ex metu leui; ſequitur eam eſſe validā; quidquid ſit de apprehenſione, aut perturbatione profitentis. quod meritò ſtatutum eſt, cùm lex generalis non reſpiciat caſus particulares; & dicta apprehenſio, ac perturbatio non poſſit moraliter probari in foro Eccleſiæ; vnde & fit per Eccleſiam non potuiſſe rectè irritari dictam profeſſionem, ſed iuxtà rei qualitatem, quod eſt contra *Nauarrum cap.22.numer.51.* putantem diſtinctionem illam metus grauis, & leuis ſolùm procedere in foro externo; adeòque ſi quis non minùs moueatur interiùs ex obiecto leui, quàm alius ex graui, eius profeſſionem ſic emiſſam eſſe in conſcientia irritam, eſto aliter iudicetur in foro exteriori. Quæ autem cauſent metum grauem ſufficientem ad impediendum valorem profeſſionis, affert *Sanch.l.4. de matr.D.5.*

Quo modo autem irritetur profeſſio ex metu reuerentiali profitentis?

56 ℟. Irritari, ſi talis metus includat non ſolùm imperiū paternum, cui ex reuerentia non contradicitur, ſed etiam aliquam coactionem, per quam filius cogatur præſtare patri illam reuerentiam, vt neque hac in re audeat ei contradicere; ad quod vtique requiritur, vt præceſſerint minæ, ſin minùs formales, (vt ſic dicam) ſaltem virtuales, itaut filius habeat ſufficientem cauſam, & indicia, ob quæ ſibi graue aliquod malum timeat à patre, ſi ei contradicat. ratio eſt, quòd talis timor eſt cadens in conſtantem virum, & ideò neceſſe eſt, vt malum, quod pater comminatur, ſit graue, & quòd ipſa comminatio ſit ſufficiens iudicio prudentis viri; ad quod confirmandum facit declaratio Sacræ Congregationis ab aliquibus Doctoribus relata, qua deciſum fuit nullam fuiſſe profeſſionem factam à quadam fæmina ex metu reuerentiali. ita *Suarez ſup. numer.17.* à quo non diſſentit *Sanchez lib.4. de matrimon. D.6. numer.21.* addens in caſu propoſito requiri, vt minans ſolitus ſit exequi minas: cùm alioqui minæ eiuſmodi virum prudentem nihil, aut parum moueant tanquam vanæ, & futiles: non diſſentit *Laym. lib.4. tractat.5.cap.5.num.6.* dicens quòd, quamuis metus reuerentialis ob preces, aut imperium Prælati, aut conſanguineorum plerumque à Doctoribus non cenſeatur ſufficiens ad infirmandam religioſam profeſſionem; ſi tamen alia concurrant, quæ difficilè homo à ſe repellere poſſit, (putà precum, aut imperij ſæpiùs repetiti importunitas, adiunctæ frequentes blanditiæ, quæ interdum efficiunt, vt toties cum auctoritate inſtanti non audeamus contradicere, grauis item offenſio, aut diu duratura indignatio eorum, quorum maximè indigemus, &c.) hæc vel ſingula, vel certè ſimul iuncta viri prudentis iudicio, ſpectata hominis conditione, (vt ſi rudis ſit, & minùs idoneus ad repellendas importunitates,) efficere poſſunt metum iuſtum, & irritare profeſſionem; non diſſentiunt denique *Couarr. Veracrux, Coninc. & Leſſ. relati à Layman*, qui de metu reuerentiali in ordine ad præſentem caſum pari ratione philoſophantur; qua de re *Portell. de dub. regul. v. profeſſio n. 12.* qui ait in hac quæſtione eſſe graues Doctores pro vtraque parte, adeòque vtramque eſſe probabilem.

57 Quod autem dicit *Peyr. de R. S. quæſt. 1. cap. 25 §.4.* ſub finem per metum grauem irritari profeſſionem (ſiue metus incutiatur ad eam extorquendam, ſiue ad alium finem) ea ductus ratione, quòd metus ex quocumque fine incutiatur, tollit libertatem omninò requiſitam ad valorem profeſſionis; & quòd *Concilium Trid.* irritans profeſſionem factam ex metu non requirit, vt metus ſit incurſus ad extorquendā profeſſionem, ſed loquitur abſolutè, *qui per vim, aut metū prætenderit*; hoc inquā videtur ſufficienter reijci ex doctrina generali, quā

adducit *Sanch. ſup. D.12.n.3.* his verbis: *Eſt concluſio certiſſima apud omnes, nempe quoties metus non eſt incuſſus ad extorquendum matrimonium* (dum tu profeſſionem, cùm iuxtà ſæpiùs repetita eadem ſit ratio vtriuſque) *ſiue proueniat à cauſa naturali, ſiue libera, quantumuis grauiſſimus ſit, non reddit irritum matrimonium* (dic tu profeſſionem.) ita *Sanch.* probatque hanc ſuam doctrinam tum quia inuoluntarium, quod in tali matrimonio, ſeu profeſſione reperitur, non eſt intentum ab incutiente metum, ſed tantùm habet occaſionem ex ipſius nequitia; tum quia in tali caſu non impellitur homo ab alio, ſed à ſe ipſo; cùm nullus exigat tunc matrimoniũ, ſeu profeſſionem; ſed voluntariè id contrahens eligit vt medium ad euadendum periculum animæ, aut corporis.

58 Poſſet hìc quæri, quibus caſibus incurratur excommunicatio lata in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. ca.18.* contra cogentes nouitium ad profeſſionem; verùm, cùm Concilium ibi loquatur ſolùm de cogentibus mulieres, adeòque non comprehendat eos, qui fortè cogerent viros ad profitendum; non eſt, cur diutiùs immoremur in tali decreto explicando: præſertim cùm de eo acturi ſimus opportuniùs in *tract. de monialibus*: interim qui vult, conſulat *Sanchez lib.4. moral. cap.4. per totum Rodriq. to.3. quæſt.17. art.19. & Dianam par. 2. tract.15. reſol.56.*

59 Quæ autem diximus de metu infirmante profeſſionem, à fortiori locum habent in vi, quæ, ſi ſit abſoluta, omninò tollit libertatem; vnde *Concil. Trident. ſup. cap.19.* dicit *Quicumque regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur niſi intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario*; quibus verbis conſtat ſupponi profeſſionem per vim factam eſſe irritam non minùs, quàm ſit irrita, quæ ſit ex metu, aut à non habente debitam ætatem: de his quippe omnibus pari ratione iudicat *Concilium*, vt clarè conſtat ex verbis adductis.

Quòd ſi quæras, an vi iſtius decreti *Tridentini* poſſint modo ſupradicto reclamare, etiam in præſentia, ij, qui per vim, aut metum, aut ex alio capite profeſſi ſunt inualidè, non obſtante decreto Sacræ Congregat. iuſſu Vrb. Oct. edito, & relato in *tract. præced. cap.1. q.18. §. verumtamen.*

60 ℟. Poſſe; cum iſtud decretum loquatur ſolùm de ijs, qui inualidè profeſſi ſunt, eò quòd recepti, aut profeſſi fuerint in loco non deſignato iuxtà decretum Clementis Oct. non autem de ijs, qui ex alio titulo inualidam fecerunt profeſſionem, videlicet per vim, metum, &c. (de quibus nos loquimur nunc;) vnde, cùm illud decretum Sac. Congregat. non debeat ampliari vltrà caſum in eo expreſſum, conſequenter non extenditur ad caſus expreſſos in *Concil. Triden. loco ſupra citato*: quod proinde cenſendum eſt permanere adhuc in ſuo vigore. ita ego puto, & ita mecum ſenſerunt alij viri docti à me conſulti.

QVÆRES XXIII. An ſit valida profeſſio, ſi fiat ex ira, aliaue animi perturbatione, ac motu paſſionis.

61 ℟. Eſſe; ſi ira, aut alius paſſionis motus non tollat plenum rationis iudicium, ac neceſſariam deliberationem, quæ requireretur, & ſufficeret ad mort. peccandum; ſecùs, ſi paſſio ſit tanta, vt rationis iudicium obtenebret, ac neceſſariam deliberationem impediat. ita *Azor. par.1. lib.12. cap.5. quæſt. 8. Sanch. ſup. cap.1. numer. 2.* Quamuis in ſpecie loquatur ſolùm de voto. alijque contra alios apud *Azorium* oppoſitum ſuſtinentes ex *l. quidquid ff. de regul. iur. l. diuortium 3. ff. de diuortijs*, & ex *Gloſſ. in cap. dudum de conuerſ. coniugat.* Ratio noſtræ reſponſionis eſt, quòd profeſſio ſuapte natura obligat ad peccatum mortal. ergò & requirit deliberationem requiſitam ad mortale præter quàm quod minor deliberatio non ſufficit, vt actus profeſſionis reputetur ſimpliciter voluntarius.

QVÆRES XXIV. An, & quando valeat profeſſio facta ob malum finem.

62 ℟. Valere, ſi profitens verè habeat animum profitendi: idque ſiue intentio illa mala non ſit finis profeſſionis, ſed ſolùm eam comitetur, (vt ſi quis in ipſo actu profitendi vanè aliquid concupiſcat) ſiue ſit finis profeſſionis, aut profitentis, (vt ſi quis profiteatur ad bona monaſterij ſurripienda.) ita *Azor. ſup. quæſt.10. cum Sylu. S. Anton. & Palud. Peregr. in Conſtit. par.2. cap.1. litt. C, §.16. Barthol. à S. Fauſto lib.5. theſaur. quæſt.233. Lezana tom.1. c.2. num.15.* alijque & probatur quia ex vna parte nullum votum fit irritum, ex eo quod finis malus ipſum comitetur, ergò nec profeſſio ex fine malo comitante fiet mala: ex alia parte, quantumuis intentio mala ſit finis profeſſionis, aut profitentis, adhuc ſaluatur ſubſtantia profeſſionis, vtpote conſiſtens in 3. votis à profitente emiſſis, quæ ſunt materia promiſſa in profeſſione, & quidem bona, eſto promiſſio ſit mala ob prauum illum finem: ſecùs, ſi mala intentio eſſet finis ipſorum 3. votorum, & conſequenter materiæ promiſſæ per profeſſionem: tunc enim profeſſio eſſet irrita, vt benè aduertit *Sanch. l.4. moral. cap.6. num.14.* cùm ſic vota aſficiantur eo malo fine, adeòque fiant materia incapax, quæ acceptetur à Deo, & à Religione nomine Dei; quod non euenit, quando mala intentio eſt ſolum finis profeſſionis, cùm ſic promiſſio, in qua conſiſtit profeſſio, ſola inficiatur malo fine, non item res promiſſa, quæ manet immunis à labe mali finis, & eſt Deo grata. Quæ eſt ratio, cur vota facta ob finem malum ſint nulla; & nihilominùs valida ſit profeſſio facta ob malum finem; quòd ſcilicèt in voto finis malus inficit materiam promiſſam, eamque Deo reddit ingratam, vt non poſſit ab eo acceptari; in profeſſione verò malus finis non inficit materiam promiſſam, ideſt vota, ſed promiſſionem ipſam, nempè profeſſionem, Quæ doctrina *Sanchez* procedit etiam in caſu, quo profeſſio fieret ob finem malum venialiter: cùm in tali euentu grauis iniuria fiat Deo, ſicque peccetur mortaliter, vt notauit idem *Sanch. numer.18.*

QVÆRES XXV. An valeat profeſſio ſimoniace facta in religione.

63 ℞. Valere; & colligitur ex *cap. de regularibus, & cap. quoniam de ſimonia*, vbi deciditur ſimoniacè profeſſum non debere manere in eodem monaſterio, ſed detrudi in aliud eiuſdem Ordinis, in quo pęnitentiam agat, & ſi non reperiatur, debere ibi manere: hoc autem ſupponit eiuſmodi profeſſionem fuiſſe validam. ita *Rodriq. to.3.qu.63. a.3.Nau.comm.4.de Regul. numer.25.Sanch.l.5.moral. cap.4. numer.39. Suar. to.1.de relig. l.4.de Simon. cap. 57.numer.7.Laym.l.4. tractat.10: cap. vlt. numer.70. Lezana ſup. Peregrin.ſup.* §.13. & alij; inter quos notat *Laym. num.69. cum Leſſ. & Nau.* non eſſe receptam extrauagantem Vrbani IV. qua fertur excommunicatio contra dantes, ac recipientes pro ingreſſu religionis, & ſupenſio contra Conuentum, ſeu Capitulum hac in re delinquens (quarum vtraque reſeruatur Papæ:) pœnam verò illam, vt ſimoniacè admiſſus ad profeſſionem expellatur, &c. non obligare ipſo iure, nec in conſcientia, ante Iudicis ſententiam legitimè latam, ſed ſolùm poſt condemnationem; qua ſecuta, nullus inferior Papa poteſt diſpenſare, ſeu reſtituere; præter quam, ſi ignorantia interceſſerit iuxtà *cap.* ſupra citatum de regul. aut neceſſitas petat, vt ſimoniacè admiſſus maneat in eodem monaſterio, pro vt habetur in citato *cap.quoniam*

64 Quod autem dicunt *Nauar. & Rodriq.vbi ſupr.* in propoſito caſu profitentem non acquirere ius ad percipienda alimenta à monaſterio, & vocis actiuæ, ac paſſiuæ in Conuentu (cùm hæc ſint inſtar prębendæ canonicæ, cuius eſt incapax ſimoniacus) eſt minùs probabile; & reijcitur à *Laym.* alijſque ex eo quòd iura irritantia collationes beneficiorum ſimoniacè factas ſtrictè debent interpretari, adeòque non debent comprehendere monachatum, & ius illud ſuſtentationis, ac vocis actiuæ, vel paſſiuæ, quod in profeſſionis religioſæ acquiritur: quod etiam notauit *Suar. ſupr. numer.9.*

65 Addit *Suar.cap.59.nu.7.* quòd quamuis committi poſſit ſimonia, etiam dando aliquid temporale pro ingreſſu religionis, ſeu receptione ad habitum pęnę tamen iuris non incurruntur, niſi de facto ſubſequatur profeſſio, priuſquam retractetur pactio ſimoniaca, aut reſtituatur pretium. ratio eſt, quia talis pactio principaliter ordinatur ad ſuſcipiendam profeſſionem, ac proinde, iſta non ſecuta, perfectè conſummata non cenſetur ſimonia.

QVÆRES XXVI. An, & quo caſu inualidetur profeſſio, ex eo quòd profitens reticet impedimentum aliàs manifeſtandum.

66 ℞. Inualidari, ſi impedimentum ſit ſubſtantiale iuxtà ſtatuta illius religionis confirmata à Sede apoſtolica: idque ſiue taceatur ex malitia, ſiue ex ignorantia; ſecùs, ſi impedimentum non ſit modo dicto ſubſtantiale: vt ſi quis morbo gallico laborans, eum interrogatus occultaret, & profiteretur, nullatenus admittendus, eo detecto, ad profeſſionem. ita *Sanch. ſup. numer.57. & 60. Rodriq.tom.3.queſt.17.a.9.Nauar.l.3.conſ.de Regul.conſ. 25.Sorb.in camp.v. nouitius poſt 7. notab. Lezana ſupr. numer. 22. alijque*; & quo ad 1. partem probatur ex eo quòd, exiſtente impedimento ſubſtantiali, nulla adeſt poteſtas in admittente: profeſſio autem admiſsa à non habente poteſtatem eſt irrita ex defectu poteſtatis; quo ad 2. verò partem probatur, quia ſicut non omnis error, nec omnis deceptio, ſed ſolius perſonæ irritum reddit matrimonium carnale; ita nec omnis error, ac deceptio caſsat profeſſionem, ſed ſolum deceptio verſans circa ſubſtantialia. Eiuſmodi autem ſunt illa quinque impedimenta, quæ referuntur in *1.p.Conſtit.Soc.Ieſu cap.3.* quæ omninò excludunt à Societate, ita vt in ijs, neque Præpoſitus generalis, neque tota Societas poſſit diſpenſare, vt oſtendit *Sanch.nu.60.* ex citatis *Conſtitutionibus*.

67 An autem eijci poſſit religioſus, qui occultato impedimento, non ſubſtantiali, eſt profeſsus, conſtat ex dictis *tract.præcedenti cap.3.qu.15.* poſse non quidem ex vi iuris communis, ſed ex priuilegio bullato Leonis X. ibi adducto; vbi etiam notaui ex Peyrino vi dicti priuilegij non declarari irritam talem profeſſionem, ſed ſolum concedi, vt dictus profeſsus expelli poſſit à religione in pęnam culpę admiſsę in reticendo eo impedimento (quam culpam cenſet *Nau. loco cit.* eſſe mortâlem.) Dixi, *non quidem ex vi iuris communis*; ſtando enim in iure communi putat *Sanch.nu.58. cum Rodriq.* præfatam reticentiam non eſſe cauſam ſufficientem expellendi profeſſum: quod negant *Nau. Sà Sorb. Vega, & Rodriq. relati ab ipſo Sanch.* ſed minùs probabiliter, imò omninò improbabiliter, attento decreto Sacræ Congregat. iuſſu Vrban. VIII. edito 21. Sept. 1624. prohibente ne impoſterum eijciatur à religione vllus profeſſus, niſi ratione incorrigibilitatis, & quidem ſeruatis omnibus ijs, quæ in dicto decreto præſcribuntur, & à nobis explicantur *in tract.de priuil.c.8.ſect.2.*

68 Hæc tamen non habent locum in nouitio, qui in ſua receptione tacuiſſet impedimentum aliquod non ſubſtantiale: is quippe poſset expelli, immò & regulariter deberet in pęnam deceptionis; quin nec habent locum in religioſo Societatis adſtricto votis biennij: is enim poſset in præſenti caſu eijci è Societate; cùm ea vota ex parte Societatis ſint conditionalia quo ad perpetuitatem; ſicque multò minor cauſa ſufficiat ad expulſionem, quàm in alijs Ordinibus; in quibus emittuntur vota profeſſionis omninò abſolutè.

QVÆRES XXVII. An, & qualiter renalidari poſſit profeſſio quæ eſt irrita ſolùm ex defectu poteſtatis in admittente, & fuit acceptata nomine illius, qui ad id legitimam habet poteſtatem.

69 ℞. Poſse, ſi is de facto eam poſtea ratam habet, & taliter profeſsus per actum contrarium non mutauit priorem voluntatem; patet, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur *iuxta regulam 10. de reg.iur. in 6.* ita *Sanch. ſup. numer.80. ex Sylueſt. Ang. Nauarr. Tabien. Cucco, Azor. Rodriqu. & alijs* monens profeſſionem in tali caſu incipere valere à tempore, quo rata habita fuerit à Prælato: cùm enim ad valorem profeſſionis exigatur

O 3 con-

conſenſus non ſolum profitentis, ſed etiam admittentis cum legitima poteſtate; & in caſu propoſito ante dictam ratihabitionem deſit conſenſus admittentis; ſequitur profeſſionem non valere, niſi ab eo tempore, quo profeſſio rata habetur ab eo, cuius nomine fuerat admiſſa. Dico *cuius nomine fuerat admiſſa*, ad indicandum, quòd ſi profeſſio eius nomine non ſit acceptata, nihil proderit ſubſequens eius ratihabitio; cùm nemo ratum habere poſſit, quod eius nomine geſtum non eſt. Vnde infert *Sanch.* Conuentum, vacante Prælato, poſſe nomine Prælati futuri admittere ad profeſſionem, & eo poſtea illam ratam habente, fore validam profeſſionem ſic emiſſam.

QVÆRES XXVIII. An cenſeatur ratificari profeſſio aliàs inualida hoc ipſo quòd taliter profeſſus ſuſcipit ordines Sacros.

70 ℟. Non cenſeri; & probatur tum quia à diuerſis non fit illatio *l. papinian. ff. de minor.* ſuſceptio autem ordinum Sacrorum eſt res diuerſa à profeſſione: tum quia id nullo iure ſancitum eſt: tum quia ipſa dilatio habitus profeſſorum, & collatio ſuffragiorum in capitulo non ſufficit ad indicandum religioſum emiſiſſe profeſſionem tacitam; ergò multò minùs ſufficiet ſuſceptio Sacrorum ordinum, quæ non eſt actus magis proprius profeſſorum, quàm ſit delatio habitus profeſſorum, & collatio ſuffragiorum in capitulo. ita *Rodriq. to. 3. quæſt. 17. a. 16.* & cum eo *Bonac. de clauſ. q. 2. p. 10. diffic. 5. n. 3.*

QVÆRES XXIX. An profeſſio iterari debeat caſu, quo profeſſus ex iuſta cauſa iterum baptizetur ſub conditione.

71 ℟. *Barboſa in Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 16. declar. 9.* anno 1588. die 10. Dec. à Sacra Congreg. deciſum fuiſſe, quòd licet in caſu propoſito profeſſio liget; nihilominùs ad maiorem cautelam ea debet iterari, expectato alio anno; idque ex doctrina *Abbatis in c. 1. & 2. de presbyt. non baptiz.*

QVÆRES XXX. An, & qualiter obliget profeſſio, in qua prætermiſſum eſt aliquod ex 3. votis ſubſtantialibus.

72 ℟. Non obligare vllo modo, niſi fortè profitens intenderit ſe obligare ad alia duo vota promiſſa independenter à valore profeſſionis. Ducor, quòd profeſſio in tali caſu eſt irrita, cùm ei deſit aliquid ipſi ſubſtantiale, & non cenſeatur acceptata à religione, in qua emittitur, quippequæ non intendit admittere, niſi integram profeſſionem (quod docet *Sanch. l. 5. mor. c. 4. num. 85.* remiſſiuè:) profeſſio autem nulla ex quocumque defectu nullam ex ſe inducit obligationem, inquit *Peyr. de R. P. qu. 3. c. 1. n. 139. ex Nau. Sanch. Suar. & alijs*, niſi profitens modo ſupradicto intendat ſe obligare ad vota promiſſa independēter à profeſſione: cùm ex eo, quòd nullum eſt, quatenus tale eſt, nihil ſequatur. Vnde loquens *Sanch. n. 105.* de faciente profeſſionem inualidam ſic concludit; *Quare, vt maneat ſimplici voto ligatus, oportet, vt habeat intentionem ſe obligandi illis votis in profeſſione emiſſis independenter ab ipſa, vel ſaltem non reſtringendo ad vota ſolemnia: atque eam intentionem præſumunt iura, vbi de contraria non obſtat.*

73 Ex quibus patet, quòd ſi quis in Ordine Minorum profitens non promitteret obſeruantiam vitæ quadrageſimalis, aut in Societate obedientiam ſpecialem Papæ (quæ in iſtis religionibus ſunt vota ſolemnia) talis profeſſio eſſet nulla ex defectu conſenſus eam admittentis; qui nec poteſt, nec intendit recipere dictam profeſſionem, niſi iuxta ſtatuta, & Conſtitutiones propriæ religionis, vt conſtat ex dictis *ſup. q. 12. §. ex quo infert Suarez.* Secus dicendum, ſi profitens omitteret in formula profeſſionis votum aliquod ſimplex: & ratio diſparitatis eſt, quòd hoc eſt diſcrimen inter dolum verſantem circa ſubſtantialia (quale eſt votum ſolemne) & dolum verſantem circa accidentalia (quale eſt votum ſimplex) quòd dolus prior irritat profeſſionem, non item poſterior. Vnde fit, vt non deſit intentio admittentis ad profeſſionem, ſi decipiatur circa aliquod votum ſimplex; cùm talis deceptio ſit circa aliquid accidentale profeſſioni: ſecùs, ſi ſit de voto ſolemni tānquam eſſentiali reſpectu profeſſionis factæ in hoc, vel illo Ordine.

QVÆRES XXXI. An, & quando profeſſio irrita obliget ad inſtar voti ſimplicis, & quæ ſit materia talis obligationis.

74 ℟. Diſtinguendo, vel profeſſio eſt irrita ex defectu debitæ ętatis, aut nouitiatus; & ſic non obligat ad inſtar voti ſimplicis; cùm ea omni protſus obligandi vi deſtituatur, & perinde ſe habeat, ac ſi non fuiſſet facta (idque ex decreto *Concilij Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de Regul.*) vel eſt irrita ex aliqua alia cauſa; & ſic communiſſima DD. ſententia eſt eam obligare ad inſtar voti ſimplicis, modo vouens vouerit independenter à profeſſione ſolemni: & ratio eſt, quòd quando actus non valet eo modo, quo fit, valet eo modo, quo valere poteſt *c. vn. de deſponſ. impub. in 6. §. idem quoque*: quod ſi profitens non vouit ſimpliciter, ſed dependenter à fine permanendi in religione; certum eſt tunc profeſſionem nullo modo obligare, cum votum non obliget vltra intentionem vouentis. quamquam in dubio, num vouerit ſimpliciter, valdè probabile ſit præſumi, quòd ſimpliciter vouerit, cùm poſſeſſio ſtet pro voto iuxtà doctrinam generalem; quòd pro eo ſtat poſſeſſio, pro quo ſtat iuris præſumptio: ius autem in præſenti caſu præſumit profitentem intendiſſe ſe obligare eo modo, quo potuit; prout colligitur ex *citato cap. vn. de deſponſ. impub.* ita *Sanch. nu. 103. & 104. Bonac. ſup. p. 10. diſ. 2. §. 3. num. 6.* alijque penes ipſos, hinc inferentes profitentem apud eum, qui non habet poteſtatem admittendi, obligari 3. votis ſimplicibus; quod eſt eum manere obligatum, non quidem ad ingrediendum religionem, ſed ad ſeruandum in ſæculo votum ſimplex paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ad quod vtique poteſt ſe obligare quilibet, etiam ſine animo ſuſcipiendi ſtatum religionis: quomodo manet capax dominij ſuorum bonorum immò & matrimonij, eſto peccaret contrahendo. Verùm tamen eſt, quod ſi profitens in tali caſu ex errore putaret ſe verā facere profeſſionem ſecūdū aliquā regulā approbatam, tūc talis profeſſio nullam relinqueret obligationem, vtpote quæ eſſet abſque ſufficienti voluntate, & non intendente ſe obligare ad præfata vota, niſi in ſtatu verè religioſo: vnde, hac conditione non ſecuta, nulla inde naſci poteſt obligatio, niſi ponamus profiten-

ſitentem aliunde intendiſſe ſe obligare, ſicut potuit.

QVÆRES XXXII. Vtrum in dubio, an profeſſio ſit valida, nec ne, præſumi debeat eſſe valida.

75 ℞. Præſumi; & probatur tum quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis: in præſenti autem caſu poſſeſſio ſtat pro religione; cùm pro eo ſtet poſſeſſio, pro quo ſtat iuris præſumptio, & præſumptio ſtet pro religione: tum quia in dubio iudicandum eſt pro religione iuxtà *l. ſunt perſonæ ff. de relig. & ſumpt. fun. Summa eſt ratio, quæ facit pro religione*. ita *Peyr. de R.P. qu. 3. cap. 1. num. 140. ex Nau. Sanch. Suar. Grat. Barthol. à S. Fauſt. & Rota*.

QVÆRES XXXIII. Qualiter peccet qui profeſſionem facit ex fine malo.

76 ℞. Peccare m. ſi finis malus, ob quem fit profeſſio, ſit finis materiæ promiſſæ. ita *Sanchez lib. 4. moral. cap. 6. num. 15.* & probatur, quia finis malus, qui eſt finis materiæ promiſſæ, irritam facit profeſſionem, vt oſtendimus *q. 24.* facere autem irritam profeſſionem eſt peccatum m. vt docet *Sanch. c. 1. nu. 38. cum Caiet. v. totum cap. 3.* probatq; quia in tali caſu interuenerit mendacium periculoſum ratione diuinæ irreuerentiæ coram hominibus, & ſcandali, & damni religionis, in qua fit profeſſio; quæ omnia ſimul aggrauant malitiam actus, itaut ſit mortalis: cùm alioqui, teſte eodem *Sanch.* non peccet niſi v. qui votum aliquod ſimplex, & priuatum modo dicto irritum facit.

Ex quibus patet, quo modo dixerimus *quæſt. 24.* validam eſſe profeſſionem factam ob malum finē, cum hìc dicamus illam eſſe irritam: nam ibi ſupponimus finem malum, ob quem fit profeſſio eſſe, ſolùm finem promiſſionis, ſeu profeſſionis; hìc verò ſupponimus illum eſſe finem materiæ promiſſæ: ſicque hæc duo loca non pugnant inter ſe, vt facile patebit conſideranti dicta ea *q. 24.*

77 Et hæc reſponſio eſt vera, etiam in caſu, quo profeſſio ſolemnis, aut emiſsio votorum biennij in Societate Ieſu fiant ob finem rei promiſſæ indifferentem: ſiquidem etiam in iſto euentu ea redduntur irrita, ac proinde militat ratio paulò ante allata. & certè quòd dicta reddantur irrita ex fine indifferenti, conſtat, quia Deus non acceptat promiſſionem rei, quæ ex fine redditur indifferens, adeòque nec poteſt à religione acceptari nomine Dei; quo pacto aiunt DD. communiter votum de re indifferenti non obligare. ita *Sanch. ſup. c. 7. n. 26. & 27.*

Dices, quid ſi profeſſio, aut emiſſio votorum biennij fiant ex duplici fine, altero apto, & altero inepto; peccabit ne tunc qui ſic profitetur, aut emittit prædicta vota.

78 ℞. Cum diſtinctione: vel illi fines intenduntur diuiſiuè, & per modum plurium; & ſic cùm ſit duplex profeſſio virtualiter, ac emiſſio votorum, alia valida, quæ ordinatur ad bonum finem, alia inualida, quæ ordinatur ad finem ineptum; non videtur interuenire culpa m. cum ſic detur actus validus, quæ non vitiatur ab actu inualido ipſum concomitante, & aliàs magna ex parte ceſſent rationes aggrauantes in prioribus caſibus allatæ: quod item contingeret, quando independenter à fine inepto profeſſio, aut emiſſio votorum biennij fierent, ita, vt, eo non intento, adhuc fierent, licèt non adeò promptè; cum enim tunc profeſſio, & emiſſio votorum non pendeant ex illo fine inepto, ſed ipſo ceſſante (etſi eſſet aptus) adhuc obligent; nihil refert ad earum valorem, qualis ſit ille finis. Vel illi plures fines intenduntur collectiuè, & per modū vnius, itaut vnus dependeat ab alio: & tunc, ſiue finis aptus ſit magis principalis, ſiue minùs principalis, ſi ſit malus, aut indifferens, vtique peccabit m. qui eo modo profitebitur, aut emittet vota biennij; cùm ſic profeſſio, ac emiſſio votorum ſint irritæ, & conſequenter militet ratio ſuperiùs adducta; tunc autem vterque finis cenſetur intendi per modum vnius, quando profeſſio, aut emiſſio votorum ita pendent ab vtroque fine, vt, quouis eorum deficiente non fierent. Colligitur ex *Sanch. ſup. cap. 10. num. 15.* qui addit, quòd ſi in caſu propoſito dubitetur, an plures ij fines intenti ſint per modum vnius, aut plurium, præſumendum eſt in fauorem profeſſionis, ac emiſſionis votorum, nimirùm eſſe intentos per modum plurium; cùm conſtet de parte finis bona, & in dubio præſumi poſſit profeſſionem non ita affici fine inepto, vt cenſenda ſit corruere.

QVÆRES XXXIV. An teneat profeſſio facta in Ordine, in quo regularis diſciplina relaxata eſt.

79 ℞. *Gordonus lib. 6. q. 5. num.* 108. quòd, cùm, teſte *Syluestro v. religio 3. numer.* 12. in eiuſmodi profeſſione voneatur regula, quæ eſt bona, non autem mala conſuetudo; & vouens obligetur ad regulam ex *cap. conſtituit 20. qu. 3.* conſequenter certum eſt profeſſionem in tali caſu tenere.

CAPVT II.

Quinam poſsint admitti ad Profeſſionem Religioſam.

1 NOuitij reperti idonei admittendi ad profeſſionem.
2 Idque ex charitate, ac ex officio proprio Prælati.
3 Differri poteſt profeſſio vltrà annum.
4 Hodie admitti poſſunt facientes nouitiatum in loco non deputato.
5 Idque ex Vrban. VIII. decreto, quod ſolùm extenditur ad profeſſiones antea nulliter factas ex eo capite.
6 Sed tantùm intrà certum tempus.
7 Nouitij admittendi ad profeſſionem ſolùm poſt finitum nouitiatum, præter quàm in mortis articulo; & hoc ex indulto Pij V. quod adhuc durat, & eſt commune Religioſis vtriuſque ſexus.
8 Profitentes vi talis indulti non iterum profitentur, ſi conualeſcant.
9 Immò vi talis profeſſionis in eorum bona ſuccedit religio.
10 Obtinetur item vi illius indulgentia plenaria.
11 Sufficit autem mortis articulum eſſe præſumptum, ac probabilem.

Idque

12 *Idque iudicio ſine medici, ſiue alterius periti.*
13 *Religioſi Ordinum militarium profitentur ante finem nouitiatus.*
14 *Ad profeſſionem validè recipiuntur hæretici occulti.*
15 *Item & excommunicati vitandi.*
16 *Sed non ſine peccato mortali.*
17 *Item illegitimi, & quidem etiam licitè.*
18 *Item illiterati, ſed non licitè.*
19 *Item maculati ex genere, ſtando in iure communi: quod non procedit in Societate Ieſu.*
20 *Facinoroſi nec validè, nec licitè admittuntur ad profeſſionem; immò nec homicidæ caſuales, aut mandantes homicidium in Societ. Ieſu.*
21 *Infames validè, ſed non licitè admittuntur.*
22 *Electi a proprio Ordine admitti poßunt ad profitendum in alio.*
23 *At hoc non procedit in Societ. Ieſu.*
24 *Amentes non admittuntur ad profeſſionem.*
25 *Limita, ſi ſint perpetuò amentes.*
26 *Hæc tamen limitatio non habet locum in Soc. Ieſu.*
27 *Admittuntur Hermaphroditi, ſed non omnes: & ſi ordinati Sacerdotes fiant fœmina, non amplius poßunt conſecrare.*
28 *Profitens vt mulier inter moniales, ſi poſtea erumpat in virum, non tenetur tranſire ad religionem virorum, ibique profiteri.*
29 *Mulier profitens in religione virorum tenetur votis religioſis, vt ſimplicibus, ſed non ſemper.*
30 *Validè admittuntur impotentes ad obſeruantiam regulæ.*
31 *Regulariter validè profitentur reticentes impedimentum, etſi, eo detecto, non fuiſſent admiſſi.*
32 *Et hoc de iure communi.*
33 *Admitti poſſunt muti, immò muti ſimul, & ſurdi, ac cæci.*
34 *Item profeſſi alterius Ordinis, at non in omni euentu.*
35 *Item ligati voto ſtrictioris religionis.*
36 *Ad profeſſionem recipi poſſunt coniugati, etiam matrimonio conſummato.*
37 *Idque de iure communi; non item in Societ. Ieſu.*
38 *In qua nec admittuntur coniuges ante matrimonij conſummationem.*
39 *Limita, niſi fecerint legitimum diuortium.*
40 *Et quidem in caſu, quo adulterium ſit notorium; etſi id procedat ſolùm quò ad coniugem innocentem.*
41 *Coniuge profitente ſine conſenſu alterius coniugis, hic alter non poteſt ingredi religionem; &, ſi hic poſtea fornicetur, non poteſt ille recedens à religione ei reddere debitum, nec ei reconciliari.*
42 *Coniux inualidè profeſſus, inſtante Epiſcopo, reſtituendus.*
43 *Ad profeſſionem recipiuntur ſerui propriè dicti, ſed de conſenſu domini.*
44 *Aliàs intrà triennium ab eo repeti poſſunt.*
45 *Probatur aſſertio principalis.*
46 *Religio bona fide admittens ſeruum cogi nequit illum redimere.*
47 *In Societate Ieſu ſeruitus eſt impedimentum dirimens.*
48 *Interdum ad profeſsionem admittuntur obligati ad ratiocinia.*
49 *Si videlicet abſque litigio ratiocinia poſsint reddi.*
50 *Grauati ære alieno poſſunt admitti, ſed non ſemper.*
51 *Et, ſi illicitè admittantur, non tenentur poſtea laborare, vt ſoluant, nec religio tenetur conſentire, vt acquirāt ad hunc effectum.*
52 *Afferuntur caſus, in quibus ij poſſunt admitti.*
53 *Admitti poſſunt obligati ad aliquod obſequium.*
54 *Item qui habent parentes indigentes, ſed non licitè.*
55 *Hi tamen ſic admiſſi non tenentur poſteà illis ſubuenire.*
56 *Etſi aliqua facere poſsint in illorum ſubſidium.*
57 *De licentia tamen Superioris.*
58 *Immò ad talem effectum is poteſt ijs concedere egreſſum, ſed non tenetur; idque procedit de religioſis Societ. Ieſu non profeſsis.*
59 *Admitti poſſunt, qui habent filios indigentes, ſed non licitè.*
60 *Item qui ſorores, aut fratres indigentes habent; & quidem etiam licitè.*
61 *Item Epiſcopi, & alij ſimiles, ſed illicitè.*
62 *Horum tamen profeſsio aliquo modo dici poteſt irrita.*
63 *Epiſcopi, etiam non conſecrati licitè admitti non poſſunt.*
64 *Secus, ſi ſint electi, ſed non confirmati.*
65 *Admitti poſſunt renunciantes Epiſcopatum; non item Epiſcopi titulares.*
66 *Item poſſunt admitti Prælati inferiores Epiſcopis.*

QVÆRES I. An Prælati regulares teneantur recipere ad profeſſionem nouitios tempore probationis repertos idoneos, & qualiter peccent, ſi eos ſine iuſta cauſa excludant.

1 ℞. Teneri, &, ſi excludant, videri peccare mortaliter, probatur tum quia *Concil. Triden. ſeſſ. 25. c. 16. de Regul.* expreſsè præcipit Superioribus, vt nouitios repertos habiles, finito anno nouitiatus, ad profeſſionem admittanr: tum quia non poteſt negari, quòd retrahens aliú à religione ſine iuſta cauſa peccet mortaliter, expellere autē per denegationem ſuffragiorum plus eſt, quàm ſimpliciter retrahere: tum quia ſic Prælati abutuntur ſua poteſtate, qua ex officio tenentur procurare bonum religionis; quod tamen non faciunt in præſenti caſu: quin potiùs ei iniuriam inferunt, illi ſubtrahendo religioſum idoneum. ita *Miranda p. 1. q. 25. art. 12. Portell. de dub. regul. verb. nouitius num. 55. Peyr. de R. P. ſup. num. 112. alijque* apud ipſum, & apud *Sanch. l. 5. mor. cap. 4. num. 59.* qui tamen negat eſſe peccatum mortale excludere nouitium idoneū ſine cauſa, præter quàm in caſu, quo expulſio eſſet nouitio grauis nota; ſed minus benè hoc aſſerit, *Sanch.* eiuſq; fundametum eſt minus firmum: quòd enim ait non magis obligari religionem nouitio, quàm obligetur nouitius religioni, hinc inferens, quod ſicut nouitius non peccat, niſi venial. recedens ſine cauſa à religione, ita & Prælatus illum ſine cauſa expellens ſolùm venial. peccabit; non multùm vrget; cùm nouitius egrediens cedat iuri ſuo, & quilibet cedere poſſit iuri proprio; Prælatus autem ſine cauſa derogare non poſſit iuri, quòd habet nouitius permanendi in religione ex contractu facto inter ipſum, & religionem ante ingreſſum; nimirùm vt admittatur ad profeſſionem, ſi dignus reperiatur: quòd ius vocat *Portellus* ius ad rem ex quaſi contractu: & bene; cùm ſup. dictus contractus non ſit ex iuſtitia, & conſequenter non poſſit dici contractus ſimpliciter.

Quòd

Quòd ſi dicas hinc confirmari fundamentum allatum à *Sanch.* adeòque vt æqualis ſit obligatio ex eo contractu proueniens tam ex parte religionis, quàm nouitij, dicendum eſſe, quod, ſicut ille peccat ſolùm ven. recedendo ſine cauſa à religione, ſic & Prælatus ſolùm ven. peccabit dimittendo ſine cauſa.

2 ℞. Eiuſmodi ſequelam tunc fore admittendam, ſi in præſenti caſu grauitas peccati ſolùm deſumenda eſſet ex ſup. dicto contractu; at non hinc deſumitur, ſed ex eo quòd Superior excludens nouitium dignum facit contra charitatem debitam religioni, & proximo, nec non contrà proprium officium; & quidem in re graui, iniuſtè priuando religionem, & proximum bono graui; cùm alioqui nouitius non habeat obligationem adeò ſtrictam procurandi ſibi ſpirituale illud bonum, quod ex eius perſeuerantia ſequeretur.

An verò ex iuſta cauſa poſſit profeſſio differri vltra annum probationis præſcriptum, non obſtante decreto *Concilij Trid. q. præcedenti* adducto.

3 ℞. Poſſe; idque tum ex declaratione Sacræ Congregat. hac de re edita, tum ex rationibus, quas attulimus *tract. præced. cap. 1. q. 17.* ſolùm hic addo ex declaratione Sacræ Congreg. relata à *Rodriq. to. 3. q. 17. a. 10.* profeſſionis tempus ad arbitrium Superioris poſſe prorogari, ſi nouitius agnoſcatur habilis (non item, ſi conſtet eſſe inhabilem) tunc enim non poteſt differri profeſſio, niſi per ſeſto menſens.

QVÆRES II. An, & quo iure admitti poſſint ad profeſſionem ij, qui nouitiatum peregerunt in loco non deſignato iuxtà decreta Sacræ Congregar. iuſſu Clem. VIII. edita, & relata *tract. præced. cap. 1. q. 18.*

4 ℞. Quòd, quamuis ſtando in præfatis decretis, non poſſint admitti, cùm per ea inualida declaratur profeſſio facta ab ijs, qui ad habitum regularem recepti probationis annum non fecerunt in monaſterijs modo ſup. dicto deſignatis: in præſentia tamen, attenta *Conſt. Vrb. VIII. in ordine 115.* poſſunt Prælati regulares recipere ad profeſſionem, immo, & poſt profeſſionem emiſſam reſtituere ad omnes honores, dignitates, præeminentias, atque habilitates, quas, ſi ab initio validè profeſſi eſſent, legitimè obtinerent; ita vt habeant eundem locum, ſeſſionem, & votum, pro vt haberent, ſi priores profeſſiones validæ fuiſſent: prætereà poſſunt promouere ad omnes ordines Sacros, etiam presbyteratus, ſeruatis tamen aliàs ſeruandis nec non in ijs liberè, & licitè miniſtrare: denique validos declarare poſſunt omnes actus, & contractus à præfatis profeſſis ad illud vſque tempus initos, ſiue cum laicis, ſiue cum alijs monaſterijs, ſiue alterius religionis viris, dummodo nullum aliud vitium, ſiue defectum patiantur, niſi quòd contracti ſunt inualidè ab ijs, qui contra decreta ſupra dicta Sacræ Congregat. in domibus non deſignatis, ſiue à Sede apoſtolica non approbatis profeſſi ſunt; hæc omnia habentur in præfata Conſt. Vrbani VIII. quaſi de verbo ad verbum, & ita clarè, vt non egeant vlterius explicari.

Dubitari ſolùm hic poſſet, an iſta conceſſio extendatur etiam ad eos, qui poſt emanationem illius profiterentur facto nouitiatu in loco non deſignato.

5 ℞. Videri non extendi, ducor, quòd volens Pontifex declarare, quibus velit ſuffragari illam conceſſionem, priùs dicit *Cùm quam plures Ordinum, Congregationum institutorum regularium profeſſores ad habitum regularem recepti probationis annum in monaſterijs, ſeu domibus regularibus ad id deſignatis vel ab apoſtolica Sede approbatis minimè fecerint, proindeque iuxtà Conſtitutionem fal. rec. Clem. Papæ VIII. Prædeceſſoris noſtri de ſuper editam profeſſio per eos ſubinde emiſſa inualida exiſtat*: immediatè ſubiungit *Nos religioſos prædictos ex huius S. Sedis benignitate ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes* &c. conſtat autem per ly, *Religioſos prædictos* non poſſe intelligi niſi illos, de quibus immediatè ante loquitur Pontifex; vnde, cū ibi loquatur ſolum de ijs, qui eo modo profeſſi fuerant vſque ad tempus, quo edidit iſtam bullam: non verò de ijs, qui poſt illius editionem eo modo inualidè erant profeſſuri; neceſſariò ſequitur præſentem conceſſionem extendi, non ad iſtos, ſed ad illos tantùm; quod etiam confirmatur ex ijs, quæ in eadem bulla ſubdit Pontifex §. 7. in hæc verba: *Cæterum ſimilibus in poſterum conſultum eſſe volentes dilectis filijs Ordinum &c. Superioribus generalibus, quocumque nomine cenſeantur ac Procuratoribus, etiam generalibus per præſentes diſtinctè præcipimus, & mandamus, quatenus ſtatim, viſis præſentibus, loca, monaſteria, vel conuentus, in quibus nouitij probationis annum agant, & alia quæ dictus Clem. prædeceſſor ſuper hac re obſeruari iuſſit, obſeruentur, deſignari, ſiue confirmari omninò curent, & faciant*; ex quibus conſtat Pontificem non extendere illam ſuam conceſſionem ad profeſſiones in poſterum faciendas; immò diſtrictè præcipere Prælatis regularibus, vt obſeruent decreta iuſſu Clem. VIII. edita quò ad receptionem, ac educationem nouitiorum: & hoc ad effectum vt valida ſit eorum profeſſio, & conſequenter non egeat reualidari vigore præſentis conceſſionis.

6 Quandiu autem, & quo modo reclamare poſſint ij, qui allegant nullitatem receptionis, & profeſſionis ex eo quòd contra formam decretorum Clement. VIII. in conuentibus non deſignatis admiſſi fuerint ad habitum regularem, & profeſſionem: diximus in *tract. præced. cap. 1. q. 18.* vbi retulimus decretum Sacræ Congregat. hac de re nouiſſimè editum de mandato Vrbani VIII. & inferius etiam explicabimus *cap. 4. ſect. 2.*

QVÆRES III. An detur aliquis caſus, in quo nouitij admitti poſſint ad profeſſionem, nondum expleto integro anno probationis.

7 ℞. Quòd, quamuis varij caſus ab aliquibus DD. referantur, in quibus valida ſit profeſſio facta, anno nouitiatus non expleto, vt videre eſt apud *Sanchez l. 5. mor. c. 4. num. 11. & ſeqq.* loquendo tamen de Regularibus clauſtralibus in præſentia vnicus datur caſus, in quo valida eſt profeſſio facta modo dicto: nimirùm ſi expleto 16. ætatis anno emittatur à nouitio in articulo mortis Conſtituto vigore priuilegij à Pio V. per bullam conceſſi monialibus Ordinis S. Dominici, quod referr Rodriq. in *bullar. Conſtit. Pij V. in ordine 11.* & eſt commune per viam communicatio-

nicationis Religioſis vtriuſque ſexus , etiam aliorum Ordinum communicantibus de priuilegijs Ordinis S. Dominici , vt oſtendimus in *tract. de priuileg. cap. 1. ſect. 4. q. 13.* Tenor autem conceſsionis eſt iſte : *Monialibus nouitijs*(ideſt Ordinis S. Dominici) *nunc, & pro tempore exiſtentibus, & earum ſingulis, vt quando, & quoties aliqua ex eis nondum profeſſa de alicuius medici conſilio ab hoc ſæculo tranſitura conſpicitur , ipſa pro conſolatione animæ ſuæ profeſsionem prædictam ante tempus requiſitum, quatenus tamen in ætate legitima conſtituta ſit, ad illam emittendam in manibus Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, vel alterius Superioris nouitiarum ipſius monaſterij , ſeu domus : ita tamen quòd ipſæ moniales nouitiæ ſic decedentes indulgentiam , & alias gratias , quas moniales verè profeſſæ decedentes conſequuntur, conſequi poſſint , emittere in articulo mortis liberè , & licitè valeant , apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò concedimus, & indulgemus &c.* Vbi notat *Peyr. to. 2. priuil. Conſt. 8. Pij V. §. 2. nu. 2. ex Henriq. Sanch. & Rodriq.* eiuſmodi conceſsionem adhuc durare, non obſtante Conſtitutione Gregorij XIII. *In tanta* qua reuocauit ea , quæ Pius V. conceſſerat contra *Trident. Concilium* ; inter quæ comprehenditur etiã iſta conceſsio ; ſiquidem Gregorius reuocauit ſolùm ea , quæ contra dictum Concilium conceſſa fuerant circà ſtatum, ac regimen monialium, & quidem quò ad caſus communes , non autem quò ad caſus particulares (qualis eſt iſte); cùm mens legiſlatoris ſit ſemper prouidere ijs, quæ communiter accidunt , vt habetur *l. nam ad ea ff. de leg. & docet S. Tho. 2. 2. q. 120. ar. 1.* non verò in caſibus particularibus: quod etiam innuunt *Miranda p. 1. q. 22. a. 10. Lezana to. 1. cap. 25. nu. 39.*

Difficultas eſt, an nouitius profitens in articulo mortis vigore talis conceſsionis, ſi conualeſcat, indigeat noua profeſsione.

8 ℞. Probabile videri non indigere, ſi ea facta ſit cum conditionibus preſcriptis in dicta conceſsione: patetque tum quia ad valorem talis profeſsionis nihil deeſt, niſi quòd non eſt completum tempus probationis iure poſitiuo ſtatutum; hoc autem poteſt ſupplere Papa per ſuum priuilegium , & de facto ſupplet : tum quia etiam matrimonium carnale cõtractum in articulo mortis eſt validum , & per illud filij illegitimi ex contrahentibus antea procreati per ſubſequens matrimonium fiunt legitimi ; ergò, & idem dicẽdum eſt de profeſsione religioſa emiſſa in articulo mortis , quæ eſt matrimonium ſpirituale, ideòque pariet omnes effectus, quos pareret, ſi emiſſa fuiſſet anno integro probationis expleto: ita *Sanch. ſup. nu. 16. Peyr. vbi ſup. Confect. in comp. tit. 23. cap. 13. Diana p. 5. tr. 3. reſol. 139. Lezana tom. 1. cap. 25. nu. 39.* & alij contra *Mirandam loco cit. Rodriq. & Vecch. citatos à Diana* (à quibus non diſſentit *Portel. de dub. regul. v. nouitia nu. 5.*) ſuſtinentes profeſsionem in tali caſu iterum emittendam eſſe; eò quòd, teſte *Gauanto in manu Epiſc. v. monialiũ profeſſio nu. 4. & 5.* ſic dicatur fuiſſe deciſum à Sacra Congregat. Cardinalium; *verùm* , inquit *Diana, cùm de tali deciſione non conſtet authenticè , non recedo à mea ſententia .*

Grauior difficultas eſt , an religio ſuccedat in bona eorum , qui in articulo mortis profeſsionem faciunt vi præfatæ conceſsionis, & de facto tunc moriantur.

9 ℞. Probabile eſſe, quòd ſuccedat: & probatur ex eo quòd, licèt finis dictæ conceſsionis ſit conſolatio nouitij, & fructus ſpiritualis illius (vt conſtat ex tenore ipſiuſmet cõceſsionis) nullaq; ibi fiat mẽtio, quòd monaſteriũ ſuccedat in bona; nihilominus, vbi ſemel nouitius vi talis cõceſsionis eſt profeſſus, re vera ſit profeſſus, ita vt, ſi conualeſcat, nõ indigeat noua profeſsione (ſicut iam dictum eſt) gaudetque vi talis profeſsionis omnibus priuilegijs profeſſorum: certum eſt autem , hòc ipsò quòd nouitius profitetur, monaſterium ſuccedere in ipſius bona: vnde fit, vt Pontiſex in præfata conceſsione non poſsit dici derogaſſe vlli iuri alterius (ſicuti putant *Miranda, Rodriq. & Portel.* à nobis in hoc diſſentientes) ; cùm ius ſuccedentium ab inteſtato ſit, vt, nouitio decedente in ſtatu nouitij, & inteſtato, monaſterium ipſi non ſuccedat : quòd non euenit in caſu noſtro , cùm nouitius vi ſup. dictæ conceſsionis profiteatur , & conſequenter decedat non nouitius , ſed profeſſus. ita *Sanch. Peyr. Lezana , & Diana locis citatis* , etſi *Lezana* ſubdat , *niſi obſtet prædicta declaratio Sacræ Congreg.* quam tamen non obſtare putat *Diana*, ſicut diximus *§. præcedenti .*

10 Notat autem *Portell.* quòd, quamuis attenta reuocatione indulgentiarum Regularibus conceſſarum facta à Paulo V. (de qua ſuo loco) ceſſauerit Indulg. plenaria à Pio V. conceſſa in forma Iubilei profitentibus in articulo mortis vi iſtius ſuæ conceſsionis ; poſſunt tamen dicti profitentes conſequi indulgentiam plenariam ab ipſo Paulo V. conceſſam Religioſis profitentibus ; cùm ij re vera dici poſsint profiteri , & conſequenter faciant , quòd requiritur ad obtinendam talem indulgentiam ; quod puto habere verum, etiam ſi demus profitentem vigore iſtius conceſsionis, ſi conualeſcat, teneri iterum profiteri poſt peractum annum probationis ; in illo enim caſu cenſeo prædictam indulgentiam poſſe obtineri tum vi profeſsionis , quam faciunt in articulo mortis : tum vi illius quam iterum debito tempore emittunt ; cùm ſimus in materia fauorabili , quæ debet ampliari , vt dicemus ſuo loco .

At dubitari poteſt , quid intelligatur in iſta conceſsione Pij V. nomine articuli mortis , num ſcilicet intelligatur verus articulus mortis, in quo mors verè ſequatur , an præſumptus, & probabilis , quando nimirum iudicio medici infirmus eſt in neceſsitate communicandi per modum viatici .

11 ℞. Intelligi articulum præſumptum , & probabilem; patetque tum quia id colligitur ex verbis illis, quæ habentur in conceſsione : *quoties aliqua ex eis nondum profeſſa de alicuius medici conſilio ab hoc ſæculo tranſitura conſpicitur* (quod verificatur in puncto tẽporis à nobis deſignato) ; tum quia ſumus in materia fauorabili animæ, quæ debet quàm maximè ampliari ; tum quia id ſupponunt D D. dum controuertunt , an taliter profitens, ſi conualeſcat, teneatur iterum profiteri ; quod vtique euenire non poſſet, ſi per articulum mortis intelligeretur verus articulus : tum quia alioqui non pauci exponerentur periculo non gaudendi fauore talis conceſsionis ,

cùm

cùm difficilè dignoſci poſſit, quinam ſit verus mortis articulus, & qui non.

Plura alia dubia, quæ excitari poſſent hìc circa intelligentiam dictæ conceſſionis, explicantur, & ſoluuntur à nobis in *tract. de monialibus in 2. edit. cap. 9. n. 18. & cap. 10. nu. 224.*

12 Addo, quod dicitur in conceſſione *de alicuius medici conſilio* non ita neceſſariò requiri, vt non poſſit ſufficere ad talem effectum conſilium, & iudicium cuiuſcumque alterius periti; vnde à communiter contingentibus ibi requiritur conſilium medici, non autem quòd illud ſit ſimpliciter neceſſarium.

13 Dixi ſub initium principalis reſponſionis, *loquendo tamen de Regularibus clauſtralibus*: ſi enim loquamur de Religioſis Ordinum militarium, ij, ſecluſo peculiari ſtatuto, quòd fortè habeant, non comprehenduntur decreto *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 15.* quò ad ætatem profitendi, & annum nouitiatus; ſicut eruditè notauit *Azor. p. 1. l. 13. c. 4. q. 2.* afferens ad id declarationem Sacræ Congregat. quam item allegat *Sanch. ſup. n. 17.*

QVÆRES IV. An validè poſſint admitti ad profeſſionem hæretici occulti.

14 ℞. Poſſe, & probatur tum quia matrimonium cum hæretica eſt validum, cum tamen ſit Sacramentum; ergò & valida erit profeſſio hæretici, quæ non eſt Sacramentum, ſed eſt contractus merè naturalis, & aliàs habet rationem matrimonij ſpiritualis: tum quia in Societate Ieſu, vt conſtat ex *cap. 2. examinis* ſtatutum eſt tanquam impedimentum dirimens ingreſſum illius, quòd quis receſſerit à gremio Eccleſiæ fidem abnegando, vel ſic in errores contra ipſam incurrendo, vt damnatus ob aliquam propoſitionem hæreticam quiſpiam fuerit, vel vt ſuſpectus de hæreſi per ſententiam publicam declaratus; ergò ſignum eſt iure communi profeſſionem factam ab hæretico non eſſe inualidam; alioqui fruſtra in Societate ſtatutum fuiſſet tale impedimentum tanquam dirimens: tum quia profeſſio facta ab hæretico non eſt inualida iure naturali (vt conſtat) nec poſitiuo, cùm nullum tale ius reperiatur, quòd ego ſciam. ita in terminis *Portell. v. profeſſio nu. 24. ex Nauar. & Sanch.* (qui tamen id expreſsè non docent) addens quòd, quamuis in Ordine Minorum prima conditio requiſita in nouitio ſit, vt ille ſit catholicus, ſi tamen hæreticus occultus in dicto ordine profiteretur, valida eſſet eius profeſſio; vt pote quæ in regula non annullatur, ſed ſolùm prohibetur; quamquam aliàs poſſet eijci, eò quòd interrogatus tacuiſſet illud impedimentum, quo cognito non fuiſſet admiſſus ad profeſſionem: vnde, & ipſa profeſſio cenſeri poteſt inualida ex defectu debiti conſenſus admittentis; qualiter verò eiuſmodi impedimentum obſtet ingreſſui Societatis Ieſu, fusè explicant *Suar. tom. 4. de relig. tra. 9. l. 2. cap. 1. & Caſtrus Pal. tract. 16. D. 1. p. 8. §. 1. numer. 4. vſque ad 3.*

QVÆRES V. An poſſint admitti ad profeſſionem excommunicati, etiam vitandi.

15 ℞. Poſſe; quidquid ſit de peccato admittentium. ita *Rodriq. tom. 3. q. 17. art. 14. Comitol. l. 2. q. 8. nu. 5. Portel. ſup. nu. 24* eſtque communis Canoniſtarum, teſte ipſo Portello. Mouetur, quòd profeſſio eſt matrimonium ſpirituale, ergò, ſicut valet matrimonium carnale contractũ ab excommunicato, etiam vitando, valebit & profeſſio, cùm ſit eadem ratio (quod multò certius eſt, ſi profeſſio fiat ab excommunicato occulto, & tolerato, ſicut aduertit *Portellus* ex *cap. cum illorum de ſent. excommunic.*); præterea profeſſio religioſa eſt contractus naturalis, contractus autem naturales validè, etſi illicitè fiunt ab excommunicato, etiam vitando, vt tradunt communiter DD. apud *Bonac. D. 2. de cenſur. in comm. q. 2. p. 6. §. 2. nu. 5.* & aduertit *Peyr. de R. P. q. 3. c. 1. n. 61.* in hac quæſtione nobiſcum ſentiens cum multis alijs, quos citat.

16 Dixi *quidquid ſit de peccato admittentium*; vt innuerẽ quod, licèt Prælatus regularis non peccet admittendo ad profeſſionem excommunicatum toleratum, cùm quò ad excommunicatos toleratos in *Conc. Conſtantienſi* concedatur communicatio; ſi tamen profeſſurus ſit vitandus, non poteſt eius profeſſio admitti ſine peccato, & quidem mortali; ſi in tali admiſſione interueniant publicæ preces; cùm ſic communicetur in diuinis, & talis communicatio prohibeatur ſub peccato mortali in ordine ad vitandos: niſi fortè ratio aliqua vtilitatis, aut neceſſitas excuſet: quæ tamen in præſenti caſu vix videtur poſſe contingere.

QVÆRES VI. An illegitimi poſſint licitè, & validè admitti ad profeſſionem.

17 ℞. Poſſe; niſi obſtent peculiares Conſtitutiones, aut ſtatuta religionum; patetque ex dictis *tract. præcedenti cap. 4. q. 24.* vbi abundè diximus ea, quæ conferre poſſunt ad præſentis reſponſionis intelligentiam, ac probationem.

Addo hìc, dato in aliqua Religione ſtatuto excludente illegitimos, poſſe adhuc in illam admitti illegitimum, qui ſit à Papa legitimatus; niſi fortè ſtatutum prohibeat expreſsè, ne admittantur nati ex illegitimo thoro: quo modo non poſſet admitti illegitimus legitimatus; cum legitimatus adhuc verè ſit natus ex illegitimo thoro (intellige niſi per legitimam poteſtatem ſuper tali ſtatuto diſpenſetur) etſi eiuſmodi ſtatutum videatur eſſe nullum, niſi ſit approbatum à Papa: quippe quod eſt contra ius commune; vt videre eſt apud *Naldum v. religioſus nu. 39.* & *Azorium p. 2. l. 6. c. 3. q. 1.* & alioqui ſtatutum contrarium iuri communi poſitiuè ſe habenti, & non ſolum negatiuè, ſit nullum; vt docent *Tuſchus lit. S. concl. 430. nu. 6. 7. 17.* & *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 2. c. 2. num. 5. ex Nauarro.*

QVÆRES VII. An poſſint admitti ad profeſſionem illiterati.

18 ℞. Poſſe admitti validè, non tamen licitè, ſi recipiantur ad ſtatum clericalem; & quidem quod validè poſſint admitti, conſtat ex eò quod profeſſio ſecundùm ſuam ſubſtantiam obligat ſolùm ad vota eſſentialia religionis, quod poteſt ſaluari ſine vlla omninò literatura, nec importat tanquam ſubſtantiale, vt profeſſus ad vitam clericalem teneatur ad recitationem diuini officij (ad quam ſupponitur, vt ille ſciat ſaltem legere), vel quòd ſit habilis ad ſuſcipiendos Ordines, quorum ſuſceptio interdicitur viris omninò illiteratis; cùm poſſit quis eſſe profeſſus clericus, & tamen nolle ſuſcipere vllum omninò

ordinem:

ordinem: quæ cùm ita ſint, non apparet, ex quo capite dici debeat inualida profeſſio facta ab omninò illiterato, ſi legitimè admittatur à religione, vt ſuppono, quòd verò omninò illiterati licitè non poſſint admitti ad profeſsionem choriſtarum paret tum ex dictis, *tractat. præcedenti capitul.* 4. *qu.* 26. tum quia iſti eſſent profeſsi clerici ſolum materialiter, vt pote qui ſunt inepti ad ſeruitium chori, & alia munera propria profeſſorum clericorum, quę ſine aliquali literatura impleri non poſſunt: tum quia ſic non vtiliter geritur negotium religionis, cùm ei aggregentur perſonæ ineptæ, ac omninò inutiles.

QVÆRES VIII. An recipi poſſint ad profeſsionem, & validè, & licitè viri maculati ob parentum genealogiam; eò quòd v. g. fuerint Iudæi, Turcæ &c.

19 ℞. De iure communi poſſe; patetque ex dictis *tract. præced. cap.* 4. *q.* 28. vbi monuimus hac in re attendenda eſſe iura particularia vniuſcuiuſque religionis, eaque omninò ſeruanda. Addo hìc ſolùm in Congregatione V. generali can. 52. prohiberi, ne in Societatem omninò admittatur vllus ex his, qui hebreorum, aut Saracenorum genere deſcendunt: & ſi quis eorùm ex errore receptus fuerit, vbi de hoc impedimento conſtiterit, quocumque tempore ante profeſsionem detegatur, admonito priùs Generali, et expectato eius reſponſo dimittatur. Quãmuis in Congregat. VI. generali talis prohibitio magna ex parte moderata ſit; vt ſolùm ad quintam generationem informatio deſumatur. Circà quam prohibitionem notat *Caſtr. Pal. ſup.* §. 2. *n.* 2. quòd, licèt iſta prohibitio ſit indiſpenſabilis, etiam à Generali: id tamen ſubintelligitur de diſpenſatione licita, non item de valida; nam hòc ipsò quòd ea non importat impedimentum eſſentiale, poterit ſuper ea diſpenſari à Generali validè, vt patet.

QVÆRES IX. An validè, & licitè recipi poſſint ad profeſsionem viri facinoroſi, & qui in ſæculo grauia perpetrarunt delicta.

20 ℞. Non poſſe, neque validè, neque licitè, ſi ſtemus in Conſtit. Sixti V. hac de re edita 6. Cal. Dec. 1587. & eſt in ordine 71. fuitque à nobis explicata *tract. præcedenti cap.* 3. *per totum*: validè vero, ſed illicitè, ſi attendamus Conſtitutionem Clementis VIII. latam 2. April. 1602. quæ eſt in ordine 83. & incipit *In ſuprema*, ratio reſponſionis eſt, quòd Sixtus V. in illa ſua Conſtit. non ſolùm prohibuit, ne viri facinoroſi modo ibi explicato reciperētur ad habitum regularem, aut ad profeſsionem (quomodo receptio facta eſt illicita) ſed præterea expreſsè declarauit irritam einſmodi receptionem his verbis: *Et, ſi qui eorum contra præſentem noſtram Conſtitut. temerè admittentur, tam ſuſceptionem habitus, quàm profeſſionem, & inde ſecuta ex nunc pro vt ex tunc pari modo irritamus, & annullamus &c.* Clemens verò VIII. in citata ſua *Conſtitutione* moderans præfatam Conſtitutionem Sixti quò ad eam partem, qua nullam declarabat profeſsionem factam contrà tenorem dictę ſuæ Conſtitut. eam reduxit ad terminos iuris, & ſacrorum canonum, perinde ac ſi ea Conſtitutio, eiuſque declaratio editæ non fuiſſent in ea parte: quod eſt dicere profeſsionem factam contra formam bullę Sixti V. etiam in præſentia eſſe illicitam, non tamen inualidam; vnde ego infero acceptationem eiuſmodi profeſsionis modò eſſe illicitam, non autem inualidam, cùm, ſecluſa Conſtitutione moderatoria Clementis VIII. eſſet & illicita, & inualida: & hoc de iure communi; nam iure ſpeciali religionum poteſt contingere, vt criminoſi in certo aliquo genere nec licitè nec validè admitti poſſint ad profeſsionem; ſicuti de facto euenit in Societate Ieſu, in qua cùm ſtatutũ ſit inter impedimenta eius ingreſſum dirimentia, homicidium peccaminoſum, & voluntarium, etiam occultum (vt cenſet *Suar. tom.* 4. *de relig. nu.* 10. *l.* 2. *cap.* 1. *nu.* 12: quamuis oppoſitum videatur admittere tanquam non improbabile, cùm ſolùm dicat ſuam ſententiam eſſe veriorem, ideſt hoc impedimentum etiam contrahi per homicidium occultum): ſequitur in Societate neque licite, neque validè poſſe admitti ad vota ſimplicia biennij, aut Coadiutorum formatorum, aut ad profeſſionem, ſiue 3. ſiue 4. votorum, eum qui commiſit homicidiũ peccaminoſum voluntarium, etiam caſuale, etiam occultum; quòd negat *Caſtr. Pal. nu.* 13. & 16. putans requiri homicidium voluntarium, ac præmeditatum, & publicum: cùm ſub conſtitutione, ac lege imponente pœnam homicidio non veniat homicidium caſuale, etſi culpabile; vt colligitur ex *l.* 1. *C. ad legem Corneliam de Sicarijs, & l.* 1. §. *D. Adrian. ff. eod.* eademque ratio procedat de conſtitutione Societatis excludente homicidas ab eius ingreſſu.

An autem incurrat dictum impedimentum mandans, & conſulens homicidium, eſtò phyſicè, & realiter non occidat.

℞. Mandantem quidem incurrere; cùm id expreſſum ſit 1. *p. Conſtitut. cap.* 3. *in gloſſa lit. C.*; non item conſulentem; cùm cenſura, & pœna lata aduerſùs facientes non comprehendat conſulentem, immò nec mandantem, vt probat. *Sanch. l.* 3. *de matr. D.* 49. *nu.* 2. & ex alia parte in Conſtitutionibus non exprimatur conſulens, ſicut exprimitur mandans. ita *Caſtrus Palaus ſup. p.* 8. §. 1. *nu.* 18.

QVÆRES X. An licite, & validè admitti poſſint ad profeſſionem viri infames, ſiue infamia facti, ſiue iuris.

21 ℞. Poſſe admitti validè, non tamen licitè, regulariter loquendo. & quidem quòd validè poſſint admitti, probatur tum quia talis admiſſio non irritatur neque ex natura rei, vt patet, neque ex vllo iure poſitiuo, quod extet, & conſequenter nulla adeſt ratio aſſerendi illam eſſe irritam; tum quia de facto in Societate Ieſu inter impedimenta eius ingreſſum dirimentia recenſetur publicè *infamem propter peccata enormia eſſe*, vt habetur in *cap.* 2. examinis, & explicat *Suar. ſup. num.* 15. dicens in 1. *par. Conſt. Soc. cap.* 3. *lit. B.* Generalis iudicio committi, quænam peccata cenſeri debeant enormia, & quæ non, ſolumque eiuſmodi infamiam impedire, vbi eſt; non item in remotiſſimis regionibus, ſi perſona iam ſit ſufficienter emendata; idque ex declaratione tam examinis, quàm conſtitutionum; conſtat autem quòd, ſi infamia iure communi faceret inhabilem

bilem

bilem ad profeſſionem religioſam, fruſtra, & ſine vlla neceſſitate inductum fuiſſet tale impedimentum in Societate iure ipſius ſpeciali; cùm ergò inductum ſit de facto, ſignum eſt de iure communi infames non eſſe inhabiles ad profeſſionem, adeòque poſſe validè admitti; validè, inquam, non licitè, regulariter loquendo: non enim regulariter expedit recipere ad religionem eiuſmodi perſonas, vnde, & iura cauent infamibus non debere concedi aditum ad dignitates *cap. inter dilectos de exceſſ. Prælat.* & hoc ob eas rationes, quę facilè occurrent ita *Peyr. de R. P. q. 3. c. 1. n. 84.*

QVÆRES XI. An licitè, & validè admitti poſſint ad profeſſionem ij, qui in alio Ordine profeſſi ſunt, & inde poſtea legitimè eiecti ſunt.

22 ℞. Poſſe, & quidem irrequiſito conſenſu Prælati, qui eſt Superior religioſi admittendi ad profeſſionem, & abſque licentia Papæ, ſi religioſus admittendus ſit iam perfectè emendatus, & deſperet fore, vt iterum recipiatur in Ordine, à quo fuit eiectus: nec aliàs talis admiſſio impediatur iure proprio. ita *Sanch. l. 6. mor. c. 9. nu. 36. Rodriq. to. 1. q. 30. a. 22. Sà v. religio num. 40.* & alij contra *Lezanam to. 1. c. 23. nu. 10 alioſque apud ipſum,* & conſtat ex dictis *tract. præcedenti c. 4. q. 29.*

23 Dixi, *nec aliàs talis admiſſio impediatur iure proprio, ac ſpeciali,* quia in Societate Ieſu inter impedimenta eius ingreſſum dirimentia ſtatuitur habitum ſuſcepiſſe alicuius religionis Fratrum, vel Clericorum, vitam aliquamdiu in obedientia cum eis agendo, ſiue emiſſa, ſiue non emiſſa profeſſione: vel Eremitam cum veſtibus monachalibus fuiſſe. ita habetur in *examine cap. 2. & in 1. p. conſtit. Societ. cap. 3.* declaratur id intelligendum eſſe non ſolum de aſſumptione habitus per profeſſionem, ſed de geſtatione habitus religioſi, etiam per vnum diem, dummodo id factum ſit animo aſſumendi religionem, ſaltem quo ad probationem, ſeu nouitiatum; quamquam (vt benè aduertit *Suar. num. 16.*) cum *in examine citato cap. 2.* dicatur *aſſumpſiſſe habitum alicuius religionis Fratrum, vel Clericorum,* tali impedimento comprehendi non videātur aſſumentes habitum religionum militarium quo ad milites; quippe qui non veniunt, neque nomine Clericorum, vt patet, neque nomine Fratrum, ſub quo includuntur omnes Monachi; cum tamen dicti milites non ſint monachi, nec taliter vnquam appellentur; vnde in Congregat. generali Societ. Ieſu *can. 5.* declaratum eſt illo impedimento non adſtringi aſſumentes habitum ordinum militarium; quamquam eo adſtringeretur aſſumens habitum Clericorum dictarum religionum, (vt notauit *Caſtrus Palaus ſup. nu. 20.*) quippe qui in rigore ſunt religioſi, &c.

QVÆRES XII. An validè poſſint admitti ad profeſſionē viri amentes, vſu perpetuo rōnis carentes.

24 ℞. Non poſſe, ſi amentia non ſit ſolum in vna, aut altera materia, ſed generalis, & abſoluta, ita *Sanch. l. 5. moral. cap. 4. numer. 53. Suar. tom. 3. de relig. l. 5. cap. 4. numer. 4. Mirand. p. 1. quæſt. 17. a. 5.* alijque quos refert, & ſequitur *Peyr. ſup. nu. 37.* patetq; tum ex *cap. ſicut tenor de Regul.* vbi cum dicatur extra mentem indutum habitu monachali denunciandum eſſe abſolutum ab obſeruatione monaſtici Ordinis, *niſi poſtquam mentis ſuæ factus eſt compos, ſpontanea voluntate profeſſionem fecerit monachalem*; conſequenter aſſeritur, quòd, ſi numquam factus eſt mentis compos, ideoque non potuit ſpontè conſentire in profeſſionem, denunciandus eſt ab ea omninò abſolutus; quod eſt dicere eam inualidè emiſſam fuiſſe, ſi in dicto ſtatu emiſſa ſit: patet item ex eo quòd, ſicut amens modo ſupradicto non poteſt validè contrahere matrimonium *l. furor ff. de ſponſal.* ita nec validè poterit profiteri, cùm profeſſio ſit ſpirituale matrimonium: ad hos quippe actus requiritur omnimoda libertas, qua carent ij, qui ſunt perpetuò amentes, ac furioſi.

25 Concedo tamen, quòd, ſi quis fuerit amens per aliquod tempus, & poſtea redeat ad mentem, ſi non abſolutè, ſaltem ita, vt penſatis omnibus, iudicio prudentis cenſeatur ſciens, & volens profiteri; tunc profeſſio erit valida: vt apertè inſinuatur in citato *cap. ſicut tenor*, ſupponunt DD. ſuperiùs relati; & inde probatur, quòd in tali caſu profitens ſciens, & volēs cōſentit in profeſſionē, vt ſuppono.

26 Quod autem dixi profeſſionem tunc ſolùm eſſe inualidam, quando amentia eſt generalis, & abſoluta, limitandum eſt, niſi aliter in aliquo Ordine ſancitum ſit: vt ſancitum eſt in Soc. Ieſu, in qua enumeratur inter impedimenta eius ingreſſum dirimentia *infirmitatem pati, vnde obſcurari, vel parum ſanum iudicium ei reddi ſoleat, vel diſpoſitionem notabilem ad huiuſmodi infirmitatem habere,* vt videre eſt in *examine cap. 2.* vnde fit, vt in Soc. Ieſu licitè, & validè admitti non poſſint ad profeſſionem, aut quācumque aliam ſimplicium votorum emiſſionem non ſolùm ij, qui ſunt abſolutè amentes (quod eſt commune omnibus, & procedit ex natura rei) ſed nec ij, qui in certa tantùm materia ſunt amentes: quod vtiq; à fortiori importatur per ea verba modo allegata, *vnde obſcurari, vel parum ſanum iudicium ei reddi ſoleat,* & eſt peculiare in Societate, ideoque non extendendum ad alios Ordines.

QVÆRES XIII. An validè, & licitè admitti poſſint ad profeſſionem hermaphroditi, qui ſcilicet ſunt participes vtriuſque ſexus.

27 ℞. Diſtinguendo; vel in ijs præualet alter ſexus, & tunc, ſi præualet ſexus virilis, validè poterunt profiteri in monaſterio virorum; ſi verò præualet ſexus fæmineus, in monaſterio monialium (quamquam in vtroque caſu profeſſio ſit illicita, & peccaminoſa;) ſiquidem iudicantur viri, aut fæminæ iuxtà ſexum in ipſis præualentem, ac proinde, ſi profiteantur in monaſterio ſexus preualentis, validè profitentur, vtpotè qui ſunt eiuſdem ſexus cum alijs religioſis: inualidè autem, ſi profiteantur in monaſterio alterius ſexus tanquam profitentes apud perſonas diuerſi ſexus, quod ſufficit ad inualidandam profeſſionem, vt oſtendimus *cap. præced. q. 16. §. vtrum verò.* Vel in ſupra dictis hermaphroditis ſexus eſt ęqualis; & ſic, cùm ęquè ſint vir, & fęmina, in neutro monaſterio, virorum ſcilicet, aut fæminarum, validè poſſunt profiteri; cùm obſtet diuerſitas ſexus, cuius ſunt ęqualiter, & quę irritam reddit profeſſionē, vt modò dictum eſt; pręter quam quòd quò ad profeſſionem

non datur ipſis optio ſexus, quo vti velint, ſicuti datur ad eligendum matrimonium; idque ob maximam indecentiam, & graue periculum incontinentiæ, quod alioqui immineret religioſis, inter quos eiuſmodi hermaphroditæ de vtroque ſexu æqualiter participantes verſarentur. ita *Sanch. ſup. n. 41. cum Nauar. Henriq. & Rodriq. Lezana tom. 1. c. 2. num. 20. & alij*, à quibus fortè non diſſentiunt *Portell. de dub. regul. v. nouitij qualit. nu. 26. & Peyr. de R. P. qu. 3. cap. 1. nu. 59.* abſolutè aſſerentes hermaphroditum eſſe inhabilem ad profeſſionem: cum poſſint explicari, quod loquantur de inhabilitate quo ad licitè profitendum; quod nos etiam concedimus, vt conſtat ex noſtra aſſertione, qua diximus illicitam eſse, ac peccaminoſam profeſſionem, quę fiat ab hermaphrodito habente ſexum præualentem in monaſterio talis ſexus: peccaminoſam inquam, & quidem, mort. ſecundùm *Sanchez* tum reſpectu ipſius profitentis, tum reſpectu admittentis: & hoc ob rationem allatam in probationem poſterioris partis huiuſce reſponſionis; cuiuſuis inde augetur, quod vix poteſt ſciri, quis ſexus præualeat in hermaphrodito, niſi ex ipſiuſmet atteſtatione, qui tamen ſi talem defectum tacuit in profeſſione, etiam poſtea timendum eſt, quòd dicet in ſe eum ſexum præualere, quem ſibi cenſuerit vtiliorem, vt aduertit *Peyr. ſup. cum Barthol. à S. Fauſto l. 5. theſauri q. 230.*

Addo hìc obiter, quòd ſi hermaphroditus ordinatus Sacerdos validè (præualente tunc in eo ſexu virili) poſtea erumpat in fęminam, validè non poteſt conſecrare: & ratio eſt, quòd quamuis, data hypotheſi, is retineat characterem Sacerdotalem indelebilem; hic tamen non dat poteſtatem in ordine ad corpus fęmineum, ſed ſolum in ordine ad corpus virile; ſicque in præſenti caſu ſtaret materialiter ob incapacitatem ſubiecti ſuperuenientem. ſic ego reſpondi interrogatus, & reſponſionem poſtea approbauit *Cardinalis de Lugo* à me per literas conſultus; addens eandem fore quæſtionem, ſi Deus de facto transferret animam Petri Sacerdotis in corpus Titiæ, & è contra: approbauit & *Stephanus à S. Gregorio l. 3. de Sacram. ordinis cap. 66. numer.* 10. illamque me authore, ac ſuaſore edidit.

Quòd ſi quæras, an profitens in monaſterio monialium tanquam mulier, & quidem bona fide cùm mulier appareret, & ab omnibus crederetur, teneatur tranſire ad monaſterium virorum, ſiue eiuſdem, ſiue alterius Ordinis, ſi ex aliquo accidenti erumpat in virum.

28 ℞. Non videri improbabile eiuſmodi profitentem in tali caſu non teneri tranſire ad Ordinem virorum, ſed poſse manere in ſæculo liberum à profeſſione, & conſequenter ab obligationibus inde conſequentibus. ita *Diana p. 5. tract. 14. reſ. 49. & Peyrin. numer. 60.* contra *Portel. ſup. v. profeſſio hermaphroditi q. 9.* aliòſque & probatur, tum quia profeſſio non aliter obligat, quam votum: votum autem non obligat vltrà intentionem, vt tradunt communiter DD. cùm ergò in præſenti caſu profitens intenderit profiteri tanquam mulier, & in monaſterio monialium, non præſumitur voluiſse ſe obligare ad degendum in monaſterio virorum ſub eadem obligatione profeſſionis; præſertim cum poſſit contingere, quòd ei longè difficilior ſit obſeruantia votorum religionis in ſexu virili, quàm eſset in ſexu muliebri: conſtat autem, quod votum non obligat, ſecuta notabili mutatione in re per votum promiſsa: quæ mutatio ſine dubio euenit in caſu noſtro.

Dices; quid ſi mulier ementito ſexu iuxtà dicta *cap. præcedenti quæſt.* 16. profiteatur in monaſterio virorum animo verè profitendi, tenetur ne tunc in conſcientia tranſire ad monaſterium Monialium, ibique ſeruare vota promiſsa in profeſſione?

29 ℞. Cum diſtinctione: vel talis mulier non intendit profiteri, niſi in monaſterio virorum; & ſic non tenetur tranſire ad monaſterium monialium, cum actus agentium non extendantur vltra intentionem agentium *l. non omnis ff. ſi certum petatur*: vel intendit profiteri eo modo, quo poterat; & ſic, cùm non potuerit emittere validam profeſſionem, quæ iuxtà dicta non poteſt emitti, niſi in monaſterio proprij ſexus, cenſetur voluiſse ſe obligare ad vitam religioſam in communi; ſicque in foro conſcientiæ tenetur ad vota ſimplicia paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, manendo tamen in ſæculo; ad hæc enim, & potuit ſe obligare, vt patet, & præſumitur voluiſse ſe obligare profitendo ſub illa intentione generali: ſecus, ſi intendiſset ſolùm ſe obligare ad profeſſionem ſolemnem falsò putans ſe poſse profiteri in monaſterio alterius ſexus, tunc ſiquidem neque ad vota ſimplicia teneretur, cùm ſtante ea intentione, non intenderit ea promittere. ita *Geminian. Io: Andr. & Præpoſitus relati à Comitolo l. 2. q. 8. num. 4.* qui bene notant quod ſi appareret præfatam mulierem per illam ſuam profeſſionem voluiſse amplecti ſtatum religioſum, tunc ea foret cenſenda religioſa, ideòque compellenda ad ingrediendū monaſteriū monialium, vt ibi vitam regularem degat: quod eſt certum, loquendo de foro externo, vtpote quod nititur præſumptionibus, & non tenetur credere atteſtanti de hac, vel illa intentione, niſi ea ſufficienti probatione oſtendatur.

QVÆRES XIV. An licitè, & validè recipi poſsint ad profeſſionem ij, qui ex morbo, aut ſenectute non poſsunt ſeruare ſtatuta propriæ regulæ.

30 ℞. Poſſe recipi validè; cùm morbus, & ſenectus non obſtent, quò minùs obſeruari poſſint ſubſtantialia religionis, ideſt paupertas, caſtitas, & obedientia, ad quarum obſeruantiam non requiruntur vires corporales, ſed ſolus voluntatis affectus, & cætera religionis ſtatuta non ſint eſſentialia, ſed obligent ſolùm, quamdiu non adeſt iuſta cauſa excuſans; ita *Sanch. ſup. num. 52. Rodriq. tom. 3. qu. 15. numer. 10. Nau. l. 3. conſil. de Regul. conſ. 42. num. 5. Peregr. p. 2. conſtit. cap. 1. lit. C. §. 18. Lezana ſupra n. 23. Suar. to. 3. de relig. l. 5. c. 4. n. 19. Miranda p. 1. q. 19. ar. 2.* & alij: à quibus fortè non diſſentit *Peyr. ſupra numer. 64.* abſolutè aſſerens impotentes præ morbo, aut ſenectute ad ſeruāda nō ſolū religionis eſſentialia, ſed etiam accidentalia præcepta, eſſe

inha-

inhabiles ad religionis ingreſſum, ac profeſſionem, & tam receptos, quam recipientes peccare mortaliter, id enim probat receptionem ſupra dictorum eſſe illicitam; quod nos etiam concedimus, regulariter loquendo, & variis rationibus oſtendimus in *præcedenti tractat. c.4. q.25.* de receptione ad nouitiatum; vnde & ipſe *Peyr. loco cit.* ait ſibi non diſplicere, quod ait *Rodriq.* poſſe admitti ad religionem perſonam, quæ licet impotens ad ſeruanda accidentalia religionis, aliàs tamen eſſet ijs dotibus inſignita, vt eius receptio futura eſſet religioni valdè vtilis, & proficua: quod certè non poſſet dicere *Peyrinus*, ſi cenſeret prædictam receptionem eſſe non ſolùm illicitam, ſed etiam inualidam.

31 An autem inualida ſit profeſſio illius, qui interrogatus ante ipſam profeſſionem malitiosè tacuit morbum contagioſum, quo manifeſtato, ille nullo modo fuiſſet admiſſus ad profeſſionem: conſtat ex dictis *cap. præced. q.21.* poſſe interdum contingere, quòd ſit inualida ex defectu conſenſus religionis admittentis; quod tamen regulariter non credo euenire, vt rectè notat *Miranda ſup.* dicens quod, quamuis, detecto eo morbo, Religio non admiſiſſet profeſſionem, neque in eam conſenſiſſet: poſtquam tamen de facto conſenſit, profeſſio eſt valida: quo modo validum eſt matrimonium illius, qui duxit aliquam in vxorem exiſtimans illam eſſe diuitem cum reuera ſit pauper, & tamen ſi ipſe id ſciuiſſet, eam non duxiſſet: ſi quidem ad valorem matrimonij ſufficit: quòd præſtitus ſit debitus conſenſus, quidquid ſit de habituali diſpoſitione conſentientis, qua de re *Suar. ſup. l.6. c.5. n.10.*

32 Et hęc de iure communi: ſi enim attendantur iura ſpecialia religionum, poteſt euenire, vt non ſolum illicitè, ſed etiam inualidè recipiatur ad profeſſionem is, qui certam exceſſit ætatem; vt in Soc. Ieſu, in qua, vt diximus in *præced. tract. c.1. q.4. §. certè* non poſſunt Prouinciales admittere quemquam maiorem 50. annis abſque diſpenſatione Generalis, & ſi admittant, irrita eſt admiſſio, vt benè probat *Sanch. l.5. mor. c.4. n.26.* & nos oſtendimus *loco citato*; interim qui vult, conſulat *Suar. to.4. de relig. trac. 10. l.2. c.3. nu.12.*

QVÆRES XV. An validè poſſint admitti ad profeſſionem muti, immò & ij, qui ſimul ſunt muti, & ſurdi, & cæci.

33 ℞. Poſſe, & quidem, quòd ſpectat ad mutos, patet, quia profeſſio expreſſa non indiget vllis verbis, ſed poteſt fieri ſcripto, aut nutibus, vt oſtendimus *cap. præced. q.4.* quod verò attinet ad mutos, & ſurdos ſimul, probatur quia iſti ſunt apti ad contrahendum matrimonium carnale, ſi ſint ingenio adeò perſpicaci, vt ſignis edoceri valeant naturam matrimonij; ſicque erunt item apti ad ipſam profeſſionem, quæ eſt ſpirituale quoddam matrimonium: ſi quidem non minor notitia obligationis, nec minor conſenſus requiritur ad matrimonium carnale, quã ad profeſſionem. ita *Diana p.5. tr.5. reſol.34. ex Sanch. Spino Alberic. Azor Barbat. & Vecch.* monens eum, qui eſſet mutus, ſurdus, & ſimul cęcus, eſſe omninò incapacem profeſſionis, niſi antea noſſet, quid eſſet profeſſio; ratio eſt, quòd cùm mutus, & ſurdus ſimul edoceri non poſſit naturam profeſſionis, niſi ſignis externis, ſi etiam ſit cæcus, ea non poterit percipere, & conſequẽter nec validè conſentire in profeſſionem, cum voluntas non feratur in incognitũ, immò, cùm ſit difficillimum, quod ſurdus ſufficienter inſtruatur de natura profeſſionis, & ſtatus religioſi, moraliter loquendo, dici poteſt mutum, & ſurdum ſimul non poſſe, neque validè, neque licitè admitti ad profeſſionem: eſto, ſi ſit intellectus valdè perſpicacis, ad eã poſſit ſimpliciter, & abſolutè admitti: nobiſcũ ſentit *Bordonus c.2. de profeſſione q.30.*

QVÆRES XVI. An poſſint admitti ad profeſſionẽ ij, q iã in alio ordine profeſſi ſunt, & quib. caſib.

34 ℞. Poſſe, ſi ex vna parte ij legitimè tranſeant ad aliam religionem eo modo, quo dicemus *infrà ca.5. ſect.3.* & ex alia, religio, ad quam ſit talis tranſitus, non habeat aliquod ſtatutum, aut conſtitutionem, quibus irritetur receptio Religioſi in alio Ordine profeſſi; cuiuſmodi de facto eſt in Societate Ieſu, vt vidimus *ſup. q.11. §. dixi*

35 Vtrum autem recipi poſſint ad profeſſionem ij, qui vouerunt ingredi aliam religionem, & quidem etiam ſtrictiorem; conſtat ex dictis in *præced. tract. cap.4. q.27.* vbi ſuſtinuimus partem affirmantem ex aliquibus priuilegijs ibidem relatis.

QVÆRES XVII. An, & quibus caſibus admitti poſſint coniugati ad profeſſionem.

36 ℞. Poſſe de iure communi; & quidem non ſolùm in caſu, quo matrimonium non conſummauerint (vti oſtendimus in *tract. præced. cap.4. qu.9.*) ſed etiam in caſu, quo illud debitè conſummauerint, ſeruatis tamen ijs, quæ ibi *q.10.* diximus requiri in tali euentu; quæ enim ibi diximus de receptione ad nouitiatum, ſeruata proportione locum habent etiam in receptione ad profeſſionem: vnde non eſt, cur ea hic repetamus, cùm facilè haberi poſſint ex dictis in vtroque loco citato, vbi hac de re ſusè diſſeruimus. qui vult, videat *Sanch. l.2. de matr. D.18. Suar. tom.3. de relig. l.6. cap.7. Portel. de dub. regul. v. profeſſio num.27. & ſeqq. Lezanam to.1. c.2. n.31.* Bonac. *q.3. de matrim. p.4. propoſ.3. Peyr. de R.P. q.3. c.1. n.49.50.51.52.*

37 Dixi *de iure communi*, vt innuerem, quòd ſi in aliqua religione iure ſpeciali ſecùs ſtatutum eſt, tale ſtatutum ſeruandum eſt. Vnde in Societ. Ieſu inter impedimenta dirimentia eius ingreſſum appoſitum eſt *vinculo matrimonij conſummati ligatum eſſe*; vt conſtat ex *examine cap.2.* quod impedimentum cùm iure communi fundetur, & in alijs etiam religionibus ſeruetur, quò ad hanc partem intelligi debet eo modo, quo explicatur in ipſo iure communi, ne ſcilicet ſine licentia alterius coniugis religionem ingrediatur: *nam ſi facultas à coniuge concederetur* (dicitur *in declarat. 1. p.c.3. lit. F.*) *ſeruatis alijs* circumſtantijs, quæ iuxta ſanam doctrinam, & vſum S. Eccleſiæ ſolent obſeruari, impedimentum eſſe deſinet (dictas autem circumſtantias expoſuimus in *præc. tract. q.10. §. cæterum.*) Vbi notat *Suar. tom.4. de relig. tractat. 10. l.2. cap.1. numer.22.* quòd ſi vir de conſenſu vxoris Societatem Ieſu ingrediatur non ſeruatis alijs circumſtantijs, receptio erit nulla: cùm de iure communi ingrediente marito de

conſenſu vxoris, non ſeruatis alijs circumſtantijs ingreſſus, ſeu profeſſio quo ad ſubſtantiam ſit valida: eſto quo ad vſum impediri poſſit, vxore maritum taliter profeſſum repetente iuxtà *c. ex parte de conuerſ. coniugat.* ratio huius diuerſitatis eſt, quòd in *Conſtitut. Societatis* abſolutè ponitur matrimonium conſummatum tanquam eſſentiale impedimentum: & in *declarat.* (quæ habet eandem vim legis) non ponitur alia exceptio, nec dicitur ceſſare hoc impedimentum, niſi per mortem naturalem, aut coniuge facultatem concedente *obſeruatis iuris circumſtantijs*: ex quo fit, vt ijs non ſeruatis integrum maneat impedimentum, etiamſi nudus conſenſus præſtetur; præter quam quod, quamuis præſtito conſenſu cum debitis circumſtantijs ceſſet impedimentum eſſentiale, adhuc tamen impedit, quo minus talis perſona admittatur in Societatem abſque facultate Generalis; in quo nec Prouincialis poteſt diſpenſare, vt cautum eſt in eius *regula* 36.

38 Quòd verò ſpectat ad matrimonium ratum, & non conſummatum: illud benè aduertit *Suar. n.* 24. quòd, cùm per vota ſimplicia approbata, & recepta in Societate non diſſoluatur matrimonium ratum, & non conſummatum quo ad ipſum vinculum matrimonij præcedentis talia vota: conſequenter nemo recipi debet in Societatis poſt matrimonium ratum ſine conſenſu, & debita conuerſione vxoris, niſi fortè ex diſpenſatione Generalis cum intentione admittendi illum poſt biennium ad profeſſionem ſolemnem: ſi rectè probauerit, vel ſtatim dimittendi eum, ſi non fuerit probatus; & ſi aliter recipiatur ad nouitiatum, non poteſt vlteriùs admitti ad vota biennij, aut Coadiutorum formatorum ſine præfato conſenſu, ac conuerſione vxoris. Ratio eſt, quòd nullus ligatus vinculo matrimonij poteſt licitè aſſumere ſtatum repugnantem vſui matrimonij, & non diſſoluentem vinculum ipſius; ſtatus autem Societatis per ſola vota ſimplicia, ſiue biennij, ſiue Coadiutorum formatorum non diſſoluit vinculum matrimonij (vt *cap. ſequenti* probabimus) & repugnat vſui illius, cùm ſit ſtatus religioſus: ergò talis ſtatus, inuita vxore, non poteſt licitè aſſumi, & per conſequens nec poteſt quis licitè recipi in Societate in ordine ad illum ſtatum; & ſi ſit admiſſus ad nouitiatum, non poteſt admitti poſtea ad eiuſmodi vota ſine dicta conditione ex parte vxoris; intellige *licitè*; valida enim erit talis admiſſio ad vota, cum nullum extet ius, per quod ea irritentur; cum hoc tamen quòd, ſi ſponſa ius ſuum petat, id ei negari nec debeat, nec poſſit abſque iniuſtitia; ſicque ei reddendus erit maritus ad cohabitationem, ac vſum matrimonij, remiſſis per Societatem illis votis, & perſona relicta omnino libera.

39 Addo ego ex *Ledeſma*, quem refert, & ſequitur *Peyr. nu.* 53. quod ſi in caſu, quo coniux facto legitimo diuortio poteſt ingredi religionem, iuxtà ſupra dicta interrogetur, num ſit coniugatus, & qualiter; poteſt reſpondere ſe non eſſe per mentalem reſtrictionem intelligendo ſe non habere vxorem, quæ ipſi poſſit impedire ingreſſum religionis, aut profeſſionem: ſic enim verè reſpondet ad mentem interrogantis, qui ſolum interrogat ad cognoſcendum, vtrum admittendus laboret tali impedimento: ſic *Leſſ. l. 2. cap. 42. num. 47. ex Sylu. Tol. & Nau.* docet venientem ex loco infecto, ſi ſit certus à ſe nihil eſſe periculi, & interrogetur iuridicè, an veniat ex dicto loco; poteſt per æquiuocationem negare abſq; peccato, cùm ſit non faciat contra præcipuam intentionem interrogantis. quæ doctrina ſine dubio facit ad præſentem caſum, & oſtendit coniugatum in caſu propoſito admitti poſſe etiam in Societatem, cum impedimentum coniugij ſic ſtet materialiter, & talis perinde ſe habeat, ac ſi verè non eſſet coniugatus, ſiue poſteà matrimonium ſolùm ſit ratum, ſiue etiam ſit conſummatum.

40 Docent præterea *Sanch. l. 10. de matr. D. 11. n. 2. & 10. Gutier. l. 1. canon. quæſt. cap. 25. num. 2. Sylu. v. diuortium qu. 13. num. 16. Portel. n. 36. Lezana vbi ſup. Peyr. num.* 53. alijque penes ipſos quod coniux innocens, lata legitima ſententia diuortij ob adulterium notorium alterius coniugis poteſt eo inſcio, immò & repugnante ingredi religionem, ac profiteri: idque ex *cap. conſtitutus, & cap. veniens de conuerſ. coniugat. & cap. ſignificaſti de diuortio*, vbi deciditur per adulterium amitti ius, quod coniux adulter habebat in coniugem innocentem. ſecùs, ſi adulterium ſit occultum: tunc enim in foro externo nō poteſt coniux innocens tranſire ad religionem, aut profiteri, adultero dimiſſo; (quamquam, ſi de facto tranſiret, & profiteretur, valeret tranſitus, ac profeſſio; &, ſi Iudice cogente, poſtea rediret ad coniugem derelictum, non poſſet petere, nec reddere debitum teſte *Sanch. num.* 11.) Dixi *coniux innocens*, quia coniux adulter in caſu propoſito non poteſt inſcio, & inuito alio coniuge ſe transferre ad religionem, aut profiteri, etſi lata ſit ſententia diuortij: ſiquidem diuortium fit in fauorem coniugis innocentis, vt ſcilicet is liberetur à ſubiectione, qua aliàs adſtringitur nocenti, non autem vt priuetur dominio, quod habet ſuper nocente, ſicque abſque ſua culpa puniatur; quamquam, ſi coniux innocens ſciat ſocium nocentem velle ingredi religionem, & non contradicat, hòc ipſo cenſetur dare licentiam ingrediendi; ſicut & præſumitur dare, ſi monitus de adultero ſibi reconciliando recuſet: vnde in tali caſu coniux nocens poteſt ingredi religionem, & profiteri, non obſtante quòd innocens reluctetur, cùm talis reluctatio ſit irrationabilis, adeòque ei non ſit deferendum; vt notat *Sanchez D. 10. num. 16.* addens *num.* 15. coniugem innocentem in præſenti euentu, ſi velit manere in ſæculo, poſſe, ſed non teneri, aut vouere caſtitatem, aut religionem profiteri, eſtò ſit iuuenis: id enim nullo iure cautum eſt; & aliàs non debent multiplicari obligationes ſine ſufficienti fundamento, præſertim in præiudicium innocentis.

41 Accedit, quòd, ſi quis coniugatus in religione profitetur abſque licentia alterius coniugis relicti, non poteſt hic etiam ipſe ingredi religionem: cùm profeſſio facta ab alio coniuge fuerit inualida, & delictum illius non det vllum ius alteri coniugi relicto. ita *Portell. ſuprà numer. 37. ex Aſtenſi* addens *numer.* 38. cum *Sanch. l. 7. de matrim. D. 36. n. 4.* quòd ſi, vbi aliquis coniux inualidè profeſſus eſt in reli-

religione, alter coniux relictus fornicetur, non poteſt is illum ſic profeſſum ampliùs reuocare, cùm amiſerit per fornicationẽ ius, quod ratione coniugij ei competebat ſuper coniugem inualide profeſſum; Quod ſi hìc exeat è religione, (ſicut poteſt, etiam propria auctoritate, cùm profeſſio fuerit inualida) poterit quidem cohabitare cum propria vxore, non tamen petere debitum, immò nec reddere, obſtante voto caſtitatis emiſſo in illa profeſſione inualida, quod habet rationem voti ſimplicis: vt benè oſtendit *Suar. to. 3. de relig. l. 7. cap. 2. nu. 12.* & quidem quòd coniux inualidè profeſſus in iſto caſu non poſſit reddere debitum coniugi fornicario, inde ſuadetur, quòd votum caſtitatis de ſe obligat ad abſtinẽdum ab omni actu venereo, & coniux reddens non excuſatur, niſi ratione vinculi fortioris ſuperuenientis, ideſt obligationis ex iuſtitia: ſi ergo ceſſat hoc vinculum (vti verè ceſſat, ſecuta fornicatione alterius coniugis) tenebitur coniux innocens abſtinere etiam à redditione debiti ſicut ingenioſè notat *Sanch. l. 9. de matr. D. 6. num. 14.* addens in caſu, quo coniux inualidè profeſſus modo ſupra dicto reconcilietur coniugi nocenti, ac fornicario, illum poſſe quidem ei poſtea reddere debitum, cùm talis reconciliatio teneat, & per eam amittatur ius denegandi debitum: peccare tamen mort. faciendo dictam reconciliationem, cùm ſic propria ſponte, nullaque lege matrimonij adſtrictus ſe reddat impotentem ad ſeruandum votum caſtitatis, ad quod alias tenetur.

42 Placet demum hìc monere, quòd ſi Regulares, etiam exempti, iubente Epiſcopo, recuſent reddere coniugem nulliter profeſſum, aut etiam nouitium coniugi relicto ac petenti: peccant mort. vt patet, non tamen poſſunt puniri per cenſuras ab ipſo Epiſcopo; cùm quo ad hunc caſum non ſit Iudex delegatus ex iure, aut Conc. Trid. cùm quo tamen ſtat, vt poſſint cogi alijs pęnis, v. g. priuatione concionandi, audiendi cõfeſſiones, &c. ita *Port. n. 33.*

QVÆRES XVIII. An, & quo modo poſſint Serui admitti ad profeſſionem.

43 · ℞. Loquendo de ſeruis propriè dictis (quos vocamus mancipia) eos validè quidem admitti poſſe ad profeſſionem, etiam inſcio, ac inuito domino, non tamen licitè, ſi admittantur abſque licentia domini: idque ratione iniuriæ, quæ fit ipſi domino, illum priuando iure, quod habet in ſeruum, vti diximus in *præced. tract. c. 4. q. 17.* & certè, quòd ſerui validè poſſint admitti modo dicto ad profeſſionem conſtat, quia profeſſio eorum eſt valida, ſicut docet *Suar. to. 3. de relig. l. 6. c. 6. n. 3. ex Archid. Turrecr. Aug. Sylu. Greg. Lopez Leſſ. contra Palud. S. Anton. & Azor.* probatque quia nullum extat ius canonicum quo irritetur talis profeſſio, neque ex natura rei videtur eſſe nulla; cùm vota ſeruorum ſint valida, quamdiu non irritantur. quamquam domini non omnia vota ſeruorum ſuorum abſolutè poſſint irritare, ſed ſolum impediendo actum, & vſum eorum, quatenus repugnant ipſis dominis, & non amplius: vnde profeſſio facta à ſeruo neque per ſe eſt irrita, neque à domino abſolutè poteſt irritari, ſed ſolùm ſuſpendi quo ad actualem vſum in ijs, quæ iuri ipſius domini repugnant: quo modo in cap. *ſi quis incognitus 17. quæſt. 2.* deciditur ſeruum abſque domini licentia venientem ad monaſterium poſſe intra triennium repeti a domino, & domino repetenti tradendum eſſe cum omnibus rebus, quas detulit ad monaſterium, fide tamen accepta de impunitate, quod ſcilicet ſeruus inde non puniatur; certum eſt autem, quòd ſi in præſenti caſu profeſſio ſerui eſt valida, & erit valida eius admiſſio. ita *Suar. vbi ſup. Sanch. l. 5. moral. c. 4. numèr. 49.* (licet oppoſitum dicat eſſe multo verius) *Miranda p. 1. q. 17. a. 2. alijque* contra *Portel. ſup. n. 39. Peyr. n. 45. Lezanam n. 21.* & alios ſuſtinentes profeſſionem ſerui eſſe nullam, eo quòd nec Deus, nec Eccleſia acceptẽt donum cum præiudicio tertij; ſed immeritò; cum iſta ratio probet ſolùm profeſſionem ſerui eſſe illicitam; quod nos etiam concedimus, & paulò poſt probabimus.

44 Dixi in caſu propoſito ſeruum repeti poſſe à domino intra triennium, vt innuerem eum poſt elapſum triennium non poſse repeti, id ſtatuente iure in fauorem religionis, quòd potuit concedere dominis illud tempus ad contradicendum ſub ea lege, vt, ſi intra illud non reclament, cenſeantur renunciare iuri ſuo: vnde, vt dominus cenſeatur conſentire, ſufficit, quòd ſciat, & non contradicat; quod tamen non habet verum in caſu, quo dominus ſit tam longè, quòd inueniri non poſſit; vt dicitur in *citato cap. ſi quis incognitus:* tunc enim cùm dominus non præſumatur eſse in mora, & conſequenter non conſenſiſse in profeſſionem ſerui; etiã poſt triennium poteſt repetere illum ad ſe, iſque ipſi reddendus eſt, vt optimè obſeruat *Suarez vbi ſup.* Triennium autem, de quo loquitur *cap. ſi quis incognitus*, computandum eſt ab eo tempore, quo dominus cognoſcit ſeruum receptum fuiſse in religionem; ſiquidem talis præſcriptio fit ob negligentiam domini non reuocantis toto eo temporis ſpatio; cùm aliàs ignoranti imputari nequeat negligentia, vt tradunt *plures DD. apud Sanch. nu. 46.* qui mouet *num. 44.* ad dictam præſcriptionem peti bonam fidem religionis ignorantis eum, quem admittit eſse ſeruum; additque dicta de ſeruis huc vſque procedere tam in ſeruis qui verè mancipia dicuntur, quàm in ijs, qui iure vocantur coloni, originarij, & adſcriptitij: quod notant etiam *Syluest. Tab. Roſel. & alij penes Sanch. n. 48.*

45 Quòd verò admiſſio ſerui ad profeſſionem facta ſine conſenſu domini ſit illicita; patet, quia ſeruus eſt ſub iure ſui domini, ideoque non poteſt de ſe diſponere, ſe ipſum tradendo religioni, niſi de conſenſu ipſius domini, neque talis eius traditio poteſt acceptari à Religione ſine peccato, cùm in tali caſu interueniat contrectatio rei alienæ, inuito domino, quę ſine dubio eſt peccaminoſa; vnde & religio tenetur ſeruum ſic profeſsum reddere domino illum intrà triennium petenti, vtpote contra iuſtitiam ipſi ablatum. Quòd ſi dicas hinc ſequi profeſſionem ſerui factam ſine conſenſu domini eſse inualidam, non ſecùs ac eſt inualida venditio rei alienæ: negari poteſt paritas; & ratio diſparitatis in eo ſita eſt, quòd, quando ſer-

ous profitetur, ipſe manet obnoxius religioni, quãtùm in ipſo eſt, vt notat *Sylu. v. religio 2. num. 3.* & hoc ſtare poteſt cum dominio, & vſu, quem dominus habet in ipſum: non ſic in venditione rei alienæ, quæ ita facit rem venditam obnoxiam emptori, vt à priori dòmino auferat illius vſum, & dominum: hinc ergò valida eſt profeſſio, non item venditio rei alienæ.

Modò difficultas eſt, an dominus in caſu propoſito poſſit cogere religionem, vt ſibi redimat ſeruũ abſque conſenſu domini profeſſum iuſto pretio dato, & nollet perſonam ſerui iam religioſi.

46 ℞. Non poſſe, ſi religio bona fide, & ignorans conditionem ſerui illum modo dicto admiſit ad profeſſionem; tunc enim ſufficit, quòd religio reddat domino ipſum ſeruum: quippequæ ad aliud nõ tenetur neque ratione iniuriæ (quæ hìc nulla intercellit); neque ratione rei acceptæ, cùm quò ad hoc caput ſufficiat reddere rem ipſam; neque ſub ratione pænæ, quæ in hoc caſu non habet locum, cum non præceſſerit vlla culpa, vt ſuppono. Secùs, ſi religio ſeruum admiſit ad profeſſionem ſcienter, & cum iniuria domini, cogi poteſt religio ad reddendum pretium, ſi dominus ſit contentus; idque in honorem religionis, & ſatisfactionem domini, cui vtiq; cedit in aliquod grauamen habere ſeruũ religioſũ. Ita *Suar. ſupr. n. 4. ex Sylu. & Raimundo* addens dominum in caſu propoſito non poſſe cogi ad vendendum ſeruum religioni, in qua eſt profeſſus; niſi fortè in caſu, quo ille conſenſerit in profeſſionem ſerui ſub conditione, vt ſibi pretium ſoluatur quo caſu poterit cogi ad acceptandum pretium, non quidem ratione profeſſionis, de qua loquimur in præſentia, ſed ratione pacti.

47 Et hæc de iure communi; nam in Societate Ieſu inter impedimenta eius ingreſſum dirimentia ſtatuitur vinculo ſeruitutis legitimæ ligatum eſſe; vt habetur in examine cap. 2. Vbi notat *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 2. cap. 1. num. 25.* quòd, licèt ſeruitus iure communi non irritet profesſionem, ſecluſa vi, ac ignorãtia, vt iam diximus: in Societate tamen vi huius impedimenti nulla eſt receptio, & cõſequenter omnis admisſio, quæ in ea ſundetur; ſi quidem abſolutè, ac ſine vlla reſtrictione hic ponitur ſeruitus vt impedimentum ſubſtantiale; intellige, quandiu durat ſeruitus: & ſic, ſi ſeruus manumittatur à domino, aut aliter redimatur, ceſſabit tale impedimentum; vt pote quod conſiſtit in eſſe actu ſeruum, non in fuiſſe; vt colligitur ex illis verbis *vinculo legitima ſeruitutis ligatum eſſe*; quamquam (vt rectè aduertit idem *Suar. loco cit.*) ſeruus, etiam ceſſante impedimento ſeruitutis, ex alio capite inhabilis maneat ad Societatis ingreſſum ex defectu originis; quatenùs ſcilicet ille per aliquam lineam deſcendit ex genere Iudæorum, aut Saracenorum, vt hìc ſupponitur, & clarè inſinuat *Suarez vbi ſupra*.

QVÆRES XIX. An, & quo modo admitti posſint ad profesſionem ij, qui obligati ſunt ad ratiocinia reddenda.

48 ℞. Poſſe in præſentia admitti non ſolum validè (cum Sixti V. Conſtitutio irritans eiuſmodi profesſionem, & relata in *præced. tract. cap. 3. q. 1.* quo ad hanc partem fuerit derogata per Clementem VIII. die 2. April. 1602. in ſua Conſtit. *In ſuprema*; nimirum vt talis profeſsio ſit valida, & per conſequens validè admittatur); ſed etiam licitè, ſi redditio ratiociniorum prudentis viri arbitrio probabiliter credatur poſſe præſtari ſine lite, magno grauamine, aut diſtractione: hoc enim innuunt verba illa Conſtitutionis Sixti V. *Vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, vt ex huiuſmodi cauſa lis, vel moleſtia eis iam illata, vel timendum ſit, ne inferatur*. Ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 5. c. 7. num. 20. Sanch. l. 4. moral. cap. 19. num. 21. Portell. de dub. regul. verb. nouitius num. 20.* aliiſque quos refert, & ſequitur *Peyr. de R. P. q. 3. cap. 1. n. 75.* addens præſentem reſponſionem habere locum, ſiue ratiocinia ſint priuata, ſiue ſint publica; quòd nos etiam diximus, & probauimus in *præced. tract. cap. 4. q. 23.*

49 Dixi, *Si redditio ratiociniorũ probabiliter credatur præſtari poſſe ſine lite &c.* vt indicarem non poſſe licitè admitti ad profesſionem eum, qui modo dicto eſt obnoxius reddendis ratiociniis, & ea probabiliter non eſt redditurus abſque lite, disſidio, & magna diſtractione: id quippe ſub grauibus pænis prohibetur in Conſtitutione Sixti V. & meritò ob inconuenientia quæ ex admisſione talium perſonarum identidem ſuboriri poſſent in religionibus. Ea tamen Conſtitutione cenſet *Peyr. numer. 76. ex Diaz. Portel. & Bonac.* non comprehendi mercatores, qui mutuis inter ſe contractibus initis multa ſibi inuicem debent; ſicut nec eos, qui ex mutuo, locatione, venditione, depoſito, alioque tali contractu; niſi fortè ante ingreſſum religionis ipſis intentata eſſet lis de dolo, & perfidia: quo caſu vtique comprehenderentur; qum etiam addit *Peyr. ex Barboſa* ea Conſtitutione comprehendi etiam hæredem illius, qui eſt obligatus ad ratiocinia, ac proinde eũ non poſſe profiteri, niſi iis redditis: quippequi non minùs tenetur ad ratiocinia, quàm teneretur defunctus, cuius eſt hæres.

QVÆRES XX. An licitè, & validè admittantur ad profesſionem ij, qui ære alieno ſunt grauati, & onuſti multis debitis.

50 ℞. Validè quidem admitti, ſtante Conſtitutione Clementis VIII. per quam *q. præced.* diximus moderatam fuiſſe quò ad hanc partem Conſtitutionem illam Sixti V. qua irrita declarabatur profeſsio eorum, qui ingenti ære alieno ſuprà vires ſuarum facultatum erant grauati; non tamen licitè, ſi debita ſint certa, & debitor vel habeat actu, vnde ſoluat, vel probabiliter ſperet ſe habiturum, manendo in ſæculo ad breue tempus v. g. per biennium: ſic enim ſicut eſt illicita profeſsio, vt potè prohibita per eam bullam Sixti V. quæ quò ad hanc partem non fuit derogata, immò & iure naturali dictante priùs ſatisfaciendum eſſe præceptis, quàm conſiliis, ideoque profesſioni debitæ ex conſilio præferendam eſſe ſolutionem debitorum, ad quam tenemur ex præcepto. Ita *Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 10. n. 1. Sanch. ſupr. num. 5. & ſeqq. Peyr. de R. P. quæſt. 3. cap. 1. num. 71. Portel. num. 19. Lezana tom. 1. c. 24. num. 17.* aliiq; communiter; & patet tum ex dictis

ctis hìc, tum ex ijs, quę diximus in *præced. tract. c. 4. q. 21.* hæc enim faciunt etiam ad præſentem caſum; ſtante quòd debita non aliter poſſunt impedire profeſſionem, ac impediunt primum ingreſſum; cùm hæc duo quò ad hoc vnum tantum reputentur, quippe cum vnum ſit propter aliud.

Difficultas hìc eſſe poteſt, an, ſi debitor de facto illicitè admittatur ad profeſſionem, is poſt ipſam profeſſionem teneatur laborare, & quærere, vnde ſoluat, v.g. petendo eleemoſynam.

51 ℞. Probabile eſſe, quòd non teneatur; & patet, quia profeſſio religioſa vim habet extinguendi omnem ciuilem obligationem, cùm per eam homo ciuiliter moriatur; ergò & extinguet obligationem ſoluendi debita; idq; etſi ponamus religioſum peccaſſe ſic profitendo: eſt enim medium extraordinarium, & valdè arduum cogi acquirere bona ad ſatisfaciendum creditoribus, aut etiam ſibi ſubtrahere conceſſa ad proprium vſum, cùm hæc vix ſufficiant ad commoditatem humanam, & decentiam ſtatus; quamquam *Suar.* (qui alioqui nobiſcum ſentit) cenſeat quòd, ſi contingat religioſum taliter profeſſum habere ad ſuum vſum ſuperflua cum facultate de ijs liberè diſponendi, tunc tenetur ſatisfacere creditoribus, non tamen ex iuſtitia (cùm vi profeſſionis extinguatur omnis eiuſmodi cura, & obligatio,) ſed ex charitate. ita *S. Thom. 2. 2. quæſt. 189. art. 6. Suar. num. 4. Sanch. num. 14. Peyr. nu. 72.* alijque penes ipſos contra *maiorem, Nau. Metin. & alios* relatos à *Sanch.* qui benè notat, quòd, cùm debitor vi profeſſionis emiſſæ factus ſit impotens ad ſoluendum, quantumuis concedatur eum peccaſſe, ſe conijciendo in talem impotentiam, poſt factum excuſatur à ſoluendis debitis; vnde & Superior non tenetur ei concedere licentiam acquirendi, ſiue ex ſua induſtria, ſiue ex eleemoſyna ad effectum ſoluendi: quod etiam docent alij ea ducti ratione, quòd quælibet actio viri religioſi, & quidquid ex ea poteſt reſultare, eſt religionis, ideòque nec religioſus ſine licentia Superioris poteſt ex eo ſatisfacere creditoribus, nec religio tenetur talem licentiam dare, priuando ſe temporali ſuo commodo: quippè ea non ſe adſtrinxit ad talia debita ſoluenda, (vt ſuppono) nec recepit cum perſona religioſi debitoris bona ipſius, (vt item ſuppono,) & aliàs in ipſam vi profeſſionis dicti religioſi non tranſierit obligatio debita illa ſoluendi; qua in re diſſentit *Suar.* dicens religioſum in caſu propoſito non teneri quidem egredi è religione ad ſoluenda debita, neque agere quidquam contra decentiam, & ſubſtantiam ſtatus religioſi: teneri tamen ſatisfacere creditori, in quantùm poteſt, manendo in religione, &, ſalua regulari diſciplina: idque ratione iniuriæ factæ creditoribus.

52 Notat porrò *Peyr. numer. 73.* non comprehendi citata Conſtitutione Sixti V. eos, qui, ſi habent debita magna, habent item bona, ex quibus ſoluant; qui habent debita leuia, aut certè, ſi ſunt magna, ſunt incerta (de quo caſu egimus in *tract. præced. loco ſupra cit. in reſponſ. principali;*) qui bonis proprijs ceſſerunt, & aliunde non poſſunt plenè ſatisfacere creditoribus manendo extrà religionem ad breue tempus, eo modo, quo ſuperius diximus; qui habent ſolùm debita contracta ex mera liberalitate; qui à Iudice ſunt damnati ad aliquam ſummam pecuniariam, aut certè ad eam tenentur ratione iniuriæ, aut damni illati, eò quòd virginem defloraruntv. g. qui tenentur debitis, ſed habent alios, qui pro ipſis ſoluant, aut certè à ſuis creditoribus obtinent licentiam ingrediendi religionem, aut profitendi. ita *Peyr.* & ante illum *Sanch. ſup. numer. 24. & ſeqq.* addens *num. 17.* quòd ſi Prælatus regularis religioſo debitori concederet licentiam, vt extra religionem laboraret, retento habitu, aut etiam intrà monaſterium: adhuc ille non teneretur elaborare; cùm tale medium ſit extraordinarium, ac valdè difficile & aliàs religioſus iuxtà dicta legitimè excuſetur ratione impotentiæ.

QVÆRES XXI. An licitè, & validè recipi poſſint ad profeſſionem ij, qui ſe obligarunt ad aliquod ſeruitium alteri exhibendum, v.g. ad aliquam lecturam.

53 ℞. Poſſe; & quidem etiamſi præceſſiſſet iuramentum: idque ob rationem adductam in *præced. tract. cap. 4. q. 22.* quæ probat intentum etiam in præſenti caſu, qui vult, conſulat *Peyrinum num. 77.* alioſque ab ipſo allegatos.

QVÆRES XXII. An, & qualiter admitti poſſint ad profeſſionem filij, qui habent parentes graui egeſtate affectos.

54 ℞. Poſſe admitti valide, cùm talis profeſſio non irritetur vllo iure poſitiuo, & alioqui ſtando in iure naturæ ſit valida; non tamen licitè, ſi parentes ſint in extrema neceſſitate, aut etiam graui, & filij manendo in ſæculo poſſint eis ſuccurrere, aliàs omni auxilio deſtitutis. ita *Lezana tom. 1. cap. 2. nu. 13. ex Graff. & Suar. alijque,* & conſtat ex dictis in *præcedenti tract. cap. 4. q. 18.* quæ etiam faciunt ad præſentem caſum; cùm ea neceſſitas, quæ impedit ingreſſum religionis, item impediat profeſſionem. Quamquam, inquit *Lezana ex S. Tho. 2. 2. qu. 101. a. 4. & Caiet.* ibi ſi ex ſeruitio, & obſequio parentibus exhibendo ſequatur filio notabile diſpendium ſalutis ſpiritualis, non tenetur filius manere in ſæculo, ſed poteſt ingredi religionem, & in ea profiteri; cùm bonum ſpirituale filij præferri poſſit, & debeat bono temporali parentum.

At dubium eſt, vtrum, ſi filius in caſu propoſito profiteatur; etiam poſt profeſſionem, teneatur ſubuenire parentibus, relicto, ſi opus ſit, religioſo habitu, ſeu ſtatu, quantùm ad actualem obſeruantiam, & conſequenter iuſtè repeti poſſit ab ipſis parentibus.

55 ℞. Videri probabile non teneri; ſiue grauis indigentia (de qua hìc loquimur) præceſſerit profeſſionem, ſiue ſubſequatur: poſſe tamen egredi è religione cum legitima licentia Superioris ad ſubleuandam talem neceſſitatem parentum. Ducor tum quia per profeſſionem religioſus traditur Prælato, & tranſit in eius poteſtatem, ita vt reputetur mortuus ſæculo; at res tradita vni auferri non poteſt ad ſubueniendum parentibus citrà extremam neceſſitatem, ergò: tum quia præceptum ſubueniendi parentibus non eodem modo obligat filium in omni euentu, ſed ſolùm quantùm patitur præſens ſtatus (vnde filius non tenetur, relicta vxoris habitatione,

tione,

tione, habitare cum proprijs parentibus cauſa eis ſubueniendi, cùm id non patiatur matrimonij ſtatus) ergò nec filius profeſſus tenetur dimittere religionem, vt ſubueniat parentibus, id ipſi denegante ſtatu religioſo. ita *Sanch. ſup. cap.20. numer.17. cum S. Thom. Alenſi, Caiet. S. Anton. Armill. Turrecr. Rodriq. Paſſarel. Sā Angl. & alijs* ſubdens tamen *nu.* 18. filium in iſto caſu teneri in ipſa religione vti omni diligentia ad effectum ſuccurrendi parentibus, ſalua obedientia, & ſtatus religioſi decentia, ideſt regulari obſeruantia: quod item concedunt plures alij DD. ab ipſo *Sanch.* allegati, & meritò, cùm filius, etiam poſt profeſſionem maneat verè filius, adeòque in illo perſiſtat obligatio pietatis ergà parentes, quam ſtatus religioſus non impedit, ſed perficit. Contrà *Sanch.* & alios citatos ſentiunt *Suar. ſup. cap.9. num.9.* alijque relati à *Sanch. nu.16.* aſſerentes noſtram reſponſionem ſolùm admittendam, quando neceſſitas grauis parentum ſubſequitur profeſſionem filij, non autem quando præcedit: quæ opinio eſt probabilis tum ob auctoritatem DD. qui eam ſequuntur, tum ob rationes, quibus eam probat *Suarez*, quamuis eæ non difficilè diſſolui poſſint ex fundamentis in contrarium poſitis à *Sanchez*.

Quòd ſi, ſtando in noſtra ſententia, quæras, quæ cenſeantur fieri poſſe à religioſo profeſſo in ſubuentionem parentum ſalua obedientia, ac regulari diſciplina, prout paulò ante innuimus.

56 ℞. Ea omnia fieri poſſe de Superioris licentia, quæ cum eadem licentia poſſet religioſus præſtare in bonum monaſterij; quod benè aduertit *Corduba in Summa q. 141. a.2. opin.4. par. 2. & 3.* & cum eo *Sanch. num.19.* hinc inferens religioſum in præſenti caſu poſſe tum petere eleemoſynas pro ſuis parentibus, tum ex neceſſarijs ſuo victui à religione traditis aliquid ſibi ſubtrahere ipſis parentibus præbendum (modò talis ſubtractio non ſit excedens in præiudicium religionis:) tum ipſis lucrari ſcribendo, aut pingendo quo tempore non occupatur in miniſterio religionis; hæc enim omnia poſſet præſtare in bonum monaſterij, ſicque militat generalis regula tradita à *Corduba*.

57 Dixi *de Superioris licentia*, quia non poteſt religioſus ſine tali licentia quidquam temporale, ſuo etiã labore partum, aut ſibi donatum vllo modo alienare; quamquam, ſi in caſu propoſito nollet Superior concedere facultatem ſubueniendi parentibus modis ſtatui religioſo cõuenientibus, & non exeũdo è monaſterio, neque faciendo aliquid repugnãs proprio inſtituto; tunc poſſet religioſus occultè, & abſque ſcandalo ſupradicta præſtare in ſubſidium parentum; ſi quidem iniquè agit Prælatus denegãdo talem licentiam, ideoque poteſt religioſus cum licentia illa debita facere ea omnia, ac ſi illam obtinuiſſet: idque etſi Superior ſub pœna excommunicationis ea illi interdixiſſet. ita *Sanch. vbi ſup.* monens, quòd, licèt ſubditus vi ſtatus religioſi teneatur ſemper eam licentiam petere, niſi omninò certus ſit fore vt ſibi iniuſtè denegetur, & poſteà non poſſit æque benè parentibus ſubuenire, in dubio tamen, an Superior eam licentiam iniquè deneger, nec ne, poteſt religioſus ſubditus ea vti; & ratio eſt, quòd, quamuis in dubio ius Superioris ſit potius, eique obediendum ſit: id tamen fallit, quando agitur de graui præiudicio tertij; vt in caſu noſtro, quo denegatio licentiæ cedit in graue damnum parentum, quorum graui indigentiæ non poteſt filius aliter conſulere: quòd negat *Suar. ſup. c.9. num. 17.*

58 Addit *Sanch. nu.22. ex Nau. Rodriq. & Anglo* quòd, licèt religioſus profeſſus egredi nequeat à monaſterio, inuito Prælato, ad effectum ſubueniendi parentibus; adeſt tamen iuſta cauſa concedendi talẽ licentiam, ſi in monaſterio ijs non poſſit æque benè ſubuenire: quamquam, inhærendo doctrinæ traditę in §. *at dubium eſt* Prælatus in rigore nõ teneatur dare talem licentiam, cum religioſus teneatur ſolum intra monaſterium proſpicere egeſtati parentum modis ſuo ſtatui competentibus, & non aliter. Quæ doctrina locum habet etiam in religioſis Societatis Ieſu qui ſola vota biennij emiſerint: quamuis enim prima facie iſtis videatur faciliùs poſſe concedi licẽtia exeundi ad ſuccurrendum parentibus, cùm iuxtà Societatis inſtitutum abſolui poſſint ex iuſta cauſa à dictis votis, & ſubuentio parentum iudicio prudentis cauſa iuſta cenſeatur: nihilominùs, quia id cedit in grauiſſimum damnum religionis, quæ tot expenſis eos aluit, & indecens eſt, vt exeant abſq; vrgentiſſima cauſa, ideò nec ipſis ita facilè concedenda eſt talis licentia.

QVÆRES XXIII. An validè, & licitè admitti poſſint ad profeſſionem parentes qui habent filios indigentes, & graui neceſſitate preſſos.

59 ℞. Poſſe admitti validè, non item licitè; præſertim ſi filij non ſint emancipati. Ita *Suar. nu. 30. Sanchez. num. 34. & 39. Lezana num. 13.* alijque & patet ex dictis tum *quæ præcedenti in reſponſione principali*, tum in *ſuperiori tractat. c. 4. q. 19.* ſi monuero ex *Sanch. num. 37.* idem dicendum eſſe de alijs aſcendentibus, auis proauis &c. quandocumque deſcendentes carent parentibus: tunc quippe ij ſuccedunt loco parentum, ideòque eandem ſubeunt obligationem. An autem & quo caſu parentes exire teneantur è Religione ad ſubleuandam filiorum indigentiam conſtat ex dictis *q. præcedenti*.

QVÆRES XXIV. An poſſint admitti ad profeſſionem ij, qui habent fratres, aut ſorores grauiter indigentes,

60 ℞. Poſſe, & validè, & licitè, niſi fortè iſti adhuc ſint ſub cura parentum; in quo caſu validè quidem, ſed non licitè admitterentur ob dicta in *præced. tr. cap.4. q. 20.* ij admitti poſſent ad profeſſionem: Colligitur ex *Suar. ſup. Sanch. num. 30.* & alijs; patetque ex dictis *in tract. præced. q. citata*.

QVÆRES XXV. An validè, & licitè admitti poſſint ad profeſſionem ij, qui ſunt conſtituti in dignitate epiſcopali, aut alia eccleſiaſtica.

61 ℞. Poſſe, non quidem licitè, ſed validè, ſi id fiat ſine licentia Papæ, & illi ſint epiſcopi electi, confirmati, & conſecrati, immò etiam ſolùm electi, & confirmati; ſecùs, ſi aliquam aliam habeant dignitatẽ eccleſiaſticã ſiue cũ cura animarum, ſine abſq; cura: hi enim cum ſola licentia proprij Ordinarij petita (licèt non obtenta) & poſſunt ingredi religionem, & in ea profiteri. Ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 6. cap. 8. n. 1. & 7.* contrà *Peyrinum ſup. nu. 47.* alioſque

alioſque aſſerentes eiuſmodi profeſſionem, & conſequenter eius admiſſionem eſſe non ſolùm illicitam, ſed etiam inualidam. Et certè quòd talis admiſſio ſit illicita, probatur tum quia ea expreſsè prohibetur in *cap. niſi cum pridem de renunc.* vbi Archiepiſcopo petenti religionem dicitur, quòd ſi talibus mouetur de cauſis, quæ continentur ibidem, de licentia apoſtolica id faciat: ſin autem, auctoritate apoſtolica ſibi nouerit eſſe penitus interdictũ: nec non in *cap. licet de regul.* vbi dicitur, quòd nullus abſq; Romani Pontificis licentia occaſione quacunque debet deſerere præſulatum; tum quia, vt diximus in *tract. præced. cap.* 4. *q.* 15. ſtatus epiſcopalis eſt altior ſtatu religioſo, ideòque non datur tranſitus ab illo ad iſtum ſine licentia Papæ; ſi quidem hoc eſſet deſcendere, quod non eſt licitum. Quòd verò talis profeſſio ſit valida, etiam ſi fiat abſque licentia Papæ, probat *Suar.* quia dicta profeſſio non eſt inualida iure poſitiuo; cùm nullum tale ius reperiatur: neque ex natura rei; cum vinculum profeſſionis, & vinculum epiſcopale non ſint formaliter repugnantia, ideòque non ſit opus vnum ab alio diſſolui: vt vel hinc patet, quòd, quando religioſus profeſſus aſſumitur ad epiſcopatum, nõ tollitur prius vinculum profeſſionis, ſed ſuperadditur aliud, & ſimul manent; quod non eueniret, ſi eſſent formaliter repugnantia; ſi autem hoc accidit in præſenti caſu, eueniet, etiam ſi mutato ordine prius inducatur vinculum epiſcopale, & poſtea vinculum profeſſionis, ſicque poterunt manere ſimul, quantùm eſt ex natura rei.

62 Concedit tamen *Suarez num.* 7. talem profeſſionem eſſe inualidam quò ad vſum, quatenus ſcilicet non diſſoluit vinculum ſpirituale, quod eſt inter Epiſcopum, & ſuam Eccleſiam; vnde fit, vt talis profeſſio maneat impedita quò ad omnem vſum religionis repugnantem muneri Epiſcopali; ſiue id contingat Eò quòd Epiſcopale vinculum propriè, & in rigore ſit indiſſolubile iure diuino, ideſt ex immediata inſtitutione diuina: ſiue quòd ſit indiſſolubile ex voto ſpeciali ipſius Epiſcopi, cuius diſpenſationem Papa ſibi reſeruauit, ſicut ſignificat *S. Tho.* 2. 2. *q.* 185. *ar.* 4. ſiue quòd ex præcepto Eccleſiaſtico inter Eccleſiam, ac Epiſcopum tale interuenit pactum, vt Epiſcopus omnino obligetur ſe priuando poteſtate reſcindendi contractum: quod videtur probabilius, & ſufficit, vt iure diuino dicatur prohibitum Epiſcopo cedere Epiſcopatui iure ſuo. Ita *Suar.* qui tandem concludit, quantumuis Epiſcopus profiteatur religionem, non propterea manere liberum onere Epiſcopali, atque adeò, quantùm ad hoc nullam eſſe profeſſionem, eſtò quo ad ſubſtantiam ſit valida: quo modo in citato *cap. niſi cum pridem* dicitur de illo Archiepiſcopo, *& ſi pennas habeas. quibus ſatagis in ſolitudinem aduolare, ita tamen ſunt aſtrictæ nexibus præceptorum, vt liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum*: quod eſt eiuſmodi profeſſionem non eſſe irritam iure eccleſiaſtico quò ad ſuam ſubſtantiam, ſed ſolùm quò ad effectum diſſoluendi Epiſcopale vinculum.

63 Quod autem dixi Epiſcopum, etiam non conſecratum, ſubiacere præfatæ prohibitioni, dummodò ſit electus, & confirmatus: conſtat, quia iſta prohibitio afficit eos, quia verè ſunt Epiſcopi, ac ſpõſi propriæ Eccleſiæ: Epiſcopus autem electus, & confirmatus verè eſt Epiſcopus: vnde in *capitul. inter corporalia de translat. Epiſcop.* dicitur *Sicut Epiſcopus conſecratus ſine licentia Epiſcopi Romani ſuam non debet Eccleſiam derelinquere; ſic nec electus confirmatus, cum non debeat in dubium reuocari, quin poſt electionem, & confirmationem canonicam inter perſonas eligentium, & electi coniugium ſit ſpirituale contractum*; quòd ſi Epiſcopus electus, & confirmatus non poteſt abſq; licentia Papę derelinquere ſuam Eccleſiam, ergò nec poterit ſine tali licentia profiteri, ad quod præſupponitur deſeri Eccleſiam, cui profitens aliàs eſt deſponſatus.

64 Dixi *Epiſcopus electus, & confirmatus*: ſi enim ſit ſolum electus, & alioqui non ſit prohibitus ſpeciali, ac perſonali præcepto, vtique poteſt ingredi religionem, ibique profiteri; cùm ille non ſit ſimpliciter Epiſcopus, ſed ſecundùm quid, & cum addito diminuente, ideſt electus (quòd potiùs importat futurum eſſe Epiſcopum, quàm eſſe) & aliàs iura loquantur de Epiſcopo ſimpliciter, immò & deſponſato ſuæ Eccleſiæ, vt conſtat ex citato *cap. niſi cum pridem*: quę proinde cùm ſint odioſa, vt pote reſtrictiua libertatis, non debent extendi ad eum, qui ſolum eſt Epiſcopus ſecundùm quid, vt in caſu noſtro ita *Suar. nu.* 1. *Peyr. de R. P. q.* 3. *c.* 1. *n.* 47.

65 Inſuper non comprehenditur iſta prohibitione Epiſcopus conſecratus, qui nullum habet Epiſcopatum, eò quòd v. g. illum renuntiauerit; & ratio eſt, quòd in relato *cap. niſi cum pridem* ſolum dicitur Epiſcopum non poſſe ſua auctoritatem renũciare Epiſcopatui, vt ingrediatur religionem; ergò, vbi non eſt opus renunciare Epiſcopatu, nihil eſt, quod impediat, cùm ſic ceſſet ratio prohibitionis: hoc autẽ euenit in caſu noſtro, vt patet. Ita *Suar. num.* 4. & cum eo *Peyr. ſuprà* qui tamen oppoſitum docent de Epiſcopis titularibus, aut relegatis; quippe qui re vera habent ſponſam, eſtò per accidens ab ea ſint ſeparati quò ad torum, vt ſic dicam: cùm tamen in hoc attendi debeat, quod eſt per ſe, non quod eſt per accidens; vnde in *cap. poſt translationem de renuntiac.* etiam in caſu, quo Epiſcopus non poteſt proficere in regimine paſtorali ob rabiem perſecutionis, petitur Superioris auctoritas, ad hoc vt ille poſſit tranſire ad vitam monaſticam; & hæc quò ad Epiſcopos.

66 Quòd verò ſpectat ad alios Prælatos Epiſcopo inferiores, ſiue animarum curam habeant, ſiue non: ij non ſubiacent præfatæ prohibitioni, etiam ſi habeant dignitatem quaſi Epiſcopalem, ideòque inconſulto Papa, tranſire poſſunt ad religionem, ibique profiteri; cum hoc tamen, quòd petant licentiam à proprio Ordinario, ſi quem habent, aliàs nõ obligati ad eam petendam, ſi ſint exempti: quamquam etiam in caſu, quo tenentur eam petere, non ſit opus, quòd eam de facto obtineant. Ita *Suarez num.* 14. ex communi ſenſu Theologorum, & Canoniſtarum, & probatur tum quia Prælati inferiores Epiſcopo non obligantur ſpeciali voto perpetuo ad munus paſtorale, ſicut Epiſcopi, ideòque vt illud deſerant, non indigent diſpenſatione Papæ, immò nec licentia proprij Ordinarij; niſi ob quan-

dam decentiam, & bonum ordinem: tum quia nullum extat ius, quo ipſis prohibeatur tranſitus ad religionem, ac proinde non apparet, cut, ſimpliciter loquendo, non poſſint Prelati inferiores Epiſcopo, validè admitti ad profeſſionem religioſam, etiã ſine licentia Papæ. Cum *Suarez* ſentit *Peyr. numer.* 48. monens ex eodem *Suarez*, ad hoc vt Prælati inferiores Epiſcopo, ſed dignitatem habenres Epiſcopalem, licitè profiteantut religionem, ſufficere, quòd licentiam petant ab Atchiepiſcopo proprio, vel certè ab eo Epiſcopo, cui de iure deberent ſubijci, ſi non eſſent exempti; ſiquidem in proprium commodum in tali caſu poſſunt non vti exemptione; cùm ſic illorum dignitati nullum inferatur prejudicium.

CAPVT III.

Quibus perſonis competat facultas recipiendi Nouitios ad Profeſſionem.

1 *Admiſſio ad religioſam profeſſionem non eſt actus iuriſdictionis.*
2 *Facultas admittendi ad illam poteſt delegari cuicunque viro.*
3 *Immo & fœmina.*
4 *Papa ſe ſolo poteſt admittere.*
5 *Non item Sacra Congregatio Cardinalium ſuper Regulares.*
6 *Non Protector Ordinis.*
7 *Admiſſio hæc ſpectat ad Prælatum conuentus, & ad ipſum conuentum.*
8 *Et quidem de iure communi ad Prælatum immediatum.*
9 *Requirit tamen conſenſum ipſius Conuentus.*
10 *At ſufficit conſenſus maioris partis Capituli.*
11 *Admiſſio aliter facta eſt irrita eò ipsò.*
12 *Prælato repugnante, nequit Conuentus admittere.*
13 *Idque procedit, mortuo Prælato, ſi alius non ſit ſubſtitutus.*
14 *Prælati locales poſſunt admittere, niſi poſitiuè prohibeantur.*
15 *Non item, ſi Prouincialis, aut Generalis reſiſtant.*
16 *Hi non poſſunt admittere reiectum à Prælato locali.*
17 *Probatus in aliena prouincia admittendus à Prælato prouinciæ, in cuius albo ille eſt adſcriptus.*
18 *Idque etiam poſt Clement. VIII. decreta* de nouit. receptione.
19 *Ingreſſus in loco non deputato inchoat nouitiatum à die, quo peruenit ad locum deputatum, ibi probandus.*
20 *Ingreſſus verò in loco deputato inchoat à die, quo recipit habitum, etſi, eo recepto, mittatur ad alium locum deputatum ibi probandus.*
21 *Tenet nouitiatus factus partim in vno loco, & partim in alio.*
22 *Et tũc admiſſio faciẽda de cõſenſu Cõuentus poſterioris.*
23 *Prohibitus admittere validè admittit.*
24 *Prælatus ſuperior auferre poteſt inferiori facultatem admittendi.*
25 *Excommunicatus vitandus validè admittit.*
26 *Tenet admiſſio, etſi maior pars admittentium careat voce actiua.*
27 *Ex cauſa reuocatur conſenſus datus ad dictam admiſſionem.*
28 *Tenet admiſſio, ſi dato conſenſu, Conuentus ſtatuat fieri aliud ſcrutinium, & iuſſu Prælati ſuperioris fiat admiſſio ſine alio ſcrutinio.*
29 *Repeti interdum poteſt ſcrutinium, reluctante Prælato.*
30 *Admiſſio ex defectu admittentis irrita per ratihabitionem conualeſcit ſed non à tempore, quo fuit nulliter facta.*
31 *Nec tunc renouandus conſenſus Conuentus iam datus.*
32 *Error aufert valorem admiſſionis.*
33 *Profeſſus vt laicus admitti nequit ad profeſſionem choriſtarum.*
34 *Prælatus localis non reijcit à profeſſione illum, qui à Prouinciali ad nouitiatum admiſſus fuit.*
35 *Admittentes ſimoniacè ad profeſsionem ſubſunt varijs pœnis.*

QVÆRES I. An facultas recipiendi ad profeſſionem ſpectet ad iuriſdictionem propriè ſumptam, vel ſolùm ad ſuperioritatem, eamque omninò independentem ab ordine.

1 ℞. Spectare quidem ad ſuperioritatem, eamque independentem ab ordine: cùm actus recipiendi præſtetur à Prelato regulari, non quatenùs eſt mẽbrum monaſterij, ſed quatenùs eſt caput, ac Superiot illius, adeòque ille actus ab ipſo emanet vt à Superiore; & alioqui talis actus non approprietur vlli ordini, adeòque poſſit competere Abbatiſſæ quò ad nouitias ſubditas, immò & poſſit delegari cuicumque laico, vt mox dicemus: non ſpectare tamen ad iuriſdictiònem propriè ſumptam: vt inde patet quòd profeſſio religioſa eſt quidam contractus; ad contractum autem non requiritur actus iuriſdictionis, cùm ex ſolo conſenſu vtriuſque contrahentis fiat; præter quàm quòd profeſſio validè recipitur ab excommunicato vitando, vt infrà: conſtat autem geſta ab excommunicato vitando eſſe nulla vt potè procedentia à non habente iuriſdictionem. Ita *Sanch. l. 5. mor. c. 4. n.* 78. *alijque penes ipſum.*

QVÆRES II. An facultas recipiendi poſſit delegari alteri, & cui.

2 ℞. Poſſe, & quidem non ſolùm ſimplici religioſo, ſed etiam Clerico ſæculari, immò & perſonæ laicæ; & probatut tum quia perſona laica poteſt delegari in cauſa ſpirituali *cap. 1. de procurat. in 6.* tum quia profeſſio religioſa poteſt emitti per procuratorem (cùm id nullibi in iure communi prohibeatur, & aliàs per procuratorem fieri poſſit, quidquid non prohibetur) ſicque ea poterit recipi per alium, colligitur ex *Sanch. ſup. nu.* 77. & eſt aliorum, quos citat, & ſequitur *Diana p. 3. tr. 2. reſol.* 70.

In Congregatione tamen generali VIII. Societatis Ieſu *can. 6.* ſtatutum eſt, quod, ſi profeſſio emittatur in manibus alicuius Prælati, cui honoris

cauſa

cauſa Prouincialis id detulit, cùm ipſe præſens eſſet, vel præſentes alios Profeſſos haberet; ea nullius ſit valoris ob defectum poteſtatis in admittente, quia facultas Prouincialibus delegata ex Generalium intentione non ſemel eorumdem reſponſis expreſſa ad eiuſmodi caſum non extenditur.

Dubium eſſet de fæmina, an ei delegari poſſit talis facultas.

3 ℞. Poſſe, cùm receptio profeſſionis non ſit actus iuriſdictionis, cuius eſt incapax fæmina, ſed ſimplicis ſuperioritatis ab ordine independentis; quæ nō apparet, cur non poſſit delegari etiam fæminæ: maximè cum in *cap. ad apoſtolicam de regular.* dicatur, *Abbate per ſe, vel per alium recipiente*, non diſtinguendo de perſona delegata, & dictio *alius* ad quācumque perſonam referatur *cap. accedens de præben.* quæ etiam confirmari poſſunt ex eo, quod docet *Franc. cap. conſtitut. n. 7. v. cmiſſa de regular. in 6.* Abbatiſſam poſſe recipere profeſſionem etiam virorū monaſterij cui præeſt: quod cenſet probabile etiam *Sanch. num. 76.* quamuis dicat contrarium eſſe verius, eò quòd ſola adminiſtratio monaſterij (qualem habet Abbatiſſa reſpectu virorum monaſterij, cui præficitur,) non ſufficiat ad profeſſionem alicuius acceptandam.

Quæ doctrina *Sancij*, ſicut & ea, quam tradidimus *tr. 1. c. 1. q. 6. ex Suarez*, intelligi debent de iure communi, & ſecluſo priuilegio, per quod fæminæ à Papa concedatur ſpiritualis iuriſdictio: ſicut de facto conceſſa fuit Abbatiſſæ Ordinis Fontis Ebraldi, etiam in viros (hic enim Ordo conſtat ex viris, ac mulieribus, & fuit inſtitutus ſuper ea verba *Mulier ecce filius tuus; & ecce mater tua*; in honorem ſcilicet myſterij, quod S. Ioannes datus ſit B. Virgini in filium,) quæ proinde Abbatiſſa per bullam Clementis VII. datam anno 1523. eligit ſingulis triennijs vnum, aut duos Viſitatores, ſeu Vicarios in ſpiritualibus ex ſuis Religioſis: qui authoritate ordinaria ipſius Abbatiſſæ cenſuras eccleſiaſticas excommunicationis, ſuſpenſionis, ac interdicti, vbi opus eſt, decernant in viſitatione monaſteriorum: quo pacto anno 1538. Doctores Sorbonici, viſis bullis Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. ſtatuerunt verum eſſe Abbatiſſam Fontis Ebraldi habere iuriſdictionem ſpiritualem in omnes perſonas religioſas ſui Ordinis. Quod etiam verum eſt de quibuſdam Abbatiſſis in Francia exiſtentibus ob bullas pontificias ad hoc editas.

QVÆRES III. An Papa ſe ſolo poſſit recipere profeſſionem Nouitij, & illum incorporare religioni cuilibet.

4 ℞. Poſſe; & probatur tum quia teſte *Rodriq. to. 1. q. 25. a. 2.* iuſta ſubſiſtente cauſa, poteſt Papa de religioſo facere non religioſum: ergò & poterit facere de non religioſo religioſum iuxtà *l. non debet ff. de reg. iur. Cui licet quod maius eſt, non debet quod minus eſt, non licere*; tum quia Papa eſt ſupremus Prælatus, & Generalis omnium Ordinum, vt item docet *Rodriq. ſup. q. 22. a. 6.* conſtat autem ſupremum Prælatum religionis poſſe recipere quemcumque idoneum ad profeſſionem ſui Ordinis, tum quia Papa habet plenitudinem poteſtatis ſuper omnes, eamq; illimitatam, ac independentem, cum illam immediatè recipiat à Deo *c. nouit de iudic.* ergò & ſe ſolo poterit admittere ad profeſſionem.

QVÆRES IV. An ſacra Congregatio deputata ſuper Regulares, Legati de Latere, aut Epiſcopi poſſint recipere ad profeſſionem.

5 ℞. Non poſſe; & probatur, de ſacra Congregatione quidem, quia hæc non habet iuriſdictionem delegatam ſuper Regulares niſi quò ad forum contentioſum, & quò ad res, quæ non ſunt contra ius commune; recipere autem ad profeſſionem non eſt quid contentioſum, ſed gratioſum iure communi ſpectans ad Prælatum regularem: de Legatis verò à Latere, quia hi reſpectu Regularium ſe habent tanquam iudices, vt colligitur ex *c. 36. de elect. in 6.* & aduertit *Rodriq. tom. 2. q. 63. a. 4.* in profeſſionis autem receptione non proceditur per modum Iudicis, ſed per modum acceptantis, & contrahentis obligationem: præter quàm quòd non poteſt recipi profeſſio abſque ſpeciali mandato; cuiuſmodi non habent quò ad hoc Legati de latere; de Epiſcopis denique probatur quia recipere ad profeſſionem eſt actus ſuperioritatis in ſubditum; at modò omnes ferè Regulares ſunt exempti ab Ordinario, & quidem etiam Nouitij, ergò; qua de re *Sanchez ſup. n. 74.*

QVÆRES V. An Protector Ordinis poſſit recipere ad profeſſionem, & quidem iure proprio.

6 ℞. Videri non poſſe; & ratio eſt, quòd receptio profeſſionis eſt actus ſuperioritatis circa perſonam profitentem; Protector autem Ordinis iuxta commune ius protectionis non eſt verè, ac propriè Superior, aut Prælatus Ordinis ſibi commiſſi, vt oſtendimus in *tract. de priuilegijs cap. 8. ſect. 5. qu. 5.* non ergò apparet, ex quo titulo poſſit Protector Ordinis iure proprio recipere ad profeſſionem religioſos ſibi commiſſos. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES VI. Ad quem propriè & per ſe ſpectet recipere ad profeſſionem.

7 ℞. Spectare propriè, & per ſe ad Prælatum regularem vnà cum ipſo monaſterio: idque modo infrà explicando. & ratio eſt quòd cùm profeſſio religioſa ſit quidam contractus, neceſſe eſt, vt ab aliquo recipiatur; non poteſt autem aſſignari, à quo recipiatur, ſi negetur recipi à Prælato regulari: ex alia parte nihil deeſt, quò minùs Prælatus regularis eam recipiat, vt facilè conſtabit conſideranti.

Difficultas eſt, an receptio profeſſionis ſpectet ad Prælatum regularem immediatum, aut mediatum.

8 ℞. De iure communi ſpectare ad Prælatum monaſterij immediatum; & probatur ex eo quòd ipſe præ cæteris meliùs nouit, quæ onera poſſit imponere proprio monaſterio; ſiquidem incorporare aliquem religioni, (quod fit per profeſſionis receptionem,) eſt ei imponere aliquod onus; cùm religio teneatur ſuos religioſos alere, eoſque tractare tanquam filios. ita *Sanch. ſup. num. 65. & 70. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diffic. 2. § 6. num. 2. alijque* communiter. Quod tamen non facit, quin Prælati mediati, etiam ipſi poſſint admittere ad profeſſionem nouitios ſubditos; & quidem etiam reluctante Prælato monaſterij immediato (dummodò

id

id ſaciant de couſenſu monaſterij;) omnis qnippe poreſtas exiſtens in minori, cumulatiuè, ac eminenter præſupponitur in Prælato maiori; ſicque Generalis Ordinis habet omnem illam poteſtatem, quā habent Prouinciales; & Prouinciales vnà cum Generali habent illam rotam, quam habent Snperioris locales: cùm omnis poteſtas conferatur à maiori ad minorem; & alioqui maior non poteſt eam conferre minori, niſi illam in ſe haberet iuxtà illud, *nemo dat quod non habet*. Dixi ſub initium reſponſionis *de iure commun*; vt indicarem, quòd ſicubi extat quò ad hoc huius aliquod ſpeciale (quo modo extat in Societate Ieſu, in qua ſolius Generalis eſt recipere ad profeſſiouem, vt conſtat ex *Conſtit. p.5. c.1. §.2. & p.9. c.3. §.1.*) illud omninò ſeruandum eſt.

QVÆRES VII. An ad valorem profeſſionis præter conſenſum Prælati illam recipientis requiratur etiam conſenſus monaſterij.

9 ℞. Requiri, non autem ſolum conſilium; vt exiſtimant plures Canoniſtæ relati à *Sanch. numer. 64.* docentes Prælatum teneri qnidem in hoc adhibere conſilium Conuentus, non tamen teneri illud ſeqni, ſed poſſe contrà ipſum admittere ad profeſſionem: ita *Armill. v. nouitius num. 11. Mir. tom. 1. manu. q. 24. ar. 4. Graff. tom. 1. conſ. 4. de regular. Rodriq. to. 3. q. 17. art.7. Sanch. nu. 65.* alijque; & probatur tum quia talis eſt conſuetudo omnium religionum teſte *Nau. & Rodriq. locis citatis*: conſuetudo autem habet vim legis; tum quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet *reg. 29. in 6.* at aliquem incorporare religioni tangit omnes religioſos monaſterij, cùm per profeſſionem acquiratur ius, quòd eſt commune alijs religioſis; ergò: tum quia profeſſio eſt quidam contractus, ideòque exigit conſenſum more aliorum contractuum, qui abſque conſenſu non ſubſiſtunt *l. 1. ff. de pactis*; cùm ergò in eo quòd nouitius incorporetur religioni per profeſſionem, non ſolùm Prælatus monaſterij, ſed etiam alij religioſi habeant ius (vt paulò ante dictum eſt) ad talem contractum ij, omnes concurrere debent.

Vtrum verò ad valorem profeſſionis requiratur conſenſus totius monaſterij vel ſufficiat maior pars Capituli.

10 ℞. Sufficere maiorem partem capituli; & probatur quia totum Capitulum cēſetur facere, quod facit maior pars, vt habet *Gloßa in cap. 6. de conſtit. v. conſtitutum*; maior autem pars ea cenſetur, quæ in ordine ad totum capitulum excedit numero minorem; idque excluſo Prælato monaſterij, vt notarunt *Anton. Abb. & alij apud Sanch. num. 69.* qui tamen in fine dictum hoc limitat, niſi in aliquo Ordine adſit conſuetudo, aut regula, vt etiam Prælatus enumeretur ad augendum numerum; quod eſt benè aduertendum.

An autem profeſſio acceptata ſine conſenſu monaſterij modo ſupr. dicto ſit eò ipsò irrita, aut ſolùm irritanda.

11 ℞. Eſſe eò ipsò irritam: cùm geſta ex defectu debiti conſenſus ſint nullius roboris *cap. ea noſcitur de ijs, quæ fiunt à Prælat.* ita *Sanch. ſup. n. 66. ex Abb. Hoſt. Felin. & alijs contra Rodriq. tom. 3. q. 17. art. 7.* ſuſtiuentem in tali caſu profeſſionem poſſe irritari, non tamen eſſe eò ipso irritam.

QVÆRES VIII. An monaſterium, repugnante proprio Prælato, recipere poſſit nouitium ad profeſſionem.

12 ℞. Quòd, ſicut Prælatus non poteſt, repugnante monaſterio, quemquam admittere ad profeſſionem; ſic neque monaſterium poterit id præſtare, repugnante Prælato, & ratio eſt, quòd de valore profeſſionis religioſæ eſt, vt interueniar conſenſus tam Prælati, quàm monaſterij; ideòque ſi alterutet illorum deſit, profeſſio non ſubſiſtit. ita *Rodriquez ſup. Veech. D. 12. de nouitiat. d. 1. num. 11. Miranda ſupr. Nau. conſ. 37. de Regul.* alijque communiter.

QVÆRES IX. An mortuo Prælato monaſterij, tunc ſaltem poſſit Conuentus recipere nouitium ad profeſſionem.

13 ℞. Non poſſe, niſi loco Prælati defuncti ſuffectus ſit aliquis, qui præſit monaſterio vſque ad nouam electionem Prælati; & ratio eſt, quia alioqui receptio profeſſionis fieret à conuentu ſine Prælato, quod iure communi prohibitum eſt ita *Syln. v. religio 3. q. 13. Azor. tom. 1. l. 12. cap. 5. q. 3. Sanch. num. 67. & alij apud ipſum*; qui benè notat quòd, quamuis *cap. fin. de regular. in 6.* decidi videatur oppoſitum, dum ibi ſtatuitur quoties pertinet ad Abbatem cum conuentu electio monachorum, poſſe monaſterium, Sede vacante, recipere ad profeſſionem; non item, ſi id ſpectet ſolùm ad Abbatem: re vera tamen id ibi non deciditur abſolutè, ſed tantùm in caſu, quo Abbas, & monaſterium poſſunt in ſolidum creare monachos; non autem, ſi ſolus Superior cum aſſenſu Capituli id præſtare poſſit: quod omninò euenit in noſtro caſu.

QVÆRES X. An dato quòd ex regula, aut ſtatuto Ordinis Prælati maiores habeant facultatē admittendi profeſsionem nouitiorum, eò ipsò id cenſeri debeat denegatum Prælatis localibus, ita vt hi non poſsint quemquam recipere ad profeſsionem.

14 ℞. Non debere cenſeri denegatum, niſi poſitiuè ipſi excludantur. ita *Bordonus cap. 3. de profeſſ. regul. q. 12. ex Nauarro*, cum quibus ſentiunt doctè recentiores, & probatur quia ſtatuta ſpecialia, quātùm fieri poteſt, debent conformari iuri communi, vel certè ab eo parùm diſtare; ius autem commune tribuit Prælato locali facultatem recipiendi ad profeſsionem, vt conſtat ex dictis.

15 Quòd ſi in præſenti caſu concurrant Prælati maior, & minor, v. g. Prouincialis, ac Prior, & Prouincialis reſiſtat; tunc non poteſt Prior, etiam cum aſſenſu ſui capituli recipere ad profeſsionem; cum in tali euentu Prælatus minor non ſe habeat vt caput, ſed vt vnum membrum de Capitulo, & aliàs monſtroſum ſit in eodem corpore eſſe duo capita; præterquamquòd Prælatus maior poteſt reſtringere facultatem minoris, etiam in hoc: vt expreſsè habetur in *capit. exijt de verb. ſignificat. in 6. §. ſed quoniam*, vbi dicitur facultatem Prouincialis in Ordine Minorum ad recipiendum ad profeſsionem poſſe arctari à Generali.

QVÆRES XI. An caſu, quo nouitius reijciatur à Prælato, & conuentu, in quo peregit nouitiatum,

nitiatum, poſſit admitti à Generali Ordinis, adhibito conſenſu Patrum monaſterij, in quo tunc reſidet Generalis.

16 ℞. *Bordonus ſup. q.* 20. non poſſe admitti, neque licitè, neque validè: & probat tum ex *cap. ad apoſtolicam de regular.* vbi, cùm præmittatur annus probationis fauore vtriuſque vt ſcilicet nouitius poſſit experiri aſperitates religionis, & religio mores nouitij; ſatis apertè indicari videtur admiſſionem nouitij ad profeſſionem non poſſe fieri, niſi dependenter ab anno probationis; Generalis autem cum illo ſuo conuentu in præſenti caſu non fuit expertus mores nouitij, vt ſuppono; tum quia in *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 16. habetur poſt annum probationis debere recipi eos, qui habiles inuenti fuerint quod eſt admiſſionem pendere ex habilitate nouitij: Generalis autem, & eius conuentus in caſu propoſito nequeunt habere ſufficientem notitiam habilitatis Nouitij, cùm mores illius experti non fuerint, vt ſuppono) immò debent credere illum fuiſſe reiectum ob ipſius inhabilitatem, & non ex malitia conuentus, cùm delictum in facto alieno nõ præſumatur *l. merito ff. pro ſocijs.* ita *Bordonus ex Nauarro.* & meo iudicio ſatis bene; ſi ſupponat ex peculiari ſtatuto religionis conſenſum capituli localis eſſe de valore actus recipiendi ad profeſſionem, & ratio reſponſionis eſt (quam certe *Bordonus* probat minùs efficaciter) quòd, ex vna parte actus non poteſt ſubſiſtere abſque eo, quod eſt de forma illius; ex alia parte quod eſt de forma actus, non poteſt per aliud ſuppleri; vnde, cùm de forma receptionis ad profeſſionem ſit, vt in eam conſentiat capitulum locale monaſterij (vt ſupponimus), & iuxta finem intentum hìc non requiratur conſenſus capitularis cuiuſcunque monaſterij, ſed illius in quo nouitius peregit ſuam probationem ſiue in totum, ſiue ex maiori parte, vt potè habentis cognitionem experimentalem, qualiter ſe geſſerit nouitius in progreſſu ſuæ probationis, non autem tãtùm ex mera aliorum narratione: conſtat ad validam profeſſionis receptionem ita peti conſenſum capitularem monaſterij, in quo nouitius modo dicto fecit nouitiatũ vt talis conſenſus ſuppleri non poſſit per alium.

QVÆRES XII. A quo Superiore debeat admitti ad profeſſionem is, qui in aliena prouincia fecit nouitiatum.

17 ℞. Debere admitti à Superiore prouinciæ, in cuius libro ipſe fuit adſcriptus: idque ſiue profiteatur vbi peregit nouitiatum, ſiue alibi (quod non repugnat, etiam attentis decretis Clementis VIII. mox afferendis ita in terminis *Bordon. ſup. quæſt.* 54. & probatur tum quia nouitius debet admitti ad profeſſionem à proprio Superiore; in præſenti autem caſu Superior nouitij, ſimpliciter loquendo, non eſt ſuperior loci, aut prouinciæ, vbi moratur in probatione (cum is ſolum ſit ſuperior quò ad annum probationis, ac educationis) ſed ſuperior propriæ prouinciæ, ex qua miſſus eſt ad probationem: tum quia non obſtat, quòd nemo poteſt exercere iuriſdictionem in aliena diœceſi, ac prouincia *capitul.* 2. *de Conſtitution. in* 6. cùm id procedat ſolùm quò ad iuriſdictionem contentioſam, quæ fiat cum cognitione cauſæ, vt aduertit *Nauarrus l.* 4. *conſil.* 47. *de ſponſal. numer.* 3. & alias admiſſio profeſſionis non ſit actus iuriſdictionis, ſed ſuperioritatis, & quidem non contentioſus, ſed gratioſus, & voluntarius.

18 Dix *quòd non repugnat, etiam attentis decretis Clement. VIII.* vt innuerem non obſtantibus decretis ipſius iuſſu editis de receptione nouitiorum, poſſe quem admitti ad religionem in aliquo Conuentu non deputato ad nouitiatum, indeque miſſum ad peragendum nouitiatum in aliquo Conuentu ex deputatis, ibi abſoluto nouitiatu, regredi ad priorem conuentum, in quo fuerat admiſſus, & illic profiteri; Quamuis enim Clemens VIII. in præfatis decretis prohibeat Prælatis regularibus, ne quemquam recipiant ad habitum regularem, aut ad profitendum niſi in locis deſignatis; quia tamen intentio, ac finis illius fuit prohibere, ne ingredientes religionem probentur, niſi in locis deputatis, vbi ſupponitur magis vigere regularis obſeruantia, vt ſic nouitij exemplo aliorum religioſorum tantò magis aſſueſcant obſeruantiæ regulari: propterea dicendum eſt ipſum non prohibuiſſe, abſolutè loquendo, quin poſſit quis admitti ad religionem, aut etiam profiteri in aliquo ex conuentibus non deſignatis, ſed ſolùm, ne ibi peragant nouitiatum: vnde eius decretis non repugnat aliquem admitti ad religionem in conuentu non deſignato, & poſteà ibidem profiteri, ſi nouitiatum re vera faciat in aliquo ex locis deſignatis; quod omninò euenit in præſenti caſu: in quo proinde militat doctrina *capitul. humanæ aures* 22. *quæſtion. quinta* tradita, quòd in lege interpretanda non debent attendi verba, ſed voluntas, ac intentio legiſlatoris, cùm non debeat intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni.

Quòd ſi quæras, à quo tempore incipiat annus probationis in caſu, quo nouitius recipiat habitum religioſum in loco non deſignato, & poſteà pergat ad locum deſignatum ibi peracturus nouitiatum, num ſcilicèt incipiat à die receptionis habitus, an à die, quo ingreditur locum deſignatum ad probationem nouitiatus.

19 ℞. Quod, licèt iura tradant probationem incipere à ſuſceptione habitus religioſi; ſtantibus tamen decretis Clementis VIII. ſuperiùs allegatis dicendum videtur annum probationis incipere à die ingreſſus in conuentum deputatum. Ducor, quòd in dictis decretis habetur, *Statim atque nouitij ad habitum recepti, & in locum nouitiatus introducti fuerint*: quod eſt ſupponere nouitium poſſe recipi ad habitum in vno loco, & probari in alio; vnde, cum probatio incipiat à die introductionis in locum deputatum, non poteſt incipere à die ſuſceptionis habitus extra illum.

Dices, quid ſi nouitius in loco deputato ad nouitiatum recipiatur ad habitum, & die ſequenti mittatur ad alium locum item deputatum, vt ibi peragat nouitiatum: à quo die tunc inchoabitur annus probationis?

20 ℞. Annum probationis in tali caſu inchoandũ à die, quo recipitur habit⁹; & hoc, quãuis in loco legi-

timè deputato pro nouitiatu tunc temporis nullus actu exiſteret nouitius: & ratio eſt, quòd in vtroque iſto caſu verificantur verba decreti Clementis VIII. ſuperiùs allegati, quæ ſola poterant obſtare: ita docti viri à me conſulti.

Quòd ſi hac occaſione quæratur obiter, an nouitiatus factus partim in vno conuentu, & partim in alio de licentia Superiorum ſit legitimus, adeòque ſufficiat ad validam profeſſionem.

21 ℟. Eſſe; & probatur tum quia ſi quid obſtat, maximè quia ſic interrumpitur annus probationis; at hoc eſt falſum; cùm ſolùm mutentur loca nouitiatus, manente eodem nouitiatu: tum quia nouitiatus ordinatur ad probandum nouitium; at æque benè is probari poteſt in diuerſis locis, immò fortè meliùs, cùm in pluribus monaſterijs plura poſſit experiri, quàm in vno tantũ, quòd ſi *Nauar. conſil. 37. de regul.* ſuſtinet fuiſſe nullam profeſſionem eius, qui profeſſus eſt præmiſſo nouitiatu per 10. menſes in vno loco, & per reliquos in alio; loquitur de tranſeunte ſine Superiorum licentia, ideoque oppoſitum aſſereret in caſu noſtro.

QVÆRES XIII. An nouitius, qui modo dicto cum licentia Superiorum fecit nouitiatum in duobus locis, ad profitendum indigeat conſenſu Patrum vtriuſque loci, vel certè ſufficiat conſenſus Patrum loci poſterioris.

22 ℟. *Bordon. ſup. q.* 55. videri ſufficere conſenſum loci poſterioris; ſi quidem ſaltem æqualiter manſit in vtroque loco; & probatur tum quia Patres loci poſterioris ſic poſſunt experiri ſufficienter mores nouitij, & rectè iudicare de eius habilitate: cùm nõ ſit opus Patres conuentus toto anno obſeruare mores nouitij, aut nouitium toto anno experiri aſperitates religionis, vt inter alios notauit *Sanch. l. 5. mor. cap. 4. n. 28. & 52.* tum quia ſic præſumi poteſt tacitus conſenſus prioris monaſterij hoc ipsò quòd illum non expulit, & cùm vltimus conſenſus confirmet præcedentes *l. per fundum ff. de ſeruit. ruſt. præd.* poſterius monaſterium præſtando ſuum conſenſum efficit nouitium habilem ad profeſſionem emittendam. ſic *Bordon.* addens ſecùs dicendum, ſi nouitius in poſteriori loco manſerit ſolùm per 3. aut 4. menſes: tunc enim putat exigi etiam conſenſum prioris monaſterij, cùm in poſteriori minus ſufficienter probatus cenſeatur; quod tamen puto explicandum eſſe iuxtà dicta *q.* 11.

QVÆRES XIV. An validè admittat ad profeſſionem Prælatus, qui à ſuo Superiore prohibitus eſt id facere.

23 ℟. Validè admittere, dummodò prohibitioni non ſit annexa irritatio facti contrà illam; & probatur tum quia multa prohibentur fieri, quæ tamẽ facta tenent *cap. ad apoſtolicam de regul.* tum quia prohibitio in præſenti caſu eſt ſimplex prohibitio, vt ſuppono; hæc autem non tollit poteſtatem, ſed ſolùm illicitum reddit eius vſum; quod eſt verum, etſi prohibitio eſſet à iure, etſi haberet annexam pœnam excommunicationis, aut ſuſpenſionis: idque ob dicenda *q. ſeq.* ita *Sanch. ſup. n. 79. & cum eo Vecch. ſup. D. 12. d. 1. n. 5. Bordon. q. 15.*

An autem Prælati Superiores poſſint facere ſtatutũ, aut in aliquo caſu particulari prohibere oretenus, ne recipiantur ad profeſſionem nouitij tali defectu, aut vitio laborantes, auferendo poteſtatem recipiendi, & irritando receptionem in contrarium factam.

24 ℟. Poſſe; & probatur tum quia Superior ex iuſta cauſa poteſt inferiorem deponere ab officio, & conſequenter ei auferre omnem poteſtatem: ergò; & poteſt auferre poteſtatem recipiendi nouitios; cùm pars in toto contineatur *reg. 80. in 6.* tum quia monachus non habet velle, neque nolle *c. 11. 12. q. 1. cap. 2. de teſtam. in 6. & alibi*, ideoque cùm voluntas religioſi ſubditi quò ad externa pendeat à Superiore, poterit Superior illam impedire. ita *Rodriq. tom. 1. q. 10. a. 3. Bela p. 4. caſu 35. Nau. conſ. 3. nu. 4. vſque ad 10.* & alij; qui tamen negant in Ordinibus religioſis fieri poſſe ſtatutum directè inhabilitans aliquod genus perſonarum ad profeſſionem ibi emittendam: cum ſtatutum non poſſit ferri niſi contrà ſubditos, quales non ſunt ij, qui petunt admitti ad religionem.

QVÆRES XV. An Prælatus excommunicatus vitandus validè poſſit recipere nouitium ad profeſſionem.

25 ℟. Poſſe; & probatur tum quia contractus initus ab excommunicato vitando eſt validus: profeſſio autem religioſa eſt de genere contractus, vt iam dictum eſt; tũ quia geſta ab excommunicato non tolerato non ſunt nulla, niſi quæ pendent a iuriſdictione propriè ſumpta; at acceptatio profeſſionis non eſt actus iuriſdictionis, ſed ſuperioritatis, vt itẽ conſtat ex dictis. ita *Sanch. ſup n. 78. alijq.* communiter; qui cõſequenter idem dicerent in caſu, quo Religioſi vocales Conuentus, quorũ eſt conſentire in profeſſionẽ nouitij, vel omnes, vel pleriq; eſſent excommunicati vitandi: cum excõmunicatio non tollat poteſtatem exhibendi legitimum conſenſum circà contractus, & alia id genus.

Grauior difficultas eſſe poſſet in caſu, quo religioſi vocales Cõuentus, in quo nouitius admitti debet ad profeſſionẽ, oẽs eſſent priuati voce actiua præter vnum, & alterum, & Superiorem, vel etiam omnes omninò, nullo prorſus excepto; verum admiſſio ad profeſſionem in tali caſu eſſet ualida.

26 ℟. Eſſe, & probatur ex eo quòd, ſicut electio poteſt remanere in uno ſolo ex *Gloſ. c. gratũ de poſtulat. prælat. v. pauciores*; ſic & nouitij electio, cũ ualeat argumentum ab electione ad profeſſionem ob identitatem rationis, quod procedit etiã in caſu, quo omnes religioſi uocales carerẽt uoce actiua, excepto Superiore; quãuis n. de iure cõmuni, & uſu omniũ ferè religionũ receptio nouitij ſpectet ad Cõuentũ, & eius Prælatũ ſimul, vt ſuperius oſtẽdimus; id tamen limitari debet, niſi conuentus ſit priuatus uoce actiua: quippe ratio dictat non debere quemquam pati damnum ex culpa aliena; quod tamen eueniret in præſenti caſu, ſi nouitius à ſolo Superiore recipi nõ poſſet ad profeſſionem. ita *Bordon. ſup. q. 48.* addens etiã in euẽtu, quo ſolus Superior careret uoce actiua, Nouitium ualidam emiſſurum eſſe profeſſionẽ ex conſenſu monaſterij abſq; ſuffragio Superioris, ualidamq; fore eius admiſſionem factam à tali Superiore; cũ carẽtia uocis actiuę nõ impediat facultatẽ admittẽdi ad profeſſionẽ, q̃ eſt qd diuerſũ ab illa.

QVÆ-

QVÆRES XVI. An conſenſus à Conuentu præſtitus nouitio, ad hoc vt profiteri poſſit, reuocari valeat, & quando.

27 ℞. Non poſse reuocari, niſi emergẽte noua cauſa. ita *Vecch. ſup. d. 7.* & patet cum ex dictis *tr. præc. c. 2. q. 15.* tum quia quod ſemel probatum eſt, non poteſt ampliùs reprobari *l. pompon. ff. de negot. geſt.* Secùs, ſi ſuperueniat noua cauſa; quę enim de nouo emergunt, indigent nouo auxilio *c. inſinuante de offic. deleg. in 6.* vnde etiam ſponſalia reuocari poſſunt ab altero coniuge ex cauſa ſuperueniente, ſi nondum initum ſit matrimonium: quod de communi docet *Sanch. l. 1. de matrim. D. 62. n. 3.*

Dices, quid ſi, vbi modo dicto pręſtitus eſt conſenſus ad recipiendam profeſſionem nouitij, cognitis de nouo aliquibus eius defectibus, capitulariter ſtatuatur, vt de nouo fiat inquiſitio de habilitate illius, & interim Superior timens de excluſione nouitij ipſum recipiat ad profeſſionem, nullo alio ſcrutinio facto, idque ex commiſſione Pręlatũ Superioris, valida ne erit talis profeſſio?

28 ℞. Quòd, quamuis aliqui cenſeant profeſſionẽ in tali caſu non fore validam, ea ducti ratione, quòd prior conſenſus datus tacitè videtur reuocari hòc ipsò quòd capitulariter ſtatutum fuit deueniendũ eſse ad nouum ſcrutinium; nihilominus probabile putat *Bordonus q. 28.* huiuſmodi profeſſionem fore validam; probatque tum authoritate *Leſſij*, qui de hoc interrogatus ita reſpondit: tum quia falſum eſt priorem illum cõſenſum fuiſse reuocatum capitulariter; cùm per illud poſterius ſtatutum ſolùm cõcluſum fuerit deueniendum eſse ad nouam diſquiſitionem, quod eſt quid diuerſum, vt patet: tũ quia velle facere aliquid, non eſt illud facere, ſed animũ ſuum declarare circa faciẽdum: vnde cùm de facto Conuentus non fecerit poſterius ſcrutinium, quod propoſuerat facere, ſubſiſtet primum.

Quòd ſi quęras, an Superior in caſu propoſito poſſit impedire, quò minùs fiat ſecundum ſcrutinium capitulariter concluſum.

29 ℞. Non poſse, ſi religioſi vocales faciant ei conſtare de inhabilitate nouitij, adeòque etiam ipſo repugnante, poſſe conuentum habere dictum ſecundum ſcrutinium. Ducor tum quia in illicitis nõ debet ſtari mandato Superioris *11. q. 3. c. 91. vſque ad 100.* cùm tunc ius nullum habeat præcipiendi; in præſenti autem caſu mandatum eſſet illicitum, cũ ex eo ſequatur indignum recipi ad profeſſionem: tum quia poteſtas Prælati nõ eſt in deſtructionem, ſed in ædificationẽ; & tamen eſſet in deſtructionẽ, ſi poſſet impedire ſecundum hoc ſcrutinium: tũ quia Capitulum aliqua poteſt facere abſque Prælato, vt colligitur ex *tit. de ijs, quæ fiunt, &c.* ergò & in præſenti caſu, cùm adſit iuſta, & rationabilis cauſa.

QVÆRES XVII. An profeſſio, quæ fuit nulla ex defectu recipientis, eò quòd careret debita poteſtate, conualeſcat per ratihabitionem Prælati habentis dictam poteſtatem, & quo modo.

30 ℞. Conualeſcere, non tamen ita, vt valor profeſſionis retrotrahatur ad illud tempus, in quo primò fuit nulliter emiſſa, ſed ſolùm ad illud, in quo fit ratihabitio; cuius rei ea eſt ratio, quòd ea retrotractio contingit fictione iuris: fictio autem iuris non habet locum in profeſſione quò ad eius valorẽ, cũ in ea requiratur verus valor, & non fictus iure; vnde Gloſſa *in c. ſignificatum de reg.* cautè dicitur illam conualeſcere ex nunc, non ex tunc. ita *Bordon ſup. q. 18.* & probat reſponſionem ex eo quòd, cùm Superior poſſit ex parte ſua ſimpliciter incorporare religioni nouitium profitentem, recipiendo eius profeſſionem; ſic & poterit per ſuum conſenſum, & approbationem validare profeſſionem antea nullã ex defectu debiti conſenſus, ac legitimæ receptionis.

An autem conſenſus monaſterij pręſtitus in profeſſione nulla renouari debeat in caſu, quo profeſſio modo dicto ratificetur.

31 ℞. Non debere; & probatur tum quia prior conſenſus non fuit inualidus (vt ſuppono) ſed ſolùm illicitus; ergò non eſt, cur renouetur; tum quia dictus prior conſenſus nõ præſumitur reuocatus, ſed permanente; cùm mutatio voluntatis non pręſumatur, teſte *Abbate in cap. maiores §. item quæritur de bapt. num. 8.*

QVÆRES XVIII. An teneat profeſſio Petri facta de conſenſu Conuentus, ſi Conuentus probabiliter credidit ſe recipere ad profeſſionem Paulum, non autem Petrum.

32 ℞. Non tenere; & probatur, tum quia talis conſenſus cenſetur inuoluntarius, vtpotè fundatus in errore verſante circà ſubſtantialia; & aliàs actus agentium non operentur vltrà intentionem illorũ: tum quia contrahens cum vna, ſi credebat contrahere cum alia fæmina, nullum contrahit matrimonium iuxtà communem DD. ſententiam; ergò & in caſu noſtro; cùm valeat argumentum à matrimonio carnali ad profeſſionem religioſam. colligitur ex *Soto l. 7. de iuſt. q. 1. a. 2. Leſſ. l. 2. c. 40. d. 2. Sanchez l. 10. de matr. D. 9. n. 21.* & alijs.

QVÆRES XIX. An Prælatus monaſterij de conſenſu ipſius monaſterij poſſit admittere ad profeſſionem Clericorum illum, qui antea admiſſus fuerat ad habitum Laicorum, quos vocant *Conuerſos*.

33 ℞. Non poſſe licitè; cùm id expreſsè prohibuerit Clem. VIII. in citatis decretis *de recept. nouit.* ijs verbis, *Sed qui ad conuerſorum habitum recepti fuerint, ad clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint*: poſſe tamen validè, cùm Papa id prohibens factum non irritet. ita *Bordon. ſup. q. 52.* addens receptum ad profeſſionem conuerſorum in Ordine Fratrum Minorum, immò & in alijs Ordinibus non poſſe aſcendere ad ſtatum clericalẽ, recipiendo ordines abſque expreſſa licentia Generalis: & ſi aliter recipiat, manere ſuſpenſum ab executione ordinum ex decreto Leonis X. quod affert *Rodriq. tom. 1. q. 42. a. 19.* &, cum ſit fauorabile religionibus, comprehenditur ſub generali priuilegiorum communicatione.

QVÆRES XX. An ſolus Conuentus vnà cũ Superiore locali poſſit eijcere nouitium, ei denegando profeſſionem, abſque conſenſu Prouincialis, aut alterius Prælati ſuperioris.

34 ℞. *Bord. ſup. n. 46.* non poſſe; & probat tum quia res per quas cauſas naſcitur, per eas & diſſoluitur; nouitius autem inſtituitur de licentia Prælati ſuperioris: tũ quia id videtur innui in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de regul. cap. 16.* ijs verbis *Superiores nouitios, quos habiles*

inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monaſterio eijciant, per vocem *Superiores*, prolatam in numero plurali indicans in ſubiecta materia exigi conſenſum Prælati non ſolùm localis, ſed etiam maioris. Ita *Bordon.* & benè, ſi loquatur de nouitio ad cuius admisſionem ex ſtatuto, regula, aut conſuetudine Ordinis concurrat etiam Prȩlatus ſuperior.

QVÆRES XXI. Quas pȩnas iure communi incurrant religioſi ſimoniacè recipientes nouitium ad profesſionem.

35 ℞. Incurrere eas, quæ latæ ſunt *cap. veniens, cap. dilectus, cap. quoniam de ſimonia, & in extrauag. Sanè eod. tit.* ſed de hoc alibi.

CAPVT IIII.

De effectibus, qui proueniunt ex profeſſione Religioſa.

1 *Plures effectus proueniunt ex religioſa profeſſione.*

2 *Prouenientes ex profeſſiono expreſſa non omnes competunt tacita.*

3 *Recenſentur effectus profeſſionis tacita.*

4 *At hi poſt Concilium Trid. non omnes ſubſiſtunt.*

5 *Profeſſio irrita nullum producit effectum, per ſe loquendo.*

6 *Aliquos tamen producit per accidens.*

7 *Item profeſſio irrita iure eccleſiaſtico poteſt gignere aliquos effectus.*

8 *Hi autem ſunt tres, ſed non omnes hodie ſubſiſtunt.*

9 *Profeſſio ſolemnis ſimpliciter non eſt de eſſentia ſtatu religioſi: vt conſtat de religioſis Soc. Ieſu.*

10 *Et hoc fuit verum à prima inſtitutione ipſius Societatis.*

11 *Sicque dari poteſt vera religio, in qua nulla fiat profeſſio ſolemnis.*

12 *Vi profeſſionis obtinetur remiſſio plena peccatorum quò ad poenam.*

13 *At hæc remiſſio propriè non eſt indulgentia.*

14 *Nec reuiuiſcit, ſi profeſſio fiat in peccato mortali.*

15 *Obtinetur tamen toties, quoties renouatur profesſio.*

16 *Item, ſi tranſiens ab vno Ordine ad alium ibi profiteatur.*

17 *Item per vota biennij facta in Societ. Ieſu.*

18 *Item à profitente in ipſa Societate poſt dicta vota; immò & ab emittente vota Coadiutoris formati poſt præfata vota biennij.*

19 *Vi profesſionis ceſſant omnia vota antea emiſſa.*

20 *Et quidem etiam aliqua vota realia.*

21 *Hæc autem ceſſatio ſequitur ipſo facto, ſine intentione religioſi profitentis.*

22 *Item ex profesſione facta à tranſeunte ad alium Ordinem.*

23 *In Societ. Ieſu per vota biennij, vota antea facta ſolùm ſuſpenduntur.*

24 *Nec contradicit Gregorius Decimustertius in bulla Aſcendente.*

25. *Vota facta in ſaeculo commutari poſſunt in ingreſſu religionis.*

26. *Vota ſimplicia religionis facta in Soc. Ieſu ex deuotione priuata non poſſunt commutari in vota biennij, ſed ſolùm in profesſionem.*

27. *In eadem Societate vi profesſionis ceſſant vota facta poſt vota biennij.*

28 *Præfata votorum ceſſatio non fit, ſi profitens poſitiuè eam nolit.*

29 *Per vota biennij Societ. Ieſu commutari poteſt à Generali votum ingrediendi aliam religionem.*

30 *Ligatus voto Ordinis ſtrictioris, ſi profiteatur in laxiori, deſinit obligari eo voto.*

31 *Vi profesſionis ceſſant iuramenta, ſed non omnia.*

32 *Promisſio iurata facta homini non obſtat emisſioni profesſionis.*

33 *Per profesſionem tollitur irregularitas ex defectu natalium quò ad ordines.*

34 *Et quidem etiam quò ad ordines ſuſceptos ante profesſionem.*

35 *Hic effectus in Societ. Ieſu ſequitur etiam ex votis biennij.*

36 *Vi profesſionis illegitimi non habilitantur ad dignitates.*

37 *At fiunt capaces beneficij regularis ſimplicis.*

38 *Illegitima eligi nequit in Abbatiſſam, quod alij negant.*

39 *Illegitimi vi profesſionis non ſuccedunt in bona paterna.*

40 *Profesſio religioſa habilitat ad teſtificandum aliàs inhabilem.*

41 *Abolet maculam ingratitudinis; idque etiam in Societatis Ieſu ex votis biennij quò ad Scholares approbatos.*

42 *Liberat à poteſtate patris: idque procedit quò ad dictos Scholares.*

43 *Hinc tamen non ceſſat exemptio debita ratione 12. filiorum: per profesſionem non ſoluitur poteſtas Tutoris.*

44 *Per profesſionem dirimuntur ſponſalia.*

45 *Item diſſoluitur matrimonium ratum.*

46 *In Societ. Ieſu per vota biennij dirimitur ſolùm matrimonium ſubſequens.*

47 *At ea diſſolutio non ſequitur in quolibet Ordine militari.*

48 *Item diſſoluitur matrimonium infidelium, etiam conſummatum.*

49 *Item vacant beneficia Eccleſiaſtica.*

50 *Item extinguuntur penſiones, ſed non omnes.*

51 *Beneficia autem vacant ipſo iure.*

52 *Per vota biennij in Societ. Ieſu non ſequitur dicta vacatio; etſi aliàs ante præfata vota reſignari debeāt beneficia.*

53 *Vi profesſionis non amittitur nobilitas ſubſtantialis.*

54 *Profeſſio facit incapacem dominij.*

55 *Per illam non reuocatur teſtamentum antea factum, non inſtituto monaſterio.*

56 *Immò ipſum teſtamentum ſtatim aperiendum poſt profesſionem.*

57 *Illud item poteſt declarari, ſed non reuocari à religioſo profeſſo.*

58 *Vi profeſſionis religio ſuccedit in bona profitentis, ab inteſtato.*
59 *Si quidem ea alioqui eſt capax.*
60 *Per profeſſionẽ religioſus tranſit in dominium religionis.*
61 *Sicque eius vota poſſunt irritari à Prælatis Ordinis; & hoc procedit, etiamſi illa ſint de rebus præſcriptis à Deo, aut ab Eccleſia.*
62 *At excipiuntur aliqua vota, quæ irritari non poſſunt.*
63 *Illatio procedit, etiã de Scholaribus approbatis So. Ieſu.*
64 *Abbatiſſæ poſſunt irritare vota monialium ſubditarum.*
65 *Dicta autem irritatio fieri poteſt, etiam à Prælatis localibus reſpectiuè; etſi aliàs in hoc ſeruari debeat aliqua ſubordinatio.*
66 *Prælati liberè non irritant vota ſubditorum facta de ipſorum conſenſu; quod non procedit de ſucceſſore.*
67 *Irritatio præfata, ſi ſemel fiat, ſemper durat.*
68 *Dicta de irritatione votorum verificantur de irritatione iuramentorum.*
69 *Imò & de promiſſionib. homini factis ſine debita licẽtia;*
70 *Vi profeſſionis oritur obligatio ſeruandi regulam.*
71 *Tenet tamẽ profeſſio facta à non potente ſeruare regulã.*
72 *Vi profeſſionis vt ſic non tenetur religioſus ad horas canonicas; & hoc patet in Societate Ieſu.*
73 *Vi tamen illius ſubijcitur prohibitionibus, pœnis, ac oneribus Ordinis.*
74 *Profeſſio dat ius præcedentiæ, ac ius ciuitatis, vt vocãt.*
75 *Dat ius eligendi.*
76 *Dat ius ad prælaturas Ordinis.*
77 *Item ad eius priuilegia.*
78 *Secùs, ſi profeſſio ſit irrita; idque etiam quò ad forum conſcientiæ.*

QVÆRES I. An, & quales effectus ſequantur ex profeſſione religioſa.

1 ℞. Sequi plures, & varios: alij enim ſunt magis intrinſeci, & ſe habent quaſi propriæ paſſiones profeſſionis: alij ſunt magis extrinſeci, non quidem ex ſola vi, & natura profeſſionis, ſed ex priuilegio ei adiuncto; intrinſeci autem adhuc ſunt in duplici differentia: alij enim oriuntur ex traditione, quæ includitur in profeſſione (v. gr. quòd profeſſus non ſit ſui iuris, ſed ſub dominio, & poteſtate religionis, cui incorporatur tanquam verum membrum politicum illius:) alij procedunt ex votis, quæ promittuntur in profeſſione (v. g. quòd matrimonium ratum irritetur, quòd profeſſus fiat inhabilis ad matrimonium, quòd ſit incapax habendi proprium, &c.) prætereà inter effectus profeſſionis alij poſſunt oriri pro ſolo foro exteriori (v.g. quòd inualidè profeſſus iuſtè cogi poſſit ad permanendũ in religione, ad ratificandam profeſſionem, &c.) alij etiam pro foro conſcientiæ (v. g. quòd non obſtante nullitate profeſſionis profeſſus teneatur, aut ratificare profeſſionem, aut ingredi aliam religionem, aut ſeruare caſtitatem;) alij denique effectus ſequuntur per ſe ex profeſſione, qui ſcilicet directè, & quaſi proprio iure ſequuntur ex ea; alij per accidens, cuiuſmodi eſt obligatio ſeruandi profeſſionem alioqui inualidam, ad vitandum ſcandalum, aut alia incommoda. tales ergò effectus producit profeſſio in tota ſua latitudine ſumpta; & de his in hoc cap. agendum nobis eſt;

QVÆRES II. An effectus, qui proueniunt ex profeſſione expreſſa, proueniant etiam ex profeſſione tacita.

2 ℞. Prouenire, exceptis ijs tantùm, qui in iure ſpecialiter attribuuntur profeſſioni tacitæ. ita *Suar, tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 2 t. num. 2.* & probatur tũ quia cauſa eiuſdem rationis habet eoſdem effectus, niſi impediatur; profeſſio autem tacita ſubſtantialiter eſt eiuſdem rationis, & ex ſe non impeditur quin habere poſſit omnes dictos effectus, vtpotè qui ſequuntur, non ratione ſigni expreſſi, aut taciti, ſed ratione vinculi, ſeu ſtatus: tum quia vel tales effectus ſunt de iure naturali, & ſic intrinſecè proueniunt ex traditione, & voto, quæ ſunt eiuſdem rationis in profeſſione tam tacita, quàm expreſſa; vel ſunt de iure poſitiuo, & ſic, vbi ius loquitur de profeſſione, nulla facta exceptione, effectus cenſeri debent communes profeſſioni tum tacitæ, tum expreſſæ; ſecùs, ſi quem effectum excipiant, eum tribuendo profeſſioni expreſſæ, non autem tacitæ; quod vtiq; poteſt facere, cùm ab eo pendeant multi ex talibus effectibus, vt conſtabit ex infrà dicendis.

3 Duæ autem exceptiones quò ad hoc de facto in iure reperiuntur, quorum prior eſt, quòd profeſſio tacita non obligat hominem illi religioni, in qua profitetur, ſed religioni in genere. ita vt liberè poſſit tranſire ad aliam, etiam laxiorem, idque ex *cap. ſtatuimus de regelar. & cap. conſulti eodem tit.* poſterior eſt, quòd profeſſus expreſsè poteſt eligi in prælatum, ſeu abbatem, non item profeſſus tacitè; & hoc ex *cap. nullus de elect. in 6.* vbi non ſolùm talis conditio requiritur, vt quis eligi poſſit in prælatũ ſuæ religionis, ſed etiam cuiuſcumque alterius, & quidem ita, vt electio aliter facta declaretur irrita.

4 Et hic effectus viget etiam in præſentia, cùm nullo iure fuerit ſublatus: non item prior, cui fuit derogatum per *Conc. Triden.* hòc ipsò quòd irritat omnem illam profeſſionem, quæ emittitur ante annum integrum probationis expletum; cum aliàs profeſſio tacita fiat ſuſcipiendo habitum profeſſorum intra annum probationis, vt habetur in *cap. conſtitutionem de regular. in 6.* & aliàs profeſſio tacita, quæ fit per annum integrum, non obliget ſolùm ad religionem in genere, ſed in particulari, vt optimè oſtendit *Suar. num. 3.* hinc inferens nullam hodie dari profeſſionem tacitam, quæ non obliget alicui religioni in particulari; quæ illatio inde etiã confirmatur, quòd iura omnia, quæ ſtatuunt aliquam profeſſionem tacitam ſolùm obligare ad religionem in genere, loquantur de profeſſione facta ante annum completum probationis, adeòque non comprehendant vllam profeſſionem, quæ fiat poſt completam probationem, qualis modò debet eſſe omnis profeſſio ex decreto *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de Regular.* & à nobis explicato *cap. 1. q. 7.*

QVÆRES III. An profeſſio inualida producat aliquos effectus, & quos.

5 ℞. Per ſe loquendo, nullum producere effectũ, ſi abſolutè, & ſimpliciter ſit inualida, ſiue ex natura rei, ſiue ex ordinatione, ac inſtitutione Eccleſiæ; poſſe tñ per accidens habere aliquẽ effectũ, quãuis magis pro foro externo, quã pro foro conſcientiæ; etiamſi profeſſio ſit facta bona fide, & ſine culpa

quod ſine dubio poteſt accidere. ita *Suarez ſupr. l. 7. c. 2. num. 3. 9.* aliique & quidem, quòd profeſſio nulla per ſe nullum habeat effectum; probatur quia talis effectus non poteſt prouenire ex profeſſione, pro vt eſt profeſſio; cùm ea ſupponatur ſimpliciter nulla, & ex eo, quod eſt nullum, quatenùs tale eſt, nihil ſequatur: neque poteſt prouenire ex illa actione, quatenùs eſt iniurioſa religioni; cùm, ſtante bona fide, nulla interueniat iniuria, &, ſi quod damnum inde ſequitur, vel nullo modo reſarciendum ſit, vt potè datum ſine culpa (vt ſuppono), vel, ſi ſit reſarciendum quaſi ratione rei acceptæ, non debeat reſarciri cum tanto rigore, & per medium adeò difficile, & arduum, quale eſt obligari ad vota religionis, & ad ſtatum religioſum; qui effectus non inducitur per profeſſionem inualidam, quantumuis factam mala fide, ideſt ſine debito cõſenſu: ſi quidem mala fides, aut dolus per ſe non ſufficiunt obligare ad profeſſionem integrè emittẽdam, ſed ſolùm poſſunt obligare ad pœnam, vel ad aliquam reſtitutionem ob iniuriam, aut damnum illatum: quæ tamen non neceſſario important, quòd profeſſus adſtringi debeat ad ratificandam profeſſionem, vt benè probat *Suar. nu. 9.* adducens pro ſe *Caiet. Sot. Val. & Sanch.*

6 Quòd verò ex profeſſione inualida per accidens ſequi poſſint aliqui effectus, patet ex eo quòd, ſi taliter profeſſus exiſtimet validam eſſe ſuam profeſſionem, ratione conſcientiæ erroneę tenetur eam ſeruare, perinde ac ſi verè eſſet valida (quod eſt commune etiam aliis actibus): præterea ſi communi exiſtimatione quis iudicetur validè profeſſus, omnes actus proprij profeſſorum, qui à tali profeſſo fient, validi ſunt, licèt aliàs ad ſui valorem ſupponant profeſſionem; idque ipſo iure ob publicam vtilitatem ſupplente defectum iuxtà *l. Barbarius ff. de offic. prat.* denique ex iſta publica ignoratione, ſeu communi exiſtimatione oriri poteſt, vt inualidè profeſſus in exteriori foro adſtringatur ad permanendum in religione, & conſequenter ad obediendum, ad obſeruandam regulam &c. ſi videlicet in exteriori foro probare nequeat nullitatem ſuę profeſſionis, & alioqui in eo ipſi non adhibeatur fides, vt pote in quo iudicium fertur ſecundùm allegata, & probata: quamquam, ſi coram Deo ei conſtet ſufficienter de nullitate profeſſionis, non teneatur eam interiùs ratificare, eſtò per publicam ſententiã cogatur manere in religione, ac profeſſionem ratificare; ſed de hoc infrà. Hi porrò effectus, ſi locum habent in caſu, quo profeſſio bona fide emittatur inualidè; à fortiori habebunt in caſu, quo ea ſit nulla ex defectu conſenſus culpabili; cùm in iſto caſu non militet ſolùm eadem ratio, quæ in priori, ſed maior ratione propriæ culpę, & malæ fidei, per quã profitens magis voluntariè ſe expoſuit omnibus incommodis, ac periculis, quę ex tali profeſſione ficta ſequi poſſunt, ab eoque facilè potuerunt, & debuerunt præuideri.

7 Addo, quòd, quãdo profeſſio eſt nulla tantùm ex iure Eccleſiaſtico, ea non ſolùm poteſt habere effectus ad eam per accidens modo dicto cõſequentes ſi defectus ſit occultus, & interueniat ignorantia, aut ſcandalum (vti diximus in caſibus præcedentibus) ſed etiam poteſt per ſe habere aliquos effectus ſi ij in iure expreſſi ſint. patet, quia quò ad effectus per accidens eadem ratio eſt in iſto caſu, ac in caſibus præcedẽtibus, ſi in cæteris ſeruetur proportio: quò ad effectus verò per ſe, cõſtat, quia, ſicut poteſt Eccleſia in totum irritare profeſſionem inualidam, ſic & poteſt eam irritare quò ad aliquid, & quò ad aliquid illã acceptare; ſicq; profeſſio per ſe habebit effectum, ad quem de facto acceptatur: eſtò quò ad alios ſit nulla; ad illum autem effectum acceptatur, qui in iure exprimitur, adeoque talem effectum per ſe inducit, & non alium; quod eſt tales effectus prouenire à profeſſione, non pro vt eſt inualida, ſed vt eſt ex parte valida.

8 Cæterùm iura, in quibus aliquis peculiaris effectus adiungitur profeſſioni alias inualidæ, reuocantur ad tria: quorum primum eſt in *cap. conſtitutionem de regul. in 6.* & eſt de faciente tacitam profeſſionẽ per ſuſceptionem habitus proprij profeſſorum intra annum nouitiatus: nam talis profeſſio eſt valida quò ad ſubſtantiam ſtatus religioſi, & tamẽ non obligat ad certã religionem. Secundum ius habetur in *c. non ſolum*, & *c. conſtitutionem de Regul. in 6.* & eſt de profeſſione emiſſa in Ordine Mendicantiũ ante expletum annum probationis: talis enim profeſſio nõ tenet quò ad vinculum talis religionis, & tamẽ iuxtà ius antiquum citatis iuribus inſertum obligat ad ſtatum religioſum. Tertium ius ſumitur ex *c. placet de conuerſ. coniugat.* & eſt de coniugato profitente religionem abſq; licentia alterius coniugis: quo caſu profeſſio eſt nulla, nullamq; poſt ſe relinquit obligationem ingrediẽdi religionẽ. ſed ſolùm habet effectum obligationis voti ſimplicis ad caſtitatẽ ſeruandam, vt deciditur in *c. quidam eodem tit.* ex his verò tribus caſibus primi duo ſublati ſunt per *Concil. Trid.* irritans omnẽ, & quamcumq; profeſſionẽ ante expletum annum probationis factam; tertius adhuc ſubſiſtit, & in eo fundatur, quòd, cùm profeſſio facta in tali euentu non ſit irrita iure naturæ, ſed ſolũ ex iure poſitiuo, ideſt ex ſtatuto Eccleſię, potuit Eccleſia irritare eiuſmodi profeſſionẽ quò ad traditionem, ac eius ſolemnitatẽ, & non quò ad votũ ſimplex caſtitatis; ſi quidẽ profitẽs emittit formale votum caſtitatis cũ intentione ſe obligandi, ſimulq; ſe tradit religioni; Eccleſia autẽ potuit nõ acceptare traditionem, relinquendo integrum votũ caſtitatis, pro vt Deo ſit; quod proinde manet ſimplex, quippe cui ablata eſt ſolemnitas per Eccleſiam irritantem præfatam traditionem.

QVÆRES IV. An, & quo modo ad conſtituendum verum religioſum requiratur emiſſio profeſſionis ſolemnis.

9 ℞. Loquendo de ordinario iure religionum, prout nunc eſt in vſu Eccleſię, non poſſe quem conſtitui verũ religioſum abſq; profeſſione ſolemni: vt apertè colligitur tum ex perpetua traditione Eccleſiæ, in qua ex quo tempore incæpit ſtatus religioſus, incępit etiam profeſſio, vt eruditè oſtendit *Suar. to. 3. de relig. l. 6. c. 1. n. 3. & ſeqq.* tum ex praxi cõmuni religionum, in quibus emittitur profeſſio ſolemnis: tũ ex *c. religioſo de ſent. excommunic. in 6.* vbi dicitur, quãuis autem is, qui religionem ingreditur, religioſus cum effectu cenſeri non poſſit, donec ſit tacitè, vel expreſ-

expreſsè profeſſus: tum quia Theologi cum *S. Tho.* *2.2.q.184.a.4.* cõmuniter docent de ratione ſtatus perfectionis eſſe, vt ſolemni voto firmatus ſit, ideòque aliàs communiter ſuſtinebant eſſentiã veri religioſi non ſubſiſtere abſq; ſolemni profeſſione; vnde non defuerunt aliqui moderni Theologi, qui totis viribus conati ſunt ſuadere per vota ſimplicia biennij, quæ emittuntur in Societate Ieſu, non conſtitui religioſum ſtatum, ac proinde eos, qui illa emittunt, non eſſe verè, ac propriè religioſos. Verùm talis doctrina non poteſt in præſentia ſuſtineri ſine magna temeritate, ac errore; cùm ſummi Pontifices oppoſitum per bullam declarauerint, & maximè Greg. XIII. in bulla *Quantò fructuoſus*, & *in Conſtitutione Aſcendente Domino*, in quibus ſępè aſſerit eos, qui in Soc. Ieſu 3. vota ſubſtantialia emiſerunt, eſſe verè, ac propriè religioſos, etiamſi illa vota ſimplicia ſint, & non ſolemnia. Vbi *Suar. to. 4. de relig. tract. 10. l. 3. cap. 3. num. 2.* benè expendit particulam illam *verè, ac propriè*, ſignificari in huiuſmodi perſonis eſſe quidquid pertinet ad ſubſtantiam, & eſſentiam ſtatus religioſi; ſiquidem nulla res verè, ac propriè dici poteſt talis (v.g. homo) niſi habeat veram ſubſtantiam, ac eſſentiam hominis: ſicut è contra hoc ipſo quòd de fide credimus Chriſtum fuiſſe verè, ac propriè hominem, eadem certitudine credimus eum habere id totum, quod eſt de eſſentia hominis; quare, quod religioſi Societatis fiant verè, ac propriè religioſi per vota ſimplicia biennij, putat *Suar. cap. 4. numer. 5.* eſſe omninò infallibile, ita vt ſine errore in fide negari non poſſit: probatque quia ſententia Papæ in rebus ſpectantibus ad doctrinam infallibilem continet certitudinem, vt pluribus probat *Bellarm. to. 1. l. 4. de Summo Pontif. cap. 1. & ſeqq.* ideòque cùm Conſtitutio Gregorij XIII. ſuperiùs allegata contineat declarationem cuiuſdam veritatis valdè neceſſariæ ad mores Eccleſiæ, & ad quietem, ac pacem animarum (videlicet quòd religioſi Societatis ſint verè religioſi, etiam per vota ſimplicia biennij) dicendum eſt talem declarationem continere certitudinem omninò infallibilem; vnde ipſemet Greg. ſub pęna excommunicationis latæ ſententiæ prohibet, ne quis dictam declarationem falſis, aut violentis interpretationibus, aut quouis quæſito colore impugnare audeat.

10 Quin etiam pluribus probat *Suar. dicto cap. 4.* ſupradictam declarationem, quòd Scholaſtici Societatis per vota tantùm ſimplicia in ea incorporati, ſint verè, ac propriè religioſi, non cępiſſe ſolùm habere veritatem à tempore conſtitutionum Gregorij XIII. ſupra relatarum, ſed ab initio approbationis Societatis ex quo talia vota cęperunt fieri in ea, tanquam in religione approbata, & admitti apoſtolica auctoritate; probat, inquam, pluribus, & maximè ex ratione, qua Gregor. XIII. confirmat illam ſuam declarationem (nimirum quòd dicti Scholaſtici per 3. vota ſimplicia tanquam ſubſtantialia religionis ſe tradunt Societati, & in ea vt in religione approbata ſe totos diuino ſeruitio in perpetuum conſecrant) hinc inferens eos eſſe verè, ac propriè religioſos: tale autem aſſumptum fuit verum à principio, ex quo poſt approbationem Societatis in ea cęperunt fieri eiuſmodi vota, vt per ſe notum eſt: ergò & conſequens, quod inde infertur, ſemper verum fuit, cùm in eo antecedenti contineatur ſufficiens, & adæquata cauſa conſequentis ſeu ſtatus verè, ac propriè religioſi.

11 Ex quibus ſequitur ſolemnem profeſſionem non eſſe ita de ſubſtantia ſtatus religioſi vniuersè, ac generaliter ſumpti, vt non poſſit ſine ea ſubſiſtere ſtatus verè, ac propriè religioſus: ſi quidem iuxtà dicta Scholaſtici Societatis Ieſu ſunt verè, ac propriè religioſi, & tamen nondum emiſerunt profeſſionem ſolemnem, ſed ſolum vota ſimplicia; quę proinde dicenda ſunt ęquiualere profeſſioni ſolemni: & meritò, cùm importent veram traditionem ex parte ipſorum Scholaſticorum, in magnum, totale, ac perpetuum Dei obſequium 3. votis ſubſtantialibus ſtabilitam, factamque in religione approbata, & iuxtà formam confirmatam ab Eccleſia: quæ ſola requiruntur, & ſufficiunt ad profeſſionem eſſentialiter ſumptam, vt aduertit *Suar. ſup. cap. 3. numer. 11.* ſupponens ex ſupra probatis non eſſe de eſſentia ſtatus religioſi, quod 3. vota ſint ſolemnia ſolemnitate legali, nec quòd acceptatio præfatæ traditionis ſit prorſus irreuocabilis, aut ita abſoluta, vt nullam inuoluat conditionem: quæ ab Aduerſarijs aliàs obijciebantur contra doctrinam à nobis hìc traditam, ſed ex dictis iam omninò corruunt.

QVÆRES V. An vi profeſſionis religioſæ obtineatur plena remiſſio omnium peccatorum antea commiſſorum tam quo ad culpam, quam quo ad pęnam.

12 ℞. Obtineri quo ad pęnam, ſi profitens tunc temporis ſit in gratia; non autem quo ad culpam, & conſequenter non conferre primam gratiam. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 6. cap. 13. num. 4. Leſſ. l. 2. cap. 41. num. 72. Sà v. relig. num. 17. Azor. p. 1. l. 12. cap. 5. quæſt. 11. Sanch. l. 5. cap. 5. num. 2. Laym. l. 4. tract. 5. cap. 10. num. 1. Miranda p. 1. q. 25. a. 8. Peyr. de R. P. quæſt. 3. cap. 1. num. 153. Lezana to. 1. cap. 3. nu. 1. aliique Theologi, & Summiſtæ* communiter cum *S. Tho. 2. 2. quæſt. 189. a. 3. ad. 3.* & quidem quod obtineatur plena remiſſio omnium peccatorum, quo ad pęnam probatur: tum quia homo iuſtus ex Chriſti meritis plenè Deo ſatisfacit pro peccatis ſuis, ſi tantum præſtet, vt plus præſtare nequeat (& eſt ratio *S. Thomæ in 4. d. 4. q. 3. a. 3. ad 3.*) id ipſum autem fit, dum homo omnia externa, & interna diuino obſequio in perpetuum offert, & dicat, editis votis eſſentialibus religionis: tum quia *Dan. 4.* peccata eleemoſynis redimuntur, quæ autem maior eleemoſyna, quam omnia ſua, & totum ſe ipſum tradere Deo? tum quia religionis aſſumptio iuxtà *cap. admonere 33. q. 2.* excedit omne genus ſatisfactionis, ideòque *Gloſſa ibi v. monaſterium* notat quantamcumq; pęnitentiam aliquis propter peccata ſubire debeat, intrando religionem facere, & liberari: tum quia per profeſſionem voluntatem propriam rebus omnibus chariorem in perpetuum Dei obſequium tradimus, qui eſt actus maximè meritorius, & ſatisfactorius, vt patet. quod verò per profeſſionem non obtineatur remiſſio peccatorum quò ad culpam, docent in terminis *Suar. num. 5. Sanch. n. 3. Lezana ſup.*

&

& alij, inter quos *Suar.* putat temerariũ eſſe tribuere talem effectum profeſſioni, cùm ſit res grauiſſima, & valdè ſupernaturalis, quæ ſine reuelatione, traditione Eccleſiæ, ac Patrum doctrina abſque temeritatis nota aſſeri non debet; præſertim cùm nulla adſit neceſſitas id aſſerendi, ſtante quòd neq; profeſſio eſt Sacramentum habens vim ex opere operato, nec per ſe loquendo inſtat neceſſitas articuli mortis, neque finitur tempus vitæ ad agendam pęnitentiam cõceſſum, quo modo finitur per martyrium; quamquam dici poſſet per profeſſionem concomitanter remitti peccata, etiam quò ad culpam: quatenùs in ipſa profeſſione interuenit actus maximæ charitatis, qui ſine dubio, ſi interueniat, ſufficit ad remittendam etiam culpam: quod vtiq; non negant citati DD.

13 Notat autem *Sanch. numer. 6. ex Nauar. & Plato* eiuſmodi remiſſionem peccatorum quo ad pęnam, quæ obtinetur per profeſſionem, & ab aliquibus vocatur indulgentiã plenaria, non eſſe propriè indulgentiam; quippequæ non prouenit ex aliqua conceſſione pontificia (qualis eſt ea, quam conceſſit Paulus V. Religioſis profitentibus iuxtà dicenda in *tract. de priuileg. cap. 5. ſect. 5. ſubſ. 1. quæſt. 5.* ſed ex vi, & merito ipſius profeſſionis, quatenus eſt opus excellentiſſimum, ac excedens quamcumque ſatiſfactionem debitam peccatis. Quin etiam (quod benè aduertendum eſt) hæc pleniſſima peccatorum remiſſio certiori, ac perfectiori modo competit profeſſioni, quàm plenariæ indulgentiæ, cùm ex vna partè indulgentia, ſit quædam condonatio, & conceſſio ex auctoritate Papæ, ideòque requirat iuſtam cauſam concedendi, aliaſque conditiones in ijs, quibus conceditur: quæ cùm hominum indicio metienda ſint, facilè fieri poteſt, vt vel tota indulgentia, vel eius pars corruat; eo vel maximè quòd in opere iniuncto ad eius conſecutionem exequendo multum delinqui poſſit ex negligentia: ex alia parte ad remiſſionem peccatorum conſequentem vi profeſſionis religioſæ, nihil aliud requiritur, quam ipſamet profeſſio: quæ cùm ſit ſemper eadem, ſemper hunc effectum obtinebit, modo ſubiectum ſit capax, ideſt in gratia Dei; quæ eſt conditio neceſſariò requiſita ad omnem ſatisfactionem, & ad conſequendam omnem indulgentiam, etiam propriè dictam. ita *Laym. ex Nau. Sanch.*

14 Addit *Suarez ex Caiet. 2. 2. q. vlt. a. 3.* profitentem in peccato mort. non conſequi dictam remiſſionem peccatorum neque tunc, neque poſtea, dum redit in gratiam; quod eſt dicere illam non reuiuiſcere, ſublato obice: ſicut dicunt communiter DD. de operibus bonis factis in peccato mort. Idem ſentit *Bordonus cap. 5. de profeſſ. q. 8.* addens præfatam remiſſionem obtineri, etiam in caſu, quo profeſſio ſit nulla aliunde, quam ex defectu culpabili profitentis; ſi quidem inſpicitur actus de ſe, qui totis viribus à nouitio ſit bona fide.

Vtrum verò ſupradicta remiſſio obtineatur non ſolùm in ipſo actu profeſſionis, ſed etiam quoties renouatur ipſa profeſſio.

15 ℞. Non videri improbabile obtineri, quoties renouatur profeſſio: & probatur, tum quia profeſſio ideò affert plenam peccatorum remiſſionem, quod continet perfectam hominis traditionem erga Deum; hæc autem traditio ſępius poteſt renouari, vt patet; tum quia renouatio profeſſionis poteſt contingere, quòd fiat cum maiore animi conſtantia, ac determinatione ad Dei obſequium, quàm fuerit facta prima traditio; ſicque corruit fundamentum, quo nituntur Aduerſarij oppoſitam partem ſuſtinentes, eò quòd opus ipſum ſit intenſius, ac intenſiori voluntate fiat, quàm ſola complacentia operis iam facti, & quod in prima traditione ſentiatur maior difficultas, vnde intenditur meritum operis magis, & magis: quaſi verò hæc non ſint accidentaria profeſſioni, vt notauit *Laym. vbi ſup.* tum quia etiam martyrium in affectu non minori honore celebratur ab Eccleſia, quam martyrium in effectu: vnde de B. Martino ea dicit *palmam tamen martyrij non amiſit*. ita *Laym. num. 2.* tacito nomine citans alios, quorum ſententiam refert, & non improbat *Sà v. religio num. 17. Peyr. de R. P. quæſt. 3. c. 1. num. 154.* adducens pro ſe *Dionyſium Carthuſ. & S. Bernardinum Senenſ.* relatum à *Vecchio D. 13. de nouitijs d. 5. num. 7. Caſtrus Pal. tract. 16. D. 2. p. 8. n. 3. contra Sanchez n. 5. Tabienam v. nouitius n. 15. fine Lezanam ſup. & Gordonum l. 6. q. 5. n. 110.*

Quod ſi quæras, vtrum dicta remiſſio peccatorũm quò ad pænam obtineatur in caſu, quo profeſsus in Ordine laxiori tranſeat ad ſtrictiorem, vel expulſus in perpetuum tranſeat à ſtrictiori ad laxiorem.

16 ℞. Obtineri; & probatur tum ex eo quod in talibus caſibus interuenit noua profeſſio, & noua traditio, adeòque par eſt, vt ſequatur effectus ex natura rei ab ipſis prouèniens, nempe plena peccatorum condonatio; tum quia in iſtis euentibus profitens nòn ſolùm parem difficultatem experitur in profitendo ac expertus eſt, quando primò profeſſus eſt, ſed etiam maiorem, vt facilè conſtabit conſideranti; ſicque magis, & magis augetur meritum, & valor profeſſionis; tum quia, ſtante probabilitate doctrinę à nobis traditæ §. *præced.* ſaltem ſequitur in propoſitis caſibus obtineri præfatam condonationem peccatorum, quatenùs profeſſio ad minimum eſt quędam renouatio traditionis, ac votorum, quæ Deo in priori profeſſione exhibita ſunt. ita *Sanch. n. 5.*

Sed difficultas eſt, an talis peccatorum condonatio obtineatur etiam per ſimplicia vota biennij, quæ emittuntur in Societate Ieſu, peracto nouiriatu; & ratio dubitandi eſt, quod eiuſmodi emiſſio votorum non eſt profeſſio, & conſequenter non videtur debere ei tribui effectus, quem DD. attribuunt profeſſioni.

17 ℞. Obtineri: cùm per talem emiſſionem votorum emittens verè conſtituatur in ſtatu religioſo, moriatur mundo, bonis omnibus præſentis vitæ renunciet, ſeque, & omnia ſua perpetuo Dei obſequio ſub Prælati obedientia emancipet; quæ ſunt rationes, ob quas DD. tribuunt præfatam condonationem peccarorum profeſſioni ſolemni; vnde fit, vt cum ea vororum ſimplicium emiſſio æquiparetur profeſſioni ſolemni, vtrique tribui debeat idem effectus iuxta regulam; *quod dicitur de vno æquiparatorum, dici debet & de alio*. ita *Layman ſup. num. 1.*

n.1. Sanch. n. 7. Lezana vbi ſup. & alij Recentiores; inter quos *Sanch.* in terminis negat talem remiſſionem obtineri per renouationem dictorum votorum ſimplicium, quæ in Societate fit ſexto quoque menſe; idque conſequenter ad doctrinam, quam ſuperiùs tradidit; nempe per profeſſionis renouationem non obtineri plenam peccatorum remiſſionem; quam doctrinam cùm nos ibi negauerimus oppoſitum ſuſtinentes; ita & in præſenti eam negamus, aſſerentes per dictam renouationem votorum ſimplicium acquiri eandem peccatorum remiſſionem, ſi ea debito modo fiat; & hoc ob rationes ibi allegatas: nobiſcum ſentit quo ad hoc Antonius de Eſcobar *tr.6.exam.7.cap.4 n.62.*

Qua occaſione placet referre, quod declarauit Congregatio 8. generalis de hac Renouatione votorum *can.*8. qui ſic habet: *Quod in Conſtitutionibus dicitur*, Renouare vota non eſt noua obligatione ſe obſtringere, ſed eius, qua obſtricti ſunt, recordari; *intelligendum eſt (vt hactenus intellectum fuit) quando renouatio priori ſuperuenit obligationi: non verò, quando nullam inuenit obligationem, & hoc ipſum in regula Magiſtri Nouitiorum exprimendum eſt: & ab eodem Magiſtro apertè explicandum Nouitijs, cùm vota poſt biennium debent emittere. vt intelligant renouationem votorum à ſe deinceps de more Societatis faciendas habere vim primæ nuncupationis: ſi fortè ex defectu ætatis, biennij, alijſue ſimilibus iam ceſſantibus, prima vota vim ſuam non obtinuerunt.*

Grauior difficultas eſt, an talis remiſſio peccatorum obtineatur à religioſio Societatis Ieſu per ſolemnem 3. aut 4. votorum profeſſionem, quam ipſi emittunt poſt ſupradictam emiſſionem 3. votorum ſimplicium.

18 ℟. Obtineri; & probatur tum ex doctrina ſuperius allata in §. *quod ſi quæras*: tum quia, eſto hæc vota ſolemnia ſint eiuſdem ſpeciei cum prioribus illis ſimplicibus, & vtraque verè, ac propriè conſtituant religioſos; traditio tamen facta per vota ſimplicia quo ad perpetuitatem eſt conditionalis, per vota autem ſolemnia eſt abſoluta: vnde, cùm hæc contineant nouum, & perfectiſſimum modum traditionis, meritò ijs tribui poteſt, quòd habeant vim operandi dictam remiſſionem: tum quia ad minùs in profeſſione ſolemni renouantur traditio, & promiſſio votorum facta in emiſſione 3. votorum ſimplicium, ſicque vi illius acquiretur præfata remiſſio, quatenus ſaltem habet rationem renouationis. ita *Sanch. ſup.* negans tamen talem remiſſionem obtineri in caſu, quo religioſus Societatis poſt emiſſam profeſſionem 3. votorum ſolemnium admitteretur ad profeſſionem 4. votorum: ſiquidem hæc vtraq; traditio eſt ſolẽnis, & abſoluta, ſolũq; priori obligationi additur nouum votum ſolẽne obedientiæ Pontifici: At neque hoc puto admittendum; ſtãte ꝙ in pręſenti caſu emiſſio profeſſionis 4. votorum ſolemnium ſaltem eſt quędam renouatio profeſſionis ſolemnis 3. votorum anteà facta; ideóque ſaltem ſub iſta ratione conſequetur plenam remiſſionem peccatorum, vt ſuprà probatum eſt. Quæ ratio oſtendit idem dicendum eſſe in caſu, quo religioſus Societatis poſt vota ſimplicia biennij emittat 3. vota ſimplicia Coadiutorum formatorum, quæ ſolent à pluribus emitti in Societate cùm talis omiſſio ſit ſaltem renouatio votorum biennij priùs emiſſorum, & inſuper addat, quòd emittens fit incapax dominij rerum temporalium, cuius aliàs erat capax, non obſtantibus votis ſimplicibus biennij, ita viri docti à me conſulti.

QVÆRES VI. An, & quo modo per profeſſionem extinguantur omnia vota ante ipſam emiſſa à profitente, ſiue in ſæculo, ſiue in nouitiatu, & quo iure.

19 ℟. Extingui, ſiue ea ſint realia, ſiue perſonalia: & probatur tum ex *cap. ſcriptura de voto*, vbi id expreſsè deciditur his verbis, *reus fracti voti aliquatenùs non habetur qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur religionis obſeruantiam commutare*; tum quia per obligationem profeſſionis religioſæ omnes hominis facultates, ac vires offeruntur Deo in perpetuum, ac irreuocabiliter, ideòq; eminenter continent in ſe omnes alias particulares obligationes: non ſecùs ac, ſi quis ergà hominem obſtrictus debitis omnia ſua bona ei cedat, ſeque in perpetuum ſeruum addicat, talis pleniſſimè cenſetur ſatisfeciſſe. Quod eſt vota extingui per profeſſionem, non per viam commutationis, ſed pleniſſimæ ſolutionis; ſiue vota ſint perſonalia, ſiue realia: nam de vtriſque procedunt rationes modo allatę, nec adeſt peculiaris ratio in realibus, vt aliqui putant cum *Palud. in 4.d.38.q.4.nu.14. S. Antonin. p.2. tit.11.c.2.* §.8. *not.2. Tab. v. votum 3. n.10.* aſſerentes obligationem eorum transferri in monaſterium ſuccedens in bona profitentis, aut quemlibet alium, qui reuera ſuccedat; ſiquidem, cùm per vota realia non acquiratur ius tertio, ſed ſoli Deo, cui emittuntur; & aliàs cumulatè Deo ſatisfiat pro omnibus, & ſingulis promiſſionibus Deo factis tradendo non ſolùm rem particularem promiſſam, ſed omnia bona, & incapacitatem ampliùs acquirendi vna cum ipſa perſona; non eſt, cur excludamus vota realia à regula generali, quòd ea omnia extinguuntur per profeſſionem. ita *Suar. to.3 de relig. l.6.c.14. num.*10. *Sanch. num.36 & 43. Laym. num.3. Lezana tom.1.c.3. num.7. Miranda p.1. quæſt.25.a.7. Peregr. p.2. Conſtit. cap.1 lit.C,* §.20. *alijque cum S. Thoma 2.2. quæſt* 88. *a.12.* inter quos benè notat *Suar.* illam reſponſionem locum habere, etiam in votis ipſis reſeruatis; quamquam modo nullum ex votis reſeruatis hìc comprehendi poſſit; ſtante quòd votum religionis non commutatur, ſed impletur votum caſtitatis non tollitur, ſed ſolemnizatur; & votum triplicis peregrinationis tanquam incompoſſibile cum ſtatu regularis diſciplinæ ceſſat obligare: cum tamen alij plures DD. cum *Sanch. n.*50. concedant votum peregrinationis hieroſolymitanæ, licet reſeruatum, commutari in profeſſionem.

Quod verò diximus vota realia commutari in profeſſionem, non eſt verum, niſi in caſu, quo ea poſſent obligare pro eo tempore, quo homo iam eſt religioſus, (vt ſi quis vouiſſet dare ſingulis diebus, aut annis talem eleemoſynam,) aut certe non obligant ante illud tempus, quo quis vult ingredi religionem: tunc enim neque is teneretur anticipare ſolutionem, nec poſteà vrgeret ampliùs obligatio; ſecùs, ſi votum reale ſit tale, vt poſſit, & de-

beat

beat eſse impletum eo tempore; nam tunc obſeruantia talis voti nõ eſt incomparabilis cum ingreſſu religionis, ideòque non cadit in generalem extinctionem votorum, quæ fit per profeſſionem (vt ſi quis vouiſſet tradere dotem alicui puellæ, quæ illam acceptaſſet.) ita *Suar. ſup. num. 6. Nau. cap. 12. nu. 65.* alijque plures, quos refert, & ſequitur *Clau. Reg. l. 6. cap. 11. num. 121.* vniuerſaliter negantes, per profeſſionem extingui vota realia, quæ ſunt de re cadente in vtilitatem tertij, & ab eo ipſo acceptata.

21 Putat autem *Caſtrus Pal. tract. 16. D. 2. p. 8. num. 5.* & ante illum *Suarez to. 3. de relig. l. 6. cap. 14. num. 14. & ſeqq.* eiuſmodi commutationem fieri non iure naturali, nec diuino poſitiuo, ſed ſolùm iure eccleſiaſtico per conſuetudinem inducto: immò addit *Caſtrus Pal. numer. 6.* talem commutationem poſſe impediri per voluntatem profitentis ei contradicentis; quod negant alij exiſtimantes præfatam commutationem fieri ipſo facto: idque tum de iure eccleſiaſtico, vt docent aliqui cum *Soto l. 7. de iuſt. qu. 4. a. 3. ex cap. penult. de regul. in 6. & c. ſcriptura de voto*, vt oſtendit *Sanch. num. 38.* tum de iure naturali diuino, vt docent alij cum *Paludano vbi ſup. num. 15. & S. Tho. 2. 2. qu. 88. a. 11. ad 1.* id ſibi ſuadentes ex eo quòd, cùm omnia obſequia, quæ Deo per vota promittimus, ſint opera particularia, ea eminenter continentur in profeſſione religioſa, vtpotè per quam nos ipſos, & omnia noſtra diuino obſequio dicamus, morientes priori vitæ, nihilque nec propriam quidem voluntatem nobis reſeruantes, ſicut ſupra innuimus in principali reſponſione. præter quam quòd talis commutatio fundatur in excellentia profeſſionis, quæ cum non immutetur per contradictionem illam profitentis; ſequitur eam non poſſe non habere ſuum effectum. ita *Sylu. v. votum 4. q. 7. Sanch. num. 41. Lezana ſup. Laym. loco ſup. allegato Peregrinus loco ſupra citato*, alijque apud *Sanchez*.

Dubium maius eſt, an modo ſupra dicto commutentur in profeſſione vota emiſſa à Religioſo poſt profeſſionem, ſi contingant eum legitimè profiteri in alio Ordine, ſiue ſtrictiori, ſiue laxiori.

22 ℟. Videri non improbabile, quod commutentur: & probatur tum quia in iſto caſu fit noua traditio, & noua profeſſio, ſicque in ea eminenter includuntur omnia opera particularia Deo promiſſa per vota facta poſt priorem profeſſionem: quæ eſt ratio, qua diximus vota omnia facta à profitente ante profeſſionem, ipſo facto commutari in ipſam profeſſionem: tum quia vel religioſus in præſenti euentu tranſit ad Ordinem ſtrictiorem, ſicque noua profeſſione arctioris vitæ adſtringitur Deo, & conſequenter opera debita per vota particularia eminenter comprehendentur in hac noua obligatione, vel tranſit ad Ordinem laxiorem in perpetuũ eiectus à priori Ordine ſtrictiori; & ſic cùm eſſet liber ab obedientiæ iugo, hoc ipſo quod profitetur in alio Ordine, quamuis laxiori, iterum ſe, & omnia ſua Deo tradit in perpetuam ſeruitutem, ideòque in hac obligatione includetur obligatio omnium votorum particularium poſt priorem profeſſionem emiſſorum. ita *Sanch. num. 40.* addens tamen rem eſſe ſatis dubiam, tutumque remedium eſſe petere irritationem dictorum votorum, quæ vtique fieri poterit à Prælato poſterioris Ordinis, vbi religioſus in eo profeſſionem modo dicto emiſerit.

Quòd ſi quæras, an in Societate per vota ſimplicia biennij, aut Coadiutorum formatorum extinguantur vota antea facta.

23 ℟. Non extingui, ſed ſuſpendi, & probatur tum ex *can. 32. I. Congreg. general. Soc. Ieſu*, quod ita habet: *Vota, quæ noſtri in ſæculo emiſerunt, in noſtra Soc. ſuſpenſa ſunt, etiamſi per profeſſionem non tollantur, & ita obligationem eorum ceſſare, dum in Soc. manent intelligatur* (vbi notat *Sanch.* quod quamuis iſtud decretum loquatur in ſpecie de votis emiſſis in ſæculo, eadem tamen eſt ratio de ijs, quę tempore nouitiatus emittuntur in Societate,) tum quia per vota biennij, aut Coadiutorum formatorum non traditur vouens Societati perpetuo ac omninò irreuocabiliter diuino obſequio in religione, ſed conditionaliter ex parte Societatis: ergò & alia vota antea emiſſa non omninò ceſſabunt, ſed conditionaliter, nempe quamdiu ille manſerit in Societate. ita *Sanch. ſup. numer. 53. & Suar to. 4. de relig. tract. 10. l. 3. cap. 4. numer. 25.* alijque à quibus non diſſentit *Caſtr. Pal. num. 7.* niſi quòd dicit ſe omninò conuinci Doctores, qui cenſent per profeſſionem religioſam extingui omnia vota iure ipſo naturali, vtpotè ſolutione abundantiori, debere conſequenter aſſerere idem de votis biennij, quæ fiunt in Societate.

24 Nec obſtat, quòd Greg. XIII. in ſua Conſt. quæ incipit *Aſcendente Domino* loquens de votis ſimplicibus biennij, quæ fiunt in Societate videtur ſupponere in hæc vota commutari alia omnia vota emiſſa in ſæculo, reijciens aliquos, qui oppoſitum ſuſtinebant: ait enim *Inſuper aſſerunt non poſſe vota aliqua in ſæculo emiſſa in 3. hæc ſubſtantialia Societ. commutari; cùm tamen hæc vota ſint ſtatus, vt præfertur, religioſi adeo vtilis, & perfecti, vt illa in hæc poſſint, hæc verò in aliorum Ordinum etiam ſolemnia vota commutari ſit ab hac Sede iuſtis de cauſis interdictum*. non obſtat, inquam, cum Pontifex loquatur de commutatione votorum, quæ fiat, non ex vi intrinſeca dictorum votorum biennij, aut ex aliquo priuilegio iuris, ſed ex intentione ipſius vouentis, qui in emiſſione votorum biennij intendat commutare omnia ſua vota ante illud tempus emiſſa (ſiue in nouitiatu, ſiue ante nouitiatum) in præſata vota biennij: quo modo ita manet liber à votis alias emiſſis, vt etiamſi poſtea expellatur è Societate non amplius teneatur ad illa; vtpotè quæ fuerunt commutata in aliquid perfectius, & gratius Deo, & conſeqnenter per legitimam commutationem quò ad priorum votorum obligationem omninò extincta; ita vt nõ amplius reuiuiſcant iuxtà ea, quæ DD. tradunt communiter de commutatione votorum. prętérquam quòd talis commutatio votorum fieri poteſt per Prælatos Societatis à principio, ea commutando in 3. vota ſubſtantialia religionis, ac religioſum ſtatum, nulla tamen addita obligatione voti ad ſpecialia opera religionis; quia alioqui hæc manerent ſub obligatione voti, cùm ex ſe fortè ſint ſolùm ſub directione regulæ.

Immò

25 Immò docet *Sanch. n.*55. poſſe candidatum Societatis commutare omnia ſua vota emiſſa in ſæculo in ſimplicem ingreſſum Societatis; & tunc ſi poſtea tempore nouitiatus exeat ex iuſta cauſa, eum manere omninò liberum tum à prioribus votis, tum ab ingreſſu; cùm melius ſit ingredi religionem animo eam probandi, & amplectendi, ſi placuerit probata, quàm quodcumque aliud votum: vnde fit, vt legitimè poſſit quis commutare omnia ſua vota in talem ingreſſum, ſicque maneat omninò liber ab illis votis, obligatus tamen ex voto ad ingreſſum Societatis: etſi huic obligationi ſatisfaciat ingrediendo bona fide, ſi in decurſu nouitiatus exeat ex iuſta cauſa; non item, ſi abſque iuſta cauſa exeat; tunc quippe non liberabitur voto ingreſſus, ſed tenebitur iterum ingredi, niſi eligat redire ad obligationem priorum votorum, quæ in dictum ingreſſum fuerant commutata: quod ſine dubio fieri poteſt, vt docet *Sanch. ſup.* monens *l.4. moral. cap.16. nu.97.* quòd, ſi vouens, facta ea commutatione, in hoc caſu verè non admittatur in religionem, nihilominùs manet liber à prioribus votis, quæ in talem ingreſſum commutauerat: quippequi fuerant legitimè commutata, & per commutationem extincta, adeòque ob effectum fortuitum negatæ admiſſionis non poſſunt reuiuiſcere.

Dices, quid ſi nouitius Societatis ante biennium ex priuata ſua deuotione emittat vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, (quod interdum faciunt nouitij Societatis) poſſet ne is modo ſupradicto commutare in vota biennij vota à ſe emiſſa ante ipſum biennium?

26 ℟. *Sanch. l.5. moral. cap.5. num.*55. non poſſe; probatque quia per hæc vota facta tempore nouitiatus tenebatur illa eadem emittere, finito nouitiatu, quippequi per ea ſe obligauit ad perpetuò manendum in Societate promittés ex formula votorum eandem Societatem ſe ingreſſurum; obligatus autem ad ingrediendum religionem ex voto nō poteſt alia ſua vota commutare in talem ingreſſū: quo modo obligatus ex voto ad vnicum ieiunium voluntarium non poteſt id commutare in alia plura ieiunia, ad quæ tenetur ex alio voto, aut ex pręcepto. Quæ ratio item oſtendit religioſum Societatis non poſſe commutare vota emiſſa in Societate in vota ſimplicia Coadiutorum formatorū: cùm hæc ipſa teneatur emittere, ſi Generalis id præcepit; quod ingenioſè aduertit *Sanch.* addēs hinc nō ſequi, quòd vota ſupradicta neque commutari poſſint in profeſſionem ſolemnem; cùm & hanc ipſam Religioſus Societatis ex voto teneatur emittere, ſi Generalis id ei præceperit; ſi quidem per profeſſionem ſolemnem extinguuntur iure ipſo omnia priora vota ſimplicia, quantumcumque ſit profeſſio debita ex voto, nec iura diſtinguunt, ſit ne profeſſio debita ex voto, necne; idque ob præſtantiam actus, qui exercetur in profitendo; quod non euenit in caſu, quo commutatio illa votorum fiat in vota ſimplicia Coadiutorum formatorum, vt patet ex dictis.

Dubitari etiam poteſt, an per profeſſionem ſolemnem 3. aut 4. votorum in Societate emiſſam ipſo iure extinguantur omnia vota præcedentia, ſiue in ſæculo, ſiue in Societate emiſſa, ſiue tempore nouitiatus, ſiue quocumque alio ante ſolemnem profeſſionem.

27 ℟. Extingui, & quidem etiam illa, quæ poſt vota biennij emiſſa ſunt. ratio eſt, quòd, quamuis profitens in Societate eſſet antea per vota biennij ex parte ſua perpetuò traditus religioni, & diuino obſequio, ac effectus verus religioſus: ea tamen traditio non erat irreuocabilis, ſed conditionalis quo ad perpetuitatem ex parte Societatis; cum alioqui per ſolemnem profeſſionem tradat ſe perpetuò, ac irreuocabiliter: vnde per eam tanquam in ſe eminenter continentem omnia alia particularia obſequia, etiam promiſſa in Societate, extinguentur omnia alia vota antea facta. ita *Sanch. num.* 53. qui benè notat per profeſſionem 4. votorum factam in Societate non extingui vota emiſſa poſt ſolemnem profeſſionem 3. votorum in ipſa Societate factam; cùm profeſſio 4. votorum nihil addat profeſſioni 3. votorum, niſi votum peculiaris obedientiæ Papæ, ac proinde ceſſet ratio, cur ei attribuatur commutatio illa votorum.

Vtrum verò per profeſſionem ſolemnem cenſeantur commutari omnia alia vota à profitente emiſſa ante ipſam profeſſionem, ſi profitens expreſſam habeat intentionem ea non commutandi.

28 ℟. Diſtinguendo: vel profitens eam habet intentionem ante inſtans profeſſionis, & ſic manet ipſo iure abſolutus ab illis votis; cùm perinde ſe habeat, ac ſi tunc emiſiſſet aliquod votum: vnde, cū in ipſo inſtanti profeſſionis non habeat talem intentionem, ea vota iure ipſo manent extincta: vel eam intentionem habet in ipſo inſtanti profeſſionis, aut poſt; & ſic non manet abſolutus à votis (quamuis Superior iuxtà dicta poſſit ea irritare, aut in ijs diſpenſare;) intellige, ſi profitēs per eā intētionē velit de nouo ſe adſtringere pręfatis votis: nā ſi ſolū intēderet ea nō cōmutare, aut nō extingui per profeſſionem, tunc vtique vota manerent ipſo iure commutata, & profitens liber ab illis: cùm talis commutatio non ſit ex voluntate profitentis, ſed ex iure eccleſiaſtico, & naturali, vt iam diximus; quod idem eſſet in caſu, quo profitens ſolum intenderet non ſatisfacere obligationi illorum votorum per profeſſionem: cùm talis ſatisfactio non pendeat ex profitentis voluntate, ſed ex ipſa natura rei. ita *Sanch. num.* 41. *ex Sylu. v. votum* 4. *q.*7. *Laym. vbi ſup.*

29 Illud etiam hìc benè obſeruat *Sanch. n.*57. quòd, licèt per vota biennij facta in Societate non ſuſpēdatur votum ingrediendi aliam religionem emiſſum ab ingrediente Societatem, (vt expreſsè decidit *in canone Congregat.* 1. *generalis ſuperiùs allegato:*) P. tamen Generalis, aut alius, cui ipſe id commiſerit, poſſunt tale votum commutare in ea vota biennij: & hoc, etſi votum ſit ſtrictioris religionis: conſtat ex *Comp. priuil. Soc. v. commutatio* §. 3. vbi eiuſmodi poteſtas conceſſa ab Eug. IV. per bullam Congregat. S. Iuſtinæ communicatur ſolis Prouincialibus; & quidem cum hoc, vt dicta commutatio in caſu quo ante profeſſionem dimittatur è Societate is, in cuius fauorem eſt facta, prorſus euaneſcat; intellige, ſi præfata commutatio fiat virtute talis priuilegij; ſecùs, ſi votum illud ſit ſolùm ingrediendi

diendi religionem ſtrictiorem, & vouens illud propria auctoritate commutet in votum ingrediendi Societatem & perſeuerandi in ea, (quod poſſe fieri oſtendit *Sanch. l. 4. moral. cap. 16. num. 18. & ſeqq.*) tunc enim; ſi is poſt vota biennij dimittatur è Societate, aut ipſe exeat ex iuſta cauſa tempore nouitiatus, non ideò reuiuiſcit votum illud, quippe quod fuit legitimè commutatum, ac proindè omninò extinctum. quamquam, ſi is ſpontè exiret, teneretur iterum ingredi religionem, adſtringente ad hoc voto perſeuerantiæ modo ſupra dicto emiſſo, vel certè redire ad prius votum, quod vtique poſſet facere, vt diximus ſupra ex *Sanch. lib. 5. moral. cap. 5. num. 55.* addente *num. 57.* plura alia ad præſentem difficultatem ſpectantia.

30 Quod autem dicunt *S. Tho.* & alij relati *à Suarez to. 3. de relig. l. 6. cap. 14. num. 15.* eum, qui emiſit ſimpliciter votum religionis arctioris, & ſine diſpenſatione ingreſſus eſt laxiorem; & in ea emiſit profeſſionem, eo ipſo manere liberum omninò à priori voto, vtpotè extincto in profeſſione; ipſe partim approbat, & partim reprobat; approbat, quatenus dicunt per votum ſolemne profeſſionis ſubſecutum tolli obligationem prioris voti ſimplicis: ſic quippe ſtatutum eſt in *c. penult. de Regul.* in fauorem ſtatus religioſi: reprobat, quatenus dicunt talem commutationem licitè fieri: contrarium enim deciditur *in cap. vnico de voto in 6.* vbi dicitur pro voto tamen non impleto erit eidem pœnitentia imponenda, quod eſt vouentem in hoc caſu peccaſſe. ex quibus colligit *Suar. n. 18.* obligationem prioris voti in præſenti euentu non tolli ex vi ſolius iuris naturalis, ſed ex iure poſitiuo, per quod Eccleſia benignè diſpenſat cum eo, qui poſt votum ſimplex religionis arctioris profeſſus eſt in laxiori; quamuis ſic profitendo ipſe peccauerit contra votum prius emiſſum, & alioqui, ſtante compoſſibilitate obligationis tranſeundi ad arctiorem religionem, cùm vigore profeſſionis factæ in laxiori, ex natura rei teneatur adhuc tranſire ad ſtrictiorem.

QVÆRES VII. An per profeſſionem extinguantur iuramenta tam realia, quam perſonalia, & quæ

31 ℞. Extingui ea, quæ ſunt facta ſoli Deo; quippe quæ induunt rationem voti, & nullum ius tribunt tertio, ideòque quò ad eorum extinctionem faciunt rationes *q. præcedenti* adductę pro extinctione votorum; non item ea, quæ homini fiunt, & ab eo ſunt acceptata: cùm per hæc acquiratur ius tertio, & aliàs non liceat commutare eiuſmodi iuramenta, neque in melius, ſtante quòd vnum pro alio non poteſt ſolui, inuito creditore *l. mutuum ff. ſi certum petatur*; & homo non ſemper acceptat, quod melius eſt, quo modo acceptat Deus. ita *Sanch. ſup. num. 44. & 45. ex Ang. Sylu. & Aragon. Peregr. vbi ſup. Lezana item ſup.* inter quos notat *Sanch.* idem dicendum de voto reali emiſſo non ſoli Deo, ſed intimato parti, vt ab ipſa acceptetur, & conſequẽter coniuncto cum promiſſione illa facta parti: ſi quidem etiam in tali caſu acquiritur ius tertio, & iuxtà modò dicta ceſſat ratio ea commutandi in melius.

32 Adde ex *Sanch. l. 4. moral. c. 19. nu. 31.* promittentem homini cum iuramento, ſe aliquid facturum in eius vtilitatem, poſſe, eo etiam non impleto, nõ ſolùm ingredi religionem, vt oſtendimus ita *tract. præced. cap. 4. q. 22.* ſed etiam profiteri in ea; idque ob rationem ibi adductam remiſſiuè.

QVÆRES VIII. An per profeſſionem tollantur irregularitates, & quæ.

33 ℞. Non tolli, niſi irregularitatem, quæ prouenit ex defectu natalium, idque ſolùm quo ad ordines ſuſcipiendos. ita *Nau. Rodriq. Azor. & Suar. apud Sanch. l. 5. moral. cap. 5. num. 9.* contra alios ſuſtinentes per profeſſionem aboleri omnem irregularitatem antea contractam, aut ſaltem eas, quæ ortæ ſunt ex culpa non propria, nec non contra Sotum *in 4. d. 25. q. 1. a. 3. col. 1.* aſſerentem in religionibus vſu obtentum, vt aboleatur omnis irregularitas præter ortam ex bigamia, & homicidio voluntario: quod reijcit *Sanch. l. 7. de matr. D. 86. nu. 4. Suarez* vero *D. 41. de Cenſur. ſect. 1. numer. 3.* admittit quo ad morem religionis Dominicanę, patet reſponſio ex *c. 1. de filijs presbyt.* vbi tanquam ſpeciale decernitur tolli irregularitatem ex defectu natalium, non quidem omninò, ſed quo ad ordines recipiendos, manente incapacitate dignitatum: ergò ſecus eſt de alijs irregularitatibus, de quibus in iure non eſt expreſſum, quòd tollantur per profeſſionem; quamuis, vt notat *Sanch. vbi ſup.* profeſſio religioſa facilioris diſpenſationis cauſam tribuat. nec obſtat Conſtitutio Sixti V. contra illegitimè natos, quæ cùm reddiderit illegitimos inhabiles ad ingreſſum religionis, conſequenter irritum reddidit ius allegatum quo ad effectum abolendi irregularitatem ex defectu natalium; ſiquidem (vt diximus alibi) Gregor. XIV. citatam Conſtitutionem Sixti anno 1591. reduxit per motum ſuum proprium ad terminos iuris communis ſtatuens illegitimos validè admitti poſſe tam ad ingreſſum religionis, quam ad profeſſionem; vnde fit, vt etiam in præſentia quicumque illegitimè natus, etiam ſpurius, hoc ipſo quod profitetur in aliqua religione, liberetur ab irregularitate ex defectu natalium, adeòque promoueri poſſit ad ordines, etiam ſacros abſque alia diſpenſatione: cum *cap. 1. de filijs presbyt.* loquatur indiſtinctè de filijs illegitimis; qua de re *Rodriq. to. 1. q. 13. a. 5.*

34 Immò, ſi quis illegitimus abſque diſpenſatione ordines recepit in ſæculo, & poſtea profitetur in religione; ita liberatur à ſupradicta irregularitate, vt poſtea exercere poſſit etiam ordines eo modo ſuſceptos: quod eſt dicere irregularitatem ex defectu natalium per profeſſionem aboleri non ſolùm quò ad ordines ſuſcipiendos, ſed etiam quò ad ſuſceptos. ita *Laym. l. 4. tr. 5. cap. 10. num. 5.* & ante illum *Sanch. lib. 5. moral. cap. 5. num. 10.* contra *Sayrum de cenſuris l. 6. c. 11. num. 3. alioſque* & probant: tum quia cui conceditur, quod eſt plus, non debet denegari, quod eſt minus; eſt autem plus habilitari ad ordines ſuſcipiendos, quã ad ordines iam ſuſceptos exercendos (vnde poteſt Eps̃ in multis caſibus diſpenſare quò ad vſum ordinum ſuſceptorum cum malè promotis, cum quibus nequit diſpenſare quò ad promotionem, vt latiùs oſtendit *Henriq. l. 14. c. 19.*) ergò cùm profeſſio aboleat irregularitatem

quo

quo ad ordines ſuſcipiendos, concedendum eſt & quod aboleat etiam quo ad vſum ſuſceptorum; tum quia diſpenſatio conceſſa non vni, aut alteri; ſed fauore totius religionis, debet lattiſſimè interpretari, vt probat Sanch. *l.8. de matr. D.1. nu.13.* at quòd vi profeſſionis religioſæ tollatur irregularitas ex defectu natalium, eſt diſpenſatio, ſeu gratia facta toti religioni; ergò debet latiſſimè interpretari, ita vt extendatur non ſolùm quo ad ordines ſuſcipiendos, ſed etiam quo ad ſuſceptos.

Difficultas modo eſt, an irregularitas ex natalium defectu tollatur per vota ſimplicia, quæ finito biennio nouitiatus emittuntur in Societate, ita vt qui ea emittunt, quamuis nati ſint ex illegitimo toro, licitè poſſint promoueri ad ordines tum ſuſcipiendos, tum ad ſuſceptos exercendos.

35 ℞. Tolli, & probatur quia iura ad tollendam eiuſmodi irregularitatem petunt ſolum, vt illegitimus fiat religioſus; & DD. aſſerentes ad id requiri vt ille fiat profeſſus, non ſumunt nomen *profeſſi* in rigore, ſed ſolùm prout importat illegitimum ita adſtringi votis, vt deſinat eſſe nouitius, & fiat verè religioſus; at id totum habetur per vota biennij, ſupra dicta, vt definiuit Gregor. XIII. in ſua Extrauagante *Aſcendente*, ergò, vnde *Suar. D.50. de cenſur. ſect.5. num.12.* cautè dixit non deleri iſtam irregularitatem, donec illegitimus profeſſionem, aut vota emittat, per quæ verus religioſus efficiatur; quippe id fauore religionis iura ſtatuunt. ita *Sanch. l.5. moral. cap.5. num.13.* addens *num.14.* quod ſi religioſus Societatis poſt vota biennij ab ea retrocedat, & abſoluatur à dictis votis, non ideo reincidet priſtinam irregularitatem, ſed ſi iam promotus ſit, vti poterit ordinibus ſuſceptis, ſi verò non ſit promotus, poterit promoueri: proportionaliter vt euenit in profeſſo aliarum religionum, qui quamuis in perpetuum expellatur, non propterea reincurrit irregularitatem ex defectu natalium, quam fortè per profeſſionem euaſerat. ratio eſt, quod iura decernunt talem irregularitatem deleri per ingreſſum religionis efficientem verum religioſum, nec decidunt eam reincidi deſerta religione: vnde nequaquam effingi debet diſpenſatio irregularitatis ad reincidentiam, cùm nullum in iure habeat fundamentum, & quæ traduntur de abſolutione excommunicationum data nouitio (nempe eum illas reincidere, ſi deſerat religionem) trahenda non ſint ad irregularitatem, in qua id cautum nuſquam reperitur: nobiſcum ſentiunt *Laym. num.4. & Caſtr. Palaus ſup. num.11.*

QVÆRES IX. An per profeſſionem tollatur irregularitas ex defectu natalium, etiam quo ad dignitates obtinendas tam intra, quam extra religionem.

36 ℞. Non tolli, adeòque illegitimos, etiam poſt profeſſionem eſſe inhabiles ad dignitates, prælationes, aut beneficia quæcumque curata; non item ad officia manualia Ordinis, quæ dãtur abſque electione canonica, non important iuriſdictionem ordinariam, & ſunt amouibilia ad nutum Superioris (quale eſt officium magiſtri nouitiorum, Sacriſtæ, Procuratoris, Confeſſarij monialium. ita *Sayrus loco ſuperius allegato, Miranda p.2. q.2. a.1. Sanch. ſup. nu.16. Peyr. de R. P. q.2. c.5. n.135. Lezana to.1. c.3. n.2.* aliiq; penes ipſos contra *Rodr. to.1. q.13. a.5.* ſuſtinentem per profeſſionem iure diuino comparari integram, ac perfectam legitimationem, qua illegitimi redduntur omninò idonei ad omnes dignitates Eccleſiaſticas, etiam epiſcopatus, ac ſi ex legitimo matrimonio procreati eſſent: ſed immeritò, & ſine ſufficienti fundamento, vnde & communiter reijcitur. ratio noſtræ reſponſionis deſumitur tum ex *c.1. de filijs præsbyt.* quod vbi dicit *Vt filij præsbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad ſacros Ordines non promoueantur, niſi aut monachi fiant, aut in congregatione canonica regulariter viuant;* ſtatim ſubdit *prælationem verò nullatenus habeant* (quod etiam expreſsè deciditur in *cap. fin. eodem tit.*) quia Regulares ex varijs priuilegijs poſſunt per proprios Prælatos diſpenſari ſuper irregularitate ex defectu natalium, ad hoc vt poſſint promoueri ad prælaturas, & dignitates Ordinis; quod eſt ſignum dictam irregularitatem non tolli per profeſſionem; aliàs dicta priuilegia eſſent inutilia.

37 Quòd tamen ſpectat ad beneficia regularia ſimplicia, quæ non ſunt prælaturæ, docet *Sanch. n.16. ex Nau. & alijs* ab ijs conſequendis non excludi religioſos illegitimos poſt profeſſionem; probatque ex eo quòd in citato *c. de filijs præsb.* propterea dicitur *prælationem verò nullatenus habeant*, vt conſtet illegitimos poſt profeſſionẽ excludi quidem à prælaturis, non item à beneficijs regularibus ſimplicibus manualibus: quin etiam *Caſtrus Pal. ſup. n.9.* credit, ſtando in rigore iuris, illos eſſe capaces beneficij, etiam curati: dũmodo nõ ſit prælatura; idq; probat ex *c. vt filij de filijs præsb.* & meo iudicio non improbabiliter.

38 Vtrum verò monialis illegitima vi profeſſionis religioſæ fiat habilis, ad hoc, vt abſque alia diſpenſatione eligatur in Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, diſcutiemus ſuo loco in peculiari *tra. de monialibus*, vbi cũ *Sanch. ſup. n.19.* ſuſtinebimus partem negantem contra *Rodr. to.1. q.13. a.21.* quamquam, ſi verũ ſit, quod ait *Diana p.3. tr.2. reſol.101. ex Lauorio* Congregationem Cardinalium declaraſſe, quod illegitimæ non comprehenduntur Conſt. Sixti V. contra Regulares illegitimos, quo minùs eligi poſſint ad officium Abbatiſſæ, aut Prioriſſæ; tunc partem affirmantẽ poſſemus ſequi; maximè cum eam ſuſtineant præter *Rodriq. etiam Portellus. Mir. & Hieron. Rodr.* relati à *Diana*: qui addit, ſtando in ſententia negãte, poſſe Prælatos monialium diſpenſare cum illis ſuper illegitimitate in ordine ad ſupradictum effectum: quod item concedit *Sanch. n.20. ex Rodriquez.*

QVÆRES X. An per profeſſionem ita tollatur defectus natalium, vt religioſus aliàs illegitimus fiat capax ſucceſſionis in bona paterna, adeòque monaſterium, alioqui capax, in ea ſuccedere poſſit.

39 ℞. Non tolli; patetque ex eo quòd quamuis iuxtà *authent. quibus modis naturales efficiantur ſui §. ſi quis igitur collat. 7.* talis legitimatio fiat per oblationem ſpurij curiæ Principis ſæcularis, eo quòd oblatus in præmium illius oblationis cenſeatur legitimari à Principe (quod tamen dicit *Sanch. numer. 26.* non eſſe modo in vſu:) non ideò tamen iſte effectus attribui poteſt profeſſioni;

R cùm

cùm ratio, quæ militat in ſupradicta obligatione, locum non habeat in profeſſione, vt patet. ita *Sanch. ſup. ex Palud. S. Anton. Suar. Couar.* & alijs contra plures Canoniſtas allegatos ab eodem *Sanch.* in quorum ſententiam videtur inclinare *Suar. Canoniſta, & Paleotus* aſſereus eiuſmodi effectum ſequi ex eo etiam præcisè quòd illegitimus initietur ordinibus ſacris.

QVÆRES XI. An profeſſio religioſa expiet maculam quò ad actus temporales, ita vt qui erat ineptus ad teſtificandum, eo quod damnatus ſit furti, aut periurij, per profeſſiouem efficiatur aptus ad teſtimonium ferendum.

40 ℞. Effici; & colligitur ex *authent. de Monach. collat. 1.* vbi deciditur per religionis ingreſſum omnem maculam abſtergi (ideſt per profeſſionem, vt benè notauit *Felin. ibi num. 2.*) ita *Sanch. nu. 27. ex Gloſſ. Felin. & Rebuf.* addens tale priuilegium concedendum eſſe, etiam emittentibus vota biennij in Societate, cum ratio conceſſionis talis priuilegij eo nitatnr, quod reſpectu Religioſi profitentis; ſicque ſe totum Deo dedicantis ceſſat præſumptio falſę teſtificationis orta ex illis delictis antea commiſſis; quæ ratio vtique militat reſpectu emittentium vota illa biennij, vtpotè per quæ homo verè moritur mundo, & fit verus religioſus in perpetuum diuino obſequio emancipatus.

QVÆRES XII. An vi profeſſionis factæ ante mortem parentis aboleatur præterita filij profitentis ingratitudo, vt is ob eam non poſſit ampliùs exhæredari.

41 ℞. Aboleri, ac proinde non poſſe ampliùs exhæredari, etſi in teſtamento patris facto ante profeſſionem fuiſſet exhæredatus; idque ob religionis fauorem. colligitur *ex cap. fin. 19. q. 3.* deſumpro ex *Nouella conſtitutione.* per quam derogatum eſt *l. Deo nobis* §. 1. *C. de Epiſc. & Cleric.* ex qua contrarium colligebatur, nec non omnibus alijs iuribus antiquioribus, vtpotè quæ continet ius Cæſareum, nō quodcumque ſed nouiſſimum, & vt probat *Couar. in 4. decretal. p. 2. cap. 7. §. 4. numer.* 12. non falsò inferitur decreto, vt putant aliqui, ſed reperirut in emendatis codicibus, & conſequenter non deſtituitur auctoritate. ita *Sanch. nu. 33. Rodriq. vbi ſup. Mol. tr. 2. D. 176. ſub finem Lezana to. 1. cap. 3. nu. 5.* alijque quorum doctrina locum habet etiam in ijs, qui in Societate emittunt vota biennij (idque ob rationem in ſimili caſu adductam *q. præcedent*) & quidem ita, vt ſi expellārur poſtea à Societate nō ideo reincurrant priſtinam ingratirudinem abolitam: quod notat in ſpecie *Sanch. nu. 34.* idem docens de profeſſis aliorum Ordinum à religione in perpetuum expulſis: qua de re *Gordonus l. 6. q. 5. n. 113.*

QVÆRES XIII. An Regulares per profeſſionem liberentur à poteſtate patris.

42 ℞. Liberari quo ad ea, in quib. ipſis confert liberari patria poteſtate; non itē quo ad ea, in quibus id ipſis cederet in damnum: ſi quidem contra *regulam 61. in 6. quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*: eſt communis DD. apud *Sanch. num. 29.* & ſuadetur non tam ex aliquo iure, in quo id expreſsè decidatur (tale enim ius non reperitur) quàm ex tatione, quam tradunt *Bartol. Ant. Gomez alijque* communiter: nimirum, quòd cùm religioſus per profeſſionem omninò tranſeat in poteſtatem Abbatis, par eſt, vt ſubtraharur à patria poteſtate: aliàs ſubijceretur duplici poteſtati, quod eſſet contra æquitatem. quæ ratio locum habet etiam in religioſis Societatis emittentibus vota biennij; quippequi per ea fiunt veri religioſi, & tranſeunt in poteſtatem Superioris; ſicque æquum eſt, vt etiam ipſi eximanrur à patria poreſtate, ſaltem quamdiu manent in Societ. adſtricti illis votis.

Dico, *ſaltem quamdiu manent in Societate*; ſi enim dimmittantur è Societate, putat *Sanch. n. 31.* verius eſſe eos iterum ſubijci patriæ poteſtati: cùm liberatio ab illa inducta ſit nō aliquo iure, ſed ex eo quòd religioſus vi profeſſionis tranſeat in alterius poteſtatem, ideòque talis debeat eſſe liberatio, qualis eſt tranſitus: vnde cùm per profeſſionem tranſeatur abſolutè, & ſimpliciter in alterius poteſtatem, per vota verò ſimplicia Societatis conditionaliter ex parte ipſius Societatis, (ideſt dum ea retinuerit) mirum non eſt eam liberationem per profeſſionem eſſe omninò abſolutam, & independentem à futuro euentu, per dicta autem vota ſimplicia conditionalem, ideſt quamdiu vouens manſerit ſub Prælati poteſtate. ita *Sanch.* quamuis cùm dicat id eſſe verius, tacite innuat ſe probabile exiſtimare oppoſitum; & meritò, cùm in alijs ſimilibus caſibus non reincurratur hæc liberatio ſemel obtenta, eſto ceſſet cauſa, vnde ea conſequitur, vt quando quis per matrimonium, aut Epiſcopatum patria poteſtate liberatur, & poſtea ſoluitur matrimonium, aut deponitur epiſcoparus: nam in iſtis caſibus etiam ſecundum Sanch. non iterum filius ſubditur patriæ poteſtati: cum Sanchez ſentit *Gordonus l. 6. q. 5. num. 113. quos reijcit Lugo D. 5. de iuſt. nu.* 10.

43 Notat autem *Bordonus c. 5. de profeſſ. q. 20.* quòd, quamuis per profeſſionem filius eximatur à poteſtate patris modo dicto: hinc tamen non fit, quòd pater amittat exemptionem ratione 12. filiorum. probat tum quia ad fruendum tali exemptione ſufficit, quod quis ſimul actu habuerit 12. filios, vt docet *Iaſon in l. ſi quis hæredem C. de inſtit. & ſubſtit.* relatus à *Graffio p. 1. deciſ. l. 3. c. 5. n. 34. in addit.* tum quia filius licet profeſſus, adhuc dicitur viuere, cum non ſit mortuus mundo in ijs, in quibus poteſt patri præiudicare.

Addo ego ex eo quod religioſus eximitur per profeſſionem à poteſtate Patris, non ſequi ipſum eximi etiam à poteſtate Tutoris: & colligo ex eo, quod habet *Tuſchus lit. P. concl. 883. n. 1.* videlicet patriam poteſtatem ſolui per profeſſionem, & ideo filium non acquirere patri vſumfructum: cum enim hoc verificari non poſſit de Tutore, vt patet: apparet diſcrimen, cur per profeſſionem dicatur ſolui poteſtas Patris, non item poteſtas Tutoris; ſiquidem à diuerſis non fit illatio, & vbi militat diuerſa ratio, militat & diuerſa iuris diſpoſitio. Munus autem Tutoris deſeruire poteſt Religioſo profeſſo pro defenſione ſuorum iurium temporalium, ac ſpiritualium, pro iure alimentorum à monaſterio, pro defenſione ſui honoris, ac famæ; pro arcēdis iniurijs, pro actione iniuriarū cōtra illas iam allatas, &c.

QVÆRES XIV. An per profeſſionem dirimantur

mantur ſponſalia antea contractam.

44 ℞. Dirimi; & probatur ex eo quod per profeſſionem ſolemnem dirimitur matrimonium ratum, & non conſummatum; ergò à fortiori per eam dirimentur etiam ſponſalia, quæ ſunt quid minus quam matrimonium ratum, non conſummatum, vtpotè quæ obligant ſolùm de futuro, cùm matrimonium ratum obliget de præſenti. ita in terminis *Lezana ſup. num. 3. cum Soto l. 7. de iuſt. quæſt. 5. art. 3.* aliíque communiter, qui, licèt in ſpecie loquantur de profeſſione, idem tamen dicere debent etiam de votis ſimplicibus, quæ in Soc. Ieſu emittuntur poſt biennium, quamuis aliàs per dicta vota non diſſoluatur matrimonium ratum non conſummatum anteà contractum, vt inferiùs probabo; ſi quidem ſponſalia non obligant vltrà intentionem promittentis: in noſtro autem caſu promittens non præſumitur habuiſſe intentionem ſe obligandi ad ſponſalia caſu, quo eligeret ingredi religionem, & ibi profiteri; promiſſio enim cenſetur facta cum hac tacita conditione, niſi melior ſtatus eligatur.

QVÆRES XV. An, & quo modo per profeſſionem diſſoluatur matrimonium.

45 ℞. Diſſolui matrimonium ratum, vt oſtendimus in *tract. præced. cap. 4. quæſt. 9.* ſecùs, ſi ſit conſummatum; tunc quippe matrimonium non diſſoluitur per profeſſionem ſubſequentem: idque ſiue fuerit conſummatum extrà bimeſtre, ſiue intra, & quidem etiam per vim; cuius rei ea eſt ratio, quòd per conſummationem matrimonij coniuges fiunt vna caro, quæ non debet ſeparari, niſi per alterutrius mortem iuxtà verba *Apoſtoli 1. Cor. 7. mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit*, ita *Bonacin. de matr. q. 3. par. 4. num. 8. ex Tuſco Sanch. Regin. Rebello, Coninco Gutier. & Couar.* patetque ex dictis, ſi ſolùm probetur matrimonium conſummatum non diſſolui per profeſſionem ſubſequentem; probatur autem tum quia nullo iure habetur ipſum ſic diſſolui: tum quia oppoſitum deciditur *27. quæſt. 2. cap. ſi quis coniugatus*: tum quia extant multa loca ſcripturæ, quæ ſaltem debent intelligi de matrimonio conſummato: quale eſt illud *Matth. 19. quicumque dimiſerit vxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.*

At dubium eſt, vtrum per vota ſimplicia biennij aut Coadiutorum formatorum, quæ fiunt in Soc. Ieſu diſſoluatur matrimonium ratum.

46 ℞. Diſſolui matrimonium ratum ſubſequens ipſa vota: quod ſtatuit Greg. XIII. in ſua Extrauag. *Aſcendente* his verbis: *Nec ante huiuſmodi diſſolutionem & à Societate dimiſſionem matrimonium contrahere: quin immò eos omnes ad contrahendum inhabiles, ac contractus huiuſmodi nullos, & irritos eſſe, pro vt irritos facimus, & annullamus*, non item matrimonium ratum præcedens dicta vota: id enim per ea non diſſolui docent *Suar. tom. 4. de rel. tr. 10. l. 4. cap. 3. n. 3. Sanch. l. 5. moral. c. 1. n. 29. Henriq. l. 11. cap. 8. num. 7. Vaſq. 1. 2. q. 96. a. 4. D. 165. cap. 10. Filliuc. tr. 10. n. 61. & alij* contra graues DD. tam Societatis, quàm externos ab ipſo *Suar.* tacito nomine citatos oppoſitum ſuſtinentes: & non improbabiliter, vt innuit idem Suar. dum ait contrariam ſententiam, quam ipſe ſequitur, frequentiùs à viris doctis recipi ſibiq; ſemper veriorem, ac ſecuriorem viſam eſſe: quod eſt concedere ſententiam Aduerſariorum eſſe veram, & ſecuram. probatur autem reſponſio quò ad hanc poſteriorem partem, maximè ex eo quòd diſſolutio matrimonij rati per profeſſionem ſequentem, vel eſt ex priuilegio Chriſti, vel ex iure eccleſiaſtico, vt alibi diximus, & probat *Sanch. l. 2. de matr. D. 19. n. 3.* nullibi vero in iure reperitur id conceſſum, niſi ſoli profeſſioni ſolemni; quippe de hac ſola loquuntur iura, quando agunt de iſta diſſolutione, vt conſtat ex *c. deſponſatam, & cap. decreta legalia 27. q. 2. ex extrauag. Io: 22. antiquæ de voto c. ex publico, & ex c. ex parte de conuerſ. coniugat.* nec non ex *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de matr. can. 6.* quod eſt ita verum, vt talis diſſolutio non concedatur, nec ſolemni voto ordinis ſacri, ſicut deciditur in extrauag. citata *Antiquæ*; cùm tamen vota ſupradicta in bullis pontificijs dicantur eſſe non ſolemnia, & actum illum, in quo emittuntur, & recipiuntur, non eſſe profeſſionem religionis, de qua loquuntur iura communia, vt benè obſeruauit *Suar. num. 4.*

Vtrum autem dirimatur matrimonium ratum per profeſſionē emiſſam in Religionibus Militarib.

47 ℞. Dirimere, ſi eorum religioſi ita ex eorum inſtituto profiteantur, vt ſint, & dici poſſint ſimpliciter religioſi: quales ſunt Equites Melitenſis Ordinis, immò & S. Io: (quidquid dicat *Sotus in 4. d. 27. q. 1. a. 4. §. quo circa* docens per horum profeſſionē non diſſolui matrimonium ratum, non conſummatum;) ſecùs ſi eorum religioſi ita profiteantur, vt verè, & ſimpliciter non reputentur religioſi: cuiuſmodi ſunt Equites Sancti Iacobi, Alcantaræ, Calatrauæ, & ſimiles; qui cùm in profeſſione non emittant votum caſtitatis abſolutæ, ſed tantū coniugalis, conſequenter poſſunt contrahere matrimonium, ſicque non eſt, cur per eorum profeſſionem dirimatur matrimonium ratum. ita *Rodriq. to. 3. q. 1. a. 7. ex Henr. Arag. Onando & Petro de Ledeſ.*

48 Addo, quod ſpectat ad matrimonium infidelium, etiam conſummatum, probabile videri illud dirimi per profeſſionem. ita in terminis *Lezana to. 1. ca. 3. n. 3. ex Soto in 4. d. 39. q. vn. a. 4. ſub medium, & Cornexo tom. 2. in 3. p. tr. de matr. D. 6. d. 2.* patetque ex eo, quòd, cùm matrimonium ratum fidelium ſit vinculum ſtrictius, quàm matrimonium conſummatum infidelium, ſi illud diſſoluitur per profeſſionem religionis, vtique & hoc diſſoluetur; quod eſt fundamentum, quo *Sanch. l. 2. de matr. D. 17. n. 2. cum Nau. l. 3. conſ. de conuerſ. infidel. conſ. 3.* oſtendit Papam poſſe diſpenſare in matrimonio conſummato infidelium dum ambo baptizantur.

QVÆRES XVI. An, & quomodo per profeſſionem religionis vacent beneficia eccleſiaſtica, ac extinguantur penſiones.

49 ℞. Et ea vacare (quæcumque ſint,) & iſtas extingui. ita *Sanch. l. 7. moral. c. 29. n. 2. & 8. Lezana ſup. c. 2. n. 17. alij;* penes ipſos; & probatur tum ex *c. beneficium de Regul. in 6.* vbi ſtatuitur beneficia ingredientis religionem conferenda non eſſe ante profeſſionem tacitam, vel expreſſam, quod eſt dicere à contrario ſenſu ea conferri poſſe ſtatim, ac nouitius profitetur; tum quia per profeſſionem morimur mundo, adeòque ſicut morte naturali vacant

beneficia, ac penſiones, ita & vacabunt profeſſione, quæ eſt mors ciuilis; intellige, niſi intercedat diſpenſatio Papæ, qui ſolus in hoc poteſt diſpenſare cum religioſis, loquendo tam de beneficijs ſimplicibus, quam de penſionibus, vt rectè notat *Sanch. numer.6.* monens per profeſſionem Equitum S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ non vacare beneficia, neque penſiones; vtpotè qui non ſunt verè religioſi, nec fiunt dominij incapaces: & hoc ob rationem allatam *q. præcedenti §. vtrum*; quę cum non militet in Equitibus S. Io: & ſimilibus, dicendum eſt per eorum profeſſionem ipſorum beneficia, & penſiones vacare; quod item aduertit *Sanchez*.

50 Quamquam, quod ſpectat ad penſiones, docet *Sanch. numer. 8.* eas ſolum per profeſſionem extingui, quæ etiam extinguerentur per contractum matrimonij; ac proinde, cum non vacent per matrimonium penſiones, quæ dantur pro re vtiliter geſta, aut gerenda in defenſione Eccleſiæ, aut pro aliquo miniſterio merè temporali, aut cum intentione expreſſa in literis conceſſionis, quod eæ durent ad totam vitam penſionarij: eiuſmodi penſiones neque vacabunt per profeſſionem, ſicque quamdiu religioſus naturaliter viuet, illis fruetur monaſterium, ſi ſit capax; ſi verò non ſit capax, eę pertinebunt ad hæredes, ſiue à religioſo inſtitutos, ſiue ab inteſtato ſuccedentes; idque dum naturaliter viuet religioſus penſionarius; ratio eſt, quòd eiuſmodi penſiones ſunt quaſi cenſus conceſſi ad vitam religioſi in ſtipendium rei temporalis geſtæ; hi autem non ceſſant, niſi morte naturali.

51 Adde per profeſſionem vacare beneficia Eccleſiaſtica ipſo iure: idque ex *c. beneficium ſup. citato*, vbi cùm dicatur beneficium illius, qui religionem ingreditur non eſſe infra probationis annum, alicui conferendum, niſi ad id ipſius accedat aſſenſus, aut conſtet, quòd vitam voluerit abſolutè mutare, vel expreſſam profeſſionem fecerit, ſeu ſcienter habitum receperit profeſſorum: à contrario ſenſu indicat beneficium poſſe conferri, etiam ſine conſenſu religioſi beneficiarij; quod eſt illud ipſo iure vacare. ita *Barboſa de offic. & pot. Epiſc. alleg. 57. n. 288. ex Sanch. Henriq. Gonzal. Rodriq. & alijs* inter quos *Rodriq. to. 1. q. 37. a. 1.* idem putat dicendum eſſe, & de penſionibus.

Difficilior eſt quæſtio illa, quam tractat *Sanch. ſup. cap. 4. n. 7.* vtrum per vota ſimplicia biennij, quæ fiunt in Societate vacent beneficia ecclesiaſtica, & penſiones ante ſolemnem profeſſionem, aut vota Coadiutorum formatorũ inducentia omnimodam incapacitatem retinendi bona.

52 ℞. Non vacare; & ratio eſt, quòd ius decidit vacare beneficia per ſolam profeſſionem tacitam, aut expreſſam, per quam profeſſus fit incapax retinendi bona: ergò cùm per vota illa biennij religioſi Societatis non reddantur incapaces retinendi bona, (vt oſtendemus ſuo loco,) per ea dicendum eſt non vacare beneficia; quæ ratio vtique euincit per talia vota neque penſiones vacare. ita *Sanch. ſup.* referens, ſic, lite mota fuiſſe iudicatum, ſicque ſenſiſſe Patres Societatis. in *I. eius Congreg. gen. can.* 140. etſi poſtea in V. Congregat. gen. *can.* 19. decreuerit, vt noſtri, qui ante ingreſſum Societatis eccleſiaſtica beneficia quæcumque obtinent, finito probationis biennio, priùs quàm vota ſimplicia ſcholaſticorum emittant, omninò reſignent, non obſtante *canone citato I. Congregat:* vnde infert *Sanch.* quòd non vacarent, ſi ea reſignatio nõ fieret.

QVÆRES XVII. An, & qualiter per profeſſionem amittatur nobilitas.

53 ℞. Quòd, quamuis per profeſsionem deperdatur nobilitas accidentalis, & politica conſurgens ex publico officio aut ſæculari militia, vel adminiſtratione; cum profeſſus hæc adminiſtrare non poſſit; non deperditur tamen nobilitas, vt ita dicam, ſubſtantialis, proueniens ex natalibus: quippe quæ eſt quoddam ius ſanguinis ac ſubinde naturale, & incommutabile iuxtà *l. ius agnationis ff. de pactis*; immò nec deperditur nobilitas accidentalis, & politica, quæ non verſatur in temporali adminiſtratione; cuiuſmodi eſt, quæ oritur ex gradu Doctoris, vtpotè quæ non eſt incompoſſibilis cum profeſſione: ſicut nec deperditur nobilitas accidentalis, quæ in ſęculo pretio eſt comparata. ita *Sanch. l. 7. moral. cap. 12. nu. 13. ex Tiraquel. Romano, Gulel Bened. & Roſela* ſubdens ex *Romano* quod, quando in *cap. ſcripſit 27. quæſt. 2. & c. præſens 20. quæſt. 3.* dicitur dignitatem nobilis amitti per profeſſionem, ſolùm ſignificatur per eam amitti dignitates nobiles ſæculares, vt ducatum, comitatum, &c. vtpote quæ per profeſſum adminiſtrari non poſſunt.

QVÆRES XVIII. An, & quo iure per profeſſionem fiat Religioſus incapax dominij rerum temporalium tum acquirendi, tum transferendi in alium.

54 ℞. Fieri, non quidem ex natura rei, ſed tantum ex iure Eccleſiaſtico. ita *Sanch. l. 5. moral. cap. 1. nu. 9. ex Vaſq. Ribaden. & Azor.* patebitque ex dicendis de voto paupertatis *ſect. 3. q. 1.*

Solùm hìc controuerti poteſt, an per profeſſionem eo ipſo reuocetur teſtamentum factum à profitente, in ſæculo, non inſtituto monaſterio.

55 ℞. Non reuocari, ſiue monaſterium ſit incapax (quod omnes concedunt) ſiue ſit capax; ſiue tempore teſtamenti cogitatum ſit de ingreſſu religionis, ſiue non. ratio eſt, quòd Auctores contrariæ ſententiæ triplici ex capite contendunt teſtamentum rumpi per profeſſionem; alij quaſi ex agnatione poſthumi, alij ex capitis minutione, & alij ex contraria præſumpta voluntate; at agnatio poſthumi non probat dictam reuocationem teſtamenti, cum communior, & probabilior ſentẽtia ſit monaſterium nõ haberi loco filij, (vt probat *Sanch. l. 7. moral. c. 9. num. 19.*) & dato quòd haberetur, non ideò rumperet teſtamentum, cùm id ſolùm in caſibus iure expreſsis procedat, & nullo iure de monaſterio habeatur: non probat diminutio capitis; cùm profeſſio non ſit diminutio capitis, vtpotè, quę facit quidem mutare ſtatum, priuando libertate, ſed in melius: non probat contraria voluntas; cùm hęc ex eo ſolo pręſumatur, quòd profitens in religione, tacitè dedicet ei omnia ſua bona, & aliàs talis dedicatio ſolũ habeat locum, qñ profitẽs non fuerat teſtatus *Authent. nunc autem C. de Epiſc. & Cleric.*

Cleric. qui textus, ſicut & alij hac de re loquentes non diſtinguunt, an tempore teſtamenti fuerit cogitatum de ingreſſu religionis, nec ne, ideóq; faciũt ad confirmandam noſtram reſponſionem. ita in terminis *Sanch. ſup. cap. 3. num. 34. Sà v. teſtam. num. 38. Mol. tr. 2. D. 139. dub. vlt. Rodriq. tom. 2. ſum. c. 7. num.* 8. abſolutè docentes teſtamentum non rumpi per profeſſionem, *Mol. tom. 1. D. 139. Azor. par. 1. l. 12. cap. 2. q. vlt. & cap. 6. qu. 5. aliyque plurimi apud Sanch.* contra plures alios hac de re diuerſimodè ſentientes.

56 Addit *Sanch. n.* 89. teſtamentum Nouitij factum in ſcriptis aperiendum eſſe ſtatim poſt profeſſionẽ; ſiue monaſterium, in quo profitetur, ſit capax, ſiue non: idque eſtò alia teſtamenta per aperturam factam in vita ſoleant irritari *l. cancellauerat ff. de ijs quæ in teſtam. delen.* intellige, niſi fortè ea aperiantur ex voluntate ipſiuſmet teſtatoris.

57 Monet præterea *Portel. de dub. regul. v. teſtamentum num 2. cum Rodriq. to. 3. quæſt. 69. a. 2.* quòd licet religioſus poſt profeſſionem reuocare non poſſit teſtamentum factum ante illam poteſt tamen etiã poſt profeſſionem declarare verba dubia teſtamenti à ſe conditi dicendo, hoc vel illud prætendi, dum conderem, eique fides præſtari debet; non ſecus, ac præſtatur teſti poſt latum teſtimonium, ſi velit illud poſtea declarare; cuius rei ea eſt ratio, quod ſic declarans nihil donat, aut diſtribuit; ſi quidem declarans nihil de nouo facit, ſed iam factum aperit; ſicut dicit Iureconſultus *l. adeo §. cum quis ff. de acquir. rer. dom.* & cum eo aduertit *Sanch. ſup. cap. 11. num. 16.* in hoc eodem caſu.

QVÆRES XIX. An, & quo iure religio per profeſſionem religioſi profitentis ſuccedat in bona ipſius.

58 ℞. Succedere, ſi ſit capax: idque ex iure poſitiuo humano, nimirum ex *§. ſi qua mulier auth. de ſanctiſſ. Epiſc. & §. illud quoque auth. de monach. auth. ſi qua mulier, & auth. ingreſſi C. de ſacroſ. Eccl.* dummodò tamen profitens de ſuis bonis ante profeſſionẽ non diſpoſuerit: & hoc, ſiue talia bona acquiſita fuerint à profitente ante profeſſionem, ſiue poſt acquirantur, ſiue titulo hæreditatis, donationis, aut quocumque alio; vnde dici ſolet, quòd quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio; quãquam tale ius ſuccedendi non habeat vim, quatenùs iure ciuili inductum eſt, cùm de monachis conſtituat; ad quos eius poteſtas non extenditur: nec quatenus à *Gratiano* inſertum eſt in decreto *c. ſi qua mulier* 19. *q.* 3. ſed quatenùs eſt approbatum a *S. Greg. Papa l. 6. regiſtri indict. 2. Epiſt. 7.* & refertur *ca. quia ingredientibus 19. quæſt. 3.* his verbis, *Sed res eorum eiuſdem monaſterij iuris fiant aperta legis definitione decretum eſt,* &c.; communi omnium Pontificum conſenſu receptũ eſt; quod tamẽ non tollit, quo minùs dictũ ius ſuccedendi conſuetudine poſſit alicubi derogare: quin aliqui DD. apud *Sanch. ſup. cap. 12. num. 4.* aſſerunt alicubi fuiſſe de facto derogatum. ita *Sanch. vbi ſupra*. Vnde fit, quòd per profeſſionem non extinguuntur iura ſuitatis: quippe quæ ſunt iura ſanguinis *l. Deo nobis C. de epiſc.* ideòque ſicut iura ſanguinis ſemper manent, ſic & manebunt iura ſuitatis. ita *Bordonus cap. 5. de profeſſ. q. 21. ex Bart. quem ſequitur Graff. p. 1. dec. l. 3. c. 5. n. 34.*

59 Dixi ſub initium reſponſionis *ſi ſit capax*: ſi enim monaſterium, in quo emittitur profeſſio, ſit incapax: qualia ſunt etiam Collegia Societatis (quamuis poſſideant bona in communi) quo ad bona ſuorum religioſorum, etiam profeſſorum, aut coadiutorum formatorum; vt conſtat ex bulla Greg. XIII. *Quanto fructuoſius*, & ex bulla eiuſdem, quæ incipit *Aſcendente*, tunc ſine dubio non ſuccedit religio, ſed ij, qui ven unt ab inteſtato; niſi fortè ante profeſſionem ipſe profitens aliter de proprijs bonis diſpoſuerit. ita *Sanchez*.

QVÆRES XX. An, & quo iure per profeſſionem Religioſus tranſeat in ius & poteſtatem Religionis, ſeu Superiorum.

60 ℞. Tranſire, & quidem ita, vt, ſi poſt profeſſionem dimittat habitum, & à religione recedens ad priorem vitæ ſtatum reuertatur iure puniri poſſit tanquam apoſtata, ac deſertor ſuſceptæ religionis; & ſi neceſſe ſit, vinctus ad religionem reduci, vbicumque fuerit, & in carcerem etiam trudi; idque ex *cap. vt periculoſa ne cler. vel monach. in 6.* vbi ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ inhibetur, ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacitè, vel expreſsè profeſſus in ſcholis, vel alibi temerè habitum religionis ſuæ dimittat, nec accedat ad quæuis ſtudia literarum, niſi à ſuo Prælato cum conſilio ſui Conuentus, vel maioris partis eiuſdem ſibi eundi ad ſtudia licentia concedatur; (*ſed de hoc alibi in tract. de pœnis cap. 2 ſect. 3. qu. 4.*) ita *Azor. p. 1. l. 12. cap. 6. q. 6.* aliyque communiter; inter quos benè notat idem *Azo.* præfatum ius, quod habent Prælati religionis in ſuos religioſos, non ſolum deſumi ex iure cannonico (vt conſtat ex textu modo allegato) ſed etiam ex ipſa profeſſione: quatenus religioſus per illam promittit religioni obedientiam, eique ſe tradit, addicit, & mancipat: ita vt ſicut vi profeſſionis religioſus habet ius exigendi alimenta à religione, ſic & religio habeat ius in operas, artem, induſtriam, laborem, & miniſterium illius. & ſicut religio non poteſt eijcere religioſum abſque iuſta cauſa, ita nec religioſus poſſit religionẽ deſerere; quod eſt dicere religionem habere ius ſupra religioſum profeſſum ratione fidei per votum datæ, ac receptæ, & conſequenter ratione publicæ traditionis, qua religioſus ſe tradit religioni per 3. vota, ſiue ſolemnia, ſiue ſimplicia ad ſtatus religioſi ſubſtantiam pertinentia, fidem ſuam religioni per ea obſtringens, ipſa religione eam acceptam habente, & fidem ſibi datam à religione, ſiue ex toto, ſiue ex parte ſe illi obligantem ratam habet; vt aduertit *Suar. ſup. §. quæres*.

QVÆRES XXI. An, & quo iure habeant regulares vi profeſſionis, vt eorum vota irritari poſſint à proprijs Prælatis.

61 ℞. Habere ex iure diuino naturali; & probatur quia per profeſſionem ita ſe tradit religioſus in poteſtatem Superioris, vt is ſit ſuper eum, ac illius actiones omnes acquirat dominium: quippe religioſus hòc ipsò quòd profitetur; ita per votũ obediẽtiæ ſubijcitur arbitrio Prelati, vt, facta profeſſione, iure naturali, ac diuino non poſſit ab eo ſuã dimouere voluntatem abſq; illius iniuria: quo modo,

c. ſi religioſus de elect. in 6. habetur: *Si religioſus, cuius arbitrium non ex ſua, cùm velle, vel nolle non habeat, ſed ex illius, quem vice Dei ſuper caput ſuum poſuit, & cuius imperioſe ſubiecit, voluntate dependet.* vnde fit, vt voluntas Religioſi impotens relinquatur ad vouendum abſolutè, adeòque non poſſit vouere, niſi ſub conditione implicita, ſi Superior conſenſerit, aut ſaltem ſi non contradixerit; ex quo conſequenter ſuboritur, vt Superior poſſit vota Religioſi ſubditi irritare, etiam directè: cùm poſſit non apponere conditionem, ex qua pendet firmitas dictorum votorum, vtpotè conditionatorum. ita *Suar. tom. 2. de relig. l. 6. de voto cap. 7. numer. 3. 4. 6. Sanch. lib. 4. moral. c. 33. à num. 2. Rodriq. tom. 1. quæſt. 25. art. 5. Filliuc. tr. 26. num. 241. Azor. p. 1. l. 11. cap. 17. q. 16. Miranda par. 2. quæſt. 32. art. 4. Portell. de dub. regul. v. votum num. 32. Laym. l. 4. tr. 4. cap. 7. num. 6. Lezana tom. 1. cap. 18 num. 47. Peyr. de R. P. quæſt. 3. cap. 3. num. 7. & 8. alijque* communiter: qui contra *Caiet. 2. 2. q. 88. a. 8.* & Armill. *v. votum num. 9.* monent eiuſmodi poteſtatem irritandi vota extendi etiam ad vota verſantia circa materiam præceptā à Deo, vel ab Eccleſia (v. g. de non mentiendo, de abſtinendo à carnibus in die ieiunij) probantque ex eo quòd, licèt materia talium votorum non ſubdatur Prælato regulari, vtpotè quæ eſt neceſſaria, & poſita ſub præcepto, contra quod ille nihil præcipere poteſt; nouam tamen voluntatis obligationem ſuſcipere circa eiuſmodi materiam non eſt opus neceſſarium, ſed omninò liberum, & ſæpè non expediens, ideòque cadens ſub gubernationem Prælati.

Addit *Diana par. 6 tr. 7. reſol. 26. ex Suar. Sanchez Laym. Caſtro Palao, & Trullencho* vota religioſi facti Epiſcopi, aut Cardinalis, vel aliàs exempti à iugo regularis diſciplinæ, non poſſe irritari à Prælatis regularibus: cùm talis irritatio ſupponat poteſtatem dominatiuam, quæ in præſenti caſu non habetur; diſſentit tamen *Sà v. voti irritatio num. 5.*

62 Noſtra autem doctrina militat in omnibus votis Regularium, exceptis tamen ijs, quorum obligatio poteſtatis gubernatiuæ Prælatorum non ſubijcitur, cuiuſmodi eſt votum religionis ſtrictioris ingrediendæ (quamuis in hoc etiā diſpenſare poſſint, aut commutare, cùm non ſit ex reſeruatis Papæ:), votum ſolemne obediendi Papæ circa miſſiones, & alia ſimplicia vota, quæ à profeſſis Societatis edi ſolent, & alia id genus, quæ in aliquibus Ordinibus iuxtà ipſorum inſtitutum emittuntur. ita *Laym. ſup. ex Nau. Suar. Sanch. & Leſſ.* monens *num. 7.* Religioſum vouentem actus bonos, & non prohibitos ex vi voti teneri petere licentiam, ſi actus, circa quos verſantur ſint tales, vt ſine Superioris facultate effici non debeant: qui enim vult finem, ſe obligat etiā ad media, ſine quibus obtineri nequit finis. Immò *Caiet. Nau. Suar. & Sanch.* relati ab eodem *Layman* putant, & quidem probabiliter iudicio ipſius *Laym.* quòd, quamuis in caſu propoſito tutius, & conſultius ſit in petenda ſupradicta licentia manifeſtandum eſſe votum Superiori, cùm ſic ab eo faciliùs obtineri poſſit ea licentia; nihilominùs ad id non tenetur vouens, niſi expreſsè intenderit ad hoc ſe obligare; ratio eſt, quòd vouens peregrinationem, ad cuius executionem ſcit eſſe neceſsariam Prælati licentiam, tacitè ad id ſolùm videtur ſe obligare; quod communiter cenſetur neceſſarium ad licentiam impetrandam, ne aliàs votum fiat irritum: communiter autem cenſetur eſſe medium ſufficiēs ad obtinendam illam licentiam, aperire Superiori ſuam voluntatem, ac deſiderium, eiuſque conſenſum petere; ideòque ad hoc ſolùm videtur ſe extendiſſe virtualis intentio vouentis.

At poteſt dubitari, an Superiores Societatis poſſint irritare modo ſupradicto vota ſuorum religioſorum, qui ſola vota biennij emiſerunt: & ratio dubitandi eſt, quòd ius irritandi vota eſt poteſtatis dominatiuæ ex ſola profeſſione conſurgentis, quæ tamen in præſenti caſu non interuenit.

63 ℞. Poſſe; & probatur ex eo quòd qui emittunt ea vota, deſinunt eſſe nouitij, & per ea fiunt veri religioſi, ſeque cum omnibus ſuis tradunt Societati, itaut Societas in eos acquirat verum ius, ijque quò ad omnes ſuas operationes ſubijciantur non minùs, quàm profeſſi aliorum Ordinum; vt colligitur ex Conſtit. Greg. XV. quæ incipit *Aſcendente*: hæc autem ſubiectio ſola requiritur, & ſufficit ad poteſtatem irritandi vota, neque ad hanc neceſſariò requiritur profeſſio. ita *Suar. ſup. cap. 7. numer.* 10. & cum eo *Sanch. ſup. num.* 23. addens *num.* 24. quòd, cùm obedientia, qua Equites Ordinum militariū, etiam verè religioſi (quales præſertim ſunt milites S. Io;) adſtringuntur ſuis Superioribus, ſit valdè limitata, nec extendatur ad omnes eorum operationes, & aliàs ad ipſos non ſpectet dirigere opera ſuorum ſubditorum; non audet concedere dictis Superioribus poteſtatem hanc irritandi vota ſubditorum, niſi conſtet per legitimam conſuetudinem id eſſe obtentum.

Rurſus dubitari poteſt de Abbatibus, & Prioriſſis monialium, an hæ poſſint modo dicto irritare vota monialium ſibi ſubditarum.

64 ℞. Poſſe eodem modo, ac Prælati poſſunt irritare vota ſuorum religioſorum, probatur tum quia Abbatiſſa non habet minorem poteſtatem in actus monialium, quàm mater tutrix in actus impuberū: ergò, ſicut illa poteſt irritare vota impuberum, ſic & poterit Abbatiſſa; tum quia moniales votum obedientiæ emittunt non ſolis Prælatis Ordinis, ſed etiam Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, (vt dicemus ſuo loco) & conſequenter uota illarum includunt tacitam conditionem pendentem ex conſenſu dictæ Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ: quæ proinde non ſolùm indirectè poterit irritare ea vota, ſed etiam directè; videlicet non apponendo conditionem, ex qua dependet illorum firmitas. dixi *non ſolùm indirectè*, ut aduerterem Superiores etiam hoc modo poſse irritare uota ſuorum ſubditorum; nimirùm immutando materiam illorum, hoc eſt pręcipiendo, aut prohibendo oppoſitum, & pręoccupando tempus, quo uotum impleri deberet à ſubdito.

Quòd ſi quęras, quibus Superioribus competat poteſtas iſta irritandi uota religioſorum ſibi ſubditorum.

65 ℞. Competere non ſolum Generalibus, Prouincialibus, & Viſitatoribus, ſed etiam Prælatis localibus: cùm his omnibus emittatur votum obedientię, & ij ſint verè, ac propriè Prælati; quæ ratio pro-

probat talem poteſtatem non competere Prælatis ſecundarijs religionum, qui vocantur Vicarij, Subpriores, Miniſtri, &c. hi quippe non ſunt verè Prælati, ſed Prælatorum adiutores ad quędam ab eis commiſſa, adeòque dominatiuam non habent poteſtatem in religioſos ſubditos, quamquam ſi Prælatus maior ſit abſens, ita vt tota gubernatio Conuentus ad ipſos ſpectet, tanquam vices illius gerentes poſſent vti præfata poteſtate: cùm tunc plena Prælatorum vice fungantur, & ſint verè Prælati: idque iuxtà conſuetudinem vniuſcuiuſque Ordinis; ſicut cautè loquitur *Suar.n.17.* monens, quod cùm multitudo pariat confuſionem, ſi non ſeruetur aliquis ordo, neceſſe eſt, vt inter habentes iſtam poteſtatem irritandi ſit ſubordinatio, ac dependentia; ita vt poteſtas ſuperior ſemper ſit maior, & per conſequens cohibere poſſit minorem; vnde fit, vt Prælatus inferior non poſſit irritare votum ſubditi factum de licentia Prælati Superioris, hic verò è contra irritare poſſit votum confirmatum à Prælato inferiori: Prælatus denique æqualis irritare poſſit votum factum, & confirmatum de licentia prædeceſſoris, cùm par in parem non habeat Imperium *cap. innotuit de elect.* qua de re *Peyr. ſup. nume. 18. Regin. l. 18. num. 324. Filliuc. tract. 26. numer. 244. alijque penes Peyrinum*, qui benè monet *num. 17.* Prælatum Superiorem poſſe iuſta ex cauſa reſeruare ſibi irritationem alicuius voti, ita vt Pręlatus inferior illud irritare non valeat.

66 Docet præterea *Peyr. nu. 13. ex Suar. Sayro Clam. & Vega* poſſe ſubditum profeſſum irritationem voti ſui petere à Prælato, tam antequam illud confirmauerit, quàm poſt; & hoc, etiamſi id faciat præcisè, quia eum tędet implere votum: ſiquidem in hoc vtitur iure ſuo, & licitè poteſt optare ſibi auferri impoſitum grauamen, immò & id medijs licitis procurare; quod tamen non habet locum in Prælato: is enim quamuis ob rationem adductam poſſit pro libito irritare vota religioſi ſubditi facta ſine eius licentia, etſi nulla occurrat cauſa irritandi; vbi tamen votum factum eſt de conſenſu Superioris, nō poteſt ab eo ſine peccato ven. irritari, ſi id faciat ſine cauſa: cum quod ſemel placuit, amplius ſine ratione ſuperueniente diſplicere non poſſit; & talis irritatio arguat aliquam inconſtantiam, & leuitatem, vt patet; quod non facit, quo minus Succeſſor, etiam ſine cauſa, poſſit abſq; peccato etiam veniali irritare vota emiſſa de licentia ſui prædeceſſoris; cum iuxtà dicta par in parem non habeat Imperium, & licentia præcedentis Superioris ęqualis non poſſit præiudicare ſuccedenti æquali, quo minùs poſſit vti iure ſuo; quippequi non fuit vlla ratione voti illius particeps, nec vllo modo ſibi reſtrinxit poteſtatem illud irritandi, ſicuti reſtrinxit Superior, de cuius licentia emiſſum fuerat votum; quod rectè adnotauit *Sanch. ſup. cap. 27. nu. 36.* addens *cap. 24. num. 25. ex Arag. Suar. & Clau. Reg.* irritationem votorum fieri poſſe, etiam inuito vouente, vtpotè quæ pendet à poteſtate dominatiua Superioris irritantis, cuius vſus non pendet à voluntate ſubditi.

67 Addunt *Azor. p. 1. l. 11. c. 17. q. 4. Fill. tr. 26. n. 243. Regin. l. 18. nu. 305. & 307. Bonac. de leg. D. 4. quaſt. 2. p. 7. §. 2. num. 36.* alijque penes ipſos vota ſemel irritata à legitimo Superiore non reuiuiſcere, etiam vouens poſtea liberetur à poteſtate illius Superioris, & conſtituatur in ſtatu, in quo ſi vellet, liber, poſſet implere vota irritata; aut etiam Superior, qui irritauit, poſtea retractet dictam irritationem patet tum ex *c. quidam, & c. placet de conuerſ. coniug.* vbi deciditur coniugem, cuius profeſſio irritata fuit ab altero coniuge, non teneri, eo mortuo, ad religionem redire: tum quia votum ſemel irritatum, cum ipſo facto reddatur nullum, non poteſt iterum obligare, niſi renouetur *l. cum ex cauſa C. de remiſſ. pign.*

68 Porro quę diximus de irritatione votorum, proportionaliter procedunt etiam quo ad irritationem iuramentorum, quæ fortè fiant à religioſis profeſſis: hæc enim habent rationem voti, & pari paſſu ambulant cum voto, vt notat *Peyrinus n. 22. ex Suarez, Leſſio, Filliuc. Soto, Regin. Graff. Sanchez & alijs*, à quibus diſſentit *Val. 2. 2. D. 6. qu. 7. p. 4. col. 5.*

Quæſtio difficilior eſt, an dicta de irritatione votorum procedant etiam quo ad promiſſiones, quas religioſus ſubditus facit homini: an ſcilicet Prælatus regularis irritare poſſit eiuſmodi promiſſiones?

69 ℞. Poſſe, ſi promiſſio facta eſt ſine eius licentia: patetque tum quia religioſus, cùm non habeat nec velle, nec nolle, ſine facultate proprij Prælati non poteſt ſe obligare ad quidquam: tum quia Superior poteſt irritare promiſſiones factas Deo; ergò a fortiori poterit irritare promiſſiones factas homini. ita *Peyr. nu. 20. ex Nau. Suar. & Graff.* aſſerens *nu. 21. cum Suar. Sanch. Bonac. & Portel.* ſecus dicendum in caſu, quo ea promiſſio fiat de licentia Prælati; tunc enim probabile eſt Superiorem non poſſe irritare talem promiſſionem; alioqui nemo vellet contrahere cum religioſis; quod cederet in graue damnū ipſorum religioſorum; vnde fit, neque Superior Prælati, qui dedit eam licentiam, nec eius ſucceſſor poſſit dictam licentiam irritare: cùm obligatio inde conſurgens adſtringat ciuiliter, & naturaliter, & Prælatus ſucceſſor teneatur ſtare contractibus ſui prædeceſſoris, vt pluribus probat *Rodriq. to. 3. q. 26. a. 1.* quod eſt contra aliquos, & maximè contra *Arag. 2. 2. qu. 88. a. 8. §. eſt aliud* ſuſtinentes etiam in hoc poſteriori caſu poſſe Prælatum irritare promiſſionem factam homini, quippecuius executio pendet à voluntate ipſius Prælati. addit *Sanch. l. 4. moral. cap. 27. numer. 23.* ſubditum non implentem promiſſionem factam, eo quòd Superior renitatur, non peccare, eſto peccet Superior ſic renitendo; ſi quidem non tenetur ſubditus eam exequi, inuito proprio Prælato.

QVÆRES XXII. An, & quo modo vi profeſſionis obligentur Regulares ad obſeruantiam propriæ regulæ.

70 ℞. Obligari, quamquam, ſi regula religionis, quam quis profitetur, ſit legitima conſuetudine relaxata quo ad ea, quæ in illa præſcribuntur annexa 3. votis, excuſari poſſint ab eius tranſgreſſione, ratio reſponſionis eſt, quòd Religioſi per profeſſionem promittunt obedientiam ſecundùm regulam, ſin minùs expreſsè, (quod fit in aliquibus) ſaltem implicitè, & uirtualiter

ter, & hòc ipsò quòd per profeſſionem incorporantur religioni, quam profitentur, fiunt membra illius, ſicque ex vi vnionis politicæ, quam habent cum religione, tenentur ſeruare regulam illius: quomodo quodlibet membrum reipublicæ tenetur ſeruare leges illius. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 6. c. 13. num. 2.* & clariùs *Lezana tom. 1. cap. 7. nu. 2.* patetque ex dictis, ſi innuero ex traditis in *tract. de obligat. regul. cap. 2. q. 37. §. ex quibus*, Regulares profitentes regulam modo ſupra dicto relaxatam quò ad ea, quæ in illa præſcribuntur annexa, non teneri eam ſeruare quo ad illa: cum hæc non ſpectent ad ſubſtantialitatem ſtatus religioſi, ideoque non obligent, niſi quandiu obtinent vim legis, & aliàs talem vim non retineant, ſtante conſuetudine contraria ſufficiente ad abrogandas leges eccleſiaſticas: quę omnia probantur in *citato tr. de obligat. vbi ſup.* ideòque non eſt, cur ea hoc loco repetamus, ſolùm hìc aduerto ex ibidem dictis, quòd, cùm nulla conſuetudo valere poſſit contrà Regulam, quatenùs includit 3. vota ſubſtantialia religionis: Religioſi profitentes regulam hoc modo relaxatam, tenentur eam ſeruare, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, quæ potiùs dicenda eſt corruptela, quàm conſuetudo: qua de re *Sanch. l. 6. moral. c. 2. n. 26.*

71 Vtrum verò valida ſit profeſſio facta ab eo, qui præ morbo, aut ſenectute eſt impotens ad ſeruanda præcepta regulæ: vidimus *ſup. cap. 2. q. 13.* vbi ſuſtinemus partem affirmantem cum *Sanch. l. 5. moral. c. 4. nu. 52.*

QVÆRES XXIII. An Regulares ex vi profeſſionis religioſæ teneantur recitare horas canonicas; etiam ſi nullo ſacro ordine ſint initiati.

72 ℟. Non teneri, niſi ſint choro deputati, & profiteantur in religione habente conſuetudinem recitandi diuinum officium. ita in terminis *Suarez tom. 2. de rel. l. 4. de horis cap. 17. num. 6.* & poſt eum *Lezana ſupra cap. 12. nu. 3.* pro ſe adducens *Graffium 1. p. deciſ. l. 3. c. 5. nu. 89.* patetque quia vt latè probat *Suar.* religioſi non tenentur recitare diuinum officium ex vi ſolius profeſſionis vt ſic; cum religioſi laici verè ſint profeſſi, & tamen talem obligationem non habeant: ſed ex profeſſione vnà cum adiuncta conſuetudine, quæ præcipuè videtur fundata in obligatione, quam habent recitandi communiter officium in choro; quòd ita eſt verum, vt *Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. l. 8. cap. 2. nu. 9.* hinc inferat, quòd, cum in Societate Ieſu non adſit talis conſuetudo, vt oſtendemus in *tract. de Obligat. cap. 8. ſect. 2. q. 5.* profeſſi illius ex vi ſuæ profeſſionis non tenentur recitare officium canonicum, niſi ſint conſtituti in ſacris: ita vt, ſi quis in Societ. fuerit profeſſus, & non ordinatus in ſacris (quod de lege ordinaria non poteſt eſſe, cum nullus ibi ſit profeſſus 4. votorum, niſi ſit ſacerdos, & vix reperiatur qui ante ſuſceptionem ordinis ſacri admittatur ad profeſſionem 3. votorum), is non teneatur ad recitationem diuini officij; quod maximè colligitur ex Conſtitutione Pauli III. quæ incipit *Regimini militantis Eccleſiæ*: cum enim in ea dicatur *Socij omnes quicumque in ſacris fuerint, teneantur priuatim ad dicendum officium ſecundùm Eccleſiæ ritum*: conſequenter à contrario ſenſu innuitur eos, qui non fuerint in ſacris, non teneri ad dicendum officium; cum tamen ibi nomine *Sociorum* veniant quotquot ſunt incorporati Societati, ſiue profeſſi, ſiue non profeſſi.

QVÆRES XXIV. An Regulares vi profeſſionis ſubijciantur prohibitionibus, pænis, obligationibus, alijſque oneribus contra Religioſos iure inductis.

73 ℟. Subijci: ſicut enim vi profeſſionis acquirunt ius ad vſum priuilegiorum ſtatui religioſo competentium; ita & par eſt, vt vi illius ſubiaceant oneribus dicto ſtatui adiunctis iuxtà regulam iuris *Qui ſentit commodum, debet ſentire & onus*; præter quàm quòd præfata onera à legitima poteſtate impoſita ſunt religioſis; regulares autem per profeſſionem verè, & propriè fiunt religioſi, ſicque ſubijciuntur oneribus ſtatus religioſi; quod eſt ita certum, vt Nouitij, quamuis gaudeant priuilegijs religionis, non ideò tamen ſubſint oneribus illius, eò quòd nondum emiſerint profeſsionem, & conſequenter in odioſis non veniant nomine religioſorum.

QVÆRES XXV. An, & qualiter profeſſio conferat ad acquirendum ius geniture, ſeu (vt clariùs loquar) præcedentiæ.

47 ℟. Conferre, vt conſtat ex communi religionũ praxi, in quibus ſaltem quò ad aliqua admittitur tale ius præcedentiæ: conferre, inquam, & quidem, etiamſi profeſsio ex occulto defectu ſit inualida, dummodò ſit emiſſa bona fide, &, adueniente mala fide ius præfatum præcedentiæ legitimè fuerit præſcriptum, vti diximus *ſup. cap. 1. q. 20. §. vtrum verò.*

Addo hic obiter religioſos per profeſsionem, aut incolatum fieri ciues loci, in quo profitentur, aut habitant: cum ſint pars illius communitatis, ac loci quò ad fauorabilia. ita *Bordonus ſupr. quæſt. 47. ex Megala.*

QVÆRES XXVI. An, & qualis profeſsio requiratur ad hoc vt Regulares obtineant ius actiuum eligendi in proprio Ordine.

75 ℟. Requiri, & quidem quòd profeſsio ſit eiuſdem religionis, in qua ſit electio, non tamen opus eſſe, vt profeſsio ſit expreſſa. ita *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 4. num. 2.* alijque communiter; patetque tum ex vſu communi religionum, tum ex *cap. ex eo §. in eccleſijs de elect. in 6.* alijſque iuribus adductis 18. *quæſt.* 2. tum quia nouitius, cum non ſit adhuc verum membrum religionis non eſt ęquum, vt ei competat ius eligendi, & admittatur ad agenda negotia monaſterij; quòd verò ſufficiat profeſsio tacita, docet expreſse *Gloſſ. in cap. nullus. c. ex eo verb. tacitè, & cap. indemnitatibus verb. tacitè de elect. in 6.* patetq; ex eo quòd profeſsio tacita, etiam ipſa eſt vera profeſsio; ad ius autem eligendi ſufficit, quòd eligens verè ſit profeſſus.

QVÆRES XXVII. An, & qualis profeſsio petatur ad hoc vt Regulares obtineant ius ad prælaturas proprij Ordinis.

76 ℟. Peti, & quidem ita vt profeſsio fuerit expreſſa. ita in terminis *Suar. ſupr. cap. 3. nu. 8.* patetque ex *capitul. nullus de election. in 6.* vt diximus *in præcedenti tr. cap. 8. q. 3.*

QVÆ-

QVÆRES XXVIII. An,& quo modo profeſſio conferat ad hoc vt Regulares vti poſſint priuilegijs conceſſis ſtatui religioſo.

77 ℞. Conferre ad hoc vt ijs vti poſſint proprio iure, non autem ſolùm per quandam extenſionem interpretatiuam conceſſionis: quo pacto Nouitij dicuntur gaudere priuilegijs Religioſorum, eo quòd in fauorabilibus fictione iuris reputentur religioſi, vt oſtendimus in *tract. de priuileg. cap. 1. ſect. 4. q. 12.* quin etiam, ſi velimus ſequi doctrinam eorum qui putant priuilegia conceſſa religioſis profeſſis non competere nouitijs (quod docent *Rodriq. to. 3. qu. 51. a. vlt. & Portell. de dub. regul. v. nouitius nu. 54.*) profeſſio conferet ſimpliciter ad hoc vt Regulares poſſint frui priuilegijs ſuo Ordini conceſſis, ſiue per ſe, ſiue per viam communicationis: vtpotè quæ conceduntur veris religioſis, quales efficiuntur Regulares ex vi ſolius profeſſionis, cùm aliàs nouitij tantùm fictione iuris cenſeantur religioſi.

Vtrum autem profeſſus inualidè ex defectu occulto vti poſſit in foro conſcientiæ priuilegijs ſui Ordinis.

78 ℞. Non poſſe, patetque quia ijs non poteſt vti neque vt profeſſus, cùm reuera talis non ſit, hoc ipſo quod inualidam emiſit profeſſionem, neque vt nouitius, cum religio iam illum reputet profeſſum, ideòque amplius eum non probet vt nouitium, nec vt talem retineat: quæ requiruntur, vt aliquis dicatur, & ſit nouitius: quod tamen non facit, quin talis profeſſus vti poſſit priuilegijs Ordinis quo ad forum externum, ad conſulendum propriæ famæ, & cauenda alia incommoda, quę ex non uſu dictorum priuilegiorum aliàs pateretur. ita uiri ſanè docti à me conſulti, & ſatis probabiliter.

CAPVT V.

De Indiſſolubilitate Profeſſionis religioſæ.

Differendum nobis eſt in hoc cap. de indiſſolubilitate, ſeu perpetuitate profeſſionis religioſæ: & cùm ea attendi poſſit tum quo ad perpetuitatem vinculi per profeſſionem conſequentis, tum quo ad reclamandum contra inualiditatem ipſius profeſſionis, tum quo ad tranſeundum ab vna ad aliam religionem in caſu iure conceſſo; propterea præſens caput diuidemus in 3. ſectiones, in quarum 1. agemus de indiſſolubilitate profeſſionis quo ad perpetuitatem vinculi: in 2. de reclamatione facienda contra inualiditatem profeſſionis: in 3. de tranſitu Religioſi profeſſi à propria religione ad aliam in caſu permiſſo.

SECTIO I.

De Indiſſolubilitate profeſſionis Religioſæ quò ad vinculi perpetuitatem.

1 *Profeſſio religioſa ex parte profitentis eſt indiſſolubilis.*
2 *Immò & ex parte religionis.*
3 *Etſi Societas Ieſu dimittere poſſit ſuos religioſos votis biennij ligatos.*
4 *Non tamen ſine iuſta cauſa.*
5 *Et hæc eſſe poteſt multiplex.*
6 *Profeſſio nequit diſſolui ex mutuo conſenſu religionis, ac religioſi.*
7 *Eſt indiſſolubilis ex voluntate ipſorum contrahentium.*
8 *At diſſoluitur authoritate Papæ; & ſæpè in ea diſpenſatum fuit.*
9 *Diſpenſatur religioſus ad matrimonium cum onere redeundi.*
10 *Is tamen vbi redit, denuo debet profiteri; immò aliquando nouum cogitur facere nouitiatum.*
11 *Diſſoluitur prior profeſſio per profeſſionem legitimè factam alibi.*
12 *Scholaris approbatus Soc. Ieſu, ſi indebitè tranſeat ad alium Ordinem, ibi inualidè profitetur.*
13 *Idque ex natura rei, & ex iure eccleſiaſtico.*
14 *Diſſoluitur profeſſio hermaphroditi facta in religione virorum, ſi poſtea erumpat in fœminam.*
15 *Non diſſoluitur profeſſio per aſſumptionem ad Epiſcopatum, Cardinalatum, aut Papatum.*
16 *Religioſus Epiſcopus, abdicato Epiſcopatu, non tenetur redire ad Ordinem; & hoc procedit, etſi degradetur: vt autem eximatur ab obedientia Ordinis, ſufficit eum confirmari à Papa.*
17 *Quòd ſi redeat, non ideo ſubijcitur Prælato regulari, niſi iterum ei obedientiam promittat, nec iterum facit vota ſpecialia Ordinis.*
18 *Diſſoluitur profeſſio facta ad certum tempus, aut ſub conditione.*
19 *Quatenus talis modus profitendi non facit verè religioſum.*
20 *At non diſſoluitur in pœnam profitentis.*
21 *Non diſſoluitur, neque quo ad vota ſpecialia Ordinis, in quo ſit.*
22 *Etſi in aliquo caſu ſuſpendatur illorum obligatio.*
23 *Profeſſio in nullo caſu ex natura rei diſſoluitur.*
24 *Item non diſſoluitur vnquam ex diſpenſatione Epiſcopi.*
25 *Idque ex perpetuo vſu Eccleſiæ, qui indicat id per ipſos non poſſe fieri, vt benè infert Suarez.*
26 *Papa diſpenſat cum religioſo, vt nubat perſeuerans religioſus.*
27 *Diſpenſari poteſt in profeſſionis ſubſtantia, votis religioſis remanentibus in ſuo vigore.*
28 *Religioſus Soc. Ieſu, etiam non profeſſus, ſi det cauſam culpabilem dimiſſioni, non eſt tutus in conſcientia.*
29 *Sicque poſt dimiſſionem tenetur ad preces debitas ex voto emiſſo ſub conditione perſeuerantiæ.*
30 *At non ſemper peccat mortaliter dans cauſam culpabilem dimiſſioni; quin, & per legitimam dimiſſionem è*

So-

Societate non ſemper eſſant vota religioſa, & aſſignatur caſus.

31 *Non præſcribitur contrà religioſam profeſſionem.*
32 *Reclamant religioſi contra profeſſionem in aliquo caſu.*
33 *Idque ex indulto Concilij Tridentini.*
34 *Et hoc ius competit omnibus religioſis.*
35 *Reclamandum coram proprio Superiore, ac Ordinario loci.*
36 *In Societ. Ieſu id faciendum coram Prouinciali, aut Generali.*
37 *Ius reclamandi reſtrictum ab Vrbano VIII. etſi hodie Ordinarius poſſit iudicare de recedente ſub prætextu nullitatis profeſſionis.*
38 *Licita eſt reclamatio in quocumque caſu profeſſio eſt nulla.*
39 *In ea tamen obſeruanda tria.*
40 *Reclamandum, retento habitu religioſo,*
41 *Item coram Superioribus præſcriptis.*
42 *Item intrà quinquennium.*
43 *Exceptis tamen aliquibus caſibus.*
44 *Idque probatur multiplici ratione.*
45 *Quinquennium autem computandum a die profeſſionis: quod alij negant: nec ſemper creditur iuranti ſe fictè profeſſum fuiſſe, & non ratificaſſe.*
46 *Impeditus per quinquennium reclamare, eo elapſo reclamat, ſi impedimentum ſit perpetuum; immò iuxtà aliquos etſi impedimentum ſit temporale.*
47 *Inualidè profeſſus debet reclamare, niſi malit ratificare.*
48 *Aliàs eijci poteſt à religione: nec profeſſio eſſe poteſt valida ſine conſenſu profitentis.*
49 *Decretum reclamandi ſolùm intrà quinquennium obligat tantùm pro foro externo.*
50 *Iudicium reclamationis coeptum intra quinquennium terminatur elapſo etiam quinquennio.*
51 *De valore huius iudicij eſt, vt fiat tum ab Ordinario, tum à Prælato regulari; ſicque fieri nequit ſolùm ab vno illorum.*
52 *Religio reclamare poteſt, etiam ipſa contra religioſum, & quidem coram Iudicibus ſuperiùs recenſitis, ſolùmque intrà quinquenium.*
53 *Sed fruſtrà, ſi religioſus publicè coram teſtibus ratificet profeſſionem.*
54 *Nulliter profeſſus, ſi non ratificet, eijci poteſt poſt quinquennium.*
55 *Item poteſt audiri beneficio reſtitutionis in integrum.*
56 *Et, ſi iniuſtè non audiatur, non ideò tenetur ad regulam, &c.*
57 *Duo requiruntur ad ratificandam profeſſionem inualidam.*
58 *Non repetitur nouitiatus, etſi irritus.*
59 *Ratificatio non exigit nouam admiſſionem.*
60 *Reclamans contrà profeſſionem verè validam eſt apoſtata: recedenti poſt reclamationem non omnia acquiſita reſtituuntur: ratificata verò profeſſione irrita, reualidantur actus irriti antea facti.*

QVÆRES I. An, & quo modo profeſſio ſit indiſſolubilis ex parte profitentis

1 ℞. Eſſe, & quidem ità, vt ſola voluntas profitentis non poſſit vnquam ſufficere ad rumpendum vinculum proueniens ex profeſſione, libertatemque recuperandam, aut cogere religionem ad eam concedendã. ita *Suar. to. 3. de relig. lib. 6. c. 15. nu. 2.* alijque communiter; & probatur tum quia Religioſi profeſſi religionem ſuam deſerentes ſunt apoſtatæ, & grauiſſimè puniuntur, poſſuntque ſemper cogi, vt redeant *cap. conſulti, cap. ex parte, & cap. vlt. de Regul. & cap. vlt. de apoſtat. & cap. vt periculoſa ne Cler. vel monach. in 6.* tum quia religioſus per profeſſionem fit ſeruus religionis, in quam ſui dominium tranſtulit; ſeruus autem non poteſt ex ſua ſola voluntate ſe reuocare in priſtinam libertatem: tum quia per profeſſionem religioſus ſe donat monaſterio; at donatio alteri facta non poteſt reuocari inuito donatario; ergo.

QVÆRES II. An profeſſio religioſa poſſit diſſolui ex parte religionis, ita vt religio poſt abſolutam, & ſolemnem profeſſionem Religioſi ſubditi ab ipſa acceptatam poſſit illum, etiã inuitum, dimittere liberum à vinculo profeſſionis, eumque compellere, vt talem dimiſſionem acceptet.

2 ℞. Non poſſe, ſi ſumatur dimiſſio quò ad proprietatem, ſeu vinculum obligationis, & quò ad ipſum religioſum ſtatum: idque licèt occurrat grauiſſima cauſa id faciendi: ita *Suar. ſup. nu. 3.* & probatur tum quia in *cap. vlt. de regul.* iubentur Prælati religionis annuatim inquirere omnes fugitiuos, & apoſtatas, & ad religionem aliquo modo reuocare: tum quia ex communi ſenſu, & praxi Eccleſiæ conſtat religioſum quantumuis eiectum in perpetuum, & exemptum ab actuali iugo religionis ſemper manere religioſum, adeòque poſſe cogi à religione, aut ſaltem à Papa, vt reuertatur ad religionem: tum quia profeſſio religioſa importat contractum, per quem religioſus obligatur religioni, & religio obligatur religioſo (vt benè oſtendunt, *DD. cum Sanch. l. 7. de matr. D. 25. num. 12.*) ergo cum religio acceptet traditionem religioſi factam, per profeſſionem, non purè tanquam donationem omninò liberalem, ſed vt oneroſum, & mutuum contractum, ſe obligans abſolutè, & ſimpliciter ad retinendum, alendum, educandum, ac benè regendum profeſſum, non poteſt ex ſua ſola voluntate illum poſtea dimittere inuitum, Dixi *ſi ſumatur dimiſſio quò ad proprietatem, ſeu vinculum obligationis* vt indicarem, quòd ſi ea ſumatur quò ad vſum (vt ſic dicam) ſtatus religioſi, & vnionẽ cum religione; ſic poteſt diſſolui profeſſio; non tamen ſine cauſa, vt oſtendemus in *tract. de priuileg. cap. 8. ſect. 2. q. 1.* & ſeqq.

3 Et hæc de iure communi; nam iure ſpeciali euenire poteſt oppoſitum; nimirum quòd religioſus ita dimittatur à religione, vt omninò diſſoluatur vinculum, & obligatio ſtatus religioſi, ſicque dimiſſus verè deſinat eſſe religioſus; patet in ijs, qui in Societate emittunt vota ſimplicia biennij, aut etiã Coadiutorum formatorum: hi ſi quidem cùm ea vota emittant ſub illa conditione, vt eis non obſtantibus emittentes liberè poſſint dimitti; poteſt Societas eos ex iuſta cauſa non ſolùm ſeparare à cætu, & conuictu aliorum ſociorum (quo modo poſſunt dimitti etiam profeſſi aliorum Ordinum, vt iã diximus) ſed etiam eos omninò liberare à vinculo religionis, efficiendo, vt verè deſinant eſſe religioſi: quod eſt tollere vinculum votorum quaſi per

ſub-

tractionem materiæ remouendo conditionem, ſub qua ſolùm obligabant, videlicèt ſi Societas eos retinere voluerit; vnde in *Conſt. cap. 7. examinis* §. 1. dicitur *Libera tamen manebit Societas nec tenebitur ad eos admittendos ad profeſſionem nec in Coaudiutores formatos, ſi ſtudiorum tempore malè ſe gererent, adeò vt Superior Societ. exiſtimaret Deo gratum non fore, ſi in eam admitterentur, & tunc ipſi etiam ſuis votis ſoluti erunt.*

4 Dixi *ex iuſta cauſa*; ad hoc enim vt præſata dimiſſio ſit valida, petitur cauſa iuſta, & proportionata; &, ſi ſecùs fiat, dimiſſio erit non ſolùm illicita, ſed etiam inualida; vnde fit, vt conditio illa, quæ inuoluitur in ſup. dictis votis *ſi Societas eos retinere voluerit*, intelligenda ſit, non de mera, ac puta voluntate ſuo abſoluto dominio, & arbitratu volente, ſed de voluntate prudenti arbitrio, & ex iuſta cauſa operante. patet id tum ex *Conſtit. Societ.* & maximè ex *cap. 6. examinis, in gloſſas lit. A.* vbi dicitur, *Nec eſt iniuſtum, vt patet in literis apoſtolicis, ſi Societas libertatem ad eos dimittendos* (intellige adſtrictos votis tantùm ſimplicibus) *quando non faciunt quod debent, retineat*; qua ſi dicat, ſecùs eſſe, ſi faciant, quod debent: unde infrà ſubditur *quorum* (Societatis ſcilicet, & Præpoſiti generalis) *tantùm erit poſſe dimittere, neque id ſine cauſis iuſtiſſimis fieri debet*: tum ex bulla Gregorij XIII. *Quantò fructuoſius*, quæ, ubi aſſerit Scholares Societatis dictis uotis adſtrictos non poſſe ipſos Societatem dimittere ſine uitio apoſtaſiæ, addit quamuis ex rationabili cauſa iuxta Conſtitutiones eiuſdem (ideſt Societatis) ab ipſo Præpoſito generali dimitti, & uotis huiuſmodi liberari poſſint.

5 Cauſæ uerò iuſtæ dimittendi è Societate adſtrictos uotis biennij, poſſunt pertinere ad defectum tam animæ, quàm corporis: animæ quidem, ſi quis iudicetur nociturus alijs ſuo malo exemplo, ſi inquietum ſe oſtendat, ſi uerbis, aut actibus alijs offendiculum præbeat, ſi non poſſit ſe accommodare obedientiæ Societatis infringendo ſuum iudicium, ſi non poſſit corrigi in ſuis defectibus, iiſque talibus, ut, ijs ſpectatis, Superior prudenter iudicet non fore Deo gratum talem perſonam admittere, aut retinere in Societate; corporis uerò, ſi in Societate contrahat infirmitatem corporis, ob quam neque in ſtudijs proficere, neque in ipſius Societ. miniſterijs dignè exerceri poſſit: quamquam in tali caſu iuxtà Conſtitutiones Societ. *p. 2. c. 2. lit. B. in gloſ.* declaretur talem non eſſe dimittendum à Societate hac ſola de cauſa, niſi ipſe contentus ſit. ita *Suar. tom. 4. de relig. tr.* 10. *l.* 3. *c.* 9. *n.* 12. monens *num.* 15. doctrinam §. *præcedenti* traditam non procedere ſolùm quando quis inuitus dimittitur à Societate, ſed etiam ſi ipſe conſentiat; ſi quidem ſolus conſenſus Religioſi dimittendi non præbet cauſam ſufficientem eiectionis: cùm in eiectione attendatur non tantùm ius Religioſi, cui ipſe poteſt cedere, ſed etiam bonum religionis, & præſertim obligatio facta Deo: unde non poteſt eſſe legitima eiectio, niſi cauſa ſufficiens interueniat in ordine ad hæc omnia.

QVÆRES III. An uinculum profeſſionis diſſolui poſſit ex mutuo conſenſu, & pacto contrario (ut ita dicam) religionis, ac religioſi profeſſi.

6 ℞. Non poſſe. ita *Nau. comm. 2. de regul. num. 33. & comm. 3. n. 45. ex Cardin. c. ſi de regul. q. 1. & ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 88. ar. 11.* & colligitur tum ex uarijs iuribus, & præcipuè ex *cap. vlt. de regul.* nec non ex *cap. cum ad monaſterium de ſtatu monach.* tum ex uſu, ac traditione omnium religionum, in quibus talis modus liberandi profeſſum à uinculo religionis nunquam uiſus eſt, nedum permiſſus, aut probatus; tum quia in Eccleſia non ſolùm non admittitur diſſolutio uinculi religioſi modo ſupradicto, ſed neque quò ad actualem ſubiectionem, ac unionem cum ipſa religione: &, ſi quando hæc fit, fit per modum iuſtæ pænæ, non autem per modum conuentionis, & pacti inter religioſum, & Prælatum abſque ſufficienti cauſa exigente talem ſeparationem.

Quòd ſi quæras, ex quo iure uinculum profeſſionis ſit modo dicto indiſſolubile, ex iure ne diuino, ac naturali, an ex poſitiuo eccleſiaſtico.

7 ℞. Quòd, cùm ſæpè contingat formam contractus, & modum, ac intentionem contrahendi inſtitutam eſſe more humano, & nihilominus talē contractum ex natura ſua inducere talem, aut talem obligationem, aut effectum magis, uel minùs permanentem (quo modo lex ſtatuit, ut acceptās Epiſcopatum, aut aliud munus; non poſſit propria auctoritate illud renunciare, & tamen iſte ex naturali obligatione non autem ſolum ex iure canonico tenetur illud non renunciare); ſic in caſu noſtro profeſſio ſolemnis dici poteſt habere indiſſolubitatem ex uoluntate contrahentium, Religioſi ſcilicet profitentis, & Prælati nomine religionis profeſſionem acceptantis, licèt alioqui quòd profeſſio fiat tali modo, inductum ſit ex Eccleſiæ inſtitutione vt benè oſtendit *Suar. tom. 3. de relig. l. 6. c. 15. nu. 12.* patet ex eo quòd religioſus per profeſſionem ſe tradens religioni, omninò ſe priuat poteſtate retractandi talem traditionem, totum ſuum ius abſolutè transferendo in Deum: & religio ex vi ſuæ inſtitutionis eam traditionem ſic acceptat, vt abſolutum dominium, vel quaſi dominium religioſi profitentis acquirat Deo principaliter, ſibique (vt ita loquar) miniſterialiter: vnde fit, vt religio ex vi talis acceptationis dictum dominium nō ampliùs retractare valeat, neque nomine proprio, cùm ius illud ſpecialiter tranſierit in Deum; neque nomine ipſius Dei, cum tale munus non ſpectet ad Prælatum, aut religionem, ſed ad Papā, qui habet altiorem poteſtatem diſpēſandi bona; ſeu iura Deo ſpecialiter acquiſita. ita *Suar. vbi ſup.* ex dictis inferens *nu.* 13. traditionem ſolemnem, quæ fit per profeſſionem, quò ad ſuas conditiones ita iure humano fuiſſe inſtitutam, vt tamen poſitis talibus cōditionibus iure naturali maneat irreuocabilis, etiam per Papam, niſi per diſpenſationem ex iuſta cauſa concеſſam.

QVÆRES IV. An, & quo modo diſſolui poſſit vinculum profeſſionis ex pontificia auctoritate.

8 ℞. Poſſe per legitimam diſpenſationem (vt paulò ante innui) & quidem ita, vt, qui hactenus fuit religioſus profeſſus, ampliùs non ſit religioſus:

quod

quod eſt contrà *Capreolum, Sylu. Tabien. Abulenſ. Sot. & Altiſidor. relatos à Suarez ſup. cap. 16. num. 1.* oppoſitum ſuſtinentes cum *S. Tho. 2. 2. q. 188. ar. 11.* cum tanta aſſeueratione affirmante profeſſionis vinculum eſſe omninò indiſpenſabile, etiam per poteſtatem Papæ, vt contra ſuam conſuetudinem dicat Papam non poſſe facere, *quod ille, qui eſt profeſſus religionem, non ſit religioſus, licèt quidam Iuriſtæ ignoranter contrarium dicant.* probatur autem noſtra aſſertio tum ex eo quòd ſæpiùs diſpenſarunt Pontifices in hoc; vt videre eſt apud *Baronium anno Chriſti 1041. & Suar. n. 6.* referentem fuiſſe diſpenſatū cum Ramiro Monacho, & Sacerdote ex ſtirpe regum Aragoniæ ob defectum ſucceſſionis, vt monaſterium deſereret, ac vxorem duceret, ex eaque habuiſſe filium, qui ſucceſſit in regno: tum quia profeſſio religioſa non eſt indiſpenſabilis ex eo præcisè, quod ipſa habet à iure diuino; & aliàs quidquid ei additum eſt ex inſtitutione Eccleſiæ, non poteſt dici indiſpenſabile; ergò ſimpliciter poteſt Papa in ea diſpenſare: idque ex vniuerſaliſſima poteſtate ipſi à Chriſto tradita *Math. 16.* illis verbis *quodcumque ſolueris ſuper terrā, erit ſolutum & in cælis*; quæ locutio, cùm ſit adeò vniuerſalis, conſtat ab ea non poſſe, nec debere excipi, niſi id, quòd vel natura ſua exceptum eſt, vel ipſemet Chriſtus excepit: tale autem non eſt profeſſio, vt fuſius probat *Suar. num. 12.* tum quia Papa ex omnium DD. ſententia poteſt diſpenſare in votis ſimplicibus, ergò, & poterit in ſolemnibus; cùm ſolemnitas votorum ſit inuentum Eccleſiæ, vti habetur in *cap. vn. de voto in 6.* adeoque ſubſit poteſtati pontificiæ iuxtà regulam communiter receptam *Per quas cauſas res naſcitur, per eas & diſſoluitur.* ita *S. Thom. in 4. d. 38. quæſt. 1, art. 4. quæſt. 1. ad 3. ſibi contrarius Sanch. l. 8. de matr. D. 8. num. 7. Tol. l. 4. capit. 18. §. 9 Henriquez l. 12. cap. 5. num. 7. Val. 2. 2. D. 6. quæſt 6. p. 7. col. 2. Leſſ. l. 2. cap. 40. nu. 141. Laym. l. 4. tract. 5. c. 1. nu. 8. alijque plurimi tum Theologi, tum Canoniſtæ,* quos refert, & ſequitur *Suar. vbi ſup. num. 5.* qui tamen rectè notant apud *Sanch. num. 8.* ad diſpenſandum cum profeſſo, vt matrimonium contrahere poſſit, requiri vrgētiſſimam boni communis cauſam, ac neceſſitatem, non autem ſufficere bonum priuatum ipſius vouentis v. g. probabiliſſimæ voti tranſgreſſionis vitationem.

Vtrum verò Papa in caſu propoſito poſſit diſpēſare cum Religioſo profeſſo ad effectum contrahendi matrimonium. ita tamen, vt, habita prole, redeat ad religionem, etiam renitente vxore.

9 ℞. Non poſſe, cùm de eſſentia matrimonij ſit, quòd eius vinculum ſit perpetuum, adeòque conditio illa redeundi ad religionem, habita prole, matrimonium reddat irritum, vt oſtendit *Sanch. l. 5. de matr. D. 9. num. 4.* quod tamen non facit, quin Papa diſpenſare poſſit cum Monacho ad matrimonium, cum hoc, quòd ſi, habita prole, vxor liberè conſentiat, aut fornicandò præbeat cauſam diuortij perpetuam, teneatur reuerti ad religionem: cum hoc non ſit contrà ſubſtantiam matrimonij (vt uel hinc conſtat, quòd quilibet coniux proprio uoto ſpōtaneo poſſit ad id ſe obligare) & aliàs nulla fiat iniuria uxori ſiue conſentienti, ſiue per fornicationem amittenti ius debiti coniugalis. Ita *Sanchez lib. 8. de Matrim. D. 8. numer. 9.* alijque apud ipſum.

10 Quod ſi contingat religioſum in tali caſu de facto redire ad religionem, tunc ſine dubio, ut fiat religioſus, debet iterum profiteri: cum per diſpenſationem deſierit eſſe religioſus, & perinde ſe habeat: ac ſi numquam profeſſus fuiſſet. Immò ex dictis in *tract. præcedenti ca. 1. q. 12.* puto poſſe cōtingere talem religioſum teneri ante nouam emiſſionem profeſſionis præmittere annum nouitiatus, ſi habita ratione perſonæ, religionis, & temporis, quo ille manſit extrà religionem, iudicio prudentis uiri non cenſeantur exploratę difficultates religionis, non ſecus ac in caſu non diſſimili docent *Rodriq. to. 3. q. 15. ar. 10.* & clarius, & magis abſolutè *Suar. ſup. l. 5. c. 15. nu. 8.*

QVÆRES V. An diſſoluatur uinculum prioris profeſſionis, ſi religioſus profeſſus legitimè tranſiens ad alium Ordinem ibi denuò profiteatur.

11 ℞. Diſſolui; & quidem ita, ut, ſi quod aliud uotum, ſiue ſolemne, ſiue non ſolemne, erat annexum priori profeſſioni, omninò deſinat obligare, ſi excipias uotum de non petenda, aut acceptanda dignitate extrà religionem; quod in præſentia non ceſſat ex *Conſtit. Vrbani VIII. in ordine 140.* per quamcunque religioſi translationem, aut habitus priuationem, ac dimiſſionem, vt infrà videbimus. Colligitur ex *Sanch. l. 6. moral. c. 7. n. 87.* vbi quęrens, an legitimè tranſlatus ad aliam religionem teneatur ad vota ſpecialia in priori religione emiſſa, reſpondet non teneri; probatque ex eo quòd, cùm ceſſet profeſſio prioris religionis per legitimum tranſitum ad aliam religionem; conſequenter debent & ceſſare præfata vota dictæ profeſſioni annexa iuxtà communem regulam, quod, *ceſſante principali, ceſſat & acceſſorium.* Et certè quòd in caſu præſenti ui poſterioris profeſſionis ceſſet profeſſio priùs emiſſa, patet, quia alioqui poſſet quis eſſe ſimul religioſus diuerſorum Ordinum, cum tranſiens ad alium Ordinem debeat in eò profiteri, vt ſupponunt communiter DD. vnde, ſi, emiſſa poſteriori profeſſione, non ceſſaret prior, iam tranſiens eſſet profeſſus duorum Ordinum, & conſequenter religioſus diuerſarum religionum.

Dubitari hic poteſt, an religioſus Societatis, qui poſt emiſſa vota biénij profitetur in alio Ordine, validam faciat profesſionem; & quidem ita, vt omninò ceſſet obligatio ſup. dictorum votorum: idque non ſolum ex iure eccleſiaſtico, ſed etiam ex natura rei, & ex vi talium votorum: & ratio dubitandi eſt, quòd, cum profesſio comparetur ad vota ſimplicia, ſicut promisſio alicuius rei facta vni ad traditionem eiuſdem rei factam alteri: quemadmodū traditio hæc eſt valida, quamuis illicita (vt patet in matrimonio facto cum vna poſt ſponſalia inita cum alia) ſic & valida erit ex natura rei illa profesſio, etſi illicita ratione prohibitionis humanæ.

12 ℞. Quòd, ſicut profeſſus in vno Ordine, inualidè profitetur ex natura rei in alio Ordine non magis ſtricto, ſeu perfecto, ſi id faciat, inuito priori Ordine; ſic & in præſenti caſu inualida eſt ex natura rei profesſio, quā facit Scholaris approbatus Societatis

tis in quacumque religione laxiori, ſeu minus perfecta; cum enim in priori caſu profeſſio poſterior ſit inualida non ob ſolemnitatem propriam votorũ prioris profeſſionis, ſed ob traditionẽ (ratione cuius ſit, vt poſterior profeſſio ſit traditio rei alienæ, & quæ in perpetuum ad vſum eiuſdem generis data fuerat abſque vlla conditione, aut exceptione, præterquam de religione ſtrictiori profitenda) & quo ad eiuſmodi traditionem ex parte religioſi ſe donantis, & quo ad ius acquiſitũ ipſi religioni æqualis ſit præfata admiſſio Scholarium Societatis cuilibet profeſſioni; cùm hi per eam verè ſe in perpetuum tradant Societati, & ipſa eos acceptet, vt conſtat ex forma vouendi: ſequitur eodem modo inualidam eſſe profeſſionem factam à Scholari approbato Societatis in religione laxiori; ſi quidẽ vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio. ita *Suar. to. 4. de rel. tr. 10. l. 3. c. 4. n. 19.*

13 Dixi, *idque non ſolum ex natura rei, ſed etiam ex iure Eccleſiaſtico*, vt innuerem, quod ſpectat ad ius Eccleſiaſticum, certum eſſe profeſſionem factam à Scholari approbato Societatis in religione minùs perfecta eſſe nullã; id quippe deciſum fuit à varijs Pontificibus, & maximè à Pio V. in bulla *æquum reputamus* his verbis: *quodque nihilominus ſecus facta non tenerent, & nullius exiſterent efficaciæ, vel momenti*; vt proinde id non poſſit amplius in dubium verti.

QVÆRES VI. An diſſoluatur profeſſio facta ab hermaphrodito in monaſterio ſexus in ipſo præualentis, ſi poſtea contingat eum erumpere in ſexum oppoſitum, v. g. à ſexu fœminco in maſculinum.

14 ℞. Non videri improbabile, quòd diſſoluatur, & id ob rationes in caſu non diſſimili allegatas *ſup. c. 2. q. 12. §. quòd ſi quæras*, quæ meo iudicio faciunt hanc ſententiam non improbabilem; quidquid dicat Portel. *de dub. regul. v. profeſſio hermaphroditi n. 9.* oppoſitum ſuſtinens.

QVÆRES VII. An diſſoluatur vinculũ profeſſionis ex eo quòd profeſſus poſtea promoueatur ad Epiſcopatum, Cardinalatum, aut etiã Papatum.

15 ℞. Non diſſolui, adeòq; religioſum factum Epiſcopum, aut Cardinalem, aut etiam Papã non amittere ſtatum ſubſtantialem religioſi. ita *S. Tho. 2. 2. q. 185. a. 8.* alijque communiter apud *Suar. ſup. tr. 8. l. 3. c. 16. n. 4.* & probatur tum quia ſtatus religioſus quo ad ſuam ſubſtantiam non repugnat cum ſtatu Epiſcopali, Cardinalitio, aut Pontificio, nec ipſum dedecet, immo eum quàm maximè iuuat: cum tamen Eccleſia non poſſit relaxare vinculum profeſſionis religioſæ, ſine iuſta cauſa, qualis vtiq; non interuenit in præſentia: tum quia de facto in Regularibus promotis ad Epiſcopatũ, aut Cardinalatũ manet obligatio deferendi habitum propriæ religionis: hoc autem indicat ipſos manere veros religioſos; tũ quia quod dicitur in *c. vn. 18. q. 1. Monachus, quem canonica electio à iugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſoluit*, non probat religioſum creatum Epiſcopũ deſinere eſſe religioſum, ſed ſolùm quod abſoluitur ab obedientia Prælatorum regularium, ac obſeruantijs regularibus; cũ quo ſine dubio ſtare poteſt, quòd maneat verus religioſus; præſertim cùm ex peculiari voto obedientiæ teneatur obedire Papæ vltra generalem obediẽtiam ei debitã ab omnibus fidelibus: quòd ſi religioſus creatus Papa nulli omnino ſubiectus manet, id eſt per accidens, quatenus nullũ in terris habet Superiorẽ, & non tollitur, quo minus adhuc maneat verus religioſus, vt in ſpecie aduertit *Sãch. l. 6. mor. c. 6. n. 6. ex Arag. 2 2. q. 88. a. 11. §. tertio eſt aduertend. Sanch. n. 27. ex Azor. p. 1. l. 12. c. 10. q. 7.* rectè obſeruat Religioſum factũ Epiſcopum, etiam carentẽ ſubditis (cuiuſmodi ſunt Epiſcopi annulares, ſeu titulares) eximi ab obedientia Superiorum regulariũ, ac obſeruantijs Ordinis: cũ ij reuera habeant diœceſim ſubditam, eſto per accidens eam adire nequeãt & ſaltem creentur Epiſcopi, ad hoc vt alios habentes actu diœceſim adiuuent in Pontificalibus, miniſtrando ordines, confirmationem, &c.

At difficultas eſt, an Religioſus Epiſcopus, ſi deponat munus Pontificium, teneatur redire ad religionem, & iterum adſtringatur obſeruantijs Ordinis.

16 ℞. Non teneri; & probatur ex eo quod, cum ratione dignitatis Epiſcopalis cum eo legitimè diſpẽſatum ſit quo ad obligationem obediendi Prælatis regularibus, & implendi obſeruantias Ordinis, taliſque diſpenſatio non ceſſet depoſito epiſcopatu, eum adhuc duret dignitas, quę fuit cauſa principalis diſpẽſationis: non eſt, cur iterum ſubijciatur obedientiæ, ac obſeruantiis religionis: ſi quidem nõ ceſſat diſpenſatio, niſi ceſſet omninò eius cauſa, vt eruditè more ſuo probat *Sãch. l. 8. de matr. D. 30. n. 8.* quę ratio probat reſponſionem iſtam habere verum, ſiue Religioſus Epiſcopus deponatur ob demeritum ſiue per ſpontaneam renũtiationem: non item, ſi ob delicta commiſſa degradaretur, cùm per degradationem priuetur omnibus priuilegijs cõceſſis ratione dignitatis, ita *Rodr. to. 3. q. 52. a. 26. Sà v. Epiſcopus n. 11. Henriq. l. 10. c. 32. n. 4. Nau. l. 3. conſ. de Regul. conſ. 15. nu. 11.* alijque quos refert, & ſequitur *Sanch. l. 6. moral. c. 6 n. 29.* contra plures alios ab eodem *Sanch.* relatos *num. 28.* quorum opinionem putat eſſe probabilem.

Quod autem dixi Epiſcopum regularem degradatum iterum ſubdi obedientiæ, ac obſeruantijs ſui Ordinis, negant aliqui Recentiores, & probant tum quia degradatio non auſert conſecrationem; & cõſequenter nec ſtatum Epiſcopalem, ſed eſt ſolum inhabilitatio canonica prohibens vſum functionum epiſcopalium, & auſerens vſum priuilegiorum conſequentium ad ſtatum Epiſcopalem, ac pertinentiũ ad dignitatem externam, non autem tollens ea quæ ſunt intrinſeca ſtatui; qualis eſt præfata exemptio: tum quia vota in regulari Epiſcopo extinguuntur ob mutationem ſtatus, & cum illorum obligatio debeat eſſe voluntaria, ſi ſemel extincta ſint, non poſſunt reuiuiſcere, niſi ex voluntate regularis Epiſcopi: qui tamen ex eo quòd degradetur, non poteſt dici quòd de nouo ſe obligat ad dicta vota, vt patet.

Addo ex *Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. 32. Leſſio l. 2. c. 40. n. 113. & Caſtro Palao tract. 17. D. 4. p. 24. numer. 22.* regularem Epiſcopum eximi ab obſeruantijs Ordinis hoc ipſo quòd confirmatur à Papa: tunc enim verè incipit eſſe Epiſcopus, cùm tunc compleatur contractus, quo fit ſponſus Eccleſiæ, & paſtor animarum, vtpote conſiſtens in electione, conſen-

ſu eius, qui eligitur, & confirmatione; completo autem contractu, habetur completa mutatio vnius ſtatus in alium, & conſequenter extinctio prioris ſtatus. quod ſi *cap. ſtatutum 18. qu. 1.* dicitur *quem ſacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*; nomine *ordinationis* ibi non venit ſola conſecratio, ſed totus proceſſus, quo quis eleuatur ad ſtatum epiſcopalem; in quo conſecratio eſt vltimum complementum conſetens ea, quæ ſunt Ordinis, ac ſupponens ſtatum epiſcopalem, ac iuriſdictionem: quare ex citato textu non infertur dictam exemptionem ſequi ſolùm à puncto conſecrationis, vt putant aliqui relati à *Paſqualigo deciſ. 283. num. 2.* referente *n. 1.* alios ſulinentes illam ſequi tantùm à puncto temporis, quo capit corporalem poſſeſſionem eccleſiæ.

Quòd ſi Religioſus epiſcopus, depoſito epiſcopatu, de facto redeat ad religionem, iam difficultas eſt, an, & qualiter teneatur obedire Prælato regul.

17 ℞. Quòd, licèt Religioſus in tali caſu non indigeat noua profeſſione, cùm ſemper manſerit verus religioſus, & ligatus votis ſubſtantialibus religionis vt iam probatum eſt; quia tamen ratione dignitatis epiſcopalis, aut cardinalitiæ fuit exemptus à poteſtate Prælatorum religionis: non poteſt illis iterum ſubijci, niſi renuncians huic ſuo fauori, (qui iuxtà dicta durat, etiam depoſito epiſcopatu) denuo ſe illis ſubijciat, ijs iterum promittendo obedientiam per votum: quo modo Prælatus religionis non poteſt ſpontè ſe ſubijcere obedientiæ illius, qui non eſt ſuus Prælatus, niſi nouum ei emittat votum obedientiæ. ita *Sanch. ſup. num. 31.* monens ex eo quòd intendens profiteri iuxtà regulam collapſam, legitima conſuetudine non derogatam, & non aliter, hòc ipsò quòd manere vult in religione, viuere tenetur iuxtà veram regulam, cùm ſic cenſeatur acceptare veram regulam, & votum illius; non ſequi idem dicendum eſſe de Epiſcopo redeūte ad monaſterium, & volente in eo permanere; ſi quidem religioſus priuatus volens manere in monaſterio tenetur ſe conformare moribus, ac obligationibus aliorum religioſorum, ideòq; eò ipsò quòd eligit manere in religione, cenſetur velle concordare alijs; at religioſus Epiſcopus ad id non tenetur, cùm valdè differat ab alijs religioſis ratione dignitatis, per quam eximitur ab obedientia Prælatorum religionis, niſi modo dicto ſe ipſis ſpecialiter ſubijciat.

Adde (quod ſpectat ad vota ſpecialia; quæ fiunt in aliquibus Ordinibus, & maximè ſolemnia) in caſu quo, Epiſcopatu depoſito, religioſus redeat ad religionem, non eſſe opus illum ea iterum emittere, cùm illorum obligatio in ſtatu epiſcopali potiùs maneat ſuſpenſa, quam extincta, ideoq; in caſu propoſito reuiuiſcere poſſit. quòd ſi quis mallet ſuſtinere illam extingui; tunc vtiq; epiſcopus rediēs ad ſuum ordinem deberet illa iterum emittere; pręſertim, ſi ſint ſolemnia; alidś cùm hæc ſint de eſſentia talis Ordinis, epiſcopus rediens non eſſet religioſus illius Ordinis, ſed ſolùm religioſus in communi. ita docti recentiores à me conſulti.

QVÆRES VIII. An diſſoluatur profeſſio religioſa facta ad certum tempus, vel ſub aliqua certa conditione, (v. gr. quamdiu in mea familia erit ſucceſſio poſteritatis) ſi iam elapſum ſit tempus illud præſignatum, aut certè deficiat conditio illa appoſita.

18 ℞. Diſſolui: quamuis, ſi velimus loqui propriè, dici non poſſit diſſolui, cùm talis profeſſio non ſubſiſtat, & validè emitti non poſſit. Ducor tum quia de ratione ſtatus religioſi, qui acquiritur per profeſſionē, eſt perpetuitas (ſin minùs ex parte vtriuſq; contrahentis, ſaltem ex parte religioſi profitentis,) vt communiter tradunt DD. cum *S. Tho. 2. 2. q. 183. a. 1.* & inde conſtat, quòd ratio ſtatus petit immobilitatem, & obligationem operis ad eum ſtatum pertinentis vinculo aliquo firmatam, vt patet in ſtatu coniugatorum, ac epiſcoporum: nulla autem adeſt perpetuitas in profeſſione, quæ fiat, ſiue ad tempus determinatum, ſiue ſub conditione contingente, vt in caſu noſtro; tum quia talis modus profitendi neque eſt in vſu eccleſiæ, neque admitteretur ab vlla religione; cùm tamen profeſſio non ſit valida, niſi à legitima poteſtate acceptetur.

19 Quod autem dixi profeſſionem in iſto caſu diſſolui, intelligi debet, non quòd diſſoluatur profeſſio, quatenus coni[...] :uit profitentem verè religioſū: (ſic enim non diſſol[...] ...atur, eùm non ſubſiſtat, vt iam oſtendimus,) ſed quòd taliter profiteus maneat deobligatus à 3. vo[...] ...us religionis per talem modum profitendi inducen[...] ...ibus obligationem voti ſimplicis, vti probauimus *ſup. c. 1. q. 31.*

QVÆRES IX. An diſſolui poſſit profeſſio quò ad vinculum, ſaltem, in pænam religioſi profeſſi, expellendo e[...] ...um à religione tamquam incorrigibilem, & quid[...] ...m ita vt ei auferatur ſtatus religioſi, & regularita[...] ...s, & quaſi character eius, vt loquitur *Nau. comm. 2[...] de Regul. n. 34.*

20 ℞. Non poſſe; [...] & probatur tum ex dictis *ſup. q. 2.* tum quia repugnat [...] acceptationem profeſſionis factā à religione eſſe [...] omninò abſolutam, & quòd religio retineat libert[...] ...atem eijciendi religioſum, etiam inuitum, eum pri[...] ...ando tali ſtatu: in hoc enim reperitur conditio re[...] pugnans abſolutæ acceptationi; tum quia iuxtà con[...] ſenſum omninò Theologorum, & Canoniſtarum v[...] ...otum ſolemne non niſi per diſpenſationem aufe[...] ...ri poteſt ab homine; prælatus autem regularis, d[...] ...um punit religioſum incorrigibilem, illum eijcie[...] ...do, non exercet iuriſdictionem uoluntariam (quali[...] ...s exercetur in actu diſpenſandi) ſed inuoluntariam, & cogentem per pænam; ergò per talem eiectione[...] ...m non auferetur uinculum uotorū ſolemniū, & c[...] ...nſequēter neq; diſſoluetur profeſſio religioſa. ita: [...] ...uar *to. 3. de relig. l. 6. c. 15. nu. 13.*

QVÆRES X. An diſſolui poſſit profeſſio religioſa, ſaltē quo ad [...] vota, ſiue ſolemnia, ſiue ſimplicia, quæ in aliquibu[...] ...s religionibus emittuntur annexa profeſſioni 3. vo[...] ...orum ſubſtātialium religionis.

21 ℞. Non diſſolu[...] ...i; & apertè colligitur ex *Sanch. ſup. cap. 9. num. 75.* aſſerente quòd, ſi profeſſus 4. votorum Societati[...] ...s in perpetuum dimittatur è Societate, & pol[...] ...tea iterum admittatur, non indiget noua emiſſi[...] ...one votorum, quæ in profeſſione emiſit vltra 3. vota ſubſtantialia religionis, ſicut nec ind[...] ...iget noua profeſſione; vnde ſic ego argumento[...]: Propterea talis profeſſus non

indi-

indiget noua profeſſione, quia ea non fuit diſſoluta, nec ceſſauit per dimiſſionem: ergò ſi non indiget de nouo emittere alia vota annexa votis ſubſtantialibus religionis, ſignum eſt ea non ceſſaſſe per dictam dimiſſionem; ergo profeſſio neque quo ad ea fuit diſſoluta; quod erat probandum.

22 Nec obſtat ꝙ *qu.* 5. diximus præfata vota annexa votis ſubſtantialib. deſinere obligare vi profeſſionis poſterioris legitimè emiſſæ: ad hoc .n. uerificandũ ſufficit, ut eorũ obligatio ſuſpeudatur (ꝙ nos in pręſentia non negamus, nec negat Sanch. imò expreſsè admittit *loco ſup. cit.*) non autem neceſſe eſt, vt dicta vota diſſoluantur: quod ſolum nos hic negamus, & negat ipſemet *Sanch.* & quidem probabiliter; cùm rationes, quæ in contrarium adduci poſſent, ſolùm probent non eſſe æquum, vt præfata vota obligent extra religionem, in qua emiſſa ſunt; quod ſufficienter ſoluatur per ſuſpenſionem obligationis ipſorum, vt modo diximus.

QVÆRES XI. An poſſit dari caſus, ĩn quo vinculum profeſſionis religioſę diſſoluatur ex natura rei, ſeu per ſe ipſum abſque vlla diſpenſatione.

23 ℞. Non poſſe; ſicur nec poteſt dari caſus, in quo matrimonium ratum ex ſe diſſoluatur. Ratio eſt, quòd ex vna parte eiuſmodi vincula ſunt perpetua abſolutè, ac ſimpliciter, nullamque includunt conditionem, ex cuius defectu dicantur ceſſare; ex alia parte moraliter non poteſt occurrere caſus, in quo malum ſit per ſe obſeruare profeſſionem, non obſtante quacumque neceſſitate occurrente: cum tamen extra caſum neceſſitatis non poſſit vinculum profeſſionis per ſe ſe ceſſare. ita *Suar. ſup. c.* 18. *n.* 6. hinc rectè concludens vinculum profeſſionis non poſſe vnquam diſſolui per ſolam interpretationem; ſi quidem, quando ad aliquem effectum ſufficit interpretatio, ſupponitur effectus ex ſe talis: cùm per interpretationem ſolùm declaretur id, quod ineſt, & (vt loquitur *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 11. *numer.* 16. *ex l. adeo* §. *cum quis ff. de acquir. rer. dom.*) nihil de nouo faciat, ſed iam factum aperiat.

QVÆRES XII. An vinculum profeſſionis diſſolui poſſit non ſolum per diſpenſationem Pontificiam (vti oſtendimus q. 4.) ſed etiam per diſpenſationem factam ab Epiſcopo ſaltem in euentu vrgentiſſimæ neceſſitatis: quo modo DD. cõmuniter tradunt Epiſcopum poſſe diſpenſare in votis reſeruatis Papæ, ſi immineat neceſſitas valdè grauis, & acceſſus ad Papam ſit tardus, ac difficilis.

24 ℞. Non poſſe; & probatur tum ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ, in qua Epiſcopus nullus audet ſe immiſcere tali diſpenſationi: tum quia, ſicut Papa potuit ſibi reſeruare vota ſimplicia caſtitatis, & religionis (quorum diſpenſatio aliàs Epiſcopis competebat) vt oſtendit *Suar. ſup. n.* 3. ita multo magis potuit ſibi reſeruare profeſſionem religioſam: immò quòd de facto eam reſeruauerit, conſtat tum ex conſuetudine ſuperiùs allegata, tum ex eo iure, quo Papa reſeruauit ſibi approbationem religionum, eas à iure Ordinariorum eximendo, & ſub ſua cura, ac ſpeciali protectione ſuſcipiendo; cum alioqui approbatio religionum pertineret ad Epiſcopos, ſaltem quantùm ad efficacitatem inſtituendi, & talis facultas durauerit in ipſis, quamdiu Pontifices non reſeruarunt ſibi vota perpetua; vnde infert *Suar. numer.* 2. quòd cum non ſit minoris poteſtatis approbare religiones, quàm diſpenſare in ſtatu religioſo, ideſt in vinculo profeſſionis, quamdiu Epiſcopi habuerunt poteſtatem approbandi religiones, habuerunt etiam facultatem diſpenſandi in profeſſione, & votis monaſticis, quæcumque demum tunc eſſet illa profeſſio.

25 Addit *Suar. numer.* 5. quòd cùm DD. ex eo colligant Epiſcopos etiam nunc poſſe diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis, alijſque ſimilibus reſeruatis in caſu vrgentis neceſſitatis; quod vſus, & antiqua conſuetudo indicant, vel Papam ab initio non intendiſſe ea vota ſibi reſeruare in ſimilibus caſibus, vel certè illis poſtea tacitè conceſiſse talem facultatem; è contra, cùm vſu, & conſuetudine conſtet Epiſcopos non diſpenſare cum Religioſis in profeſſione, ac votis ſolemnibus; hinc arguendum eſt talem facultatem ipſis non competere; cùm vſus ſit optimus interpres legum, & poteſtatum; præter quam quòd in præſenti materia caſus vrgentioris neceſſitatis hìc propoſitus eſt adeo extraordinarius, vt moralis non reputetur; vnde non eſt veroſimile à Pontificibus propter illum factam fuiſse talem exceptionem à communi illa regula, quòd Epiſcopi circa diſpenſationem profeſſionis nullam habent poteſtatem: præſertim, cùm hìc militet regula iuris, generalem clauſulam non comprehendere caſus ſpeciales, in quibus Superior non eſset veroſimiliter aliquid conceſsurus.

QVÆRES XIII. An Papa poſſit diſpenſare in aliquo ex votis ſolemnibus religionis (v.g. in voto caſtitatis ad contrahendum matrimonium) abſque eo quòd auferatur ſtatus religioſus, ſeu (quod idem eſt) retento ſtatu religioſo.

26 ℞. Quòd quamuis non poſſit fieri talis diſpenſatio, quin aliquo modo mutetur, ſeu diminuatur integritas ſtatus religioſi, ſiue perpetuo, ſiue ad aliquod tempus iuxtà qualitatem diſpenſationis; ſimpliciter tamen per talem diſpenſationem non aufertur ſtatus religioſus, adeòque dari poteſt aliquem manere verum religioſum, & tamen diſpenſari in voto caſtitatis ad ineundum matrimonium. ita *Suar. ſup. l.* 9. *cap.* 16. *numer.* 8. *ex Nau. con. Sanch. l.* 8. *de matr. D.* 8. *numer.* 11. aſserentem per diſpenſationem voti ſolemnis caſtitatis ad effectum nubendi extingui eſsentiã ſtatus religioſi conſiſtentem in 3. votis eſsentialibus religionis, moueor, quod ſtatus religionis ſimpliciter, & ſtatus matrimonij ſimpliciter inter ſe non repugnant in eadem perſona (vt conſtat in coniugatis, qui poſt matrimonium conſummatum mutuo conſenſu religionem ſimpliciter profitentur;) ergò per diſpenſationem Papæ fieri poteſt, vt manente ſimpliciter in eadem perſona ſtatu religionis, ea poſſit matrimonium contrahere, & conſummare; licet enim talis religioſus non poſſit redire ad actum coniugalem, in aliquo tamen caſu ad id compellitur ad inſtantiam alterius coniugis iuxtà *c. ex parte, & c. conſuluit iuncto c.* 1. *de conuerſ. coniugat.* & tamen non ideo amittit ſtatum religionis ſimpliciter, ſed ſolum impeditur ad tempus ab aliquo vſu illius; cuius ſignum eſt, quòd ille, quantũ eſt ex ſe tenetur

ſeruare caſtitatem;&, ſi alter coniux moriatur, nec validè, nec licitè poteſt iterum nubere. hoc autem ſi detur (quo modo debet dari) cur eodem pacto non poteſt Papa ex iuſta cauſa diſpenſare cum religioſo, vt tranſeat ad nuptias cum hac limitatione, vt quò ad alia omnia retineat ſtatum religioſum, interim excuſatus ab ijs, tantùm, quæ cum vſu matrimonij repugnant: ita vt diminutio ſtatus religioſi in tali euentu ſit adeò modica, quòd non tollat dictum ſtatum ſimpliciter, eſtò illum ſuſpendat quò ad aliquem eius vſum? certè vbi agitur de ſuprema poteſtate Papæ, ea omnia illi debent permitti, quæ aliàs non repugnant, nec ſunt irrationabilia, cuiſmodi non videtur eſſe id, de quo hic agimus.

QVÆRES XIV. An Papa poſſit diſpenſare in ſubſtantia profeſſionis religioſæ abſque eo quòd diſpenſet in 3. votis religionis, & quo modo.

27 ℞. Simpliciter, & abſolutè loquendo, poſſe, non item moraliter, & practicè. ratio reſponſionis eſt, quòd ex obiecto, aut connexione rerum nulla apparet in hoc repugnantia; cùm poſſit Papa diſpenſare in profeſſione religioſa non purè, ſed admiſcendo aliquam commutationem; nimirùm commutando ſtatum religioſum in ſtatum ſimplicis continentiæ, auferendo religioſum omninò à poteſtate religionis: vel auferendo ſimul votum paupertatis, & obedientiæ, vel alterum horum, vel neutrum, prout ipſi libuerit; ſi enim adſit iuſta cauſa id faciendi, ad illud extendetur poteſtas Papæ: vt hinc patet, quòd ſi Papa poteſt diſpenſare ſimpliciter in ſtatu religioſo, (vti iam oſtendimus) à fortiori poterit commutare; cùm hoc ſit quid minus, & ſit actus eiuſdem ordinis nullam inuoluens repugnantiam. ita *Suar. ſup. num.* 3. monens *num.* 4. quòd, quamuis hæc verum habeant, ſpeculatiuè loquendo, moraliter tamen, & practicè vix poteſt dari iuſta ratio ſic diſpenſandi: idque ex defectu legitimæ cauſæ, quæ omninò requiritur ad diſpenſandum, vt tradant communiter DD.

QVÆRES XV. An dato quòd vota biennij, aut Coadiutorum formatorum, quæ in Societate Ieſu emittuntur, poſſint diſſolui, ac extingui eo modo, quo diximus *ſup. qu.* 2. §. *& hæc de iure communi*: valida ſit talis diſſolutio in caſu, quo religioſus adſtrictus præfatis votis conſultò malè ſe gerat in moribus, ac regulari obſeruantia, vt dimittatur à Societate, ſicque liber maneat ab obligatione illorum votorum, & à ſtatu religioſo.

28 ℞. Non eſſe validam eiuſmodi votorum diſſolutionem, ſed teneri religioſum in tali caſu dimiſſum è Societate auferre impedimenta malitioſè appoſita, ſeque iterum offerre religioni ad eam ingrediendam, ſi Superiores eum iterum admittant. Ducor, tum quia ex communi DD. ſententia non liberatur ab obligatione voti conditionalis, qui, data opera nititur conditionem non impleri, vt liber euadat; tum quia nulla remiſſio fraudibus, ac iniurijs extorta liberat extorquentem, ſed tenetur in priſtinum ſtatum rem reuocare, ergò nec remiſſio, quæ fit in iſto caſu; tum quia conditio, quæ apponitur in emiſſione votorum biennij, aut Coadiutorum formatorum non adijcitur ad maiorem vouentis libertatem, ſed vt conſulatur libertati religionis ad ipſum dimittendum, ſi eum agnoſcat ineptum: ergò, ſicut in præſenti euentu liber non maneret religioſus, ſi ea vota emiſſa fuiſſent ſine vlla conditione, ſic remanebit, dicta conditione appoſita, cùm non minùs adſtringatur ea appoſita, quàm non appoſita. ita *Sanch. lib. 6. moral. cap. 9. numer. 66.* addens *num. 67.* idem cenſendum eſſe de ijs, qui in Societate ad extorquendam dimiſſionem falſa aliqua ſibi imponunt, vt graues lapſus venereos: cum hæc etiam dimiſſio ſit inuoluntaria, vtpote fraudibus extorta: cum *Sanchez* ſentit *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 4. p. 20. num.* 10.

Quòd ſi hìc obiter quæras, vtrum in caſu, quo taliter expulſus teneatur ex voto recitare quotidie certas preces, quamdiu manſerit in Societate, maneat poſt dimiſſionem obligatus ad dictas preces eodem modo recitandas.

29 ℞. *Leſſ. l. 2. cap. 40. num.* 152. quòd, quamuis ad id immediatè non teneatur, quatenùs præſumitur per illud votum non intendiſſe ſe obligare ad eam recitationem, niſi quamdiu maneret in Societate; mediatè tamen dici poteſt teneri, quatenùs tenetur iuxtà dicta §. *præcedenti* procurare nouam admiſſionem, & iterum admiſſus ad talem recitationem obligabitur vi prioris voti; ita *Leſſ.* addens probabilius eſſe Religioſum in tali caſu abſolutè teneri ad recitandas illas preces: cùm conditio, ſub qua promiſit, non ceſſauerit eo modo, quo debuit; quòd ſcilicet vouens intenderit ad eas ſe obligare, quandiu Superior ipſum ſpontè retinere voluerit, & alioqui eius dimiſſio non fuerit voluntaria, vt patet: vnde fit, vt ea conditio adhuc cenſeatur durare.

An autem mort. peccet religioſus Societ. qui poſt vota biennij committit culpas ſufficientes ad dimiſſionem, etſi in ſe ſint leues, ſi ipſe per eas nullatenùs intendat dimitti è Societate.

30 ℞. Non peccare mort. ſi ex fragilitate, aut vehementi paſſione incidat in eas colpas mediocri vſus diligentia ad eas vitandas; ſecùs, ſi ex graui negligentia, & aduertens ſe ex ijs paulatim diſponi ad dimiſſionem. ratio eſt, quòd, ſicut promittens aliquid non ſe obligat ad media adhibenda, vt id impleat cum omni conatu principali, ſed ſolùm cum mediocri iuxtà difficultatem rei promiſſæ; ſic è contrà cenſetur indirectè ſe obligare ad media neceſſaria mediocrem adhibendo diligentiam, ad id explendum: vnde, cùm ad perſeuerantiam in Societate, quæ promittitur per ea vota biennij, requiratur, vt vouens nitatur cauere illas culpas, ſe corrigendo; hòc ipsò quòd non adhibet ad id mediocrem diligentiam, mortaliter peccat contrà perſeuerantiã ijs votis promiſſam. ita *Sanch. n. 69.* alioqui concedens *n. 70.* nõ peccare eum religioſũ, qui poſt præfata vota biennij petit dimitti è Societate humiliter ſignificans ſuam tentationem, aut difficultatẽ ad perſeuerandũ, proponens tamẽ interim adhibere mediocrẽ diligẽtiã ad perſiſtendũ in religione, niſi dimittatur; patet à ſimili in eo, qui ſincerè proponit Papæ cauſas, vt ſecum diſpenſet in voto caſtitatis, aliàs paratus animo ad votum implendum, ſi Papa tenuat diſpenſare; is quippe non peccat

petendo

petendo diſpenſari, cùm medijs licitis curet liberari à voti obligatione.

Vnum hic breuiter moneo, quòd, quando dicimus vota ſimplicia Societatis ceſſare per legitimã dimiſſionem; intelligitur, quando ea emittuntur juxtà conſtitutiones Societatis, & formulam ipſorum in ea vſitatam; vnde, ſi ea aliter emittantur, (vt ſi nouitius ex priuata deuotione ea emittat abſolutè ſiue ea conditione, quandiu Societas retinere voluerit, quæ iuxtà formulam Societatis ſemper ſubintelligitur in emiſſione votorum ſimplicium): tunc vi dimiſſionis non manet vouens liber ab obligatione dictorum votorum, vt rectè aduertit *Sanch. ſup. n 63. ex p. 2. Conſtit. Soc. c. 4. §. 5.*

QVÆRES XVI. An profeſſus poſſit præſcribere contra profeſſionem religioſam à ſe emiſſam; ita vt ad illam non teneatur; degendo v.g. per multos annos extrà Ordinem, dimiſſo habitu, &c.

31 ℞. Non poſſe; & colligitur ex *cap. ſicut nobis de regul.* vbi quidam clericus in extremis laborans cũ feciſſet profeſſionem, & per multum tempus poſteà abfuiſſet à monaſterio, cogitur ad illud redire; & quidem meritò, cùm votum, & profeſſio dicant continuam perſeuerantiam vſq; ad finem vitæ *cap. quod 33. q. 5.*

SECTIO II.

De iure Reclamandi, quod habent Regulares in caſu, quo prætendant ſe inualidam emiſiſſe profeſſionem.

QVÆRES I. Quid intelligatur hic per *Reclamare*.

32 ℞. Intelligi ius, quod habent Regulares ex iure, vt prętendentes in certis caſibus inualidam ſe emiſiſſe profeſſionem poſſint iuxtà dicenda in ſequentibus qq. intrà certum tempus præſcriptum allegare cauſas dictæ inualiditatis coram legitimo iudice; idque vt etiam pro foro externo liberentur ab oneribus religionis, ad quæ aliàs tenerentur, ſi profeſſio ab ipſis facta ſubſiſteret.

QVÆRES II. Quo iure concedatur Regularibus facultas reclamandi modo infrà explicando contrà inualiditatem propriæ profeſſionis.

33 ℞. Concedi in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 19. de Regul.* in hæc verba: *Quicumque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile: velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur niſi intrà quinquennium tantùm à die profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram ſuperiore ſuo, & Ordinario; quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcumque cauſam admittatur, ſed ad monaſterium redire cogatur, & tanquam apoſtata puniatur; interim verò nullo priuilegio ſuæ religionis iuuetur. ita Concilium.*

QVÆRES III. An vti poſſint iure reclamandi omnes Regulares, etiam Societatis Ieſu, etiam Ordinum militarium, etiam moniales.

34 ℞. Poſſe; & probatur tum ex illa particula Cõcilij *quicumque regularis* quæ importat vniuerſalitatem, adeoque comprehendit omnes religioſos (quales ſunt etiam religioſi Societatis, etſi non faciant profeſſionem) etiam Ordinum militarium, (vt in ſpecie docet *Gonzal. ad reg. 8 cancel. gl. 8. n 61.*) etiã moniales, quę vtique includuntur ſub particula *quicumq;* eſto videatur loqui ſolùm de religioſis maſculis; maſculinum enim concipit fęmininum, vt aduertit *Zerola in praxi p. 2. v. monialis §. ad 2.* nobiſcum in hoc ſentiens ex *Gloſſa in c. ſi quis ſuadente v. ſi quis 27. q. 4.* præſertim ſi concurrat identitas rationis, vt in caſu noſtro; tum quia decretum Concili., quamuis ſit odioſum Religioſis particularibus, eſt tamen maximè fauorabile communitati Religionis, vtpotè inductum ad ipſius tranquillitatem, & pacem vt notat *Sanch. l. 7. de matr. D. 37. numer. 19.* ergò debet ampliari, itant & extendatur ad omnes omninò religioſos; & conſequenter etiam ad illos, qui non ſunt ita rigoroſè tales; cuiuſmodi ſunt religioſi aliquorum Ordinũ militariũ idq; iuxtà regulã *fauores ampliari oportet:* quod tamen negat *Suarez tom. 3. de relig. l. 7. c. 4. n. 10.* ex quadam declaratione Sacræ Congreg. ſed ea fortè non eſt authentica, ideòque non probat.

QVÆRES IV. Coram quibus Superioribus debeant Regulares reclamare in caſu, quo velint vti iure ipſis conceſſo per Concilium.

35 ℞. Attento iure Concilij Trid. debere reclamare coram Superiore ſuo, & Ordinario; vbi notat *Bonac. q. 2. de clauſ. p. 10. diffic. 3. n 3.* nomine Superioris ibi intelligi immediatum Prælatum monaſterij, aut eum, qui in ipſius locum ſucceſſit (non autem Prouincialem, aut Generalem.) vt notauit *Bordonus* infrà: nomine vero Ordinarij venire Epiſcopum, aut eius Vicarium, in cuius diœceſi Religioſus habebat domicilium, antequàm ingrederetur religionem (immò & Abbatem, ſeu quemcumque alium Prælatum gaudentem iuriſdictione quaſi epiſcopali nec non Capitulum Sede vacante, eiuſuè Vicarium.) ita *Bonac.* ſed meo iudicio minùs probabiliter: mihi placet expoſitio *Barboſæ de poteſt. Epiſ. alleg. 104. num. 12.* qui hac de re differens hæc habet. *Regularis huiuſmodi deducens intrà quinquennium nullitatem profeſſionis tenetur eam probare coniunctim coram proprio Superiore regulari illius monaſterij, in quo profeſſionem emiſit, & coram Ordinario illius loci, in quo profeſſus eſt: ita deciſum refert Armend.* placet, inquã, cùm par ſit, vt, vbi cauſa inchoata eſt, ibi abſoluatur, & per eos irrita declaretur profeſſio, in quorum ditione fit; etſi meliùs dixerit qui aſſerat hac in re ſeruandam eſſe locorum, ac religionum conſuetudinem: qua de re *Bordonus tr. de profeſſ. cap. 7. num. 29.*

36 Certè, quod ſpectat ad religioſos Societatis puto eiuſmodi reclamationem faciendam eſſe, non corã Superiore immediato, ſed coram Prouinciali, aut Generali: idque ex peculiari modo gubernationis, qui in ea ſeruatur; ſicut enim poteſtas incorporandi in Soc. etiam per vota biẽnij eſt penes Præpoſitũ

generalem ipſius dantis, qui eam alijs communicare poteſt, prout oportuerit, eamque de facto ordinariè communicat Prouincialibus, vt dicitur in *5. p. conſlit. ca. 1. in declarat. lit. B.* ita & ad Præpoſitum generalem, aut ad Prouincialem ſpectabit declarare nullitatem talis incorporationis; cùm per quas cauſas res naſcitur, per eas & diſſoluatur: ita viri docti è Societate à me conſulti, patetque ex dictis, ſi addidero ex *Suar. tom. 4. de rel. tr. 10. l. 3. cap. 7. nu. 3.* quòd licet in Societate extet ordinariè in Prouincialibus poteſtas tum ferendi iudicium quaſi definitiuum, an aliquis nouitius admittendus ſit ad vota biennij, nec ne, tum exequendi actualiter ipſam admiſſionem aſſiſtendo emiſſioni dictorum votorum cum poteſtate admittendi illa; ij tamen regulariter talẽ poteſtatem exercent, quò ad primum quidem actũ per ſe ipſos, per alios autem, idest per Superiores locales quò ad ſecundum.

37 Dixi ſub initium reſponſionis, *attento iure Concilij Trid. reclamationem faciendam eſſe coram proprio Superiore, & Ordinario;* vt innuerem ſecùs dicendum, ſtante Decreto Sacræ Congreg. iuſſu Vrbani VIII. nouiſſimè hac de re edito, & à nobis relato in *præcedenti tractat. cap. 2. q. 28. §. ad occurrendum;* vbi ſtatuitur, ne prætendentes nullitatem profeſſionis, ex eo quòd facta ſit in loco non deſignato, quoquo modo audiantur, neque intrà quinquennium niſi deductis coram ſacra Congregat. proprijs iuribus; vnde patet in præſentia reclamandum eſſe contrà nullitatem profeſſionis, non coràm Superiore regulari, & Ordinario (ſicuti decernitur in Concil. Trid.) ſed coram Sacra Congregatione. quamquã decretum iſtud Sacræ Congregat. non habeat locũ, niſi in caſu, quo profeſſio fuerit inualida ex eo quòd religioſus fuerit receptus, aut profeſſus in loco non deſignato iuxtà decretum Clementis VIII. ſuperiùs explicatum, vt aduertimus *ſup. cap. 1. q. 22. §. quòd ſi quæras;* ſecùs, ſi fuerit inualida ex alio titulo: tunc quippe reclamatio fieri debet iuxta præſens decretum Concilij Trid. idest coram proprio Superiore, ac Ordinario.

Hinc quæri poſſet, an caſu, quo religioſus ſub prætextu nullitatis profeſſionis indebitè exeat ab Ordine, & ab Ordinario proceſſetur; poſſit Ordinarius proſequi, ac terminare proceſſum, ſi ille pænitentia ductus redijt ad Ordinem, ibique ratificauit profeſſionem.

℞. Poſſe, & quidem incluſiuè ad ſententiam; & probatur tum quia iudicium finiendum eſt ab eo, à quo cæptum eſt *l. vbi acceptum ff. de Iudic.* tum quia iudex de qua re cognoſcit, pronunciare debet *cap. cum ſuper 4. de cauſa poſſeſſ.* tum quia hic religioſus eò ipsò quòd fuit malè licentiatus, æquiparatur degenti extrà monaſterium, ac proinde *ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 3. de reformat.* ſubditur Ordinario; ſi ergò is potuit inchoare proceſſum, poterit & eum terminare; cùm ratificatio proceſſionis non auferat ius Ordinario, quippequi ex neceſſitate debet terminare proceſſum. ita *Bordonus reſol. 7. n. 143.*

QVÆRES V. In quibus caſibus poſſint Regulares reclamare contrà nullitatem propriæ profeſſionis.

38 ℞. Poſſe in ijs omnibus caſibus, in quib. profeſſio eſt nulla, ac irrita, ſiue dicta nullitas cõtingat ex defectu conſenſus, ſiue ex defectu integri nouitiatus, ſiue ex defectu legitimæ ætatis, ſiue ex defectu legitimi ſexus, ſiue ex defectu legitimi Prælati profeſſionẽ acceptantis, ſiue ex quocũq; alio defectu, aut impedimento, quod ſit de iure communi, aut etiã ſpeciali Religionum; quamquàm cum hac differentia, quòd quando profeſſio fuit irrita iure communi, non datur facultas reclamandi, niſi intrà quinquennium modo infrà explicando; ſi verò fuit irrita ex iure ſpeciali religionum, idest ex peculiaribus ſtatutis ipſarum, tunc poteſt reclamari, etiam poſt quinquennium, vt notauit *Peyr. de R. S. q. 1. cap. 25. §. 4. ex Sanch. & Zacharia;* ſed de hoc infrà.

QVÆRES VI. Quot, & quæ ſeruari debeant ad hoc vt Regulares legitimè reclament contra nullitatem propriæ profeſſionis [illegible]

39 ℞. Debere ſeruari tria; nimirum 1. ne ante reclamationem habitum religioſum deponant: 2. vt cauſas præfatæ nullitatis deducant coram legitimo Superiore, vti diximus *q. 4.* 3. vt id fiat intrà quinquennium à die profeſſionis numerandum. conſtat ex decreto *Concilij Trid.* relato *q. 2.* margiſque conſtabit ex qq. modo proponendis, & ſoluendis.

QVÆRES VII. Quo modo ad legitimam reclamationem requiratur, vt fiat ante dimiſſionem habitus religioſi.

40 ℞. Ita requiri, vt *Concilium ſeſſ. 25. cap. 19.* dicat dimittentem habitum nullatenùs intrà quinquennium audiendum eſſe ad allegandas nullitatis profeſſionis cauſas; quod tamen intelligi debet cum duplici limitatione; quarum prior eſt, niſi occurrerit iuſta cauſa dimittendi habitum, eò quòd v. g. nõ poſſet obtinere licentiam eundi ad reclamandum, niſi dimiſſo habitu, aut non permitteretur id, niſi fugiendo, habitu depoſito: Concilium quippe ſolũ intendit punire temerariam habitus dimiſſionem, quæ non interuenit in præſenti caſu; vt aduertunt *Sanch. Nau. Azor. & Rodriq. apud Bonac. ſup. diffic. 3. num. 1.* poſterior limitatio eſt, niſi reſumatur habitus: ſi enim is reſumatur, vtique poſt eius reſumptionem licitum eſt reclamare, cùm durum, & inhumanum videatur denegare perpetuò audientiã habenti iuſtam cauſam reclamandi ex eo præcisè, quòd temerè dimiſerit habitum, vt notarunt *Sanch. ſup. num. 4. Leſſ. l. 2. cap. 41. num. 64. Bonac. num. 2. & Diana p. 3. tr. 2. reſol. 53. ex Riccio, Suar. Mir. Portel. Campan. Barb. Grat. & Villalob.*

QVÆRES VIII. Coram quo Superiore debeant Regulares reclamare modo ſupradicto, ad hoc vt reclamatio ſit legitima.

41 ℞. Debere reclamare coram eo, coram quo *q. 4.* diximus reclamandum eſſe.

QVÆRES IX. Quo modo intelligatur in *Conc. Triden.* non permitti vt Regulares reclament contra nullitatem profeſſionis, niſi intrà quinquennium à die profeſſionis.

42 ℞. Intelligi, ita vt dies, à qua numerandum eſt hoc quinquennium, incipiat, in profeſſione quidem expreſſa à die ipſa profeſſionis, computando hanc ipſam diem intrà quinquennium, (vt docent in ſimili *Panorm. Suar. Sayr. Sanct. arel. Sylu. & alij apud Bonac. diffic. 4. num. 2.*) in profeſſione verò tacita, à die,

dit, qua religioſus eſt tacitè profeſſus per annuam delationem habitus, qui ſit communis nouitijs, ac profeſſis, & ſolum occultè diſtinctus; non enim per *Conc. Trid.* ſublata eſt profeſſio tacita, dummodo inducatur tranſacto anno nouitiatus; vti oſtendimus *ſup. cap. 1. qu. 3. §. & hac de iure.* ita *Suar. to. 3. de relig. l. 7. cap. 4. numer. 1. & 2. Sanch. numer. 2. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 104. numer. 16.* alijque penes ipſum.

Sed difficultas eſt, an dentur aliqui caſus, in quibus etiam poſt quinquennium elapſum poſſint Regulares reclamare contra nullitatem profeſſionis.

43 ℞. Dari, cuiuſmodi eſſet ignorantia nullitatis profeſſionis emiſſæ, aut aliud impedimentum, per quod religioſus non potuiſſet reclamare intra quinquennium: dummodo talis ignorantia, aut aliud impedimentum ſufficienter probentur, ita vt, quando *Conc. Trid.* in allegato decreto ait religioſum prætendentem ſe nulliter profeſſum debere reclamare intra quinquennium, intelligendum ſit, ſi commodè fieri poteſt; ita *Rodriq. to. 3. quæſt. 17. a. 16. Leſſ. ſup. Portel. de dub. regul. v. profeſſio n. 45. Azor. p. 1. l. 12. cap. 4. q. 10. Diana reſol. cit. alijque penes ipſum contra Bonac. ſup. diffic. 4. numer. 4.* aſſerentem oppoſitum eſſe probabilius; quamquam *Portel.* (quod etiam innuit *Barboſ. nu. 18.*) putet hodie eſſe in praxi, ſicque ſe vidiſſe in facto contingentia, ad hoc vt, Religioſus in tali euentu poſſit audiri, neceſſariò obtinendum eſſe ad id, reſcriptum à Papa: quod eſt petere à Papa reſtitutionem quinquennij, poſtulando, vt ſibi beneficio reſtitutionis in integrum aſſignetur nouum tempus ad reclamandum, illudque iudicio prudentis definiendum; non enim opus eſt aſſignare integrum quinquennium in Concilio expreſſum aut quadriennium à die ſcientiæ, aut ceſſationis impedimenti iuxta regulam generalem reſtitutionis in integrum. cùm quo ad præſentem caſum certum ſpatium iure non ſit definitum.

44 Ratio noſtræ reſponſionis eſt, tum quia in *cap. 1. de ijs, quæ vi, &c.* mulieri non obfuit, quod durante metu viri, non reclamauerit: & Gloſſa *in c. 32. de Regul.* (vbi deciditur, vt qui poſt annos pubertatis per vim factus eſt Clericus, ideſt religioſus (vt exponunt DD. communiter) permaneat in illo ſtatu, niſi ipſe, vel parentes eius intra annum apud Principem, Epiſcopum, vel Nuncium apoſtolicum reclamauerint) ſic ait, *intellige ſi potuit reclamare*; tum quia decretum Concilij ſuperius relatum nititur præſumptione ratificationis intra tempus quinquennij factæ; at hæc præſumptio non habet locum durante impotentia reclamandi; ergo: vnde fit, vt licet iſta præſumptio ſit iuris, & de iure, ideòque non admittat præſumptionem contra ſe in iudicio ordinario: non tamen impedit, ne detur reſtitutio in integrum, & in iudicio extraordinario admittatur probatio, qua quis probare intendat, non quidem ad allegandas cauſas nullitatis profeſſionis, ſed ad probandam cauſam, cur intra quinquennium non reclamauerit: qua de re plura *Sanch. ſup. à num. 22.* aſſerens *numer. 28.* eum, qui re vera ſciuit profeſſionem eſſe nullam, & labi quinquennium intra quòd ſolùm conceditur reclamatio, & nullo modo ratam habuit profeſſionem; poſſe in foro conſcientiæ reclamare, & deducere cauſam ad forum externum, petendo reſtitutionem in integrum ratione iuſtæ ignorantiæ, poſſeque petito à ſe ratione ignorantię iuramento id irreſiutando affirmare: cùm is verè non ſit profeſſus, & poſſit fugere; & ſi denegatur audientia, id procedat ob præſumptionem ratificationis; quo caſu inquit *Sanchez* iuramentum, quo ſe ignoraſſe teſtatur, ſic explicandum eſſe, quia ignorauit, ideſt non habuit ſcientiam, qua ratam haberet profeſſionem, ſicut præſumit *Conc. Trid.* cum *Sanchez* ſentit *& Diana reſol. citata.*

Maior difficultas eſt, an ſpatium illud quinquennij conceſſi ad reclamandum computari debeat à die profeſſionis modo ſupradicto, etiam in eo, qui tunc temporis laborabat ignorantia nullitatis profeſſionis, aut alio impedimento, per quod non potuit intra illud reclamare.

45 ℞. Debere computari à die profeſſionis; & probatur tum quia *Concilium Trid. ſupra dicit* quinquennium illud numerandum eſſe à die profeſſionis tantùm: quod certè non verificaretur, ſi in præſenti caſu numeraretur à die ſcientiæ nullitatis profeſſionis, &c. cum tamen clauſula *tantum* limitet, impediat. & excludat extenſionem quo ad alios caſus iuxta *l. Iulian. & l. non ſolum ff. de petit. hæred.* tum quia quod dicitur *l. 1. C. de annali except. Impedito nō currit tempus*; non eſt verum, quando tempus præfigitur in fauorem alterius, non autem in odium negligentiæ illius, qui agere debebat; at in noſtro caſu tempus perfixum fuit fauore religionis, vt diximus *q. 1.* non in odium negligentiæ profeſſi: ergò; ita *Sanch. ſup. num. 19. Azor. loco ſup. citato Sylueſter v. beneficium 2. num. 7. Bonac. ſup num. 3. Portell. vbi ſup. num. 48. & alij contra Mirandam loco ſup. cit. & Barboſam alleg. citata num. 21.* ſuſtinentes quinquennium præfatum incipere à die ſcientiæ; quorum opinio ſine dubio admitti debet quo ad tempus aſſignatum ad petendam reſtitutionem in integrum; vtpotè quod fuit præfixum in odium negligentis petere reſtitutionem, cognito proprio iure: alioqui tale ius numquam ceſſaret, quod eſſet magnum inconueniens, vt patet.

Vnum hic obiter moneo ex *Sanch. ſup. num. 14.* & alijs ab ipſo ibi relatis, quos ſequitur *Portell. nu. 50.* non eſſe credendum profeſſo etiam iuranti ſe profeſſum eſſe animo ficto, neque vnquam ratificaſſe profeſſionem: niſi forte concurrant ad id ſuadendum coniecturæ probabiles, & probatæ; quin addit *Portell. num. 49. ex Rodriq.* religioſum maioris ætatis inualidè profeſſum, vt reſtituatur, debere probare ignorantiam impedimenti, cur prius non reclamauerit, ad eam tamen probandam non ſufficere iuramentum ipſius religioſi, eſtò in alijs cauſis illud ſufficiat ad probandam talem ignorantiam; cuius ea eſt ratio, quod licet in ijs, quæ in animo conſiſtunt ſtetur iuramento illius, qui aſſerit: id tamen ſolum procedit, quando agitur de modico præiudicio, non item, quando agitur de graui præiudicio: tunc enim plenior, ac certior probatio requiritur, vt benè aduertit *Homob. tra. 1. de examin. cap. 9. reſol. 5. §. obſeruandum ex Farinacio de inquiſit. q. 8. nu. 114. & Vecchio de profeſſ. inual. D. 14. d. 3. n. 5.*

An autem religioſus laborans perpetuo impedi-

mento

mento irritante profeſſionem poſſit reclamare, non obſtante quòd iam ſit elapſum quinquennium.

46 ℞. Poſſe, ſi certò conſtet adeſſe tale impedimentum; & probatur tum quia ideò denegat Concilium ius reclamandi inualidè profeſſo poſt quinquennium, quòd præſumit eum tanto temporis ſpatio conſenſiſſe in profeſſionem; at hæc ratio ceſſat reſpectu habentis prepetuum impedimentum, cùm eius conſenſus non poſſit validare profeſſionem taliter inualidam, ergò: tum quia quod fauore alicuius inductum eſt, non debet retorqueri in eius diſpendium *l. quod fauore C. de Legib.* & tamen hoc eueniret in præſenti euentu, ſi quidem, datò quòd religioſus laborans impedimento perpetuo dirimente profeſſionem non poſſet exire poſt quinquennium, religio cogeretur retinere perſonas perpetuò inhabiles; quod ſine dubio eſt contra mentem Concilij, quippequod præfatum decretum edidit in fauorem religionis, vt iam dictum eſt. Ita *Sanch. ſup. nu. 32. Bonach. nu. 7. Peyr. de R. S. q. 1. c. 1. 25. §. 4. Portell. ſup. num. 52. Nau. l. 3. conſil. de regul. conſ. 26. n. 12. in 2. edit.* alijque addentes tales profeſſos cum impedimento dirimente, quocunque tempore reclament, eſſe audiendos; non obſtante quòd Concilium in allegato decreto dicat religioſum vltrà quinquennium non debere audiri quacumque ex cauſa; quæ dictio importare videtur generalitatem (non minùs quàm dictio *quicumque* comprehendit omne genus perſonarum, & dictio *quæcumque* importat tam ſimiles, quam diſſimiles qualitates) & conſequenter includit etiam laborantes impedimento perpetuo: ſi quidem, vt optimè obſeruat *Sanch. numer. 34.* habemus ſufficiens fundamentum reſtringendi generalitatem illam importatam per clauſulam *ex quacumque cauſa* ad perſonas ſolùm habiles: idque tum ob rationes adductas in probationem huius reſponſionis, tum quia alioqui corrigerentur omnia iura efficientia quoſdam in perpetuum inhabiles ad profitendum.

Immò *Sanch. num. 34. Portello loco ſup. cit. & alij contra Bonacb. vbi ſup.* putant præfatum decretum Concilij non extendi, neque ad laborantes impedimento temporali, quod fortè irritauit profeſſionem, & durat per totum illud quinquennium; idq; ob rationem poſteriorem, qua probauimus reſponſionem principalem præſentis quæſtionis, nimirum quòd, cum *Concilium* in ſup. dicto decreto nitatur præſumptione ratificationis profeſſionis irritæ, quæ per illud quinquennium inducitur, & aliàs, durante impedimento dirimente profeſſionem, licèt temporali, non poſſit emitti profeſſio tacita, quæ ſit valida: ſequitur ſub eo decreto Concilij non comprehendi iſtum caſum iuxtà regulam: *vbi militat diuerſa ratio, militat & diuerſa iuris diſpoſitio*; vnde fit, vt laborantes temporali impedimento, modo ſup. dicto, etiam poſt quinquennium reclamare poſſint, & audiri debeant non obſtante eo decreto Concilij.

QVÆRES X. An Regulares teneantur reclamare iuxtà conceſſionem Concilij, ſi ipſis conſtet de inualiditate propriæ profeſſionis.

47 ℞. Teneri, niſi malint ratificare profeſſionem aliàs irritam, aut certè fugere è religione, ſi id facere poſſint ſine ſcandalo; non enim poteſt frui commodis religionis, & ſuſtentatione, niſi velint eſſe religioſi, aut niſi res in eo ſint ſtatu, vt ipſe re vera nequeant ſe ſubducere abſque ſcandalo: quo caſu (cùm non teneantur facere profeſſionem ſeu ratificare, vt oſtendimus *ſup. cap. 1. q. 20. §. grauior dubitatio*) debent præſtolari occaſionem fugiendi, eaque oblata, fugere, &, ſi interim non inſeruiunt religioni ad ratam valoris alimentorum, debent ea percipere animo ea ſuo tempore compenſandi abſtinentes a prælaturis admittendis, ſuffragiis ferendis, alijſque id genus obeundis: præſertim, ſi ex culpa ipſorum proceſſit nullitas profeſſionis colligitur ex *Leſſio l. 2. cap. 41. nu. 65.* & patet.

QVÆRES XI. An caſu, quo Religioſus inualidè profeſſus nolit reclamare, poſſit religio eum vel expellere, vel cogere ad ratificandam profeſſionem, aliàs inualidam, etiam poſt elapſum quinquennium.

48 ℞. Poſſe eijcere: quod in terminis docent *Peyr. & Lezana locis citatis* ea ducti ratione, quòd alioqui decretum editum in fauorem religionis cederet in grauiſſimum illius damnum contra *reg. 61. de regul. iur. in 6. quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*; cederet, inquam, in eius grauiſſimum damnum; quatenùs vi præfati decreti cogeretur retinere eos, qui per ipſius ſtatuta auctoritate pontificia firmata, ſunt inhabiles; quod vtique non poteſt rationabiliter præſumi de Concilio; non poſſe tamen cogere religioſum inualidè profeſſum ad ratificandam profeſſionem etiã inuitum: quaſi religio vi ſup. dicti decreti per modum præſcriptionis tanti temporis acquirat ius, aut dominium in religioſum ſubditum taliter profeſſum; vt ratione illius ipſe teneatur conſentire in profeſſionis ratificationem; quòd certè non ſtatuitur in eo decreto Concilij, cùm ibi ſolùm dicatur, *vt non audiatur niſi intra quinquennium*; quòd eſt ſolùm denegare actionẽ in foro externo Eccleſiæ, non autem inducere vllam nouam obligationem in conſcientia; vt rectè aduertit *Suar. ſupr. n. 5.* addens ex eo quod concilium denegat modo dicto audientiam, & actionem in foro externo, non ideò id directè ſequi, quod imponatur talis obligatio: quamuis enim religioſus in caſu propoſito non audiatur in foro exteriori, poteſt aliter conſulere propriæ conſcientiæ, vti conſtat ex dictis *q. præcedenti*, & conſequenter vi præfati decreti non adſtringitur ratificare profeſſionem.

Quòd ſi quæras, an Concilium potuerit efficere, vt qui inualidã emiſit profeſſionem, velit, nolit, ſit religioſus, etſi ex parte voluntatis illius non ſit verum, quod præſumitur: ita vt ſicut per legem præſcriptionis ex efficacia iuris res præſcripta transfertur in dominium præſcribentis, etſi conſenſus prioris domini nunquam interuenerit: ſic Concilium ex efficacia illius ſui decreti induxerit quoddam genus præſcriptionis per quinquennium, vi cuius religio acquiſierit ius in religioſum, & religioſus verè maneat ei ſubiectus, & incorporatus, eſtò illius profeſſio re vera non fuerit valida, neque ab eo vnquam fuerit ratificata.

℞. Con-

℞. Concilium non potuiſſe inducere tale genus præſcriptionis, & probatur tum quia conſenſus eſt adeò intrinſecus profeſſioni, & ſtatui religioſo; vt repugnet fieri ſine illo, ſaltem per humanam potentiam: tum quia de eſſentia profeſſionis ſunt 3. vota ſubſtantialia, votum autem eſt actio perſonalis, quæ ſine conſenſu proprio fieri nequit. ita *Suar. ſup. n. 4.*

QVÆRES XII. An decretum Concilij Trid. denegans audientiam reclamanti contrà nullitatem propriæ profeſſionis fundetur in præſumptione, ideoque non obliget in foro conſcientiæ, ſed ſolum in foro exteriori.

49 ℞. Fundari, ac proinde obligare ſolùm in foro exteriori. ita *Henriq. l. 11. cap. 6. in comment. ſa v. religio nu. 71. Sanch. l. 7. de matr. D. 37. nu. 9. Leſſ. l. 2. c. 41. nu. 64.* & alij: pateтque ex dictis *ſup. q. 9. & 11.* ſi aduertero ex *Sanch. nu. 12.* in dubio, an animus adſuerit ratificandi profeſſionem, teneri profeſſum, elapſo quinquennio, ſtare illi profeſſioni: cùm in dubio recurrendum ſit ad coniecturas, quibus illud dilucidari valeat, nullæque fortiores coniecturæ conſenſus dari poſſint ijs, quas induxit *Tridentinum* inſtinctu Spiritus S. ad præſumendum conſenſum.

QVÆRES XIII. An iudicium reclamationis inchoatum infrà quinquennium poſſit terminari, etiam tranſacto quinquennio.

50 ℞. Poſſe; & probatur tum quia Iudex, re cæpta (ſi ſcilicet cæpit vti ſua iuriſdictione) finito officio poteſt proſequi, ac terminare iudicium, vt notat, *Gloſſa cap. licet de offic. deleg.* tum quia delegatus, cauſa cæpta, poſt mortem delegantis ſuum officiũ proſequitur, *cap. relatum, capit. gratum eod. titulo*; quod vtique valet à fortiori in præſenti caſu. ita *Bordonus tr. de profeſſ. c. 7. q. 23.*

QVÆRES XIV. An ſit de ſubſtantia huius iudicij, vt ad illud concurrat tàm Ordinarius, quàm Prælatus regularis.

51 ℞. Eſſe, ideòque eſſe nullam ſententiam, ſi feratur ab vno ſine altero, eſt communis DD. apud *Bordonum q. 24.* & probatur tum quia, cauſa ſimpliciter delegata duobus, ſententia vnius non tenet *cap. cauſam de offic. deleg.* tum quia id ſatis clarè colligitur ex verbis *Concilij Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. de regul.* quæ ſunt, *& tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario.* vbi notat *Bordonus* quòd, cùm ordo ſcripturæ ſemper attendi debeat in diſpoſitionibus, hoc ipsò quòd Concilium priùs nominat Prælatum regularem, quàm Ordinarium; indicat hoc iudicium magis ſpectare ad illum, quàm ad hunc, vt potè faciendum de perſona illi ad huc ſubiecta, & ab hoc exempta.

An autem altero illorum nolente procedere in hoc iudicio, poſſit alius coniudex dimittere religioſum reclamantem, nullitate profeſſionis illius probata.

℞. Non poſſe, ſi vnus illorum procedat, altero omninò nolente ſe ingerere, aut non requiſito: & probatur tum quia in pari, ac communi cauſa potior eſt conditio prohibentis, & reſiſtentis *reg. 56. in 6.* tum quia hic facit, quod habetur *cap. cauſam & cap. prudentiam §. adijcimus de offic. deleg.* nimirũ quòd, ſi cauſa eſt ſimpliciter delegata duobus, non tenet ſententia vnius; hoc autem euenit in caſu noſtro. Secùs, ſi iudicium à Prælato regulari, & ab Ordinario ſimul cæptum eſſet, & probata nullitas profeſſionis; tunc enim probabile eſt valere ſententiam vnius, altero irrationabiliter nolente intereſſe, cùm iudex efficere debeat, ne iudicium reddatur nullum ex *cap. 7. de iudic.* & cæptum iudiciũ ab aliquo terminari debeat *l. vbi acceptum eſt ff. de iudicijs.* ita *Bordonus q. 27.* alijs citatis referens ex *Armendaro* ſic fuiſſe deciſum.

QVÆRES XV. An, ſicut religioſus nulliter profeſſus poteſt reclamare contrà religionem, ſic & religio reclamare poſſit contrà illum.

52 ℞. Poſſe; & probatur tum quia diſpoſitum in vno correlatiuorum diſpoſitum cenſetur & in altero *l. fin. ff. de accept.* niſi fortè aliter diſponat lex de vno, ac de alio: qualis lex vtique non extat in præſenti caſu: tum quia religio quò ad hoc non debet eſſe deterioris conditionis, ac eſt religioſus: eſſet autem, ſi conceſſa facultate reclamandi religioſo, ea denegaretur religioni. ita in terminis *Bordonus reſol. 22. num. 6.* monens tamen Superiores hac in re debere eſſe admodùm circumſpectos, memores cæteris paribus conducibilius eſſe retinere religioſos nulliter profeſſos, ſi aliàs ſint idonei, & velint perſeuerare, quàm illos eijcere.

Quòd ſi quæras, ad quos Iudices ſpectet huiuſmodi reclamatio religionis contrà religioſum nulliter profeſſum.

℞. Spectare ad illos eoſdem, ad quos ſpectat reclamatio talis religioſi contrà religionem: nam in vtroque caſu procedit par ratio. ita *Bordonus nu. 8.* addens in caſu, quo ſolus Superior regularis noſſet nullitatem profeſſionis, eamque ſolo iuramento probare poſſet; non poſſe procedi ad electionem: cùm neque dictus Superior eſſe poſſit iudex; ne aliàs agat munus iudicis, ac teſtis contra *capitul. nullus introd. 4. quæſt. 4.* neque ſufficiat quòd ſolus Ordinarius iudicem agat, Superiore agente munus teſtis; cùm iuxtà dicta *quæſt. 14.* requiratur ad valorem talis iudicij, quòd vterque illorum ſimul concurrat.

Adde, quòd, ſicut elapſo quinquennio, non poteſt religioſus reclamare contrà nullitatem profeſſionis aduersùs religionem; ſic néc religio poterit modo dicto reclamare aduersùs religioſum: & ratio eſt, quòd religio, & religioſus in hac materia non debent iudicari ad imparia; & alioqui nullo iure conceditur religioni talis facultas. ita *Bordonus nu. 10.* contra *Peyrinum q. 1. de re l. ſubd. cap. 25. §. 4.* & *Lezanam tom. 1. ſum. c. 2. num. 7.* oppoſitum ſuſtinentes.

QVÆRES XVI. An ſubſit aliquod remedium, quo religioſus nulliter profeſſus ſe poſſit tueri contrà religionem aduersùs ipſum reclamaturam ad illum eijciendum.

53 ℞. Subeſſe, ſi videlicet publicè, & coram teſtibus, etiam inſcio Superiore ratificet profeſſionẽ. Ducor, quia ex vna parte profeſſio, eſt quidam contractus; contractus autem poſſunt reuocari, aut conualeſcere, conſentientibus; aut diſſentientibus

ijs,

ijs, ad quos ſpectant; ex alia parte in præſenti caſu admiſſio profeſſionis ex parte religionis fuit legitima, & profitens conſenſum externum præſtitit (etſi nullum ex defectu interni conſenſus, aut ex metu, aliaue ſimili cauſa) adeòque vt conualeſcat profeſſio, ſufficit ſuppleri internum conſenſum. is autem præſtari debet coram teſtibus, vt per hos conſtare poſſit Prælato de ratificatione profeſſionis. Quod ſi is irrationabiliter renueret, tunc conſenſus cenſeretur ſuppleri à Papa tanquam ſupremo religionum Prelato iuxtà dicta à *Sanchez l.5.mor.cap.4.numer.71.* dicente ex *Dominico, & Franco*, etſi Epiſcopus ſolus nequeat creare moniales in Conuentu ſibi ſubdito: at, ſi adeſſet Monialium penuria, & Conuentus monitus, aſſignato ſibi termino, nollet admittere, poſſe Epiſcopum ſupplere Conuentus conſenſum.

Nec reſponſio iſta pugnat cum doctrina, quam afferemus, & approbabimus *infra q.19.§. quod denique* cum ibi Prælatus præſumatur poſitiuè, & quidem rationabiliter, repugnare admiſſioni profeſſionis, ſicque præſumi nequeat Papam velle eius conſenſum ſupplere modo dicto; ſicut præſumitur velle in caſu præſenti, in quo Prælatus circa admiſſionem ſe habet merè negatiuè; vt ſuppono.

QVÆRES XVII. An Prælatus poſt quinquennium dimittere poſſit occultè eum, quem ſcit nulliter profeſſum fuiſſe, & non ratificaſſe.

54 ℞. Poſſe; ſiue in foro externo procedat ex officio, ſiue ad querelam partis contra talem profeſſum reſilire volentem. probatur tum à ſimili de Iudice conſcio innocentiæ eius, qui ſecundum allegata, & probata eſt reus, & tamen Iudex poteſt ei occultè facere copiam fugiendi, vt docent *Sot. l.4. de iuſt.queſt.4.a.2.* & alij: tum quia hoc ipſo quòd conſtat Superiori ius religionis in talem profeſſum non eſſe verum, ſed fundatum in falſa præſumptione, cum ſecreto eijciens ſine ſcandalo nemini infert iniuriam. ita *Sanch.l.7.de matr.D,37.num.13.* addens *nu.15.* licere Prælato regulari audire in foro externo reclamationem talis profeſſi elapſo quinquennio: cum id ei interdicatur à Concilio, & alioqui Iudex officium ſuum parti carenti actione non impertiatur ob priuatam eius vtilitatem, ſed ſolùm, quando publica vertitur vtilitas *l.vnica C. vt quæ deſunt*.

QVÆRES XVIII. An Religioſus inualidè profeſſus, elapſo quinquennio, poſſit ignorans, aut impeditus, excluſus à remedio ordinario, audiri remedio extraordinario beneficij reſtitutionis in integrum.

55 ℞. Poſſe; idque non ſolùm, ſi ſit minor ratione fragilis ætatis, ſed etiam ſi ſit maior ex clauſula generali *ſi qua mihi iuſta cauſa*, de qua *l.1.ff. ex quibus cauſis maiores*; cum hac tamen differentia, quod minoribus conceditur reſtitutio contra præſcriptionem, & lapſum temporis ex capite minoris ætatis, etſi ipſis ſcientibus, & negligentibus præſcriptio finita ſit (ſi quidem talis reſtitutio reijcit ſolam læſionem contingentem ob ætatis fragilitatem, nec requirit aliam cauſam ignorantiæ, aut impedimenti;) maioribus verò reſtitutio ſolùm conceditur, quando ante perfectam præſcriptionem is contra quem præſcribitur, nullam habuit ſcientiam talis præſcriptionis, ac læſionis ex ea imminentis, ideòque non potuit impedire ipſam præſcriptionem: alioqui, ſi talis præſcriptionis, ac læſionis ſcientia adſit eo tempore, quo maior potuit agere iure ordinario, non conceditur ei reſtitutio: cum maioribus detur reſtitutio ex clauſula generali; *ſi qua mihi iuſta cauſa videtur*, ac proinde deſideretur iuſta cauſa, & quòd eis nulla imputari poſſit culpa, nulla negligentia; quod ceſſat, quando tempore ordinario ceſſauit ignorantia, & impedimentum reclamandi. ita *Sanch.ſup.numer.22.& 23.ex Nau. Azor. & alijs* contra plures Canoniſtas ab ipſo *Sanch.* relatos *num.21.* patetque ex dictis *ſup.q.9.* & ex ijs, quæ copioſè congerit ipſemet *Sanch.* monens *nu.26.* hoc reſtitutionis beneficium competere, elapſis etiam 100. annis, durante eo tempore ignorantia, aut alio impedimento.

QVÆRES XIV. An Religioſus inualidè profeſſus, qui tráſacto quinquénio verè nó ratificauit profeſſioné, & ei denegatur tam audientia, quam beneficium reſtitutionis, eo quòd forte nequeat probare ignorantiam, aut iuſtum reclamandi impedimentum, aut fortè illis non laborauit, ideòque caret remedio quo ad forum externum, teneatur ratificare profeſſionem, ſeruare regulam, & vota nec non gaudere poſſit beneficijs religionis.

56 ℞. Non teneri ratificare profeſſionem, neque ſeruare regulam, & vota quo ad forum conſcientiæ idque ob rationem adductam hìc *cap.1.q.20.§.grauior dubitatio*, vbi etiam oſtendimus an, & quo modo taliter profeſſus poſſit frui beneficijs religionis. qua de re *Bonac.* latè *q.2. de clauſ.p.10. diffic.1.* qui quo ad præſentem quæſtionem à nobis diſſentit cum *Rodriqu. & Angl.* quos ſequitur *Lezana tom.1. cap.2.numer.7.* dicens Religioſum inualidè profeſſum, dum ei tempus non vacat ad reclamandum, eo quod ſit elapſum quinquennium, teneri ratificare profeſſionem, ſaltem quando ſua culpa inualidè profeſſus eſt: & hoc, ne alioqui decipiat religionem; quæ illum exiſtimat eſſe verè profeſſum.

QVÆRES XX. Quot, & quæ requirantur ad ratificandam profeſſionem aliàs inualidam caſu, quo inualidè profeſſus ſtatuat eam ratificare.

57 ℞. Requiri duo, nimirum quòd profeſſus agnoſcat inualiditatem profeſſionis, & quod formaliter intendat profiteri; non eſſe tamen neceſſarium, quòd vel repetatur nouitiatus, vel interueniat noua Prælati acceptatio. ita *Leſſ.ſup. num.66. & 67. Bonac num.3.4.& 5. Sanch.vbi ſup.à numer.45. vſque ad 60.* incluſiuè, alijque penes ipſum. Et quidem quòd requiratur notitia inualiditatis, & nouus conſenſus, conſtat, quia nihil eſt magis contrarium conſenſui, quam error *l. ſi per errorem ff. de iuriſd. omn. Iudic.* qui autem ratificat profeſſionem, ignorans eius nullitatem, conſentit per errorem, quatenus putat ſuam profeſſionem eſſe validam, & per conſequens inualidè eam ratificat (intellige cum *Leſſ. numer,63.* niſi taliter profeſſus expreſsè apud ſe ſtatuat ſuam ſe velle profeſſionem modo eſſe validam, etſi fortè ab initio fuerit, & adhuc ſit nulla:) præterea ratificatio profeſſionis inualidæ eſt

nouum

nouum votum, ideòque cum voti vinculum non contrahatur niſi voluntate formali, & poſitiua, requiritur intentio formalis ratificandi dictam profeſſionem: præſertim, cum talis ratificatio ſit res maximi momenti totum vitæ ſtatum ſpectans, vnde & petit maximam deliberationem.

58 Quòd verò non ſit neceſſaria in præſenti caſu repetitio nouitiatus aliàs inualidi (vt ſi factus ante completam pubertatem) patet quia, vt benè docent *Bonac. num. 5. ex Sanchez. & Azor. Leſſ. ſupr. & alij*, nouitiatus non requiritur, niſi vt ingreſſurus experiatur auſteritates religionis, & ipſa illius mores, vt habetur *cap. ad apoſtolicam* 16. *de regul.* at hoc verificari poteſt, etſi nouitius ſit inhabilis, aut aliud vitium ſubſit admiſſioni, ergò; & hoc putat *Sanchez numer.* 48 eſſe verum, quamuis publica eſſet nullitas profeſſionis, & nouitiatus ob inhabilitatẽ profeſſi: oppoſitum tamen ſuſtinẽt *Nau. Rodriq & Palac.* relati à *Sanch. nu. 46.* (quorum opinionem ipſemet fatetur eſſe probabilem) ea maximè ducti ratione, quòd nullum iuris effectum operari poteſt id, quod in ſe eſt nullum, & non entis nullæ ſunt qualitates *l. eius qui in prouinc. ff. ſi certum petatur*; quamquam iſta ratio facilè diluatur, negando quod nullum iuris operetur effectum id, quod eſt in ſe nullum formaliter, ſed validum materialiter; quod euenit in caſu noſtro.

59 Quòd denique ad ratificandam profeſſionem in caſu propoſito non requiratur noua acceptatio Prælati regularis, conſtàt ex ijs, quæ diximus *ſupr. cap. 1. q. 20. §. dubium iam eſt*, vbi fusè tractauimus iſtam quæſtionem, moneo hic ſolùm cum *Leſſ. nu. 66.* eiuſmodi doctrinam non habere locum, quando Prælatus, nullitate profeſſionis cognita, repugnat admiſſioni volens ob aliquam cauſam profeſſum illum eijcere à religione; non enim Papa intendit admittere ratificationem profeſſionis inualidæ iuxta *cap. ad noſtram* 8. & *cap. ſignificatum* 11. *extra de regul.* ſi Superior poſitiuè repugnet.

QVÆRES XXI. Qualiter peccet, & quas pœnas incurrat Religioſus, qui reclamat contrà propriam profeſſionem, cùm tamen ſciat illam eſſe validam.

60 ℞. Peccare mortalit. & incurrere pęnas latas contrà Apoſtatas; ſiue eius profeſſio fuerit expreſſa, ſiue tacita. ita *Bonac.* in terminis *q. 2. de clauſ. p. 10. diffic. 5. num. 1.* & probatur quia talis religioſus verè eſt apoſtata, vt potè qui à propria religione recedit animo ampliùs non redeundi ad illam: & quidem ſine licentia proprij Prælati, cùm licentia ab eo obtenta fuerit extorta doloſè, & fraudulenter, ideòque perinde ſe habeat, ac ſi non fuiſſet obtenta; quas autem pęnas incurrant Religioſi apoſtatæ, dicemus in *tract. de priuileg. cap. 8. ſect. 3. q. 6. 16. 17. 18 & 19.*

An autem religioſo vi reclamationis recedenti ab Ordine reſtitui debeant quæ ibi acquiſierat.

℞. *Bordonus ſup q. 34.* debere ei reſtitui illa, quæ ipſi relicta fuerunt a cõſanguineis, & cognatis; quippe quæ præſumuntur relicta potiùs intuitu cognationis, quam religionis: non item ea, quæ acquiſierat, non vt talis perſona, ſed intuitu ſtatus religioſi (qualia ſunt empta ex pecunia acquiſita per auditionem confeſſionum, conciones, lectiones, & ſimilia) horum enim proprietas videtur manere perpetuò apud religionem, vt potè acquiſitorum intuitu illius; relicto tamen vſufructu penes religioſum ad vitam illius.

Addit *Bordonus c. 6. q. 29.* hòc ipsò quòd ratificatur profeſſio aliàs nulla, reualidari actus, & contractus ante ratificationem factos, ac ſi validè fuiſſet profeſſus ab initio: probat tùm quia, eſto non firmetur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit; id tamen fallit, ſi de nouo ſuperueniat conſenſus, remotis impedimentis, vt notant communiter *DD. ſup. 18. de regul. iur. in 6.* tum quia Vrban. VIII. in Conſtit. allata *tr. 2, cap. 1. q. 18. §. verum* ſolum ad abundantiorem cautelam præcipit profeſſum in caſu propoſito reſtitui ad priſtinum ſtatum, nempe ad vitandas lites, &c. Et ad animandum nulliter profeſſos vt iterum profiteantur. Cæterum profeſſio quò ad ſuum valorem retrotrahitur ſolùm à puncto ratificationis, eſtò quò ad effectus extrinſecos præcedentiæ, & ſimilium retrotrahatur ac ſi ab initio fuiſſet valida. ita *Bordonus q. 18.* monens *q. 23.* aſſerenti ſe ratificaſſe profeſſionem intra quinquennium credendum eſſe quò ad forum conſcientiæ, cum nemo præſumatur immemor ſuæ conſcientiæ *cap. 26. 1. q. 7.*

SECTIO III.

De facultate, quam habent Regulares, etiam Profeſſi tranſeundi ex vna Religione ad aliam.

61 *Tranſitus ad alium Ordinem fieri poteſt tripliciter.*
62 *Regulariter non expedit.*
63 *Propria auctoritate fieri nequit, nec de iure naturali.*
64 *Cum licentia Prælati regularis tranſitur ad Ordinem æqualem cum cauſa.*
65 *Idem procedit de tranſitu ad Ordinem laxiorem.*
66 *Generalis Soc. Ieſu concedit ſuis tranſitum ad Ordinem, etiam laxiorem.*
67 *Aſſignantur cauſæ tranſitus ad Ordinem minùs ſtrictum.*
68 *Licentia tranſitus abſolutè conceſſa intelligitur de Ordine non laxiori.*
69 *De facto à Prælatis regularibus non conceditur cum cauſa ad laxiorem.*
70 *Secluſo iure poſitiuo, licitus eſt tranſitus ad Ordinem ſtrictiore.*
71 *Immò, & de iure communi.*
72 *Nec oppoſitum colligitur ex cap.* mandamus 19. quæſt. 3.
73 *Per Papam irritari poteſt profeſſio valida, ſed non abſolutè.*
74 *Iure proprio aliquorum Ordinum illicitus eſt tranſitus, etiam ad arctiorem.*

75 *Et quidem communiter etiam ad Carthuſiam, ſi non adſit Prælati licentia.*

76 *Idque eſt valde commendablile, nec poteſt vllo modo damnari.*

77 *Stando præciſè in iure communi, omnes religioſi tranſire poſſunt ad Ordinem ſtrictiorem.*

78 *Immò & ipſæ moniales.*

79 *Item & Prælati regulares, licentia petita, etſi non obtenta.*

80 *Item Conuerſi, & Oblati.*

81 *Tranſitus hic faciendus cum debita intentione.*

82 *Illicitus eſt ingreſſus Ordinis laxioris animo tranſeundi ad ſtrictiorem, vbi ingrediens v. g. euaſerit doctus.*

83 *Tranſitus faciendus debita intentione, quæ duret toto anno nouitiatus.*

84 *Non debet fieri cum graui dammno prioris Ordinis.*

85 *Hic autem Ordo ille dicitur perfectior, qui eſt arctior, ſi ſpectetur ius, ſecus, ſi ſpectentur rationes.*

86 *Sic enim maior perfectio ex maiori obſeruantia, quæ vigeat de præſenti, debet colligi.*

87 *Et quidem abſolutè, non autem reſpectu religioſi tranſeuntis.*

88 *Licitus eſt tranſitus ab Ordine ſtrictiori ex inſtituto ad arctiorem iuxtà actualem obſeruantiam; ſed cum aliqua limitatione.*

89 *Fertur iudicium de arctitudine aliquorum Ordinum: & quidem ad Carthuſiam licitus eſt tranſitus à quocumque Ordine.*

90 *Ad licitum tranſitum requiritur licentia petita ante tranſitum.*

91 *Ea autem petenda à proprio Prælato;*

92 *Expreſſa cauſa inducente ad tranſitum.*

93 *Item expectanda reſponſio tempore competenti.*

94 *Et, ſi negetur, non ſtatim licitus eò ipsò eſt tranſitus.*

95 *Peti poteſt per literas, aut per nuncium.*

96 *Ad hunc tranſitum non petitur conſilium, aut conſenſus Conuentus.*

97 *Dicta licentia concedi poteſt, etiam à Prælatis Ordinum habentium priuilegium, ne liceat tranſitus ad quemuis Ordinem ſtrictiorem; etſi eam non teneantur dare Prælati Soc. Ieſu, poſſint tamen, ſi velint.*

98 *Profeſſi Societ. Ieſu, etiam de iure communi, de licentia Prælati non tranſeunt ad vllum Ordinem monaſticum, niſi ad Carthuſiam; non item ſtando in iure proprio Societatis.*

99 *Illi dimitti poſſunt, etiam ad Ordinem parem, aut laxiorem, ſed non ſemper.*

100 *Tranſitus ſine debitis conditionibus factus interdum tenet, interdum non.*

101 *Non tenet in dubio, an factus ſit ad Ordinem ſtrictiorem.*

102 *Licentiatus ad tranſitum non recedit, niſi conſtet alium Ordinem eſſe paratum ad ipſum recipiendum.*

103 *Tranſiens non recipitur ſine dimiſſorijs alterius Superioris.*

104 *Ordo ſtrictior non tenetur recipere religioſum petentem tranſitum, etſi dignum.*

105 *Tranſiens legitimè ad alium Ordinem, ſi redeat ad priorem, recipiendus: imò etſi illegitimè tranſeat, ſi redeat ante profeſſionem factam in Ordine poſteriori.*

106 *Profeſſus Ordinis ſtrictioris numquam tenetur petere diſpenſationem ad ingrediendũ Ordinem laxiorem.*

107 *Religioſus cogi poteſt tranſire ad alium Ordinem per modum pacti mutui.*

108 *Diſpenſatus ad tranſitum certi Ordinis liberè tranſit ad alium ſtrictiorem.*

109 *Ligatus voto perſeuerandi in ſuo Ordine tranſire poteſt ad ſtrictiorem.*

110 *Habens votum non tranſeundi ad alium Ordinem non tranſit ad laxiorem, ſi dictum votum factum eſt ante profeſſionem.*

111 *Perpetuò eiectus à ſuo Ordine, tranſire poteſt ad alium etiam laxiorem.*

112 *At reuocari poteſt à prioris Ordinis Prælato, antequàm profiteatur in poſteriori.*

113 *Licentiatus ad Ordinem ſtrictiorem tranſire poteſt ad alium arctiorem diuerſum, non item ad æquè arctum.*

114 *Licentiatus ad tranſitum alterius Ordinis indefinitè tranſit ad æqualem, non autem ad laxiorem.*

115 *Tranſitus ad Ordinem laxiorem concedi nequit ex eo præciſè quod proprius Ordo reformetur.*

116 *Licitus eſt tranſitus ab Ordine ex inſtituto ſtrictiori, ſed relaxato ad laxiorem ex inſtituto, ſed obſeruantem.*

117 *Licentia tranſeundi ad alium Ordinem non finitur primo actu; quod tamen fallit attento iure Societatis Ieſu.*

118 *Religioſi Soc. excommunicantur, ſi licentiati ad tranſitum non tranſeant, & ſtatim non redeant.*

119 *Licenciatus ad tranſitum ſi vagetur per varios Ordines, cogitur perſiſtere in vno.*

120 *Religioſus epiſcopus, renuntiato epiſcopatu, non tranſit ad laxiorem.*

121 *Ad ſtrictiorem verò non tranſit ſine licentia Papæ.*

122 *Religioſus Papa, abdicato papatu, tranſit ad Ordinem, etiam laxiorem.*

123 *Religioſus Mendicans ſolùm de licentia Papæ tranſit ad monachos.*

124 *At de iure communi tranſit ad alios Ordines mendicantes.*

125 *Limitatur aſſertio.*

126 *Extant quò ad hoc ſpecialia ſtatuta pro aliquibus Ordinibus mendicantibus.*

127 *Canonici regulares hodie tranſeunt ad Ordines monachales.*

128 *Monachi non tranſeunt ad Canonicos regulares: quod Suarez non omninò approbat.*

129 *Religioſi aliquorum Ordinum non tranſeunt liberè ad Carthuſiam.*

130 *Carthuſiani non tranſeunt ad alium Ordinem.*

131 *Fratres Minores non tranſeunt ad Carthuſiam; quippe quorum regula eſt rigidiſſima.*

132 *Item nec Caſinenſes abſque licentia proprij Prælati obtenta.*

133 *Profeſſus Ordinis arctioris tranſit ad laxiorem, vt ibi ſit Prælatus.*

134 *Religioſi laici Ordinis arctioris non tranſeunt ad laxiorem, ſi ibi recipiantur vt laici; ſecùs, ſi recipiantur vt clerici.*

135 *Religioſi laici ex decreto Clem. VIII. promoueri nequeunt ad ſtatum Clericorum: & hoc conformiter Conſtitutionibus Societ. Ieſu.*

136 *Religioſus clericus tranſire poteſt ad ſtatum laicorum.*

137 *Sed ſolum cum licentia Prælatorum ſuperiorum, & de conſenſu Conuentus; immò in Societat. Ieſu ſit ſolùm*

ſolùm

lùm cum licentia Generalis.
138 *Limita vniuersè, niſi religioſus Clericus ſit ordinatus in ſacris.*
139 *Prælati peccāt mort. ſi ſine iuſta cauſa negent tranſitũ.*
140 *Cauſa tranſitus non debet cognoſci iudicialiter.*
141 *Tranſiens indebitè ad Ordinem arctiorem propriè non eſt apoſtata.*
142 *Nec incurrit pœnas latas contra apoſtatas.*
143 *Poteſt tamen dici, & eſt fugitiuus.*
144 *Licentiatus ad tranſitum hodie non recedit à priori Ordine, niſi priùs conſtet illum fuiſſe admiſſum in Ordine, quem petit.*
145 *Religioſus apoſtata, aut fugitiuus in remotiſſimis locis ſine licentia tranſit ad aliũ Ordinem, etiam laxiorem.*
146 *Indebitè trãſiens ad aliũ Ordinẽ varias incurrit pœnas.*
147. *Tranſiẽs ad aliũ Ordinẽ eſt incapax beneficij ſæcularis.*
148 *Priuatur voce actiua in capitulo, & loco in ipſo capitulo; immo eſt inhabilis ad prælaturas regulares, & ſæculares.*
149 *Sedet in capitulo iuxtà gradum profeſſionis factæ in poſteriori Ordine.*
150 *Non tenetur ad ſtrictiorem clauſuram.*
151 *Eximitur ab obediẽtia prioris Ordinis; ſed nõ abſolutè.*
152 *Eſt liber à votis proprijs prioris Ordinis.*
153 *Non defert ſecum bona vſibus ipſius conceſſa; quod alij negant.*
154 *Non defert libros aliàs ipſi conceſſos.*
155 *Defert ſolum veſtes neceſſarias ad vſum actualem.*
156 *At defert propria manuſcripta.*
157 *Tranſiens ad alium Ordinem ibi acturus pœnitentiam defert propria bona quò ad vſum fructum.*
158 *At, ſi quid ibi de nouo acquirit, priori Ordini acquirit.*
159 *Hæreditas delata religioſo in Ordine capaci ex morte teſtatoris religioſo profitenti in alio Ordine ante eius aditionem, acquiritur priori Ordini.*
160 *Quod ſi religioſo ſit delata in Ordine incapaci, & ille poſteà tranſeat ad Ordinem capacem, ea acquiritur hæredibus ab inteſtato.*
161 *Tranſiens ab Ordine incapaci ad capacem acquirit hæreditatem ſibi delatam in ſæculo, & nondum aditam per hæredes ab inteſtato.*
162 *Inſtitutus hæres in Ordine incapaci, ſi tranſeat ad capacem, non acquirit hæreditatem, ſi inſtitutus eſt ab extraneo; ſecùs, ſi in teſtamento fratris.*
163 *Religioſus incapax, ſi fiat capax, interdum rumpit teſtamentum, in quo præteritus fuit.*
164 *Subſtitutus pupillo, ſi tranſeat ab Ordine incapaci ad capacem, recuperat ius ſuccedendi aliàs amiſſum.*
165 *Hæreditas ſub conditione relicta religioſo tranſeunti ab vno Ordine ad alium, acquiritur Ordini, in quo ille degit, dum impletur conditio.*
166 *Tranſiens ab Ordine incapaci ad capacem recuperat bona ſibi reſeruata ſub conditione talis tranſitus.*
167 *Tranſiens ab Ordine capaci ad capacem non defert peculium aliàs ſibi permiſſum.*
168 *Tranſeunti ab Ordine capaci ad incapacem, ſi qua bona relinquantur poſteà, acquiruntur ei, qui illi ſuccedit ab inteſtato.*
169 *Res promiſſa religioſo ſub conditione aliqua ſi is poſteà tranſeat ad alium Ordinem, debetur priori monaſterio; ſed non ſemper.*
170 *Tranſiens ad alium Ordinem nouum facit nouitiatum,*
171 *Nouam item facit profeſſionem.*

QVÆRES I. quot modis poſſit contingere tranſitus ab vna religione ad aliam.

61 ℞. Quòd, cùm religiones in ratione perfectionis non omninò conueniant, ſed aliæ ſint laxiores, aliæ æquales, & aliæ perfectiores, ſeu ſtrictiores, licèt aliàs quò ad ſubſtantialia, ideſt quo ad 3. vota nullo modo differãt; cõſequẽter 3. modis poteſt cõtingere quòd Religioſus trãſeat ab vna religione ad aliã, nimirũ vel ad laxiorẽ, vel ad æqualẽ, vel ad ſtrictiorẽ.

QVÆRES II. An, & qualiter ſit laudabile, quòd Religioſus tranſeat ab vna religione ad aliam.

62 ℞. Regulariter non eſſe, etiam ſi fiat titulo maioris perfectionis: immò eſſe periculoſum, & raro, aut nunquam eſſe conſulendum. ita *Suar. to. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 9. n. 3. Lezana. to. 1. c. 22. n. 1. Sanch. l. 6. moral. c. 7. n. 1.* alijque cum *S. Tho. 2. 2. q. 189. a. 8.* patetque ex dictis *tr. 2. c. 4. q. 14. § quòd ſi hac occaſione;* ſi monuero nihilominùs poſſe contingere, quòd talis tranſitus ſit laudabilis, ſi ſcilicet fiat ex cauſa grauiſſima, & ſeruatis ſeruandis, de quibus infrà.

QVÆRES III. An, & quo modo licitùm ſit Regularibus trãſire ab vna religione ad aliã, vel laxiorem, vel æqualem, ſtando in iure merè naturali.

63 ℞. Non eſſe licitum, ſi id fiat propria auctoritate, ſine diſpenſatione: ratio eſt, quòd talis tranſitus eſt contra ius acquiſitum religioni, in qua religioſus emiſit profeſſionem, ſi quidem conditio, quæ ineſt profeſſioni tranſeundi ad aliã religionem eſt ſolùm in ordine ad aſſumendũ ſtatum perfectiorẽ, & ad maiorẽ Dei cultum, aut maius animæ bonũ: quę ſine dubio non verificantur, ſi tranſitus ſit ad religionẽ laxiorem, aut æqualem; conſtat autem, quòd, ceſſante præfata conditione, non poteſt talis tranſitus nõ eſſe iniurioſus religioni, à qua tranſitur: idq; ob magnã inęqualitatẽ, quę intercederet inter ipſam & religioſũ modo dicto tranſeuntẽ: quatenùs ipſa cogeretur retinere perpetuò religioſum, ipſo manente libero ad eã relinquendã etiã pro religione æquali, aut laxiori; quòd certè neq; expreſsè vult religio, neq; poteſt præſumi velle, cũ nemo cõtra ſe ipſũ pręſumat cõtrahere. ita *Suar. ſup. c. 9. n. 1.* & alij.

Quòd ſi quæras, quis poſſit diſpenſare ad hoc vt Religioſus validè, & licitè tranſeat ad religionem, laxiorem, aut æqualem.

64 ℞. Cum diſtinctione: vel loquimur de trãſitu ad religionẽ æqualẽ, & tunc, ſi quidẽ adeſt iuſta cauſa diſpẽſandi, poteſt Prælatus regularis diſpenſare, vt tradunt *Panormit. Rodriq. Sanch. Mir.* & alij relati à *Peyr. de R. S. q. 1. c. 24. ſub initiũ* ex *Gloſ. in c. cũ ſingula de præbend. & dignit. in 6. v. canonicè* adducente ad hoc *c. ſtatuimus 19. q. 3.* ſi verò non adſit iuſta cauſa, tũc ſolus Papa poteſt diſpenſare, vt docent *Abb. S. Anton. Roſel. Ang. Sylu. Tab. Azor. Sanch. & Miranda,* allegati ab eodem *Peyr. §. dico 3.* monente ex *Ang. Sylu. & Mir.* licẽtiã trãſeundi ad religionẽ æqualem ſine cauſa obtẽtã à Papa excuſare, etiã quò ad Deũ (quod negãt alij cũ *Sanch. n. 64.*) probãtq; quia talis facultas non uidetur denegãda ſupremæ poteſtati Papæ, præſertim cum ſic uotum cõmutetur in bonum æquale, Deoq; parum referat, quòd in hoc, uel illo loco ei debita ſoluantur, & aliàs Papa ut ſupremus Pręlatus omnium religionum ex iuſta cauſa poſſit præiudicare iuri per profeſſionẽ Religioſi

diſpenſati acquiſito priori religioni: immò, & ſine cauſa, vt conſtat ex modò dictis, quamuis malè faceret abutens ſua poteſtate.

65 Vel loquimur de tranſitu ad religionem laxiorē; & tunc adhuc diſtinguendum; vel enim adeſt iuſta cauſa diſpenſandi; & ſic *Sanch. ſup. nu.* 68. ex *Nau. Sà Azor. Leſſ. Rodriq.* quos cum alijs DD. refert, & ſequitur *Peyr. §. dico* 6. putat probabilius eſſe, quòd etiam Prælatus regularis poſſit diſpenſare, etſi facilis ſit aditus ad Papam; idque non obſtante decreto *Concilij Triden. ſeſſ.* 25. *de regul. c.* 19. *Nemo regularis cuiuſcunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem religionem*: intendit enim ſolùm prohibere, ne id fiat ſine iuſta cauſa, & conſenſu Conuentus, vel non præmiſſa cauſæ cognitione, vt olim interdū fiebat, quibuſdam Prælatis id ſuo arbitratu concedentibus; quod benè aduertit *Leſſ. l.* 2. *c.* 41. *nu.* 103. addens *n.* 104. Extrauagantem *Viā ambitioſæ de regul.* decernentem, ne mendicantes poſſint tranſire ad aliam religionem præter Carthuſianam abſq; licentia Papæ, & aliter fore excommunicatos tam recipientes, quàm receptos, aut non eſſe quò ad hoc vſu receptam, vel intelligendam de tranſeuntibus abſque legitima cauſa. Vel non adeſt iuſta cauſa diſpenſandi in præſenti caſu; & ſic ſolus Papa poteſt diſpenſare, quò ad forum tamen externum tantùm, non item quò ad forum conſcientiæ; cùm diſpenſatio circà legem dependentē à iure diuino (vt in caſu noſtro) ſine iuſta cauſa licitè fieri non poſſit: vnde in hoc euentu peccaret & Papa diſpenſans, & religioſus procurans ejuſmodi diſpenſationē; ſicut notauit *Peyr. §. dico* 5 hanc partem nobiſcum ſuſtinens cum *Abb. Ang. Sylu. Roſel. Tab. Rodriq. Nau. & Sanch.* cum quo tamen ſtat, vt Papa poſſit in iſto caſu validè diſpenſare ob ſupremam poteſtatem quam habet in Eccleſia quod negat *Suar. ſup. c.* 11. *n.* 15. dicēs probabilius eſſe irritam fore hanc diſpenſationem.

Nec obſtat dictis, quòd Greg. XIII. anno 1582. per bullam conceſſit Societati Ieſu, vt ipſius Generalis licentia ſufficeret ad hoc vt eius profeſſi poſſint tranſire ad aliam religionem, etiā laxiorem (vt rectè oſtendit *Suar. ſup. tr.* 9. *l.* 11. *c.* 2. *n.* 4.) & talis cōceſſionis communicationem interdixit alijs mendicantibus: quod eſt ſupponere, ſecluſo tali indulto, non ſufficere licētiam Generalis ad talem tranſitū.

66 ℞. Enim hinc ſolùm concludi Generales aliorū Ordinum non poſſe vi prefatæ conceſſionis concedere licentia tranſeundi ad aliam religionem modo ſup. dicto; &, cum iure communi res eſſet ſatis dubia, relictum fuiſſe locum opinionibus præter quàm quod in Societate Generalis ſe ſolo dare poteſt talem licentiā, ſtante ſup. dicta conceſſione: cū in alijs religionibus ad id requiratur conſenſus Cōuentus; vnde infert *Sanch. n.* 66. priuilegiū Societatis nō cōmunicatū alijs religinnibus conſiſtere in hoc, quòd in Societate ad præfatum tranſitū ſufficit licentia ſolius Generalis, in alijs verò Ordinibus requiratur præter licentiā Prouincialis aut Generalis, etiā cōſenſus, & licentia Conuentus; & quidē meritò, cùm conceſſio talis licētie ſit de maioribus negocijs monaſterij, adeòq; non niſi de conſenſu conuentus expediri debeat iuxtà tradita à *Sanch. l.* 5. *moral. c.* 4. *nu.* 74. monente *l.* 6. *c.* 7. *n.* 70. licentiā tranſeundi ad religionem minùs ſtrictam non poſſe concedi à Prælato immediato conuentus, ſed ſolùm a Generali, aut Prouinciali, vt iam dictum eſt; & inde patet quòd, dum quis ad religionèm admittitur, acquiritur ius non illi ſoli monaſterio, in quo profitetur, ſed toti religioni, aut ſaltem prouinciæ, adeòque pertinet ad totam prouinciam: vnde nō poterit ipſum alienare immediatus Prælatus monaſterij, ſed Prouincialis, qui præeſt toti prouinciæ, aut Generalis, qui præſidet toti religioni.

67 Cauſæ autem legitimæ tranſeundi ad religionē minùs ſtrictam eſſe poſſunt, ſi religioſus infirma, vel incommoda valetudine vtatur, vel certè ſit natura corporis adeò fragili, vt auſteritates religionis ſtrictioris ferre nequeat; ſi ſit ſenex, ac proinde ineptus aſperitatibus Ordinis; ſi in propria religione extet aliquod perfectionis impedimentum, quod non adit in alia; ſi odio habeatur ab alijs Coreligioſis, aut indignè, ac malè tractetur (ſi quidem vel nullam dedit cauſam, vel, ſi dedit, eam ſuſtulit reſipiſcendo); ſi in Ordine ita infamatus ſit ob aliquod delictum commiſſum, vt ſemper in eo victurus ſit triſtis, & pudore ſuffuſus; ſi imprudenter ibi profeſſus eſt, aut ex ſimplicitate credens eam religionem non eſſe ſic auſteram; ſi ob noxiam aeris intemperiem non poſſit reperiri monaſterium, in quo degat ſine periculo (quod tamē nō poteſt moraliter euenire); ſi in vno Ordine laxiori ſubuenire poſſit graui indigentiæ parentum, cui commodè nequit ſuccurrere in ſtrictiori, ita *Sanch. ſup. n.* 72. *ex Rodriq. to.* 3. *q.* 52. *a.* 9. *Azor. to.* 1. *l.* 12. *c.* 14. *q.* 8. *& alijs.*

68 Cæterùm monet *Sanch. n.* 74. *ex Nau. & Rodriq.* licentiam abſolutè conceſſam ex iuſta cauſa à quocumque Prælato ad effectū tranſeundi ad aliam religionē, intelligi de religione ſtrictiori, aut æq; ſtricta, non autem de minùs ſtricta: quamuis enim priuilegium debeat operari aliquid vltrà ius commune *cap. in his de priuil.* dato tamen aliquo effectu, quem operetur, nō debet extēdi ad alium, in quo non cōcurrat eadē ratio (niſi fortè adiecta eſſet dictio vniuerſalis, vt ad quācunq; religionem tranſire poſſis; quo modo cōprehēderetur etiā religio laxior); vnde, cùm præfata licentia operetur effectum tranſeundi ad parem religionē, ad quam ſine illa tranſiri non poterat, non eſt, cur tribuamus ei hunc alium effectum, quòd vi illius tranſiri poſſit ad laxiorem, cùm diſpar ratio militet quò ad eiuſmodi trāſitum.

69 Addo hic obiter vnum ex *Suar ſup. tr.* 8. *l.* 3. *c.* 11. *n.* 20. quòd diximus Prælatos regulares poſſe ex iuſta cauſa diſpenſare cum religioſis ſubditis, ut tranſeant ad religionē etiam laxiorē, fieri maximè probabile, ſi conſuetudo, quę in his rebus plurimū poteſt, illi faueat: ſed de illa (inquit *Suar.*) mihi nō cōſtat, & uereor contrariū potiùs eſſe in uſu; ſic ille, & ita mihi uidetur, immò puto oppoſitū regulariter ſeruari; etſi aliqui dicāt extare exēpla in contrariū.

QVÆRES IV. An Regulares ex natura rei, ſecluſo quocumque iure poſitiuo poſſint propria auctoritate tranſire ad religionem ſtrictiorem.

70 ℞. Poſſe, & quidē etiā inuita propria religione. ita *Suar. ſup. c.* 8. *n.* 1. & probatur tū quia per talē trāſitū nulla fit iniuria, neq; Deo, neq; religioni: nō Deo, cū per profeſſionē religioſā præcipuè intēdat tēden-

tia

tia ad perſectionem ex vi ſtatus, & à tali perfectione per dictum tranſitum non recedatur, ſed potiùs ea magis apprehendatur: non Religioni, cùm traditio profeſsionis non fiat religioni principaliter propter ipſam, ſed propter ipſum religioſum, eiuſque perfectionem, ac proinde ſemper cenſeatur reſeruata facultas aſſumendi ſtatum perfectiorem: tum quia talis fuit vſus antiquorum monachorum, vt ſua monaſteria relinquerent, ſiue ad vitam magis ſolitariam, & auſteram apprehendendam, ſiue ad vitanda aliqua ſpiritualia incommoda; ſicut benè, ac eruditè oſtendit *Suar. n. 3.*

QVÆRES V. An, & quo modo ex vi iuris communis poſſint Regulares tranſire ad religionem ſtrictiorem, & quidem abſq; vlla diſpenſatione.

71 ℞. Poſſe, dummodò id non fiat abſque debitis conditionibus. Eſt communis Theologorum cum *S. Tho. 2. 2. q. 189. ar.* 8. & Canoniſtarum in *c. ſanè, & c. licet de Regul.* in quibus iuribus id expreſsè ſtatuitur: vnde ſufficienter probata manet præſens reſponſio, ſi aduertero præſatis iuribus non fuiſſe derogatum per illam Pij V. Conſtitutionem editam anno 1569. quæ incipit *quæcumque ſacrarum*, vbi ſtatuit non poſſe recipi, nec retineri ab vlla religione Fratres alterius Ordinis, ſed debere remitti ad proprios Ordines; ſi quidem, vt ingenioſè aduertit *Nau. l. 3. conſil. de Regul. conſ. 88. n. 1.* ibi non loquitur Papa de tranſeuntibus vi licentiæ conceſſæ iure cõmuni in citato *c. licet*, ſed de tranſeuntibus virtute facultatum conceſſarum aliquibus particularibus religionibus, quas omnes caſſauit, ſicuti colligitur ex verbis illis ipſiuſmet Conſtit. *vigore huiuſmodi priuilegiorũ tantum, & præter iuris communis diſpoſitionẽ*; pręter quam quod *Rodriq. to. 3. q. 52. a.* 8. non diſſentiente *Sanch. l. 6. mor. c. 7. n.* 2. putat præſatam Conſtitutionem intelligi de ijs, qui trãſeunt ad aliã religionem non petita licentia, ideoque credit non differre deciſionem dictæ Conſtitut. ab eo, quod eſt deciſum iure communi.

72 Quòd ſi in *c. mandamus* 19. *q.* 3. prohibetur ne quis canonicus regulariter profeſſus monach' fiat, cùm tamen conſtet monachorum profeſsionem eſſe arctiorem, quàm ſit canonicorum regularium; vt expreſsè habetur in *c. quod Dei timore de ſtatu monach.* id non obſtat ob dicenda *q.* 29. præterquàm quòd dici poſſet ibi ſolum vetari, ne dictus tranſitus fiat cum detrimento Eccleſiæ, aut ex ira, odio, leuitate animi, aliaue perturbatione, vt notat *Leſſ. ſup. n. 100. ex Gloſſa ibi*; non autem tollitur quòd nõ ſit licitum tranſire ad religionem, ſi alioqui in tali tranſitu concurrant debitæ conditiones, quæ à *Sanchez n.* 2. reuocantur ad 4. nimirum quòd religioſus tranſiens non ſit ex ijs, quibus ſpecialiter interdicitur iſte tranſitus: ne eiuſmodi tranſitus fiat ex temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel alia quauis animi perturbatione, ſed ſolo ſtudio melioris, & ſtrictioris vitæ. & ne fiat cum damno, aut iactura religionis, à qua receditur: vt tranſitus fiat ad religionẽ perfectiorẽ: deniq; vt petatur à Prælato licẽtia trãſeundi, eſtò nõ obtineatur; quæ omnes conditiones à nobis hic infrà explicabuntur.

Quomodo autẽ Pius V. in illa ſua bulla *quæcunq;* potuerit irritare profeſsiones eorum, qui per priuilegia aliàs religionibus conceſſa præter iuris communis diſpoſitionem, & ab ipſo tunc reuocata iam tranſierant ad religionem ſtrictiorem ſeruatis de iure ſeruandis, ac præcipere vt tales ad proprios Ordines redirent: cum tales profeſsiones vi ſupradictorum priuilegiorum emiſſæ re vera eſſent validæ, vt pote factæ per priuilegia, tunc valida, quippe quæ nondum fuerant reuocata, vt patet.

73 ℞. *Suar. ſup. c. 12. n. 1.* potuiſſe Pontificem id facere, eo quòd, quamuis Papa non poſſit irritare in totum, ſeu quò ad ſubſtantiã profeſsionem ſemel validam, prout tamẽ ea determinatur ad hanc, aut illam religionẽ, poteſt eam irritare, ſeu mutare, etiam inuito religioſo, cum hoc totum pendeat à iure humano, & alioqui interuenerit iuſta cauſa id faciendi ob maius cõmune bonum, & quietẽ, ſeu pacem Religioſorũ, quorum multi fortaſſe eo titulo religioſũ ſtatũ indignè tractabant, vt in principio dictæ Conſtit. innuitur.

QVÆRES VI. An, & quo modo ſtãte iure particulari religionũ, ſeu indultis, ac priuilegij ipſarũ poſſint Regulares in præſentia liberè trãſire ad religionẽ ſtrictiorẽ ex cõceſsione præfata iuris cõmunis.

74 ℞. Non poſſe; idque maximè ex conceſſione Pauli III. facta Societate Ieſu per bullã editam 15. Cal. Nou. 1548. quę incipit, *licèt debitum, §. inhibemus* vt nullus in Societate profeſſus, vel per 3. vota ſubſtantialia admiſſus poſſit niſi de licentia expreſſa Prępoſiti Generalis, aut Sedis apoſtolicæ ad aliã religionem, excepta Carthuſia trãſire ſub pęna excõmunicationis ipsò factò incurrenda tam à tranſeũtibus, quàm à recipientibus ipſos prætextu cuiuſuis indulti conceſſi. aut concedendi etiam quæſito colore ob frugem melioris vitæ, aut ſtrictioris obſeruantiæ; quodq; ſecùs facta non teneant; quin etiam Greg. XIII. in bulla *dilecte fili* edita 13. Octob. 1584. Carthuſię limitationem ita reſtrinxit, vt tranſitus ad illam ſemel tantũ fieri poſſit, & ſi translatus vſq; ad profeſsionẽ in ea non perſeueret, redeat ad Societatem & ipſa inuita, redire nõ poſſit ampliùs ad Carthuſianos; idque ſub præſata pæna excommunicationis, incurrẽda tamẽ ſolũ à tranſeuntibus, non itẽ à recipientibus, & reſeruata Papæ, aut Generali Societatis. Pręterea clerici regulares miniſtrantes infirmis ex indulto Pauli V. ipſis per bullã (quæ eſt in ordine 20. & incipit *Romanũ decet*) cõceſſo neq; ad Carthuſianos trãſire poſsũt ſine licẽtia Sedis Apoſtolicæ: Patres verò Diſcalceati Carmelitæ habent priuilegiũ à Paulo V. cõceſsũ die 3. April. 1610. ſub excõmunicatione latæ ſentẽtię nõ poſsũt trãſire ad Carthuſiã, niſi petita, & obtẽta licẽtia à proprijs Superiorib' (quod indultũ R. P. N. Vitelleſcus declarauit cadere de facto ſub cõmunicationẽ priuilegiorũ noſtræ Soc. Deniq. in Extrauag. *Viã de Reg.* ſub pæna excõmunicationis latæ ſẽt. reſeruatæ Papæ interdicitur, ne ex religionib' mẽdicãtibus fiat trãſit' ad quàcunq; aliã, præter quã ad Carthuſiã. Alia ſimilia priuilegia cõceſſa ſũt alijs religionib', vt videre eſt apud *Azor. p. 1. l. 12. c. 14. q. 12.* quę ſine dubio per viã cõmunicatõis priuilegiorũ cõmunia ſũt etiã alijs Ordinib'; quippe q̃ ſũt fauorabilia toti cõmunitati religionis, ideoq; cadũt ſub generalẽ cõmunicationem priuilegiorum, vt infra ſuo loco oſtendemus.

75 Ex quibus non malè quis inferat, in præſentia non poſſe Religioſos, ſiue mēdicantes, ſiue nō mendicantes, ſaltem per viam communicationis priuilegiorum ipſis factam à Pio V. in *Conſtit. eius in ordine* 41. eiuſque extenſione, tranſire à propria religione ad aliam, quantumuis ſtrictiorem immò neque ad Carthuſiam abſque licentia ſuorum Superiorum petita, & obtenta iuxtà priuilegium PP. Diſcalceatorum Carmelitarum; immò nec ſine licentia Sedis Apoſtolicæ iuxtà indultum PP. Miniſtris infirmorum conceſſum; intellige, ſi talia priuilegia ſint in vſu apud hanc, aut illam religionem reſpectiuè: conſtat enim quòd, cùm quilibet poſſit cedere iuri ſuo, poſſet & aliqua religio nolle vti hoc vel illo priuilegio, aliàs ipſi competente ſiue per ſe, & directè, ſiue per viam communicationis: quod vtique euenire poteſt etiam in præſenti caſu; vnde in facti contingentia hìc, & nunc conſulenda ſunt priuilegia religionis, de cuius intereſſe agitur, & attentiùs inſpiciendum, quem vſum illa habeat circa præfata priuilegia.

76 Vnum hìc notandum eſt, quòd, quamuis ſupra dicta priuilegia aliqualiter videantur retrahere religioſos à maiori perfectione acquirenda, hòc ipsò quòd modis ſup. relatis limitant tranſitum ad religionem ſtrictiorem; nihilominus ea cenſeri debent & iuſta, & licita, & valida, cum in re adeò graui, & ſpectante ad ſalutem animarum nō poſſit Papa errare, & per ea non impediatur ſimpliciter aſcenſus ad ſtatum perfectiorem, ſed ſolum prohibeatur, ne fiat ſine maturo conſilio, ac directione, & conſenſu proprij Prælati, aut etiam Sedis Apoſtolicæ: quod vtique eſt valde conueniens ad bonum commune, ad ſtabilitatem ſingulorum, religioſorum, pacemq; ac vnionem religioſorum inter ſe; vnde fit, vt, licèt vſus talium priuilegiorum eſſe poſſit vni, aut alteri incommodo, id parum referat, cum id in lege bonum commune reſpiciente non æſtimetur.

QVÆRES VII. An, ſecluſis peculiaribus priuilegijs religionum poſſint omnes Regulares, etiam moniales ſpectato iure communi tranſire ad religionem ſtrictiorem, ac perfectiorem ſeruatis interim aliàs ſeruandis.

77 ℞. Poſſe; patetque tum quia *cap. licèt de Regul.* in quo conceditur talis tranſitus, loquitur generaliter, & indefinitè, vt conſtat ex illis verbis *vt religioſus zelo ſanctioris vitæ ad ſtrictiorem religionem poſſit tranſire*: lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi, præſertim ſi ſit fauorabilis (vt in caſu noſtro); tum quia quilibet poteſt facere, quod Deo gratius eſt; at Deo gratius eſt amplecti inſtitutum religionis ſtrictioris, quàm manere in minus ſtricta; ergò. Quod ita eſt verum, vt *Sanch. l. 6. mor. c. 7. nu. 7. ex Lopez, & Rodriquez* dicat licitum eſſe talem tranſitum, non ſolum quò ad religioſos particulares, ſed etiam quò ad totum vnum conuentum, & quidem abſque vlla licentia Epiſcopi: quidquid aliqui dicant cum *Abb. ad cap. recolentes v. cæterum de ſtatu monach.*

De monialibus poſſet eſſe maior difficultas, an etiam illæ modo dicto, etiam hodie, tranſire poſſint ad religionem ſtrictiorem.

78 ℞. Poſſe; & probatur tum quia olim poterant, vt expreſsè habetur *c. 1. 20. q. 4.* nec conſtat vbi id ius commune derogatum fuerit; cum neque *Concil. Triden. Seſſ. 25. de Regul. c. 5.* neque Pius V. in ſua S. Conſtit. Decori edita anno 1569. (quæ poſſent adduci in contrarium) loquantur in hoc caſu, ſolumque reſtringant monialibus receſſum à proprio monaſterio ad tollendam materiam vagandi, non autem ad occludendam viam inſtinctui Spiritus S. euocantis ad altiorem perfectionem: vt proinde hìc militet regula: *Non veniunt ſub generali prohibitione, quæ quis non eſſet in ſpecie veroſimiliter prohibiturus, ſi in ſpecie interrogaretur*; tum quia eſtò *cap. licèt*, in quo conceditur talis tranſitus, ſolum loquatur de viris religioſis; quia tamen rationes in eo traditæ ad honeſtatem talis tranſitus ſuadendam æq; procedunt in monialibus, ad has etiam extendendum illud eſt iux a regulam *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio.* ita *Sanch. num. 6. ex Mendoſ. Tapia Rodriq. & Zerola Bonac. q. 2. de clauſ. p. 9. §. 2. nu. 4.* afferens ad id quādam declarationem ſacræ Congregat. *Lezana tom. 1. cap. 25. nu. 41. Suarez ſup. c. 10. nu. 1. & alij contra Azor. p. 1. l. 13. ca. 8. q. 1. & Portell. de dub. regul. v. religio numer. 8.* id negantes: à quibus non omninò recedit *Rodriq. tom. 3. q. 52. ar. 6.* dicens ad talem tranſitum requiri licentiam Superiorum, & Ordinarij ob clauſuram indictam monialibus in *Concilio Trid.* quod tamen non approbat *Sanch. vbi ſup.* ſuſtinens in tali caſu ſufficere, quòd monialis petat licentiā exeundi iuxta *cap. licèt* ſup. allegatum, ſiue poſtea obtineat, ſiue non.

79 Addit *Sanch. num.* 8. cum pluribus alijs DD. etiam Prælatos regulares poſſe modo ſup. dicto tranſire ad religionem ſtrictiorem, petita, etſi non obtenta licentia à Superiore, &, ſi illum non habeant (quo modo non habent Generales) à Papa; ſi quidem *cap. licet* ſæpius adductum ſolos Epiſcopos excipit, ijs interdicens trāſitum ad religionem ſtrictiorem, non obtenta Papæ licentia: adeòque non comprehendit Prælatos regulares, cum exceptio firmet regulam in contrarium. quin etiam ipſimet Epiſcopi, ſi renuntiato epiſcopatu, iterum redeant ad religionem, vnde aſſumpti ſunt, cum iam ſubſint Prælato regulari, poſſunt tranſire ad religionem ſtrictiorem, licentia ab eo petita, quamuis non obtenta, nec amplius tenentur pro ea recurrere ad Papam: nec obſtat, inquit *Sanch.* contraria deciſio Clementis IV. cum ea intelligatur, quando Papa Religioſis exemptis denegat licentiam tranſeundi ad ſtrictiorem: quod non euenit in caſu noſtro, vt ſuppono.

80 Quòd denique ſpectat ad Religioſos, quos vocant Conuerſos, & Oblatos: probabile eſt etiam illos poſſe tranſire ad religionem ſtrictiorem modo ſup. dicto; cum oblatio, quam faciunt de ſe ipſis religioni, eam conditionem inbibitam habeat, niſi ad perfectiorem religionem euolare voluerint; & alioqui rationes, quæ in alijs religioſis militant, etiam in ipſis vigeant. ita *Sanch. nu. 9. ex Couar. Rodriq. Roſel. & alijs.*

QVÆRES VIII. Qualis debeat eſſe intentio Religioſi volentis tranſire ad religionem ſtrictiorem ad hoc vt talis tranſitus ſit licitus.

℞. Eum

81 ℞. Eum debere induci ad talem tranſitum non ex leuitate, ira, odio, contemptu, temeritate, vel quacumque alia animi perturbatione, ſed ſtudio perfectioris vitæ; id enim expreſsè deciditur in *cap. licet de Regul.* vt obſeruant *Sanch. ſup. num.* 11. *Bonac. p.* 9. §. 3. *diffic.* 2. *n.* 1. *Lezana cap.* 22. *num.* 3. alijque inter quos *Sanch. num.* 12. ex concurrentibus coniecturis deprehendendum eſſe, num religioſus moueatur ad tranſitum ex bono zelo, an ex leuitate; vt ſi præceſſit rixa, & religioſus comminatus eſt tranſitum ad effectum ibi non manendi: ſi aliàs ſit inconſtans, facilisque in mutandis monaſterijs: ſi tranſeat non petita licentia à Superiore, &c. hæc enim omnia, & ſimilia indicant religioſum moueri ad tranſitum ex leuitate, aut alio malo affectu. Quamquam, ſi ſit petita licentia, & concurrentibus coniecturis malum animum tranſeuntis ſuadentibus, res maneat dubia, num tranſitus intendatur ex bono zelo, aut malo, probabile putat *Sanchez n.* 14. *cum Gloſſa Abb. Hoſt. & alijs* poſſe de tali tranſeunte præſumi, quòd bono zelo moueatur; cùm in dubio nemo præſumatur malus, vbi certò non conſtat de malitia, & ipſemet actus externus tranſeundi, vt pote ex ſe bonus, & ex ſe præſeferens ardorem maioris perfectionis indicet bonum animum, niſi vehementiores mali animi coniecturæ in contrarium vrgeant, iuxtà illud *Matthæi* 7. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quod ſi in tali dubio Prælatus regularis deneget licentiam tranſeundi dijudicans malum animum, aut ſibi perſuadens: recurrendum eſt ad Prælatum ſuperiorem, eiuſque iudicium expectandum, vti fit, quando Religioſus malè, & contrà ius vexatur; ita non pauci DD. apud *Sanch. num.* 15. idem aſſerentes in caſu, quo dubitaretur, an religio, ad quam quis tranſiturus eſt, ſit arctior, nec ne: idque ex citato cap. *licet de Regul.*

An autem poſſit quis ingredi religionem laxiorem animo tranſeundi ad ſtrictiorem, vbi ſufficienter profecerit in literis, vel aliud ſimile intentum obtinuerit.

83 ℞. Non poſſe, immò peccare contrà iuſtitiam, ideòque teneri expenſas omnes reſtituere religioni laxiori (deductis tamen ijs, quæ debentur miniſterio per ipſum exhibito;) ſiue poſtea adfuerit ille malus animus ante ingreſſum nouitiatus, ſiue ſuperuenerit tempore nouitiatus; ſecùs, ſi adueniat poſt profeſſionem, aut vota biennij in Societate emiſſa. Ducor, quòd in hoc vltimo caſu religioſus vtitur iure, quòd habet iure communi tranſeundi quocumque tempore ad religionem ſtrictiorem; ſicque non facit iniuriam religioni, à qua recedit: in prioribus verò duobus caſibus fraudulenter agit contra religionem propriam; Quippe qui, licet habeat modo dicto facultatem ingrediendi religionem ſtrictiorem quocumque tempore, non ideo tamen habet ius ingrediendi religionem laxiorem abſque animo firmo permanendi in illa, nec à religione vllo modo admitteretur, ſi ipſi conſtaret illum ingredi eo malo animo: ſicut nec retineretur, ſi conſtaret illum tali animo proſequi nouitiatum, ac profeſſurum eſſe; Secus, ſi ingrederetur, aut profiteretur animo perſeuerandi niſi Deus inſpiret tranſitum ad arctiorem religionem: ſic enim religioſus ingreditur, & profitetur recta intentione, nec vllam committit fraudem, nec talis intentionis conſcia religio eum ejceret. ita *Sanc. n.* 17. monens idem iudicandum eſſe in caſu, quo religioſus ingrediens religionem, aut profitens eſſet dubius, num vellet perſeuerare, nec ne.

83 Vnum hìc moneo, ad hoc vt talis tranſitus ſit licitus, requiri, vt adſit bona intentio non ſolùm in primo ingreſſu religionis arctioris, ſed etiam in toto progreſſu nouitiatus vſque ad emiſſionem nouæ profeſſionis incluſiuè, cum per eam dici poſſit conſummari ingreſſum religionis ſtrictioris; ſicut enim non licet capeſcere nouitiatum animo doloſo, & fraudulento, ſic nec eo poteſt fieri verus ingreſſus per profeſſionem, aut vota biennij Societatis.

QVÆRES IX. An, & quomodo requiratur ad licitum tranſitum ſtrictioris religionis, vt is non cedat in graue præiudicium religionis à qua receditur.

84 ℞. Requiri, dummodò mali mores religionis deſertæ iuſtam cauſam non præbeant talis tranſitus: tunc enim licitus eſſet talis tranſitus, cùm præiudicium inde emergens imputari debeat prauis moribus, non autem tranſitui. ita *Sanch. ſup. num.* 1:. *ex Cucco, & Syl.* patetque ex *citato cap. licet de Regul.* vbi cauetur, ne talis tranſitus fiat cum iactura, & detrimento religionis, à qua receditur; vnde fit, vt, ſi religio deſerta inde paſſura ſit notabile damnum, aut ingentem infamiam, poſſit, reſtitutione petita, reuocare religioſum tranſeuntem: patet id tum ex *ca. licet:* tum ex eo quòd bonum commune religionis deſertæ præponderat priuatæ vtilitati Religioſi particularis: tum quia, ſi eccleſia læſa in temporalibus poteſt reſtitui iuxtà *cap.* 1. *de in integr. reſtit.* à fortiori debebit reſtitui, ſi lædatur in ſpiritualibus, & alienatione perſonæ: quod tamen negant *Panormitan. in cap. licet* ſuperiùs citatum *numero* 12. & alij dicentes ob religionis damnum non eſſe reſiſtendum Deo ad meliora promouenti.

QVÆRES X. Quid intelligatur nomine Religionis perfectioris in iuribus concedentibus tranſitum ad religionem perfectiorem.

85 ℞. Quòd ſi præcisè attendantur iura, quæ hac de re extant, dicendum videtur perfectionem religionis, ad quam fieri debet tranſitus, vt licitè fiat, deſumendam eſſe ex maiori aſperitate, ac arctitudine vitæ. ita *Rodriquez tom.* 3. *quaeſt.* 52. *art.* 4. *Leſſ. l.* 2. *cap.* 41. *numer.* 100. *Azor. par.* 1. *l.* 12. *cap.* 14. *quaeſt.* 2. *Sanch. num.* 21. alijque penes ipſum, id ſibi ſuadentes tum quia in citato *cap. licet* dicitur *arctioris vitæ prætextu*, & ſub finem, *vt apud eos vitam duceret arctiorem:* tum quia in Extrauag. *Viam de Regul.* conceditur tranſitus ab omnib. Ordinib. Mēdicantib. ad Carthuſiā, & in peculiaribus religionū priuilegijs quò ad hoc cōceſſis ſemper excipitur Carthuſia; cùm tamen hæc quo ad finem non ſit perfectior alijs religionibus, vtpo-

te, quæ ſibi ſoli vacat. Secus, ſi attendantur rationes; ſic enim probabile eſt in præſenti materia eam religionem dici perfectiorem, quæ ordinatur ad finem perfectiorem,& habet media ad eũ magis proportionata: præſertim, ſi loquamur ex natura rei, in qua plus attenditur veritas, quàm præſumptio, non autem ex præſumptione iuris, qua nititur opinio contraria: hanc opinionem ſequuntur *S.Tho. 2.2.q.189.a.8. Sylu.v.religio 4.q.1.& 2. Nau.com.4. de Regul.n.2. Suar.tom.4. de relig. tr.8. l.3. c.9.nu.10. Lezana tom.1.c.22. numer.* 5. aliique plures relati à *Sanch.num.*20.aſſerente illorum opinionem eſſe valdè probabilem: probantque tunc ex dictis in *tra. 1. cap.3. ſect.2. q.7.* tum quia ratio, & fundamentum huius tranſitus, vt ſit licitus, eſt maior Dei honor, & maior perfectio ſpiritualis propria: hæc autem non deſumuntur ex maiori arctitudine conſiſtente in exterioribus obſeruantijs corporis, ſed in perfectione finis, ac proportione mediorum ad finem; in quo fortè, inquit *Suar. numer.*15. fundatum fuit, quod refert *Sylu.v.religio 4.q.6.* Pariſienſem Academiam decreuiſſe licitum eſſe tranſitum ab Ordine Carthuſinenſium ad Ordinem Prædicatorum; ſed de hoc plura in eo *cap. citati tractatus*, vbi ex profeſſo de hac ipſa re diſſerimus.

85 Porrò hic exceſſus inter religiones, ad hoc vt licitus ſit talis tranſitus ab vna ad aliam, ſpectari debet non ſecundùm ius, id eſt iuxtà primariam inſtitutionem regulæ, ſed ſecundùm factum, videlicet iuxtà actualem obſeruantiam. eſt communis tam Theologorum cum *S.Thom. vbi ſup.* quàm Canoniſtarum cum *Innocent. & Panormit. in cap. licet de Regul.* patetque tum quia in dicto *cap. habentur* hæc verba *Si locus, vbi nunc permanet, maioris religionis, quàm Eccleſia Aromatenſis exiſtit*: vbi exiſtentia importatur, non inſtitutio; tum quia iſte tranſitus ſit licitus ex intentione, & occaſione maioris perfectionis; at ad hoc parùm refert inſtitutio, ſi vſus,& mores non ſint conformes. Vnde infert *Suar. ſup. cap. 12. num.* 14. eſſe valdè veriſimile, quòd ſi religio, à qua prohibetur in iure tranſitus modo ſupra dicto, multum declinet a ſua obſeruantia, ipsò facto amittit tale priuilegium: cùm ſic tollatur fundamentum illius, quod eſſe debet talis, ac tanta religionis obſeruãtia, vt in fauorem eius meritò prohiberi poſſit, ne prætextu maioris perfectionis ab ipſa recedatur; quamquam, cùm vix ſufficienter conſtare poſſit de tanta mutatione, non debeat religio priuari tali priuilegio, præſertim in foro exteriori, donec in eo declaretur, aut priuetur, idque iuxtà communem regulam *In dubio melior eſt conditio poſſidentis.*

Vtrum verò talis exceſſus religionum in maiori perfectione attendi debeat abſolutè, an reſpectiuè ad perſonam Religioſi tranſituri ad Religionem laxiorem, in qua ipſe ſperet ſe magis profecturum, quàm de facto proficiat in ſtrictiori, quam profeſſus eſt.

87 ℞. Debere attendi abſolutè, ideòque non poſſe religioſum in tali euentu facere iſtum tranſitum propria auctoritate. moueor tum quia profeſſio facta in Ordine ſtrictiori eſt de meliori bono,& abſolutè loquendo, poteſt impleri, cùm eius difficultas, & naturæ repugnantia quò ad ipſam ſuperari poſſit diuina gratia; ergò non poteſt priuata auctoritate commutari in minus: quod tamen ſequeretur; ſi in tali caſu fieret tranſitus ad religionem laxiorem; tum quia, quando quis profitetur, abſolutè profitetur, non autem ſub conditione, niſi experiar hunc ſtatum eſſe repugnantem meæ naturæ, aut conditioni, ſitque mihi arduum, ac difficile illum integrè obſeruare: aliàs traditio, quæ fit per profeſſionem, non eſſet firma, nec ſtabilis, immò poſſet religioſus retrocedere nõ ſolùm ad Ordinem laxiorem, ſed etiam ad ſæculũ, & ad nuptias iuxtà illud, *melius eſt nubere, quàm vri*; quod vtique eſt abſurdum: nullus ergò adeſt titulus faciendi talem tranſitum propria auctoritate. ita *Suar. cap.9. n.20. ex S.Tho.* addens *num.*14. in præſenti caſu licitum eſſe tranſire ad religionem, quæ modo ſupradicto cẽſeatur perfectior, etiamſi alioqui ſit minùs ſecura ea, à qua receditur; ſiquidem maior perfectio eſt per ſe primò intenta per profeſſionem, & aliàs nulla eſt religio, quæ non habeat ſufficientem moralem ſecuritatem, ſi religioſus curet eam diligenter obſeruare.

88 Addunt non pauci DD. vt licitum ſit tranſire à religione ex ſuo inſtituto, ac conſtitutionibus ſtrictiori ad arctiorem iuxtà ſolum præſentem viuendi modum, peti, vt non ſit in prouincia aliud eiuſdem Ordinis cænobium, in quo reperiatur arctior inſtituti obſeruatio, & quòd non ſubſit probabilis ſpes priſtinæ vitæ formæ in eo reuocandæ; ſi enim hæc adſint, tunc nõ permittitur tranſitus. ita *Sanch. n.25.* monens *n. 16.* in dubio, an religio ſit arctior, nec ne, iudicium Superioris eſſe requirendum, vti diximus *q.8.* addenſque *n.23.* ad dijudicandum, quę religio ſit arctior, non ſpectandum eſſe ſolum primæuam regulam, ſed etiam conſtitutiones regulæ poſtea adiectas,& ſi religio ex his reddatur arctior, quàm alia ex primæua ſua regula ſtrictiori, eam dici abſolutè arctiorem, vt tranſitus ad eam permittatur.

83 Quæ verò religiones ſint perfectiores, ad hoc vt detur tranſitus ad illas ratione maioris perfectionis, non eſt ita facile diuinare; ſiquidem *Sylu. v. religio 4. q. 6.* & alij aſſerunt à religione Fratrum Prædicatorum ad nullam concedi tranſitum, benè tamen ab omni alia ad ipſam: *Paſſarell. in priuil. Minimor. c.39. Peyr. de R. S. q.1. c.24. §. 1.* & alij ſuſtinent, attento iure communi, licitum eſſe tranſitum ab omnibus religionibus ad Ordinem Minimorum, & ab hoc ad nullum alium: *Corduba in reg. Minor. ca. 2. q.17. p. 1.* & alij contendunt à religione Minorum ad nullam aliam permitti tranſitum, à cæteris tamen ad illam poſſe tranſiri. Verùm, quia hic non vacat comparare religiones inter ſe quò ad maiorem, aut minorem perfectionem; illud vnum moneo, religionem Carthuſianorum de facto obtinuiſſe inter alias religiones, vt ab omnibus alijs liceat tranſire ad ipſam (ſtando in iure communi lato per Extrauag. *Viam de Regul.* & ferè iuxtà omnia priuilegia religionum confirmato:) aliàs autem nimius auſus videtur eiuſmodi tranſitum concedere,

etiam

etiam in alias religiones ob ſolum priuatum iudiciũ de excellentia alterius religionis, præſertim in cauſa propria: vt notauit *Suarez tr.9.l.2.c.4.n.8.* dicens prærogatiuam illam fuiſſe conceſſam Carthuſiæ ob maiorem ſecuritatem, quæ, moraliter loquendo, & quantum poteſt iudicari humano modo maior reperitur in ea tum propter clauſuram, quæ ibi tanta eſt, tum ob ſeparationem à conuerſatione ſæcularium coniunctam cum tanta vitæ auſteritate, iugique diuinarum rerum contemplatione: quæ omnia ſunt media aptiſſima ad magnam perfectionem conſequendã; vnde q; aliqui dicunt apud *Suar. ſup. num.7.* ex vi iuris communis licitum eſſe tranſitum à Carthuſienſi ad aliquem alium Ordinem, non ita facilè admittendum, cùm id ſcriptũ nõ inueniatur nullo iure, neque in vllo priuilegio ſpecialiter conceſſo, & aliàs non videatur tutum talem licentiam cõcedere per generalem illam iuris regulam, quod tranſitus ad arctiorem religionem eſt licitus; vnde *Nauar. comm.3. de Regul. numer.32.* concludit à Carthuſia ad nullam aliam religionem tranſiri.

QVÆRES XI. Qualis licentia requiratur iure communi ad effectum tranſeundi ad religionem arctiorem.

90 ℞. Requiri licentiam petitam (& quidem ſub peccato mortali) licet non obtentam: petitam, inquam ante egreſſum à monaſterio, & ab eo Prælato, & eo modo, quo iuxta inſtitutum, & morem illius peti debet. habetur expreſsè in *c. licet de Regul.* in hæc verba: *Talis ergo poſtquam à Prælato ſuo tranſeundi licentiam poſtulauerit, ex lege priuata (quæ publicæ legi præiudicat) abſolutus liberè poteſt ſanctioris vitæ propoſitum adimplere: non obſtante proterua indiſcreti contradictione Prælati.* Quòd vero ſub peccato mortali peti debeat ſupradicta licentia, apertè colligitur ex his alijs verbis, quæ habentur in eodem capite *ſicut ſubditus à Prælato cum humilitate, & puritate debet tranſeundi licentiam poſtulare, ne bonum obedientiæ contemnere videatur*; vbi notat *Suar. to.4. de relig. tract.8. l.3. cap.10. numer.17.* quod quamuis verbum *debet* non ſit nimis rigoroſum, iuxtà contextum, tamen ex capacitate materiæ ſatis indicat obligationem in conſcientia: quam eſſe grauem & ipſa materia, & ratio ſubiuncta ſatis indicant, *ne obedientiam contemnere videatur*: hoc enim valdè neceſſarium, & grauiſſimum eſt in religione; quod etiam docent *Sanch. l.6 mor. cap.7. num.33. cum Abb. Nau. Cardin. & Io: Andr. Bonac. qu.2. de clauſ. p.9. §.3. diffic.1. numer.1.* & alij: qui benè monent Religioſum tranſeuntem non ſatisfacere præſenti obligationi, ſi præfatam licentiam petat à proprio Prælato poſt tranſitum ad arctiorem religionem: ſi quidem, quando in aliquo actu requiritur peti licentiam, ea neceſſariò peti debet ante actum illum; ſicut benè docent *Abb. in citato cap. licet nu.11. & alij relati à Bonac. vbi ſuprà.*

91 Dixi, *& eo modo, quo iuxtà inſtitutum, & morem illius peti debet*; vt innuerem in petenda tali licentia aliqua obſeruãda eſſe; & quidem. Primò pro ea generaliter non eſſe recurrendum ad Generalem, aut Prouincialem, ſed ſufficere eam petere à Superiore immediato: cum *cap. licet* indiſtinctè dicat illam petendam eſſe à Prælato religionis, ne bonum obedientiæ videatur contemni, & Superior immediatus verè ſit Prælatus, petitaque ab eo licentia non cenſeatur contemni bonum obedientiæ, ſed recognoſci, ac æſtimari; quamquam *Suar. numer.30.* putet, quod quãdo in religione iuxtà morem illius talis cauſa reſeruatur Generali, aut Prouinciali (vti de facto reſeruatur Generali in Societate) tunc ad ipſos recurrendum eſt, cùm ſuppoſita tali inſtitutione, ac limitatione iuriſdictionis Superior immediatus quo ad iſtum caſum non ſit Prælatus, & aliàs talis licentia peti debeat ab eo, qui in tali negotio habet ius prælationis.

92 Secundo debet ſubditus in petenda tali licentia à Superiore interrogatus ſincerè exprimere cauſam inducentem ad tranſitum: idque ex cap. *licet* citato vbi cum dicatur Superiorem teneri concedere talem licentiam, ne propoſitum diuinitus inſpiratum impedire videatur; hoc ipſo debet fieri certior de cauſa tranſitus, vt dijudicet, an propoſitum illud ſit diuinitus inſpiratum, nec ne; quod ita eſt neceſſarium, vt ſi quis petat dictam licentiam fingens ſe procurare tranſitum ex affectu maioris perfectionis, cùm verè moueatur ex alia cauſa humana; licentia, etiam, vt petita ſit ſurreptitia, ideòque non ſufficiat ad excuſandam culpam: eſto non irritet actum poſtea ſubſecutum, eo quòd caſus licentia non ſit de ſubſtantia illius. ita *Suar. n.32. Sanch. n.36.* alijque penes ipſum.

93 Tertio non ſtatim ac petitur talis licentia, fas eſt tranſire ad religionem ſtrictiorem, ſed expectandum eſt reſponſum Prælati debito tempore, donec cogitet, & conſulat de re propoſita, lumenque petat à Deo: iuſſus quippe petere licentiam, aut conſilium, eodem iure cogitur expectare reſponſum conuenienti tempore, vt habetur expreſsè *cap. cum in veteri de elect.* ita *Azo. p.1. l.12. c.14. q.5. Suar. n.30. Sanch. n.35.* alijque penes ipſos.

94 Quarto ſi Superior deneget talem licentiam, non ideo poteſt Religioſus ſtatim tranſire ad religionem arctiorem; cùm ea re uera denegari poſſit ex iuſta cauſa; & alioqui in cap. *licet* tantùm concedatur tranſitus, licentia non obtenta, quando Superior proteruè, & indiſcretè eam negat, vt conſtat ex iis verbis *non obſtante proterua indiſcreti contradictione Prælati.* Quòd ſi Superior non aſſignet vllam cauſam negationis, ſubditi eſt eam petere; & ſi ille adhuc nolit eam exprimere, imputet ſibi, ſi ſubditus tranſeat ad ſtrictiorem religionem: in tali enim caſu poteſt tranſire, ſicut & quando Superior iúdicans iuſtam eſſe cauſam, nihilominùs licentiam denegat, aut tacet, aut adducit cauſam denegationis euidenter iniuſtam: in his namque caſibus conſtat de proterua, ac indiſcreta denegatione licẽtię, ſicut notat *Sanch. num.37.* pro ſe plures alios DD. referens, addenſque ex *Sylu. Roſel. Tab. Azor. & alijs* quod ſi Superior in deneganda licentia, veroſimili cauſa duci videatur, tunc non poteſt ſubditus tranſire ad religionem ſtrictiorem, ſed debet prouocare ad Prælatum Superiorem, à quo res decidatur; & hoc, quamuis in tali Ordine interdicatur appellatio: nam id intelligitur interdictum ſolum in ſpectantibus ad correctionem, vt benè tradunt *DD: cum Sylu. v. religio 4. q.2.*

Quin-

Quinto poteſt quidem peti talis licentia per literas, aut nuncium non ſolum in caſu, quo ea petenda ſit à Generali, aut Prouinciali abſentibus, ſed etiam in caſu, quo ea petatur à Superiore immediato, petente extra monaſterium tunc exiſtente cum legitima facultate: vt hinc patet, quod receptus in alia religione, licet non ſeruato debito ordine, ſatisfacit petendo licentiam per literas, aut per nuncium ad profitēdum: quod ſi id licitum eſt, præcedente culpa à fortiori licebit alteri per aliam occaſionem, in qua nulla præceſſit culpa; quamquam (inquit *Suar. ſup. nu.* 31.) ſi Prælatus nolit eſſe contentus tali petitione licentiæ, ea de ſe dici poſſit non ſufficere ad licitum tranſitum; cùm talis modus petendi ſit contra ius, quod habet Prælatus vt ſuus ſubditus redeat ad obedientiam, & videatur cedere in deceptionem, & quaſi contemptum ipſius Prælati.

96 Sexto ad licitum tranſitum non eſt neceſſe, quòd conſulatur Conuentus, nedum quod ille conſentiat; ſi quidem *cap. licet* obligat ſolum ad petendam licentiam à Prælato; conuentus autem non eſt prælatus, vt patet; vnde cum hic agatur de obligatione, quæ debet ſtrictè interpretari, non eſt facienda extenſio à Prælato ad Conuentum; maximè, cum Prælatus concedens eiuſmodi licentiam non alienet religioſum, neque eum tranſitum debito fine intentum impedire poſſit; ſed ipſemet religioſus iure proprio vtens ſe alienet in aliud, inſtitutum iure id ſibi permittente, nec ampliùs obligante quam ad recognoſcendum bonum obedientiæ, petita, etſi non obtenta licentia à Superiore. ita *Sanch. num. 62. Bonac. ſup. numer.* 10. *Sanct. rel. de apoſt. cap. 8. dub. vn. numer.* 20. *Rodriqu. to. 3. quæſt. 52. a. 3.* alijque *contra Turrecrem. S. Anton. & Hoſtienſ.* relatos à *Sanct. ar.* dicentes tutius eſſe iſtam licentiam petere etiam à Conuentu.

Hæc, inquam, omnia obſeruanda ſunt ad hoc, vt licentia tranſeundi ad religionem ſtrictiorem legitimè petatur, & conſequenter licitus ſit tranſitus: dico *licitus*; vtrum enim ſit validus, nec ne, dicemus infra.

Solum dubitari poteſt, an Prælatus religionis habentis priuilegium, vt eius Religioſi non poſſint tranſire ad aliam religionem quamuis, ſtrictiorem, niſi ad aliquam determinatam (v.g. ad Carthuſiam) idque cum certis conditionibus; an inquam poſſit dare religioſis ſubditis licentiam tranſeundi ad Ordinem ſtrictiorem; & ratio dubitandi eſt quòd, cum ij vi præfati priuilegij prohibeantur tranſire ad alium Ordinem ſine licentia proprij Prælati, conſequenter permitti videtur, vt cum illa tranſire poſſint, adeòque Prælatus habeat ius illam concedendi.

97 ℞. Poſſe; cum id iure communi concedatur, immò & naturali, ac diuino, & per priuilegia conceſſa religionibus in præſenti materia non ſit prohibitum: ſtante quod neque in ijs inuenitur talis prohibitio, neque finis eorum eſt tollere, ſed potius augere ius, & poteſtatem regularium Prælatorum; quin potius Prælatus tenetur dare talem licentiam, ſi concurrant debita requiſita, vt notat *Suar. ſup. cap. 22. n.* 34. ſubdens tamen, quod ſpectat ad Prælatos Societatis ſe exiſtimare eos, per ſe loquendo, nunquam ad id obligari: cum merito iudicare poſſint inſtitutum ſuum ab alijs non ſuperari in abſoluta perfectione, eſto ſuperetur in aliquibus auſteritatibus corporalibus (excepta tamen Carthuſia, quæ vt iam dictum eſt, excipitur, & in priuilegijs Societatis, & in iure communi) quamquam, ſi detur aliquem è Societ. ſemel tranſijſſe ad Carthuſiā, & ante profeſſionem redijſſe ad Societatem, tunc probabile ſit Prçlatos Societatis non teneri dare facultatem iterum tranſeundi ad illam, ſe iudicent vel talem tranſitum non expedire religioſo petenti, vel eſſe nociuum religioni; hoc enim ad minimum conceditur, aut ſupponitur in priuilegio conceſſo Societati, & relato *ſup. q. 6.* vt religioſi Societatis non niſi vna vice poſſint modo ſup. dicto tranſire ad Carthuſiam; alioqui tale priuilegium eſſet inutile, quod tamen non facit, quin ſi præfati Superiores priuilegiati velint concedere talem licentiam, poſſint; quippe qui renuntiare poſſunt ſuis priuilegijs quandocumque talis renuntiatio non vergit in damnum propriæ religionis, vt ſuppono in prçſenti caſu, etiam in indiuiduo.

98 Monet autem *Suar. n.* 38. & benè, quòd, cùm ex vna parte Societas Ieſu ſit vnus ex Ordinibus Mendicantibus, vt diximus in *tract. 1. cap. 3. q. 13.* & ex alia parte in Extrauag. *Viam de Regul.* prohibitum ſit omnibus mendicantibus, ne tranſeant ad vllam religionem monachalem, excepta Carthuſia, etiam de licentia ſuorum Superiorum; non poſſunt Prælati Societatis licentiam dare profeſſis Societatis tranſeundi ad vllum Ordinem monaſticum, præter quàm ad Carthuſianum, quantumuis ſtrictior videatur (intellige, quantum eſt ex vi *cap. licet de Regul.*) immò neque ad aliquos ex Ordinibus Mendicantibus, ſi velint vti aliquibus priuilegijs ſpecialiter conceſſis ad talem effectum nonnullis Ordinibus: quale eſt, quod minores non poſſint tranſire ad Minimos, neque de licentia Superiorũ, & è contrà, aliaque ſimilia: quibus vtique per viam communicationis vti poteſt Societas, quatenus important fauorem religionis, à qua tranſitus prohibetur dixi *neque ad aliquos ex Ordinibus Mendicantibus*; quod enim ſpectat ad alios Ordines mendicantes, reſpectu quorum nulla extet prohibitio quo ad tranſeundum ad ipſos; non apparet, cur Prælati Societatis (quorum intereſt) non poſſint profeſſis ipſius Soc. dare licentiam tranſeundi ad illos; prçſertim attenta conſtitutione bullata Gregorij XIII. relata *ſup. q. 3. §. nec obſtat*, quod poſſit Generalis Societatis profeſſos illius emittere, eiſque licentiam conferre, vt poſſint ad quamlibet aliam religionem etiam laxiorem tranſire.

99 Quamquam, (vt rectè aduertit *Suar. num.* 40.) per tale indultum non concedatur abſolutè facultas dandi talem licentiam quibuſcumque profeſſis volentibus tranſire ad alias religiones, ſiue monachales, ſiue mendicantes, ſiue pares, ſiue laxiores, ſolum per modum cuiuſdam diſpenſationis, eò quòd magis appetant illud vitæ genus, aut ſperent ſe maiorem ibi conſolationem habituros, vel quid ſimile; quin potiùs dicta facultas ſolùm conceditur cum limitatione ad illas perſonas, in quibus repe-

tiun-

riuntur tales cauſæ, vt, licèt ſint profeſſi, eos expediat eijcere è Societate: quod eſſe non poteſt, niſi propter graues culpas; vt colligitur ex verbis præfatæ conceſſionis, quæ ita habet *Nos Societatis puritati, atque incremento, em ſſorumque pro tempore ſaluti conſulere volentes ſtatuimus, vt in perpetuum liceat dicto Præpoſito quos iudicauerit ab ipſa Societate emittere, eoſque de ipſius Præpoſiti licentia non tantum ad Carthuſienſium,* ſed ad quemuis alium. vbi notat *Suar. num.* 41. quod cum Papa dicat *volentes conſulere puritati Societ & incremento,* & ſolum peccata dici poſſint repugnare puritati religionis, cedereque non poſſit in incrementum illius dimittere profeſſos probos, & bonos; conſequenter patet vi præfatæ conceſſionis non poſſe emitti profeſſos è Societate ad alias religiones, niſi ob peccata; idque non ſolùm juxta rigorem iuris communis concedentis eiectionem incorrigibilium, ſed etiam ex minoribus cauſis, ſi hæ attingunt illum gradum, vt judicio prudentis ad puritatem, ac incrementum Societatis expediat talem perſonam dimittere: aliàs enim vel nihil, vel parum operaretur dicta conceſſio.

QVÆRES XII. An deficiente quacumque ex conditionibus iure petitis ad tranſitum in ſtrictiorem religionem, & à nobis recenſitis *ſup. q.* 5. §. *quòd ſi in cap.* irritus ſit tranſitus ex vna religione ad aliam, vel certè ſit validus, quamuis illicitus, & peccaminoſus, ſicque irrita ſit profeſſio facta poſt talem tranſitum, vel potiùs valida licèt illicita.

100 ℟. Cum diſtinctione; vel enim deficit 1. conditio, nimirum quod tranſitus fiat contra priuilegia proprij Ordinis illum prohibentia; & ſic ad cognoſcendum, ſit ne tranſitus irritus, nec ne, attendi debet tenor priuilegij, an contineat clauſulam irritantem, nec ne: qualem de facto continent extrauag. *viam de Regul.* (quæ irritat profeſſionem mendicantium tranſeuntium ad alium monaſticum Ordinem præter Carthuſiam) & priuilegium Societati Ieſu quo ad hoc conceſſum à Paulo III. & relatum *ſupra q.* 6. (quo gaudent alij religioſi) irritans profeſſionem tranſeuntium ad alium ordinem præter Carthuſianum ſine legitima licentia Generalis. vel deficit 2. conditio, quòd ſcilicet non bono zelo, & melioris frugis ſtudio, ſed temeritate, aut leuitate, & ſic dicũt aliqui apud *Sanch. n.* 89. inualidũ eſſe tranſitũ, & profeſſionẽ ſiue nõ petita fuerit licentia ſiue fuerit petita, ſed non obtenta, imò etiã ſi fuerit obtẽta, ſed indebitè (ꝙ tamen negant alij apud *Sanch. n.* 89. tacito nomine relati, & *Lezana to.* 1. *c.* 22. *nu.* 7. ſaltem ſtando in iure communi, quippe quod nullam apponit clauſulam irritantem tranſitum factũ ex nõ bono zelo, qui tamen aliàs eſt validus ex natura rei quamuis fiat ex zelo non bono:) quæ ratio probat eiuſmodi tranſitum fore validum, etſi cedat in damnum notabile prioris religionis, contra id, quod præſcribitur in *cap. licet de Regul.* quod concedit etiã *Sanch. num.* 92. *ex Cardin. Anchar. & alijs*. Vel deficit 3. conditio, quòd religio, ad quam tranſitur, non ſit ſtrictior, & ſic omnes concedunt irritum eſſe tranſitum, & profeſſionem, niſi intercedat diſpenſatio potentis concedere tranſitum ad religionem æque ſtrictam, aut etiam laxiorem: ſi quidem nullo iure permittitur talis tranſitus, & alioqui religioſus tranſiens, & profitens in alio Ordine non erat ſui iuris, vt in præiudicium prioris profeſſionis, & iuris per eam acquiſiti priori monaſterio potuerit hæc præſtare. Vel denique deficit 4. conditio, videlicet quòd factus eſt tranſitus non petita licentia, ſicque *Suar. cap.* 10. *num.* 22. *Sanctarel. num.* 6. *Bonac. nu.* 7. alijque plures apud ipſos cenſent validum, &, teſte *Sanch. num.* 95. ſatis probabiliter: licèt ipſe oppoſitum tanquam probabilius ſuſtineat cum *Nau. Leſſio, Azor. aliiſque pluribus Canoniſtis*; ratio noſtra eſt, quòd ex vna parte licitum eſt cõmutare votum in melius abſque vlla alia licentia, aut diſpenſatione *cap. peruenit el* 2. *de iureiur. & c. ſcripturæ de voto*: idque etiam in voto ſolemni, vt notat *Sanctarel. ex Caiet. & Tapia*; ex alia parte in *c. licet de regul.* (quod videri poſſet obſtare,) præcipitur quidem, vt tranſiturus ad ſtrictiorem religionem petat licentiam à Superiore, nullum tamen ibi apponitur verbum irritans eiuſmodi tranſitum factum, non petita licentia: multa autem fieri prohibentur, quæ facta tenẽt *cap. ad apoſtolicam de Regul.* & hoc de iure communi: de iure enim ſpeciali tranſitus factus ſine licentia petita, immò & obtenta, non ſubſiſtit, ſicut nec ſubſiſtit profeſſio ſubſequens, vt conſtat ex dictis *ſup. q.* 6.

101 Quin ait *Suar. nu.* 27. dicta de defectu tertiæ conditionis tenere in caſu, quo dubitetur an religio, ad quam ſit, aut factus eſt tranſitus, ſit verè ſtrictior, nec ne; tunc enim tranſitus factus ſine licentia eſt irritus: cùm in tali caſu vel requiratur licentia non ſolùm petita, ſed etiam obtenta, vel ſi Prælatus noluerit eam concedere, iure ſuo priuari non poſſit, antequàm res decidatur per alium Superiorem iuxtà *cap. licet,* & regulam generalem iuris *In dubio melior eſt conditio poſſidentis*; vnde, ſi Religioſus, exiſtente dubio, tranſeat abſque licentia, debet reuocari etiam poſt profeſſionem factam in Ordine poſteriori, vt ſic proprium monaſterium reſtituatur ad ſuam poſſeſſionem, & poſteà agatur de dubio, & controuerſia inter ſubditum, & Prælatum; quod etiam docet *Sanch. num.* 101. *ex Cardin. Innoc. & Anchar.* addens *num.* 103. quòd, ſi lite mota religioſus modo dicto translatus, & poſteà reuocatus obtinuit: cogetur monaſterium poſterius illum admittere, cùm, ex quo in eum conſenſit, non poſſit retrocedere *c. dilectiſſimi* 8. *qu.* 2. niſi fortè ex ſecunda receptione ſcandalum immineret, quod judicio Superioris decidendum relinquitur.

QVÆRES XIII. An Religioſus tranſiturus ad religionem ſtrictiorem petita licentia à proprio Superiore poſſit recedere, etſi nondum ei conſter aliam religionem eſſe paratam eum recipere.

102 ℟. Non poſſe ex decreto Sacræ Congreg. iuſſu Vrb. VIII. edito 21. Septemb. 1624. & relato in bullar. *tom.* 4. *conſtit.* 25. *Vrb. VIII.* quod ita habet: *Vt apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem religionem tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit eam religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit: tumque regularis recta via ſe transferat ad arctiorem: quod vt re ipſa adimpleatur, idem Superior omni ſtudio, ac diligentia inuigilet*. Vbi notat *Lezan. n.* 15. quòd, cùm militet par ratio, aut etiam maior, vt

tale

tale decretum obſeruetur in caſu, quo tranſitus faciendus ſit ad Ordinem æqualem, aut laxiorem, etiam in tali euentu obſeruãdum erit. Superior autem, de quo loquitur decretum, eſt is, cuius eſt recipere ad habitum alios nouitios; ſiue is ſit Prouincialis, ſiue Superior localis, ſiue alius iuxtà vniuſcuiuſque Ordinis ſtatuta, & conſuetudines. Quod denique in præſato decreto additur, *niſi prius Superiori legitimè conſtiterit*, cenſeo ſufficienter verificari per fidem ſubſcriptam à Prælato religionis, ad quã tranſiturus eſt Religioſus, & ſigillo monaſterii, cui ille præeſt, munitam, qua dictus Superior priori Prælato præſati religioſi atteſtetur ſe illum recepiſſe ad ſuum Ordinem; cum enim hìc *legitimè* idem ſonet, ac *authenticè*, & atteſtatio ſic facta ſit authentica, conſtat mentem decreti ſufficienter impleri; quamuis in hoc ſtandum ſit conſuetudini.

QVÆRES XIV. An, & quo modo Religioſus tranſiens ad religionem ſtrictiorem recipi poſſit abſque literis dimiſſorijs Prælati prioris religionis.

103 ℞. Non poſſe; patetque ex *cap. ſtatuimus 19.q.3.* vbi, poſtquàm decretum eſt non eſſe tranſeundum ad religionem ſtrictiorem, inconſulto Superiore, & licentia ab eo non petita; ſic ſubditur *Diſcedentem verò nullus Abbatum, vel Epiſcoporum, nullus Monachorum ſine communi literarum cautione ſuſcipiat.*; circa quæ verba notat *Sanch. num. 39. ex Innoc. Io. Andr. Hoſt. Cardin. & Anchar.* quòd ſi in præſenti caſu Religioſus abſque præſatis literis dimiſſorijs adeat Superiorem religionis ſtrictioris, is debet conſulere Prælatum Ordinis laxioris, num dederit licentiam, vel cur eam denegauerit; & tunc ſi nullã, aut apertè iniuſtam cauſam denegationis aſſignet, poterit ſecurè Religioſus admitti ad ſtrictiorem: ſi verò aſſignet iuſtam cauſam, ſed religioſus velit eam incontinenti probare falſam, tunc ipſe non debet admitti, niſi priùs coram Prælato ſuperiore cauſa decidatur, eiuſque tranſitus approbetur eo modo, quo diximus *ſup. q. 11.*

QVÆRES XV. An religio ſtrictior teneatur admittere religioſum Ordinis laxioris, ſi is aliàs ſit idoneus ad eius inſtitutum, vel certè poſſit ipſum excludere, & quidem faciendo generale ſtatutum prohibens, ne admittatur vllus religioſus cuiuſcumque alterius Ordinis; quale de facto eſt in Societate Ieſu, vt vidimus *ſup. cap. 2. q. 11.*

104 ℞. Non teneri, immò poſſe facere ſtatutum, ne in ipſam recipiantur religioſi cuiuſcumq; alterius Ordinis. Moueor quòd, vbi agitur de obligatione imponenda, ſtricta ſemper fieri debet interpretatio: ex eo autem quòd ius concedit Religioſis aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, vt poſſint modo ſuperiùs explicato tranſire ad Carthuſiam, non ideò obligat Carthuſiam, vt eos admittat, ſi petant recipi: hęc enim duo ſunt valdè diuerſa; ſicque ex vno non benè infertur aliud; cum à diuerſis non fiat illatio.

QVÆRES XVI. An Religioſus, qui ad aliam religionem tranſijt, & poſtea ad priſtinum Ordinem regreditur, debeat neceſſario admitti.

105 ℞. Diſtinguendo; vel religioſus tranſijt iuſtè, & legitimè, ſicque concors Doctorum ſententia eſt, quòd ſi ille poſtea non inueniat religioſos ipſum admittere volentes, vel expellatur admiſſus, vel mutata voluntate, redeat ad priorem Ordinem, debet prior religio illum recipere, ſi hæc contingant ante profeſſionem emiſſam in poſteriori religione: cum facultas tranſeundi conceſſa fuerit ad effectum profitendi in poſteriori Ordine, adeoque non ſecuta profeſſione, procedat doctrina generalis, quod abdicatio iuris alteri competentis facta ex cauſa non obtinet firmitatem, ea non ſecuta; quæ reſponſio locum habet tum in caſu quo Religioſus tranſijt, licentia petita, ſed iniuſtè denegata, cum ius eam tunc concedat *cap. licet v. talis ergo de regul.* tum in caſu, quo tranſijt ex legitima diſpenſatione ad Ordinem æqualem, aut etiam ſtrictiorem, cùm militet eadem ratio: tum in caſu, quo licentia fuerit conceſſa, religione, & religioſo renuntiantibus iuri ſuo, & quidem ſine legitima cauſa: cum enim talis licentia ſit nulla, ac proinde religioſus, cui ea data fuerat, teneatur redire; etiam religio teneatur illum recipere, vt patet. Vel religioſus iniuſtè tranſijt, eo quod vel non petijt licentiam, vel ſi petijt, iuſtè fuit denegata; & ſic prior religio eum redeuntem tenetur item admittere, ſi redeat ante profeſſionem in poſteriori Ordine emiſſam: non quidem quòd talis tranſitus fuerit irritus (vt putat *Sanch. num. 105.*) ſed quod talis religioſus translatus adhuc eſt membrum prioris Ordinis, ac proinde vt talis reduci debet à Superiore illius iuxtà *cap. licet de Reg.* ita *Sanch. nu. 104. & 105. Sanctarell. n. 18. Lezana nu. 18. Mirand. p. 1. q. 31. a. 18. & alij.*

QVÆRES XVII. An poſſit contingere, quòd religioſus profeſſus in ſtrictiori Ordine teneatur ex conſilio, immò etiam ſub præcepto petere diſpenſationem, vt poſſit tranſire ad religionem laxiorem.

106 ℞. Non poſſe id contingere; & probatur tum quia ſtatus perfectior de ſe inducit ad maius bonum, & ſi quæ occaſio eſt mali, tota prouenit ab ipſo homine, ideòque non debet eam fugere recedendo ab eo ſtatu, cùm interim ſecum deferat ſe ipſũ, ſed potiùs vim ſibi ipſi inferẽdo, memor quòd non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit: tum quia aliàs etiam habens votum caſtitatis videns ſe ob ſuam fragilitatem ſæpiùs labi, teneretur petere diſpenſationem dicti voti: quod eſt falſum, cum poſſit pugnare, & Deo opitulante, etiam vincere. ita *Suar. to. 4. de relig. tract. 8. l. 3. c. 9. n. 22.* concedens tamen *n. 23.* non eſſe improbabile, quod ſi detur miniſteria, & occupationes religionis aliàs ſanctæ, ac perfectæ afferre alicui religioſo occaſionem cadendi, & hunc nòn poſſe permanere in religione abſq; eo quòd ſe in ijs exerceat: tunc poſſet euenire talẽ religioſũ teneri petere diſpenſationem, vt poſſit tranſire ad alium Ordinem, etiam laxiorem; ſicut enim nemo poteſt exercere tuta conſcientia officium, quòd ſcit certo ſibi eſſe periculum peccandi, ita videtur non poſſe retinere ſtatum, in quo ad tale officium cum tanto periculo cogendus eſt; quamquam neq; talis caſus moraliter interuenire poſſit: cum non deſint alia remedia, quibus conſulatur fragilitati talis religioſi.

QVÆRES XVIII. An, & quo modo cogi poſſit Religioſus tranſire ad aliũ Ordinem quaſi in pęnã.

℞. Quod

107 ℞. Quòd quamuis religioſus, quando eijcitur à religione, non poſſit à ſuis Superioribus obligari ad ingrediendum aliam religionem, cùm talis ingreſſus eſſe debeat voluntarius, & de ratione pœnæ propriæ dictæ ſit, vt participet de inuoluntario; nihilominus per modum pacti mutui poteſt ad hoc obligari: quippe qui, quando eijcitur ob ſua demerita, poteſt condemnari, vt vel talem, tantam, ac tam diuturnam pęnam ſuſtineat in religione, vel ſi malit, talem, aut talem religionem profiteatur; & ſi ipſe hanc poſteriorem conditionem potiùs acceptet, quam priorem, tenetur vel eam implere; vel redire ad religionem: ſi quidem ſententia fuit iuſta (vt ſuppono) & religioſus illam acceptauit, eamque implere ſpecialiter promiſit. ita *Suar. ſup. tr.* tō. *l.* 11. *cap.* 5. *numer.* 2. quamuis in ſpecie loquatur de Societate, eius tamen doctrina etiam quo ad alias religiones procedit, vt conſtabit facilè cōſideranti.

QVÆRES XIX. An, & quo modo Religioſus diſpenſatus à Papa ad tranſeundum ad determinatam aliquam religionem, poſſit propria auctoritate tranſire ad aliam ſtrictiorem; ac perfectiorem.

108 ℞. Poſſe; ſiue hæc poſterior religio, ad quam fit tranſitus, ſit ſtrictior ea, à qua tranſitur, quo caſu conſtat licitum eſſe eiuſmodi tranſitum, non tam vi præfatę diſpenſationis, quam ex natura rei, & ex iure communi (niſi fortè ex priuilegio prohibitus eſſet talis tranſitus, tunc enim neceſſe eſſet tranſire ad religionem determinatam in diſpenſatione:) ſiue dicta religio ſit ſtrictior comparatione alterius, ad quam concedebatur tranſitus per diſpenſationem; eſtò non ſit reſpectu illius, à qua tranſitur: & ſic etiam licitus eſt talis tranſitus; idque non ſolum ex voluntate præſumpta Papæ diſpenſantis, quem probabile eſt non velle impedire tranſitum ad religionem perfectiorem, licet concedat ad laxiorem, fortè in gratiam religioſi diſpenſati, qui proinde poteſt ei cedere: ſed etiam ex eo quod, cùm talis religioſus, poſtquam vi illius diſpenſationis tranſijt ad religionē ſibi deſignatam; poſſit deinde tranſire ad perfectiorem illa, vtique & ab initio poterit immediatè tranſire ad illam: cùm ille intermedius terminus non ſit per ſe neceſſarius; nec vlla ratio probabilis appareat, ob quam iudicandum ſit Papam voluiſſe cum tanto rigore illum præſcribere. ita *Sanch. ſup. tr.* 8. *l.* 3. *cap.* 8. *num.* 4. contra viros aliquos doctos ab eo tacito nomine relatos.

QVÆRES XX. An iuxta ſupradicta poſſit Religioſus tranſire ad religionem arctiorem, ſi emiſit votum perſeuerandi in propria religione, æquali, aut laxiori,

109 ℞. Poſſe; & patet ex eo quòd tale votum non tenet, vtpote factum de non meliori bono, & impeditiuum maioris boni: quale eſt tranſire à religione laxiori, & minùs perfecta ad ſtrictiorem, & perfectiorem: qui tranſitus ſine dubio cadit ſub cōſilium, ſecundùm ſe loquendo, & conſequenter poteſt eſſe materia voti; itaut eius oppoſitum de ſe non ſit materia voti, quamuis ex circumſtantijs poſſit dictus tranſitus non expedire. Dixi, *à religione laxiori*, vt indicarem, quod ſi votum fuiſſet de non tranſeundo ad religionem æqualem, tunc probabile eſt, quòd religioſus vi talis voti non poſſet ſe transferre ad Ordinem æqualem; & ratio eſt, quòd, quamuis abſolutè, & ſecundum ſe non ſit melius eſſe in vna religione, quàm in alia æquali: ſuppoſita tamen profeſſione facta in vna religione, melius eſt religioſo permanere in ea, quàm tranſire ad ęqualem, cùm iam acquiſitum ſit ius priori religioni & cęteris paribus mutatio ſit in minus bonum; quòd ſi id detur (vti debet dari) iam ſatis apparet votum illud fuiſſe de meliori bono, & per conſequens obligare; quòd ſi obligat, vtique & impedit, quò minùs vouens tranſire poſſit ad aliam religionem ęqualem. Colligitur ex *Suar. num.* 10. *&* 7. patetque ex dictis.

Hinc patet, quid dicendum ſit ad eam quęſtionem, qua quæritur, an Religioſus habens votum non tranſeundi ad aliam religionem poſſit nihilominùs tranſire.

110 ℞. Enim cum diſtinctione; vel tale votum emiſſum fuit ante profeſſionem, prioris religionis; & ſic poſteà non obligat, cùm per profeſſionem ſubſequentem extincta ſit tota eius obligatio; vt conſtat ex dictis; (idque etſi votum fuiſſet de ingredienda ſtrictiori religione, & poſteà emiſſa ſit profeſſio in laxiori, vt oſtendimus *cap. præced. q.* 6. § *quod autem dicunt*:) vel tale votum factum fuit poſt profeſſionem; & ſic obligat ad non tranſeundum ad religionem laxiorem (cùm quò ad hoc ſit de meliori bono, vt patet,) neque ad æqualem; cùm item ſit de meliori bono, vt §. *præcedenti* oſtendimus; non obligat tamen, quin vouens tranſire poſſit ad Ordinem ſtrictiorem, cùm ſic votum cederet in præiudicium melioris boni; ideòque ratione ineptitudinis materię ſit irritum. ita *Suar. num.* 7.

QVÆRES XXI. An Religioſus in perpetuū legitimè eiectus à propria religione ſtrictiori tranſire poſſit propria auctoritate ad Ordinem laxiorem.

111 ℞: Poſſe; & conſequenter multò magis ad ęqualem. ita *Sà v. religio num.* 40. *Rodriq. tom.* 1. *qu.* 30. *a.* 22. *Sorb. in comp. v. eijcere in annotat. Paſſarel. ſuper priuil. Minim. cap.* 39. *alijque apud Sanch. l.* 6. *mor. c.* 9. *n.* 36. & probatur, tum quia religioſus modo dicto eiectus, eſt exemptus ab obedientia, ac obſeruantijs ſuę religionis; &, ſi velit, poteſt liberè manere in ſęculo; ergò à fortiori poteſt tranſire ad religionem, etiam laxiorem; tum quia lata diuortij ſententia, ſi coniux innocens monitus renuat ſibi reconciliare adulterum, poteſt is ſtatum mutare profitendo in aliqua religione; ergò & idem facere poterit religioſus eiectus, religione eum recuſante; maximè cùm religio non habeat ius recōciliandi, niſi quamdiu ille religioſus ſtatum non mutauit iam correctus; tum quia quod Greg. XIII. in bulla *cùm alias* conceſſerit Generali Societatis Ieſu, vt ex ipſius licentia poſſit profeſſus ab illa dimiſſus tranſire ad aliam religionem, prohibendò alijs religionibus cōmunicationem talis conceſſionis: non probat, quòd eiectus non poſſit tranſire ad alium Ordinem ęqualem, ſeu etiam laxiorem propria auctoritate, vtpotè qui id non poteſt facere, neque de licentia proprij Superioris, (quod videtur ſupponere Greg. XIII. dum negat Superioribus aliarum religionum

commu-

communicationem præfatæ conceſſionis; non, inquam, hoc probat, cùm conceſſio ſupradicta in eo conſiſtat, vt poſſit ſolus Generalis Societatis dare licentiam tranſeundi ad quamcumque religionem quibuſcumq; profeſſis ab ipſa eiectis; cum alioqui nō omnes profeſſi aliorum ordinum eiecti poſſint propria auctoritate tranſire ad aliā religionē, nec ſolus Generalis eorū poſſit ipſis concedere talem licentiā, ſed ſolùm, quando ſufficienter correcti non admittuntur in priorem religionem, aut certè Generalis, vel Prouincialis cū conſenſu Conuentus id ipſis indulget, vt oſtendit idem *Sanch. vbi ſup. ca. 7. num. 66. & 69.*

Verum tamen eſt quòd, quamuis Superior prioris religionis nō poſſit dictū religiosū taliter trāslatum ad alium Ordinem reuocare poſt profeſſionem emiſſam in poſteriori religione, eò quòd iā res non ſit integra, & religioſus ille per poſteriorem profeſſionem validā deſierit eſſe religioſus prioris Ordinis, & conſequenter ſubditus Prælato illius; quamdiu tamen manet nouitius in poſteriori Ordine poteſt religioſus ſic translatus reuocari à priori religione; cū ille adhuc ſit religioſus dictæ religionis, & quo ad eiuſmodi reuocationem ſubijciatur Prælatis prioris religionis. ita *Sanch. cap. 6. numer. 38.*

QVÆRES XXII. An Religioſus, qui à proprio Superiore petijt, aut etiam obtinuit licentiam tranſeundi ad religionem ſtrictiorem, poſſit vi talis licentiæ tranſire ad aliam religionem longè ſtrictiorem illa, quam deſignauit Superior, aut etiam ad æquè ſtrictam, ac perfectam.

113 ℞. Poſſe tranſire ad ſtrictiorem: & hoc ob rationes allegatas *ſup. q. 19.* in caſu ſimili, quæ hic etiam proportionaliter videntur militare: non tamen ad æq; ſtrictam. ducor, quòd ſic ceſſat præſumpta voluntas Superioris illam licentiā concedentis; quippe cum iuxta dicta *q. præcedenti*, ſuppoſita profeſſione facta in priori religione, melius ſit manere in ea, quam tranſire ad alium Ordinem æqualem: nō adeſt ratio ſufficiens præſumendi probabiliter, quod Superior velit licentiam à ſe conceſsā extendi ad iſtū caſum: quod ſi non extenditur, iam conſtat talem tranſitū fieri ſine licentia Superioris; cùm ea licētia quo ad iſtum tranſitum perinde ſe habeat, ac ſi nō fuiſſet data, & conſequenter eſſe inualidum, vt probatum eſt *ſup. q. 3.* ita docti viri à me conſulti.

Vtrum vero Religioſus, qui à proprio Prælato habet licentiam tranſeundi ad aliam religionem nulla mentione facta de Ordine laxiori, vigore talis licentiæ poſſit ſe transferre ad religionem non ſolum æqualem, ſed etiam laxiorem.

114 ℞. Poſſe ad æqualem, non item ad laxiorem. & ratio eſt, quòd licet conceſſio licentiæ, & priuilegiū debeant operari aliquid ſupra ius commune *cap. in his de priuileg.* ſi tamen aſſignetur aliquis effectus, quem operentur, non debent extendi ad alium effectū in quo nō reperiatur eadem, aut ſimilis ratio; pro vt colligitur ex *c. cū dilectus de conſuet. & l. ſi quādo C. de inoffic. teſt.* cum ergò demus licentiam illam Superioris id operari, vt religioſus vltrà ius commune tranſire poſſit etiam ad Ordinem æqualē, ea non debet extendi ad tranſeundum in laxiorem. ita *Miranda p. 1. q. 31. a. 14. ex S. Tho. 2. 2. qu. 189. a. 8. & ex Nau. in c. ſtatuimus n. 10. & l. 3. cōſil. de Reg. cōſ. 1.* addēs ex declaratione Sacræ Cog. per licentias conceſſas Religioſis clauſtralib. ad trāſeundū in aliam religionem nunquam cenſeri conceſſum, quòd poſſint ſe transferre ad Ordines Militares, & Hoſpitalarios.

QVÆRES XXIII. An caſu, quo aliquis Ordo reformetur ad ſtrictiorem modum viuendi, hoc ipſo ſubſit iuſta cauſa diſpenſandi, vt Religioſi illius tranſire poſſint ad religionem laxiorem, vel certè teneantur permanere in eo.

115 ℞. Quòd licet aliqui cum *Hoſt. & Gloſſa* relatis à *Miranda a. 15.* putent præfatos religioſos poſſe licitè tranſire ad alium Ordinem æqualem ea ducti ratione, quòd actus agentium non ſe extendunt, neque operari debent vltra intentionem, & voluntatē ipſorum; ideòq; cùm illi religioſi in profeſſione non intēderint ſe obligare ad regulam, niſi ſecundū morem tunc vigentē in Ordine, non debent ad amplius obligari; alij verò tacito nomine relati ab ipſo *Miranda* ſuſtineāt dictos religioſos teneri quidem perſeuerare in ſuo Ordine, ipſis tamen concedendum eſſe annum probationis ad experiendas nouas illas aſperitates, ac deliberandum, nū velint perſeuerare ibi, & ſi videant ſe non poſſe perferrè dictas aſperitates, poſſe tranſire ad aliam religionem, ſeruata forma iuris communis: idq; tum ob rationem modo allatam; tum quia ſic videtur ſeruari lex æquitatis, ſicq; redditur Eccleſiæ iugum ſuaue, & onus eius leue: nihilominùs docet *Mirāda vbi ſup.* eſſe certum, quod reformatio religionis ad alium, etiam ſtrictiorem modum viuendi, dummodo non mutetur eius regula, non eſt cauſa ſufficiens diſpenſandi, vt religioſus talis Ordinis poſſit tranſire ad aliam religionem. patet autem reſponſio ex dictis *tr. 1. c. 3. ſect. 2. quæſt. 7.* vbi de hac re commodius diſſeruimus: tum maximè ex eo quòd quamuis religioſi non teneantur obedire ſuis Superioribus in ijs, quæ ſunt ſupra regulam ſimpliciter, & abſolutè, eis tamen debent obedire in ijs, quæ non excedunt regulam ſimpliciter, & abſolutè, eſtò ſint rigidiora, & arctiora: præſertim ſi hæc multum conducant ad obſeruantiam ipſius regulæ; quod manifeſtè patet in obligatione perpetuæ clauſuræ indictæ monialibus à Pio V. & in *Conc. Trid.* cùm tamen ex illam non promiſiſſent in profeſſione; & conſequenter ad eam non eſſent obligatæ: nobiſcum ſentit *Rodriq. to. 3. qu. 52. a. 16.*

QVÆRES XXIV. An Religioſus Ordinis ſtrictioris, in quo non viget obſeruantia, ſpectato iure communi, poſſit tranſire ad aliam religionem ex tenore inſtituti laxiorem, ſed ita obſeruantem ſuæ regulæ, vt ſecundum præſentem modum viuendi cenſeatur ſtrictior ea, quæ ex vi proprij inſtituti eſt arctior.

116 ℞. Quod, cùm iuxtà dicta *q. 10. §. porro*, quantum facit ad præſens negotium, illa religio reputetur arctior, & perfectior, quæ eſt talis non ſolùm ex primæua ſui inſtitutione, ſed ſecundùm factum, & (vt ita dicam) in actu ſecundo; conſequenter religioſus tranſire poterit ad Ordinem ratione inſtituti ſui laxiorem, ſed arctiorem modo ſupradicto; Vnde *S. Thom. 2. 2. quæſt. 189. a. 8.* refert ex collat. Patrum *collat. 19. cap. 3. 5. & 6.* Abbatem quemdam nomine Ioannem dicere ſolitum

ſe

ſe à vita ſolitaria, in qna fuerat profeſſus, tranſiſſe ad minorē, eorū ſcilicet, qui viuebant in Societate; eo quod vita eremitica ab antiqua ſua perfectione iam declinare cęperat, & laxiùs obſeruari. ita *Rodr. ſup. a. 5. & Miranda a. 4. ex S. Tho. Panorm. aliįque* inter quos *Panorm. in c. ſanè de regul. n. 4.* notat ad validitatem ingreſſus non debere attendi regulam antiquitus inſtitutam, ſed modum viuendi de præſenti: vnde ſi ſecundum monaſterium habet regulam ſtrictiorem ab antiquo, quæ tamen in præſenti in multis locis non ſeruetur, non eſt licitum trāſire de vno monaſterio, quod habet regulam laxiorem bene ibi ſeruatam, ad ſecundum monaſterium, vbi regula non ſeruatur: oportet enim quòd ſecundum monaſterium exiſtat de pręſenti in maiori obſeruantia. ex quibus colligi poteſt probatio iſtius reſponſionis; quæ maximè nititur fine intento à iure concedente tranſitum ad religionem arctiorem; is enim finis eſt, vt religioſus tranſiens magis, & magis proficiat in emendatione defectuum, acquiſitione virtutum, & augmento ſanctitatis; at hic finis melius habetur ex tranſitu in religionem modo ſupra dicto laxiorem, ſed de præſenti obſeruantiorem ſuæ regulæ, quam ſi tranſeatur ad religionem ex primæuo ſuo inſtituto arctiorem, ſed minus obſeruantem: ita ut talis religio poſſit dici arctior ſolùm in actu primo; cùm illa alia laxior, ſed obſeruans, ſit arctior in actu ſecundo; ergò præſumendum eſt conceſſionem illam iuris communis factam quo ad tranſeundum in religionem arctiorem extendi ad præſentem caſum iuxtà regulam. *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio*; quod eſt valdè aduertendum.

QVÆRES XXV. An licentia obtenta ad tranſeundum in alium Ordinem vna, & eadem poſſit deſeruire ad ingrediendum plures religiones ſucceſſiuè, vſque dum tranſiens reperiat aliquam ipſius ingenio, ac voluntati accommodatam.

117 ℞. Quod quamuis ſermo ſimpliciter prolatus in odioſis, ac oneroſis ſolùm intelligatur de primo actu: (quo modo promiſſio dotis alteri facta, cum nupſerit, intelligitur ſolum de primo matrimonio *l. dotis promiſſio ff. de iure dotium*; nihilominus; cum in materia fauorabili, & parum oneroſa (qualis eſt conceſſio facultatis tranſeundi ad religionem ſtrictiorem, quæ ſine dubio eſt fauorabilis animæ, vt patet) fieri poſſit extenſio ad actus iteratos, niſi aliter conijciatur de mente concedentis iuxtà *l. placet ff. de liberis, & poſthumis*: conſequenter dicere poſſumus licentiam petitam, ſeu obtentam ad tranſeundum in religionem arctiorem non finiri primo actu, ſed vi illius poſſe religioſum tranſire ad plures religiones arctiores, vſque dum reperiat aliquam ſibi magis proportionatam in qua denium profiteatur; intellige, niſi alicubi iure ſpeciali aliter ſtatutum ſit: quomodo reuera ſtatutum eſt in Societate per Conſtitut. Pij V. cuius initium eſt *æquum reputamus*, in qua pro tranſitu religioſorum Societatis ſiue profeſſorum, ſiue votis tantum ſimplicibus adſtrictorum, ad Carthuſiam deſignantur 3. menſes intra quos religioſus eo titulo egreſſus è Societate teneatur ille ingredi: pro alijs verò religionibus, quando fit tranſitus ex licentia Superioris, eidem Superiori committitur, vt tempus præfigat; quod ſi ſic egreſſus intra 3. menſes, aut deſignatum tempus religionem aliam non intrarit, & ad Societatem non redeat ſtatim, pęnam excommunicationis ipſo facto incurrat: & hoc, ſiue voluntariè non ingrediatur, ſiue quia non recipitur; ita Pius V. quæ tamen modo ſunt minus neceſſaria, ſtante decreto Sacræ Congregationis in hanc rem edito iuſſu Vrb. VIII. & a nobis adducto *ſup. q. 13.* vi cuius decreti ceſſat ſolicitudo Innocentij, & aliorum DD. in *c. vlt. de renuntiat.* admonentium, ne Prælatus religionis det licentiam monacho abeundi donec ei conſtet & aliam religionem eſſe paratam ad ſuum ſubditum recipiendum, & ipſum eſſe expeditum ad immediatè tranſeundum; idque ne alioqui ipſis detur occaſio vagandi.

118 Quod autem attinet ad excommunicationem in Conſt. Pij V. paulo ante adducta latam contra religioſos Societ. licentiatos ad tranſeundum, & in caſu, quo poſtea non tranſeant, abſque vlla mora non redeuntes ad Societatē, notat Suar. *to. 4. de relig. tr. 9. l. 3. cap. 12. n. 23.* quòd cum Pius V. in ea Conſt. dicat *Abſque vlla mora ad dictam Soc. regredi teneantur ſub pæna excommunicationis*: talis mora debet eſſe voluntaria, & peccaminoſa. in quo neceſſariò debet interuenire bona fides, & prudens arbitrium: ſi quidē ob aliqua parua negligentia aliquàntulum detineat non ſtatim erit peccatum mortale. Et hoc verum eſt quo ad tempus in Conſtitutione Pij V. deſignatum pro Carthuſia: nam in eo, quòd Prælatus Societatis iuxtà dictam Conſt. debet limitare pro alijs religionibus, poteſt ipſe præfixum terminum eundem, vel diuerſum ad vtrum effectum deſignare: v. g. vt intra menſem teneatur redire, aut ingredi: aut quòd ſi non admittatur intra menſem, intra alios 15. dies redire teneatur, & nunc ſi intra terminum præfixum non impleatur præceptum, tranſgreſſio illius erit grauis, etſi poſt elapſum terminum mora ſit breuiſſima, niſi forè impotentia aliqua excuſet, aut certè probabilis pręſumptio voluntatis Pręlatis quòd ipſe non intenderit cum tanto rigore præfinire illum terminum, ſed cum ea amplitudine, qua in moralibus parum pro nihilo ducitur.

119 Moneo ego hìc vnum quod ſi alter ſponſus prætextu religionis nimis differat conſummare matrimonium vagando de vna religione in aliam intra annum nouitiatus poteſt Iudex, dato termino peremptorio, cogere, vt maneat in vna religione, in qua, completo anno nouitiatus profiteatur, vel redeat ad alterum ſponſum, & conſummet matrimonium: quia alias cederet in magnum damnum alterius ſponſi, qui diu, imo toto vitæ ſuæ ſpatio poſſet manere ligatus primo matrimonio, ſicque non poſſet ſibi conſulere, aliud contrahendo, vt benè aduertit *Sāch. l. 2. de matr. D. 24. n. 9. ex Palud. S. Ant. Palac. & Henr.* ita ego puto, quòd ſi in caſu hìc ꝓpoſito Religioſus legitimè licentiatus ad trāſeundū in religionē ſtrictiorē, ſucceſſiuè ſe transferret ad plures & plures religiones ſtrictiores, hinc ſumēs occaſionem vagandi contra conſilium Apoſtoli Petri *ep. 1. c. 4. Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationē vobis fit, quaſi noui aliquid vobis contingat*: tūc poſſet Prælatus prioris religionis eū reuocare eūq; cogere ad ꝑmanēdū in aliqua religione arctiori, aut ad redeūdū in ſuam priſtinā; idq; tū vt tollatur occaſio vagādi, & offēſio fideliū, quæ inde poſſet oriri; tū vt coerce-

tetur eius inconſtantia, ac inſtabilitas: tum vt conſuleretur eius ſpirituali profectui; cui vtique non parum obeſt talis, ac tanta mentis, & corporis diuagatio: quo facit, quod habet *Tho. de Kemp. l. 1. de imitat. Chriſti c. 23. n. 4.* (quamuis in ſenſu admodum diuerſo) *qui multum peregrinantur, rarò ſanctificantur.*

QVÆRES XXVI. An Religioſus aſſumptus ex Ordine ſtrictiori ad Epiſcopatum, ſi poſtea renunciet Epiſcopatui, poſſit propria auctoritate tranſire ad Ordinem laxiorem.

120 ℞. Videri non poſſe; & ratio eſt, quod quamuis talis religioſus non teneatur redire ad ſuam religionem, cùm ſit exẽptus à regulari obſeruantia, & immunis à ſubiectione Prælatorum ſui Ordinis, reuera tamen eſt religioſus prioris Ordinis, ideóq. ſubiacet prohibitioni iuris cõmunis de nõ tranſeundo ad religionẽ laxiorẽ. ita *Sanch. l. 6. mor. c. 7. n. 8.* in terminis *Anch. Clem. 1. n. 4. de reg. & Bon q. 2. de clauſ. p 9. §. 2. n. 8.* qui tñ ꝓbabile putat, (& fortè nõ omnino improbabiliter) etiam oppoſitũ, videlicet religioſum Epiſcopum, renunciato Epiſcopatu, poſſe tranſire ad laxiorẽ: probatq; tum ex Bonifacio hoc idẽ ſentiente in *Clem. 1. n. 83. de Reg.* de caſu ſimili; tum quia religio poſterior, ad quã tranſit religioſus Epiſcopus licet nõ ſit arctior reſpectu prioris religionis, eſt tñ arctior ſtatu Epiſcopali, à quo faciendus eſt tranſitus: ita vt dici poſſit verificari non fieri tranſitum à ſtatu ſtrictiori ad laxiorem (quod videtur principaliter intendi in iure prohibente trãſitum à religione arctiori ad laxiorem) ſed à ſtatu vere laxiori ad arctiorem; vnde hic ſubſiſtit finis principalis illius prohibitionis, ſicq; (vt dixi) non videtur improbabile, quod cùm reſpectu præſentis caſus ceſſet finis dictæ prohibitionis, ceſſet & ipſa prohibitio.

121 Cæterùm in hoc caſu notat *Bonac.* ad eiuſmodi tranſitũ requiri licentiã Papę; cùm Epiſcopus regularis manẽs in ſeculo poſt renunciationẽ Epiſcopatus non ſubſit Prælatis ſui Ordinis, ſed ſoli Papæ, & alràs petitio licentiæ ſit actus ſubiectionis, qui non debet exerceri, niſi ergà propriũ Superiorem; ſecùs ſi religioſus, depoſito epiſcopatu, iam redijt ad ſuã religionem inde tranſiturus ad aliam; tunc quippe ſufficit, quòd licentiam petat à Prælato Ordinis, cùm iàm ſe illi denuò ſubiecerit per reditum in religionem: quod etiam aduertit *Sanch. ſup. num. 8.*

122 De Papa certè regulari ego exiſtimo quod, ſi detur eũ, renuntiato papatu, velle ingredi religionem ſtrictiorẽ, aut etiã laxiorẽ (ſi demus cum *Bonac.* id poſſe fieri, aut certè ſupponamus, ꝙ ipſemet Papa ante renuntiationẽ papatus ſecũ in hoc diſpenſauerit:) tunc ille poſſet ingredi abſq. alia licentia: quippe qui eã non poteſt petere à Prælatis Ordinis, cùm eorũ iuriſdictioni nõ ſubſit (ſecùs eſſet, ſi iã rediſſet ad priſtinam ſuã religionẽ iuxtà modò dicta:) nec à Papa, cùm ipſe iã renunciauerit papatui, & nondũ electus ſit Succeſſor, (vt ſuppono,) ſicq; vacat Sedes apoſtolica; vnde, cùm non adſit Superior, à quo petatur, aut obtineatur licentia tranſeundi, dicendum eſt ſub iure cõ: prohibente, ne fiat talis trãſitus abſque licentia, ſaltẽ petita, non cõprehendi talẽ caſũ, niſi quis malit dicere in tali caſu poſſe recurri ad ſacrã Congregationẽ conſtitutã ſuper Regularibus, aut certè Papã, ſi aduertit, potuiſſe ſibi dare talem licentiam, antequàm deponeret papatum.

QVÆRES XXVII. An Religioſi Ordinum mendicantium tranſire poſſint, attento iure communi, ad ordines monachales, & quomodo.

123 ℞. Non poſſe, niſi de licentia Papæ (excepta tamen Carthuſia, vt vidimus *ſup. q. 6.*) idq; ſub pęna excommunicationis ipſo facto lata contra ſic tranſeũtes, ac recipientes; quam nos explicabimus in *tract. de penis c. 1. ſect. 2. q. 6.* patet ex Extrauag. *viam ambitioſæ de Reg.* quæ ſine dubio comprehendit non ſolũ Ordines mendicantes, qui extabant, quando edita fuit hęc Extrauagans, ſed etiã eos, qui poſtea à Sede apoſtolica tales inſtituti ſunt, ac declarati; vt religio minimorum, & Societas Ieſu: hæcque non ſolùm quo ad profeſſos, ſed etiã quo ad eos, qui votis tantùm ſimplicibus adſtricti ſunt; vnde fit, vt nullus horum tranſire poſſit ad vllum Ordinem monachalem abſq; licentia Papæ, aut Præpoſiti generalis, cui talis facultas conceſſa ſpecialiter eſt tum à Paulo III. tũ à Greg. XIII. vt vidimus *ſup. q. 3.* concedendi ſcilicet licentiã quibuſcumq; ſuis religioſis, etiam profeſſis, tranſeundi ad quamcũq; aliam religionem; quod tamen priuilegium non communicatur Generalibus aliorũ Ordinũ, quãuis participantium de priuilegijs Soc. quippe ꝙ ei incõmunicabiliter conceſsũ eſt; vt apertè habetur in citata Cõſt. Greg. XIII. quib. autẽ pęnis ſubiaceant Religioſi Ordinũ mendicantium tranſeuntes ad non mendicãtes, dicemus *infra q. 35.*

QVÆRES XXVIII. An, & quo modo Religioſi Ordinum mendicantium poſſint tranſire ad aliquem alium ex Ordinibus item Mendicantibus.

124 ℞. De iure cõmuni poſſe, dũmodo in tali tranſitu ſeruent formã ipſius iuris communis; idq; nõ obſtante bulla 89. Pij V. quæ incipit *quæcumq;* & videtur reuocare omnia, & ſingula priuilegia Regularibus conceſſa quò ad recipiendos, & retinẽdos Fratres alterius Ordinis. ita in terminis *Miran. p. 1. q. 32. a 7. cũ Nau. l. 3. conſ. de regul. conſ. 22.* alijq; & patet tũ quia poteſtas Prælati regularis quò ad religioſos ſubditos extẽditur ad omnia, præter quàm ad prohibita iure cõmuni, aut etiã iure aliquo ſpeciali: cũ ergò neq; iure cõi, neq; vllo iure ſpeciali generaliter prohibeantur Prælati Ordinũ mendicantium dare proprijs ſubditis facultatẽ tranſeundi ad aliquẽ aliũ ordinẽ mendicantẽ, ſequitur eos poſſe illã dare, & conſequẽter religioſos ſubditos vi illius poſſe facere dictũ tranſitũ (ſeruatis tamen alijs ſeruandis, de quibus ſup.) & quidẽ etiã ad ordinẽ laxiorem, ſi occurrat iuſta cauſa concedendi talem licentiam ſecundùm ea, quæ diximus *q. 3.* tũ quia Pius V. in illa ſua Conſtit. *Quæcumq;* non intendit reuocare, niſi ea priuilegia, quæ præter formã iuris cõis ad talẽ effectum fuerant conceſſa, vt nos etiã innuimus *ſup. q. 5.* & notat idẽ *Miran.* benè monens, quod cum multæ religiones habeant circa eiuſmodi tranſitum peculiaria priuilegia (quorum aliqua nos ipſi retulimus *quæſt. 6.*) ea attente, ac ſtudioſè examinari debent a Prælatis regularibus ordinum mendicantium, antequam proprijs ſubditis dent facultatem ſe transferendi ad alium ordinem, & antequam à Prælato alterius Ordinis recipiantur: præſertim cum iuxtà dicta *cit. q. 6. §. ex quibus* eiuſmodi priuilegia per viam communicationis poſſint competere etiam alijs Ordinibus eo modo, quo ibi diximus; vnde pręſens reſponſio nititur ſolum iure communi,

ni, abſtrahendo à quocumque iure ſpeciali.

125 Addit *Miranda*, ad hoc vt licitus ſit tranſitus ex vno Ordine mendicanti ad alium Mendicantem, nō ſufficere, vt Ordo poſterior enumeretur inter religiones mendicantes (maximè, ſi ſint tales, non ex iure, ac regula, ſed ex aliquo indulto) ſed inſpiciendū eſſe, quinam Ordinum, de quibus hic, & nunc agitur ſit perfectior, & quidem de præſenti, ſeu in actu ſecundo; ſi.n. aliquis ex dictis Ordinibus ſit perfectior ſeu arctior, ſolus Prælatus localis poterit dare licentiam tranſeundi ad illum, etiamſi nulla adſit cauſa: ſi autem ſit æqualis, occurrente iuſta cauſa, idemmet Prælatus localis poterit dare præfatam licentiam (quamuis conſultius ſit id remittere Generali, aut Prouinciali, cùm talis tranſitus cedere poſſit in damnum totius prouinciæ, aut religionis ac proinde æquum videatur illis ſolis reſeruare facultatem date ſit tranſeundi: ſi denique Ordo ille ſit laxior, ſupradictam licentiam dare poterit Prælatus quidem regularis, ſi adſit iuſta cauſa, Papa verò, ſi nulla vrgeat cauſa concedendi talem licentiam; & hæc de iure communi; quod etiam notauit *Rodriq. to.3. q.52. a.21. & 22.*

126 Et certè quòd aliqui Ordinum mendicantiū habeant ſpeciale priuilegiū, ne ipſorum religioſi tranſire poſſint ad aliquem alium Ordinem, quãuis mēdicantem, conſtat ex eo quòd 1. religioſi Ordinis B. Mariæ de mercede non poſſunt recipere Minores de obſeruãtia, aut alterius Ordinis ſtrictioris ex bulla Clem. VIII. die 24. Dec. 1596. edita: 2. ex bulla Iulij II. data die 9. Iulij 1510. non poſſunt minimi recipere Fratres minores de Obſeru. eoſue retinere ſub pęna excommunicationis latæ ſent: 3. ex Conſt. Pij V. edita 6. Oct. 1567. nō poſſunt Capuccini recipere minimos, nec minimi Capuccinos: 4. ex priuilegio Alex. IV. non poſſunt Carmelitę recipi abſq; conſenſu ipſorum Generalis in dictū Ordinē patis, aut minoris arctitudinis, & ſi recipiantur, debent reſtitui: 5. ex indulto Io: XXII. relato in *Speculo Ordin. fol.71.* Dominicani, Minores, & Auguſtiniani eoſdem Carmelitas ſine licentia eorum Generalis recipere non poſſunt ad propriū Ordinē ſub pęna priuationis officij, ac adminiſtrationis, & inhabilitatis ad alia ipſo facto: 6. Fratres reformati non poſſunt tranſire ad Cōuentuales ſub pęna excommunicationis ipſo facto incurrendę tum ab ipſis, tum à Prælatis Conuētuales eos admittentibus, præter quam in caſu, quo capitulū prouinciale iudicaret expedire dimittere aliquem reformatū ad non reformatos, potius quã retinere inter reformatos; & hoc ex bulla vnionis Leonis X. 7. Capuccini non poſſunt recipere Minores de Obſeru. ſine licētia in ſcriptis eorum Prouincialiū ex Conſt. Pauli III. id prohibentis ſub pęna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæuis officia, & legitimos actus, quamuis excommunicatio nō ſit reſeruata, vt aduertit *Rodr. ſu. a.22. ex Cappucino*: 8. religioſi Soc. Ieſu ex bulla Pij V. non poſſunt trãſire ad vllum alium Ordinem, præter quã ad Carthuſianū qua de re *Bonac. qu.2. de clauſ. p 9. §.5. diff.2. Peyr. de R.S. q 1. cap.24. Lezana to.1. cap.22. n.24.* apud quos reperies hic dicta, vtpote ex ijs collecta.

QVÆRES XXIX. An Canonici regulares in præſentia poſſint tranſire ad Ordines monachales, & è contra monachi poſſint ſe transferre ad ipſos Canonicos regulares, non obſtante quod in *cap. mandamus 19. qu.3.* diſtrictè præcipitur, *ne quis Canonicus regularis profeſſus, niſi (quod abſit) publicè lapſus fuerit, monachus efficiatur, neque ad monachorum religionem tranſeat.*

127 ℞. Quòd, licèt olim non poſſent Canonici regulares tranſire ad monachos; vt clarè conſtat ex citato *c. mandamus*, imò nec hodie poſſent, ſi monachi non tractarēt ea, quæ pertinent ad chorū, & ad myſteria eccleſiaſtica, ſicque non eſſent pluſquàm monachi laici; cùm tamen in præſentia monachi de facto eadem myſteria diuina tractent, quæ tractant canonici regulares, & præterea arctiorem vitã degant, quàm ipſi canonici: ſequitur canonicos regulares licitè poſſe tranſire ad Ordines monachales, petita proprij Superioris licentia, quamuis non obtenta: ſic enim tranſeunt ad Ordinem ſtrictiorem, & conſequēter ipſis ſuffragatur ius cōmune concedēs talē tranſitū. ita *S. Thom. 2.2 q.189. a.8. Nau. in c. Statuimus 19. quæſt.3. n.11. Mirand. p.1. q.31. a.9. & alij.*

128 Monachi verò, quamuis olim poſſent tranſire ad Canonicos regulares ob maiorem iſtorum perfectionem, & finem altiorem, quem iſti habebant; modò tamen non poſſunt, cùm ijs exęquentur in perfectione, vtpote tractantes eadem myſteria, & inſuper eos ſuperent in arctitudine regulæ; vnde fit, vt in præſentia de Canonico regulari tranſeunte ad monachos non poſſit dici, quòd deſcendat à magis perfecto, ad minùs perfectum (quo modo in *cap. mãdamus* ſuperiùs relato Canonicis regul. ꝓhibitus fuit tranſitus ad monachos) quin potiùs aſcendit tranſiens de minùs perfecto ad magis perfectum: ſicut è contrà, ſi monachus hodie tranſeat ad Canonicos regulares, dicitur non aſcendere, ſed deſcendere, ideòq; talis tranſitus ipſi modò eſt prohibitus; qua de re conſulatur *Suar. to.4. de relig. tr.8. l.3. c.10. à n.5.* qui non omninò approbat doctrinam hic traditam dicēns difficile eſſe credere religionem Clericorum ex eo ſolùm quòd Clericorum eſt, eſſe magis perfectam quacumq; religione monachorū laicorū, etiamſi arctiſſima, & tam in auſteritate, quàm in contemplatione, & clauſura, vel ſolitudine perfectiſſima ſit: ideòq; innuit in citato *c. mandamus* prohibitum fuiſſe Canonicis regularibus trãſire ad monachos, non quòd regula illorum eſſet arctior, & perfectior, ſed quòd ita expediret ad bonū cōmune: nēpè ad quietē religionū, eſtò videatur id cedere in aliquale damnum ſpirituale alicuius religioſi particularis, vt oſtendimus ſup. *qu.6. §. vnum hic notandum eſt*; quod tamen non obſtat, cum bonū commune præferri debeat priuato, & alioqui, ſi quis iudicet ſibi expedire talē tranſitū, poſſit eum obtinere à Papa, ad ipſum recurrendo pro licentia: ſi quidem ea prohibitio non eſt, niſi reſeruatio quædam facultatis neceſſariæ ad eiuſmodi tranſitū, quã facit Papa tanquã ſupremus Prælatus omniū religonū: ita vt licentia, quæ alioqui peti debebat à Prælato regulari, vi talis reſeruationis peti debeat à Papa; quod ſine dubio potuit præcipere Papa, vt patet.

QVÆRES XXX. An, & quo modo Religioſi quorumcumque Ordinum, ſiue mendicantiū ſiue non mendicantiū poſſint tranſire ad Carthuſiã.

129 ℞. Quòd licet ſtando in iure communi, poſſint; vt colligitur ex Extrauag. *Viam ambitioſæ*, & cap. li-

cet de regul. attentis tamen ſpecialibus priuilegijs, quo ad hoc conceſſis varijs Religionibus, non videtur poſſe facere talem tranſitum, niſi cum licentia petita, & obtenta ſuorum Superiorum, immò etiã Sedis apoſtolicæ, vt oſtendimus *ſup. q. 6. ex quibus* (ſi quidem talia priuilegia ſint in vſu apud illũ Ordinẽ, de quo hìc, & nũc agitur) quod eſt benè aduertẽdũ.

130 Vtrum verò PP. Carthuſiani poſſint tranſire ad aliquem alium Ordinem ſine ſpeciali diſpenſatione Papæ, conſtat ex dictis *q. 10. §. quæ vero* non poſſe: idque ob rationes ibi allatas, quidquid in contrariũ dicant aliqui cum *S. Antonino, & Sylu.* exiſtimantes Carthuſianos, & quoſcumq; alios Fratres quorumcumque aliorum Ordinum (exceptis Minoribus) licitè, & tuta conſcientia poſſe tranſire ad Dominicanos obſeruantes propriam regulam exactè, quod etiã admittit *Miranda a. 10.* tanquã probabiliſſimũ.

131 Dixi, *exceptis minoribus*, vt indicarem quod docet *Miranda ſup. a. 11. ex S. Bonau. & Corduba*, non licere tranſitum à Fratribus minoribus ad Carthuſiam: eo quod ipſorum regula ſit rigidior, & arctior quacũq; alia: quippe quæ pręter 3. vota ſubſtantialia religionis, quæ ad plura, & maiora ſe extendunt, quàm in alijs Ordinibus, continet 24. pręcepta obligantia ad mortale, prohibet habere quidquam proprij, ſiue in particulari; obligat ſub mortali ad ieiunandum omnibus ſextis ferijs totius anni, & à feſto omnium SS. vſque ad Natiuitatem Domini, præter tot alia ieiunia non ita rigorosè præſcripta; quæ ſi computẽtur cum ieiunio communi quadrageſimali, ad eam reducuntur ſummam, vt minores dici poſſint ieiunare per maiorem anni partem; interdicit vſum equitandi, præter quam aliter cogat euidens neceſſitas, aut infirmitas; præſcribit, vt incedant diſcalceati, vt non geſtent, niſi vnam tunicam cum capucio, & alteram abſque capucio ſine Superiorum licentia, & manifeſta neceſſitate; vt non recipiant, aut contrectent vllo modo pecunias, ſiue per ſe, ſiue per alios, niſi per amicos ſpirituales, & ſolum in caſibus expreſſis; vt non induant, niſi veſtimenta vilia. Ordinatur hæc Religio ad vitam, tum contemplatiuam, tum etiam actiuam, & conſequenter ad quotidianam aſſiſtentiam chori, ad audiendas confeſſiones, ad concionandum, alijſque modis vacandum ſaluti proximorum ſpirituali; imponit flagellationes innumeras, ac ferè continuas, nec nõ multa alia ardua, ac rigoroſa exercitia; punitque tranſgreſſiones occurrentes debitis pęnis taxatis; vnde ſic concludit Miranda *Non rectè, aut benè conſiderat noſtram ſacram regulam, qui non eam dijudicat arctiſſimam, ſtrictiſſimam, atque rigoroſiſſimam*, hincque infert quòd, cum religio Minorum, tam in fine, quàm in medijs ad ipſum conſequendum inſtitutis ſit altior ac perfectior, & in arctitudine, rigore, atque auſteritate præemineat alijs, ſi, vti par eſt, regula ad vnguem obſeruetur, vt ſeruari præcipitur in generalibus Conſtitutionibus Ordinis; ſequitur ex quacumque alia religione ad illam licitè fieri poſſe tranſitũ, quantũ eſt de iure diuino, & cõi. ita *Miran.* quã probabiliter, cõſtat ex dictis ſup. *q. 10. §. quæ verò religiones.*

132 Addo, quod ſpectat ad Monachos Caſſinenſes, neq; eos poſſe tranſire ad Carthuſiam abſq; proprij Superioris licentia petita, & obtenta: idq; ſub pęna excõmunicationis ipſo facto incurrenda à Carthuſianis illos recipientibus. ita conceſſit Eugen. IV. & cum talis conceſſio per *cap. licet de Regul.* fuiſſet modificata, ac reſtricta, à Cęleſtino V. per aliud indultum factum Congregationi S. Benedicti Hiſpaniarum fuit confirmata, immo & ampliata præcipiẽdo quibuſcũq; monachis conuerſis, & perſonis religioſis eorũdem monaſteriorũ ſub excommunicationis pęna ipſo facto incurrenda, ne ſine licentia Generalis reformatoris, vel etiam Abbatis, & Conuentus, cuius tunc religioſus fuerit, petita etiam & obtenta à monaſterio exire poſſint, etiamſi ad quemcumq; alium Ordinem, vel locum, ſeu quodcumque aliud monaſterium eius, vel alterius cuiuſcumq; Ordinis tranſire velint: quin etiam ſup. dictam excommunicationem incurrunt Prælati pręfatum tranſeuntem recipientes; ſi poſtquam per dictos Congregationis monachos requiſiti fuerint, intra triduum ad proprium monaſterium, à quo exierat, ſine difficultate non remiſerint cum effectu; à qua tam recipientes, quam tranſeũtes, niſi ad ſuum monaſteriũ redierint præter quam in mortis articulo, abſolui nequeunt. habetur in *Comp: Ord. Ciſterc. de fugitiuis* §. 1. & 2. vbi *Collector* ait per præfatam conceſſionem ad nullum alium, etiam Carthuſienſium Ordinem Fratres dicti Ordinis, niſi petita, & obtenta licentia, poſſe tranſire; quod etiam (inquit) Pius II. ijſdem conceſſit, dicendo quod virtute quarumcumq; literarum apoſtolicarum, niſi in eiſdem de monaſterio, & ordine, & dicta conceſſione ſpecialis, & expreſſa mẽtio habeatur, nulli religioſo ad alium Ordinẽ liceat trãſire cũ decreto irritante, q̃dquid fuerit ſecùs attentatũ.

QVÆRES XXXI. An Religioſus Ordinis ſtrictioris poſſit tranſire cum licentia ſui Superioris ad laxiorem, vt ibi eligatur in Prælatum.

133 ℞. Poſſe; patetq; ex dictis *ſup. q. 3. §. vel loquimur*: cum enim ibi oſtenderim probabile eſſe, quod Prælatus regularis poſſit diſpenſare cum religioſo ſubdito, vt tranſeat ad Ordinem, etiã laxiorem, ſi adſit iuſta cauſa diſpenſandi, & in præſenti euentu verè adſit iuſta cauſa (vt ſuppono;) vtiq; poterit religioſus de licentia ſolius Prælati laxiorem ingredi religionẽ, ibiq; profiteri, ad effectum ibidem exercendi prælaturam. et ſi poſtea renũciet pręlaturę, adhuc manet religioſus poſterioris Ordinis, cùm per legitimũ trãſitum amiſerit omnia iura prioris religionis, & per profeſſionem ab ipſo emiſſam (vt ſuppono) euaſerit filius poſterioris religionis, ideòq; vt talis iuxtà tẽpus profeſſionis debet in ea habere locum, & ſedẽ. ita *Rodr. to. 3. q. 52. a. 26. ex Nau l. 3. conſil. de regul. cõſ. 61.* oſtendens *art. præced.* religioſum, vt eligatur in Prælatum alterius Ordinis, debere in eo facere profeſſionem, cum iuxtà *c. recolentes de ſtatu monach.* ſimilem debeat ſẽtire in legibus diſciplinã, qui ſimilẽ cũ alijs ſuſcipit vitam; ſed de hoc alibi commodius.

QVÆRES XXXII. An, & qualiter Religioſi laici arctioris profeſſionis (quos vocãt Cõuerſos) trãſire poſſint ad religionem laxiorẽ ex vi iuris communis,

134 ℞. Diſtinguẽdo; vel ij in poſteriori religione recipiuntur ad ſtatum item laicalem, ſeu Conuerſorũ; & ſic conſtat non eſſe licitum talem tranſitum, cùm in gradu laicali ſit æqualitas, & alioqui ex arctitudine vitę ſupponatur exceſſus in priori Ordine: vnde talis trãſitus importaret nõ aſcenſũ, ſed deſcẽſũ qui tamen iure communi non eſt permiſſus; vel ij

admit-

admittuntur in poſteriori Ordine ad gradum clericalem, & ſic *S. Thom. Turrecrem. Nau. & Sylu. relati à Suar. ſup. num. 9.* putant eiuſmodi tranſitum eſſe licitum propter altitudinem, ac excellentiam actuum, ad quos conſtituti ſunt ordines ſacri, per quos ſtatus Clericorum eſt ſimpliciter perfectior; quod eſt loqui de monachis laicis, prout nunc ſunt communiter in religionibus monachorum, videlicèt ordinati ſolùm ad functiones laicorum, & ex vi ſtatus poſitiuè excluſi ab Ordinum ſuſceptione: cùm aliàs arbitrio Epiſcopi, & Abbatis iuxtà perſonæ dignitatem, & monaſterij, aut Eccleſiæ neceſſitatem ordinari poſſent; ad quod alludit *S. Hieronym. epiſt. 4. ad Ruſticum* dicens: *Sic viue in monaſterio, vt Clericus eſſe merearis*; vnde, cùm licitus ſit tranſitus à ſtatu minùs perfecto ad magis perfectum, hòc ipsò quòd in ſtatu religioſo ſtatus clericalis eſt perfectior laicali: ſequitur Religioſum laicum tranſire poſſe ab Ordine arctiori ad laxiorem, ſi ibi aſſumatur è ſtatu laicali ad clericalem; cùm hoc non ſit deſcendere, ſed aſcendere; quod requiritur; & ſufficit, vt licitus ſit tranſitus ab vno ad alium Ordinem.

Quòd ſi hac occaſione quæras, an Religioſi laici, ſeu conuerſi poſſint promoueri ad ſtatum clericalem in eo Ordine, in quo profeſſi ſunt.

135 ℟. Poſſe; niſi obſtet decretum Sacræ Congreg. editum iuſſu Clem. VIII. die 19. Martij 1603. *Super receptione, & educatione Nouitiorum*, quod ita habet: *Sed qui ad Conuerſorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum ſtatum tranſire, etiam durante tempore probationis, non poſſint.* Vbi noto, quòd, cùm clauſula *Etiam* ſit ampliatiua, & hìc dicatur *etiam durante tempore probationis:* ſenſus eſt Conuerſos non poſſe, nec debere admitti ad ſtatum clericalem neque tempore nouitiatus, neq; poſt profeſſionem; quod eſt valdè conforme ijs, quæ habentur in *Conſtitut. Soc. Ieſu, cap. 6. examinis num. 6.* in hæc verba *Si quis examinatus, & inſtructus fuerit, vt ſit futurus Coadiutor temporalis, ſic ſe totum rebus, quæ cum ſua prima vocatione propriè ſunt coniunctæ, addicat, ac non curet vlla ratione à ſtatu Coadiutoris temporalis in ſtatum ſpiritualis, vel Scholaſtici, aut profeſſi progredi: ſed perſeuerare magna cum humilitate debet in omnibus Creatori, ac Domino ſuo iuxtà primam ſuam vocationem inſeruiendo.* Dixi, *niſi obſtet decretum Sacræ Congreg.* ſi enim illud ſit in vſu (vti puto eſſe, maximè cùm fuerit confirmatum de mandato Vrb. VIII. anno 1624.) vtique ſeruari debet.

Vtrum verò Religioſus profeſſus in religione ad ſtatum clericalem poſſit poſtea transferri ad ſtatum laicorum, ſeu (vt vocant) conuerſorum.

136 ℟. Non, de iure communi poſſe; & probatur, tum quia per talem translationem non variatur ſtatus ſubſtantialis religionis, ſed ſolùm accidentaliter: cùm religioſus laicus teneatur ijſdem votis; tum quia Prælatus regularis poteſt, occurrente iuſta cauſa, concedere licentiam tranſeundi ad religionem laxiorem, vt iam probatum eſt, nedum ad inferiorem quemdam ſtatum intrà eandem religionem: qui ſtatus, quamuis ſit humilior, vtpote deputatus ad inferiora miniſteria, eſt tamen durior, & aſperior, adeòque capax, vt ad ipſum tranſiri poſſit à ſtatu clericali: tum quia hoc non eſt per ſe diſpenſare in iure communi, & quidem in perpetuū, eximendo ab obligatione diuini officij traſeuntem à ſtatu clericali ad laicalem, (quod non conceditur vlli inferiori Papa,) ſed ſolùm per accidēs, amouēdo à ſtatu perſonarum choro deputatarū: quod poteſt fieri etiā à Prælato inferiori, vt oſtendemus in *tract. de oblig. c. 8. ſect. 2. q. 4.* ita *Sanch. l. 6. mor. c. 7. n. 80. ex Soto, Arag. Azor. Pet. Ledeſm. Peyr. de R. S. q. 1. c. 24. §. 3. Lezana to. 1. c. 22. n. 25.* inter quos *Sanch. n. 81.* benè notat 3. poſſe aſſignari cauſas, ex quibus religioſus deputatus choro transferri poſſit ad ſtatum Conuerſorum: videlicèt punitionem delicti: ingens deſiderium vitæ humilioris in religioſo transferendo: & ineptitudinem ad literas addiſcendas, & miniſteria ſacerdotalia obeunda.

137 Monet præterea *Sanch.* quòd, cùm talis translatio ſit res grauis, & maior, quàm de vno monaſterio ad aliud eiuſdem prouinciæ, (quę tamen ſpectat ad ſolum Prouincialem:) ea non videtur poſſe fieri, niſi ex auctoritate Generalis, aut Prouincialis, & quidem cum conſenſu Conuentus; niſi fortè aliter præſcribant ſtatuta, & conſtitutiones religionis, quibus omninò ſtandū eſt; quo modo in Societate de facto eiuſmodi translatio ex ſtatu laico ad clericalem, aut e contrà, pertinet ad ſolum Præpoſitum generalem: vt colligitur ex *regula 67. Prouincialis* in qua ei ſolū permittitur, vt quos tanquam indifferentes admiſit in Societate, eos applicet ad gradum Scholaſticorum, aut laicorum: idque intrà biennium nouitiatus, a *Sanch.* diſſentit *Peyr.* negās ad ſupradictam translationem requiri conſenſum Conuentus, præſertim in ſua religione, in qua Prælati cum ſuis Collegis poteſtatem habent definiendi omnes cauſas graues.

138 Notant inſuper *Peyr. & Lezana* præfatam translationem non habere locum in Religioſo clerico, qui iam ſit in ſacris: is enim non poteſt deijci ad gradum laicalem, vtpotè inferiorem, neque eximi per Prælatum regularem ab obligatione diuini officij: quod etiam tradit *Sotus l. 10. de iuſt. qu. 5. art. 3.* ſine monens ad habere verum, etſi dictus Religioſus fortè ſit ſuſpenſus à ſuis ordinibus inſpicienda deniq; ſunt ſtatuta vniuſcuiuſque Ordinis, an admittant eiuſmodi translationem, nec ne; & iuxtà ea omninò procedendum eſt, vt aduertit *Peyr. vbi ſup.*

QVÆRES XXXIII. An Prælatus regularis ſub mortali teneatur dare licentiam tranſeundi ad religionem ſtrictiorem, ſi nulla occurrat cauſa eam denegandi.

139 ℟. Teneri, & probatur tū ex *c. licet de reg.* vbi dicitur Prælatū debere indulgere talē licentiam: cùm tamen verbum *debet* iuxtà contextū ex capacitate materiæ ſatis indicet obligationem in conſcientia; & quidem grauē, ſuppoſita grauitate materię; tum quia Pręlatus ſine iuſta cauſa denegans talem licētiam, iniuriā facit ſubdito petenti, priuando illū iure ſuo, &, quantū in ſe eſt, impediēdo meliorem ſtatū, nec non præbendo occaſionē ſcandali, aut infamiæ caſu, quo ſubdit⁹, ipſo inuito, diſcedat. ita *Suar. to. 4. de relig. tr. 8. l. 3. c. 10. n. 17. Port. de dub. reg. v. reli. n. 11. Miranda ſup. a. 5.* & alij; inter quos prudenter monet *Suar. c. 12. n. 9.* Pręlatum regularem ad cognoſcendū in tali caſu aliam religionem eſſe ſimpliciter perfectiorem,

ctiorem, non debere duci tantùm proprio ſenſu, & affectione, ſed debere iudicare ex receptis ſententijs, & doctrinis, & ex ſapientum conſilio: additque tunc iudicandum eſſe expedire tranſitum Religioſo ſubdito, quando non occurrunt rationes contrarium ſuadentes præter ſolam mutationem vt ſic; ſi quidem illius incommodum vincitur ex maiori perfectione alterius religionis, niſi aliud obſtet.

An autem Prælatus regularis, vt poſſit concedere talem licentiam, teneatur iudicialiter cognoſcere cauſam tranſitus; nimirùm receptis teſtibus coram notario, & præuio iuramento.

140 ℟. Non teneri; cùm id nullibi cautum ſit, & in iure ſolùm requiratur cognitio cauſæ legitimæ; vt aduertit *Bonac. q 2. de clauſ. p.9. §.3. diffic.1. nu. 16. ex Nau. Sanch. & Azor.* ad valorem talis licentiæ nō exigi ſcripturam, niſi vt de eius conceſſione conſtare poſſit pro foro externo; ſi aliter ea probari non poſſit. Affert tamen *Rodriq. tom.3. q.52. a.20.* quamdam declarationem Sacræ Congreg. qua definitum fuit, quòd tranſitus ad parem, vel arctiorem religionem non fiat, niſi cauſa cognita tranſeuntis, & vitæ, ac morum ratione; idque ex approbatione Capituli generalis; quæ declaratio, ſi eſt authentica, & in vſu, vtique obſeruanda eſt, cùm ſit valdè iuſta, & rationabilis.

QVÆRES XXXIV. An Religioſus tranſiens abſque legitima facultate Superioris ad aliam religionem arctiorem ſit apoſtata verè, & propriè.

141 ℟. Videri probabile, quòd non ſit; & ratio eſt, quòd, teſte *Suar. ſup. num. 15.* ſecundùm communē DD. ſententiam apoſtaſia eſt propriè retroceſſio à ſtatu religioſo: in noſtro autem caſu non fit retroceſſio ab ſtatu religioſo ſimpliciter, ſed ſolùm à tali ſtatu religioſo, & quidem progrediendo ad maiorem perfectionem, vnde fit, vt talis retroceſſio ſit illicita, non in ſubſtantia mutationis, ſed tantùm in modo, ideòque non ſit propriè apoſtaſia, nec ſubiaceat pœnis apoſtatarum. ita *Leſſ. l.2. cap.41. n.102. Azor. par.1. l.12. cap.17 q.7. Lezana tom.1. cap.22. num.22.* alijque communiter apud *Suar. ſup.* qui tamen *num. 19.* oppoſitum ſentit dicens omnes tranſeuntes à ſua religione ad quamcumque aliam quocumque titulo maioris perfectionis in caſibus per noua iura, aut indulta pontificia prohibitis, & ſine licentia in eodem indultis requiſita, eſſe veros apoſtatas: addenſque quòd, ſi quis contendat vocem apoſtaſiæ importare, quòd deſeratur propria religio animo relinquendi ſimpliciter ſtatum religioſū, iam eſt quæſtio de modo loquendi; cùm aliàs oſtēdendum eſſet ſupradictam vocem habere illam, ſiue ex ſua primæua ſignificatione, ſiue ex vſu iuris: quod tamen ipſe putat non poſſe ſufficienter oſtendi.

142 Cæterùm, cùm ratio adducta pro noſtra reſponſione probet religioſum tranſeuntem ad aliam religionem æqualem, aut laxiorem ſine debita facultate non eſſe verè apoſtatam, vtpote qui non recedit à religione animo deſerendi omninò ſtatum religioſum: conſequenter neque in iſto caſu incurrentur pænæ latæ contrà apoſtatas; quod tamen negat *Suar. num.16.* inſiſtens ſuę ſententiæ modò relatæ.

143 Puto tamen concedi poſſe, etiam in noſtra ſententia, (quod concedit etiam *Lezana ſup.*) Religioſum à propria religione tranſeuntem ſine debita facultate ad alium Ordinem, ſiue ſtrictiorem, ſiue æqualem, ſiue laxiorem, poſſe dici, & eſſe fugitiuum: cùm fugitiuus communiter dicatur, qui ad tempus à monaſterio diſcedit ſine debita licentia, animo redeundi; ſiue poſteà fugiat ſine habitu, ſiue cum habitu; ſed de hoc alibi.

144 Quod autem quærit *Suar. ſup. cap.12. num.25.* an peccet Religioſus, qui, obtenta facultate procurandi intrà 3. menſes ingreſſum in aliam religionē, per illos 3. menſes manet extrà monaſterium, etſi multò antea vel mutauerit propoſitum ingrediendi alium Ordinem, vel certè intellexit ſe non fore recipiendum in illum Ordinem, quem intendit; nō habet ampliùs difficultatem, ſtante decreto Sacræ Congreg. relato *ſup. q.13.* quo, religioſo tranſituro ad alium Ordinem præcipitur, vt non permittatur ad eum tranſire, niſi priùs Superiori legitimè conſtiterit eam religionem paratam eſſe illum recipere: ſic enim procurari debet talis tranſitus à religioſo adhuc degente intrà monaſterium, non autē extrà; ideòque non eſt, cur ei deſignetur certum temporis ſpatium, intrà quod teneatur procurare tranſitum aliàs obligatus ad redeundum in priſtinam religionem.

145 De Religioſo quidem apoſtata, aut fugitiuo docent *Suar. ſup. num.20. Portell. numer.17. & Rodriq. tom.4. ſum. cap.113. num. 13.* quòd, ſi reſipiſcant in remotiſſimis regionibus, in quibus non extent monaſteria ſui Ordinis, aut alterius ſtrictioris; nec poſſint à legitimo Superiore petere facultatem tranſeundi ad alium laxiorem, aut redire ad propriam prouinciam: tunc ij poſſent tranſire ad Ordinem, etiam laxiorem, ſine alia licentia: quippe qui in ijs circumſtantijs aliud non poſſunt præſtare; & aliàs licitè poſſent viuere inter honeſtos ſęculares, ſi quidem impoſſibilium non eſt obligatio.

QVÆRES XXXV. Quas pęnas incurrant Regulares indebitè tranſeuntes ad aliam religionem.

146 ℟. Diſtinguendo: vel tranſeunt in caſu iure permiſſo; & ſic incurrunt non ſolùm incapacitatem quorumcumque beneficiorum ſęcularium, etiam curatorum, ſed etiam priuationem vocis in capitulo, tam regulari, quam ſęculari, nec non loci in capitulo quò ad honores, & inhabilitatem ad quęlibet officia, & adminiſtrationes, etiam extra Ordinem; idque quò ad incapacitatem quidem beneficiorum ex *Conc. Trid. ſeſſ.14. cap.11. de reformat.* vbi dicitur taliter translatus, etiamſi Canonicorum regularium fuerit, ad beneficia ſæcularia, etiam curata omninò incapax exiſtat; quò ad priuationem verò vocis in capitulo, & inhabilitatem ad quæcumq; officia ex *Clem. vt profeſſores de Regul.* (quamquam ibi ſit ſermo ſolùm de religioſis Mendicantibus tranſeuntibus ad non mendicantes, ideòque pęnę ibi ſtatutę extendantur ſolùm ad tales religioſos, non autem vniuersè ad omnes, vt videbimus in *tract. de pænis cap.6. num. 63.* Vel religioſi tranſeunt in caſu prohibito; & ſic incurrunt cenſuras, & alias pænas contrà religioſos diuerſorum Ordinum in

ſubiecta

ſubiecta materia latas, & à nobis relatas *ſup. q.28. §. & certè*; quæ vtique cadunt ſub generalem priuilegiorum communicationem, fiuntque communes alijs Ordinibus, vtpote quæ cedunt in fauorem totius religionis, licèt alias odioſæ ſint religioſis in particulari: quod innuit *Suar. ſup. numer.39.* dicens indulto prohibente tranſitum à minoribus ad minimos, vel è conuerſo poſſe vti Societatem Ieſu per communicationem priuilegiorum, quatenus fauor eſt religionis, à qua tranſitus prohibetur.

QVÆRES XXXVI. An, & quo modo Religioſi tranſeuntes ad aliam religionem reddantur incapaces quorumcumque beneficiorum ſæcularium, licet curatorum.

147 ℞. Reddi; etiamſi ſint Canonici regulares, etiamſi tranſeant ad religionem ſtrictiorem. patet ex decreto *Concilij Trid. ſup* citato quod cùm loquatur generaliter de tranſlatis, comprehendit omnes, & ſingulos tranſeuntes; quacumque tandem facultate id faciant, etiam Pontificia: niſi fortè Papa concedens talem facultatem diſpenſet in præfato decreto. ita *Sanch. l.6. mor. cap.7. num.108. Leſſ. ſup. n.015. Lezana to.1. c.22. num.20. & alij* communiter.

QVÆRES XXXVII. An, & qualiter Religioſi mendicantes tranſeundo ad Ordinem non mendicantem priuentur tum voce in capitulo, tum loco in ipſo capitulo, immò & inhabiles efficiantur ad prælaturas, adminiſtrationes, & quælibet officia etiam tanquam Vicarij, ſeu locum aliorum tenentes, nec non ad quamcumque curam animarum, ſiue per ſe, ſiue per alios exercendam.

148 ℞. Quod quidem ſpectat ad priuationem vocis in capitulo, probabile eſſe, quòd ea non extendatur niſi ad vocem actiuam, cùm textus indefinitè dicat *vocem*, & aliàs ſimus in materia pęnali, quæ debet ſtrictè interpretari, ideòque *vox* ibi ſumi debeat pro primo analogato (vt ita dicam) nimirùm pro voce actiua, quæ principaliter venit nomine *vocis*, vt dicemus in *tractat. de pœnis cap.6. ſect.1. q.3.* vbi de hac re fuſiuſculè diſſeremus: quamuis communior DD. ſententia ſit in eo textu comprehendi vocem tam actiuam, quam paſſiuam, vt videre eſt apud *Sanch. num.120.* Pręterea per locum in capitulo hìc venit locus quo ad honores, nimirum in electionibus, & tractatibus, non item quo ad onera, vt in diſciplinis, & correctionibus: alias ex inductione pęnæ ſequeretur commodum, quod eſt contra rationem pęnæ. quod denique attinet ad inhabilitatem quo ad prælaturas, adminiſtrationes, &c. eam extendi ad illa obtinenda tam intra religionem, quàm extra tradunt ferè communiter DD. cum *Lapo Anchar. & Cardin* allegatis à *Sanch. numer.126.* contra *Federicum conſ.161. nu.1.* ſuſtinentem dictam inhabilitatem extendi tantum ad prælaturas, adminiſtrationes, ac officia intra religionem, & meo iudicio non improbabiliter ob rationem modo adductam de priuatione vocis: ſed de hac re opportunius diſſeremus in *citato tract. de pœnis eo cap.6. num. 65. & 66.* interim qui vult conſulat *Sanch. ſup à num. 126.* moneo hìc ſolum, afferri à *Suarez ſup. cap.15. numer.6.* quamdam declarationem Sacræ Congreg. editam in fauorem Religioſorum mendicantium tranſeuntium ad Carthuſiam, quæ ita habet: *Omnes cuiuſcumque religionis legitimè tranſlati ad Carthuſianos poſſunt in eadem Carthuſienſi religione in clauſtro Priores, & extra clauſtrum procuratores eſſe*; cum tamen aliàs *Clem.1. de regul.* in qua ſeruntur iſtæ pęnæ, loquatur, etiam de ijs mendicantibus, qui auctoritate, etiam apoſtolica tranſeunt ad Ordines non mendicantes, qualis eſt Carthuſia.

Vtrum autem Religioſus tranſiens ad aliam religionē cedere debeat in capitulo iuxtà tēpus, quo in ea emiſit profeſſionem, an potiùs iuxtà illud, quo profeſſus fuit in priori Ordine.

149 ℞. Debere ſedere iuxtà tempus, quo profeſſionem fecit in poſteriori religione, ſi ad illam trāſeat, vt ibi ſit ſubditus, & filius. ratio eſt, quòd ab eo tantum tempore incipit eſſe religioſus illius Ordinis, & filius illius monaſterij; ergò ſolum ex eo tempore debet ibi obtinere vocem, & locum in choro, capitulo, & alijs actibus: argumento eorum, quæ DD. tradunt communiter in *l.1. ff. de albo ſcribend. & c. ſtatuimus de maiorit. & obed.* Secus, ſi Religioſus tranſeat in alium Ordinem, vt ibi ſit Prælatus; tunc enim etiam renunciata prælatura, debet ſedere in primo loco immediatè poſt Prælatum in memoriam honoris, & prælationis alias obtentæ: niſi fortè ſimul cum eo concurrant alij, qui ſimilem, ſeu maiorem honorem geſſerint; idque argum. eorum quæ in citata *l.1.* notantur. ita *Miranda to.1. q.31. a.23. ex Nau. l.3. conſil. de Regul conſ.60.* monens Religioſum tranſlatum de vna Prouincia in aliam eiuſdem Ordinis, poſtquam in ea incorporatus eſt, debere habere locum in choro, capitulo, & alijs, non à tempore ſolùm, quo in ea fuit incorporatus, ſed à die, qua aſſumpſit habitum, aut emiſit profeſſionem; prout vſitatum eſt in vnoquoque Ordine, ſiue ex proprijs ſtatutis, ſiue ex conſuetudine, quibus omninò ſtandum eſt in hac re.

QVÆRES XXXVIII. An, & quo modo Religioſi tranſeuntes ad alium Ordinem teneantur ad ſtrictiorem clauſuræ obſeruantiam, ſtante decreto *Concilij Trid. ſeſſ.14. cap.11. de reform.* quod ſic habet: *Quia regulares de vno ad alium Ordinem tranſlati facilè à ſuis Superioribus licentiam ſtandi extra monaſteria obtinere ſolent, ex quo vagandi, & apoſtatandi occaſio tribuitur: nemo cuiuſcumque Ordinis Prælatus, vel Superior vigore cuiuſcumque facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuo maneat.*

150 ℞. Quod quamuis vi huius Decreti tam tranſeuntes ex vna religione ad aliam, quam recipientes animo non manendi intra clauſtra perpetuò grauiter peccent (quamuis talis admiſſio non ſit irrita; cùm in eo decreto nulla clauſula irritans apponatur:) nihilominus, non obſtante tali decreto poſſunt Prælati regulares dare religioſis ſic tranſeuntibus eas licentias exeundi extra monaſterium & manendi extra clauſtra, quas poſſunt licitè dare alijs religioſis; Concilium quippe intendit ſolum eo decreto auferre occaſiones vagandi, & apoſtatandi; vt patet ex illis verbis, *vagandi, & apoſtatandi occaſio tribuitur*: quod vtique ſufficienter ſaluatur, ſi religioſis ad alium Ordinem tranſeuntibus eę ſolum licen-

licentia egrediẽdi è clauſura dentur, quę de iure ſolent dari alijs religioſis eiuſdem Ordinis. ita *Sanch. n.83. Suar. n.8. Rodriq. to.3. q.53. a.4. Lezana n.29.*

QVÆRES XXXIX. An Religioſus tranſiens cum debita facultate ad alium Ordinem eximatur à prioris Ordinis iuriſdictione, & quo modo.

151 ℞. Quòd, licèt religioſus vnius Ordinis profitendo in alio liberetur ab obedientia prioris religionis, & conſequenter ab illius poteſtate coactiua: ideoq; ſi ſit proprietarius, aut ſubornator, non poſſit puniri à Prælatis dictæ prioris religionis, cùm non ſit ampliùs eorum ſubditus: ſi tamen contingat talem religioſum aut non profiteri in poſteriori Ordine, ad quem tranſiit, aut poſt profeſſionem factam in eo recedere ab ipſo ad effectum manendi in ſæculo, aut tranſeundi ad religionem laxiorem; poteſt Prælatus regularis contra illum ſic translatum tanquam contra apoſtatam procedere, idque ex priuilegio bullato Minimis conceſſo, & relato in *Comp. Soc. Ieſu v. apoſtata* §. 10. quòd ſine dubio, cùm ſit fauorabile toti religioni, competit per viam communicationis etiam religioſis aliorum Ordinũ, ideòque eo vti poterunt Prælati aliarum religonũ de priuilegijs Minimorum participantium. Congruentia autem talis conceſſionis fuiſſe videtur, tũ quia talis apoſtaſia cedit etiam in iniuriam prioris religionis; tum quia ſic vitatur fraus; ne quis tranſitum de religione propria in aliam procuret ſpe liberiùs poſteà vagandi, deficiendo à poſteriori religione, in qua fortaſſe circà hoc non adhibebitur tanta diligentia, eſtò in alijs obſeruãtijs ſit ſtrictior. ita *Suar. c.12. n.31.* monens *nu. 32.* ſup. dictum priuilegium non habere locum, neque in caſu, quo religioſus taliter translatus ſecundò tranſeat ad Ordinem æqualem; cùm id non colligatur ex tenore priuilegij: neque in caſu, quo tranſeat ad religionem laxiorem cum legitima diſpenſatione; ſic enim religioſus tranſiens non peccat, & conſequenter nec poteſt tractari vt apoſtata; idque eſtò tranſierit ſine licentia, & conſenſu Prælati prioris religionis: cùm per ſe loquendo cura talis religioſi nõ ampliùs ad eum pertineat, & conceſſio præfata ad hoc non extendatur, quantùm conijci poteſt ex eius tenore;

QVÆRES XXXX. An Religioſus tranſiens ad aliam religionem remaneat liber ab obligatione votorum, quæ fortè emiſit in priori religione vltra tria vota ſubſtantialia religionis.

152 ℞. Remanere, excepto tamen voto de non petenda, aut acceptanda dignitate extrà religionem, quod ex decreto Vrban. VIII. ad huc durat, vt vidimus in hoc ipſo *cap. ſect. 1. q. 5.* ita *Sanch. l. 6. mor. cap. 7. nu. 87.* pateтque ex ibi dictis.

Sic notat *Bordonus tr. de profeſſ. c. 2. q. 72. §. tertiò* Fratrem minimum tranſeuntem ad alium Ordinẽ, etiam in ipſo nouitiatu poſſe veſci carnibus, ſi ibi concedãtur: & probat tum quia non ampliùs viuit ſub prima regula, ratione cuius tenebatur abſtinere à carnibus: tum quia debet ſe accommodare modo viuendi poſterioris Ordinis, vt ſic illius experiatur auſteritates, & ipſe probetur ab illo. Immò addit *Bordonus* dicta procedere, etſi in poſteriori Ordine non concederetur vſus carnium: ſiquidem neutri regulæ ſubiacet; non priori, cùm iam ſit manumiſſus, non poſteriori, cùm in ea nõdum fuerit profeſſus, quamquam ex alio capite teneretur abſtinere a carnibus, quatenus debet ſe conformare cum poſteriori Ordine, in quo de præſenti probatur, ſaltem ad vitandum ſcandalum. Non diſſentiunt *Suar. to.2. lib. 6. de voto. c. 3. n. 7. & Sanch. l.6. mor. c.7. nu. 87.*

QVÆRES XXXXI. An Religioſus legitimè tranſiens ad aliam religionem poſſit ſecum deferre propria bona in religionem, ad quam ſe transfert.

153 ℞. Non poſſe; ſiue ea bona in priori religione acquiſierit ex donatione, ſiue ex induſtria, ſiue quouis alio titulo. ita *Nau. comm.4. de regul. n.24. molina to. 1. de iuſt. D.140. col.10. Portell. de dub. regul. v. bona tranſeuntium nu. 2. Sanch. l.7. mor. c. 32. nu. 8. Rodriq. to.3. q.5. ar.5. Suar. ſup. c.13. nu.2. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 9. §. 4. diffic. 2. n. 2.* alijque penes ipſos: inter quos *Suar. nu. 3.* notat iſtam reſponſionẽ indiſtinctè procedere in quacumq; eiuſmodi translatione; ſiue fiat ad monaſteriũ arctius, ſiue ad alia, ſiue ad petitionẽ religioſi trã eũtis per modũ diſpẽſationis, ſiue ex alia cauſa neceſſaria; ſiue per modum coactionis ob culpas, ſiue propter exonerationem, ac vtilitatem monaſterij cum ipſius religioſi tranſeuntis conſenſu, & diſpenſatione, ſeu priuilegio Superioris. Probatur autem reſponſio tum quia beneficium per legem conceſſum intelligitur ſine præiudicio tertij; ideòque ius concedens tranſitum perſonæ ad aliam religionem debet intelligi abſque præiudicio prioris religionis quò ad alia omnia: quod tamen non verificatur, ſi demus religioſum tranſeuntem poſſe ſecum deferre bona acquiſita in priori religione, quæ ſine dubio illi ſunt acquiſita iuxtà regulã *quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio*: tũ quia præfata bona abſolutè acquiſita fuerunt priori religioni, & nõ ſub cõditione; bona verò abſolutè acquiſita ad aliũ nõ debẽt deuolui; tũ quia quæ religioſus acquirit, acquirit monaſterio, cuius eſt religioſus; at religioſus trãſiens ad aliũ Ordinẽ, quamdiu non profitetur in Ordine, ad quem trãſit, eſt religioſus prioris religionis, ex qua tranſit: ergò quæ acquirit vſque ad emiſſionem profeſſionis in poſteriori religione, acquirit Ordini, ex quo trãſijt: quod eſt contrà *Nattam, Panormit. & alios apud Bonac.* arbitrantes bona ſup. dicta tranſmitti ad poſteriorem religionem, exceptis tamen ijs, quæ religioſus tempore ingreſſus expreſsè donauit priori religioni, aut certè intuitu ingreſſus: nec non contra Soccinum *to. 4. conſ. 52. num. 18.* alioſque aſſerentes dominium dictorum bonorum ſpectare ad priorem religionem, vſum fructum verò ad poſteriorem Ordinem, quamdiu vexerit religioſus translatus.

154 Quod idem putat *Suar. n. 9.* dicendum eſse, & quò ad libros Religioſi tranſeuntis: cùm enim ij ex ſuo genere computentur inter mobilia pretioſa, aut ſaltem multæ ęſtimationis, & aliàs non habeant vſum ſimpliciter neceſsarium, ſed voluntarium, qui poteſt per alios ſimiles libros in futurum ſuppleri; ideò nulla occurit ratio, quòd prior religio cogatur concedere peculium librorum pro vita ta-

lis

lis religioſi in alia religione: & hoc, quamuis iuxtà morem religionis concedi ſoleant libri quaſi in peculium ſtabile, ſeu ad vitam; ſiquidem talis conceſſio non poteſt vnquam fieri, quin ſemper pendeat ex voluntate Prælati; qui, ſicut poteſt ad nutum reuocare talem licentiam, applicando dictos libros ad vſum aliorum religioſorum: ita & cenſetur reuocare hòc ipsò quòd religioſus, cui fuerat conceſſa, tranſit ad aliam religionem; niſi expreſsè conſtet in contrarium de eius voluntate, aut ex paruitate materiæ probabiliter præſumi poſſit eum tacitè conſentire in translationem talium librorum.

155 Immò putat *Suarez num.* 8. quòd, licèt Religioſus tranſiens ad alium Ordinem, poſſit ſecum deſerre veſtes neceſſarias ad actualem vſum, ac decentem exitum è monaſterio: ne aliàs cogatur, aut incedere nudus, aut mutare habitum ſuæ religionis, antequam induat habitum alterius; duplicatas tamen veſtes, aut alia ornamenta non poteſt ſecum deferre ſine conſenſu Superioris, quem relinquit; cum hæc ſubiaceant adminiſtrationi illius tanquam bona monaſterij, cui præeſt, eorumque vſus non ſit pro tempore præſenti, ſed futuro; quin, ſtando in rigore, etiam ſimplex ille habitus, quem neceſſariò ſecum deſerret, reſtituendus eſſet priori monaſterio, poſtquàm religioſus in poſteriori religione profeſſus eſt: idque non ſecùs, ac ſi ibi naturaliter fuiſſet mortuus, aut certè habitum illum à tertia perſona mutuò receptum detuliſſet; ſic enim quilibet religioſus non habet veſtimentum, niſi quaſi commodato à ſua religione: quod autem accipitur commodato, debet reſtitui vt patet. Dixi *ſtando in rigore*, quia ex quadam vrbanitate, ac interpretatiuo conſenſu omnium religionum ſufficienter declarato à conſuetudine videtur ceſſare obligatio talis reſtitutionis: cùm non deceat in re adeò modica, vel oſtendere tantam animi amaritudinem ergà tranſeuntem, vel nimium affectum ad bona temporalia.

156 De ſcriptis, quæ ſunt partus proprij ingenij, maior eſt difficultas, an Religioſus tranſiens ad religionem poſſit propria auctoritate ſecum ea deſerre. Nauarrus enim *conſ.* 55. *de regul. num.* 10. *edit.* 2. ait illum ſolùm poſſe deferre ſcripta, quę eſſent inutilia ſuæ priori religioni, & quæ probabiliter crederet Prælatum donaturum (addit Suar. *num.* 10. vel quæ iuxta morem religionis non poteſt Prælatus iuſtè negare, aut auferre, niſi in pænā alicuius grauis culpæ.) *Suar. verò num. citato*, quamuis ſub aliqua formidine, videtur inclinare in contrariam ſententiam ex eo quòd ſcripta ſunt quaſi pars ſcientię, & doctrinæ acquiſitæ in religione, deſeruiuntque in adminiculum memoriæ, à qua maximè pendet ſcientia: ſicut ergò religioſus tranſiens poteſt ſecū deſerre ſuam ſcientiam, & doctrinam, ita & par eſt, vt deſerre poſſit propria ſcripta, quæ alioqui non poteſt relinquere ſine notabili præiudicio propriæ doctrinæ: acceſſorium quippe ſequitur principale, ideòque cùm ſcripta ſint velut acceſſorium reſpectu doctrinæ, poſſunt, & debent comitari perſonam, ad cuius propriam ſcientiam pertinent; quę ratio magis probaret intentum in caſu, quo religioſus deſerat ſcripta ſibi vnica, & ſingularia, quorum copiam alioqui inuenire non poſſit: is enim (inquit *Suar.*) maiorem aliquam excuſationem haberet, ita vt non audeam illum condemnare: præcipuè, ſi ſolùm ad vtilitatem propriam ea deſerat, animo illa reſtituendi cùm primùm vel ea potuerit tranſcribere, vel ſaltem in fine vitæ, ſi priùs non potuerit abſque magno incommodo. *Diana* denique *in tract. de paupert. relig. reſol.* 25. *ex Valero* abſolutè aſſerit libros manuſcriptos ſemper eſſe Religioſi, & eos ſemper poſſe ſecum deſerre, etiamſi ſe transferat in aliam religionem: idque nulla petita licentia, & nullis eorum relictis copijs; ſicque de facto quemdam Religioſum doctiſſimum tranſeuntē ad Carthuſiam ſecum detuliſſe duos libros à ſe cōſcriptos, nulla ad id petita licentia à Superiore. ita in hac difficultate variant DD. neque eſt facile ſtatuere, quænam pars ſit probabilior; ego puto etiam in hoc inſpiciendam eſſe conſuetudinem vniuſcuiuſque religionis, & ex concurrentibus circumſtantijs benè perpenſis colligendum eſſe conſenſum Superioris, ſaltem interpretatiuum, & tacitum: ſimpliciter tamen propenderem in ſententiam Dianæ, niſi ex peculiari aliqua circumſtantia hìc, & nunc occurrente aliud ſuadeatur, quod etiam innuunt *Sanch. l.* 7. *mor. c.* 32 *num.* 13. *Rodriq. tom.* 2. *q.* 79. *a.* 2. *& Bonac. ſup. diſſ.* 2. *n.* 5.

Sed difficultas eſt, an bona religioſi tranſeuntis remaneant penes priorem religionem, etiam in caſu, quo ille transfertur ad aliam religionem, non vt ibi profiteatur, ſed vt agat pænitentiam ſuorum delictorum.

157 ℞. Remanere quò ad dominium, non item quò ad vſumfructum integrum: is enim reddi debet monaſterio, ad quod tranſit, in ea quantitate, quæ ad victum, ac veſtitum, reliquaque religioſi illius alimenta ſunt arbitrio prudentis viri neceſſaria; & hoc, quamdiu ille remanſerit in dicto monaſterio, quod tamen non haberet locum, ſi talis religioſus ſeruiret monaſterio, itaut obſequia ei pręſtita ęquiualerent alimentis:) &, ſi contingat eum mori in eo, tunc vſusfructus integer redibit ad priorem religionem, & conſolidabitur cum proprietate. ita *Mol. tom.* 1. *D.* 140. *Rodriq. tom.* 3. *q.* 5. *a.* 5. *Azor. p.* 1. *l.* 12. *cap.* 15. *q.* 3. *Sanch. num.* 46. 47. *&* 48. *Bonac. n.* 2. alijque vt conſtat: tum ex *cap. de lapſis* 16. *q.* 6. *& c. ſi quis rapuerit* 27. *q.* 1. *& Auth. Sanctiſs. Epiſc.* §. *penult.* tum quia æquum non eſt, vt poſterius monaſterium gratis teneatur ſuſtentare religioſum non ſuum; quod tamen ſequeretur in caſu noſtro.

158 Quòd ſi ſupra dictus religioſus exiſtens in poſteriori monaſterio aliqua bona de nouo acquirat: hęc videntur pertinere ad prius monaſterium deductis tamen alimentis eo modo, quo paulò ante diximus; ducor, quòd talis religioſus eſt profeſſus prioris monaſterij, & ſolum in poſteriori eſt recluſus ad faciendam pęnitentiam: ſola autem recluſio non confert ius ad bona, ſed profeſſio, per quam religioſus, ſe, & omnia ſua Deo, & religioni dedicat iuxtà *Auth. ingreſſi C. de Sacroſ. Eccleſ.* ita *Sanch. n.* 49.

QVÆRES XXXXII. An caſu, quo Religioſo degenti in religione capaci deferatur aliqua hæreditas morte teſtatoris, ſi ille ante eius aditionem tranſeat ad aliam religionem, ibique profiteatur

teatur: an inquam, in tali caſu hæreditas acquiratur priori religioni, vel poſteriori.

159 ℞. Acquiri priori religioni, in qua ea fuerat delata religioſo, ideòque illam poſſe adire hæreditatem, poſteriori religione omninò excluſa: probatur quia hòc ipsò quòd hæreditas eſt delata monacho, neque ipſi eſt acquiſita, neque ius illam adeundi tranſiuit in ipſum, ſed vtrumque acquiſitum eſt monaſterio abſque vllo facto illius monachi; ergò ob ſequentem tranſitum in aliam religionem non debet prior religio ſpoliari iure ſibi perfectè acquiſito. ita *Couar. c. 1. n. 21. de teſtam. mol. l. 1. de primog. c. 12. nu. 36. & 37. Leſſ. l. 2. c. 41. nu. 88. Sanch. nu. 18. Bonac. nu. 7.* contra *Baldum*, & alios relatos ab ipſo *Sanch. nu. 17.*

QVÆRES XXXXIII. Ad quam religionem ſpectet hæreditas delata Religioſo poſteà trãſeunti ad alium Ordinem in caſu; quo prior religio ſit incapax bonorum, poſterior verò ſit capax, vel è contrà (vt ſi Frater minor licitè tranſeat ad Carthuſiam capacem ſuccedendi, aut Frater Dominicanus à ſua religione capaci ad Ordinem Minorum incapacem) & in vtroque euentu inſtitutio ſit pura, & abſque vlla cónditione, an, inquã, in his caſibus hæreditas pertinet ad priorem religionem, vel certè ad poſteriorem, ad quam tranſitur.

160 ℞. Cum diſtinctione; vel hæreditas perfectè erat acquiſita priori religioni capaci, aut (ſi ea erat incapax) hæredibus ab inteſtato, eo quod illi ante tranſitum iam adierant hæreditatem; & ſic illa pertinebit ad priorem religionem capacem, aut ad heredes ab inteſtato (ſi illa religio erat incapax): ij ſi quidem non debent priuari iure ſibi perfectè acquiſito ob ſubſequentem euentum incapacitatis, vel hæreditas ſolum erat delata, non autem adita, quando religioſus translatus modo ſup. dicto emiſit profeſſionem in poſteriori religione, & ſic, ſi tempore delatæ hæreditatis religio erat incapax, in eam ſuccedent hæredes ab inteſtato; ipſa verò religio, ſi erat capax: idque nòn obſtante tranſitu facto ante aditionem hæreditatis ad monaſterium capax, aut incapax: idque ob rationem allatam in probationem reſponſionis q. *præcedentis* ita *Mol. l. 3. de primog. c. 2. nu. 17. Sylu. v. religio 4. q. 10. Rodriq. to. 2. q. 79. ar. 1.* aliјque plurimi apud *Sanch. num. 22.* contra plures alios ab ipſo allegatos *num. 21.* qui *Sanch. num. 26.* ex dictis benè infert cum *mol. tom. 5. de inſt. D. 140. Rodriquez to. 3. q. 69. ar. 4. Leſſ. vbi ſup.* & alijs per profeſſionem in religione incapaci ius ſuccedendi non extingui omninò, ac irrecuperabiliter, ſed ſolùm conſopiri, ac ſuſpendi: ideòque ſi profeſſus in tali religione poſteà tranſeat ad aliam capacem, reuiuiſcere illud ius ſuccedendi per priorem profeſſionem conſopitum, & quaſi ſuſpenſum.

Dices, quid ſi Frater minor quo tempore erat ſecularis, fuit inſtitutus hæres, eique tempore illo habili per mortem teſtatoris talis hæreditas deferatur: ipſe tamen, priuſquàm illam adeat, profiteatur in Ordine Minorùm, & conſequenter fiat incapax ſuccedendi; ſi poſteà contingat illum, ea hæreditate nondum adita per hęredes ab inteſtato, legitimè tranſire ad ſtatum capacem ſuccedendi, ſe transferendo in religionem capacem, poterit ne adire hæreditatem tempore habili ſibi delatam, Excluſis hæredibus ab inteſtato?

161 ℞. *Sanch. nu. 27. ex Lopez Rodriq. & alijs* probabilius eſſe, quòd talis religioſus poſſit in illo caſu adire hæreditatem, aut certè religio, ad quam trãſijt, nomine ipſius; probatque contrà Fabrum tum quia ad hæredis, licèt extranei ſucceſſionem ſunt inſpicienda tria tempora (nimirùm quòd ille ſit capax tempore teſtamenti confecti, & mortis teſtatoris, quo defertur hæreditas, & eius aditionis, vt deciditur *l. hæredes autem §. in extraneis, Inſtit. de hered. qual. & differ.* & tradunt omnes ſcribentes ibi) & Religioſus, in hoc caſu habilis eſt hoc triplici tẽpore; ideòque nulla adeſt ratio illum excludendi à tali hæreditate: tum quia renuntiatio dictæ hæreditatis, quæ videtur conſequi ad profeſſionem factam in monaſterio incapaci, non eſt abſoluta, ſed tacitè conditionata, niſi re integra, ideſt ante aliorum hæredum aditionem fiat capax, & ſub hac conditione tacita acquiſitum eſt ius adeundi præfatis hæredibus ab inteſtato: quo modo diſſoluitur fundamentum Fabri.

162 E contrà, ſi hæres inſtituatur Frater minor, ac proinde tempore inhabili, is tamen tempore mortis teſtatoris, quo hæreditas defertur, ſit factus capax, eò quòd tranſierit ad Ordinem capacem ſuccedendi, ibique iam profeſſus ſit; tunc non poteſt talis Religioſus adire hæreditatem, ſi inſtitutio facta ſit ab extraneo, cui religioſus nullum ius habeat ſuccedendi: præter quàm ex teſtamento, idque ratione incapacitatis repertæ tempore teſtamenti: cùm alioqui iuxtà dicta §. *praeced.* exigatur capacitas, etiam tempore teſtamenti confecti. Secus, ſi ille religioſus inſtituatur hæres in teſtamẽto fratris: ſic enim, quamuis inſtitutio ſit irrita ratione incapacitatis inuentæ tempore teſtamenti, vt pote quæ ad ſui valorẽ requirit capacitatem non ſolùm tempore mortis fraternæ (quæ in præſenti caſu reperitur) ſed etiam tempore teſtamenti (quo modo hìc non inuenitur): poteſt nihilominùs talis religioſus (ſi non ſit alius hæres in eo teſtamento ſubſtitutus, aut alius cohæres, cui portio illa accreſcat) ſuccedere ab inteſtato fratri illi demortuo vnà cum alijs fratribus, æque ac ſi ſuccederet, teſtamẽto nõ confecto: & ratio eſt, quòd, cùm inſtitutio in iſto euentu ſit irrita, datur locus ſucceſſioni ab inteſtato; à qua ille religioſus non excluditur, quippequi tempore mortis, quo ſuccedendum eſt, reperitur capax. ita *Sanch. n. 28. & ſeqq.*

QVÆRES XXXXIV. An caſu, quo Religioſus (v. g. Frater Minor) non inſtituatur hæres à parentibus ob incapacitatem tempore teſtamenti paterni repertam, ſi poſtea fiat capax, tranſeundo ad religionem ſuccedendi capacem, rumpat teſtamentum paternum inſtar poſthumi poſteà nati.

163 ℞. *Sanch. nu. 33.* non rumpere, ſi ea capacitas ſequatur poſt mortem parentum: ſecùs, ſi eam præcedat; & ratio eſt, quòd in priori caſu hæreditas, ipſo tunc incapaci, alijs hęredibus iure delata eſt, ideoque capacitas Religioſi ſuperueniens non debet lædere ius iam acquiſitum alijs hæredibus: in poſteriori verò caſu, cum Religioſus ſit capax ſuc-

ceſ-

ceſſionis tempore mortis, quo ſuccedendum eſt, cenſetur legitimus hęres, ideòque ſi prętereatur, habet ius rumpendi teſtamentum.

QVÆRES XXXXV. An Religioſus, qui pupillo hæredi ſubſtitutus ante ingreſſum religionis incapacis, per profeſſionem in ea factam amiſit ius ſuccendi illud recuperet, ac proinde ſuccedat, ſi tempore mortis pupilli, quo ei ſuccedendum eſt, ſit capax, vt pote tunc temporis proſeſſos in Ordine capaci.

164 ℞. Recuperare, & ſuccedere; cùm tempore teſtamenti, & tempore mortis pupilli, cui ſuccedendum eſt, reperiatur capax, & alioqui non obſtet incapacitas reperta medio tempore. ita *Sanch. num.* 34. *ex Baldo Ang. Natta, Cucco Aymon. & Tapia* monens *n.* 36. iſtam reſponſionem habere locũ, etiã in caſu: quo tempore ſup. dictæ ſubſtitutionis factę à teſtatore ſubſtitutus eſſet profeſſus in Ordine incapaci, & conſequenter incapax ſuccedendi: immò & in caſu, quo ſubſtitutus ſit incapax tempore mortis teſtatoris, ſed capax tempore mortis pupilli, cui ſuccedendum eſt; in hoc enim vtroque caſu valeret ſubſtitutio, cum ſufficiat, quod ſubſtitutus, qui debet ſuccedere, ſit capax tempore, quo moritur pupillus. Quin etiam iſta reſponſio, teſte eodem *Sanch*. militat in quacumque alia ſubſtitutione: vt ſi quis grauetur hęreditatem reſtituere, ſi moriatur abſque liberis, aut poſt ſuam mortem, Fratri Minori; ſi quidem ad valorem cuiuſcumque ſubſtitutionis ſufficit capacitas ſubſtituti pro tempore mortis grauati, aut pupilli, cui debet ſuccedĩ: cum omnes eiuſmodi ſubſtitutiones ſint conditionales, & in ſubſtitutionibus conditionalibus ſufficiat capacitas tempore euenientis conditionis.

QVÆRES XXXXVI. Vtri religioni debeatur hęreditas relicta religioſo tranſeunti de vna in aliam religionem, ſi inſtitutio ſit conditionalis, & facta, dum ille eſſet in priori Ordine, aut antequàm ipſum ingrederetur; cùm alioqui conditio impleatur in Ordine poſteriori.

165 ℞. Deberi illi religioni, in qua religioſus ſubſtitutus reperitur profeſſus tempore impletæ conditionis: & ratio eſt, quòd in vltimis voluntatibus ſpes non transfunditur ad hæredes, ſed ad tranſmiſſionem, & acquiſitionem, ac capacitatem acquirẽdi ſpectatur tempus impletę conditionis: vt conſtat ex *l. ſi cum hæres* 4. *ff. quando dies leg. ced.* & *reg. quæ legata* 18. *de reg. iur.* ita *ouar. cap.* 1. *nu.* 20. *de teſtam. Azor. tom.* 1. *l.* 12. *cap.* 15. *q.* 3. *Rodriquez tom.* 2. *ſumm. cap.* 31. *num.* 10. *Bonac. q.* 2. *de clauſ. p.* 9. *§.* 4. *diff.* 2. *num.* 21. alijque apud *Sanch. nu.* 41. hinc bene inferentem Religioſum, qui inſtitutus eſt ſub conditione, dum eſſet capax, ſed poſtea ante euentum conditionis efficitur incapax (eò quòd v. g. profeſſus ſit in Ordine minorum) poſſe ſuccedere, ſi tempore impletæ conditionis ſit capax; immò etiam, ſi fuerit incapax toto priori tempore; dummodò ſit capax quo tempore impletur conditio: in his quippe ſubſtitutionibus ſola capacitas petitur tempore impletæ conditionis: ex quo vlterius ſequitur Religioſum incapacem poſſe inſtitui hæredem, non abſolutè ſed in tempus, quo erit capax; quod notat *Sanch. num.* 45. cum alijs addens *num.* 41. ſup. dicta temperanda eſſe, niſi inſtitutio illa facta eſſet intuitu prioris religionis: tunc enim ei prodeſſet.

QVÆRES XXXXVII. An Religioſus, qui ante profeſſionem factam in religione incapaci, ſibi reſeruauit aliqua bona caſu, quo ad religionem capacem tranſiret, aut aliàs fieret habilis, ſi poſteà fiat capax, recuperet dicta bona.

166 ℞. Recuperare; patetque tum ex dictis *q.* 43. tum quia profeſſio facta in Ordine incapaci non extinguit, ſed ſuſpendit ius acquirendi; ac proinde incapacitas durat ſolùm, quandiu Religioſus profeſſus manet in eo Ordine incapaci: tum quia regula penult. de regul. iur. *Non firmatur tractu temporis quod ab initio non ſubſiſtit*, quæ videri poſſet obſtare, intelligi debet, niſi ſuperueniat nouus ſtatus: præter quàm quòd diſpoſitio illa conditionalis numquam fuit inualida, eſtò non obliget, niſi à tempore impletæ conditionis, *vt* notauit *Bonac. num.* 21.

QVÆRES XXXXVIII. An Religioſus tranſiens ab Ordine capaci ad alium item capacem poſſit ſecum transferre etiam peculium ipſi conceſſum ex bonis parentum.

167 ℞. Non poſſe, ſi ei ſit abſolutè conceſſum: ſecùs, ſi conſeſſum ſit ea lege, vt monaſterium non poſſit ſe in illud intromittere, & ſi ſe intromittat, eò ipsò illud perdat; ſi tamen talis conditio apponi poteſt (quod infra diſcutiendum eſt). ita *Sanch. num.* 14. & cum eo *Bonac. num.* 11. patetque quia in primo caſu dominium peculij manet omninò penes prius monaſterium, ſolo vſu illius per Superiorem conceſſo ipſi religioſo, & quidem reuocabiliter, adeoque ipſo ad alium Ordinem translato, illud remanebit apud prius monaſterium, tanquam ei perfectè acquiſitum; in ſecundo autem caſu, cùm prius monaſterium nullum ius habeat in fructus ſup. dicti peculij poſt tranſitum dicti Religioſi percipiendos, ij tranſibunt cum ipſo religioſo, & conſequenter ſpectabunt ad poſterius monaſterium.

QVÆRES XXXXVIIII. Ad quem pertineant bona, quę acquiruntur Religioſo poſt licitum ipſius tranſitum è monaſterio capaci ad incapax, & profeſſionem ibi factam.

168 ℞. Pertinere, non quidem ad priorem religionem à qua receſſit Religioſus (idque ob doctrinam adductam *q.* 41. quę hic à contrario ſenſu optimè poteſt applicari) ſed ad eum, qui in præfatis bonis ſuccederet, ſi talis religioſus eſſet naturaliter mortuus (nimirum ad ſuccedentes ab inteſtato): & hoc, niſi aliter conſtet de mente diſponentis. ita *Bonac.* in terminis *num.* 13. probatque ex eo quòd profeſſio in religione incapaci æquiparatur morti naturali *l.* 1. *§. ſed & ſi patrus ff. de coniungend. cum emancipat. liber.*

QVÆRES L. An caſu, quo aliquid promittatur Religioſo, appoſita aliqua conditione, illud debeatur monaſterio, in quo ille erat profeſsus tẽpore contractus, an verò monaſterio, ad quod poſteà legitimè tranſiuit, & in quo profeſsus fuerat tempore impletæ conditionis.

169 ℞. Deberi priori monaſterio, ſi conditio illa appoſita ſit caſualis, non pendens à voluntate illius,

cui

cui imponitur (qualis eſſet, *dabo tibi* 100. *ſi cras redierit pater meus;*) non item, ſi illa ſit poteſtatiua, pendens ſcilicet à voluntate illius, cum quo celebratur talis contractus (cuiuſmodi eſſet, *promitto tibi* 100. *ſi veneris ad me cras.*) ita *Bonac. ſup. n.* 21. & ante illum *Sanch. num.* 42. & 43. pateteque quia in contractibus initis ſub caſualibus conditionibus non inſpicitur tempus impletæ conditionis, ſed cōtractus quò ad tranſmiſſionem, & ius acquirendi, vt expreſsè habetur *l. ſi filius fam.* 78. *ff. de verb. oblig. & reg. qua legata* 18. *ff. de reg. iur.* in contractibus verò initis ſub conditionibus poteſtatiuis nō inſpicitur niſi tempus impletæ conditionis, ſi quidem conditiones caſuales retrotrahuntur, non item poteſtatiuæ; vt habetur *l. qui balneum* 9. & *l. potior* 11. *ff. qui potiores in pign. haben.*

QVÆRES LI. An ſi Religioſus profeſſus vnius ordinis legitimè tranſiens ad alium debeat in iſto facere nouum nouitiatum.

170 ℞. Debere. ita *Sanch. l.* 5. *mor. cap.* 4. *num.* 12. alijque ab ipſo citati, & patet ex dictis in *tract. præced. cap.* 1. *q.* 13.

QVÆRES LII. An Religioſus tranſiens de vna in aliam religionem debeat emittere nouam profeſſionem in religione, ad quam ſe transfert.

171 ℞. Debere: & quidem etiam in caſu, quo eiuſmodi tranſitus ſit ab vna familia in aliam eiuſdem ordinis, (vt in ordine Minorum à Conuentualibus ad Obſeruantes, aut Capuccinos, vel è contrà.) ratio autem eſt, quòd, licèt iſtæ religiones cenſeantur vna ratione regulæ, ac Fundatoris, ſimpliciter tamen ſunt diuerſæ, habentque diuerſas auſteritates, aut ſaltem diuerſum modum viuendi, ideòque neceſſe eſt, vt qui ab vna earum tranſit ad aliam, ibi nouam faciat profeſſionem; maximè, cùm prior profeſſio non poſſit efficere, vt religioſus translatus dici poſſit religioſus poſterioris religionis, ad quam tranſijt; cùm iſta ſit diuerſa ſpecie infima à priori, eſtò ambæ conueniant in ſpecie, (vt ſic loquar) ſubalterna. quæ ratio à fortiori probat profeſſionem faciendam eſſe, quando tranſitus ſit ab vno ordine ad alium omninò diuerſum: præſertim, cùm in *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Regul.* generaliter præcipiatur fieri profeſſionem in quacumque religione, adeòque decretum illud extendi videatur ad præſentem caſum: & alias etiam miles, vt fruatur priuilegio militari, teneatur promittere ſe ſeruaturum ea omnia, quæ alij eius commilitones promiſerunt. ita *Miranda p.* 1. *qu.* 31. *ar.* 22. *Nauarrus l.* 3. *conſ. de reg. conſ.* 3. *num.* 1. & *conſ.* 49. *n.* 2. *Lezana tom.* 1. *cap.* 22. *num.* 16.

CAPVT VI.

De principalioribus Obligationibus, quæ vi Profeſſionis Religioſæ mutuò conſurgunt inter Religioſum profitentem, & Religionem acceptantem eius profeſſionem, & è contrà.

CVm profeſſio Religioſa ſit contractus oneroſus, vltrò citròque obligatorius, per quem Religioſus profitens ſe ipſum obligat Deo, ac Religioni, & Religio viciſſim ſe obligat ad eum tanquam membrum ſuum alendum, conſeruandum, & iuxtà ſuum inſtitutum gubernandum, vt *tradunt communiter DD.* hinc fit, quòd plures, & variæ obligationes vi profeſſionis oriuntur inter Religionem, & Religioſum, & inter Religioſum, ac Religionem; de his autem agemus in præſenti cap. in 2 Sectiones diuidendo; in quarum 1. agemus De Obligationibus, quibus tenetur Religio ergà Religioſum. In 2. De ijs, quibus tenetur Religioſus ergà Religionem.

SECTIO I.

Quæ, & quales ſint Obligationes, quibus tenetur Religio ergà Religioſum.

1 *PRælati Regulares debent procurare bonum ſubditorum, & maximè bonum ſpirituale.*
2 *Tenentur ijs miniſtrare Sacramenta.*
3 *Et quidem etiam cum periculo vitæ, ſed non ſemper.*
4 *Idque procedit de Prælato inferiori in defectum Superioris.*
5 *Tenentur item curare obſeruantiam regularum.*
6 *Debent corripere, & punire ſubditos.*
7 *Immò ad talem effectum diſquirere debent eorum defectus, ſed diſcretè.*
8 *Non poſſunt, nec debent eos exponere periculo peccandi; ſi quidem tale periculum ſit proximum.*
9 *Poſſunt illos cum teſtibus idoneis obſeruare, ſi ſuſpicionem habeant contrà eos de graui exceſſu.*
10 *Debent vacare reformationi Ordinis.*
11 *Dimittere nequeunt ab Ordine, niſi incorrigibiles.*
12 *In Soc. Ieſu, per ſe loquēdo, nō habet locū profeſſio tacita.*
13 *Habet tamen per accidens.*

Non

14 *Non tenentur Prælati eiectos redeuntes emendatos recipere.*

15 *At tenentur eos reuocare.*

16 *Subditis debent ſuppeditare neceſſaria.*

17 *Aliàs illi ſibi prouidere poſſunt ex bonis monaſterij; ſed non ſemper.*

18 *Ad competentem ſubditorum ſuſtentationem expedit, vt æs alienum contrahatur, ſi ſit neceſſarium.*

19 *Religioſo legitimè eiecto prouidendum eſt à patre ſi ei aliunde non prouideatur de neceſſarijs.*

20 *Prælati non tenentur religioſo eiecto prouidere de neceſſarijs.*

21 *Limita, ſi iuſtè eyciantur; ſecùs, ſi iniuſtè.*

22 *Non tenentur prouidere apoſtatis, aut fugitiuis, etſi ſenibus aut infirmis.*

23 *Apoſtatæ, ac fugitiui poſſunt reuocari ab extraneo ſumptibus Ordinis.*

24 *Si illi ſint ſenes, aut infirmi, Ordo ijs tenetur ex charitate de neceſſarijs alimentis.*

25 *Interdum religioſo cauſa pænitentiæ relegato in aliud monaſterium præſtari debent alimenta ab Ordine.*

26 *Non item religioſo tranſeunti ad Ordinem arctiorem.*

27 *Limita, niſi pro tempore nouitiatus.*

28 *Immò & in alio caſu, qui refertur.*

29 *Ordo non alit Religioſum Epiſcopum, ſi renuntiato Epiſcopatu, non habeat aliunde alimenta.*

30 *Item non tenetur alere religioſum aliunde prouiſum.*

31 *Prælati præſtare debent religioſis ſubditis neceſſaria ad ſtudendum, ſi ſint Ordinis vacantis ſtudijs.*

32 *Item & dare medicinas ordinarias infirmis, ſed non pretioſiſſimas.*

33 *Solui debent ſolita ſuffragia pro religioſis defunctis.*

34 *Soluenda etiam expenſæ pro eorum ſepultura.*

35 *Expenſis Ordinis, ſi ſufficiant moderatæ, redimendi religioſi captiui.*

36 *Non omnia debita à religioſo contracta poſt profeſſionem, ex monaſterij bonis extinguenda.*

37 *At ſoluenda, etiam facta ante profeſſionem, ſi monaſterium ſit hæres religioſi, qui illa contraxit.*

38 *Soluenda item à monaſterio debita facta à religioſo degente in ſcholis, non autem facta ab apoſtata, vel fugitiuo.*

39 *Ordo non tenetur ex contractu indebitè facto à religioſo: quippe qui claudicat: etſi claudicatio non diuidat ipſum contractum.*

40 *Item non tenetur ſemper ſubuenire parentibus religioſi indigentibus.*

41 *Secùs quò ad filios, niſi pater dimittatur ad tempus, vt ſubueniat.*

42 *Non tenetur ſubuenire egeſtati fratrum, aut ſororum.*

43 *Et hæc procedunt de religioſis Societ. Ieſu votis biennij adſtrictis.*

QVÆRES I. Qualiter Religio per Prælatos Regulares teneatur procurare bonum tam ſpirituale, quam temporale ſuorum Religioſorum.

1 ℞. Teneri procurare vtrumque; ita tamen, vt ſemper præferatur bonum ſpirituale temporali. & ratio eſt, quòd, cùm finis ſtatus religioſi ſit acquiſitio perfectionis, & ad hunc finem fideles ingrediantur religionem, ibique profiteantur: religio debet illis ſuppeditare media neceſſaria, & quidem non ſolùm ſpiritualia (qualia ſunt diligens, ac prudens inſtructio, regularis diſciplinæ conſeruatio, Sacramentorum adminiſtratio, opportuna correctio, & vigilans gubernatio,) ſed etiam temporalia, tribuendo illis neceſſaria ad victum, ac veſtitum, ſine quibus præſens vita ſeruari nequit: idque non tenaciter, & parcè, ſed abundanter, & liberaliter, pro vt ferunt redditus annui, aut eleemoſynæ ordinariæ monaſterij; quamquam ſemper potior ratio haberi debeat boni ſpiritualis, illudque in primis habendum ſit præ oculis, ac ſolicitiùs procurandum iuxtà Chriſti conſilium *Matth. 6. v. 33. quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis*: alioqui præparatio mediorum, & quidem etiam ſecundariorum (cuiuſmodi eſt in noſtro caſu temporalium ſuppeditatio) præferretur fini principaliter intento; quod ſine dubio eſt contra omnem rationem, etiam naturalem.

QVÆRES II. An Prælati regulares teneantur miniſtrare Sacramenta Religioſis ſubditis, etiam cum periculo propriæ vitæ, vt tempore peſtis.

2 ℞. Teneri, ſiue per ſe, ſiue per alium ab ipſis ſubſtitutum, ideòque ipſos non poſſe ea ſine peccato mort. denegare, quandocumque ſubditi illa rationabiliter petunt, ipſique ſine proprio incommodo graui ea poſſunt miniſtrare: immò poteſt contingere, quòd ipſi ad id teneantur etiam cum graui periculo vitæ nimirùm in eo caſu, in quo DD. dicùnt Parochum, teneri ſub peccato mort. ea miniſtrare ſuis parochianis, etiam cum periculo vitæ: eſt enim par ratio de vtroque, vt mox dicemus. probatur autem reſponſio ex eò quòd Prelatus regularis eſt quaſi Parochus monaſterij, cui præſidet; ſicut ergò Parochus iure diuino tenetur miniſtrare Sacramenta ſubditis, vt expreſsè habetur in *Concil. Tridentin. ſeſſ. 23. cap. primo de reformat.* his verbis. *Cùm præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere*: ita & hoc idem tenebitur præſtare Prælatus regularis quò ad religioſos ſubditos; idque illo eodem genere obligationis, quo Parochus tenetur ea miniſtrare ſuis parochianis. Vnde fit, vt, quemadmodum

Parochi tenentur ex officio miniſtrare Sacramenta ſuis ſubditis, quotieſcumque iſti ea petunt rationabiliter, & illi abſque graui incommodo poſſunt ea adminiſtrare (vt tradunt *Sotus Nauarr. Azor. & Tol. apud Poſſeuinum de Offic. Curati cap.5. quæſt. 7.*) ſic & Prælati regulares teneantur ea miniſtrare proprijs ſubditis; quoties illi ea petunt rationabiliter, & ij ſine notabili incommodo poſſunt illa præbere; cum hac tamen differentia, quòd ſicut religioſus ratione ſtatus tenetur magis frequentare Sacramenta, quam vir ſæcularis, ideòque ea frequentius petere poteſt rationabiliter; ita Prælatus regularis poteſt frequentius obligari ad miniſtranda illa religioſis ſuis ſubditis, quàm regulariter obligetur Parochus quo ad ſuos parochianos; & quidem ſub peccato mortali in ijs caſibus, in quibus reſpectiuè obligaretur Parochus quo ad proprios ſubditos, nimirum quando religioſus iuſtam habet rationem petendi Sacramentum, & Prælatus abſque ſuo graui incommodo poteſt illud miniſtrare; peccat quippe contra proprium officium, & in re graui, vt patet. qua de re *Bordon. reſolut. 2. numer.25.*

3 Quod verò Prælati regulares, etiam cum periculo propriæ vitæ teneantur in aliquo caſu miniſtrare Sacramenta religioſis ſubditis; conſtat ex doctrina, quam tradunt communiter DD. apud *Sanch. l. 6. mor. cap. 2. numer. 55.* videlicet Parochum tempore peſtis non poſſe fugere à ſua paræcia, ſed teneri ex iuſtitia miniſtrare proprijs Parochianis Sacramenta neceſſitatis; ſi ij ſint in probabili periculo mortis, & non adſit alius, qui ea adminiſtret; tale autem regulariter eſt Sacramentum penitentiæ exiſtenti in peccato mortali (vt ſupponunt communiter DD. & maximè *Peyr. de R. P. quæſt.1.cap.7.nume.16.* docens ex *Maldero* Prælatum non eximi à tali obligatione ex eo quòd probabiliter ſperet ſubditum exiſtentem in peccato mortali eliciturum eſſe actum contritionis, ſicque rediturum in gratiam:) tale eſt Sacramentum Euchariſtiæ iuxta *Syluium Nugnum Villal. Rodriq.* & alios relatos à *Diana p. 3. tractat. 4. reſol.174.* vnà cum *Armil. Suar. & Molfeſ.* qui tamen oppoſitum ſuſtinet cum *Maiore in 4. ſent. d.7. q. vlt. & d.23. q.1.* quem ſequuntur *Marchin. Philiarc. Maiol. Benzon. & Tab.* allegati ab eodem *Diana p. 5. tract.9. reſolut. 53.* non diſſentiente; quamuis dicat hanc opinionem intelligendam eſſe, vbi Parochus peſtilentum confeſſiones audiuit, & abſoluit: ſecùs, ſi infirmus non valuit confiteri, quia amiſit loquelam, vel eſt ſurdus, vel ſi adſit tantum Diaconus pro adminiſtratione huius Sacramenti: tunc enim miniſtranda eſt à Parocho Euchariſtia; cum ſic ea ſit neceſſaria ſimpliciter. tale tamen non eſt Sacramentum Extremæ Vnctionis ſecundum communem DD. ſententiam, quam dicit *Molfeſ. tom.1. ſum. tract.4. cap. 3. numer. 51.* poſſe Parochos ſequi tuta conſcientia, ſi alioqui infirmus peſte infectus confeſſus ſit: quod etiam docent plures alij ſuſtinentes in tali caſu Parochum non teneri cum periculo vitæ miniſtrare extremam Vnctionem, cùm ſic ea non ſit Sacramentum neceſſitatis, neque ſit in præcepto, eſtò alias ſit vtilis, vt benè aduertit *Villal.* adductus à *Diana p. 3. tr.4. reſolut. 174.* vnde quis benè inferat, quòd ſi parochianus in periculo mortis non poſſit recipere aliud Sacramentum, niſi extremam Vnctionem, tunc tenetur Parochus eam ipſi miniſtrare etiam cum periculo mortis; eo quòd in tali caſu ea ſit Sacramentum neceſſitatis, vt patet. In his inquam, caſibus tenentur Parochi, etiam cum periculo probabili mortis miniſtrare Sacramenta proprijs parochianis de vita periclitantibus; idque ratione officij ad id ipſos obligantis ex iuſtitia, vt innuitur tum Io; 10. *Bonus paſtor dat animam ſuam pro ouibus ſuis:* tum *l. 1. Io; 3.* ſ*icut Chriſtus animam ſuam pro nobis poſuit, ſic & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Et ſi in his caſibus tenentur Parochi ſuis parochianis miniſtrare Sacramenta, etiam cum periculo vitæ; in his tenentur & Prælati regulares ea miniſtrare cum eodem periculo Religioſis ſubditis, alias morituris ſine illis; cum ſit par ratio de vtriſque, ſtante quòd Prælati regulares verè ſunt Parochi reſpectu religioſorum ſubditorum, ideòque tenentur eorundem Parochorum obligationibus, quarum potiſſima eſt Sacramentorum adminiſtratio.

Difficultas hic eſſe poſſet, an caſu, quo Prælatus localis monaſterij teneretur in propoſito caſu miniſtrare Sacramenta proprio ſubdito ex metu mortis ad hoc idem ſub eadem obligatione teneretur Prælatus prouincialis, aut etiam Generalis, ſi fortè tunc adeſſent in monaſterio.

4 ℞. Teneri, non ſecus ac Epiſcopi, deficientibus Parochis, aut alijs miniſtris ſubſtitutis tenerentur, etiam cum periculo vitæ miniſtrare Sacramenta ſuis diæceſanis; quippequi etiam ipſi ſunt Parochi mediati totius ſuæ diœceſis, ac proinde in defectum immediatorum Parochorum ſubijciuntur eorum obligationibus: inter quas vtique primum habet locum Sacramentorum adminiſtratio. conſtat autem Prouinciales, ac Generales religionum quo ad religioſos ſubditos reſpectiuè æquiparari Epiſcopis reſpectu ſuarum diæceſum, ideòque etiam illos verè eſſe & dici poſſe Parochos mediatos ſuorum ſubditorum; vnde mirum non eſt eos in defectum Prælatorum localium, qui ſunt Parochi immediati monaſterij, cui præſunt, teneri miniſtrare Sacramenta proprijs ſubditis etiam cum periculo vitæ in ijs omnibus, in quibus Epiſcopi tenerentur iuxtà ſupra dicta quo ad proprios diœceſanos: eſt enim par ratio de vtriſque.

QVÆRES III. Qualiter teneantur Prælati regulares procurare obſeruantiam Regularum, & Conſtitutionum proprij Ordinis.

5 ℞. Teneri ſub peccato m. & quidem etiam in caſu quo eæ non obligent ad vllum peccatum, aut certè ſo-

ſolum ad veniale. ita *Nald. v. Prælatus regul. n.* 1 1. *& cum eo Peyr. de R. P. q.* 1. *c.* 7. *nu.* 15. dicens Prælatum non docentem, non monentem, non corrigentem, ſed conniuentem, diſſimulantem ſubditorum peccata, vel ob pigritiam, vel ob verecundiam, &c. m. peccare, & eſſe dignũ furca, iuxta illud *Num.* 25. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulo.* Ratio reſponſionis eſt, quod Prælatus regularis ratione officij tenetur pro viribus procurare progreſſum religionis: is autem maximè pendet ex perfecta regularum, ac conſtitutionum obſeruantia; ſed de hoc commodius in *tract. de oblig. c.* 2. *q.* 4 1. interim conſulatur *Sanch. l.* 1. *mor. c.* 6. *n.* 19. qui noſtram aſſertionem in terminis ſuſtinet.

QVÆRES IV. Quomodo teneantur Prælati regulares corripere, immò & punire religioſos ſubditos in caſu, quo delinquant.

6 ℞. Teneri, & quidem etiam ſub peccato m. ſicut innuit *S. Auguſt. ſerm.* 16. *de verb. Dom.* dicẽs *ſi neglexeris* (i. corrigere) *peior es* (i. delinquente) *& S. Greg. hom.* 11. *in Ezech.* dum ait, *Penſandum eſt, quantum ſibi connexa ſunt peccata ſubditorum, atque præpoſitorum, quia vbi ſubiectus ex ſua culpa moritur, ibi is, qui præeſt quoniam tacuit, reus mortis tenetur;* cuius rei ea ratio eſſe poteſt, quòd, cum Prælatus ex officio teneatur maximè inſiſtere in obſeruantia regularum (vt vidimus *q. præcedenti*) & ad hanc potiſſimum conferat correctio delinquentium; hoc ipſo quod ille tenetur procurare obſeruantiam regularum tanquam finem, tenetur & adhibere correctionem tanquam medium ad finem in primis neceſſarium iuxtà regulam; *Qui vult finem, vult conſequentia ad finem.* quod ita eſt verum vt *Rodr. & Comme.* citati à *Diana ſup. tr.* 2. *reſol.* 38. dicant certum eſſe Superiorem regularem teneri in ſuis ſubditis corripere peccata, etiam venialia, quando aliàs imminet periculum, ne diſciplina religioſa magna ex parte diſſoluatur: quod item admittunt *Mir. Iamner. Villal. & Thom. à Ieſu relati ab eodem Diana.*

7 Immò, (quod maius eſt) *S. Tho.* 2. 2. *qu.* 33. *a.* 2. *ad* 4. alijque cum eo docent Prælatum regularem teneri non ſolùm corrigere peccata, quæ caſu videt committi à proprijs ſubditis, aut aliunde cognoſcit, ſed teneri inquirere mores ſubditorum, vt videat, num committant aliqua digna correctione; alioqui ſæpè delicta ſubditorum manerent impunita, cùm ij facilè poſſint ſibi cauere, ne delinquant coram Superiore, ſibique perſuadere eum non cogniturum ipſorum delicta, niſi modo dicto in eos inquirat: vnde & ipſi euaderent pœnas promeritas, & vigor religioſæ diſciplinæ omninò diſſiparetur. Quamquam ſedulò cauendum eſt Prælato regulari, ne in hoc ipſo ſit nimius, ideſt nimis anxius, & ſolicitus in facienda dicta inquiſitione: quod benè aduertit *S. Benedictus in ſua regula cap.* 64. vbi loquens de Abbate ait: *Non ſit turbulentus, & anxius: non ſit nimius, non ſit zelotypus, & nimis ſuſpicioſus;* ſic enim moleſtum, ac odibilẽ ſe redderet ſubditis, nec propterea intentum finem conſequeretur; cùm potiùs prudentia, & charitas dictent interdum à Superioribus diſſimulanda eſſe aliqua peccata leuiora, vt poſteà correctio cedat in maius bonum ſpirituale ſubditi correcti; vnde *S. Greg. Nazianz. orat.* 1. ait *In quibuſdam ad nonnulla conniuere ſatius fuerit; ita vt videntes non videamus, & audientes non audiamus: ne alioqui in eos nimis crebris obiurgationibus tanquam fluctibus obruentes ad deſperationem incitemus, ac diſſoluto tandem pudore, quod perſuaſionis pharmacum eſt, ad quoduis facinus audaciores reddamus.*

QVÆRES V. An Prælati regulares poſſint occupare religioſos ſubditos in occupationibus, quæ, licèt aliàs ſint ſanctæ, ipſis tamen afferunt occaſionem delinquendi, vel certè teneantur ipſos ab illis remouere, & quo modo.

8 ℞. Teneri ipſos amouere, ſi ijs conſtet ſubditum eſſe ea affectuum prauitate imbutum, vt exercitium talium miniſteriorum illi deſeruiat in occaſionem proximam peccandi, & attenta ipſius fragilitate, non poſſit ſe liberare à peccato, niſi ei ſubtrahatur talis occaſio (vt ſi quis cõſtituatur procurator monaſterij, ideòque ratione officij cogatur pernoctare extra clauſuram, & quidem etiam ſolus, hincque ei præbeatur anſa peccandi:) teneri, inquam, idque non ſolum ex charitate, per quam vnicuique mandatum eſt de proximo ſuo: ſed etiam ex quaſi iuſtitia, ideſt ratione ſui officij obligantis Prælatum ad præferendum bonum ſpirituale ſubditorum bono temporali monaſterij: præſertim cum in religione benè inſtituta non deſuturi ſint alij, qui poſſint inſeruire monaſterio, etiam in eo munere abſque periculo peccandi, & non deſint alia miniſteria, in quibus ſine diſpendio proprij boni ſpiritualis exerceri poſſit ille alius Religioſus. Colligitur ex *Suar. tom.* 4. *de relig. tractat.* 8. *l.* 3. *cap.* 9. *numer.* 23. patetque tum ex dictis, tum quia iuxtà communem DD. ſententiam parentes peculiariter tenentur cauere, ne filij occaſiones peccandi habeãt proximas, Prælatus autem regularis eſt pater religioſorum ſubditorum; tum quia *Sotus l.* 10. *de iuſt. q.* 2. *a.* 2. *ad* 2. & cũ eo *Sanch. l.* 6. *mor. c.* 2. *n.* 53. docent religioſum, qui eſt ea affectuum prauorum peſte corruptus, vt prudenter timeat ſe ſuperatum iri, non teneri obedire Prælato, ei aliquod prælationis munus iniungenti. & hoc, ne cogatur manere in occaſione proxima delinquendi; quod ſi ſubditus licitè poteſt ſe ſubtrahere ab occaſione propinqua peccandi, vtique & Prælatus ex officio tenebitur eum amouere à tali occaſione: alioqui daretur bellum vtrinque iuſtum. Verum tamen eſt, quòd ſi occaſio delinquendi non ſit proxima, ſed ſolùm remota (qualis eſſet, ſi Religioſus expoſitus audiendis fœminarum confeſſionibus frequentem pateretur pollutionem, ab ipſo tamen non intentam, neque volitam) tunc, ſicut ipſemet religioſus non tenetur ſe ſubtrahere à tali occaſione, cùm non imputetur ius ſuum proſequenti effectus præter intentionem, & per accidens ſubſecutus: ſic nec Prælatus tenetur eum amouere à tali miniſterio: alioqui multæ actiones neceſſariæ, ac vtiles omittendæ eſſent; & laquei innumeri inijcerentur, vt benè aduertit *Sanch. lib.* 9. *de matr. D.* 45. *num.* 4.

An verò Prælatus regularis ſuſpicans de graui aliquo exceſſu Religioſi ſubditi poſſit eum obſeruare cum teſtibus idoneis, vt illum poſſit conuincere de tali exceſſu, corrigere, ac punire.

9 ℞. Poſſe: cùm hoc non ſit conniuere peccato

illius,: ſed vti eius malitia ad bonum ſpirituale tum religioſi illius particularis, tum totius religionis: quo modo etiam Deus permittit peccata ad maius bonum. ita *Sanch.l.10.de matr.D.12.n.52.* hinc colligens non peccare parentes, aut heros, qui filijs vel famulis non auferunt aliquam furandi occaſionem, cùm eos ad furandum propenſos norunt, vt ſic in furto deprehenſi reſipiſcant; quamuis *num.ſeq. cum Sà v.peccatum num.7.* neget contra *Nau. l.3. de reſt. cap.4.num.104. edit. noua* licere offerre ſupradictam occaſionem furandi eo animo, vt filij, aut famuli furentur; ſiquidem id non eſt ſolum permittere peccatum, ſed ei poſitiuè cooperari.

QVÆRES VI. An Prælati regulares teneantur reformare mores proprij Ordinis reſtaurando regulam collapſam.

10 ℞. Teneri; & probatur tum ex *Conc.Trid.ſeſſ.25. de regul.cap.1.* vbi dicitur *Omnes regulares tam viri, quam mulieres ad regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum vitam inſtituant, & componant*: & infra *omnis cura, & diligentia à Superioribus adhibeatur*; quæ verba, vt aduertit Rodriq. *to.2.q.63.a.3.* videntur imponere Prælatis religionum onus earum mores reformandi: cum ad ipſos pertineat præſcribere ſubditis quid agendum, quidue omittendum ſit: quod eſt eorum vitam inſtituere, & componere. vnde ſecundum *Nauarrum* (inquit *Rodriq.*) videtur culpa non obſeruandi prædicta in Prælatorum ignauiam, & negligentiam retorqueri, ad quod ipſi tenentur maximè aduertere, ſuam maximam in hoc obligationem conſiderantes. Confirmatur ex eo quod iuxtà dicta *quæſt 3.* Prælati tenentur ex officio procurare progreſſum religionis, eiuſque conſeruationem: ad hoc autem maximè confert inſtauratio regulæ collapſæ, & reformatio morum, vt patet; quo modo autem induci debeat talis reformatio, conſtat ex dictis *tract.1.cap 5.q.5. & ſeqq.*

QVÆRES VII. An religio teneatur ex iuſtitia retinere religioſum profeſſum, ſiue expreſsè, ſiue etiam ſolùm tacitè; ita vt non poſſit eum dimittere abſque grauiſſima cauſa, qualis iure communi eſt ſola incorrigibilitas.

11 ℞. Teneri; patetque ex eo quòd, cum profeſſio religioſa iuxtà dicta ſub initium huius capitis ſit contractus vltro, citroque obligatorius, obligans ſcilicet religioſum religioni, & e contra: neceſſe eſt, vt æqualis ſit conditio vtriuſque contrahentis, ideòque ſicut religioſus vi profeſſionis adſtringitur manere in religione, velit, nolit; ita etiam religio cogatur illum detinere, præter quam in caſu iure permiſſo; aliàs contractus claudicaret, & conſequenter eſſet iniuſtus; vt benè oſtendit *Suar.to.3. de relig.l.6.c.21.n.5.* & quidem in ſpecie loquendo de profeſſo profeſſione tacita; id inde confirmans, quod abſurdum eſt aliquem eſſe verum religioſum & ad eum ſtatum omninò obligatum, & tamen nullam religionem teneri illum retinere abſque vlla ipſius culpa. quod ita eſt verũ, vt (ſicut diximus *cap. prec.ſect.1.q.2.§.dixi*) in Societate Ieſu, quæ in hoc maiorem habet libertatem, non poſſit dimitti religioſus, etiam ſolis votis ſimplicibus adſtrictus ſine iuſta cauſa, & ſi aliter dimittatur, dimiſſio ſit & illicita, & inualida: nobiſcũ ſentit *Sanch.l.6.mor.c 9.n.7.*

Quod ſi hac occaſione quæras, an in Scholaribus Societatis habeat locum tacita profeſſio, ſeu incorporatio; de qua plura diximus *cap.1.q.3.*

12 ℞. Quòd licet talis incorporatio admitti poſſet in Societate iuxta iuris præſumptionem, ſi ſolum conſulatur ius commune, vt rectè probat *Suar. to.4.de relig.tr.10.l.3.c.8.n.2.* ſi tamen conſideretur ius proprium Societatis, eiuſque inſtitutum diuerſum ab alijs religionibus, & vſus, ac modus procedendi illius, oppoſitum ſuſtinendum eſt: nempe in Societate non dari in caſu propoſito tacitam incorporationem, ſaltem per ſe, & regulariter loquendo. Ducor, quod in Societate tempus nouitiatus non eſt ita reſtrictum ad biennium, vt iudicio Superioris non poſſit vlterius protrahi; pro vt habetur in *5.p.Conſt.Soc.c.1.n.3. & c.1.examinis nu.12.* & ideo perſeuerantia vltra biennium in quocumq; genere actionis non eſt per ſe ſignum ſufficiens incorporationis (quo modo iure communi eſt in alijs religionibus elapſo anno nouitiatus,) item in Societate poteſtas admittendi ad vota biennij non reſidet penes Conuentum, ſeu Collegium (vt in alijs Ordinibus) ſed regulariter eſt commiſſa Prouinciali; ſicque donec ipſe expreſsè conſentiat, ſaltem, ſi abſit ab eo loco (quo caſu certè dici non poſſet fieri tacita admiſſio, eo ſciente, & conſentiente) non cenſebitur quis incorporatus Societati, et ſi diutius in ea permaneat: item in Societate sũt varij gradus poſt nouitiatũ, ac proinde determinãdũ eſt, ad quẽ illorum admittatur nouitius; ꝙ tamẽ per ſolam tacitam admiſſionem non rectè fit: denique in Societate adeſt conſuetudo, vt ſcholares approbati bis in anno vota ſua expreſsè renouent eadem forma, qua illa primò emiſerunt; ad quem actum cum eis faciendum nullus admittitur, qui priùs non fuerit expreſsè incorporatus iuxtà *c.4.p.4.Conſtit.Soc.§.5.* quamdiu ergò nouitius non admittitur ad renouanda vota publicè cum Scholaribus, non cenſetur incorporatus ipſi Societati, neque tacitè, neque expreſsè: &, ſi admittatur ad talem actum, cùm verè priùs vota expreſsè non emiſerit, ex tunc cenſebitur incorporatus, non tacitè, ſed expreſsè: quamuis reſpectu illius eiuſmodi admiſſio non poſſit dici renouatio votorum, ſed noua emiſſio, & admiſſio. ita *Suar. vbi ſup.n.3.& 4.ex Nau.comm.4 de reg.n.76.*

13 Dixi in reſponſione, *ſaltem per ſe, & regulariter loquendo*, vt innuerem interdum ex accidenti poſſe accidere, quòd in Societate locum habeat tacita incorporatio, præſertim ſi præcedat admiſſio expreſſa ex defectu alicuius conditionis nulla: vt ſi quis ante annum 16. ætatis expletum emittat vota ſcholarium; cùm enim iuxtà *Conc. Trid.* talis incorporatio ſit nulla, in tali caſu ſuppleri poſſet defectus per tacitam incorporationem, non ſecùs ac in alijs Ordinibus ſuppletur per profeſſionem tacitã; concurrente tamen ſcientia, & voluntate illius, qui ſic debet incorporari. ratio eſt, quòd in præſenti euentu præceſſit admiſſio ſufficiens, & ex parte religionis interuenit conſenſus de ſe ſufficiens, & ſatis expreſſus, qui cùm maneat, quamdiu non retractatur, per complementum ætatis, quæ deerat, incipit habere effectum, religioſo ipſo ſemel conſentiente; quod ipſe ſe præſtare ſufficienter indicat in eodem ſtatu vitæ perſeuerando poſt completam ætatem; ſicut benè aduertit *Suar.n.5.*

Quòd

Quòd ſi quæras, an religio teneatur recipere iterum religioſum legitimè eiectum, ſi ille reſipiſcat, & emendetur, petatque denuò recipi.

14 ℞. Probabile eſſe non teneri ob ea, quæ adducit *Sanctarell. tr. de apoſtaſia c. 5 nu. 18.* & nos afferemus in *tract. de priuil. cap. 8. sect. 2. quaſt. 12.* quod eſt contra *Molin. Leſſ. & Cordub. Nau.* & alios citatos à *Sanctarello*.

Vtrum autem religio teneatur quærere, ac reuocare religioſos eiectos, aut fugitiuos, & quo modo.

15 ℞. Teneri ex *cap. fin. de regul.* vbi id expreſsè præcipitur: intellige eo modo, quo dicemus in *citata tract. de priuil. cap. & sect. citatis q. 12.* interim qui vult conſulat *Sanctarellum n. 2. & 3.*

QVÆRES VII. An, & quo modo teneatur religio ſuppeditare ſuis religioſis neceſſaria ad victum, veſtitum, habitationem, medicinas, &c.

16 ℞. Teneri, & quidem potiùs largè, & abundanter, quam parcè, ac diminutè; ſtante quòd iuxtà effatum S. Bernardi relatum à *Perez in reg. S. Benedicti cap. 32. n. 7. Vbi non eſt abundantia, non eſt obſeruantia*; & vt habetur in *pſalmo 58. ſi non fuerint ſaturati, & murmurabunt*: teneri, inquam, & non ſolum ex charitate, aut fidelitate, ſed ex iuſtitia; vt in terminis docet *Peyr. de R. P. q. 1. cap. 5. num. 59. ex P. Nau. & Fagund.* probatur autem reſponſio tum quia 1. *Cor. 9. qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui altari deſeruiunt, cum altari participant; ita & Dominus ordinauit eos, qui Euangelium annunciant de Euangelio viuere*; cùm ergò religioſi in ſacrario operentur, altari deſeruiant, & Euangelium annuncient, ſaltem indirectè, conſtat eis deberi neceſſaria alimenta, ipſorum ſtatui, ac conditione proportionata; tùm quia religioſi in iure computantur inter filios reſpectu ſuorum monaſteriorum; ſicut benè aduertit *Fagund. in 7. præc. decal. l. 7. cap. 5. num. 1. ex Nau. Sanch. & Rebell.*, conſtat autem filijs deberi alimenta proprio ſtatui congrua: tum quia vt dixi, initio huius cap. in profeſſione religioſa initur reciprocus contractus inter religioſum profitentem, & religionem admittentem eius profeſſionem, quo ille ſe obligat ad inſeruiendum religioni, ſicque ei per omnia ſubijcit in perpetuum; religio verò ſe obligat ad illum alendum, regendum, retinendum, ac tractandum tanquam filium; at omnis contractus eſt vltro, citroque obligatorius; ergò: tum quia bona monaſteriorum dantur à fidelibus in ſuſtentationẽ religioſorum, qui in ijs degunt, adeòque iſti ius habent ad illa, & monaſterium ipſum habet obligationem ea illis diſtribuendi iuxtà propria ſtatuta, & communem Ordinis conſuetudinem: quod ſi non diſtribuat, violat ius, quod modo ſupradicto habent religioſi in ea: quæ duæ vltimæ rationes probant alimenta debere religioſis ex iuſtitia, non autem ſolùm ex charitate, aut fidelitate: quod nos innuimus in reſponſione, & ſatis clarè videtur innuere etiam *Leſſ. l. 2. c. 41. n. 67.* alijque citati à *Peyr n. 58.*

17 Ex quo bene inferunt *P. Nau. l. 3. de reſt. cap. 1. nu. 201. Clau. Reg. l. 9. cap. 16. nu. 20. Fagund. ſup. num. 38.* & alij, quod ſi religioſus verè indigeat re aliqua ex deputatis ad vſum communem, & ſuam proponat indigentiam Superiori: iſte verò nolit ei prouidere: poteſt ille eam rem occultè accipere. & ratio eſt, quod ea deputantur ad vſum communem, vt ex illis conſulatur occurrenti neceſſitati Religioſorum ſuam indigentiam manifeſtantium Superiori; qui cùm ſit, non dominus, ſed diſpenſator, iniuſtè ea illis denegat, ideòque ipſi poſſunt vti iure ſuo; præſertim attenta doctrina *Suarez to. 3. de relig. l. 6. cap. 9. num. 28.* quod perinde eſt habere Prælatum abutentem ſua poteſtate, ac illum non habere: vnde fit, vt ſicut, abſente Prælato, poſſet religioſus ſubditus conſulere propriæ neceſſitati ex bonis communibus monaſterij; ſic etiam poſſit, eo præſente; quod ſine dubio non eſt exercere actum dominij, ſed ſolùm ſibi aſſumere vſum rei neceſſariæ, qui voto paupertatis non repugnat; vt notauit *Clauis Reg. & Fagund. locis ſup. allegatis*, quem citat, & ſequitur *Peyr. nu. 59.* vna cum *P. Nau.* monens tamen in tali caſu cauendum eſſe, ne quidquam ſumatur vltra præciſam neceſſitatem quod eſt bene aduertendum.

Vtrum verò Prælatus regularis ad ſubleuandas proprij monaſterij neceſſitates poſſit, & debeat facere aliqua debita, ſi ipſum monaſterium ex aliquo accidenti non habeat ad id ſufficientes redditus, aut eleemoſynas.

18 ℞. Quod, licèt Superior regularis quàm maximè cauere debeat, ne ſuum monaſterium grauet ære alieno ob plura incommoda, & mala, quæ hinc ſequuntur: puto tamen interdum expedire potiùs grauare monaſterium aliquibus debitis, quàm, minùs ſufficienter prouidendo neceſſitatibus ſubditorum, ijs præbere anſam detrahendi de Superioribus, conquerendi de Officialibus monaſterij, inducendi proprietatem, ſicque diſciplinam regularẽ penitus euertendi: vt proinde cuidam Superiori locali glorianti ſe in ſuo gubernio nullum debitum contraxiſſe, immò ex redditibus monaſterij ipſi ſuperfuiſſe aliquot centenaria aureorum, prudentiſſimè reſponderit ſapientiſſimus Generalis illius Ordinis: *quin ego mallem, vt potiùs grauaſſes monaſterium ære alieno aliquot centenariorum aureorum, quàm quòd tuis ſubditis anſam præbuiſſes, tot & tantarum querimoniarum, ac detractionum.* ſic ille, & nõ minùs prudẽter, quàm piè: cum certa conſtet experientia nihil magis conducere ad promouendam regularem obſeruantiam, quàm ſubditis neceſſaria abundanter miniſtrare; vnde, inquit *Peyr. ſup. videmus quòd omnes religiones obſeruantes neceſſaria abundanter ſubditis miniſtrant, & ideo ſemper exiſtimaui ad reformãdas religiones eſſe hoc unicũ remediũ*: Quamquã, vt rectè aduertit idẽ *Peyr.* & cauit etiã S. Cong. in *decreto de celebrat. Miſſar. §. poſtremò* in caſu, quo redditus, aut eleemoſynæ non ſufficiant ad debitam ſuſtentationem monaſterij, magis conduceret minuere familiam: ſic enim non grauaretur monaſterium ære alieno, & alioqui poſſent miniſtrari neceſſaria Religioſis inibi degentibus.

19 Addo hìc obiter ex *Filliuc. tract. 28. p. 2. c. 2. num. 35.* quòd, ſicut Religioſo commoranti in cœnobio, & iam profeſſo non tenetur pater alimenta præſtare, cum ab ipſa religione illi ex obligatione ſuppe-

ditentur; ſi tamen ille è cænobio eijciatur, & non habeat, vnde viuat, pater obligabitur; quippe talis obligatio per profeſsionem non eſt penitus extincta, ſed tantùm ad tēpus dilata; quamdiu ſcilicèt in cænobio, vel aliunde ſuſtentatur, quod etiam docet in terminis *Azor. p. 2. l. 2. c. 4. q. 9.*

QVÆRES VIII. An religio teneatur præſtare alimenta religioſis legitimè eiectis, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum.

20 ℟. Non teneri, & quidem, etſi ij ſint Sacerdotes, aut habeant ordines ſacros. probatur tum ex inueterata conſuetudine omnium religionum huiuſmodi eiectis nihil alimenti tribuentium: tum quia ij dimittuntur in punitionem ſuorum defectum, Iudex autem non ſolet alere quos punit: tum quia ita decisum ſuit in parlamento Tholoſano in cauſa Io: Gentilij dimiſſi è Societate, & poſteà petentis alimenta coram Iudice; vt refertur in *decretis 7. Congre. gen. can. 3. n. 7.* tum quia iniuſtum videtur, quod religio maximos ſumptus efficiat in religioſis alendis, formandis, ac erudiendis in ſtudijs, & poſteà etiam eos alere teneatur poſt legitimam expulſionem: tum denique quia alioqui cū ij dimittantur in pænam ſuorum delictorum commodum reportarent ex delicto, fruentes alimentis religionis, & gaudentes libertate ſæculi. ita *Fagund. ſup. c. 6. n. 5.* monens quòd, cùm religio talibus eiectis relinquat vſum rerum, quas illi in ſæculo acquirūt, non poſſunt iuſtè conqueri ipſis denegari alimenta; præſertim, cùm vix poſſit dari, aliquem illorum non poſſe ſufficienter ſe ſuſtentare ſua induſtria, & opera; maximè ſi ſit Sacerdos; quo modo in reſponſione diximus religionem non teneri miniſtrare alimenta religioſis eiectis, etſi ſint Sacerdotes, aut habeant ordines ſacros.

21 Illud certè concedunt *Surd. de alimentis tit. 6. q. 35. n. 6. mol. to. 1. D. 140. Sanch. l. 6. mor. c. 9. n. 8.* & alij religioſum profeſſum iniuſtè expulſum poſſe compellere monaſterium ad præſtanda ei alimenta, & quidem non ſolùm futura, ſed etiam præterita, ſi ea mutuo accepit; ijs ſi quidem iniuſtè ſpoliatur, vt potè ius habens ad illa; vnde fit, vt alens talem religioſum abſque animo donandi alimenta, poſſit ea repetere à monaſterio: quippe qui alendo illum, suppleuit defectum monaſterij ad id obligari iuxta dicta *q. 6.* adeoque cenſetur vtiliter geſſiſſe negotium ipſius monaſterij. Dixi, *ſi ea mutuo accepit*, vt indicarem quod notat *Sanch. ex Nau. & Azorio* monaſterium in caſu propoſito nō teneri ad alimenta pręterita, ſi religioſus opera ſua, vel alterius donatione ſe aluit: quo modo diſtinguit *Bartol.* de filio ſe alente *l. libertis la 2. §. 1. n. 1. ff. de aliment. & cibar. legat.* & ratio eſt, quòd, cùm monachus ſemper acquirat monaſterio, hòc ipsò quòd quis ſe ſuſtentat ex propria induſtria, aut alterius donatione; in rigore loquendo præſumitur ſe alere ſumptibus monaſterij, quod proinde non debet obligari ad vllam reſtitutionem.

QVÆRES IX. An religio teneatur præſtare alimenta religioſis apoſtatis, aut fugitiuis, ſaltem quando ratione morbi, aut ſenectutis non poſſunt ea ſibi comparare aliunde.

22 ℟. Regulariter non teneri; & patet tum quia frangenti fidem fides frangenda eſt, ideòque cùm religioſus apoſtata, aut fugitiuus fregerit fidem, qua religioni obedientiam, & obſequium promiſerat, par eſt, vt & ipſa religio non ſeruet ei fidem datam de præſtandis alimentis; tum quia eatenùs religio tenetur alere religioſum, quatenus ipſe illi inſeruit; hæc autem ratio ceſſat in noſtro caſu, vt patet; tum quia pater non tenetur alere filium ſua culpa diſcendentem, ergo nec religio religioſum fugientem. ita *Sach. ſup. numer. 21. ſanctarel. de apoſtas, cap. 3. nu. 22. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 11. §. 3. num. 4. Peyr. de R. P. q. 1. c. 5. n. 60.* alijque pénes ipſos; qui hinc benè inferunt monaſterium non teneri ſoluere expenſas ſactas à religioſo apoſtata, aut fugitiuo ad ſui ſuſtentationem; vt ſi mutuo accepit pecuniam, aut creditò obtinuit cibos à caupone, vel alio eos bona fide præſtantibus; ratio eſt, quòd monaſterium non tenetur ex contractu, aut delicto monachi, niſi quatenùs ipſum inde factum eſt ditius, aut certè contractus ceſſit in eius vtilitatem: neutrum verò in præſenti caſu concurrit; non primum, cùm monaſterium non teneretur alere talem religioſum, vt coſtat ex dictis; non ſecundum cum monaſterium ex ea ſuppeditatione alimentorum potiùs reportauerit damnum, eò quòd, ijs non ſuppeditatis, fortaſſe religioſus reſipuiſſet citiùs, vexatione dante intellectum.

23 Verum tamen eſt, quòd ſi Religioſus apoſtata, aut fugitiuus ab aliquo capiatur reuocādus ad monaſterium, aut ipſemet pænitentia ductus redeat; tunc religio tenetur de expenſis, & alimentis; cùm in priori caſu alter ex tuno vtiliter gerat negotium religionis, faciens id, quod ipſa tenebatur efficere: in poſteriori verò ipſe religioſus apoſtata, aut fugitiuus præuenit obligationem religionis, quæ tenebatur eum reuocare, adeòque mirum non eſt, quòd ab ea repeti poſſint expenſæ factæ in reditu. ita *Sanch. num. 22.* addens potiori iure religionem teneri ad alimenta, ac expenſas monachi fugitiui licitè fugientis, & ex cauſa iuſta, v. g. ad ſe præſentadum Superiori: ſi quidem vt docet idem *Sanch. num. 8.* monaſterium tenetur dare monacho expenſas neceſſarias ad litem, & iuxtà *cap. ex parte de accuſat.* debentur alimenta monacho accuſanti Abbatem, qua de re *Sylu. v. apoſtaſia q. 10.*

24 Dixi, *Saltem quando ratione morbi, aut ſenectutis non poſſunt ea ſibi aliunde comparare*; vt innuerem, quod monet *Peyrin. ſup. num. 60.* religionem ſcilicet non teneri quidem ex iuſtitia alere in ſenectute, aut morbo graui religioſum, qui diu apoſtatauit, pluraque commiſit ſcandala, teneri tamen ex charitate, quæ non quęrit quæ ſua ſunt, & operit multitudinem peccatorum.

QVÆRES X. An monaſterium teneatur miniſtrare alimenta religioſo ob ſua flagitia relegato in aliud monaſterium ad pænitentiam ibi faciendam.

25 ℟. Cum diſtinctione: vel talis religioſus profeſſus eſt in Ordine capaci bonorum in communi; & ſic, ſi ſuam hęreditatē alicui monaſterio dedit, hoc ei tenetur dare alimenta; tum æquum ſit, vt qui ſentit commodum, ſentiat & onus: ſecùs, ſi nullam tranſmiſit hæreditatem in monaſterium, tunc enim

ali-

alimenta debent ei præſtare à Prælato loci, in quo religioſus relegatus deliquit. Vel religioſus profeſſus eſt in ordine incapaci bonorum tam in communi, quàm in particulari; & ſic religioſus relegatus ali debet à monaſterio, in quod relegatur, taliſque videtur eſſe conſuetudo huiuſmodi religionum. ita *Rodriq. tom. 2. qu. 24. a. 2.* contrà *Abbatem in cap. vlt. de regul.* abſolutè aſſerentem talem religioſum debere ali expenſis illius monaſterij, in quo ipſe deliquit.

QVÆRES XI. An, & quando monaſterium teneatur miniſtrare neceſſaria alimenta religioſo tranſeunti ad religionem arctiorem.

26 ℟. Teneri, niſi fortè pro anno probationis; ſicubi poſitum eſt in conſuetudine, vt monaſterio ſuppeditentur alimenta nouitij. Ducor, quod per profeſſionem emiſſam in Ordine arctiori profitens deſinit eſſe religioſus prioris Ordinis, & conſequenter non manet amplius ei ſubiectus; ergò & ipſemet Ordo manebit liber ab obligationibus, quibus tenebatur ergà talem religioſum tanquam ſuum ſubditum: ergò & liberabitur ab obligatione ei miniſtrandi alimenta; cùm ſic ceſſet fundamentum talis obligationis, vt iam dictum eſt; quæ ratio probat intentum, etiam in caſu, quo religioſus eo modo translatus, eſſet inutilis poſteriori religioni: hæc enim ſibi imputare debet, quòd minùs cautè illum admiſerit ad profeſſionem, non proſpiciens in futurum, minuſque attendens eius ineptitudinem.

27 Dixi *niſi fortè pro anno probationis*: cùm enim religioſus trãſiens maneat religioſus prioris religionis, vſq; dum profiteatur in poſteriori, & per conſequẽs inſtar fidei retineat ius ad neceſſaria alimẽta; hòc ipsò quòd ijs de facto indiget pro anno probationis faciendæ in poſteriori religione, ea illi præſtari debent à priori ordine, qui ſine dubio non poteſt iuſtè ea ipſi denegare, eò quòd deſeratur à religioſo tranſeunte, cùm ſic ipſe vtatur iure ſuo, adeòque nullam priori religioni iniuriam inferat. ita viri docti à me conſulti, & benè.

28 Quòd ſi contingat monaſterium aliquod valdè relaxatum reuocari ad priſtinam Regulæ obſeruantiam, data optione monachis, ſiue in eo remanendi, ſiue tranſeundi ad aliud monaſterium eiuſdem ordinis, in quo minùs vigeat regularis diſciplina: ſi qui religioſi ex dicto monaſterio ad aliud commigrent, & aliàs futuri ſint inutiles cænobio, ad quod tranſeunt, à priori monaſterio debent eis præſtari alimenta: cum non ſit iuſtum, vt monaſterium poſterius ex tali tranſitu nullum reportans commodũ in hoc grauetur. ita *Sanch. ſup. num. 15. ex S. Anton. Sylu. Azor. & alijs* monens ſecùs dicendum, ſi religioſus tranſiens ſit vtilis; ſic enim currit regula, *qui ſentit commodum, debet ſentire & onus.*

QVÆRES XII. An religio teneatur præbere alimenta neceſſaria religioſo promoto ad epiſcopatum, aut aliam prælaturam ſæcularem, ſi renunciet epiſcopatum, ac prælaturam, nec aliunde habeat, vnde viuat iuxta ſtatus decentiam.

29 ℟. In rigore, non teneri; niſi ille redeat ad religionem, eiuſque obedientiæ, ac obſequio ſe iterum ſubijciat: patetq; ex dictis *q. præcedenti*, cùm in præſenti caſu militet eadem ratio, quatenus religioſus promotus ad Epiſcopatum, etiam poſt eius renuntiationem manet ſui iuris, liberque à ſubiectione religionis; & aliàs ex vi talis promotionis amiſerit ius, quod ipſe habebat ad recipienda neceſſaria alimenta à ſuo Ordine, & ad fruendum priuilegijs, & commodis alioqui ipſi competentibus: quod qualiter debeat intelligi, dicemus in *tract. de priuil. cap. 1. ſect. 4. q. 6.* Colligitur reſponſio ex *Rodriq. Sanch. & Portello* quos citat, & ſequitur *Pryr. in formul. lit. G. c. 6. n. 2.* qui cum dicat *n. 7. ex Rodriq. Sanch. Sa Laym. & Villalob.* religionem non teneri recipere talem religioſum poſt renuntiationem Epiſcopatus redeuntem, conſequenter etiam confirmat ipſam non teneri ſuppeditare ei alimenta, niſi de facto iterum recipiatur in religionem: quo caſu, ſicut ille iterum ſubijcitur religioni, ita & religio iterum contrahit obligationem eum alendi.

QVÆRES XIII. An religio teneatur neceſſaria alimenta tribuere religioſo aliunde habenti, vnde ea ſibi acquirat abundanter, v. g. ex pingui ſtipendio alicuius cathedræ, aut ex peculio ipſi à Prælatis conceſſo, &c.

30 ℟. In rigore non teneri; & probatur tum quia cùm acquiſita monacho re uera acquirantur monaſterio, & tranſeant ſub ipſius dominium, monaſterium ipſum cenſetur alere religioſum hoc ipſo quòd ſinit eum vti illo ſtipendio, aut peculio: vnde religioſus non poteſt de rigore iuris conqueri, cùm verè alatur ex bonis monaſterij; tum quia obligatio quam habet monaſterium alẽdi ſuos religioſos vtique nõ eſt maior ea, quam habet pater erga filium: at obligatio patris erga filium ceſſat, quandocumque filius habet aliunde, ex quo viuat; vt ex *l. ſi quis à liberis §. ſed ſi filius ff. de lib. agnoſc.* tradit, multis alijs citatis, Couar. in *4. decretal. p. 2. c. 8. §. 6. n. 12.* ergo & ceſſabit eadem obligatio reſpectu monaſterij quoad ſuum religioſum; idq; de rigore iuris: cum enim vbi ſummum ius, ſumma iniuria, non eſt æquum, vt religio hac in re procedat cum tanto rigore; maximè, ſi ſtipendium cathedræ non ſit adeò pingue, & peculium ſit tenuius, ita vt detractis neceſſarijs alimentis parum, aut nihil ſuperſit, quod pro ſuo arbitrio expendat in vſibus licitis; ſi quidem id eſſet valdè durum, nimiamque argueret tenacitatem in Prælato regulari cum graui offenſione religioſi, de cuius intereſſe ageretur; vnde in ſimili caſu puto procedendum eſſe cum magna circumſpectione.

QVÆRES XIV. An religio teneatur ſuppeditare religioſis neceſſaria ad hoc vt poſſint vacare ſtudijs, v. g. emendo libros, conducendo magiſtrum, ſubminiſtrando pecuniam requiſitam ad lauream doctoratus comparandam, ad imprimendas theſes publicè defendendas, & ſimilia.

31 ℟. Teneri; ſi religio ſit ex ijs, quæ ratione ſui inſtituti vacant ſtudijs, & religioſus aliunde non habeat, vnde hac in re ſibi poſſit conſulere: & hoc iuxtà conſuetudinem in ipſa religione quò ad hoc inductam. Ducor tum quia Religioſi in ordine ad proprium ordinem computantur inter filios, vt vidimus q. 7. ſicut ergò, teſte *Azorio par. 2. l. 2. cap. 4. q. 17.* conſtans eſt omnium opinio patrem iure cõpelli ad faciendas neceſſarias expenſas, vt filius vacare

care

care poſſit ſtudijs; ita & ad hoc tenebitur religio quò ad ſuos religioſos; cùm quò ad iſtos ſe habeat inſtar patris: tum quia qui vult finem, debet velle & conſequentia ad finem; at religio intendit exercere ſuos religioſos in legendo, prædicando, & alijs miniſterijs, quæ non poſſunt rectè obiri ſine ſcientia, ac doctrina; ergò tenetur eis prouidere media neceſſaria ad acquirendam ſufficientem ſcientiam; quod maximè habet locum in medijs ordinarijs, & quæ haberi poſſunt abſque expenſis grauioribus, ac extraordinarijs; vnde, quod ſpectat ad ſumptus ordinarios pro obtinendo doctoratu, non ita facilè puto poſſe euenire, quòd religio ad eos teneatur; quippequi ſunt de re extraordinaria, & regulariter minùs neceſſaria fini, ad quem ſolent religioſi vacare ſtudijs.

QVÆRES XV. An religio teneatur religioſis infirmis ſuppeditare neceſſaria medicamenta, & quidem etiam extraordinaria, ac pretioſiſſima.

32 ℞. In rigore teneri ſolùm ſuppeditare medicinas ordinarias; niſi fortè religioſus ægrotans eſſet valdè neceſſarius ipſimet religioni, ita vt iudicio prudentis cenſerentur illæ extraordinariæ expenſæ cedere in maius bonum religionis; quo caſu vtique faciendum eſſet vltimum de potentia, cum malum inde proueniens religioni modicum reputari debeat reſpectu boni, quod ipſa illinc reportatura eſt. Et quidem quòd religio teneatur miniſtrare medicinas ordinarias, patet, quia eæ veniunt nomine alimentorum, (vt benè aduertunt DD. apud *Azorium ſup. q. 2. ex l. verbo victus ff. de verb. ſignificat.*) ideòque ſicut religio debet tribuere religioſis alimenta, ita & debet medicinas: quòd verò illa non teneatur in rigore ſuppeditare medicamenta extraordinaria, & maximi valoris, regulariter loquendo; conſtat tum quia religioſi profitentur paupertatem, qui autem ſunt pauperes, non ſolent facere tales expenſas adeò extraordinarias ad recuperandam ſanitatem, nec vtuntur remedijs ita pretioſis: tum quia ſicut benè docet *Leſſ. l. 4. cap. 3. num. 12. ex Vict.* non tenetur homo conſeruare vitam omnimodo licito, ſed poteſt illam negligere, aut exponere ex iuſta cauſa; talis autem cauſa videtur interuenire in noſtro caſu, cùm deceat viros religioſos, etiam in infirmitate experiri aliquos effectus ſanctę paupertatis, cum *Apoſtolo Paulo Act. 20. v. 24.* identidem aſſerentes *Nec facio animam meam* (id eſt vitã corporalem) *pretioſiorem, quàm me, dummodò conſummem curſum meum; & miniſterium verbi, quod accepi à Domino.* quamquam Prælatus regularis hac in re debeat magis abundare quàm deficere, prout dictabit prudens, & diſcreta charitas, quantùm permittent facultates monaſterij, &, vt ſuperiùs innui, in quantùm exiget conditio Religioſi ægrotantis, ac virtus iuſtitiæ diſtributiuæ. Certè *S. Franciſcus de Paula* in ſua *regula nu. 26.* ſub præcepto obedientiæ obligantis ad mortale (quod eſt vnicum præceptum in ea regula obligans ad mortale vltra vota) mandat Superioribus ſui Ordinis, vt de omnibus neceſſarijs pro ſanitate celeriùs reſtauranda prouideant infirmis: quin & aliquando interrogatus quid agẽdum eſſet, quando in pauperrimo aliquo Conuentu non adeſſet facultas prouidendi infirmis de neceſſarijs, fertur reſpondiſſe, *eo caſu vendendas eſſe campanas, & calices, & infirmo ſuccurrendum.*

QVÆRES XVI. An, & quo iure teneatur religio ſoluere religioſis ſuis defunctis communia Eccleſię ſuffragia.

33 ℞. Teneri; & quidem non ſolùm ex charitate generali, qua fideles tenentur ſuppetias ferre animabus purgatorij, ſed etiam ex pietate, & gratitudine; ne dicam ex quaſi iuſtitia; ex charitate, inquã, cùm ea obliget ad ſuccurrendum proximo grauiter indigenti, qualis eſt religioſus defunctus exiſtẽs in purgatorio, vt pote conſtitutus, in ſtatu merè ſatis patiendi; ex pietate, cùm religio quò ad ſuos religioſos ſit inſtar patris (vt iam dictum eſt) & pater ex pietate teneatur ſuffragari filio grauiter indigenti; ex gratitudine, cùm par ſit, vt, ſicut religioſus viuens membris ſuæ religionis debita perſoluit ſuffragia, ita & eadem ipſi iam demortuo ſoluantur ab eiuſdem religionis membris ſuperſtitibus; ex quaſi iuſtitia denique cum in præſenti euẽtu videatur intercedere virtualis cõtractus *facio vt facias* quatenus religioſi viuẽtes iuxtà ſtatuta, & cõſuetudines proprij Ordinis prẹſtãt ſuffragia ſuis coreligioſis morientibus, vt etiã ipſi poſt mortẽ ea recipiãt à religione iuxtà illud Chriſti *Mat. 7. In qua mẽſura menſi fueritis, remetietur vobis*; præter quam quòd alioqui religioſi defuncti carerent plerumq; omni omninò ſuffragio: quippequi vt plurimum ea expectare nõ poſſunt à conſanguineis ſæcularibus, nec habent, vnde aliàs ſibi in hoc conſulant, vnde fit, vt piè, ſanctè, & laudabiliter in vnaquaque religione, ſiue ex ſtatuto, ſiue ex conſtitutione ſtatuta ſint certa ſuffragia miſſarum, officiorum, & orationum à ſingulis religioſis Ordinis ſoluenda pro vnoquoque religioſo eiuſdem Ordinis decedente.

QVÆRES XVII. An, & quomodo religio teneatur ſoluere expenſas factas in ſepeliendis ſuis religioſis.

34 ℞. Teneri; & quidem, etiam ſi ſepeliantur extrà proprium monaſterium, eò quòd v. g. moriuntur in itinere, quo caſu ſine dubio qui eos proprijs ſumptibus ſepelit, illos iuſtè repetit à monaſterio, non ſecùs ac ſepeliens defunctum poteſt expenſas funeris petere ab hærede *l. ſi quis ff. de relig. & ſumpt. fun.* ita *Sanch. l. 6. mor. cap. 14. nu. 5. & Pet. de Vbaldo, & Rodriq. to. 3. q. 60. ar. 3.*

QVÆRES XVIII. An, & quo caſu teneatur religio proprijs ſumptibus redimere religioſum ſuum, qui fortè redactus eſt in captiuitatem apud Turcas v. g.

35 ℞. Teneri tum ex charitate, tum ex pietate; ſi id præſtare poſſit moderatis expenſis non excedentibus conditionem propriarum facultatum; ſecùs, ſi id efficere nequeat abſque ſumptibus immoderatis. Ducor, quod in priori caſu onus redimendi videtur venire ſub generali obligatione alimentorum, ad quam tenetur religio quò ad ſuos religioſos, vt iam oſtendimus; & ipſum munus patris, quod præſtat ipſa religio ergà illos, id omni iure æquitatis depoſcit; in poſteriori verò caſu procedit regula, *Sub generali obligatione non veniunt ea, quæ quis nõ eſſet veroſimiliter promiſſurus, ſi in ſpecie, fuiſſent propoſita*; non eſt autem veroſimile, quòd ſi in

emiſ-

emiſſione profeſſionis importantis contractum vltro, citroque obligatorium fuiſſet propoſitum religioni tale onus redimendi propium religioſum expenſis adeò immoderatis, ipſa illud admiſſura eſſet, ideoque non eſt ei imponenda talis obligatio; maximè cum DD. apud *Bonac. D. 2. de contract. q. vlt. ſect. 1. p. 5. nu. 6.* expreſsè ſuſtineant neminem teneri redimere vitam aliquo immenſo pretio: hoc enim à fortiori probat neque religionem ad id teneri in caſu propoſito; quæ doctrina meo iudicio ſatis benè confirmatur ex eo, quod docet *Azor. p. 2. l. 2. cap. 3. q. 9.* nimirùm filios iure pietatis non cogi magnā ac notabilem iacturam temporalium bonorum pati, vt liberent parentes à pęnis purgatorij, cùm tamen alias ad id teneātur, ſi hoc præſtare poſſint abſque iactura notabili dictorum bonorum: cùm enim iſta doctrina habeat locum, etiā in patre reſpectu filij exiſtentis in purgatorio ob identitatem rationis; ſequitur à fortiori, quòd neque religio, quæ ergà ſuos religioſos eſt inſtar patris, tenebitur pati iacturam adeò magnam ſuarū facultatum ad effectum redimendi religioſum captiuum; pręſertim cùm longè infelicior ſit ſtatus animæ exiſtentis in purgatorio, quàm hominis redacti in captiuitatem, vt patet, ita viri docti à me conſulti, & benè; quamuis, vt diximus *q. 15.* hac in re debeat religio potiùs abundare, quam deficere, attentis concurrentibus circunſtantijs perſonæ redactæ in capatiuitatem, ipſius religionis, alijſq; ſimilibus.

QVÆRES XIX. An, & quo modo religio teneatur ſoluere debita contracta à ſuis religioſis, ſiue ex delicto, ſiue ex licito contractu.

36 ℞. Diſtinguendo; vel loquimur de debitis contractis poſt profeſſionem; & ſic certiſſimum eſt apud non paucos DD. (inquit *Sanch. l. 7. mor. c. 31. nu. 9.*) monaſterium ad ea non teneri, ſi abſque legitima Prælati licentia contracta ſint & ipſum inde non ſit factum ditius in vllo; cuius rei ea eſt ratio, quòd perſonę delictum non eſt conuertendum in Eccleſiæ damnum *cap. ſi epiſcopum d. 16. q. 6.* & alioqui *l. 1. §. ſi eum impubere ff. de peculio* pater, aut dominus non tenentur ex contractibus initis per filios familias, aut ſeruos (quibus æquiparatur religioſus) abſque ipſorum licentia: niſi quatenus illi efficiuntur inde locupletiores: ſiue ergò delicta contrahantur à religioſo ſubdito ex delicto, ſiue ex contractu propria auctoritate inito, monaſterium de ijs non tenetur niſi modo ſup. dicto; ſicut benè docent *Mol. tom. 1. D. 140. col. 3. Leſſ. l. 2. ca. 41. num. 90.* alijque plures apud *Sanch. ſup. num. 11.* qui monet *num. 12. ex Gloſſ. Nau.* & communi aliorum DD. ſententia, quòd, cùm delictum Prælati, & Capituli noceat Eccleſiæ iuxtà *cap. 2. de ordine cognit. & reg. 76. de reg. iur. in 6.* monaſterium tunc tenetur ex delicto, quando delictum fuit admiſſum, communicato conſilio cum Prælato, & capitulo; quod eſt benè aduertendum.

37 Vel loquimur de debitis à religioſo contractis ante profeſſionem: & ſic eſt certum quòd; ſi monaſterium eſt hæres Religioſi, ipſum ex vi hæreditatis tenetur ea ſoluere, & quidem ſecundùm *Palud. in 4. d. 38. q. 4. num. 16.* etſi illa excedant bona, in quibus illud ſucceſſit: quod tamen negant *Roſella v. abbas mol. ſup. & Lezana to. 1. c. 24. n. 38.* ex eo quòd, cùm monaſterium ſubeat eiuſmodi obligationem præciſè propter bona religioſi ſubditi acquiſita, non eſt æquum, vt ea extendatur ſuprà illorum quantitatem: quamquam pro maiori cautela melius ſit, vt, in tali caſu monaſterium adeat hæreditatem cum beneficio inuentarij: quo modo non tenebitur, niſi iuxtà vires hæreditatis, *l. fin. C. de iure deliberandi*, vt rectè aduertit *Lezana vbi ſuprà.* & certè quòd monaſterium ſuccedens in bona religioſi teneatur ſoluere eius debita, vniuerſi id fatentur (inquit *Sanchez ſupra nu. 2.*) cùm id ſit commune cuicumque bonorum ſucceſſori, vt adſtringatur ære alieno eius, cui ſuccedit.

Vtrum verò religio teneatur ad debita contracta à religioſo exiſtente in ſcholis cum debita facultate, aut etiam à religioſo apoſtata, vel fugitiuo.

38 ℞. Teneri ad debita religioſi exiſtentis in ſcholis, dummodò ſint iuſtè, & rationabiliter contracta: non item ad debita religioſi apoſtatæ, ſeu fugitiui; & ratio diſparitatis eſt, quòd religio tenetur præſtare neceſſaria alimenta religioſo degenti legitimè in ſcholis, vt poteſt ſub eius poteſtate conſtituto, non autem religioſo apoſtatæ, aut fugitiuo, qui iuxtà dicta q. 9. hòc ipsò quòd recedit ab actuali ſubiectione religionis, pro tunc amittit ius alimentorum: vnde, cùm debita in priori caſu contracta ſint in vtilitatem monaſterij, quatenùs creditor præſtitit, quod facere debuerat monaſterium, non item in caſu poſteriori, vt oſtendimus q. citata: mirum non eſt monaſterium teneri ea ſoluere, non autem hæc; cùm quò ad ea cenſeatur tacitè conſenſiſſe, non verò quò ad hæc. quamquam, vt teneatur ad debita contracta à religioſo legitimè in ſcholis degente: ea (vt iam dixi,) debent eſſe rationabiliter contracta, nimirùm in rebus neceſſarijs, ac ordinarijs: alioqui ad ea non tenebitur monaſterium, vtpote quæ præſumuntur contracta abſq; eius conſenſu. quod probat *Sanch. l. 7. moral. cap. 31. num. 17.* exemplo filijfamilias exiſtentis in ſtudio de licentia patris: ſi enim ille faciat expenſas excedentes, ad eas pater non tenetur, niſi ad ratam quantitatis, quam ipſemet pater ſolebat ei miniſtrare, ſicut colligitur ex *l. ſed Iulia. 9. §. proinde ſi accepit v. quod dicitur ff. ad macedonianum*, vbi hæc habentur, *Quod dicitur in eo, qui ſtudiorum cauſa abſens mutuum acceperat, ceſſare Senatuſconſultum Macedonianum, ita locum habet, ſi probabilem modum mutuando non exceſſerit, nempe eam quantitatem, quam pater ſolebat ſubminiſtrare;* vbi benè notat Gloſ. non vitiari vtile per inutilem exceſſum.

QVÆRES XX. An, & quo modo monaſterium teneatur ex contractu inito à religioſo abſq; legitima licentia Superioris.

39 ℞. Videri ſatis probabile non teneri; niſi quatenùs contractus cedit in vtilitatem ipſius monaſterij; non item quatenùs eſt in eius præiudicium: ideòq: in ipſius optione eſſe ratum habere contractum, aut improbare: id quippe eſt commune in omni contractu celebrato cum eccleſia ſine debita licentia, & ſolemnitate, quod ille claudicet fauore Eccleſiæ; ita vt contrahens cum illa non poſſit reſilire

lire, ipſa autem poſſit, ſi velit; non ſecùs ac euenit in contractu inito cum pupillo, aut minore abſque auctoritate tutoris, aut curatoris *l. Iulianus §. ſi quis à pupillo ff. de actione empt.* ita *Sanch. nu.* 28. *cum Mol. tom.* 1. *D.* 140. *§. monaſterium, Nau. com.* 2. *num.* 32. *& num.* 65. *de Regul. Tabiena v. monach. num.* 12. *alijſque* pluribus monens *n.* 30. contractus claudicationem, quæ fauore minoris admittitur non diuidere contractum, ita ut minori liceat approbare partem illius ſibi vtilem, improbata alia parte ſibi noxia, ſed teneri aut totum approbare, aut totum reprobare: quæ doctrina locum habet etiam in caſu noſtro, cũ ſit generalis in omni contractu claudicante; vnde fit, vt contrahens cum minore, aut Eccleſia poſſit agere, vt minor, aut Eccleſia, aut religio compellantur declarare ſolemniter, num velint ſtare contractui, aut ab eo reſilire; ne alioqui contractus maneat in ſuſpenſo; quamquam Religioſi abſtinere debeant à contrahendo ſine licentia cum eo, qui ignorat ſe per contractum obligari monaſterio, ipſo monaſterio interim libero manente; niſi enim excuſentur à bona fide, & ſimplicitate, peccant mortal. ratione notabilis fraudis; niſi fortè quis malit dicere cum *Leſſio l.* 2. *cap.* 41. *nu.* 90. eum, eum quo contrahit religioſus ſine licentia, non adſtringi contractu, ſed poſſe reſilire, niſi, poſtquam Prælatus regularis talem contractum approbauerit, ipſe quoque eum ratificet: æqualitate petita ad iuſtitiam contractuum exigente, vt vel neuter, vel vterque contrahens teneatur; quod ſi admittatur, negandum eſt conſequenter religioſum peccare mortal. contrahendo ſine licentia, cùm ſic non interueniat fraus, vt patet.

QVÆRES XXI. An religio teneatur ſuccurrere neceſſitatibus parentum proprij Religioſi poſt eius profeſſionem grauiter indigentium, & quo iure.

40 ℞. Teneri; & quidem etiam ex iuſtitia, ſi grauis illa indigentia parentum præceſſit profeſſionem filij religioſi, & aliàs non conferat ad bonum ipſius religionis dimittere filium ad ſubleuandam talem indigẽtiã; ſecùs, ſi ea indigẽtia ſubſecuta eſt profeſſionem, aut certè religio eſt parata dimittere religioſum ad ſup. dictum effectum. Ducor, quòd in priori caſu filius non poterat profiteri abſque iniuria parentum eius ope tunc indigentium, & conſequenter nec religio potuit ſine iniuria eorundem parentum talem filium admittere ad profeſſionẽ; ergò, quamuis illa ratione bonæ fidei, quæ fortè interuenit, non peccauerit ſic admittendo ad profeſſionem, nihilominus tamen ratione iniuriæ materialis (vt ſic loquar) dictis parentibus illatæ, & ratione rei acceptæ tenetur de damno illato, ideòque vel ipſa ſuis ſumptibus debet eos alere ſi fortè non poteſt ſine magno ſuo damno eum dimittere, vel filium dimittere ad ſuccurrendum eorum indigentię. in poſteriori verò caſu, cùm filius potuerit, licitè profiteri abſque iniuria parentum (illis tunc eius opera non indigentibus,) & per profeſſionem potuerit ſe tradere religioni, ſuamque voluntatem ita abdicare, vt fieret omninò impotens ad ſubueniendum parentibus, aliquid agendo contrà ſtatũ, aut religionem ſuam; ſicque manſerit liber à præcepto ſubueniendi parentibus, non obligante niſi eum, qui poteſt: per conſequens etiam religio potuit illum admittere ad profeſſionem abſque iniuria parentum; ideòque non eſt, cur eam obligemus ad dimittendum ſuum religioſum, vel ſaltem ad ſuccurrendum indigentiæ parentum illius, ſi hæc præſtare nequeat ſine ſuo notabili præiudicio: cum enim nullam intulerit iniuriam parentibus, ad nullum horum tenetur ex iuſtitia: quippe quæ obligat ſolum, vbi adeſt inæqualitas, ac violatio iuris alterius; qualis certè non eſt in caſu noſtro, vt conſtat ex dictis, dico *ex iuſtitia*, vt indicem in iſto caſu poſſe religionem teneri ex charitate aut dimittere religioſum, aut ſubleuare neceſſitatem parentum illius, ſi abſque notabili ſuo præiudicio id præſtare poſſit. ita *Suar. tom.* 3. *de relig. l.* 6. *c.* 9. *num.* 6. 7. *&* 8. *ex Ang. Sylu. Nau. Tol. & Leſſ.* quos ſequitur, *Peyr. de R. P. q.* 3. *cap.* 1. *nu.* 70. adducens pro ſe *Gratianum*.

41 Addit autem *Suar. nu.* 30. quòd, cùm pater reſpectu filiorum maiorem, magiſque per ſe obligationem habeat alendi filium, adeòque probabiliſſimum ſit patrem teneri ſuccurrere indigentiæ filiorum, etiam poſt eius profeſſionem ſuperuenienti (loquendo de filijs non emancipatis) probabiliter poteſt ſuſtineri religionem in iſto caſu teneri aut dimittere patrem ad ſubueniendum filijs, vel ijs prouidere: idque non ſolùm ex charitate generali, ſed iure quodam ſtrictiori, quamuis (vt puto) non pertingat ad rigorem iuſtitiæ; & ratio eſt, quòd obligatio parentis ad alendum filium eſt per ſe, ac proinde non videtur variari, nec mutari, neque per aſſumptionem ſtatus religioſi.

42 Quod verò ſpectat ad fratrem reſpectu fratrum aut ſororum, puto non poſſe contingere, quòd religio teneatur ex iuſtitia pro religioſo à ſe admiſſo ad profeſſionem ijs ſubuenire, etiam ſi eorum indigentia præceſſerit profeſſionem ipſius Religioſi; & ratio eſt, quod religio non poteſt ad id teneri arctiori vinculo, quam teneatur ipſemet religioſus; is autem, teſte Suar. *nu.* 31. non tenetur ex iuſtitia ſuccurrere proprijs fratribus, aut ſororibus cum detrimento, aut diminutione ſtatus religioſi, ſed ad ſummum ex charitate, quæ non adeò ſtrictè obligat.

43 Moneo hìc vnum ex Suar. *tom.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 3. *c.* 6. *nu.* 15. quod attinet ad Societatem Ieſu, eius obligationem in hac parte non eſſe maiorem, etiã quo ad ſuos religioſos ſolis votis biennij adſtrictos, quam ſit in alijs religionibus; ac proinde, ſi ea non poſſit dimittere talem ſuum religioſum ad ſubleuandam neceſſitatem parentum ſine ſuo graui incommodo, non teneri, ſi eorum neceſſitas ſuperuenit, poſtquam ipſe per vota præfata ſe Deo, ac Societati in perpetuũ dicauit, idque ob rationem adductam ſup. in reſponſione: quæ ſine dubio probat intentum etiam in iſto caſu: ſtante quòd religioſi Societatis per dicta vota ſe tradunt religioni, & ex parte ſua moriuntur mundo, ac cuicumque alij religioſi profeſſi; vnde religioſus Societatis in iſto caſu erit ſecurus in conſcientia, ſi cognita parentũ indigentia eam exponat Superioribus animo paratus ad faciendum, quod ipſi ſtatuerint quoad

hoc;

hoc; ſi quidem in tali caſu ius religionis eſt maius iure parentum, ac proinde religioſus non tenetur ſubuenire parentibus, ipſa inuita, & cum aliquo eius præiudicio: ſicut nec ipſa tenetur ad hoc concedere facultatem cum aliquo ſuo præiudicio, eſtò, ſi velit poſſit, vt pote habens ex ſuis priuilegijs maiorem libertatem ad dimittendos Scholares approbatos, quàm habeant aliæ religiones quò ad dimittendos ſuos profeſſos; quamquam, cùm ea priuilegia conceſſa ſit Societati in bonum ipſius, ea non indicant illi ſpecialem obligationem dimittendi eos in commodum parentum, ſed ſolùm in quantum confert ad ipſius bonum; quod tamen non facit, quin Societas in caſu propoſito ex chariſtate obligari poſſit ad præfatam dimiſſionem, ſi ipſa id præſtare poſſit abſque ſuo notabili incommodo, & parentes religioſi grauiter eius ope indigeant ob præſentem neceſſitatem, vt benè aduertit idem *Suar. ſup.*

SECTIO II.

Quæ, & quales ſint Obligationes, quibus tenetur Religioſus erga Religionem.

44 *Religioſi tenentur tendere ad perfectionem religioſam.*
45 *At non tenentur currere ad illam.*
46 *Tenentur obſeruare regulam, & conſtitutiones Ordinis.*
47 *Et quidem etiam in caſu, quo regula collapſa reformetur.*
48 *Debent ſubeſſe iuriſdictioni Prælatorum.*
49 *Item & exercere miniſteria ſibi iniuncta.*
50 *At non eſt iniuſtia; vt aliqui malè putant.*
51 *Debent ſtudijs ſedulò vacare, ſi ad ea deſtinentur.*
52 *Item ſoluere ſuffragia ſolita pro Ordinis benefactoribus; etſi ea omittens in Societ. Ieſu non peccet mortaliter.*
53 *Item & ſoluere ſuffragia pro religioſis Ordinis defunctis.*
54 *Acquirunt Ordini quidquid acquirunt, & quidem Conuentui, in quo tunc degunt, nullaque Iudicis ſententia expectata.*
55 *Hæreditas relicta cum onere deuolutionis, ſi hæres delinquat, deuoluitur, ſi hæres poſt religioſam profeſſionem delictum illud faciat; idque etſi iam eſſet acquiſita Ordini hæreditas.*
56 *Debent conſeruare conceſſa ad ſuos priuatos vſus.*
57. *Item & bona communia monaſterij.*
58 *Sine cauſa recuſare nequeunt oblata Monaſterio.*
59 *Debent ei reſtituere expenſa in vſibus illicitis.*
60 *Idque licèt nihil proprij habeant.*
61 *Aliqui Doctores in aliquo caſu diſſentiunt, nec improbabiliter.*
62 *Recipiens indebitè à religioſo illi ipſi poteſt reſtituere.*
63 *Religioſus non tenetur ſe conſeruare medijs extraordinarijs.*
64 *Neque vitam ſibi abbreuiare nimia auſteritate.*
65 *Debet conſulere propria famæ.*
66 *Ex ſe, & propria auctoritate non remittit reſtitutionem famæ.*

QVÆRES I. An, & quo modo Religioſi ex vi profeſſionis teneantur tendere ad perfectionem.

44 ℞. Quòd, cùm teſte *Bellarmin. tom. ſecundo leg. ſecund. de Monach. cap. ſecund.* ſtatus religioſus ſit ſtatus hominum ad perfectionem Chriſtianam per vota paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ tendentium: vtique tenentur Religioſi vi profeſſionis niti ad perfectionem, non quidem per omnia opera ſupererogationis ad eam comparandam conducentia, ſed per ea, quæ ſunt præſcripta iuxtà vniuſcuiuſque religionis regulam. ita *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 186. *articul. ſecund.* alijque plures relati à *Sanchez lib.* 6. *moral. capit.* 5. *numer.* 2. & probatur quia nec Deus, nec Eccleſia, nec ipſa profeſſio religioſa aliquid ampliùs exigunt à religioſo, quàm vt agat vitam regularem iuxtà ſuum inſtitutum à Sede apoſtolica approbatum, & quod nitatur ad comparandam Chriſtianę vitæ perfectionem per media Inſtituti proprij, quippequæ, cùm fuerint approbata à Sede Apoſtolica tanquam ſufficientia ad conſequendum talem finem, vtique talia debent reputari, & re vera ſunt; quod etiam adnotauit *Lezana tom.* 1. *cap.* 1. *num.* 5.

45 Imò docet *Suarez tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *leg. prim. capitul.* 4. *numer.* 11. ad implendam huiuſmodi obligationem videri ſufficere, quòd Religioſus intendat ſeruare ſua vota integrè, pro vt ſunt in ſua regula, & alia omnia præcepta ſpecialia ſuæ religionis præter communia: ſi enim hoc faciat, verè tendit ad perfectionem; vnde *Sylu. verb. religio prim. quæſt.* 3. ait religioſum teneri quidem habere intentionem tendendi ad perfectionem, non tamen teneri currere ad eam, ideòque ipſum non eſſe extrà ſtatum ſalutis, ſi vnum retineat medium ad conſequendam perfectionem; ſed de hoc plura in *tractat. de Obligat. capit.* 1. *q.* 6. 7. *& ſeqq.*

QVÆRES II. An, & qualiter Religioſi vi profeſſionis teneantur ſeruare Regulam & Conſtitutiones ſui Ordinis; maximè, ſi in ipſa profeſſione promittant ſeruare regulam, aut obedire ſecundùm regulam.

46 ℞. Teneri; non tamen ita, vt quælibet earum tranſgreſſio ſit culpa mortal. aut ven. ſed ſolùm eo modo, quo res præſcriptæ in ipſa regula continentur, nimirum ſub mortali, ſi continentur tamquam præcepta obligantia ſub mortali; ſub veniali verò, ſi ſolùm contineantur vt obligantia ſub veniali; imò ſub nulla culpa, ſi

conti-

continEantur ſolùm vt conſilia obligantia ſub nulla culpa. ita *Sanchez ſup. capitul. 4. numer. prim.* alijque plures apud ipſum, & probatur tum ex *capit. exijt §. in primis qua de verb. ſignificat. in 6. & Clemen. prim. §. cum igitur in primis verb. declamus eod. tit.* vbi id expreſsè definitur de Fratribus Minoribus, qui tamen expreſsè promittunt ſeruare regulam S. Franciſci: tum quia religioſus promittens ſeruare regulam, aut obedientiam ſecundùm regulam non promittit ſingula in particulari, & collectiuè, ſed ſolùm promittit componere mores ſuos iuxtà præſcriptum regulæ, ſeu obedire ſecundum regulam, ac proinde non intelligitur obligari, niſi eo modo, quo obligat regula; alias ſtatus religioſus eſſet periculoſiſſimus, cùm in regulis religionum multa minutiora præſcribantur, quæ facillimum eſt tranſgredi, & hoc procedit, etſi vouens ſeruare regulam ex errore intendiſſet ſe obligare ſub mortali, aut veniali ad omnia, quæ continentur in regula, falsò putans ita exigere profeſsionem illius religionis; & ratio eſt, quod talis religioſus in re ſolum intendit profiteri id, quod requirebat profeſsio illius religionis: &, ſi quid plus promiſit, promiſit ex errore, & conſequenter inuoluntariè; ex promiſsione autem inuoluntaria non ſequitur obligatio, vt tradunt communiter DD.

QVÆRES III. An Religioſi vi ſuæ profeſsionis teneantur obſeruare regulam ad priſtinum ſtatum legitima poteſtate reſtitutam, ſi, quando ipſi eam profeſſi ſunt, erat collapſa, & admodùm relaxata.

47 ℞. Teneri; patetque tum ex dictis *ſup. cap. 3. quæſt. 22.* tum maximè quia ſubijciens ſe alicui fini, ſe quoque illi ſubijcit in ijs, quæ valdè neceſſaria ſunt ad conſecutionem illius: tale autem eſt reformari regulam iam collapſam; vt conſtat ex dictis in *tract. prim. capitul. 5. quæſt. 21.* vbi de hac re agimus ex profeſſo.

QVÆRES IIII. An, & quo modo religioſi vi ſuæ profeſsionis teneantur præſtare debitam ſubiectionem proprijs Prælatis regularibus.

48 ℞. Teneri; & conſtat, quia religioſus per profeſsionem ita propriam à ſe abdicat voluntatem, totumque ſe ipſum tradit arbitrio religionis, quam profitetur, & conſequenter Prælatorum illius; vt nec velle, nec nolle ampliùs habeat iuxtà *capitul. non dicatis 12. quæſt. 1. cap. ſi religioſus de elect. in 6.* & alibi; ſed de hoc plura, cum de voto Obedientiæ.

QVÆRES V. An Religioſi vi profeſsionis teneantur ſe exercere in miniſterijs Ordinis ſiue ſpiritualibus, ſiue temporalibus, pro vt ipſis præſcribitur à Prælato; &, ſi ſecùs faciant, peccent contra iuſtitiam, an ſolùm contrà obedientiam.

49 ℞. Teneri, non tamen ſub peccato mortal. per ſe loquendo; niſi vel in regula id ipſis ita diſtrictè præcipiatur, vel Prelatus regularis aliquid tale ſub virtute obedientiæ præcipiat. Ratio eſt, quòd nullum aliud principium talis obligationis, aut grauis tranſgreſsionis afferri poteſt cum fundamento: ſiquidem ex vi profeſſionis non ſe obligat religioſus, niſi ad id, quod vouet; non vouet, autem, niſi paupertatem, caſtitatem, & obedientiam ſecundùm regulam; vnde ad ſupradicta miniſteria, ſiue temporalia, ſiue ſpiritualia non obligatur ex voto, niſi quando interuenit præceptum obedientiæ, ſiue regulæ, ſiue hominis: ſicque eo ſecluſo, non adeſt obligatio exercendi ea miniſteria ex vi votorum, & per conſequens nec ex vi profeſſionis, nec ex vi iuſtitiæ, donec Prælatus rigorosè præcipiat ius ſuum exigendo: quo caſu ſine dubio peccaret religioſus contrà iuſtitiam ratione traditionis, & pacti initi ab ipſo cum religione per profeſsionem, & contra virtutem religionis ratione voti obedientiæ, quam item in profeſsione promiſit; non ſecùs ac diximus in *ſect. præced. quæſt. 7.* peccare contra iuſtitiam Prælatum religionis denegantem neceſſaria religioſo ſubdito. ita *Suar. ſupr. capit. 11. numer. 9.* monens eiuſmodi iuſtitiæ obligationem, aut tranſgreſsionem non ſe tenere reſpectu Fundatorum, aut benefactorum monaſterij (niſi fortè alicubi interueniat tale pactum) ſed reſpectu Prælati, ſeu religionis, cui religioſus per profeſsionem ſe tradidit. Cum *Suarez* ſentiunt *Clau. reg. leg. 11. capit. prim. num. 31. Nald. verb. religioſus numer. 27.* & alij, hinc inferentes religioſum prælectum alicui cathedræ omittentem legere ex ſua malitia, ſicque defraudantem monaſterium emolumento correſpondente lectionibus omiſſis, non teneri ad vllam reſtitutionem, etiamſi poſſet reſtituere; religioſus quippe non peccat in tali caſu contra iuſtitiam, ſed ſolùm contra obedientiam, & charitatem, vt pote qui obligatur religioni, non ex iuſtitia, ſed ex obedientia; & alioqui monaſterium non habet ius ad illud emolumentum, niſi ſuppoſito quod religioſus velit legere, & legat.

50 Oppoſitum ſuſtinent Peregr. *pag. 2. conſtit. cap. 5. littera q. ex S. Tho. Barthol. à S. Fauſto, li. 6.* Theſauri *quæſt. 179.* alijq; tacito nomine relati à *Suar. ſup.* aſſerentes, eo ipsò quòd religioſus ex vi ſui ſtatus, ac profeſsionis deputatur ad aliquos actus, ſiue ſpirituales, ſiue temporales, eum teneri ex iuſtitia ad illos exercendos, ideòque ſi omittat eos, per ſe, ac directè peccare mortal. probant quia in profeſsione fit contractus inter religionem, & profitentem, per quem religio ſe obligat ad ſuppeditandum ipſi decentem ſuſtentationem; profitens autem ſe exhibet religioni paratum ad ea munera, ad quæ per profeſsionem deputatur: omnis verò contractus obligat ex iuſtitia, vt patet. Verùm, etiam ſi demus per profeſsionem fieri reciprocum contractum inter religioſum profitentem, & religionem, in qua profitetur (quod nos etiam vltrò concedimus, & probauimus ſup.) id tamen non probat religioſum ex iuſtitia teneri exercere miniſteria religionis, abſolutè loquendo; ſed ſolùm probat eum ad id teneri ex iuſtitia, quando in hoc interuenit obedientiæ præceptum, ſiue regulæ, ſiue

homi-

hominis; quod nos conceſſimus ſup. *cum Suar.* & ſufficit ad ſaluandum per profeſſionem iniri mutuum contractum inter religionem, & religioſum profitentem. Quod ita eſt verum, vt *Caietan. 2. 2. quæſ. 187. artic. 4.* dicat religioſum, ſi regulam ſeruet, & caueat à tranſgreſſione præceptorum, non peccare mortal. etſi ex pigritia viuat quaſi inutilis religioni: peccare tamen v. viuendo ex monaſterij prouentibus contrà illud, *qui non laborat, non manducat.* Quò facit, quod habet *S. Auguſt. de oper. monac. cap. 22.* his verbis *Plerumque ad hanc profeſſionem ſeruitutis Dei, & ex conditione ſeruili aliqui veniunt, & ex vita ruſticana, & ex opificum exercitatione, & plebeio labore, tanto vtique fælicius, quantò fortiùs educati; qui ſi non admittantur, graue peccatum eſt, multi enim ex eo numero verè magni, & imitandi extiterunt: de quibus non apparet vtrũ ex propoſito ſeruitutis Dei venerint, an vitã inopem, & laborioſam fugientes, vacui paſci, atque veſtiri voluerint, & inſuper honorari ab eis, à quibus contemni, conterique conſueuerunt.*

Monet autem *Bannez 2. 2. q. 33. a. 3 d. 3.* Ordines Mendicantium teneri ſub pręcepto habere ſpecialem curam, vt religioſi ſe exerceant in doctrina, prædicationibus, & confeſſionibus: *quia*, ait, *finis prædictorum Ordinum eſt ſalus animarum; & ideò Prælati tenentur ad media procuranda, nec non & ſubditi tenentur ex profeſſione ſua diſponere ſe, vt ſint idonei ad exercenda potiſſimum Ordinis ſui munia ſub peccato mor. & ex conſequenti tenentur peculiari obligatione ad ſtudiũ literariũ, quoniam hæc eſt diſpoſitio idonea*; hæc ille.

QVÆRES VI. An religioſi iuſſu Prælatorum vacantes ſtudijs teneantur ſub peccato mort. ſedulò, ac diligenter ſtudere.

51 ℞. Teneri, adeòque peccare mort. ſi ſint notabiliter negligentes in ſtudendo ijs facultatibus, ad quas ſunt deputati. ita in terminis *Peyr. de R. S. q. 1. cap. 30. §. dico 4. ex S. Anton. Nau. Medices Tab. Regum. & Lambert.* (qui tamen non loquuntur in ſpecie de Religioſis ſtudentibus, ſed generaliter de ſcholaribus, qui non proprijs, ſed alienis expenſis, aut ex redditibus eccleſiaſticis aluntur in ſtudijs.) patet autem reſponſio tum quia ſic iſti non ſe habilitant ad ſpiritualia miniſteria religionis ordinata ad bonum ſpirituale proximorum, ſicuti poſſent, & intendit religio: tum quia occupant locum alijs, qui proficerent in ſtudijs, ſicque impediunt bonum tam ipſorum, quàm religionis; tum quia abutuntur commoditate ipſis exhibita à Prælato, qui alijs exercitijs eos appplicaret; quamquam nõ ita facilè damnari debeat religioſus de peccato m. ob negligentiam adhibitam in ſtudendo, niſi ea ſit valdè notabilis, (ſicut innui in ipſa reſponſione:) in quo caſu DD. citati à *Peyr.* à nobis nõ diſſentirẽt, ſtante quòd religioſi vacantes ſtudijs ex prouentibus eccleſiaſticis, ideſt religionis aluntur, ad effectum vt proficiant in ſtudijs, ſicque poſteà illi inſeruire poſſint in miniſterijs literarijs.

QVÆRES VII. An Religioſi teneantur ſub peccato mort. applicare ſacrificia, & recitare alias preces, ſiue pro defunctis, ſiue pro viuentibus præſcriptas à Superiore, v. g. pro amicis, benefactoribus, &c.

52 ℞. Diſtinguendo; vel religio tenetur ad illa ſacrificia, ac orationes ex pacto, & conſequenter ex iuſtitia, (v. g. ex eleemoſyna ſub tali onere recepta,) & ſic religioſi peccant mortaliter ſi non ſoluant iuxtà præſcriptum Superioris, cùm delinqnãt in re graui, (vt ſuppono,) & defraudent proximum ſuffragio debito ipſi ex iuſtitia: vnde, ſi ſtata die non ſoluerunt, tenentur ſoluere, vbi primùm potuerunt, cùm obligatio illa non ſit extincta, ſed duret, quamdiu non impletur; & determinatio diei facta ſit non ad finiendam obligationem, ſed ad ſolicitãdam; intellige, niſi fortè ceſſaſſet finis operis præſcripti, vt benè notat *Peyr. de R. s. q. 1. cap. 6. §. vnico.* vel religio tenetur ad dicta ex ſola gratitudine (quo modo Soc. Ieſu ſolet iniungere ſuis religioſis miſſas, & orationes pro fundatoribus, benefactoribus, alijſque occurrentibus neceſſitatibus,) & ſic religioſi non peccant mort. ea omittendo; niſi fortè ea præcipiantur modo extraordinario, videlicet ſub obedientia, aut alia ſimili ratione indicante rigoroſam obligationem: & ratio eſt, quòd, ſecluſo tali modo præcipiendi, præſcriptio illa miſſarum, & orationũ non excedit vim regulæ, ideòque habet rationem ſimplicis ordinationis; vnde, ſi regula non obliget ad culpam, (vt in Societate Ieſu) nec præſcriptio illa miſſarum obligabit ad culpam; qua de re in *tra. de Obligationibus c. 9. ſect. 1. q. 7. & ſect. 4. q. 8.*

QVÆRES VIII. An, & quo modo Religioſi teneantur ſoluere conſueta ſuffragia pro religioſis defunctis Ordinis.

53 ℞. Teneri eo modo, quo *ſect. præc. q. 16.* diximus Religionem teneri ea pręſtare dictis religioſis; obligatio enim religionis non eſt alia ab obligatione religioſorum, ex quibus ea integratur; cum religio non ſit, niſi collectio religioſorum, quatenus conſtituunt vnum corpus morale, ſeu communitatem.

QVÆRES IX. An Religioſi vi profeſſionis teneantur cedere religioni quidquid acquirunt de bonis tam mobilibus, quàm immobilibus.

54 ℞. Teneri; & quidem, etiamſi ea illicitè requiſita fuerint; eſt communis DD. & probatur tum ex regula generali, quæ ſumitur ex l. placet, ff. de acq. hæred. & *c. præſentia de probat. Quidquid monachus adquirit, monaſterio adquirit*: tum quia hoc ipſo quòd religioſus ex voto ſolemni paupertatis efficitur incapax cu uſcumque dominij, immò, & vſus independentis à voluntate Superioris, (vt fusè oſtendemus infra, cum de voto paupertatis) ſi religio quã profeſſus eſt, ſit capax bonorum temporalium, neceſſario dicendum eſt quòd ei acquirat quæcumque bona temporalia acquirit; aliàs acquireret, & nulli acquireret, cum non poſſit aſſignari, cui alij acquirat; quòd ſi religio ſit incapax bonorum, etiam in communi (vt Ordo minorum) tunc religioſus acquirit, quo ad dominium quidem Papæ. quo ad detentionem verò, ac vſum facti monaſterio; ſicut benè aduertit *Lezana tom. 1. cap. 6. num. 40. ex Tho. de Ieſu* addens cum *Soto lib. 4 de iuſt. q. 7. a. 1.* adquiri monaſterio, etiam ea, quæ religioſus acquirit illicitè, v. g. ex prohibita negotiatione, dummodò acquiſitio ſit iuſta; non item, ſi ea ſit iniuſta, ideſt contrà iuſtitiam; hæc enim; cùm debeant reſtitui ſuis dominis, à nullo acquiri poſſunt.

55 Addo Religioſum acquirere non monaſterio, cui deputatus eſt in filium, ſed ei, in quo tunc habitat: quippequod par eſt vt, ſicut ſentit

onus illum alendi. ita ſentiat commodum acquiſitionis; nec videtur poſſe ſtatui oppoſitum contrà hoc ius commune, niſi cum licentia, & confirmatione Papæ.

Accedit quod, cum bona Religioſi profitentis in Ordine capaci, de quibus non diſponit ante profſionem, ſimpliciter, & abſolutè ſint debita ipſi Ordini, vt pote ſuo iure ſuccedenti in omnia iura realia Religioſi profitentis; & in ſimilibus non ſit neceſſaria ſententia Iudicis, niſi ex cauſa litis: conſequenter præfata bona debētur Ordini ante omnem ſententiam Iudicis, ac omne eius miniſterium.

Grauior, ac difficilior dubitatio eſt, an caſu, quo alicui relinquatur hæreditas cum onere, quod ſi cōmittat hoc, vel illud delictum in ſpecie, hęreditas deuoluatur ad alium: ſi hæres ingrediatur religionem, & poſt religioſam profeſſionem de facto committat illa delicta, hæreditas iam acquiſita monaſterio deuoluatur ad illum alium.

℞. Quòd, quamuis videri poſſet probabile non deuolui; cùm delictum perſonæ in Eccleſiæ damnū non ſit conuertendum *c. ſi Epiſcopum 16. q. 6.* & monaſterium, quod in præſentia eſt re vera hæres, non delinquat; dicatque *Sanchez l. 7. moral. c. 12. n. 54. ex Spino gloſſa 12 principali n. 25.* monacho incidente in hæreſim, non amittere monaſterium bona delata, vt pote non ipſi, ſed monaſterio acquiſita: nihilominus dicendum videtur hæreditatem in caſu propoſito deuolui ad illum tertium. Ducor tum quia *non poteſt plus iuris transferri in alium, quam ipſi competere dignoſcatur regul. 79. in 6.* ac proinde, cum ius hæreditatis competens Religioſo fuerit conditionatū, non potuit illud transferre abſolutum in monaſterium; nam *nemo dat, quod non habet*: tum quia deuolutio hæc non eſt pœna, ſed oritur ex adimpletione conditionis in hæreditate cōditionata; & in iſto caſu hęreditas fuit immediatè acquiſita Religioſo: vnde corruunt fundamenta allata pro oppoſita ſententia; quippe quæ ſupponunt deuolutionem, de qua hìc, eſſe pœnam & hæreditatem immediatè acquiſitam eſſe monaſterio, etſi in fauorem monaſterij faciat doctrina, quam tradit *Sanch. ſup. c. 17. n. 24. ex Molina iuris conſulto l. 2. de primogenijs c. 12. n. 30.* nimirum conditiones huiuſmodi potius eſſe comminatorias, quam ad inducendam, pro vt ſonat, priuationem; idque ex præſumpta voluntate, ac benigna interpretatione inſtitutoris. ita ego ſenſi in contingentia facti, & mecum ſenſit præſtantiſſimus Iuris conſultus Pigantius Ferrarienſis Aduocatus mihi amiciſſimus. Diſſentit *P. Bordonus* a me per literas conſultus, & ſuam probat ſententiam tum quia diſpoſitio, de qua hic agitur, habet ſpeciē ſubſtitutionis; ſubſtitutio autem euaneſcit per profeſſionem religioſam, teſte *Sanch. ſup. cap. 16.* tum quia onus adiectum tali hæreditati eſt præiudiciale hæredi ingredienti religionem reſpectu ipſius religionis; quippe qui non ita facilè in eam admittetur, ſi ea deueniat in cognitionem dictæ ſubſtitutionis, ideoque tanquam turpe reijci debet: tum quia veriſimile eſt, quod, ſi pater ſciuiſſet filium ingreſſurum eſſe religionem, nō appoſuiſſet dictum onus argum. eorum, quæ habent *Dec. conſ. 227. nu. 11. Signor. conſ. 183. nu. 10.* & alij, ſiquidem teſtatoris mens piè debet interpretari. maximè fauore Religionis: tum quia citata regula 79. non videtur hic obſtare; ſiue quia hæres in hoc caſu nihil iuris ex ſe transfert in religionem, cum hæc à iure illud habeat; ſiue quia dici poteſt fallere regula, quando translatio fit in priuatum, & ſingularem; hæc P. Bordonus.

QVÆRES X. An, & qualiter Religioſi teneantur conſeruare res monaſterij ipſis ad vſum permiſſas.

56 ℞. Teneri, & quidē ſub peccato mor. ſi damnū monaſterio illatū ſit graue, & culpa cōmiſſa ſit lata, eò quòd in dictis rebus cōſeruādis nō adhibuerint illā diligentiā, quam cōmuniter ſolent homines adhibere in cuſtodiendis proprijs rebus. ratio eſt, quòd proprium domini cenſetur poſſe rem conſumere, ac deteriorare pro libito ſuo: religioſus autem non eſt dominus rei commiſſæ ipſi ad vſum; præterea religioſus nō habet in rebus ſibi conceſſis, niſi vſum facti, id eſt ius vtendi in ſuam vtilitatem, ergò ſi inutiliter rem conſumat, delinquit contra votum paupertatis, immò & tenetur ad reſtitutionem, ſi (vt dixi) culpa fuerit lata. ita *Leſſ. l. 2. c. 41. n. 78. Sanch. l. 7. moral. ca. 19. num. 115. Peyr. de R. S. q. 2. cap. 2. §. 9. q. 6. & alij*, qui tamen benè monent obligationem conſeruandi res monaſterij vſui religioſorum permiſſas non eſſe ita ſtrictè interpretādam, vt ij teneantur, etiam ex culpa leui; adeòque peccent contra votum paupertatis, ſi in præſatis rebus cuſtodiendis non adhibeant eam diligentiam, quam ſolent adhibere homines diligentes, & quam commodatarius tenetur pręſtare circa rem in ipſius vtilitatem ei commodatam iuxtà *cap. vn. de commodato, & l. in rebus verb. hoc itaque ff. commodati*; cuius ea eſſe poteſt ratio, quòd, cùm religioſi computentur inter filios, non eſt probabile, quòd religio intendat cum tanto rigore obligare eos ad conſeruandas res ipſis conceſſas, vt teneantur etiam ex culpa leui, vt euenit in commodato; quod notauit *Bonac. de largit. mun. p. 6. nu. 34.*

57 Qua vero diligentia teneantur Religioſi cuſtodire bona communia monaſterij, oſtendit, *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 2. cap. 26. numer. 7.* docens curam conſeruandi præfata bona ſpectare ad omnes, ac ſingulos religioſos, ſed diuerſo modo; ſiquidem ad omnes pertinet quaſi per accidens, id eſt per obligationem (vt ita dicam) negatiuam, non diſſipandi, aut non malè tractandi res monaſterij: quæ obligatio nō ſolū ſpectat ad paupertatē, ſed etiam interdum ad iuſtitiam; poſitiua autem cura conſeruandi res per ſe non pertinet ad ſingulos, niſi quatenus charitas aliquando id dictauerit; ſed ad Prælatum Monaſterij, & Officiales ab ipſo conſtitutos; ad illum quidem ex officio, & iuſtitia; ad hos vero per participationem, præter quàm quòd ad ipſum Prælatum ſpectat ſtrictiori modo conſeruatio bonorum monaſterij, quatenùs non poteſt ea conſumere, aut alienare, niſi iuxtà menſuram iure præſcriptam, & ſuo loco à nobis explicandam.

QVÆRES XI. An Religioſi teneantur acceptare eleemoſynam, aut munera ipſis oblata pro monaſterio, vel certè poſſint ea recuſare.

58 ℞. Teneri acceptare, & ſi ſine cauſa recuſent, peccare contra charitatem. ita *Sanch. l. 6. de matr. D. 4. num. 7. Fagund. l. 7. decal. cap. 7. num. 5.* alijque & probatur ex eo quod ſic priuat monaſteriũ ea vtilitate, quæ ei proueniret ex oblata eleemoſyna, aut alia donatione; conſtat autem eum peccare contra charitatẽ, qui abſq; iuſta cauſa impedit bonum proximi, etiam ſine iniuria: cùm lex charitatis naturalis dictet non eſſe faciendum proximo, quod nollemus nobis fieri. Cauſa autem iuſta non acceptandi in præſenti caſu eſſet, indigentia donantis, timor, ne Prælatus putet religioſum habere nimiam familiaritatem cum extraneis, nolle manere obligatum ad remunerandum, & ſimilia.

QVÆRES XII. An, & quomodo Religioſi teneantur reſtituere monaſterio, quæ in vſibus vanis, ac illicitis expenderunt.

59 ℞. Cum diſtinctione; vel religioſus expendit ex bonis monaſterij, & ſic tenetur vel inducere eum, cui dedit, ad ea reſtituenda ipſi monaſterio; vel, ſi ille nolit, & habeat religioſus proprium peculium, tenetur ipſe ex eo reſtituere; quippe qui licet non habeat proprietatem peculi, ſibi conceſſi, poteſt tamen a ſe abdicare vſum illius, ſubtrahendo ſibi ea, quæ ſunt minùs neceſſaria: Vel religioſus expendit ex bonis proprij peculij; & tunc ſubdiſtiguendũ eſt: vel monaſterium inde fuit læſum, eò quòd religioſus ſit plus expenſurus ex bonis monaſterij ratione peculij malè expenſi, vel quod illud erat conuertendum in bona poſtea transferenda in ipſum monaſterium; & ſic religioſus tenetur reſtituere ratione damni illati monaſterio, vt pote quod eſt habiturum minùs, quàm haberet, ſi religioſus ea bona nõ expendiſſet: vel monaſterium inde læſum non fuit, eò quòd religioſus præfata bona eſſet conuerſurus in vſus omninò inutiles monaſterio caſu, quo illa non expendiſſet modo ſup. dicto (& quidem de licentia Superioris, qui (vt ſuppono) dedit ei facultatem expendendi illa in quos ipſe mallet vſus honeſtos) & ſic religioſus ad nullam tenetur reſtitutionem, cum reſtitutio ex delicto fiat ad reſarciendum damnum illatum, quale in noſtro caſu nullum interuenit reſpectu monaſterij; vt vel hinc patet, quòd damnum potiùs illatum eſt religioſo ea bona expendenti, qui ſe illis priuauit, ſicque ſibi abſtulit commoditatem ea expendendi in alijs vſibus licitis, vt poterat, ſuppoſita illa facultate Superioris; vnde, ſi ea reſtituantur ipſimet religioſo per eum, qui ea acceperat & is plenè ſatisfacit ſuæ obligationi, & religioſus, vbi ea accepit, poteſt illa expendere in alijs vſibus licitis, monaſterio omnino inutilibus: quod eſt ſignum, monaſterium nullum reportaſſe damnum, ex eo quòd illa malè expenderit. ita *Sanch. l. 7. mor. cap. 19. nu. 112. Bonach. de largit. mun. p. 6. num. 32.* alijque penes ipſos, & ſatis probabiliter.

Nec obſtat, quòd *Roſſella verb. monachus n. 7. Armil. ibi nu. 12. Tabien. n. 11. Sylu. verb. religio 8. q. 3. & Alphonſ. de Leone de offic. Confeſſ. recouect. 11. nu. 292. cum Sayro, & Nau.* dicunt religioſum ſic malè expendentem bona ſibi permiſſa, non reſtituente illo, qui accepit, nõ teneri ad ullam reſtitutionem, eò quòd reſtitutio fieri debeat ex bonis proprijs debitoris, & religioſus nihil proprij habeat, aut habere poſſit acquirens monaſterio quidquid acquirit.

60 ℞. Enim quòd cùm præfati DD. fateantur obligationem, ſed excuſent, eò quod religioſus nõ habeat, quo ſatisfaciat: conſequenter ipſum non excuſarent a reſtitutione, ſi detur eum habere peculium, ex quo modo ſup. dicto reſtituere poſſit, videlicet abdicando à ſe vſum illius, qui ſine dubio eſt pretio æſtimabilis, & poteſt à religioſo abdicari ſic faciendo debitam reſtitutionem, ſin minùs in toto rigore (quo modo verè non poteſt fieri à religioſo ob rationem adductam) ſaltem eo meliori modo, quo poteſt debitor habita ratione ſui ſtatus, & conditionis, quòd benè innuit Fagund. *ſup. c. 5. nu. 35.*

61 Quòd verò docent *Bannez, Lopez, Rebellus, & Io: Franc. Suar.* citati a *Diana p. 3. tr. 2. reſol. 65.* Religioſum habentem licentiam expendendi aliquam ſummam pecuniæ in vſibus, qui ſibi placuerint, ſi in vſus turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis, & recipientem non teneri in tali caſu reſtituere: hoc inquam admittit *Cardinalis de Lugo D. 3. de iuſt. n. 142.* probatque vt ſemper ſolet, ingenioſe tum *n. citato*, tum 137 *&* 139. & nos ipſi admittimus in *tract. de monial. c. 6. n. 31. §. addo in 2 edit.* nec non in *Manuali tr. 4. c. 2. n. 432.*

62 Cæterùm in caſu, quo bona à religioſo malè expenſa reſtitui debeant à recipiente, docet *Sanch. ſup. n. 110. ex Mol. & Rebello* ea poſſe reſtitui etiam religioſo, qui ſic ea expendit, niſi timeatur ipſum illa iterum malè conſumpturum eſſe contra voluntatẽ Superioris, aut niſi amotus ſit ab adminiſtratione dictorum bonorum: tunc enim ea debent reſtitui monaſterio; idque etſi monaſterium ſit incapax bonorum (quod eſt contrà aliquos relatos a *Sanch. n. 109.*) ratio eſt, quòd, quamuis monaſterium ſit incapax dominij, habet tamen legitimum vſum, & adminiſtrationem bonorum, quę ſpectant ad ſuos religioſos: & hoc ſufficit ad hoc vt ipſi fieri debeat, & poſſit reſtitutio; vnde eiuſmodi monaſterium poteſt ex iuſta cauſa dictam reſtitutionem condonare, ſiue ad conſulendum famæ religioſi adſtricti ad reſtituendum, ſiue ratione paupertatis recipientis, qui iam illa conſumpſit, ut benè docet *Mol. to. 1. D. 94.* in ſimili.

QVÆRES XIII. An caſu, quo Religioſus nõ poſſit effugere periculum mortis proueniens ex morbo, niſi utens aliquo remedio difficillimo, u. g. ſectione alicuius membri, teneatur ad id ſub peccato mortali.

63 ℞. Non teneri, niſi fortè ſit ualdè neceſſarius bonò communi Ordinis (in quo caſu ſolùm puto admittendam eſſe doctrinam *Petri Nau. l. 2. de reſtit. c. 3. n. 102. & Leſſij l. 2. c. 9. n. 96.* dicentium religioſum, hoc ipsò quòd ſe totum conſtituit ſub poteſtate Superioris, teneri, ad conſeruandum totum corpus, pati abſciſſionem membri, etiam cum magnis doloribus, ſi id præcipiatur à Superiore). ita *Salon. 2. 2 q. 65. a. 1. Bonac. D. 2. de contr. q. vlt. ſect. 1. p. 6. n. 3. & Leſſ. vbi ſup.* aſſerens noſtram ſententiam uideri probabiliorem, *niſi fortè religioſus eſſet neceſſarius reipublicæ, & communitati, & ſalus eſſet omninò certa (quod rarum eſt) & dolores non nimis diuturni.* ratio noſtra eſt, quòd ex una parte nõ tenetur cum tãto

dolore uitam incerto euentu cõſeruare: unde Marius, cùm ei crus aperiretur, ait *Nõ eſt tanto dolore digna ſalus*; ex alia parte actus patiendi ſectionẽ membri cum atrocioribus doloribus eſt nimis heroicus; ideòque non videtur cadere ſub imperium Superioris, ita vt poſſit præcipi in virtute S. Obedientię; excepto tamen caſu, in quo vt dixi, religioſus eſſet valdè neceſſarius bono communi: tunc enim ob bonum commune teneretur pati ſectionem membri, & poſſet ei id præcipi, cùm bonum publicum præferri debeat cuicumque bono priuato.

QVÆRES XIV. An Religioſi licitè poſſint abbreuiare ſibi vitam per abſtinentiam, aliaſque corporis afflictiones, ſeque exponere periculo mortis inſcio Superiore.

64 ℞. Non poſſe; præſertim, ſi ſint valdè neceſſarij religioni, & bono communi: patetque non ſolùm ex eo quòd homo tenetur ex charitate ſe ipſum conſeruare (vt tradunt communiter DD. hinc benè inferentes peccare mortal. eum qui per valdè immoderatas corporis afflictiones notabiliter vitam ſibi minuit): ſed etiam quia per profeſſionem religioſus ita ſe, & omnia ſua addicit religioni, vt quidquid habet, totum ſit religionis: vnde & eius vita non tam eſt eius, quam religionis, ideoque ſtrictiùs obligatur ad eam conſeruandam tanquam quid alterius; quòd certè præſertim haberet verum, in caſu, quo Religioſus eſſet maximè neceſſarius bono communi, idque ob rationem modò allatam.

QVÆRES XV. An Religioſi vi profeſſionis teneantur conſulere propriæ famæ, & quidem ſtrictiori iure, quàm teneantur alij, qui non ſunt religioſi.

65 ℞. Teneri; etſi demus cum *Leſſio cap. 4. nu. 59.* & alijs hominem eſſe dominum propriæ famæ: teneri, inquam ex duplici capite, nimirùm 1. quia ex fama illius pendet fama religionis (quo modo religioſus ſe infamans videtur peccare non ſolùm contrà charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam vt notat *Leſſ. ibi* ex multis alijs) quatenus ex conſequenti infamiam infert proximo. 2. quia, ſin minus ex officio, ſaltem ex charitate, & quidem ſtrictiori quodam iure, tenetur prodeſſe proximo; ideòque cùm ad id ſe faciat ineptum, ſe infamando, vtique dicendus eſt peccare contrà charitatem: non ſecùs ac peccat contra charitatem, qui ſuam pecuniam, qua poſſet ſuccurrere pauperibus, abijcit. ita. *Leſſ. vbi ſup. alijque* communiter.

66 Vnde infert *Claus reg. l. 11. cap. 7. num. 15.* Religioſum remittentem reſtitutionem ſuę famæ ſine licentia Superioris peccare mortal. non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam; idque ob rationes allegatas *§. præcedenti*; additque, non obſtante, tali remiſſione, nihilominùs teneri infamatorem ſe retractare: niſi fortè Prælatus regularis ratificet eam remiſſionem; quod ipſe poteſt ſine dubio facere; cùm id præſtare poſſit, etiam reluctante Religioſo infamato, vt notauit *Petr. Nau. l. 2. de reſt. cap. 4. p. 3. num. 392.*

TRA-

TRACTATIO IV.

DE VOTIS REGVLARIVM

Tum communibus Status Religioſi, tum proprijs aliquorum Ordinum.

ACTVRI in præſenti Tractatione de tribus votis ſubſtantialibus Religionis, Paupertate ſcilicet, Caſtitate, & Obedientia, in quibus conſiſtit eſſentia profeſſionis religioſæ à nobis explicatæ in præcedenti tractatu: nec non de aliquibus alijs Votis, ac Iuramentis, quæ in aliquibus Religionibus peculiariter fiunt iuxta proprium ipſarum Inſtitutum, neceſſe eſt, vt priùs aliqua dicamus de votis Religioſis in communi, immò & de voto Religionis in genere: vt ſic melius intelligantur ea, quæ poſteà in progreſſu tractationis dicenda ſunt de ſingulis votis in particulari. Tractationem diuidemus in quinque Capita, in quorum 1. agemus De Votis Religioſis in communi, nec non de voto Religionis in genere: In 2. De Paupertate: In 3. De Caſtitate: In 4. De Obedientia: In 5. De alijs Votis, ac Iuramentis, quæ ex peculiari eorum Inſtituto ſanctè, ac laudabiliter in aliquibus Ordinibus emittuntur; quin etiam agemus de ſtatuto, quod habent Carthuſienſes non edendi carnes, neque in caſu, quo Medici iudicent illorum eſum neceſſarium eſſe ad tuendam vitam ex graui infirmitate periclitantem: ſtante quòd eiuſmodi ſtatutum ab aliquibus Doctoribus appellatur nomine Voti; cùm tamen verè non ſit Votum, vt oſtendemus ſuo loco. De his autem Votis, ac Iuramentis proprijs aliquorum Ordinum tractabimus eo ordine, quo ipſi Ordines, in quibus emittuntur, priùs, aut poſteriùs à proprijs Fundatoribus inſtituti ſunt, & à Sede Apoſtolica approbati.

CAPVT I.

De Votis Religioſis in communi, nec non de Voto Religionis in genere.

IN præſenti Cap. agendum nobis eſt tum de Votis Religioſis in communi, tum de Voto Religionis in genere; vnde maioris claritatis, ac diſtinctionis gratia Caput diuidemus in 2. Sectiones: In 1. agemus De Votis Religioſis in communi; In 2. De Voto Religionis in genere.

SECTIO I.

De Votis Religioſis in communi.

1 *Definitur votum in communi.*
2 *Definitur votum religioſum.*
3 *Quinque ſunt de eſſentia voti religioſi.*
4 *Requirit plenam deliberationem.*
5 *Factum ab ignorante non ſemper obligat.*
6 *Vota alicubi facta vltra tria ſubſtantialia religionis obligant, etſi fiant ex errore verſante circa accidentalia.*

7 *Vota profeſſionis religioſæ non obligant, ſi vnum ex ijs fiat per errorem verſantem circa ſubſtantialia.*
8 *Secus, ſi error verſetur ſolum circa accidentalia.*
9 *Voluntas indirecta in cauſa non ſufficit ad valorem voti.*
10 *Votum religioſum aliud ſolemne, & aliud ſimplex.*
11 *Oſtenditur in quo conſiſtat ſolemnitas voti religioſi.*
12 *Reÿcitur ſententia Suarez de ſolemnitate voti.*
13 *Item & refutatur ſententia Sanchez.*
14 *Reÿcitur & ſententia aliorum.*
15 *Voti ſolemnitas eſt duplex.*
16 *Votum ſolemne, & votum ſimplex differunt ſolum accidentaliter.*
17 *De ſolemnitate voti eſt. vt ſit externum, & publicum.*
18 *Vota religioſa mente ſolùm concepta obligant in conſcientia.*
19 *Item facta ad tempus, aut ſub conditione, ſed non faciunt religioſum.*
20 *Si profeſſio religioſa ſit nulla, & nulla ſunt vota, quæ fiunt alicubi vltra tria ſubſtantialia.*
21 *Vota facta à certo moraliter ſe ea violaturum, adhuc tenent.*
22 *Non item facta ex fine malo, aut indifferenti, ſi finis reſpiciat materiam voto promiſſam.*
23 *Vota ſubſtantialia religionis obligant religioſum, etiam Epiſcopum, etiam electum; non item alia, quæ alicubi fiunt vltra illa.*
24 *Ceſſant per mortem naturalem vouentis; quamuis non poſſet nubere religioſus Sacerdos mortuus, ſi forte reſurgeret.*
25 *Solus Papa diſpenſat ſuper votis religioſis.*
26 *Non item Prælati regulares, etſi ea fiant à nouitio ex priuata deuotione: at excipitur votum paupertatis, ac obedientiæ.*
27 *Vota religioſa ex genere ſuo obligant ſub mortali.*
28 *Sed non omnia obligant cum vitæ periculo.*
29 *Violatio voti ſæpiùs repetiti eſt vnicum paccatum.*
30 *Vouens ſeruare vota, ſi ea violet, item vnum facit peccatum.*
31 *Violatio cuiuslibet voti religioſi eſt eiuſdem ſpeciei; ſed non ſecundum quamcumque rationem in ipſis conſiderabilem.*
32 *Pœnitere de voto religioſo eſt peccatum mortale, ſed non ſemper.*
33 *Poteſt quis peccare vouendo, & tamen teneri voto.*
34 *Fictè emittens vota religioſa ea debet ratificare, aut recedere.*
35 *Faciens vota religioſæ profeſſionis nequit ſe obligare ſolùm ad actus internos.*
36 *Item nec poteſt velle ſe obligare ſolùm ſub veniali.*
37 *Opus factum ex voto eſt magis meritorium.*
38 *Vota ſpecialia religionum non ligant religioſum tranſlatum ad alium Ordinem, aut factum Epiſcopum.*

QVÆRES I. Quid ſit Votum.

1 ℞. Quòd eſt promiſſio deliberata facta Deo de meliori bono. colligitur ex *S. Tho. 2. 2. qu. 88. a. 1. & 2.* & ſic explicatur; dicitur *promiſſio*, quia votum non conſiſtit in nudo propoſito faciendi opus in honorem Dei, ſed præterea importat neceſſitatem obligationis: ſiquidem promiſſio facta verè, & non fictè, procedit ex voluntate ſe obligandi, ſicque per eam acquiritur ius promiſſario: dicitur *deliberatè* quia ad votum, ſicut & ad omnem aliam promiſſionem, quæ pariat obligationem, quam maximè requiritur liber conſenſus voluntatis; dicitur *facta Deo*, quia votum, cùm ſit actus latriæ, ſeu religionis, qua ſolus Deus colitur, propriè loquendo, non fit niſi Deo; dicitur denique *de meliori bono*, quia materia voti non ſolùm debet eſſe de re bona moraliter, ſed quæ ſit taliter bona, vt eius oppoſitum non ſit melius, & gratius Deo; quo pacto votum ludendi plerumque non tenet, eſto ludere recreationis cauſa ſit actus bonus, & virtutis, eo quòd oppoſitum illius (nempe non ludere) plerumque ſit melius & gratius Deo: vnde quando dicitur votum eſſe de meliori bono, non eſt ſenſus, quod ſit de re, quæ ex obiecto ſit optima, ſed quod ſit de re bona, tum abſolutè, tum per comparationem ad ſuum oppoſitum, vt benè aduertit Regin. *l. 18. num. 214.*

QVÆRES II. Quid ſit votum religioſum, de quo hìc in ſpecie loquimur.

2 ℞. Eſſe promiſſionem deliberatè factam Deo de meliori bono (quod eſt commune cuicumque voto) de meliori inquam bono, non quocumque, ſed quod ſit, ſiue de eſſentia ſtatus religioſi vt ſic, ſiue huius, vel illius religionis ex peculiari ſuo Inſtituto, aut certè de eius integritate, ratio definitionis eſt, quòd Religioſi vltra 3. vota eſſentialia religionis, paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, quæ ſunt de eſſentia ſtatus religioſi vt ſic, in aliquibus Ordinibus ex peculiari inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, emittunt alia vota tum ſolemnia (quale eſt votum vitæ quadrageſimalis in Ordine Minimorum, & alia ſuperius recenſita) quæ dici poſſunt eſſentialia huic, vel illi Religioni ex ſpeciali ſuo Inſtituto: tum ſimplicia (qualia ſunt ea quinque vota quæ fiunt in Soc. Ieſu à profeſſis, & alia item ſuperius relata) dicique poſſunt de integritate illius religionis, in qua emittuntur. hæc autem omnia vota comprehenduntur in definitione voti religioſi à nobis allata, quæ ideo cenſeri debet ſufficiens.

QVÆRES III. Quot, & quæ requirantur ad eſſentiam voti religioſi.

3 ℞. Requiri quinque nimirùm deliberationem, propoſitum, promiſſionem, vt talis promiſſio fiat Deo, & quod ſit de meliori bono. ita *S. Tho. ſup.* aliique cum eo communiter teſte *Sanch. l. 4. mor. cap. 1. num. 1.* & patet tum ex dictis *quæſt. 1.* tum quia votum eſt quædam lex priuata, quam vouens ſibi imponit ſua ſponte: obligatio autem non oritur ex ſimplici propoſito, ſed ex promiſſione, quæ præſupponit propoſitum promittendi, quòd eſt actus voluntatis procedens ex debita deliberatione conuenientiæ obiecti; præterea votum eſt actus religionis offerentis aliquid Deo; ac proinde debet dirigi in eius cultum, debetque eſſe de re ei magis grata, quàm ſit oppoſita: cùm Deus non acceptet promiſſionem ſibi factam de re impediente maius ſuum obſequium.

QVÆRES IV. Quæ deliberatio requiratur emittendis votis religioſis.

4 ℞. Requiri deliberationem plenam, & quæ ſufficeret

ficeret ad peccandum mort. ita vt vouens præmeditetur paſſionem illam, ex qua fortè impellitur ad vouendum finem, quo ducitur, idque conferendo illud, de quo deliberat, cum eius oppoſito; aliàs votum non eſt ſimpliciter, & plenè liberum. quamquam ad hoc non deſideretur mora temporis, ſed momento fieri poſſit; nec exigatur, vt deliberatio præcedat tempore, ſed ſolùm vt præcedat ordine naturæ; vt proinde valdè raro vota cenſeri poſſint irrita ex defectu deliberationis; cum quo tamen ſtat, vt votum factum ex ira, alioue motu paſſionis iudicium rationis obtenebrante, ac impediente deliberationem requiſitam ad peccatum m. ſit inualidum, vtpote emiſſum abſque debita deliberatione. ita *Laym. l.4. tr.4. cap.1. nu.2 & 3. Mol. tr. 2. D.267. num.3. Suar. l.4. de voto cap.9. num.4. Sanch. ſup. num.2. 3. & 4. Leſſ. l.2. cap. 40. num.1. Bonac. D.4. de leg. q.2 num.3.* alijque communiter: quorum aliqui bene notant ex eo quòd vouëtem paulò poſt pœnitet voti emiſſi, non ſequi in eo emittendo defuiſſe ſufficientem deliberationem (ſicut vult *Ang. v. votum 1. num.6.*) ſi quidem, mutatis circumſtantijs, facilè hominem pœnitet, etiam eorum, quę fecit ſumma deliberatione: cùm deambulatoria ſit hominis voluntas vſque ad mortem.

QVÆRES V. An, & quando maneat adſtrictus votis religioſis, qui ea emiſit ignorans, aut minùs benè aduertens difficultates, quę ineſſe poſſunt in eorum obſeruantia.

5 ℞. Diſtinguendo; vel talis ignorantia, ſeu inaduertentia eſt merè negatiua, ideſt abſque errore poſitiuo circa rem promiſſam; & ſic, ſi ea verſetur circa ſubſtantialia rei promiſſę, vouens remanet adſtrictus votis; cùm incogniti nulla ſit volũtas, adeòque pręſumi non poſſit vouentem ignorata rei ſubſtantia voluiſſe ad eam ſe obligare; ſecus, ſi verſetur ſolùm circà accidẽtalia: ſi quidẽ, cũ accidentia, ſiue circũſtantię ſint annexę rei promiſsę, eò ipsò quòd quis rem vouet, & eas vouiſſe cenſetur, niſi expreſsè excludat: vt ſi quis voueat ingredi ordinem Carthuſianorum ignarus in eo eſſe perpetuam abſtinentiam à carnibus, vtique manet voto obligatus, eſtò fortè non vouiſſet, ſi id cognouiſſet. Vel talis ignorantia eſt poſitiua habens annexum errorem poſitiuum; & ſic, ſi quidem iſte error verſetur circà ſubſtantiam rei promiſſę, non manet vouens adſtrictus votis religioſis (ob rationem ſuperiùs allatam:) ſi verò verſetur circà accidentalia tantùm, manet adſtrictus, etiamſi ea ſint talia, vt ſecundùm falſam exiſtimationem vouentis, obiectum notabiliter immutent, & vouens, ijs ſuppoſitis, re vera nõ vouiſſet, itaut talis error ſit antecedens, ſeu cauſa vouendi. & ratio eſt, quòd, quamuis votum ſimplex factum ex errore poſitiuo verſante circà accidentalia rei promiſſę notabiliter immutantia obiectum ſecundùm falſam exiſtimationem vouentis, non tenet, nec obligat; eò quòd vouens rem promiſſam non abſolutè vouerit, ſed vt affectam tali circumſtantia; quę, licèt ſit accidens obiecti, ſiue rei promiſſę materialiter, pertinet tamen quodammodo ad ſubſtantiam obiecti formaliter, ſiue pro vt eſt in intentione vouentis; nihilominùs id nõ habet locum in votis profeſſionis ſolemnis, quæ inſtar matrimonij carnalis ob nullum errorem ad ſubſtantiam rei promiſſæ non ſpectantem infirmatur (idque ob rationes allatas à *Sanch. l.10. de matr. D.9. n. 20.*) immò nec in votis ſimplicibus Scholarium, aut Coadiutorum formatorum Soc. Ieſu; quippe per quæ ij veri conſtituuntur Religioſi, & quaſi ſpirituale matrimonium contrahunt cum Chriſto, vt aduertit *Laym. ſup. num.5. ex Sanch. l.4. moral. cap.2. num. 4.*

An autem vota, ſiue ſolemnia ſiue ſimplicia, quæ vltra tria ſubſtantialia emittuntur in aliquibus Religionibus, obligent vouentem; ſi ea fiant ex errore poſitiuo modo ſupradicto verſante circa accidentalia rei promiſſæ notabiliter ſuperantia exiſtimationem ipſius vouentis.

6 ℞. Videri obligare; patetque ex eo quòd talia vota ſpectant vel ad eſſentiam talis ſtatus religioſi (ſi ſint ſolemnia) vel ad eius integritatem (vt ita dicam) ſi ſint ſimplicia: vnde *Suar. to.4. de relig. tract.8. l.2. cap.12. num.33.* eiuſmodi vota appellat vota ſtatus; modus autem tendendi voluntatis in obiectum abſolutè, & ſine vlla conditione appoſita illud amantis, conformis eſt naturæ obiecti ipſius: & ſic quando voluntas eligit ſtatum omninò fixum, ac indiſſolubilem; qualis eſt profeſſio religioſa, & matrimonium (adde tu) & electio talis ſtatus religioſi; electio eſt iuxtà modum congruentem ſtatui permanenti: cùm tamen valde incongruum ſit ſumere ſtatum dependenter ab alijs rebus, præter quàm ab ijs, quæ ſunt de ſubſtantia. pręter quàm quòd acceſſorium ſequitur naturam, & conditionem principalis; ideòque ſicut profeſſio religioſa facta ex errore verſante ſolùm circa accidentalia illius eſt valida, quantumuis ea excedant ęſtimationem vouentis; ita & valida erunt huiuſmodi alia vota, quę emittuntur vltra 3. ſubſtantialia; quippe quę ſe habent tanquam acceſſorium reſpectu Profeſſionis, quę gerit rationem principalis. ita viri docti à me conſulti, & meo iudicio ſatis probabiliter.

Quòd ſi quæras, an dato quod profitens emitteret ſolum aliquod votum, ſiue ex 3. ſubſtantialibus, ſiue ex alijs, quæ vnà cum ijs in aliquibus religionibus emittuntur, habens errorem poſitiuum circa ſubſtantiam illius; cum aliàs optimè noſſet, ac perſpiceret naturam, & conditionem aliorum votorum, quæ emittit; an, inquam, emiſſio ſaltem horum aliorum votorum ſit valida.

7 ℞. Non eſſe: idque ex defectu acceptationis; cùm religio non intendat acceptare Profeſſionem ſolùm inadæquatam (qualis eſſet, quæ in tali caſu fieret:) conſtat autem ad valorem Profeſſionis exigi legitimam acceptationem.

8 Ex quibus conſtat me olim benè reſpondiſſe validam fuiſse profeſſionem cuiuſdam Religioſi, qui intendebat eam elevare ex eo quòd, quando illam emiſit, nondum expertus fuerat magnas difficultates, quæ inerant in obſeruantia voti Caſtitatis, & quidem ipſæ tales, vt, ſi tunc eas cognouiſset certa experientia, ſicuti poſteà cognouerat, nullatenùs feciſset profeſſionem; & ratio eſt, quòd talis ignorantia, ſeu error non verſabatur circà ſubſtantiam religionis, ſed ſolùm circà accidentalia; ideòque quantumuis notabiliter ſuperarent exiſtimationem vouentis,

vouentis, nihilominùs irritam non reddebant profeſſionem ob dicta in reſponſione principali: præter quam quod alioqui innumeræ profeſſiones Religioſorum vtriuſque ſexus cenſendæ eſſent irritæ; ſicque monaſteria paulatim euacuarentur cum fidelium ſcandalo, & religioſi nominis non leui diſpendio.

Qualiter verò vota religioſa irritentur ex vi, aut metu incuſſo vouenti; conſtat ex dictis in *tract. de profeſſ. cap.1. quæſ.22.* vbi etiam *quæſ. 21.* fuſiuſculè diſſeruimus de errore, ignorantia, & dolo concurrentibus ad profeſſionem religioſam; vt proinde non ſit opus hìc ea iterum repetere.

QVÆRES VI. An, & quo modo voluntas indirecta in ſua cauſa, aut certè virtualiter manens in ſuo effectu ſufficiat ad validè emittenda vota religioſa.

9 ℞. Voluntatem quidem virtualiter permanentem in ſuo effectu ſufficere, cùm ea ſufficiat etiam ad validè conſecrandum, vt patet; non ſufficere verò voluntatem indirectam in ſua cauſa (qualis eſſet, ſi ſciens te in ebrietate ſolitum eſſe edere multa vota, nihilominùs te inebries, & in ebrietate aliquod votum de facto emittas;) & ratio eſt, quòd, cùm ad ſubſtantiam voti requiratur directa voluntas ſe obligandi, & hæc non poſſit haberi in ebrietate; conſtat votum emiſſum ab ebrio non eſſe verum votum, & conſequenter non poſſe dici volitum indirectè in ſua cauſa: quo modo volitum dicitur homicidium in ebrietate factum ab eo, qui ante ebrietatem ſcit ſe tempore ipſius ebrietatis conſueuiſſe committere homicidia, & tamen ſe inebriat, & in ebrietate occidit; homicidium enim factum in ebrietate eſt verum homicidium, ſicque dici poteſt indirectè volitum in ſua cauſa, vt rectè notat *Laym. ſupr. numer.* 4. ex communi DD. ſenſu.

QVÆRES VII. Quotuplex ſit votum religioſum.

10 ℞. Eſſe duplex, nimirùm ſimplex, & ſolemne; commune, & proprium, ſeu ſpeciale; votum ſimplex conſiſtit in nuda promiſſione rei votæ ſine vlla ſolemnitate inſtituta ab Eccleſia: qualia ſunt quinque vota, quæ Profeſſi Soc. Ieſu emittunt coram Superiore priuatim in Sacriſtia, poſt quam publicè emiſerunt profeſſionem in Eccleſia; votum ſolemne eſt illud, quod vt tale acceptatur ab Eccleſia, & fit cum ceremonijs, ac ſolēnitatibus ab ipſa Eccleſia inſtitutis: quo modo teſtamentum dicitur ſolemne quando fit cum tabellione, certo teſtium numero, & alijs conditionibus iure requiſitis, quę dici poſsūt ſolemnitates teſtamenti; talia ſunt 3. vota ſubſtantialia, quæ communiter emittuntur in profeſſione religioſa, votum vitæ quadrageſimalis, quod faciunt PP. Minimi, & alia ſimilia, quæ iuxtà dicta emittuntur in aliquibus Religionibus; votum commune eſt illud, quod fit ab omnibus Religioſis, ita vt implicet eſſe religioſum, & non adſtringi tali voto; eiuſmodi ſunt 3. vota eſſentialia religionis; votum proprium, ſeu ſpeciale eſt illud, quod ex peculiari inſtituto vniuſcuiuſque Ordinis in eo emittitur, non autem in alijs religionibus, & non tam efficit religioſum, quam religioſum talis religionis; qualia ſunt ea quinque vota, quæ diximus fieri in Soc. Ieſu à profeſſis, & alia ſuperius enumerata.

QVÆRES VIII. In quo conſiſtat ſolemnitas Voti religioſi.

11 ℞. Conſiſtere in eo, quòd cum certis ceremonijs ac ſolemnitatibus fiat in religione approbata, & quidem coniunctim profeſſioni religioſæ, & (ſicut alij loquuntur) eodem contextu cum tribus votis eſſentialibus religionis; ſiue poſtea habeat annexum effectum aliquem moralem (v.g. aliquam incapacitatem, aut inhabilitatem) ſiue non habeat. Ratio reſponſionis eſt, quod cum ſolemnitas voti ſit ens quoddam morale inſtitutum ab Eccleſia, vt clarè habetur in *cap. vn. de voto in 6.* & ipſa Eccleſia potuerit plura, vel pauciora requirere ad voti ſolemnitatem, pluresque, aut pauciores effectus ei tribuere (ſicut benè notauit *Leſſ. lib.2. cap.40. num.141.*) de facto videtur non aliter illud inſtituiſse, ac nos deſcripſimus; ſi quidem à parte rei nullum datur votum, quod in Eccleſia habeatur pro ſolemni (etiam loquendo de ijs votis, quæ in aliquibus Ordinibus peculiariter fiunt,) quod non fiat in religione approbata, coniunctim profeſſioni religioſæ, & vno, ac eodem cōtextu cum votis ſubſtantialibus religionis, vt facilè conſtabit conſideranti vſum dictorum Ordinum: ſicut ècontrà nullum datur votum ſimplex inter ea, quæ item fiunt in aliquibus Ordinibus, in quo ſupra dicta verificentur; ergò ſignum eſt in ſupradictis conſiſtere ſolemnitatem & per ea contradiſtingui votum ſolemne à ſimplici. Colligitur magna ex parte ex *Leſſio loco ſup. cit.* ſatiſque probabiliter.

12 Dixi, *ſiue poſteà habeat annexum effectum aliquem moralem, &c.* quia mihi non probatur, quod ait *Suar. tom.3. de relig. l.2. cap.* 10. *num.* 3. *& alibi*, ſolemnitatem votorum non poſse ſufficienter explicari, niſi per aliquos peculiares effectus morales ex Eccleſiæ inſtitutione adiunctos ipſis votis; quamuis enim talis effectus reperiri poſſit in 3. votis ſubſtantialibus religionis, nempe incapacitas dominij in voto Paupertatis, inhabilitas ad matrimonium validè contrahendum in voto Caſtitatis, & impotentia ad ſe obligandum ſiue naturaliter, ſiue ciuiliter abſque conſenſu proprij Prælati in voto obedientię: in alijs tamen votis, quæ in Eccleſia admittuntur tanquam ſolemnia, non ita facilè inuenietur aliquis talis effectus; immò nec ſimpliciter inuenietur in aliquo illorum, vt conſideranti eorum naturam nullo negotio conſtabit; vt proinde *Sanch. l.5. mor. cap. 1. nu.6.* opinionem Suarez acriter confutet.

13 Quod vero docet *Sanch. loco cit. numer.* 11. *&* 13. voti ſolemnitatem conſiſtere in certo quodam genere perpetuitatis, quæ ſe teneat tum ex parte Religioſi, tum ex parte Religionis; hinc inferens vota quæ fiunt in Societate Ieſu poſt biennium, non eſſe ſolemnia, ſed ſimplicia (quamuis alias ex Gregorij XIII. declaratione vim habeant dirimendi ſubſequens matrimonium, quod aliqui videtur ſufficere ad ſolemnizandum votum caſtitatis, vt patet in voto annexo Ordini Sacro) eo quòd inhabilitent ad matrimonium, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed ſolùm quamdiu manent in Societate, quod eſt dicere ea vota nō eſſe ſolemnia ex defectu omnimo-

dæ

de perpetuitatis. hoc inquam, quod docet *Sanchez* non omninò ſatisfacit; ſi quidem vota ſimplicia, quæ peculiariter emittuntur in aliquibus Ordinibus ſunt omninò perpetua, & tamen ex communi ſenſu dictorum Ordinum non reputantur ſolemnia: ſicut nec ſolemnia reputantur vota ſimplicia, quæ à profeſſis Soc. Ieſu emitti ſolent poſt profeſſionem, cum tamen ipſa omnimodam habeant perpetuitatem; non ergo ſolemnitas voti conſiſtit in omnimoda perpetuitate. Vnde præfata vota ex eo reputantur non ſolemnia, eo quòd non fiant coniunctim profeſſioni religioſæ, & vt ita dicam, eodem contextu, ſed ſeorſim: nimirum (loquendo de votis Societatis) in Sacriſtia, & finita miſſa; cùm profeſſio fiat in publica eccleſia immediatè poſt communionem Sacerdotis, qui illam acceptat.

14 Multò minùs ſatisfaciunt illi, qui dicunt ſolemnitatem voti conſiſtere in quadam benedictione, aut actuali traditione dominij ſui ipſius in manus Dei, ac Prælatorum vices Dei gerentium, ipſiuſque nomine illam acceptantium: quos cùm latè impugnet *Suar. ſup. c. 6. & 7.* non eſt cur nos immoremur in ijs refutandis.

15 Moneo ſolum in votis religioſis duplicem poſſe ſpectari ſolemnitatem; ſubſtantialẽ vnam, accidentalẽ alteram: ſubſtantialis eſt ea, quam hactenus deſcripſimus; accidentalis eſt, quæ conſiſtit in quibuſdam ceremonijs: quo modo etiam inter Gentiles quædam uota uocabantur ſolemnia, quia uerbis concepta, & ſolemni ritu fiebant; prout notat *Tiraq. l. 2. genial. cap. 11.*

An autem votum religioſum ſolemne, & votum ſimplex inter ſe differant per ſe, eſsentialiter, & ex natura rei, vel ſolùm accidentaliter, extrinſecè, & ex inſtitutione Eccleſiæ.

16 ℞. Differre ſolùm accidentaliter, extrinſecè, & ex inſtitutione Eccleſiæ, adeòque totam ſolemnitatem voti religioſi eſse iuris eccleſiaſtici. patet ex *cap. vn. de voto in 6.* vbi dicitur, Voti ſolemnitas ex ſola Eccleſiæ conſtitutione inuenta: quæ verba vtique non poſsunt intelligi de ſolemnitate accidentali, vt optimè probat *Sanch. l. 7. de matr. D. 25. n. 2.* qui noſtram ſequitur ſententiam cum *Scoto 4. d. 38. q. vn. Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 7. d. 1. Azorio tom. 1. l. 12. c. 6. q. 1.* & alijs quos ſequitur etiam *Portell. de dub. Regul. v. votum num. 22.* dicens noſtram ſententiam eſse communem DD.

Vtrum uerò ad hoc ut uotum ſit ſolemne, requiratur, ut ſit externum, & aliquo modo publicum.

17 ℞. Requiri; externum quidem, quia nullum votum eſſe poteſt ſimplicius eo, quod eſt purè mẽtale: vnde, vt ſit aliquo modo ſolemne, debet ſaltem addere externam aliquam manifeſtationem: præter quàm quòd votum non dicitur ſolemne, niſi in ordine ad Eccleſiam, adeòque debet ei de illo conſtare; non conſtabit autem, niſi ſit externum; publicum verò aliquo modo, quatenus debet acceptari à Superiore, & conſequenter debet fieri in præſentia ipſius; quod tamen non eſt eſſe publicum propriè, ac rigoroſè; cùm non dicatur propriè publicum, quòd fit ſolùm coram vno, vt pote quod non eſt notorium, nec poteſt probari humano modo; vnde dixi votum, ut ſit ſolemne, debere eſſe aliquomodo publicum. ita *Suar. c. 5. numer. 5. & 6.* concludens *nu. 7.* quòd, ſicut etiam modò matrimonium factum coram Parocho, ac teſtibus ſine præuijs denuntiationibus, & per fraudem, aut uim aliquam illatam Parocho dicitur non ſolemne, eſtò ſit ratum, & ualidum ſubſtantialiter: ita poteſt contingere uota profeſſionis eſſe ſubſtantialiter ſolemnia, quatenus uouens offert ſe ipſum religioni, & Superior legitimus talem oblationem acceptat nomine Eccleſiæ, ſeu Dei; & tamen carere ſolemnitate accidentali ſecundùm antiquiſſimum morem Eccleſiæ conſiſtente in modo externo profitendi; ſicut è contrà poteſt dari uotum exteriùs ſolemne, ideſt cum certo ritu, ac ceremonijs externis factum, quod tamen careat ſubſtantiali ſolemnitate: quo modo aliàs uotum Caſtitatis Scholarium Soc. Ieſu etiam factum cum illa eadem ſolemnitate, qua modò fit, ante Conſtitut. Gregor. XIII. non irritabat ſubſequens matrimonium, quod tamen requiritur ut uotũ caſtitatis ſit ſolemne; quamquam non ideò uotum caſtitatis, quod emittunt præfati Scholares Societ. dici nunc poſſit ſolemne ob rationem ſuperiùs adductam *§. quod autem deſit.*

QVÆRES IX. An, & quo modo obligent vota religioſa mentaliter ſolùm emiſsa abſque vllo ſigno ſenſibili.

18 ℞. Obligare coram Deo, quamuis aliàs per ea vouens non conſtituatur verus Religioſus, & quidẽ quòd obligent, conſtat, quia votum, cùm fiat Deo ſcrutanti corda, & renes, ad ſui obligationem non indiget vllis ſignis externis, ſed ſola mente emitti poteſt: quod non habet locum in promiſſione humana, eò quòd homo non intuetur intima cordis; quod communiter tradunt DD. cum *S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 1.* (excipe, niſi fortè vouens expreſsè intendat ſe obligare ad vota promiſsa, ſolùm quatenùs putat ſe per ea effici verum religioſum; tunc enim vota nullo modo obligarent, cum ſint quaſi conditionata, & alioqui conditio non impleatur.) quòd verò per talia vota vouens non fiat verus Religioſus, inde patet, quòd talis effectus neceſsariò ſupponit ea acceptari à Religione: quo modo autem poteſt fieri talis acceptatio, ſi religioni nullo modo conſtat de talibus uotis, utpote mentaliter ſolùm emiſſis? unde fit, ut eiuſmodi uota obligent per modum uoti ſimplicis, & non aliter.

QVÆRES X. An teneant uota religioſa, quæ fortè emittantur à religioſo profitente animo non ſe obligandi ad ea, niſi pro certo tempore, aut ſub aliqua certa, ac determinata conditione.

19 ℞. Tenere quo ad effectum obligandi in foro conſcientiæ (iuxta intentionem tamen uouentis limitatam) & quidem eo modo, quo diximus qu. præcedenti in caſu ſimili; non item quò ad effectum conſtituendi uerum Religioſum: idq; ob rationem allatam præcedenti quæſt. in caſu non diſſimili, ubi etiam attulimus, quę facere poſſunt ad probandam priorem partem præſentis quæſtionis.

QVÆRES XI. An caſu, quo profeſſio ſit inualida, inualida conſequenter maneant vota, ſiue ſolemnia, ſiue ſimplicia, quæ vltra 3. vota ſubſtantialia

tialia religionis emitti ſolent peculiatiter in aliquibus religionibus.

20 ℞. Eſſe niſi fortè profitens expreſsè intendat ſe obligare ad poſteriora iſta vota independenter ab ipſa profeſſione (quod ſine dubio poſſet facere, loquendo quo ad forum conſcientiæ, vt conſtat ex dictis *ſup. q. 9.*) ratio eſt tum quia corruente principali corruit & acceſſorium; profeſſio autem eſt principale, & poſteriora illa vota habent rationem acceſſorij, ac proinde illa corruente, corruent & iſta; tum quia obligatio voti non excedit intentionem vouentis; cum ergò profitens in caſu propoſito regulariter non præſumatur intendiſſe ſe obligare ad præſata vota poſteriora, niſi dependenter à valore profeſſionis; hoc ipſo quòd hæc eſt inualida, nulla erunt etiam illa alia vota, & conſequenter nullam inducent obligationem.

QVÆRES XII. An teneant vota religioſa emiſſa ab eo, qui motalem habet certitudinem ſe ea violaturum, ſiue ex propria fragilitate, ſiue ex malitia, & praua conſuetudine.

21 ℞. Tenere dato etiam quòd votum religionis, aut caſtitatis, aut non ineundi matrimonij ſit irritum in eo, cui ſalubtius iudicatur fore, vt ineat matrimonium ob incontinentiam (quod docet expteſsè *Petr. Ledeſma*, & videtut ſupponete Valentia apud *Sanch. l. 4. mor. cap. 8. nu. 9.* aſſerentem *num.* 10. eorum argumenta eſſe fortiſſima, & ſpeculatiuè perſuadere intentum:) Ducot quòd qnamuis præfato vouenti, quatenus eſt ſingularis perſona melius ſit dictis votis non ſeruatis, tranſire ad ſęculum, iuxtà illud 1. *Cor. 7. melius eſt nubere, quam vri*; ei tamen, quatenus eſt pars communitatis religioſæ, aut etiam Eccleſiæ, atque adeò omnibus conſideratis, melius eſt, & gratius Deo, vt ceuſeatur votis iam emiſſis adſtrictus: idque ob plurima mala, & ſcandala, quæ in Eccleſia, ac religionibus identidem ſuborirentur, ſi quilibet religioſus proprio iudicio poſſet redire ad ſæculum poſt emiſſam profeſſionem, eo quòd ſe nimis procliuem cognoſceret ad delinquendum contra vota religioſa à ſe emiſſa; vnde fit, vt reſpectu talis religioſi non poſſit ſimpliciter dici melius ipſi eſſe non ſeruare vota promiſſa: cùm potius ei tanquam patti religioſæ Communitatis melius ſit ea ſeruare ad cauenda mala, quæ alias dictæ communitati imminent, & conſequentet etiam ipſi tanquam parti illius. præter quàm quòd cùm vota religioſa ex ſe conſtituant vouentem in ſtatu perpetuo, ac ſtabili, non eſt æquum, ut vouens poſſit ea diſſoluere propria auctoritate, ſeque ab ijs liberare; non ſecus ac diximus *q. 5. in reſp. principali* profeſſionem non infirmari ex errore verſante circa accidentalia rei promiſſæ, licet notabiliter ſuperantia exiſtimationem vouentis, eo quòd per profeſſionem eligatur ſtatus omninò fixus, ac indiſſolubilis; quem proinde dedecet pendere ab alijs rebus, præter quam ab ijs, quæ ſunt de ipſius ſubſtantia; ſicut benè aduertit *Sanch. l. 10. de matr. D. 9. num.* 20. quæ ratio videtur proportionaliter militare etiam in caſu noſtro, vt facilè conſtabit conſideranti. Colligitur reſponſio ex *Sanch. l. 4. mor. cap. 8. num.* 10. qui in confirmationem prioris rationis adductæ pro iſta reſponſione ſuſtinet cum *Maiore in 4. d. 38. quæſt.* 1. non oportere materiam voti eſſe meliorem vouenti, ſed ſufficere, vt in ſe ſit melior; additque loquendo de voto religionis, caſtitatis, ac matrimonij non contrahendi, ad hoc vt eorum obligatio ceſſet, oportere præſtantius eſſe vouenti contrarium, non ſolum vt ſingulari perſonæ, ſed vt parti communitatis: idque ob maximam talium votorum præſtantiam; quæ doctrina, ſi habet locum in præſatis votis, vtique magis habebit in votis eſſentialibus religionis.

Ex qua doctrina infero quod quamuis Papa ſimpliciter loquendo poſſet votum ſolemne Caſtitatis totalis, quod fit in aliquo Ordine militari, reſtringere ad Caſtitatem coniugalem, quæ vouetut in alijs Ordinibus militaribus; idque ad vitanda ſacrilegia, & ſcandala, quæ alias oriri poſſunt: id tamen non expedit, neque quo ad eos, qui iam emiſiſſent dictum votum ſolemne; neque quo ad eos, qui illud in futurum emiſſuri eſſent in eo Ordine; cùm hoc ſit, ſin minus deſtruere Ordinem illum (vt aliqui volunt) ſaltem illum reddere minùs perfectum in tatione Religionis; & hoc bonum commune præferendum videatur malo particulari ſacrilegiorum, aut ſcandalorum inde conſequentium: proportionaliter ut dicunt Doctores de cœlibatu Sacerdotum ſęcularium in Eccleſia latina.

QVÆRES XIII. An vota religioſa teneant ſi fiant ex malo fine, aut etiam indifferenti.

22 ℞. Non Tenere, ſi intentio rei malæ, aut indifferentis ſit finis materiæ promiſſæ per ipſa vota, patetque ex dictis in *tract. de profeſſ. cap. 1. queſt. 24. &* 33. vbi etiam innui facientem vota religioſa ex duplici fine, vno bono, & altero malo, aut indifferente, peccare quidem mort. non tamen teneri talibus votis, ſi eos fines intendit collectiuè, & per modum vnius: idque ob rationem ibi adductam.

QVÆRES XIV. An vota religioſa, ſiue communia, ſiue propria aliquorum Ordinum obligent teligioſos, etiam factos Epiſcopos, etiam eiectos.

23 ℞. Quòd cum Religioſus, etiam promotus ad epiſcopatum, etiam legitimè eiectus in perpetuum verè maneat religioſus, vt conſtat ex ratione allata in *tr. de profeſſ. c. 5. ſect. 1. q. 7. & 9.* ac proinde manet obligatus quo ad uota ſubſtantialia religionis: niſi quod promotus ad epiſcopatum, aut aliam dignitatem ſæcularem eximitur ab obedientia Prælatorum regularium, ac obſeruantijs Ordinis, nec non à votis, quæ fortè vltra 3. ſubſtantialia emiſerat; eiectus verò manet quidem obligatus votis ſubſtantialibus, etiam obedientiæ quo ad aliquos caſus recenſitos à *Lezana tom. 1. cap. 23. num.* 12. non item alijs votis, quæ vltra 3. eſſentialia emiſerint, neque obſeruantijs regularibus, ut oſtendemus in *tractat. de priuil. cap. 8. ſect. 2. quæſt. 17. &* 18. probantes *quæſt.* 17. religioſum eiectum non teneri ad omnimodam paupertatem: quod idem ſine dubio aſſerendum eſt de teligioſo promoto ad Epiſcopatum, ut infra probabimus agentes de uoto religioſæ paupertatis.

QVÆRES XV. An obligatio vororum religioſorum morte naturali ita extinguatur, vt, ſi vouens ad vitam reſtituatur, ab eis omninò ſit liber.

℞. Extin-

24 ℞. Extingui, ideòque religioſum in tali caſu licitè, & validè poſſe inire matrimonium, niſi ſit ordine ſacro initiatus. ducor non quòd religioſus profitens voueat ſolùm ſe toto vitæ curriculo ſeruaturum vota (ſicut putant *Ang. v. mors numer.3.& Sylu. v. reſuſcitatus n. vnico* hinc inferentes ſecùs fore, ſi profiteus abſolutè voueret, quod reijcit *Sanch. ſup. cap 14. num. 41. ex Nau.*) ſed quòd omnia eiuſmodi vincula, ſicut & matrimonij non obligant, niſi pro ſolo tempore vitæ, vt ſupponit; *Sanch. vbi ſup.* poteſtq; probari ex eo quòd *mors omnia ſoluit Auth. de nuptijs §. deinceps*, & obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit. ita *Sanch. loco ſup. cit. Sylu. vbi ſup. & v. diuortium num. 5. Abb. in cap. fraternitatis de frigid. & malefic. num. 22.* alijque contrà *Io. Andr. & alios* ad dictum *cap. fraternitatis* abſolutè uegantes vota extingui morre: vtpote quæ fiunt Deo, qui non moritur. Dixi, *niſi ſit ordine ſacro initiatus, &c.* vt indicarem probabile mihi videri, quod loco cit. ſubdit *Sanch.* religioſum ſacerdotem, ſi ad vitam reuocetur, non poſſe matrimonium inire, non quidem ratione votorum, quæ emiſit in profeſſione, & per mortem manent extincta, ſed quòd verus ſacerdos reſurgat, & ſpontè ſuſcepit ſacerdotium perpetuò duraturum, ſicque tenetur ad leges eccleſiaſticas ſacerdotum, quarum vna eſt, vt ſponte ſua ordinatus ſit inhabilis ad matrimonium: quo modo etiam maneret inhabilis ad nubendum, qui in ſuſceptione ordinis ſacri expreſsè intenderet non vouere caſtitatem; idque non ratione voti, ſed ratione præcepti eccleſiaſtici; quamquam oppoſitum non improbabile videatur, vt concedit idemmet *Sanchez* dum ait hoc, quod ipſe ait, eſſe verius.

QVÆRES XVI. An, & à quo diſpenſari poſſint vota religioſa.

25 ℞. Poſſe, ſiue ſint ſimplicia, ſiue ſolemnia, ſiue communia omnibus religioſis, ſiue propria huius, vel illius Ordinis: non tameu ab alio, quàm à Papa. conſtat reſponſio ex dictis in *tract. de profeſſ. cap. 4. ſect. 1. q. 4. ex dicendis §. ſequenti, & ex Sanch. lib. 5. mor. cap. 2.* per totum. Addo hìc ſolùm Vrbanum VIII. in ſua Conſtit. *Honorum* edita 26. Febr. 1643. declaraſſe votum non ambiendi dignitates extrà religionem, quod fit in aliquibus Ordinibus cum clauſula *niſi adſtringar præcepto eius, qui mihi de iure poteſt præcipere* poſſe diſpenſari à ſolo Papa, ipſumque ſolum venire in dicta clauſula nomine eius, qui de iure præcipere poteſt: quod eſt benè aduertendum.

Solùm hìc poſſet obiter quæri, an, & quo pacto Prælati regulares poſſint diſpenſare, ſeu alirer relaxare vota eſſentialia religionis, quæ interdum Nouitij ſolent ante finem probationis emittere ex priuata denotione.

26 ℞. Quòd, cùm iuxtà dicenda in *tract. de priuilegijs* Regulares poſſint diſpenſare, & commutare vota etiam à perſonis ſæcularibus facta, non tamen in ijs. quæ ſpecialiter reſeruanrur Papæ, conſequenter eandem poteſtatem habent ſup. vota nouitiorum non reſeruata; qualia ſunt vota ſimplicia paupertatis, & obedientiæ, (non item votum caſtitatis, quod recenſetur inter reſeruata Papæ:) immò & alia vota ſpecialia, quæ ex peculiari inſtituto aliquorum Ordinum fiunt, ſi fiant à nouitio modo ſuptadicto. ducor quòd omnia iſta vota, prout emittuntur à nouitio ex deuotione priuata, ſunt ſimplicia, & non reſeruata, (vt ſuppono) ergò cadunt ſub generalem poteſtatem, quam habent Regulares ſuper vota quò ad ea commutanda, ſeu diſpenſanda; cùm tamen ea poteſtas non extendatur ad vota, etiam ſimplicia, quæ in aliquibus religionibus fiunt vltra 3. eſſentialia à profiteutibus, vt probabimus in *tract. de priuileg. cap. 3. ſect. 2. ſubſ. 3. q. 18.* & ratio diſparitatis eſt, quòd talia vota, prout emittuntur à profitenre, ſunt vota ſtatus, & exiguntur veluti ad complementum talis profeſſionis, ideòque non eſt æquum, vt ea ita facilè diſſolui poſſint: ne aliàs poteſtas ſuper vota dicatur data, non in ædificationem, ſed in deſtructionem: quod tamen non euenit in caſu, quo præfata vota relaxentur in Nouitio, qui ea ex deuotione priuata emiſerit; an autem nouitiorum vota irritari poſſint à Prælatis regularibus conſtat ex dictis in *tract. de nouitiatu cap. 7. q. 16.*

QVÆRES XVII. An, & qualiter vota religioſa obligent ſub peccato mort.

27 Obligare, niſi excuſet defectus debitæ deliberationis, aut leuitas materiæ. ita *Suar. tom. 2. de relig. l. 5. de voto cap. 4. num. 4. & 5.* patetque quia infidelitas ſerui ad dominum importat magnam irreuerentiam arg. *l. 1. C. de conſtit. pecun.* & quò grauior eſt perſona, cui frangitur, eo maius eſt delictum; vt per ſe patet, & ſumitur ex *l. 1. §. meritò ff. depoſiti:* ergò violatio voti, quæ eſt ſpecies infidelitatis hominis ergà Deum, erit grauis iniuria, & ſubinde graue peccatum; niſi eius grauitas extenuetur ratione indeliberationis, aut ex leuitate materiæ, vt iam dixi: quod eſt commune alijs grauiſſimis peccatis, infidelitatis, deſperationis, odij Dei, &c. ſicuti aduertit *Suar. num. 4.*

QVÆRES XVIII. An vota religioſa obligent, etiam cum periculo vitæ.

28 ℞. Non obligare, niſi eorum materia ſit de re intrinſecè mala: qualis eſt violatio voti Caſtitatis. Colligitur ex *Baldello l. 5. D. 26. num. 3. & 4.* & probatur quia ex vna parte, quæ ſunt per ſe, & intrinſecè mala, uumquam poſſunt eſſe licita, cùm nullo fine bono cohoneſtari queant iuxtà illud *Rom. 3.* non ſunt facienda mala. vt inde eueniant bona; ex alia parte certum eſt dari caſum, in quo neque ipſa lex naturalis, & diuina obligat cum periculo vitæ, (vt conſtat in lege naturali de ſatisfaciendo creditori, de reddendo depoſito, de non accipiendo alieno, de non occidendo:) vnde mirum non eſt, quòd, licèt impletio voti ſit de iure naturali diuino, nihilominùs in aliquo caſu non obligat, nimirùm cùm periculò vitæ, aut graui alio incommodo.

QVÆRES XIX. An violatio uoti ſæpiùs repetiti, aut renouati importet unum peccatum, an multiplex; ut ſi Religioſus ex ſua deuotione ſæpè renouauit uota religioſa, & poſtea aliquod illorum uiolet.

29 ℞. Non importare, niſi unicum peccatum: idque etſi renouans uota intendat ſibi imponere nouam obligationem. ita *Sanch. l. 1. mor. cap. 14. nu. 10. & l. 7. de matr. D. 27. num. 25. Henriq. l. 5. cap. 5. num. 6.*

Azor.

Azor. tom. 1. l. 11. cap. 13. de voto q. 1. Baldel. l. 2. D. 23. num. 11. alijque & probatur quia renouatio voti nihil addit obligationis de nouo; uel ſi addit ſolùm addit obligationem diſtinctam numero, & pertinentem ad eandem uirtutem religionis, & ad cultum eiuſdem perſonæ; ideoque nihil habet, vnde poſſit tribuere multiplicitatem peccati, quod vt dixi, verum eſt, quod quantumuis renouans votum intendat nouam ſibi imponere obligationem; ad hoc enim non ſufficit ſola intentio, aut voluntas, ſed prætereà requiritur capacitas materiæ: vt ſcilicet materia non ſit vnica, vel non ſub vnica ratione, & ex vna tantũ virtute; alioqui poſſet quis etiã ſemel vouendo imponere ſibi mille obligationes, & efficere, vt poſtea quælibet transgreſſio voti eſſet mille peccata numero diſtincta; quod nullus dicet.

Porro in Congregatione generali 8. *can.* 4. declaratum fuit; quod dicitur in Conſtitutionibus Societatis *Renouare vota non eſt obligatione noua ſe obſtringere, ſed eius, qua obſtricti ſunt, recordari*: intelligendum eſſe, vt hactenus intellectum fuit, quando ſcilicet renouatio priori ſuperuenit obligationi: non vero, quando nullam inuenit obligationem, & hoc ipſum in regulis magiſtri Nouitiorum exprimendum eſt, & ab eodem magiſtro apertè explicandum Nouitijs, cùm vota poſt biennium debent emittere. Vt intelligant renouationes votorum à ſe deinceps de more Societatis faciendas habere vim primæ nuncupationis; ſi fortè ex defectu ętatis, biennij, alijſue ſimilibus iam ceſſantibus, prima vota vim ſuam non obtinuerint.

QVÆRES XX. An Religioſus, qui vouit ſeruare vota religioſa, duplex peccatum committat quoties aliquod illorum violat.

30 ℞. Non committere, niſi vnicum peccatum, loquendó de violatione voti vt ſic ratio eſt, quod votum ſeruandi vota religioſa nihil aliud eſt, quam ipſa vota religioſa iterata alijs verbis explicata; ſi quidem vouens paupertatem religioſam v. g. virtute, & in actu (vt ſic loquar.) exercito vouet implere tale votum, cùm ex vi ipſiuſmet voti paupertatis obligetũr ad ipſum implendum; ita vt tale votum non poſſit ſeparari ab oligatione fidelitatis ſeruandi illud: quæ obligatio prouenit ex ipſo voto ſicque virtute includit illam quaſi reflexionem in ſe ipſum: quo modo promittens rem, ſimul, & ſemel promittit eius obſeruationem; ſicut ergò trãſgreſſio voti ſępius repetiti non eſt niſi vnicum peccatum, ita & violatio voti ad quod ſeruandum vouens ſe obligauit nouo voto, non importabit niſi vnicam malitiam, & vnicum peccatum colligitur ex *Suar. ſup. c. 6. n.* 17. pateťque ex dictis.

QVÆRES XXI. An violatio votorum religioſorum ſit eiuſdem ſpeciei reſpectu cuiuſcumque illorum.

31 ℞. Eſſe, ſi violatio voti ſpectetur formaliter, quatenus ſcilicet opponitur virtuti religionis, & importat malitiam perfidiæ, in qua conſiſtit ratio formalis malitiæ violationis voti; non autem ratione materiæ ipſorum votorum, ex qua deſumitur malitia quaſi materialis violationis voti; quo modo transgreſſio voti caſtitatis importat malitiam intemperantiæ, & violatio voti paupertatis malitiam furti, ac iniuſtitiæ, diſponendo de re, quæ non eſt diſponentis, & abſque conſenſu proprij domini ſic enim violatio voti religioſi duplicem continet malitiam, alteram formalem contra votum, & alteram quaſi materialem contra virtutem, cui opponitur violatio tanquam materię voti. Colligitur ex *Vaſq. t. 2. D. 99. cap. 4. num. 20. Suar. ſup. cap. 3. numer. 9. Baldell. l. 2. D. 12. num.* 11. alijſque & probatur tum quia teſte *Vaſq.* obſeruatio cuiuslibet voti formaliter accepta, in quantum pertinet ad fidelitatem erga Deum; eſt eiuſdem ſpeciei, cùm quo ad hoc non attendatur materia, circa quam ſunt vota; ergo & eiuſdem ſpeciei erit transgreſſio cuiuſcumque voti; ſiue ſit de hac materia, ſiue de illa; cùm quælibet talis transgreſſio careat eadem rectitudine fidelitatis debitæ Deo ratione voti; tum quia ratio formalis malitiæ violationis voti eſt perfidiæ ad Deum, vt conſtat ex dictis; hæc autem eſt eiuſdem rationis, ac ſpeciei in tranſgreſſione cuiuſcumque voti.

QVÆRES XXII. An peccet religioſus, ſi ipſum pęniteat de votis religioſis à ſe emiſſis.

32 ℞. Peccare, & quidem mort. peccato oppoſito ipſis votis, ſi talis pęnitentia ſit efficax in ordine ad eorum obſeruationem: quatenus ſcilicet ita deteſtatur vota facta, vt ſtatuat, & proponat ea non ſeruare; ſecus ſi pęnitentia ſit inefficax, eo quòd religioſus habeat ſimplicem diſplicentiam de votis à ſe emiſſis, nolletque ea emiſiſſe, interim tamen retinens propoſitum ea ſeruandi. Ducor, quod in priori caſu pęnitentia includit propoſitum non ſeruandi votum, & eſt quaſi quædam apoſtaſia à voto; at tale propoſitum eſt peccatum mort. contra obligationem voti, cùm tranſgreſſio, & propoſitum illius eandem habeant malitiam; ergò in poſteriori verò caſu pęnitentia non eſt de obiecto prohibito ex vi obligationis voti (cùm votum ſit promiſſio, non quidem gaudendi ſemper, aut numquam dolendi de voto facto, ſed faciendi hanc, vel illam rem) ideòque per ſe non eſt peccatum; quamquam ſi talis pęnitentia conſtituat religioſum in periculo proximo violandi vota (quatenus ea, quæ diſplicent voluntati, cum deliberatione facilè omittuntur, & difficilè fiunt integrè) per accidens poſſit imputari ad aliquam culpam, non tamen grauem (niſi valdè raò;) ſi quidem quicumque amat periculum, peribit in illo: ideòque qui ad aliquid tenetur, tenetur etiam quantum in ipſo eſt, vitare ſimilia pericula. ita *Suar. ſup. cap. 7. numer. 3. 4. & 7. ex Caiet. Soto, & alijs*, monens *numer.* 8. eiuſmodi pęnitudinem votorum inefficacem poſſe in aliquo caſu honeſtari, ſi occurrat rationabilis cauſa, aut de nouo cognoſcatur, ob quam meritò iudicetur fuiſſe magis expediens non vouiſſe: quamuis etiam in tali caſu melius ſit abſtinere à tali actu, eo quòd iam non ſit vtilis, niſi fortè ad impetrandam legitimam diſpenſationem: cum *Suar.* ſentit *& Regin. l. 18. numer.* 239.

QVÆRES XXIII. An poſſit contingere emittentem vota religioſa peccare vouendo, & tamen manere adſtrictum ad ea ſeruanda.

33 ℞. Poſſe, ſimpliciter loquendo; idque in caſu quo quis emitteret vota religioſa abſque matura,

ac debita deliberatione, quamuis in præſentia moraliter id euenire nequeat, poſito quod præmittatur ad minus integer annus probationis, antequàm in profeſſione emittantur vota religioſa: vix enim poteſt euenire, quòd nouitius in tam longa probatione non poſſit ſe diſponere ad faciendam profeſſionem cum debita deliberatione. deſumitur ex *Sanch. lib. 4. mor. cap. 1. num. 9.* alijſque ab ipſo allegatis; & quidem quòd poſſit vouens in caſu propoſito peccare, & tamen manere obligatus ad vota, patet, quia emittens votum de re graui abſque debita deliberatione ſe exponit periculo illud violandi; vnde *Eccleſ. 5.* dicitur non ſolam infidelem promiſſionem diſplicere Deo, ſed etiam ſtultam; qualis eſt quæ procedit ex leui deliberatione: qui autē ſe exponit probabili periculo peccandi, peccat: quod tamen non facit, quin votum ſic emiſſum nihilominùs obliget; cū ad id ſufficiat, vt res promiſſa ſit bona in ſe, etſi ratione circumſtantiæ extrinſecę ipſam non vitiantis interueniat aliquod peccatum: cùm non repugnet actum ex circumſtantia extrinſeca malum ordinari ad Dei cultum; vt patet in voto facto ex vana gloria; ita tamen, vt vana gloria ſit finis, non rei promiſſæ, ſed ſolùm voti. vt benè probat *Sanch. vbi ſup. c. 6. n. 13.*

QVÆRES XXIV. Ad quid teneatur qui fictè emiſit vota religioſa, nimirum ſine intentione vouendi, aut ſe obligandi.

34 ℞. Teneri vel ea ratificare, illa iterum emittendo cum debita intentione, ſi velit remanere in religione, quam ſic fictè profeſſus eſt, fruique priuilegijs ipſius religionis; vel recedere à religione, ſi id præſtare poſſit abſque ſcandalo. patet ex dictis in *tract. de profeſſ. c. 1. q. 20.* & ex ijs, quæ habet *Suar. to. 3. de relig. l. 7. c. 2. n. 6. 7. & 8.*

QVÆRES XXV. An emittens vota religioſa poſſit intendere ita ſe per vota obligare ad actus externos vitandos, vt vi dictorum votorum non teneatur vitare actus internos.

35 ℞. Non poſſe; & probatur tum quia vota religioſa ad hoc vt conſtituant religioſum, debent acceptari à religione: religio autem non cenſetur acceptare vota tali intentione emiſſa; cùm in omnibus religionibus vota profeſſionis ſub mortali obligent, tam quò ad actus internos, quàm quò ad externos; vnde fit, vt eiuſmodi vota non teneant, neque vt ſolemnia, vt patet, neque vt ſimplicia, niſi vouens intendat ad ea ſe adſtringere, etiam independenter à valore profeſſionis: tum quia valdè probabile eſt vouentem caſtitatem v. g. non poſſe velle ſe obligare ſolùm ad cauenda peccata externa luxuriæ expreſsè intendendo non ſe obligare ad vitanda interna; cùm, emiſſo ſemel voto de opere externo, nequeat vouens excipere actum internum, in quo tota malitia actus externi deriuatur, ſicut rectè aduertit *Sanch. l. 4. mor. cap. 11. nu. 12. ex Vaſq.* monens contra ipſum Vaſq. in voto ſupradicto caſtitatis non poſſe non comprehendi etiam delectationem moroſam, vtpote pertinentem iuxta communem DD. ſententiam ad eandem ſpeciem, ad quam pertinet opus externum, & conſequenter continentem illam eandem malitiam, quam continet actus externus: quod cùm neget *Vaſq.* per conſequens etiam putat vouentem in caſu propoſito caſtitatem poſſe excipere à tali voto delectationem moroſam.

Vtrum verò poſſit religioſus in emiſſione profeſſionis velle ſe obligare ad vota religioſa ſolùm ſub peccato veniali.

36 ℞. Non poſſe, ita vt profeſſio ſit valida, ideoq; talia vota corruere; vti diximus in præcedenti reſponſione: idque ob priorem rationem ibidem adductam, quæ ſine dubio æquè probat intentum in præſenti caſu; quod tamen non facit, quin, ſi Religioſus tali intentione profitens intendat ſe obligare, ad ea vota, ſaltem vt ſimplicia, poſſit ad ea ſe obligare ſolùm ſub peccato ven. cùm probabile ſit vouentem, etiam in materia graui, poſſe velle ſe obligare ſolùm ſub ven. vt rectè oſtendit *Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. de voto cap. 4. num. 7.*

QVÆRES XXVI. An opera facta ex voto ſint meliora, & magis meritoria ijs, quæ fiunt abſq; voto.

37 ℞. Eſſe; & probatur tum quia executio operis ex voto debiti pertinet ad religionem, quæ alijs virtutibus moralibus eſt perfectior, adeòque reddit actum præſtantiorem: tum quia per votum homo ſubijcit Deo non ſolùm ſuum actum, ſed etiam ipſam facultatem agendi (quod *iuxtà S. Anſelmum lib. de ſimilitud. cap. 84.* perinde eſt ac offerre fructū arboris vnà cum ipſa arbore) hoc autem eſt quid melius, ac perfectius, quàm ſubijcere Deo ſolum actum; tum quia vouens vi voti operatur maiori firmitate; at firmitas pertinet ad perfectionem virtutis, vt patet.

QVÆRES XXVII. An vota ſpecialia, quæ in aliquibus Ordinibus fiunt, obligent religioſum translatum ad aliam religionem, aut aliàs legitimè exemptum à iugo regularis diſciplinæ, v. g. per collationem Epiſcopatus.

38 ℞. Non obligare, ſi excipias votum non ambiendi dignitates, quod ſemper durat ex decreto Vrbani VIII. afferendo infra *cap. 5. ſect. 4. q. 20.* etſi tale decretum non afficiat religioſum factum Epiſcopum, vt ibidem dicimus.

SECTIO II.

De Voto Religionis in genere.

39 *Bonum, ac meritorium opus eſt vouere Religionem.*
40 *Afferuntur varij modi vouendi religionem:*
41 *Sed non omnes ij verum uotum religionis important.*
42 *Vouens religionem non ſatisfacit ingrediendo Ordinem militarem, aut clauſtralem collapſum.*
43 *Vouens Ordinem ſtrictiorem non ſatisfacit ingrediendo laxiorem, ſtando præciſè in iure communi.*
44 *Limitatur aſſertio in duplici caſu.*
45 *Vouens Ordinem laxiorem ſatisfacit ingrediendo ſtrictiorem.*
46 *Item ſatisfacit uouens certam religionem, ſi ingrediatur aliam arctiorem, aut aquè arctam.*

47 *Indicatur, ad quid teneatur vouens religionem in genere.*

48 *Vouens religionem indeterminatam non ingreditur Ordinem arctiſſimum.*

49 *Immò nec Ordinem Militarem, ſi reijciatur ab Ordinibus clauſtralibus.*

50 *Repulſus ab Ordine promiſſo ex voto non ſemper eſt liber.*

51 *Vouens certum Ordinem petit ingreſſum à pluribus Conuentibus.*

52 *Vouens certum Conuentum, ſi reijciatur, eſt liber.*

53 *Dubius, an vouerit religionem vagè, vel aliquam certam, interdum tenetur ad religionem vagè.*

54 *Vouens religionem cum animo ſtatus clericalis non tenetur ingredi tamquam laicus.*

55 *Spurius non tenetur ingredi, ſi vouens religionem ignorauit ſe eſſe incapacem dignitatis regularis.*

56 *Vouens religionem non tenetur diſcere literas, aut artem mechanicam, ſi aliàs repellatur.*

57 *Vouens religionem tum in genere, tum in particulari, debet priùs ingredi religionem particularem.*

58 *Ingrediens ex voto religionem animo ſtatim recedendi non ſatisfacit.*

59 *Vouens religionem vt ſic non promittit perſeuerantiam.*

60 *Nec poteſt recedere tempore probationis ſine cauſa.*

61 *Secùs, ſi iudicet ſibi expedire receſſum; idque in varijs caſibus.*

62 *Vouens ingredi, ac perſeuerare non ſemper recedere poteſt, etiam cum cauſa: etſi alij DD. diſſentiant non improbabiliter.*

63 *Non tenetur perſeuerare, qui vouit aut perſeuerare, aut aliud opus pium facere.*

64 *Vouens religionem in genere, & ſimul perſeuerare, ſi dimittatur ab vno Ordine, tenetur experiri alios, ſed non omnes.*

65 *Ingreſſus religionem cum voto perſeuerantiæ, ſi perpetuò eijciatur, ad nihil aliud tenetur.*

66 *Vouens perſeuerare in Soc. Ieſu, ſi dimittatur poſt vota biennij, curare debet regreſſum, ſed non ſemper.*

67 *Vouens religionem in genere, ſi ingreſſus vnum Ordinem bona fide recedat, manet liber.*

68 *Vouens profiteri in religione ſatisfacit emittendo vota biennij, aut oadiutoris formati in Soc. Ieſu.*

69 *Vouens ingredi religionem, ſi ingreſſus dimittatur ex morbo hoc ceſſante, non tenetur redire ad illam.*

70 *Ingrediens Carthuſiam ex voto religionis, ſi dimittatur ex defectu ætatis, non manet liber; ſecùs, ſi ex eius culpa, adhibito tamen mediocri ſtudio ad ſe corrigendum.*

71 *Vouens religionem laxiorem poſt votum Ordinis ſtrictioris, ſi ſtrictiorem ingreſſus recedat, tenetur ingredi laxiorem.*

72 *Repulſus ab Ordine promiſſo ex voto in perpetuum, ſi poſteà admittatur, debet ingredi; quod alij negant non improbabiliter.*

73 *Limita, niſi rerum ſtatus ſit mutatus.*

74 *Impedimentum graue ſuperueniens voto religionis excuſat.*

75 *At eius diſpenſatio curanda, ſi obtineri poſſit ſine graui difficultate.*

76 *Vouens religionem in iuuentute, ſi votum nequeat implere, niſi ſenex, non tenetur; quod tamen interdum fallit.*

77 *Nubens poſt votum religionis, matrimonium prohibetur conſummare.*

78 *At poſt bimeſtre iure conceſſum, poteſt reddere debitum, imò debet; ſecus, ſi alter coniux per totum bimeſtre numquam petijt.*

79 *Vouens religionem poſt conſummatum matrimonium non ſemper eſt liber ab implendo voto.*

80 *Poſſunt coniuges poſt votum religionis factum de communi conſenſu petere, ac reddere debitum.*

81 *Vouens religionem poſt ſponſalia, etiam iurata, tenetur ingredi.*

82 *At vbi ingreſſus eſt, inſtante alio coniuge, debet implere ſponſalia, ſi aliàs nolit profiteri.*

83 *Vouens religionem nulla poteſt contrahere ſponſalia.*

84 *Poſt votum religionis deflorans puellam promiſſo coniugio, iuxtà aliquos tenetur ingredi religionem.*

85 *Nec tunc petenda diſpenſatio, niſi factum ſit etiam votum caſtitatis.*

86 *Admittens epiſcopatum poſt votum religionis tenetur ingredi: & in admiſſione epiſcopatus peccat.*

87 *Non tenetur perſeuerare in religione, qui illam ingreditur ex commutatione alterius voti facta in votum religionis.*

88 *Vouens eſſe religioſus, & vouens ingredi religionem perinde ſe habent.*

89 *Non ſatisfacit voto religionis, qui intrat animo recedendi.*

90 *Vouens religionem, ſi nullibi admittatur, eſt liber.*

91 *Vouens caſtitatem ſimul & religionem, ſi perpetuò repellatur, debet ſeruare caſtitatem, ſi hanc vouit æquè principaliter.*

92 *Vouens religionem curare debet ingreſſum diligentia humano modo poſſibili; etſi poſſit aperire auerſionem, quam habet erga religionem.*

93 *Vouens religionem peccat ſe reddendo impotentem ad illam.*

94 *Nec ideò deſinit obligari voto.*

95 *Aſſignatur tempus, in quo impleri debet votum religionis.*

96 *Non omnis dilatio in eo implendo eſt mortalis: qui tamen non implet illud tempore præfixo, adhuc tenetur.*

97 *Explicatur, quo tempore impleri debeat votum moriendi in religione.*

98 *Votum religionis deſinit obligare ſex modis.*

99 *Nimirùm ex notabili mutatione materiæ.*

100 *Secùs, ſi mutatio non ſit notabilis.*

101 *Deſinit item obligare, ſi ceſſet finis voti.*

102 *Item ſi deficiat conditio, ſub qua factum eſt votum.*

103 *Vouens religionem ſub aliqua conditione, ſi obſtet impletioni dictæ conditionis, non ſemper peccat.*

104 *At iuxtà aliquos ceſſat obligatio præfati voti: quod alij negant.*

105 *Votum religionis deſinit obligare per irritationem legitimè factam, & quidem etiam à parentibus vouentis.*

106 *Immò & poſtquàm vouens peruenit ad pubertatem.*

107 *Mater non ſemper poteſt irritare vota filij, hoc ſpectante ad Tutorem.*

108 *Votum religionis factum à pubere non poteſt irritari.*

109 *Præ-*

109 *Prælatus regularis non irritat votum religionis ſtrictioris.*

110 *At irritat votum factum ab externo de intrando eius Ordinem: idque illum excludendo, &c.*

111 *Et ſi ſic irritet poſt obtentam eius commutationem, vouens eſt liber ab operibus iniunctis in commutatione: quod tamen limitandum eſt, niſi vouens malit redire ad prius votum.*

112 *Vouens religionem, ſi facta voti commutatione, iterum voueat, tenetur, & ad commutationem, & ad votum.*

113 *Votum religionis ſimpliciter reſeruatur Papæ.*

114 *Etſi Epiſcopus vrgente graui neceſſitate, illud commutet.*

115 *Materia, in quam fit commutatio, non reſeruatur Papæ.*

116 *Ipſi non reſeruatur votum vouendi religionem.*

117 *Item nec votum ingrediendi Ordinem ſtrictiorem.*

118 *Tollitur hoc votum per votum perſeuerandi in Ordine laxiori.*

119 *Vota Papæ reſeruata propriè non commutantur in votum ſimplex religionis.*

120 *In voto religionis diſpenſat Papa, vel alius ab eo delegatus.*

121 *Impedimentum ſuperueniens excuſat à voto religionis.*

122 *Petens admitti in religionem ex voto liberè poteſt repelli.*

123 *Non poteſt quis cogi ad religionem ex voto alieno.*

124 *Violatur votum religionis tum totaliter omittendo ingreſſum, tum nimis differendo.*

125 *Et quidem culpa dictæ omiſſionis multiplicari poteſt.*

126 *Votum non ingrediendi religionem eſt inualidum.*

127 *Taliter vouens peccat, ſed non mortaliter.*

128 *Validè vouet religionem is, cui ſalubrius eſſet non vouere.*

129 *Opinio ſpeculatiuè probabilis eſt talis etiam practicè.*

QVÆRES I. An ſit bonum opus, ac meritorium vouere religionem, aut inducere alios ad vouendum.

39 ℞. Eſſe, patetque ex eo quòd materia talis voti non ſolum eſt honeſta, ſed etiam eſt ex melioribus, & optimis bonis; ergò & votum eius ex ſe, & per ſe loquendo eſt optimum; ergò & inductio ad illud erit optima, modo debitè fiat, nimirùm abſque dolo, vi, minis, aut precibus importunis, eſt communis DD. cum *S. Tho. 2. 2. q. vlt. a. 2. & 9.* qui addunt ad iudicandum, an tale votum in particulari expediat, particulares circunſtantias eſſe attendendas.

QVÆRES II. An verè ſint vota religionis, quæ concipiuntur his, aut alijs ſimilibus verbis; 1. *promitto religionem, niſi Deus aliud de me diſpoſuerit: 2. promitto mori in religione: 3. promitto me ingreſſurum religionem, ſi potuero: 4. promitto me ingreſſurum hanc religionem, ſi quam ingrediar: 5. voueo nullam perſonam fore mihi impedimento, quo minus ingrediar religionem: 6. voueo velle ingredi religionem.*

40 ℞. Tria vota priora eſſe verè vota religionis (conditionata tamen excepto ſecundo, quod eſt abſolutum) alia verò tria non eſſe vllo modo vota religionis, & quidē quod 1. votū ſit votū religionis & conditionatū; conſtat quia ſecluſa ſpeciali intentione vouentis, ea verba *promitto religionem, niſi Deus aliud de me diſpoſuerit* faciunt hunc duplicem ſenſum; prior eſt, *Voueo ingredi religionem, niſi Deus ratione morbi, aut alterius obſtaculi ingreſſum impediat*; & ſic non exiſtente tali impedimento votum obligatur, poſterior eſt *Voueo ingredi religionem, niſi Deus aliud, quod meæ ſaluti vtilius ſit diſpoſuerit*; & ſic vouens tenetur conſulere viros prudentes, ac probos, & ſi hi attenta inclinatione, alijſque peculiaribus circumſtantijs iudicent magis expedire vouenti, vt ingrediatur, tenetur ingredi; ſecus ſi oppoſitum iudicent. quòd verò ſecundum votum ſit votum religionis, & abſolutum, patet quia non poteſt quis mori in religione, niſi eam ingrediatur; vnde tale votum obligat ad perſeuerandum in religione, nec non ad profitendum, & ad ingrediendum intra tempus, in quo ſit poſſibilis ingreſſus, & religioni vtilis, vouenſque vires habeat ſufficientes ad onera religionis. quòd denique tertium votum ſit votum religionis, & conditionatum, patet ex ipſis verbis, quibus concipitur: conditio autem illa *ſi potuero*, dato quod vouens neſciat explicare intentionem propriam, debet interpretari iuxta ſenſum ipſorummet verborum, & coniecturas concurrentes; & ſic ſi taliter vouens valdè vexetur carnis illecebris, aut ſit valdè affectus ad aliquod aliud vitium, ſenſus illius conditionis is erit, *Si mediocri diligentia, & ſine magna difficultate potuero prauam illam animi propenſionem ſuperare ita Sanch. l. 4. mor. cap. 16. n. 2. 5. & 9.* alijque penes ipſum.

41 Quòd autem tria poſteriora vota reuera non ſint vota religionis patet, quia quartum votum (cui ſimile eſſet hoc aliud *Voueo me nullam aliam ingreſſurum religionem ab hac*, vel *niſi hanc*, vel *quam hanc*, vel *præter hanc*) non obligat abſolutè ad ingrediendum hanc religionem, ſed ſolùm ex hypoteſi quòd velit ingredi religionem, ſicque taliter vouens eſt ſimpliciter liber, quo ad ingrediendum religionem; quintum votum, niſi aliter conſtet de ſpeciali intentione vouentis, facit hunc ſenſum *Non omittam ingredi religionem precibus alicuius inductus*, ideòque poteſt omittere ingredi ex ſpontanea voluntate; quamquam ſi vouens per ea verba *Voueo nullam perſonam mihi fore obſtaculo, &c.* intenderet nihil fore ſibi impedimento, quo minus religionem ingrediatur, tunc votum teneret, faceretque hunc ſenſum, nullam rem fore ſufficientem ad ipſum retrahendum ab ingreſſu religionis; ſextum votum, cum ſolum indicet ſic vouentem aliquando habiturum in animo ingredi religionem, non obligat ad ingrediendum religionem (ſi quidem aliud eſt aliquid facere, & aliud velle facere) ſed tantum ad habendam aliquando eam bonam voluntatem; cum quo ſtat, vt taliter vouens licitè poſſit nubere, ſtante quòd etiam inito matrimonio, adhuc non eſt impoſſibilis ingreſſus religionis, cùm poſſit fieri de licentia alterius coniugis, aut diuortio perpetuo celebrato; ſicque poteſt haberi ea voluntas, & per eam impleri votum. ita *Sanch. ſup. n. 7. & 8.*

QVÆRES III. An vouēs ingredi religionē, voto ſatisfaciat ingrediendo religionē, ſiue Ordinis mili-

taris, ſiue clauſtralem, ſed planè collapſam quo ad ſubſtantialia, & in qua religioſi communiter malè viuunt.

42 ℞. Non ſatisfacere, neque ingrediendo religionem militarem, etiam S.Ioannis (cuius profeſſores indubitatæ ſunt veri religioſi, vtpotè emittentes votum ſolemne caſtitatis ſufficiens ad dirimendum matrimonium ratum, vt probat *Sanch. l.2. de matr. D.18. num.8.*) neque ingrediendo religionem omninò relaxatam. etiam quo ad eſſentialia, niſi fortè adſit ſpes proximæ reformationis. ita *Laym. l.4. tr.5. cap.6. num.2. & 5. Rodriq. p.2. ſum. c.97. nu.8. Sanch. l.4. mor. cap.16. num.11.12. & 13.* alijque penes ipſos; & quidem quòd ſpectat ad ingreſſum Ordinis Militaris probatur, non tam ex eo quòd profeſſores Ordinum equeſtrium, exceptis equitibus S. Ioannis, communiter non ſint propriè religioſi, vtpote non vouentes caſtitatem abſolutam, ſed ſolùm coniugalem, nec abſolutam, obedientiam, & paupertatem (quod hìc non diſcutio) ſed quod promittens religionem communiter intendat ſtatum perſonarum viuentium in communi, & alienum à tumultu, faſtu, ac viris ſæcularibus: qualis vtique non eſt ſtatus Ordinum Militarium, etiam S. Ioannis, vt notat *Sanch. numer.12.* contra *Arag. Rodriq. & Azor.* ſentientes per ingreſſum Ordinis S.Io. impleri votum ingrediendi religionem. quod verò attinet ad ingreſſum religionis omninò collapſæ, etiam quò ad ſubſtantialia, conſtat reſponſio, quia talis religio non meretur nomen religionis, nec expedit eam ingredi ob magnum peruerſionis periculum imminens ex praua Sociorum familiaritate, ſicque non videtur eſſe materia apta voti: quod non eueniret, ſi proxima ſpes adeſſet reformationis, aut certè (quod notat *Leſſ. l.2. c.41. nu.44.*) vouens ſe adeò firmum ſentiat, vt prudenter putet ſibi non eſſe probabile periculum.

Dixi *ſi non ſit moraliter ferendo onera vitæ religioſæ*, vt indicarem, quod ſi ſenectus in caſu propoſito nõ obſtet, quin vouens ſine graui incommodo ſuſtinere poſſit onera religionis promiſſæ; non excuſatur à voto: cum ſic ceſſet ratio, qua votum religionis deſinat obligare. ita reſpondit Sacra Congregatio rogata, vt ſuper voto religionis diſpenſaret cum nobiliſſima Domina, quæ votum religionis emiſſum in iuuentute ex cauſa diſtulerat implere vſque ad annum 60 ætatis ſuæ: reſpondit enim Sacra Congregatio ſe diſpenſaturam cum ea, ſi in ea ætate iudicio medicorum non erat ferendo onera religionis: cumque medici iudicaſſent illam reuera, non obſtante ea ætate, poſſe ſuſtinere onera religionis promiſſæ, ea de facto, me conſulente, ingreſſa eſt monaſterium Monialium anno 1645.

QVÆRES IV. An vouens ingredi religionem arctiorem ſatisfaciat ingrediendo Ordinem laxiorem.

43 ℞. Non ſatisfacere, ac proinde peccare mort. quamuis, vbi fuerit profeſſus in eo Ordine laxiori maneat omninò liber à voto ingrediendi religionẽ arctiorem. ita *Nau. cap.12. num.48. Palac. in 4. d.38. D.1. Laym. num.6.* alijque communiter cum *S.Thom. 2.2. q. vlt. a.8. & Caiet. ibi* patetque tum ex *cap. penult. de regul. in 6.* vbi vtrumque expreſsè deciditur; tum quia vouens in tali caſu minùs præſtat, quam promiſit: quamquam (vt dixi) vbi ille profeſſus eſt in religione laxiori, maneat liber à voto Ordinis ſtrictioris, quatenus per profeſſionem profitens traditur religioni ita vt iſta acquirat ius in ipſum; & alioqui repugnat tradi alteri in perpetuum cum obligatione recedendi ab eo; vnde fit, vt votum ſolemne poſterius deroget voto ſimplici priori, ſicuti rectè annotant citati DD.

Vnum tamen benè monet *Azor. p.1. l.11. cap.22. q.12.* vouentem ingredi religionem ſtrictiorem non peccaturum ingrediendo laxiorem, ſi hæc priuilegium ſpeciale habeat à Papa admittendi eos, qui ſtrictiorem vouerant: quale de facto habent PP. Benedictini ab Eug. IV. & quidem (vt puto) bullatum, quod refertur in *Comp. Mendic. v. diſpenſatio num.28.*

44 Adde quod, ſi non inſtet tempus ingrediendi religionem ſtrictiorem, poteſt vouens ingredi laxiorem animo profitendi ibi, vel certè ingrediendi poſtea ſtrictiorem, & ratio eſt, quòd profeſſio facta in Ordine laxiori excellit ſupra votum ingrediendi ſtrictiorem ad experiendum, ex alia parte talis ingreſſus non obſtat voto ſtrictioris religionis: cum nec tunc, nec toto tempore nouitiatus inſtet tempus exequendi votum religionis ſtrictioris (vt ſuppono) nec dictus ingreſſus impediturus ſit poſtea ingreſſum Ordinis ſtrictioris, ſi recedas à laxiori, vt item ſuppono: quale impedimentum eſſet, ſi Ordo ſtrictior excluderet ſuſcipientes habitum alterius Ordinis. ita *Caſtr. Pal. tr.16. D.1. p.3. n.7.* & ante illum *Sanch. ſup. n.20. Laym. n 8. & alij* quod ſi in *cap. poſt votum de regul. in 6.* punitur ad ſtrictus votis ſtrictioris religionis, qui ingreſſus fuerat laxiorem, ibique profeſſus fuerat, textus loquitur de eo qui quo tempore ingreſſus eſt Ordinem laxiorem, debebat ingredi ſtrictiorem promiſſum, ideòque peccauit ingrediendo; non item ibi profitendo.

An verò vouens Religionem laxiorem ſatisfaciat ingrediendo arctiorem.

45 ℞. Satisfacere; & probatur tum quia quilibet poteſt propria auctoritate ſuum votum commutare in euidenter melius, vt tradunt DD. communiter, tum quia iure communi licitus eſt tranſitus ab Ordine laxiori ad ſtrictiorem, etiam poſt profeſſionem; ergò à fortiori licitum erit vouenti religionem laxiorem tranſire ad arctiorem.

QVÆRES V. An vouens certam aliquam religionem propria auctoritate poſſit ingredi aliam arctiorem, aut æque arctam.

46 ℞. Poſſe: arctiorem quidem, eo quòd alioqui votum eſſet impeditiuum maioris boni, vt benè aduertit *Regin. l.18. num.382.* nobiſcum ſentiens cum *S. Anton. & Ang.* æquè verò arctam, eo quòd vouens ex ſe abſque alia facultate Superioris poteſt commutare proprium votum in aliquid aliud, quòd certò conſtet eſſe æquale, vt notat *Bonac. D.4. de leg. q.2. p.5. §.6. n.4.*

QVÆRES VI. Ad quid teneatur, qui vouet religionem in genere.

47 ℞. Secluſa ſpeciali intentione vouentis, teneri adire quinque, aut ſex religiones diuerſas

ad

ad effectum vt in aliquam illarum recipiatur, & quidem explorando quinque, vel ſex monaſteria cuiuslibet illarum: talis enim vouens perinde ſe habet reſpectu cuiuslibet dictarum religionum, ac qui vouet determinatam aliquam religionem reſpectu illius; ideòque ſicut iſte tenetur adire quinque, aut 6. monaſteria talis religionis ad tentandum ingreſſum; ita & vouens religionem indeterminatam tenebitur adire totidem monaſteria cuiuslibet illarũ religionum. ita *Val.2.2.D.6.q.6.p.4.not.4. Petr.de Ledeſma tom.2.ſum.tr.10.cap.3.d.5. Azor.ſup.qu.2.* & alij; quamquam mihi magis placeat, quod ait *Sanch.ſup.numer.47.ex Arrag. & Rodriq.* in præſenti materia nullam certiorem regulam dari poſſe, quã quòd adiri debent tot monaſteria, ac religiones, vt ijs aditis, non ſit moralis ſpes, fore vt vouens alicubi recipiatur; idque iudicio prudentis viri; vt proinde cõtingere poſſit interdum ſufficere adire vnum tantum monaſterium cuiuslibet dictarum religionum, aut etiam vnicum monaſterium determinatæ religionis promiſſæ, ſi votum ſit de religione indeterminata; interdum autem non ſufficere, neque quòd adeantur quinque, aut ſex monaſteria, ſi videlicèt ex his deſumi nequeat aliorum monaſteriorum iudicium, ſed adhuc probabilis ſpes adſit, quòd admittatur in alio loco; communiter tamen, & in dubio (inquit *Sanch.*) coniectura à Doctoribus tradita eſt ſufficiens ad iudicandum vouentem manere liberum à voto.

48 Quin etiam benè notat *Sanch. numer.49.ex Rich. Ang. Syln. & Armilla* vouentem religionem indeterminatam non eſſe cogendum ad ingrediendam aliquam religionem, etiam ex ſtrictiſſimis, (v.g. Carthuſianorum, aut Capuccinorum;) ſi quidem eiuſmodi religiones ſpecialem Dei vocationem petunt, nec communiter apprehenduntur à vouentibus, niſi fortè in ijs ſit tantus deuotionis zelus, vt cenſeantur extendiſſe votum, etiam ad illas; quod tamen regulariter non euenit, eò quòd tales religiones non comprehendantur communi intentione ſe obligandi ad religionem.

49 Addit *Sanch.num.51.* vouentem religionem vagè non teneri vi talis voti ingredi aliquem Ordinem Militarem, etſi ab alijs religionibus repellatur; & ratio eſt, quòd, licèt profeſſores talium Ordinum ſint verè religioſi, maximè Equites S. Io: in communi tamen voto religionis non cenſentur comprehendi ob rationem adductam *qu.3.* quamquam hæc doctrina fallat quò ad Ordinem Clericorum Ordinũ militarium, & Canonicorum regularium: in quos vtique & poſſet, & teneretur vouens ingredi in præſenti caſu ad implendum votum religionis vagè à ſe emiſſum, quod notauit *Caſtr. Pal. tr.16.D.1.par.3. num.6.*

50 Quod autem dicunt DD. vouentem religionem manere liberum à voto, ſi facta ſufficienti diligentia non admittatur: intelligendum eſt cum duplici limitatione; nimirùm quòd cauſa repulſæ ſit perpetua, non autem ſolùm ad tempus, ſicque omninò deſperetur admiſſio: & quòd repulſa proueniat ab habente legitimam poteſtatem admittendi; vnde fit, vt vouens paſſus repulſam à Generali, aut Prouinciali Ordinis teneatur adire Prælatum localem aliquorum monaſteriorum, ſi admiſſio ſpectet ad illum vna cum Conuentu; ſicuti de facto ſpectat in pluribus religionibus. ita *Azor.ſup.q.4.& 5.* alijq; relati à *Sanch.num.52.& 53.* qui addit ex eodem *Azorio q.9.* vouentem in iſto caſu non teneri manifeſtare ſuum votum ijs, quorum intereſt admittere, ſed ſufficere, quòd bona fide petat admiſſionẽ: ſi quidem in decreto ſe obligandi per votum ad aliquid, non includitur virtualiter obligatio ad omne medium, quod conferre poſſit ad voti executionẽ, ſed ſolùm ad media communia, & natura ſua ſufficientia; vnde nec tenetur adhibere interceſſores, eſtò id poſſet iuuare ad receptionem, cùm eiuſmodi medium ſit extraordinarium.

Nec placet quod aiunt *Sanch.nu.71.& Laym.n.4.* vouentem religionem, etſi repellatur abſolutè, & perpetuò, teneri ingredi, quoties religio voluerit illum admittere; ſicque reijcitur à *Caſtro Palao n.12.* concedente quidem vouentem teneri ingredi, ſi ſit repulſus ob falſam alicuius impedimenti informationem, aut apprehenſionem, & poſteà admittatur; (cùm talis repulſa fuerit illegitima, ideòque abſolutè non liberet à voto;) id tamen non procedit, quando legitima, & prudens fuit repulſa. præterquàm quòd falſum eſt votum religionis obligare, quoties apponitur conſenſus ipſius religionis: nam talis conſenſus apponi debet, quando vouens ex ſua parte illum legitimè petit.

QVÆRES VII. Ad quod teneatur qui vouit certam aliquam religionem, aut monaſterium aliquod determinatum.

51 ℞. Teneri ſincero animo petere admiſſionem, &, ſi in vno monaſterio repulſam patiatur, adire alia monaſteria eo modo, quo diximus *q. præcedenti in reſponſione principali.* ita *S.Tho.ſup.qu.89.a.3.ad 2. Suar.tom.3.de relig.l.4.cap.2.num.8. Laym.numer.3. Regin.l.18.num.380.* alijque communiter apud ipſum; & probatur ex eo quòd qui vult finem, debet velle & conſequentia ad finem, nempe media conducentia ad finis conſecutionem; medium autem ad obtinendum ingreſſum religionis determinatæ eſt, vt paſſus repulſam in vno monaſterio adeat alia, vſq; dum iudicio prudentis viri impoſſibilis cenſeatur receptio: (qualis tamen regulariter non poteſt iudicari ex vna, aut altera tantùm repulſa;) quòd ſi à tot monaſterijs repellatur, vt omninò deſperet admiſſionem, tunc manet liber à voto, cùm eius materia ipſi effecta ſit impoſſibilis, & impoſſibiliũ non ſit obligatio. Verum tamen eſt vouentem in caſu propoſito non teneri explorare omnia omninò monaſteria religionis promiſſæ, etiam exterarum nationum, ac regionum; cùm votum non obliget vltrà intentionem vouentis, & in dubio credendum non ſit vouentem certam aliquam religionem intendiſſe ſe obligare ad quærenda monaſteria extrà ſuum regnum, & linguam; ſicut aduertit *Reginald.ſup.ex Soto* id inde colligens in caſu non diſſimili, quòd vix inueniretur, qui religionem voueret, ſi ea de cauſa deberet viuere in extera natione, cuius linguam ignorat.

52 Quando verò quis vouit monaſterium aliquod determinatum, ſufficit quòd debito modo petat ab eo, vt recipiatur, &, ſi repellitur, eximitur omninò

à voti obligatione. ratio eſt, quod talis vouens non tenetur, niſi ad id ad quod ſe intendit obligare per votum, quandoquidem cauſa limitata producit effectum limitatum; non præſumitur autem vouens voluiſſe ſe obligare ad adeundum aliud monaſterium, niſi illud quod vouit; vnde ſi ſemel repellatur ſimpliciter, non tenetur amplius petere admiſſionem, cùm nemo obligetur ad actum omninò inutilem. ita *Regin.num.379.ex Soto* monens cum *S.Thoma vbi ſup.* communiter recepto: ſecùs dicendum de eo, qui vouens aliquod certum monaſterium, votum non reſtrinxit ad tale monaſterium, præciſè, ſed vouendo intendit principaliter ſe obligare ad aliquod genus religionis, ſolùm ex conſequenti eligens ſibi certum illud monaſterium, tanquam ſibi commodum; tunc enim repulſus in tali monaſterio tenetur adire alia modo ſupra dicto; cum ſic primaria intentio vouentis non ſit determinata ad monaſterium illud particulare, vt patet.

QVÆRES VIII. Ad quid teneatur vouens religionem, ſi dubitet, num vouerit religionem vagè, an potiùs aliquam certam, ac determinatam.

53 ℞. Diſtinguendo; vel vouens in caſu propoſito eſt certus ſe promiſiſſe peculiarem religionem, peculiareue monaſterium, ſed dubitat, num illa ſola vouerit, an etiam religionem in communi; & ſic non tenetur ingredi, niſi illam peculiarem religionem, aut peculiare monaſterium; cum voti obligatio ſemper interpretari debeat, vt minùs obliget; & in dubio fauendum ſit libertati vouentis, vel vouens de neutra parte eſt certus, ſed omninò dubius eſt, an vouerit peculiarem religionem, vel in communi, recordatur tamen verborum, quibus ſiue interiùs, ſiue exterius concepit votum; & ea clarè indicant vim voti, dubiumque oritur ex intentione vouentis, de qua non conſtat; & ſic obligatio voti iudicanda eſt iuxtà communem ſenſum verborum, cùm is ſit clarus, & intentio dubia, adeòque votum in tali dubio poſſideat iuxtà illorum ſenſum; quippe quod in dubio interpretari debet iuxtà communem intellectum verborum, vel denique vouens neutrius partis certus non meminit verborum, aut de ijs eſt dubius; vel ſi meminit, ea omninò ſunt dubia, quem ſenſum ex illis habeant, vtpote vtrumque æqualiter admittentia: & ſic vouens obligatur ad religionem vagè, ac indeterminatè; cum volens dimittere ſæculum ſoleat frequentiùs vouere religionem vagam, ſicque à frequentiori vſu vouentium votum in dubio non præſumatur factum; præter quam quòd id per ſe, & ex natura rei potius ſauet libertati vouentis, quam ille, ſecluſo omni voto poſſidet. ita *Sanch.l.4.mor.c.16.n.32.*

QVÆRES IX. An vouens religionem teneatur ingredi, ſi non recipiatur niſi vt laicus, vel non niſi vt Sacerdos.

54 ℞. Non teneri; ſi quando vouit religionem, ſolùm cogitauit de ſtatu Sacerdotum v. g. vel ita erat affectus, vt ſi fuiſſet rogatus, noluiſſet ſe obligare niſi ad talem ſtatum recipiendum, vel etiam eſt præditus ijs dotibus, quas qui habent non ſolent admitti, niſi vt Sacerdotes; & ratio eſt, quod cum votum non obliget vltra intentionem vouentis, hoc ipſo quod vouens, nec tacitè, nec expreſſè intendit ingredi religionem tanquam laicus, non debet ad id cenſeri obligatus. ita *Leſſ. l.2. cap.41. numer.45. Suar.ſup.cap.2.num.23.Regin.num.381. Sanch.ſup.nu.55.& 56.Bonac.ſup.num.6.Portel.de dub.regul. v. votum num.40.* alijque, inter quos *Sanch.num.55.* notat quòd ſi vouens religionem cenſuit ſe recipiendum eſſe, vt foret laicus; idque volebat, non tamen conſtat ipſum ad id votum limitaſſe, neque contrarium intendiſſe, ſed ad id non aduertiſſe: ſi id volebat ob maiorem humilitatem, tenetur ingredi, vt ſit Sacerdos, ſi aliter non admittatur; non occurrit quippe notabilis mutatio; qualis reuera occurreret, ſi vouens intendiſſet ingredi ad gradum laicalem, eo quòd maximè auerſetur ſtudia, & miniſteria propria Sacerdotum; tunc enim non teneretur ingredi vt Sacerdos, ceſſante voti obligatione ob notabilem rerum mutationem, quæ ipſum excuſaret; ſicut rectè aduertit *Sanch.* addens *n.56.* quod ſi vouens religionem tempore voti nihil cogitauit de gradu, ad quem admittendus eſſet, & alias ſit aptus ſtatui tam clericali, quam laico, tenetur ingredi ad illum gradum, ad quem Religioſi volunt eum admittere; cùm ſic nihil implicitè includatur in voto, ideoque vouens teneatur ad alterutrum iuxtà electionem faciendam ab admittentibus: qua de re *Caſtr.Pal.tr.16.D.1.p.3.n.16.*

55 Addit *Sanch.num.59.* quòd ſi ſpurius vouens religionem tempore voti ignorauit, aut non aduertit ſe per Conſtit. Sixti V. eſſe incapacem dignitatum Ordinis aut etiam per ſtatutum religionis promiſſæ à ſe item ignoratum, & alioqui ſit ornatus ijs dotibus, vt probabiliter ſperare poſſet ſe promotum iri ad prælaturas Ordinis, niſi obſtaret illud impedimentum; non tenetur, ea Conſtitutione aut illo ſtatuto cognitis, aut poſtea editis, ingredi religionem; cum excuſetur ex ignorantia notabilis difficultatis à ſe incognitæ, ipſique nimis oneroſum ſit ibi ſemper carere dignitatibus.

Vtrum verò vouens religionem teneatur addiſcere literas, aut aliquam artem, ſi videat ſe non admitti, eo quòd ſit indoctus, & nullam ſciat artem.

56 ℞. Vi voti non teneri, ſi inter vouendum nihil de talibus meminit; ſecus ſi tunc ſciuit, & aduertit ſe non aliter admittendum ad religionem, aut certè ſic affectus fuerit ad religionem, vt ſi id ipſum ſciuiſſet, nihilominus eam vouiſſet: tunc enim teneretur, cùm ſic cenſeatur habuiſſe virtualem intentionem id vouendi tacitè, & conſequenter: cùm in priori caſu vouens excuſetur ratione notabilis mutationis ſuperuenientis, & alias nullo modo intenderit voto ſe obligare ad medium ita difficile, & extraordinarium. ita *Sanch. num.61.62.& 68.Regin.nu.381. Azor.p.1.l.11.c.p. 22.q.4.* & alij, cum quibus ſentit *Caſtr. Pal. n.14.*

QVÆRES X. Ad quid teneatur, qui vouit religionem animo ſe obligandi, tum ad religionem in genere, tum ad aliquam religionem in particulari.

57 ℞. Teneri priùs ingredi religionem hanc particularem, & ſi ab hac repellatur, alias adire: niſi fortè intendat ingredi religionem perfectiorem:

quo caſu ſine dubio non teneretur vouens ingredi religionem illam ſpecialiter promiſſam. ita *Sotus l. 7. de iuſt. q. 2. a. 1. §. primum argum.* & cum eo *Regin.* vbi ſupra; patetque quia illud votum eſt virtutè duplex, alterum religionis vagę, & alterum religionis determinatæ; ac proinde ſi vouens vtrumq; poteſt ſimul implere (quòd faciet nitendo ingredi illam certam religionem) vtique tenetur; ſi verò hoc reddatur impoſſibile, eò quòd in eam non admittatur, debet petere ingreſſum in aliquam aliam religionem iuxtà ſup. dicta. Dixi, *niſi fortè intendat ingredi religionem perfectiorem*; vt innuerem, quòd ſi illa religio in particulari promiſſa non ſit arctior cæteris, tunc poteſt vouens eligere aliam ſtrictiorem tanquam meliorem, dicendum ſic de meliori bono, & conſequenter non poſſit excludere electionem maioris boni.

58 Moneo hìc vnum, quòd ſi vouens religionem ingrederetur animo ſtatim exeundi, ſine dubio non ſatisfaceret voto: cùm animus taliter vouentium ſoleat eſſe, vt ingrediantur animo experiendi religionem, an ſibi conueniat ſtatus religioſus, ideòque votum religionis ſemper præſumatur factum tali animo, niſi conſtet de intentione contraria ipſius vouentis; quamquam, ſi vouens religionem in voto includat animum ſtatim exeundi, eiuſmodi votum ſit nullum, vt pote quod eſt de re mala quò ad poſteriorem partem, immò etiam quo ad priorem, quatenus promittitur ingreſſus cum eo animo. ita *Sanchez ſupra numer.* 77. alijque penes ipſum.

QVÆRES XI. An: & quo modo vouens religionem cenſeatur ſe obligaſſe ad perſeuerandum in religione, ac profitendum.

59 ℞. Non cenſeri, modò inter vouendum nihil deliberauerit de perſeuerantia; ideòque ſi bona fide ingrediatur ad experiendum, & ex cauſa ſufficienti iudicet ſibi expedire egredi intrà annum probationis, poſſe liberè, & ſine voti violatione exire è religione. ita *S. Tho. ſup. q.* 189. *a.* 4. alijq; communiter apud *Suar. ſup. c. 3. n. 1.* & probatur ex eò quòd, cùm iure communi concedatur annus probationis non ſolùm in fauorem religionis, ſed etiam religioſi ingredientis, vt poſt ſufficiens experimentum poſſit eligere quod ſibi magis iudicauerit expedire: per votum ingrediendi religionem non cenſetur vouens renuntiare tali fauori, ſed potiùs præſumitur ingredi iuxtà ius commune, ac ordinarium; ſicque non cenſetur ſe obligare ſimpliciter ad perſeuerandum, ſed ad ſummum ſub ea conditione, niſi poſt ſufficientem experientiam iudicauerit aliud ſibi expedire: vnde, non impleta tali conditione, non tenetur perſeuerare. Quod ita eſt verum, vt *Nau. Azor. Clau. reg. & alij DD.* relati à *Sanch. ſup. num.* 89. probabile cenſeant vouentem in meo caſu ſatisfacere voto, quantumuis retrocedat ſine vlla cauſa, ex ſola ſcilicèt libertate Nouitijs iure cõceſſa: ea ratione ducti, quòd votum religionis habet hanc tacitã conditionem, ſi facta per nouitiatum experientia religio mihi placuerit; ſi quidem acceſſorium ſequitur naturam actus, ſuper quem cadit vt paſſim notant Iuriſtæ, nec vouens cenſetur renunciare facultati ſibi à iure conceſſæ, niſi aliter expreſſerit; eſtò poſſit aliunde peccare ſic temerè deſerendo ſtatum religionis iam aſſumptum.

60 Verùm iſta doctrina mihi non placet (quamuis *Bonacb. D. 4. de leg. q. 2. p. 5. §. 6. nu.* 22. concedat illam eſſe probabilem, idemque ſentiat *Sanch. n.* 90. dicens oppoſitam, quam nos ſequimur cum *Suar. nu.* 2. eſſe veriorẽ): ſicque puto vouentem in caſu propoſito, ſi poſt ſufficientem experientiam iudicet ſibi expedire ſtatum religioſum, teneri vi voti religionis perſeuerare, ac profiteri, &, ſi recedat, eſſe voti transgreſſorem, & teneri iterum ingredi, ac profiteri. Ducor tum quia votum religionis per ſe non fit ſolùm propter habitum nouitiorum ſuſcipiendum, ſed primariò propter ipſum ſtatum religionis, adeòque per ſe obligat ad talem ſtatum profitendum, ac retinendum, ſaltem ex hypotheſi quod poſt ſufficientem probationem talis ſtatus conueniens iudicetur: tum quia alioqui ſufficienter impleret votum religionis, qui ſumeret habitum religionis animo non profitendi, quamuis talis ſtatus fuerit iudicatus expediens; quod tamen eſt valdè alienum à ratione, cùm talis modus ingrediendi religionem ſit imprudentiſſimus, & contrà finem, ac inſtitutionem talis ingreſſus: tum quia votum religionis aſtringit vi ſua ad illum ingreſſum religionis, quem ſpontè ſuſcipiunt ingredientes abſq; voto; at hi ingrediuntur animo perſeuerandi, ſi omnia grata, & conuenientia repererint, ergò & ad id tenebitur vouens religionem; tum denique quia à diuerſis non fit illatio, ideòque cùm ſit diuerſa ratio de ingrediente religionem ex voto; & de ingrediẽte ſine voto; ex eo quòd is poteſt liberè retrocedere, etiam ſine cauſa, non poteſt inferri id poſſe fieri etiam ab eo, qui ingreditur ex voto. ita *Suar. vbi ſup. Sanch. loco cit.* alijque plures apud ipſum; qui a fortiori idem ſuſtinebunt in caſu, quo vouens religionem intendit ſe obligare ad profitẽdum: ſed de hoc infra.

Quòd ſi quæras, quale debeat eſſe iudicium, quod vouenti religionem expediat, vel non expediat perſeuerare in religione.

61 ℞. *Suar. num.* 5. quòd, quamuis non ſit facile certam aliquam regulam aſſignare in hoc, veroſimilius tamen eſt non requiri iudicium definitum, quòd expediat ad bonum animæ, vel melius, aut æque bonum ſit non perſeuerare in religione aſſumpta, ſed ſufficere, quòd vouens timeat periculum alicuius grauioris mali, ac damni ſpiritualis, vel de eo probabiliter dubitet ob graues tentationes, quas patitur; vel quia non ſperat ſe poſſe cum gaudio, & animi tranquillitate deſeruire Deo in eo ſtatu; item ſi credat onera religionis ita ſuperare ſuas uires, vt non poſſit illa ſuſtinere ſine multis diſpenſationibus; vel certè, ſi ijs velit ſe exponere, non ſine triſtitia, ac animi perturbatione ſe eſſe victurum; vel denique ſi expertus ſit labores, & difficultates eſſe longè maiores, quàm cogitarat, ſibique propoſuerat: ratio horum eſt, quòd Eccleſia concedens nouitijs libertatem intrà annum probationis, omnes hos caſus meritò comprehendit, & ipſa vouentis intentio non videtur eſſe obligare ſe ad religionem, niſi cum animi alacritate, ac viribus

bus

bus ſufficientibus pondus illius integrè valeat ſuſtinere: quod eſt benè obſeruandum.

QVÆRES XII. An vouens ingreſſum religionis vnà cum perſeuerantia in ea, ſeu cum obligatione profitendi, ita teneatur perſeuerare, ac profiteri, vt neque ex iuſta cauſa poſſit retrocedere.

62 ℞. Teneri, ideòque non liberari voto egrediẽdo ex iuſta cauſa, ſed teneri iterum ingredi, ac profiteri: ratio eſt, quòd vouens in præſenti euentu promittit duo, nempe ingreſſum, ac perſeuerantiam: non ergò ſolo ingreſſu ſatisfacit, ſed præterea tenetur perſeuerare, ac profiteri; præter quàm quòd vouendo perſeuerantiam, eò ipſo cedit iure egrediendi anno nouitiatus inducto in ipſius fauorem. Quod tamen non facit, quò minùs vouens perſeuerantiam, ſi magnam aliquam difficultatem experiatur in religione tempore voti inuincibiliter ignoratam, aut ſuperueniat notabilis aliqua difficultas, poſſit licitè retrocedere: cum ſic notabilis rerum mutatio excuſet à voti obligatione; quãquam, ceſſante poſtea tali impedimento, teneatur vouens eandem iterum ingredi religionem, ſi eam ſpecialiter vouit, aut certè, ſi vouit religionem in genere, aliam, in qua non adſit illud impedimentũ; cùm votum religionis quò ad perſeuerantiam re vera nondum ſit impletum; & illud impedimentũ non excuſet, niſi pro eo tempore, quo durat, & reſpectu ſolius religionis, ad quam eſt. ita *Sanch. ſup. num.* 81. *&* 82. *Azor. cap.* 22. *q.* 8. *Suar. cap.* 4. *num.* 1. *Portell. de dub. reg. verb. votum, numer.* 42. *Leſſ. l.* 2. *cap.* 41. *nu.* 46. alijque penes ipſos contra *Sotum, Aragon. Petr. Ledeſm. & Sà* relatos à *Sanch. num.* 83. ſuſtinentes, & quidem probabiliter teſte *Leſſio*, vouentem non ſolum intrare religionem, ſed etiam profiteri, & perſeuerare, teneri ſolùm ingredi bona fide ad probandum, num ea viuendi ratio ipſi ſit conueniens, &, ſi eam deprehendat ſibi minus congruere ob aſperitatem, aut aliam cauſam, poſſe liberè exire: quæ opinio non nititur leuibus fundamentis, nec videtur omninò improbabilis, etiam iudicio *Caſtri Palaſup. p.* 4. *n.* 7.

63 Quòd ſi quis voueat vel perſeuerare in religione, vel efficere aliud opus bonum, & ingrediatur religionem animo implendi votum; non ideò vi talis voti cogitur perſeuerare, ſed poteſt adhuc retrocedere à religione, eligendo alteram partem disiunctiuæ; niſi fortè conſtet ipſum intendiſſe eam aliam partem perfectè eligere, votumque ſuum ad illam coarctare, moueor, quòd incipere exequi alteram partem voti diſiunctiui non eſt perfecta electio, ita vt non liceat retrocedere, & alteram eligere, immo in votis diſiunctiuis licitum eſt modò vnam, modò aliam partem præſtare; quod maximè videtur militare in præſenti caſu, cùm votum religionis communiter fiat animo experiendę religionis, & talis præſumendus ſit animus vouentis, niſi de alio conſtet. ita *Sanchez numer.* 84. addens *num.* 86. in dubio, an quis promiſerit ſolùm ingredi religionem, an etiam perſeuerare, non teneri perſeuerare ex vi voti; cùm votum in dubio obliget ad id, quod eſt minus, & non ſemper ad tutius; aliâs rariſſimi ſoleant vouere perſeuerantiam, ſolum ingreſſum promittentes; vnde à communiter contingentibus præſumi poteſt in currenti caſu fuiſſe promiſſum ſolum ingreſſum, non autem perſeuerantiam.

QVÆRES XIII. Vtrum vouens religionem in genere, & ſimul perſeuerantiam in ſtatu religioſo, ſi bona fide ingrediatur aliquam religionem, & inde dimittatur tempore nouitiatus, teneatur vi voti ingredi aliam, & ſic deinceps, vſque dum in aliqua admittatur ad profeſſionem.

64 ℞. Teneri, quamdiu probabiliter ſperat, fore vt inueniat aliquam religionem, in qua demum admittatur ad profeſſionem, ſicque poſſit implere votum perſeuerantiæ, moueor, quod vouens in iſto caſu promittit duo, ingreſſum religionis indeterminatè, & perſeuerantiam in ſtatu religioſo, ad quam ſupponitur emiſſio profeſſionis; ideoque nõ poteſt dici plenè ſatisfacere huic voto, niſi illud impleat quo ad vtramque partem; ſicut ergo ad illud implendum quo ad priorem partem tenetur explorare varias religiones, & plura monaſteria vniuſcuiuſque illarum, ſicuti diximus *q.* 6. ita & ad illud implendum quo ad poſteriorem partem explorare debet plures religiones, & plura monaſteria, vſque dum inueniat, in quo admittatur ad profeſſionem, aut certè iudicio prudentis poſſit probabiliter deſperare fore vt alicubi recipiatur ad profeſſionem; ſic enim diximus *q.* 12. vouentem ingreſſum alicuius certæ religionis vnà cum perſeuerantia, ſi expellatur tempore nouitiatus, vi voti teneri curare, vt in ea recipiatur tum ad nouitiatum, tum etiam ad profeſſionem ſuo tempore; par autem ratio militat in præſenti caſu, quo vouens promittit profiteri religionem vagè, ac indeterminatè, niſi quod eſt liber ad profitendum in hac, aut illa religione, pro vt ipſi libuerit: cùm alioqui vouens perſeuerare in certa aliqua religione vi voti cogatur profiteri in illa, & non in alia. Dixi, *quamdiu probabiliter ſperat &c.* vt innuerem vouentem perſeuerare in ſtatu religioſo non teneri explorare omnes omnino religiones, ſed ſufficere quod experiatur plures, & varias; ita vt probabiliter iudicare poſſit ſe in nulla admiſſum iri ad profeſſionem; proportionaliter vt diximus *q.* 6. de vouente religionem in genere: tunc enim omnino liberatur à voto.

Ad quid vero teneatur qui ingreſſus eſt religionem cum voto perſeuerantiæ, & poſt profeſſionem emiſſam in perpetuùm eijcitur a religione.

65 ℞. Ad nihil aliud teneri, niſi fortè poſt profeſſionem emiſſam iterum vouerit perſeuerare in religione aſſumpta, & ratio eſt, quod iuxtà dicta in *tract. de profeſſ. cap.* 4. *q.* 6. per profeſſionem religioſam extinguitur obligatio cuiuslibet voti ſimplicis, aut certè cõmutatur in opera religionis, niſi profitens aliud expreſsè intendat; quòd ſi extinguitur obligatio cuiuslibet voti ſimplicis, ergo & voti perſeuerantiæ; cum hoc etiam ſit votum ſimplex, nec adſit vlla ratio peculiaris ipſum excipiendi à communi regula. Colligitur ex *Bonac. D.* 4. *de leg. q.* 2. *p.* 5. *§.* 6. *n.* 20. aſſerente eum *Nauarro Leſſ. Azor. Sanch. Regin.* & alijs communiter eum, qui vouit religionem in genere, antequam ingre-

deretur

deretur certam aliquam religionem, non teneri ingredi alia, ſi poſt profeſſionem ab illa dimittatur in perpetuum: idque ob rationem modo adductam; quæ ſine dubio probat intentum etiam in præſenti caſu.

Maius dubium eſt, an vouens perſeuerare in Soc. Ieſu, ſi poſt vota biennij dimittatur ex Societate, vi illius voti teneatur procurare regreſſum.

℟. Diſtinguendo; vel iſte dimittitur ex culpa ipſius; & ſic puto eum teneri procurare regreſſum in Societatem voto perſeuerantiæ ad id ipſum aſtringente; vel dimittitur ſine eius culpa (v.g. ob infirmitatem:) & ſic cenſeo illum non teneri procurare eiuſmodi regreſſum, etiamſi non contradixerit dimiſſioni. Ducor, quòd in priori caſu militat doctrina, quam affert *Sanch. l. 4. mor. cap. 16. numer.* 108. nimirùm quòd ille cuius culpa conditio non impletur, perinde tenetur, ac ſi conditio eſſet impleta: vnde cum in voto perſeuerantiæ intelligatur conditio, ſi vouens in religione retineatur, hoc ipſo quòd is ſua culpa non retinetur, manet perinde obligatus, ac ſi non fuiſſet dimiſſus (vt in caſu non multum diſſimili philoſophatur *Sanch. vbi ſup.*) ideòque remanet obligatus ad procurandum regreſſum, in poſteriori autem caſu, cùm vota biennij fiant in Societate iuxtà Societatis Conſtitutiones, & iuxtà has illa non habeant perpetuitatem ex parte Societatis, quæ manet libera ad dimittendum Religioſum talibus votis adſtrictum, ſi iuſta occurrat cauſa ſecluſa ſpeciali intentione vouentis, (de qua certò conſtet) vouens promittendo perſeuerantiam in Societate non cenſetur voluiſſe ſe obligare ad perſeuerandum abſolutè, & ſimpliciter, ſed quantùm eſt ex parte ſua, videlicet ad non dandam cauſam culpabilem dimiſſioni; quod omninò euenit in caſu propoſito, vt ſuppono; vnde mirum non eſt vouentem in illo euentu manere liberum à voto perſeuerandi, cùm non intenderit ſe obligare ad perſeuerandum in caſu, quo ſine ipſius culpa dimitteretur; idque etiamſi (vt dixi) non contradixerit dimiſſioni: poſito enim quod vouens perſeuerantiam ſolùm intenderit ſe obligare, quantùm eſt ex parte ſua modo ſupradicto, vi talis voti ſe tantùm adſtrinxit ad non dandam cauſam culpabilē dimiſſioni, non item ad contradicendum caſu, quo ei proponeretur à Superioribus iuſta, ac rationabilis dimiſſio. quod puto habere verum in euentu, quo vouens gauderet dimiſſione tanquam ſibi grata; cum tale gaudium ſit de bono illi proueniente ex dimiſſione, non autem de ipſa dimiſſione vt ſic, ad quam ille ſe habet merè paſſiuè, vt ſuppono.

QVÆRES XIV. An vouens religionem in genere ſi ingreſſus vnam bona fide, nempe animo perſeuerandi, ex iuſta cauſa ab ea recedat, teneatur ingredi aliquam aliam, quæ eius ingenio cenſeatur magis accommodata.

67 ℟. Non teneri, & patet, quia iſte non vouit perſeuerantiam, ſed ſolùm ingreſſum; adeòque plenè ſatisfacit voto bona fide ingrediendo vnam religionem, & ab ea egrediendo ex iuſta cauſa. ita *Sanch. n. 93.* contra *Rodriq. to. 2. ſum. c. 97. num. 2.* mouens non eſſe ſimile de petente admitti in religionem, & nondum admiſſo: is enim adhuc tenetur adire varias religiones, eo quòd non cenſetur implere votum religionis in genere, quamdiu ſperatur fore, vt in aliquam Religionem recipiatur: vtpote quod eſt de ingrediendo religionem vt ſic, non autem hanc potiùs; quam illam.

QVÆRES XV. An vouens profiteri in religione ſatisfaciat voto emittendo vota biennij, aut etiam coadiutorum formatorum Societatis Ieſu.

68 ℟. Satisfacere, ſi per profiteri religionem intellexit aſſumere ſtatum religioſum in religione approbata, & effici verum religioſum, (quod cenſeo communiter intendi ab emittentibus tale votum:) & ratio eſt, quòd per vota biennij, aut coadiutorum formatorum vouens efficitur verus religioſus, vt oſtendimus in *tractatione 1. cap. 1. qu. 4.* ſicque talis emiſſio votorum poſſet appellari profeſſio religioſa, vt probat *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 3. cap. 3.* per totum; vnde fit, vt, ſicut emittens talia vota verè, & propriè fit religioſus, ita & poſſit dici profiteri religionem iuxtà ſenſum intentum in emiſſione ſupradicti voti. Secùs, ſi vouens per profiteri religionem intellexit tradiationem omninò abſolutam, ac votis ſolemnibus firmatam, atq; adeò indiſſolubilem tam ex parte religionis, quàm religioſi: ſic enim emiſſio votorum biennij, aut coadiutorum formatorum non poteſt dici profeſſio religioſa, cùm habeat indiſſolubilitatem ſolùm ex parte religioſi vouentis, non autem ex parte religionis admittentis, & conſequenter per talem emiſſionē non impleatur votum profitendi religionem; ſi quidem in tali ſenſu profiteri importat aliquid, quod non reperitur in præfata emiſſione; nimirùm omnimodam indiſſolubilitatem, ideòque per illam minùs perfectè ſatisfit obligationi voti ſupradicti, vt patet.

QVÆRES XVI. An ingrediens ex voto religionem, ſi ab ea dimittatur ob morbum, aut aliquam aliam cauſam temporalem, his ceſſantibus, teneatur vi voti redire ad illam, ſi iterum à Superioribus admittatur.

69 ℟. Probabile eſſe non teneri, niſi vnà cum ingreſſu religionis vouerit & perſeuerantiam. moueor tum quia votum religionis de rigore ſolùm obligat ad ingrediendum bona fide, animo perſeuerandi, niſi dimittatur, aut ipſemet exeat iuſta de cauſa; hoc autem totum præſtat vouens in caſu noſtro; ergò ad nihil ampliùs tenetur: tum quia longè diuerſa eſt ratio de eo, qui in religionem voto promiſſam ob impedimentum temporaneum non admittitur; & de eo, qui ſemel admiſſus exit ex iuſta cauſa temporali: ille enim ideò, eo impedimento ceſſante, adhuc tenetur ingredi, eò quòd votum numquam impletum eſt; iſte verò non, quia de facto impleuit votum ſemel ingrediendo bona fide, eſto poſteà exeat modo dicto. ita *Sanch. num. 105.* contra *Rodriq. tom. 1. ſum. cap. 97. num. 5.* addens ſecùs dicēdum in caſu quo vouens promiſerit etiam perſeuerantiam; tunc enim egreſſus, aut expulſus tempore nouitiatus ex quantumuis iuſta cauſa, aut impedimento temporali iis ceſſantibus tenetur redire ad religionem; &, ſi impedimentum ſit perpetuum, non ad omnem religionem; ſed ad illam, aut

aliquam

aliquam aliam determinatam, nec illa, determinatè promiſſa ſit, ſed religio in genere, tenetur quærere aliam, ſi ſperet ſe ad aliam admiſſum iri: oppoſitum tamen ſuſtinet eſſe probabile *Caſtrus Palaus nu.* 10. *ex Suarez* & probat, quia vouens profiteri præſumitur voluiſſe ſe obligare ad profitendum ſolùm ſi receptus ſemel in probatione per ipſum non ſteterit, non autem omnibus modis, & vijs.

70 Accedit, quod ſi vouens religionem ingrediatur Carthuſiam, & expellatur tempore probationis, eò quòd careat debita ætate iuxtà illius Ordinis ſtatuta, vi voti tenetur vel alium Ordinem ingredi, vel illum eundem, vbi attigerit legitimam ætatem; vouens quippe religionem vagè tenetur ad eam cuius eſt capax; idque verum eſt, ſiue ingreſſus ſit bona fide; ſiue mala: cùm bona fides excuſet à peccato, non tamen efficiat, vt in caſu propoſito votum impleatur, & aliàs certum ſit ingredientem mala fide non ſatisfacere. Secùs, ſi vouens verè ſit capax, & ob falſas teſtium depoſitiones eijciatur, aut certè, antequam ipſe profiteatur, edatur ſtatutum, eum inhabilitans ad eam religionem; in neutro enim caſu tenetur illam, aut aliam religionem ingredi: cùm ſic vouens præſtiterit totum id, ad quod tenebatur, vt potè qui vouit ſolùm ingreſſum, non autem perſeuerantiam, & alioqui eiectus ſit ſine eius culpa, vt ſuppono. ita *Nau. l.* 3. *conſil. de voto conſ.* 21. & cum eo *Sanch. num.* 107. monens *num.* 108. vouentem religionem, ſi bona fide ingrediatur ſatisfacere voto, etſi poſteà eijciatur ex culpa ipſius, dummodò mediocrem adhibuerit diligentiam ad corrigendas ſuas culpas, & ad ſe accommodandum religionis inſtituto, & ex infirmitate, prauiſque habitibus, aut ex praua ipſius indole minùs ſe ad religionis inſtituta accomodauit, aut in eas incidit culpas; ſic namque bona fide experitur religionem, & inuenitur inhabilis, & aliàs curauit, quantùm in ſe eſt, impleri conditionem, quę ineſt voto religionis; quę doctrina eſt tum contra *Toletum l.* 4. *ſum. c.* 17. *nu.* 12. *& alios*, aſſerentes vouentem in tali caſu teneri ſe corrigere, vt iterum admittatur ad religionem. tum contrà *Azorium p.* 1. *l.* 11. *c.* 22. *q.* 9. abſolutè ſuſtinentem, vouentem ſatisfeciſſe voto religionis, & ad nihil aliud teneri.

QVÆRES XVII. An vouens ingredi religionem laxiorem, emiſſo iam voto religionis ſtrictioris, ſi ingreſſus ſtrictiorem, exeat ex iuſta cauſa ab ea perita perpetuam repulſam patiatur, teneatur poſteà ingredi laxiorem.

71 ℞. Teneri; & ratio eſt, quod, cùm votum poſterius religionis laxioris ſit de re bona, validum fuit, etſi non obliget, niſi in caſu, quo eius obſeruatio non repugnet cum ingreſſu ſtrictioris religionis; eo vel maximè, quod incompoſſibilitas talium votorum, quæ contra nos poſſet allegari, nō eſt perpetua, ſed poteſt ceſſare, ſiue obtenta diſpenſatione prioris voti, ſiue ſuperueniente impotentia illius implendi, ſiue quia vouens non admittatur, aut expellatur, aut etiam ex iuſta cauſa exeat, eo quod fuerit votum ſolius ingreſſus, præter quàm quod incompoſſibilitas duorum votorum nō facit, vt poſterius votū minoris boni ſit nullū, ſed vt non obliget, quandiu impedit executionem melioris boni: quod benè aduertit *Sanch. nu.* 98. docens quod ſi emiſſo voto religionis ſtrictioris voueatur laxior, hoc poſterius votum eſt nullum, vt pote quod eſt de re Deo ingrata, ſi id fiat mala fide, videndo ſcilicet hac ratione impediri materiam melioris voti, & volendo eam impedire.

QVÆRES XVIII. An vouens religionem, ſi ab ea petita expellatur in perpetuum, teneatur ingredi caſu, quo Religioſi poſteà velint ipſum admittere.

72 ℞. Videri teneri; & probatur tum quia alioqui vouens religionem, & iudicatus ad illam ineptus à viris timoratis, ac prudentibus (etſi falsò) non teneretur ingredi, ſi poſteà conſtaret tale iudicium fuiſſe falſum, & religio eſſet parata illum admittere; hoc autem non videtur admittendum; tum quia ſi quis deſperet prudenter poſſe alicubi audire miſſam in die feſto, poteſt, ea non audita, quocumque ire, cùm ſic ſe exiſtimet impotentem ad implendum præceptum: & tamen, ſi caſu tranſeat Sacerdos volens celebrare, ille tenetur audire miſſam, nec ampliùs excuſatur, eò quòd ceſſet impotentia audiendi exiſtimata: ſic ergò vouens religionem, quamuis reiectus à religioſis excuſetur ab implendo voto ob rationem impotentiæ tunc exiſtentis, ſi poſteà ij, mutata voluntate, velint illum recipere, vtique tenebitur ingredi: tum denique quia hinc non ſequitur vouentem cogi manere ſuſpenſum toto vitæ ſuæ tempore; nam poſita morali diligentia vt admittatur, & refutatus in perpetuum poteſt; iam deſperato ingreſſu, tranſire ad nuptias, ſe exiſtimando liberum à voto; quod tamen non facit, quin, ſi poſteà admittatur, vi voti teneatur ingredi: cùm obligatio illius fuerit tantùm ſuſpenſa, eò quòd deſperabatur facultas ingrediendi, non autem extincta. ita *Sanch. num.* 71. *cum Abulenſi cap.* 30. *Num. q.* 53. *contra Aragonam & Azorum* dicentes vouentem in præſenti caſu nō teneri ampliùs ingredi religionem, à qua in perpetuum fuit repulſus: quorum ſententiam innuit *Sanch.* eos citans *num.* 70. eſſe probabilem, dum ait ſuam ſibi videri veriorem, ideſt probabiliorem; infertque ex ſua ſententia ſequi vouentem non admiſſum ad religionem ex defectu literaturę, aut officij mechanici, teneri ingredi, ſi poſteà ea addiſcat; quamuis aliàs non teneretur ea addiſcere, adeòque eſſet liber à voto.

73 Hæc tamen doctrina ſano modo debet intelligi, nimirùm ſtantibus rebus in eodem ſtatu; vnde, ſi vouens religionem ſtrictiorem, ab ea reiectus eſt in perpetuùm, & iam ingreſſus eſt aliam laxiorem, aut etiam inijt matrimonium, & viduus effectus eſt, etſi Religioſi Ordinis ſtrictioris velint ipſum poſteà admittere, priùs quàm profiteatur in laxiori, non ideò videtur obligandus ad ingrediendam religionem illam ſtrictiorem; cum ſic notabilis rerum mutatio ſecuta ſit, & alioqui non ita amarè accipi debeat obligatio voti illius, vt aſtringat in tali mutatione, ſi iſta ſequatur ſine culpa ipſius vouentis, & vſus eſt ſufficienti diligentia ad implendum ſuum votum; negari enim non poteſt ingreſſum ſemel religionem notari inconſtantiæ, ac leuitatis,

ſi eam

ſi eam deſerat etiam vt ad ſtrictiorem tranſeat; Et difficiliùs multò eſſe, expertum ſemel nuptias tranſire ad religionem, ſicut aduertit *Sanch. n. 73.*

QVÆRES XIX. Ad quid teneatur, qui vouit religionem, ſi ei ſuperueniat aliquod impedimentum, ratione cuius ingredi nequeat: v. g. infirmitas perpetua incompoſſibilis cum ea religione; vel quòd ingreſſus nouitiatum dimittatur ſine ſua culpa, aut certè propter culpam, quam ipſe non poteſt emendare, vt homicidium aliàs commiſſum.

74 ℞. Ad nihil aliud teneri, ſed manere liberum à voto: cùm impoſſibilium non ſit obligatio; & in tali voto ſubintelligatur conditio, niſi obſtet aliquod impedimentum. ita *Regin. l. 18. nu. 381.*

Difficultas eſſe poſſet, an vouens in caſu propoſito teneatur petere diſpenſationem, ſi impedimentum, propter quod excluditur, ſit diſpenſabile.

75 ℞. Teneri, ſi diſpenſatio haberi poſſit ſine magna difficultate: idque ſiue vouens tempore voti agnouerit impedimentum, ſiue ignorauerit. Colligitur ex *Sanch. l. 4. mor. c. 16. num. 36.* & probatur ex eo quòd qui vult finem, debet velle, & conſequentia ad finem, ſeu (quod idem eſt) media neceſſaria ad conſequendum finem, ſi ſint ordinaria, & non admodum difficilia; hoc autem euenit in caſu noſtro, vt conſideranti facilè conſtabit.

An verò vouens religionem, dum eſt iuuenis, & non potens iuſta de cauſa implere votum, niſi iam factus ſenex, teneatur ingredi, ceſſante cauſa, quę legitimè impediebat ingreſſum, ſi non ſit moraliter ferendo onera vitæ religioſæ.

76 ℞. Non teneri ob doctrinam traditam *q. præcedenti §. hac tamen:* nec non ex eo quòd vouens nō cenſetur voluiſſe ſe obligare in talibus circumſtantijs, cùm tamen votum totam ſuam obligationem deſumat ex intentione vouentis. ita *Sanchez ex Vict. Lopez, & Soto num. 30.* mones illam reſponſionem habere locum etiam in caſu, quo vouens ſua culpa tempore iuuentutis votum non impleuerit, pro vt tenebatur; ſi quidem quò ad hanc obligationem imposterum exequendam nihil hoc confert; cùm moralis impoſſibilitas exequendi nunc adſit ratione prædictæ mutationis. Quin addit *Sanchez* vouentem in tali caſu non teneri tale votum commutare, ſed de præterita negligentia dolere, nec teneri ingredi religionem, etſi religioſi velint ipſum admittere: idque ob rationes modò adductas.

QVÆRES XX. Ad quid teneatur qui poſt votum religionis contrahit matrimonium.

77 ℞. Teneri illud non conſummare, neque petendo neque reddendo, &, ſi conſummet, peccare mortal. cùm ſic reddat ſe impotentem ad implendum votum; conſummato tamen ſemel matrimonio poſſe liberè & reddere, & petere; cùm id non ſit contrà votum emiſſum, nec impediat illius executionem, quippequę ipſi facta eſt impoſſibilis; quamquam, vbi primum poterit exequi votum, tenetur: vt ſi coniux velit ſimul conuerti, aut contingat committere adulterium, damnari hęreſeos, mori, aut dare alteri facultatem ingrediendi religionem, ſiue expreſſam, ſiue tacitam); & ſi non implet, peccabit, tum petendo, aut reddendo debitum, tum remittendo adulterium alteri coniugi quò ad diuortium, tum per adulterium à ſe commiſſum cum alia perſona ſibi auferendo poteſtatem tranſeundi ad religionem: cùm ſic propria ſponte, nulla lege matrimonii coactus ſe efficiat impotentem ad implendum votum. ita *Leſſ. l. 2. cap. 41. num. 47. Suar. tom. 2. de relig. l. 4. c. 5. Sanchez num. 117. Portell. de dub. regul. verb. votum in addit. num. 49. Bonac. D. 4. de leg. q. 2. p. 5. §. 6. num. 19.* alijque communiter, qui benè monent, quòd cùm votum religionis per matrimonij conſummationem non extinguatur, ſed ſolùm ſuſpendatur: mirum non eſt vouentem teneri illud implere, ſi ſuperuiuat alteri coniugi, aut aliàs aliquo ex modis ſuprà dictis liberetur à lege matrimonij: qua de re *Sanch. l. 9. de matr. D. 6. num. 14.*

78 Verum tamen eſt quod, cùm tempus conceſsū coniugi poſt matrimonium in iure ſit limitatum, nempe duorum menſium; ſi illud tempus iam elapſum ſit, ſiue per impotentiam, ſiue per negligentiam; & alter coniux petat ius ſuum à coniuge adſtricto voto religionis, nolens ampliùs differre; poteſt iſte, immò & tenetur reddere debitum nec peccat conſummando matrimonium (etſi non poſſit conſummare petendo; cum vi voti teneatur ſe conſeruare, quantum eſt ex ſe, aptum ad ingreſſum religionis, & non ponere nouum impedimentum); & ratio eſt, quòd, cùm alter coniux exigat ius ſuū pro eo tempore, quo ipſi debetur: non poteſt vouens iuſtè negare occaſione voti, quod vtique non obligat cum iniuria proximi (idque etſi vouerit perſeuerantiam in religione). ita *Suar. ſup. num. 8.* addens *num. 9.* quod ſi alter coniux poſt illos duos menſes nunquam petijt debitum, ſicque permanſit diutiùs in eo ſtatu, non videtur coniux voto religionis adſtrictus debere obligari, vt primæ petitioni ſtatim conſentiat, & conſummet matrimonium; ſed, ſi poteſt, debet potius ſtatim ingredi religionem ad effectum implendi votum: ſiquidem alter tacendo, & non petendo debitum videtur facilè conſenſiſſe, & ceſſiſſe iuri ſuo ideoque alius nondum cœpit eſſe in mora & conſequenter adhuc poteſt implere votum à ſe factum; (quod non admittit *Caſtrus Palaus tract. 16. D. 1. p. 5. numer. 3.*) intellige, niſi ex concurrentibus circumſtantijs alter coniux præſumatur tacitè petere ius ſuum, & inuoluntariè pati illas moras, ob verecundiam, aut reuerentialem timorem, alioſue ſimiles reſpectus non audens petere explicitè.

QVÆRES XXI. Ad quid teneatur qui vouet religionem poſt conſummatum matrimonium.

79 ℞. Cum diſtinctione; vel iſte vouet de cōſenſu alterius, vel ſine conſenſu; ſi abſque conſenſu, adhuc diſtinguendum: vel intendit ſtatim implere, & ſic votum eſt irritum vtpotè de re illicita (quod negat *Suar. to. 2. de relig. l. 4. cap. 5. num. 3.*) vel non reſtrinxit ſuum votum ad tempus, ſed retulit ad tempus in quo liberè poterit ipſum exequi (quod regulariter præſumi poteſt; cùm non ſit præſumendum peruersè factum quod potuit rectè fieri) &

votum

votum eſt validum, ſi verò vouit cum conſenſu alterius coniugis, vtique valet votum, non tamen obligat abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione, ſi vxor præſtare voluerint, quæ iure requiruntur, nimirùm ingredi etiam ipſa religionem, ſi eſt iuuenis, aut talis, vt in eam cadere poſſit ſuſpicio incontinentiæ, vel vouere caſtitatem in ſæculo, ſi eſt vetula, ac expers periculi; vnde fit, vt ſi vxor renuerit hæc præſtare, alter coniux non obligetur voto, deficiente conditione iure requiſita. ita *Leſſ. ſup.* notans *num.* 48. quòd quamuis coniugibus pari conſenſu, & ex pacto vouentibus ingreſſum religionis, etiam poſt conſummatum matrimonium votum valeat; ſi tamen alter illorum reſiliat, alius non tenetur exequi; cùm iure non poſſit alter ſine altero ſtatum mutare, & tale votum tacitam habeat conditionem, ſi coniux perſtiterit in propoſito: idque etſi alter, qui reſilijt, mæcetur; ſi quidem adhuc non extat conditio, ſub qua votum obligabat.

Vtrum verò coniuges poſt votum religionis communi conſenſu emiſſum poſſint petere, & reddere debitum.

80 ℞. Poſſe, cùm vſus coniugij nullo modo repugnet ſupradicto voto, eiuſque executionem non impediat; & hoc, eſtò matrimonium nondum eſſet conſummatum; cùm etiam eo conſummato ingredi poſſint religionem; quòd ſi vxor renuat, ipſa quidem peccat .m. vir tamen excuſatur, eo quod per ipſum non ſtet, quo minùs votum impleatur. ita *Leſſius ſup.*

QVÆRES XXII. Ad quid teneatur qui vouet religionem poſt ſponſalia de futuro, & quidem iurata.

81 ℞. Teneri ingredi religionem; & probatur, quia votum religionis in ſponſalibus cenſetur iure exceptum; cùm ius tribuat facultatem ingrediendi religionem etiam poſt matrimonium ratum, nondum conſummatum: vnde, & per votum religionis diſſoluuntur ſponſalia; quod ſi vouens in præſenti caſu eſt liber ab obligatione ſponſaliorum, iam nullum habet titulum, per quem liberetur à voto religionis. ita *Suar. ſup. num.* 11. *ex Nau. Lopez Henriq. Sanch. Leſſ.* alijque communiter monens *num.* 12. quod, licèt in caſu propoſito impleri poſſet iuramentum vnà cum voto, contrahendo nempe matrimonium & poſteà ante eius conſummationem ingrediendo religionem; id tamen regulariter non eſt neceſſarium ratione iuramenti, quippequod in tali caſu non violatur, cùm habeat incluſam conditionem, *niſi ingrediar religionem*: imò nec ordinariè conſulendum ob periculum, quòd ſubeſt conſummandi matrimonium, & propter offenſionem alterius, qui poſtea deſeratur.

82 *Addit Suar. num.* 14. quòd ſi contingat vouentem religionem poſt ſponſalia implere votum ingrediendo, & probando religionem, non tamen profitendo: adhuc tenetur implere ſponſalia, ſi inſtet alter ſponſus; ſic quippe poteſt ea ſeruare abſque violatione voti, cum illud iam impleuerit; & aliunde non habet, quòd excuſetur ab ijs ſeruandis; quamdiu enim votum religionis non conſummatur, vt ſic dicam, per ſolemnem profeſſionem, obligationem ſponſaliorum potius ſuſpendit, quam extinguat. vnde fit, vt vouens religionem poſt ſponſalia, ſi exultat in mora, cogi poſſit per Iudicem, vt vel religionem ingrediatur, vel ſi iuſtè impeditur, ſeruet ſponſalia, eorum obligatione reuiuiſcente.

QVÆRES XXIII. Ad quid teneatur, qui vouet religionem ante omnia ſponſalia tam de præſenti, quam de futuro.

83 ℞. Per ſe teneri ad non contrahendum matrimonium, neque etiam promittendum. ita *Suar. ſup. num.* 15. & probatur tum quia omnis contractus, aut promiſſio contraria tali voto eſt illicita; huiuſmodi autem eſt matrimonium, & eius promiſſio; tum quia quod dicitur in *cap. rurſus qui cler. vel vouent.* iuramentum ducendi vxorem poſt votum caſtitatis factum eſſe nullum, & non obligare, procedit etiam in voto religionis, vt patet.

QVÆRES XXIV. Ad quid teneatur, qui poſt votum religionis corrupit fœminam ſub promiſſione coniugij, eamque aut virginem, aut viduam honeſtam inſciam talis voti; vel certè cum ea talem contraxit familiaritatem, vt inde ipſi immineat grauis infamia, quæ ſolùm per matrimonium impediri poſſit.

84 ℞. Quòd quamuis ſatis probabile ſit quod docent *Conınch. D. 23. de Sacr. num. 20. Vuald. Rodriq. & Nau. rel. ut à Sanch. l. 1. de matr. D. 45. num. 2.* vouentem in iſto caſu non poſſe ducere talem fœminam, ſed teneri ingredi religionem; quippe qui non tenetur eam ducere, neque ratione promiſſionis, quæ cum ſit de re illicita, hoc ipſo eſt irrita; neque ratione damni illati per copulam: aliàs enim ad id teneretur, etſi nulla præceſſiſſet promiſſio. probabilius tamen eſt, quod docent *Sanch. ſup. num. 3. Vaſq. de reſtit. cap. 3. §. 1. d. 3. num 20. Leſſ. l. 2. cap. 10. nu. 32. Regin. l. 31. num. 258. Diana p. 3. tract. 4. reſol. 203. Fillıuc. tract. 10. num. 284.* alijque vouentem ſcilicet teneri ducere talem fœminam probant autem hi DD. ſuam ſententiam, tum quia aliter non poteſt reſarciri iniuria illata, ad quam eſt obligatio ex iuſtitia; tum quia æquitas naturalis non patitur, vt cum tanto damno alteri iniurioſè illato ſit in alium liberalis; cùm tamen emiſſio voti, eiuſque impletio ſint actus liberalitatis in Deum: tum quia vinculum iuſtitiæ fortius eſt vinculo charitatis; ſi ergò ob charitatis vinculum ſuperueniens tenetur quis religionis votum præcedens ſuſpendere (v. g. ob indigentiam parentum) à fortiori tenebitur ob vinculum iuſtitiæ, quale eſt hoc: tum quia ære alieno grauatus, ſi ſoluendo ſit breui, non poteſt ingredi religionem voto promiſſam, ſed tenetur differre, & quamuis breui non poſſit ſoluere, ſi tamen ſperet fore, vt poſſit, probabiliſſimum putat *Sanch. loco ſup. citato* non poſſe ingredi; & ſi aliqui oppoſitum ſuſtinent eo nituntur fundamento, quod perſona debitoris non maneat obligata creditori: at in præſenti caſu poteſt corruptor fœminæ ſtatim ſoluere, & perſona eſt obligata, ergo non obſtante priori voto religionis, tenetur eam ducere.

Quòd ſi quæras, vtrum in iſto caſu peti debeat diſpenſatio voti religionis.

℞. Non

85 ℞. Non videri neceſſarium, cùm executio voti ſacta ſit illicita vouenti: conſulendum tamen eſſe, vt petatur ſi fortè vouens promiſit etiam caſtitatem; aliàs enim ipſe ex ſua parte non poſſet petere debitum, ſed ſolùm reddere vxore tacitè, aut explicitè petente. ita *Leſſ.n.35.*

QVÆRES XXV. Ad quid teneatur qui poſt votum ingrediendi, aut profitendi religionem ſuſcipit Epiſcopatum.

86 ℞. Eum non ſolum peccare mortaliter contra votum, ſed etiam teneri vel reſignare epiſcopatum ſi tantùm ſit electus (idque etiam ſine auctoritate Papæ) vel ſi ſit etiam confirmatus, petere à Papa licentiam tranſeundi ad religionem, cùm ſic obligatus ſit vinculo ſpirituali Eccleſiæ ſibi commiſſæ, & quaſi matrimonio; quo caſu poterit Papa vel dare facultatem ingrediendi religionem, vel diſpenſare ſuper voto religionis ad effectum retinendi epiſcopatum. ita *Laym. l.4. tr.5. c.6. n.15. cum Tab. Sylu. Leſſ. Azor. Miranda, Maiorc, & Sanch. contra Abbatem Rodriq. & Henriq.* relatos ab ipſo *Laym.* ſuſtinentes vouentem in iſto caſu non peccare, nec teneri, relicto epiſcopatu, ingredi religionem, eò quòd ſtatus epiſcopalis perfectior ſit ſtatu religioſo, & votum non infringat, qui illud in melius commutat *cap. peruenit 2. de iur. iur.* Et quidem quod vouens in præſenti euentu peccet, conſtat, quia epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis (per ſe, ac formaliter loquendo) non propriæ, ſed alienæ, non paſſiuæ, ſed actiuæ, ideoque ſecluſo caſu neceſſitatis eccleſiæ meliùs eſt vouenti tranſire ad religionem, quàm ſuſcipere epiſcopatum; ideòque non poteſt commutare ſuum votum in curam epiſcopalem. quòd verò teneatur reſignare epiſcopatum modo ſupradicto, colligitur ex *c. per tuas de voto*, vbi propoſito iſto caſu reſpondit Innoc. III. *Conſulimus, vt, ſi tuam ſanare deſideras conſcientiam, regimen reſignes Eccleſiæ, ac reddas Altiſſimo vota tua.* quamquam vouens non prohibeatur petere diſpenſationem in voto, ſi ſubſit iuſta cauſa, eaque obtenta, retinere epiſcopatum: vel etiam tacito ſuo voto, quod violauit, petere facultatem ingrediendi religionem, ſicque ſuper ea ſe conformare reſponſo Papæ, vt notat *Laym. ex Caiet. & Sanch.* quod non admittit abſolutè *Caſtrus Palaus ſup. p.6. n.7.*

QVÆRES XXVI. Ad quid teneatur is, cui votum caſtitatis, aut peregrinationis Hieroſolymitanæ commutatum eſt in ingreſſum religionis.

87 ℞. Teneri bona fide ingredi religionem animo perſeuerandi, non tamē re vera perſeuerare ideòq; ſi habeat iuſtam cauſam recedendi, poſſe exire, & nihilominùs manere liberum ab obligatione prioris voti. ita *Portell. de dub. regul. v. votum n.44.* & ante illum *Sanch. l.4. mor. c.16. n.94.* patetque quia per cōmutationem obligatio prioris voti omninò extinguitur eiuſque loco ſuccedit res, in quam ipſum votum commutatur, perinde ac ſi de ea ſola votum fuiſſet emiſſum; intellige, modo vouens, cui facta eſt ea commutatio, ſit capax ingrediendi illam religionē: alioqui ſi ſit incapax ob aliquod impedimētū, ac propterea reijciatur, vel admiſſus excludatur tunc nō ceſſat obligatio voti, cū ſic voti cōmutatio fuerit nulla, vtpote facta in materiam illicitam.

QVÆRES XXVII. Ad quid teneatur, qui vouet eſſe religioſum.

88 ℞. Quòd quamuis aliqui cum *Caiet. 2.2. q.189. a.4. d.1.* putent ampliùs obligare votum eſſendi religioſum, quàm votum ingrediendi religionem, eò quòd religioſus non conſtituatur per ingreſſum religionis vt ſic, ſed per profeſſionem; reuera tamen illa duo vota videntur æquiualentia: cùm etiam votum ingrediendi religionem per ſe tendat ad ſtatum, & aliquo modo ad illum obliget; & è contrà votum eſſendi religioſum, licèt magis explicet ipſum ſtatum, intelligatur ſecundùm formam iuris communis, & conſequenter non excludat conditionem, ſi poſt ſufficientem probationem iudicauero talem ſtatum mihi conuenire; vnde fit vt licet verba dictorum votorum ſint diuerſa, res tamen ſit eadem, ſicque non magis obliget vnum votum, quàm aliud. ita *Suar. tom.3. de relig. l.4. c.3. nu.12.* monens talem videri communem intentionem vouentium.

QVÆRES XXVIII. Ad quid teneatur vouens religionem, ſi eo ſolo fine admiſſus ſit ad religionem, vt voto religionis liberaretur, ſicque nondum ſuſcepto habitu, aut certè eo ſuſcepto dimittatur ante profeſſionem.

89 ℞. Si quidem dimiſſus eſt, nondum ſuſcepto habitu, teneri iterum ingredi religionem animo perſeuerandi iuxta aliàs dicta (idque etſi non fuerit conſcius fraudis;) ſic enim vouens nihil expertus eſt religionis, nec præſtitit quod vouit, fuitque admiſſus non verè, ſed fictè; cùm tamen fraus & dolus nemini debeant patrocinari; quod ſi habitum ſuſcepit, & ita reuera fuit nouitius; nec culpa ſua eijcitur, fuitque fraudis ignarus: tunc probabile eſt ipſum non teneri ad aliud, cùm ſic videatur præſtitiſſe, quod promiſerat. ita *Sanch. n.109.* qui tamen ſuſtinet oppoſitum eſſe verius, id eſt probabilius, eò quod vouens in tali caſu fictè ſolùm fuerit admiſſus, ſicque non fuerit verè nouitius, eſtò ipſe in hoc ſe habuerit merè paſſiuè.

QVÆRES XXIX. Ad quid teneatur qui vouet religionem, & ſufficienti præmiſſa diligentia in nullam admittitur, ſed in perpetuum repellitur.

90 ℞. Ad nihil teneri, ideòq; manere omninò liberum à voto. & conſequenter, ſi velit, poſſe tranſire ad matrimonium: & hoc, etiamſi vouerit perſeuerare. probatur autem, tum quia tale votū habet tacitam conditionem, *ſi admittar*, ideòque vouens hoc ipſo quòd debitam præmiſit diligentiam, impleuit id, ad quod tenebatur: tum quia eſtò in religione promittantur tria vota ſubſtantialia, hæc tamen non obligant ante aſſumptionem illius ſtatus. ita *Nau. c.12. n.46. & 48. Sylu. v. religio 2. q.17. Azor. tom.1. l.11. c.22. q.3.* alijque quos refert, & ſequitur *Sanch. n.111.* docens idem aſſerendum de expulſo à religione in perpetuum tempore nouitiatus, caſu, quo, facta tali expulſione, votum impletum ſit: immò etiam in caſu, quo non ſit impletum, eò quòd fuerit votum perſeuerantiæ, aut vouens eiectus fuerit ob proprias culpas, iiſque corrigendis nullam diligentiam appoſuerit, ſi poſteà correctus non recipiatur in religionē ſpecialiter promiſſum, aut, ſi votū fuit perſeuerandi in religione inde-

A 2 termi-

eterminata, deſperetur prorſus receptio in aliam.

QVÆRES XXX. Ad quid teneatur, qui ſimul vouit caſtitatem, ac religionem, & non admittitur ad religionem, ſed potiùs repellitur in perpetuum.

91 ℞. Teneri ſeruare caſtitatem, etiam in ſæculo, ſi illam æque principaliter vouit vnà cum religione; non item, ſi illam promiſit ſolùm acceſſoriè vouendo principaliter religionem. moueor, quòd in priori caſu caſtitas fuit promiſſa independenter à religione, ſicque eſt veluti votum diſtinctum à voto religionis, ideòque obligat, etſi non obliget votum ipſum religionis: in poſteriori verò caſu votũ caſtitatis eſt dependens à voto religionis, habetque rationem acceſſorij; ſicque procedit regula, quod corruente principali, corruit & acceſſorium. ita *Sil. v. votum num. 29. Nau. l. 3. conſ. de voto conſ. 4. num. 1. & Sanch. num. 113.* vbi addit probabilius eſſe votum caſtitatis factum dependẽter à voto religionis modo ſupradicto non obligare ante religionis ingreſſum, benè tamen ab ipſo ingreſſu, etiam pro tempore nouitiatus: quippe quod emiſſum eſt dependenter a religione, & faciliùs in ea ſeruari poteſt, ideòque cenſetur ſolùm obligare, quamdiu viuitur in religione.

QVÆRES XXXI. Quam diligentiam debeat præmittere vouens religionem vt recipiatur, qualiterque debeat ſe gerere in petendo ingreſſu.

92 ℞. Quòd, cùm obligatio religionis ſit res grauiſſima, in ea implenda adhiberi debet diligentia humano modo poſſibilis, (qualem petunt res arduæ, & magni momenti) & quidem tempore debito; vnde qui vouit ingredi religionem intrà hunc annum, aut certa die, non ſatisfaceret voto, vltima diei huius anni petendo admitti in religionem: cùm multa requirantur ad admiſſionem, quæ vnica die peragi non poſſunt; ſicque tenetur vouens anticipare petendo à tempore neceſſario iuxtà ſtatuta illius religionis, ad hoc vt poſtea admittatur intrà tẽpus voto deſignatum. præterea debet vouens petere, non fictè, & ſimulatè, ita vt oretenus ſit petitio. nutibus, aut verbis, aut ipſo petendi modo, aut media alia perſona ſignificando ſe optare non admitti; hoc quippe non eſt petere religionem, ſed ſimulare petitionem: quod tamen non facit, quin vouens interiùs poſſit optare non admitti, dummodò tale ſuum deſiderium exteriùs non manifeſtet, (quod deſiderium, etiam habitum abſq; iuſta cauſa non eſſet, niſi veniale;) & ratio eſt, quòd eiuſmodi deſiderium, vtpotè interiùs retentum non concurrit ad impediendam admiſſionem, & aliàs ingreſſus religionis vouenti redditur impoſſibilis. ita *Sanch. num. 33. & 34.* addens *num. 35.* vouentem in præſenti caſu nullum committere peccatum, ſi, vt religioſi iudicent, an expediat ipſum recipi in religionem, nec ne, bona fide ijs explicet auerſionem ſuam à ſtatu religioſo, proponens tamen enixis viribus ad illum amplectendum; ſi quidem ex vna parte votum non poteſt obligare ad tacendam dictam auerſionem, cùm non obliget ad minus bonum; ex alia parte poteſt vouens, immò & debet præſumere Religioſos, quorum intereſt admittere, nullum refutaturos, niſi prudenter iudicando id potiùs ad Dei obſequium, & bonum religionis expedire: vnde, cùm ipſe huic bono cooperetur fatendo illam auerſionem, & alia ſimilia impedimenta, non videtur ex hoc capite reprehendendus, niſi id faciat nimia exaggeratione.

QVÆRES XXXII. Ad quid teneatur qui poſt votum religionis committit crimina, aut ære alieno ſe grauat, aduertens ſic ſibi impeditum iri ingreſſum religionis iuxtà Conſtitutiones Pontificũ.

93 ℞. Vltrà peccatum, quod committit ſcienter contrahendo talia impedimenta iuxtà doctrinam *Syluestri v. votum 3.* & aliorum, teneri ſecundùm Conſtitutionem editam à Sixto V. *de non admittendis ad religionem criminoſis*, quàm citiſſimè ingredi religionem, ne alioqui, ſi priùs accuſetur, fiat inhabilis, prout habetur in dicta Conſtit. ſi quidem timẽs impedimentum perpetuum ad votum exequendũ debet ſtatim illud exequi, (ſicut benè oſtendit *Sanch. l. 4. mor. c. 14. num. 17.*) poſito tamen quòd tale impedimentum commodè poſſit præueniri.

Vtrum verò ceſſet obligatio voti religionis in propoſito caſu, ideòque vouens manere poſſit liberè in ſæculo.

94 ℞. *Leſſ. lib. 2. cap. 40. n. 148.* non ceſſare, ideòque vouentem non eſſe tutum in conſcientia, niſi ſit paratus tollere impedimenta malitiosè poſita, & iterum faciat, quod eſt neceſſarium ad voti executionem; probatque tum quia vouens aliquem finem, cenſetur tacitè vouere media neceſſaria ad illum finem; tale autem medium eſt non ponere directè impedimentum obſtans impletioni voti, eaque ſi poſita ſint, tollere pro viribus; tum quia imprudẽs, ac irreligioſum cenſeretur votum his verbis emiſſum *Voueo Deo, & tibi Prælato perpetuum obſequium in hoc monaſterio, ſi volueris me retinere; ita tamen, vt, ſi fraude, minis, aut aliter extorſero dimiſſionem, non amplius obliger*; atqui tale eſſet votum religionis, ſi ad eius ablationem ſufficeret quilibet modus tollendi conditionem ipſi appoſitam, & obtinendi dimiſſionem: ergò; tum quia omnis promiſſio facta alteri ſub conditione poſita in arbitrio tertij ſic debet interpretari, vt illi tertio relinquenda ſit libertas ad conditionem ponendam, aut tollendam; &, ſi promiſſor cogat ad eam tollendam, ille alius non cenſebitur liber, vt patet; ſed de hoc inferiùs *qu. 27. §. vtrùm.*

QVÆRES XXXIII. A quo tempore impleri debeat votum religionis.

95 ℞. Debere impleri, ſi quidem ei implendo præfixum eſt certum tempus, tempore illo præfixo: cùm votum adimpleri debeat iuxtà vouentis intẽtionem, à qua pendet tota voti obligatio; ſi verò nullum certum tempus præfixum eſt, debere impleri, quàm primùm vouens commodè poteſt moraliter: ſicque poterit expectare vſque dum perueniat ad illam ætatem, qua aptus cenſeatur ad perferendos labores electæ religionis, etſi nulla alia cauſa excuſans occurreret: aut etiam peragat curriculum ſtudiorum, ſi ad ea propenſus ſit, & habilis, aliaſq; in religione electa nõ ſit habiturus commoditatẽ dicta ſtudia proſequendi, nec interim timeatur probabiliter poſteà extiturum perpetuum ingreſſus impedimentum: aut denique ad id tempus,

ſpus. quo parentes vouentis minùs ægrè laturi ſint ingreſſum eius in religionem: ratio eſt, quod votum vires accipit ab intentione vouentis; vouens autem non præſumitur voluiſſe ſibi imponere adeò ſtrictam obligationem, vt iuſta ex cauſa non poſſet differre voti executionem. maximè cùm iuſta de cauſa poſſit differri executio, etiam aliorum præceptorum. ita *Sanch. l. 4. moral. c. 14. n. 9. 10. 11. 12. & 13. Bon. D. 4. de leg. q. 2. p. 5. §. 1. n. 1. & 2. Suar. to. 3. de rel. l. 4. c. 1. n. 5. Lay. l. 4. tr. 4. c. 3. n. 5.* alijq; & quidem quòd votum religionis in hoc poſteriori caſu impleri debeat quàm primùm commodè poteſt, conſtat tum ex *Deut. 23.* vbi dicitur, *Cum votum voueris Domino non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*: quia id eſt commune omni promiſſioni abſolutæ, & non limitatæ, vt ſtatim obliget, & conſequenter exigi poſſit; ſicut habetur in *l. promiſſor Stichi §. 1. ff. de conſtit. pecun. ſi ſine die conſtitutas, &c. confeſtim agi tecum poterit, ſi ſtatim vt conſtituiſti, non ſoluas*: tum quia niſi dicamus obligationem voti exequendi ſtatim contrahi, non poteſt aſſignari certum tempus, in quo illa incipiat; vt rectè aduertit *Laym. loco ſup. citato*.

Sed dubium eſt, quanta mora in voto religionis implendo, oblata iam commoda opportunitate illud exequendi, ſit mortalis, ſi ei implendo certum tempus non ſit præfinitum.

96 ℞. Quòd cùm vi talis voti vouens in perpetuum obſequium ſe Deo dicet, & quanto diutius eius executio differtur, tantò maior pars obſequij Deo promiſſi auferatur, ſicque votum poſtea nonniſi imperfectè impleatur: minor mora, ſeu dilatio, quæ interueniat in executione voti religionis cenſeri debet mortalis, quam cenſeatur in alijs votis, quæ etſi differantur, integrè tamen etiam poſtea impleri poſſunt; quale eſt votum peregrinandi, ieiunandi, &c. ita *Lay. ex Palud. Sylu. Suar. & Sanch. qui Sanch. nu. 22.* dicit in voto religionis, alijſque votis perpetuis notabilem cenſeri negligentiam ad mortale, quando habita opportunitate ingreſſus religionis differretur per dimidium annum: additque *n. 17. ex S. Tho. alijſque DD.* quòd ſi dilato voto timeatur impedimentum perpetuum illius implendi, dilatio eſt mortalis, cum ſic vouens exponat ſe periculo violandi votum; quod putat *Sanch. n. 18.* procedere etiam in caſu, quo voto implendo præfixum eſt tempus, & nondum aduenit: ſi enim votum non ſit in honorem diei, & vouens præuideat fore, vt tempore præfixo nequeat implere votum debet præuenire; cùm in tali caſu tempus præfigatur; vt terminus differendi voti: quamquam hæc doctrina limitari poſſit, & debeat, modò ſic præueniendo executionem voti, ea non reddatur notabiliter difficilior, cùm ſic notabilis mutatio excuſet à voti violatione, nedum à violatione.

. Monet prætereà *Suar. ſup. num. 6.* quòd, licèt vouens non ingrediatur religionem tempore præfixo, non ideò ceſſat obligatio voti; cùm iuxta modo dicta præfixio illa temporis facta ſit, non ad finiendam, ſed ad ſolicitandam obligationem, ne ſcilicet ingreſſus religionis vlteriùs differretur; intellige, niſi aliud conſtet de intentione vouentis; quod rariſſimè, & moraliter vix contingit.

97 Sic etiam monet *Caſtr. Pal. ſup. p. 3. numer. 4.* votum moriendi in religione quò ad tempus illud exequendi, ita explicandum eſſe, vt neque intelligatur ſtatim obligare, nec poſſe differri vſque ad morale periculum mortis; quare prudentis arbitrio tale tempus menſurandum eſt, nec nimia dilatio concedi debet; cùm in nimia dilatione euenire ſoleant pericula, quæ ingreſſum reddunt impoſſibilem, aut ferè infructuoſum; quod indicat etiam *Sanch. n. 9.*

QVÆRES XXXIV. Quot, & quibus modis ceſſare poſſit obligatio voti religionis.

98 ℞. Quòd, cùm iuxtà communem DD. ſententiam voti obligatio ceſſare poſſit 6. modis, nimirùm per notabilem materiæ mutationem ſuperuenientem, ceſſationem cauſæ finalis, defectum conditionis appoſitæ voto, irritationem, commutationem, ac diſpenſationem; his etiam modis ceſſare poteſt obligatio voti religionis, excepto ſecundo modo, qui non videtur poſſe habere locum in voto religionis, vt infrà probabimus.

QVÆRES XXXV. Quo modo ceſſare poſſit obligatio voti religionis per notabilem mutationem materiæ ſuperuenientem ipſi voto iam emiſſo.

99 ℞. Ceſſare, quando talis mutatio, & difficultas ſuperuenit, vt, ſi præuiſa fuiſſet à vouente, numquam tali voto ſe adſtrinxiſſet. probatur tum quia votum non obligat vltra intentionem vouentis, cùm ſit lex quædam priuata, quam ſibi imponit ipſemet vouens; is autem non præſumitur voluiſſe ſe obligare, occurrente tanta, ac tali mutatione; tum quia votum cenſetur factum ſub hac tacita conditione, niſi ſuperueniat notabilis mutatio, adeòque purificata tali conditione, non obligabit. ita *Mol. tom. 2. D. 272. num. 2. Nau. cap. 18. num. 7 Henriq. l. 11. cap. 14. nu. 1. Suar. to. 2. de relig. l. 4. de voto c. 19. n. 4.* alijque apud *Bonac. ſup. p. 7. §. 1. n. 2.* qui benè notat ex communi DD. ſententia in dubio, num mutatio ſit talis, ac tanta, vt ea præuiſa, votum non fuiſſet emiſſum, debere votum impleri; cùm ſic votum ſit in poſſeſſione, & alioqui id magis cedat in Dei honorem.

100 Dixi *per notabilem mutationem materiæ*, vt innuerem regulam illam generalem *vt nemo per votum, iuramentum, atque promiſſionem quamcumque obligetur vltra id, ad quod voluiſſet ſe obligare, ſi id aduertiſſet, dum promiſit, abſolutè* traditam à pluribus DD. citatis à *Sanch. ſup. c. 2. nu. 18.* non eſſe intelligendam ita vniuersè, ſed cum hac limitatione; quando ſcilicet mutatio rei promiſſæ eſt adeò notabilis, vt quaſi in alio ſtatu ipſam conſtituat, & videatur res diuerſa ab ea, quæ promiſſa eſt, & ad quam vouens ſe intendit obligare; quod eſt valdè aduertendum.

QVÆRES XXXVI. An, & quo pacto ceſſante cauſa finali voti religionis ceſſet obligatio ipſius voti.

101 ℞. Ceſſare, ſiue talis cauſa ſit finis remotus voti (qualis eſt ipſe Dei cultus, qui in omnibus votis intenditur:) ſiue proximus (cuiuſmodi eſt motiuum, quod conſtituit votum in tali ſpecie,

vt, ſi quis voueat religionem ad vacandum ſaluti ſpirituali proximorum, motiuum erit charitatis;) & ratio eſt, quod, ceſſante cauſa finali, deficit intentio vouentis, vtpote deficiente principali, ac proprio motiuo: ſecùs, ſi tantùm ceſſet cauſa impulſiua voti, quæ ſolum ſecundariò mouet voluntatem vouentis; hac enim ceſſante, adhuc votum ſubſiſtit, & obligat: cum remaneat motiuum principale, quod ſufficit. Excipe, niſi vouens ita ſuam intentionem limitaſſet, vt votum ceſſaret, etiam ceſſante ſolum cauſa impulſiua. ita Suar. *ſup. l.4.c.*18. *num* 6.7.*&* 8. Sanch. *ſup.num.*42. Filliuc. *tr.*26.*num.* 138.139. alijque.

QVÆRES XXXVII. Qualiter ceſſet obligatio voti religionis deficiente conditione, ſub qua emiſſum eſt.

102 ℞. Ceſſare, ſiue conditio deficiens pendeat à cauſis naturalibus, (v.g. voueo religionem, ſi conualuero ex hoc morbo:) ſiue ab arbitrio alterius, (v.g. voueo religionem ſi pater conſenſerit) ſiue à libertate ipſius vouentis (v.g. voueo religionem, ſi diſceſſero) ſiue etiam in pœnam (verb.gr. voueo religionem, ſi luſero.) ita *Suar. ſup. cap.*17. *Filliuc. n.*150.*& ſeqq. Laym. ſup.c.*6.*per totum.* aliique communiter; & probatur, quia obligatio voti conditionalis eſt imperfecta, ac ſuſpenſa, vtpotè pendens à futuro euentu in conditionem appoſito, ideòque non adſtringit vouentem, niſi de facto ſit impleta; ſi ergò ea deficiat, votum non obligat; niſi quòd vouens tenetur habere præparationem animi de facienda re promiſſa per votum caſu, quo conditio impleatur; quamquam talis præparatio ſufficienter habeatur, ſi facto voto cum eo propoſito contrarium propoſitum non eliciatur.

Difficultas eſt, an vouens religionem ſub aliqua ex dictis conditionibus peccet, ſi per eum ſtet, quò minus conditio impleatur.

103 ℞. Diſtinguendo iuxtà traditam diſtinctionem; vel conditio pendet à cauſis naturalibus; & vouens non facit contrà votum, ſi abſque dolo ex fragilitate, aut propria imperfectione impediat euentum conditionis, faciendo v.g. aliquem exceſſum in cibo, & potu poſt votum religionis factum ſub conditione, ſi conualuerit: Quatenùs enim effectus ſanitatis pendet à vouente, non eſt aliter intentus, niſi vt euenire poſſit ordinaria cura ab ipſo adhibita, & impedimento ſalutis non procurato ex induſtria. vel conditio pendet ex libero conſenſu alterius; & ſic non peccat, ſi voti pœnitentia ductus precibus, aut rationibus curet, vt ille alter diſſentiat (dummodò vi, aut fraude non vtatur;) ſiquidem vouens ſub tali conditione nõ cenſetur ſe obligaſſe ad promouendum, aut nulla ratione impediendum euentum conditionis. vel conditio pendet à libertate ipſius vouentis; & ſic vouens non peccat, eſtò eam vitet præcisè ad fugiendam voti obligationem; nam per tale votum non obligatur ad faciendum, vel omittendum actum poſitum in conditione, ſed ſolùm ponitur conditio ad ſuſpendendam voti obligationem, ſicque vouens vtitur iure ſuo. vel deniq; conditio eſt appoſita voto in pœnam modo ſupradicto, aut etiam in gratiarum actionem (v.g. ſi per annum non blaſphemauero, ingrediar religionem;) & ſic vouens non peccat, non ponendo conditionẽ, quamuis id faciat pure ad vitandam voti obligationem; cùm taliter vouens præcipuè intendat cauere peccatum, & aliàs ſit bonum non implere eiuſmodi conditionem, vt patet, quamquam in caſu, quo voueatur religio in gratiarum actionem, ſi vouens nõ blaſphemauerit per annum, hòc ipſo quòd vouens blaſphemauit, liber ſit ab obligatione voti: cũ ſic conditio non ſit poſita in eſſe; excipe, niſi fortè vouens fraude, & dolo blaſphemauerit ad effugiendam voti obligationem; tunc quippe etſi probabile ſit votum non obligare, probabilius tamen eſt ipſum facere contrà fidelitatem incluſam in tali voto. ita *Suar. ſup. num.* 25. *Filliuc. num.* 151. *Layman num.*2.

Vtrum autem vouens, qui per fraudem modo dicto impedit, quo minus purificetur conditio, ſub qua factum eſt votum religionis, nihilominùs obligetur voto, perinde ac ſi conditio reuera fuiſſet impleta.

104 ℞. Videri aliquibus probabile, quòd non obligetur, & probant tum quia vouens in caſu propoſito non aliter ſe intendit obligare, niſi impleta conditione quomodocumque tandem impleatur; ergò quomodocumque impediatur euentus conditionis, non naſcitur obligatio ex vi voti; tum quia vouens, ſi obligatur in iſto caſu, vel obligatur ratione conditionis impletæ: & hoc non vt patet ex modo dictis; vel ratione peccati commiſſi in impediendo euentu conditionis; & neque hoc cùm violatio promiſſionis Deo factæ, & violatio promiſſionis factæ homini in eo differant, quòd illa obligat ad pœnitentiam, & ſatisfactionem pro peccato, ac iniuria Deo illata, hæc verò ad compenſationem damni homini illati: ſiquidem homini per violationem iuris ipſius infertur damnum in bonis ei vtilibus, quòd poteſt, & debet compenſari; Deo autem per voti tranſgreſſionem nulla aufertur vtilitas, quæ poſſit, & debeat reſtitui, ſed tantùm honor, & cultus diuinus, qui per pœnitentiam, & ſatisfactionem eidem reſarcitur. ita *Laym. nu.*4.*ex Maiore, & Suar.* à quibus non diſſentit *Filliuc. nu.*158. contra *Ricch. Ang. Nau. Azor. & Sanch.* apud ipſum *Laym.* oppoſitum ſuſtinentes ex *l. in executione §.vlt.ff. de verb. obligat. quicumque ſub conditione obligatus curauerit, ne conditio exiſteret nihilominus obligatur*, & quidem probabiliùs, vt conſtat ex dictis *ſup. q.*32. in ſimili vbi ſuſtinuimus obligationem voti in tali caſu non ceſſare.

QVÆRES XXXVIII. Quomodo per irritationem ceſſare poſſit obligatio voti religionis.

105 ℞. Poſſe, ſi votum factum ſit ab impubere, & irritatio fiat ab habente poteſtatem dominatiuam ſuper vouentem; qualis eſt pater, & tutor, immò & magiſter iuxtà probabilem DD. ſententiam relatã à *Laym. ſu.c.*7.*n.*10. & ratio eſt, quod naturali æquitati eſt valdè conſentaneum, ideòque iure gentium videtur introductum, vt homines vtriuſque ſexus in tenera, ac impubere ætate, in qua tenuem imbecillemque rationis diſcretionem obtinent, regantur aliena voluntate ſiue patris (in cuius locum poteſt ſuccedere Auus, immò, & mater, vt videre eſt apud *Layman* pro ſe citantem

Suarez

Suarez, & Sanchez) ſiue tutoris, ſiue etiam magiſtri: ſitque eorum promiſſiones, & pacta (inter quę connumerari poſſunt & vota) ad firmitatem obligationis indigeant voluntate patris, aut tutoris, &c. vnde communis eſt DD. ſententia ex *Suar. ſup. lib. 6. c. 6. nu. 1.* parentes poſſe directè irritare omnia omninò vota impuberum, & quidem etiam religionis; vt in ſpecie notant *Suar. num. 6. Sanch. l. 4. mor. cap. 35. nu. 8. Laym. loco ſup. citato Filliuc. tr. 26. num. 231.* & alij; inter quos monet *Laym.* ad propriè dictam irritationem requiri, vt votum religionis irritandum manifeſtetur patri, aut alij ſimili perſonæ, ſub cuius gubernatione impubes exiſtat: ſi enim impubes tacito voto ſolùm explicet voluntatem ſuam ingrediendi religionem, & pater, aut alius ſimilis contradicat, non ideò cenſetur irritare votum, vtpotè quod ei eſt omninò incognitum, ſicuti aduertit *Sanch. l. 9. de matr. D. 43. n. 2.*

106 Quin votum religionis ab impubere editum, etiam poſt adeptam pubertatem poteſt irritari à patre, alioque ſimili, ſi vouens illud poſt pubertatem non confirmauit. probatur autem tum à ſimili ex *cap. vlt. de ſentent. excommunic.* vbi Epiſcopis collata poteſtas abſoluendi puberes ab excommunicatione contracta ob clerici percuſſionem, extenditur, tametſi grandes, ſiue impuberes poſteà facti petant abſolutionem; tum quia in his inſpici debet primordialis natura, & obligatio; ac proinde, cùm votum impuberis ob imperfectionem ætatis, ac iudicij ab initio dependeat à patre, talem conditionem, ac imperfectionem ſuam ſemper retinebit, niſi poſteà de nouo confirmetur. ita *Regin. l. 18. nu. 318. ex Caiet. Nau.* aliiſque recentioribus communiter contra *Sotum l. 7. de iuſt. qu. 3. art. 2. d. vlt.* nec non contra *Suarez*, quatenus ſuſtinet *ſup. numer. 24.* hanc doctrinam non verificari de tutore; quippequi poſt annos pubertatis deſinit eſſe tutor, & incipit eſſe curator, cui non competit poteſtas in perſonam puberis, ſed ſolùm in eius bona: quod nos negamus cum *Laym.* ex eo quòd Curator principaliter quidem præſit adminiſtrationi bonorum minoris ſibi commiſſi, non tamen omninò careat poteſtate, ac directione ergà perſonam ipſius minoris.

107 Addit *Suar. num. 19.* ex communi ſententia matrem, viuente marito, non poſſe irritare vota filiorum; cùm ſolus pater ſit caput totius familiæ, habeatque plenam rerum adminiſtrationem, & perſonarum gubernationem, ideòque voluntas filij non ſit poſita in poteſtate matris, ſed patris: quo modo in *§. fæmina inſtit. de adopt.* dicitur fæminæ nec naturales habent in ſua poteſtate. immò *Leſſ. lib. 2. cap. 40. numer 82. Nau. & Sylu.* relati à *Regin. num. 319.* putant matrem non habere ſupradictam poteſtatem irritandi, niſi, mortuo patre, ſit loco Tutoris; cùm non ipſa, ſed Tutor, habeat patriam poteſtatem: (quod tamen negat ipſe Regin.) cum *Leſſio* ſentit & *Suar. num. 20.* innuens quòd, quando Auus, vel quicumque alius aſcendens priuatur tutela ipſis iure ordinario competente, tunc ij non poſſunt magis irritare vota filiorum ſine Tutore, quàm poſſent, viuente patre abſque eius conſenſu; ſi quidem talis poteſtas, defuncto patre, per ſe competit Tutori ſuccedenti loco patris, matri verò, auo, & alijs aſcendentibus ſolùm in defectum ipſius Tutoris; vnde ſequitur magiſtrum non habere talem poteſtatem, niſi in caſu, quo pupillus careat parentibus, & tutoribus: quod in terminis aduertit *Leſſ. ubi ſup.* id probans eo quòd ſic magiſter eſt loco patris, aut tutoris.

Quòd ſi quæras, an votum religionis emiſſum à pubere modo dicto irritari poſſit: quale eſt, quod fit à maſculo poſt quartodecimum annum completum, & à fæmina poſt 12. item completum.

108 ℞. Non poſſe; & probatur quia poteſtas irritandi vota competens patri in filios oritur tantùm ex poteſtate gubernandi familiam, & conſequenter ratione materiæ concernentis gubernationem, ideoque non extenditur ad omnia vota puberum, ſed ſolùm ad ea, quæ concernunt gubernationem familiæ, & poſſunt præiudicare iuri patris, aut alterius ſimilis; tale autem non eſt votum religionis, vt patet: præſertim, cùm homo in ordine ad diuinum obſequium, & maximè quò ad ſtatum pertinentem ad illud, habeat plenum ius, & poteſtatem diſponendi de ſe, & aliunde obligatio voti de ſe ſit rata. ſic *Suar. ſup. cap. 5. num. 3. Leſſ. num. 85. Filliuc. num. 229. Regin. n. 317.* aliique communiter cum *S. Tho. 2. 2. q. 88. a. 9.*

An vero Prælatus regularis poſſit irritare votum Religioſi ſubditi de ingredienda religione arctiori.

109 ℞. Non poſſe; & probatur ex eo quòd, cùm ius canonicum in *c. licèt de Regul.* concedat cuilibet Religioſo, vt poſſit tranſire ad religionem arctiorem eo modo, quo diximus in *tract. de profeſſ. cap. 4. q. 21. §. 9. doctrina*, Prælato regulari adempta eſt facultas irritandi votum de tali tranſitu: aliàs enim poſſet inferior derogare iuri communi, quod nullatenus admittendum eſt. ita *Portell. de rub. regul. v. votum num. 67. ex Nau. Clau. reg. & alijs* communiter monens, quòd ſi religio, in qua viuit Religioſus, peculiare indultum habeat, vt ex ea non liceat tranſire ad aliam abſque expreſſa, & obtenta licentia Superiorum, tunc eiuſmodi votum erit nullum, & conſequenter non indigebit irritatione; qua de re conſulantur quæ diximus in *citato tract. de profeſſ. cap. 4. q. 6. §. quòd autem dicunt.*

QVÆRES XXXIX. An, & qualiter Prælatus regularis poſſit irritare votum, quod alter emiſit de ingredienda ipſius religione.

110 ℞. Poſſe, non quidem irritatione propriè dicta, quę in irritante ſupponit poteſtatem dominatiuam ſuprà vouentem, (vt iam diximus,) ſed æquiualente; nimirùm excludendo vouentem in perpetuũ, ſicque cum liberando à voto religionis; quod cum includeret conditionem tacitam *ſi Prælatus Ordinis me admiſerit*, hoc ipsò quòd Prælatus regularis poteſt modo ſupradicto impedire, ne impleatur conditio, à qua pendet totus valor voti, poteſt conſequenter efficere, vt votum non obliget, & vouens liber maneat à voto: quod vtique eſt irritare votum æquiualenter, vt diximus.

Difficultas modò eſt, an dato quòd alicui votum religionis legitima poteſtate commutatum ſit in

alia opera pietatis (vti ſolet commutari à Sacra Pænitentiaria) poſſit vouens liberari ab obligatione exequendi dicta opera, procurando, vt Prælatus regularis Ordinis voto promiſſi illud modo ſup. dicto irritet, ipſum excludendo in perpetuum; ratio dubitandi eſt, quòd, ſicut eius poteſtati ſubijciebatur votum religionis, ita & videntur ſubijci opera, in quæ illud fuit commutatum iuxtà communem regulam *Subrogatum ſapit naturam illius, in cuius locum ſubrogatur.*

111 ℞. Vouentem in tali caſu non poſſe liberari ab obligatione implendi opera, in quæ fuit commutatum votum religionis: niſi fortè eligat redire ad prius votum, nempe ad votum ingrediendi religionem, pro vt poteſt iuxtà probabilem plurium DD. ſententiam, & ratio eſt, quòd poteſtas Prælati regularis eatenùs extenditur ad tale votum, quatenùs poteſt vouentem excludere in perpetuum à religione: at poſito quod votum fuerit commutatum in alia opera, non poteſt id verificari ampliùs, cùm ſic non ſit votum religionis, ſed alterius rei valdè differentis, cuius obligatio proinde auferri non poteſt per ſimplicem excluſionem à religione, vt potè quæ ad illam ſe habet impertinenter, vt patet, nec obſtat quòd ſubrogatum ſapit naturam illius, in cuius locum ſubrogatur; ſiquidem, vt benè notat *Nald. verb. ſubrogatum num.* 2. illa regula non habet locum, quando ſubrogatum, & id, in cuius locum ſubrogatur ſunt diuerſæ qualitatis; quod omninò euenit in caſu noſtro. ita ego reſpondi in contingentia facti, approbantibus viris valdè doctis à me conſultis, & vt puto, ſatis probabilitet.

Dixi, *niſi fortè eligat redire ad prius votum &c.* vt indicarem, quòd, cùm *Suar. tom. 2. de relig. l. 6. de voto c. 20. nu. 4. Azor. tom. 1. l. 11. cap. 18. quæſt. 10. Fellinc. tr. 26. num. 289. Leſſ. l. 2. c. 40. n. 111. alijque plures* probabiliter doceant vouentem, facta commutatione, poſſe redire ad prius votum, omiſſo eo, in quod facta eſt commutatio: præſertim ſi hæc erat facta in minus (vt in præſenti euentu); vtique poterit vouens redire ad votum religionis, renunciando commutationi factæ, & quidem animo illud implendi caſu, quo illud à Prælato regulari legitimè non irritetur modo ſuprà dicto; quòd ſi id faciat vouens, & Prælatus illum excludat in perpetuum à religione: tunc ille ſine dubio manet liber non ſolùm à voto ob dicta in reſponſione principali, ſed etiam ab ijs operibus, in quæ votum fuerat commutatum, cùm facto reditu ad prius votum, illa commutatio perinde ſe habeat, ac ſi nunquam fuiſſet facta.

112 Addo quòd ſi is, cui votum religionis fuit commutatum in alia opera pia, iterum voueat religionem, non habens intentionem expreſſam redeundi ad prius votum iam commutatum; ille tenebitur & ingredi religionem vltimò promiſſam, & implere opera, in quæ votum religionis fuit commutatum. Et ratio eſt, quod in tali caſu non reditur ad prius votum (quo modo iuxtà dicta ceſſaret obligatio implendi opera, in quæ illud fuerat commutatum) ſed reditur ſolùm ad materiam prioris voti; aliud autem eſt redire ad materiam prioris voti, & aliud redire ad prius votum, qui vult, conſulat *Bonacinam D. 4. de leg. quæſtion. 2. pag. 7. §. 4. numer.* 23.

QVÆRES XXXX. Per quem poſſit commutari votum Religionis.

113 ℞. Non poſſe commutari, niſi per Papam, aut alium ab ipſo delegatum, ſi ſit votum religionis ſimpliciter: quale non eſt votum religionis pænale, aut conditionale, aut diſiunctiuum, aut religionis non approbatæ, vel minùs propriè participantis, naturam religionis, aut de perſeuerando in religione, & ſimilia; quæ hòc ipſo quòd non ſunt votum religionis ſimpliciter, & abſolutè, non cenſentur cadere ſub reſeruationem; quę cùm ſit odioſa, ſtrictè interpretanda eſt; ſicque poſſunt commutari ab habentibus facultatem commutandi vota non reſeruata; vt dicemus in *tract. de priuileg. c. 3. ſect. 2. ſubſ. 3. q. 10.* & oſtendit *Diana p. 1. tr. 11. reſol. 69. 72. 73. 74. 78. 79.* & quidem quod votum religionis ſimpliciter dictum poſſit commutari ſolùm à Papa vel alio per ipſum delegato, inde ſuadetur, quod tale votum recenſetur inter vota, quę Papæ reſeruantur, ſin minùs iure ſcripto (in quo ſolũ reperitur reſeruatũ votũ Ieroſolymitanũ) *cap. ex multa de voto*, ſaltem de ſtylo, & conſuetudine Curiæ Romanæ, ſicut notat *Regin. l. 18. nu. 330.* ex *Nau. Palud. S. Anton. Ang. Soto Couar. & Sanchez*, monens tempore S. Thomæ non videri viguiſſe talem conſuetudinem, ideoque ipſum *2. 2. q. 88. ar. 12.* non recenſuiſſe inter vota reſeruata niſi votum continentiæ, & votum hieroſolymitanum; conſtat autem vota reſeruata non poſſe commutari, niſi ab eo, qui ea reſeruat, vel ab alio, quem ipſe deleget.

114 Concedunt tamen plures, & graues DD. apud *Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. nu.* 16. quod, cùm Epiſcopus in votis reſeruatis diſpenſare poſſit, quando adeſt impedimentum adeundi Papam, & neceſſitas cogit maturare diſpenſationem ſuper voto; poteſt Epiſcopus cum ſuis ſubditis commutare votum religionis; idque ex epicheia; qua rationabiliter præſumitur Papam non intendere ſibi reſeruare vota in caſu tantę neceſſitatis, & cum tanto fidelium diſpendio.

115 Illud etiam omnino concedi debet habentem facultatem ſuper vota non reſeruata poſſe commutare materiam, in quam aliàs fuit commutatũ votum religionis, ſiquidem per commutationem extinguitur prius votum, nempe religionis, reſeruatum ratione materiæ, & inducitur nouum votũ non reſeruatum; inducitur, inquam, non quidem ex præcepto commutantis, ſed ex proprio conſenſu vouentis, ideòque non debet cenſeri reſeruatũ. ita *Suar. Sanch. Sa Arag. Leß. Henriq. & Filliuc.* quos citat, & ſequitur *Diana ſup. reſol.* 71. addens quod, cùm ſubrogatum dicatur ſapere naturam eius, pro quo ſubrogatur, ex ſola fauorabili, & lata interpretatione, id non habet locum in odioſis, cuiuſmodi eſt reſeruatio votorum, vt patet.

116 Admittit item *Diana reſol. 76. ex Suar. & Molfeſ.* votum vouendi religionem poſſe commutari vi bullæ Cruciatæ, & conſequenter etiã ab habente facultatem ſuper vota non reſeruata; & ratio eſt, quòd velle facere non eſt facere, adeoque velle vo-

uere

uare religionem non eſt uouere religionem, & ſic non eſt, cur tale votum cenſeatur reſeruatum.

Vtrum verò votum ingrediendi religionem ſtrictiorem poſſit commutari ab habente facultatem ſuper vota non reſeruata, in æqualem, aut laxiorem,

117 ℞. Poſſe; cùm ſic non diſpenſetur in voto religionis ſecundum ſe (quod eſt reſeruatum) ſed ſolum ſecundùm modum, ſeu circumſtantiam; vnde fit, vt quamuis iuxtà dicta *q.38.* non poſſit Prælatus regularis caſſare votum religionis ſtrictioris factum à religioſo ſubdito: poſſit tamen in eo diſpenſare, ſi ſit exemptus. ita *Laym. ſup. numer. 8. cum Soto Sylu. Nau. Rodriq. Azor. Sanch. & Leſſ.* notans vi ſupra dictæ facultatis poſſe diſpenſari, etiam circa dilationem voti religionis, vt ſcilicet eius executio ex iuſta cauſa differri poſſit: idque ob rationem paulo ante allatam: quod etiam concedit *Sanch. ſup. c. 40. n. 76.* dummodo votum non adeò differatur, vt ſit periculum in eum ſtatum incidendi, vt vouens reddatur impotens ad illud implendum.

QVÆRES XLI. An, & quo modo vouens religionem poſſit propria auctoritate commutare tale votum.

118 ℞. Quòd licèt vota Papæ reſeruata ſine ipſius auctoritate non poſſint commutari, neq; inter ſe, neq; cũ alijs operibus, quantũuis apertè melioribus vt benè aduertit *Laym. ſup. nu. 19. ex Soto Suar. Sanch.* & alijs contra *Aragonam*; nihilominus vouens religionem ſtrictiorem poteſt hoc votum commutare in votum perſeuerandi in religionem, etiam laxiori, ſicque ingredi illam, & perſeuerare in ipſa. ratio eſt, quòd ſic votum commutatur in melius, cum melius ſit perſeuerare in Ordine laxiori, quam ingredi arctiorem animo experiendi, & cum libertate retrocedendi, quam habet vouens ſimpliciter religionem, non includendo in obligatione voti perſeuerantiam, vt in caſu noſtro. ita *Portell. de dub. regul. v. votum relig. num. 34. ex Sylu. Palud. & alijs* monens tamen iſtam doctrinam non habere locum in caſu, quo vouens religionem ſtrictiorem teneretur vi voti tunc ingredi, eo quod iam maturaſſet tempus præfixum voto implendo; cùm enim tunc vrgeat votum ad ingrediendum ſtrictiorem non poſſet commutari votum in ingreſſum religionis laxioris ſine expreſſa obligatione perſeuerandi.

119 Adde quod diximus vota reſeruata Papæ non poſſe commutari inter ſe, habere locum etiam in voto ingrediendi religionem, non obſtante quòd in *c. ſcriptura de voto* dicatur in votum religionis poſſe commutari omnia alia vota; vt enim notat *Suar. ſup. cap. 21. num. 18.* dictum cap. loquitur de voto conſtituente religioſum, non autem de voto ſimplici ingrediendi religionem, ideòque non probat in votum ſimplex religionis poſſe commutari alia vota reſeruata, itaut per talem commutationem ipſo facto extinguantur, ſed ſolum vt eorum executio impedita poſſit inchoando priùs executionem voti religionis ingrediendo religionem ad probandum: vnde ſi vouens in eo ſtatu non perſeueret, & habitum religionis dimittat, tenebitur implere vota alias modo dicto ſuſpenſa; diſſentit tamen *Portell. ſup. num. 35.* aſſerens omnes DD. dicere quodlibet votum poſſe commutari in votum ingrediendi religionem: niſi velimus eum loqui ſolùm de votis non reſeruatis; quo ſenſu vtique non diſſentiret à *Suarez*.

QVÆRES XLII. Quis poſſit diſpenſare ſuper voto religionis.

120 ℞. Non poſſe, niſi Papam, aut alium ab ipſo delegatum, ſi votum ſit votum religionis ſimpliciter, & non ſolùm ſecundum quid, eo modo, quo diximus q. 40. de facultate commutandi hoc idem votum; cum ſit par ratio in vtroque caſu: vnde rationes ibi adductæ in probationem illius reſponſionis faciunt etiam ad probandam præſentem aſſertionem. Moneo hic vnum, vt commodè fiat commutatio voti religionis opus eſſe, vt interueniat poteſtas miſcendi diſpenſationem; quia aliter difficile eſt attingere æqualitatem; ſicut benè aduertit *Suar. tom. 3. de relig. l. 4. cap. 9. num. 1.* addens in progreſſu capitis multa alia, quæ poſſunt diſſeruire ad legitimam talis voti relaxationem.

QVÆRES XLIII. Quo modo, & quibus ex cauſis excuſari poſſit vouens à voto religionis tum ſimpliciter, & abſolutè, tum quo ad differendam illius executionem.

121 ℞. Poſſe excuſari ratione impedimenti ſuperuenientis voto iam emiſſo, & quidem ſimpliciter, ſi impedimentum ſit perpetuum; ad tempus verò ſi ſit temporarium, nimirùm quamdiu illud durat; ſiue poſtea eiuſmodi impedimentum ſit (vt ſic loquar) poſitiuum, ſiue negatiuum, qualia ſunt quæ attulimus q. 33. quamquam in talibus caſibus bona fide procedendum ſit, ita vt non dilatio ingreſſus religionis, ſed vera vtilitas religionis, & propria etiam rationabiliter intendatur cauendo, ne vel occaſione talis dilationis ita vouens implicetur curis ſæcularibus, vt poſtea omninò non poſſit ingredi religionem, vel ne pro illo tempore tot peccata multiplicentur, vt illud damnum ſpirituale præponderet vtilitati ſperatæ, ac intentæ ex ea dilatione; idque iudicio viri prudentis.

QVÆRES XLIV. An Prælatus regularis eadem facilitate poſſit repellere à ſua religione petentem recipi ex voto, ac poteſt eum, qui nullum tale fecit votum.

122 ℞. Poſſe, & probatur tum quia votum religionis includit conditionem *ſi recipiar*, ſicque non obligat vouentem abſolutè, ſed ſolùm impleta tali conditione, quam tamen poteſt Prælatus regularis religionis voto promiſſæ liberè implere, aut non implere, vtpote qui ad id minimè adſtringitur ex voto alterius; tum quia habens poteſtatem irritandi vota validè & licitè, quantum eſt ex parte irritationis, ea irritat, etiamſi id faciat ſine cauſa, eo quod votum ſubditi habeat imbibitam iſtam conditionem, *ſi Superior conſenſerit, aut non contradixerit* ſicque ea deficiente, omninò deſinat obligare vouentem; ergo & Prælatus regularis, à quo pendet, quòd impleatur, vel non impleatur conditio inuoluta voto religionis, liberè poterit impedire euentum talis conditionis, repellendo vouentem; & hoc abſque vllo peccato, quantùm eſt ex parte repulſionis: eſto interim peccet, ſine quòd exercea-

actum t

actum otioſum, ſiue quòd agat contra charitatem, ſine cauſa priuando vouentem bonis ex ſtatu religioſo prouenientibus, ſiue quòd minùs benè conſulat bono Ordinis.

QVÆRES XXXXV. An poſſit quis obligari ad ingrediendum religionem ex voto alieno, v. g. filius ex voto à parentibus emiſſo,

123 ℞. Non poſſet; & probatur tum quia obligatio voti ita eſt perſonalis, vt non poſſit afficere, niſi ſolum vouentem, ſicuti tradunt communiter DD. apud *Sanch. l.4. mor. cap.* 15. *nu.* 14. remiſſiuè inde inferens filios non implentes vota parentum non eſſe reos violationis voti, eſtò aliunde peccare poſſint: tnm quia ſuſceptio ſtatus relioſi requirit omnimodam libertatem, ſicque quò ad eius electionem homo eſt independens tam à parentibus, quā à quocumque alio. Vnde fit, vt parentes vouentes fore vt ipſorum filius ingrediatur religionem, vi voti teneantur adhibere omnem diligentiam, quam rei qualitas petit, vt filius ingrediatur, maneute tamen filio omninò libero ad ingrediendum, vel non ingrediendum; quod benè aduertit idem *Sanch.ſup.c.*5.*n.*9.

QVÆRES XXXXVI. Quibus modis contingat peccari contrà votum religionis.

124 ℞. Contingere peccari duobus modis; nimirum vel per totalem omiſſionem, quæ ſine dubio eſt mortalis (vt conſtat ex grauitate materiæ, circà quam verſatur votum religionis) vel per ſolam dilationem vltrà terminum præfixum ad accelerandam voti ſolutionem, quæ dilatio vtique poteſt eſſe ſolùm venialis ob moræ breuitatem. ita *Suar. tom.*2.*de relig.l.*5.*de voto c.* 6.*n.*8. *ex Sylu. Ang. Tabien.* aliiſque communiter, & quò ad hanc poſteriorem partem ſuadetur tum quia promiſſiones & obligationes iuſtitiæ non obligant cum maiori rigore, vt patet de obligatione ſoluendi mutuum intrà certum diem: tum quia nō eſt veroſimile, quòd vouens intenderit ſe obligare cum maiori rigore: tum quia materia potiſſima talis violationnis eſt circumſtantia temporis, adeòque ex diminutione illius poterit etiam interuenire leuis culpa omiſſionis.

Grauius dubium eſt, an poſt huiuſmodi paruam dilationem vouens ſtatim ac peccet omittendo ingredi religionem voto promiſſam.

125 ℞. Eiuſmodi peccatum quò ad externam omiſſionem actus promiſſi quaſi continuè durare; hanc tamen durationem non eſſe moralem, & in ratione peccati, niſi quando eſt actualiter voluntaria, ſiue directè, ſiue indirectè: ad quod requiritur, vt vouens actu recordetur obligationis vel in ſe, vel in ipſo actu promiſſo, & quod hic, & nunc duret poſſibilitas implendi votum; alioqui omiſſio non eſt voluntaria, & conſequenter neque peccaminoſa actualiter. ita *Suar. num.* 10. addens *nu.* 11. tale peccatum interrumpi vel per naturalem inconſiderationem vel per totalem occupationem circà alia, vel per ſomnum, vel per impotentiam implendi, & ſimilia: quo caſu tunc iteratur culpa, quando vouens poſt moralem interruptionem iterum aduertit, & nihilominus vult non implere votum ſiue directè, ſiue indirectè volendo occupari circa aliud, & non curando de voti obſeruatione.

QVÆRES XXXXVII. An validum ſit votum, quo quis vouet non ingredi religionem.

126 ℞. Non eſſe, niſi fortè vouens ea ſe indole præditum agnoſcat, atque ita propriæ voluntatis, ac iudicij affectatorem, aut ita leuem, & incōſtantem, vitijſue deditum, vt viri prudentes, ac timorati ei conſultius eſſe iudicent, vt maneat in ſęculo; tunc enim quandium durat talis ineptitudo, validum eſt votum non ingrediendi religionem; cū ſic votum nō ſit contrà conſilia, imo ſaluberrimum conſilium ſit ſeruare materiam eo voto promiſſam, nempe non ingredi religionem. Ratio autem reſponſionis principalis eſt, quod votum non ingrediendi religionem nullam habet bonitatem moralem, ſicque non poteſt eſſe apta materia voti, quæ debet eſſe de meliori bono: quamuis enim poſſit vnuſquiſque nolle ingredi religionem, non ideo tamen poteſt ſe voto adſtringere ad non ingrediendum, cùm Deus tale votum non acceptet. ita *Sanchez ſup. cap.* 8. *num.* 3. dicens hanc ſententiam eſſe certiſſimam, & ab omnibus admitti, dempto *Hoſtienſi* aſſerente votum non ingrediendi religionem eſſe temerarium, at valere; inferenſque ad contraueniendum tali voto nullam requiri commutationem, aut diſpenſationem, cum defectu materiæ ſit prorſus nullum.

Quod ſi quæras, qualiter peccet qui emittit votum huiuſmodi.

127 ℞. Regulariter non peccare, niſi venialiter; cum tale votum ſit quidem vanum, & debita materia deſtitutum, non tamen contineat rem adeo grauem, vt non poſit excuſari à culpa martali, ita *Sanch.numer.*5. ex *Caiet. Soto Nau. Couar. Val. Azor.* aliiſque hinc *num.* 6. concludens contra *Palud.* & *S.Anton.* inducentes aliquem, vt voueat ſe non ingreſſurum religionem, non peccare niſi ven. cum enim ſic vouens peccet ſolum ven. & ſolum ven. peccabit inducens.

Vtrum autem votum religionis ſit irritum reſpectu illius, cui ſalubrius iudicatur fore, vt maneat in ſæculo.

128 ℞. *Sanch. numer.* 10. quod, licèt argumenta, quæ poſſent adduci pro parte affirmante, ſint fortiſſima, & ſpeculatiuè perſuadeant intentum: practicè tamen ſequenda eſt pars contraria ſuſtinens votum valere; probatque tum quia oppoſitum aſſerere eſt contra communem vſum Eccleſiæ, in qua vouens religionem in tali euentu ſolet petere diſpenſationem à Papa, eamque non obtinet, niſi rigidiſſima commutatione iniuncta: tum quia (vt diximus *cap. præced. quæſt.* 12.) in tali caſu vouenti, quatenùs eſt pars communitatis Eccleſiæ, melius eſt ingredi religionem, eſto ipſi vt ſingulari perſonæ melius ſit non ingredi: ideoque non poteſt votum dici irritum ex defectu materiæ aptæ, ita *Sanchez*, ſed minùs conſentaneè doctrinæ, quam tradit *Sancius in ſelectis D.* 54. *num.* 11. aſſerens intelligibile videri, quod aliqua opinio ſit ſpeculatiuè probabilis, & in praxi non poſſit tuto amplecti; nam

129 Probabilitas practica non differt à ſpeculatiua niſi vt effectus à ſua cauſa: id enim quod quis opere exe-

re exe-

re exequitur iuſtè, aut iniuſtè, ab eo naſcitur quòd ſpeculatiuè iudicauit poſſe id agi licitè, aut illicitè; vnde qui arbitratur ſpeculatiuè aliquid licitè operari ſe poſſe propter rationes probabiles, id tutò executioni mandare poterit: aliàs nihil operabitur nec alicuius fructus, aut momẽti erit illa ſpeculatio probabilis, ſi ad opus eſſet impedita; quæ doctrina ſi admittatur(quo modo videtur admittere *Dian. p. 2. tra. 13. reſol. 12.* cùm eam non reijciat dicens ſe remittere quo ad eius probabilitatem, iudicio aliorum) vtique probat votum religionis emiſſum ab eo, cui ſalubrius iudicatur manere in ſæculo, eò ipſo eſſe irritum, etiam ſecundùm *Sanchez: Portell.* certè *de dub. regul. v. votum religionis num. 38.* dicit, quòd ſi vouens religionem ſit malis moribus imbutus, & timeat ſe non poſſe continere, ſicque ſuadeant prudentes viri, non ideò excuſatur ab ingreſſu, & tenetur experiri; multi enim ſic mali intrantes euaſerunt valdè boni.

CAPVT II.

De Voto Paupertatis Religioſæ.

IN præſenti capite agendum nobis eſt de voto Paupertatis religioſæ, quæ cum inter vota ſubſtantialia religionis locum teneat infimum, vtpotè verſans circa materiam minùs perfectam: in ordine tamen tractationis primum ſolet obtinere locum apud DD. Caput diuidemus in 5. ſectiones, in quarum 1. Diſſeremus de natura paupertatis religioſæ, alijſque pertinentibus ad ipſam: in 2. De multiplici illius varietate: in 3. De effectibus ex ipſa prouenientibus: in 4. De eius obligatione, ac violatione: in 5. De illius indiſſolubilitate, ac diſpenſatione.

SECTIO I.

De Natura Paupertatis religioſæ, alijſque ad ipſam pertinentibus.

1 *AFfertur definitio religioſæ paupertatis.*
2 *Paupertatis religioſæ 4. ſunt gradus.*
3 *Votum illius aliud eſt ſolemne, aliud ſimplex: & hoc in Soc. Ieſu facit incapaces dominij Coadiutores formatos: quod olim procedebat etiam quo ad Religioſos ſcholarum piarum.*
4 *Paupertas eſt de eſſentia ſtatus religioſi; ſed non neceſſaria ſimpliciter ad acquirendam perfectionem.*
5 *Votum ſolemne paupertatis non requiritur ad ſtatum religioſum.*
6 *Votum ſimplex illius non diminuit perfectionem ſtatus religioſi.*
7 *Ad illum ſufficit paupertas tollens vſum ſuperfluum rerum temporalium.*
8 *Paupertas religioſa in Eccleſia ſemper excluſit dominium rerum temporalium, ſaltem quo ad vſum.*
9 *Solemnitas voti paupertatis inducta à tempore Iuſtiniani Imperat.*
10 *Non eadem ratio paupertatis conuenit omnibus Ordinibus.*
11 *Aliquibus religionibus expedit habere bona in communi.*
12 *Idque præſertim, ſi eæ profiteantur vitam mixtam.*
13 *Non expedit, vt religioſi non habentes bona in communi viuant ex eleemoſynis dietim petitis.*
14 *Carentia dominij practicè non ſpectat ad maiorem perfectionem Status religioſi: ſicque dominium bonorum in communi non impedit perfectionem religioſam.*
15 *Prouiſio rerum neceſſariarum eſſe debet accommodata paupertati.*
16 *Aſſignatur materia proxima, & remota paupertatis religioſæ definitur dominium, vſusfructus, vſus, & vſus facti.*
17 *Explicatur eſſentia religioſæ paupertatis.*
18 *Declaratur ſolemnitas voti eiuſdem religioſæ paupertatis.*
19 *Declaratur item votum ſimplex illius.*
20 *Paupertas religioſa ſedulo obſeruanda.*
21 *Prælati peccant, ſi ſint ſegnes in procuranda tali obſeruantia.*

QVÆRES I. Quid intelligatur nomine paupertatis religioſæ.

1 ℞. Abſtrahendo à paupertate religioſa, quæ promittitur in voto ſolemni, quod communiter fit in religionibus: & ab ea, quæ promittitur in voto ſimplici à Religioſis Soc. Ieſu poſt biennium probationis: intelligi vltroneam, & voluntariam abdicationem rerum temporalium, per quam religioſus ſe priuat eorum proprietate, ac dominio, ſaltem quantùm ad vſum proprietarium, independentem ſcilicet à voluntate Superioris; itaut quamuis religioſus ex vi voti paupertatis religioſæ vt ſic non reddatur incapax dominij(ſicut patet in Scholaribus Soc. Ieſu,) vi tamen illius impediatur, quo minus licitè vti poſſit bonis acquiſitis, aut etiam de nouo alia acquirere abſque debita facultate Superioris; quod eſt abdicare à ſe dominium bonorum temporalium, ſaltem quo ad vſum proprietarium, vt loquitur *Suar. to. 3. de relig. l. 8. cap. 7. numer. 14.* ſic autem videtur benè explicari ratio communis paupertatis religioſæ; quippequæ reperitur tam in voto ſolemni paupertatis, per quod vouens actu à ſe abdicat dominium, & proprietatem omnium rerum temporalium; quàm in voto ſimplici, per quod vouens non abdicat quidem actu à ſe bona temporalia quo ad dominium, ac proprietatem, abdicat tamen quo ad vſum proprietarium, quatenus ſibi aufert facultatem licitè vtendi proprijs bonis, aut alia de nouo acquirendi ſine debita licentia Superioris. Vnde *Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. l. 4. cap. 4. num. 3.* loquens de voto ſimplici paupertatis, quod emittunt religioſi Soc. Ieſu poſt biennium

nium probationis, monet, quòd licèt per tale votum non efficiatur, quo minus pro aliquo tempore licitè retineri poſſit dominium bonorum temporalium; non ideo tamen negari poteſt eiuſmodi votum eſſe de abdicanda proprietate, & dominio rerum temporalium: ad id enim re verà obligat tale votum, quamuis non ſtatim, nec independenter ab omni alio, ſed cum ſubordinatione ad voluntatem Superioris; & ſic quotieſcunque Superior præcipit vouenti, vt abdicet à ſe dominium ſuorum bonorum, ſtatim tenetur id præſtare, & quidem ex vi voti paupertatis: cùm tunc impleatur conditio, ſeu tempus, pro quo talis actus, ſeu abdicatio promiſſa eſt Deo.

QVÆRES II. Quot, & qui gradus paupertatis conſiderari poſſint in ſtatu religioſo.

2 ℞. Poſſe conſiderari 4. gradus 1. eſt, quo quis nec licitè, nec validè poteſt habere dominium alicuius rei temporalis, nec ea vti tanquam propria: (quem gradum paupertatis nunc ſeruant quicũque faciunt votum ſolemne paupertatis) 2. eſt quo quis non poteſt licitè habere proprium dominium alicuius rei, nec vti vlla re tanquã propria, eſtò non ſit incapax dominij: qualis eſſet paupertas per votum omninò abſolutum, ac integrum paupertatis, ſi non eſſet ſolemnizatum per Eccleſiam; 3. eſt quo quis neque eſt incapax dominij, neque vi voti tenetur ſtatim illud à ſe abdicare, ſed ſolùm tenetur nulla re vt propria vti, qui gradus paupertatis modò inuenitur in religioſis Scolaribus Soc. Ieſu; 4. eſt quo quis ex voto non obligaretur ad carentiam dominij, vel omnis vſus rei vt proprię, ſed ſolùm ad non habenda, nec acquirenda bona temporalia vltrà certam menſuram ſufficientem ad vitæ ſuſtentationem iuxtà honeſtum aliquem, aut perfectum finem ſibi præſcriptum, qui gradus non extat de facto, poteſt tamen extare, vt patet. ita *Suár. tom. 3. de relig. l. 8. c. 7. n. 7.*

Addo extare in Eccleſia aliquot Ordines, qui licet neque per profeſſionem, neque per ſacros canones ſint incapaces ad ſuccedendum hæreditatibus, legatis, donationibus & annuis redditibus: de facto tamen neque in communi, neque in particulari poſſident annuos redditus, nec bona immobilia, præter domum, in qua habitant, & locum, in quo recreantur: cuiuſmodi ſunt Clerici regulares dicti Theatini, vt colligitur ex eorum *Conſtitut. p. 2. c. 1. n. 11.*

Sic etiam Auguſtiniani Diſcalceati S. Auguſtini, vi ſuarum *Conſtitutionum p. 1. c. 7. n. 1.* prohibentur poſſidere annuos redditus, etiam in communi: & tamen, ſi in aliquo Conuentu aliter eorum Inſtitutum obſeruari nequeat, & Conuentus inſtitutio maximè conueniat; Capitulum Congregationis, re prudenter expenſa, cum illo Conuentu diſpenſare poteſt, tribus è quatuor ſuffragiorum partibus concurrentibus, vt ibi annui redditus poſſideantur: imò de facto pro aliquibus Conuentibus diſpenſatum eſt.

QVÆRES III. quotuplex ſit votum Paupertatis religioſę.

3 ℞. Eſſe duplex; ſimplex ſcilicet, & ſolemne: ſolẽne eſt illud, quo vouens ita à ſe abdicat dominiũ bonorum temporalium, vt per ipſum reddatur incapax ad illud tam acquirendum, quàm transferendum validè, & quod in ipſa profeſſione emittitur cum ſolemnitate inſtituta ab Eccleſia; votum ſimplex eſt, quo vouens à ſe abdicat bona temporalia, non quidem abſolutè quò ad proprietatem, ita vt fiat incapax ad validè acquirendum, aut transferendũ; ſed tantùm quò ad vſum proprietarium iuxtà dicta *q. 1.* ita vt ſine licentia Superioris non poſſit acquirere, aut transferre licitè; ſi tamen de facto acquirat, & transferat, valida ſit acquiſitio, & translatio, quòdque fit abſque vlla ex ſolemnitatibus ab Eccleſia inſtitutis. Colligitur ex dictis *cap. 1. ſect. 1. quæſt. 7. & ex Sanchez l. 7. moral. cap. 18. num. 23.* qui tamen *num. 24.* excipit, & bene, votum paupertatis, quod emittunt coadiutores formati in Soc. Ieſu: hoc enim quamuis ſit ſimplex, reddit eos prorſus omnis dominij acquirendi, ac in alios transferendi incapaces, non aliter quàm votum ſolemne, vt conſtat ex *Conſtit. Societ. p. 6. cap. 2. §. 11. in comment. lit. H. & §. 12.* confirmatis à Sede Apoſtolica, & ex duplici bulla Gregorij XIII., qua inſtitutum Societatis confirmauit. Quin, etiam tale erat votum ſimplex parupertatis, quod faciebat Clerici ſcholarum piarum vnà cum voto caſtitatis, ac obedientiæ item ſimplici, antequam eorum congregatio in veram religionem erigeretur à Gregorio XV. ſi quidem ex Conſtit. Pauli V. in ordine 101. per dictum votum ſimplex paupertatis ij fiebant incapaces cuiuſcumque dominij, iuris, & proprietatis, quandiu in dicta Congregatione permanebant.

QVÆRES IV. An, & quo modo votum paupertatis ſit de ſubſtantia Status religioſi.

4 ℞. Eſſe; & probatur quia ſtatus religioſus eſt ſchola perfectionis acquirendæ; integra autem perfectionis via, & conſummata neceſſariò comprehendit 3. vota ſubſtantialia religionis, vt oſtendimus *tract. 1. cap. 1. quæſt. 3.* quæ proinde cenſeri debent neceſſaria, etiam in ſtatu religioſo; vnde Chriſtus *Matth. 19.* dicit *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes*: quod iuxtà vnanimem Patrum conſenſum fuit proponere conſilium paupertatis; vt notat *Suar. ſup. l. 1. cap. 6. nu. 6.* qui benè ponderat *l. 2. cap. 2. num. 3.* quod, ſicut Chriſtus eo *cap. 19.* in illis alijs prioribus verbis *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata*, ſignificauit obſeruantiam præceptorum eſſe neceſſariam ad ſalutem; ita & in illis alijs *Si vis perfectus eſſe, vade &c.* indicat paupertatem eſſe neceſſariam ad perfectionem obtinendam; quod clarè innuit *S. Greg. Nazianz. orat. 16.* dicens *Chriſtum, his verbis perfectiorem paupertatẽ definiuiſſe*. Quamquam hac in re diſtinguere oporteat inter perfectionem, & ſtatum perfectionis; nam ad acquirendam perfectionem eſt quidem vtiliſſimum, & moraliter neceſſarium abſtinere diuitijs, non eſt tamen ſimpliciter neceſſarium, cùm diuites benè vtendo diuitijs poſſint aſſequi perfectionem; at verò ad ſtatum integrum perfectionis paupertas ſimpliciter eſt neceſſaria, cùm abſque impedimenrorum ablatione non poſſit conſiſtere ſtatus religionis, & alioqui per paupertatem magna ex parte tollantur impedimenta perfectionis; vt

proinde

proinde Chriſtus, quamuis propter ſe non indigeret tali ablatione impedimentorum, nihilominùs vitam pauperem profeſſus ſit, vt nobis præberet exemplum non ſolùm perfectionis, ſed etiam viæ ad illam.

QVÆRES V. An votum ſimplex paupertatis ſufficiat ad conſtituendum ſtatum religioſum, vel certè requiratur votum ſolemne.

5 ℞. Sufficere; & probatur ex eo quòd Gregor. XIII. in bulla *Aſcendente Domino* loquens de voto ſimplici paupertatis Scholarium Soc. Ieſu declarat illud non obligare ad relinquendum ſtatim omne dominium, & nihilominus eſſe ſufficiens, vt cum alijs votis verum, ac proprium religioſum conſtituat. immò, quod maius eſt, Pius V. in bulla *Dum indefeſſæ* antea declarauit dictum votum eſſe ſufficiens ad conſtituendum non ſolùm verum pauperem Euangelicum, ſed etiam mendicantem; dum loquens de Societate, eiuſque ſingulis perſonis declarauit eos eſſe *verè, & non fictè* religioſos Mendicantes, fuiſſe, & fore cùm tamen paulò ante explicaſſet ſe loqui de Societate, prout comprehendit domos, & collegia; vnde non poteſt dubitari, quin ſub ijs verbis includantur Scholares approbati; ſicut optimè aduertit *Suar. to. 4. de relig. tract. 10. l. 4. cap. 4. num.* 11.

6 Neque hinc ſequitur quòd, ſicut ſtatus Ordinum militarium eſt valdè imperfectus in ratione Religioſi, quatenùs in ijs vouetur ſolùm caſtitas coniugalis; ita & ſtatus religioſus conſtitutus per votũ ſimplex paupertatis erit valdè imperfectus, quatenus per illud Religioſus non efficitur incapax dominij, vt iam adnotauimus; non inquam hoc ſequitur, ſi quidem dominium bonorum, ſi vſus rei non ſit tanquam propriæ, ſed dependens à voluntate Superioris tam quo ad adminiſtrationem, quam quo ad durationem, non obſtat ſtatui perfectionis acquirendæ, & conſequenter non diminuit perfectionem ſtatus religioſi, ſi alioqui ex fine, & alijs medijs nihil ei deſit. Ratio eſt, quòd paupertas eatenùs iuuat ad acquirendam perfectionem, quatenus aufert curam, & ſolicitudinem rerum humanarum, vitat occaſiones, & pericula inde procedentia, minuit affectum bonorum temporalium, eamque transfert ad ſpiritualia, vt conſtat ex doctrina *S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 3.* hæc autem omnia præſtat votum ſimplex paupertatis, non obſtante quòd permittat retentionem dominij; cùm ſic adminiſtratio bonorum, & vſus eorum vt proprius non maneat in voluntate vouentis, ſed ſui Superioris, ſicque per ſe nullam ſolicitudinem, aut periculum afferat ipſi vouenti, ſi is votum ſuum obſeruet, vt tenetur: quo facit quod habetur 1. *Cor. 7. reliquum eſt, vt qui habent, tanquam non habentes ſint, & qui emunt, tanquam non poſſidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur*: tale enim conſilium, etiam in effectu implet Religioſus adſtrictus ſimplici tantùm voto paupertatis, qui retinens dominium ſuorum bonorum ita habet illa, vt ratione voti ijs vti non valeat, nec frui, nec retinere, niſi quatenùs conceditur à Superiore; quod ſine dubio maximè confert ad tollendam nimiam rerum temporalium ſolicitudinem; quippe quæ oritur non ex dominio bonorum, ſed ex adminiſtratione, ac vſu; vt vel hinc patet, quod Religioſi habentes bona in communi, non ſunt circà ea valdè anxij, eo quòd illorum adminiſtratio ad ipſos non pertineat, ſed ad Superiorem, ijſque ſolùm vti poſſint de licentia ipſius Superioris; vt proinde verum ſit, quod ait *Theodoricus* quidam relatus à *Carthuſiano tom. 2. oper. min. opuſc. de reform. clauſtral. a.* 16. magis nocere religioſo vſum peculij, ſine proprietate, quam proprietatem ſine vſu.

QVÆRES VI. Qualis paupertas requiratur, & ſufficiat ad conſtituendum verum, ac proprium Religioſum.

7 ℞. Quòd, ſicut ad religioſum ſtatum aliquis modus paupertatis omninò eſt neceſſarius, ideòque ſeruatus eſt ab omnibus verè Religioſis, qui ab initio in Eccleſia extitere: ita ad talem ſtatum non requiritur paupertas reddens Religioſum incapacem dominij, ſicque non fuit vſitata à principio in Eccleſia, ſed poſteà introducta (vt infra videbimus) neque paupertas, quæ ſaltem excludat vſum rerum independentem (eſto probabilius ſit eiuſmodi paupertatem ſemper viguiſſe in Religioſis exiſtentibus in Eccleſia:) ſed ea paupertas ad conſtituendum ſtatum religioſum ſubſtantialem, ſimpliciter loquendo, videtur ſufficere, quæ ſolùm excludat vſum rerum ſuperfluum vitæ. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 8. cap. 7. num.* 10. probatque (quo ad alias enim partes conſtat reſponſio ex dictis) probat, inquam, ex eo quòd paupertas non eſt propter ſe neceſſaria ad perfectionem, ſed ſolùm vt medium tollens impedimenta perfectionis acquirendæ, ſolicitudinem ſcilicet, & affectum rerum temporalium (*vt oſtendit S. Tho. ſup. q. 184. a. 3. & quæſt. 185. a. 6.* & alibi inſerens *q. 188. a. 7.* non eſſe vnam, ac eandem paupertatem in omni ſtatu perfectionis neceſſariam, ſed in vnoquoque ſtatu illam quæ ſuo fini erit proportionata, dummodo ſit ſufficiens ad tollenda impedimenta perfectionis acquirendæ; at cum promiſſione, proprietate, & vſu aliquorum bonorum temporalium poteſt conſiſtere paupertas ſufficiens ad ſtatum perfectionis acquirendæ tam in genere, quàm in certa aliqua ſpecie; ergò. minor probatur ex eo quòd, cum 3. ſint impedimenta perfectionis, quæ auferuntur per votum paupertatis, videlicet ſolicitudo temporalium, amor diuitiarum, & occaſio elationis: hæc duo vltima ſufficienter poſſunt minui, aut impediri per magnam diuitiarum diminutionem, quæ tamen benè poteſt intelligi etſi aliqua bona habeantur vt propria (ſicut in præſenti caſu:) ſi quidem illa duo non proueniunt niſi ex abundantia diuitiarum, vt patet; primùm verò impedimentum, ideſt ſolicitudo, ſin minùs omninò aufertur (cùm non poſſit homo viuere ſine his temporalibus) ſaltem multum diminuitur, cùm parua ſolicitudo ſufficiat ad conſeruanda ea, quæ ſunt neceſſaria ad vitam: ad quod facit paupertas, etiamſi permittat dominium, ac vſum rerum vitæ neceſſariarum, excluſis ſuperfluis, vt in noſtro caſu.

8 Dixi in reſponſione probabilius eſſe, quòd in Eccleſia paupertas religioſa ſemper excluſerit dominium rerum, ſaltem quantùm ad vſum; talis quip-

pe

pe paupertas eſt moraliter neceſſaria ad ſtatum perfectionis, & eſt conformior tum conſilio Chriſti, *niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet*; tum exemplo Apoſtolorum, qui dixerunt *Ecce nos reliquimus omnia*; tum conſuetudini primitiuæ Eccleſiæ, in qua fidelibus omnia erant communia præter quàm quòd id ipſum ſuadet ratio deſumpta ex *S. Tho. ſup.* nimirùm quòd paupertas requiritur ad perfectionem non ſolùm ob minuendam ſolicitudinem, & affectionem ad bona temporalia, ſed etiã ob eam perficiendam: ſi quæ fuerit neceſſaria, vt ſcilicet adhibeatur non ex amore priuato, ac temporali, ſed ex charitate; at ad hunc finem maximè iuuat paupertas, quæ aliquo modo excludat proprietatem ſaltem quò ad vſum: nam quamdiu res poſſidetur, & tractatur vt propria, etiã amatur vt propria, & cõſequẽter fit, vt amor nõ ſit adeò purus, ac ſpiritualis, nec adeò moderat⁹, ac indepẽdẽs vti deberet eſſe in viro perfecto, aut certè tendente ad perfectionem. Quin, dato quòd retentio proprietatis etiam quò ad vſum modo ſup. dicto non repugnet abſolutè perfectioni perſonali, cùm habens proprium poſſit nõ amare illud amore proprio, inordinatè, ac imperfectè; repugnat tamen multùm ſtatui perfectionis ad quem maximè ſpectat auferre huiuſmodi occaſiones, vel ſaltem cæteris paribus id pertinet ad maiorem perfectionem vt patet.

Quòd ſi quæras, à quo tempore ſolemnitas voti paupertatis religioſæ introduci cæperit in religionibus.

9 ℞. Introductum fuiſſe vniuerſaliter à temporibus Iuſtiniani Imperatoris, vt conſtat ex Authenticis eiuſdem Iuſtiniani relatis à *Suarez ſup. num.* 28. & præſertim ex *l. nunc autem C. de Epiſc. & Cler.* vbi decernitur per profeſſionem Monachi omnes res eius fieri monaſterij, etiamſi expreſsè non donentur: notat autem *Suarez* einſmodi leges ciuiles de re merè ſpirituali, ac Eccleſiaſtica potuiſſe condi, ſiue ex conſenſu Pontificum, ſiue quia expreſſo, aut tacito conſenſu eorundem tanquam cedentes in fauorem Eccleſiæ fuerint admiſſæ, vt videre eſt in 19. *q. 3. cap. c. 7.* & in *cap. 2. de teſtam.*

QVÆRES VII. quænam paupertas, inter eas, quæ à religioſis Communitatibus obſeruatur, ſit omnium præſtantiſſima.

10 ℞. Diſtinguendo: vel loquimur de religionibus, quæ ſunt principaliter actiuæ circa opera corporalia, vt hoſpitalitatis, militiæ &c. & in his melius eſt habere bona in communi, & quidem etiam copioſa, vt porè quæ ſunt omnino neceſſaria ad obtinendum finem ab ipſis intentum; vel loquimur de religionibus, quæ ordinantur ſolùm ad vitam contemplatiuam (quales ſunt monaſticæ); & in his etiam melius eſt habere in communi poſſeſſiones moderatas, cùm ſic tollatur ſufficienter ſolicitudo rerum temporalium, quatenus neceſſarium eſt ad illum finem; vel denique loquimur de religionibus profitentibus vitam mixtam (cuiuſmodi ſunt Mendicantes) & in his videtur præferenda paupertas excludens bona tam in particulari, quàm in communi: cùm talis ſtatus minimam requirat ſolicitudinem temporalem, & talis modus paupertatis minimam relinquat ſolicitudinem. ita *S. Tho. 2. 2. quæſt.* 188. *art.* 7. & cum eo, *Suar. ſup. cap. 9. num.* 2. hinc inferens, quod, cùm Ordines profitentes vitam mixtam ſint perfectiores ratione finis, quem intendunt, etiam paupertas, quam diximus ipſis eſſe magis proportionatam, erit alijs præſtantior, & perfectior.

11 Benè tamen ſubdit *Suar. num.* 5. quod, quamuis hoc ita ſit, negari non poteſt, quin loquendo de hac, vel illa religione in particulari, poſſit ratione circumſtantiarum eſſe illi magis expediens habere poſſeſſiones moderatas in communi; ſicut de facto habent plures Religiones. ita *Viguer. in ſum. cap.* 17. §. 1. *num.* 19. *Ferrar. 3. contra gentes cap.* 133. alijq; viri docti etiam Thomiſtæ tacito nomine citati à *Suarez* (à quibus non multùm diſcrepat *Caiet.* circà ſup. dictum *art. 7.*) ſuſtinentes, abſolutè loquendo, etiam religionibus profitentibus vitam mixtã melius eſſe, quod habeant in communi bona; *quia hac tempeſtate*, inquit *Ferrar. frigeſcente in hominibus charitate, & Religionibus, quæ paupertatem voluntariã ſectantur, multiplicatis, non poſſunt Religioſi ab alijs ſuſtentationem vitæ acquirere, niſi cum magna ſolicitudine, & mentis diſtractione, qua à ſpiritualium contẽplatione eos retrahi neceſſe eſt: idcircò conuenientius fortaſſis eſt, vt habeant in communi, vnde vitæ neceſſaria habere poſſint, quàm vt mendicitati dent operam.* ita *Ferrar.* in terminis, cuius ſententiæ non parùm fauet *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de Regul.* dum omnibus monaſterijs: & domibus religionum, etiam mendicantium concedit, vt poſſint habere immobilia bona, etiamſi ex inſtituto, & quocunque alio modo illis eſſet prohibitum, exceptis ſolis fratribus minoribus de Obſeruantia Capuccinis: quod eſt ſignum ſapientiſſimos, prudentiſſimos, & piiſſimos Patres illius Concilij, rerum tunc præſentium ſtatu benè inſpecto, exiſtimaſſe talem modum paupertatis de facto noſtris hiſce temporibus magis expedire Religionibus: idque ob varias rationes, quarum aliquas mox afferemus.

12 Quod ergo Religionibus etiam profitentibus vitam mixtam in præſentia expediat habere bona immobilia in communi, videtur ſuaderi primo quia certa experientia conſtat Ordines, qui tale genus paupertatis ab initio ſuæ inſtitutionis profeſſæ ſunt meliùs ſe conſeruaſſe in regulari diſciplina, minùſq; indiguiſſe reformari; cùm aliàs non deſint in Eccleſia Religiones ex inſtituto ſtrictiſſimam ſectantes paupertatem, quæ & minùs diu ſe conſeruarunt in primitiuo ſpiritu, & reperitis indiguerunt reformationibus: 2. quia ex ipſæ religiones, quæ etiam modò excludunt bona immobilia in commune, neceſſitate cogente, plures adinuenerunt modos, quibus habere poſſint aliqua bona immobilia per æquiualentiam (vt ſic loquar) plures admiſerunt Pontificum declarationes circà obſeruantiam propriæ paupertatis ipſius moderatorias, plures excogitarunt formalitates, quibus haberent bona ad ſubleuandam propriam indigentiam; quarum plures hic afferre poſſem, ſi vellem; ſed iuſtis de cauſis omitto 3. quia poſito quod religioſi cogantur viuere ex eleemoſynis hinc inde emendicatis, minorem habent libertatem in vſu miniſteriorum ſpiri-

tualium,

tualium, quæ exercent ergà proximos, in reprehẽdendis eorum vitijs, in detegendis eorum exceſſibus in procuranda eorum ſalute: idque ex metu, ne ipſi offendantur, ſicque illi poſteà priuentur ſolitis eleemoſynis: vnde S. P. Ignatius prudentiſſimè religioſis Soc. Ieſu, vt habetur in *Conſtit. c. 1. examinis* prohibuit, ne *pro miſſarum ſacrificijs, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius Sacramenti adminiſtratione, vel quouis alio pio officio ex ijs, quæ iuxta ſuum inſtitutum Societatis poteſt exercere, ſtipendium vllum, vel eleemoſynam, quæ ad compenſationem huiuſmodi miniſteriorum dari ſolent, ab alio, quàm à Deo, ob cuius obſequium omnia purè facere debent*, poſſint *admittere*. 4. quia refrigeſcente fidelium charitate, ac primitiuo religionum feruore, niſi adſint bona immobilia in communi, minùs benè conſulitur indigentijs religioſorum à monaſteriorum Prælatis; ſicque ſubditi coguntur aliunde ſibi parare neceſſaria, ſiue à cõſanguineis, ſiue ab amicis, ſiue ab alijs; & quidem interdum etiam aliqua præſtando, quæ minus decent conditionem ſtatus religioſi, & apertè repugnant proprij Ordinis inſtitutis: ad quod faciunt quæ habet *S. Bonau. in epiſt. ad Prouinciales* his verbis *Occurrit importuna petitio, qua omnes tranſeuntes* per terras *adeò abhorrent Fratrum occurſum, vt eis timeant quaſi prædonibus obuiare: & in expoſit. regulæ S. Franciſci qu. 6. quando nimis vrgemus homines ad dandum, perdunt deuotionem priùs ad nos habitam, quòd nec de prædicatione, neque exemplis, neque alijs, quæ facimus, ædificantur; vnde, cum vident nos accedere, terrentur, & timent quod aliquid ab ijs velimus expetere, quod graue ſit eis dare, & erubeſcunt negare, & ſi dederint, non libenter, minus merentur, & ſic rebus, & deuotionibus priuantur*. 5. quia ſic in religionibus paulatim inducitur particularium ſingularitas, & cum ea regularis diſciplinæ omnimoda deſtructio; quod in ſpecie aduertit *Peyr. de R. S. quæſ. 2. cap. 2.* §. 2.

QVÆRES VIII. An, admiſſa paupertate excludente bona immobilia in communi, regulariter expediat, vt religiones eam profitentes de rebus vſui conſumptibilibus in futurum tempus prouideant, eas tempore opportuno congregando.

13 ℟. Quòd, licet alicubi fortaſſe talis modus paupertatis ſeruari poſſet cum fructu, aut ſine reprehenſione; moraliter tamen loquendo, attenta hominum conditione, ac indigentia, & temporum, & actionum varietate, talis modus paupertatis eſt moraliter impoſſibilis, quippequi eſt adeò difficilis, vt ſine magna diſtractione, inquietudine, ac ſpirituali periculo ſeruari non poſſit. ita *Suar. n. 6. ex S. Thoma*, & probatur tum ex vſu ipſarum religionũ, quæ aliàs ſtrictiſſimam in omnibus paupertatem profitentur, & ſingulari fidelium ædificatione, ac infidelium admiratione obſeruant: tum quia, etſi videatur pertinere ad maiorem perfectionem paupertatis viuere in diem petendo quotidie eleemoſynas, in praxi tamen id non eſt expediens ob multas rationes, quæ vnicuique facilè poſſunt occurrere, præſertim attentis ijs, quæ diximus quæſt. præcedenti.

QVÆRES IX. An per ſe ſpectet ad maiorem perfectionem paupertatis religioſæ, vt religio non ſolùm careat bonis immobilibus in communi, ſed etiam vt neque habeat in communi dominium bonorum mobilium & pro eo tempore, quo ea poſſidentur, & conſeruantur.

14 ℟. Quòd, quamuis talis modus paupertatis ſit poſſibilis, immò Fratres minores eum ſibi aſſumant tanquam proprium, & poſſit ſpeculatiuè conferre ad maiorem perfectionem ipſius paupertatis; nihilominùs practicè, & moraliter loquendo, præfata carentia dominij non videtur pertinere ad paupertatem, quæ eſt inſtrumentum perfectionis acquirendæ, & conſequenter talis gradus paupertatis non pertinet ad maiorem perfectionem religionis. Ratio eſt, quòd paupertas eatenùs iuuat ad acquirendam perfectionem religioſam, quatenùs aufert, aut ſaltem diminuit ſolicitudinem circà vitæ neceſſaria, vt patet ex dictis; aut habere, vel nõ habere dominium bonorum mobilium modo ſuprà dicto parùm refert ad augendam, aut minuendam ſolicitudinem rerum temporalium, neque confert ad actus aliarum virtutum exercendos maximè conducentes ad conſecutionem perfectionis; quantumcumque enim talia bona dicantur non haberi ſub dominio communitatis religioſæ: excludi tamen non poteſt, quin opportuno tempore, & conuenienti modo congregentur, poſſideantur, cuſtodiantur, conſeruentur, adminiſtrentur, ſuiſq; temporibus diſpenſentur, expendantur, & conſumantur à Communitate, vel nomine Communitatis: quæ ſine dubio neque fiunt maiori ſolicitudine ob illam carentiam dominij, vt per ſe conſtat: cùm dicta bona æque fideliter debeant adminiſtrari, ac ſi eſſent propria; præter quàm quòd talia bona non excludunt incertam mendicitatem, cùm per eandem obtineantur, ſiue acquirantur cum dominio, ſiue abſque illo. ita *Suar. ſup. cap. 9. numer. 7.* addens *numer.* 8. quod diximus carentiam bonorum immobilium in communi per ſe ſpectare ad maiorem perfectionem, non habere locum in ijs bonis immobilibus, quæ ſolùm ad vſum neceſſarium poſſidentur, (cuiuſmodi eſt domus ad habitandum, Eccleſia ad miniſtrandum Deo, ac proximis, & ſi quid aliud tale eſt;) hæc quippe neceſſariò debent poſſideri conſeruari, ac debitè adminiſtrari, & ſi quam adferunt ſolicitudinem, ea non eſt humano modo euitabilis, & conſequenter excuſari debet, ſi talia bona debita cum moderatione poſſideantur, & adminiſtrentur; vnde carentia eorum quò ad poſſeſſionem, & adminiſtrationem reſpectu Communitatis non pertinet ad perfectionem.

15 Addit *Suar. num. 9.* & benè quòd, quando dicimus poſſeſſionem bonorum mobilium, eorumque acquiſitionẽ, & conſeruationẽ non repugnare perfectioni paupertatis, intelligendùm eſt de poſſeſſione, ac ſupellectili accõmodata ſtatui paupertatis iuxtà vniuſcuiuſque Ordinis inſtitutionem, ac regulam; nec non de prudenti prouidentia in talibus rebus præueniendis, ſeu congregandis tempore opportuno, ijſq; conſeruandis ſolùm pro eo tempore, ꝙ iuxtà conditionẽ rerũ, quæ cõſeruantur, & circũſtantias locorum, ac temporũ moraliter reputatũ

fuerit neceſſarium, aut valdè conueniens; & hoc iudicio prudentis, & pij Prælati, & aliorum, ad quorũ ſolicitudinẽ ſpectauerit ſuſtentatio monaſterij.

QVÆRES X. Quæ ſit materia voti paupertatis religioſæ, tam remota, quàm proxima.

16 ℟. Remotam quidem eſſe diuitias, nomine diuitiarum intelligendo quidquid pæcunia æſtimari, aut comparari poteſt (cuiuſmodi tamen non ſunt vita, propria membra, facultates actiuæ, fama, honor, beneficium eccleſiaſticum vt ſic, & vxor); proximam verò eſſe habitudinem illam, aut actionem hominis circa ſup. dictam materiam remotã, nimirum dominium rei, vſum fructum, vſum, & propriam poſſeſſionem, non item vſum facti, & omnem rei apprehenſionem, retentionem aut adminiſtrationem, quæ non proprio iure, & nomine fiat, ſolumque conſiſtit in facto, & pendet ex iure, & conceſſione alterius. ita *Suar. ſup. cap.* 4. *&* 5. patebitque ex dicendis *cap. ſequenti*, ſi hic monuero per dominium intelligi ius principale diſponendi de re pretio æſtimabili in quemcunque vſum lege non prohibitum: vſum fructum verò eſſe ius vtendi, ac fruendi alienis ſalua ſubſtantia; vſum ius vtẽdi re aliena; poſſeſſionem (quantùm ſpectat ad præſentem materiam) ius poſſidendi rem vt propriam: vſum facti eſſe actionem, qua quis actualẽ vtilitatem capit ex re, ad quam nullum ius propriũ habet (cui reſpondet actualis, aut potiùs habitualis detentio rei ad vtendum illa, quando oportuerit, etſi non habeatur vt propria, neque cum aliquo iure in ipſa): adminiſtrationem denique rei, aut poſſeſſionis alienæ non includere vllum proprium dominium, aut ius vtendi, vel fruendi, ſed eſſe quid facti, & veluti ius regendi, aut imperandi, quæ per ſe, ac præciſè ſpectata non faciunt hominem diuitem, ſecluſo emolumento temporali ex eis reſultante; qua de re conſulatur *Sanch. l.* 7. *mor. c.* 18. *nu.* 25.

QVÆRES XI. In quo conſiſtat eſſentia voti paupertatis religioſæ.

17 ℟. Conſiſtere, non quidem in eo, quòd reddat vouentem incapacem dominij, aut etiam priuet dominio, ſed tantum in eo quod priuet poteſtate vtendi rebus pretio æſtimabilibus, ita vt abſque Superioris conſenſu non poſſit ijs vti; neque de ijs diſponere, eoque volente, teneatur etiam abdicare à ſe illarum dominium. ita in terminis *Leſſ. l.* 2. *c.* 4. *n.* 27. & probatur tum ex dictis *q.* 1. tum quia parui momenti eſt dominium, cuius vſus eſt adeò impeditus, ac dependens, & alienatio ſic obſtricta, & debita, dominium quippe rerum non æſtimatur, niſi propter vſum, ac poteſtatem diſponendi: vnde, ſi poteſtas vtendi, ac diſponendi modo dicto impediatur in aliquo per votum, ac ſi non eſſet dominiũ; ſanè talis meritò cenſeri debet religioſæ paupertatis cultor: cùm nihil amplius habeat in rebus temporalibus poteſtatis, quæ in actum exire poſſit, quàm is, qui dominio caret.

QVÆRES XII. In quo ſtet ſolemnitas voti paupertatis religioſæ.

18 ℟. Iuxta dicta *c.* 1. *ſect.* 1. *q.* 8. conſiſtere in eo, quòd cum certis ceremonijs iure præſcriptis emittatur coniunctim profeſſioni religioſæ cum alijs 2. votis eſſentialibus religionis, & vt ſolemne ſit à vouente, & acceptatur à religione, habetque hunc effectum ſibi maximè proprium, vt reddat vouentẽ omnino incapacem dominij, idque cum omnimoda perpetuitate, quæ ſe teneat tam ex parte vouentis; quam ex parte religionis acceptantis votum, quod eſt ita neceſſarium ad voti ſolemnitatem, vt votum paupertatis, quod emittunt Coadiutores formati in Soc. Ieſu, quantumuis vouentem reddat incapacem dominij tum acquirendi, tum transferendi (quod maximè eſt proprium voti ſolemnis paupertatis) non ideò tamen dici poſſit ſolemne: idque non alia de cauſa, niſi quòd non habet firmitatem ad votum ſolemne neceſſariam, nec inducit eam incapacitatem, aliaſque ſuos effectus ſimpliciter, & abſolutè perpetuos ex parte religionis, quæ taliter vouentem liberè poteſt expellere, ſicque ipſum omninò liberare ab obligatione dicti voti, eiuſque effectibus; vt rectè adnotauit *Suar. ſup. l.* 2. *cap.* 12. *n.* 4. & clarius *n.* 8. vbi ait ad hoc vt dicta incapacitas ſit adæquatè effectus ſolius voti ſolemnis, oportere, vt ſit perpetuus, ſicque ab effectu rectè diſtingui votum ſolemne ab omni voto ſimplici paupertatis, atque ita per eundem effectum poſſe deſcribi votum ſolemne paupertatis.

QVÆRES XIII. Quid importet votum ſimplex paupertatis religioſæ.

19 ℟. Illud votum importare, quòd vouens vi illius non poteſt licitè abſque licentia Superioris acquirere de nouo dominium rei pretio æſtimabilis, illudue in alium transferre; eſtò, ſi hæc præſtet, factum teneat; quamquam vt dixi *ſup. q.* 3. hæc doctrina non habeat locum in Coadiutoribus formatis Soc. Ieſu, qui emittunt votum ſimplex paupertatis, & tamen per illud efficiuntur incapaces cuiuſcunque dominij, tam acquirendi, quàm transferendi.

QVÆRES XIII. Quàm ſtudioſè procurari debeat in Religionibus obſeruantia voti paupertatis religioſæ.

20 ℟. Quòd, cùm, teſte *S. Bonauentura tom.* 1. *opuſc. in fine* inter multas cauſas, ob quas religio deficere ſolet à primæuo ſui Inſtituti feruore principem locum teneat relaxatio paupertatis, hæc omnino cauenda eſt; vnde S. P. Ignatius ad vitandum in Soc. Ieſu eiuſmodi ſubuerſionis diſciplinæ religioſæ periculum, & lapſum à ſuo primo feruore, eiuſque felici progreſſui conſulendum inſtituit, vt profeſſi trium, aut quatuor votorum ſe peculiari voto adſtringant ad non permittendam relaxationem paupertatis; & quidem meritò cùm primum religionis fundamentum iuxta *S. Thomam* 2. 2. *q.* 184. *ar.* 3. ſit voluntaria paupertas, ideoque hac deſtructa non poſſit non corruere totum religionis ædificium *ca. cum Paulus* 1. *q.* 1.

21 Huc ſpectat quod ait *Sanch. l.* 7. *mor. c.* 19. *n.* 27. *ex S. Anton. & Sylu.* non eſſe in bono ſtatu Prælatum regularem, qui in quantùm poteſt abſque graui ſcandalo, non nititur ſuos religioſos viuere in communi, ac ſuperfluos vſus vitare; nec eſſe in bono ſtatu ſubditos reſiſtentes; non quia nequeant ſufficienter viuere, ſed quia volunt abundare, & liberiùs diſponere.

SECTIO II.

De multiplici Varietate Paupertatis, quæ in Religionibus ex peculiari ipſarum inſtituto obſeruatur.

22 *Paupertas varia eſt iuxtà varietatem Inſtitutorum religioſorum.*

23 *Oſtenditur paupertas Monachorum, & Canonicorum regularium.*

24 *Vtrique ſunt capaces bonorum in communi; nec obſtant iura.*

25 *Maximè, ſi monaſteria non prouideant de neceſſarijs.*

26 *Poteſt monachus pecuniam ſibi datam dare alteri, qui ei in vita certum lucrum ſoluat, totam ſortem poſteà retenturus.*

27 *Ex bonis Conuentus interdum aſſignari poteſt religioſis ſua pars.*

28 *Oſtenditur paupertas Ordinum Mendicantium.*

29 *Modò ijs poſſunt habere bona in communi, exceptis aliquibus Ordinibus: nec ij ideo deſinunt eſſe de mendicantibus.*

30 *Cedere poſſunt indulto habendi bona in communi, ſi velint: imò aliqui ceſſerunt.*

31 *Et hi vt Concilij Trident. non poſſunt amplius frui indulto.*

32 *Ordines mendicantes non tenentur viuere ex emendicato.*

33 *At poſſunt ſic viuere, ſi velint, etſi bona poſſideant.*

34 *Ab Ordinarijs impediri nequeunt, ne mendicent.*

35 *Succedunt in hæreditates, etſi aliàs ſint incapaces; ſed vt eas vendant.*

36 *Fallit id quo ad Ordinem Minorum, & Societatem Ieſu quò ad bona ſuorum Religioſorum.*

37 *Mendicantes incapaces non accipiunt alimenta ex legato.*

38 *At capiunt eleemoſynas annuas à Miniſtris aliquorum principi.*

39 *Retinent hortum, & vineam ad recreationem.*

40 *Ex hac tamen vinum faciunt ſolum ad vſum Cuſtodis illius.*

41 *Non acquirunt annuos redditus perpetuos ex legato: etſi tale legatum totum ſimul admittere poſſint.*

42 *Acquirunt legata annua relicta ad modicum tempus: legatum relictum ad vitam religioſi particularis non eſt perpetuum.*

43 *Recipiunt anniuerſaria perpetua miſſarum, ac officiorum.*

44 *Acquirunt legatum, quòd videatur factum in fraudem mendicitatis.*

45 *Admittunt legata & in communi, & in particulari.*

46 *Capiunt legata ſub modo licito relicta.*

47 *At hac vendunt.*

48 *Non tenetur Syndicus de lucro parte ex pecunia minoribus relicta, cùm eſſet expoſita lucro, & à Syndico extracta.*

49 *Si bona relicta vendant, aſſiſtunt venditioni, ſi ſint capaces.*

50 *At hæc venditio non petit ſolemnitatem iuris Eccleſiaſtici.*

51 *Non recipiunt legata pecuniaria perpetua.*

52 *Etſi recipiant vt vendant ius illorum.*

53 *Recipiunt titulo eleemoſynæ prouiſiones annuas victualium ipſis legatas.*

54 *Item annuos redditus ex legato, niſi aliunde prohibeantur.*

55 *Item vſum fructum ad modicum tempus.*

56 *Incapacitas dominij non ſequitur ad incapacitatem immobilium.*

57 *Religioſi Ordinum incapacium in particulari acquirunt legata, & ſuccedunt, æquè ac Ordo in communi.*

58 *Alunt religioſi incapaces iumenta ad certos vſus.*

59 *Exigunt in iudicio hæreditates, ac legata, niſi prohibeantur.*

60 *Non præſcribunt contrà dantes eleemoſynam liberaliter.*

61 *Retinent annuos reditus ad vſum Eccleſiæ.*

62 *Item iura, & actiones in communi.*

63 *Non item admittunt legatum annuum, vt illud ſtatim vendant.*

64 *Componunt ſuper relicta.*

65 *Et in hoc debent conſentire ij, quorum intereſt.*

66 *At ad hoc non petitur ſolemnitas iuris.*

67 *A Prælato ſine conſenſu Capituli non remittuntur licitè legata annuorum reddituum: remittitur tamen pecunia iniuſtè ablata: niſi eius quantitas excedat poteſtatem Prælati.*

68 *Induci poteſt conſuetudo, vt Religioſi, aliàs incapaces bona immobilia poſſideant in communi.*

69 *Et quidem etiam quò ad Fratres Minores.*

QVÆRES I. An, & quo modo obſeruantia voti Paupertatis ſit eiuſdem rationis in omnibus religionibus.

22 ℟. Quod, cùm paupertas religioſa ſit ſolùm inſtrumentum perfectionis, & ea in vnaquaque Religione cenſeri debeat ſufficiens ad ſubſtantiam ſtatus religioſi, quæ fuerit neceſſaria, & ſufficiens ad perfectum finem in tali religione intentum: conſequenter poteſt in Religionibus admitti diuerſitas in obſeruantia paupertatis: vt pote quæ non habet certam, ac definitam menſuram pro omnibus ſtatibus religioſis, ſed vnicuique applicatur iuxtà proportionem finis ſibi propoſiti, vt notat. *S. Tho. opuſc. 17. cap. 15. & 16.* & ſignificat *Concil. Trident. ſeſſ. 25. c. 1. de regul.* ijs verbis: *Quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, vt obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, &c. ad eorum reſpectiuè eſſentiam, &c. pertinentia fideliter obſeruent.* Imò de facto in nonnullis Religionibus apparet talis diuerſitas paupertatis, cũ alia ſit paupertas Monachorum, & canonicorũ regulariũ, alia Ordinũ mendicantiũ, alia Fratrũ minorũ, alia Religioſorũ Soc. Ieſ. alia Ordinum militariũ, alia Oblatorũ, ſeu Donatorum; ita vt ratio paupertatis religioſæ ſit veluti ſpecies ſubalterna; quæ

diſtinguitur in plures ſpecies infimas, & quidem eo modo, quo in ſequentibus qq. oſtendemus explicantes ſingillatim eiuſmodi ſpecies paupertatis.

De Paupertate Monachorum, & Canonicorum regularium.

QVÆRES II. In quo conſiſtat paupertas Monachorum, & Canonicorum regularium.

23 ℞. Conſiſtere in eo quòd non habeant priuatum dominium rerum temporalium; non autem in eo quòd careant bonis temporalibus, etiam in communi, ſiue mobilibus, ſiue etiam immobilibus; quod eſt profiteri paupertatem in particulari, non autem in communi. & ratio eſt, quòd in tali modo paupertatis ſaluatur ſubſtantia paupertatis, & conſequenter ſtatus religioſus; cùm votum paupertatis, etiam ſolemne ſolùm importet abdicationem dominij priuati bonorum temporalium: vt conſtat ex *cap. non dicatis 12. q. 1. Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia; & cap. cum ad monaſterium 6. de ſtatu monach.* vbi Innoc. III. ait *Probibemus diſtrictè in virtute obedientiæ ſub obteſtatione diuini iudicij, ne quis monachorum proprium aliquo modo poſſideat;* nec non ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25 cap. 2. de regul.* quod ita habet. *Nemini Regularium tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuſcumque qualitatis fuerint, ēt quouis modo ab eis acquiſita tanquā propria, aut etiam nomine conuentus poſſidere, vel tenere: ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur;* ex quibus iuribus vtique conſtat cum abdicatione dominij bonorum temporalium ſtare, vt Religioſi habere ea poſſint in communi.

Quod ſi hac occaſione huius decreti Tridentini quæras, an Monachi, Canonici regulares, & alij Religioſi, eo non obſtante habere poſſint peculium.

24 ℞. Probabile videri, quòd poſſint habere, præſertim in ijs monaſterijs, in quibus, ſiue ob nimiā paupertatem, qua premuntur, ſiue ob incuriam, aut negligentiam Superiorum, non poteſt obſeruari vita communis, adminiſtrando omnibus, & ſingulis Religioſis ea; quæ ipſis ſunt ſimpliciter neceſſaria iuxta decentiā ſtatus, vel de facto non dantur (quod ſine dubio accidit in multis religionibus) dummodo tamen Religioſi non vtantur peculio, niſi in vſibus neceſſarijs, & dependenter à voluntate Superioris. ita *Lezana to. 1. c. 6. n. 21. ex Val. Rodr. & Vega,* alijque docti recentiores à me conſulti, & probatur; quia vſus talis peculij non repugnat naturę voti paupertatis, aut iuri communi, vt benè oſtendit *Sanch. l. 7. mor. c. 22. n. 5.* ſed ſolùm decreto *Concilij Trid.* ſuperius relato (quamuis etiā id negent non pauci DD. & quidē graues, vt infra videbimus) & decretis pro Regularium reformat. editis à Clem. VIII. & nouiſſimè approbatis, ac innouatis à Sacra Cong. iuſſu Vrbani VIII. quæ ſic habent: *Quo Trid. Concilij decreta de paupertatis voto cuſtodiendo fidelius obſeruentur, præcipitur, vt nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, aut mobilia, aut pecuniam, prouentus, cenſus, eleemoſynas, ſiue ex concionibus, ſiue ex lectionibus, aut pro miſſis tam in propria Eccleſia, quam vbicumque celebrandis aliove ipſorum iuſto labore, & cauſa quocumque nomine acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conuentus poſſidere poſſint, ſed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conuentui incorporentur:* decreta autem iuris communis, & Summorum Pontificum non obligant cum morali impoſſibilitate, qualis interuenit in caſu noſtro. quę ratio confirmari ex eo poteſt, quòd eatenus præfata decreta edita ſunt, quatenus eorum auctores ſupponebant Religioſis ſingulis ſuppeditari omnia neceſſaria ex bonis monaſterij, aut certè præcipiebant Prælatis eorum, vt ſic facerent: cùm ergò in caſu propoſito monaſteria plerumque non habeant, vnde modo dicto prouideant Religioſorum neceſſitatibus, vel non prouideant iuxta dicta decreta deſinent obligare: idque ex præſumpta voluntate legiſlatoris.

25 Dixi ſub initium reſponſionis, *præſertim in ijs monaſterijs, &c.* vt innuerem *Sanchez num. 11. & Nau. Sà, Rodriq. Pattano Graff. Vega,* & alijs recentioribus, quos citat, & ſequitur *Peyr. de R. S. q. 2. c. 2. §. 1.* abſolutè, ac ſine vlla limitatione docere etiam poſt Concilium Trid. poſſe Religioſum de licentia proprij Superioris ex iuſta cauſa habere aliquod peculium, ſeu aliquos redditus annuos per ſe ipſum adminiſtandos, in vſibus tamen licitis, etiam indeterminatis, & ad nutum eiuſdem Superioris amouibiles. probant tum ex vſu communi Religionum, etiam obſeruantium, & ſatis competenter conſulentium neceſſitatibus ſuorum Religioſorum, quæ tamen ipſis permittunt aliqualem vſum peculij: vnde ſuſpicatur *Vaſq. opuſc. de reddit. c. 3. d. 2. num. 15.* decretum Conc. Trid. ſuperiùs allegatum non fuiſſe receptum; tum quia Concil. Trid. per ea verba *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad vſumfructum, vel vſum, adminiſtrationem, aut commendam,* non intendit inducere ius aliquod nouum, ſed ſolùm innouare ius antiquum, illudque in memoriam reuocare, adeoque quando ait non licere Prælatis concedere bona ſtabilia, etiam ad vſum, & adminiſtrationem, loquitur, ſiue de conceſſione, quæ fiat abſque iuſta cauſa (ſicut explicat *Nau.* relatus à *Peyrino*) ſiue de ea, quæ fiat ad vſum, ac vſumfructum iuris, & non ſolùm facti; ſicut explicat *Beia p. 4. caſuum caſu* 17. quo modo etiam notat *Peyr.* interpretandas eſſe varias declarationes in contrarium relatas à *Quaranta v. caſus numer. 6.*

Vtrum verò Monachus, cui externus dedit 100. aureos ad ſuum libitum expendendos, poſſit ex licentia Superioris eos tradere alicui ſæculari, vt cenſum ſibi quotannis ſoluat, dum vixerit, eoque defuncto, illos ſibi retineat.

26 ℞. Poſſe, ſi centum illi aurei ita conceſſi ſint, vt concedens noluerit dominiū transferri in monaſteriū, ſed omninò cedere in vſum monachi, & ipſemet Monachus hoc idem intenderit; ſecus ſi ita dati ſint vt eorum dominium transferit in monaſterium. Ratio reſponſionis eſt, quòd in priori caſu illi 100. aurei nullatenus ſunt monaſterij, adeòque ex præfata ipſorum diſtractione nullū ei infertur damnū: in poſteriori autē caſu illi aurei ſunt monaſterij, nec

in

in eorum diſtributione res eius vtiliter geritur, niſi fortè ille ſæcularis eſſet benè meritus de monaſterio: tunc enim de licentia legitimi Superioris fieri poſſet talis donatio, vt pote non gratioſa, ſed remuneratoria. ita *Sanch. num. 16.* monens *num. 17.* peculium, quod diximus poſſe concedi Monacho, debere eſſe moderatũ attenta qualitate religionis, perſonæ, gradus, conditionis, loci, temporis, & aliarum ſimilium circunſtantiarum; cum enim *Tridentinum ſeſſ. 25. c. 2. de regul.* interdicat mobilia ſuperflua concedi Regularibus (quæ ſcilicet non ſunt neceſſaria ad ſtatum Religioſi ea habentis) a fortiori prohibet cõceſſionem peculij rei ſtabilis ſuperfluũ.

27 Addit *Sanch. num. 23. ex Nau. comm. 3. de Regul. num. 29.* poſſe interuenire iuſtam cauſam diuidendi bona monaſterij Religioſis in eo degentibus, aſſignata cuilibet ſua portione certa per ipſos adminiſtranda; ſi videlicet tepeſcente ſpiritu orirentur diſcordiæ, inuidiæ, ac murmurationes ex communi Religioſorum victu, ac veſtitu, eò quòd ea ipſis parca viderentur: vel certè, ſi Religioſi res communes prodigè, ac ſuperfluè expenderent, ideòque neceſſarium reputaretur certam pecuniam ipſis aſſignare, vt accuratiùs eam ſeruarent, ſicque ipſis neceſſaria non deficerent.

Quæ autem diximus de paupertate monachorum, & canonicorum regularium locum habent etiam in alijs Religioſis, qui non ſunt ex Ordinibus mendicantibus.

De Paupertate Ordinum Mendicantium.

QVÆRES III. qualis ſit Paupertas, quam profitentur Ordines mendicantes.

28 ℞. Eſſe talem, vt neque in particulari, neque in communi habere poſſint bona immobilia, fundos, prædia, poſſeſſiones, annuos cenſus, & ſimilia; idque vel ex regula (vt Fratres minores) vel ex proprijs Conſtitutionibus auctoritate pontificia approbatis, vt Fratres Dominicani, Auguſtiniani, & Carmelitæ, quibus per regulam permittitur, vt poſſint habere in communi bona ſtabilia, eſtò per peculiares conſtitutiones tali iure poſteà ſe priuauerint, vnde iſti dicuntur mendicantes, non ex regula, ſed ex Conſtitutionibus: vt rectè notauit, *Azor. tom. 1. l. 12. cap. 23. q. 1.* & cum eo *Lezana to. 2. cap. 1. nu. 1.* Colligitur autem reſponſio ex *Gloſſa cap. cum ex eo, v. Mendicantes de exceſſ. Prælat. in 6.* & *in cap. quorundam de elect. in 6. ver. mendicantes.*

29 Verum tamen eſt, quod iure nouo *Concilij Trid. ſeſſ. 25. c. 3. de Regul.* poſſunt Ordines Mendicantes vtriuſque ſexus poſſidere in communi bona immobilia exceptis domibus Fratrum Capuccinorum, S. Franciſci, & Fratrum Minorum de Obſeruantia; ſic quippe ait *Concilium: Concedit S. Synodus omnibus monaſterijs, & domibus, tam virorum, quàm mulierum, & mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Franciſci Capuccinorum, & eorum, qui Minores de Obſeru. vocantur, etiam quibus aut ex Conſtitutionibus ſuis erat prohibitum, aut priuilegio apoſtolico non erat conceſſum, vt deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat.* Vbi notandum non ideò Religioſos Mendicantes deſinere eſſe Ordines Mendicantes, eò quod vi talis decreti effecti ſint capaces bonorum immobilium in communi, aut etiam ea de facto actu poſſideant: ſi quidem ad ſtatum Ordinis Mendicantis ſufficit, vt bona immobilia habere non poſſit ex regula, aut ex Conſtitutionibus, vt iam diximus; quod totum ſaluatur, etiamſi talia bona poſſideãt in communi ex vi præfati decreti Concilij: nam eò ipsò quod vnum tollitur per priuilegium, non ideò tollitur & aliud *l. ſi domus ff. de ſeruitut. vrban prædeſt.*

30 Accedit quòd, cùm quilibet cedere poſſit iuri ſuo citrà præiudicium tertij, non repugnat Religioſos Ordines renunciare poſſe ſup. dictæ conceſſioni Concilij, non admittendo bona immobilia in communi, quantũuis id ſibi concedatur; immò de facto ei renunciarunt Religioſi Societ. Ieſu quò ad Domos profeſſas, & Carmelitæ Diſcalceati; qui vtique comprehendebantur ſub tali conceſſione, vt oſtendit *Lezana num. 2.* contrà *Thomam à Ieſu*, oppoſitum ſuſtinentem, ſed fundamento minùs ſufficienti; vnde neque iſti quò ad Conuentus, neque illi quò ad Domos profeſſas poſſunt vlla bona immobilia poſſidere, non obſtante generalitate præfatæ conceſſionis.

Difficultas eſſe poſſet, an iſti Ordines, qui ſpontaneè renunciarunt dictæ conceſſioni, poſſint modò, mutata voluntate, eam admittere, eiuſque beneficio vti, ſicque incipere poſſidere bona immobilia in communi.

31 ℞. Non poſſe, ſtando in conceſſione Concilij Tridentini quæ eò ipsò quòd fuit ſemel legitimè renunciata, & quidem renuntiatione acceptata à concedente, non ampliùs poteſt ſuffragari renuncianti, vt probabimus in *tract. de priuil. capit. 1. ſection. 5. quæſtion. 7.* Etſi Recentior quidam putet ſpeculatiuè loquendo oppoſitum ſic poſſe probari: In generali communicatione priuilegiorum veniunt omnia omninò priuilegia, quorum vſus eſſe poteſt fauorabilis communicanti, & conſequenter etiam illa, quæ per non vſum legitimè amiſſa ſunt, vt benè aduertit *Portel. de dub. 1. regular. verb. priuilegium numer. 55.* (vnde etiam his poterit vti Ordo, gaudens tali communicatione poſtquam ea amiſit per non vſum): ergò, & in eadem communicatione venient priuilegia ſemel renunciata modo ſupradicto, cùm perinde ſe habeat illa amiſiſſe per non vſum, ac per renuntiationem, vt patet; conſtat autem, quòd habens generalem communicationẽ priuilegiorũ alicuius Ordinis, poteſt ijs omnibus, & ſingulis vti indiſcriminatim; ſicque Ordo, qui iam renunciauit iuri poſſidendi bona immobilia in communi per Conc. Trid. conceſſo, mutata voluntate poterit eo vti per viam communicationis: quatenus ſcilicèt tali conceſſione gaudent alij Ordines, cum quibus communicat in priuilegijs. Verùm in praxi non eſt recedendum à noſtra ſententia.

QVÆRES IV. An Religioſi Ordinum mendicantium teneantur vi ſui ſtatus viuere ex eleemoſynis oſtiatim emendicatis.

32 ℞. Non teneri, ſed ſufficere, quòd viuant ex eleemoſynis ſibi vel vltrò oblatis, & datis, vel alio quolibet modo acquiſitis, v.g. per tertium intuitu ipſorum comparatis. ita *Azor. ſup. q. 9.* & cum eo *Lezana n. 3.* alijque & patet, quia ex vi mendicitatis Religioſi ſolùm obligantur ad non poſſidenda bona immobilia: idque etiam ſecluſa conceſſione Concilij Trid. ſuperiùs relata; per quam ſine dubio liberantur ab onere mendicandi; alioqui obligarentur ad quærenda ſuperflua, vt pote qui hòc ipsò quòd poſſident bona immobilia, in communi, ſunt ſufficienter prouiſi de neceſſarijs.

QVÆRES V. An poſito quod Religioſi mendicantes commodè poſſint viuere ex annuis redditibus, quos in communi poſſideant, nihilominùs ipſis liceat viuere ex eleemoſynis emendicatis ſine præiudicio paupertatis.

33 ℞. Poſſe, etiò per accidens contingere poſſit hoc effici illicitum: vt ſi id faciant ex nimia auiditate, aut ad lautiùs viuendum: patet reſponſio tum ex vſu Ordinum Mendicantium, qui, etſi degant in monaſterijs habentibus copioſos redditus, non propterea intermittunt quæſtuationem, ſiue ad conſeruandum ius quæſtuandi ipſis competens, ſiue ad exercendam virtutem humilitatis, ſiue etiam ad proximorum ædificationem: quo modo in Soc. Ieſu *p. 6. conſtit. c. 2. num. 10.* dicitur *Parati ſint ad mendicandum oſtiatim, quando vel obedientia, vel neceſſitas id exiget.*

34 Vnde extat declaratio ſacræ Congregat. Concilij relata à *Lezana tom. 1. c. 6. num. 44.* quæ ita habet: *Fratres Ordinum Mendicantium nequaquam poſſunt ab Epiſcopis prohiberi, quò minus per ſe ipſos in diœceſibus vbi habent conuentus, eleemoſynas quærant, ſed tantùm, ſi extrà loca, vbi monaſteria exiſtant, quæritare voluerint, tenentur ſuorum Superiorum licentiam oſtendere.* Quin Sixtus IV. in *Bulla Dum attenta*, quæ eſt mare magnum Carmelitarum, ſtatuit *quòd ſi per quoſcumque proceſſus, lites, & controuerſias quomodolibet inter ipſos Fratres prænominatos, & Eccleſiarum Rectores, & Ordinarios emergentes, Ordinarij ipſi, ſeu quicunque alij inhibitionem eleemoſynarum per Chriſti Fideles Fratribus ipſis faciendam quocumque modo fuerint prolapſi omnes, & ſinguli tales inhibentes ipsò factò excommunicationis incurrant ſententiam, & contra tales ipſi Carmelitarum, Prædicatorum, minorum, & Eremitarum S. Auguſtini Protectores, & Auditor Cameræ Apoſtolicæ, qui ſunt, & pro tempore erunt, & Inquiſitores hæreticæ prauitatis ad prædictorum Fratrum requiſitionem poſſint, & debeant quilibet eorundem per ſe ſicut contra hæreticos procedere:* quæ conceſſio cum ſit fauorabilis, vtique per viam communicationis communis eſt etiam alijs ordinibus mendicantibus, aliàs communicantibus cum priuilegijs Carmelitarum.

Verùm, cùm ex Ordinibus Mendicantibus alij in præſentia de facto bonorum mobilium ſint capaces, & ea retineant, & alij ſint incapaces, & quò ad incapaces, plures difficultates excitentur, eæ hic ſoluendæ.

De paupertate Ordinum Mendicantium incapacium.

QVÆRES VI. An, & quo modo Ordines Mendicantes, ſi aliàs ſint incapaces bonorum immobilium, etiam in communi, poſſint ſuccedere in hæreditate, ſiue paterna, ſiue extranea, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato.

35 ℞. Poſſe, non quidem, vt eam retineant, ſed vendant, pretiumque illius conuertant in bonum monaſterij: exceptis tamen Fratribus minoribus de Obſeruet. & Capuccinis, qui in *Clem. exiui de verb. ſignificat.* peculiariter excipiuntur, & declarantur incapaces cuiuſcunque hęreditariæ ſucceſſionis, eſt communis DD. apud *Sanch. l. 7. mor. c. 25. nu. 1.* & probatur tum ex *l. fin. §. hoc etiam C. de Epiſc. & Cler.* vbi deciditur quoslibet tales Religioſos eſſe capaces ſucceſſionis, adeòque ſuccedere ex teſtamento, & ab inteſtato parentibus, nec poſſe exhæredari ab eis ratione ingratitudinis commiſſæ in ſæculo: conſtat autem quod, ſi ſunt capaces talis ſucceſſionis, ſunt etiam capaces cuiuſcunque alterius ſucceſſionis hæreditariæ, ſi à quocumque hæredes inſtituantur: & ratio eſt, quòd, ſi talis ſucceſſio repugnaret voto paupertatis, ei repugnaret & ſucceſſio paterna, ſicque eſſent illius incapaces: tum quia, ſi quid obſtat, maximè eſt, quòd ſup. dicti Ordines mendicantes ſunt incapaces poſſidendi; cùm tamen, poſito quòd ſint capaces hæreditariæ ſucceſſionis modo ſup. dicto, conſequenter ſatendum videatur eos item eſſe capaces poſſidendi, ſaltem pro eo tempore, quo bona titulo hæreditatis comparata non venduntur, expectata opportunitate ea vendendi iuxtà dicenda infrà *q. 13.* at hoc non obſtat, cùm talis retentio poſſeſſionis non ſit conſiderabilis, vt potè quæ nõ eſt per ſe, ſed per accidens, in quantum ſcilicèt expectatur opportunitas dicta bona vendendi; ſicut in caſu non diſſimili innuit *Azor. tom. 1. l. 12. c. 23. q. 11.*

36 Quod autem dixi *Clem. exiui* Religioſos mendicantes quoſcumque exceptis minoribus eſſe capaces ſucceſſionis, etiam ab inteſtato &c. limitandũ eſt, niſi ex peculiari ipſorum inſtituto excludantur; ſic quippe de facto in Societate Ieſu excluduntur non ſolùm Profeſſi, ſed etiam Coadiutores formati, & in ijs excluduntur tam domus profeſſæ, quã collegia, & domus probationis, quæ proinde nomine ſuorum non poſſunt ſuccedere, vt infrà.

QVÆRES VII. An caſu, quo quis alteri teſtamento leget bona immobilia, & annuos redditus cum onere, vt ex ijs præſtet alimenta Religioſis mendicantibus alicuius monaſterij aliàs incapacibus bonorum ſtabilium, ij licitè poſſint talia alimenta recipere.

37 ℞. *Azor. q. 14.* non poſſe, idque manifeſtè pugnare cũ religioſa mendicitate, adeòq; peccare eos, qui talia legata admittunt cum tali onere, probat ex eo quòd habere alium ſibi obligatum ad præſtanda alimenta annua perinde eſt ac habere alimẽta ſibi obligata, & conſequenter ius ea exigendi, & conuertendi in proprios vſus: hoc autem ius habet

bet

bet rationem boni immobilis, cuius non ſunt capaces Religioſi Ordinum mendicantium.

38 Nec obſtat, quòd ſic Religioſi Mendicantes, aliàs bonorum ſtabilium incapaces non poſſent recipere annuas eleemoſynas, quas interdum gabellarum exactores, aut alij miniſtri ipſis nomine ſuorum Principum quotannis exhibent; ſiquidem, vt rectè notat *Sanch. cap. 26. num. 53. ex S. Anton. Roſela, & Sylu.* talis elargitio ex parte Principis eſt omninò liberalis, poteſtque ab ipſo ad nutum reuocari, ſicq; non tollitur mendicitas (ratione cuius prohibentur mendicantes poſſidere bona ſtabilia, etiam in communi:) tollitur autem mendicitas, ſi detur alterum teneri ex iuſtitia dare præfatas annuas eleemoſynas: quod eſt valdè notandum.

QVÆRES VIII. An, & quo modo Religioſi mendicantes, ſi aliàs ſint incapaces bonorum ſtabilium, poſſint habere hortos, ex quibus colligant neceſſaria ad proprium victum, immò & vineam ad vſum, ſiue infirmorum, ſiue conualeſcentium ex morbo, ſiue vt Religioſi ad certum tempus in eam ſe transferant recreationis cauſa.

39 ℞. Poſſe, dummodò nihil fructuum inde perceptorũ vendãt, aut locent. ita *Sanch. n. 19. & Corduba Azor. q. 12.* alijque & habetur expreſsè quo ad Fratres minores in *Clem. exiui §. licet verò de verb. ſignificat.* nec indiget alia probatione.; ſi ſolùm addidero ex eodem *Sanch. & Corduba* ab ipſo citato, dictos Religioſos non poſſe ſibi parare vinum ex vinea, quam fortè habeant, neque ad proprium vſum.; imò nec nutrire agnos, oues, porcos, vaccas, & ſimilia ad effectum comedendi eorum carnes: niſi quando ratione neceſſitatis prudenter iudicaretur talia eſſe moderatè nutrienda pro aliquali neceſſitatum leuamine, ne adeo ſęcularibus ſint moleſti; & ratio eſt, quod ſupradicta accedunt ad rationem annui redditus, & ſapiunt vſum, ac poſſeſſionem illorum; ſicut aduertit *Sanch.* addens poſſe dictos Religioſos nutrire gallinas pro infirmis.

Maius dubium eſt, an talibus Religioſis licitum ſit conficere vinum ex vuis collectis è vinea ipſis modo dicto conceſſa, ſaltem ad vſum illius, qui cuſtodit vineam, aut etiam ipſorummet Religioſorũ pro eo tempore, quo ibi commorautur ad fines ſuperius recenſitos.

40 ℞. Videri eſſe licitum quo ad vſum cuſtodis deputati ad ſeruitium vineæ, non item quo ad vſum Religioſorum ibi quoquo modo commorantium. ducor quòd in *Conſtit. Soc. Ieſu p. 6. cap. 2. l. F. in declarat.* id ſatis apertè deciditur; cum enim ibi conſtitutio concedat domibus profeſſis Societ. etiam locum aliquem ſeparatum à communi habitatione, qui aere ſalubriori, & alijs commodis polleat, ita tamen, vt alijs non locetur, *nec fructus, qui redditüum loco eſſe poſſint, habeat*; in declarat. dicitur *huiuſmodi eſſent, ſi vini, vel olei, vel tritici prouentum dictæ poſſeſſiones ferrent: vel ſi fructus, & olera ex hortis venderentur; quamuis fructibus, aut parte ipſorum ad commodum domus ſuæ uti poſſint: ſi tamen Soc. colonum aliquem, vel ſæcularem hominem haberet, qui hortis, vel agris, quos dictæ domus habent, præeſſet, non eſſet etiam ei prohibendum, ne ad priuatam ſuam vtilitatem quod videretur conuenire, ex dictis faceret: dum modò tunc nec ad domos, nec ad particulares perſonas Societ. vtilitas interim vlla perueniret.* ex quibus ſic arguo; Domus profeſſæ Soc. Ieſu, eſto ex propria regula ſint incapaces bonorũ ſtabiliũ (vt infrà videbimus) poſſunt nihilominus ex vinea ipſis permiſſa ad vſus ſupra enumeratos, conficere vinum, & alia ſimilia deſeruiant ad vſum cuſtodis ipſius vineæ, non autem ad vſum Religioſorum vllo modo; ergò & idem licitum erit, aut illicitum etiam alijs Religioſis incapacibus bonorum immobilium; cùm ſit eadem ratio in vtriſque, eò vel maximè quòd fundamentum iſtius aſſertionis nititur non Conſtitutionibus Societatis (quo pacto dici poſſet eam permiſſionem in ipſa Soc. prouenire ex eius Conſtitutionibus, ideòque non eſſe philoſophandum pariter de religioſis aliorum Ordinum habentium diuerſas Conſtitutiones) ſed declaratione Conſtitutionum Societatis: vnde ego infero quòd, cùm declarans nihil de nouo faciat, ſed iam factum aperiat teſte *Sanch. ſup. cap. 11. num. 16.* ea permiſſio dicenda eſt haberi ex ipſis Conſtitutionibus, quæ tamen denegant poteſtatem habendi bona immobilia, & conſequenter, ſi eæ concedunt talem permiſſionem ſe ipſis, & eam concedent regulę, ſeu Conſtitutiones aliorum Ordinum, qui item ſint incapaces bonorum immobilium, niſi fortè id ipſis in ſpecie prohibeatur, cùm ſic militet par ratio in vtriuſque vt patet. Ratio autem, cur illa permiſſio fiat quò ad cuſtodem vineæ, non item quò ad Religioſos, eſt, quòd in priori caſu non videtur tolli mendicitas, in poſteriori verò tolleretur, vt conſtat ex dictis q. 7.

QVÆRES IX. An Religioſi mendicantes incapaces bonorum immobilium, ſint capaces, vt ipſis relinquantur legata annuorum redditũum perpetuorum.

41 ℞. Non eſſe, ſiue ad ea recipienda per modum annui redditus (quod eſt certiſſimum, cùm hoc tollat incertam mendicitatem, & inter bona immobilia computetur, adeòque omninò repugnet paupertati dictorum Religioſorum) ſiue ad ea ſtatim vendenda, eorumque pretium conuertendum in bonum monaſterij (quo modo infra q. 13. dicemus à præfatis Religioſis poſſe admitti legata bonorum immobilium) idque ob rationem, quam adducemus inferius *q. 23. ſub finem*. quamquam, ſi conſentiat hęres, aut alius, ad quem pertineat ſoluere illam penſionem annuam, non repugnet, teſte *Suar. tom. 3. de relig. l. 8. c. 17. num. 21.* quod tales Religioſi ius illud recipiendi dictam penſionem transferant in aliquem alium per venditionem, ſicque admittat legatum, non quidem per modum annui redditus, ſed totum ſimul, nimirùm recepto pretio illius: cum quo tamen ſtat; quòd illi nullum ius ciuile acquirant, quo poſſint cogere hæredem, aut alium ad conſentiendum in eam translationem, vel ad ſe obligandum ei, in quem modo dicto illud legatum transfertur, & ratio eſt, quòd cum hęres nón teneatur obligatione ciuili ad ſoluendum tale legatum, nec poteſt in conſcientia adſtringi ad ſe obligãdum alteri ciuiliter, cum talis obligatio ipſi non fuerit impoſita à teſtatore, neque ab vllo alio: vnde fit, quod ſi ille conſentiat in dictam translationem, aut

eligat

eligat dare Religioſis legatarijs æſtimationem legati, erit potiùs opus miſericordiæ, quàm iuſtitiæ. Quòd ſi hæres modo dicto conſentiat in eam translationem obligans ſe illi tertio, certum eſt tunc Religioſos eſſe capaces talis legati; cùm hoc nihil aliud ſit quàm recipere quemdam eleemoſynam.

QVÆRES X. An Ordines Mendicantes, ſi aliàs ſint bonorum immobilium incapaces, poſſint recipere legata ipſis relicta ad certum aliquod tempus.

42 ℟. Poſſe, ſi ſint relicta ad tempus modicum (cuiuſmodi, teſte *Sanchez ſup. cap. 26. num. 39.* aliis citatis eſt illud temporis ſpatium, quod eſt infra decennium) ſecùs, ſi ad longum tempus, quàle eſt decennium, & vltrà. Ratio eſt, quòd in priori caſu legatum moraliter reputatur quaſi legatum vnius eleemoſynæ ſoluendæ eo rempore ſucceſſiuè, ſicque per illud non tollitur mendicitas, ſed ſubleuatur: quo modo nec tolleretur, ſi tota ea ſumma fuiſſet ſimul relicta. in poſteriori autem caſu ſicut locatio rei immobilis eccleſiaſticæ, aut eius fructuum venditio ad longum tempus æquipollet alienationi ipſius *Clem. 1. de reb. eccl. non alien. cap. 1.* ſic à ſimili receptio reddituum ad longum rempus æquipollet poſſeſſioni rei immobilis, quæ repugnat paupertati dictorum mendicantium. ita *Sà v. religio numer. 57. Cordub. in regul. cap. 6. qu. 11. p. 3. Sorb. in comp. v. legata in annotat. Sylu. v. legatum 2. qu. 3.* alijque plures, quos refert, & ſequitur *Sanch. nu. 36.* addens *num. 40. ex Abb. Federic. & Anton.* legatum annuum perpetuum relictũ ad vitam alicuius Fratris minoris non dici perpetuum, itaut Ordo minorum ſit illius incapax; quippequod non poteſt dici, neque perpetuum ſimpliciter, cum perpetuitas ſimpliciter attendenda ſit reſpectu religionis, cui immediatè tale legatum relinquitur; neque ad longum tempus, cùm nihil certius morte, nec incertius hora eius ſit, ideoq; eiuſmodi legatum extingui quotidie poſſit, vt notat *Sanch.* monens tale legatum non poſſe dici perpetuum, niſi ſit ad 100. annos. De tali tamen doctrina inquit *Io. de Lugo D. 3. de iuſt. n. 102.* dubitari poſſe; eò quòd redditus annui relicti pro vita præſertim hominis robuſti, ac iuuenis emi ſolent pretio reſpondente 10. & pluribus annis, ſicque moraliter æſtimari debent per plures annos, & conſequenter eſſe ad longum tempus: quod eſt contrà ſuppoſitionem *Sanch.*

QVÆRES XI. An Religioſi Ordinum mendicantium incapaces bonorum immobilium poſſint admittere anniuerſaria perpetua ipſis relicta; vt ſi quis hæres iubeatur à teſtatore dare quotannis Fratribus minoribus certam pecuniæ ſummam ad effectum vt ipſi celebrent pro illo miſſas, & officia.

43 ℟. Poſſe; & probatur tum quia hoc nil aliud eſt, quàm iubere celebrari ea ſacrificia, & officia, & ſtipendium debitum perſolui, ſicque non reputatur legatum Religioſis relictum, ſed ſtipendium ſacrificiorum, & officiorum: tum quia iſtud legatum iuxtà *leg. ſi in ſingulos ff. de annuis leg.* nihil aliud eſt quàm multa legata multiplicata, adeòq; ſicut poteſt teſtator relinquere particulare aliquod legatũ præfatis Religioſis pro vno anno, ita & poterit diſponere, vt ſoluatur in vno, & altero anno, & ſic deinceps annuatim: tum quia de facto conſtat Fratres minores de Obſeru. admittere ſimilia legata perpetua; quod non facerent ſine dubio, ſi ipſis id non permitteretur, tum denique quia eiuſmodi legatum re vera non eſt legatum annuorum reddituum, & perpetuum, (loquendo per ſe, & directè,) ſed eſt ſolutio ſtipendij debiti pro ſacrificijs, & officijs, quæ cùm quotannis dicti Religioſi celebraturi ſint in perpetuum iuxtà diſpoſitionem teſtatoris: mirum non eſt, quod etiam tale ſtipendiũ ijs ſolui debeat quotannis item in perpetuum; vnde, ſi hinc tollitur mendicitas (quod obiiciunt Aduerſarij) non tollitur per modum annui redditus perpetui, ſed per modum ſtipendij modo ſupradicto: quod non repugnat paupertati mẽdicantium, ſicut nõ repugnat eam tolli per receptionem quotidianam ſtipendiorum, quæ ipſis ſoluuntur dietim pro ſacrificijs, & officijs diuinis, quæ celebrant; quò facit quod habet *Tabiena v. legatum 1. q. 4. n. 5.* dicẽs ſimilia legata non eſſe contra inſtitutum Minorum, niſi quando poſſidentur tanquam redditus, & proprietas, exigendo etiam in iudicio: ſecùs, quando per modum eleemoſynæ petitur extrà iudicium. ita *Rodriq. tom. 2. q. 126. a. 4. Cuccus l. 3. inſtit. Maior. tit. 1. n. 36. Ribaden. de inſtit. Soc. cap. 23. Ang. v. legatum 1. num. 5. Sylu. v. eod. 2. q. 3. Tab. loco cit.* & alij contra *Sanch. ſup. num. 44. Anchar. Nau. Azor. Sorb. & alios* relatos ad eodem *Sanch.* à nobis diſſentientes.

Grauior difficultas eſſe poſſet, an dicti Religioſi mendicantes poſſent admittere legatum perpetuũ, quò ipſi tenerentur celebrare quotidie 3. miſſas pro anima alicuius teſtatoris, & hæres ipſius teneretur ex teſtamento illis ſoluere in ſtipendium aureum vnum pro qualibet miſſa: & ratio dubitandi eſt, tum quia videtur obſtare *Clem. exiui §. cupientes de verb. ſignificat.* quæ ita habet: *Nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſit hoc in fraudem fieri, quaſi ſub modo, & forma legati ſibi dimitti facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potiùs iſta ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus*; tum quia ſic omninò tolli videtur mendicitas, cum admiſſis talibus legatis poſſint dicti Religioſi abundè habere, vnde ſatisfaciant propriæ indigentiæ in omnibus, & ſingulis, ſi plura talium legatorum ipſis de facto relinquantur.

44 ℟. Stante doctrina à nobis allata §. præcedenti poſſe Religioſos mendicantes, etiam ordinis minorum, admittere eiuſmodi legata; idque ob rationes ibi allatas, quæ item faciunt ad probationem præſentis reſponſionis, & ad diſſoluenda fundamenta in contrarium allata; ſi monuero Clementinam adductam hic non obſtare; quippequę loquitur ſolũ de Fratribus minoribus, ideòque extendi non debet ad alios Religioſos bonorum immobilium incapaces, ſolumque excludit legata immoderata gratuita, non autem oneroſa; qualia ſunt quæ debentur ex anniuerſarijs perpetuis miſſarum, & officiorum, de quibus hìc loquimur; præter quam quod non apparet, cur teſtator, ſicut viuens potuit dare ſingulos aureos pro ſingulis miſſis à ſe iuſſis celebrari per præfatos Religioſos, ita hoc idem

præ-

præſtare non poſſit motiens quo ad miſſas pro animа eius ab iiſdem Religioſis celebrandas in perpetuum:cum nulla aſſignari poſſit diuerſitas,quæ non facilè diſſolui poſſit ex dictis. ſic docti viri à me per literas conſulti.

QVÆRES XII. An Ordines mendicantes, qui non poſſunt poſſidere bona immobilia, ſaltem admittere poſſint legata tam in communi,quam in particulari.

45 ℞. Poſſe, & quidem etiam Fratres minores. patet tum ex *c. exijt §. ad hac de verb. ſignific. in* 6. vbi id expreſsè definitur: tum quia legatum eſt quædam donatio relicta à defuncto, & præſtanda ab hærede *§. legatum inſtit. de legat.* cum ergo prædicti Ordines Mendicantes ſint capaces donationis, erunt & legati:tum quia hoc idem colligitur ex *extrauag. 1. verb. porro de priuil.* vbi dicitur, *de quibuſcumque verò relictis præfatis Fratribus* (loquitur de minoribus) in *communi, vel ſingulis vltimis decedentium voluntatibus*: tum quia quod dicitur *§. legati inſtit. de legat. eum qui nequit hæres inſtitui, eſſe incapacem legati*, habet verum ſolum in iis, qui ob iuris communis prohibitionem nequeunt inſtitui hæredes, non item in iis, qui ob ſolum votum paupertatis ſe conſtituerunt incapaces hæreditariæ ſucceſſionis;vt in caſu noſtro;tum denique quia talis eſt vſus in eccleſia,vt dictis Religioſis legata pia relinquantur etiam abſque vllo onere miſſarum, aut officiorum. ita *Sanch. ſup. cap. 26. num. 9.* docens *num. 10.* pluribus aliis citatis quod,ſicut Fratrum minorum communitas eſt capax, vt ipſi legetur, ſic & quilibet Frater minor eſt ſimiliter capax, & quidem in iis ſolis caſibus, quibus ea eſt capax; ſecùs in iis, quibus illa eſt incapax.

QVÆRES XIII. An, & quando legatum rei immobilis relictum Religioſis non capacibus bonorum immobilium, poſſit ab iis licitè admitti tanquam validum, aut certè reiici tanquam caducum, & nullum.

46 ℞. Diſtinguendo;vel enim in legato exprimitur modus licitus, & permiſſus Religioſis legatariis, (v. g. vt rem legatam vendant, & conuertant pretium in vſum monaſterii) ſicque legatum eſt validum, & poteſt admitti, vt expreſsè ſtatuitur *c. exijt §. ad hac de verb. ſignific. in* 6. & docent vniuerſi apud Sanch. *n.* 16. vel in legato exprimitur modus religioſis legatariis illicitus (v. g. vt vineam legatam excolant ad vendendos fructus,)& ſic legatum non poteſt recipi, vtpote caducum iuxta probabiliorē ſententiam, quam ſequitur cum pluribus aliis *Sanch. num.* 18. contra *S. Anton. & Menoch.* relatos ab ipſo *Sanch.* patetque expreſsè ex *cit. cap. exijt*; vel deniq; in legato nullus exprimitur modus,ſed abſolutè legatur res immobilis, nullo illius vſu explicato; & tunc legatum eſt validum; poteſtque recipi à Religioſis legatariis quo ad rei legatæ æſtimationem, quæ proinde debet vendi;& hoc ob rationes allatas à *Sanch. nu.* 28. quarum ea videtur potiſſima, quod verba ſimpliciter prolata in dubio intelligi debent iuxta conditionem perſonæ, ad quam diriguntur, ac proinde, cum verba legati in præſenti caſu dirigantur ad religioſos mendicantes incapaces bonorum immobilium, niſi vt recipiant pretium earum iam diuenditarum, in hoc ſenſu intelligenda ſunt ea verba, & non aliter.

47 Verum tamen eſt, quod, quamuis dicta bona diuendi debeant, vt religioſi legatarii inde recipiant earum æſtimationem; non ideo opus eſt, vt ſtatim id fiat, ſed poteſt expectari opportunitas temporis, ne aliàs viliſſimo pretio ea vendantur cum præiudicio dictorum religioſorum:&,ſi nullus emptor compareat, ea debent præfati religioſi vel ab ſe abiicere, vel dare in eleemoſynam, cum illa verè non poſſint retinere. ita *Sanch. ſup. num.* 32. ex *Azor. & Abb.* addens fructus talium bonorum, dum non venduntur, non eſſe religioſorū, quibus ea legata ſunt, ſed hæredum teſtatoris: ſi quidem proprium eſt dominii, vt ipſum ſequantur fructus *l. & ex diuerſo 36. §. 1. ff. de rei vendicat.* ideoque ſicut dominium talium bonorum manet apud præfatos hæredes, ita & eorū erunt fructus ex iis prouenientes. Vnde fit, quod ſi dicti hæredes ſint in mora vendendi talia bona, idque ad effectum percipiendi ſibi fructus illorum pro eo tempore; non ideo tenentur aliquid reſtituere ratione talis moræ; cum inde nulla lucri ceſſantis, aut damni emergentis iactura ſupradictis Religioſis ſequatur: quippe quibus debebatur non res legata, ſed pretium illius, & aliàs erat illicitum exponere negotiationi tale pretium.

Ex qua doctrina patet reſponſio ad ſequentem caſum, qui olim fuit mihi propoſitus: quidam depoſuit ſuper quodam mōte pietatis ſummam 500. aureorum cum hoc,quod miniſtri montis tenerentur quotannis tradere monaſterio Fratrum minorum de Obſeruantia fructus annuos dictæ ſummæ; interim moritur depoſitor, adit Syndicus illorum Fratrum montem pietatis, & inde extrahit illam ſummam ſub prætextu quod præfati Fratres eſſent incapaces illius annui redditus: extractam pecuniam exponit negotiationi per aliquot annos,& ex ea refert non modicum lucrum; demum illam expendit in beneficium Fratrum: quæſitum fuit, an ille Syndicus teneretur ad aliquā reſtitutionē,& cui.

48 ℞. Enim quod cum iuxta *S. Anton. & Menoch.* relatos à *Sanch. nu.* 18. non ſit improbabile eiuſmodi legatum eſſe validum, & conſequenter deberi Fratribus quo ad æſtimationem; & iuxtà dicta in fine *§. præcedentis* Fratres nullum damnum reuera paſſi ſint ex negotiatione talis pecuniæ, quippe qui non poterant eam negotiari: probabile eſt Syndicum non teneri ad vllam reſtitutionem, cum lucrum inde acquiſitum fuerit fructus ſuæ induſtriæ, & alioqui reſtitutionis obligatio non oriatur, niſi vbi facta eſt iniuſta inæqualitas in re aliena: qualis certè non eſt facta in caſu noſtro, vt iam dixi. Verum quidem eſt, quod ſi cum *Sanch.* aliiſque pluribus ab eo citatis dicamus illud legatum eſſe caducum & conſequenter illud non deberi Fratribus, neque quo ad æſtimationem, ſed hæredibus teſtatoris ſuccedentibus ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamento: tunc ratione lucri ceſſantis reſtituendi eſſent fructus, qui ex monte percepti fuiſſent pro toto eo tempore,quo Syndicus pecuniam negotiatus eſt,& quidem dictis hæredibus, vtpote ad quos ſpectat dominium talis pecuniæ.

Quod

Quod ſi quæras, an Religioſi legatarij debeant interuenire in venditione bonorum immobilium, quæ ipſis legantur.

49 ℞. Debere, ſi ita ſint incapaces bonorum immobiliũ, vt tamen acquirant eorũ dominium, quãuis cum onere ea vendendi (quod habet locum in domibus profeſſis Soc. Ieſu teſte *Sanch. ſup. c. 27. nu. 20.*) ſecus ſi ſint incapaces, etiam quo ad acquiſitionẽ dominij (vt Fratres minores de Obſeru. & Capuccini) tunc quippe venditio fieri debet per hæredes teſtatoris, cum penes eos ſit dominium rei vendendæ, vel per executores teſtamentarios; aut etiam per Epiſcopum, ac Iudicem ſæcularem, ſi præcedat mora hæredum, aut executorum, qui bis moniti non vendant; idque ex *Auth. de Eccleſ. titul. §. ſi quis autem.* ita *Sanch. cap. 26. nu. 29.* monens quod, quamuis aliàs ad bona vendenda exigatur ſpecialis permiſſio teſtatoris *l. alio ff. de alim. & cibar. leg.* id tamen fallit in præſenti caſu quo ad executores, eo quod ſimilibus legatis ea ſemper inſit tacita conditio, vt vendantur.

50 Adde in iſta venditione non requiri ſolemnitatem iure petitam ad alienationem rei eccleſiaſticæ, cum talis ſolemnitas non requiratur in alienatione, quæ neceſſariò facienda eſt; vt tradunt plures DD. apud Sanch. *nu.* 30. & hæc ipſa venditio neceſſariò fieri debeat, vt patet ex dictis.

QVÆRES XIV. An Religioſi mendicantes bonorũ ſtabiliũ incapaces poſſint admittere legatum, quo Teſtator grauet ſuum hæredem, vt certam quantitatem pecuniæ ipſis ſoluat, ſiue quotannis, ſiue quotidie, ſiue tertio quoque menſe, ſiue per alias temporum diuiſiones, idque in perpetuum.

51 ℞. Non poſſe; patetque tum ex dictis q. 7. tum ex *Clem. exiui §. cumque annui redditus de verb. ſignif.* vbi dicitur *Cumque annui redditus inter immobilia cenſeantur à iure, ac huiuſmodi redditus obtinere paupertati, & mendicitati repugnet: nulla dubitatio eſt, quod à prædictis Fratribus redditus quoſcumque ſicut & poßeſſiones, vel earum etiam vſum, cum eis non reperiatur conceſſus, recipere, vel habere, conditione conſiderata ipſorum, non licet;* vbi noto, quod, licet textus loquatur in ſpecie ſolum de Fratribus minoribus, ratio tamen, quæ ibi affertur, eſt generalis, & militat vniuerſaliter in omnibus illis Ordinibus, qui ſunt incapaces bonorum immobilium; vnde & diſpoſitio ibi facta locum æquè habet etiam in illis, iuxta regulam iuris *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio.*

52 Hoc tamen non facit, quo minùs præfatis Religioſis relinqui poſſit cenſus de ſe perpetuus, dummodo non relinquantur per modum annuorum reddit000, ſed iuxta dicta q. præcedenti vendatur, eius pretio conuerſo in vtilitatem talium Religioſorum; quòd benè aduertit *Sanch. ſup. cap. 26. nu. 33.* inde id probans ex *Bartolo*, quod legatum annuum non interdicitur Fratribus minoribus ratione rei legatæ, ſed ratione modi à teſtatore adiecti, nimirum quod annuatim detur: qui modus repugnat dictis Fratribus, alijſque Religioſis Mendicantibus, qui ſint incapaces bonorum immobilium.

Dices ſi doctrina tradita in præſenti reſponſione eſt vera, quomodo ergò in aliquibus locis eiuſmodi Religioſi recipiunt ſingulis hebdomadis tot libras carnis, aut piſcis, aut olei, aliaque ſimilia à Communitatibus locorum, in quibus degunt, aut etiã à ſingularibus perſonis ad id per teſtatores grauatis? certè ſi id ipſis non eſſet licitum, talia nõ acceptarent, præſertim ita patenter, cum aliàs ſint obſeruantiſſimi proprij inſtituti.

53 ℞. Præfatos religioſos poſſe tuta conſcientia ſupradicta recipere, ſiue quia Communitates illæ liberè dant eas eleemoſynas, ſicque poſſunt eas reuocare ad libitum (quo modo diximus q. 7. ſaluari rationem mendicitatis;) tum quia, loquendo de particularibus perſonis illas eleemoſynas præbentibus ex obligatione teſtamenti, eæ ſupradicta ſoluunt religioſis non ex obligatione, aut iure, quod ipſimet religioſi acquiſierint ſiue in re, ſiue ad rem (nullum enim tale ius acquirunt,) ſed ex obligatione, quã hæredes habẽt in ordine ad teſtatorem; nã non repugnat quẽpiam nullum omninò ius habere ad aliquam rem, & conſequenter alterum non eſſe ei obligatum; & tamen hunc eſſe obligatum reſpectu alterius; vt patet in voto, quo quis ſe adſtringeret dandi in perpetuum quotannis Fratribus Capuccinis certam eleemoſynam: ſi quidem ipſe teneretur dare talem eleemoſynam non obſtante quod illi ſint incapaces habendi annuos fructus; cum talis obligatio non ſit reſpectu illorum, ſed reſpectu ſolius Dei; ideòque non repugnet mendicitati prædictorum Fratrum; vt bene infert *Sanch. ſup. nu. 48.* citans pro hac ſententia *Angelum Sylu. Tab. Rodriq. & Laram*, quamuis ipſe n. ſeq. oppoſitam ſuſtineat tanquam probabiliorem.

QVÆRES XV. An caſu, quo hæres teneatur dare quotannis certam penſionem monaſterio Religioſorum mendicantium, qui alioqui ſint incapaces bonorum immobilium, & conſequenter annuorum redditũ, tales Religioſi eos recipere poſſint, & hæres in conſcientia teneatur eam ſoluere.

54 ℞. Et hæredem teneri ſoluere eiuſmodi penſionem, & ſupradictos religioſos poſſe illam accipere niſi in ſpecie id ipſis interdictum ſit, vti de facto interdictum eſſe Fratribus minoribus, dicit *Sanch. ſup. cap. 27. num. 9.* patet autem reſponſio tum ex dictis *§. præcedenti*: tum quia domus profeſſæ Societatis ſunt incapaces bonorum immobilium, vt non ſemel diximus; & tamen infra oſtendemus illas poſſe recipere eiuſmodi penſiones, & hæredes teneri eas ſoluere; quod eſt ſignum cum incapacitate bonorũ immobilium ſtare poſſe, quod religioſi habentes talem incapacitatem recipere poſſint annuos aliquos redditus; & quod hæres teneatur illos ſoluere: cum talis modus annuorum redditum re vera non aduerſetur mendicitati, ratione cuius inducta eſt in religioſis mendicantibus incapacitas bonorũ immobilium; cui, ſimpliciter loquendo, ſolum repugnat acquiri aliquid ius ciuile ad recuperandos annuos redditus, non autem quod quoquo modo recipiantur annui redditus.

QVÆRES XVI. An religioſi mendicantes bonorum immobilium incapaces poſſint admittere aliquem vſumfructum.

℞. Poſſe

55 ℟. Poſſe, ſi ſit ad modicum tempus eo modo, quo diximus q. 10. ſic enim vſusfructus computatur inter bona mobilia; ſecùs ſi ad longum tempus; cum vſusfructus ſic ſumptus computetur inter immobilia, quorum incapaces ſunt religioſi mendicantes ſecluſa conceſſione Concilij Trid. de qua ſupra. Colligitur ex *Sanch. cap. 26. num. 36.* patetque ex eo, quod, cum ille hoc totum concedat de Fratribus minoribus ſtrictiorem paupertatem profitẽtibus, vtiq; & id concedet de alijs religioſis mendicantibus, qui quidem ſunt incapaces bonorum immobilium, etiam in communi, non tamen à ſe abdicant quodcumque dominium, aut vſum iuris vti abdicant minores ſibi tantũ reſeruantes vſumfacti.

QVÆRES XVII. An religioſi mendicantes hoc ipsò quod ſunt incapaces bonorum immobilium, ſint eò ipsò & incapaces dominij.

56 ℟. Non eſſe; & probatur quia domus profeſſæ Soc. Ieſu ſunt verè Ordinis mendicantis, & ſolum limitatè capaces ſtabilium etiam in communi; & tamen habent in communi dominium non ſolum bonorum mobilium, ſed etiam ſtabilium ſibi relictorum, quæ ad habitationem, aut recreationem ſunt neceſſaria, aut valdè conuenientia, & ius ciuile ad ea repetenda; nec non dominium cuiuſcumq; alterius rei ſtabilis ſibi relictæ, iuſque ciuile ad eam repetendam, non quidem vt eam retineant, ſed vt vendant, ſicut infra oſtendemus cum de paupertate Societatis; ergò incapacitas bonorum immobilium, etiam in communi, & capacitas dominij non ſunt ſimul incompoſſibiles in eadem religione: ergo religioſi mendicantes poterunt eſſe capaces dominij, eſtò ſint incapaces bonorum immobilium, etiam in communi. & ratio eſt, quod incapacitas dominij, & incapacitas bonorum immobilium, etiã in communi ſunt res omninò diuerſæ; ideoque ex vna illarum non benè infertur alia, cum à diuerſis non fiat illatio.

QVÆRES XVIII. An religioſi Ordinum mendicantium habentium incapacitatem bonorũ immobilium ſint in particulari capaces tum obtinendi legata relicta, tum ſuccedendi in hæreditate, ſiue paterna, ſiue extranea.

57 ℟. Eſſe in ijs omnibus caſibus, in quibus capax eſt Religio, quam profeſſi ſunt, & quidem eo modo, quo eſt capax ipſamet Religio. ita *Sanch. nu. 10.* patetque ex dictis *ſup. q. 12.* ſi non verò limitationem appoſitam à *Sanch. num. 11.* (nimirum, modo legatum non ſit tantæ quantitatis, vt præſumatur fieri in fraudem, ideſt relinqui hæreditatem ſub nomine legati) non habere locum, niſi in Fratribus minoribus de Obſeruantia, Capuccinis, Profeſſis, imò & Coadiutoribus formatis Societatis Ieſu, vt pote incapacibus hæreditariæ ſucceſſionis iuxtà inferius dicenda. Vnde fit, vt cum alij Ordines mendicantes, non obſtante incapacitate bonorum immobilium in communi omninò capaces ſint ſuccedendi in hæreditate ad effectum eam vendendi, vti diximus q. 6. ſint & capaces cuiuſcumque legati quantumuis immoderati, dummodo, ſi illud ſit rei immobilis, illam non retineant, ſed vendant, eius pretium ac æſtimationem conuertendo in bonum proprij monaſterij.

QVÆRES XIX. An Religioſi Ordinum mendicantium non admittentium, neque in communi bona immobilia, poſſint alere iumentum ad vſum monaſterij, v.g. ad æquitandum, aut aliam ſimilem neceſſitatem.

58 ℟. Poſſe: cum detentio talis iumenti non habeat rationem boni immobilis, & conſequenter non tollat mendicitatem, quam profitentur Religioſi mendicantes. ita *Sanch. cap. 27. num. 34.* patetque tum ex ratione modo allata, tum ex vſu ſimilium Religionum, quarum aliquæ ad occurrentes monaſterij neceſſitates ſolent alere tale iumentum ſaltem ad tempus, ſicut aduertit etiam *Suar. to. 3. de relig. l. 8. cap. 17. num. 8.*

QVÆRES XX. An Religioſi Ordinum Mendicantium non habentium capacitatem bonorum immobilium, neque in communi, poſſint in iudicio exigere hæreditates, & legata ipſis relicta, & quo modo.

59 ℟. Poſſe, ſimpliciter loquendo, niſi peculiari iure id ipſis interdicatur: quo modo de facto interdictum eſt Fratribus minoribus, vt oſtendemus infra agentes de ſpeciali ipſorum paupertate, & ratio eſt, quod iuxta dicta q. 17. incapacitas bonorum immobilium in communi vt ſic non excludit capacitatem dominij, & iuris ciuilis ad ea repetenda; conſtat autem, quod quicumque habet ius ciuile ad aliquid repetendum, poteſt illud repetere in iudicio; cum talis repetitio ſit veluti effectus procedens ex illo iure tanquam ex cauſa; quibus verò medijs poſſint Minores exigere legata ipſis relicta, etiam in iudicio, dicemus *infra q. 47.*

QVÆRES XXI. An Religioſi Mendicantes ex regula, aut conſtitutione non admittentes vllum bonum immobile poſſint ex conſuetudine ipſis liberè ſoluendi quotannis aliquam certam ſummam, per decennium præſcribere ius cogendi impoſterum ad ſoluendam talem ſummam nullo alio titulo allegato, aut probato iuxta *cap. veniens el 1. de teſtib.*

60 ℟. Videri non poſſe; & colligitur ex *Sanch.* tum *cap. 26. num. 54.* id negante cum *Rodriq. tom. 2. q. 126. a. 2.* de Fratribus minoribus: tum *c. 27. n. 19.* vbi loquens in ſpecie de domibus profeſſis Soc. Ieſu ex *6. p. Conſtitut. eiuſdem Soc. c. 2. §. 6.* oſtendit illis denegari abſolutè, & omninò ius ciuile ad eleemoſynas perpetuas ſub ratione redditus annui, eò quod talis modus acquirendi repugnet mendicitati, quam dictæ domus profitentur; cum ergo non poſſit præfato modo præſcribi, niſi acquirendo ius ciuile, & is modus acquirendi repugnet mendicitati non ſolum domuum profeſſarum Societat. ſed etiam aliorum ordinum mendicantium, qui ſunt incapaces bonorum immobilium: ſequitur tale ius præſcribendi non debere, nec poſſe admitti in talibus Ordinibus. ita docti viri à me conſulti, & patet tum ex dictis, tum quia ius ciuile præſcriptum legitimè ad certam ſummam annuam habet rationẽ annui redditus, & quidem perpetui, quem conſtat ex dictis aduerſari paupertati Ordinum mendicantium.

QVÆRES XXII. An, & qualiter repugnet paupertati ordinum mendicantium incapaciũ poſ-

ſidendi

ſidendi annuos redditus perpetuos, habere tales redditus ad diuinum cultum deputatos, ver. gr. ad vſum Eccleſiæ, aut ſacriſtiæ.

61 ℞. Non repugnare; & probatur tum quia iuxta plurimorum DD. ſententiam quos citat, & ſequitur *Sanch. cap. 26. num. 42.* ipſimet Fratres minores, quamtumuis alias ſtrictiſſimam profiteantur paupertatem, ſunt capaces talium legatorum: ergò & erunt a fortiori alij Ordines Mendicantes, qui non adeò ſtrictam profitentur paupertatem: tum quia mendicitas Ordinum Mendicantium conſiſtit in eo, quod ij ſibi mendicent alimenta; conſtat autem quod, cum nomine alimentorum veniant ſolum neceſſaria corpori, vt eſus, potus, habitatio, & veſtes *l. legatis ff. de alim. & cibar. leg.* eiuſmodi legato non tollitur talis mendicitas; quippequod cedere debet non in ea, ſed præcisè in cultum Dei; quod eſt ita verum, vt *Bartbol. & alij remiſſiuè citati à Sanchez ſup.* ſuſtineant Eccleſiam Fratrum Minorum inſtitui poſſe hæredem.

QVÆRES XXIII. An, & quomodo Religioſi mendicantes incapaces bonorum immobilium poſſint habere aliqua iura, aut actiones in communi.

62 ℞. Poſſe, ſi dicta iura, ſeu actiones ſint ad recuperandum aliquid debitum, quod vnico actu ſolui poſſit, & ſtatim conſumi, aut in vtilitatem creditoris conuerti: non item ſi ſint ad recipiendum aliquid per modum annuæ penſionis, aut redditus. ratio eſt, quod in priori caſu illa cura, ſeu actiones non obſtant paupertati talium Religioſorum, vtpote quæ computantur inter bona mobilia, quorum ij ſunt capaces, & non induunt rationem redditus ipſis prohibiti; in poſteriori autem caſu præfata iura, ſeu actiones & habent rationem boni immobilis, & ſunt pars redditVum, ideoque obſtant paupertati talium Religioſorum, quæ includit bona immobilia, & quodcumque genus annui redditus. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 8. cap. 17. num. 17.* monens quod ſi debitum vnica ſolutione acquirendum ſit de re immobili, vt præfati Religioſi ad illud habeant ius, ſeu actionem; opus eſt rem illam accipi, non vt immobilem, ſed vt conuertendam in rem mobilem, cui æquiualet: quo modo actio illa non conſideratur niſi vt quid tranſiens, & computari poteſt inter bona mobilia, etſi verſetur circa bonum immobile; quippe quæ eſt immobilis ſolum materialiter, vt ſic dicam; cum ius, quod in præſenti caſu illi Religioſi acquirent in eam, magis attingatur ex termino, ſeu fine, ad quem tendit, nempe pretium, ac æſtimatio illius, quam ex ipſo medio, ſeu materia, circa quam verſatur; ſi quidem incapacitas dominij, quam habent præfati Religioſi, non reſpicit hoc tranſitorium dominium, ſed permanens, quod eſt de re immobili formaliter ſumpta, vt immobilis eſt.

63 Neque hinc ſequitur, quòd prædicti Religioſi poſſent etiam admittere legatum annuæ penſionis, non quidem ad illud retinendum, ſed vt ſtatim illud alienent, acquirendo illius æſtimationem: ſi quidem in tali caſu non alienarent propriè redditus, ſed ius ad illos: quod tamen non poteſt alienari, niſi prius obtineatur ita firmum, ac ſtabile, vt ſufficiat ad obligandum alium ciuiliter: quòd vtique non euenit in caſu noſtro, vt rectè aduertit *Suar. nu. 26.*

QVÆRES XXIV. An Religioſi mendicantes bonorum immobilium incapaces, & conſequenter annuorum redditVum, poſſint facere aliquam compoſitionem ſuper ijs.

64 ℞. Poſſe ex conceſſione bullata facta Fratribus minoribus á Clemente VII. & relata à *Rodriq. to. 2. q. 126. a. 6.* quæ per viam communicationis priuilegiorum eſt communis etiam Religioſis aliorum Ordinum, & ita habet. *Nos cupientes pias defunctorum intentiones, & voluntates, quantum fieri poteſt, executioni mandari; & attendentes, quod in huiuſmodi legatis, & inſtitutionibus mens illorum fuerit, & ſit veſtram releuare penuriam, ac proinde veſtrorum ſuffragiorum ſpiritualium participes fieri, pro exoneratione quoque conſcientiarum dictorum hæredum, & executorum huiuſmodi, &c. concedimus, quod vos ſinguli miniſtri prouinciales, vel Guardiani cum aliquibus diſcretis Fratribus domorum, vel locorum, quibus huiuſmodi legata, & inſtitutiones factæ fuerint, vel impoſterum fient quorum non eſtis (vt præfertur) capaces, mediantibus Procuratoribus, & Syndicis eorumdem locorum cum dictis hæredibus, & executoribus ſuper præmiſſis inſtitutionibus, & legatis componere poſſitis, & valeatis, prout vobis ſecundum æquitatem, & bonam conſcientiam viſum fuerit, ad certam ſummam, & quantitatem pecuniarum, aut rerum prædictos hæredes, & executores ſemel tantùm ſoluendum, & tradendum Fratribus, & locis prædictis ad ipſorum releuandas neceſſitates, ſeu ipſa loca fabricanda, facta deſuper ipſis hæredibus, & executoribus plena, & libera, ac perpetua abſolutione, & quietatione, quæ apoſtolica auctoritate ſit approbata, & roborata: ita quod deinceps prætextu talium teſtamentorum, inſtitutionum, & Legatorum amplius moleſtari non poſſint in iudicio, vel extra.* Vbi noto, quod licet iſta conceſſio hodie non proſit Fratribus minoribus ob dicenda *infra q. 49.* id tamen non obſtat, quin ea prodeſſe poſſit alijs Ordinibus Mendicantium; cum hi dictam conceſſionem non renunciauerint, ſicut renuntiarunt minores: & alias iuxta dicta in *tract. de priuil. ca. 1. ſect. 3. q. 1.* poſſit dari. Ordines communicantes de priuilegijs alterius Ordinis poſſe ijs gaudere, eſto ille alter Ordo illis modo careat.

Difficultas eſt; an ij, quorum intereſt ſoluere eiuſmodi legata, teneantur in conſcientia admittere talem compoſitionem.

65 ℞. Teneri ſi iuxta dicta *q. 14. & 15.* dicamus eos teneri ſoluere (quod etiam videtur ſupponi in ſupradicta conceſſione, dum ait *pro exoneratione quoque conſcientiarum dictorum hæredum;*) qui enim tenetur ad maius, tenetur, & ad minus incluſum in illo maiori (vt in caſu noſtro:) ſecus, ſi dicamus eos non teneri in conſcientia ſoluere præfata legata, vt cenſent aliqui apud *Suar. ſup. numer. 18.* cum enim tunc non teneantur vllo modo ſoluere legata, non apparet, quo iure poſſint adſtringi ad ſoluendam partem illorum.

66 Addo quod cum iſta compoſitio ſit quaſi ſpecies alienationis neceſſariò faciendæ ob incapacitatem, quam habent tales Religioſi quo ad retinendos annuos redditus, & in alienatione neceſſaria

non

non requiratur ſolemnitas iure petita ad alienationem bonorum Eccleſiaſticorum, vt notat *Sanch.l.7. mor.cap.26.n.30.ex Lapo Rebuf.& Mandoſ.* poterunt Religioſi facere præſa am compoſitionem abſque dicta ſolemnitate, dummodo ſeruent formam præſcriptam paulo ante adductam, quam vtique ſeruare debent, præſertim ſi ſint Ordinis Minorum quãquam non ideo videantur adſtringi ad faciendam talem compoſitionem, ſaltem ex vi præſatę conceſſionis; cum in ea nulla apponatur clauſula, ex qua colligatur talis obligatio; vnde *Sanch.n.56.* loquens de ea conceſſione cautè locutus eſt dicens: *Quando autem legata annua permiſſa Fratribus minoribus, eſt integrum ipſis non per ſe, ſed per Syndicos nomine Sedis Apoſtolicæ tranſigere cum hæredibus, vt certa ſumma pecuniaria ſemel data, liberi à prædicta obligatione in poſterum euadant.*

An autem Prælatus monaſterij poſſit ſe ſolo propria auctoritate remittere huiuſmodi legata annuorum reddituum, & ſine conſenſu Capituli.

67 ℞. Poſſe validè; non item licitè (niſi concurrat aliqua circumſtantia cohoneſtans talem remiſſionem) dummodo id faciat de conſenſu capituli. colligo ex doctrina; quam tradunt *Sanch.l.6. de matr. D.4.num.14.& alij* apud *Bonacinam D.3.de contr.q.8. p.4.num.38.* Prælatum ſcilicet poſſe nocere Eccleſiæ ſuæ, ſeu monaſterio quo ad acquirenda (quamuis alias id facere nequeat ſine cauſa, cum teneatur quærere vtilitatem monaſterij; & alioqui mendicantes exceptis Fratribus minoribus, ſecluſo etiam quouis priuilegio poſſidendi redditus, acquirere poſſint talia legata & validè, & licitè ſoluta illis tanquam debita, non quidem ex obligatione erga ipſos (cum talis obligationis ſint incapaces ex vi ſuæ mendicitatis) ſed ex obligatione hæredis erga teſtatorem, & erga Deum: quibus proinde præiudicari non debet per remiſſionem dictorum legatorum factam ſine cauſa.) Dixi *dummodo id facias de conſenſu capituli*; vt indicarem huiuſmodi remiſſionem non poſſe fieri ſine conſenſu capituli cum talis remiſſio ſit res grauis, & res graues peragi non debeant in Ordinibus habentibus vſum capituli, abſque eius interuentu.

Puto quidē, quod ſi cui monaſterio iniuſtè ablata fuiſſet notabilis ſumma pecuniæ, poſſet Prælatus ſe ſolo illam remittere; cum talis remiſſio ſit quædam virtualis donatio, & quantitas pecuniæ remiſſe non excedat poteſtatem illius (vt ſuppono) nec obſtet bulla Clementis VIII. *de largit. mun.* alibi explicanda, ſolum excipiens caſum, in quo extet peculiatis Conſtitutio requirens conſenſum maioris partis conuentus in donationem faciendam, adeoque non excludens talem modum donandi.

QVÆRES XXV. An conſuetudine induci poſſit vt Ordines mendicantes, alioqui incapaces bonorum immobilium, ea licitè poſſideant in communi.

68 ℞. Poſſe, etiam quo ad Fratres minores. ita *Sanch.ſup.cap.25.n.16.ex Abb.Anchar.& Azor.* patetque quia conſuetudo, maximè ſi approbetur à Papa derogat iuri Eccleſiaſtico generali, nedum priuatis religioſorum Ordinum Conſtitutionibus; vt tradunt DD. communiter apud *Caſtr. Pal. tract.3. D.3.p.4.§.2.num.1.ex cap.vlt. de conſuetud.*

69 Dixi *etiam quo ad Fratres minores*; quamuis enim *Fulgoſ. Cephal. Queſada & Anchar. relati à Sanch. ſup.* probabiliter putent non poſſe legitima conſuetudine induci, vt Fratres minores poſſideant in communi bona immobilia; ea ducti ratione, quod conſuetudo non poteſt vim habere contra promiſſa votis ſubſtantialibus religionis, vtpote obligantibus iure naturali diuino, aduerſus quod nullas habet vires conſuetudo: & alioqui Fratres minores voto ſolemni promittunt paupertatem, vt nec in communi, nec in particulari dominium alicuius rei habeant; probabilius tamē cenſet *Sanch.* eſſe oppoſitum; probatque quia dicti Fratres voto paupertatis non promittūt expreſsè ſe non habituros bona immobilia in communi; ſed ſolum promittunt paupertatem iuxta ſuas conſtitutiones: vnde cum conſuetudo derogare poſſit Conſtitutionibus Religionum tanquam iure humano inductis, poterit etiam inducere, vt paupertas Fratrum minorum non excludat habere in communi bona immobilia; qui enim vouet ſeruare aliquam Conſtitutionem, non tenetur illam ſeruare, niſi quamdiu illa non eſt legitimè abrogata.

De Paupertate Fratrum Minorum.

70 *Oſtenditur paupertas Fratrum minorum.*
71 *Bona eorum ſunt ſub dominio Papæ, ſed non omnia.*
72 *Capuccini, & Fratres minores de Obſeru. in bona, quibus vtuntur, habent ſolum nudum vſum facti: idque etiam in caſu extremæ neceſſitatis; & in caſu, quo Frater minor ſolus maneret in mundo; aut apprehendit, vel occupat aliquid ex ijs, quæ fiunt primò occupantis.*
73 *Non retinent domos, aut eccleſias ſeparatas à propria domo.*
74 *Retinent granaria, & cellaria, (non tamen Capuccini.*
75 *Recipiunt frumentum vltrà neceſſarium, in alia permutandum.*
76 *Accipiunt pecuniam per tertiam perſonam, & alijs ſeruatis, ſed non mutuatam.*
77 *Non recipiunt quidquam mutuo.*
78 *Non emunt pecunia credita, ita vt ex iuſtitia obligentur.*
79 *At aliter vi contractus manent obligati.*
80 *Non recipiunt pecunias ad cambium, nec cum pacto ſoluendi intereſſe.*
81 *Non contrahunt æs alienum.*
82 *Alienant per ſyndicos bona ipſorum vſibus conceſſa.*
83 *Non item per ſe ipſos.*
84 *Sua commodant, ſed non mutuant.*
85 *Non emunt ſe ipſis, nec validè, nec licitè.*
86 *Retinent iumentum, immò & paucas oues, gallinas, &c.*
87 *Non ſuccedunt ab inteſtato, neque ex teſtamento.*
88 *Et quidem neque quo ad proprias eccleſias.*
89 *Succedens loco ipſorum non tenetur ijs dare æſtimationem hæreditatis.*
90 *Illis ſuccedunt hæredes ab inteſtato à tempore profeſſionis.*
91 *Non tenet inſtitutio facta cum clauſula,* vt pretium

hæreditatis venditæ ipſis ſoluatur.

92 *Secùs, ſi alius inſtituatur cum onere vendendi modo dicto.*

93 *Minores non ſuccedunt ab inteſtato pro ſuis, nec ſunt capaces vſusfructus ad longum tempus.*

94 *Admittunt annuos redditus ex legato ad breue tẽpus.*

95 *Retinent redditus ſponte ſolutos ab hærede, etſi alias ſint incapaces illorum.*

96 *Recipiunt legata, etiam pinguia, niſi relinquantur in fraudem.*

97 *Violant paupertatem ſi legata immoderata admittãt.*

98 *Admittunt legatum rei immobilis relictum ipſis ſub modo licito.*

99 *Tenet legatum relictum ipſis ad certum vſum, etſi tunc ijs non neceſſarium.*

100 *Tenet legatum relictum Fratri ad vſum ipſi non conuenientem, ſi is conueniat ſtatui Ordinis minorum.*

101 *Hi admittunt perpetua anniuerſaria miſſarum, & pro illis redditus annuos recipiunt.*

102 *Etſi ſolum per modum eleemoſynæ: quod ſi ea recuſent, hæres adhuc tenetur implere onus miſſarum.*

103 *Retinere annuos redditus poſſunt ad vſum eccleſiæ.*

104 *At hi, ſi ſuperflui ſint, non conuerti poſſunt in vſus Conuentus, ſed ſolum in alios vſus pios.*

105 *Quin ad eos redditus acquirunt ius ciuile, repetuntque in iudicio.*

106 *Admittunt annuum legatum pro ſtudio ad libros emendos, &c.*

107 *Non item pro infirmaria; quod alij negant.*

108 *Nec in hoſpitium Fratrum, ſed ſolum ſæcularium.*

109 *Habent iura, & actiones in communi.*

110 *Non exigunt iudicialiter legata ipſis relicta.*

111 *Alijs tamen modis hæredes poſſunt cogi ad ea ſoluẽda.*

112 *Ad hunc effectum Iudicis officium implorant.*

113 *In conſcientia ijs ſoluenda legata, etſi ſint illorum incapaces.*

114 *Non poſſunt remittere legata, nec ſuper ijs componere.*

QVÆRES XXVI. Quæ, & qualis ſit paupertas Fratrum minorum.

70 ℞. Eſſe talem, vt neque in communi, neque in particulari quidquam proprij poſſidere poſſint, ſiue ex bonis immobilibus, ſiue ex mobilibus: itaut ne quidem habeant dominium domorum, in quibus habitant, hortorum, in quibus deambulant, & ex quibus colligunt olera ad ſuum tantum vſum, ac commodum, & ipſarummet Eccleſiarum, in quibus diuina myſteria peragunt; cum alij Religioſi mendicantes neque ratione regulæ, neque ex voto paupertatis prohibeantur habere dominium ſupradictorum, eaque poſſidere, quamuis alioqui ſint incapaces annuorum reddituum, aliorumue bonorum immobilium, tam in communi, quam in particulari. habetur in *Clem. exiui de verb. ſignific.* §. cupientes, nec eget probatione; ſi aduertero ex *Suar. to. 4. de relig. tr. 9. l. 2. cap. 7. num. 11.* quod cum Religio minorum ſit diſtincta in varias Congregationes, non in omnibus ſeruatur idem rigor paupertatis; ſi quidem Conuentuales maioribus diſpenſationibus vtuntur, habentque bona propria, etiam ſtabilia in communi; Fratres de Obſeruantia nulla quidem poſſident bona immobilia in communi, vtuntur tamen varijs declarationibus à Pontificibus circa paupertatem minorum factis; Capuccini denique profitentur ſe nudam obſeruare regulam dictiſque declarationibus omninò renunciant: vnde in Clementinis puto ſermonem eſſe non de Capuccinis, nec de Conuentualibus, ſed de Fratribus de Obſeruantia, alijſque Congregationibus Fratrum minorum reformatis.

Quodſi quæras, penes quẽ ſit ꝓprietas, & dominiũ illorũ bonorũ, quibus Fratres minores vtuntur,

71 ℞. Domorum quidem, quas inhabitant, hortorum, templorum, oratoriorum, librorum, & ſupellectilium, quibus ad victum, veſtitum, cultum, & miniſterium diuinum, ac literarum ſtudium vtũtur, proprietatem pertinere ad Eccleſiam Romanam: eorum verò, quæ ex piorum hominum donationibus, ac largitionibus recipiunt quæque in numero, pondere, & menſura conſiſtunt, & ipſo vſu conſumuntur, dominium eſſe penes eos, qui ea donant, ac proinde tales habere ius repetendi, & reuocandi donata, donec Fratres ea conſumpſerint, ſiue etiam in alios tranſtulerint donando, vendendo, aut permutando. ita *Azor. tom. 1. l. 12. cap. 24. q. 5. Rodriq. tom. 2. q. 125. a. 6. Sot. l. 4. de iuſt. q. 1. a. 1. Rebell. par. 1. l. 1. q. 7. n. 33. Lezana to. 1. c. 6. n. 5.* alijque. & colligitur ex *extrauag. exijt qui ſeminat de verb. ſignific. in 6. § cæterum cum in eadem.*

QVÆRES XXVII. Quid iuris habeant Fratres minores de Obſeruantia, & Capuccini in bonis quibus vtuntur.

72 ℞. Quod, cum in rebus ſpectari poſſint diuerſa iura, nempe dominium, poſſeſſio, vſusfructus, vſuſiuris, & vſusfacti; prædicti Fratres in bona, quibus vtuntur, nullum ius habent, ſed ſimplicem tantùm, ac nudum vſumfacti; vnde Pontifices declararunt illos vti præfatis bonis inſtar ſeruorum, qui nutu, & voluntate domini vſum tantùm rerum habent. ita *Azor. ſup. q. 6. Leſſ. l. 2. c. 3. nu. 34.* alijque & eſt communior DD. teſte *Leſſio*: probatur autem tum ex decretis Nicolai IV. & Clem. V. hac de re editis; tum quia de facto talis vſusfacti diſtinguitur à dominio in rebus conceſſis vſui Religioſorum particularium; vt hinc patet, quod quæcumque habent, poſſunt ijs à Superiore ad nutum auferri abſque vlla iniuria: ergò & hoc idem potuit conſtitui in tota aliqua communitate, ita vt ipſa tota nihil habeat, niſi nudam conceſſionem ad vſum ſine omni proprietate dominij; hoc autem factum eſt in Ordine minorum: quamquam *Sarmiento, Sylu. & Turrecrem.* relati à *Leſſio n. 31.* contradicant ſuſtinentes ex Io. XXII. in Extrauag. *Ad conditorem*, ius vtendi in rebus, quæ vſu conſumuntur, non diſtingui ab earum dominio, ideoque Fratres minores in talibus rebus habere verum dominium.

An autem Frater minor exiſtens in extrema neceſſitate fieret dominus rerum, quibus vteretur.

℞. Non fieri, etſi aliàs haberet ius ad illas capiendas (etiam reſiſtente domino) quippe cui non renunciauit per votum paupertatis. Vnde fit, vt, ſi dominus impediret ei dictum vſum, inferret propriam iniuriam, vtpote faciens contra verum ius naturale, quod omnes habent ad vſum rerum inferiorum in extrema neceſſitate, & conſequen-

ſequenter competit etiam Fratri Minori: non tamen ex illa iniuria contraheret obligationem reſtituendi, ceſſante ea neceſſitate: cum enim totum ius illud alterius eſſet ad ſubleuandam neceſſitatem præſentem, quomodocumque hæc ceſſet, ceſſat totum illud ius; & res ad priorem ſtatum redit, ceſſante tota ratione tituli, ac debiti, & hoc procedit, etſi Frater Minor in ea neceſſitate paſſus ſit aliquod damnum ex præfata iniuria: elapſa enim ea neceſſitate, nullum ius habet ad reparationem illius, cum renunciauerit omnibus iuribus, & non ſit amplius eorum capax: quod non procederet de homine ſæculari. ita *Cardinalis de Lugo D.2.de iuſt.n.56. & 57.*

Addit *num.*58.quòd ſi Frater Minor ſolus maneret in mundo, eſſet quidem dominus illius negatiuè, quatenus non poſſet ab vllo impediri: at non eſſet dominus poſitiuè, ideſt habens tale ius, vt alios impedire poſſet ab vſu rerum mundi; ſicque productis alijs hominibus ſtatim vi voti paupertatis deberet cedere omnibus illis ac ſi nihil omnino haberet. Quod procedit etiam in caſu, quo Minor occupat, aut apprehendit aliquid ex ijs, quæ fiunt primo occupantis: nullum enim in ijs acquirit dominium; etſi ijs poſſit vti, non ob ius acquiſitum, ſed quia nulli facit iniuriam; cum nullius ſint; vel per eam poſſeſſionem Papæ acquiritur dominium illius rei, quippe qui item eſt dominus aliarum rerum, quas Fratres Minores poſſident.

QVÆRES XXVIII. An Fratres Minores poſſint habere domos, aut Eccleſias ſeparatas à propria domo, aut Eccleſia.

73 ℞. Non poſſe, loquendo de Fratribus de Obſeruantia, & Capuccinis (de his enim ſolum loquemur in ſequentibus qq.) patetque quia alioqui poſſent habere ſuperflua, cum tamen *Clem.V. in Conſt. Exiui citata* declaret illos non poſſe habere vſum bonorum ad ſuperflua, & vana, ſed ſolum ad neceſſaria, quibus egent ad victum, veſtitum, cultum diuinum, ſtudium literarum, aliaque id genus. ita *Sanch. l.7. mor. cap.26. num.22. ex Corduba* referente in quadam ſua Congregatione declaratum fuiſſe licere Fratribus hoſpitari in domo relicta alicui tertio, vt ibi hoſpitentur minores, & alimenta ijs præbeantur.

QVÆRES XXIX. An Fratres minores habere poſſint granaria, & cellaria ad frumentum, vinum, oleum, aliaque ſimilia aſſeruanda.

74 ℞. Poſſe, cum id ipſis concedat *Io.22.in Conſtit. quia quorumdam de verb.ſignificat.* declarans ea tuto habere; hac tamen lege, vt non niſi pro neceſſitatibus p̃teritis, vel præſentibus, vel etiã futuris, quæ facilè contingent, ſubleuandi ea habeant. Verum tamen eſt, quod Capuccini non vtuntur tali declaratione, vtpote qui iuxta dicta q.26. profitentur nudam regulam, ſicque non retinent neque granaria, neque cellaria, neque ad multum tempus ſeruant victualia, ſed ſolum ad paucos dies; quamuis alias non repugnet mendicitati Minorum ſeruare victualia, etiam ad longum tempus, quandocumque timetur fore, vt alio tempore ea comparare non poſſint, ſicuti aduertit *Sanch.num.14.ex Card.Sylu. & Roſella.*

75 Imo addit *Sanch.* non repugnare mendicitati ſupradictorum minorum recipere triticum, & alia ſimilia vltra propriam neceſſitatem ad effectum, vt ea per Syndicum commutentur in alias res neceſſarias, aut etiam vendantur ad illas coemendas; id enim conceſſit Leo X. per bullam, vt videre eſt in *Comp.Mendic.v.commutare n.3.* quamquam *Caſarub.* ibi dicat cauendum omninò ab illa conceſſione, eo quod ſit expreſsè contra declarationẽ Nicolai III. & relaxatiua, & deſtructiua paupertatis, quam minores in regula promittunt; quod tamẽ reijcit *Sãch. ex Corduba, & Rodriq.* negans in propoſito caſu violari paupertatem minorum, ſi concurrat duplex conditio, quæ requiritur in præfata conceſſione; nimirùm quod illa ſuperabundantia petatur ad habenda alia neceſſaria, quæ abſque pecunia haberi non poſſunt, & quod dicta commutatio, aut venditio fiat per Syndicum, non autem per ipſoſmet Fratres.

QVÆRES XXX. An, & qualiter poſſint Fratres minores recipere pecuniam attenta ipſorum regula prohibente, ne pecuniam recipiant per ſe, aut per interpoſitam perſonam.

76 ℞. Poſſe recipere titulo eleemoſynæ non quidẽ per ſe, ſed per tertiam perſonam, & cum nonnullis limitationibus. 1. eſt, vt pecunia recepta intelligatur, manere ſemper ſub dominio dantis, quamdiu eſt in manu tertiæ perſonæ, ideòq; liberè repeti poſſit à dante, vſq; dum non eſt conſumpta in alios vſus: 2. eſt, vt non poſſit peti à Fratribus, nec adminiſtrari tanquam propria, ſicq; non poſſunt Fratres rationẽ eius exigere, ſed rem totam committant fidei, ac conſcientiæ depoſitarij (quod tamen non facit, quin poſſint curare, vt dominus pecuniæ petat rationem pecuniæ creditæ à Commiſſario, ſi viderint id expedire; quamuis regulariter id non videatur faciendũ, ſicut notat *Suar.ſup.n.9.*) 3. eſt, vt pecunia ſolum pro neceſſarijs vſibus reponatur, ac expẽdatur, non nomine Fratrum, ſed eius, qui illam elargitus eſt; itaut ſi neceſſe ſit contractum facere, non Fratres dicantur emere, & dare pecuniam, ſed alius emat pro Fratrum vſibus; 4. eſt, vt Fratres pecuniam non recipiant mutuo neque per procuratorem; cum per mutuum transferatur dominium in recipientem, & apud ipſum maneat obligatio ſoluendi: quamquam ſi neceſſitas vrgeat, & deſint eleemoſynę poſſunt recipere pecuniam per procuratorem offerendo curã & diligentiam procurandi eleemoſynas, quibus ei ſatisfiat abſque obligatione propria: quod non eſt in rigore mutuum, ſed quædam eleemoſyna cum aliquo onere, non repugnante tamen paupertati: ita *Suar. vbi ſup.* patetque ex *Clem.exiui §. porro.*

QVÆRES XXXI. An ſicut iuxta modo dicta repugnat paupertati minorum recipere mutuo pecuniam, ſic & repugnet mutuo recipere res alias, quæ non ſunt pecunia, & quidem cum obligatione ex iuſtitia ad ſoluendum.

77 ℞. Repugnare ratione obligationis inde conſurgentis, cuius contrahendæ Fratres minores ſunt incapaces, in quacumque demum materia contrahatur, quamuis alioqui dictis Fratribus ex parte materiæ non ſit æque prohibitum alias res recipere, ſicut pecuniam. ita *Suar.n.10.*

QVÆRES XXXII. An Minores poſſint credita pecunia emere res, ſiue mobiles vſu conſumptibiles, aut permanentes, vel ſe mouentes, ſiue etiam immobiles, vt terram, ſiue pauimentum ad fundandam domum, aut Eccleſiam.

78 ℞. Non poſſe, itaut ipſi, etiam in communi obligentur ad ſoluendum ex iuſtitia in pecunia id, quod emunt, quod omninò repugnat ipſorum paupertati. quippequi non poſſunt implere talem obligationem, niſi recipiendo pecuniam, & ſoluendo proptio nomine, quod q. præcedenti diximus illis non permitti; & ſi alius pro ijs ſoluturus eſt, non poſſunt ipſi de iuſtitia obligari ad factum alterius, ſed ſolum poſſunt promittere diligentiam procurandi eleemoſynas, quibus res enipta ſoluatut. ſic *Suar. vbi ſup.* monens, quod ſi res mutuo accipiatur ſoluenda, ſiue in eadem ſpecie, ſiue etiam in alia (v.g. commutando frumentum in vinum) tunc quidem non faciunt minores contra regulam de non accipienda pecunia, aliunde tamen faciunt contra ſtatum propriæ paupertatis, aſſumendo obligationem repugnantem præfato ſtatui; & ratio eſt, quod ſicut Religioſus particularis non poteſt obligari, eo quod nihil habeat proprij priuatim, ita communitas, quæ nihil proprij habet in communi, obligari nequit ad quidquam temporale reddendum; quod ſine dubio eſt veriſſimum, ſi obligatio ſit purè perſonalis: cum nemo obligari poſſit ad dandum id, quod non habet, aut certè non ſperat habere, ſaltem ex eleemoſyna.

79 Concedit tamen *Suar.* Minoritas in caſu propoſito poſſe manere obligatos ex vi contractus, ſi vel in eo intelligant ſubeſſe conditionem, *ſi per eleemoſynas poſſint obtinere, vnde ſoluant*; vel obligatio conſurgens ex contractu nō ſit purè perſonalis, ſed realis ſaltem implicitè, eo quod illi habeant res alias eiuſdem valoris, & pretij, per quas in omni euentu poſſint ſatisfacere: ſic enim Minoritæ non obligantur ad impoſſibile, & alter contrahens non decipitur, cum illi, etſi non ſint dictarum rerum domini, habeant abſolutam earum adminiſtrationem, ſicq; illas obligare poſſint; ſicut, & in caſu neceſſitatis poſſunt oppignorare calices, & ſimilia.

QVÆRES XXXIII. An Minoritæ poſſint in ſuis neceſſitatibus recipere pecunias ad cambium, aut cum pacto ſoluendi intereſſe, ſecluſa omni alia prohibitione.

80 ℞. Non poſſe ob doctrinam, quam tradidimus q.30. in quarta limitatione, quæ doctrina ſine dubio militat etiam in præſenti caſu, & quidem à fortiori. quamquam, quod ibi diximus, Minoritas poſſe mutuo recipere pecuniam per procuratorem, offerendo curam, & diligentiam procurandi eleemoſynas, quibus ei ſatisfiat, ſine propria obligatione; videatur proportionaliter admitti poſſe etiam in iſto euentu; idque ob paritatem rationis, vt facile conſtabit conſideranti. quo caſu non videtur neceſſarium ad id obtinere facultatem à Sacra Congregatione iuxta decretum eiuſdem Sacræ Congr. adducendum in *tract. de prohibit. c. 8. q. 17. §. difficultas*; cum tale decretum afficiat ſolum Eccleſiaſticos, & ordinetur ad effectum, vt ij non ſint nimis faciles in obligandis bonis Eccleſiaſticis obligatione propria: & aliàs in præſenti caſu non Religioſi, ſed procurator illorum, qui eſt perſona non religioſa, aſſumat obligationem, eamque in bonis proprijs non Eccleſiaſticis Religioſis ſolum ſe offerentibus ad procurandam eleemoſynam, vnde ei ſatiſfiat, ſed hoc ſine obligatione propriè dicta. ita docti viri à me cōſulti, & ſpeculatiuè loquendo nō improbabiliter: eſto in praxi cōſultū ſit abſtinere à talibus contractibus, vnde cenſeo eos nō eſſe vſitatos.

QVÆRES XXXIV. An minoritę poſſint grauare proprium monaſterium ære alieno, & quo modo.

81 ℞. Non poſſe, niſi eo modo, quo q. 32: diximus eos poſſe emere credita pecunia: cum hæc duo ſe habeant per modum includentis, & incluſi, vt patet, ideoq; prohibito vno prohibitū cenſeatur & aliud.

QVÆRES XXXIV. An Minoritæ poſſint alienare bona ipſis ad vſum conceſſa vendendo, commutando, donando, aut aliter diſtrahendo, & qualiter.

82 ℞. Poſſe, non tamen per ſe ipſos immediatè, ſed per proprium Syndicum ab ijs legitimè electū iuxta priuilegia à varijs Pontificibus ad id ipſis conceſſa, & relata in *Comp. mendic. v. procuratores Fratrum*, maximè *n. 1.* vbi dicitur: *Innoc. IV. conceſſit miniſtris Fratrum minorum authoritatem quatenus in prouincijs eis commiſſis per ſe, vel Fratres ſuos, quibus id duxerint committendum, poſſint conſtituere, vel nominare aliquos viros idoneos Deum timentes, qui ſecundum indigentiam conuentuum, ſeu domorum prædictorum Fratrum poſſint res conceſſas Fratribus huiuſmodi auctoritate apoſtolica petere, ac vendere, commutare, alienare, tractare, expendere, permutare, & in Fratrum vſum conuertere.* Vbi notat *Rodriq. to. 3. q. 39. a. 3.* quod cum verbum *alienare* comprehendat etiam donationes, ſatis apertè innuitur eiuſmodi Syndicum poſſe in bonum monaſterij ex auctoritate apoſtolica facere aliquam donationem extra Ordinem, ſi occurrat iuſta cauſa id faciendi.

83 Dixi ſub initium reſponſionis, *non tamen per ſe ipſos immediatè*, vt innuerem quod cum Minoritæ iuxta dicta q. 26. non habeant dominium rerum, quibus vtuntur, ſiue mobilium, ſiue immobilium, & alioqui per alienationem propriè dictam transferatur dominium: ſequitur Minoritas non poſſe per ſe ipſos alienare, ſiue vendendo, ſiue aliter diſtrahendo, & ſi alienent, irritam; & inualidam eſſe alienationem. Imo propriè loquendo, nec dici poſſunt alienare per proprium Syndicum; cum is in actu alienandi agat tanquam miniſter Sedis apoſtolicæ habentis dominium prædictarum rerum, ſicque dicatur alienare nomine ipſius Sedis apoſtolicæ, ſicut indicat *Rodr. vbi ſupra* inde inferens in præſenti caſu nō poſſe Minoritas argui de peccato, quaſi per interpoſitam perſonam alienent bona ipſis permiſſa, eorūq; pretiū conuertant in propriā vtilitatē quod tamen non facit, quin illi poſſint licitè, & validè facere aliquas donationes leuiores. idq; ex tacito ac præſumpto conſenſu eorū, à quibus res donatas acceperūt, & apud quos diximus manere dominiū dictarū rerū, quādiu non ſunt conſumptæ, aut aliter alienatæ; intellige niſi eas omninò abſolutè donent: quo caſu dicit *Leſſ. ſup. numer. 35.* dominium dictarum rerum ſtatim tranſire ad Sedem Apoſtolicam,

non

non obſtante quod *Io: 22. in Extrauag. Ad conditorem* illud à ſe abdicauerit, & à Sede Apoſtolica: ſi quidem poſt talem renuntiationem ab alijs Pontificibus fuit iterum admiſſum, vt habetur in *comp. mendic. v. paupertas*.

QVÆRES XXXV. An minoritæ poſſint mutuare, ſeu commodare res conceſſas vſui ipſorum, & quidem ſe ipſis.

84 ℞. Quod, cum per mutuum transferatur dominium rei, non item per commodatum; vt tradunt communiter DD. & in terminis *Leſſ. l. 2. c. 27. nu. 4.* ſicque ad ineundum contractum mutui requiratur vt contrahens ſit capax dominij, non autem ad faciendum contractum commodati: ſequitur Fratres minores poſſe quidem commodare alijs res ſuas, non item mutuare.

QVÆRES XXXVI. An minoritæ poſſint ſe ipſis validè emere mobilia bona, ſiue etiam immobilia neceſſaria v. g. ad habitationem.

85 ℞. Non poſſe, ſed ſolùm per proprium Syndicum; patetque ex dictis q. 30. in 3. limitatione, vbi id expreſsè deciditur in terminis terminantibus; quamquam non repugnet eos nomine, & licentia proprij Prælati emere aliqua ad vſum monaſterij, remittendo venditorem ad Syndicum apoſtolicum, qui ei ſoluat pecuniam debitam ex eo contractu emptionis.

QVÆRES XXXVII. An repugnet paupertati minoritarum habere aliqua ex bonis, quæ dicuntur ſe mouentia, ſiue ad vſum deambulandi, aliumque ſimilem, (ver. gr. equum, aut aliud iumentum,) ſiue etiam ad propriam ſuſtentationem (v. g. oues, gallinas, columbas, &c.

86 ℞. Non repugnare; ſi quidem animalia prioris generis non aſſumantur, niſi ad vſum conceſſum in regula; & quæ ſunt poſterioris generis, ſint in paruo numero, ita vt ex ijs non redundent fructus, qui ſimpliciter diei poſſint redditus, nec abſolutè computentur ad ſuſtentationem, ſed potiùs ad recreationem, vel ad ſummum vt occurratur repentinæ alicui neceſſitati. ita *Suar. to. 3. de relig. l. 8. c. 17. n. 8. & 14.* patetque ex dictis *q. 19.* quæ etiam inde confirmari poſſunt, quod dictis Fratribus licitum eſt ex domeſtico horto fructus aliquos colligere, aut olera ad proprium vſum ſine præiudicio paupertatis; cũ tñ par ratio concurrat in preſenti caſu, vt patet.

QVÆRES XXXVIII. An minoritæ ſint capaces ſucceſſionis hæreditariæ, ſiue ex teſtamento, ſiue etiam ab inteſtato.

87 ℞. Non eſſe, etiamſi hæredes inſtituantur per fideicommiſſum vniuerſale: vt ſi iubeat teſtator, hærede inſtituto decedente, hæreditatem deuenire ad Fratres minores. habetur autem reſponſio in *Clem. exiui §. cum enim de verb. ſignific. in 6.* vbi dicitur *Quia igitur in ſucceſſionibus tranſit non ſolum vſus rei, ſed etiam dominum ſuo tempore in hæredes, Fratres autem prædicti* (ideſt minores) *nihil ſibi in ſpeciali acquirere vel eorum Ordini poſſunt, etiam in communi: declarando dicimus, quod ſucceſſionum huiuſmodi, quæ etiam ex ſui natura indifferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobilia, & immobilia ſe extendunt, conſiderata ſui puritate voti nullatenus ſunt capaces.* ita *Sanch. l. 7. mor. cap. 25. num. 4. Portel. de dub. regul. v. hæreditas num. 3. Rodriq. to. 2. qu. 78. ar. 2. Corduba in regul. cap. 6. qu. 1 1 par. 1. Lezana tom. 1. c. 6. num. 45.* & alij contra *Aretinum, & Angel.* relatos à *Sanch.* docentes Fratrem minorem inſtitui poſſe hæredem à parentibus, nec eſſe incapacem, ſed admitti Eccleſiam Romanam in eam hæreditatem.

88 Notat autem *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 3. par. 8. n. 7. ex Bartholo, & alijs pluribus citatis* incapacitatem hæreditariæ ſucceſſionis extendi tam ad eccleſias, quam ad conuentus Fratrum Minorum; & probat tum quia alioqui facilè deludi poſſet conſtitutio denegans minoribus, etiam in communi, hæreditariam ſucceſſionem; cum teſtator facilè minoribus hæreditatem relinquere poſſit, omiſſo nomine conuentus, vti nomine Eccleſiæ. præter quam quod repugnat eccleſiam minorum inſtitui hæredem immediatè, & quod minores non dicantur inſtituti; ac proinde, ſicut hi ſunt incapaces ſucceſſionis hæreditariæ, ſic & etit illorum eccleſia; *quod tamen negant alij, penes Caſtrum Palaum.*

Sed dubium eſt, an eiuſmodi hæres ab inteſtato, aut ſubſtitutus, aut cohæres, ad quos in tali caſu peruenit hæreditas, in conſcientia teneantur ſoluere præfatis Fratribus æſtimationem illius.

89 ℞. Non teneri; & probatur tum ex Clem. citata, vbi cum dicatur, *nullatenus ſint capaces*, ſufficienter deciditur Minoritas in iſto caſu non eſſe capaces hæreditatis, neque quo ad æſtimationem; quippe vnus percipiendæ ſucceſſionis modus eſt eius æſtimationem recipere, iuxta *l. ſi domnus §. confitenti ff. de legat. 1.* conſtat autem, quod ſi dicti Fratres neque hoc modo ſunt capaces hæreditatis, neque hæredes tenebuntur de illius æſtimatione; tum quia forum externum nulli præſumptioni innitens, ſed ſoli veræ incapacitati hæredis inſtituti ſic iudicaret; ergò & idem iudicandum in foro conſcientiæ; cum idem ſit iudicium fori interni, ac externi, quotieſcumque externum non nititur præſumptione, vt probat *Sanch. l. 1. mor. cap. 10. num. 11.* ita *Sanch l. 7. mor. c. 25. num. 8. & Baldo Cardin. Anchar. aliſq;* hinc deducens *nu. 9.* hæredibus volentibus ſoluere æſtimationem prædictam tanquam verè Fratribus debitam, non poſſe Fratres eam recipere, vtpote rẽ vera non debitam adeoque inuoluntariè ſolutam, videlicet ex errore: quod tamen negant alij penes *Caſtrum Palaum tr. 16. D. 3. p. 8. n. 4.*

Quod ſi quæras, quis ſuccedat in bona, quæ Minoritæ habebant tempore profeſſionis, ſi ante nullam de ijs fecerunt diſpoſitionem.

90 ℞. Succedere hæredes ab inteſtato; & quidem à die ipſo profeſſionis emiſſæ, vtpote quæ æquiparatur morti naturali. Ratio eſt, quod, cum profitens in tali caſu ſe ſpoliet omni dominio, ac poſſeſſione, & hæc non tranſeant in religionem, eò quod ſit incapax: ea neceſſe eſt, vt deuoluantur ad hæredes ab inteſtato ipſius profitentis, ne aliàs maneāt deſtituta domino; idque non ſecus, ac ſi profitens obijſſet inteſtatus in ſæculo ante profeſſionem. ita *Mol. tom. 1. D. 139. col. 3. Leſſ. l. 2. cap. 41. numer. 86. Rebell. par. 2. l. 1. quæſ. 8. ſect. 5. numer. 51. Sorb. in comp. v. hæreditas in annotat.* alijque plurimi Canoniſtæ, quos refert, & ſequitur *Sanch. num. 21.* docens *numer. 24. ex Mol. Leſſ. Federic. & Anton.*

bona, quę acquirit Frater minor poſt profeſſionem ex donatione, legato, aut ſua induſtria, acquiri immediatè monaſterio quo ad vſum, & commoditatem, ea ratione proportionaliter, quam in alijs Religionibus acquiruntur ipſimet Religioni quo ad dominium.

Grauior dubitatio eſt, an valeat inſtitutio, qua minoritæ inſtituantur hæredes cum clauſula *vt hæreditas vendatur eiuſque pretium conuertatur ad vſus eorum neceſſarios.*

91 ℞. Probabilius eſſe, quod non valeat, & probatur tum quia, etſi legata ſingularia prędictis Fratribus relicta modo licito in ijs expreſſo valeant iuxta *cap. exijt §. & quia §. ſeq. de verb. ſignific. in 6.* id tamen non habet locum in hæreditate, ac iure vniuerſale, cum ius vniuerſale hæreditatis in aliquo ſemel radicatum nequeat ab ipſo ſeparari, neque conuerti in vſum aliquem materialem: ſi quidem, quantumuis vendat, ac diſſipet totam hæreditatem, adhuc ſemper manet hæres *l. Imperator ff. ad Trebell.* conſtat autem, quod minoritæ ſunt incapaces cuiuſcumque iuris retinendi; tum quia etiam vſu illo pio, ac licito non expreſſo, talis vſus tacitè ſubintelligitur, vt expreſſe habetur in *citato cap. exijt §. & quia & §. ſeq.* at eo modo non expreſſo irrita eſſet inſtitutio; ergo & erit irrita, eo expreſſo: tum denique quia in tali inſtitutione reperiuntur ea omnia, ob quæ Clem. V. in *Clem. exiui §. cũ. n. de verb. ſignific. in 6.* declarat minores eſſe omninò incapaces ſucceſſionis, videlicet quod ius hæredis quocumque modo de ſe eſt vniuerſale, obligat hæredem ad onera annexa hæreditati, eiuſque transfert dominium, ſaltem pro breui tempore; at vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio; ergo. ita *Sanch. num. 11.* aliique plures *Canoniſtæ* ab ipſo citati contra *Rodriq. ſup. q. 4. Sorb. loco citato alioſque Canoniſtas* docentes in præſenti caſu inſtitutionem eſſe validam pro ea parte, qua præcipit hæreditatem vendi, eiuſque æſtimationem conuerti in vtilitatem Fratrum: quam opinionem *Sanch.* eam referens innuit eſſe probabilem hoc ipſo quod de ſua, ac noſtra ſolum ait illam eſſe veriorem, quod indicat etiam *Caſtrus Palaus n. 5.*

92 Illud certè abſolutè concedit *Sanch. num. 12. ex Leſſ. Rodriq. Corduba & alijs*, quod ſi non ipſi Fratres minores inſtituantur hæredes, ſed alius cum onere, vt hæreditatem vendat, eiuſque pretium conuertat in bonum Fratrum; tunc inſtitutio ſine dubio valet: cum ſic Fratres non ſuccedant in aliquod ius defuncti, nec ſint veri hæredes, & conſequenter in ipſos non tranſeant onera annexa hæreditati; quod eſt bene aduertendum.

QVÆRES XXXVIII. An religio minorum habeat ius ſuccedendi nomine ſuorum Religioſorum, & ſit capax vſusfructus.

93 ℞. Neque habere ius ſuccedendi, cum id ipſi expreſsè interdicatur in *Clem. exiui §. cum n. de verb. ſignific. in 6.* nec eſſe capacem vſusfructus, qui ſit ad longum tempus: cum talis vſusfructus computetur inter bona immobilia, quorũ minores ſunt incapaces; ſecus ſi vſusfructus ſit ad tempus modicum, ſic enim reputatur quid mobile; & quod iuris ipſi ineſt, acquiritur Eccleſiæ Romanæ ſolo vſu facti relicto ipſis Fratribus, vt notauit *Sanch. cap. 26. num. 36.*

QVÆRES XXXIX. An, & qualiter poſſint Minoritæ admittere legata annuorum redditaum.

94 ℞. Poſſe, ſi ſint ad breue tempus eo modo, quo diximus q. 10. ſecùs ſi ad tempus longum, aut perpetuum; idque ob rationem ea q. adductam, quam affert etiam *Suar. to. 3. de relig. l. 8. cap. 17. num.* 20. dicens iſtam opinionem eſſe fauorabiliorem, & probabiliorem, eſtò etiam oppoſita, quam ſuſtinent *Barthol. & Bald.* ab ipſo *Suar.* relati, ſit æque probabilis, & tuta in praxi. Quo modo autem Minoritæ poſſint admittere eiuſmodi legatum, non vt per annuos redditus recipiant, ſed vt ſtatim vendant, illius æſtimatione conuerſa in beneficium monaſterij (quo pacto dicens q. ſequenti fieri poſſe, & debere in legatis rerum immobilium, quæ dictis Fratribus relinquantur) conſtat ex dictis q. 23.

Vtrum verò minoritæ poſſint tuta conſcientia retinere annuos redditus ipſis relictos, & ſpontaneè ſolutos ab hærede in caſu, quo illi ſint incapaces talis legati.

95 ℞. Probabile eſſe quod poſſint ob doctrinam traditam *q. 14. §. dices*, quæ ſine dubio locum habet etiam in minoritis; vnde *Lara l. ſi quis à liberis §. vtrum num. 14. ff. de liber. agnoſc.* dicit Fratres Minores poſſe petere alimenta ipſis relicta officio Iudicis implorato, quod non eſſet verum, ſi illi nõ poſſent in conſcientia recipere annuos redditus ſpontaneè oblatos ab hęredibus modo ſupradicto; id tamen negat *Sanch. ſup. c. 27. n. 9.* dicens minoribus interdictum omninò eſſe recipere talia legata; quamquam, cum doctrinam illam *q. 14.* admittat *ca. 26. num.* 48. eſſe probabilem, conſequenter cogatur fateri & probabile eſſe, quod nos hìc in præſentia dicimus; non obſtante quod in Clem. *exiui §. cumque annui redditus de verb. ſignificat.* decidatur non licere Fratribus minoribus recipere annuos redditus illis relictos, & quod legatum annuorum redditum minoribus relictum contineat expreſsè modum contrarium eorum regulæ, & paupertati. ſi quidem hæc omnia explicari poſſunt de legatis annuis ſoluendis ex obligatione, ac iure acquiſitis per ipſos Fratres, non autem de ijs, quæ ſoluantur ex obligatione in ordine ad teſtatorem, qui illam impoſuit, vt in caſu noſtro. & hæc de rigore iuris, & ſpeculatiuè loquendo: in praxi enim puto non expedire, quòd præfati Fratres admittant eiuſmodi legata, ſaltem ad cauendam offenſionem puſillorum; &, ſi alicubi admittunt, excuſari poſſunt ex eo quod ea recipiunt per modum eleemoſynæ ſpontaneè oblatæ, abſtrahendo à qualicumque obligatione, eorũ, qui illas tradunt: vnde nec eas exigunt per ſe, neq; per alios, ſuntque parati animo, quod ſi ea legata non ſoluerentur, nullatenus conuenirent hæredes non ſoluentes, eſtò id poſſent facere modis inferius explicandis.

QVÆRES XL. An Minoritæ poſſint admittere legata, & qualia.

96 ℞. Poſſe, modò ea non ſint tantæ quantitatis, vt præſumantur fieri in fraudem, videlicet ad relinquendam hæreditatem ſub nomine legati,

conſtat

conſtat ex Clem. *exiui* §. *cupientes verb. nec liceat eis de verb. ſignific.* vbi dicitur: *Nec liceat eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſit hoc fieri in fraudem, quaſi ſub modo, & forma legati ſibi dimitti facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potiùs illa ſic fieri ab ipſis ſimpliciter prohibemus.* Vbi notat *Sanch. cap. 26. nu. 13. ex Bartolo Rodriq. & Sorbo* non irritari valorem legati, quod in magna quantitate relinquatur minoribus, neque liberari hæredes ab eo ſoluendo, ſed ſolum ſtatuit, ne Fratres prædicti recipiant legatum, quod in fraudem hæredis præſumatur fieri: quod tunc demum eueniret, quando eſſet tantæ quantitatis, vt eius receptio magis ſaperet theſaurizare, quam ſubleuare præſentem neceſſitatem, vnde ex quantitate relicta tantum Fratribus tribuendum eſt, quantum petit imminens neceſſitas, & non ampliùs, niſi noua ſuperueniat neceſſitas; quo caſu reſiduum legati ſoluendum eſſet: ſic quippe præſumi non poſſet theſaurizatio, vt patet. Quando autem eiuſmodi quantitas ſit immoderata, nec ne, iudicandum eſt à miniſtri Fratrum, ac eorum Cuſtodibus, ſeu Prælati, ſiue ſimul, ſiue ſeparatim: idque attenta perſonarum, temporum, & locorum qualitate, veritate, & conditione, alijſque circunſtantijs; vt expreſsè habetur in *c. exijt* §. *inſuper de verb. ſignific. in 6.* & notat *Bartol. tr. minoricarum l. 2. diſt. 1. c. 1. nu. 3.*

An autem minoritæ delinquant in votum paupertatis, ſi acceptent legatum immoderatum, vel certè ſolum contra prohibitionem Clementinæ citatæ.

97 ℞. *Sanch. num. 12.* contra *Cordubam* delinquere contra votum paupertatis: probatque ex eo, quòd, cum dominium omnium bonorum pertinentium ad minores ſit penes Papam, ipſis relicto ſolo vſu facti ex licentia ipſius Papæ; & is in præſenti caſu talem licentiam deneget, ſtante prohibitione ſuperiùs adducta: conſtat eos, acceptando eiuſmodi legatum, vſurpare illius vſum contra voluntatem veri domini, ac legitimi Superioris: quod vtique eſt delinquere contra votum paupertatis.

QVÆRES XXXXI. An, & quando minoritæ admittere poſſint legatum rei immobilis ipſis ex teſtamento, aut aliter relictum.

98 ℞. Iuxta dicta *q. 13.* poſſe illud admittere, ſi in inſtitutione legati explicetur modus licitus, ac ipſis permiſſus in proprijs Conſtitutionibus; vel certè nullus exprimatur modus, ſed abſolutè res immobilis legetur: ſecùs ſi in legati inſtitutione explicetur modus illicitus, ac prohibitus; tunc enim non poſſunt minoritæ illud recipere. ita *Sanch. ſup. nu. 16. 17. & 27.* alijque apud ipſum; patetque ex dictis citato *q. 13.* vbi etiam oſtendimus, qualiter bona immobilia relicta prædictis Fratribus, diuendi debeant, cõuerſo eorum pretio in præſentes Fratrum neceſſitates: idque per Syndicum ab ijs legitimè electum; cuius munus, & auctoritas (inquit *Sorb. in comp. verb. Procurator in annotat.*) eſt 1. ad recipiendum nomine Papæ, ſeu Eccleſiæ Romanæ res omnes mobiles, ſiue immobiles, quæ pecuniariæ non ſunt, oblatas, ſeu modo licito donatas, aut in vltima voluntate ipſis Fratribus relictas: 2. ad vendendum, commutandum, alienandumque res omnes, quibus Fratres licitè vti poſſent ad dominium Eccleſiæ pertinentes, & ad recipiendum, & expendendum earum pretium in neceſſitates Fratrum, quæ certè non parum confirmant noſtram reſponſionem. Minoritæ ergo poſſunt admittere legata rerum etiam immobilium, non quidem vt ea retineant, ſed vt vendant, eorumque pretium in bonum monaſterij conuertant modo ſup. dicto.

QVÆRES XXXXII. An Minoritæ ſint capaces legati relicti ad certum vſum licitum, nec repugnantem ipſorum regulæ (v. g. ad induendos Fratres eo anno) ſi contingat illos eo anno eſſe benè indutos, ideòque illum vſum non eſſe de facto neceſſarium, ſed ſuperfluum ex ſuppoſitione.

99 ℞. Eſſe, modò in inſtitutionem legati non explicetur vſus ſuperfluus; quo caſu legatum eſſet irritum, vt pote habens modum contrarium ipſorũ paupertati, & ratio eſt, quod ſic vſus legati in ſe eſt licitus, & non repugnans regulę minorum, ſolumque eſt illicitus ex ſuppoſitione quod illi habeant alias veſtes; vnde fit, vt legatum conuerti debeat in alias neceſſitates dictorum minorum, ſiue de licentia Ordinarij, vt vult *Rodriq. ſup. ar. 1.* ſiue de conſenſu Cuſtodis, ac hæredis ſoluentis legatum, vel certè Ordinarij in caſu diſcordiæ, ſicut vult, *Bartol. ſup. diſt. 2. cap. 3. & Sorb. in Comp. verb. legatum verb. ſed dices per quem*; à quibus non diſſentit *Sanch. nu. 24.*

100 Quod ſi legatum aliquod fiat alicui Fratri minori ad vſum ipſi non conuenientem (vt ſi Fratri laico relinquantur opera Scoti) & quidem exprimendo modum non conuenientem (v. g. vt illis ſtudeat) adhuc legatum tenet, debetque conuerti eius æſtimatio in alium vſum illi Fratri permiſsũ, vel certè in vſum aliorum: & ratio eſt, quod, quamuis modus expreſſus in tali legato non ſit aptus illi Fratri laico, eſt tamen conueniens ſtatui Fratrum minorum; cum alioqui in *cap. exijt* §. *ad hæc de ver. ſignific. in 6.* tunc dicatur legatum non valere, quãdo modus legato adiectus eſt contrarius ſtatui minorum; vt colligitur ex exemplis ibi adductis, videlicet quando vinea legatur ad eam excolendam.

QVÆRES XXXXIII. An, & quo modo Minoritæ poſſint admittere anniuerſaria perpetua miſſarum, & officiorum ipſis relicta, ob ipſa recipiendo annuos redditus ab hæredibus teſtatorum.

110 ℞. Poſſe, ſi tales redditus recipiant ſolum per modum eleemoſynæ abſque proprio iure ad illos, vti diximus *q. 11.* idque ob rationes ibi allatas. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 8. cap. 17. num. 32. ex Palud. Sylu. Ang. Tab. & alijs Sanch. cap. 26. nu. 43. Portel. de dub. Regul. verb. hæreditas num. 3.* alijque; ex quibus notat *S. Bonau. tom. 1. opuſc. in expoſit. regulæ c. 4.* quod, quamuis Fratres minores non poſſint petere in iudicio præfatos redditus; ſi tamen hæres, aut executor teſtamenti nolit in ea parte implere obligationem defuncti, poſſunt licitè, & abſque imperfectione denunciare Iudici competenti negligentiam hæredis, vt ipſe faciat ex officio ſuo impleri voluntatem teſtatoris: hic quippe non eſt actus dominij, aut proprij iuris, ideoque non repugnat voto paupertatis; ſicut habetur in *Comp. Mendicantium verb. hæreditas* §. *vlt.* quo caſu Iudex

ex of-

ex officio tenetur facere, vt voluntas defuncti impleatur, ſicuti communiter tradunt *DD. in c. ſi hæredes de teſtam.* & ſpecialiter in caſum minorum *Ancbar. in Clem. exiuit, aliyque*.

102 Dixi *ſi tales redditus recipiant ſolum per modum eleemoſynæ, &c.* ſi enim eos recipiant ex iure proprio, & ciuili ad illos, tunc certum eſt Minoritas non poſſe admittere talia anniuerſaria, cum eorū redditus proximè deſeruiant ad ſuſtentationem Religioſorum, & ſint annui, ac perpetui, ideoque excludant mendicitatem, vt pote expendendi in victu, ac veſtitu dictorum Religioſorum, Vnde in Capitulo generali facto Aſſiſij anno 1526. editum eſt illud decretum. *Decernitur, ac præcipitur quod Fratres nullo modo recipiant aliqua legata perpetuò relicta aliquibus perſonis, vel hoſpitalibus, vel alijs dominibus, vt dent Fratribus certam eleemoſynam ſimpliciter, vt ipſi dicant certa officia, vel miſſas; imò quod Guardianus vel Præſes faciat proteſtationem iuridicam, & authenticam ei, qui implere tenetur teſtatoris voluntatē, quod nolunt eas eleemoſynas ex vi illius legati, nec volunt obligari ad illa officia, vel miſſas, & quod ſi volunt legatarij, transferant ad alium locum; ſi tamen, facta iſta proteſtatione, legatarius præfatus voluerit ex ſua mera voluntate dare eleemoſynas illas, & committere Fratribus dicta officia, & miſſas, poſſunt Fratres cum bona conſcientia recipere.* Simile huic decreto eſt illud aliud, quod fuit factum item in Capitulo generali coacto Burgis anno 1523. his verbis: *Declaratur quod ad perpetua legata petenda non poſſunt Fratres recurrere, niſi per modum eleemoſynæ abſque alicuius debiti allegatione: imò cum declaratione ſcripta, & ſigillata hæredibus, vel Comiſſarijs facienda; quod ſcilicet Fratribus non liceat talia petere, niſi humiliter per modū eleemoſynæ*; hæc duo decreta refert *Sanch. cap. 25. n. 49. ex Corduba*, beneque debent perpendi in præſenti materia.

Aduertit autem *Caſtrus Palaus p. 9. num. 17.* in caſu, quo tale legatum recuſetur à minoribus, ideoque deuoluatur ad hæredem, hunc teneri implere onus iniunctum miſſarum (non tamen per ipſos Fratres minores, ſed benè in loco præſcipto, ſi fieri poſſit): cum enim ad hæredem deuoluatur legatū, non poteſt reijcere onus ei annexum; ſi quidem iniquum eſt, reiecto onere, accipere commodum legati; ſicque deciditur *l. 1. §. pro ſecundo C. de caduc. tollen*: cum *Caſtro Palao* ſentiunt, *Menoch. Nau. & Sanch. ab ipſo Caſtro Palao* allegati.

QVÆRES XXXXIV. An Minoritæ poſſint habere certos redditus pro expenſis neceſſarijs ad cultum Dei, panis, vini, ceræ, olei, ornamentorum, ac fabricæ templi ſiue perficiendæ, ſiue reficiendæ ſiue conſeruandæ.

103 ℟. Poſſe, & quidem loquendo de annuis redditibus pro expenſis fabricæ, ſeu ſacriſtiæ, iure ciuili acquiſito ad illos. ita *Suar. ſupr. nu. 28. Sanch. cap. 26. num. 42. Portel. de dub. regul. verb. hæreditas nu. 5. Rodriq. tom. 2. q. 126. ar. 5. Sà verb. religio nu. 57.* aliique plurimi apud *Sanch.* & probatur tum quia mendicitas Fratrum minorum verſatur in eo, vt quotidie alimenta mendicent, quorum nomine veniunt ſolum ea, quæ ſunt corpori neceſſaria, nempe cibus, potus, veſtitus, & habitatio *l. legatis ff. de aliment. & cibar. leg.* hęc autem mendicitas per tale legatum non tollitur, vt pote quod debet cedere non in hæc, ſed in neceſſaria cultui diuino; tū quia huiuſmodi redditus non ſunt Fratrum, ſed Eccleſiæ, ſeu diuini cultus: ipſi autem Fratres ſunt tantùm adminiſtratores in hoc, & ex iſto titulo dicantur habere ius ciuile ad illos exigendos non tāquam domini, ſed tanquam œconomi: præter quā quod cum dicti redditus non ſint deputati ad proprium vſum, aut ſuſtentationem Religioſorum, ideo non minuunt paupertatem eorum: nobiſcum ſentit *Caſtr. Pal. nu. 15.*

Quod ſi quæras, an liceat conuertere pręfatos redditus, aut partem illorum in alios vſus monaſterij, aut Religioſorum; præſertim, ſi illi adeò creſcant, vt ad illum certum vſum, pro quo relicti ſunt, non ſint omnes neceſſarij.

104 ℟. Non licere, &, ſi ſecùs fiat, peccari non ſolum contra paupertatem minorum excludentem quoſcunque redditus annuos deputatos ad ſuſtentationem Religioſorum, ſed etiam contra iuſtitiam, quatenus iuxta mentem teſtatorum illi ſuperflui redditus deberent applicari ad alias res diuini cultus in eodem templo, aut ſacriſtia; & ratio eſt, quod in hoc negotio, & quo ad huiuſmodi redditus annuos, eorumque vſum Eccleſia, & monaſterium conſiderari debent tāquam duę perſonę diſtinctę habentes diuerſa iura, & conditiones: ſi quidem Eccleſia eſt capax redditŭum ad proprios vſus diuini, cultus, ſicque habet quaſi intrinſecum ius, vt ex dictis redditibus nihil prorſus extra ipſam diſtrahatur, ſed, ſi quid ex vno vſu ſuperfuerit, applicetur ad alium vſum proprium eiuſdem Eccleſiæ; monaſterium verò habet ſolum adminiſtrationem talium redditŭum, adeoque nullo iure poteſt eos conſumere extra omnem Eccleſiæ vſum. ita *Suarez num. 29.* addens, quod ſi detur præfatos redditus fieri ita abundantes, vt ad nullum omninò vſum fabricæ Eccleſiæ, aut ſacriſtię eſſent neceſſarij; tunc poſſent quidem arbitrio Pręlati applicari ad alios vſus pios, non tamen in ſuſtentationem Religioſorum; cum id fieri non poſſit abſque diſpendio religioſæ paupertatis; vnde fit, vt talis licentia habendi annuos redditus pro Eccleſia non debeat nimis extendi.

105 Dixi ſub initium reſponſionis principalis, *& quidem loquendo de annuis redditibus pro expenſis fabricæ, ſeu ſacriſtiæ iure ciuili acquiſito ad illos*, ad indicandum Minoritas non ſolum poſſe recipere annuatim tales redditus ex obligatione in conſcientia alteri impoſita, ſed etiam poſſe acquirere ius ciuile ad illos repetendos in iudicio; quippe qui ſunt eorum non domini, ſed adminiſtratores, ac œconomi, & aliàs ſunt prohibiti id præſtare ſolum quatenus domini, vt innuit *Suar. ſup. num. 28. cum Ang. Sylu. Cordub. & alijs.*

QVÆRES XXXXV. An repugnet paupertati Minoritarum admittere legatum annum pro ſtudio, infirmaria, aut pro hoſpitibus.

106 ℟. Non repugnare, ſi legatum fiat pro ſtudio, ideſt ad libros, & alias ſtudio neceſſaria coemenda: cum hi redditus non ſint pro alimētis Religioſorum, ſed pro literis addiſcēdis, ideoq; non

tollant

tollant eorum mendicitatem, vt conſtat ex dictis; ſecus ſi legatum fiat ad alimenta neceſſaria ſtudentibus; ſic enim cum ſit pro alimentis, per illud tollitur mendicitas. ita *Sanch. ſup. num.46. ex Abb. & Cucco* contra alios ab ipſo *Sanch.num.*45. allegatos, quorum aliqui abſolutè aiunt tale legatum repugnare paupertati Minorum, eo quod nomine ſuſtentationis in preſenti caſu comprehendantur non ſolum victus, ac veſtitus religioſorum, ſed etiam omnia illa, quæ ad eorum vſum, ac commoditatem immediatè ordinantur, cuiuſmodi ſunt libri, & alia neceſſaria ad ſtudium: quod aduertit *Suarez n.* 30. dicens nullum Doctorum eiuſmodi ampliationem facere (quod ſcilicet Minoritæ habere poſſint annuos redditus ad emendos libros, &c.) alij abſolutè negant tale legatum repugnare paupertati minorum, vtpote quod nullo modo eſt deputatum pro alimentis illorum, ſicque non aduerſatur mendicitati.

107 Addit autem *Sanch. num.*47. quod cum legatum relictum infirmariæ Fratrum minorum deſeruiat ad neceſſaria Fratrum infirmorum alimenta, ac medicinalia; & hæc ipſa veniant nomine alimentorum; per conſeqnens tale legatum non videtur poſſe admitti à Minoritis, vtpote repugnans eorum paupertati, eſto dicatur fieri non Fratribus, ſed loco deputato infirmis, quo modo fit fabricæ Eccleſiæ, ſeu Sacriſtiæ; quod tamen negat *Rodriq.to.2.q.*126. *a.4.cum Io. Andr. & Durando*, monens Fratres non poſſe quidem petere in iudicio tale legatum, poſſe tamen implorare officium Iudicis, vt ipſum ſoluatur & voluntas teſtatoris impleatur: nobiſcum ſequitur etiam *Caſtrus Palaus n.* 19.

108 Quod denique ſpectat ad ſuſtentationem Fratrum hoſpitum, docet expreſsè *Suar.n.*31. non poſſe Minoritas habere redditus annuos ad id deputatos probatque quia tota religio minorum eſt incapax annuorum redditnum ad ſuſtentationem ſuorum Religioſorum; conſtat autem non ſolum eos, qui in tali monaſterio firmam habent habitationem, ſed etiam eos, quos ibi contigerit ex eodem Ordine eſſe hoſpites, concurrere ad faciendum moraliter idem corpus religionis. quod tamen non facit, quin abſolutè loquendo, dicti Religioſi habere poſſint annuos redditus ad excipiendos, & alendos exteros peregrinos, aut alios pauperes: dummodo nihil eorum inſumant in proprios vſus, & ad eos non habeant proprium ius, ſed tantum adminiſtrationem, in vtilitatem proximorum; ſic enim ſaluatur eorum mendicitas, nihilque adeſt, quod per ſe, & ex obiecto aduerſetur paupertati: an vero ex alio capite id repugnet, dijudicandum eſt ex alijs Fratrum conſtitutionibus.

QVÆRES XLVI. An, & quo modo Minoritæ ſint capaces habendi iura aliqua, aut actiones in communi.

109 ℟. Eſſe, ita tamen, vt talia iura, & actiones tranſeant ad Papam, ipſi verò retineant illorum nudam adminiſtrationem; idque eo modo, quo diximus *q.*23. *ex Suar.to.3. de relig.l.7.cap.17.num.*17. qui *num.* 15. expreſsè poſſit hanc reſponſionem, cuius probatio facilè deduci poteſt ex dictis eo *q.*23. & ex eo quod nuda talium iurium adminiſtratio non tollit mendicitatem, & conſequenter non derogat paupertati, vt facilè conſtabit conſideranti.

QVÆRES XLVII. An Minoritæ poſſint exigere in iudicio legata ipſis relicta.

110 ℟. Non poſſe; & probatur tum quia id ipſis in ſpecie prohibetur in *Clem. exiui §. cupientes de verb. ſignific.* his verbis; *pro nulla re temporali in iudicio experiri*; tum quia ad hoc vt legatum exigatur in iudicio, requiritur, vt legatarius ius proprium habeat ad illud; nullum autem ius, aut obligatio acquiritur Fratribus minoribus ex legatis relictis; vt conſtat ex *cap. exijt §. cæterum de verb. ſignific. in* 6. vbi dicitur *In ipſa pecunia nihil omninò Fratres iuris habeãt, nec adminiſtrationem, ſeu diſpenſationem, uel contra perſonam nominatam, uel non nominatam ab eis, cuiuſcumque conditionis exiſtat, actionem, proſecutionem, aut aliquod ius intentent, qualitercumque perſonæ prædicta in commiſſione huiuſmodi habeant.* quæ tamen non habent locum in legatis, quæ dictis Fratribus relinquãtur pro cultu diuino: vide de his loquens *Suar. num.*28. dicit eos quo ad hæc eſſe adminiſtratores, & hoc titulo dici habere ius ciuile ad ea exigenda non tanquam dominos, ſed tanquam œconomos, & cæt.

111 Hoc tamen non facit, quin conſuli poſſit Minoritis aduerſus hæredes, ne legatis, ad quæ hi tenentur, defraudentur; & quidem 1. vt ciuitas, ſeu Syndicus illius id præſtet: cum ius ad recuperanda legata pauperibus relicta acquiratur ciuitati *l. Ciuitatibus ff. de legatis* 1. Secundo, ita vt Iudex ex ſuo mero officio nemine petente, cogat hæredem ad implenda legata; tum interſit reipub. ne quis ſua re malè vtatur *§. ſed hoc tempore Inſtit. de ijs qui ſui, vel al. iur. ſunt.* Tertio, vt Syndicus ipſorum Fratrum petat nomine Eccleſiæ Romanæ; ſiquidem poſſunt Fratres vti ad hoc eius opera, dummodò concurrant aliæ debitæ circumſtantiæ. ita *Sanch. ſup. n.*59. 60. & 63. addens *num.* 61. Iudicem competentem in hoc negotio poſſe eſſe eccleſiaſticum, vel ſæcularem: cum in *cap. exijt §. ad hæc de verb. ſignific. in* 6. dicatur *Et etiam Prælati, & ſæculares, quibus de iure, vel conſuetudine prouiſio iſta competeret, cum expedierit, ſe ex officio ſuo promptos exhibeant ad pias uoluntates deficientium implendas.*

112 Et quidem quod Minoritæ poſſint in iſto caſu implorare officium Iudicis extra iudicium, docent *Rodriq.to.2.q.126.a.4.* alijque adducti à *Sanch.num.* 62. & inde ſuadetur, quod illi id faciunt, non quaſi habentes aliquid iuris in legata relicta, ſed monendo Iudicem extraiudicialiter, vt ille compellat ex officio ſuo; vnde nulla apparet ratio, cur dicatur id ipſis repugnare.

QVÆRES XLVIII. An hæredes teneantur in conſcientia ſoluere Minoritis legata ipſis relicta in caſu, quo ij ſint illarum incapaces.

113 ℟. Probabile eſſe quod teneantur, patetque ex dictis *q.*14. *§. dices*, & *q.*39. *§. vtrum verò*, quæ non eſt neceſſe hic repetere: alij tamen id negant.

QVÆRES XLIX. An Minoritæ poſſint remittere legata ipſis relicta, aut etiam ſuper ijs facere aliquam compoſitionem, & quo modo.

114 ℟. Quod, quamuis olim poſſent facere dictam compoſitionẽ per ſuos Syndicos apoſtolicos iuxta

con-

conceſſionem ipſis de hoc factam à Clemente VII. & à nobis relatam *ſup. q.24.* in præſentia tamen nõ poſſunt ob doctrinam *Portel.ſup.v.legatum numer.2.* nimirum quod ea conceſſio repugnat puritati regulæ minorum, & paupertati iuxta declarationes Nicolai III. & Clem. V. inſertas in corpore iuris; cum hæ exprimant Minoritas eſſe incapaces cuiuſcumque hæreditatis, ac iuris; & alioqui iſta alienare, per ſyndicos, ſiue vendendo, ſiue componendo, ſiue remittendo, ſupponat, quod ea fuerint acceptata, & acquiſita quo ad ius, & dominium: quod repugnat & puritati regulæ, & allegatis Pontificũ declarationibus, in Capitulo autem generali Toletano anno 1606. habito Minoritæ renunciarunt omnibus conceſſionibus pontificijs, quæ repugnant puritati regulæ, ſtatueruntque vt ad vnguem ſeruarentur dictæ declarationes. Præter quam quod ſacra Congregatio 14. Febr. 1633. de mandato Vrbani VIII. ſtatuit legata annua cum oneribus miſſarum relicta Fratribus minoribus de Obſeruantia poſſe quidem ab ijs admitti, non tamen per eos exigi; & quod quæuis extinctio, reductio, ſeu diminutio capitalis, ſeu proprietatis facta abſq; permiſſione Papæ eò ipsò ſit nulla, nec debitoribus, alijſue quibuſcumque ſuffragetur.

De Paupertate Religioſorum Soc. Ieſu.

115 *Paupertas in Societate Ieſu eſt multiplex, & varia.*
116 *Collegia, ac domus probationis ſunt capacia bonorum, etiam ſtabilium, non item domus profeſſæ.*
117 *Hæ tamen habent dominium habitationis, & bonorum ſtabilium relictorum, ſed vt ea vendant.*
118 *Non retinent annuos redditus ad vſum eccleſiæ, niſi pro fabrica illius; idque cum aliqua limitatione.*
119 *Immò Suarez inclinat idem procedere quo ad alios vſus, ſed limitatè.*
120 *Non retinent redditus annuos, neque ad paucos annos cum iure ciuili, etſi in conſcientia ſolui debeant ab hærede.*
121 *Non habent neque vſumfructum bonorum ſtabilium.*
122 *Incapaces ſunt horum bonorum ex ceſſione iuris aliàs competentis facta à Societate.*
123 *Societas non ſuccedit pro ſuis ab inteſtato, neque quo ad collegia.*
124 *Annuus tamen cenſus legatus profeſſo degenti in Collegio, aut Domo probationis ab his acquiritur, ac retinetur.*
125 *Societas inſtitui poteſt hæres, etiam quò ad domos profeſſos.*
126 *Eius Profeſſi, & Coadiutores formati ſunt incapaces cuiuſuis hæreditariæ ſucceſſionis, non item legati.*
127 *Domus tamen profeſſæ recipiunt bona ſtabilia, vt ea vendant.*
128 *Subſiſtit legatum Domui profeſſæ relictum ſub conditione eius paupertati repugnante.*
129 *Stabilia relicta domui profeſſæ ab ea vendi debent, non ab hæredibus teſtatoris ea relinquentis.*
130 *Poſſunt & locari, vſque dum occurrat occaſio vendendi, ſed breui.*
131 *Redditus Collegiorum non conuertendi in vſus domorum profeſſarum.*
132 *Religioſi Societatis non peccant contra paupertatem recipiendo ſtipendium pro ſuis miniſterijs ſpiritualibus.*
133 *At aliunde in hoc poſſunt violare paupertatem.*
134 *Generalis Societatis, ſimpliciter loquendo, poteſt in hoc diſpenſare.*
135 *Religioſi Societatis non retinent ſtipendium indebitè acceptum pro ſuis miniſterijs.*
136 *Et, ſi non reddant danti, tenentur ei illud reſtituere, ſi poſtea è Societate dimittantur.*
137 *Non acceptant miſſas celebrandas cum hoc vt alteri ſoluatur ſtipendium illarum: quod negat* Caſtrus Palaus.
138 *Celebrant miſſas ex gratitudine pro dante pecuniam.*
139 *Item & miſſas iuſſas in teſtamento, aut fundatione capellaniæ; non item vt alij recipiant ſtipendium pro miſſis debitum.*
140 *Non celebrant ad ſupplendam omiſſionem miſſarum dicendarum ex ſtipendio iam accepto.*
141 *Peccant mort. retinendo ſibi pecuniam notabilem datam pro pluribus miſſis à pluribus Sacerdotibus ſocietatis procuratis, ſed vna tantum à ſingulis: etſi aliàs pecuniam illam acquirendi facultatem habeant.*
142 *In aliquo caſu ex gratitudine celebrant miſſas retento ſtipendio, quod debebant ſoluere celebrantibus illas.*
143 *Accipiens ſtipendium datum ob miſſas à ſacerdote ſocietatis celebratas in aliquo caſu poteſt retinere.*
144 *Sacerdos ſocietatis, inſcio Prælato ſoluit onera miſſarum iniuncta in teſtamento, aut ex voto.*
145 *Si intrat Societatem grauatus onere miſſarum dicendarum ex ſtipendio accepto, ibi illas dicit.*
146 *Item interdum dicit miſſas, pro quibus recepit ſtipendium ac expendit.*
147 *Item celebrat miſſas à tertio promiſſas voto & animo ſoluendi ſtipendium pro illis.*
148 *Prohibitio recipiendi ſtipendium pro miniſterijs ſpiritualibus eſt communis omnibus Religioſis Societatis.*
149 *Societas de rigore poteſt ſe obligare ad dandum Concionatorem, Confeſſarium, ac Lectorem Theologiæ.*

QVÆRES L. An ſit vna, ac eadem paupertas, quæ ſeruatur in Communitatibus Societatis Ieſu, vel certè diuerſa.

115 ℟. Quod, cum in Societate ſint 3. genera domorum, nempe profeſſarum, Collegiorum, & nouitiatuũ: in ijs pro ratione muneris, ac finis vniuſcuiuſque diuerſus modus paupertatis ſeruatur; vnde fit, vt, ſicut q.1. diximus obſeruantiam paupertatis non eſſe eandem in omnibns Religionibus, ſed diuerſam; ſic & diuerſa ſit illa, quæ obſeruatur in communitatibus Societatis. vt benè aduertit *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l.4. c.9. num.1.* & conſtabit ex qq. infra proponendis.

QVÆRES LI. An, & quo modo Soc. Ieſu ſit capax bonorum tam immobilium, quam mobilium in communi.

116 ℟. Eſſe quo ad Collegia, ac Nouitiatus; vt patet tum ex Conſtit. ipſius Societ. *c.1. examinis* §.4. *vbi dicitur. Habeat Societas collegia, & domos*

proba-

probationis reddiſibus dotatas; tum ex Conſtit. Pauli III. edita in confirmationem illius: quæ ita habet: *Poſſint tamen in vniuerſitatibus habere collegium, ſeu collegia habentia redditus, cenſus, ſeu poſſeſſiones vſibus & neceſſarijs ſtudentium applicandas*; non item quo ad Domos profeſſas, quæ poſſunt quidem habere bona mobilia, etiam quo ad dominium, non tamen redditus vllos, aut bona ſtabilia, neque in communi, præter ea, quæ ad habitationem, aut vſum fuerint neceſſaria, aut valdè conuenientia: qualis eſt hortus, ad quem Religioſi interdum ſe recipiant cauſa recreationis; ſic enim in terminis habetur in bulla Iulij III. *Expoſcit debitum* his verbis: *Sic voueant ſinguli, & vniuerſi perpetuam paupertatem, vt nõ ſolum priuatim, ſed nec etiam communiter poſſint profeſſi, nec vlla eorum domus, aut eccleſia ad aliquos prouentus, redditus, poſſeſſiones, ſed nec ad vlla bona ſtabilia præter ea, quæ opportuna erunt ad vſum proprium, & habitationem, retinenda ius aliquod ciuile acquirere, ſeu rebus ſibi ex charitate donatis ad neceſſarium vitæ vſum contenti in Conſtit. Soc.* Vbi notandum ex *Suar. num. 6. per ly ius aliquod ciuile* non intelligi ſolum actionem ciuilem ad petendum coram iudice redditus, aut prouentus aliquos, ſed omne ius, ſeu dominiũ humanum, quod vocant naturale, ſeu in conſcientia; quale eſt quod acquiritur per teſtamentum minùs ſolemne, ſi certò conſtet de volũtate teſtatoris: tale autem ius hic appellatur ciuile, ſiue quia ſolet verſari inter ciues; ſiue quia in eo fundatur ius ciuile, & illud per ſe confert, eſtò interdum ex accidenti denegetur vnde fit, vt domus profeſſæ Societ. non poſſint habere vllos cenſus, nec verum, aut proprium ius ad vllos redditus.

QVÆRES LII. An domus profeſſæ Soc. habeant dominium bonorum tam mobilium, quam immobilium deſeruientium ad habitationem, aut alium talem vſum, immò & cuiuſcunque alterius rei ſtabilis ſibi relictæ, & quo modo.

117 ℞. Habere; cum hac tamen differentia, quod reſpectu bonorum mobilium, & immobilium ad habitationem, aut conuenientem recreationem, non ſolum habet eorum dominium in communi, ſed etiam ius ciuile ad ea repetenda: reſpectu verò bonorum ſtabilium, quæ relinquuntur, & non ſunt modo dicto neceſſaria, habet quidem dominium, & ius ciuile ad ea repetenda, non tamen vt illa retineat, ſed vt vendat. ita *Sanch. lib. 7. mor. cap. 27. num. 19.* patetque tum ex *p. 6. Conſtit. cap. 2. §. 5. in declarat. lit. E.* tum ex bulla Iulij III. edita in confirmationem Inſtituti Societatis.

QVÆRES LIII. An, quo modo domus profeſſæ Societ. poſſint habere annuos redditus ad vſum ſacriſtiæ, aut fabricæ Eccleſiæ.

118 ℞. *Sanch. l. 7. mor. c. 27. nu. 7.* non poſſe, probatque tum ex verbis Conſtit. Iulij III. ſuperiùs relatis, in qua fit ſpecialis mentio de Eccleſia; tum ex *p. 6. Conſtit. cap. 2. §. 2. & 5. & 6. & §. 1. in declarat. lit. A.* vbi explicando votum, quod emittunt Profeſſi in Soc. de non aſſentiendo relaxationi paupertatis illius dicitur tunc relaxari paupertatẽ, & violari hoc votum, quando admitterentur redditus, aut poſſeſſiones in proprium vſum, ſiue ad ſacriſtiam, ſiue ad fabricam Eccleſiæ, vel ad aliquẽ alium finem domus profeſſæ. Quamquam hoc non ita abſolutè intelligendum videatur, ſed cum limitatione; quæ habetur in loco citato Conſtit. in *declarat. lit. B.* his verbis: *Si aliquis ex Fundatoribus domorum, vel eccleſiarum vellet redditus aliquos ad fabricæ vſum relinquere: dummodò nec diſpoſitio eorum ad Societatem pertineat, nec ſit, vnde ei competat actio in illos (quamuis id illi curæ eſſet, vt is, cui tale munus commiſſum eſt, ſuum officium faceret) & ſic in rebus ſimilibus, non eſſet id à Soc. paupertate alienum.* Circa quam declarationem notat *Suar. num. 8.* quod, ſicut iſta permiſſio expreſſa tantùm circa fabricam non extenditur ad ornamenta, & alios ſumptus proprios Eccleſiæ, v. g. pro luminaribus &c. ita reſtringitur ad Fundatores; & quidem meritò ob gratitudinem ipſis debitam; & quod ipſi ſint veluti patroni, ad quos maximè pertinet, & velut in eorum commodum cedit, quod eiuſmodi ædificia perpetuò conſeruentur; quod non videtur aduertiſſe *Sanch.* qui proinde ſic abſolutè, & generaliter locutus eſt.

119 Quin etiam *Suarez numer. 9.* innuit ſe non parum inclinare ad aſſerendum citatam declarationẽ poſſe extendi etiam ad alios vſus diuerſos, præterquam fabricæ: idque colligit ex ijs verbis, quæ in ea habentur, *& ſic in rebus ſimilibus*: quę cum referri non poſſint ad res in teſtamento relictas (vt mox oſtendam) neceſſariò referri debent ad alios caſus, in quibus aliqui redditus ſub eodem onere, & modo relinquantur ad alios vſus Eccleſiarum, aut domorum Societatis: quæ confirmari poſſunt ex ijs, quæ dicuntur in *Conſtit. vbi ſupra §. 6.* vbi facta prohibitione, ne quis è Soc. excitet aliquem ad relinquendas perpetuas eleemoſynas alicui domui, vel Eccleſiæ Societatis (quod per ſe non pertinet ad votum paupertatis, neque ad materiam eius, ſed ad quandam perfectionem) ſtatim ſubditur, *Et ſi aliqui ſponte ſua eis relinquerent, nullum ius ciuile*, ad eas petendas in iudicio adquiratur quod vtiq; pertinet ad votum paupertatis, & indicat perpetuas eleemoſynas in tali caſu poſſe recipi. Et quidem quod verba illa, *& ſic in rebus ſimilib⁹* nõ poſſint referri ad res in teſtamento relictas, conſtat quod quæcunque res relinqui poſſunt, iam erant comprehenſæ nomine redditũum, ſiue immobiles (vt conſtat) ſiue mobiles; vt pote quæ à domibus profeſſis Societatis etiam cum perfecto iure, & actione ciuili acceptari poſſunt.

QVÆRES LIV. An domus profeſſæ Societatis poſſint habere redditus annuos ſaltem temporales, v. g. ad 5. aut 6. annos.

120 ℞. Non poſſe, ſi ſint tales, vt acquirant ius ad illos; patet autem reſponſio tum ex *Conſt. Soc. loco ſup. citato* vbi dicitur *In domibus, vel eccleſijs, quæ à Soc. ad auxilium animarum admittentur, redditus nulli, nec ſacriſtiæ quidem, aut fabricæ applicati haberi poſſint, ſed neque vlla alia ratione*: quæ ſunt verba ad rem præſentem valdè notabilia: tum quia præfati redditus, etſi temporales, impediunt, ſaltem pro illo tempore, incertam mendicitatem; vnde in Clem. *exiui* abſolutè, ac ſine diſtinctione aſſerit retinere annuos redditus repugnare paupertati, eoſque computari inter bona immobilia, eò quod ius

ad il-

ad illos ſit quaſi res fructifera, de ſe permanens, ac vendibilis; ſiue poſtea ſit perpetuum, ſiue ad tempus. ita *Suar. ſup. num.* 10. contra *Sanch. ſup. num.6* ſuſtinentem domos profeſſas Societatis eſſe capaces reddituum, ſi ſint ad breue tempus: quæ opinio non videtur improbabilis ob dicta *q.* 10. quæ facilè applicari poſſunt ad præſentem caſum.

Verum tamen eſt, quod ſi tale legatum relinquatur domui profeſſæ, hęres grauatus tenetur illud ſoluere, nam ex voto paupertatis iuxtà Societatis Conſtitutiones ſolum prohibetur domui profeſſæ ius ciuile ad redditus annuos acquirendos, non autem illorum acquiſitio, ſi de facto dentur: incapacitas enim Societatis profeſſæ ad habendos redditus annuos debet intelligi de redditibus annuis, ad quos habeatur ius ciuile, non item de redditibus gratis, ac liberaliter ſolutis. ita *Caſtr. Palaur tract.* 16. *D.* 3. *p.* 10. *num.* 5. ex *Suarez. tom.* 4. *de rel. tra.* 10. *l.*4. *cap.*9. *nu.*9. *& Sanch. l.*4. *mor. cap.*27. *num.* 9. addens hæredem teneri ſoluere tale legatum etiã ex iuſtitia; idque ex tacito contractu facto cum teſtatore in acceptanda hæreditate.

QVÆRES LV. An domus profeſſæ Societatis per incapacitatem habendi poſſeſſiones prohibeantur habere non ſolum dominium, ſed etiam vſum illarum.

121 ℞. Quod, licet maximè prohibeantur habere dominium; cum in eo præſertim vigeat proprietas oppoſita religioſæ paupertati: prohibentur tamen etiam habere merum vſum fructum: quippe qui non minùs repugnat paupertati, quam dominium; imò quodammodo magis, quatenus indigentiæ magis ſubuenitur vſufructu, quam dominio rerum; præter quam quod in Conſtitut. Societatis expreſsè prohibentur prouentus, per quos propriè ſignificantur fructus, ſeu commoditas vſus fructus. ita *Suarez numer.* 13. concedens tamen, quod ſi dominus ex mera liberalitate concederet domui profeſſæ Societatis vſum alicuius poſſeſſionis, nullum ius illi tribuendo, ſed cum poteſtate libera reſpectu Societatis negandi illum vſum, cum velit habere talem vſum: id non eſſet contra paupertatem, cum hic nulla interueniat proprietas, aut ius proprium ſicque perinde ſit accipere vſum domus, ac recipere vſum equi: quamquam in hoc poteſt ſubeſſe aliquis exceſſus, eò quod talis vſus non adeò deceat Religioſos, præſertim profitentes ſolemnem paupertatem. Sic, ſi quis domui profeſſæ Societatis liberaliter tribueret fructus vnius anni collectos ex ſua poſſeſſione, imò, & plurium annorum, nullum tamen ius ipſi conferendo, poſſet illa eos recipere: idque etſi tribuens dictos fructus ad id ſe voto obſtrinxiſſet: dummodo intelligatur tale votum emiſſum ſoli Deo, nullo iure ipſi domui profeſſæ acquiſito, & ipſa non adminiſtret tales fructus, cum id repugnet eius paupertati, vt conſtat ex *pa.* 6. *Conſtit. c.* 2. §. 3. & 6. & *lit. B.*

Quod ſi hic obiter quæras, quo iure Soc. Ieſu ſit incapax bonorum ſtabilium quo ad Domos profeſſas.

122 ℞. Eſſe ex eo quod ipſa in 2. Congregatione generali *can.* 21. ceſſit cuicumque iuri, quod ei poſſet prouenire ex conceſſione Concilij Trident. relata *q.* 3. §. *verum tamen eſt*; ſi quidem Concilium ibi non pręcepit mendicantium Ordinibus, vt poſſiderent bona immobilia, ſed tantùm conceſſit, ſicque Soc. cedere potuit huic iuri, & de facto ceſſit; taliſque ceſſio poſt præfatam conceſſionem Concilij confirmata eſt à Pio V, in bulla *dum indefeſſæ* his verbis: *quippe quæ ex eius Inſtituto & Conſtitutionibus apoſtolica authoritate confirmatis bona ſtabilia poſſidere nequit, ſed incertis eleemoſynis, fideliumque elargitionibus, ac contributionibus viuit.*

QVÆRES LVI. An Societas Ieſu habeat ius ſuccedendi nomine ſuorum Religioſorum ſaltem quo ad collegia, ac nouitiatus.

123 ℞. Non habere, ideoque in ipſorum bona ſuccedere venientes ab inteſtato, ſi priùs de proprijs bonis non diſponant; patetque ex Conſtitut. Gregor. XIII. quæ incipit *Aſcendente Domino*, & ita habet: *Nec propter emiſſa huiuſmodi vota publica, aut per mortem ab inteſtat. in illorum, ſicut nec in Profeſſorum bonis domus vlla, aut eccleſia, vel collegium ſuccedere poteſt*: vnde conſtat Societate Ieſu non habere ius ſuccedendi nomine ſuorum Religioſorum, neque quo ad domos profeſſas, neque quo ad collegia, aut domos probationis: eſtò in alijs Religionibus bona in communi habentibus competat tale ius ſuccedendi. ita *Molina tom.* 1. *D.*139. *Suar. ſup. cap.* 11. *nu.*9. *Sanch. num.* 14.

124 ℞. Hoc tamen non facit, quin ſi alicui Profeſſo, aut Coadiutori formato Societatis legetur annuus cenſus; tale legatum acquiratur Collegio aut domui probationis; in qua ij tunc degant illudque retinere poſſit nam prohibitio annuorum reddituum, non reſpicit ſingulos Profeſſos ſed domum profeſſam: ſinguli autem Profeſſi ſunt talis legati capaces ęque ac Profeſſi aliarum Religionum vnde fit, vt cum collegia, & domus probationis ſint capacia talium reddituum, ea illis acquiruntur ita *Io: de Lugo D.* 3. *de iuſt. n.* 104. Et in tali caſu puto Profeſſum conſultò mitti poſſe ad Collegium in ſubditum illius, intra tempus præſcriptum iure ad deliberandum de acceptanda hæreditate: ad effectum vt Collegium poſſit acquirere, ac retinere hęreditatem relictam: ſic enim Societas vtitur iure ſuo: qui autem vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam.

QVÆRES LVII. An, & qualiter Soc. Ieſu inſtitui poſſit hæres tam quo ad domos profeſſas, quam quo ad Collegia, ac domos probationis.

125 ℞. Poſſe: & quidem non ſolum quo ad bona mobilia, ſed etiam quo ad immobilia; ita tamen, vt, ſi hæres ſit domus profeſſa, talia bona immobilia vendãtur, pretio illorum in neceſſarios vſus ipſiuſmet domus conuerſo: ſi verò hęres ſit collegiũ, aut dom⁹ probationis, etiã retineri poſſint: quod itẽ locum habet in caſu, quo domus profeſſa ſit hæres, ſi res immobilis relicta ſit neceſſaria, aut valdè cõueniens ad habitationem, aut recreationem Religioſis in ea degentibus. ita *Mol. ſup. D.* 195. *col.* 1. *Sanchez num.*15. alijque & probatur quia neque iure communi prohibentur domus profeſſæ, collegia, & nouitiatus hæredes inſtitui, quin potius regula generalis eſt poſſe quamcunque religionem inſtitui hęredem, niſi peculiariter excipiatur (quo modo ex-

do excipitur religio minorum in *Clem. exiui de verb. ſignific.* vti diximus q. 38. neque iure proprio id ipſis interdictum eſt, ſi quidem in *6. p. Conſtit. c. 2.* §. 12. vbi hac de re eſt ſermo, ſolum ſtatuitur Profeſſos particulares, aut Coadiutores formatos eſſe incapaces ſucceſſionis hereditariæ, & nec domos profeſſas, nec earum Eccleſias; nec collegia eorum nomine ſuccedere; quod ſine dubio non eſt omninò excludere domos profeſſas à ſucceſſione hæreditaria, ſed ſolum à ſucceſſione ratione perſonarum; vt inde conſtat, quod ibi idem ſtatuitur de collegijs, quæ tamen conſtat eſſe capacia, vt hæredes inſtituantur, ſicut habetur in iiſdem Conſtit. *ſup. §. 1. lit. A. in declarat.*

QVÆRES LVIII. An Profeſſi, & Coadiutores formati ſocietatis Ieſu ſint capaces ſucceſſionis hæreditariæ, ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſin minus quo ad domos profeſſas, ſaltem, quo ad collegia, ac domos probationis.

126 ℞. Non eſſe; & patet, quia Pontifices, qui confirmarunt Inſtitutum ſocietatis, iiſdem verbis vtuntur, quibus vtitur Clem. *exiit §. cum enim de verb. ſignific.* reddens Minoritas incapaces hæreditariæ ſucceſſionis; Vnde fit, vt, ſicut inſtitutio illorum non valet, neque quo ad æſtimationem, etiam in foro conſcientiæ, (& hoc, etſi illi inſtituantur, vt vendant hæreditatem,) ita, ſi hæres inſtituatur aliquis profeſſus, aut coadiutor formatus ſocietatis, irrita ſit inſtitutio; cum perinde ſit incapax, ac Frater minor. ita *Sanch. ſup. n. 24.* hinc inferens hæreditatem in tali caſu pertinere ad ſubſtitutum, aut cohæredem, aut veniens ab inteſtato. Et quidem quod Coadiutores formati tam ſpirituales, quam temporales ſint incapaces cuiuſcumque hæreditariæ ſucceſſionis, habetur expreſsè in Conſtit. Greg. XIII. *Aſcendente dño,* quæ ſic ait; *Quibus emiſſis* (.i. votis ſimplicibus Religionis) *tā his qui ſpirituales, quā qui tēporales Coadiutores formati fuerint, certū in Societate gradū habent, ſuntque omnis hæreditariæ ſucceſſionis incapaces, nihilq; omninò proprij iuxta Conſtitutiones eaſdem* (ideſt ſoc. Ieſu) *habere poſſunt.* Quod tamen non facit, quin tam profeſſi, quàm Coadiutores formati ſocietati ſint capaces legati; vt numer. 25. aduertit *Sanchez* & cum eo *Io. de Lugo num.* 101. monens *num.* 98. Ordines incapaces hæreditatis eſſe & incapaces fideicommiſſi vniuerſalis; vt ſi teſtatur iubeat hærede ſuo decedente deuenire ad Fratres minores: hære fideicommiſſarius vniuerſalis eſt hæres. & hoc licèt teſtator addidiſſet quod ſi diſpoſitio non valeat iure teſtamenti, valeat iure codicilli, & meliori modo, quo poteſt.

QVÆRES LIX. An, & quomodo domus profeſſæ ſoc. Ieſu ſint capaces, vt illis relinquantur legata etiam bonorum immobilium.

127 ℞. Eſſe; non quidem vt ea retineant, ſed vt vendant, pretium eius conuertendo in vſus neceſſarios: niſi fortè res immobilis legata ſit neceſſaria, aut valdè conueniens ad habitationem, aut recreationem noſtrorum, tunc enim poſſent eam retinere. ita *Sanch. num.* 15. & ante illum *Mol. tr. 1. D.* 195. patetque quia ex vna parte dictæ domus ſunt incapaces bonorum immobilium, vt oſtendimus q. 51. non eſſent autem talium bonorum incapaces, ſi retinere poſſent bona ſtabilia relicta: ex alia parte in *cap. exiit §. ad hac quia fratribus de verb. ſignific. in 6.* deciditur expreſſe legatum rei immobilis relictum minoribus valere, ſi in eo exprimatur modus licitus, nimirum, vt res legata vendatur, eiuſque æſtimatio dictis Fratribus tradatur; cum tamen talis iuris diſpoſitio æquè habeat locum etiam quo ad domos profeſſos ſoc. Ieſu, vtpote per ſe ſpectans ad ſubſtantiam paupertatis.

Sic ait *Cardinalis de Lugo ſup. num.* 102. ſi Domui profeſſæ legetur cenſus aliquis, valere legatum, ſicut aliarum rerum immobilium; etſi cenſus vendi debeat. Secùs, ſi legentur annui redditus ipſius cenſus, quos teſtator iubeat ſolui Domui profeſſæ: tunc enim legatum non valet; cum ipſa incapax ſit annuorum reddituum, etiam in modicam quantitate; Quod non procedit in caſu, quo dicti redditus ad modicum tempus relinquantur (quale reputatur, quod eſt infra decennium,) aut pro vita alicuius religioſi particularis cum tale tempus ob incertitudinem, & pericula non cenſeatur longum iuxta *Sanch. l. 7. mor. c. 26. n. 40. Federicum, Anton. & Abbatem* ab eo relatos: de quo dicit Io: de Lugo dubitari poſſe, eò quod redditus annui pro vita hominis præſertim iuuenis, ac robuſti emi ſolent pretio reſpondente decem & pluribus annis, ſicq; moraliter æſtimari debent durare per plures annos.

Vtrum verò validum ſit legatum rei immobilis relictum domui profeſſæ Societ. ſub conditione repugnante ipſius paupertati (ver. gr. vt illa res ſemper conſeruetur ſub dominio, aut vſufructu ſociet.

128 ℞. Probabile videri eſſe validum, non obſtante quod *Nicol. III. in c. exiit ſup. citato* oppoſitum declarauerit de ſimili legato relicto Minoribus: probatur autem tum quia illa conditio tanquam iniqua reijcienda eſt: tum quia ex *c. tua nobis de teſtam. & reg. 37. iuris in 6. vtile per inutile non vitiatur*: tum quia quod Nicol. III. declarauerit in contrarium quo ad minores, id eſt ſpeciale pro dictis Fratribus in odium talis legati, ſeu legantis, & in fauorem paupertatis illorum, ideoque non debet extendi ad Societatem profeſſam, vtpote per ſe non ſpectans ad ſubſtantiam paupertatis: idque licet alias ſocietas quo ad aliqua cum minoribus conueniat in cōi paupertate. ita *Suar. to. 4. de relig. tr. 10. l. 4. c. 9. n.* 15. addens quod cum iuxta dicta ſocietas non acquirat ius ciuile in bona ſtabilia ipſi legata non poteſt petere tale legatum, eſto poſſit illud acceptare cum nec voto, nec alicui iuri Societatis repugnet: acceptare inquam ſi hæres voluerit dare æſtimationem illius, aut etiam ipſummet legatum liberum & ſine ea conditione adiecta; quin nec hæres tenetur in conſcientia dare tale legatum, ſtando in rigore: cum ipſi conſtet talem non fuiſſe voluntatem defuncti, & alias iura ſimilia, diſponentia de talibus legatis reſpectu Societatis non obligent, quippe quæ (vt dictum eſt) nullum ius ciuile acquirit in illa.

129 Illud autem benè monet *Sanch. c. 27. n. 20.* quod cum domus profeſſa Soc. acquirat dominiū bono-

rum quia vbi non eſt proprietas, non adeſt violatio illa vendendi, vt diximus quæ. 52. idque non ſecus, ac quilibet alius legatarius acquirit dominium rei legatæ; tenetur hæres tradere rem ſtabilem legatam dictæ domui, ad hoc vt ipſa illam vendat: non enim hæredis eſt illam vendere, ſed ipſiuſmet domus profeſſæ, vt pote habentis illius dominium; cum è contra quæſt. 13. diximus rem immobilem legatam Minoritis debere vendi, non ab ipſis, ſed ab hæredibus teſtatoris, eò quod iſti retineant adhuc illius dominium: Quin addit *Sanch. num.* 22. dictos hæredes teneri talem rem legata tradere domui profeſſæ vnà cum fructibus ex ea perceptis, caſu, quo ad id tenerentur cuicumque alij legatario; & hoc ratione iuris, ac dominij, quod ipſa domus acquirit, tum vt dicta res ſibi tradatur vendenda, tū vt ſibi reſtituantur fructus ex ea percepti, dum non venditur, res quippe fructificat ſuo domino.

At dubium eſt, an caſu, quo domui profeſſæ ſocietatis legetur aliqua res immobilis, ea alteri locari poſſit, ſi vel nō occurrat opportunitas emptoris, vel, ſi eſt neceſſaria ad habitationem, non adeſt occaſio aptandæ habitationis.

130 ℞. *Sanch. num.* 22. quod, quamuis videatur id non licere, cum hoc ſit interim habere redditus annuos; quod repugnat paupertati domus profeſſæ; ſecùs tamen reſpondit P. N. Aquauiua anno 1607. menſe *I*anuarij in caſu ſimili interrogatus; nimirum id licere, ſi locatio duratura ſit ad modicum tempus; non item, ſi ad longum; & ratio eſt, quia retinere redditus pro modico tempore non repugnat noſtræ paupertati; ſicut nec repugnat mendicitati minorum: repugnat verò, ſi retineantur ad longum tempus, vt probauimus quæſt. 10. & tradit idem *Sanchez* monens *numer.* 23. in præſenti materia modicum tempus reputari id, quod eſt minùs decennio, ſicque ſenſiſſe viros doctiſſimos Societatis de hoc conſultos, cum quibus ſentit *Caſtrus Palaus tr.* 16. *D.* 3. *p.* 10. *num.* 3. *& Io. de Lugo ſupra num.* 99.

QVÆRES LX. An redditus annui Collegiorum ſocietatis poſſint à Generali conuerti in vſum domus profeſſæ, ſaltem ex parte.

131 ℞. Non poſſe, cum id prohibeatur in 4. *p. Conſtit. cap.* 2. §. 5. *& par.* 9. *cap.* 3. §. 18. & quidem ita, vt nec Præpoſitus ſolus, nec ſocietas tota poſſit id efficere, ſicuti inſinuatur in locis citatis, & præſertim in *par.* 4. *cap.* 5. quod tamen non facit, quin collegium ſocietatis poſſit facere domui profeſſæ eam eleemoſynam, quam poſſet facere monaſterio alterius Ordinis; vt benè aduertit *Suar. tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 28. *num.* 10. monens limitationem iſtam, quod domus profeſſa non poſſit iuuari bonis Collegiorum, procedere, non tam ex defectu poteſtatis Generalis, quam ex incapacitate ipſius domus profeſſæ; quippe quæ ratione ſui voti peculiaris eſt incapax talis vſus, qua de re *Sanch. nu.* 12. vbi affert aliquos caſus, in quibus domus profeſſa poteſt aliqualiter iuuari bonis Collegiorum.

QVÆRES LXI. An Religioſi ſocietatis violent votum paupertatis, ſi temporale aliquid recipiant pro miniſterijs.

132 ℞. Videri probabile, quod non; & probatur rum etiam ſtabilium ipſi relictorum ad effectum paupertatis; at in iſto caſu non adeſt proprietas; cum res, quæ recipitur pro miniſterijs, recipiatur cum debita licentia, & ad vſum, ſiue communem, ſiue proprium, dependentem tamen à voluntate ſuperioris, vt ſuppono; tum quia recipere ſtipendium pro miniſterijs, etiam ſpiritualibus ex ſe non aduerſatur paupertati, nec ex vi voti comprehenditur ſub voto paupertatis, cum aliæ religiones voueant paupertatem, & nihilominus licitè recipiant id ſtipendium: immò nec ex vi Conſtitutionum includitur ſub voto paupertatis, cum talis intentio nuſquam appareat, ſed potius oppoſita, vt in *p.* 10. §. 5. vbi eiuſmodi paupertas proponitur tamquam cadens ſub conſilio illis verbis, *refert plurimum ad cōſeruationem, & augmentum totius huius corporis nullos redditus, vel ſtipendia pro verbi Dei prædicatione, aut lectione, aut miſſis, &c. admittendo*; tum quia cum hoc punctum diligenter fuiſſet diſcuſſum in 2. Congreg. generali, & inclinantibus patribus magna ex parte in partem affirmantem, tractatum fuiſſet, vt totius Congregationis decreto id authenticè ſtatueretur, & declararetur, iuſtis tamen de cauſis cenſuit Congregatio abſtinendum eſſe à tali decreto: quod eſt ſignum non ſatis conſtitiſſe apud illos Patres, quod Conſtitutiones ſocietatis de hac materia loquentes eum aſſignarint vt materiam voti paupertatis: vnde quando in *cap.* 1. *examinis* §. 3. dicitur *Tria vota in ea* (ideſt in ſoc.) *obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis emittuntur, ſic paupertatem accipiendo, vt nec velit, nec poſſit redditus vllos ad ſuam ſuſtentationem, nec ad quiduis aliud habere*: & paulo poſt eodem contextu, *neque etiam pro miſſarum ſacrificijs, vel prædicationibus, &c. ſtipendium vllum, vel eleemoſynam, quæ ad compenſationem huiuſmodi miniſteriorum dari ſolent, &c. poſſunt admittere*: dici poteſt ibi ſpecialiter exprimi hunc actum ad exaggerandum, quanta perfectione, ac diligentia in ſocietate id obſeruari debeat, vtpote proximè, & maximè coniunctum cum paupertate, quam ipſa profitetur. ita *Suar. ſup. tr.* 10. *l.* 4. *cap.* 8. *num.* 7. 8. *&* 9. qui tamen *num.* 10. dicit contrariam ſententiam eſſe tutiorem, ſi obſeruetur, immò etiam in rigore iuris magis conſentaneam verbis Conſtitutionum, ſicq; tandem num. 11. concludit. *Hæc igitur controuerſia mihi dubia eſt, & diſputationis gratia facilè poteſt pro vtraque parte defendi: ego verò non auderem peccati m. damnare eum, qui præcisè in hoc delinqueret abſque conſcientia erronea, niſi aliunde ageret contra votum. A Suarez* non omninò diſſentit *Sanch. ſup. cap.* 28. qui allatis pluribus rationibus pro noſtra ſententia dicit *num.* 6. multò verius eſſe paupertatem hanc comprehendi ſub voto, & ideo eſſe mortalem voti illius tranſgreſſionem accipiendo ſtipendium pro rebus ſpiritualibus: quod eſt dicere contrariam ſententiā, ideſt noſtram, eſſe veram. ideſt probabilem: idem ſentit & *Caſtrus Palaus p.* 11. *num.* 4. ſed diſſentit *Perſicus de Sacerd. offic. l.* 2. *c.* 7. *n.* 46.

133 Dixi paulò ante, *niſi aliunde ageret contra votum*, vt aduerterem hac materia magnum eſſe periculum fortè ſemper peccandi mortaliter ex alio titulo; ſiue quod Religioſus ſociet. recipiat talia ſtipendia abſque vlla licentia ſuperioris (quod eſt certiſſi-

certiſſimum:) ſiue quod ea recipiat cum licentia ſubreptitia, petendo v. g. facultatem recipiendi aliquam ſummam pecuniæ, ſed non exprimendo, ſe eam recepturum in ſtipendium miſſarum, aut alterius miniſterij ſpiritualis: quo caſu probabiliſſimum putat *Suar. num.* 11. incurri vitium proprietatis, eo quod talis licentia ſit inuoluntaria ſuperiori concedenti in quantum modus ille dandi, aut accipiendi, qui tacetur, eſt valdè ſubſtantialis, & moraliter loquendo, infallibiliter mutaret eius voluntatem, ſi ipſi proponeretur: conſtat autem quod recipere cum licentia ſubreptitia perinde eſt, ac recipere ſine licentia: quæ doctrina locum haberet etiam in eo, qui in itinere aliquod tale ſtipendium reciperet, non habens tunc ſuperiorem, à quo licentiam petat: cum enim is eatenus poſſit eiuſmodi ſtipendium recipere, quatenus cenſetur habere licentiam à ſuperiore, ſiue generalem, ſiue tacitam; cum tamen licentia generalis, aut tacita non extendatur ad talem acceptionem, vt conſtat ex intentione Prælatorum ſociet. & ex conſenſu, ac vſu totius religionis, quæ ratio procedit etiam in omnibus Prælatis inferioribus ipſius ſocietatis; cum ij nullam talem licentiam habeant pro ſuis ſubditis, nec pro ſe ipſis habent; vt benè aduertit *Suar. num.* 12. addens iuxta communem ſenſum, ac vſum ſociet. nullum ex his Prælatis inferioribus poſſe validè diſpenſare in Conſtitutione prohibente receptionem ſtipendij pro miniſterijs ſpiritualibus; cum talis poteſtas non conducat ad communem, ac ordinariam gubernationem, eis ſpecialiter non committatur, nec de actibus illius extet vlla conſuetudo, ac veſtigium.

Difficultas eſſe poteſt de Præpoſito generali, an ſaltem ipſo validè poſſit diſpenſare in eiuſmodi Conſtitutione.

134 ℞. Poſſe, ſi interueniat cauſa legitima id faciendi: quod tamen moraliter loquendo, vix poteſt contingere; vt proinde meritò in Congreg. V. decretum I. ſtatutum ſit, ne pro miniſterijs ſocietatis ſtipendium, vel eleemoſyna vlla in compenſationem admitti poſſit: ac omninò prohibitum, *ne vllus Superior, ac ne ipſo quidem Præpoſitus generalis in ea diſpenſet*; ſecus, ſi non adſit cauſa legitima: tunc quippe diſpenſatio eſſet non ſolum illicita, ſed etiam inualida, vtpore facta ſine cauſa in iure ſuperioris, id eſt Congregationis generalis, quæ eſt ſuperior ipſi Generali: qui defectus ſemper inducit nullitatem. ita *Suar. numer.* 13. monens nouum non videri debere, quod ſuperior poſſit peccare mort. iniquè diſpenſando in Conſtitutione per ſe non obligante ad peccatum mortale: ſi quidem talis diſpenſatio eſt maximè contra bonum commune Religionis, præſertim in re adeò graui, nec non contra fidelitatem, & iuſtitiam, ad quam ſuperior tenetur ratione officij.

Maior difficultas eſt, an caſu, quo Religioſus ſocietatis ſtipendium accipiat pro rebus ſpiritualibus, poſſit illud retinere, an verò teneatur reſtituere: & ratio dubitandi eſt, quod iſta receptio non opponitur iuſtitiæ, ex cuius ſola violatione oritur obligatio reſtituendi (cum reuera illa miniſteria mereantur tale ſtipendium) ſed Conſtitutioni, aut ad ſummum votum paupertatis, cuius transgreſſio non obligat ad reſtitutionem.

135 ℞. *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 28. *numer.* 11. *Perſicus ſup. numer.* 52. *Molina tract.* 2. *D.* 687. aliique docti recentiores religioſum teneri reſtituere dictum ſtipendium danti; non quidem ex iuſtitia, ſed ratione voti; nec poſſe illud tradere ſuperiori, ac in pios vſus expendere: cùm ex voto prohibeatur admittere ſtipendiũ pro miſſis, & conſequenter expendere admiſſum; quod proinde reddendum erit danti, vt ſic miſſæ cenſeantur gratis dictæ. Verum *Caſtrus Palaus tract.* 16. *D.* 3. *p.* 11. *num.* 9. *ex P. Nauarra & Henriq.* cenſet dictum ſtipendium non eſſe reddendum danti, ſed poſſe de licentia ſuperioris expendi in pios vſus. probat quia talis redditio non eſt facienda, neque ex lege iuſtitiæ, cum voluntati dantis plenè ſatisfactum ſit miſſis iam celebratis; neque ex voto, cum votum ſolum obliget Religioſum, ne pro miſſis ſtipendium petat, neque admittat; non autem quod eo admiſſo, & miſſis celebratis ob illud, ipſum reddat: ſic enim ceſſat finis obligationis, qui erat, vt ſpiritualia gratis miniſtrarentur; quæ ſi ſemel ob ſtipendium acceptum gratis non fuerunt miniſtrata, etſi reddas ſtipendium, non potes efficere, vt cenſeantur gratis miniſtrata.

Grauior adhuc difficultas eſt, an caſu, quo Religioſus ſocietatis obligatus modo dicto ad reſtituendum tale ſtipendium, ſi de facto illud non reddat, & poſtea eijciatur è ſocietate, teneatur illud reſtituere, etiam poſtquam fuit eiectus: & ratio dubitandi eſt, quod talis obligatio non erat ex lege iuſtitiæ, ſed Conſtitutionis, quæ ipſo eiecto, manet extincta.

136 ℞. Teneri reſtituere danti, & quidem etiam in caſu, quo ſuperior conceſſiſſet licentiam acquirendi eiuſmodi pecuniam, ac expendendi in proprios vſus. Moueor, quod ceſſatio illa obligationis ſit quo ad futura, non autem quo ad præterita ex Cõſtitutione debita: cum ergò Religioſus ex Conſtitutione deberet ſtipendium illud reſtituere danti; & talis obligatio maneat, etiam poſt eiectionem (quo modo prohibitus ludere ex voto ſub pęna ſoluendi 100. quoties luſerit, ſi non ſoluit, tenetur ea ſoluere, etiam vbi obtinuit diſpenſationem talis voti, quippequæ extenditur ſolum ad obligationem futuram, vt ſuppono) tenebitur dictum ſtipendium reſtituere, etiam poſtquam eiectus eſt è ſocietate. Quod vt dixi, verum eſt, etiamſi ſuperior conceſſiſſet illi Religioſo acquirendi, ac expendendi pecuniam reſpondentem quantitati illius ſtipendij, ſi quidem, cum ſuperior non poſſit dare talem licentiam, ea habetur pro non data. ita *Sanch. num.* 12. & 13.

QVÆRES LXII. An repugnet paupertati Soc. Ieſu paciſci occultè cum aliquo ſe celebraturum 100. miſſas cum hoc, vt alter donet alicui tertio, ſiue pauperi, ſiue conſanguineo, ſtipendium dictis miſſis debitum.

137 ℞. Quod licet *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 28. *numer.* 15.

Rodriquez tom. 3. quæſ. 29. articul. 13. Fagundez. l. 7. in decal. c. 7. n. 7. Perſicus ſupra nu. 52. & alij putent repugnare, ea ducti ratione, quod Religioſus Societatis in hoc caſu virtualiter acquirit ea ſtipendia, eaque iubet dari alteri indebitè; quod videtur aduerſari voto paupertatis: cum in illo contractu interueniat virtuale quoddam dominium, & virtualis diſpoſitio pecuniæ: quatenus perinde eſt, quod ille, cum quo Religioſus ſocietatis fecit illud pactum, alij donet ſtipendia miſſarum, ac ſi ea daret nomine ipſius religioſi. *Caſtrus tamen Palaus tr. 16. D. 3. p. 1 t. num. 7.* cenſet probabilius eſſe, id poſſe fieri abſque violatione voti paupertatis: & probat tum quia hoc votum non violatur ſine acceptione, retentione, aut diſtributione pecuniæ; quæ hic non interueniunt; tum quia votum paupertatis non obligat ſacrificia vtcumque gratis fieri, ſed ita gratis fieri, vt celebrans ob ea non admittat ſtipendium; in tali enim admiſſione ſtat violatio voti, vt ſatis colligitur ex *4. p. Conſtitut. c. 7. num. 3. & 6. p. cap. t. numer. 7. & cap. 1. examinis numer. 3.*

138 Verum tamen eſt, quod, ſi quis religioſo ſocietatis liberè elargiretur aliquas pecunias, ſecluſo pacto, & is gratificandi cauſa aliquas miſſas promitteret abſq; dependentia vnius rei ab alia: tunc nulla interueniret violatio voti paupertatis; cum ſic miſſæ re vera gratis dentur, & abſque alia obligatione ab altero impoſita. ita *Fagund. num. 8. P. Nau. l. 3. cap. t. num. 171. Rodriq. loco ſup. cit. & Sanch. nu. 17.* docens cum *Rodriq. tom. 3. ſum. cap. 3 t. numer. 8.* idem dicendum eſſe in caſu, quo religioſus societ. abſque pacto promitteret miſſas, & alter in ſignum gratitudinis liberaliter donaret aliquas pecunias, nulla impoſita obligatione: cum ſic militet eadem ratio: quod etiam innuit *Caſtrus Pal. ſup. n. 5.* & docet *Perſicus ſup. n. 52.*

139 Sic poſſunt religioſi ſociet. celebrare gratis miſſas, quæ iuſſæ ſunt in teſtamento dici ex ſtipendio; ſicut & eas, ad quas tenentur Capellani ratione capellaniæ, aut Confraternitates, vel alia loca pia ob annuos redditus ijs relictos cum onere celebrandi quotannis tot, aut tot miſſas; idque etſi hæredes, Capellani, & loca pia ſibi retineant pecunias, quas alioqui in hoc deberent expendere: dummodò tamen religioſi ſociet. nullum ſtipendium pro miſſis recipiant, neque paciſcantur, vt alijs detur. Ratio eſt, quod hæredes, Capellani, & loca pia non acquirunt dominium pecuniæ, quam in præſenti caſu retinent, ratione miſſarum, ſed ratione tituli hæreditarij, legatarij, aut capellaniæ, ſolumque vi illarum miſſarum liberantur ab onere annexo illis titulis celebrandi illas miſſas, ſicque merè gratis eæ dicuntur; eſtò per accidens alij eximantur ab onere expendendi pecunias ad effectum vt eæ dicantur: aliàs nec poſſent religioſi ſocietatis concionari, vbi à teſtatoribus deſtinatum eſt certum ſtipendium pro Concionatoribus; quod tamen fit quotidie in ſocietate cum re vera intentio prima, & per ſe teſtatoris ſit, vt conciones habeantur, & acceſſoria, & per accidens, vt detur certum ſtipendium; vnde inuento gratis concionante mirum non eſt ceſſare obligationem ſoluendi dictum ſtipendium, quæ doctrina facilè applicari poteſt ad præſentem caſum. ita *Sanch. numer. 18. alijque doctiſſimi viri è Societ. ab ipſo conſulti*; qui tamen negat *numer. 19.* religioſum ſocietatis poſſe etiam gratis celebrare miſſas, quæ fortè ab ipſo peterentur ſiue ab executoribus teſtamentorum, ſiue à Clericis priuatis ſtipendium ex miſſis debitum recipientibus; aliàs id concedens de Clerico paupere, qui ſe ſolo non poſſet, implere onera miſſarum ab ipſo acceptata ex ſtipendio; non item ſi commodè poſſit ſatisfacere ſuſceptæ obligationi, ſiue per ſe, ſiue per alium. in quo diſſentit *Caſtrus Palaus numer. 8. ex Michaele Vaſquez, & Io: Salas* doctiſſimis Theologis, ſuſtinens poſſe ſacerdotem ſocietatis gratis celebrare certum numerum miſſarum ad ſatisfaciendum obligationi ex ſtipendio manuali ſuſceptæ à ſacerdote ſæculari; licèt hic commodè poſſet ſatisfacere, ſiue per ſe, ſiue per alium.

Sic puto ſacerdotem ſocietatis, qui ſuſcepit curam procurandi certum numerum miſſarum à ſacerdotibus extraneis celebrandarum ex ſtipendio, poſſe aliquot miſſas gratis celebrare in ſatisfactionem negligentiæ culpabilis adhibitæ in dictis miſſis procurandis: nam re vera non recipit ſtipendium pro miſſis, neque directè, neque indirectè, neque pro ſe, neque pro alio.

140 Dices, quid ſi ſacerdos ſocietatis curet, vt ſacerdos extraneus dicat aliquot miſſas ex ſtipendio ipſi ſoluendo non in præſenti pecunia, quam ſacerdos ſocietatis accepit à petente dictas miſſas, ſed in aliqua re pretio æſtimabili, ver. grat. dando librum: & interim timens, ne ſacerdos extraneus nimis differat miſſas, aut etiam illas omninò omittat, ipſe eas celebret animo ſupplendi in caſu, quo ille alius ſacerdos deſit ſuæ obligationi: violat ne ſacerdos ſocietatis hanc prohibitionem, ſi retenta pecunia det librum ſacerdoti extraneo?

℞. Non violare, ſi intendat liberare ſacerdotem extraneum ab obligatione dictarum miſſarum; idque ob doctrinam allatam à *Sanchez ſupra numer. 15. & 16.* & à nobis relatam *hic numer. 137.* (Quam tamen *Caſtrus Palaus ibi* non admittit abſolutè, proinde non abſolutè admiſſurus hanc reſponſionem) ſecùs, ſi ſolum intendat vtiliter gerere negotium illius, pro quo miſſæ procurantur, & ad abundatiorem cautelam ei donare tantumdem quantum ei debebatur ex iuſtitia ab illo ſacerdote: nam ſic ſacerdos ſocietatis miſſas gratis celebrat; cum pro illis nec ipſe, nec alius vllum ſtipendium accipiat. Cuius reſponſionis prior pars à fortiori admittetur à *Sanchez* in caſu, quo ſacerdos ſocietatis ſciens ſacerdotem extraneum miſſas non celebraſſe, ſibi retineret & pecuniam, & librum; cum ſic acquirat ſtipendium pro miſſis celebratis, vt patet.

Vtrum verò ſacerdos ſocietatis habens licentiā comparandi ſibi certā ſumma pecuniæ, poſſit ſine peccato m. procurare à pluribus ſacerdotibus Soc.

miſſam

miſſam vnam à ſingulis, recepto pro ijs debito ſtipendio, ſicque adunare dictam pecuniam. pro parte affirmante ſtat, quod paruitas materiæ excuſat à mortali ſingulos Sacerdotes præfatas miſſas celebrantes: procurantem vero illas videtur excuſare doctrina tradita à *Sanchez l.* 1. *mor.cap.* 4. *nu.* 12. videlicet non eſſe mortale, ſi quis faciat, vt multi eodem, aut diuerſis feſtis magna temporis parte laborent, ſi omnium labor vniatur, at ſinguli ſolum modico tempore.

141 ℟. Dictum Sacerdotem non poſſe ſine mortali adunare præfato modo ſummam illam pecuniæ: cum non acquirat dominium ſtipendij debiti pro miſſis, vt docet *Sanch. l.* 7. *mor.cap.* 28. *numer.* 20. & omnia illa ſtipendia ſimul ſumpta faciant ſummam notabilem ſufficientem ad mortale, quippequę ſubſunt vni intentioni perueniendi ad ſummam notabilem: quare eorum receptio, ac retentio eſt mortalis, etſi partes illorum pertineant ad varios dominos, & ſingulæ ſint paruæ.

Quod ſi quæras, an ſacerdos ſocietatis, poſſit titulo gratitudinis celebrare miſſas, retento ſibi ſtipendio, quod accepit ſoluendum extraneis ſacerdotibus, à quibus erat procuraturus dictas miſſas nomine eorum, qui ſtipendium dederant ad talem effectum.

142 ℟. De rigore iuris videri poſſe; ſi id faciat de licentia Superioris, & alias adſit probabilitas, cum eius nomine procurantur miſſæ, reliquurum ex gratitudine ſacerdoti ſocietatis illam ſummam, quam antea dederat pro miſſarum ſtipendijs. ita docti recentiores è ſocietate, & colligitur non improbabiliter ex doctrina, quam in caſu ſimili tradit *Sanch. num.* 2. Quin etiam concedit *Caſtrus Pal. numer.* 10. *ex eodem Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 18. *numer.* 15. ſacerdotem ſociet. poſſe dicere miſſas debitas ex ſtipendio accepto, & conſumpto: cum ſic non acquirat ſtipendium, ſed impleat obligationem iuſtitiæ ortam ex ea receptione; ad quam vtique tenetur.

At dubium eſt, an caſu, quo diximus Religioſum non poſſe dicere miſſas ratione ſtipendij ob ea accepti, poſſit alius tuta conſcientia illud ſibi retinere.

143 ℟. Diſtinguendo; vel Religioſus Soc. neſcit illud ſtipendium recipi pro illis miſſis; & ſic alter non poteſt retinere, cum tale ſtipendium acquiri non poſſit, niſi ex intentione dicendi miſſam in compenſationem ſtipendij recepti; ſi quidem gratuita donatione non ſit ſolutio rei debitæ (cum tamen præſumi non poſſit Religioſum Soc. velle ex ſua miſſa alij ſtipendium acquiri, ipſo interim faciente contra regulam; imò potiùs præſumatur oppoſitum:) vnde fit, vt contra illius voluntatem ille alter acquirat præfatum ſtipendium. Vel Religioſus ſocietatis ſcit ſtipendium recipi, ignorans tamen ſibi interdictum eſſe celebrare, vt alter miſſæ ſtipendium capiat; & ſic neque in iſto caſu poteſt retinere tale ſtipendium; cum error, & ignorantia cauſent inuoluntarium, ideoque non cenſeatur velle Religioſus, vt alter acquirat ſtipendium, ipſo per hoc delinquente contra regulam: quod ſi Religioſus ſciat ſe delinquere, & tamen dicit illas miſſas, altero recipiente ſtipendium, tunc ſi Religioſus ſit ſolum ligatus votis biennij, poteſt ille alter retinere ſtipendium, cum ſic Religioſus fuerit capax ſibi acquirendi illud ſtipendium, illudque transferendi in alium; & alioqui non teneatur reddere illud danti, niſi ex Conſtitutione, aut ad ſummum ex voto, quæ non impediunt translationem dominij in alterum: ſecus, ſi Religioſus ille ſit profeſſus, aut Coadiutor formatus; tunc quippe non poteſt alter retinere ſtipendium; cum non poſſit dici acquirere, niſi ex tacita acceptatione, & donatione ipſi facta à Religioſo, qui tamen, cum ſit incapax dominij, non poteſt neque acquirere, neque transferre in alium. ita *Sanch. n.* 20.

144 Monet autem *Sanch. nu.* 22. in ijs caſibus, in quibus poteſt Religioſus ſocietatis dicere miſſas, ſiue voto promiſſas, ſiue debitas ab hærede, &c. nullam ad id peti licentiam ſuperioris: cum ij, celebratis miſſis, ad quas tenentur ex Religionis Inſtituto, poſſint eas, quæ ſuperſunt, offerre liberè prout voluerint.

QVÆRES LXIII. An caſu, quo quis admittatur ad ſoocietatem aliquo miſſarum onere grauatus, quas omiſit ad eas obligatus ex ſtipendio recepto, is Religioſus iam factus poſſit illas celebrare, imò & adiuuari ab alijs ſocietatis Religioſis ad eandem intentionem celebrantibus.

145 ℟. Siquidem adhuc ſit nouitius, poſſe; imo & teneri dicere illas miſſas, cum adhuc nullum habeat impedimentum; ſi autem ligatus ſit votis biennij, aut Coadiutoris formati, aut Profeſſi, & aliàs non ſit, nec fuerit ſoluendo Clericis ſæcularibus, vt faciat illa ſacra, tunc poſſe ipſam ea facere, imo & adiuuari ab alijs Religioſis Soc. modo dicto. Quamquam, vt ſapiẽter reſpondit R.P.N. Aquauiua de hoc interrogatus, eiuſmodi ſacerdotes admitti non debeant in ſocietatem, donec ſatisfecerint ſuæ obligationi: niſi fortè eſſent eximijs dotibus prædit. ita *Sanch. n.* 23. addens tales ſacerdotes teneri poſtponere miſſas, quę ex noſtri Inſtituti obligatione fiunt à noſtris: cum hæ ad nullam culpam obligent, & illæ debeantur ex iuſtitia, cuius obligatio vtique præponi debet; quod non refutat *Perſicus ſup. n.* 53.

Dices quid, ſi religioſus ſocietatis recepit ſtipendia pro miſſis dicendis, & ea expendit, nec eſt ſoluendo, poteſt ne tunc dicere tales miſſas?

146 ℟. Cum diſtinctione; vel iſte Religioſus adhuc eſt nouitius; & procedit doctrina tradita §. *præcedenti*; vel iam emiſit vota (quæcumque demum ea ſint) & ſic tenetur celebrare miſſas eas etiam præferendo ijs, ad quas tenetur ratione Inſtituti: ratio eſt, quod tales miſſas non dicit, vt nouum ſtipendium acquirat, ſed vt ſatisfaciat obligationi iam contractæ ex iuſtitia, quam aliter implere non poteſt; quod eſt tales miſſas gratis omninò dicere. Quod ſi ea ſacra recepit poſt vota biennij à ſe emiſſa, adhuc tenetur eas celebrare, celebratis tamen priùs miſſis, ad quas tenetur ex Inſtituto ſoc. cũ per vota emiſſa religio ius acquiſierit in voluntatem

Religioſi, ideoq; non potuerit is tali iuri derogans per acceptationem illarum miſſarum. ita *Perſicus ſup. num. 54.* ex *Sanch. n. 25.* & patet ex dictis. diſſentit *Caſtrus Palaus num. 11.* ſuſtinens in vtroque caſu propoſito miſſas debitas ex ſtipendio debere præferri miſſis præſcriptis à Societate.

147 Addo ex *Sanch. l. 4. mor. cap. 11. num. 33.* quod ſi quis vouiſſet certum numerum miſſarum in honorem alicuius Sancti v.g. poſſet Religioſus ſatisfacere tali voto, gratis dicendo illas miſſas; & hoc, etſi vouens intendiſſet promittere eleemoſynam pro dictis miſſis erogandam: intentio namque principalis eſt, quod dicantur illæ miſſæ; & eleemoſyna ponitur tantùm quaſi acceſſoria, & tanquam conditio requiſita ad hoc vt illæ miſſæ celebrentur; quod tamen non haberet verum, ſi eleemoſyna fuiſſet promiſſa æque principaliter; cum ſic etiam eleemoſyna ſit obiectum voti quod proinde non cenſetur impleri ſufficienter, niſi ea ſoluta, vt patet.

148 Ex quibus pàtet prohibitionem non recipiendi ſtipendium pro miſſis, alijſque miniſterijs ſpiritualibus, quæ in Societ. exercentur, afficere omnes religioſos illius, ſiue Profeſſos, ſiue Coadiutores formatos, ſiue etiam ſcholares adſtrictos tãtùm votis biennij; cum hac tamen differentia, quod Profeſſi, & Coadiutores formati neque validè, neque licitè acquirunt dictum ſtipendium; illi quidem ex vi voti paupertatis, quod emittunt, hi verò ex Eccleſiæ inſtitutione, prout videre eſt Conſtitutionibus Societatis *p. 6. c. 2. §. 11. in declarat. litt. H*, confirmatis à Sede Apoſtolica, & in duplici diplomate, quo Greg. XIII. Societatis Inſtitutum confirmauit; ſcholares autem, validè, ſed illicitè acquirunt præfatum ſtipendium; quippequi non obſtante voto paupertatis, quod faciunt, adhuc manent capaces dominij, ideò non poſſunt licitè de nouo acquirere ſine debita licentia ſuperioris, vt infra oſtendemus qu. 67.

QVÆRES LXIV. An, & quo modo religioſi Societ. poſſint ſuſcipere obligationem dandi Confeſſarij Concionatoris, Lectoris Theologiæ, &c.

149 ℞. Quod, cum in *4. p. Conſtit. cap. 7. §. 3.* dicatur, *non conuenit vllam collegij dotationem admittere, per quam ad dandum concionatorem, confeſſarium, aut lectorem aliquem theologiæ Soc. obligetur*; & ly *non conuenit* non importet rigorem obligationis pertinentis ad paupertatem Societatis, ſed potius conſilium magis, & meliùs conducens ad finem ipſius Societ. in rigore loquendo non eſt contra ſocietatis Conſtitutiones admittere dotationem alicuius Collegij cum obligatione dandi Concionatorem, Confeſſarium, aut aliquem Lectorem Theologiæ: ſiue obligatio docendi Theologiam ſit ſolum acceſſoria admiſſioni alicuius Vniuerſitatis (ſocietas enim Vniuerſitatem aliquam admittens ex conſequenti poteſt ſe obligare ad ordinarias illius lectiones, etiam Theologiæ, vt conſtat ex Conſtit. loco cit.) ſiue etiam illa obligatio ſit principalis; aliud enim eſt recipere ſtipendium pro ſpiritualibus, & aliud pro obligatione aſſignandi certum miniſtrum ad ſpiritualia conferenda, vt notat *Sanch. l. 7. mor. c. 28. n. 4.* quod tamen non approbat *Caſtrus Palaus numer. 6.* cum idem procedat in ſtipendijs datis Clerico ſæculari; ſicque cenſet non poſſe ſocietatem obligari ex iuſtitia adminiſtranda ſpiritualia ex fundatione Collegiorum, miſſionum, &c. benè tamen ex gratitudine, ac fidelitate.

De Paupertate Soc. Ieſu quo ad Scholaſticos.

150 *Scholares approbati ſocietatis ſunt capaces dominij.*
151 *Retinent dominium ſuorum bonorum ad arbitrium ſuperioris.*
152 *Non acquirunt bona de nouo abſque ſuperioris licentia.*
153 *Limitatur aſſertio.*
154 *Sunt verè Religioſi, etſi ſint dominij capaces.*
155 *Non vtuntur ſuis bonis independenter à ſuperiore.*
156 *Ex voto renunciant bonis ſuis ad ſuperioris arbitrium.*
157 *Peccant diſtribuendo bona ſua, aut ijs renunciando ſine ſuperioris licentia.*
158 *Idque etſi renuncient in fauorem cauſæ piæ.*
159 *At talis renuntiatio eſt valida.*
160 *Quamuis à ſuperiore poſſit irritari.*
161 *Idem procedit de teſtamento ab illis indebitè facto.*
162 *Non ſemper peccant mort. faciendo teſtamentum, inſcio ſuperiore: maximè, ſi illud faciant proximè ante profeſſionem.*
163 *Sed teſtamentum in priori caſu factum poteſt à ſuperiore irritari, etiam poſt mortem teſtatoris.*
164 *Bona ſua debent dare pauperibus, niſi aliter iudicet ſuperior.*
165 *At interdum de ijs poſſunt diſponere in fauorem conſanguineorum.*
166 *Cogi poſſunt à ſuperiore, vt de ijs diſponant ad pias cauſas.*
167 *Non item, vt de ijs diſponant in vſum non pium.*
168 *Bona eorum, etiam mobilia, ijs inuitis, à ſuperiore applicari non poſſunt Societati.*
169 *Rebus ſuis vti nequeunt tanquam proprijs.*
170 *Eas tamen alteri cuſtodiendas dare poſſunt, ſed non ſemper.*
171 *Acquirunt ſibi, quæ ijs dantur intuitu ipſorum: non item illa, quæ ijs dantur intuitu Religionis.*
172 *Explicatur, quando ſuperior cenſeatur dare licentiam ad acquirendum ipſis, & quando Religioni.*
173 *De ſuis bonis ſine licentia dare non poſſunt, non mutuare, &c.*
174 *Quæ acquirunt ſuo labore, ac induſtria, ſunt Religionis, vtpote ei acquiſita mediatè.*

QVÆRES LXV. An ſcholares ſocietatis, qui ſcilicet adſtricti ſunt tantùm votis biennij, vi voti paupertatis, quod emittunt, reddantur incapaces dominij tam quo ad acquirendum, quam quo ad transferendum.

150 ℞. Non reddi (nomine ſcholaſticorum cõprehendẽdo etiã Coadiutores non formatos votis biẽnij ligatos) & probatur, quia nullo iure poſitiuo

ſupra-

ſit prædicti redduntur incapaces: cum tamen eiuſmodi incapacitas ſine iuris adminiculo non contrahatur, vt oſtendemus *ſect. ſequenti q. 1.* præter quam quod id ipſum expreſsè declaratur in Conſt. Greg. XIII. *Aſcendente Domino* in hæc verba: *licèt qui quo ad gradus profeſſorum, & Coadiutorum formatorum nondum peruenerunt, bonorum ſuorum ius, atque dominium tum alias ob iuſtas cauſas, tum etiam vt maiorem Soc. habeat libertatem illos, ſi opus fuerit, cum minori offenſione dimittendi, ad tempus, Generalis Præpoſiti iudicio præſcribendum valeant retinere.* Vbi notat *Suar. to. 4. de relig. tract. 10. l. 4. cap. 4. num. 2.* non condi ius nouum, ſed declarari antiquum; licet enim in prioribus bullis editis ab alijs Pontificibus id non eſſet ita expreſsè declaratum: eo ipſo tamen quod vota Scholaſticorum ſolum admittebantur vt ſimplicia, eiſque in nulla Pontificum bulla adiungitur incapacitas dominij, ea ipſis non conuenit; cum iure communi ſolum votum ſolemne paupertatis adiunctam habeat talem incapacitatem. Vnde fit, vt in dicta Conſtit. Gregorij XIII. quando dicit Coadiutores formatos, quorum vota etiam ſunt ſimplicia, eſſe incapaces omnis hæreditariæ ſucceſſionis, nihilque proprij habere poſſe, addatur *iuxta eaſdem Conſtitutiones* (ideſt Societatis) eo quod ſcilicet vi iuris communis eorum votum talem effectum habere non poſſet, cum non ſit ſolemne.

QVÆRES LXVI. An, & quo modo Scholaſtici Soc. licitè poſſint retinere proprietatem, ac dominium ſuorum bonorum temporalium.

151 ℞. Poſſe, quamdiu per Superiorē non iubentur renunciare: & probatur tum ex varijs locis Conſtitutionum Soc. & præſertim ex *4. p. cap. 4. lit. E.* vbi in declarat. dicitur *Hæc conſuetudo facit, vt quamuis paupertatis votum ſit emiſſum, bona tamen temporalia haberi poſſint vſque ad certum tempus, quod Superiori intra probationis ſpatium videbitur* (intellige, vſque dum admittantur ad vltimum gradum:) tum ex praxi Societ. quæ vtique non permitteretur, ſi eſſet illicita: tum quia votum non obligat vltra intentionem vouentis: Scholaſtici autem, quando vouent paupertatem in hoc gradu, non intendunt ſe obligare ad carentiam proprietatis, niſi hoc modo vtpote qui vouent paupertatem *iuxta Conſtitutiones*, in quibus ita, & non aliter declarata eſt eorum paupertas. ita *Suar. num. 3.* bene monens ſub voto paupertatis, quod faciunt Scholares Societatis, comprehendi obligationem de abdicando rerum ſuarum dominio ad arbitrium Superioris. adde tu ex dictis *ſect. præced. q. 5. & 6.* illos vi talis voti effici verè, ac propriè religioſos.

Putat autem *Cardinalis de Lugo D. 3. de iuſt. nu. 84.* Conſtitutiones Societatis, quando bonorum dominium retineri permittunt per aliquod tempus, de ijs bonis egiſſe, quæ ante vota poſſidebantur, vel ad quæ iam habebant ius ob neceſſariam ſucceſſionem, vel quid ſimile (quod ſatis clarè colligitur ex *Conſtitut. Societ. cap. 4. examinis §. 2. & 3. p. 3. cap. 1. §. 7. & p. 4. cap. 4. lit. E.* ex Gregorij XIII. bulla *Aſcendente* & ex *Sanch. l. 7. cap. 27. num. 32. cap. 18. nu. 28.*) non autem de bonis omnibus alijs, quæ Scholaſticis donantur eleemoſynæ, aut amicitiæ cauſa, aut quæ alia via acquirunt. ita *Cardinalis* addens n. 86. hoc non obſtante, ſi Superiores dent Scholaſtici licentiam acquirendi eiuſmodi bona, validè eos acquirere illorum dominium; cum vi votorum ſimplicium, quæ fecerunt, non ſint incapaces, & votum paupertatis obliget ſolum ad non acquirendum dominium abſque licentia Superioris, & ad non exercendum actum dominij propria auctoritate: quæ obligatio ſufficit, vt ij actus ſint illiciti, non item inualidi, ſed ad ſummum reuocabiles, ac irritabiles à ſuperiore: quidquid ſit an ſuperiores in hoc caſu prudenter, ac licitè concederent talem licentiam.

QVÆRES LXVII. Quid requiratur ad hoc vt ſcholaſtici Soc. licitè acquirant nouum dominium alicuius rei temporalis.

152 ℞. Quod, quamuis bona acquiſita ante emiſſum votum paupertatis licitè poſſint retinere, eo ipſo quod nōs prohibentur, ſeu eo ipſo quod ijs non præcipitur abdicatio; cum votum illud fiat ſub tali modo, & non aliter; vt tamen nouum aliquod dominium acquirant, non ſemper ſufficit talis non prohibitio, ſed requiritur auctoritas, & voluntas ſuperioris. ratio eſt, quod licet votum paupertatis ab ipſis emiſſum non obliget abſolutè ad non habendum proprium; obligat tamen ad non vtendum aliqua re vt propria; ſicut conſtat ex Conſtit. *cap. 4. exam. & p. 3. cap. 1. §. 7.* vbi dicitur *Doceantur omnes, quod nulla re tanquam propria vti debeant*; eſt autem magna proprietas, ac vſus rei vt propriæ, propria auctoritate, ac voluntate, inſcio ſuperiore nouum dominium alicuius rei acceptare; adeoque non poteſt non eſſe contraria tali voto. ita *Suar. numer. 4.*

Vtrum vero iſta doctrina militet etiam in caſu, quo nouum dominium acquiratur quaſi ab intrinſeco ex vi prioris dominij, ſeu iuris, quod ante emiſſionem voti poſſidebatur, & poſtea etiam retentum fuit: quo modo acquiruntur prouenientes ex propria re fructifera, aut beneficio, & bona paterna ratione iuris hæreditarij, quod non amittitur vi huius voti paupertatis vt ſic.

153 ℞. Diſtinguendo; vel nouum dominium rei acquiritur ſine noua acceptatione ipſius dominij per ſolam nouam ipſius rei exiſtentiam (vt euenit in acquiſitione fructuum rei frugiferæ; & ſic non requiritur poſitiua facultas ſuperioris: cum id iure ipſo concedatur, iure inquam Societatis permittente ſcholaribus dominium antiquorum bonorum, ſicque conſequenter indulgente, vt ſi ea ſint bona immobilia fructifera; temporis ſucceſſu dominium illud extendatur ad fructus inde prouenientes. Vel dominium de nouo comparandum eſt tale, vt quamuis acquiratur ex vi alicuius iuris antiqui, nihilominus ad illud comparandum neceſſaria ſit noua voluntas, & noua acceptatio (vt euenit in aditione hæreditatis paternæ:) & ſic requiritur ſcientia, & facultas ſuperioris ad hoc vt acquiſitio fiat rectè, & ſecundum votum paupertatis. ita *Suar. nu. 6.* addens, quod licet dicta acquiſitio aliter facta ſit valida, vtpote quæ nullo iure irritatur, non eſt tamen adeò firma, quin poſſint irritari à Superiore; idque ob generalem dependentiam voluntatis Religioſorum à proprio Superiore

riore, qua de re *Cardinalis de Lugo D. 3. de iuſt. n. 82. 83. 84. & 85.*

154 Addit Cardinalis *num.* 87. quòd, cum Scholaſticus Societatis intendat ſolum acquirere iuxta licentiam Superioris ſibi datam; & hæc (loquendo de rebus vſum conſumptibilibus, & donationibus factis non titulo merè ſeculari, ſed religioſo, ideſt proueniente ex ſtatu religioſo) ex intentione Prælati, & ſenſu Societatis ſit ſolum ad ea acquirenda communitati, ac mens dantis ſit ea date eo modo, quo licitè accipi poſſunt: conſequens eſt, vt Religioſus accipiens ea de facto non ſibi, ſed Communitati acquirat; & dans intendat ea dare non Religioſo, ſed communitati; quamuis aliàs poſſet dans velle transferre dominium ſolum in Religioſum; & Religioſus poſſet velle (etſi illicitè) ſibi ſoli acquirere; quo caſu re vera validè acquireret.

QVÆRES LXIX. An, ſicut Scholaſtici Soc. ſunt capaces dominij quo ad retinenda bona propria, ita & ijs vti poſſint propria auctoritate, ac voluntate, & non iuxta regulam, aut voluntatem Superioris.

155 ℞. Non poſſe; & probatur tum ex Conſtit. Greg. XIII. *Aſcendente Domino*, vbi, poſt quam dixit Scholares retinere dominium ſuorum bonorũ, ſubdit *interim tamen quantum ad illorum vſum religioſam paupertatem ſeruant, neque vlla re tanquam propria ſine Superioris facultate vti poßunt*; tum quia votum religioſæ paupertatis ſaltem, & principaliter requirit paupertatem in vſu, vt conſtat ex dictis *ſect. præcedente q. 5. §. neq. hinc*: vnde præfati Scholares nõ haberent votum paupertatis ſufficiens ad ſtatum religioſum, niſi à ſe abdicarent vſum proprietariũ bonorum omnium ex voto; ex quo fit, vt, ſicut in Conſtitutionibus Societ. declaratur eos retinere dominium, ita & declaretur eos nulla re vti poſſe tanquam propria: quod eſt dicere eos non poſſe licitè diſponere de bonis proprijs independenter à Superiore, ſiue vendendo, ſiue permutando, ſiue donando, ſiue aliter diſtrahendo. ita *Suar. ſup. cap. 6. nu. 2.* afferens *num. 3.* decretum Congreg. V. generalis, latum can. 50. his verbis: *Qui poſt emiſſa 3. vota ſubſtantialia res ſuas diſtribuit, vel illis ſe abdicat ſine Superioris facultate, facit contra votum paupertatis*; quo modo loquendo Congregatio vel de nouo decreuit formam illam diſponendi de bonis addita Superioris voluntate tanquam neceſſaria conditione importare materiam voti paupertatis (quod vtique potuit facere pro ſua authoritate, vt in ſimili notat *Suar. ſup. l. 6. c. 10. nu. 2.*) vel certè declarauit iam inde à principio ita ſe habuiſſe quo ad hoc votum paupertatis in Societate, violarique mortaliter, aut venialiter pro quantitate materiæ, ſi voluntas Superioris non aſſiſtat tali diſpoſitioni.

QVÆRES LXX. An, & quando Scholaſtici Societat. vi voti paupertatis teneantur à ſe abdicare dominium omnium bonorum, quæ poſſident.

156 ℞. Teneri, quotieſcunque Superior præſcripſerit, ac deſignauerit tempus: idque non ſolum ex vi Conſtitutionis, quæ per ſe non obligat ad culpam, ſed ex vi voti per ſe obligantis ſub mortali Vnde ad hanc obligationem non eſt opus, vt Superior proprium præceptum imponat ſub virtute obedientiæ: cum iſta obligatio per ſe non ſit ex voto obedientię (quamuis iſta adiungi poſſit per accidens) ſed ex voto paupertatis, eo quod tunc impleatur conditio, ſeu tempus, pro quo talis actus; ſeu abdicatio promiſſa fuit Deo; quo modo, inquit *Suar. ſup. l. 4. cap. 4. num. 3.* promittens ingredi religionem infra tempus ab alio præſcribendum ſtatim ac ille alius deſignat tempus, voto tenetur, non ex præcepto, vel obedientia alterius, ſed ſolum quia impleta eſt conditio, cum qua votũ emiſſum fuit: quod omninò euenit in caſu noſtro, idem ſentit *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 3. p. 2. nu. 4.*

QVÆRES LXXI. An Scholaſtici Soc. peccent contra votum paupertatis, ſi propria bona diſtribuant, aut à ſe ipſis abdicent ſine licentia Superioris.

157 ℞. Peccare, maximè ſi diſpoſitio bonorum fiat in opera non pia habetur expreſsè in *can. 50. & 59. Congregat. V. generalis*, patetque ex eo quod forma illa diſponendi, addita Superioris voluntate tãquam neceſſaria conditione euadit materia voti paupertatis, ſic decernente, vt dixi *q. 69. citato*, aut fortè ſuo decreto declarante Congregatione iam inde à principio ita habuiſse hac in parte votum paupertatis in Societate, ideoque illud violari modo ſup. dicto iuxta materiæ quantitatem, ſi voluntas Superioris non aſſiſtat præfatæ bonorum diſpoſitioni; cuius rei ea eſt ratio, quod alioqui diſponens de proprijs bonis abſque licentia Superioris illorum vſum propria auctoritate ſibi vſurparet, & conſequenter ijs vteretur tanquam re propria: cum tamen, ſtante ſup. dicto canone 7. modus, & forma talis diſpoſitionis non committatur arbitrio Religioſi diſponenti, ſed Superioris, cui ſubeſt, vt notauit *Suar. cap. 6. nu. 4.* id inde colligens, quod, cum Scholares Societatis vi Conſtitutionum voueant paupertatem ſub limitatione negatiua diſtribuendi ſua bona pauperibus, niſi ex facultate Superioris, aut iudicio illorum, quos ipſe probauerit, aliud facere expediat: ſi ſine tali facultate, aut examine, proprio arbitrio expendant ſua bona in vſus non pios, conſtat illos vti ſuis bonis vt re propria, & per conſequens delinquere contra votum paupertatis, quanquam, cum res, quæ expenditur, non ſit Religionis, ſed propria, & in tali euentu non delinquatur vſurpando, ac retinendo (quod magis repugnat paupertati, quam abdicatio) ideo maior quantitas requiritur ad hoc vt cenſeatur peccari mortaliter, ſibi appropriando talem vſum bonorum propriorum.

An verò peccet. mortal. contra votum paupertatis Scholaſticus Societ. qui de ſuis bonis, diſponit in pauperes, aut alia pia opera inſcio, aut etiam inuito Superiore.

158 ℞. Stante decreto illo 50. Congregationis V. videri peccare mortalit. niſi paruitas materię excuſet: idque ſiue canon ille dicatur nouum ius induxiſſe in Societatem, ſiue auctoritatiuè declaraſſe ius antiquum; quo modo Eccleſia ſolet proponere de nouo aliquas veritates de fide credendas; probatur autem tum quia canon loquitur ſimpliciter

ſiue

ſine vlla diſtinctione operum piorum, aut prophanorum; ideoque generaliter debet intelligi, illicitam ſcilicet eſſe contra votum paupertatis quamcunque bonorum diſtributionem abſque Superioris directione factam, in quoſcunque demum vſus fiat, ſiue prophanos, ſiue pios: ſi quidem talis directio, ſeu conſenſus Superioris iuxta ſuperiùs dicta eſt neceſſarius, ne diſtributio ſacrilega cenſeatur contra votum paupertatis, tum quia quod in Conſtitutionibus Societ. talis diſtributio bonorum committatur deuotioni Religioſi ſubditi, non excludit præuiam licentiam Superioris ad diſponẽdum generaliter, ſed excludit neceſſitatem licentiæ peculiaris ad piè diſponẽdum, vel certè ad diſponendũ in hæc, vel illa opera pia; ita vt citatum decretum explicuerit, quod conſtitutio ſupponebat. ita *Suar. num.* 10.

Maior difficultas eſt, an talis diſpoſitio bonorum facta ſine directione Superioris, & conſequenter illicita, ſaltem ſit valida.

159 ℞. Eſſe validam, cum Religioſus taliter diſponens, ſit dominus bonorum, de quibus diſponit, propriaque voluntate illa tribuat, vt ſuppono, & aliàs nullum ius poſitiuum extet, quo ipsò factò irritetur talis diſpoſitio; quod eſt dicere eam non eſſe ipsò facto irritam neque iure naturali, neque poſitiuo. ita *Suar. nu.* 11. *Sanch. l. 7. mor. cap.* 18. *num.* 28. *Laym. l. 4. tr. 5. cap. 7. nu. 3. Caſtr. Pal. n. 7. Io: de Lugo D. 3. de iuſt. nu. 79. Azorius p. 1. l. 12. cap. 12. q. 8. contra Molinam tr. 2. D. 139. & Leſſium l. 2. cap. 4. nu.* 28. oppoſitum ſuſtinentes ex eo quod Scholares Soc. ſint veri Religioſi, non ſunt ſui iuris, nec habent velle, neque nolle, ac proinde, eſtò retineant dominium ſuorum bonorum, non habent voluntatem ſufficientem ad illud transferendum; quæ ratio, vt mox dicemus, probat quidem Religioſum, vt pote alieni iuris, & non habentem neq; velle, neque nolle, non poſſe ſine Superioris conſenſu efficere quidqnam omnino firmum (quod ſcilicet non poſſit poſtea irritari) non autem quod, ſimpliciter loquendo, non poſſit validè diſponere de proprijs bonis, vſque dum talis diſpoſitio per Superiorem irritetur.

160 Dico, *vſque dum talis diſpoſitio per Superiorem irritetur*, vt indicem diſpoſitiones bonorum ſine Superioris facultate factas à Scholaſticis Societatis licèt non ſint nullę ipsò factò, ſed validæ (vt diximus) eſſe tamen infirmas, & irritabiles per voluntatem Superioris: non ſecus ac votum factum à Religioſo ſine licentia Prælati, quod non eſt ipſo iure nullum, ſed validum, & tamen dicitur eſſe infirmũ, eò quod poſſit liberè irritari à Superiore: ſicut benè oſtendit *Sanchez l. 4. mor. cap. 24. num.* 29. quæ doctrina proportionaliter locum habet in quacunque promiſſione humana, quæ non ſit de re illicita, aut de materia ita aliena, vt promiſſio impleti nequeat ſine alterius iniuria.

161 Ex quibus infert *Suar. num.* 13. teſtamentum conditum à Scholaſtico Soc. ſine facultate Superioris non eſſe ipſo iure nullum, quamuis poſſit ab ipſo Superiore irritari: probatque quia diſpoſitiò uiri Religioſi in his, quę ex parte materiæ non continent iniuſtitiam, aut nullitatem, non eſt irrita ipsò factò ex eo ſolum quod fiat propria voluntate, quantumuis aliàs peccaminoſa, abſque interuentu voluntatis Superioris, ſed tantùm eſt infirma, ac irritabilis; ergò & idem dicendum eſt de diſpoſitione per teſtamentum, cum ex natura rei non requiratur efficacior voluntas ad teſtamentum, quam ad alias donationes, & alioqui ex iure poſitiuo nullũ extet ius ſpeciale irritans magis hanc diſpoſitionẽ, quam alias diſpoſitiones; quòd tamen pluribus reijcit *Io: de Lugo num.* 81. dicens mortuo Religioſo teſtatore non poſſe à Prælato dictum teſtamentum irritari, nec etiam ante aditam hæreditatem.

QVÆRES LXXII. An, & qualiter peccet Scholaſticus Soc. qui ocultè condit teſtamentum ſine facultate Superioris.

162 ℞. Quod quidem attinet ad paupertatem, nõ videri peccare, ſaltem mortal. ſi teſtamentum faciat eo animo; vt tempore mortis ſubijciatur; cum ſic teſtamentum ſit veluti quædam manifeſtatio propriæ voluntatis, non autem indebita vſurpatio iuris proprij: ſecùs ſi teſtator intendat, vt ſuum teſtamentum adimpleatur ex propria tantum voluntate; ſic enim propriũ ius indebitè vſurparet. quod verò ſpectat ad inobedientiam, quę in præſenti caſu poteſt interuenire: cum in iure Societatis non reperiatur expreſſa prohibitio in vi præcepti circa hoc impoſita, & aliàs votum obedientiæ non obliget ſub mortali etiam in materia graui, niſi interueniat præceptum propriè dictum: ex hoc capite per ſe non peccat mortalit. Scholaſticus Soc. modo dicto condens teſtamentum; quamquam, regulariter loquendo per accidens, & ratione ſcandali vix poſſit excuſari talis actus à mortali ob malum exemplum, & commune damnum Religionis. ita *Suarez num er.* 15. monens id maximè procedere, ſi teſtamentum fiat in opera non pia.

Accedit, quod, licèt Scholaſticus Societatis nõ poſſit teſtari de ſuis bonis abſque facultate Generalis; cum hoc aduerſetur regulis præſcribentibus abdicationẽ bonorum fieri debere irreuocabilem, & ſine ſpe illa recuperandi: qualis vtique non eſſet, quæ fieret per teſtamentum, id tamen non procedit, quando id fieret proximè ante profeſſionem: ſi enim abdicatio non potuit fieri antea ob aliquod impedimentum, vel re vera non fuit facta; non apparet, cur non ſatisfiat per teſtamentum; cum hoc, ſecuta profeſſione fiat omninò irreuocabile, & tollat omnem ſpem recuperandi bona, æque ac ſi id fieret per donationem abſolutam. ita *Io: de Lugo num.* 116.

163 Addo quod ſi Scholaſticus Soc. condito teſtamento ſine licentia, & conſilio Superioris moreretur, poſſet Superior illud irritare iuxta dicta *q.* 17. non quidem commutando inſtitutionem in alium hæredem, aut alia opera, etiam pia (niſi fortè id ei expreſsè concedatur in ipſo teſtamento) ſed illud rumpendo: quo caſu neceſſariò ſuccederet is, cui ab inteſtato deberetur hęreditas, moueor quod Superior Societatis nõ habet ius proprium diſtribuẽdi bona relicta in tali teſtamẽto, ſed ſolum habebat ius deſignandi materiam, modum, & tempus, nec non dandi facultatẽ, vt ſubditus poſſet dicta bona diſtri-

diſtribuere firmiter, & iuxta ſuam obligationem; vnde, ſi tali iure non eſt vſus, viuente Religioſo ſubdito, poſt eius mortem nullum habet ius immediatum (*vt ſic dicam*) in ipſis bonis, aut ad illa, aut ad eorum diſtributionem; ſed ſolum ex alio capite ſubiectionis, ac obedientiæ debitæ habet poteſtatem irritandi, vel ratum habendi actum, quẽ ſubditus, etiam in morte, ratum non potuit efficere ſola ſua voluntate; ſicque poteſt irritare teſtamentum: poſtea verò nihil ampliùs efficere poterit, ſed neceſſario ſuccedetur ab inteſtato. ita *Suar. num.* 14. notans *num.* 13. quod, ſicut Scholaſticus Soc. itinerando incidens in periculum mortis, & non habens Superiorẽ, à quo petere poſſit facultatem condendi teſtamentum, poteſt id facere ſine peccato, præſertim ſi illud condat in opera pia ne ab inteſtato ſuccedant ij, qui fortè non indigent; ſic, vt religioſo modo id faciat, debet in teſtamento illud expreſsè ſubordinare voluntati Superioris: imò optimè faciet, ſi ei committat, vt mutet ea, quæ ipſi magis expedire videbuntur.

QVÆRES LXXIII. An Scholaſtici Soc. vi voti paupertatis teneantur bona ſua diſtribuere in opera pia, vel certè poſſint ea relinquere, etiam proprijs conſanguineis, & quo modo.

164 ℞. Teneri diſtribuere pauperibus, ſi Superior non ſolum iudicet ita faciendum, ſed hoc ipſum velit expreſsè, aut certè ſtatuat omninò eiuſmodi diſtributionem fieri iuxta formam Conſtitutionum Societatis diſignando 2. aut 3. viros prudentes, quorum iudicium Religioſus bona ſua diſtributurus ſequatur; & ratio eſt, quod religioſus in iſtis caſibus diſtribuens propria bona ſuis cõſanguineis illis vtitur vt re ſua, vſurpando vſum bonorum ſibi prohibitum; quod eſt contra paupertatem: ſecus, ſi Superior ſolum iudicet eſſe melius diſtribuere bona pauperibus, quam conſanguineis: tunc quippe Religioſus diſtribuens aliter, quam iudicet Superior, imperfectè quidem operatur, non tamen neceſſario cum culpa; &, ſi qua admiſcetur ratione ſtatus perfectionis procurandæ, aut voti, ea ad ſummum eſt venialis: cum ſic non interueniat vſus bonorum vt rei propriæ, imò & cenſeatur permiſſus hòc ipſo quod Superior determinatè non præſcribit, vt diſtributio fiat in illum vſum, quem iudicat meliorem, id eſt in pauperes, aut aliud opus pium. Colligitur ex *Suar. n.* 5.

165 Cæterum illud benè notandum eſt, quod, licèt in *Conſtit. Soc. cap.* 4. *ex com. nu.* 2. dicatur Scholaſticos Societatis, ante profeſſionem, aut vota ſimplicia Coadiutorum formatorum teneri relinquere propria bona, ac pauperibus diſpenſare, *vt conſiliũ euangelicum, quod non dicit, da conſanguineis, ſed pauperibus, perfectius ſequantur, & vt melius exemplum omnibus exhibeant inordinatum erga parentes affectum exuendi, & incommoda inordinatæ diſtributionis, quæ à dicto amore procedit, declinandi, atque vt ad parentes, & conſanguineos recurrendi, & ad inutilem ipſorum memoriam aditu præcluſo firmius, & ſtabilius in ſua vocatione perſeuerent*; & tale conſilium non relinquendi bona conſanguineis regulariter ſeruari debeat; nihilominus poteſt contingere, vt interdum aliud expediat; ſiue quia ipſi verè indigeant, ſiue ad vitandas rixas, ac inimicitias, aliàs inde oriri ſolitas: quanquam in tali euentu ad declinandum errandi in huiuſmodi iudicio periculum, quod ab affectu ſanguinis ſolet proficiſci, Religioſus non proprio, ſed vnius, aut plurium arbitrio, qui vita, & doctrina commendentur, & ab ipſo Religioſo cum approbatione Superioris eligantur, negotium illud tranſigi debeat; pro vt habetur in *Conſtit. Soc. c.* 4. *citato exam.* §. 3.

QVÆRES LXXIV. An Scholaſtici Soc. poſſint cogi à Superioribus ad diſponendum de proprijs bonis in opera pia, imo, & in certum opus pietatis illud in ſpecie determinando.

166 ℞. Poſſe quidem cogi ad diſponendum in opera pia; non tamen in certum opus pietatis regulariter loquendo 1. pars probatur ex eo quod, licèt ius diſtribuendi ſua bona, ſubſtantialiter (*vt ſic loquar*) remaneat penes ipſos Scholaſticos; re vera tamen per ſtatum religioſum eſt aliquo modo adſtrictum, ac determinatum ad vſum pium: vt vel hinc patet, quod iuxta dicta §. *præcedenti* in *Conſtitutionibus* Soc. præſcribitur modus, & ordo ſeruandus in tali diſtributione. Confirmatur reſponſio, quia Scholaſticus Soc. in caſu propoſito diſponens de bonis proprijs in vſus prophanos incurret notam proprietarij, & peccaret contra votum paupertatis vſurpando vſum ſuorum bonorum tanquam rei propriæ, vt in ſimili diximus *q.* 71. quo ad 2. vero partem conſtat reſponſio ex eo quod non eſt iuxta Societatis Conſtitutiones, vt præfata bonorum diſtributio fiat in certum opus pietatis, neque per ſe eſt materia apta conferens ad finem Inſtituti Societatis, imo potius ad maiorem eius puritatem, & paupertatem videtur pertinere, vt non poſſit Superior eiuſmodi neceſſitatem imponere Religioſo ſubdito, eum adſtringendo ad faciendam bonorum diſtributionem in certum opus pium ob ipſe deſignatum, præſertim in ordine ad dandum aliquid ſocietati: pro vt aduertit *Suar. num.* 6. id probans ex *can.* 3. *Congregat. generalis* 2. in quo dicitur ea, quæ continentur in 4. *cap. examin.* de diſpoſitione bonorum (ſaltem quantum ad pauperes) ſumenda eſſe tanquam generalem quandam inſtructionem, & legem, qua noſtri debent bona ſua illis diſtribuere, *pro deuotione tamen ſua*: quod eſt dicere illos quidem teneri bona propria diſtribuere in opera pia, in ipſorum tamen libertate poſitum eſſe, vt potius diſtribuant in hunc vſum pium, quam in illum, dummodo diſtribuant in opus pietatis.

Vtrum autem Scholaſtici Soc. adſtringi poſſint à Superiore ad faciendam dictam diſtributionem in vſum aliquem non pium, v. g. vt ea relinquant conſanguineis alioqui diuitibus.

167 ℞. Non poſſe; & probatur tum quia ſi quo ad hoc poſsẽt cogi, maximè poſſent ex voto obediẽtiæ; at ex eo non tenentur, cum votum Obedientiæ non obliget, niſi ad ea, quæ ſunt iuxta regulam, & Conſtitutiones: quale non eſt id, de quo hic agitur, vt pote quod potiùs aduerſatur Conſtitutionibus præſcribentibus bonorum diſtributionem faciendam eſſe pauperibus; tum quia, ſi non poſſunt cogi ad diſtribuenda ſua bona in certum, ac determinatum opus pietatis deſignatum à Superiore

(quod oſtendimus §. *præcedenti*) multo minus poterunt cogi ad ea diſtribuenda in certum opus non pium, vt patet.

Quod ſi quæras, an ſuperiores ſoc. poſſint ex bonis ſcholaſticorum applicare Collegijs, aut domibus eiuſdem Soc. aliqua eorum bona, ſaltem mobilia ipſorum vſui conceſſa, v.g. libros, veſtes, &c. idque inuitis ipſis Scholaſticis.

168 ℞. Videri non poſſe; vt patet tum ex dictis *q. præcedenti*: tum quia vi voti paupertatis, quod emittunt Scholaſtici Soc. ſolum efficitur, vt non poſſint vti rebus ſuis tanquam proprijs, ſicut probatum eſt *q. 67. 69. & 71.* non autem quod illi teneantur bona ſua dare Societati, ſiue omnia, ſiue aliqua; cum potius contrarium probatum ſit *q. præcedenti in reſponſ. principali*; tum quia quod fiat ſupradicta applicatio, videtur repugnare Conſtitutionibus Societatis, quæ multis in locis, & præcipuè in *cap. 4. exam. §. 5. & p. 3. cap. 1. num. 7.* ſupponunt diſtributionem bonorum fieri in opera pia iuxta propriam deuotionem diſtribuentium: quod vtique non verificaretur, ſi illi aliqua ſua bona inuiti cogerentur dare ſocietati, vt patet. ita in terminis *Io. de Lugo D. 3. de iuſt. ſect. 4. num. 77.* alijque viri ſane docti è Soc. à me conſulti, & meo iudicio probabiliter.

QVÆRES LXXV. An Scholaſticus Soc. caſu, quo ei interdicatur vſus alicuius rei mobilis alias ex propria pecunia emptæ de licentia ſuperioris; illique ab eo conceſſæ ad vſum: poſſit ſcholaſticus, inſcio ſuperiore illam rem tradere alicui ſæculari cuſtodiendam, animo poſtea illam repetendi occurrente caſu indigentiæ, idque abſque alia licentia ſuperioris.

169 ℞. Non poſſe, ſed peccare contra votum paupertatis, vſurpando vſum rei ſuæ tanquam proprię, quod conſtat ex dictis repugnare voto paupertatis peccare, inquam, & quidem mort. niſi excuſet leuitas materiæ dijudicanda iuxta regulam traditam *qu. 71. in reſponſ. principali*, aut concurrat bona fides. ſic docti viri è ſoc. à me de hoc non ſemel conſulti.

170 Quod ſi ſcholaſticus ſupradicta tradat animo ijs amplius non vtendi, vel certè non vtendi, niſi de licentia ſuperioris: tunc videtur poſſe excuſari, cum ex vna parte non teneatur vti rebus ſuis, adeoque illas tradere poſſit alteri cuſtodiendas, ex alia parte nullus hic interueniat vſus proprietarius.

Quamquam *Cardinalis de Lugo ſup. num. 82.* dicat quod ſi ſcholaſtico ſocietatis de licentia ſuperioris donetur liber, veſtis, aut quid ſimile; Superiores ex praxi Societatis ſolent de ijs diſponere, ignorante etiam ipſo ſubdito, ſicut de ijs, quæ dantur profeſſis abſque vlla prorſus differentia: quod eſt ſignum illos putare dictarum rerum dominium non acquiri ſubdito, ſed potius religioni per ipſum ſubditum iuxta regulam *Quidquid acquirit Monachus*. quod iterum repetit *Cardinalis nu. 85.* aſſerens iſtam eſſe ſocietatis praxim, quæ eſt optima Conſtitutionum interpres.

QVÆRES LXXVI. An ſcholaſtici ſoc. acquirant ſibi, aut Religioni, ea, quæ ipſis donantur intuitu non Religionis, ſed ipſorummet Scholaſticorum.

171 ℞. Acquirere non Religioni, ſed ſibi; cum reuera ſint capaces dominij, & conſequenter habiles ad acquirendum; peccare tamen contra votum paupertatis, ſi id faciant abſque debita licentia ſuperioris: cum iuxta dicta *q. 67.* vi voti paupertatis, quod illi emittunt, prohibeantur vti vlla re vt propria, & aliàs ſpecies magnæ proprietatis ſit nouum rerum dominium acceptare inſcio Superiore, vt patet.

Difficultas eſt an; quando ſuperior dat licentiam acceptandi v.g. legatum liberè relictum ab amico, cenſeatur concedere ad comparandum ſibi dominium illius, vel certè ad illud acquirendum communitati.

172 ℞. Videri diſtinguendum iuxta dicta *qu. 67. §. quin etiam*: vel legatum relinquitur titulo merè ſæculari ad augendum ſcilicet patrimonium Religioſi legatarij; & ſic licentia præſumitur conceſſa, vt legatarius acquirat dominium legati ad illud ſibi retinendum; qualis licentia præſumi poteſt, quando res ſunt tales, vt ex permanentia, & alijs circumſtantijs iudicentur ſpectare ad augmentum patrimonij: vel legatum relinquitur titulo religioſi ſtatus; & ſic licentia præſumitur data ad acquirendum Communitati. ita *Io. de Lugo D. 3. de iuſt. num. 90.* & probat; quia cum id totum pendeat ex intentione Prælati dantis licentiam ad acceptandum legatum, hæc intentio debet interpretari tum ex vſu ſocietatis, tum ex fine ad quem permittitur ſcholaribus retentio dominij (qui eſt, quod Societas eos liberius dimittere poſſit, quando neceſſe fuerit.) quæ omnia confirmauit R. P. N. Vitelleſcus ab ipſo Io. de Lugo conſultus, dicens ſe credere hunc eſſe ſenſum & praxim ſocietatis, talemque eſſe, & fuiſſe ſuam intentionem in dandis talibus licentijs.

Vnde quis benè inferat cum eodem *Io. de Lugo ſup. num. 96.* Scholaſticos ſocietatis poſſe repudiare hæreditatem, atque legatum ipſis relicta (loquendo de legatis, quæ iure legatario ſtatim acquiruntur poſt mortem teſtatoris, aut ſaltem ab adita hęreditate.) & quidem quod ſpectat ad hæreditatem; probatur illatio, quia dicti ſcholaſtici ſunt capaces in ſe ipſis, hæreditas ad eos immediatè defertur, & licet ob votum paupertatis non poſſint ſine licentia Prælati eam acceptare, aut repudiare, validè tamen illam acceptant, aut repudiant. Quod ſi poſtea non retinent dominium omnium, quæ ipſis relinqueretur (vt diximus paulò ante) id non prouenit ex defectu capacitatis: ſed ex eo quod ſi licitè volunt acceptare, id faciunt iuxta tenorem licentiæ Prælati, qui illam in eo caſu non dat ad acceptandum, vt ſibi retineant, ſed vt totum ſuum ius in Religionem transferant (ſicut in alijs rebus quæ ipſis communiter donantur) quamquam violando votum paupertatis, poſſent validè ea ſibi acquirere, eorumque dominium retinere. Quod verò ſpectat ad legata, patet; quia præfata legata acquirenda non requiritur licentia Prælati, cum ſcholaſtici ſint capaces dominij, & ea legata iure ipſo ijs acquirantur abſque vllo facto, aut ſcientia legatarij: etſi non poſſint ſine licentia repudiare dicta legata;

cum

cum hoc ſit renunciare iuri acquiſito; & alias vſus dominij ijs competentis ſit dependens à voluntate Superioris ratione voti paupertatis.

Addit *Io: de Lugo num.* 97. quod, licet Superior dictorum Scholaſticorum non poſſit ſine eorum conſenſu validè repudiare legata prædicta; imo nec alia, quæ non acquiruntur ipſo Iure, ipſis relicta; cum non deferantur Religioni immediatè, ſed ipſis Scholaſticis: poteſt tamen ea repudiare negatiuè; id eſt negando licentiam impedire, ne ij licitè poſſint legata poſterioris generis acquirere: ſicut & poſſet eos cogere, vt non poſſint licitè retinere legata prioris generis, cogendo illos ad renunciandum bonis.

QVÆRES LXXVII. An Scholaſtici Soc. poſſint ſine licentia Superioris mutuare, permutare, donare aut aliter diſtrahere propria bona, ſaltem in vſus pios.

173 ℟. Non poſſe; cum in his omnibus interueniat vſurpatio vſus rei ſuæ tanquam propriæ, quam ſuperius oſtẽdimus ipſis eſſe prohibitam vi voti paupertatis, quod emittunt quæ ratio militat etiam in caſu, quo dictorum bonorum diſtractio fiat in opus pium; v. g. in eleemoſynas, præſertim ſtante doctrina, quam tradidimus *quæſt.* 71. §. *an verò peccet mortal.*

QVÆRES LXXVIII. Cui acquirant, Scholares Societ. quæ lucrantur ſuo labore, ſibi ne, an Societati.

174 ℟. Acquirere Societati, cui omnes ſuas operas, & obſequia pro eo tempore debent; non ſecùs ac filij acquirunt patri, in cuius poteſtate ſunt. ita *Io: de Lugo nu.* 92. addens idem ſe credere de ijs, quæ inuentione acquirunt: vt ſi gemmas in littore maris, vel quid ſimile inueniant ex ijs, quę fieri poſſunt inuentoris: hęc enim etiam ſunt lucra perſonalia debita religioni, cui operari, & lucrari debent religioſi.

Addit *Io: de Lugo num.* 93. ea, quæ acquiruntur Societati per Scholaſticos modo ſupra dicto, non acquiri immediate religioni, ſed mediate: quippe quæ immediatè acquiruntur Scholaſticis, vt pote capacibus dominij, & ab ijs transferuntur in dominium religionis, vt ſeruent ſuum votum quo adſtringuntur non acquirere, vel retinere ſine licentia Superioris, qui Superior in propoſitis caſibus dat licentiam acquirendi dominium, ſed non retinendi; vt conſtat ex dictis *quæſtion.* 76. §. *difficultas.*

De Paupertate Ordinum Militarium.

175 *Proponitur, & explicatur paupertas Ordinum Militarium.*

176 *Eſt varia, etiam inter ipſos Ordines militares.*

177 *Religioſi militares liberè diſponunt de ſuis bonis, etiam in vſus prophanos, ac illicitos, ſi ſint ex ijs, qui poſſunt contrahere matrimonium.*

178 *Imò probabile eſt idem procedere de Equitibus S. Ioannis.*

179 *De iure communi teſtantur de ſuis bonis, etiam Clerici Ordinum militarium in clauſtris degentes.*

180 *Ad arbitrium Superioris debent eſſe parati diſtribuere bona.*

181 *Acquirunt ſibi, non Ordini.*

182 *Proponitur, ac explicatur paupertas Oblatorum, ac Tertiariorum.*

QVÆRES LXXIX. In quo conſiſtat, & ſaluetur paupertas, quam profitentur Religioſi Ordinum Militarium.

175 ℟. Diſtinguendo; vel enim loquimur de Religioſis Ordinum militarium, quibus permittitur contrahere matrimonium (cuiuſmodi ſunt Commendatarij S. Iacobi, Calatrauæ, Alcantaræ, & alij) & ſic eorum paupertas conſiſtit, non quidem in eo, quod careant dominio, aut vſu proprietario quorumcunque bonorum ante, & poſt profeſſionẽ acquiſitorum, ſiue ex redditibus commendarum, ſiue aliunde; ſed in eo, quod quotannis 30. diebus ante Domini natale, aut totidem poſt præſentent proprio Superiori inuentarium fidele omnium bonorum, quæ poſſident, ita vt dici poſſint ea poſſidere Ex illius licentia: vel loquimur de Religioſis Ordinum militarium, qui ſolemniter profitentur, & ſunt incapaces matrimonij contrahendi (quales ſunt Equites S. Ioannis) & hi ſunt quidem incapaces dominij, retinent tamen vſum ſuorum bonorum de licentia Superiorum; ſicque vt notat *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 8. *nu.* 36. poſſunt de illis teſtari: quod eſt eos æquiparati ijs, qui propriorũ bonorum habent dominium, aut quaſi dominium: ſicut aduertit *Lezana to.* 2. *c.* 5. *nu.* 22.

176 Ratio reſponſionis eſt, quod iuxta dicta *q.* 1. paupertas Ordinum religioſorum non eſt vna, ac eadem ſpecie infima, ſed multiplex, & varia (vt clarè conſtat ex qq. in hoc cap. hactenus propoſitis, ac ſolutis) ideoque mirum non eſt paupertatẽ, quam profitentur Religioſi Ordinum militarium eſſe diuerſam ab illa, quã profitentur Religioſi Clauſtrales; imò & diuerſitatem non paruam reperiri inter ipſos Ordines militares quò ad vſum eiuſdem paupertatis, vti iam vidimus; ſiue id proueniat ex diſpenſatione Pontificum, qui ſicut cum aliquibus dictorum Ordinum militarium diſpenſarunt; vt eorum Religioſi non teneantur niſi ad Caſtitatem coniugalem, ita & potuerunt moderari eorum paupertatem; ſiue id proueniat ex antiquiſſima conſuetudine eorundem Ordinum militariũ, quæ cum ſit optimus legum interpres, potuit efficere, vt, quamuis in aliquibus Ordinum militarium forma profeſſionis quo ad obſeruantiam paupertatis aliud plus præſeferat, quam de facto in ijs ſeruetur à pluribus annis: nihilominus obligatio talis paupertatis tanta ſit, & non maior, poſito quod eorum Superiores modo non exigant, quam conſuetum ſit ſeruari; præter quam quod ipſimet Religioſi Ordinum militarium in ſua profeſſione non intendunt promittere maiorem paupertatem, aut rigidiorem illius vſum; cum alias actus agentium non ſe extendant vltra ipſorum intentionem. ita *Sanchez ſup. numer.* 28. & 36. *Mol. tom.* 1. *D.* 141. *col.* 3. *Rodriquez tom.* 3. *quæſt.* 29. *art.* 7. *Miranda p.* 1. *man. q.* 28. *art.* 4. alijque, & patet ex dictis, ſi

monue-

monuero quod, cum Equites S. Ioannis ſint magis propriè, ac rigoroſè religioſi, rigidior vſus paupertatis merito ijs indicitur, ſicut & nos aſſeruimus in iſta reſponſione, & innuit *Mol. vbi ſup.* dicent Conſtitutionem Pij V. in ordine 73. prohibentem omnibus Commendatarijs facultatem teſtandi non eſſe intelligendam, niſi de Commēdatarijs. S. Ioannis; quamquam (vt diximus) neque iſtis verè interdictum ſit teſtari de proprijs bonis, cum præfata Conſtit. reuocet ſolum licentias, & facultates quo ad hoc conceſſas Equitibus, non autem Conſtitutiones Ordinum, aut conſuetudinem in contrarium legitimè præſcriptam; vt notat *Lezana nu. 33. ex Azor. tom. 1. l. 13. c. 5. q. 2.*

QVÆRES LXXX. An religioſi Ordinum militarium liberè poſſint diſponere de proprijs bonis, etiam in vſus prophanos, ac illicitos, perinde ac poſſunt ſæculares nullo voto paupertatis adſtricti: idque etiam loquendo de fructibus commendarū.

177 ℞. Videri poſſe, ſi ſint ex ijs, quibus permittitur matrimonium inire. probatur quia antiquiſſima conſuetudo ita eorum paupertatem interpretata eſt, Superioribus ſcientibus, & non contradicentibus; & redditus ipſi commendarum illis dantur, non titulo Eccleſiaſtico, ſed ſæculari, nempe militari, adeoque non tenentur ſub peccato eos expendere in vſibus honeſtis: quo modo tenentur qui habent beneficia Eccleſiaſtica, vti videre eſt apud *Leſſ. l. 2. c. 4. nu. 43.* ita *Sanch. ſup. n. 29. ex Alcozer, Iſſa, Mol. Rodriq. Soto, & alijs*; quos ait *Lezana nu. 24.* non eſſe audiendos, vt pote ſic tollentes ab Ordinibus militaribus veram rationem ſtatus religioſi excludentis bonorum dominium, ſaltem liberum, ac expeditum, vt nos etiam diximus *ſect. præced. q. 5. & 6.* qui tamen hic non excluditur quo ad prædictos Religioſos Ordinum Militarium, quos aliàs DD. concedent eſſe verè Religioſos; at immerito hoc dicit *Lezana* (cuius ſententiam ſuſtinent *Nauar. Rodriquez, Motta, Ayala, & Azor. relati à Sanchez. num. 29.*) cum citato *q. 6.* oſtenderimus, ſimpliciter loquendo, de eſſentia ſtatus religioſi vt ſic non eſſe, quod Religioſus vſum bonorum habeat non liberum, ac expeditum, ſed dependentem à Superiore, etiam ad hoc ſufficere, quod excludatur vſus ſuperfluus vitæ; quod videtur verificari in præſenti caſu; cum poſſit euenire, quod aliquis ex dictis Ordinibus Militaribus non habeat ſuperflua decentiæ ſtatus, & tamen multa expendere in vſus vanos, ac illicitos, præter quam quod concedi poteſt rationem ſtatus religioſi minùs perfectè conuenire ſup. dictis Ordinibus militaribus hoc ipſo quod retinent bonorum ſuorum dominium expeditum, ac liberum quo ad vſum; non tamen ſimpliciter tolli, quin verè ſint, & dici poſſint Religioſi.

Dixi, *ſi ſint ex ijs, quibus permittitur matrimonium inire*: ſi enim ſint ex ijs, qui ſunt incapaces matrimonij contrahendi, cum hi ſtrictiùs ligentur voto paupertatis, non poſſunt diſponere de bonis ipſorum vſui conceſſis, niſi in vſibus honeſtis ad id eos voto paupertatis adſtringente non minus, quam aſtringantur Religioſi Ordinum Clauſtralium; vnde *Rodriq. tom. 1. q. 27. a. 12. & Lezana ſup. num. 28.* docent Religioſos Ordinum militarium non poſſe donare concubinis, & ſi donent eiuſmodi donationem: quantumuis iuramento firmatam, eſſe irritam: etſi aliàs eæ videantur excuſari poſſe à reſtitutione facienda, eo quod Superiores talium Ordinum ex vſu, & praxi cenſcantur parum curare de tali reſtitutione, ſicque eam quaſi remittere præſumantur. ita *citati DD.* abſolutè, ac indefinitè loquentes de Religioſis Ordinum militarium; ſed minùs benè, ſi iſtam doctrinam extendant etiam ad Equites incapaces matrimonij contrahendi: oppoſitum quippe probauimus §. *præcedenti*.

178 Quin etiam, loquendo de Equitibus S. Io: puto probabile eſſe, quod ait *Lezana*, nimirum habita ratione tum nobilitatis illorum, tum finis ab ipſis intenti, qui eſt non ſtrictam obſeruantiam ſeruare, ſed militare pro Chriſto, occurrente caſu neceſſitatis; licitum eſſe illis facere plures, ac maiores expenſas, etiam in ludis, qui ſint honeſti, quam liceat Religioſis Ordinum Clauſtralium; idque ex tacita conceſſione Superiorum, antiqua conſuetudine dictorum Equitum, etiam magis timoratorum, & praxi; quæ non ita facile debet damnari, dummodo iudicio prudentis viri in hoc non interueniat immoderatus exceſſus; ita docti viri à me conſulti; paterque ex dictis §. præced. quæ hic facilè applicari poſſunt, & ex *Sanch. num. 38.* nec non ex *Diana p. 5. tract. 8. reſol. 30.*

Ex quibus infert *Cardin. de Lugo D. 3. de iuſt. n. 131.* abſolui poſſe, etiam ſine reſtitutione meretrices, quæ a dictis Equitibus aliqua turpiter acceperunt: quia ſcilicet conſuetudo explicauit nolle ſe præfatos obligare ad hoc, ſed velle poſſe diſponere de rebus ſuis, ſicut alij viri ſæculares.

QVÆRES LXXXI. An Religioſi Ordinum militarium poſſint liberè teſtari de proprijs bonis abſque licentia ſuorum Superiorum.

179 ℞. De iure communi poſſe, (& quidem etiam equites S. Ioan. niſi hi ex proprijs Conſtitutionibus prohiberetur id facere abſque ſuperioris licentia.) ita *Sanch. num. 36. Bereta vol. 1. conſ. 99. num. 2. & 3. Lezana num. 33.* & alij patetque ex dictis *qu. 79.* ſi hic addidero Gregorium XIII. reuocata Conſtitutione Pij V. ibi allegata conceſſiſſe religioſis Ordinum Militarium S. Iacobi, de Calatraua, & Alcantara facultatem teſtandi, & diſponendi de bonis proprijs; immò & Equitibus aliorum Ordinum, ſi ſupradictorum Ordinum Militarium priuilegijs communicent, & aliàs ſint capaces bonorum, de quibus modo dicto diſponant. Ratio reſponſionis eſt, quod, quamuis religioſi Ordinum Militarium vi voti paupertatis, quod emittunt, prohibeantur diſponere, ac teſtari de proprijs bonis; ex antiquo tamen vſu, ac conſuetudine oppoſitum videtur fuiſſe inductum, ſaltem in multis talium Ordinum; ſicque reſpectu eorum licitum erit teſtari de ſuis bonis; quod aliàs eſſet omninò prohibitum, vtpote repugnans voto paupertatis.

Addit *Sanch. n. 37.* Clericos Ordinū Militariū in clauſtris viuētiū, ſi ex legitima licētia extra clauſtra degant inſeruientes alteri beneficio poſſe teſtari, ex indulto Clem. VII. cū hoc tñ, vt Superiori quotānis

dent tempore ſtatuto inuentarium ſuorum bonorum, & quintam dictorum bonorum partem proprio relinquant monaſterio, nec non tertio quoq; anno petant a Superiore teſtandi licentiam, ſolumque teſtētur de bonis, quæ habēt ex beneficio ſæculari. Quod autē dicunt aliqui Piū V. in quadam bulla declaraſſe præfatos Clericos non cenſeri habitare in clauſtris ad effectum vt gaudeant priuilegio teſtandi, qui extra clauſtrum habitantes, ad tempus redeūt ad clauſtrum, vt triennio prioratum obeant; non omninò approbat *Sanchez* docens in his omnibus ſtandum eſſe conſuetudini legimè obſeruatæ inter dictos Clericos.

QVÆRES LXXXII. An Religioſi Ordinum Militarium debeant vi voti paupertatis eſſe parati ad relinquenda, aut diſtribuenda propria bona iuxta beneplacitum ſuorum Superiorum.

180 ℞. Debere, adeoque peccare mortalit. contra votum paupertatis, ſi à proprio Superiore iuſſi expendere, aut aliquo modo diſtribuere ſua bona, recuſent id facere; & ratio eſt, quod talis præparatio animi importatur per votum paupertatis, ipſoque vſu, ac conſuetudine videtur admiſſa inter præfatos Religioſos: cum tamen ex longa conſuetudine, diximus non ſemel, metiendum eſſe obligationem voti pauper atis, quam dicti Religioſi profitentur. ita *Sanchez numer. 35. ex Iſſa, Motta, & Azorio* aſſerente ab Ordine imponi poſſe onera, & ſeruitutes redditibus commendarum, quas poſſident, huiuſmodi Religioſi: quod tamen non omninò admittit *Sanchez* aſſerens in his ſeruanda eſſe ſtatuta vniuſcuiuſque Ordinis Militaris conſuetudine non abolita.

QVÆRES LXXXIII. Cui acquirant Religioſi Ordinum militarium, ſibine, an proprio Ordini.

181 ℞. Acquirere ſibi, ſi ſint ex iis, qui ſunt capaces dominij tam acquirendi, quam transferendi, eo modo, quo diximus *q. 79.* Ordini vero, ſi ſint incapaces dominij. patet ex dictis ea *q. 79.*

De Paupertate Oblatorum, ſeu Donatorum, ac Tertiariorum.

QVÆRES LXXXIV. Qualis ſit horum paupertas, & in quo coſiſtat.

182 ℞. Quod, cum ex illis aliqui veram profeſſionem faciant emittentes 3. vota eſſentialia Religionis, & conſequenter ſint veri Religioſi; alij vero nullam profeſſionem faciant, neque vota ſubſtantialia Religionis emittant, ideoque non ſint verè Religioſi: illi quidem tenentur ad paupertatem eo modo, quo tenentur alij Religioſi, cum vna, & eadem ſit vtrorumq; paupertas; hi vero nullo modo tenentur ſeruare paupertatem religioſam, ſaltem ex voto; cum nullum tale votum emittant; & hoc, etiam ſi aliàs bona ſua ſimpliciter monaſterio donauerint.

De Paupertate Epiſcoporum Regularium.

183 *Epiſcopi regulares non abſolutè a voto paupertatis abſoluuntur, nec fiunt domini redditnum Eccleſiaſticorum (quod alij negant) illorum tamen vſum habent magis independentem: idemque procedit de Cardinali regulari.*

184 *Acquirunt (ſed non tanquam veri domini) & quidem propriæ Eccleſiæ: idque à die confirmationis factæ à Papa: Cardinalis verò regularis acquirit Eccleſiæ, cuius habet adminiſtrationem; etſi id non ſit in vſu.*

185 *Iuſtè, ac licitè poſſident quæcumque acquirunt, & quocumque titulo, etiam hæreditario: quod ſi tranſeant ad alium Epiſcopatum, bona antea acquiſita debent relinquere priori Eccleſiæ, in qua acquiſita ſunt.*

186 *Iuxta aliquos liberè expendunt ſua bona, etiam in vſibus vanis: & quidem ſine onere reſtituendi: donant inter viuos, non item cauſa mortis; etſi donare poſſint in infirmitate dubitantes de morte, ſi ratihabituri ſint donationem, ſi ſuperuiuant: donant item inter viuos domeſticam ſupellectilem cum pacto ea vtendi in vita, & pecuniam acquiſitam, modò ex neceſſitate illam non diſtrahant in vita.*

QVÆRES LXXXV. An, & qualiter ij abſoluantur voto paupertatis.

183 ℞. Abſolui eo modo. quo dicemus *infrà ſect. 5. ſubſ. 1. quæſt. 12. per totum*, vbi hac de re latè, & ex propoſito diſſeremus ſuſtinentes probabilem eſſe doctrinam, quam tradit *Sanchez lib. 6. moral. capitul. 6. numer. 7. ex Soto Palacio, Metina Angles Gratiano, & Vaſquez* Religioſum ſcilicet creatum Epiſcopum effici verum dominum reddituum Eccleſiaſticorum inſtar Epiſcoporum ſæcularium: idque tum ex *capitul. vnic. 18. quæſtion. prim.* tum ob alias rationes adductas ab ipſo *Sanchez*, qui tamen oppoſitam ſententiam dicit eſſe veriſſimam. Quidquid tamen ſit hac de re; certum eſt Religioſum factum Epiſcopum habere ampliorem vſum rerum quo ad modum, ac independentiam ab alterius voluntate: quatenus ipſo iure, vt ſic dicam, & ex vi tituli Epiſcopatus poteſt liberè diſpenſare dictas res in omnem vſum aliàs ſibi non prohibitum. Quæ independentia non aduerſatur voto paupertatis: cùm ſit quaſi intrinſeca ſtatui Epiſcopali, adeoque Superior, qui ſtatum illum conceſſit, conſequenter fecerit facultatem vtendi bonis illius, quantum petit conditio illius: quod eſt præfatam independentiam à facultate per hominem concedendam includere nihilominùs, facultatem Prælati per ius ipſum datam; quod ſufficit ad ſubſtantiam religioſæ paupertatis, vt no-

tauit

tauit *Suarez tom. 4. de relig. tractat. 8. l. 3. capit. 16. num. 31.*

Porrò, cum duplex ſit effectus voti paupertatis religioſæ, videlicet quòd religioſus non habeat proprium, nec vlla re vtatur vt propria; & quòd ſit perpetuò inhabilis ad dominium, ac proprietatem bonorum temporalium: hic vterque effectus manet in religioſo Epiſcopo; prior enim eſt inſeparabilis à voto manente ipſo, cùm ſit quaſi effectus formalis illius; poſterior verò eſt quidem ſeparabilis per eccleſiam, etiam ſalua voti ſubſtantia, non tamen habemus ſufficiens fundamentum aſſerendi dictam ſeparationem de facto fuiſſe factam reſpectu Epiſcoporum, nec id ſine temeritatis nota affirmari poteſt; vt rectè aduertit *Suar. ſup. num. 10.* monens *num. 9.* votum paupertatis in ſtatu Epiſcopali plus, vel alio modo obligare vnum Epiſcopum regularem, quam alium iuxta diuerſitatem regulæ, ſecundum quam illi paupertatem profeſſi ſunt. Quamquam quod dixi Epiſcopum regularem non poſſe vlla re vti vt propria, non debet ita intelligi, vt in vſu rerum ſuarum immediatè, ac proximè dependeat à voluntate Prælati regularis (ſicut dependet ſimplex Religioſus) ſed quod etiam Epiſcopus regularis habet vſum rerum ſuarum dependentem à facultate Prælati per ius ipſi data loco facultatis, quæ alias ei deberet concedi ab homine (id exigente conditione ſtatus Epiſcopalis, vt dixi §. *præcedenti*) ſicque ex dicta facultate per ius conceſſa diſponit Epiſcopus regularis de ſuis rebus varijs modis, vt conſtabit ex infra dicendis ſi profeſſi ſunt paupertatem.

Quod autem diximus de Religioſo Epiſcopo, proportionaliter dicendum eſt de Religioſo Cardinali, vt indicabimus infrà *ſection. 5. ſubſquen. 1. numer.* 371. & de Religioſo electo in Papam, vt dicemus *loco modò citato num.* 365.

QVÆRES LXXXVI. An & cui acquirant Religioſi Epiſcopi.

184 ℟. Acquirere, non tanquam veros dominos, ac proprietarios, ſed quantùm ad actualem receptionem, ac retentionem; & quidem omnibus illis modis, quibus poteſt acquirere Epiſcopus ſæcularis; nempe ex donatione, licito, ac honeſto contractu, teſtamento, ac neceſſaria, & legitima ſucceſſione; vt notauit *Sanct. Thom. 2. 2. quæſtion. 185. art. 8. ad 3.* ex *cap. ſtatutum 18. quæſt. 1.*

Quamuis autem *Bartolus Bald. Angel. & Romanus* relati à *Sanchez l. 7. moral. capitul. 32. numer. 75.* putent Religioſum Epiſcopum acquiſita ex re Eccleſiæ, vel operis ſuis acquirere propriæ Eccleſiæ (intellige poſt mortem; nam, dum viuit, liberam habet bonorum omnium adminiſtrationem) aliunde vero acquiſita, vt donatione, vel ſucceſſione, acquirere monaſterio: conſtans tamen Doctorum ſententia eſt, illos omnia acquirere ſuæ Eccleſiæ ex citato *capit. ſtatutum* quod procedit non ſolùm de fructibus Eccleſiæ, ſed etiam de omnibus alijs vndecunque ei prouenientibus, & hoc non à die conſecrationis (vt aliqui volunt) nec à die poſſeſſionis adeptæ (vt alij cenſent) ſed à die confirmationis, quæ à Papa confirmatur: tunc enim incipit eſſe exemptus à Prælatis Ordinis, & habere iura Epiſcopalia, exceptis ijs, quæ ſpectant ad ordinem, & exigunt characterem. ita *Cardinal. de Lugo D. 3. de iuſtit. numer.* 232. addens *numer.* 233. Cardinales Religioſos acquirere Eccleſiæ, cuius habent adminiſtrationem, vt docet *Rimunald. conſil. 342. à numer.* 28. (etſi hoc non ſit in vſu, cùm Cardinales communiter habeant indultum teſtandi) Epiſcopos vero titulares iuxtà *Sotum l. 10. de iuſtit. quæſt. vltim. articul. 4. Rodriquez tom. tertio quæſt. 69. articul. 4. & Sà verb. religio numer.* 52. acquirere ſuo Ordini, iuxtà *Azorium* vero *tommo primo l. 2. capitul. 10. quæſtion. 7. & Sanchez ſupra numer.* 68. acquirere Papæ; cùm ſint omnino exempti à ſuis Prælatis regularibus; iuxtà *Suarez* denique *ſupra capit. 17. numero quinto*, per ſe, & ex vi iuris acquirere illi Eccleſiæ, cuius titulum habent; quamquam, cùm illi præfata bona cum effectu applicari nequeant, ea in bonis operibus diſpenſari debeant ab ipſo Epiſcopo, dependenter tamen à Papa.

QVÆRES LXXXVII. Quantum extendatur in Religioſis Epiſcopis, facultas retinendi bona temporalia.

185 ℟. Eos iuſtè, ac licitè poſſidere quidquid acquirunt in Epiſcopatu, ſiue ex bonis illius, ſiue quolibet alio titulo, etiam hæreditario. eſt communis DD. ſententia apud apud *Suarez ſupra capit. 16. numer.* 21. & colligitur ex citato *capitul. ſtatutum*, quod benè expendit ipſemet *Suarez* loquimur autem de acquiſitis in Epiſcopatu; nam quæ antea acquiſiuerant in religione, ſeu monaſterio, ampliùs retinere non poſſunt; vt habetur in dicto *capitul. ſtatutum* ijs verbis, *Sed quidquid acquiſierat, vel habere viſus fuerat, monaſterio relinquat, & Abbatis arbitrio:* idque ſiue bona ſint patrimonialia, ſiue per induſtriam propriam acquiſita; vt docet *Suar. cum Petro de Peruſio, & Antonio de Butrio.*

Cæterum exiſtimat *Suarez. num.* 24. Epiſcopum regularem, ſi tranſeat ab vno epiſcopatu ad alium bona acquiſita ex redditibus Epiſcopatus debere ſtatim relinquere illi Eccleſiæ, in qua acquiſita ſunt: quippe quæ omnınò ſunt illius quaſi ex intrinſeco titulo, & aliàs illorum vſus, & adminiſtratio ſolum concedebatur huic perſonæ ratione epiſcopatus illius Eccleſiæ; vnde fit, vt quocumque modo dictam Eccleſiam dimittat, non poſſit ampliùs ea bona apud ſe retinere nec illis frui. quod non procedit de bonis proprio, ac peculiari titulo acquiſitis: hæc enim probabile eſt tranſire cum perſona; vt colligitur ex *cap. ex tranſmiſſa de renunciat. & cap. quod à te de Cler. coniugatis*; vbi notat *Panormit.* bona patrimonialia ſequi perſonam, adducens *leg. primam ff. de collegijs illicitis.*

QVÆRES LXXXVIII. Quantum in Epiſcopis regularibus extendatur facultas expendendi bona temporalia.

186 ℟. Quod, ſi iuxtà doctrinam traditam *q.* 85. (quam refutat *Suarez numer.* 29.) ſuſtineamus Epiſcopum regularem effici verum dominum fructuum proprij Epiſcopatus: conſequenter eandem facultatem habebunt diſpenſandi, ac expendendi bona temporalia, quæ poſſident. quod tamen negant *Suarez numer.* 30. & *Sanchez l.* 6. *Moral. capitul.* 6. *numer.* 13. addens *numer.* 13. noſtram ſententiam eſſe probabilem ex probabilitate doctrinæ ſuperiùs allegatæ, & per eam excuſari poſſe ab onere reſtituendi Epiſcopos tam ſæculares, quàm regulares prodigè, & in vſus vanos expendentes redditus Eccleſiaſticos: maximè cùm *Azor. tom.* 1. *l.* 12. *capitul.* 7. *quæſt.* 2. aſſerat Epiſcopum religioſum, etſi non ſoluatur voto paupertatis quo ad dominium acquirendum, ſolui tamen aliqua parte; quatenùs fructibus ſibi obuenientibus vti poteſt vt vult (nimirum ſine obligatione reſtituendi.)

Quod ſi quæras, an Epiſcopi regulares donare poſſint tum cauſa mortis, tum donatione inter viuos.

℟. Poſſe donare inter viuos (cùm ad hoc requiratur, & ſufficiat libera bonorum adminiſtratio, vt rectè aduertit *Sanchez ſup. numer.* 16. & talis adminiſtratio competat cuicumque Epiſcopo, etiam regulari, ſicut aduertit *Suarez ſupra numer.* 28.) non item cauſa mortis: cùm talis donatio fiat in fraudem fiſci Apoſtolici, vel eius, cui ſpolia debentur, & aliàs ſit prohibita beneficiarijs quibuſcumque, vt indicat *Fillиucius tract.* 43. *capit.* 8. *numer.* 7. monens *numer.* 9. beneficiarium donantem in infirmitate eſſe tutum in conſcientia, ſi dubitet de morte, & ex timore illius moueatur ad abſolutè donandum, donationem, etiam ſi viuat, ratam habiturus, quamuis poſteà moriatur. quod item procedit de donatario, ſi aduertit mortis metum in caſu propoſito fuiſſe cauſam impulſiuam, non autem motiuam: quamuis in foro iudiciali non valeat diſpoſitio beneficiarij ægrotantis niſi ſuperuiuat 20. dies. ita *Filliucius ex Azorio, & Vaſquez.*

Dubium maius eſt, an religioſus Epiſcopus poſſit alteri domeſticam ſupellectilem, & pecuniam à ſe ex redditibus epiſcopalibus, aut aliunde acquiſitam donare donatione inter viuos; cum hoc tamen, vt dicta ſupellectili vti poſſit in vita, & pecuniam ipſam, occurrente neceſſitate alienare poſſit, quandiu vixerit; & hoc, ne præfata acquirantur ſuæ Eccleſiæ, ad quam alias pertinerent, vt ſupponimus.

℟. Religioſum Epiſcopum poſſe modo dicto donare, neque poſſe dici id cedere in fraudem Eccleſiæ ipſi commiſſæ; cùm Epiſcopus in tali caſu verè ſe priuet facultate aliter, ſeu in alios alienandi prædicta; ſicque præfata donatio non eſt ficta, nec fraudulenta, ſed vera; cum aliquid re vera operetur, etiam cum illa reſeruatione vtendi illa ſupellectili in vita, & alienandi pecuniam, vrgente neceſſitate: ſiquidem extra talem caſum neceſſitatis eam expendere non poterit, ſicut aliàs potuiſſet. ita docti viri à me conſulti, loquendo quo ad forum conſcientiæ; & colligitur ex *Filliucio ſupra numer.* 8. qui notat *numer.* 15. in dubio, an beneficiarius donans in vltima infirmitate donauerit cauſa mortis, donatarium eſſe tutum in conſcientia, ſi donans non obijt infrà 20. dies à donatione; nam in dubio melior eſt conditio poſſidentis; nec in donante præſumi debet delictum: ſecùs, ſi obijt infrà 20. dies, cùm prohibitus ſit donare eo tempore.

SECTIO III.

Qui effectus proueniant ex Voto Paupertatis Religioſæ.

187 *Votum ſolemne paupertatis facit Religioſum incapacem dominij: non item votum ſimplex, ſecluſo iure ſpeciali.*

188 *Religioſus profeſſus eſt incapax dominij, etiam ad tempus breue.*

189 *Votum ſolemne paupertatis transfert in Religionem vſumfructum ſuis Religioſi, etiam quò ad ius.*

190 *Idque ex conſenſu Domini proprietatis præſumpto; imò & ex iure: at vſusfructus pendet à vita Religioſi.*

191 *Interdicit vſum bonorum proprietarium.*

192 *Sicque nequis concedi Religioſo aliquid ad vſum irreuocabilem.*

193 *Facit incapacem ſucceſſionis, ſi Ordo ſit incapax.*

194 *At non facit incapacem legati relicti ſub conditione quod illud non pertineat ad monaſterium: etſi hoc legatum in aliquo caſu ſit nullum.*

195 *Vſus item talis legati de conſenſu Religioſi legatarij pertinet ad monaſterium.*

196 *Non aufert vſum peculij.*

197 *Non ſemper vſus Clauis in Religioſo eſt indicium proprietatis.*

198 *Votum ſolemne paupertatis facit incapacem ſuccedendi in feudum.*

199 *Non item facit incapacem emphyteuſis, ſi Ordo ſit capax.*

200 *Secùs, ſi Ordo ſit incapax.*

201 *Non tollit adminiſtrationem fructuum beneficialium.*

202 *Reddit incapacem penſionis.*

203 *Et quidem ita, vt penſio antea obtenta extinguatur per profeſſionem.*

204 *Aufer ius teſtandi de proprijs bonis.*

205 *Etſi Papa in hoc poſſit diſpenſare.*

206 *Religioſus cum licentia donat cauſa mortis.*

207 *Poteſt & declarare teſtamentum factum ante profeſſionem.*

208 *Prælatus promittens dare de bonis ſui Religioſi tenetur ciuiliter.*

209 *Reli-*

209 *Religioſus nequit teſtari de bonis ante profeſſionem ad finem hunc reſeruatis; imò nec de bonis alicuius ſecularis in hoc conſentientis, & quidem nec cum licentia Prælati.*

210 *Non acquirit monaſterio ſine Superioris licentia.*

211 *Diſſentit Suarez quo ad pertinentia ad ordinarium vſum proprium religioſi acquirentis.*

212 *Et in hoc caſu maior quantitas requiritur.*

213 *Res accepta ſine licentia fit eò ipsò Monaſterij.*

214 *Religioſus non accipit ſine licentia, dominio rei acceptæ relicto penes dantem.*

215 *Prohibetur poſſidere bona temporalia ex voto paupertatis.*

216 *Si accipiat ex epycheia, debet id poſtea indicare Prælato.*

217 *Retinens accepta cum licentia iniqua non peccat.*

218 *Alienare non poteſt bona proprijs vſibus conceſſa.*

219 *At poteſt alienare ſub conditione licentiæ obtinendæ.*

220 *Non poteſt diſtrahere, quæ ſibi ſubtrahit parcè viuendo.*

221 *Peccat, ſi nomine proprio diſtrahat accepta ſine licentia.*

222 *Soluens meretricici ex pecunia cum licentia ſurrepta multipliciter peccat.*

223 *Soluens meretrici pecuniam datam præcisè ad hunc effectum non violat paupertatem.*

224 *Peccat Religioſus ludendo quantitatem notabilem.*

225 *Et, ſi ludus fiat ſine licentia, aut exponatur ludo maior quantitas ea, quæ conceditur à Superiore, ludens tenetur reſtituere quod lucratur; etſi alij diſſentiant.*

226 *Aſſignatur ſumma pecuniæ, quæ licitè poteſt ludo exponi.*

227 *Religioſus ſine licentia nequit facere eleemoſynas.*

228 *Tenetur eſſe paratus abdicare à ſe quidquid habet.*

229 *Debet diligenter cuſtodire conceſſa ſuis vſibus.*

230 *Si recuſet oblata, non violat paupertatem.*

231 *At hoc fallit quo ad hæreditatem, & aliqua legata ci relicta.*

232 *Recipit alienam pecuniam in depoſitum; quod alij negant.*

233 *Curat habere pecuniam paratam penes tertium, ex qua ſibi prouideat de licentia Superioris hic & nunc petita.*

234 *Annuos redditus de licentia exigit in aliquo caſu ab hærede ad id grauato.*

235 *Accipit ſine licentia immediati Prælati animo non vtendi re accepta ſine licentia Prælati mediati abſentis: item petit ſine licentia non accepturus abſque illa.*

236 *Acceptat pecuniam diſtribuendam pauperibus à ſe eligendis.*

237 *Ex cauſa à Prælato accipit prædium monaſterij quaſi in locationem: nec id repugnat Concilio Tridentino.*

QVÆRES I. An, & quo modo Religioſi vi voti paupertatis efficiantur incapaces dominij tam acquirendi, quam transferendi.

187 ℞. Effici, ſi votum ſit ſolemne, aut aliter iuuetur diſpoſitione iuris eccleſiaſtici; ſecùs, ſi ſit ſimplex; ſic enim obligat ſolum ad relinquendum dominium, quod habebatur, & nullum poſtea de nouo acquirendum, ſi vouens per votum intendit ſe illo priuare. ita *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 5. num.* 14. & quidem, quod ſpectat ad votum ſolenne, conſtat ex iuribus citatis *ſect. præcedenti q. 2.* & ex communi conſenſu Doctorum; quo ad votum verò ſimplex probatur ex eo quod votum ſimplex paupertatis ſolùm eſt promiſſio quædã non habẽdi aliquid proprij, adeoque non affert ſecũ formaliter carentiã proprij, ſed tantùm ad illam obligat: cum aliud ſit promittere, & aliud dare: aliud vouere, & aliud votum exequi; vnde, ſicut vouens dare eleemoſynam non ſtatim dat, ſic & vouens eſſe pauper non ſtatim fit panper nec priuatur dominio bonorum, donec ea relinquat cum effectu, aut alia non acquirat. quæ ratio non ſolum probat per votum ſimplex paupertatis vt ſic non excludi ipsò factò dominium, ſed etiam nec poſſe excludere, quantũuis vouens velit, ſecluſa lege humana iuuante niſi accedat alia actio voluntaria, ſeu contractus, qui etiam ſine voto eſſet per ſe ſufficiens ad huiuſmodi paupertatem efficiendam; ſi enim tale votum non habet hunc effectum, ideo eſt, quia non poteſt: alioqui, ſi poſſet, quid obſtaret?

Dixi *ſecluſa lege humana iuuante*, ob vota, quæ faciunt in Soc. Ieſu Coadiutores formati: ea quippe ſunt ſimplicia, & tamen reddunt vouentem incapacem dominij, vt oſtendimus *ſect. præced. q.* 3.

Vtrum verò Religioſus profeſſus poſſit ſaltem ad breue tempus habere dominium aliquorum bonorum.

188 ℞. Non poſſe; neque oppoſitum colligi ex *cap. ſi qua mulier* 19. *q.* 3. alijſque ſimilibus iuribus: quod enim dicitur in *c. ſi qua mulier*, perſonam habentem liberos, ſi profeſſa fuerit, priuſquam de ſua ſubſtantia diſpoſuerit, poſſe poſtea illam inter filios arbitratu ſuo diuidere, legitimam partem reſeruando monaſterio: ſolum probat in tali caſu iure concedi liberam adminiſtrationem bonorum quantum ad illum actum, quæ non repugnat voto ſolẽni paupertatis; non autem quod profeſſus ſolemniter retinere poſſit dominium bonorum ad breue tempus. ita *Suar. ſup. cap. 7. nu.* 31. addens, quod, quamuis aliqui Canoniſtæ cum *Baldo, Felino, ac Decio* ſuſtineant non videri inconueniens Religioſum profeſſum retinere dominium ad breue tempus, & ius poſitiuum, ex quo ſuperius diximus inductam fuiſſe eiuſmodi incapacitatem, potuerit ſimilem caſum excipere; talis tamen caſus non videtur adhuc fuiſſe in iure expreſſus, ideoq; nec eſt admittendus.

QVÆRES II. An vi voti paupertatis ſolemnis amittat Religioſus vſumfructum non ſolum quo ad commoditatem, ſed etiam quo ad ius.

189 ℞. Quod, quamuis *Mol. to. 1. D. 9. §. dubiũ Graff. 1. p. deciſ. l. 3. c. 19. n. 43. Rebell. p. 1. l. 1. q. 7. ſect. 2. n. 21. Clau. reg. l. 9. c. 7. n. 8. d. 6.* alijque plures Canoniſtæ allegati à *Sanch. ſup. c. 13. n. 49.* ſuſtineant ius vſu-

fructus manere in Religioſo, commoditate illius translata in monaſterium; ea ducti ratione, quod monachus vi profeſſionis fit incapax iuris cuiuſcumque proprij retinendi, ſolum vt eius commoditate ipſe fruatur, non item vt ea tranſeat in monaſterij vtilitatem: nihilominus oppoſita ſententia omninò videtur ſequenda, eamque de facto ſequitur *Sanch. num.* 50. ex *Bart. Paulo, Roſel. & Gomez* dicens non ſolum commoditatem, ſed etiam ius vſusfructus tranſire in monaſterium, nihilque remanere penes Religioſum. ratio eſt, quod cum Religioſus per profeſſionem reddatur incapax cuiuſcumque dominij acquirendi, aut retinendi, ſimpliciter, & abſolutè, non poteſt dici remanere in eo aliquod ius in monaſterij vtilitatem: alioqui etiam dici poſſet eum manere dominum totius patrimonij in ſæculi poſſeſſi; non quidem in ſuam, ſed in monaſterij vtilitatem: quod nemo dicet, cum manifeſtè aduerſetur voto paupertatis, & religioſæ profeſſioni.

190 Nec obſtat, quod ius vſusfructus non poteſt transferri in alium ex voluntate vſusfructuarij; ſi quidem in præſenti caſu transfertur non ex voluntate Religioſi vſuſfructuarij, ſed ex conſenſu domini proprietatis rationabiliter præſumpto, imò etiam ex iuris auctoritate: quatenus vi profeſſionis in monaſterium transferuntur omnia iura monachi iuxta *Authent. ingreſſi C. de ſacroſ. Eccl.* & conſequenter etiam ius vſusfructus: Quod non eſt nouum in iure; cum olim hoc idem eueniret in filio familias adeunte hæreditatem: ſi quidem ius hæreditarium quod eſt mere perſonale, patri tunc acquirebatur vna cum iuribus directis, & apud filium remanebat ſolum nomen nudum facti; prout benè notat *Sanch. ſupra.*

Non obſtat item, quod talis vſusfructus ius non penderet à vita monachi, ſicuti pendet communiter, ſed duraret 100. annis (quo tempore durat ius vſusfructus relictum Eccleſiæ iuxta *l. an vſusfructus ff. de vſufructu:* cum vſusfructus de conſenſu domini in alium translatus non pendeat à vita transferentis, ſed cenſeatur nouus conſtitutus in eo, in quem translatus eſt, ab eiuſque vita pendens. id namque in iſto euentu non procedit, eo quod iura dictum ius vſusfructus in monaſterium transtulerint, non directè, ac eius contemplatione, ſed in conſequentiam translatione perſonæ monaci, ac eius contemplatione: ſicque pendet ab eius vita, nec durat 110. annis. ita *Sanch. vbi ſupra* monens *n.* 51. idem prorſus dicendum de vſufructu relicto ad certum tempus Religioſo adhuc in ſæculo degenti: is enim licèt ſit temporalis, perit morte Religioſi ante tale tempus finitum decedentis iuxta ea, quæ habet idem *Sanch. num.* 10.

QVÆRES III. An Religioſus profeſſus vi voti paupertatis reddatur incapax vſus bonorum temporalium, & quo modo.

191 ℟. Quod quamuis per votum paupertatis religioſæ abſolutè non prohibeatur vſus bonorum temporalium (quod eſt impoſſibile) ipſi tamen prohibetur vſus proprietarius; idque ex ipſa obligatione non habendi proprium: qui enim tollit facultatem, à fortiori tollit actum, adeoque qui tollit dominium, tollit & actum dominij; vnde cum votum paupertatis tollat dominium, tollet etiam actum dominij, & conſequenter vſum proprietarium, qui eſt actus dominij. ita *Suar. ſup. cap.* 15. *numer.* 1. alijque communiter; inter quos *Laym. l.* 4. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 19. alios adducens notat Religioſum reddi vi voti paupertatis incapacem, vt ei etiam de licentia Superioris concedatur vſus alicuius rei irreuocabilis: & ſi concedatur Superiorem nihilominus poſſe illum reuocare, eo quod inter monacum, & eius Prælatum nulla cadat obligatio naturalis; quod tamen negat *Sanch. ſup. cap.* 17. *num.* 33. alias concedens reuocationem, ſi fiat, eſſe validam, licèt ſit illicita.

192 Imò docent *Roſell. Ang. Sylu. Turrecr. Cord. & Lud. Lopez* allegati à *Sanch. num.* 29. neque Papam poſſe concedere monaco ſic manenti aliquid ad vſum irreuocabilem, niſi eum abſolnendo à voto paupertatis: ſi quidem hoc eſſet illum efficere proprietarium; quod tamen non facit, quin ipſe poſſit concedere monaco licentiam aliquid retinendi, itaut nullus inferior Papa poſſit illud reuocare: hoc enim non eſt efficere monachum proprietarium, cum tem illam habeat ex legitima licentia ſui ſuperioris qui eſt Papa, eaque poſſit ab eo reuocari, & ille ea licentia ſolum eximatur ab obedientia aliorum Superiorum, quo ad illam retinendam. ita *Sanch.* monens quemcumque Superiorem poſſe concedere Religioſo ſubdito rem, ita vt nullus alius Prælatus inferior ipſo poſſit eam reuocare; cum militet eadem ratio, vt patet.

QVÆRES IV. An Religioſi vi voti paupertatis efficiantur incapaces hæreditariæ ſucceſſionis, & quo modo.

193 ℟. Non effici, ſi profiteantur in Ordine capaci: hæreditatem tamen acquiri non Religioſo particulari, ſed monaſterio in communi, iuxta regulam generalem: *quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio*: quod ita eſt verum, vt valdè probabile ſit hæreditatem delatam monacho acquiri immediatè, non ipſi monacho, ſed monaſterio, ideòque nulla opus eſſe monaci aditione ad eam acquirendam, prout probat *Sanch. ſup. cap.* 12. *num.* 36. hinc n. 40. inferens integrum eſſe monaſterio adire hæreditatem monaco delatam, quantumuis monachus ignoret, aut contradicat, aut repudiet: patet reſponſio ex dictis in *tract. de profeſſ. cap.* 6. *ſect.* 2. *q.* 9.

QVÆRES V. An Religioſus ſit capax legati ipſi ea lege relicti, vt ad eum pertineat, non autem ad monaſterium, nec poſſit Superior ſe in illud intromittere, nec auferre, & ſi tentet auferre, hoc ipſo perdatur.

194 ℟. Eſſe, legato benignè interpretato, itaut ſenſus illius ſit, quod nihil facti pertineat ad monaſterium; ſecus verò de iure, vt ſcilicet commoditas, & vſus, quæ ſunt quid facti pertineant ad monachum, Abbate permittente; dominium autem, quod eſt quid iuris, pertineat ad monaſterium. ratio eſt, quod voluntas teſtatoris, ſi non poteſt directo, per indirectum, & omni modo poſſibili ſeruanda eſt, & ita explicanda, vt habeat effectum: idque etſi oporteat diſtrahere verba à propria ad impropriam ſignificationem, imo & ea cum violentia

ſentia interpretari; ſicut notat, alijs citatis, *Mantica de conicct. vltim. volunt. lib.3. tit.5. num.1.* ita *Mol. tom.1. D.140. col.7. Azor. tom.1. lib.12. cap.10. q.3. Graſſ.1. par. deciſ. l.3. cap.5. numer.41. Rodriq. tom.2. q.125. a.2. Sylu. v. religio 8. q.5.* alijque plures Canoniſtæ apud *Sanch. ſup. cap.17. nu.4.* qui addit cum pluribus alijs præſatum legatum valere, etiam in caſu, quo teſtator declararet ſe velle, vt illud, quo ad dominium omninò pertineret ad monachum, & nullo modo ad monaſterium: ſi quidem legatum nihilominus pertineret ad monaſterium, ea conditione tanquam turpi reiecta, vtpote repugnante paupertati voto promiſſæ.

Quod ſi ſuperior non conſentiat commoditatem talis legati pertinere ad religioſum, cui relictum eſt; tunc legatum continuò fit nullum, & ſpectat ad hæredem, deficiente conditione, ſub qua relictũ eſt *l. vnica C. de caducit. tollend.* ita *Sanch. ſup. num.7.* pluribus alijs pro ſe relatis monens in præſenti caſu non ſufficere, quod ſuperior ſemel conſentiat reuocato poſtea conſenſu, in fraudem hæredis; ſiquidem licèt regulariter ſatis ſit conditionem impleri momento, etſi ſtatim deficiat *l. ſi quis hæredem nu.7. C. de inſtit. & ſubſtit.* id tamen non procedit, quando conditio, aut diſpoſitio habet tractum ſucceſſiuum, vt in præſenti caſu.

195 Præter quam quod poteſt religioſus in caſu propoſito conſentire, vt vſus legati relicti ſit prorſus monaſterij; cum enim ea conditio appoſita fuerit in ipſius fauorem, vtique poteſt ipſe cedere fauori ſuo; & hoc, etiamſi teſtator adiecisſet pænam, vt, ſi monaſterium ſe intromiſerit in illud legatum, ea bona pertineant ad quemdam tertium: ſi quidem pæna illa non fauore ſubſtituti, ſed ipſius monaci adiecta eſt; immò & in caſu, quo illa conditio inducta fuiſſet, non per modum pænæ, ſed per modũ taxationis temporis, (dicendo v. g. *Lego, donec ſuperior auferat*) ea quippe adhuc eſt in fauorem ipſius legatarij, nec ſuperior dicitur auferre, aut moleſtiam inferre, quando ſubditus ſua ſponte dat. ita *Sanch. num.10.* monens *nu.8.* legatum relictum religioſo cum conditione, vt illo vti poſſit ad quoſcumque vſus, etiam ſuperfluos, & prophanos, valere, tali conditione tanquam turpi reiecta iuxta modo dicta.

QVÆRES VI. An religioſi vi voti paupertatis prohibeantur habere peculium, & quo modo.

196 ℞. Non prohiberi, dummodo peculium non ſit proprietarium; quale cenſeretur eſſe, ſi vel poſſideretur abſque legitima prælati licentia, vel ita occultaretur, vt non poſſet à ſuperiore inueniri; ſicut aduertit *Suar. tom.3. de relig. l.8. cap.12. num.2. & 4.* patet autem reſponſio ex dictis *ſect. præc. q.2. §. quod ſi*, vbi hac de re fuſè egimus.

197 Solum hìc moneo ex *Suar. num.9.* quod, quamuis cuſtodire ſub claue res proprio vſui conceſſas, ſine licentia ſuperioris expreſſa, aut tacita ſit ſignũ proprietatis, ſi religioſus ſic intẽdat res illas occultare ſuperiori, eaſque retinere modo ita proprio, & particulari, vt non communitati, ſed ſibi ſoli eas reſeruet; non ſub communi cuſtodia, ſed propria, & quidem itaut ſuperior de illis non poſſit liberè diſponere: nihilominùs, ſecluſo ſcandalo, non debet id ſtatim peccati m. condemnari, ſi aliàs religioſus ſit paratus dictas res relinquere ad nutum ſuperioris, clauemque ipſam tradere, quotieſcunque Prælatus eam petierit; tunc enim animus re vera non eſſet proprietatis, eſtò excedat in affectu, & in modo cuſtodiæ contra regulam; & aliunde, non obſtante illo modo cuſtodiæ, res cuſtodita habeatur cum licentia, & ſuperior ipſe non impediatur, quo minùs de ea poſſit diſponere, petendo clauẽ, & puniendo abuſum. Vnde fit, vt, ſi religioſus abfuturus per plures dies res ſuas ſub claue relinquat claue ipſa ſecum delata, idque ſine ſuperioris licentia; magnum ſignum proprietatis exhibeat, cum ſic magis priuet ſuperiorem libertate diſponendi de illis rebus alioqui ei ratione officij competente.

QVÆRES VII. An religioſi vi voti paupertatis fiant incapaces ſuccedendi in feudum, & quando.

198 ℞. Fieri, ſi profiteantur in ordine incapaci, & ſeruitium debitum ex feudo ſit perſonale, & tale, quale non poteſt decenter præſtari à religioſo, & alias non ſufficiat illud exhiberi per ſubſtitutũ; ſecùs, ſi profiteãtur in ordine capaci, & ſeruitiũ poſſit à religioſo decenter præſtari, ſiue illud ſit reale, ſiue perſonale. ita *Sanch. l.7. mor. cap.15. num.36. ex Mol. Rodriq. Leſſ. Azor. Nauar.* aliiſque pluribus Canoniſtis notans *num.37. ex l. inter artifices ff. de ſolut.* tunc ſeruitium perſonale in feudo petitum poſſe per alium exhiberi, quando in eo non eligitur induſtria perſonæ; ſecùs, ſi eligatur; patet autem reſponſio ex dictis in *tr. de priuil. cap.7. ſect.1. q.16.* ſi hìc aduertero religioſum ſuccedere in feudum, non immediatè, ſed mediatè, nimirum per monaſterium: quod eſt dicere monaſterium ipſum ſuccedere in feudum, nomine religioſi.

QVÆRES VIII. An & quo modo religioſi vi voti paupertatis efficiantur incapaces emphytheuſis, ſiue iam acquiſitæ, ſiue in futurum acquirendæ.

199 ℞. Non effici, ſi profiteantur in religione capaci, ideoque eam tranſire in monaſterium; abſolutè quidem, ſi emphyteuſis ſit ſæcularis: reuocabiliter verò, ſi ſit eccleſiaſtica, non item, ſi profiteãtur in ordine incapaci: tunc enim neque religioſus, neq; monaſterium nomine religioſi poteſt emphyteuſim vel retinere, ſi iam erat acquiſita ante profeſſionem, vel de nouo acquirere, ſi eſt acquirenda ita *Sanch. num.56. & 51.* alijque apud ipſum, & patet ex dictis in *tract. de profeſſ. cap.4. q.18.*

200 Porrò in caſu, quo religioſus emphyteuta profeſſus ſit in Ordine incapaci; ſi quidem emphyteuſis ſit hæreditaria, itaut in eam ſuccedere nequeat extraneus, ea ſtatim ac ille profeſſus eſt, eo ipſo tranſit cum melioramentis in ea factis ad hæredes dicti Religioſi; cum profeſſio reputetur quaſi mors naturalis; ſi autem emphyteuſis non ſit hæreditaria, ea pertinet etiam quo ad commoditatem, ad illos, qui in inueſtitura ad eam vocantur: quod ſi nullus vocaretur emphytheuſis expiraret, rediretque ad dominum directum. ita *Mol. to.2. D.482. num.1.* & cum eo *Sanch. num.52.* addens in tali caſu melio-

melioramenta, ſi quæ eſſent facta in emphyteuſi, quo ad ęſtimationem ſoluenda eſſe hæredibus Religioſi emphyteutæ, ſiue à vocatis in ea ſuccedentibus, ſiue nullis vocatis, à domino directo, ad quem redit. Quin addit *Mol.ibi* in caſu, quo emphyteuſis non ſit hæreditaria, ideoque non tranſeat ad monaſterium, ſed ad vocatos in inueſtitura; tunc commoditatem ipſius emphyteuſis pertinere ad monaſterium, ſi ſit capax, quamdiu viuit Religioſus emphyteuta: quippequod ſuccedit in omnia iura illius.

QVÆRES IX. An, & qualiter vi voti paupertatis prohibeatur Religioſus adminiſtrare fructus beneficij Eccleſiaſtici, quod poſſidet.

201 ℞. Non prohiberi, ſed poſſe de illis diſponere ad honeſtam ſui ſuſtentationem, & ad pias cauſas; perinde ac poteſt ſæcularis diſponere de fructibus proprij beneficij: idque ſiue beneficij collatio facta ſit à Papa, aut ab Epiſcopo, & beneficium ſit ſæculare (quo modo *Laym.ſup.num.*17. ait reſponſionem eſſe indubitatam; cum ſic beneficiarius deſinat eſſe ſub obedientia Prælati regularis; & incipiat ſubeſſe Ordinario diœceſano iuxta *Gloſ. in Clem.*1.*§. ad hæc v.ad clauſtrum de ſtat.monach.*) ſiue beneficium ſit manuale, itaut beneficiarius ad nutum Prælati amoueri poſſit(ex iuſta tamen cauſa) cum pro tempore, quo iuſtè obtinet tale beneficium, ex canonum conſtitutione habeat ius adminiſtandi fructus illius, vt modo dicemus; ſiue etiam beneficium ſit regulare (v. g. prioratus habens proprios redditus) ſic namque in citata *Clem.*1. *§.eod.* prohibetur ne Prælati regulares prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes, aut beneficia eiuſmodi applicent menſis ſuis, penſiones ac ei nouas imponant, aut veteres augeant (intellige cum *Sà v.religio num.*46. niſi extet in contrarium regula alicuius Ordinis, aut conſuetudo legitimè præſcripta.) ita *Nau. com.*2. *de regul. num.*10. *&* 11. *& l.*3. *conſ.*70. *de Regul. Leſſ.l.*2. *cap.* 41.*num.*93.*Rodriq.to.*1.*q.*34.*a.*5.*Mol.tom.*2. *D.*276. *nu.*5.*Laym.loco cit.alijque & probatur tum ex Clem.*2. *§.ſed & tales de vita, & honeſt.Cleric.* vbi ponitur differentia inter Regularem ſimplicem, & beneficiarium; quod hic abſque facultate Superioris poſſit immediatè in opera pia impendere, ille non poſſit: tum quia talis eſt natura, ſeu inſtitutio beneficij, vt tribuat alicui ius adminiſtrandi redditus ad neceſſarios, vel pios vſus: qui enim eſt adminiſtrator beneficij, eſt etiam adminiſtrator fructuum.

QVÆRES X. An Religioſi vi voti paupertatis fiant incapaces penſionis.

202 ℞. Fieri, ideoque non poſſe abſque Papæ auctoritate obtinere vllam penſionem ſuper quocumque beneficio, ſiue ſæculari, ſiue regulari loquendo de penſione propriè dicta. ita *Azor. p.*2. *l.*8.*cap.*7.*q.*11.*Tolet.l.*5.*ſum.cap.*83.*num.*2. *Zech. de benef.& penſion.cap.*11.*num.*7.*Sanch.l.*7. *mor.cap.*29. *num.*94.*Caſtr.Pal.tract.*13.*D.*1.*p.*11.*§.*3.*num.*9. alijque & probatur; quia Religioſus profeſſus nihil proprij poteſt habere *c. non dicatis* 12. *q.* 1. haberet autem aliquid proprij, ſi haberet penſionem; cum penſio ſit ius quoddam exigendi, ac percipiendi certos redditus ex fructibus alieni beneficij. Dixi *loquendo de penſione propriè dicta*; ſi enim loquamur de penſione impropria, quæ ſcilicet imponitur non beneficio, ſed ipſi beneficiario, vtique eam poteſt obtinere religioſus à Prælato regulari; cum nihil vetet Prælatum conferre religioſo beneficium regulare, imponendo ei obligationem, vt alteri religioſo det partem fructuum; ſi quidem religioſus beneficiarius manet ſub obediētia Prælati, ex eius tacita voluntate expendit fructus beneficij, poteſtque illius arbitrio amoueri à beneficio.

Quod ſi quæras, an penſio obtenta ante profeſſionem religioſam, eò ipſo extinguatur per ipſam profeſſionem, aut certè tranſeat ad monaſterium.

203 ℞. Extingui; patetque ex eo quod, quamuis per ſe non repugnaret voto ſolemni paupertatis ius penſionarij tranſire in religionem, ſi Pontifices illud cum ea amplitudine conferre voluiſſent; de facto tamen non ita confertur, ſed ita, vt immutabiliter adhæreat penſionario, ſicque nullo modo transferri poſſit in alium ſine auctoritate Papæ; quod conſtat magis ex conſuetudine, & communi DD. interpretatione, quam ex aliquo iure expreſſo. ita *Suar. ſup. cap.*13. *num.*7. monens mirum non debere videri, quod, cum alij vſusfructus tranſire poſſint in monaſterium iuxta dicta q. 2. penſio tamen, quæ eſt quidam vſusfructus, per profeſſionē extinguatur; nam penſio eſt onéroſa beneficio eccleſiaſtico, ideoque ſeruitus illius dicitur, & ex hac parte eſt odioſa, ac reſtringenda: nec reſpectu illius ita habet locum fauor religionis, cum etiam extinctio penſionis cedat in fauorem rei ſacræ, & conſequenter religionis.

QVÆRES XI. an religioſi ex vi voti paupertatis prohibeantur diſponere de proprijs bonis per modum teſtamenti, aut codicilli.

204 ℞. Prohiberi, ideoque non poſſe religioſum profeſſum abſque diſpenſatione Papæ facere teſtamentum, aut codicillum, &, ſi faciat, actum eſſe & illicitum, & nullum. ita *Suar.cap.*16.*numer.*1. *Sanch. cap.*8. *num.*2. *Leſſ.num.*71. *Lezana tom.*1. *c.*9. *nu.*19. alijq; cõiter; & probatur tũ ex *Auth. ingreſſi C. de ſacroſ.eccl.& c.quia ingredientibus* 19. *q.*3. *& c.*2. *de teſt.* tum quia Religioſus vi voti paupertatis priuatur omni dominio, & incapax illius efficitur; teſtari autem ſupponit quod habeatur proprium, aut dominium: tum quia quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio; ſicque nihil habere poteſt, de quo diſponat per teſtamentum, aut codicillum.

205 Verum tamen eſt, quod cum iſta prohibitio inducta ſit ſolo iure humano, vt conſtat ex iuribus citatis, & inde colligitur, quod religioſus ſolo iure humano redditur incapax dominij, ac proprij. iuxta alibi dicta, poterit ſine dubio Papa diſpenſare cum Religioſis, vt etiam poſt profeſſionem ſolemnem teſtari poſſint de proprijs bonis, ipſorũ ſcilicet vſui conceſſis; ſi quidem ipſe poteſt diſpenſare in quocumque iure poſitiuo Eccleſiaſtico, quale eſt illud, de quo hìc agimus. ita *Leſſ. vbi ſup. ex Nau. & Couar.* alijque communiter.

206 Hinc fit, quod nullus Prælatus inferior Papa poteſt diſpenſare cum religioſo profeſſo, vt poſſit facere teſtamentum, aut codicillum; quod tamen non facit, quin ille poſſit de ſui Superioris licentia

face-

facere aliquam donationem, cauſa mortis; moderatam tamen, & proportionatam proprio ſtatui. ita *Sanch. num.* 11. *ex Bart. Tap. Grat. & alijs Canoniſtis* contra *Nau. Rodriq. Graff.* & alios relatos ab ipſo *Sanch. num.* 10. oppoſitum ſuſtinentes. Ratio autem noſtra eſt, tum quia non apparet, cur Religioſus de licentia Superioris poſſit ſtatim donare alteri librum v. g. & non poſſit illum eidem donare cauſa mortis, vt donatio poſt mortem habeat effectum, & confirmetur; tum quia poteſtas teſtandi, & poteſtas donandi cauſa mortis nō ſunt connexæ; cum vxor abſque viri licentia non poſſit donare cauſa mortis, eſtò poſſit teſtari; ergo ex eo quod Religioſis interdictum eſt teſtari, non hoc ipſo interdicitur donare cauſa mortis: tum quia quod dicitur non potenrem de iure teſtari nec poſſe donare cauſa mortis, ſolum habet locum in eo, qui ex defectu naturali non valet teſtari; quod vtique non procedit in caſu noſtro.

Sic cenſet *Cardinalis de Lugo D.* 3. *de iuſt. num.* 122. poſſe Religioſum in morte declarare ſe debere aliquid alicui perſonæ, & ſoluendum eſſe ex tali pecunia, quæ apud ipſum reperitur: idque ſufficere, ad hoc vt Conuentus in conſcientia teneatur, ſi. coniecturæ ſint eæ, vt fidem exigant; imo & in ſoro externo, ſi de dictis circumſtantijs conſtet in tali foro; ſicut enim in foro interno vim habent contra præſumptionem, illa habebunt & in externo ſi probentur, vincentque eandem præſumptionem quamquam in dubio (vt ſi dubitetur infirmum ex errore, aut ignorantia id dicere) & multo magis ſi dubitetur de bona fide infirmi, monaſterium non teneatur, niſi creditor probet. Imo *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 9. *num.* 38. *ex Baldo, Iaſone Paulo, & Speculatore* putat monaſterium in caſu iſto abſolutè non teneri in foro externo, niſi debitum probetur, & onus probandi incumbere creditori; cum monaſterium pro ſe habeat præſumptionem fundatam in iure.

207 Ex eo autem quod Religioſus profeſſus prohibetur facere teſtamentum, aut codicillum; non ideo prohibetur declarare, ac interpretari teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem; dummodo teſtamentum, vt dubiæ, & obſcuræ voluntatis interpretatione indigeat, & ipſa interpretatio fiat conuenienter verbis ipſius teſtamenti. ita *Diana p.* 3. *tract.* 2. *reſol.* 75. *ex Regin. Moneta, Vecch. Rodriq. & Sanch.* contra *Mirandam to.* 1. *man. q.* 23. *a.* 10. alioſq; partem negantem ſuſtinentes, & patet ex dictis in *tract. de profeſſ. cap.* 4. *q.* 18. *§. monet.*

Difficultas modo eſt, an caſu, quo Prælatus promittat Religioſo ſubdito ſe eius bona diſtributurum poſt illius mortem iuxta ipſius mentem ei manifeſtatam, teneatur ſtare promiſſis, ſin minus ciuiliter, ſaltem naturaliter, & in foro conſcientiæ.

208 ℞. Teneri, niſi promiſſio eſſet diſtribuendi alteri Religioſo ſibi etiam ſubdito: quo caſu, ſicut rem ei datam poteſt auferre, ſic & poteſt non dare. ita *Sanch. num.* 18. & probatur ex eo quod, cum ſit eadem ratio de pacto inito inter Prælatum, ac religioſum ſubditum, vt oſtendit *Sanch. num.* 13. ſicut inter dominum, & ſeruum poteſt oriri obligatio, etiam ex iuſtitia eò quod dominus paciſcens cum ſeruo cenſetur cedere iuri ſuo, (ſicuti notauit *Sanch. num.* 16. *ex Mol. & Leſſ.*) ſic & eadem obligatio oriri poterit inter Prælatum, ac Religioſum ſubditum; cum ſit par ratio.

Vtrum verò reſtari poſſit religioſus, ſi tempore profeſſionis ſibi reſeruauit aliqua bona cum poteſtate teſtandi de illis.

209 ℞. Non poſſe, neque propria auctoritate, neq; ex permiſſione Abbatis. ita *Sanch. num.* 19. contra *Bald. & Iaſon.* & quidem quod non poſſit propria auctoritate, conſtat, quia alioqui religioſus profeſſus retinere poſſet ad tempus dominium bonorum ſuorum, quod nullo pacto admittendum eſt: quod autem neq; id poſſit ex permiſſione Abbatis, patet, quia aliàs religioſus poſſet teſtari ex licentia proprij Prælati; quod tamen paulò ante diximus eſſe falſum.

Addit *Io. de Lugo D.* 3. *de iuſt. num.* 110. non poſſe profeſſum de licentia ſuperioris teſtari de rebus alicuius ſæcularis conſentientis, vt ille teſtetur de aliqua parte ſuorum bonorum; nam teſtari ſupponit ius aliquod competens teſtatori ad diſponendū proprio nomine de dictis bonis: & tāli iuris religioſus profeſſus eſt incapax. Conſentit *Sanc. n.* 7. addēs tamen illū, qui conſentiret in tale teſtamētum, poſſe cogi ad implenda relicta in illo; non quidem vt debita ex vltima voluntate religioſi, quæ fuit inefficax, ſed ex quadam executione mandati concedentis dictam facultatem homini aliàs incapaci teſtandi: quod non approbat *Io. de Lugo vbi ſupra* aliàs concedens *n.* 112. quòd ſi profeſſus in morte roget ſuperiorem, vt tali, & tali modo velit diſtribuere res ſuas: per hoc ſuperior ad nihil prorſus obligatur: immò non poteſt plus facere in bonorum illorum diſtributione, quàm potuiſſet, ſecluſa petitione illa religioſi: ſicque non poteſt in damnum Conuentus donare extraneis aliquid notabile, niſi in quantùm aliàs potuiſſet ex cauſa rationabili. in quo diſſentit *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 8. *numer.* 18. dicens ſuperiorem in tali caſu teneri non ciuiliter, ſed naturaliter ac in foro conſcientiæ, vt paulò ante diximus.

QVÆRES XII. An, & qualiter religioſi vi voti paupertatis prohibeantur acquirere bona temporalia ſibi, aut etiam monaſterio.

210 ℞. Prohiberi acquirere ſine debita licentia ſuperioris, ſiue ſpeciali, ſiue generali, ſiue expreſſa, ſiue tacita, ac præſumpta modo inferiùs explicando: & quidem non ſolum ſibi ipſi, ideſt in propriū vſum, ſeu commodum; ſed etiā monaſterio, videlicet ad publicum, & communem vſum bona acquiſita incorporando; cum hac tamen differentia, quod talis acquiſitio à peccato m. facilius excuſari poteſt, quando fit ad vſum publicum, & communem, quam quando fit ad vſum priuatum, & proprium acquirentis: idque ex præſumpta voluntate ſuperiorum, quibus diſplicet quidem modus acquirendi, ſed non ſimpliciter diſplicet acquiſitio, quæ ſic cedat in bonum totius communitatis. ea autem voluntas moraliter poteſt præſumi, quandocumq; non occurrit in particulari aliquid, quod vehementem faciat coniecturam in contrarium, aut aliter non conſtat ex ip à conſuetudine; aliàs enim ſi quid tale conſtaret, aut valdè probabiliter præ-

præſumeretur, non apparet, quo pacto à peccato m. excuſari poſſet talis acquiſitio, ſi alioqui eſſet in magna quantitate. Generalis autem reſponſionis ratio eſt, quod Religioſus vi voti paupertatis prohibetur facere quemcumque actum proprietatis, & dominij, vt patet ex dictis *ſect. praeced. q.* 2. acquirere autem bona ſine licentia Superioris reuera eſt actus proprietatis, ac dominij; cum id fiat nomine proprio, & tanquam ex propria poteſtate; quod eſt interdictum Religioſis, vt vel hinc conſtat, quod teſte *Suar. to. 3. de relig. l. 8. cap.* 11. *num.* 1. omnes antiqui Pattes monachorum Baſilius, Benedictus, Auguſtinus, & alij cum aiunt proprietatem non eſſe licitam monaco, ſtatim declarant non licere ei aliquid accipere ſine licentia Prælati iuxta *cap. non dicatis* 12. *q.* 1. quæ ratio probat intentum: ſiue acquiſitio fiat ad vſum proprium acquitentis (quod eſt indubitatum) ſiue in bonum totius communitatis, eum adhuc fiat nomine proprio, & conſequentet ſit proprietaria, vti iam probatum eſt.

211 Concedit tamen *Suar. num.* 28. & bene, quod ſi res, quam Religioſus ſine licentia Superioris acquirit ad proprium vſum, pertineat ad ordinarium vſum religioſum, itaut ſi hanc non haberet, aliam ſimilem ex bonis monaſterij reciperet ad ſuum vſum, eiuſque loco retineret; & alias ſit paratus relinquere eam, quam de facto modo dicto acquiſiuit: probabile eſt eiuſmodi acceptionem excuſari poſſe à culpa graui, æque ac ſi facta fuiſſet in bonum totius communitatis; ſic enim perinde eſt ad ſuum vſum illam detinere, ac communi eam deputare; cum communis vſus talium rerum non aliter ſit communitatis, niſi quatenus diuiſus eſt pet ſingulas perſonas, itaut apud nullam ſit res ſimilis tanquam propria, vtpote quæ ſemper auferri poteſt à Superiore. prætet quam quod Religioſus habet à Superiore licentiam tacitam, aut expreſſam, vt tali re in communi vtatur, verb. gr. pileo, pallio &c. ideòque quod talem licentiam generalem applicet ad hanc rem particularem proprio arbitrio; & ſine voluntate Superioris, vel non eſt proprietas, cum ſemper ſeruetur reſpectus ad aliquam voluntatem Superioris, & ad vſum communem: vel certè eſt leuis, & inſufficiens ad culpam m. ſecus eſſet, ſi res illa, quæ acquiritur, eſſet extraordinaria, ideſt pertinens ad vſum extraotdinarium, ac peculiarem; v. g. pretioſa imago, & ſimilia pertinentia ad peculiarem ornatum, cutioſitatem, aut commodum; tunc quippe acquiſitio eſſet mortalis contra votum paupertatis, vtpote facta ſine vlla licentia Superioris, & per conſequens nomine ptoprio: quod eſt illam eſſe proprietariam.

212 Addo ex eodem *Suar. num.* 32. quod quando Religioſus aliquid accipit ſine licentia Superioris, etiam præſumpta, non tamen animo illud ſibi retinendi, aut propria auctoritate applicandi ad ſuum vſum particularem: tunc ex parte rei acceptæ maior quantitas requiritur ad hoc vt acquiſitio ſit mortalis idque arbitrio prudentis viri, conſiderato vſu religionis, decentia, alijſque eius circumſtantijs. Moueor, quod in præſenti materia grauitas culpæ, quæ formaliter eſt in voluntate accipiendi aliquid, deſumi debet ex grauitate ipſius acceptionis; grauitas autem acceptionis in iſto caſu non eſt ſola quantitate rei acceptæ metienda, ſed ex intrinſeca inordinatione ipſius acceptionis, ideſt ex appropriatione, quæ fit per talem acceptionem: & ſic quando acceptio fit modo ſupradicto, & cum intentione explicata, videtur eſſe minima appropriatio, cum ſolum ſit in exercitio talis actus accipiendi quaſi in fieri (vt ſic dicam) non autem in termino eius, neque in re accepta: quatenus ſcilicet acceptio fit ſine licentia, res tamen accepta nullo modo vſurpatur, neque retinetur tanquam propria, vt ſuppono.

Dubitari iam poteſt, quo modo res ad vſum communem monaſterij accepta ſine Superioris licentia, fiat ipſius monaſterij; & ratio dubitandi eſt, quod nemo acquirit dominium ſine acceptatione; monaſterium autem in præſenti caſu non cenſetur acceptare dominium talis rei, cum non poſſit illud acceptare, niſi per Prælatum, & Prælatus illud non acceptet, nec expreſsè, nec tacitè, vt ſuppono.

213 ℞. Fieri monaſterij, ſi ea abſolutè donata eſt. ita *Nau. com.* 2. *de regular. nu.* 32. *&* 33. Abb. in *c. cum ad monaſterium de ſtat. monach. num.* 2. Suar. *ſup. nu.* 35. alijque, & probatur tum ex communi regula iuris, *Quidquid acquirit religioſus, acquirit religioni c. ſtatutum* 18. *q.* 1. tum quia hoc ipſo quod talis acquiſitio cedit in bonum Religionis, quantumcumque ea contradixerit acceptioni, poſtquam tamen facta eſt, ſemper cenſetur illam acceptare, quatenus ſibi poteſt prodeſſe, & non obeſſe: tum quia donatio in tali caſu dici poteſt iure ipſo acceptata, adeoque valida; maximè cum *C. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de regul.* dicat *etiam quonis modo ab eis acquiſita;* & infra *ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conuentuique incorporentur.*

Neque hinc inferri poteſt acceptionem hanc non fore contra votum paupertatis, vtpote non factam ſine licentia: cum antecedenter in monaſterio, & in Prælato adſit voluntas generalis acceptandi tales donationes; reſeruata tamen facultate illas poſtea reſcindendi, ſi non placuerint. nam illa acceptio verè cenſetur facta ſine vlla licentia: cum Conuentus, & Prælatus non intelligantur habere voluntatem antecedentem dandi licentiam, ſed potius voluntatem quamdam conſequentem genetalem acceptandi dictas donationes modo dicto: quare prius eſt ſubditum rem illam accipere ſine licentia, ideoque peccare, quam ſequi acceptationem Prælati ad ſuſtinendum valorem donationis tanquam vtilis Conuentui; vt optimè aduertit *Cardin. de Lugo D.* 3. *de iuſt. n.* 152. *§. dices.*

Grauior dubitatio eſt, an Religioſus vi voti paupertatis prohibeatur accipere ab extraneis res aliquas, etiam quo ad ſolum vſum, dominio dictarum rerum remanente apud dantem; ratio dubitandi eſt, quod ſic nulla videtur adeſſe proprietas, nullus vſus proprietarius; cum recipiens in tali caſu neque directè, neque indirectè recipiat dominium illarum rerum, vtpotè illas ita recipiens, quod ſemper poſſint repeti à dante, quamdiu non ſunt conſumptæ: præterea non accipit recipiens vſum pro-

prietarium, cum non habeat res illas nomine proprio, ſed nomine veri domini, vt ſuppono.

214 ℞. Prohiberi, &, ſi accipiat ſine licentia, peccare contra votum paupertatis. patet, quia talis acceptio eſt actus proprietatis repugnans paupertati religioſæ; vt inde patet, quod, licèt religioſus in tali caſu non vtatur rebus illis tanquam dominus illarum: in acceptando tamen illo vſu ſe gerit vt dominus; eiuſmodi autem vſus eſt pretio æſtimabilis; ſiue ſit actus, quo res conſumitur (quo modo moraliter eſt tanti æſtimabilis, quanti res ipſa,) ſiue ſit vſus, ſalua ſubſtantia rei; quo pacto eſt æſtimabilis pretio diſtincto à valore rei. vnde fit, vt qui talem vſum recipit ſuo arbitrio, & ſine licentia, iam accipiat aliquid pretio æſtimabile proprio arbitrio, & ſine facultate ſuperioris, adeoque quo ad id ſe gerat vt dominus; quod vtique eſt contra votum paupertatis; quippequod quamuis non excludat vſumfacti conceſſum à ſuperiore, excludit tamen vſumfacti proprio arbitrio vſurpatū, etiamſi aliàs à domino concedatur. ita *Suar. num.* 42. monens, ad iudicandum de grauitate culpæ, quando vſus eſt, ſalua ſubſtantia rei, non eſſe ſpectandam quantitatem, ſeu valorem rei ad vſum conceſſæ, ſed ſolam æſtimationem ipſius vſus: ſi quidem ille ſolus recipitur, & ex hoc capite ſæpè multum diminuetur culpa; in rebus verò, quæ vno vſu conſumuntur, parum referre diſtinguere vſum à dominio, quod ad præſens attinet: ſi quidem hòc ipsò quod res conſumitur, tota res accipitur, quando vſus accipitur.

QVÆRES XIII. An, & quo pacto religioſi vi voti paupertatis prohibeantur poſſidere, ſeu retinere bona temporalia abſque licentia ſuperioris.

215 ℞. Prohiberi; cum religioſus poſſidens bona temporalia ſine ſuperioris facultate ea cenſeatur poſſidere, non alieno, ſed proprio nomine, ſicque ea poſſideat velut propria: quod ſine dubio eſt contra votum paupertatis; ſicut notat *Suar. ſup. cap.* 12. *num.* 2. addens in tali caſu interuenire etiam malitiam furti, quatenus religioſus ſic poſſidens rem alienam contrectat, & retinet inuito domino, ideſt religione, cuius eſt res, quam ille vſurpat.

Cæterum, ſi quis hìc quærat, an, quando religioſus aliquid accepit ſine licentia ſuperioris expreſſa, aut tacita, videlicet ex præſumpta voluntate, & per epicheiam, teneatur ex vi voti paupertatis id ipſum poſtea referre ſuperiori, ſignificando ſe tale quid accepiſſe, vel certè illud retinere poſſit abſque alia facultate.

216 ℞. Teneri id referre ſuperiori, & petere licentiam ad illud retinendum. ratio eſt, quod licentia illa rationabiliter fuit præſumpta ſolum pro eo tēpore, quo ſuperior non potuit conſuli, & adiri: ergò eo tempore elapſo, ſi res extat, & nondum alienata eſt, ea retinebitur abſque licentia, eritq; vſus illius vſus rei propriæ; quod eſt eſſe proprietariū; cum talis dicatur non ſolum, qui aliquid recipit, ſed etiam qui retinet contra voluntatem Superiorum. ita *Fagundez lib.* 7. *in decalog. cap.* 5. *numero* 22. *ex* *S. Bonauent. & Sanchez*, *Suarez ſup. cap.* 11. *num.* 3. *Bonac. de largit. mun p.* 6. *numer.* 28. alijque penes ipſum; qui benè notant ſecus dicendum in caſu, quo ratio accipiendi ſine licentia non fuit difficultas adeundi Superiorem, ſed quia ſubditus probabiliter, & bona fide credebat illam erga ſe eſſe voluntatem Superioris, vt facilè concederet, ſi talem licentiam, & adeo iuſtam ab illo peteret; vel certè quia Superior ſolitus eſt eam licentiam alijs concedere, nec multum ægrè fert, ſi ea ab illo non petatur; tunc enim non tenetur religioſus poſtea Superiorem certiorem facere, etiamſi res apud ſe extet; cuius ea eſt ratio, quod ſi licuit inconſulto Superiore rem illam recipere ſaltem abſque culpa .m. quando facilè adiri poterat, à fortiori licebit illam poſtea retinere: quod etiam notauit *Graff.* 1. *p. deciſ. l.* 3. *c.* 5. *num.* 54.

Dices, quid ſi Superior Religioſo ſubdito det licentiam retinendi aliquid, & quidem iniuſtè ex parte cauſæ, ideſt ſine iuſta cauſa, eſt ne tunc Religioſus tutus in conſcientia quo ad illam rem retinendam?

217 ℞. Eſſe, & probatur, quia Religioſus in tali caſu non retinet rem illam nomine proprio, ſed dependenter à voluntate Superioris, ſemperque eſt paratus (vt ſuppono,) ad illam relinquendam, ſi ipſe iuſſerit; aliud autem non petitur ad excuſandam proprietatem, vt conſtat ex vi vocis, & ex *cap.* 10. *de regul. & ex cap. ad monaſt. de ſtat. monach.* ita *Suar. ſup. cap.* 12. *num.* 11. *ex Turrecrem. S. Anton. Vmb. & alys* inde ſuam confirmans ſententiam, quod licentia data ſine cauſa adhuc eſt valida, & tenet.

QVÆRES XIV. An religioſi per votum paupertatis prohibeantur alienare bona ipſorum vſui permiſſa, abſque licentia ſuperioris, donando, permutando, commodando, mutuando, aut aliter diſtrahendo.

218 ℞. Prohiberi; & probatur, quia ſic religioſus vſurpat rem independenter à voluntate Prælati, & tanquā dominus; cum tamen habeat ſolum vſumfacti, & vſuarius nequeat alteri concedere vſum rei ſibi conceſſæ; vt colligitur ex *inſtit. de vſu, & habit.* §. 1. & 2. & conſtat ex eo, quod concedere alteri vſum non eſt vſuarij, ſed vſufructuarij. ita *Leſſ. l.* 2. *cap.* 41. *num.* 78. *Rodriq. tom* 3. *qu.* 29. *a.* 10. *Sanchez l.* 7. *mor. cap.* 19. *num.* 64. *Peyr. de R. S. q.* 2. *c.* 2. §. 9. *Lezana tom.* 1. *cap.* 6. *num.* 52. alijque communiter; inter quos benè monet *Leſſ.* in rebus paruis, & crebrò occurrentibus cenſeri adeſſe facultatem tacitam, & generalem, ſaltem ad breue tempus.

219 Addit *Sanch. num.* 69. non eſſe contra votum paupertatis alienare aliquid non abſolutè, ſed ſub conditione, ſi ſuperior conceſſerit licentiam, & caſu, quo negetur licentia, res ſtatim tradatur reddenda, nullumque ſubſit periculū, quod ea non reddatur; ratio eſt, quod, cum condirionalis nihil ponat in eſſe, nulla fit alienatio, & ea traditio non eſt abſoluta, ſed ſub conditione ſuſpendente effectum: idem docet *Io. de Lugo D.* 3. *de iuſt. num.* 161.

Dubium eſſe poſſet, an Religioſus abſque Superioris licentia poſſit alienare ea, quæ ipſi conceduntur ad vſum ex bonis monaſterij communibus, ſi quid eorum ſibi ſubtrahat, ſiue de quantitate cibi, quam poſſet licitè conſumere, ſiue ex quantitate pecuniæ, quam in itinere poſſet expendere.

℞. Non

220 ℞. Non poſſe. ita *Sylu. v.religio 6. q.7. Sotus l.4. de iuſt.q.1.a.1.* S.Ant.*p.3.tit.16.c.1.n.11.* alijq; cõiter apud Suar.*c.15.n.8.* & probatur quia quãdo Religioſo conceditur vſus rei, non conceditur ſimpliciter ius vtendi; cum ſit incapax talis iuris, vtpotè habentis aliqualem rationem dominij, ſed conceditur tantum vſus facti, non in generali, nec quilibet pro eius arbitrio, ſed in particulari talis, aut talis vſus: & ideo præter illum non poteſt vllum alium vſurpare ex ſua auctoritate, & ſi vſurpet in eo ſe gerit vt dominus; excipe niſi Religioſus aliunde habeat præſumptam voluntatem Superioris ipſum eſſe contentum ea bonorum alienatione, aut id legitima conſuetudine inductum ſit; vt optimè aduertit *Suar.loco cit.* monens Religioſum non ſolum nòn poſſe alteri donare, quæ ſibi ſubtrahit, ſed nec poſſe ſibi applicare rem ad alium vſum, præter ſibi conceſſum; vnde quod datur in cibum non poteſt vendere ad emẽdum librum, &, ſi nihilominus vendat, peccat pro qualitate materiæ, niſi ſaltem præſumat id non fore inuoluntarium Prælato: agit quippe contra intentionem religionis, & per conſequens vltra facultatem ſibi conceſſam; quæ ratio item probat facturum contra votum paupertatis Religioſum, qui vltra menſuram prudentiæ ſibi ſubtraheret de cibo neceſſario ad faciendam eleemoſynam, etiamſi aliàs ex regula, aut conſuetudine poſſet erogare pauperibus, quod ſibi de alimentis prudenter ſubtraheret. qua de re Fagundez *ſup. num.* 23.

Maius dubium eſt, an religioſus peccet contra votum paupertatis, ſi abſque Prælati licentia aliquid expendat de alienis bonis non pertinentibus ad monaſterium.

221 ℞. Peccare; cum quantum eſt ex ſe, expendat ea bona tanquam dominus illorum, ſicque proprietarium actum exerceat; idque etſi interueniat conſenſus veri domini ea bona concedentis abſolutè pro arbitrio recipientis: ſiquidem illa conceſſio facit quidem, vt actus expendendi non ſit contra iuſtitiam reſpectu domini, non tamen excuſat à culpa proprietatis, cum ſic acquirat ſine licentia Superioris, & dicta bona expendat nomine proprio, ac ſi eſſet illorum dominus; quin in tali caſu interueniret iuſtitia reſpectu monaſterij, ſtante quod poſtquam Religioſus acceptat præfata bona; ſtatim ea acquiſita ſunt, non Religioſo, ſed monaſterio: ſicque diſpenſatio illorum, quæ poſtea fit, non eſt de bonis alienis, ſed monaſterij; vnde ſicut Religioſus peccaret contra iuſtitiam expendendo alia bona monaſterij, ita & peccat in præſenti caſu; ſicut notat *Suar. num.*17. monens *num.*16. ſecus dicendum in euentu, quo Religioſus ſolum acceptaret diſpenſationem aliquorum bonorum faciendam in alios nomine alterius, quamuis aliàs particularis applicatio eſſet commiſſa arbitrio illius; ſed de hoc infra.

QVÆRES XV. An peccet contra votum paupertatis religioſus, qui meretrici ſoluit in pretium fornicationis pecuniam furto ſublatam ab ipſo religioſo ex bonis cuiuſdam viri ſæcularis, & quidem de conſenſu Prælati.

222 ℞. Peccare & quidem tum ſurripiendo dictam pecuniam, tum illam expendendo: idq̃ue ob rationem allatam §. *præcedenti in probationem reſponſionis*; poſſe tamen religioſum in tali caſu excuſari à vitio proprietatis: cum ſic non accipiat, aut expendat quidquam nomine proprio (in quo conſiſtit eſſe proprietarium,) ſed nomine proprij ſuperioris, & per relationem ad voluntatem illius, quamuis iniuſtam: quod ſufficit ad vitandum peccatum proprietatis, ſicut notat *Suar.to.3.de relig. lib.8. ca.11.n.15.* monens, etiamſi licentia, aut mandatum ſuperioris ſint prorſus inualida quo ad tranſlationem, ſeu acquiſitionem dominij, ſatis eſſe ad excuſandum à proprietate, quamuis non excuſet ab iniuſtitia: vt ſi concedat ſuperior libertatem accipiendi aliquid per furtum, aut vſuram, vel etiam præcipiat, ſubditus accipiendo non erit proprietarius, cum nihil accipiat proprio nomine, vel ſine voluntate ſuperioris; vnde fit, vt religioſus in caſu aliquo particulari non excuſetur à tranſgreſſione voti paupertatis ob iniuſtam licentiam, & tamen excuſetur à peccato proprietatis, vt aduertit idem *Suarez num.*13.

223 Addo ex *Sanchez num.*35. pro ſe citanre *Toſtatum* non peccare contra votum paupertatis religioſum, qui ab amico ſæculari reciperet pecuniam non ſibi retinendam, nec ad libitum conſumendam, ſed vt cum fœmina fornicetur, eique ſoluat pretium fornicationis; idque ſine licentia prælati. ratio eſt, quod religioſus non recipit quidquam, quod acquiratur ſiue ipſi, ſiue monaſterio; ideoque illud expẽdendo non expendit aliquid monaſterij, nec nomine proprio, ſed nomine dantis, ſicque non violat votum paupertatis illud ſic expendendo; cum potiùs in tali caſu procedat doctrina indicata *qu.* 14. §. *Dubium*.

QVÆRES XVI. An religioſi ex voto paupertatis prohibeantur ludere pecunia, ſiue credita, ſiue præſenti, & qualiter.

224 ℞. Prohiberi, niſi id faciant ex facultate Superioris expreſſa, aut præſumpta, & gratia recreationis, ſummaque pecuniæ, quæ ludo exponitur, ſit iudicio prudentis modica. ita *Sanch.* in terminis *n.*78. *Peyr.ſup.*§.7. *Lezana num.*50. alijque penes ipſos; & patet, quia religioſus ludens pecunia, aut alia re pretio æſtimabili exercet actum dominij, quod eſt contra votnm paupertatis; ſi id fiat abſque ſuperioris licentia; quæ tamen non poteſt præſumi, ſi ludus ſit prohibitus à iure, aut regula, aut Conſtitutionibus Ordinis, aut ſuperioribus, vel certè eſſet ſcandaloſus: cum in tali caſu ſuperior dare non poſſit facultatem exponendi ludo neque magnam, neque paruam quantitatem pecuniæ; ſicut inter alios aduertit *Mol.tom.*2.*D.*520.

225 Notat autem *Io. de Lugo num.*146. quod quamuis *Sanch. num.*85. probabile putet religioſum ludentem abſque licentia, aut excedentem quantitatem ſupra id, qnod poterat, & lucrantem, non teneri reſtituere colludenti, eo quod contractus à religioſo ſine licentia Prælati initus poſtea ſuſtineri poſſit à Prælato; quatenus cedit in eius vtilitatem: communis tamen ſententia DD. quos refert, & ſequitur ipſemet *Sanchez* habet tale lucrum non poſſe retineri à religioſo; cum de ratione ludi ſit

vt

vt in eo vterque ludens æqualiter ſubiaceat & periculo iacturæ, & lucro: quod non verificatur in præſenti caſu.

226 Quod autem dicunt *Nau. cap.20. num.12.* & alij relati à *Sanch. num.79.* modicam quantitatem in præſenti materia cenſeri ſummam 4. aut 5. aureorum pro 100. Religioſo quotannis conceſſorum ad ſui ſuſtenrationem: bene limitat idem *Sanch.* niſi ille Religioſus eodem anno in alios vſus non neceſſarios aliquid conſumpſerit; tunc quippe id detrahi deberet;& tanto minor quantitas ludi poſſet; prout de filioſam.exiſtente in ſtudijs tradit *Rebell.p.2.l.12. q.4.ſect.1.num.3.*

QVÆRES XVII. An, & quo modo vi voti paupertatis interdictum ſit Regularibus facere eleemoſynas abſque Superioris licentia, ſiue tacita, ſiue expreſſa.

227 ℞. Eſſe interdictum; cum ij nullum habeant dominium, nullamue bonorum adminiſtrationem; quæ tamen ſupponuntur in eo, qui nomine proprio facit eleemoſynam. ita *S. Tho.2.2. q.32. a.8.* alijque communiter apud *Peyr.§.8.* qui alijs citatis benè notat tacitam Superioris licentiam ad talem effectum ſupponi non ſolum in caſu extremæ neceſſitatis Proximi, aut etiam magnæ aduenientis, quo tempore Superior adiri non poſſit; ſed etiam quando Religioſus ex legitima licentia degit extra monaſterium cauſa ſtudiorum, peregrinationis, aut negoti, vel certe habet peculium de licentia Prælati.

QVÆRES XVIII. An Religioſi ex voto paupertatis teneneantur eſſe animo parati abdicare à ſe vſum bonorum ſibi permiſſorum, quoties Superior voluerit.

228 ℞. Teneri, aliàs enim conuincitur vſum illum eſſe proprietarium, ac independentem à Superiore; quod importat vſurpationem dominij contrariam voto paupertatis, vt patet. ita *Leſſ. ſup. c.4. n. 32. P.Nau. l.3. de reſtit.c.1.p.3.d.1.nu.179. P.Laym. n.8.Peyr.§.1.v.colligitur 4.Lezana n.27.* & alij à quibus non recedit *Suar. c.14. num.14.* dicens. quod licet Religioſi percipientes annuos redditus de licentia Superioris debeant eſſe in hac præparatione, vt ſi Prælati ad alios vſus illos applicent, contenti ſint: ipſi tamen Prælati id non debent facere, niſi alio modo prouideant neceſſitatibus ſubditorum, quod etiam approbat *Peyr.ex Leſſio* docens Superiore iubente, non teneri Religioſum dimittere bona ipſi conceſſa, niſi conſtet alia ratione ex communi penu conſultum iri eius neceſſitatibus. Quin addit *Peyr.* Religioſum non teneri obedire Superiori, ſi is bona ei permiſſa auferat, vt ſibi retineat; vel auferat illi ſoli, & non alijs Religioſis monaſterij: quod tamen cum grano ſalis intelligendum eſt, videlicet niſi occurrat iuſta cauſa auferendi ei (quia v.g. nimis eſt affectu addictus bonis ſibi conceſſis) & non alijs: quod ſine dubio poteſt euenire, & ſi eueniat, tunc vtique non poteſt Religioſus reſiſtere Superiori, & ſi reſiſtat, ſiue vi, ſiue etiam murmure, & quærimonijs, peccat contra votum paupertatis, vtporè exercens actum dominij independentis, ſeu iuris proprietarij voto paupertatis religioſæ repugnantis; ſicut docet *Laym. ex Leſſio locis citatis*; quamquam, quod ſpectat ad reſiſtentem murmure, & quærimonijs, non ita facilè talis reſiſtentia reputari debeat mortalis, niſi ſit immoderata, & notabiliter excedens iudicio viri prudentis.

QVÆRES XIX. Qualiter religioſi ex voto paupertatis teneantur diligenter conſeruare, & cuſtodire res ipſorum vſui legitimè conceſſas.

229 ℞. Teneri, adeoque delinquere contra votum, ſi per culpam, ſeu negligentiam latam, quæ dolo æquiparatur, res ſupra dictas amittant, aut deſtruant. *Leſſ.cap.41. num.78. Sanch. num.115. Laym. num.9* patetque ex dictis in *tract. de profeſſ. cap. 5. ſect. 2. qu. x.* & maximè ex eo quod poſſe rem arbitrio ſuo perdere, ac deſtruere eſt actus proprius dominij, & indicat vſum proprietarium, quæ aduerſantur voto religioſæ paupertatis; vnde infert *Laym.* Religioſum, ſi habeat peculium ſuæ adminiſtrationi conceſſum, teneri in iſto caſu ex eo reſtituere monaſterio, cui ex tali deſtructione, aut quacumque alia inutili alienatione damnum illatum eſt. qua de re *Io. de Lugo D.3. de iuſt. num.169.*

QVÆRES XX. An religioſi, ſtante voto paupertatis, prohibeantur recuſare bona temporalia oblata ipſis in fauorem monaſterij, legata, eleemoſynas, aliaſque ſimiles donationes.

230 ℞. Non prohiberi, &, ſi recuſent abſque iuſta cauſa, peccare ſolum contra charitatem. eſt communis DD. apud *Dianam tr. de paupert. relig. reſol.8.* patetque ex dictis in *tract.de profeſſ. ſup.q.11.* nobiſcum ſentit *Io. de Lugo num.166.* monens tamen ſecùs dicendum, ſi ante repudiationem doni oblati factam à religioſo Prælatus, eo inſcio, aut inuito acceptaſſet: tunc religioſus, nec validè, nec licitè illud repudiaret; cum eius voluntas translata ſit in Prælatum, ideoque is nomine illius donum potuerit acceptare.

231 Notat autem *Card. de Lugo ſup. num. 94.* reſponſionem iſtam procedere de legatis, quæ ſunt rei incertæ, ac non indeterminatæ, & non acquiruntur ſtatim iure ipſo; non item de legatis, quæ ſtatim acquiruntur à morte teſtatoris, aut ab adita hæreditate: additque *num. 95.* ex eo quod religioſus interdum licitè poteſt repudiare rem ſibi ab amico donatam; (cum hoc non ſit alienare, ſed nolle acquirere; quod non eſt contra votum paupertatis) non ſequi eodem modo poſſe religioſum repudiare etiam legata poſterioris generis, de quibus modò diximus; nam donum illud oblatum nondum peperit ius aliquod in monaſterio, ſicut pepererunt præfata legata, aut hæreditas delata poſt mortem teſtatoris. Dico *poſt mortem*, quia aliter dicendum eſt ante mortem teſtatoris: tunc enim religioſus poſſet rogare teſtatorem, etiam ſine licentia prælati, vt reuocaret teſtamentum, aut legatum; quidquid ſit, an peccaret in hoc contra charitatem, ſi id faceret ſine iuſta cauſa.

Ex quibus infero cum eodem *Cardinale num. 94. & Sanch. l.7.mor. cap.12.num.37.* Religioſum ordinis capacis non poſſe propria auctoritate repudiare hæreditatem ſibi relictam; cum ea immediatè acquiratur monaſterio, & ab eo adiri poſſit ſine conſenſu, aut ſcientia ipſius religioſi, immo & eo moriente ante eius aditionem: quod tamen alij negant.

QVÆRES XXI. An Religioſi ex voto paupertatis prohibeantur recipere pecunias extraneorum in depoſitum ſine Prælati licentia.

232 ℟. Non prohiberi, ſi eas recipiant animo reddendi quoties dominus voluerit: quamuis id eſſe poſſit contra obedientiam, ac decentiam religioſam, ſi occultè fiat. ita *Diana p.4.tract.4.reſol.25. ex Suar. Sanch. & Fauſt.*; pateteque, quia etiam in iſto caſu militat ratio adducta *q. præced.* idque & ſi religioſus eſſet Ordinis minorum; vt notauit *Portell. de dub. regul. v. ſepultura n.11.* contra *Rodriq. to.3. q.56. a.1.* oppoſitum ſuſtinentem, & *Caſtrum Palaum tr. 16. D.3. p.21. nu.6.* docentem Religioſos non poſſe licitè recipere in vim depoſiti pecuniam alienam: cùm velle, quantum eſt ex ſe, ſubire obligationem depoſiti, & depoſiti iura dare diſponenti, inſcio ſuperiore, ſit illicitum; etſi aliàs eiuſmodi contractus depoſiti ſit nullus.

QVÆRES XXII. An, & quo pacto votum paupertatis efficiat, vt religioſi non poſſint licitè petere ab aliquo ſine licentia ſuperioris vt deponat pecunias apud alium, animo tamen non acquirendi earum dominium, poſſeſſionem, adminiſtrationem, aut vſum, iuſue aliud ad illas, donec ſuperior ad id concedat facultatem: quod eſt ſolum habere voluntatem habendi opportun. pecunias, ex quibus, cum indiguerit, neceſſaria recipiat ex licentia Prælati, alioqui nullo modo recepturus.

233 ℟. Non efficere, ſed hoc totũ eſſe licitum, ſtãdo in rigore voti paupertatis religioſæ, & hoc quãuis ipſemet Religioſus illas pecunias in depoſitum ſeruet penes ſe, animo tamen non acquirendi earum dominium, vſum, aut quodcumque aliud ius, niſi poſt licentiam ſuperioris obtentam. ratio eſt, quod in tali caſu nullum reuera acquiritur dominium abſque licentia ſuperioris, nullus interuenit vſus proprietarius; ſicque non apparet, ex quo capite delinquatur contra votum paupertatis. ita *Sanch. ex S. Bonau. c.19. n.50.* addens id eſſe verum, quamuis in euentu propoſito deponens pecunias habeat animum transferendi dominium pecuniæ depoſitæ in religioſum: quamdiu enim is non acceptat dominium, nec poſſeſſionem, nec ius, nec poteſtatem aliquam circa illas pecunias, tandiu illas non recipit; eſto alius velit dare; manetque in dante tota illius poteſtas, & libera facultas illam reuocandi; verum tamen eſt, quod hæc omnia eſſe poſſunt contra præſcriptum regulæ, & ſunt contra paupertatis perfectionem, ſicuti notat etiam *Sanchez*.

Et hæc reſponſio confirmari poteſt ex doctrina, quam tradunt *Sanch. l.7. mor. cap.19. num.50. Laym. l.4. tract.5. cap.7. num.4. & Caſtrus Palaus p.21. nu.6.* religioſum ſcilicet recipientem pecuniam in cuſtodiam ſine licentia, vt opportuna occaſione ex licentia ſuperioris emat ſibi libros, & alia neceſſaria, non facere contra votum paupertatis: cum ſic non acceptet neque dominium, neque vſum, neque adminiſtrationem, ſed ſolum admittat officium cuſtodis.

234 Sic *Io. de Lugo D.3. de iuſt. n.107.* concedit, quod ſi pater grauet hæredem, vt quotannis offerat filio profeſſo 50. aureos ad id, ad quod ipſe maluerit; non intendens per hoc dare filio ius aliquod ad illos exigendos; in tali caſu filius non violat votum paupertatis petendo ab hærede dictam ſummam, modo id faciat de Prælati licentia: & hoc licet ei non aperiat diſpoſitionem illam ſui Patris. patet autem ex dictis §. *præcedenti*, ſi hìc monuero hanc doctrinam non procedere quo ad Minores de Obſeru. & Capuccinos: quippe quibus interdicta eſt acceptio talium redditũum annuorum ſoluendorum ex obligatione impoſita à teſtatore, vt notauit idem *Io. de Lugo*.

235 Quod ſi religioſus ſine licentia ſuperioris aliquid recipiat animo non vtendi, niſi de licentia Prælati; quia tamen timet eam petere à ſuperiore immediato, metuens fore, vt eam deneget, remque illam applicet monaſterio, aut præ verecundia ab eo non poſſit, ideoque expectat beneplacitum ſuperioris mediati, aut immediati ſucceſſoris, interim rem ſeruans, nec illa vtens, tunc, ſi quidem dominium, & adminiſtratio rei maneat penes dantem, & religioſus eam nomine illius retineat in depoſitum, non vtens illa, donec obtineat licentiam, non peccat contra votum paupertatis; cum ſic nec dominium, nec vſum, nec adminiſtrationem rei accipiat ſine licentia; ſecùs, ſi rem illam abſolutè recipiat ſine licentia ſuperioris tacita, aut expreſſa, & ad breue tempus retineat, eò quod breui expectetur ſuperior ſuccedens, vel ſtatim ſcribit Prouinciali petens ab eo licentiam: ſic enim peccat contra votum paupertatis, non tamen mortaliter, ſed ſolum venialiter ob paruitatem materiæ: Ratio eſt, quod in illo caſu res accepta ſtatim acquiritur monaſterio, vtpote data abſolutè & abſolutè recepta à religioſo: vnde, dũ abſq. licẽtia retinetur, id fit inuito ſuperiore. ita *Sanch. ſup. num. 51.* addens *num. 52.* non eſſe contra votum paupertatis rem aliquam petere ab alio, animo non recipiendi ſine licentia, etſi ſuperiorem lateat rem petitam eſſe: idque vt exploret voluntatem dantis, non petat licentiam fruſtra, eamque faciliùs obtineat; probat, quia ſic nihil accipitur ſine licẽtia; limitat tñ *Sanch.* niſi probabiliter credatur forè, vt ſuperior omninò negaret recipiendi licentiam, ſi noſſet rem illam antea petitam fuiſſe à ſubdito; & ſolum concedit, eò quod credat illam ſpontè oblatam: ſic quippe licentia eſſet dolo extorta, & conſequenter inuoluntaria, & inualida.

QVÆRES XXIII. An religioſi vt voti paupertatis prohibeantur acceptare ſine licentia ſuperioris pecunias in pauperes diſtribuendas, commiſſa, ipſius arbitrio electione tum pauperum, tum quantitatis cuilibet elargiendæ.

236 ℟. Non prohiberi; & probatur, tum quia illa ſolum poſſeſſio, & adminiſtratio aduerſatur voto paupertatis, quæ eſt quid iuris: nimirum quando religioſus adminiſtrat proprio nomine independenter à ſuperiore; non item quæ eſt quid ſolius facti, eò quod exerceatur nomine alieno: talis autem eſt ea, de qua hic agimus, vt ſuppono; tum quia religioſi per votum paupertatis ſolum vouent oppoſitum ei, quod competit illis, qui ſunt domini, aut proprietarij: at religioſus in præſenti caſu non retinet, nec accipit pecunias tanquam proprias, nec tamquam dominus, ſed ſolũ

nomine

nomine alieno; nempe vt eas nomine tradentis det pauperibus: ergò nullum exercet actum dominij, nullum actum proprietatis: ergo nec peccat contra votum paupertatis. ita *Saneb. ſup. c. 30. n. 4.* contra *Laym. ſup. n. 16. Leza. n. 39.* & alios oppoſitum ſuſtinentes cũ *Leſſio l. 2. c. 41. n. 78.* quẽ tamẽ putat *Sanc. n. 3.* loqui de diſpenſatione, quæ fiat non alieno nomine (qualis eſt ea de qua hic loquimur) ſed ꝓprio.

QVÆRES XXIV. An Prælatus monaſterij ex iuſta cauſa poſſit tradere Religioſo ſubdito prædium ipſius monaſterij veluti in locationem ea lege, vt ſoluta ſingulis annis certa ſumma pecuniæ monaſterio ipſe de reliquo viuat.

237 ℟. Quod quamuis id videatur prohiberi in *Concilio Trid. ſeſſ. 25. c. 2.* ijs verbis *Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui regulari concedere, etiam ad vſumfructum, vel vſum adminiſtrationem, aut commendam: adminiſtratio autem bonorum monaſteriorum, ſeu conuentuum ad ſolos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amouibiles pertineāt*; reuera tamẽ id poteſt admitti, modo traditio illa ſit reuocabilis ad nutũ ipſius ſuperioris. probatur tũ ex vſu aliquorũ Ordinũ: tum quia ſic vtiliter geritur negotium monaſterij; nec reſpectu Religioſi ſubditi adeſt in tali contractu vllum inconueniens; vt faciiè conſtabit conſideranti; tum quia Concilij Trid. decretum adductum non obſtat, cum nihil de nouo ſtatuat, & debeat intelligi iuxta ius antiquum; quod non reprobat talem contractum, niſi in caſu, quo fiat ſine iuſta cauſa: quod etiam nos concedimus.

An autem votum paupertatis efficiat Religioſũ inhabilẽ ad renũciandã poſt profeſſionẽ hæreditatẽ ſibi competentem, ſine conſenſu monaſterij: dicendum eſt efficere, & conſtat ex dictis *tract. 2. c. 9. n. 64.*

SECTIO IV.

De Obligationibus voti paupertatis religioſę, eius violatione, & de obligatione reſtituendi ex illa proueniente.

IN hac ſectione agemus de his omnibus; & quia ea ſunt diuerſa, nec ſine confuſione poſſunt explicari ſub vnico titulo, ad maiorem diſtinctionem diuidemus ſectionem in 3. ſubſectiones, in quarum 1. Tractabimus de obligatione voti paupertatis; in 2. De eius violatione; in 3. De obligatione reſtituendi, quę oritur ex ipſa violatione voti paupertatis.

SVBSECTIO I.

De Obligatione voti Paupertatis religioſæ.

238 *Explicatur obligatio voti Paupertatis religioſæ.*
339 *Ea inducta eſt iure tum naturali, tum poſitiuo.*
240 *Eſt varia pro varietate Religionum.*
241 *Ex genere ſuo adſtringit ſub mortali.*
242 *Adſtringit ſub varijs pænis, quæ recenſentur.*
243 *Hæ afficiunt Religioſos non ſeruantes vitam communem, cùm commodè poſſint; quippequi tenentur eſſe parati ipſam amplecti, ſi inducatur legitimè.*
244 *Religioſi proprietarij priuātur ſepultura Eccleſiaſtica.*
245 *Etſi non ſemper id procedat de Religioſo, qui reperiatur mortuus cum pecunia.*
246 *Illi hodie in pænam non poſſunt eijci è monaſterio.*
247 *Incurrunt item priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ.*
248 *Obligatio voti paupertatis tollitur per diſpenſationẽ.*
249 *Ex eius violatione oritur obligatio reſtituendi.*
250 *Ea nec nimis ſtrictè, nec nimis latè explicari debet.*

QVÆRES I. Quę & qualis obligatio oriatur ex voto paupertatis religioſæ.

238 ℟. Quod cum paupertas religioſa ex diametro opponatur dominio; & de ratione dominij ſit, vt dominus rei liberam facultatem habeat illam vſurpandi arbitratu ſuo abſque iniuria alterius, quæ ſit contra iuſtitiam commutatiuam, eaque libere vtatur independenter à voluntate alterius; obligatio paupertatis religioſæ duo debet operari; nimirum vt religioſus nullam habeat facultatem diſponendi de vlla re proprio arbitratu; & quod ea vti non poſſit independenter à voluntate Superioris. Colligitur ex *Val. to. 3. D. 10. q. 4. p. 3.*

QVÆRES II. Quo iure inducta ſit talis obligatio.

239 ℟. Inductam fuiſſe non ſolum ex vi ipſius voti paupertatis (vt conſtat ex dictis *q. præcedenti*) ſed etiam ex iure poſitiuo, nimirum ex *c. non dicatis 12. q. 1.* vbi hæc habentur. *Cum huius noſtræ Congregationis fratres non ſolum facultatibus, ſed etiam voluntatibus proprijs in ipſa ordinationis ſuſceptione renuntiauerint. & ſe per promiſſam obedientiã penitus aliorũ poteſtati, & imperijs in Chriſto, & pro Chriſto ſubdiderint, certum eſt eos nihil habere poſſidere, dare, vel accipere debere ſine licẽtia Superioris: quod ſi propinquus, vel amic⁹, vel quilibet fratrũ cuiquã aliquid offerre voluerit, primo quidẽ Priori inſinuetur & ſic ſuſcipiatur, ſi ipſe mandauerit: de quo tamen nihil fiat aliud, niſi quod Priori placuerit*; Idem ſtatuitur in *c. cum ad monaſt. de ſtat. monach.* his verbis. *Prohibemus in virtute S. Obedientiæ, ne quis Regularis propriũ aliquo modo poſſideat, ſed ſi quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti reſignet*; idem etiam ſtatuitur in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 2. de regul.* in hæc verba. *Nemini regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cuiuſcumque qualitatis fuerint, etiam quouis modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam Conuentus nomine poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea Superiori tradantur Conuentuique incorporentur*: idem præterea ſtatuitur in alijs decretis Pontificum, quæ hic breuitatis cauſa omitto.

QVÆRES III. An iſta obligatio ſit eadem in omnibus, & ſingulis Religionibus, vel certè ſit diuerſa, & admittat aliquam latitudinem.

240 ℟. Non eſſe eamdem, ſed diuerſam, patetq; tum ex praxi religionum, quę ſine dubio non omnes ſeruāt paupertatem in eodem rigore, ſed aliæ ſtrictiorem, aliæ laxiorẽ, vt oſtendimus *ſect. 2.* tũ quia iuxta dicenda infra conſuetudo, & vſus communis religionis poteſt excuſare in Regularibus aliquos actus, qui aliàs apertè contrariantur voto pauper-

tatis; & tamen liberè exerceatur ſcientibus, & non contradicentibus Prælatis: talis autem conſuetudo non eſt eadem in ſingulis Ordinibus, ſed diuerſa; vt docet experientia, & aduertit *Leſſ.l.2.cap.41.numer.79.* dicens conſiderandum eſſe in quibus rebus, & quouſque cenſeatur in ſingulis Ordinibus, & monaſterijs conceſſa facultas generalis: hæc enim ſufficit, vt non pecces contra votum dando, vel accipiendo, vel retinendo, vel vtendo; quod item notat, & approbat *Sanch.l.7.mor.cap.19.n.7.*

QVÆRES IV. An, & quo modo votum paupertatis religioſæ obliget ad peccatum.

241 ℞. Obligare, & quidem ex genere ſuo ad peccatum m.quamuis paruitas materiæ excuſare poſſit à mortali, vt oſtendemus *ſubſect.ſeq.* vbi hac de re commodiùs, & fuſiùs diſſeremus.

QVÆRES V. Sub quibus pænis obliget votum paupertatis religioſæ.

242 ℞. Obligare ſub triplici pæna: prima eſt, vt religioſus, qui tempore mortis reperitur habere proprium, non poſſit ſepeliri in loco ſacro: ſecunda eſt, vt monachus habens proprium expellatur à monaſterio: tertia eſt, vt religioſus, qui deprehenſus, & conuictus fuerit habere proprium, per biennium ſit priuatus voce actiua, & paſſiua, puniaturque iuxta ſui Ordinis Conſtitutiones. ita *Sanch. ſup.cap.20. num.11.12.& 13.* monens *num.14.* ſine fundamento ſufficienti addi quartam pænam, nempe excommunicationem: hæc enim non reperitur expreſſa in iure, niſi in quibuſdam Concilijs prouincialibus Colonienſibus, vt aduertit *Lezana to.1.c.6. num.59. ex Thoma à Ieſu* monens præfatas pænas non incurri, niſi à religioſis habentibus, ſeu retinentibus proprium: non item ab ijs, qui abſque ſuperioris facultate aliquid alienant, aut abſumunt; de his quippe non loquuntur iura, quibus latæ ſunt illæ pœnæ, ſed de illis tantùm, ideoque non debent ampliari ad caſus non expreſſos, vt patet; quod eſt dicere eiuſmodi pœnas afficere Religioſos proprietarios tantum, non autem generaliter eos, qui peccant contra votum paupertatis.

Vtrum verò ſubiaceant talibus penis Religioſi non obſeruantes vitam communem iuxta decretum Concilij Trid.q.2. allegatum.

243 ℞. Subiacere ſi viuant in monaſterijs, in quibus obſeruatur vita communis: ſecus ſi degant in ijs, in quibus illa non ſeruatur, ſiue ob impotentiam, ſiue ob Superiorum nequitiam nolentium dare ſingulis Religioſis neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem: hi enim ſimpliciter excuſari poſſunt à peccato proprietatis, licet aliàs ſint in ſtatu valdè periculoſo. ratio eſt, quod in priori euentu re vera temporalia bona retinent contra præſcriptum regulæ, & voluntatem ſuorum ſuperiorum, præſertim ſummorum Pontificum, qui ſunt Prælati ſupremi religionum: in poſteriori verò euentu quidquid retinent, retinent de licentia ſuorum ſuperiorum, ſaltem tacita, & interpretatiua; ideoque ſimpliciter loquendo, non poſſunt damnari proprietatis. Verum tamen eſt, quod tales religioſi debent eſſe parati ad amplectendam vitæ communis obſeruantiam quandocunque ſuperiores eam inducere voluerint: & hoc ſub peccato mort. vt notat *Lezana num.60. ex Sylu. Val. Leſſ. Nau. Rodriq. & Fauſto* inde probans ſuum intentum; quod, cum obſeruantia vitæ communis ſub mortali obliget omnes Religioſos, hique ſolum eatenus poſſint ab illa excuſari, quatenus Superiores ſuorum monaſteriorum non prouident illis de neceſſarijs, & conſequenter tacitè conſentiunt in eam retentionem bonorum: hoc ipſo quod illi conſulunt de neceſſarijs, & contendunt inducere obſeruantiam vitæ communis, ceſſat ratio præſumendi tacitum illum conſenſum; ſicq; nulla ſupereſt ratio excuſandi dictos Religioſos à vitio proprietatis.

QVÆRES VI. Qualiter priuentur Religioſi proprietarij Eccleſiaſtica ſepultura, & quo iure.

244 ℞. Priuari iure eccleſiaſtico lato tum in *cap. monachi de ſtat. monach.* vbi habetur quod religioſus tēpore mortis inuētus habere proprium ea pæna debet plecti, vt non in loco ſacro ſepeliri valeat, ſed in ſterquilinio, & quidem cum pecunia per eum poſſeſſa; pro vt conſtat ex *c.cum ad monaſt. eod. tit.* non tamen rota, ſed ſolum quo ad partem, ſicut notant. *Sanch.n.11.& Laym.l.4.tr.5.c.7.n.22. aliique Canoniſtæ* allegati à *Sanch.* addentes ex *c. ſuper quodam eod. tit.* quod ſi proprietarius in loco ſacro ſepultus eſt, extrahi debet corpus, & abijci, ſi abſque magno ſcandalo id fieri poſſit.

245 Monet tamen Rodriq. *to.3.q.56.a.1.* quod ſi Religioſus repetiatur mortuus cū crumena pecuniæ, non ideo ſtatim priuari debet Eccleſiaſtica ſepultura; cum iuxta non priuent officio altaris talem monachum viuentem peculio, niſi quando prius monitus noluit crumenam dimittere, & conſequenter ſolum in tali caſu ei denegent Eccleſiaſticam ſepulturam. præter quam quod poteſt religioſus ſe purgare aſſerendo pecuniam apud ſe inuentam non eſſe ſuam, ſed amici, aut conſanguinei, & fuiſſe commiſſam ad illam aut deferendam, aut reſtituendam: idque putat Portell. *de dub.reg.v.ſepultura n.11.* poſſe habere locum etiam in Minorita, ſi ex concurrant circumſtantiæ, vt iudicio prudentis probabiliter credi poſſit pecuniam apud ipſum inuentam non eſſe ſuam, ſed alienam: quod negat *Rodriq. vbi ſupra.* Quin addit *Portell.* etiam in caſu, quo Minorita mortuus inueniatur cum pecunia ſua, ſi factum ſit occultum, omninò nō eſſe priuandū Eccleſiaſtica ſepultura; probatq; ex eo quod ſicut viuens cum illa pecunia ſic occulta non potuiſſet publicè puniri cum præiudicio ſuæ famæ, ſic nec mortuus cum illa omninò occulta infamari poteſt; quod tamen fieret, ſi eccleſiaſtica ei denegaretur ſepultura: præſertim cum in tali ſtatu non poſſit ſe purgare; qua de re *Diana p.4. tr.4. reſol.23.*

QVÆRES VII. An monachus proprietarius in præſentia expelli poſſit à monaſterio in pænam.

246 ℞. Quod, quamuis talis pæna lata ſit in *cap. cum ad monaſt. de ſtat. monach.* hodie tamen tale ius correctum eſt non ſolum *per c.fin.de regul.* iubens talem religioſum aliàs expellendum deputandum eſſe in monaſterij ergaſtulo ad effectum vt agat pænitentiam; ſicut aduertit *Sanch. & Abb. n. 12.* ſed etiam per decreta Sacræ Congr. iuſſu Vrb. VIII. edita 21. Sept. 1624. de *Regularibus apoſtatis, & eiectis, qua §. 6.* ita habent: *Ad hæc vt in poſterū à Religionib. nullus legitimè*

legitimè profeſſus eijci poſſit niſi ſit verè incorrigibilis: conſtat autem Religioſum proprietarium vt ſic reuera non eſſe incorrigibilem, ſaltem eo modo, quo ſupponitur in præfatis decretis.

QVÆRES VIII. Quo iure, & quo modo Religioſus proprietarius incurrat pęnam priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ per biennium.

247 ℞. Incurrere ex *Conc.Trid.ſeſſ.25.ca.2. de Regul.* non tamen ante ſententiam Iudicis; vt clarè indicant illa verba, *quod ſi quis aliter quidquam tenere deprehenſus, aut conuictus fuerit*.

QVÆRES IX. An, & qualiter tolli poſſit obligatio voti paupertatis religioſæ.

248 ℞. Tolli poſſe, propriè quidem per diſpenſationem conceſſam à Papa eo modo, quo explicabimus *ſect.ſequenti*: impropriè vero per licentiam hìc & nunc obtentam, ſiuè expreſsè, ſiue tacitè, & per voluntatem ſuperioris probabiliter præſumptam, ſeu (quod in idem recidit) per epicheiam, eo item modo, quo explicabimus *ſect.ſequenti*: quod eſt potius ſuſpendere obligationem pro caſu occurrenti, quam eam tollere, vt patet.

QVÆRES X. An, & quo modo ex obligatione voti paupertatis religioſæ oriatur etiam obligatio aliqua reſtituendi.

249 ℞. Oriri eo modo, quo docebimus in *hac ipſa ſect.ſubſect.3.*

QVÆRES XI. Qualiter explicari debeat obligatio voti paupertatis religioſæ, latè, ne, an ſtrictè.

250 ℞. Explicari debere ita, vt nec nimium illam alleuiemus, occaſionem tribuentes relaxationi, nec nimis eam aggrauemus, homines fragiles (quales ſumus maiori ex parte) exponendo periculo delinquendi; & quia hoc poſterius eſt grauius, magiſque contrarium religioni, ideo ſi in aliquod extremum ex iſtis (quod vitandum eſt quam maximè) inclinandum ſit, potius ad lenitatem, quam ad rigorem propendendum eſſe notat *Suar. tom.3. de relig.l.8. cap.11. num.40.* dicens *In qua re (vt hoc ſemel dicam) duo extrema cauenda ſunt, ne nimium alleuando culpas, relaxationi occaſionem tribuamus; & ne Religioſus, quam par eſt, eas aggrauando, homines fragiles (quales maiori ex parte ſumus) periculis exponamus: & quia hoc poſterius grauius eſt, magiſque religioni contrarium; ideo ſi in aliquod extremum (quod vitandum eſt, quo ad fieri poſſit) inclinandum ſit potius ad lenitatem, quam ad rigorem propendendum eſſe.*

SVBSECTIO II.
De Violatione Voti Paupertatis Religioſæ.

251 *Multiplex malitia ineſt violationi paupertatis religioſæ; etſi interdum includat ſolùm peccatum proprietatis.*

252 *In ea reperiri poteſt duplex malitia furti: at non ſemper eſt proprietarius, qui cum licentia aliquid retinet contra regulam, aut Conſtitutiones ſui Ordinis.*

253 *Violatio religioſa paupertatis ex genere ſuo eſt mortalis.*

254 *Aſſignatur paruitas materiæ in dicta violatione; æquiparando furta religioſorum furtis filiorum.*

255 *Proponitur quantitas conſtituens furtum religioſorum mortale, eaque fusè explicatur ex Cardinali de Lugo afferente ad id varios caſus practicos.*

256 *Admittitur doctrina dicti Cardinalis, ſed cum limitatione.*

257 *Religioſus non peccat m. indebitè recipiens, aut diſtrahens modica vſque ad quantitatem grauem.*

258 *Idque procedit, ſi ex comeſtibilibus Conuentus modica ſurripiat.*

259 *Imo & in caſu, quo ſurripiat magnã in eorum quantitem ſimul: peccatur verò, ſi comeſtibilia recipiantur ab extraneo, relicto dominio penes dantem:*

260 *Et hæc procedunt quo ad comeſtibilia accepta ab extraneis.*

261 *Item quo ad diſtractiones minimas pecuniæ; quod alij negant: non peccat contra paupertatem Religioſus ſine licentia inuitatus ad prandium, ibique lautè comedens.*

262 *Violatio paupertatis facta à Religioſo profeſſo non eſt grauior violatione facta à ſcholari approbato Societatis.*

263 *Non violat votum paupertatis, qui triſtatur de eius emiſſione.*

264 *Item non violat, qui moroſè delectatur de dominio, ac vſu libero diuitiarum.*

265 *Item qui optat diuitias.*

266 *Violat verò, qui furatur de bonis externorum.*

267 *Item qui intendit acquirere monaſterio accepta ſine centia, ſed non mortaliter: etſi furans ab externis in bonum ipſius monaſterij non ſit proprietarius.*

268 *Item accipiens ab externis ad proprium vſum ſine licentia.*

269 *Secùs, ſi res ſic accepta aliàs à monaſterio erat danda: violat item qui comeſtibilia indebitè recipit ab externis data ad illius præcisè vſum, & non alterius: quod negat Caramuel, ſed malè, ideoque reijcitur.*

270 *Violat, qui ex bonis communibus Conuentus ſibi vſurpat.*

271 *Sed non mortaliter, ſi vſurpet ſolum ad vſum temporarium: idque iuxta concurrentes circumſtantias.*

272 *Violat Religioſus votum paupertatis dans ex bonis ipſius vſibus conceſſis.*

273 *Alij id negant, ſed reijciuntur: vt dari poſſit liberius Religioſo eiuſdem Conuentus, ſupponitur ibi remanſurus.*

274 *Non violat dando domeſticis conceſſa à ſuperiore ſciente ea non fore vſui Religioſo ſubdito, cui conceduntur.*

275 *Item non violat ſemper, ſi habens facultatem dandi vni det alteri.*

276 *Quantitas rei, quæ poteſt diſtrahi, arbitrio viri prudentis debet æſtimari.*

277 *Non violat Religioſus paupertatem ſine licentia recipiens pecuniam implicandam in emptione librorum, quos in cubiculo retineat palam expoſitos: at alij meliùs id negant.*

278 *Violat, ſi habens facultatem emendi rem certam emat aliam.*

279 *Item, ſi habens licentiam faciendi eleemoſynas*

ordinarias loco harum congreget pecuniam, qua dotet monialem v. g. at non violat, ſi danda ad vnum vſum pium det ad alium.

280 *Violat, ſi habens licentiam rem aliquam emendi vendat aliam ſibi aliàs conceſſam, eius pretio empturus rem illam aliam.*

281 *Violat mutuando, aut commodando ex rebus conceſſis.*

282 *Iuxta aliquos tamen poſſunt Religioſi inuicem ſibi commodare libros, & ſimilia abſque licentia ſuperioris.*

283 *Violat accipiendo mutuum, & quidem mortaliter, ſi materia grauitas concurrat, quæ aſſignatur.*

284 *Non item ſi accipiant commodato.*

285 *Idque etſi commodatum recipiat cum pacto, vt illi ſoli deſeruiat.*

286 *Violat permutando rem ſibi conceſſam in aliam.*

287 *Item rem communem Conuentus ad vnum vſum deputatam immutando in aliam ad vſum proprium.*

288 *Item remittendo annuum redditum: ſecùs, ſi ius miſſarum.*

289 *Non violat conceſſa deferendo ab vno Conuentu ad alium.*

290 *Violat occultando ſuperiori rem aliàs conceſſam, ſed non ſemper.*

291 *Non violat claudendo oſtium cubiculi, ita ut, eo abſente, nemo ingredi poſſit, ſi id non faciat contrà ſuperiorem: quod etiam procedit, ſi occultet Prælato inferiori rem obtentam à Prælato ſuperiori.*

292 *Violat occultando ſuperiori pecuniam expendendam in bonum Conuentus, ſed repugnante ipſo ſuperiore.*

293 *Secùs, ſi celet Officiali Conuentus rem commiſſam eius officio.*

294 *Violat, ſi ratione officij bona conuentus diſtribuat vltra præſcriptum ſuperioris: niſi per accidens excuſetur.*

295 *Item, ſi abſque licentia faciat amico picturam magni valoris; quod aliqui negant in aliquo caſu.*

296 *Item, ſi cum licentia petat pecuniam, ſed ab eo, à quo ſuperior nullo modo vellet peti: ſecùs, ſi pecuniam, quam poteſt comparare, acquirat negotiatione illicita, & petat, cum ſolum habeat licentiam accipiendi ſpontè oblatam.*

297 *Violat Religioſus votum paupertatis, ſi accipiat ſyngrapham campſoriam animo non exigendi pecuniam, niſi de licentia Prælati; ſi intendat ſtatim acquirere eius dominium.*

298 *Pecuniam debita ex tali ſyngrapha exigi poteſt paulatim, ſed debita cum licentia, ſi aliàs licitè habeatur ſyngrapha.*

299 *Non violat, ſi ſyngrapham hanc illicitè acceptam, inſcio ſuperiore, deſtruat; modò illam acceperit velut in depoſitum.*

300 *Item non violat, ſi curet ſibi committi electionem pauperum, quibus diſtribuatur certa ſumma pecuniæ; vt ſic ſibi tamquam pauperi electo partem illius diſtribuat: at diſſentit in hoc Cardinalis de Lugo.*

301 *Aſſertio tamen noſtra procedit etiam in caſu, quo Religioſus ſit prohibitus eligere modo dicto.*

302 *Superior poteſt prohibere Religioſo ſubdito dictam electionem, ſed non transferre in alium ius eligendi. Religioſus ſocietatis, reſeruata ſibi nominatione pauperum modo dicto, nequit poſtea ſe ipſum nominare.*

303 *Non violat, ſi curet ſibi ab amico emi libros, relicto apud ipſum dominio illorum, & ijs poſtea vtatur de licentia Prælati.*

304 *Nec in tali caſu cogi poteſt à ſuperiore, vt vſum dictorum librorum cedat alteri, ſi eligat eos reddere ſuo domino.*

305 *Secùs, ſi vſus ad certum tempus ſit conceſſus, & adhuc duret.*

306 *Violat, ſi renuat commodare alijs libros ei conceſſos, cum ipſe ijs non egeat: ſecùs ſi neget ſua manuſcripta; aut det alijs, quæ oblata ſunt ipſi, & ſolum externè finxit ſe acceptare.*

307 *Violat, ſi ſibi applicet eleemoſynam petitam pro paupere, idque faciat ſine debita licentia.*

308 *Immò peccat peccato furti, ſi eleemoſyna petita erat pro certo paupere.*

309 *Non item, ſi petita fuerat pro pauperibus in genere.*

310 *Idque etſi in receptione eleemoſynæ non intenderit illam ſibi modo dicto applicare.*

311 *Non violat conſentiens reuocationi eleemoſynæ à ſe nomine alterius dandæ, aut poſt dictam reuocationem applicans eleemoſynam alteri pauperi; aut ſibi applicans eleemoſynam petitam pro certo paupere, ſed eius nomine non expreſſo, nulla eius ſpeciali indigentia explicata, motu proprio, & ſine licentia Ordinarij.*

312 *Non violat conceſſa occultè retinens apud ſe, at ita, vt facilè poſſint reperiri; idque etſi prohibitus ſit retinere, & ſuperior inuitus ſit etiam quo ad ſubſtantiam.*

313 *Violat, ſi ex officio expendat in bonum Conuentus Prælato tamen repugnante ſimpliciter.*

314 *Non violat, ſi expendat in vſibus minùs neceſſarijs pecuniam dari ſolitam pro veſtitu, cum ſit aliunde prouiſus.*

315 *Item non violat, ſi habens generalem facultatem dandi, & accipiendi, aliqua emat, aut vendat; quod tamen eget aliqua limitatione.*

316 *Violat, qui ſurripit aliena manuſcripta: non item qui reliquias Sanctorum accipit ſine licentia.*

317 *Violat, ſi prohibitus tangere pecuniam illam vſu politico contrectet; immò etiam phyſico in aliquo Ordine: in quo contactus pecuniæ habet malitiam proprietatis iuris poſitiui; idque licet pecunia tangatur ſolum mediatè: etſi iuxta aliquos hac in re excuſet neceſſitas.*

318 *Religioſus liberè diſponit de ſuis manuſcriptis, immò & alienis ei donatis.*

319 *Non violat paupertatem, ſi det non habenti licentiam accipiendi.*

QVÆRES I. Quotuplex malitia reperiatur in violatione voti paupertatis religioſæ.

251 ℞. Communiter reperiri duplicem malitiam, alteram furti, & alteram ſacrilegij; ſi enim Religioſus aliquid de bonis monaſterij vſurpet, & tribuat alteri ſine licentia ſuperioris expreſſa, aut tacita, manifeſtè committit furtum, vſurpando rem cõtra voluntatem domini, qui eſt monaſterium, & prætcrea peccat peccato proprietatis, ea faciendo abſq;

Supe-

Superioris licentia; quod item euenit in caſu, quo Religioſus rem ſic vſurpatam ſibi retineat, cum id faciat, inuito domino, & ſine Superioris licentia, ſicut & in caſu, quo ſæcularis concedat Religioſo rem aliquam quo ad proprietatem, aut vſum: ſiquidem eo ipſo proprietas illa, & vſus acquiruntur monaſterio, adeoque Religioſus ea vſurpat inuito domino, & abſque licentia. ita *Sanch. l.7.mor. cap.* 20. *num.*7. addens *num.*8 poſſe euenire, quod in violatione voti paupertatis religioſæ ſolum interueniat peccatum proprietatis; vt ſi vir ſæcularis det Religioſo aliquid ea lege, ne monaſterio acquiratur: tūc quippe adeſſet quidē peccatū ꝓprietatis, eo quod ſine Superioris licentia res illa recipiatur, non tamen adeſſet malitia furti, cum ex voluntate domini res recipiatur: quod ſi monaſterium eſt inuitum, id parum refert, cum nihil ipſi ſit acquiſitum, vt patet. item interueniet ſola malitia proprietatis in caſu, quo Religioſus accipiat à vero domino aliquid, cuius acquirendi eſt incapax monaſterium (vt ſi Minoritæ dentur annui redditus) cum ſic res accepta ſit ex voluntate domini, & monaſterio nihil acquiſitum ſit, vt pote incapaci, quod proinde contradicendo non poteſt efficere dictam receptionem eſſe affectam malitia furti.

252 Addo poſſe contingere, quod duplici titulo in aliquo caſu concurrat malitia furti, & proprietatis in violatione voti paupertatis religioſæ, ſicque in ea interueniat duplex malitia furti, & duplex malitia proprietatis neceſſario exprimenda in confeſſione; vt ſi quis Religioſus ex rebus monaſterij, aut alicuius ſæcularis, etiam de illius licentia aliquid accipiat ſine licentia Superioris, illudque ſine eadem licentia diſtribuat; intellige dummodo ſæcularis ille, qui dat Religioſo, non det ea lege, vt res data non acquiratur monaſterio, & monaſterium cuius eſt ille Religioſus, ſit capax acquirendi: ſi enim adſit conditio, ne res data acquiratur monaſterio, concurret duplex peccatum proprietatis, alterum in acceptione abſque licentia, & alterum in diſtributione (niſi fortè dominus dederit, vt diſtribuat;) in neutro tamen caſu aderit furtum, ſi voluntas illius viri ſæcularis in vtroque concurrat: ſecus ſi in aliquo non concurrat; in eo namque adeſſet furtum. quod ſi monaſterium ſit incapax illius acquiſitionis tunc in vtroque interueniet peccatum proprietatis; non autem furti: quod non ſit neque in acceptione, cum ex voluntate domini fiat, neque in diſtributione, ſiue reſpectu monaſterij, vtpote quod non erat dominus, ſiue reſpectu domini, qui eſt ſæcularis, ſi ex eius voluntate fiat; ſecus ſi in ſupradictis non concurrat voluntas domini: ſic enim res accepta ei reddi deberet, ſtante quod tam monaſterium, quam ipſemet Religioſus ſunt incapaces illam acquirendi. ita *Sanch. nu.9.* notans *num.*10. poſſe etiam contingere, vt Religioſus peccet ſolum peccato furti, non autem proprietatis: idque in varijs caſibus; nimirum aliquid furando non ſibi retinendum, ſurripiendo rem alienam de licentia Superioris, aut illam perdendo, v.g. alienas ſegetes comburendo. Peccatum enim proprietatis in eo conſiſtit, quod Religioſus ſine debita ſuperioris licentia aliquid ſibi acquirat, aut approprict: quare *Valentia 2.2.D.10.q.4.p.3.* minus bene videtur dicere quodcumque furtum factum à Religioſo eſſe peccatum proprietatis; id quippe ſolum eſt verum quando Religioſus furatur aliquid, vt inſcio ſuperiore ſibi acquirat, ſicut aduertit *Bartholomaus à S. Fauſto l. 8. theſauri q.183.*

Addit *Bartholomaus q.127.* Religioſum, qui de licentia Superioris aliquid retinet contra regulam, aut Conſtitutiones ſui Ordinis, non eſſe proprietarium, ſi ſuperior diſpenſare poſſit in regula, aut conſtitutionibus, & adſit iuſta cauſa diſpenſandi, eſſe vero proprietarium, ſi ſuperior non poſſit modo dicto diſpenſare; cum ſic res retineatur abſque legitima licentia. diſſentit *Maior in 4.d.38.q.9.* ſuſtinens Religioſum in caſu propoſito abſolutè eſſe proprietarium; de quo *Azor.p.1.l.12.cap.12.q.7.*

QVÆRES II. An violatio voti paupertatis religioſæ ſit mortalis, & quo modo.

253 ℞. Ex genere ſuo eſſe mortalem; reddi tamen venialem ex paruitate materiæ, quidquid contradicant *Gerſon S. Anton. Paſſarell. & Vuald.* relati à *Sāch. ſup. nu.1.* exiſtimantes vitium proprietatis non poſſe eſſe veniale, ex paruitate materiæ. ratio reſponſionis eſt, quod eiuſmodi violatio iuxta dicta *q. præcedenti* continet duplicem malitiam, alteram furti, vel quaſi furti contra iuſtitiam, quatenus importat vſum rei alienæ, inuito domino; & alteram ſacrilegij contra votum, & virtutem religionis; at vtraque iſta malitia eſt capax materiæ leuis; cum tam furtum, quam fractio voti admittant paruitatem materiæ iuxta communem DD. ſententiam. ita *Sanch. num.2. ex Nau. Graff. Azor. Rebell. Cordub. Mendoza Rebello,* & alijs, quos ſequuntur *Rodriq. tom.3. q.29.a.10. Mirand. p.1. Manual. q.28. a.16. Leza. to.1. cap.6. num.57.*

At difficultas eſt quænam in præſenti materia dicatur parua quātitas excuſans à peccato mortali.

254 ℞. Quod cum ex vna parte in præſenti materia ratiocinandum ſit de Religioſis ad modum filiorum, vt docent *Sanch. c.21. num.31. Rebell. p.1. l.3. q.15. ſect.3. num.22. & Fagund. l.7. in decal. c.5. num.2.* & Conuentus ordinariè ſint egeni, ideoque Religioſi eorum æquiparari debeant filijs hominum mediocriter pecunioſorum, non autem ditiſſimorum; & aliàs communis Doctorum ſententia ſit illam quantitatem requiri, & ſufficere ad peccandum mortaliter contra votum paupertatis, quæ requiritur & ſufficit in viris ſæcularibus ad peccandum mortaliter peccato furti: illa quantitas cenſebitur parua in peccato proprietatis, quæ parua cenſebitur in furto facto à filijs hominis] mediocriter pecunioſi de bonis proprij parentis. & ratio eſt, quod Prælati regulares non magis inuiti credi debēt erga ſuos ſubditos quo ad res furtiuè acceptas, quam patres erga proprios filios, nec minus liberales eſſe debent de patrimonio Chriſti, quod nec proprio labore, & ſudore acquiſierunt, nec à ſuis parentibus hæreditarunt, quam parentes de ſuo, quod vel iure hęreditario acceperunt à ſuis maioribus, vel ipſimet proprio ſudore compararūt. Quod ſi Prælati regulares id grauius aliquantulū ferunt & ſeueriùs puniūt, quā patres: in hoc quidē ſe inuitos oſten-

oſtendunt, non tamen quo ad ſubſtantiam (cum prǽſumendum ſit eos velle concedere facultatem dandi, aut recipiendi, ſi peteretur) ſed quo ad modum; quatenus Religioſi dant, aut recipiunt, non petita facultate, ſicque contra votum paupertatis, ac religioſæ vitæ Inſtitutum committunt ſacrilegium veniale graue. ita *Fagund. vbi ſupra* monens, quod ſi Prælatus regularis in caſu propoſito ſit inuitus quo ad ſubſtantiam, irrationabilis eſt, ſicque non ideo Religioſus peccat mortalit. contra votum paupertatis: quo modo DD. dicunt filios non peccare mortalit. ſurripiendo ex bonis parentum, quotieſcumque quantitas ablata iudicio prudentis non cenſetur notabilis, ita vt ij non poſſint eſſe rationabiliter inuiti.

255 Cæterum non conueniunt Doctores in aſſignanda paruitate materiæ ſpectantis ad religioſam paupertatem: aliqui enim volunt in ditiſſimis monaſterijs 3. argenteos, in mediocribus 2. in egenis vnum ſufficere ad peccandum mortalit. contra votum religioſæ paupertatis, *Barthol. à S. Fauſto l. 8. Theſaur. q. 193. num. 25.* alij cum *Mendoza q. 8. de paup. relig.* cenſent 2. argenteos non ſufficere ad culpam grauem: alij cum *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 6. nu. 10. Sanch. l. 7. mor. c. 20. num. 2. & 5. Caſtro Palao tr. 16. D. 3. p. 20. nu. 3.* ſuſtinent 4. argenteos ad id requiri: alij cum *Petro Ledeſma, & Cenedo* relatis à *Diana p. 6. tr. 6. reſol.* 58. aſſerunt Religioſum non peccare mortalit. contra votum paupertatis, ſi furetur ex bonis Conuentus 8. aut 9. reales; quod item ſuſtinet *Vuigers*, relatus ab eodem *Diana*, dicens ad peccandum mortalit. in præſenti caſu requiri ad minus vnum aureum in regionibus pecunioſis: alij denique cum *Rodriq. tom. 4. ſum. cap. 118. nu. 27. & 29.* dicunt in præſenti materia peccari mortalit. quando aſcenditur ad ſummam 2. aureorum.

Circa quam opinionum varietatem aduertendũ eſt (quod etiam aduertit *Io: de Lugo D. 3. de iuſt. nu.* 170. de Rebello ſuſtinente furta Religioſorum æquiparari furtis filiorum, & tamen ſubdentem eos peccare mortalit. contra votum, ſi 3. vel. 4. argenteos furentur) Doctores, qui cenſent furta Religioſorum æquiparari furtis filiorum, & poſtea docent Religioſos mortalit. peccare contra votum paupertatis, ſi furentur ex bonis Conuentus 2. aut 3. aut 4. argenteos, videri ſibi contradicere; cum talis quantitas vix ſufficiat ad furtum graue in extraneo; quare, ſi hi Doctores velint diſſerere conſequenter, coguntur fateri quod, ſicut non ita facilè damnarent de furto mortali filium familias, qui ex bonis ſui patris mediocriter pecunioſi quotannis furaretur infra ſummam 2. aureorum; vt colligitur ex *Fagund. cap. 3. nu. 2.* addente ex *Leſſio & P. Nauarra* forte non peccaturum filium, qui à Patre habente bis mille aureos in redditus annuos furaretur 3. aureos: ſic nec damnandus eſt de mortali Religioſus, qui ex bonis Conuentus mediocriter pecunioſi ſurriperet infra ſummam 2. aureorum: vel certè ſi tenuunt hoc admittere, nec debent admittere ſimpliciter furta Religioſorum æquiparari furtis filiorum familias, ſicut re vera admittunt.

Hinc *Io: de Lugo nu.* 172. ait talem doctrinam non eſſe veram vniuerſaliter, & quidem ex tribus capitibus: 1. quia Religioſi non ſunt filij, ſed pars communitatis, ad quam pertineat bona, quæ ſurripiuntur; ſicque cum filij debeant ſuccedere in bona parentum, benignius agitur cum eis; quippe qui accipiunt de ijs, quæ proximè futura ſunt ſua: 2. quia minus ſufficit ad furtum graue filiorum, quando pater habet 20. filios, quibus alendis vix ſuppetant eius facultates, quam ſi pater ſit diues, & habeat paucos filios: quo pacto conſideratio filiorum poteſt parum iuuare: cum monaſterium tot habeat Religioſos, eiuſque facultas vix ſufficiat ad illos alendos more pauperum 3. quia ad furtum filiorum attenditur ſolum damnum temporale patris, & rei familiaris, hincque ſolum pater eſt grauiter inuitus: in furto autem Religioſorum Prælatus eſt inuitus non ſolum ob damnum temporale inde illatum Conuentui, ſed principalius ob damnum ſpirituale Ordinis proueniens ex relaxatione paupertatis, ſicque facilius Prælatus prǽſumitur inuitus. Quare ſic concludit *Io: de Lugo*: Fateor Religioſum non cõſiderari omnino vt extraneum, ſed vt partem Conuentus, ideoque benigniùs agendum, eſſe cum illo ad deſignandam materiam grauem furti, quam cum extraneis: hoc tamen moderandum eſt illa alia conſideratione damni ſpiritualis; ſicque iudicandum in ſingulis materijs iuxta vſum, ac ſenſum cuiuslibet Ordinis, an Prælatus ſit grauiter inuitus, nec ne; & quidem ſpectata in primis qualitate actionis, per quam violatur votum paupertatis: nam aliæ ex ſe plus habent de proprietate, aliæ minus; quatenus per illas magis, aut minus aliquid extrahitur à communi vſu, vt conſtabit ex ſequentibus caſibus.

Si ergò accipiantur pecuniæ ex ijs, quæ ſunt applicatæ ad vſus communes monaſterii, & dentur externis: 6. argentei à mediocri Conuentu ſurrepti videntur ſufficere ad violationem grauem paupertatis; 7. verò, aut 8. requirerentur, ſi pecunia eſſet iam deſtinata ad ſuos vſus particulares: quod ferè videtur procedere, ſi ex pecunijs deſtinatis ad vſus communes Religioſus ſurripiat ad ſuos vſus particulares ſimilem quantitatem; quamquam ſi ex ea emeret neceſſaria, ad peccatum mortale maior requireretur quantitas: maior item quantitas videtur peti ad peccandum mortalit. ſi ex veſtibus communibus nondum cuiquam applicatis Religioſus ad ſuum vſum accipiat, & quidem non ſuperfluam; quod ſi ex veſtibus ipſi conceſſis aliquã det alij Religioſo, ita tamen vt Conuentus non debeat plus expendere, non erit graue peccatum, etſi veſtis valeat 20. argenteis. item non erit graue, ſi Religioſus det alij Religioſo Conuẽtus librum valoris quinque aureorum, cum liber adhuc maneat in eodem Conuentu, ſicque parum extrahatur ab vſu communi. item non erit graue ſi ab externo recipiat veſtem, aut librum retinendum ad ſuum vſũ, ſi non valeat 12. aut 14. argenteis. maior item quãtitas requiretur in receptione eſculentorum, ac poculentorum; vt inferius dicemus, & benè oſtendit *Io: de Lugo nu.* 178. monens *nu. 179. ex Suarez*, non perueniri regulariter ad peccatum mortalit.

quando

quando eſculenta, & poculenta ab externo accipiuntur, non permanenter habenda, ſed ad vnum actum edendi, & bibendi; cum ſic Superior ſit minùs inuitus, vt paret. Porro ex deciſione horum caſuum, quos refert *Io: de Lugo nu.* 173. 174. 175. 176. 177. & 178. poteſt iudicium ſimile plus, minus ve fieri in alijs, pro vt magis, vel minus ad hos acceſſerint.

Ex quibus apparet nõ poſſe generaliter aſſignari certam, ac determinatam quantitatem, quæ requiratur, & ſufficiat ad violationem grauem paupertatis; cum hęc deſumi debeat ex concurrentibus circumſtantijs, quæ ſunt variæ, ideoque varium inducunt iudicium. In Societate quidem noſtra decreuit P. N. Aquauiua illam quantitatem exiſtimandam eſſe & neceſſariam, & ſufficientem ad violationem mortalem voti paupertatis, quæ requiritur, & ſufficit ad furtum mortale in ſæcularibus. Quamquam dici poſſet hoc ipſum decretum benignè explicandum eſſe per comparationem ad furta filiorum, ideoque per illud non tolli probabilitatẽ doctrinæ ſuperiùs traditæ, quod furta Religioſorum æquiparentur furtis filiorum: ſicque eam de facto tradit *Fagundez*, qui tamen ſcripſit poſt editionem præfati decreti, & hoc maximè attenta doctrina illa *Suarez* allata *ſubſect. præcedenti q.* 11. quæ in præſenti materia benè aduertenda eſt.

256 Poſita ergo doctrina hac Suarij, attenta præſenti hominum fragilitate, & aliquali relaxatione in aliqnibus Ordinibus inducta circa votum paupertatis, admiſſaque æquiparatione inter furta Religioſorum, & furta filiorum: vt dicam, quod ſentio, in hac quæſtione opinio P. Ioannis de Lugo mihi probatur quo ad Ordines paupertatis obſeruantiores: non item quo ad illos, in quibus minùs viget obſeruãtia paupertatis: quo ad hos enim maior quantitas videtur poſſe concedi, vt eorum Religioſi dicantur peccare mortalit. contra paupertatem; cum in his Prælatis diligentes ſuos ſubditos vt filios, & compatientes fragilitati humanæ, quam in ipſis experiuntur, cenſeri probabiliter poſſint non eſſe inuiti quo ad ſubſtantiam, etſi ſubditi indebitè vſurpent quantitatem maiorem ea, quæ eſt aſſignata à *P. de Lugo*, dummodò tamen ea iudicio prudentis non ſit immoderata.

An autem Religioſus mortalit. peccet, ſi indebitè recipiat, aut expendat modica, ita vt perueniat ad quantitatem notabilem.

257 ℞. Quod, quamuis *Nauarrus, Vega, Graffiius, Carbo, ac Leſſius* relati à *Fagundez c.* 5. *num.* 3. cenſeant probabile eſſe Religioſum in caſu propoſito non peccare mortalit. in vltimo furtiolo, per quod videt compleri peccatum mortalit. aduertendo ad furtiola præterita; probabilior tamen, & communis ſententia DD. habet Religioſum in illo caſu peccare mortalit. quando peruenit in vltimo furtiolo ad quantitatem notabilem; idque cum animaduerſione ad furtiola præcedentia, qua aduertitur attingi quantitatem notabilem. ita *Sanchez c.* 21. *num.* 30. *Fagund. num.* 5. alijque docti viri à me conſulti; & probatur ex eo quod nulla differentia aſſignari poteſt inter eiuſmodi acceptionem, & inter furtum; cum in præſenti caſu res accipiatur inuito Superiore, & Religioſus teneatur reſtituere, ſiue vero domino (ſi furto accepit) ſiue monaſterio, ſi recepit ex voluntate veri domini; ſicut ergo in furto communi DD. ſententia, teſte *Fagund. num.* 4. habet in furto compleri peccatum mortaliter in vltima acceptione rei paruulæ cum animaduerſione ad præcedentia, qua aduertitur perueniri ad quantitatem notabilẽ furti; ſic & probabile eſt Religioſum modo ſup. dicto accipientem minima ab externis, ſiue ex bonis monaſterij, & ſibi appropriantem, ſiue ab externis, dantem abſque licentia Superioris, peccare mortalit. quando in vltima acceptione modica peruenit ad quantitatem notabilem: idque loquendo de acceptione pecuniarum, aut aliarum rerum, quæ non veniunt nomine comeſtibilium.

Dices, quid ſi furta minima facta à Religioſo ex bonis monaſterijs ſint ex comeſtibilibus; peccat ne ille mortalit. quando modo ſup. dicto peruenit ad quantitatem notabilem?

258 ℞. Non peccare mortalit. etiam ſi ab initio habeat intentionem proſequendi ea furta vſque ad quantitatem notabilem incluſiuè; & ratio eſt, quod, cum furta minima comeſtibilium facta à famulis ad proprios vſus, nunquam efficiant peccatũ mortaliter, quantumuis perueniant ad quantitatem notabilem, eò quod domini non ſoleant eſſe adeò inuiti quo ad hæc comeſtibilia, & facilè ea concederent, ſi peterentur nec ita ſeuerè intendunt illa prohibere; vt docent *Caiet. Nau. Sayr. Bann. & Leſſ.* allegati à *Fagund. num.* 6. à fortiori id verificabitur in furtis Religioſorum, qui iuxta dicta æquiparantur quo ad hoc, non famulis, ſed filijs: cum tamen patres non ſoleant eſſe admodum inuiti circa comeſtibilia; &, ſi ſunt, irrationabiliter ſint inuiti; vt in terminis notat ipſemet *Fagund.* monens *num.* 8. *Nau. Sanch. & Leſſ.* ſecùs dicendum in caſu, quo Religioſus ex bonis monaſterij clam accipiat comeſtibilia, non ad proprium vſum, ſed ad ea diſtrahenda extra monaſterium. Immò Religioſus in hoc caſu nec venialiter peccabit, ſi attentis cõcurrentibus circumſtantijs, præſumi poſſit Superiorem non eſſe inuitum, neque quo ad modum. ita in terminis *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 19. *nu.* 15.

259. Quod idem dicendum eſt de Religioſo ex bonis monaſterij occultè ſurripiente magnam talium eſculentorum quantitatem ſimul, & talem, quæ, ſpectata rationabili voluntate Superiorum, culpã mortal. attingeret: is enim peccaret mortal. contra votum paupertatis, etſi ſurriperet ad vſum proprium; cum ſic rationabiliter præſumi poſſit Superior inuitus quo ad ſubſtantiam, & quo ad modum; quanquam in tali euentu multò maior quantitas comeſtibiliũ requireretur ad hoc vt ſurreptio mortalis eſſet, eò quod Superior quo ad ſurreptionem talium rerum in ſpecie cenſeatur minus inuitus; vt etiam diximus §. *præcedenti*. ita *Sanch. cap.* 21. *num.* 33. & poſt eum *Fagund. num.* 9. qui benè monent, quod; cum in omnibus rebus, & in omni euentu non poſſit certa quantitas aſſignari, quæ requiratur, & ſufficiat ad peccandum mortalit. in præſenti caſu, id iudicio prudentis committendum eſt; ſi enim eiuſmodi res ſint ex ijs, quæ ſolent ac-

curatè

curatè cuſtodiri ad peculiares neceſſitates, nec cõmuniter omnibus diſtribuuntur (qualia ſunt ſaccharo condita, quæ vulgo vocamus *conſeruas*) minor quantitas ſufficit ad peccatum mor. quam in eſculentis ad eſum communem deſtinatis. præterea in his etiam eſculentis communibus maior quantitas exigitur, quando adeſt illòrum abundantia, & ea in fundo monaſterij producuntur, quam quando pecunijs emuntur, & adeſt illorum penuria. *Caſtrus* tamen *Palaus tr. 16. D. 3. p. 21. num. 2.* putat religioſum peccare m. ſi comeſtibilia minùs pretioſa accipiat ſimul valorem vnius aurei excedentia, animo ea paulatim conſumendi: cùm talis acceptio, ac retentio grauem contineat deformitatem, & ſuperior ſit rationabiliter inuitus.

Addit *Caſtrus Palaus num. 4.* peccare contrà paupertatem religioſum, ſi à ſæculari recipiat comeſtibilia ad ſuum vſum, relicto eorum dominio penes dantem, & ijs vtatur ſine licentia: nam votum paupertatis priuat religioſum vſu rerum libero, ac independenti. idem ſentiunt *Azorius p. 1. l. 12. c. 12. q. 2. Leſſ. l. 2. c. 4. num. 28. Sanch. ſup. num. 53. Card. de Lugo. D. 2. de iuſt. num. 50.*

260 Quod ſi eiuſmodi minima comeſtibilia recipiat religioſus ſine licentia ſuperioris tacita, aut expreſſa ab externis ad vſus proprios: idem dicendum eſt atque de comeſtibilibus ex monaſterio acceptis; niſi quod in ijs, quæ modo dicto recipiuntur ab externis, maior quantitas requiritur ad peccandum m. contra votum paupertatis: cum in ijs non erogetur quidquam de bonis monaſterij, ideoque ſuperior ſoleat eſſe minùs inuitus; quippequi facilius, & promptius concedit licentiam ad accipiendum ab externis, quam ad dandum ex bonis monaſterij, vt patet, & benè aduertit Fagund. *num. 10.*

261 Vnum hic moneo pro complemento huius quæſtionis, quod eſt benè notandum; nimirum furta modica comeſtibilium, & poculentorum facta à religioſis abſque ſuperioris licentia, ſiue ex bonis monaſterij, ſiue ab externis, modo ſupradicto, non continuari moraliter, etiamſi fiant animo ea proſequendi vſque ad quantitatem notabilem, adeoque vltimum furtum non eſſe mortale. quando, ſpectata rationabili voluntate ſuperioris cum præcedentibus peruenit ad quantitatem notabilem. ratio eſt, quod ſuperior quo ad eiuſmodi furta non cenſetur adeò inuitus, vt diximus *ſup. in §. dices*; &, ſi eſt inuitus, non eſt inuitus quo ad ſubſtantiam, ſed ſolum quo ad modum.

Idque putat *Io: de Lugo D. 3. de iuſt. num. 182.* procedere, etiamſi modica illa accepta, aut expenſa ſint pecuniæ, (quod negat *Sanch. num. 30.*) & inde probat, quod poteſt contingere, immo ita regulariter fit, vt pecunia ab externis accepta, ac expenſa nullum prorſus damnum inferat Cõuentui; quippequi non ideo aliquid minus habet, cum pecunia illa verè ei profutura non fuiſſet, vtpore de licentia Prælati certiſſimè conuertenda in vſus proprios religioſi recipientis, & quidem tales, vt per illos Cõuentus non exemptus fuiſſet ab vlla expenſa, aliàs ab eo facienda. cum ergo tota ratio, cur ex multis furtis leuibus oriatur obligatio reſtituendi, ſit damnum graue inde conſurgens (ſiue peccatum conſiſtat in retentione totius damni, ſiue in complemẽto illationis, quæ completur per vltimum furtum: ſequitur quod vbi per vltimam vſurpationem non completur graue aliquod damnum Conuentui illatum, nec retineatur aliquid ſub mortali reſtituendum Conuentui, non poſſit coaleſcere ex ijs omnibus violationibus leuibus, ac pecunijs indebitè expenſis crimen aliquod graue contra votum paupertatis.

Addo ex ipſomet *Io: de Lugo ſup. D. 2. numer. 50.* Religioſum inuitatum a ſæculari ad prandium ſine licentia ſui Prælati, non peccare cõtra votum paupertatis: cum in tali caſu non tam videatur habere vſum actiuum ciborum, quos in conuiuio comedit, quam paſſiuum; id eſt ſe habeat ſolum quaſi paſſiue, vt qui illum inuitauit, in eius perſona illis vtatur; & aliàs non aduerſetur voto paupertatis vti commodis ex liberalitate aliorum prouenientibus; v. g. calefieri ad ignem accenſum à ſæculari, ire ſimul cum eo in curru, vino pretioſo per illum ablui, aut aqua aliqua odorifera aſpergi: idque licèt hæc omnia ſint pretio æſtimabilia: ſic *Io: de Lugo, & cum eo Salas in manuſcriptis de iuſt.*

Hinc tamen non fit poſſe quem mittere religioſo cibos, retinendo ſibi dominium, ac vſum iuris, & ſolum volendo, quod religioſus eos conſumat nomine mittentis, ac ſi eſſet in eius prandio: in hoc enim caſu Religioſus moraliter loquendo, cenſetur vti cibis illis ex facultate domini; in primo autem caſu, moraliter loquendo, dominus ipſe, qui adeſt, ijs vtitur, & perinde ſe habet, ac ſi per ſuas manus conſumeret Religioſo paſſiuè ſe habente.

QVÆRES III. An grauius peccet religioſus violans votum paupertatis, ſi ſit profeſſus, quam ſi ſit ſolum adſtrictus voto ſimplici paupertatis, vt in Societate Ieſu.

262 ℞. Non peccare grauius, cum votum ſolemne paupertatis, & votum ſimplex eiuſdem coram Deo per ſe non differant, eſtò accidentalem aliquam differentiam inter ſe admittant, vt conſtat ex dictis *ſect. 1.* ita *Azorius* in terminis *tom. 1. lib. 12. cap. 12. q. 8.*

QVÆRES IV. An religioſus cenſeatur violare votum paupertatis à ſe emiſſum hoc ipsò quod nollet eam vouiſſe, eique quam maximè id diſplicet.

263 ℞. Non violare, ſi ea diſplicentia ſit ſolum per velleitatem, ac pænitentiam imperfectam præteriti facti, non excludendo abſolutam voluntatem perſeuerandi in paupertate, & carendi omni proprietate, ac dominio. ratio eſt, quod religioſus in tali caſu, non obſtante ea diſplicentia, non poteſt dici infidelis, eſtò minùs liberalis eſſe videatur; immò in eo ſe quodammodo magis fidelem oſtendit, quatenus, etiam ſtante noua diſplicentia, aut difficultate, nihilominus promiſſionem fideliter implet, præter quam quod non obſtante dicta diſplicentia adhuc paupertas abſolutè, & ſimpliciter voluntariè ſeruatur; cum ea diſplicentia cauſet tantùm inuoluntarium ſecundum quod, & obiectiuè; & alioqui voluntas efficax ſeruandi votum paupertatis reddat ipſam paupertatem voluntariam ſimpliciter, non ſolum obiectiuè, ſed etiam effectiuè; quo modo

do manet diſſoluta ratio, qua aliquis poſſet probare per eam diſplicentiam violari votum paupertatis, quod per tale votum promittitur paupertas voluntaria, non coacta, vt pote quæ ſola eſt vtilis, & in conſilio: cum tamē, poſita ea diſplicentia videatur deſinere eſſe voluntaria. ita *Suar. to. 3. de relig. lib. 8. cap. 6. num. 21.*

QVÆRES V. An Religioſus peccet contra votum paupertatis capiendo delectationem moroſam de dominio, aut libero vſu diuitiarum.

264 ℞. Non peccare, ſi excludat propoſitum agēdi contra votum: non peccare inquam, mortal. per ſe, & ex vi obiecti. ita *Suar. ſup. cap. 10. nu. 3. ex Sanch. l. 1. mor. c. 2. nu. 10. & Vaſq. 1. 2. D. 3. c. 3.* pateteque, quia quod dicitur delectationem moroſam de obiecto prauo participare malitiam eiuſdem ſpeciei, ad ſummum locum habet, quando illa malitia obiectiua eſt intrinſeca materia, de qua ſumitur delectatio; non item, quando materia ſolum eſt mala, quia prohibita; tunc quippe malitia poteſt ſeparari per cogitationem in ordine ad delectationem internam, quamuis non ſit ſeparabilis ab executione, durante prohibitione. Sic delectatio moroſa de eſu carnium in die prohibito non eſt per ſe peccatum mortal. ſi aliàs voluntas ſit firma in propoſito ſeruandi præceptum: quod omninò euenit etiam in præſenti; cum quo ad hoc æquiparetur materia voti paupertatis, quod per ſe, & intrinſecè non eſt mala, ſed ſolum quia eius carentia voto promiſſa eſt.

265 Sic etiam Religioſus deſiderans habere diuitias, per ſe loquendo, non peccat contra votum paupertatis, ſi in tali actu excludat ipſum votum; vt ſi dicat; *cuperē habere diuitias, niſi votum paupertatis obſtaret*: vel, *nollem feciſſe votum paupertatis, vt poſsē eſſe diues*: in priori enim actu omninò excluditur affectus voto contrarius; imò per ea verba non tam videtur explicari aliquis affectus, qui de præſenti habeatur, quam ille, qui haberetur, ſi votum non fuiſſet emiſſum; conſtat autem tunc talem affectum non fuiſſe futurum voto contrarium: vnde, ſi aliquis ſimplex affectus in præſenti habetur, talis eſt quo ad bonitatem, aut malitiam, qualis eſſet, ſi eliceretur à non habente votum paupertatis: per cōditionem quippe appoſitam excluditur votum, & materia eſt talis, vt poſſit ſeparari à voto in altero autem actu vltra hunc talem affectum ſolum includitur quędam diſplicentia de voto facto, quę tamen per ſe non eſt mortalis; vt inde patet, quod vouens aliquid non promittit perſeuerare in complacentia voti facti, vt nunquam ipſi diſpliceat; ſed ſolum promittit perſeuerare in propoſito implendi votum emiſſum. ita *Suarez ſup.* addens, quod, ſi Religioſus per tales actus ſe exponat periculo delinquendi contra votum paupertatis, ex hoc capite poterunt præfati actus eſſe contrarij voto, ſicut & ex eo, quod ſunt actus inutiles.

QVÆRES VI. An peccet contra votum paupertatis Religioſus, qui ab externis notabilem furatur quantitatem.

266 ℞. *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 11. numer. 15.* non peccare, ſi id faciat de licentia Superioris, quamuis iniuſta: probatque quia votum paupertatis vt ſic non eſt de non committenda iniuſtitia, ſed præciſè de carentia proprij (videlicet de non accipiendo quidquam nomine proprio, aut ſine voluntate Superioris); ac proinde, ſi carentia hæc eſſe poſſit ſimul cum iniuſtitia, talis iniuſtitia nō erit violatio voti paupertatis: ſicque furans de licentia Prælati eſt quidem iniuſtus, ſed non proprietarius. ita *Suarez*, & cum eo *Sanchez l. 7. mor. c. 19. nu. 55.* limitans tamen ſuam aſſertionem ad caſum, in quo Religioſus modo dicto furetur ſine licentia ad acquirendum non ſibi, ſed monaſterio: quamuis *Io. de Lugo D. 3. de iuſt. n. 130.* dicat talem limitationem fruſtra apponi: cum Religioſus furans ab externis de conſenſu Superioris non accipiat ſibi, ſed communitati; ſiquidem accipere ex conſenſu Prælati idem eſt, ac recipere, non proprio nomine, nec ſibi appropriandum, ſed Conuentui, à quo accipiens poſtea ſperat rem acceptam habere ad ſuum vſum, ſed tamen ſemper alterius nomine. Addit autem *Sanchez*, quod quando Doctores dicunt omne furtum eſſe peccatum proprietatis, loquuntur vel de furante abſque licentia, vel de eo, qui furatur ad appropriandum ſibi.

QVÆRES VII. An peccet contra paupertatem Religioſus, ſi abſque licentia acquirat, non ſibi, ſed monaſterio.

267 ℞. Peccare, ſed non mortalit. regulariter loquendo, ſi res acquiſita ſtatim tradatur communitati, & tali intentione recipiatur; idque non tam ex leuitate materiæ, quam ex præſumpta voluntate Superiorum; quibus non diſplicet talis acquiſitio quo ad ſubſtantiam, ſed ſolum quo ad modum; vt notauimus, *ſect. præced. quaſt. 12. ex Suarez ſup. cap. 11. num. 30.* cum quo ſentit *Caſtr. Pal. tract. 16. D. 3. p. 21. num. 5.*

Monet autem *Bartholom. à S. Fauſto l. 8. theſauri quaſt. 183.* non eſſe proprietarium illum, qui ab externis furatur in bonum Conuentus; probatq; quia per votum paupertatis prohibetur Religioſus ſolum ſibi acquirere, aut appropriare ſine Superioris licentia; hic autem Religioſus nihil ſibi acquirit, ſed conuentui, quod eſt contra *Valentiam 2. 2. D. 10. q. 4. p. 3.* abſolutè ſuſtinentem omne Religioſi furtum eſſe peccatum proprietatis.

QVÆRES VIII. An peccet Religioſus contra votum paupertatis, ſi abſque licentia Superioris acquirat ſibi, recipiendo ab extraneis ad proprium vſum.

268 ℞. Peccare, & quidem mortal. ſi quantitas ex ſe ſit talis, vt iudicio prudentis ſufficiat ad peccatum mortale proprietatis. ducor, quod talis actus eſt proprietarius, quantum eſſe poteſt, cum includat acceptionem, retentionem, & vſum independentem à licentia Superioris: ergo ex parte actus habet omnem rationem proprietatis, quam habere poteſt. ita *Suarez num. 27. Rodriquez tom. 3. quaſt. 29. art. 10. Mendoza in quodlib. q. 8. concl. 5. Leſſ. ſup. num. 78. Lezana tom. 1. cap. 6. num. 30.* aliique communiter; inter quos benè aduertit *Lezana num. 31.* quod ſi Superiores Religioſorum nō dent ſubditis neceſſaria ſimpliciter ad vitam; ſiue quia nolunt, ſiue quia non poſſunt: poſſunt ipſi Religioſi ea recipere tum à Religioſis proprij Ordinis

diniis, tum etiam ab extraneis, etiam inuitis Superioribus; ratio eſt, quod in tali caſu Superiores irrationabiliter ſunt inuiti, ac proinde ſubditi poſſunt vti iure ſuo, neceſſaria non ſolum accipiendo, ſed etiam poſtulando, vt notauit etiam *Val. 2. 2. D. 10. quæſt. 4.*

169 Idem ſentit & *Suarez num. 31.* addens poſſe excuſari a culpa mortal. Religioſum, qui ſine Superioris licentia acciperet ab extraneis rem aliquam notabilem, eamque applicaret ad vſum proprium loco alterius rei ſimilis, quæ ex bonis communibus monaſterij aliàs ei danda eſſet ad ſimilem vſum; dummodò res, quæ accipitur, non ſit multo pretioſior ea, quæ danda erat à monaſterio, aut certè nō accipiatur cum maiori abundantia, quam ſoleat dari à monaſterio; ſic enim non poſſet præſumi tacitus conſenſus Superioris, qui alioqui in priori caſu facilè poterat præſumi ob vtilitatem monaſterij inde conſurgentem.

Addit *Bartholom. à S. Fauſto l. 8. theſauri qu. 90.* quod, licèt aliqui putent non eſſe proprietarium Religioſum illum, qui ſine licentia recipit ab externis comeſtibilia ipſi data præcisè ad illum ſolum vſum, vt ipſe ijs veſcatur, nec acquirantur monaſterio; idque inde probent, quod ſic Religioſo cōceditur vſus facti, cuius ille eſt capax: oppoſitum tamen omninò ſuſtinendum eſt: probatque tum quia vſus facti, quo Religioſus vtitur re ſine licentia Superioris, eſt contra votum paupertatis; tum quia vſus comeſtibilium eſt pretio ęſtimabilis, ideoque ſi vſurpetur ſine debita licentia, aduerſatur paupertati: præter quam quod violatio paupertatis non conſiſtit in eò, quod Religioſus indebitè acquirat dominium (huius enim non eſt capax) ſed quod vſum facti acquirat ſine debita licentia. Diſſentit tamen *Caramuel. D. 60. in reg. S. Bened. num. 883.* qui ſuſtinens vſum, & dominium diſtingui realiter; & tunc ſolum violari votum paupertatis, quando indebite vſurpatur propietas rei; dicit Religioſum contram voluntatem Prælati accipientem vſum rei, & non proprietatem, facere contra obedientiam, non item contrà paupertatem: aliàs cōcedens, cum iuxta *Salonium, Turrianum, & Tannerum* in rebus vnico actu conſumptibilibus dominium diſtinguatur ab vſu: iuxta illos ſine licentia poſſe accipi vſum non ſolum pecuniæ, ſed etiam comeſtibilium abſque violatione paupertatis: at hæc reijcit *Diana p. 7. tr. 11. reſ. 18.* & benè reijcit, & *Cardinalis de Lugo D. 2. de iuſt. nu. 50.* ex eo quod, data doctrina *Caramuelis*, Religioſus nunquam peccaret contrà votum paupertatis, accipiendo aliquid ab externis; cum ille nunquam poſſit acquirere aliquod ius, ſed ſolum vſum facti, cuius tantum eſt capax: ſicque conſtat vſum facti eſſe materiam ſufficientem contrà votum: cum votū obliget iuxtà intentionem vouentis; & Religioſus vouens paupertatem intendat à ſe abdicare non ſolum omne ius, ſed perfectè imitari ſtatum pauperum, ita vt careat ijs rebus, quibus eget ad vitam humanam, & ijs vtatur ex arbitrio Prelati.

QVÆRES IX. An, & quo modo pecet Religioſus contra votum paupertatis vſurpando ſibi aliquid ex bonis monaſterij communibus.

170 ℞. Peccare; ſiue ſint poculenta aut eſculentâ, ſiue libri, ſiue alia vtenſilia. ratio eſt, quod, cum bona monaſterij non ſint Religioſi particularis, ſed communitatis; cuius loco Superior habet adminiſtrationem illorum omnium; non poteſt Religioſus quidquam ſibi vſurpare, inuito Superiore; alioquì furtum committit vſurpans rem alienam, inuito domino, ſeu adminiſtratore, qui eſt loco domini; peccatque contra votum paupertatis, vſurpans rem tanquam proprietarius abſque dependentia à Superiore. ita *Leſſ. l. 2. cap. 41. nu. 78. P. Naur. l. 3. de reſt. cap. 1. nu. 201. Mol. tom. 1. D. 276. num. 7 Lezana ſup. & alij*, qui iuxta dicta in *tract. de profeſſ. cap. 5. ſect. 1. q. 7.* rectè monent ſecùs dicendum in caſu, quo Superior potens conſulere neceſſitatibus Religioſorum ſubditorum, iniuſtè ipſis denegat neceſſaria, & conuenientia: tunc quippe ea ſibi poſſunt ſumere ex bonis monaſterijs, quantumuis Superior ſit inuitus, & contradicat; qui vult, videat *Fagund. l. 7. in decal. c. 5. nu. 38. P. Nau. ſup. num. 198.*

An autem peccet mortal. contra votum paupertatis Religioſus, qui rem aliquam, etiam pretioſam, ſine licentia Superioris accipit ex bonis monaſterij v. g. aliquot libros ex communi bibliotheca) non quidem vt eam tanquam propriam ſemper retineant, ſed ad aliquem vſum temporarium.

171 ℞. Regulariter non videri peccare mortal. cū in tali caſu Superior præſumatur inuitus ſolum quo ad modum: & aliàs materia culpæ non ſit res ipſa, ſed vſus illius, qui ordinariè eſt quid leue, & parum videtur lædere paupertatem. ita *Suar. to. 4. de relig. tract. 10. l. 4. cap. 8. num. 2.* monens *tom. 3. l. 8. c. 12. nu. 4.* quod, quando ex bonis monaſterij accipitur aliquid, non vt perpetuo retineatur occulte, ſed ad certum tempus pro aliquo vſu, tunc valdè diminuitur culpa ex parte materiæ; idque arbitrio viri prudentis applicantis regulas, & coniecturas ab ipſomet *Suar.* tradita *c. 6.* ex quo infert *Io: de Lugo nu. 154.* quod, cum interdum minus damnum afferat communitati defectus alicuius libri per decennium, quam alterius per annum, vel ſemiannum, vt pote omnibus maximè neceſſarij: ſi quis talem librum ſibi vſurparet abſque licentia, & fortè occultaret per aliquot menſes, grauiſſimè alijs id ferentibus, neſcio (inquit *Io: de Lugo*) quo modo cum tanta, & adeo rationabili repugnantia communitatis vſus ille excuſari poſſit à mortali cōtra votum paupertatis; & hoc à fortiori dicendum putat de accipiente ex alterius cubiculo librum ipſi à Prælato applicatum, ſi ille hinc grauiter offendatur, & quidem rationabiliter ob damnum illi inde prouueniens.

QVÆRES X. An peccet contra votum paupertatis Religioſus, qui ſine licentia Superioris ex bonis ipſi conceſſis dat alijs ſiue Religioſis eiuſdem Ordinis, ſiue etiam extraneis.

172 ℞. Peccare: & probatur tum ex dictis *ſect. præced. q. 14.* tum quia Religioſus quo ad bona ipſi conceſſa eſt merè vſuarius, habens nudum vſum facti (vt ait *Nicol. IV. in Extrauag. exiit*) idque precariò, quandiu videbitur Superiori: vſuarius autem

non

non poteſt concedere alteri vſum rei ipſi conceſſæ, & multo minus transferre dominium. vt patet, eſt communis DD. inter quos *Leß. ſupra* notat in rebus paruis, & crebrò occurrentibus cenſeri eſſe facultatem tacitam generalem, ſaltem ad breue tempus.

273 Quod vero docet *Peyr. de R. S. q. 2. cap. 2. §. 6. ex Ledeſma Llamas, & Fagund.* Religioſos eiuſdem monaſterij, ac prouinciæ poſſe ſibi inuicem donare, ac recipere libros, & res cuiuſcumque pretij: eo quod ſic non transferatur dominium, ſed ſolum vſus, & ſuperior poſſit de bonis hac ratione diſtractis diſponere æquè in manibus recipientis, ac dantis: mihi non omninò placet, cum per talem doctrinam facilis via aperiri poſſit relaxationi: præter quam quod hac in re videndum eſt, num in omnibus Ordinibus, prouincijs, ac monaſterijs præſumi poſſit tacitus conſenſus Superioris; quare eam doctrinam puto non eſſe admittendam, niſi cum hac limitatione; ſi hìc & nunc rationabiliter præſumi poſſit tacita licentia Superioris, cum *Peyrino ſentit Coriol. p. 2. de caſ. reſeru. caſ. 8. num. 6.* nec diſſentit *Diana tr. de paup. relig. reſol. 39.* dicens ſe remittere arbitrio aliorum. Cum his ſentit & *Caramuel D. 64. in reg. S. Bened. num. 965.* dicens Religioſum poſſe citra violationem paupertatis donare alteri religioſo eiuſdem Conuentus quidquid vult, veſtes quaſcumq; etiam picturam valentem pluſquam 1000. aureis; cum ſic monaſterium non damnificetur in ſuis bonis, dominio talium rerum illæſo remanente penes ipſum; & alias nihil referat ad ipſum, quod pictura ſit in cubiculo huius, aut illius religioſi: vnde infer *Caramuel* dantem ſine licentia dictam picturam ſolum peccare cõtra obedientiam, & pro ſe citat *Llamam, Fagundez, & Machadum*; nec illum refutat *Diana p. 7. tract. 11. reſ. 20. monens Cardinalem de Lugo D. 3. de iuſt. nu. 176.* docere non peccare mortaliter religioſum dantem religioſo eiuſdem Conuentus librum valoris aureorum quinque; cum liber maneat in Conuentu, adeoque ſuperior non ſit ita inuitus, eo quod liber parum extrahatur ab vſu communi per illam donationem.

Quod verò ait *Sanchez ſupra numer. 66.* religioſum dantem alteri religioſo eiuſdem Conuentus librum valentem quinque aureis abſque debita licentia non peccare m. (imo neque v. iuxta *Rodriquez tom. 1. ſum. cap. 90. numer. 11. conſ. 5.*) eo quod in tali caſu concurrat materiæ paruitas; cum liber maneat in eodem Conuentu, ſicque ſuperior non præſumatur inuitus quo ad ſubſtantiam: hoc inquam, non procedit, ſi religioſus, cui liber donatur, citò ſit receſſurus ab eo conuentu: ſic enim ceſſant rationes modo adductæ, vt patet: Nec puto Peyrinum & alios DD. pro eo citatos §. præcedenti à nobis hac in re diſſenſuros.

274 Illud quidem approbo, quod tradit *Sanch. lib. 7. mor. cap. 19. numer. 70.* & poſt illum *Bonac. de largit. mun. p. 6. num. 24.* nimirum non eſſe contrà votum paupertatis dare domeſticis, aut externis ea, quæ religioſus habet ex licentia ſuperioris; quandocunque ex rerum conditione apertè colligitur ſuperiorem concedentem licentiam res illas accipiendi, aut emendi, illas non fore vſui ipſi religioſo, ſed ad diſtribuendum alijs; ſed de hoc infra.

Maius dubium eſſe poſſet, an religioſus peccet contra votum paupertatis, ſi habens facultatem dandi aliquid vni, illud det alteri.

275 ℞. *Alphonſ. de Leone de offic. Confeſſ. recollect. 11. num. 296.* peccare, citatque pro ſe *Barchium*; ſed non probat; at ego puto id ſolum admittendum in caſu, quo ex parte donatarij tales concurrunt circumſtantiæ, vt probabiliter præſumi poſſit ſuperior dediſſe facultatem donandi illi ob rationem peculiarem in ipſo exiſtentem, & quidem ita vt aliàs talem facultatem denegaſſet.

276 In qua autem quantitate dare poſſint religioſi ex bonis monaſterij communibus, aut etiam ipſorum vſui conceſſis in particuliari: in præſentia definiendum eſt, non tam arbitrio viri prudentis, attentis opibus, ac facultatibus monaſterij, dignitate dantis, vicibus occurrentibus, & numero illarum, qualitate perſonarum, quibus dandum eſt, abundantia, vel penuria terræ, conſuetudine religionum, ac ſuperiorum, alijſque ſimilibus: vt notat *Sanch. l. 7. mor. cap. 19. num. 42.* quam ex motu proprio Clementis VIII. de *largitione munerum* nouiſſimè confirmato, atque innouato de mandato Vrb. VIII. & à nobis explicando in *tract. de prohibit. c. 9. per totum*; quod etiam aduertit *Fagund. cap. 6. num. 3. ex Azorio tom. 1. l. 12. q. 4.*

QVÆRES XI. An peccet contra votum paupertatis religioſus, qui ſine licentia recipit nummos ab externis, eoſque expendit in emendis libris v. g.

277 ℞. *Diana tractat. de pauper. reſolut. 26. ex Azor. Fabio Coriol. & Homob.* non peccare, ſi libros emptos in cubiculo teneat palam expoſitos, & conſequenter eos voluntati, ac poteſtati ſuperioris ſubijciat: quod eſt emiſſe, ac poſſidere tales libros de licentia ſuperioris, ſaltem tacita, ac interpretatiua, ſeu præſumpta; verùm diſſentit *Sanchez numer. 56.* (& meo iudicio probabiliùs) ex eo quod licentia extendi non poteſt ad omninò incognita; ideoque cum in caſu propoſito ſuperiorem lateat, an aliqui ex illis libris palam expoſitis ſint acquiſiti abſque eius licentia; ex eo quod libri ipſo inſcio empti expoſiti ſunt manifeſtè, non videtur cenſeri dare licentiam ad illos detinendos; præter quam quod ſic religioſę paupertatis obſeruantia magna ex parte deficeret; niſi pro *Diana* velimus dicere, quod cum in iſto caſu libri empti acquirantur monaſterio, quo ad eorum acquiſitionem, poteſt præſumi licentia Superioris: ſicque cum ſolum vſus illorum ſit independens à ſuperiore, non poteſt regulariter interuenire in hoc culpa grauis; præſertim ſi Religioſus præſumere poſſit tacitum ſuperioris conſenſum quo ad talem vſum. cum *Sanchez ſentit Io. de Lugo num. 153. vt indicat Diana p. 7 tract. 11. reſol. 19.* confirmans ſuam ſententiam e *Caramuele D. 60. in reg. S. Bened. numer. 886. & Machado tom. 2. de perfecto Confeſſ. l. 5. p. 2. tract. 1. docum. 8. numer. 4.*

QVÆRES XII. An religioſus peccet con. votũ paupertatis, ſi habens licentiam emẽdi rem aliquã

in ſpetie emat aliam ſine noua licentia.

278 ℞. *Sanch. ſup. nu.68. ex Mendoza* peccare, ſi emat rem aliam, ad quam emendam ſuperior veriſimiliter non conceſſiſſet facultatem: probatque quia Religioſus in tali caſu vtitur re illa tanquam propria, quod eſt contra votum paupertatis. conſentit *Ledeſma* relatus à *Peyr. de R. S. q.2. c.2. §.1.* dicens quod ſi Religioſus habens licentiam expendendi 20. ducatos in emendis imaginibus, illos expenderet in libris, non peccatet contra votum paupertatis, cum præſumatur licentia illa Prælati extendi ad vſus æquales, aut meliores (intellige niſi conſtet ſuperiorem nolle dare licentiam, niſi ad illum vſum preciſè, & non ad alium.) Imo notat *Peyr.* ex eodem *Ledeſma* non poſſe Religioſum 20. illos ducatos erogare in eleemoſynam, etſi talis vſus ſit melior; quam emere libros: ſi quidem quod diximus licentiam Prælati extendi ad vſus æquales, vel meliores, intelligi debet iuxta probabilem voluntatem Prælati reſpicientis bonum commune Conuentus, quæ debet colligi ex concurrentibus circumſtantiis: ex quibus item dijudicandum eſſe, ait *Io. de Lugo D.3. de iuſt. n.158.* an ad commutationem illam ſuperior hic & nunc ſit inuitus ſolum quo ad modum, vel etiam quo ad ſubſtantiam ratione modi.

Ex quibus facilè colligi poteſt, quid dicendum ſit ad ſequentem caſum, de quo olim fui interrogatus. Quædam monialis obtinuerat facultatem ab Abbatiſſa faciendi varias eleemoſynas pro animabus purgatorij, eamque generalem, ac ſine vlla limitatione temporis; non eſt tamen vſa tali poteſtate, ſed interim tantam pecuniæ ſummam coegit, vt eſſet ſufficiens ad dotandam quandam puellam conſanguineam, quæ erat admittenda inter moniales illius monaſterij: hinc quæſitum fuit, an illa monialis vigore illius facultatis poſſet modò illam ſummam pecuniæ tradere in dotem præfatæ puellæ ſine alia licentia Abbatiſſæ; idque in ſuffragium animarum purgatorij.

279 ℞. Enim videri non potuiſſe: idque quamuis admittamus non peccare contra votum paupertatis Religioſum, qui habens licentiam expendendi ad vnum vſum pium, ac honeſtum, poſtea expendit in alium item pium; ſiue quia mutauit voluntatem; ſiue quia iudicauit ſuperiorem faciliùs conceſſurum eſſe licentiam ad iſtum, quam ad illum vſum; ſiue quia verecundiam habuit in petitione illius, non autem iſtius; quæ eſt doctrina *Fagundez l.7. in decal. c.5. n.47.* id inde probantis, quod religioſus in tali caſu ſimpliciter habebat licentiam, & facultatem ad rem illam expendendam, eamque poterat licitè, & validè ſuperior ei concedere, nec cenſetur inuitus ſuperior, niſi quo ad modum, in quo nulla cernitur culpa m. & quidem quod illa monialis non potuerit ſine noua licentia tradere illam pecuniam in dotem, mihi inde perſuadeo, quod licentia illa faciendi eleemoſynas pro animabus Purgatorij non videtur rationabiliter extendi poſſe ad iſtum caſum, vtpote quæ ex mente concedentis intelligebatur de modicis eleemoſynis diuerſis vicibus faciendis, ac diuerſis temporum interuallis, non autem de vna ſumma adeo magna ſimul expendenda; qualis eſt ea (de qua hic loquimur) etſi paulatim coaceruata ex modicis illis ſummis, quæ iuxta conceſſionem illius licentiæ paulatim erogari debebāt in eleemoſynam; quod etiam magis confirmatur, quia Abbatiſſa non poterat, nec potuit dare facultatem faciendi eleemoſynam adeo amplam: cum omnes DD. apud *Fagund. ſup. cap.6. num.2. ex cap. cæterum de donat.* conueniant duo maximè attendi debere in donationibus, quæ fiunt à Religioſis, nempe vt ſint de re mobili, & modica.

QVÆRES XIII. An peccet contra votum paupertatis Religioſus, qui habens licentiam emendi aliquam rem, inſcio ſuperiore aliam rem ex ſibi conceſſis vendit, pretium illius conuerſurus in eam emptionem.

280 ℞. Peccare, niſi id faciat ex licentia ſuperioris rationabiliter præſumpta; patetque quia ſic vtitur re illa, quam vendit tanquam propria, cùm tamen ſit monaſterij: quod ſine dubio aduerſatur voto paupertatis, vt patet. quando autem præſumi poſſit talis licentia, colligendum eſt ex concurrentibus circumſtantiis: quæ tamen vix poſſunt ita concurrere, vt talis venditio fieri poſſit ſine licentia Superioris; de qua re paulò latius infra q. 31.

QVÆRES XIV. An delinquant contra votum paupertatis religioſi, ſi abſque ſuperioris licentia mutuent, aut commodent ex rebus ipſorum vſui conceſſis.

281 ℞. Peccare ſi id faciant abſque licentia Prælati, ſaltem tacita: cum ſint merè vſuarij; & vſuarius non poſſit concedere alteri vſum rei permiſſæ, vt habetur *inſtit. de vſu, & habit. §.1. & 2.* peccare inquam, non tamen m. ſi religioſus commodans, imo & mutuans ſit ſecurus de reſtitutione rei commodatæ, aut mutuatæ; idque ſiue commodatum, & mutuum fiat intra idem monaſterium (quo caſu faciliùs præſumi poteſt licentia tacita) ſiue extra: & ratio eſt (loquendo de commodato) quod quamuis res, quæ commodatur (v.g. liber) valeat tanti, vt alienatio eius indebitè facta eſſet mortalis, vſus tamen illius non perpetuus, ſed temporalis, qualis conceditur titulo commodati, non æſtimatur tanti, vt eſſe poſſit materia peccati m. ſicut benè aduertit *Laym. l.4. tract.5. cap.7. num.4. ex Sanch. l.7. mor. cap.19. numer.65.* quos ſequitur *Diana ſup. reſol. 37.* addens ex *P. Ledeſma Peyr. aliiſque viris doctis*, tum ſui Ordinis, tum noſtræ Societ. idem proportionaliter dici poſſe de mutuo pecuniario, quod fiat a Religioſo ſine licentia ſuperioris; ipſum ſcilicet excuſari poſſe à peccato m. ob paruitatem materiæ; probat *Ledeſma* ex eo quod, quamuis per mutuum transferatur dominium (cum mutuum dicatur quaſi ex meo tuum) quia tamen recipiens manet obnoxius reſtitutioni, & tenetur de rigore iuſtitiæ reſtituere tantundem, quantum recipit; ſicque ex mutuo nullum conſurgit damnum Religioſo mutuanti, & conſequenter neque monaſterio: fit, vt actus mutuandi iudicio prudentis reputetur res leuis, ideoque inſufficiens ad inducendam malitiam mortalem, dummodo Religioſus mutuans ſit certus de reſtitutione, & quod inde nullum emerget damnum monaſterio.

282 Addit *Diana ex Llamas, & Fagund.* religioſos eiuſdem monaſterij profeſſos poſſe ſibi inuicem dare ad vſum libros, & res cuiuſcumque pretij ipſorum vſui conceſſas, vt tunicam, caligas, calceos, &c. cum ſic nulli fiat iniuria; ſtante quod neque monaſterium amittit dominium talium rerum, vt patet, neque religioſus inuitus priuatur vſu dictarum rerum, cum ipſemet ſciens, & volens præfatum vſum à ſe abdicet; vnde fit, vt, ſi qua iniuria interuenit in hoc caſu, ea fiat ſoli prælato: quæ tamen non habet rationem iniuſtitiæ, ſed inobedientiæ, & quidem ſolum v. niſi adſit contemptus. ita citati DD. ſed cauendum eſt, ne nimis relaxetur inter religioſos obſeruantia paupertatis: & ſic illa doctrina ad ſummum videtur admittenda in eo Ordine, ac monaſterio, in quo conſtaret extare talem conſuetudinem.

QVÆRES XV. An religioſus faciat contra votum paupertatis, ſi abſque ſuperioris licentia recipiat commodatum, aut mutuum.

283 ℞. Facere, ſi recipiat mutuum, & quidem nòn excuſari à peccato m. quamuis tunc neceſſaria videatur maior quantitas, quam ſi dono acciperetur; cum iuxta moralem æſtimationem re vera minus ſit id, quod accipitur: ſecus, ſi recipiat commodatum. ratio reſponſionis eſt, quod, cum per mutuum vi contractus acquiratur dominium rei mutuatæ cum obligatione ſoluendi, talis actio eſt proprietaria, ac repugnans paupertati: quippe per quam accipitur aliquid tamquam proprium, vtpote acceptum ſine licentia, & religioſus recipiens obligatur ad aliquid reddendum propria etiam aùctoritate; quæ obligatio neque in ipſo poteſt eſſe firma, nec moraliter loquendo impleri; ſi pecuniam expendat; cum neque ipſe habeat, vnde ſoluat, neq; monaſterium ad id teneatur poſito quod mutuum ſine licentia ſuperioris receptum ſit, vt ſuppono. ita *Suar. to. 3. de relig. l. 8. cap. 11. num. 44.* concedens tamen *num. 25.* quod licet 10. aurei ſint materia ſatis grauis ad furtum; nihilominus accipere illa non ſimpliciter, ſed mutuò ad breue tempus cum propoſito reddendi, non videtur eſſe peccatum mort. eò quod talis actio circa totam illam quantitatem, moraliter loquendo, ſit leuis iniuria, quæ eſt materia proxima, ſeu actus exterior iniuſtitiæ, à quo deſumi debet grauitas culpæ.

284 Dixi, *ſecùs, ſi recipiat commodatum*; non enim puto peccare mort. religioſum, qui ſine licentia ſuperioris recipit commodato rem aliquam, etiamſi magni valoris, ſi ex tali commodato monaſterium nullum paſſurum ſit damnum; ratio eſt, quod, cum per commodatum non transferatur dominium, ſed ſolum concedatur vſus rei commodatæ, & vſus rei, quamuis pretioſæ, ſecundùm ſe non importet grauitatẽ materiæ, vt dictum eſt *q. præcedenti*: in receptione commodati nulla apparet grauitas materię, & conſequenter nec ratio ſufficiens damnandi talem receptionem peccati mortalis.

Poſſet eſſe maior dubitatio in caſu, quo religioſus, ſine ſuperioris licentia rem aliquam notabilem reciperet commodato ea conditione, vt nullus alius religioſus eiuſdem Ordinis illa vti poſſit; & ratio dubitandi eſt, quod talis vſus videtur proprietarius, adeoque contrarius voto paupertatis.

285 ℞. Nihilominus talem vſum non videri repugnare voto paupertatis, ſi adhuc liberum ſit ſuperiori talem vſum abdicare à religioſo ſubdito, & religioſus ipſe ſit animo paratus in hoc obedire. patet, quia ille vſus tantùm aduerſatur paupertati religioſæ, qui eſt irreuocabilis, ac independens à ſuperiore; talis autem non eſt vſus, de quo hic; nec obſtat quod ſuperior non poſſit concedere dictum vſum alteri religioſo; id enim pendet ex voluntate habentis dominium rei conceſſæ ad vſum modo dicto; qui vtique poteſt velle, quod ſua re non vtantur hi, ſed illi; cum quilibet ſit rei ſuæ moderator, & arbiter. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES XVI. An violet votum paupertatis religioſus, qui abſq; ſuperioris facultate commutat res ſibi ad vſum conceſſas; v. g. libros, etiam cum ſæcularibus, monaſterio nullam hinc iacturam patiente.

286 ℞. Violare, & quidem mort. ſi concurrat grauitas materiæ, & ſuperior ſit quo ad hoc notabiliter inuitus. probatur autem reſponſio tum quia commutatio rerum eſt actus dominij, vtpote quæ validè fieri poteſt ſolum ab habente dominium, aut legitimam rei adminiſtrationem: tum quia iure poteſt ſuperior eſſe notabiliter inuitus, imò communiter præſumi poteſt, vt ipſo inconſulto religioſus diſponat de re, cuius non habet, niſi merum vſum. ita *Sanch. ſup. cap. 19. num. 67. Peyr. de R. S. q. 2. c. 2. §. 5. Laym. loco ſup. citato aliique* relati à Diana *reſol. 38.* qui tamen non minus probabilem putat eſſe contrariam ſententiam negantem abſolutè in iſto caſu peccari mort. contra votum paupertatis; ea ductus ratione, quòd in præſenti materia videtur dari paruitas materiæ excuſans à culpa mort. citat autem pro iſta ſententia *Lopez, Rodriqu. Io. de las Cruz, Ledeſmam, & Peyrinum*: qui tamen non loquitur abſolutè, ſed ſolum in caſu, quo ſuperior non ſit inuitus notabiliter. Cum *Diana* ſentit *Caramuel D. 65. num. 970.* dicens monachum poſſe ſine culpa mort. commutare, etiam cum ſæcularibus veſtes, libros, & alia ipſi ad vſum conceſſa, modò in hoc rigor iuſtitiæ plus citra conſeruetur; ſicque non peccaturum m. religioſum, qui ſæculari daret togam pro libro: at diſſentit *Cardin. de Lugo D. 3. de iuſt. num. 57.*

QVÆRES XVII. An peccet contra votum paupertatis religioſus, ſi ſine ſuperioris licentia rẽ monaſterij ad communem vſum deputatam immutet in aliam proprio vſui applicatam, ex ſyndone v. g. formando linteola.

287 ℞. Peccare, & quidem mortaliter ſi adſit grauitas materiæ. ita *Alphonſ. de Leone de offic. Confeſſ. recoll. 11. num. 211. ex Barbio*, & probatur. quia hoc eſt vti re tamquam propria, & importat actum, qui non poteſt exerceri, niſi à domino; hæc autem aduerſantur voto paupertatis, vt patet.

QVÆRES XVIII. An committat contra votũ paupertatis religioſus, qui ſuis cõſanguineis ſine licentia ſuperioris remittit quamdam ſummam pe-

cuniæ ipſi quotannis debitam ad vitam.

188 ℞. Committere, & probatur; tum quia remiſſio eſt quædam donatio c. *veniens de teſtib. & l. ſi mulier ff. de condit. cauſa data non ſecuta*; donatio autem non poteſt fieri á religioſo ſine licentia, cum nihil habeat, aut ipſi debeatur, quod non ſit monaſterij, iuxta illud: *Quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio*: tum quia obſtat Conſtit. Clementis VIII. *de largitione munerum, de qua q.* 10. prohibẽs eiuſmodi donationes. ita *Alphonſ. de Leone ſup. num.* 259. *ex Berto* hinc inferens *num.* 260. monialem, quæ fecit alteri moniali aliquod opus magni valoris, non poſſe abſque ſuperioris licentia remittere pretium illius: quod etiam docet *Barchius* ab eo relatus.

Quod ſi quæras, an regulares non obſtante voto paupertatis poſſint cedere iuri miſſarum ijs debitarum ex ſtipẽdio ante profeſſionem dato ſacerdotibus ad talem effectum.

℞. Poſſe, ſiue eas abſolutè remittendo, ſiue earum dilationem indulgendo. Ducor quod votum paupertatis religioſæ facit religioſum incapacem ſolum iuris tẽporalis verſantis circa res pretio æſtimabiles, non autem iuris ſpiritualis; cuiuſmodi eſt ius miſſarum de quo hìc agitur: ergò non obſtante eo voto poterit diſponere de tali iure; cum vi voti huius iuris incapax non ſit redditus. Vnde fit, vt, faciente religioſo talem ceſſionem, Sacerdos obligatus dicere præfatas miſſas liberetur ab onere miſſarum, & nihilominus retinere poſſit pecuniã pro earum celebratione ſolutam. Quod non procederet, ſi religioſo non cedẽte dicto iuri, ſacerdos omninò nollet celebrare miſſas: tunc enim is teneretur reſtituere pecuniam pro ijs ſolutam ei, cui bona temporalia religioſi prouenerunt; ſiue is ſit monaſterium, ſiue alia perſona.

Et hanc reſponſionem puto procedere etiam in caſu, quo poſt profeſſionem religioſi pecunia pro miſſis relictis tradẽda eſſet Sacerdori ab hærede ipſius religioſi: ſi enim is cedat dicto iuri miſſarum, Sacerdos maneret liber ab onere celebrandi illas, & tamẽ hæres teneretur ei ſoluere pecuniam pro illis debitam: quippe qui pro ſua parte debet implere onus ei impoſitum in teſtamento, & aliàs non remiſſum; religioſo interim manente libero ad cedẽdum iuri miſſarum, ſi voluerit: quod eſt poſt profeſſionem diſponere de iure ſpirituali miſſarum; nõ autem de iure temporali pecuniæ pro illis ſoluendę, vt patet.

QVÆRES XIX. An religioſus infringat votum paupertatis, ſi abſque licentia ſuperioris res ipſi ad vſum conceſſas deferat ab vno monaſterio ad aliud.

289 ℞. *Alph. de Leone n.* 208. *cum Homob. Lopez, & Io. de la Cruz* infringere; eò quod iura monaſteriorum ſint diſtincta; verùm ego cenſeo hac in re præſumi poſſe ſemper tacitam licentiam, niſi in aliquo Ordine, aut monaſterio extet in contrarium conſuetudo, aut ſtatutum obligans ad petendam talem licentiam. Quamquam religioſus in iſto caſu non ita facile iudicandus eſſet reus voti paupertatis, ſi dictam licentiam non peteret: cum dici poſſit delinquere cõtra obedientiã (& quidem ſolũ venialiter iuxta dicta *q.* 13.) tranſgrediendo conſuetudinem, aut ſtatutum fortè etiam non obligans ad vllam culpam, neque venialem: non autem contra votum paupertatis; intellige, niſi petitio illa licentiæ ſupponatur ita neceſſaria, vt ſine illa Superior nullo modo velit præfatas res deferri ab vno ad aliud monaſterium, ſicq; inuitus ſit non ſolum quo ad modum, ſed etiam quo ad ſubſtantiam.

QVÆRES XX. An, & quando peccet contra paupertatem Religioſus, qui res à Superioribus ipſi legitimè conceſſas præſenti Superiori occultat.

290 ℞. Peccare, ſi occultet credens fore vt Superior illum ſpoliet ea re, ſi non eſſet eo modo occultata; ſecus ſi occultet ne patiatur confuſionem, & verecundiam, vidente ſuperiore ea, quæ poſſidet aliàs, credens ſe non fore ſpoliandum re illa occultata, etſi pateret ſuperiori. ratio reſponſionis eſt, quod in priori caſu Religioſus vult poſſidere rem illam contra voluntatem Superioris, & exercet actum tanquam dominij independentis, ſeu iuris proprietarij repugnantem voto paupertatis, per illam occultationem impediendo, ne ſuperior rem illam alioqui legitimè poſſeſſam auferat; cum tamen religioſus non poſſit impedire liberam illam ablationem; in poſteriori autem caſu nullus interuenit actus proprietarius: cum ſic religioſus ſit paratus rem illam à ſe abdicare ad nutum ſuperioris (vt ſuppono) & per illam occultationem ſolum intendat effugere illam confuſionem, aut etiam reprehenſionem ſuperioris, eo quod rẽ illam acceperit ex ſola licẽtia probabiliter præſũpta, vel credens Prælatũ non fore inuitũ quo ad rẽ acceptã, ſed tantũ quo ad modũ: quod itẽ locũ haberet in euentu, quo per illam occultationem religioſus intenderet celare peccatum proprietatis à ſe commiſſum in re illa recipienda ſine licentia, habens tamen propoſitum rem illam dimittendi, aut certè obtinendi debitam licentiam ad habendum, vbi adfuerit opportunitas; idque non manifeſtato ſuo peccato. ita *Sanch. ſup. num.* 60. & 61. *Peyr. ſup.* §. 4. *Rodriq. to.* 3. *q.* 29. *a.* 10. alijque penes ipſos; inter quos notat *Rodriq.* non excuſari Religioſum in præſenti euentu, etſi dicat ſe paratum eſſe ad dimittendam rem à ſe celatam, quandocumq; ſuperior iuſſerit: quod eſt contra S. Bonau. in *ſpeculo an. c.* 2. *col.* 2. aſſerentem tunc ſolum celare aliquid ſuperiori habere rationem proprij, quando Religioſus in virtute obedientiæ iuſſus manifeſtare illud adhuc celat, qua de re *Io. de Lugo D.* 3. *de inſt. n.* 156.

291 Sic cenſeo non peccare contra votum paupertatis Religioſum, qui ad menſem v.g. commoraturus extra monaſterium, in proprio cubiculo artificioſo aliquo modo res ſuas occultat; non quidem quod dubitet, fore vt ſuperior illas ipſi auferret, ſi eas inueniret, ſed quia timet, ne ab alijs ſiue Religioſis, ſiue externis aliquid ei ſurripiatur; in tali enim euentu militat doctrina §. *præcedenti* relata, vt patet; in iſto tamen caſu conſultum eſt id aperire ſuperiori, aut certè rerum ſuarum cuſtodiam committere alicui Religioſo eiuſdem monaſterij. colligitur ex *Alph. de Leone numer.* 228. qui benè aduertit peccaturum contra paupertatem religioſum, qui inſcio ſuperiore rem aliquam alicui ſæculari traderet cuſtodiendam, timens ne alioqui ſupe-

ſuperior illam ab eo auferat: quod enim quis per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, ideoque ſi religioſus per ſe non poteſt res ſuas celare, neque poterit per alium; ſecùs dicendum, ſi rem illam tradat ſolum ad tutiorem cuſtodiam eo modo, quo diximus paulò ante in caſu non diſſimili.

Addit *Io. de Lugo*, ſupra non violaturum votum paupertatis religioſum, qui rem habitam de licentia Prælati ſuperioris occultat prælato inferiori; ne fortè id ipſe ægrè ferat, & curet illam ei auferri per prælatum ſuperiorem. & ratio eſt, quod prælatus inferior in tali caſu ſe habet ſicut priuatus, qui nequit reuocare facultatem ſuperioris, præter quam quod religioſus rem illam habet quo ad eam retinendam independenter à voluntate prælati inferioris, in hoc dependens ſolum à prælato ſuperiori, ſicque quamdiu rem illam non occultat prælato ſuperiori, dici non poteſt eam retinere independenter à conſenſu ſuperioris.

Quod ſi hac occaſione quæras, an religioſus peccet contra votum paupertatis ſi fungens munere Cellerarij, Procuratoris, aut Factoris (vt alij vocant) ſummam aliquam notabilem pecuniæ celet ſuperiori, vt eam ad occurrentes monaſterij neceſſitates in promptu habeat expendendam in rebus vtilibus quidem ipſi monaſterio, inuito tamen ſuperiore, qui nollet pro tunc fieri eiuſmodi expenſas, iudicans illas tunc eſſe minùs neceſſarias.

292 ℟. Peccare, ſi ſuperior ſit inuitus rationabiliter, & quidem nō ſolum quo ad modum, ſed etiam quo ad ſubſtantiam. patet, quia religioſus in tali caſu, cum ſit adminiſtrator bonorum monaſterij dependens à principali Adminiſtratore, qui eſt ſuperior, non poteſt ea adminiſtrare, niſi iuxta voluntatem ipſius ſuperioris, ſiue expreſſam, ſiue tacitam, ac interpretatiuam: &, ſi aliter ea adminiſtrat, ijs vtitur, ac ſi eſſent propria, & per conſequens quo ad hoc cenſetur proprietarius; mandatarius quippe diligenter debet obſeruare fines mandati *l. diligenter ff. mandati*. Secùs, ſi ſuperior ſit inuitus ſolum quo ad modum (quo caſu religioſus non peccabit, niſi venialiter iuxta dicta *q.9.*) aut etiam ſit inuitus irrationabiliter; tunc enim cum vtiliter gerat negotium monaſterij, dici poteſt operari ex præſumpta voluntate prælati ſuperioris; probabiliter ſibi perſuadens, quod ſi ille adeſſet, omninò vellet fieri illam expenſam, quantumuis contradiceret prælatus inferior: ſi quidem taciti, & expreſſi eadem eſt virtus *c.2. de reſcriptis*.

Dubitari hìc etiam poteſt, an religioſus peccet contra votum paupertatis, ſi officiali monaſterij celet aliquam rem notabilem ſpectantem ad eius officium; v. g. præfecto bibliotecæ aliquot libros ex communi biblioteca ad vſum temporarium receptos, ne alioqui cogatur eos reponere in ipſa bibliotheca.

293 ℟. Ad ſummum peccare v. idq; ob doctrinam traditā *q.9. §. an autem*, quæ proportionaliter procedit etiam in præſenti caſu. dixi *ad ſummum peccare v.* vt innuerem, quod ſi religioſus de re illa interrogetur ab officiali, non prout eſt officialis monaſterij, ſed pro vt eſt religioſus priuatus: tunc religioſus illam rem celando non peccaret, neque venialiter contra paupertatem; cum in tali caſu non ſe gerat tanquam Officialis, ſed velut quicumque alius priuatus, & alias religioſus vi voti paupertatis prohibeatur celare res monaſterij ſolùm Prælato, ac Officialib. ab eo deputatis; qua de re *Io. de Lugo lo ci.*

QVÆRES XXI. An faciat contra votum paupertatis religioſus, qui ex officio diſtribuens bona monaſterij, ea diſtribuit, non iuxta mentem Superioris eiuſque præſcriptum, ſed ex proprio arbitratu:

294 ℟. Facere, ideoque peccare, ſaltem venialiter ſi det plura, aut pauciora, meliora, aut deteriora, quam ſcit ſuperiorem velle qua parte enim recedit à mente ſuperioris, incurrit in vitium proprietatis, diſpenſando, ac ſi eſſet dominus, & ab alterius arbitrio non penderet: ſi quidem quod fit vltra facultatem, cenſetur fieri ſine facultate; facultate alias data impertinenter ſe habente ad illum actum, hoc ipſo quod ea ad illum non extenditur, ſiue ex intrinſeca ratione miniſterij, ſiue ex voluntate concedentis; quod innuit *S. Tho. 2. 2. q.32. a.8. ad 1.* dicens *Monachus ſi habet diſpenſationem à Prælato commiſſam, poteſt eleemoſynam facere de rebus monaſtery, ſecundum quod eſt commiſſum*; quaſi dicat eum è contra non poſſe facere vltra quod eſt ipſi commiſſum, vt obſeruat *Sua. ſup. c.15. n.9.* nobiſcum ſentiens in hac quæſtione. idem ſentiunt *Leſſ. l.2. c. 41. n.78. Sanch. ſup. n.92.* alijque communiter; & patet ex dictis, ſi monuero religioſum ex proprio arbitratu diſpenſantem bona monaſterij poſſe interdum excuſari à peccato m. ſiue ratione ignorantiæ, ac inaduertentiæ, ſiue ex bona fide, per quam puto ſæpè excuſari religioſos laicos taliter diſpenſantes) ſiue ex paruitate materiæ, quæ iuxta dicta *q.9. §. an autem* admitti poteſt, etiam in traditione rerum vſu non conſumptibilium (vt ſi religioſo amico detur veſtis melior, quam intendat ſuperior, ad faciendam illi rem gratam.) ſiue ex qualitate rerum, quæ diſpenſantur, vt ſi ſint eſculenta minùs pretioſa, ideoque ſuperior quo ad eorum diſtributionem factam contra ipſius voluntatem cenſeri poſſit inuitus ſolum quo ad modum, vti diximus *q.2. §. dices*.

QVÆRES XXII. An religioſus poſſit facere amico picturam, aut aliud opus artefactum magni valoris ſine ſuperioris licentia abſque eo quod violetur votum paupertatis.

295 ℟. Non poſſe; & probatur tum ex dictis *q. 17.* tum quia pictura illa, quæ vtique eſt pretio æſtimabilis, ſtatim acquiritur artifici, & conſequenter Conuentui. ita *Io. de Lugo num.149.* concedens tamen religioſum iſtum poſſe excuſari (ſicut de facto excuſat, alijs relatis, *Diana de paup. relig. reſol.6.*) ſi ante picturam factam ex primaria intentione fiat ad eius petitionem; non autem ſi fiat à religioſo cum intentione dandi illam amico. & ratio eſt, quod religioſus poteſt ſine licentia abſque præiudicio paupertatis inſeruire alteri, ſuamque operam ei gratis exhibere; v.g. ad tranſcribendum librum: quo caſu liber numquam eſſet in dominio ſcribentis; cum religioſus ſcribendo ſuam operam alteri præſtet, cui ſic inſeruit ſcribens eius nomine: quod religioſus videtur poſſe facere ſine licentia; ſicut, &

poteſt ſine licentia acceptare obſequium ab alio ſibi præſtitum: qua de re *Valerus de differ. vtr. fori v. munera n. 69. §. non etiam.*

Quin etiam *Caramuel D. 59. in reg. S. Bened. n* 859. putat quod ſi religioſus inſignis pictor picturam à ſe factam valentem mille florenis donet ſeculari viro contrà voluntatẽ expreſſam ſuperioris; ſi colores, & tabula pertineant ad dictum ſæcularem; religioſus non facit contra paupertatem, ſed ſolum contrà obedientiam, & quidem mortaliter pingengo notabili tempore contra Prælati voluntatem. hincque infert duos religioſos contrà prælati prohibitionem pingentes tabulam, eamq; ſæculari donantes peccare æqualiter, ſi tempus æquale inſumant: etſi tabula vnius ſit pretioſiſſima, alterius verò viliſſima. nam peccatum non conſiſtit in valore picturę, ſed in quantitate temporis inſumpti in pingendo contra voluntatem ſuperioris. ita *Caramuel* addens quod, cum monachus choriſta ex officio teneatur canere, non autem pingere; monachus autẽ laicus teneatur pro monaſterio ſeruilia exercere: ideo artefacta à religioſo choriſta non pertinent ad Conuentum, ſicque de ijs poteſt religioſus diſponere: arteſacta verò à religioſo laico ſpectant ad Conuentum, adeoque de ijs nequit talis religioſus diſponere: quam diſtinctionem non approbat *Diana p. 7. tr. 11. reſ. 17.*

An autem religioſus violet paupertatem diſponendo de ſuis manuſcriptis, ea donando ſine Prælati licentia perſonis ſæcularibus conſtat ex dictis in *tract. de profeſſ. cap. 4. ſect. 3. q. 41.*

QVÆRES XXIII. An religioſi peccent contra votum paupertatis, ſi obtenta à ſuperiore licentia acquirendi ſibi ſummam quamdam pecuniæ, illam recipit ab eo, de quo ipſi certò conſtat, quod ſuperior nullo modo dediſſet facultatem dictam ſummam recipiendi ab eo; idque ob iuſtiſſimas cauſas.

296 ℞. Peccare; & probatur, quia conceſſio talis facultatis tanquam procedens ex ignorantia eſt inuoluntaria; cum error tollat voluntarium; ideoque perinde ſe habet, ac ſi non fuiſſet data. Colligitur ex *Suar. tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 11. num.* 14. qui tamen concedit, quod ſi in petitione licentiæ taceantur circumſtantiæ, quæ difficiliorem quidem redderent conceſſionem, ſed eam abſolutè non impedirent, quantum probabiliter iudicari poteſt: id nõ obſtabit, quo minus licentia illa ſit legitima, cum omiſſio earum circumſtantiarum non pertineat ad ſubſtantiam, ſed ſolum ad modum.

Sic *Caſtrus Palaus tr. 16. D. 3. p. 11 num. 3.* admittit non peccare contrà votum paupertatis religioſum, qui habens licentiam recipiendi ſummam aliquam pecuniæ, illam acquirit negotiatione prohibita (cùm eam gratis inuenire nequeat) vel certè illam petit, & accipit; cùm ſolùm habeat licentiam recipiendi pecuniam ſpontè oblatum, & expreſsè prohibitus ſit illam petere: idque ob rationem paulò ante relatam.

QVÆRES XXIV. An peccet contra paupertatem religioſus, qui abſque prælati licentia recipit ſyngrapham campſoriam ab amico, aut cõſanguineo oblatam, animo tamen non exigendi pecuniam ex ea debitam niſi præobtenta ad id facultate ſuperioris.

297 ℞. Peccare, ſi ſyngrapham illam ita recipiat, vt eius acceptet dominum: non item, ſi illam recipiat quaſi per modum depoſiti, non intendens acquirere illius dominium niſi poſt obtentam à ſuperiore licentiam, eo modo, quo in caſu ſimili dicimus *ſect. præced. q. 23.* Ducor, quod in priori euentu religioſus ſine facultate acquirit aliquid pretio ęſtimabile, nempe ius pecuniæ debitæ ex ſyngrapha acceptataq; ius, cũ ſit facilè exigibile (vt ſuppono) non minoris valet, quam pecunia illa debita: conſtat autẽ, quod ſine violatione voti paupertatis non poteſt religioſus acquirere quidquam pretio ęſtimabile ſine licentia ſuperioris; in poſteriori verò euentu nõ acquiritur independẽter à prælato quidquam pretio æſtimabile; cum acceptio illa ſyngraphæ per modum depoſiti nullum ius trãsferat in religioſum recipientem, & ipſa commoditas habendi pecuniã, vbi obtenta fuerit facultas, quæ videtur importare aliquam æſtimabilitatem, non comparetur religioſo recipienti ſyngrapham, niſi poſt obtentam facultatem, vti etiam diximus in ſimili, citato *qu. 23. §. nec obſtat.*

Quod ſi quæras, an pecunia debita ex tali ſyngrapha poſſit paulatim exigi iuxta particulares indigentias occurrentes illi religioſo, obtenta tamen ſẽper prius facultate ſuperioris pro ſingulis vicib.

298 ℞. Poſſe, loquendo de acceptione ſyngraphę facta in poſteriori ſenſu; patetque ex eo quod *ius* exigendi pecuniam contentum in ea ſyngrapha ita eſt formaliter vnum, vt ſit virtualiter multiplex; ideoque nihil prohibet, quo minus diuidi poſſit in plures portiones ſeorſim exigibiles: ita tamen, vt religioſus eas exigens pro ſingulis vicibus, quibus petit facultatem recipiendi vnam ex dictis portionibus, non intendat acquirere ius, niſi ad illam ſolam portionem, quam tunc exacturus eſt, iure reliquarum portionum, quæ ſuperſunt, relicto penes illum, qui tradidit ſyngrapham quaſi per modum depoſiti.

An autem religioſus, qui talem ſyngrapham accepit, peccet contra paupertatem, ſi inſcio ſuperiore eam deſtruat, comburat, aut aliter alienet, eò quod v. g. ei denegetur facultas recipiendi ſummã pecuniæ, quam intendebat recipere ex illa ſyngrapha, non manifeſtando tamen Superiori, qua ratione acquiſiturus eſſet pecuniam, ad quam recipiendam petit facultatem.

299 ℞. Non peccare, ſi modo ſupra dicto eam ſyngraphã accepit ſolum per modum depoſiti, vti dictum eſt; ſecùs, ſi eam recepit intendens acquirere ius illius; tunc enim peccaret contra paupertatem, vt patet ex dictis hic in *reſp. principali.*

QVÆRES XXV. An peccet contra votum paupertatis religioſus, qui cupiens habere pecuniam paratam ad neceſſitates ſibi occurrentes, curat, vt amicus, aut conſanguineus ipſius ſe obliget ad diſtribuendam ſummam quamdam pecuniæ in pios vſus eligendos ab ipſo religioſo; idque etiam in vita ipſiuſmet amici, aut conſanguinei, & ſtipulante notario pro pauperibus, aut operibus pijs, in quorum vſus deſtinatur pecunia; cum tamen religioſus

gioſus re vera intendat quotannis per electionem ſibi ipſi applicare illam pecuniam, ſiue totam, ſiue tantum ex parte iuxta occurrentes indigētias, ſeruatis aliàs ſeruandis; nempe petita facultate curandi ſibi tantam, vel tantam ſummam pecuniæ, numquam tamen manifeſtato modo, quo vult eam curare.

300 ℞. Religioſum de rigore iuris non peccare in tali caſu contra paupertatem; patetque tum ex dictis *ſect. præcedenti q. 23.* tum ex eo quod docet *Săch. l. 7. mor. cap. 8. num. 8.* poſſe ſcilicet relinqui aliquid monacho cum facultate tempore mortis diſponendi de eo inter conſanguineos, non per teſtamentum aliquod ſolemne, ſed per electionem perſonarum, ad quas deber pertinere id, quod relictum eſt: quod eſt diſponere non tanquam teſtatorem, ſed velut electorem perſonarum; quæ doctrina ſine dubio intentum probat in præſenti caſu, ſi concedamus Religioſum non peccare contra paupertatem, applicando ſibi ſummam illam pecuniæ: facilè autem oſtenditur ex eo quod Religioſus verè eſt pauper, & venit ſub nomine operis, ſeu vſus pij; ſicque ſaluatur mens dantis illam pecuniam: præterea Religioſus habet legitimam facultatem acquirendi tantam pecuniam; & cum ea non ſit limitata quo ad modum acquirendi (vt ſuppono) non obſtat, quod in petenda licentia Superiori non manifeſtatur modus talem ſummam acquirendi; id enim parum refert, cum Religioſus ſimpliciter non teneatur id manifeſtare Superiori. Verum tamen eſt, quod ſi certo conſtaret Religioſo Superiorem non daturum eſſe facultatem comparandi illam ſummum eo modo; tunc peccaret Religioſus, eam ſibi applicando; & hoc ob doctrinam allatam q. 21. quamquā, ſi de hoc ei non conſtet, de rigore non teneatur id manifeſtare Superiori. ita docti Neoterici à me conſulti, & ſatis probabiliter: eſtò in praxi Religioſis tendentibus ad perfectionem cauendum ſit ab vſu talium doctrinarum vtpote non parum repugnantium puritati religioſæ paupertatis.

Imò *Cardin. de Lugo D. 2. de iuſt. num. 54.* ſatis clarè indicat in propoſito caſu violari votum paupertatis; dum ait Religioſum, cui committitur facultas generalis eligendi pauperes, aut nominandi pia opera, quibus alterius nomine diſtribuat pecunias, poſſe acceptare, ac exercere ſine licentia Prælati talem facultatem abſque vitio proprietatis; ſi ea facultas detur non ob commoditatem Religioſi eligentis, ſed pauperum eligendorum, prætenſo ſolùm miniſterio Religioſi ob eius fidelitatem; quod probat *Cardinalis tum loco citato, tum D. 3. num. 111.* ex hac enim doctrina videtur poſſe inferri religioſum in præſenti caſu violare votum paupertatis; cum facultatem eligendi pauperes acceptet, ac exerceat in proprium commodum, vt patet.

Dices, quid ſi ſuperior factus conſcius talis legati prohibeat Religioſo, ne ſe immiſceat tali electioni pauperum, in quos erogandum ſit legatum, peccabit ne religioſus, ſi non obſtante prohibitione, faciat eam electionem?

301 ℞. Peccaturum, non tamen contra votum paupertatis (niſi fortè modo ſupradicto ſibi ex eo legato ſummam aliquam notabilem applicaret; quo caſu vtique peccaret contra paupertatem, vtpotè acquirens ſine debita facultate) ſed contra obedientiam, venialiter tamen ſolum; præter quam in caſu, quo id prohiberetur religioſo in virtute ſanctæ obedientiæ.

302 Addo quod, quamuis ſuperior poſſit religioſo ſubdito prohibere, ne faciat illam electionem: non ideo poteſt ius illud eligendi transferre in alios, ſiue religioſum, ſiue ſæcularem, cum tale ius non cadat ſub eius poteſtatem: vnde in tali caſu puto, quod tale ius deuolueretur, prout de iure, nempe ad hæredes teſtatoris, aut certè ad Ordinarium in caſu ſupplendæ negligentiæ ipſorummet hæredum.

Quod autem aliquis ex dictis hic inferre poſſet religioſum poſſe ante profeſſionem reſeruare ſibi declarationem, aut electionem pauperum, quibus ſuus hæres dare debeat eleemoſynam; & poſt profeſſionem ſe ipſum nominare ad effectum recipiendi illam eleemoſynam: dicit *Io. de Lugo D. 3. de iuſt. num. 121.* (quidquid ſit de veritate talis illationis) ad minus in Societate non eſſe admittendum; cum facultas illa eligendi, aut nominandi ſit talis, vt nullus religioſus illam exequi poſſit ſine Prælati licentia, (vt fatetur idem *Sanchez l. 6. mor. cap. 11. nu. 34.*) & alias Prælati ſocietatis non cenſeantur dare talem licentiam, cum aduerſetur clarè Conſtitutionibus ipſius ſocietatis præſcribentibus renuntiationem debere fieri ſine vlla ſpe recuperandi. quamquam ſuſtinentes contrariam ſententiam dicere poſſent per ſupradicta non tolli, quo minus renuntiatio dici poſſit facta ſine ſpe recuperandi: cum ſic bona recuperentur ſolum ex parte, & per modum eleemoſynæ, non autem vt propria, & vi dominij ante renuntiationem religioſo competentis. præter quam quod per ea verba *ſine vlla ſpe recuperandi* principaliter indicatur renuntiationem bonorum debere eſſe omninò abſolutam (idque vt renuntians firmius & ſtabilius perſeueret in ſua vocatione, ſicut dicitur *c. 4. examinus* §. 2.) idque vtique non tollitur admiſſa illatione ſupradicta.

QVÆRES XXVI. An delinquat contra paupertatem religioſus, qui indigens aliquibus libris, curat eos emi ab aliquo amico, ſibique tradi ad vſum, quo ad voluerit, manente eorum dominio penes ipſum amicum: idque vt ijs liberè vti poſſit, eos ſecum deferendo de monaſterio in monaſterium, & vbi ijs amplius non indiguerit, reddere poſſit amico tanquam domino, ſicque non cogatur eos incorporare bibliothecæ communi monaſterij.

303 ℞. Non delinquere, ſi tales libros recipiat ad vſum cum licentia Superioris; ſecus ſi recipiat abſque licentia. ita *Sanch. l. 7. mor. cap. 19. num. 49.* in terminis; patetque quia in priori caſu religioſus nihil ſibi vſurpat tăquam proprium, ſed ſolum vſum, eoque petitur cum debita licentia: in poſteriori autem caſu religioſus ſibi abſque licentia vſurpat vſum librorum, qui eſt pecunia æſtimabilis; adeoque peccat contra paupertatem, ſin minus mortaliter ob dicta *q. 9. §. an autem*, ſaltem venialiter ob paruitatem, materiæ: Quamquam ſi contingat religioſum ſine licentia ſuperioris modo dicto recipere ad vſum perpetuum aliquot libros magni valoris

loris, non video, quo pacto excuſari poſſit à culpa mortal. cum vſus talium librorum in his circunſtantijs iudicio prudentis videatur importare grauitatem materiæ, & conſequenter ſufficere ad inducendam malitiam mortalem. cum *Sanchez* ſentit *Io: de Lugo nu. 148. & Caſtr. Pal. tr. 16. D. 3. p. 21. num. 4.*

Cæterum, ſi quæras, an Prælatus in tali caſu poſſit cogere religioſum ad tradendum vſum talium librorum alteri religioſo.

304 ℞. Poſſe ſolum reuocare quocunque temporis momento licentiam detinendi eos apud ſe, vel eis vti, quandiu Religioſus intendit illos detinere apud ſe: aliàs talis vſus eſſet proprietarius, vt pote independens à Superiore, & per conſequens repugnat voto paupertatis; ſecùs, ſi ille Religioſus eligat non amplius vti dictis libris, ſicque velit eos reddere vero domino: cum enim de licentia Superioris acceptauerit vſum illorum librorum, non abſolutè, ſed quo ad voluerit; & dominus eos tradiderit cum tali limitatione; hòc ipsò quod ipſe eligit non ampliùs vti illi (ſicut poteſt quandocumque voluerit) poteſt reddere illos vero domino, nec videtur poſſe impediri à Superiore: qui tamen de facto impediret, ſi vſum talium librorum traderet alteri Religioſo, etiam contra voluntatem alterius Religioſi.

305 Concedo tamen, quod ſi vſus dictorum librorũ ad certum tempus (v. g. ad 3. annos) fuiſſet conceſſus illi Religioſo; tunc poſſet Superior illum vſũ applicare alteri Religioſo intra illud tempus: niſi aliter conſtaret de voluntate concedentis dictum vſum. moueor, quod talis vſus eſt pretio æſtimabilis, & hoc ipsò quod acquiritur religioſo, acquiritur monaſterio, ſicque cadit ſub adminiſtrationem Superioris: ergò & de eo poterit diſpònere, quandiu manet ſub poteſtate religioſi ſubditi: ergò, & poterit illum applicare alteri; dummodo id nõ cedat in præiudicium illius, qui conceſſit talem vſum ſic limitatum ad talem perſonam.

Quod ſi hac occaſione quæras, an peccet contra paupertatem religioſus, qui habens libros, aut alias res ſimiles ad vſum proprium conceſſas, ijs re vera non indiget, neque ijs vtitur, & tamen non vult ea commodare alijs religioſis monaſterii indigentibus, ac petentibus.

306 ℞. Peccare, & quidem mortal. ſi materia iudicio prudentis ſit grauis, & interueniat iuſſio Superioris id præcipientis, cum ſic vſus talium rerum ſit proprietarius, & religioſus in dictarum rerum diſpoſitione ſe gerat vt dominus; quod vtique eſt contra paupertatem. Secus, ſi non adſit iuſſio Superioris: tunc quippe religioſus recuſans commodate peccaret contra charitatem: non tamen regulariter loquendo. ita *Alph. de Leone ſup. num.* 227. negans religioſum peccaturum contra charitatem, ſi renueret commodare alijs ſuis Correligioſis ſua manuſcripta proprijs ſtudijs, ac laboribus confecta idque etiam in caſu, quo Superior ſuum interponeret præceptum, nõ enim videtur Superior id poſſe præcipere, etſi religioſus ſubditus vouerit parere in omnibus, quæ non ſint manifeſtè peccatum: hoc enim intelligendum de rebus tum licitis, tum honeſtis: qualis non videtur eſſe, quod Concionator, aut lector ſe priuent ſuis manuſcriptis.

Idque puto procedere, etiam quo ad aliena manuſcripta aliàs conceſſa religioſo: quippe quæ eodem iure cenſentur, & à quocumque religioſo liberè ſolent deſerri, Prælatis ſcientibus, & non diſſentientibus: quod non euenit de libris impreſſis, ad quos deferendos in religionibus obſeruantioribus requiri ſolet Superioris licentia, etſi ab ipſo deferente fuerint empti, aut ei donati ab amicis.

Maius dubium eſt an faciat contra votum Paupertatis religioſus, qui pecuniam oblatam ab amico externè indicat ſe acceptare, cùm animo verè intendat non acceptarè, eamque largitur tertiæ perſonæ tanquam nomine amici illam dantis, qui tamen amicus putat illam pecuniam à religioſo fuiſſe captata.

℞. Videri non facere contra votum paupertatis: & probatur ex doctrina, quam in ſimili tradit, *Sanch. l. 7. mor. c. 30. nu.* 4. videlicet religioſum per votum paupertatis nil aliud vouere quam oppoſitum eius, quod cernimus in ijs, qui ſunt domini, aut proprietarij: religioſus verò in hoc caſu nõ accipit pecuniam tanquam propriam: nec tanquam dominus, ſed vt nomine alieno, nempe amici dantis, det illi tertio; ſicque non apparet, cur dici debeat violare votum paupertatis; cum non exerceat vllum actum dominij, vt patet: nec obſtat, quod amicus dans pecuniam religioſo credit eam ab illo fuiſſe acceptatam; ſi enim, non obſtante hac falſa apprehenſione, adhuc eſt ita affectus erga religioſum, vt ſi ſciret hunc verè non acceptaſſe pecuniam, vt poſſet eam dare illi tertio, imo eam illi dediſſe nomine ipſius amici, totum, hoc vltro approbaſſet, & ratihaberet: interpretatiuè cenſetur conſenſiſſe in illam dationem, quæ proinde dici poteſt facta nomine ipſius, adeoque non facit religioſum proprietarium. Secùs dicendum, ſi religioſus tanquam nomine proprio det: ſic enim conuincitur acceptaſſe pecuniam in actu (vt ita loquar) exercito; cum nemo liberè poſſit diſponere de re aliena.

QVÆRES XXVII. An, & quando violet votum paupertatis religioſus, qui ſibi applicat eleemoſynam a ſe petitam pro pauperibus.

307 ℞. Violare, ſi id faciat ſine licentia Superioris; & hoc, ſiue illa eleemoſyna petita ſit pauperi alicui determinato ex licentia Ordinarij, aut etiam ſine talis licentia, ſed expreſſò nomine pauperis, vel ſpeciali illius indigentia (in quibus caſibus religioſus peccaret etiam peccato furti) ſiue petita ſit pauperibus in genere (in quo euentu peccaret religioſus peccato contra paupertatem, ſed non peccato furti, vt infra oſtendemus). ita *Fagund. l. 7. in decal. cap. 7. nu.* 11. patetque ex eo quod, cum religioſus vi voti paupertatis prohibeatur acquirere quidquid eſt pretio æſtimabile, independenter à Superiore, & in caſibus propoſitis de facto ſine Prælati licentia acquirat aliquid pretio æſtimabile: non poteſt non eſſe reus voti paupertatis, dicique debet peccare contra ipſum.

308 Et quidem religioſus peccat peccato furti applicando ſibi eleemoſynam petitam alicui certo pau-

pauperi ex licentia Ordinarij, vel, ſi ſine tali licentia expreſſo nomine pauperis, aut peculiari eius indigentia; conſtat, quia in priori euentu hoc ipsò quod de licentia Ordinarij petita eſt eleemoſyna certo pauperi, illo etiam inſcio acquiſiuit pauper ius irreuocabile ad illam: ſtante quod Ordinarius ex *C. Trident. ſeſſ. 22. cap. 8. & 9. de reformat.* & *ſeſſ. 23. cap. 1. ibid.* & *cap. 3. de teſtam.* habet curam pauperum, & locorum piorum, adeoque eſt legitima perſona ad acceptandam illam eleemoſynam pro pauperibus, eamque cenſetur acceptare, quando dat facultatem illam petendi; ſicut, quando ſine tali licentia ad inſtantiam pauperis petita eſt eleemoſyna, ea cenſentur acceptata nomine ipſius pauperis, ſicq; alteri donari nequit; in poſteriori autem euentu, cum propoſita indigentia fuerit cauſa principalis dandi eleemoſynam, & dans intenderit illam erogare pauperi eiuſmodi indigentiam patienti, non poteſt alteri applicari abſque conſenſu tacito, aut expreſſo ipſiuſmet largientis: ſicut bene notauit idem *Fagund. nu. 13.* ex *Sanch. ſup. cap. 30. nu. 11.* monens de licentia largientis poſſe eleemoſynam illam applicari alteri: vt pote ad quam pauper nullum adhuc acquiſiuit ius, cum, petens, & recipiens nullam in iure poteſtatem habeat acceptandi pro paupere, ſicque donatio illa reuocari poſſit à donante: quod tamen negat *Mol. tom. 2. D. 263. num. 18.*

309 Quod verò Religioſus in caſu propoſito non peccet peccato furti, ſi ſibi applicet eleemoſynam ab ipſo petitam pauperibus in genere: & quidem, etiam, ſi tunc non haberet animum illam ſibi retinendi; docet *Sanch. nu. 6. ex Nau.* & conſtat, quia donator, cum nulla ſpeciali cauſa ductus fuerit ad dandam eleemoſynam, præter quam à communi ratione paupertatis, non cenſetur eam præcisè dediſſe, vt eſſet illius determinati pauperis, quem petens intendit; & ſic præſumitur conſentire, vt Religioſus, qui illam petijt, ſibi tanquam verè pauperi illam applicare poſſit. Imò addit *Fagund. nu. 11.* quod ſi Religioſus cum licentia Superioris modo ſup. dicto ſibi applicet eleemoſynam illam; nõ poteſt amplius eam dare pauperibus, niſi de noua licentia Superioris; quippeque hòc ipsò quod ille eam ſibi applicuit, acquiſita eſt monaſterio.

310 Dixi, *& quidem etiam ſi tunc non haberet animum illam ſibi retinendi*. talis enim intentio; vt pote interiùs latitans, nullum cum dante iniri pactum effecit, nec ius aliquod pauperibus ſe excluſo, acquiri, inquit *Sanch. ſup.* & cum eo *Fagund. nu. 11.* citans pro ſe *Nauarrum*, & *Rodriquez*.

At difficultas eſt, an Religioſus peccet contra votum paupertatis, ſi, caſu, quo ex conſenſu dantis reuocari poſſit eleemoſyna aliqua, vt pote nondum legitimè acceptata à parte, ad idque requiratur conſenſus religioſi qui illam recepit ad effectum eam diſtribuendi: an, inquam, peccet religioſus, ſi abſque Superioris licentia conſentiat dictæ reuocationi.

311 ℞. Non peccare, ſiue illa eleemoſyna tradita ſit pauperi determinato (quo caſu ad eam reuocandam non eſt opus vllo conſenſu religioſi recipientis; cum is in tali euentu ſe habeat inſtar meri organi, per quod eleemoſyna tranſit, ſicque nullam habeat illius adminiſtrationem); ſiue eleemoſyna erogata ſit pauperibus in communi, aut pluribus: aut detentis in carcere (quo modo diſtributio aliqua committitur arbitrio religioſi recipientis, vt pote qui aliquos ex illis eligere poſſet, vel quibuſdam ampliùs, & alijs parcius elargiri, ac proinde ad faciendam dictam reuocationem requiritur conſenſus illius; quippequi acquiſiuit ius talis diſtributionis, eoque non poteſt inuitus priuari): ſic enim religioſus conſentiens illi reuocationi nihil ſibi proprium efficit, neque cedit iuri aliqui acquiſito ipſi monaſterio, cum ius illud diſtributionis nõ ſit reale, ſed perſonale; vti etiam eſt munus executoris teſtamenti, teſte *Sanch. l. 6. mor. capitul. 11. num. 21.*

Quin nec contra paupertatem peccaret religioſus, qui alteri pauperi applicaret eleemoſynam in caſibus, in quibus diximus eam non poſſe applicari; ſic quippe nihil ſibi acquirit, nec aliquod monaſterio acquiſitum detrahit, ſed ſolum contra domini voluntatem rem alienam diſtribuit: quod habet ſolùm malitiam furti. ita *Sanch. l. 7. mor. c. 30. num. 13.*

Illud item benè notat *Sanch. num. 12.* quod diximus religioſum petentem eleemoſynam pauperibus in communi (& quidem motu proprio, & ſine licentia Ordinarij) poſſe eam applicare vel ſibi, vel alteri; locum habere etiam in caſu, quo religioſus eleemoſynam petat alicui certo pauperi, ſed eius nomine non expreſſo, nulla eius ſpeciali indigentia explicata, motu proprio, & ſine licentia Ordinarij; idque ob rationem allatam ſuperiùs §. *quod verò Religioſus*, quæ pariter militat in præſenti caſu.

QVÆRES XXVIII. An religioſus peccet contra paupertatem, ſi facta prohibitione generali, quod nullus detineat penes ſe pecuniam, aut certum aliud genus rerum; ſimilia occultè apud ſe retineat, aliàs tamen habens ea cum legitima licentia, eaque detinens in proprio cubiculo, ita vt ſatis facilè poſſint inueniri a Superiore: interim animo paratus omnia illa à ſe abdicare, Superiore ita præcipiente.

312 ℞. Regulariter nõ videri peccare contra paupertatem, ſed potius contra obedientiam; niſi fortè ei conſtet Superiorem quo ad talem detentionẽ illarum rerum eſſe omnino inuitum: quo caſu puto, religioſum in caſu propoſito peccare etiam contra paupertatem in ea retentione; cum ſe gerat tanquam dominum, & conſequenter habeat vſum proprietarium illarum rerũ: quod vtique repugnat voto paupertatis. Et certè quod religioſus in caſu poſito regulariter non peccet contra paupertatem, inde ſuadetur; quod communiter Superior non cenſetur circa illam retentionem inuitus quo ad ſubſtantiam, ſed ſolum quo ad modum, ideoque vſus rerum, quæ eo modo detinentur, non cenſetur ſimpliciter proprietarius, vt patet.

Dices, quid ſi Superior in caſu propoſito ſit verè inuitus quo ad ſubſtantiam, & ſimpliciter velit res illas tradi communi depoſitario monaſterij: peccabit ne religioſus cõtra paupertatem, ſi quam

rem

rem contra præfatā prohibitionē apud ſe detineat, eo quod certa doctus experientia nouit ſe de facto non prouiſum iri, quando ijs indiguerit; cum tamen non raro ſimiles caſus indigentiæ ſoleant ei euenire, & re vera ſint euenturi.

℟. Religioſum neque in iſto caſu peccare contra paupertatem: quippequi, attentis præſentibus circumſtantijs cenſetur operari de licentia Prælati ſuperioris, ſi prohibitio illa facta ſit ab inferiori: vel certè de iure naturali dictante vnicuique licitum eſſe ſibi prouidere in neceſſarijs; quod ius naturæ ſine dubio præualet cuicumque iuri humano; quā-quam, cum facilè poſſit Religioſus in eiuſmodi rebus decipi, falsò apprehendendo aliqua eſſe neceſſaria, quæ verè non ſunt: valdè cauendum eſt, ne nimis facilè præſens doctrina in praxim trahatur, ita docti recentiores à me conſulti.

QVÆRES XXVIIII. An peccet contra paupertatem Religioſus, qui exercens officium procuratoris v.g. facit notabiles aliquas expenſas in bonum monaſterij; idque ſine licentia Superioris immediati, imò & contra eius voluntatem.

313 ℟. Peccare, ſi Superior iuſtis de cauſis ſit rationabiliter inuitus, & quidem non ſolum quo ad modum, ſed etiam quo ad ſubſtantiam; non item, ſi ſit irrationabiliter inuitus, aut certè ſolum quo ad modum; idque ob rationem allegatam *q. 20. §. quod ſi hac occaſione.*

QVÆRES XXX. An committat contra votum paupertatis Religioſus, qui habens ex peculeo ſibi conceſſo neceſſaria ad veſtitum, recipit pecuniam à Superiore dari ſolitam pro veſtiario, illamque expendit in vſibus minus neceſſarijs.

314 ℟. Non peccare; ſi expendat cum debita licentia, & vſus illi ſint liciti, ac honeſti; ducor, quod recipiens illam pecuniam vtitur iure ſuo: qui autem vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam: præſertim cum illam pecuniam det Superior conſcios peculij ipſi conceſſi (vt ſuppono); vnde non poteſt præſumi, quod inuoluntariè det pecuniam; ſi autem Superior eam dat voluntariè, cur eam non poterit recipere Religioſus ſubditus?

QVÆRES XXXI. An habens licentiam generalem dandi, & accipiendi poſſit vi talis licentiæ etiam emere aliqua, aut vendere.

315 ℟. *Io: de Lugo ſup. num.* 159. videri poſſe, regulariter loquendo; & probat quia qui aliquid abſolutè facere permittitur, a fortiori conceditur, vt poſſit illud facere cum limitatione, aut conditione, niſi obſtet peculiaris aliqua ratio: vendere autem nihil aliud eſt, niſi dare rem, non ſimpliciter, ſed ſub conditione ſoluendi pretij; ſicut ergo poſſes vi præfatæ facultatis dare ſub alia conditione id, quod potes dare abſolutè; ſic & poteris dare ſub conditione pretij ſoluendi, aut compenſationis reddendæ, præter quam quod totum id, ad quod requiritur licentia in dando, & accipiendo, eſt translatio, & acquiſitio dominij, aut rei, in ordine ad quam Religioſus dependet à voluntate Prælati: quod autem emptio, aut venditio addit peculiare, non videtur egere noua licentia; ſi enim oblatum eſt impedimentum abdicandi dominium pretij, & acquirendi dominium rei, votum paupertatis non poteſt obſtare ad quidquam aliud, quod reperiatur in talibus contractibus: porro totum illud impedimentum ſublatum videtur per licentiam dandi, & accipiendi; ac proinde quod additur ſupra ſimplicem dationem, & acceptionem non petit nouam licentiam: vt vel hinc patet, quod Eccleſia habens licentiam donandi aliquid, vtique, & illud poteſt vendere; &, ſi poteſt dare pro vili, aut nullo pretio, poterit, & dare pro iuſto, aut maiori pretio. ſic *Io: de Lugo*, monens tamen doctrinam hanc non procedere quo ad emptionem, ac venditionem quæ eſſet negotiatio, aut haberet ſpeciem negotiationis; imo nec in caſu, quo alicui ſpecialiter detur licentia diſtribuendi imagines, roſaria, aut aliquid ſimile: ſiquidem in iſtis caſibus apparet indecentia, ob quam Superior merito negaret facultatem vendendi, quæ in ſimplici datione non reperitur.

Addit *Io: de Lugo num.* 160. doctrinam à ſe traditam debere intelligi de eo, qui habeat facultatem & dandi, & accipiendi; qui enim ſolum haberet facultatem dandi, non poſſet vendere; cum venditio contineat etiam acceptionem, & acquiſitionem pretij, quæ non eſt datio: è contra qui ſolum haberet facultatem accipiendi, non poſſet emere; cum emptio contineat ſolutionem pretij, quæ nullo modo eſt acceptio.

QVÆRES XXXII. An grauiter peccet contra votum paupertatis qui ex alterius cubiculo accipit manuſcripta cōcionum, aut alterius generis, eaque ſibi tranſcribit, vel certè reliquias Sanctorum recipit ſine licentia.

316 ℟. Peccare quo ad manuſcripta; quippe quorum vſus eſt pretio æſtimabilis ob ſingularitatem, quæ addit magnam æſtimationem: quare interdū non deeſſet, qui vſum illum, & facultatem tranſcribendi pretio fortaſſe 200. aut 300. aureorum emeret. ita *Io: de Lugo num.* 154. & *Bartholom. à S. Fauſto l. 6. theſauri q.* 118. addens non eſſe proprietarium illum, qui Sanctorum reliquias recipit ſine licentia; quippe quæ etſi ſint magnæ æſtimationis, non ſunt tamen pretio æſtimabiles, adeoque non ſpectant ad obiectum voti paupertatis religioſæ.

QVÆRES XXXIII. An vitium proprietatis incurrat religioſus, qui cum ex regula proprij Ordinis prohibeatur tangere, ac contrectare pecuniam, illam nihilominus tangit, ac contrectat.

317 ℟. *Bartholomæus à S. Fauſto l. 8. theſauri q.* 122. incurrere, ſi contrectet contrectatione, ac vſu politico, quo pecunia detinetur, aut capitur tanquā pretium rerum; non item, ſi eam contrectet veluti rem naturalem, eam vt deferat ad Syndicum, qui illam diſtribuat pro neceſſitatibus monaſterij, quo modo videtur explicanda prohibitio quo ad hoc facta Fratribus Minoribus de Obſeruantia *capit. 4. regulæ* his verbis, *Præcipio firmiter Fratribus omnibus vniuerſis, vt nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per ſe, vel per interpoſitam perſonam.* ita *Bartholomæus*; ſed aſſertionem minùs efficaciter probat: videtur autem poſſe probari ex eo quod tunc vitiū proprietatis incurritur, quando Religioſus acquirit

rit

rit aliquid pretio æſtimabile abſque debita facultate ſuperioris, id autem euenit in caſu noſtro; cum regula prohibeat contrectationem illam pecuniæ, & alias religioſus in caſu propoſito non diſpenſetur legitimè ſuper ea regula, vt ſuppono.

Similem prohibitionem habent Fratres S. Auguſtini Diſcalceati, & quidem ſub pæna excommunicationis latæ ſententiæ: vt habetur in eorum *Conſtitutionibus p. 1. cap. 7.* his verbis: *Præcipimus, & ordinamus, quod nullus Fratrum non ſolum pecunias apud ſe retinere, ſed nec etiam tangere quouis prætextu præſumant ſub pæna grauiori, & excommunicationis latæ ſententiæ. Commiſſi autem, aut Tertiarij eas tangere poterunt, & de licentia ſuperioris expendere; quibus in itinere idem ſub eadem pæna prohibetur.* Intellige iuxtà declarationem factam in generali Capitulo anno 1628. niſi habeant à ſuperiore licentiam ſecum deferendi pecuniam: nam cum tali licentia eam ſecum deferre, & tangere poſſunt; dummodo eam expendere non valeant, niſi ad ſolam Conuentus vtilitatem: idque ſub pæna Conſtitutionum Ordinis ſuperiùs relata.

Circa cuius ſtatuti intelligentiam notandum eſt in eo ex communi Ordinis ſenſu eſſe ſermonem de contactu pecuniæ phyſico, ac materiali, non autem ſolùm de ficto, ac morali: præſertim cum verſemur in materia pœnali, in qua ſtricta interpretatio facienda eſt: & alias ſtatuti conditores, ſi aliud intendiſſent, id claris verbis expreſſiſſent. Puto tamen dari in violatione talis ſtatuti paruitatem materiæ excuſantem à peccato m. & conſequenter ab excommunicatione: idque tam quo ad tempus (vt ſi retentio pecuniæ non excedat biduum:) & hoc iuxta doctrinam *Sanch. l. 2. mor. cap. 10. num. 55.* ſuſtinentis ex *Sayro* retinentem apud ſe librum prohibitum per vnam, aut alteram diem data commoda occaſione illum deferendi ad Inquiſitorem, excuſari; ſicut etiam in reſtitutione rei alienæ, quæ ſtrictiori iure naturæ obligat, reputatur modica retentio excuſans.

Addo Religioſum in caſu hìc propoſito tangentem pecuniam dici poſſe proprietarium iuris poſitiui; quo modo Doctores dicunt dari ſimoniam iuris poſitiui. & ratio eſt, quia ex motiuo, quod habuit legislator in condenda aliqua lege, colligi debet, contra quam virtutem ſit violatio talis legis: ſtatutum autem, de quo hìc, emanauit ex motiuo cauendi omne periculum contra religioſam paupertatem: ſicque violatio dicti ſtatuti ſpectabit ad vitium proprietatis. puto tamen quod ſicut ſimonia iuris poſitiui non comprehenditur ſub pœnis, ac obligatione reſtitutionis impoſitis contra ſimoniam, vt tradit *Diana p. 4. tract. 3. reſol. 157. & 167.* ſic nec proprietas hæc iuris poſitiui continebitur ſub reſeruatione proprietatis ſimpliciter facta.

At difficultas eſt an præſatum ſtatutum violetur à Religioſo Ordinis, ſi pecuniam tangat non immediatè; ſed mediatè, inuolutam ſcilicet in papyro, aut ſudariolo; vel in longiori itinere eam ſecum deferat intra hippoperam in qua item repoſitas habet ſuas ſarcinulas, vt manuſcripta &c. idque vt paratam habeat pecuniam ad expenſas ordinarias itineris, extrahendam tamen non à religioſo, ſed ab aliquo extraneo.

℞. Secluſo vſu illius Ordinis in contrarium legitimè inducto, ſtatutum violari in vtroque caſu: in priori quidem eo quod fraus, & dolus nemini debent patrocinari *ff. de dolo l. 1. & l. ex dolo C. de leg.* fraus autem interuenit in caſu propoſito, cum finis prohitionis, ne tangatur pecunia, æque procedat de contactu mediato, ac immediato, vt conſideranti patebit, ſicque procedat regula iuris, *Vbi militat eadem ratio, militat, & eadem iuris diſpoſitio:* nec obſtat, quod prohibitus tangere res ſacras in earum reuerentiam, poteſt eas tangere mediatè, videlicet adhibito velo, aut chirotheca: cum ſic ſaluetur finis prohibitionis, qui non ſaluatur in caſu præſenti. In poſteriori autem caſu violatur ſtatutum, eo quod retinere pecuniam in hippopera, ſtando in propria verborum ſignificatione, verè eſt retinere pecuniam apud ſe; cum res penes me eſſe dicatur, quæ in domo mea eſt *l. Titia cum teſtamento §. Caius ff. de legat.* 2. Quamuis docti aliqui recentiores putent Religioſum in hoc poſteriori caſu excuſari ratione neceſſitatis; quatenus in itinere non pedeſtri adeſt neceſſitas expendendi, & attenta praua conditione nautarum, cauponum &c. per illam cautelam minus ſufficienter conſulitur incõmodis ex obſeruatione dicti ſtatuti prouenientibus, ſed cum grauioribus incommodis, fraudum ſcilicet, iurgiorum, &c. neceſſitas autem non habet legem *l. vn. ff. de offic. conſu. & cap. ſicut non alij de conſecr. diſt. 1.* quare hi Recentiores putant hunc caſum excipi à præſato ſtatuto: extra hunc verò ſeruari debere.

QVÆRES XXXIV. An violet votum paupertatis Religioſus, qui ſine licentia Superioris diſponit de ſuis manuſcriptis, ſiue in vita, ſiue in morte ea donando alteri, etiam extraneo.

318 ℞. Videri non violare, data doctrina *Valeri in different. vtr. iuris verb. munera numero 106. & verb. regula difficultation. octaua numero 2.* quam adducit *Diana par. 1. tra. 6. reſol. 25.* & non improbat, libros ſcilicet manuſcriptos ſemper eſſe religioſi, eoſque ſecum poſſe illum ſemper deferre, quocumque vadat, etiamſi tranſeat ad aliam religionem; idque nulla petita licentia, nulloque eorũ relicto exemplo in ordine: quæ doctrina probabilẽ facit præſentem reſponſionem; cum non ſit maior ratio, cur religioſus liberè poſſit ſecum deferre propria manuſcripta quocumque vadit, etiamſi ad alium Ordinem ſe transferat, & non poſſit ea donare cuicumque maluerit modo ſupradicto. Ad quod item facit Clementem VIII. teſte *Coriolano tr. de caſ. reſeru. p. 2. caſu 16. n. 19.* declaraſſe ſine contrauentione ſuæ Conſtitutionis *de largit. mun.* poſſe religioſos inter ſe donare ſibi propria manuſcripta; fortè quia hæc ex natura ſua non ſunt pretio æſtimabilia, adeoque non cadunt ſub materiam voti paupertatis religioſæ. idque puto procedere, ſiue religioſus ea manuſcripta concinnatit intra religionem, ſiue in ſæculo ante ingreſſum religionis: ſiue ea ab alio confecta ſint, eique donata fuerint: in his enim omnibus caſibus militant rationes adductæ; ideoque *Valerus, & Diana ſupra* relati cautè

dicunt

dicunt indefinitè libros manuſcriptos ſemper eſſe religioſi, abſtrahendo quod ſint ſui, ideſt ab eo confecti, vel non.

QVÆRES XXXV. An religioſus violet votum paupertatis, ſi de licentia ſuperioris det alteri religioſo non habenti licentiam accipiendi, ſicque cooperetur iniquæ eius acceptioni.

319 ℞. *Cardin. de Lugo D. 2. de iuſt. num. 163.* non violare; cum votum paupertatis ſolùm obliget religioſum vouentem, vt ipſe ſit pauper, non autem vt procuret, quod alij religioſi ſint pauperes. Ex quo fit, vt quamuis religioſus in tali caſu poſſit contrahere malitiam ſcandali, quatenus cooperatur peccato alterius contra ſuum votum; non tamen dici poſſit peccare contra ſuum votum paupertatis; ſicque in confeſſione præfati ſcandali non teneatur explicare ſe paupertatis votum habere. diſſentit *Sanch. lib. 7. mor. cap. 19. num. 71.* aliàs docens *l. 5. mor. c. 6. n. 10.* habentem votum caſtitatis non peccare contra ſuum votum, quando eſt cauſa, quod aliquis cum alia fornicetur: cum votum caſtitatis obliget vouentem, vt ipſe ſit caſtus, non vt alij ſint caſti; vt proinde minùs conſequenter procedere videatur *Sanchez*.

SVBSECTIO III.

De Obligatione reſtituendi, quæ prouenit ex Violatione voti Paupertatis religioſæ.

320 *Ex violatione religioſæ Paupertatis oritur obligatio reſtituendi; idque tum iure naturali, tum poſitiuo diuino.*

321 *Nec talis obligatio tollitur ex eo quod Religioſus nihil habet proprij: quod tamen alij limitant.*

322 *Non vrget, ſi ad vſus illicitos expendatur pecunia proprio arbitrio Religioſi permiſſa: quod tamen alij negant.*

323 *Non vrget quo ad minima comeſtibilia ſurrepta ex bonis monaſterij, etſi perueniant ad quantitatem notabilem.*

324 *Item non vrget in caſu, quo Superior ſit inuitus ſolum quò ad modum, non autem quo ad ſubſtantiam.*

325 *Neque quo ad alienata bona fide: & quidem nec ſub veniali.*

326 *Vrget quo ad expenſa in illicitis, cum eſſent conceſſa ad vſus licitos; ſed non ſemper.*

327 *Item, ſi ex culpa lata Officialis bona Conuentus pereant.*

328 *Religioſus dans alteri indebitè, etſi poſſit ex ſe reſtituere, debet monere accipientem, vt accepta reddat.*

329 *Obligatio reſtituendi ceßat ex rationabili remiſſione Prælati; quod interdum licitè præſtari poteſt.*

330 *Impletur curando, vt detur Conuentui titulo reſtitutionis, quod aliàs ei datum fuiſſet liberaliter.*

331 *Item, ſi reddatur illud modicum, quod facit furtum mortale.*

332 *Item, ſi obligatus reſtituere, immemor obligationis tantundem tribuat liberaliter.*

333 *Si quidem, quando dedit liberaliter, tenebatur reſtituere.*

334 *Non impletur faciendo pro Conuentu expenſas ſuperfluas, eo interim indigente neceſſarijs.*

335 *Etſi ſic reſtituens, poſt factum excuſetur à noua reſtitutione.*

336 *Ceſſat obligatio reſtituendi, ſi quantum dat Religioſus indebitè, tantundem recipit ab eo, cui dedit, & illud retinet.*

337 *Non ſemper tenetur reſtituere Religioſus, qui dat alteri Religioſo eiuſdem monaſterij.*

338 *Non tenetur, ſi ad vſus licitos expendat cum licentia indebite data à Superiore.*

339 *Obligatus reſtituere non parat pecuniam ad hunc finem ſine licentia.*

340 *Ceſſat obligatio reſtituendi, ſi indebitè accepta reddantur danti.*

341 *Secus, ſi dans abuſurus eſt re ipſi reſtituta.*

342 *Reſtitutio facienda monaſterio, in quo tunc degit Religioſus: non item ſi tranſiuit religioſus ad alium ordinem.*

343 *Idq; etſi dicatur monachus acquirere monaſterio quidquid acquirit.*

344 *Accepta indebitè à Religioſo debent reddi Domino, ſi Prælatus nolit eorum acceptionem ratam habere.*

345 *Quod ſi inſumpta ſunt à Religioſo, non poteſt is ex ſuo peculio reſtituere Domino ſine licentia Prælati.*

346 *Recipiens à Religioſo ad vſus illicitos iuxta aliquos non tenetur reſtituere: ſi Religioſus habebat licentiam expendendi, & dandi pro ſuo arbitrio: quæ licentia eſt valida, imò, & licita, ſi detur in genere.*

QVÆRES I. Ex quo iure conſurgat talis obligatio.

320 ℞. Conſurgere tum ex iure naturali, vt innuit *Leſſ. l. 2. c. 14. nu. 36.* tum ex iure poſitiuo diuino, pro vt conſtat ex varijs locis ſcripturæ adductis à *Fillucio tr. 32. n. 12.* & maximè ex *Rom. 13. reddite omnibus debita*. Et quidem quod conſurgat ex iure etiam naturali, ſuadetur, quia lumen naturale dictat faciendum eſſe alteri, quod volumus nobis ipſis fieri; vnuſquiſque autem vult ſibi reddi id, quod iniuſtè ex proprijs bonis ablatum eſt: vnde reſtitutio communiter ex *S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2.* definitur eſſe actus iuſtitiæ commutatiuæ, per quem alteri redditur ad æqualitatem, quod iniuſtè ab eo ablatum eſt. colligitur ex *Alph. de Leone de offic. Confeſſ. recollect. 26. num. 44.*

QVÆRES II. Quo modo Religioſus poſſit ex violatione voti paupertatis obligari ad reſtitutionem, cum reſtitutio fieri debeat ex proprio, & Religioſus nihil proprij habeat, vt pote acquirens monaſterio quidquid acquirit.

321 ℞. Poſſe obligari ex eo quod, cum non poſſit eximi ab onere reſtituendi, niſi ratione impotentiæ (quatenus ſcilicet nihil habet proprij, ex quo reſti-

reſtituat) eatenus excuſatur, quatenus per talem impotentiam impeditur; vnde cum religioſus, non obſtante voto paupertatis de licentia Superioris libere poſſit aliquos redditus, vel aliquam ſupellectilem, & vſum talium rerum à ſe abdicare, qui eſt pretio æſtimabilis; id ipſum tenetur facere, vt ſic debitam reſtitutionem faciat: ſin minùs proprie (ad quam requiritur, vt fiat ex bonis proprijs, qualia non habet, nec poteſt habere religioſus) ſaltem eo meliori modo, quo poteſt; ſi quidem impotentia quo ad hoc non poteſt dici excuſare, & conſequenter quo ad hoc vrget obligatio reſtitutionis. colligitur ex *P. Nau. l. 3. de reſtit. cap. 1. nu* 204. quem ſequuntur *Fagund. l. 7. in decal. c. 5. num.* 35. alijq; communiter: quorum aliqui addunt religioſum affectum aliqua obligatione reſtituendi, ſi non habeat peculium, ex quo reſtituat modo dicto, teneri vel magis laborare, vel ſibi ex conceſſis aliqua minùs neceſſaria ſubtrahere, vel aliunde ab amicis procurare bona, ex quibus debitam faciat reſtitutionem; ſed hæc ſunt duriora, ideoque magis conſulenda, quam præcipienda: præſertim cum iuxta dicta *ſubſect. præced. q.* 2. in hac materia philoſophandum ſit de religioſis reſpectu proprij Prælati, ac de filijs reſpectu parentum; vnde, ſicut de parentibus præſumi poteſt probabiliter, quod non intendunt obligare ſuos filios ad reſtituendum cum tanto incommodo (præſertim ſi materia reſtitutionis non ſit nimis excedens) ſic & idem proportionaliter præſumi poteſt de Prælatis reſpectu religioſorum ſubditorum: ſicque ceſſabit obligatio reſtituendi, excuſante impotentia; vt innuit *Alph. de Leone ſup. recoll.* 11. *nu.* 292. dicens quod ſi religioſus non habeat redditus, ad nil tenetur, niſi inducere eum, cui dedit, vt reſtituat.

Imò addit *Fagundez vbi ſup.* quod ſi res indebitè alienata iam non extet apud religioſum: is in defectum accipientis non tenetur eam reſtituere monaſterio: cum reſtitutio facienda ſit ex proprio, & ille non habeat proprium: nec tenetur petere eleemoſynam, vt reſtituat; cum nemo teneatur id facere; ſi tamen habeat aliquos redditus, aut aliquam ſupellectilem, vſum illorum (ſubdit *Fagund.*) poteſt, imò tenetur abdicare, vt ſuo modo reſtitutionē faciat; etſi enim non habeat proprietatem, habet tamen vſum, qui eſt pretio æſtimabilis, & quem à ſe poteſt abdicare.

QVÆRES III. An iſta obligatio adſtringat religioſum in caſu, quo de licentia Superiori in vſus illicitos inſumpſit notabilem pecuniam aliàs legitimè conceſſam.

322 ℞. Quod, licèt Doctores communiter ſuſtineant partem affirmantem; pars tamen negans ſuſtineri poteſt tanquam non improbabilis ex doctrina, quam trademus infra *q.* 21. ex *Cardinali de Lugo.* & ratio eſt, quod in præſenti caſu obligatio reſtituendi oriri non poteſt, niſi quod datio facta eſt ſine legitima licentia, vt pote inualida; at hoc eſt falſum, ſtante doctrina illa, quam tradit *Cardinalis de Lugo*, pluribus alijs pro ea citatis, & probat rationibus ſatis validis, ſoluitque quæ afferuntur in contrarium; ergò.

QVÆRES IV. An religioſus teneatur ad reſtitutionem, ſi abſque licentia Superioris ex bonis communibus monaſterij ita paulatim ſuffuretur commeſtibilia, & poculenta, vt tandem perueniat ad quantitatem notabilem.

323 ℞. Quod, cum huiuſmodi furta minima moraliter non continueutur, etſi religioſus ab initio habeat animum illa proſequende vſque ad quantitatem notabilem, ſicut diximus *ſubſect. preced. q.* 2. *§. vnum hic moneo*; conſequenter neque religioſus, qui ea commiſit, tenetur reſtituere; cum in illis non peccauerit mort. vt expreſsè docet *Sanch. l. 7. mor. c. 21. n.* 30. & iniuria per illa Superiori illata non ſit adeò grauis, vt probabiliter præſumi poſſit ipſum velle obligare ad reſtituendum: quod eſt dicere Superiorem in tali euentu remittere obligationem reſtitutionis aliàs debitæ. Colligitur ex *Diana tr. de paup. relig. reſol.* 35. pro ſe referens *Sanchez, Fernand. Graſſ. Tanner. & Bonac.* quamuis iudicio Dianæ *Graſſ: 1. p. deciſ. l. 3. c. 5. n.* 51. diſſentiat in caſu, quo religioſus intendat proſequi illa furta modica. Quod autem concedunt hi D D. de furtis minimis rerum comeſtibilium in ſpecie, puto admitti poſſe etiam de furtis modicis aliarum rerum, quæ modo dicto fiant a religioſis: & hoc ob rationem adductam pro furtis comeſtibilium, quæ meo iudicio proportionaliter procedit etiā quo ad hæc alia furta.

Intellige niſi furta modica accepta, aut expenſa ſint pecuniæ acceptæ à monaſterio: hæc enim putat *Cardinal de Lugo D. 3. de iuſt n* 182. *ex Sanchez*, coaleſcere in vnum furtum graue; cum per ea Cōuētus patiatur damnum aliquod permanens, quod poſſit cum detrimento ſequenti fieri damnum graue. Quæ tamen limitatio non videtur procedere quo ad acceptiones modicas pecuniæ receptæ ab externis dantibus: cum tota ratio, cur ex multis furtis leuibus reſultet grauis obligatio reſtituendi ſit damnum graue ex ijs conflatum; & aliàs in præſenti euentu regulariter pecunia ab externis recepta, ac expenſa nullum prorſus damnum affetat monaſterio; quippequæ ei nihil profutura fuiſſet, vt pote de licentia Superioris conuertenda in vſus religioſi accipienti, & quidem in vſus, per quos aliqui ſumptus à conuentu faciendi non excuſarentur; vt notat idem *Cardinalis de Lugo* contra *Sanchez* aſſerentem vniuerſaliter coaleſcere in peccatum graue contra paupertatem acceptiones leues pecuniæ indebite factas, ſiue pecunia accipiatur à monaſterio, ſiue ab externis.

QVÆRES V. An religioſus teneatur reſtituere, ſi inconſulto Superiore alienet aliquid ex bonis monaſterij ſiue communibus, ſiue ipſi conceſſis, credens tamen fore, vt ipſe licentiam daret ſic alienandi, etſi ipſi diſpliceret talis modus alienandi.

324 ℞. Non teneri: patetque ex eo quod, cum Superior in tali caſu ſit ſolum inuitus quo ad modum; cenſetur religioſus facere illam alienationem ex voluntate illius, ſaltem virtuali: idque iuxta *l. inter omnes 47. ff. de furtis*, vbi dicitur rectè dictum eſt, qui putauit ſe domini voluntate rem attingere, non eſſe furem: quod enim dolo fecit qui putat dominum conſenſurum fuiſſe.

ſe. colligitur ex *S. Thom. 4. d. 15. q. 2. a. 5. quæſtiunc. 4.* alijſque pluribus, quos refert *Sanch. ſup. cap. 19. n. 13.* ſed non omninò ſequitur.

QVÆRES VI. An religioſus teneatur reddere monaſterio ea, quæ bona fide inſumpſit ſine licentia ſuperioris falſò putans id ſibi licere.

325 ℞. Quod, cum iuxta *Leſſium l. 2. c. 7. num 27.* ad hoc vt quis obligetur ad reſtitutionem ex culpa, requiratur peccatum mort. hoc ipsò quod in tali caſu non interuenit peccatum mor. (vt ſuppono) neque aderit obligatio reſtituendi, ſaltem ſub culpa mor. ſic enim ceſſat radix talis obligationis. & quidem quod requiratur peccatum m. ad hoc vt quis ex culpa obligetur ad reſtituendum, probat *Leſſius*, quia quando in damnificatione adeſt culpa ſolum v. non adeſt actus perfectus in ratione iniuriæ, ſed imperfectus, ideoque non inducit obligationem reſtitutionis, ſaltem perfectam adſtringentem ſub peccato m. ſi quidem non poteſt obligatio eſſe maior in ſuo ordine, quam fuerit iniuria, ex qua oritur, in ſuo.

Quod ſi quæras, an obligatio reſtitutionis in tali caſu adſtringat ſaltem ſub peccato veniali.

℞. Videri probabile, quod neque ſic adſtringat. & ratio eſt, quod obligatio de materia graui non poteſt eſſe, niſi ſub peccato graui: cum obligatio pendeat ex grauitate materiæ, poſito præcepto naturali, aut poſitiuo; mirum enim eſſet quempiam ſolum ſub veniali teneri ad reſtitutionem decem millium aureorum, nec poſſe liberari hoc peccato, niſi reſtituere proponat. præter quam quod eiuſmodi damna illata ſolum cum culpa v. cenſentur quaſi fortuita, vtpote quæ proueniunt ex quadam animi inconſideratione: nemo autem tenetur de damno alteri obueniente fortuitò, vt patet. ita *Leſſ. num. 28. ex Sylu. & alijs Doctoribus.*

Addo hic obiter, quod quamuis de rigore furans rem modicam teneatur ſub veniali illam reſtituere: Confeſſarij tamen communiter non ſolent obligare ad talem reſtitutionem, eò quod illi, quorum intereſt, rationabiliter præſumantur illam remittere, eamque facilè condonaturi, ſi rogarentur: & talis præſumpta voluntas ſufficiat ad tutandam conſciētiam teſte *Sanch. l. 7. mor. cap. 19. numer. 15.* præter quam quod violatio dictæ obligationis non obſtat abſolutioni Sacramentali; ſicque Confeſſarij de ea non ſunt ſolliciti.

QVÆRES VII. An, & quando religioſus teneatur ad reſtitutionem, ſi abſque ſuperioris licentia expendat in vſus illicitos bona ſui peculij legitimè conceſſa liberæ ipſius diſpoſitioni quo ad vſus licitos.

326 ℞. Teneri, ſi monaſterium inde ſit læſum, eò quod religioſus ille ex bonis monaſterij ſit plus expenſurus ratione peculij malè expenſi: vel certè quia peculium alioqui conuertendum erat in res, in quas monaſterium ſucceſſiſſet: quicumque enim eſt cauſa damni culpabiliter tenetur de damno, vt patet: ſecùs, ſi monaſterium re vera non eſt læſum, eò quod religioſus ille bona ſupradicta eſſet omninò conſumpturus, ideoque minus conſumpſit: ſic quippe non tenetur ad vllam reſtitutionem, cum in tali caſu ſibi ſoli damnum intulerit, vtpote habens liberam facultatem expendendi bona illa in vſibus monaſterio planè inutilibus. ita *Sanchez n. 112.* & cū eo *Bonac. de Largit. mun. p. 6. n. 32.* cum quibus à fortiori ſentiunt *Bann. 2. 2. q. 62. a. 5. d. 5.* alijque tacito nomine relati à *Bonac. n. 27.* arbitrantes religioſum habentem facultatem expendendi aliqua in quem ipſe maluerit vſum, non peccare contra iuſtitiam, ſi ea expendat in vſus turpes, nec teneri recipientē ad reſtitutionem; quod ſi religioſus in iſto caſu nō peccat contra iuſtitiam, neque tenebitur ad reſtitutionem; cum obligatio reſtitutionis ſolum oriatur ex violatione iuſtitiæ, & quidem commutatiuæ.

QVÆRES VIII. An religioſus teneatur ad reſtitutionem, ſi incumbente ipſi cura cuſtodiendi, diſpenſandi, aut adminiſtrandi bona monaſterij, ea ex lata ipſius culpa pereant, aut deteriorentur.

327 ℞. Teneri, non ſecùs, ac ſi dolo ea deſtrueret: ſi quidem culpa lata æquiparatur dolo, ac proinde, ſicut religioſus teneretur reſtituere, ſi bona monaſterij ex ipſius dolo perirent: ſic & tenetur in præſenti caſu, vt aduertit *Leſſ. l. 2. c. 41. n. 79.* maximè cū delinquat contra obligationem proprij officij, & conſequenter contra iuſtitiam commutatiuam, ex cuius violatione conſtat naſci obligationem reſtitutionis, ſicut innuit *Bonac. ſup. n. 33.*

QVÆRES IX. An religioſus, qui ex diſtractione bonorum monaſterij facta ſine debita licentia tenetur ad reſtitutionem, ſi habeat, vnde ſoluat ex proprio peculio modo ſupradicto, & ſit paratus facere ex eo reſtitutionem, teneatur nihilominus monere eum, cui dedit ea bona, vt illa reddat monaſterio.

328 ℞. Teneri monere, ſi ſperet fructum ex admonitione, & inde non timeat ſibi imminere periculū aliquod graue; ratio eſt, quod, cum, peculium cōceſſum religioſo, non ſit ipſius religioſi, ſed monaſterij; & reſtitutio fieri debeat eo modo, quo monaſterium reſtituatur in integrum magis, quam fieri poſſit: in primis curandum eſt, vt ei in ſpecie reddantur bona, quæ ſine licentia diſtracta ſunt; ſic enim & habebit peculium, ex quo aliàs facienda eſſet reſtitutio, ſi non fuiſſent recuperata vi illius admonitionis bona iniuſtè ablata; & præterea habebit bona illa recuperata, quibus aliàs careret; Colligitur ex *Bonac. ſup. num. 32.*

QVÆRES X. An religioſus liberetur obligatione reſtituendi ipſum adſtringente, ſi ſuperior ei talem obligationem remittat ex iuſta cauſa.

329 ℞. Liberari, ſi res, ſupra quam cadit obligationis remiſſio, ſit talis, vt ſuperior de ea diſponere poſſit, etiā ſine Conuentu; aut certè, ſi non ſit talis, remiſſionē illam faciat de conſenſu ipſius Conuentus. deſumitur ex *Sanch. l. 7. mor. c. 19. n. 109.* cū quo ſentit *Alph. de Leone ſup. n. 291.* pro ſe adducens *Bertum.* ratio autem reſponſionis eſt, quod iuxta communem DD. ſententiam teſte *Leſſ. l. 2. c. 16. n. 34.* remiſſio reſtitutionis facta à creditore eximit debitorē ab obligatione reſtituendi; ſuperior autē monaſterij, licèt non ſit dominus bonorum illius, eſt tamen adminiſtrator, & vt talis poteſt de ijs ex iuſta cauſa diſponere, etiā donādo (intra fines tamē ſuę poteſtatis) & per cōſequens remittēdo, cū remiſſio ſit quædā donatio. nobiſcum ſentit *Io. de Lugo D. 3. de iuſt. n. 168.*

Quod

Quod ſi quæras, an iuſta cauſa faciendi dictam remiſſionem eſſe poſſit, quod religioſus, qui eſt adſtrictus onere reſtitutionis, ſit valdè vtilis monaſterio etiam quo ad temporalia.

℞. Poſſe eſſe; & colligitur ex *Bonac. ſup. nu.* 35. vbi quærens, an religioſus, qui debebat monaſterio aliquid, antequam ingrederetur Religionem, liberetur à debito, profitendo in religione, reſpondet liberari, ſi monaſterium ratione illius acquirat bona æquiualentia, ſiue ex donatione, ſiuè etiam ex eius induſtria: vt ſi ſit egregius Concionator, inſignis lector, ſtrenuus Officialis monaſterij, indefeſſus Operarius, hincque multa bona adueniant monaſterio. moueor, quod iuxta dicta remiſſio reſtitutionis debitæ eſt quædã donatio, ideoq; cũ donatio remuneratoria ſit licita, etiam poſt decreta ſacræ Congreg. iuſſu Clementis VIII. edita *de largitione munerum*, vt oſtendemus ſuo loco; licitum erit & Superiori facere Religioſo ſubdito præfatam remiſſionem in remunerationem beneficiorum, quæ ab ipſo conferuntur monaſterio; ſi enim Superior poſſet facere alicui extraneo eiuſmodi remiſſionem, poterit & facere religioſo ſubdito, cum ſit eadem ratio.

QVÆRES XI. An Religioſus habens obligationem aliquam reſtituendi monaſterio, eam ſufficienter impleat, ſi curet, vt amicus ſæcularis ſummam æqualem pecuniæ, quam erat daturus monaſterio purè in eleemoſynam, mutata intentione eam illi tribuat in reſtitutionem ab ipſo Religioſo debitam, ſicque abſoluat eum ab obligatione reſtituendi eandem ſummam.

330 ℞. Videri implere; & probatur quia in hoc caſu religioſus perinde ſe habet, ac ſi curaret illã ſũmã pecuniæ ſibi primò tribui, eamque poſtea curaret tradi Superiori ad obligationem reſtitutionis implendam: licitum eſt autem religioſo bona ipſi oblata in bonum commune monaſterij ex iuſta cauſa ſibi procurare in priuatum ſuum commodum; vt oſtendimus *ſup. ſec. præced. q.* 21. & colligitur ex *Fagund. præc. 2. Eccleſ. l. 8. capitul. 6. numer.* 19. vnde, cum in præſenti caſu adſit iuſta cauſa id faciendi, non video, cur ei denegari id debeat; maximè, ſi aliàs ipſe non poſſet ſine aliquo ſuo incommodo ſatisfacere obligationi, quam habet reſtituendi.

QVÆRES XII. An Religioſus onere aliquo reſtitutionis affectus cenſeatur ſatisfacere ſuæ obligationi, ſaltem quo ad vitandum peccatum mort. ſi non reſtituat totam ſummam debitam, ſed præciſè illud modicum, quod complet notabilem quantitatem in furto mort. petitam.

331 ℞. Probabile eſſe, quod ſatifaciat. Ducor tum quia quilibet ſolum tenetur auferre ſub culpa mor. notabile damnum Proximi: hoc autem aufertur, reſtituta illa quantitate modica: tum quia ea modica quantitate non accepta, furtum re vera non eſſet mortale, ratione parui damni Proximo illati; ergo neque illa reſtituta, erit mortalis retentio, cũ ſic maneat idemmet modicum damnum de ſe inſufficiens ad peccatum mort. tum quia quantitas leuis non eſt quidem reſtituenda per ſe, & pro vt leuis eſt, attamen debet reddi etiam ſub mort. quatenus coniuncta cum alijs quantitatibus modicis acceptis conſtituit quantitatem notabilem, ſicque notabile damnum infert; vt ingenioſè aduertit *Sanch. ſup. c. 21. n.* 9. nobiſcum ſentiens cum *Alcozer, Nau. Rebel. Sayr. & Aragon*: quamuis opinionem contrariam, quam defendunt *Metina*, *& Corduba* ab eodem *Sanch.* relati *n.* 8. dicat eſſe probabilẽ; cũ ſuã, & noſtrã ſolũ exiſtimet probabiliorem.

QVÆRES XIII. An religioſus maneat liber ab onere reſtituendi monaſterio aliquam ſummam ex iuſtitia ei ab ipſo debitam, ſi tantundem, aut etiam plus ex proprio peculio ei tribuit liberaliter, & immemor talis oneris.

332 ℞. Non videri improbabile, quod maneat; ſi, quando fecit illam donationem, tunc tenebatur ad illam reſtitutionem. Colligitur ex *Baldello l. 5. theol. moral. D. 25. num.* 18. quem ſequitur Diana *p. 5. tr. 13. reſol.* 94. & probatur quia etiam in materia iuſtitiæ ad illius obligationes tollendas poteſt ſufficere intentio generalis, & implicita, quæ de facto cenſetur haberi ab vnoquoque ſatisfaciendi omnibus ſuis obligationibus, quibus abſolutè poteſt ſatisfacere per vnumquamque ſuam actionem: pro vt ita is clarè habetur *l. cum ex pluribus cauſis ff. de ſolut.* vbi dicitur quod qui ex pluribus cauſis vni alicui debet pecuniam, neque exprimit, aut demonſtrat, dum illam ſoluit, ex qua cauſa ſoluat, & cui obligationi intendat ſatisfacere, cenſendus eſt pro illa ſoluere, quæ apud ipſum eſt potior: ſi quidem veriſimile eſt diligentem debitorem, ſi eſſet admonitus, ita fuiſſe geſturum ſuum negotium; quod eſt dicere voluntatem implicitam, & generalem, quã quilibet cenſetur habere ſatisfaciẽdi per vnũquẽq; actũ ſuis obligationib⁹, pro vt poteſt, poſſe locũ habere etiã in obligationib⁹ iuſtitiæ: idq; ſiue in actu ſoluẽdi nulla cauſa, nulluſq; titulus exprimatur, aut determinetur, ſiue etiã exprimat, ac determinetur vnus aliquis titul⁹ minùs principalis ex aliorũ obliuione, & incogitãtia: nã talis obliuio, & incogitãtia facit ſolutionẽ pro illo alio titulo ſimpliciter inuolũtariã, eãq; reſoluit in iſtã cõditionalem; *Trado, vel ſoluo ex hoc titulo, ſi nõ teneor ex aliquo potiore, & maioris momẽti*; ſicut aduertit *Baldel.* monens præfatã obliuionẽ, & incogitantiam huius, aut illius obligationis ſpecialis tollere quidem poſſe, aut impedire voluntatem ſpecialem ſatisfaciendi huic, aut illi obligationi in ſpecie, non autem generalem, ac implicitam; quod tamen negarent *Vaſq. Salas, Sanch. & Bonac.* allegati ab ipſo *Baldel. num.* 17. qui proinde etiam à nobis diſſentiunt hac in re.

333 Dixi, *ſi quando fecit illam donationem, tunc tenebatur ad illam reſtitutionem*, vt innuerem, quod ſi obligatio reſtitutionis contrahitur poſtquam facta eſt illa donatio, tunc ſine dubio illa non poteſt tolli per talem donationem, cum implicet diſſolui vinculum obligationis, quod nondum adeſt; quomodo DD. apud *Bonac. d. 1. de hor. can. qu. 2. par. 3. & par. 4. numer.* 9. communiter dicunt, recens ordinatum in ſacris teneri incipere diuini officij recitationem ab hora reſpondente tempori, in quo fuit ordinatus: idque etſi antea dictam horam recitaſſet: cuius rei ea eſt ratio, quod recitatio illa facta ante ordinationem

non eſt facta tanquam à publico Eccleſiæ Miniſtro, cum recitans tunc nondum eſſet talis; quæ doctrina proportionaliter facit etiam ad præſentem caſum.

QVÆRES XIV. An religioſus ſatisfaciat obligationi, quam fortè habet reſtituendi monaſterio, ſi ad talem effectum ex proprio peculio faciat aliquas expenſas ad pompam, v. g. aliquam lampadem argenteam ad vſum Eccleſiæ, eamque ipſi donet, non manifeſtato titulo ob quem donet: idque ad conſulendum propriæ famæ: cum interim monaſtrium multis neceſſarijs indigeat ad communem religioſorum ſuſtentationem.

334 ℞. In rigore non ſatisfacere; quamuis ſi id præſtet bona fide, poſt factum poſſit à facienda noua reſtitutione excuſari ob doctrinam infra tradendam. ità docti viri è Soc. à me conſulti, & probatur ex eo quod, cum reſtitutio iſta fiat de bonis monaſterij, & ad redintegrandum ius illius à religioſo reſtituente læſum, ea debet fieri iuxta mentem probabiliter præſumptam Eius, qui adminiſtrat ipſius bona, idest Superioris, & non aliter; eſtò ad conſulendum propriæ famæ poſſit reſtituens facere occultè talem reſtitutionem; poſito autem quod monaſterium indigeat neceſſarijs ad ſuſtentationem, non poteſt præſumi probabiliter; quod Superior ſit contentus ſummā illam pecuniæ debitam monaſterio tunc implicari in emptione lampadis argenteæ; & ſi de hoc fuiſſet interrogatus, omnino voluiſſet eam extendi in ſubleuandis monaſterij neceſſitatibus, non autem in re extante ad pompam.

335 Quod vero religioſus in caſu propoſito excuſari poſſit a noua reſtitutione facienda, inde ſuadetur, quod *leſſ. l. 2 cap. 16. numer.* 65. *Filliuc. tr.* 32. *num.* 135. *Cenedo de paupertat. relig. d.* 34. *numer.* 8. *Diana p.* 2 *tra.* 17. *reſol* 2. & alij putant non eſſe improbabile debitorem excuſari à reſtitutione, ſi curet eam fieri per Confeſſarium, eo quod per ſe illam exequi nequeat ſinè diſpendio famæ, & poſtea conſtet Confeſſarium de facto non feciſſe illam reſtitutionem, ſed ſibi retinuiſſe pecuniam traditam ad reſtituendum; ducuntur, quia debitor in iſto caſu reſtitutionem, quantum in ſe eſt, fecit, vt debuit, & potuit; ergo ab eo non eſt amplius exigendum; non enim tenebatur per ſe reſtituere, cum id ſine criminis ſuſpicione non poſſet præſtare; & aliàs non poterat reperire commodiorem viam reſtituendi, quam per Confeſſarium. ſic illi, quorum doctrina videtur ſuffragari proportionaliter religioſo reſtituenti in præſenti caſu; & quidem à fortiori; cum de facto ad monaſterium peruenerit ſumma debita ex reſtitutione, quamuis in materia tunc non neceſſaria, & in præſentibus circunſtantijs probabiliter credi poſſit Superiorem non fore adeo inuitum circa talem modum reſtitutionis, ſaltem poſt factum: præſertim cum furta religioſorum æquiparentur furtis filiorum, & religioſus in præſenti euentu, ſtante bona fide, ad nihil ampliùs teneretur; ſic ego puto, alijque docti viri mecum. Quod ſi demus religioſum in caſu propoſito non ſatisfeciſſe ſuæ obligationi, ideoque teneri ad nouam reſtitutionem; tunc puto, quod poſſet vendere lampadem argenteam, eiuſque pretium conuertere in vſus neceſſarios monaſterij (idq; non obſtante prohibitione de non alienandis bonis eccleſiaſticis; quam non puto extendi ad præſentem caſum ex ratihabitione Superioris prohibentis); non enim debet quis obligari ad bis reſtituendum, vt patet.

QVÆRES XV. An religioſus eximatur ab obligatione reſtituendi monaſterio, ſi quantum ille diſtraxit inſcio Superiore extra Ordinem (donando v. g. conſanguineo, aut amico) tantundem ipſe ab eo recepit, & adhuc habet apud ſe.

336 ℞. Videri eximi, ſi id, quod recepit, datum eſt quaſi in compenſationem illius, quod fuerat acceptum: ſic quippe cenſetur facta reſtitutio, cum, facta tali compenſatione, monaſterium non ſit minùs habens in bonis, quam haberet, ſi non fuiſſet facta illa bonorum diſtractio: quod maximè haberet verum, ſi dicta compenſatio fieret in bonis monaſterio non ſuperfluis, ſed vtilibus, etiam ſi ad vitam manſuris penes religioſum, cui data ſunt. Secùs, ſi ea bona data fuerant religioſo ante præfatam bonorum diſtractionem ab ipſo factam, vel certè ſi poſt, data ſunt mere liberaliter, non autem intuitu compenſationis; tunc enim religioſus teneretur ad reſtitutionem, cum monaſterium vi dictæ diſtractionis ſit minus habens, quam haberet, ſi ea non fuiſſet facta, & traditio illa bonorum facta religioſo non cedat in debitam compenſationem, ſtante quod poſita intentione tradentis monaſterium deberet habere, & illud, quo caret ob eam diſtractionem, & id quod per iſtam traditionem ipſi de nouo acquiſitum eſt iuxta regulam, *quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*. ita docti Neoterici à me conſulti, & benè; quamquam iuxta doctrinam traditam *q. præcedenti* §. *quod vero religioſus*, non improbabiliter dici poſſit Religioſum eximi ab onere reſtituendi in caſu, quo poſt eam bonorum diſtractionem factam bona illa reciperet a ſuo donatario: quippe qui licet ea bona tradiderit Religioſo liberaliter, eò quod tunc non fuerit recordatus obligationis, quam habebat reſtituendi monaſterio bona antea accepta à Religioſo ſine licentia Superioris: cenſetur tamen habuiſſe generalem intentionem ſatisfaciendi tali obligationi, & conſequenter liberandi religioſum ab onere reſtituendi in defectum ipſius.

QVÆRES XVI. An religioſus ſubiaceat obligationi reſtituendi, ſi notabilem ſummam pecuniæ, aliàs ſibi conceſſæ, vel aliquid aliud non vulgaris æſtimabilitatis tradidit alicui religioſo eiuſdem ſui monaſterij ſine licentia.

337 ℞. Quod, quamuis prima facie videri poſſet alicui religioſum in tali caſu poſſe abſolutè excuſari à reſtitutione; eò quod per talem dationem non transferatur in alterum religioſum, niſi vſus rei traditæ, dominio illius manente apud monaſteriū, & vſu ipſo dependente à Superiore, ſicut antea, & quidem intra idem monaſterium; nihilominus re meliùs inſpecta, puto religioſum modo dicto dantem de rebus ſibi conceſſis teneri ad reſtitutionem in defectum religioſi recipientis: ſi is rem acce-

acceptam diſtrahat extra monaſterium (illam v. g. deferendo ad alium Conuentum, in quo de nouo conſtituit domicilium) aut eam vſurpet in vſibus, in quibus neque ipſe Religioſus dans ea vti potuiſſet.ducor, quod ſic monaſterium grauiter læditur in ſuis bonis, ac proinde, ſicut Religioſus dans, ſi ipſe rē illam eo modo diſtraxiſſet abſque licentia, teneretur monaſterio de damno: ita & tenetur ob diſtractionem factam ab illo alio Religioſo, quippe in quam cenſetur influxiſſe iuxta regulam, *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati*. Secùs, ſi Religioſus recipiens rem acceptam retineat in eodem monaſterio, in quo accepit, eaque non vtatur, niſi in vſibus, in quibus licitè illam vſurpaſſet etiam Religioſus, qui illam dedit; ſic quippe monaſterium non læditur, cum dominium rei datę adhuc apud ipſum maneat, & vſus etiam illius à Superiore eodem dependeat, ſicut antea: vnde religioſus dando rem illam ſine licentia peccauit quidem, non ideo tamen videtur obligandus ad reſtitutionē in defectum recipientis; cum omnis reſtitutio ſupponat aliquam inæqualitatem, & aliàs in præſenti caſu nulla reperiatur inæqualitas, vt iam oſtenſum eſt: quin etiam cenſeo Religioſum dantem nō teneri reſtituere monaſterio, neq; in priori euentu, ſi iuxta dicta *q. 7.* monaſterium re vera non fuit læſum, eò quod religioſus ſi rem illā non dediſſet alteri religioſo, illam conſumpſiſſet in vſus omninò inutiles monaſterio: idque de licentia Superioris. ita docti viri conſulti à me: cum quibus ſentit, *Diana p. 7. tr. 11. reſol. 20.*

QVÆRES XVII. An Religioſus teneatur reſtituere monaſterio in caſu, quo de licentia Superioris expendat quantitatem pecunię notabilem, in vſibus quidem licitis, ſed talem, vt poteſtas Superioris ad eam non ſe extendat.

338 ℞. Non teneri, ſi in caſu propoſito Superior ſciens, & volens ſubtiliter rem diſtinguere intendat non acceptare dominium pecuniæ oblatæ Religioſo ipſius ſubdito, ſed ſolum ei dare licentiam ad vtendum illa tanquam aliena ex conſenſu domini; tunc quippe religioſus expēdens non alienat quidquam de bonis monaſterij, ideoque (etiam ſi licentia ipſi conceſſa ſit nulla, vt pote data à non habente ſufficiente poteſtatem) ad nullam tenetur reſtitutionem, cum omnis reſtitutio ſupponat inęqualitatem factam in bonis illius, cui fit reſtitutio: qualis non adeſt in caſu iſto. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 8. c. 15. num. 23.* monens quod, licèt Superior in euentu propoſito illa duo non diſtinguat, nihilominùs virtualiter cēſetur id voluiſſe hoc ipſo quod ab initio intendit illam pecuniam acceptare ſolum in commodum, ſeu vſum illius religioſi: ſicque iuxta talem intentionem & ipſe poteſt poſtea dare licentiam, & religioſus illa vti.

QVÆRES XVIII. An religioſus adſtrictus obligatione reſtituendi, ſine Superioris licentia poſſit ſibi comparare pecuniam ad talem obligationem implendam, præſertim ſi licentiam ad id petere nequeat ſine graui præiudicio.

339 ℞. Non poſſe; cum non ſint facienda mala, vt eueniant bona, & concurrente impotentia debitoris, obligatio reſtitutionis ſuſpendatur; quamquam in tali caſu facile pręſumi poſſit tacitus conſenſus, & voluntas interpretatiua Superioris; vti diximus *ſect. præced. q. 12.* & notat *Suar. ſupra cap. 11. nu. 4.*

QVÆRES XIX. An, & qualiter teneatur religioſus reſtituere monaſterio id, quod ex proprio peculio diſtraxit abſque debita licentia, ſi is, qui rem ſic diſtractam accepit, poſſet licitè reſtituere ipſimet religioſo danti, vt pote ea impoſterum non abuſuro, ſed eam non reſtituit.

340 ℞. Videri probabile, quod non teneatur ducor, quia ex vna parte, cum religioſus dans non teneatur reſtituere, niſi in defectum recipientis, conſequenter non debet reſtituere, niſi eo modo, quo reſtitueret ipſemet recipiens: ex alia parte recipiens licitè poſſet, imò & deberet reſtituere religioſo danti, vt pote non ampliùs abuſuro re, quæ reſtituitur (ſicut ſuppono) ad ipſum enim ſpectat vſus talis rei, non ſecus in præſentia, quam ſpectaret antea; quippe qui non fuit legitimè reuocatus, ideoque non debet auferri à religioſo, cui fuerat conceſſus: vnde & poterit vti re reſtituta ſine alia licentia Superioris eodem modo ac poterat, antequam illam diſtraheret: religioſus ergò dans poterit reſtituere ſibi ipſi non minùs, quam poſſet ille alius, qui rem indebitè diſtractam acceperat: cum nulla adſit ratio ſufficiens illum adſtringendi, vt reſtituat monaſterio; ſtante quod adhuc retinet ius vtendi ea re, ſicut dictum eſt; poſito autem quod religioſus dans poſſit reſtituere ſibi ipſi, iam ſequitur ipſum ad nullam teneri reſtitutionem, cū reſtitutio, quam ille faceret ſibi ipſi in præſenti caſu, eſſet illuſoria, ac prorſus inutilis, vt facilè conſtabit conſideranti: vt quid enim reſtituat ſibi ipſi, ſi ſtatim poteſt rem reſtitutam diſtrahere in vſus licitos, omninò tamen inutiles monaſterio, & quidem abſque iniuria monaſterij; quod ſignum eſt monaſterium nullum ius habere ad talem reſtitutionem. ita viri ſanè docti à me conſulti: non enim (quod valdè miror) reperi iſtam difficultatem, aliàs ſatis obuiam, apud vllum Doctorem explicatam.

341 Dixi *vt pote non ampliùs abuſuro re, quæ reſtituitur*: vt indicarem eſſe valdè probabilem doctrinam, quam tradunt *Moln. tom. 2. D. 520. numer. 1. Rebell. p. 1. l. 2. quæſt. 11. ſection. 2. numer. 9. Alcozer libr. de Ludo capitul. 18. & Sanchez l. 7. Moral. cap. 19. numer. 110.* recipientem ſcilicet à religioſo non benè dante poſſe reſtituere rem acceptam ipſimet religioſo danti, niſi fortè timeat ipſum vanè, & contra Prælati voluntatem iterum rem illam inſumpturum eſſe, aut niſi ſemotus ſit ab adminiſtratione talium bonorum; quod etiam notauit *Bonacin. de largit. muner. p. 6. numer. 31.*

At difficultas eſt, cui monaſterio fieri debeat reſtitutio, caſu, quo res debat reſtitui non religioſo danti, ſed ipſi monaſterio: an ſcilicet fieri debeat monaſterio, in quo habitabat religioſus, quando rem illam indebitè deſtraxit, vel illi, in quo de præſenti habitat.

342 ℞. Debere fieri monaſterio, in quo religioſus, qui rem illam dutraxerat ſine legitima licentia, de præſenti habitat. moueor, quod, cum res data ſit ex bonis peculij conceſſi religioſo, & talia bona ſequātur perſonam ipſius religioſi, ea debentur monaſterio, in quo ille habitat tempore talis reſtitutionis: quippe quod in hac re ſentit damnum; &, ſicut ſentit onus religioſum tunc ſuſtentandi, ita & par eſt, vt ſentiat commodum proueniens ex ipſo religioſo. ita ego ſentio, nec à me diſſenſerunt viri docti poſtea conſulti. Quod ſi religioſus, qui indebitè dedit, tranſijt ad alium Ordinem, ibique eſt profeſſus: reſtitutio fieri debet monaſterio prioris ordinis, in quo facta eſt datio illa indebita: cum monaſterium illud verè fuerit læſum, & reſtitutio fiat ad reparandam læſionem.

343 Nec obſtat dictis, quod, quando *l. placet C. de acquir. hæred.* dicitur *quidquid acquirit monachus, acquirit monaſterio*: ibi eſt ſermo de monaſterio, in quo degit monachus pro eo tempore, quo acquirit; ſicut enim mutans domicilium de vno in aliud monaſterium ſecum transfert omnia bona vſui ipſius conceſſa de licentia prioris Prælati, ſaltem interpretatiua: ita & transfert ius talis reſtitutionis, vtpote de re conceſſa ipſius vſui, adeoque cadente ſub generalem illam licentiam interpretatiuam. quo modo ſaluatur & monachum proxime acquirere monaſterio, in quo tunc degit, & reſtitutionem ſupra dictam faciendam eſſe monaſterio, in quod ille de nouo transfert domicilium.

Vnde inferri poteſt doctrinam hìc datam non procedere in caſu, quo religioſns extremis indebitè dediſſet de bonis monaſterij: tunc enim reſtitutio facienda eſſet monaſterio, cuius bona diſſipata fuiſſent: illud enim fuiſſet damnificatum, & alioqui reſtitutio facienda eſt damnificato, cum ordinetur ad reponendam æqualitatem ablatam.

QVÆRES XX. Cui debeat religioſus reſtituere bona ab alio accepta abſque debita licentia, & conſequenter cum peccato proprietatis, caſu, quo prælatus regularis nolit ratam habere acceptionem illam, ſed irritet.

344 ℞. Debere reſtituere ei, à quo accepit, nimirum priori domino rei ſic acceptæ; & ratio eſt, quia omnis reſtitutio debet fieri proprio domino rei, quæ reſtituitur: at in præſenti caſu hòc ipſo quod ſuperior non habet ratam acceptionem, res accepta redit ad priorem dominum, ſiue ex interpretatiua voluntate illius, & tacita cōditione incluſa in priori donatione, ſiue ex natura ipſius dominij; quatenus res illa non debet manere ſub dominio nullius; aliàs quilibet poſſet illam iuſtè occupare. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 8. c. 15. num. 18.*

At modò dubium eſt an caſu, quo ſuperior regularis nolit ratam habere illam acceptionem, & religioſus rem acceptam iam inſumpſit, & quidem mala fide, ideoque illam reddere nequit in ſpecie vero domino: an religioſus ex proprio peculio poſſit facere talem reſtitutionem, etiam inuito ſuperiore.

346 ℞. Non poſſe; & probatur, tum quia peculium illud, cum ſit monaſterij, monaſterium non poteſt cogi illud expendere in ſolutionem damni per religioſum illati: tum quia eatenus tenetur religioſus reſtituere, quatenus habet liberam adminiſtrationem proprij peculij; cum ergò prælatus non teneatur eam concedere, & conceſſam poſſit reuocare, poterit ſimiliter impedire, ne religioſus ex ſuo peculio præfatam faciat reſtitutionem. ita *Sanch. lib. 7. mor. cap. 19. num. 113.* contra *Nauar. comm. 2. de regular. num. 62.* clarè ſentientem prælatum in caſu propoſito non poſſe impedire religioſum ſubditum, quo minùs faciat illam reſtitionem.

QVÆRES XXI. An recipiens à religioſo ad vſus illicitos, ac turpes, teneatur ad reſtitutionem.

347 ℞. *Salas tract. de ludo d. 21. num. 4. ex Alcozer. Angles, Lopez, Medina, Rebello, ac Leſſio*, quod, quamuis ſententia affirmans ſit valdè probabilis: negans tamē eſt itē ſatis probabilis; religioſos ſcilicet, quib. ꝑ ſuperiorē licet de re aliqua liberè diſponere, etiā ſi ludis illicitis, vel rebus turpibus eam expendant, validè expendere, nec recipientes teneri ad reſtitutionem. probat quia religioſus eſt, ſicut filius familias, & minor reſpectu prælati; at filius familias, & minor, ſi habeat facultatem à patre, tutore, aut curatore aliquid expendendi, liberè, aut in vſus licitè, & in alios expendat, factum tenet, teſte *Molina tom. 1. D. 242.* ergo & idem dicendum eſt de religioſo; cum prælatus ex iuſtis cauſis id poſſit, & cenſeatur ratum habere: 1. eſt, (quod ſpectat ad pecuniam in ludo illicito implicitam,) vt religioſus ludens poſſit lucrari; quia, ſi non poſſet perdere, nec poſſet lucrari: 2. vt peccata in religioſo, & colludente minora, & pauciora ſint, ſublata actus nullitate, ac onere reſtituendi: 3. vt conſulatur honori, ac famæ religioſi, & religionis, quæ periclitarentur, dum ageretur de reſtitutione; maximè ſi perſonæ, cum quibus religioſus illicitè expendit, publicè conquerentur ſe eſſe deluſas, ac deceptas à religioſo: 4. quia etſi turpes actus mali ſint, tamen pro illis factis aliquid dare per modum doni, aut pretij, vel datum non repetere licitum eſt, præſertim ſi perſona indigeat; huic enim dare, aut datum ab ea non repetere eleemoſyna eſt; 5. quia id non erat expendendum in bonum religionis, ſed religioſi; ergò prælatus poteſt ratum habere, ſi in rebus illicitis expendatur. cum *Salas* ſentit *Fagundez præc. 2. Eccl. l. 8. cap. 6. num. 16.* & quidem abſolutè, etſi poſtea *l. 7. in decal. c. 5. n. 36.* diſſentiat.

Cum *Salas, & Fagundez* ſentit etiam *Cardinalis de Lugo D. 3. de iuſt. n. 142.* vbi hæc habet: *Licet hæc pars* (quod ſcilicet recipiens à Religioſo ad vſus vanos, turpes, aut ſuperfluos teneatur ſic accepta reſtituere) *ſit communis, ac probabiliſſima: non tamen puto improbabilem contrariam ſententiam, quæ dicit, quando Prælatus dat ſubdito plenam, & liberam facultatem expendendi aliquid pro ſuo libitu, non intelligi limitaſſe ſuam intentionem ſolum ad vſus honeſtos, & pios; ſed potius abſtuliſſe, quantum erat ex parte ſua, totum impedimentum vt vſus ille non eſſet contra votum paupertatis ob defectum licentiæ; atque ideo recipientem ab ipſo non teneri reſtituere aliquid.* hæc ille citans pro ſua hac doc-

ina vltra Doctores ſupra adductos etiam *Saỹrum in Claui Reg. lib. 11. c. 12. n. 15. & Dianam p. 3. tr. 2. reſol.*

98. &

98. & probat, quia in alijs materijs licentia generaliter conceſſa non intelligitur limitari ad ſolos vſus, vel caſus aliunde non turpes, nec illicitos, ſed in ijs etiam auſert malitiam, quam poſſet habere ex defectu debitæ licentiæ; quamuis remaneat turpitudo & malitia ex alio capite: ergo cum Prælatus in noſtro caſu concedat licentiam expendēdi pro libito; non eſt, cur præſumatur limitare licentiam ad vſus ſolum aliunde non illicitos, ſed potius velle auferre impedimentum ex parte ſua, quantum poteſt.

Præter quam quod frequenter excuſati poſſunt à reſtitutione accipientes ob turpia à Religioſis, etiam retenta communi ſententia: quod quamuis donatio ab initio fuiſſet inualida ob malum titulū, poſtea tamen qui dedit, & aliunde habet licentiam ad vſus licitos; poteſt mutato animo, donare illud eidem feminæ v.g. quia pauper eſt, aut ob alium titulum honeſtum, ad quam donationem licitam habet ſufficientem facultatem; vt ingenioſè aduertit *Cardinalis de Lugo n.*143. & ego notaui in *tract. de monial. c.*6. *n.*31 §. *addo hic obiter in edit.*2.

Cæterum cum doctrina ſuperius tradita à *Cardinali* ſupponat Prælatum regularem poſſe & validè, & licitè dare ſubdito licentiam ad ſumptus ſuperfluos, ac turpes: idque negetur ab Aduerſarijs; vtrumque probat *Cardinalis*; & quidem primo, quod poſſit validè dare illam licentiam, inde ſuadet, quod nullibi reperitur ablata Prȩlatis talis facultas, aut irritatus talis actus, & ſi eius vſus ſit illicitus. in *Concilio. n. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 2. *de Regul.* ſolum prȩcipitur, quod ſupellex Religioſorum ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt conueniat, nihilque in ea ſit ſuperfluum; non autem ibi ſermo eſt de inualiditate licentiæ, aut de turpibus ſumptibus. in *Clem. vero t. de ſtatu Monach.* ſolum prohibentur omnia ſuperflua & pretioſa circa veſtes; hincque colligitur licentiam Prælati non ſufficere ad faciendum licitum vſum dictarum veſtium; non item quod ea ſit inſufficiens, ne dictùs vſus ſit proprietarius: talis namque non eſt, cum vi illius nihil vſurpetur vt proprium abſque Prælati conſenſu. Quod autem aliqui dicunt Prælatum regularem nō eſſe dominum, ſed adminiſtratorem bonorum monaſterij: adeoque de his ſolum poſſe diſponere iuxta facultatem ſibi à iure datam, ſicque non poſſe dare licentiam validè ad ſuperflua, ac turpia, cum in iure prohibeatur, id non procedit de ipſo Conuentu, qui cum verè ſit dominus ſuorum bonorum, de ijs validè poterit diſponere, ſi à iure ipſi non fuerit ablata facultas donandi, aut alienandi. præterea Prælatus ex eo quod eſt adminiſtrator, nequit in fraudem, aut graue damnum Conuentus expendere, eius bona diſſipando: at ſi inde nullum damnum ei accreſcat (quod regulariter euenit in præſenti caſu hoc ipſo quod Religioſus liberè poteſt expendere) non inuenitur ei reſtricta facultas dandi præfatam licentiam ſolum ob turpitudinem aliunde in eo repertam. ſic *Card. de Lugo num.* 138. pro ſe adducens *S. Antoninum Syl. Turrec. Leſſ. Tab. Azo. Graff.* & alios plures Theologos, & Iuriſtas adductos à *Sanchez l.* 7. *mor. c.* 19. *numer.* 20.

Quod verò Prælatus regularis licitè poſſit dare facultatem expendendi ad vſum turpem, ac illicitum, non quidem in particulari, ac determinatè, (nam hoc eſſet determinatè, ac ſpecialiter cooperari ad vſum, & actum turpem, ac illicitum) ſed in genere ad quemlibet vſum: conſtat ex dicendis infra *ſect.* 5. *ſubſ.* 4. *q.* 18.

Addo ex eodem *Cardinale de Lugo num.* 142. quod quamuis communis, & probabiliſſima Doctorum ſententia ſit Prælatum regularem, quando dat Religioſo ſubdito facultatem generalem expendendi aliquam pecuniam, aut aliquid donandi, de facto cenſeri, cēſeri excludere vſus turpes, ac illicitos; vt latè probat *Sanchez l.* 7. *mor. cap.* 19. *num.* 30. contraria tamen ſententia non eſt improbabilis; nimirum Prælatum dantem ſubdito plenam, & liberam facultatem expendendi aliquid pro ſuo libito, non intelligi limitaſſe ſuam intentionem ſolum ad vſus honeſtos, ac pios, ſed potiùs abſtuliſſe, quantum erat ex parte ſua, totum impedimentum, vt vſus ille voto paupertatis non aduerſaretur ex defectu licentiæ; adeoque recipientem ab eo non teneri quidquam reſtituere.

SECTIO V.

Quo modo tollatur Obligatio voti Paupertatis religioſę per Diſpenſationem, Conſuetudinem, Epychiam, & Licentiam legitimè conceſſam.

AD complementum eorum, quæ hic explicari poſſunt de voto religioſæ paupertatis, in hac poſtrema ſectione exponendum nobis eſt, quo modo tollatur obligatio dicti voti; & quidem cum abſolutè tollatur per diſpenſationem, pro caſu verò hic, & nunc occurrenti per conſuetudinem legitimè inductam, per epichiam & per licentiam à competenti Superiore conceſſam: ſectionem diuidemus in 4. ſubſectiones, in quarum 1. agemus de Diſpenſatione: in 2 de Conſuetudine: in 3. de Epychia: in 4. de Licentia per legitimam poteſtatem conceſſa.

SVBSECTIO I.

Quo modo tollatur Obligatio voti religioſæ Paupertatis per Diſpenſationem.

348 *Votum paupertatis religioſæ eſt diſpenſabile.*
349 *Et quidem duobus modis, qui referuntur.*

350 Solus

350 *Solus Papa in eo diſpenſat.*
351 *Diſpenſatus in eo poteſt manere religioſus, ſed non monachus.*
352 *Diſpenſatio hæc facta, etiam ſine cauſa, tenet.*
353 *Eſſet tamen illicita.*
354 *Proponitur obiectio contra valorem huius diſpenſat. & diluitur.*
355 *Diſpenſatus ſine cauſa non peccat vtendo diſpenſatione.*
356 *Diſpenſatio hæc poteſt extendi ad duo.*
357 *Ea concedi poteſt abſque eo quod diſpenſetur in alijs votis religioſis.*
358 *Cauſa ſufficiens ad diſpenſandum in ſtatu religioſo, ac voto Caſtitatis ſufficit ad diſpenſandum in voto paupertatis.*
359 *Talis tamen diſpenſatio regulariter non expedit.*
360 *Papa diſpenſat, vt religioſus faciat teſtamentum.*
361 *Etſi talis diſpenſatio abſolutè data intelligatur ad cauſas pias.*
362 *Teſtamentum ſine hac diſpenſatione factum, ea obtenta, valet.*
363 *Papa diſpenſat cum religioſo, vt reuocet teſtamentum.*
364 *Item, vt religioſus fiat capax ſuccedendi.*
365 *Religioſus factus Papa eò ipſo eſt diſpenſatus in paupertate.*
365 *Item, ſi fiat Epiſcopus.*
367 *Tuncque teſtari poteſt de ſuis bonis.*
368 *Diſpenſatio data ad teſtandum de bonis non finitur vnico actu.*
369 *Religioſus factus Epiſcopus recuperat ius ſuccedendi parentibus & agnatis, etſi ſit Frater Minor.*
370 *Iuſque ſuccedendi tranſit ad Eccleſiam, cui religioſus præficitur.*
371 *Dicta procedunt de religioſo Cardinali, aut promoto ad aliam dignitatem ſecularem.*
372 *Religioſus beneficiarius videtur eximi à paupertate; etſi peccet expendendo fructus beneficij in vſibus prophanis.*
373 *Non item religioſus legitimè eiectus ab Ordine.*
374 *Sicut nec religioſus apoſtata.*
375 *Religioſus diſpenſatus ad matrimonium eò ipſò cenſetur diſpenſatus in voto paupertatis.*
376 *Prælati regulares, etiam ſupremi tenentur hoc voto.*
377 *Diſpenſatus in hoc voto non deſinit eſſe religioſus.*

QVÆRES I. An votum religioſæ paupertatis diſpenſari poſſit.

348 ℞. Poſſe; & probatur ex eo quod, cum iuxta dicta in *tract. de profeſſ. cap. 4. q. 4.* diſpenſatio cadere poſſit in ipſam profeſſionem religioſam, conſequenter & cadet in votum paupertatis; cum acceſſorium tollatur ablato principali, & ablato toto, auferatur pars; vnde cum votum paupertatis ſit vel annexum profeſſioni religioſæ, vel pars illius, facta diſpenſatione ſuper ea, & votum poterit diſpenſari. ita *Suar. to. 3. de relig. l. 8. c. 18. nu. 1.* addens *Sotum l. 10. de iuſt. q. 5. a. 7.* exiſtimare faciliùs poſſe diſpenſari in voto paupertatis, quam caſtitatis, aut obedientiæ.

QVÆRES II. Quot, & quibus modis diſpenſari poſſit ſuper voto religioſæ paupertatis.

349 ℞. Poſſe diſpenſari duobus modis: 1. diſpenſando in eo ſimul cum alijs votis quaſi concomitanter cum toto ſtatu religioſo; & hic modus diſpenſandi videtur certus: 2. auferendo ex parte, aut omninò votum paupertatis, ſtatu religioſo, adhuc durante; quod eſt diſpenſare cum Religioſo vt ſit capax dominij, nullam aliam obligationem votorum, vel ſui ſtatus auferendo: & hic modus etiam videtur poſſibilis, vt hinc patet, quod incapacitas dominij, quæ ineſt religioſo profeſſo, non eſt effectus iuris diuini, aut naturalis ex vi ſolius voti, ſed eſt effectus iuris humani, vt oſtendimus *ſect. 3. q. 1.* poteſt ergo Papa in eo diſpenſare, etiam perſeuerante voto; quippe qui diſpenſare poteſt in ijs omnibus quæ ſunt ſolum iuris humani. ita *Suar. num. 2. & 6.* contra communem Iuriſtarum doctrinam ſuſtinentium Papam non poſſe diſpenſare cum religioſo manente religioſo in voto ſolemni paupertatis neque ex toto, neque ex parte: idque ex *c. cum ad monaſterium de ſtatu monach.* vbi dicitur *Abdicatio proprietatis, & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentia indulgere;* cum tamen Papa ibi loquatur in ſenſu compoſito, itaut ſenſus illorum verborum ſit, non poſſe Papam, manente monachatu in perſona, diſpenſare cum illa, vt habeat proprium: manente inquam, quo ad ea omnia, quæ ſtatui monachali ſecundum ſuam rationem ſpecialem ſubſtantialia ſunt; quod eſt non tam dicere, ſtante incapacitate dominij, non poſſe diſpenſari cum monacho, vt ſit capax dominij (cur aliqui putant, hinc inferentes eiuſmodi conſecutionem eſſe ſatis friuolam) quam declarare abdicationem proprietatis eſſe monachatui omninò intrinſecam, & ſubſtantialem, etiam qua talis eſt, ideoque nec ex Papæ diſpenſatione poſſe quem eſſe monachum, & ſimul eſſe capacem proprietatis, ac dominij.

QVÆRES III. Quis poſſit diſpenſare in voto paupertatis religioſæ.

350 ℞. Poſſe Papam ob dicta q. 1. non item prælatum regularem, aut quemcumque alium inferiorẽ Papa; id enim habetur expreſſe in *citato cap. cum ad monaſterium* per ea verba. *Nec æſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo monacho diſpenſare.* cuius deciſionis ea eſt ratio (pro vt ibidem additur) quod abdicatio proprietatis, ita eſt coniuncta ſtatui monachali ſecundùm propriam ſui rationem, vt ad eius ſubſtantiam pertineat; adeoque nec Papam poſſe dare illam diſpenſationem, ſubſtantia monachatus manẽte integra: quod eſt tacitè concludere Abbatem, cum non poſſit diſpenſare in ſubſtantialibus ſtatus monachalis, nullo modo poſſe diſpenſare, vt monachus ſit capax proprietatis, & nihilominùs maneat monachus; præterquamquod ratio, quæ ſuadet Papam poſſe modo dicto diſpenſare cum religioſo, vt ſit capax habendi dominium, immò etiam illud actu habeat, & nihilominus verè maneat religioſus, non habet locum in prælato regulari; vt facilè conſtabit conſideranti dictam rationem.

351 Moneo hic vnum obiter, quod etiam aduertit *Suar. num. 16.* non poſſe quidem monachum diſpenſari à Papa quo ad retinendam proprietatem, & manere monachum (vti iam diximus) poſſe tamen modo dicto diſpenſari, & manere religioſum; ſi

quidem, cum ſtatus religioſus pateat latiùs, quam monachatus, idem genus paupertatis non eſt de eſſentia ſtatus religioſi, ac monachatus; vnde mirum non eſt, rationem ſtatus religioſi poſſe conſiſtere cum capacitate dominij; & tamen cum ea non poſſe ſaluari rationem monachatus, quantumuis interueniat Papæ diſpenſatio.

QVÆRES IV. An, & quo modo diſpenſari poſſit in voto religioſæ paupertatis, etſi non adſit iuſta cauſa.

352 ℞. Poſſe diſpenſari validè, non tamen licitè; & ratio eſt, quod in tali diſpenſatione tollitur ſolum ius humanum, non autem vlla voti obligatio, vt exinde patet, quod non obſtante tali diſpenſatione adhuc Religioſus non poſſet licitè acceptare dominium alicuius rei; cum poſſit quis eſſe capax dominij, & tamen prohiberi, ne illud habeat: vt videre eſt in voto paupertatis ſimplici, & omninò abſoluto; quale eſſet votum paupertatis in profeſſione ſolemni emiſſum, ſi modo dicto in eo diſpenſaretur.

353 Et quidem quod diſpenſatio in caſu propoſito ſit valida, ſed illicita patet ex doctrina generali, quam tradunt *Salas D. 20. de leg. ſect. 4. & 5. Suar. l. 6. de leg. cap. 18. & 19 Sanch. l. 8. de matr. D. 18.* & alij relati à *Caſtro Pal. tract. 3. d. 6. p. 8. §. 1. num. 1 & 2.* aſſerentes legiſlatorem ſine cauſa diſpenſantem in propria lege validè diſpenſare, ſed illicitè; validè quidem quia voluntate Principis lex conſtituitur, & ex ea integrè pendet eius obligatio: ideoque ſi princeps velit aliquos eximere ab obligatione, reliquis manentibus obligatis, ij erunt exempti, & non alij: illicitè verò eo quod Princeps ſine cauſa aliquem eximens ab obligatione legis communis facit inæqualitatem, aliquo modo committit vitium acceptionis perſonarum, aliiſque præbet anſam efformandi querelas; vtpote videntibus ſe eſſe ſub onere legis, aliis ſine ſpeciali cauſa manentibus ab ea exemptis (quamquam *Sanch. Salas Val. Nau. & Baſil.* allegati à *Caſtro Pal. num. 5.* ſentiant, & benè ſecluſo ſcandalo, & damno aliorum in hac re non interuenire culpam grauem: cum non videatur grauis deformitas partem non ſe conformare toti.) modò cum iuxta dicta incapacitas dominij ſit annexa voto ſolemni paupertatis religioſæ ex ſola inſtitutione Eccleſiæ, & conſequenter iure pontificio: ſi Papa in ea diſpenſet, diſpenſabit in lege propria, & per conſequens, etiamſi diſpenſet ſine cauſa, nihilominus diſpenſabit validè, etſi illicitè ob doctrinam paulo ante traditam.

Nec obſtat, quod, cum votum paupertatis in profeſſione ſolemni ex intentione vouentis emittatur vt ſolemne, religioſus vi illius obligatur ad omnes effectus, quos habet tale votum vt ſolemne; ſicque diſpenſatio illius ſine cauſa ſufficienti facta, etiam à Papa, non erit valida, vtpote derogans obligationi voti, quæ eſt de iure naturali diuino.

354 ℞. Enim negando dictam incapacitatem propriè cadere ſub votum; nam votum eſt ſolùm de eo, quod eſt in poteſtate vouentis: talis autem incapacitas non eſt abſolutè in poteſtate vouentis, ſed pendet ex lege, & ex authore, aut diſpenſatore illius. ita *Suar. to. 3. de relig. lib. 8. cap. 18 num. 6.* & optimè meo iudicio, monens prꝑterea, quod ſi religioſus vouiſſet non petere, aut non acceptare talem diſpenſationem datam abſque legitima cauſa; ſi poſtea illam acceptaret, peccaret; diſpenſatio tamen eſſet valida; quippe quæ non eſt in voto, & actio, etſi ſit peccaminoſa, ratione alterius voti poteſt habere ſuum effectum.

Quod ſi quæras, an diſpenſatus ſine cauſa à legiſlatore peccet vtendo diſpenſatione conceſſa.

355 ℞. Nullo modo peccare; patetque quia ſi is non poteſt dici peccare contra legem poſitiuam, quæ iam non eſt; neque contra legem naturalem, cum diſpenſatus non teneatur de iure naturæ ſe aliis conformare, vtpotè habens cauſam legitimam exemptionis, nempe diſpenſationem validè, etſi illicitè obtentam. ita *Rodriq. to. 1. q. 22. a. 4.* ex communi Canoniſtarum, aliiſque adductis à *Caſtro Pal. nume. 8.* qui benè notat diſpenſatum in illo caſu non poſſe dici peccare ex eo quod cooperetur diſpenſationi iniquè conceſſæ à Superiore: ſi quidem ſolum cooperatur cum petit: vbi autem diſpenſatio fuit petita, & obtenta, iam vſus non videtur eſſe ſpecialiter prohibitus, neque in hoc eſt eadem ratio ſubditi, & ſuperioris; cum Superior vtens diſpenſatione ſibi abſque cauſa conceſſa peccet, quia & tenetur, & poteſt diſpenſationem reuocare; non item ſubditus, cum ei non incumbat tale onus.

QVÆRES V. Ad quæ extendi poſſit diſpenſatio facta in voto ſolemni paupertatis religioſæ per legitimam poteſtatem.

356 ℞. Poſſe extendi non ſolum ad hoc vt Religioſus ſit capax dominij, ſed etiã & vt actu habeat dominiũ, & proprietatem aliquam, cæteris obligationibus ſtatus religioſi integris manentibus: idque ex poteſtate Papæ, patet tum quia certum eſt Papam poſſe diſpenſare in voto ſimplici paupertatis: votum autem ſolemne paupertatis religioſæ, ſecluſa incapacitate dominij, manet inſtar voti ſimplicis: tum quia hoc ipsò quod iuxta dicta *q. 2.* licitum eſt diſpenſare in voto ſolemni religioſæ paupertatis quo ad illam incapacitatem, licebit & diſpenſare, vt actu habeatur dominium, cum ea diſpenſatio fiat propter actum: aliàs impertiens, ac irrationabile eſſet reſtituere capacitatem: quippe id nihil aliud eſſet, quam date poteſtatem ad peccandum, & frangendum votum, quod ita eſt verum, vt, quamuis Papa de poteſtate abſoluta poſſit diſpenſare cum Religioſo profeſſo quo ad incapacitatem dominij, efficiendo, vt fiat capax dominij; licitè tamen, & rectè numquã diſpenſet in primo, quin etiã diſpenſet in ſecundo, ſaltem quo ad aliquem actum, aut pro aliquo tempore; nunquam enim rationabiliter tollitur incapacitas dominij, niſi ob neceſſitatem alicuius actus, qui debet & licitè fieri. ita *Suar. n. 8.* nec diſſentit *Nau. comm. 2. de regular. nu. 17.* dum ait non poſſe Papam diſpenſare, vt quis fiat verus dominus, ſtante integro voto ſolemni paupertatis: ſi id intelligat facta compoſitione cum integritate, & ſolemnitate voti; ſic namque id concedit & *Suarez:* cum hoc idem ſit ac dicere ſolemnitatem voti, & capacitatem dominij non poſſe eſſe ſimul; quod eſt certiſſimum, cum ſolemnitas voti paupertatis in eo maximè conſiſtat, quod faciat hominem incapacem

tem dominij, ſuppoſito voto omninò abſoluto.

QVÆRES VI. An diſpenſari poſſit in voto paupertatis religioſæ, non facta diſpenſatione in voto Caſtitatis, aut obedientiæ.

357 ℞. Simpliciter loquendo poſſe, ſi ſubſit iuſta cauſa, moraliter tamen ex defectu cauſæ vix poſſe contingere, quod fieri poſſit talis diſpenſatio: & quidē quod diſpēſari poſſit modo dicto in toto voto paupertatis, inde probatur, quod Papa poteſt auferre ſolemnitatem talis voti, vt iam oſtenſum eſt; illa autem ablata, paupertas manet ſolum per modum voti ſimplicis, quod ſine dubio poteſt diſpenſari. præter quam quod eadem eſt ratio totius, & partis; adeoq; ſi Papa poteſt diſpenſare in parte voti paupertatis, vt iam probatum eſt; ergo & poterit in toto voto; idque etiam non diſpenſando in alijs votis, vtpote quæ ſunt diſtincta, & non habent inter ſe neceſſariam connexionem. Quod verò vix poſſit contingere caſus, in quo fieri poſſit talis diſpenſatio inde ſuadetur; quod ſi non adeſt cauſa, vt diſpenſetur in toto ſtatu religioſo, nec aderit ad diſpenſandum in voto paupertatis, illud ſeparando ab alijs: quæcumque enim talis cauſa excogitetur, ei poteſt ſufficienter prouideri per vſum, & adminiſtrationem bonorum temporalium, quam poteſt religioſus habere de licentia ſui Superioris, aut etiam Papæ: vti modo habent Religioſi Ordinum militarium. ita *Suar. ſup. num.* 11. monens, quod cum ſtatus religioſus non ſit indiuiſibilis, non repugnat ipſum diminui quo ad vnum votum, & manere quo ad alia (vti eueniret in propoſito caſu) ſiue ita manens dicendus ſit ſtatus religioſus ſimpliciter, ſiue ſecundum quid.

QVÆRES VII. An diſpenſari poſſit in voto ſolemni religioſæ paupertatis, quandocumque occurrit iuſta cauſa diſpenſandi in ipſo ſtatu religionis & voto caſtitatis.

358 ℞. Poſſe; & probatur; tum quia ipſa translatio de ſtatu monachali ad ſæcularem eſt ſufficiens ratio diſpenſandi in votis, quæ ſolum facta erant vt annexa ſtatui regulari: tum quia eſto per adminiſtrationem liberam bonorum poſſet aliquo modo ſatisfieri præſenti neceſſitati, id tamen non fieret ſine magno grauamine Religioſi adminiſtrantis; quippe qui vix ſine ſcrupulo poſſet diſponere de ſuis bonis, ſicque neceſſariò implicaretur innumeris dubijs. ita *Suar. n.* 15. contra *Nauarrum ſupra*.

QVÆRES VIII. An expediat quod diſpenſetur cum Religioſo, vt ſit capax dominij; idque in Eccleſia, moraliter loquendo, eſſe poſſit neceſſarium.

359 ℞. Quod quamuis abſolutè non ſit impoſſibile, quod eueniat caſus, in quo ad maius Dei obſequiū ratione alicuius magni boni communis expediat Religioſum aliquem fieri capacem hæreditatis legati, aut magnæ donationis, quam quis v.g. velit efficere ipſi, & non monaſterio, aut Eccleſiæ, ſperans inde euenturum bonum magnum religionis, aut Eccleſiæ: regulariter tamen non videtur poſſe occurrere neceſſitas, motiuum, & cauſa faciendi talem diſpenſationem: ſi quidem vel occurrit neceſſitas, vt Religioſus per diſpenſationem acquirat dominium bonorum temporalium, vel non; ſi primum, vel neceſſitas eſt talis, quæ ſufficiat ad diſpenſandum cum Religioſo, vt mutet ſtatum, ſicque erit impertinens diſpenſatio in ſola incapacitate dominij: vel non eſt talis, & ſic vix excogitari poteſt aliqua, quæ dominium requirat, & cui ſufficienter non ſubueniatur per vſum, aut vſumfructum facti conceſſum auctoritate Papæ: ſi ſecundum, minus aderit neceſſitas faciendi Religioſum capacem dominij; cum capacitas ordinetur ad actum, ideoque vbi actus non eſt neceſſarius, irrationabile ſit reſtituere capacitatem, quam abſtulit ius in fauorem voti, ac religionis, vt aduertit *Suar. n.* 7.

QVÆRES IX. An Religioſus profeſſus poſſit diſpenſari ad faciendum teſtamentum, & à quo.

360 ℞. Poſſe diſpenſari à Papa; & patet ex eo, quod cum ex ſolo iure humano proueniat Religioſum non poſſe de licentia proprij Prælati aliquid relinquere in mortem per viam teſtamenti: hoc ipſo quod Papa non ligatur vllo iure humano, poterit in hoc diſpenſare. ita *Rodriq. to.* 3. *q.* 69. *a.* 2. *Graff.* 1. *p. deciſ. l.* 3. *cap.* 5. *num.* 57. *&* 59. *Azor. tom.* 1. *l.* 12. *c.* 7. *q.* 2. *Sot. l. vlt. de iuſt. q. vlt. a vlt.* alijque plurimi Canoniſtæ apud *Sanch. l.* 7. *mor. cap.* 8. *num.* 45. qui benè aduertit *numer.* 47. *ex Rodriq. Nau. Mol. & Leſſio* per eiuſmodi diſpenſationem non diſpenſari in voto paupertatis; ſicut enim poteſt concedi Religioſo vſus, & adminiſtratio aliquarum rerum ad eas conſumendas, & alienandas abſque eo quod diſpenſatus fiat dominus illarum (quod eſt dicere, abſque eo quod diſpenſetur in voto paupertatis) ſic & ei concedi poteſt illarum alienatio per vltimam voluntatem, cum id nihil aliud ſit, quam quædam prorogatio facultatis ad alienandum.

361 Verum tamen eſt, quod licentia conceſſa abſolutè ad teſtandum de bonis non debet intelligi niſi ad vſus pios, itaut alioqui conſentiat cum iure communi; ſi quidem Papa generaliter aliquid concedēs numquam cenſetur derogare iuri communi; ideoque licentia ab eo conceſſa non debet trahi ad ea, quæ iuri communi aduerſantur: ſicque vi illius non poterit Religioſus teſtari ad vſus prophanos, prout tradunt *Mol. tract.* 2. *D.* 141. *ſub finem Azor. ſup. cap.* 9. *q. vlt. & Leſſ. l.* 2. *cap.* 19. *numer.* 40. addens Papam non poſſe licitè concedere facultatem teſtandi ad vſus vanos, & prophanos; quamuis, ſi det facultas ſit valida: quod negat *Tapia* relatus à *Sanchez num.* 51.

Sed difficultas eſt, an licentia teſtandi ſuperueniens efficiat valere teſtamentum factum prius à religioſo abſque illa.

362 ℞. Efficere; conſtatque ex eo quod, cum teſtamentum ſit actus ſucceſſiuus, & deambulatorius vſque ad mortem, non cenſetur perfectè factum vſque tunc. vnde ad eius valorem ſufficit, vt habilitas teſtandi adſit tempore mortis, à quo ſumit robur *l. ſi quis filio exhæredato, §. irritum ff. de iniuſt. rupt. teſta.* quare hoc non eſt extendere diſpenſationem, ſed illam accommodare naturæ teſtamenti: quæ cum ea ſit, vt nihil cenſeatur conſummatum vſque ad mortem, licentia ſuperueniens adeſt ante perfectionem teſtamenti; ſicque mirum non eſt illam trahi ad tempus præteritum, quo confectum eſt

ipſum

ipſum teſtamentum iuxta *l. talis ſcriptura 30. ff. de leg. 1.* ita *Sanchez numer. 60. cum Mol. Lopez Nau. Gamb. Mandoſ.* alijſque contra alios oppoſitum ſuſtinentes, & ſatis probabiliter, teſte ipſo *Sanch. num. 59.* qui notat *num. 61.* Religioſis ſimplicibus intra clauſtra degentibus non ſolere concedi facultatem teſtandi: quippe qui ſicut in vita nullam habent bonorum adminiſtrationem, ita nec expedit, quod illam habeant in morte.

Vrgentior difficultas eſt, an Papa diſpenſare poſſit eum Religioſo profeſſo, vt poſſit reuocare teſtamentum factum ante profeſſionem.

363 ℞. Non poſſe, niſi ex cauſa vrgentiſſima: cum ius ex teſtamento acquiſitum tertio, licèt imperfectum, non poſſit auferri à principe ſine cauſa vrgentiſſima; vt notauit *Sanch. cap. 11. num. 13.*

QVÆRES X. An religioſus diſpenſari poſſit vt fiat capax ſuccedendi in hæreditate, ſiue neceſſaria, ſiue voluntaria.

364 ℞. Poſſe; dummodo ante diſpenſationem hæreditas de facto non ſit acquiſita ſiue monaſterio, vtpote capaci ſucceſſionis, ſiue alteri ſuccedenti ab inteſtato. Colligitur ex *Suar. to. 4. de relig. tract. 8. l. 3. cap. 16. num. 14.* patetque ex eo quod cum iuxta dicenda *q. 12.* concedat religioſum promotum ad Epiſcopatum fieri modo dicto capacem ſucceſſionis hæreditariæ; vtique & idem concedet fieri poſſe reſpectu cuiuſcumque religioſi per diſpenſationem ad talem effectem in ſpecie conceſſam à Papa: cum par ratio militet in vtroque caſu, nempe interuentus diſpenſationis, implicitæ quidem, ac virtualis in priori caſu, expreſſæ verò in poſteriori.

QVÆRES XI. An Religioſus hoc ipſo quod eſt aſſumptus ad Papatum, cenſeatur abſolutè diſpenſatus in voto religioſæ paupertatis.

365 ℞. Cenſeri; & probatur, tum quia incapacitas dominij inducta eſt iure humano, cui non ſubeſt Papa; ergo hoc ipſo quod ille aſſumitur ad papatum, illud ius deſinit obligare ipſum; quod eſt eum virtualiter manere diſpenſatum: tum quia aſſumptus ad papatum videtur fieri incapax vſus paupertatis; cum non habeat Superiorem in terris cuius nomine, aut facultate bona poſſideat, ac illis vtatur; ergo proprio arbitrio, & independenter à quocumque alio erit ſubditus: cum tamen hic non ſit vſus paupertatis, ſed proprietarius, nempe vſus rei tanquam propriæ; tum quia, eſto concedatur in religioſo aſſumpto ad papatum manere obligationem religionis ex voto, quatenus in profeſſione vouit non acceptare dominium, ſeque obligauit ad religioſum vſum bonorum temporalium: poteſt nihilominùs per ſe, aut per ſuum Confeſſarium & in tali obligatione, & in alijs votis ſe diſpenſare: idque rationabiliter, ne alioqui in vſu dictorum bonorum continuis angatur ſcrupulis, ſeque exponat periculo peccandi. ita *Suar. tom. 3. de relig. lib. 8. cap. 18. num. 13. Sanch. l. 6. mor. cap. 6. num. 9.* alijque penes ipſum contra alios ab eodem *Sanch.* allegatos, quorum ſententiam ipſe putat eſſe probabilem, ſuam vocando ſolum veriorem.

QVÆRES XII. An religioſus creatus Epiſcopus eò ipſò eximatur à voto paupertatis, ſicque efficiatur verè dominus reddituum eccleſiaſticorum.

366 ℞. Probabile videri, quod eximatur. ita *Diana par. 3. tra. 2. reſol. 50.* ex *Soto Vaſq. Palac. Medin. & Angl. Alph. de Leone, Marquez, & Mendoza*; quos citat, & ſequitur idem *Diana par. 5. tr. 8. reſol. 31.* imò & *Sanch. ſup. num. 13.* qui concedit iſtam opinionem eſſe probabilem; licèt ipſe oppoſitam ſequatur cum *Henriq. Leß. Azor. Rodriq. Graff. Cordub.* aliiſq; plurimis ab illo adductis; cum quibus ſentiunt *Suarez ſup. num. 14. Sanctarel. de apoſt. cap. 6. num 20. Peyr. de R. S. q. 1. cap. 10. §. vn.* alijque relati à *Diana locis citatis.* ratio autem noſtræ reſponſionis eſt, tú quod *cap. vn. 18. q. 1.* de religioſo Epiſcopo dicitur *Velut legitimus hæres paternam hæreditatem poſtea iure vendicandi poteſtatem habet:* cum tamen vendicare, & ſibi acquirere ſolis veris dominis competat *l. in rem ff. de rei vendicat.* ſignum eſt ergò religioſum Epiſcopũ eſſe verum dominum ſuorum bonorum, & conſequenter eximi à voto paupertatis; tum quia aliàs Epiſcopi regulares ex iuſtitia tenerentur reſtituere ea, quæ inſumunt in vſus vanos, ac ſuperfluos, ad idemque tenerentur recipientes; quod vtique eſt valdè durum, & contra praxim. quamquam *Azor. tom. 1. l. 12. cap. 7. q. 2.* aliàs ſuſtinens religioſum Epiſcopum non ſolui voto paupertatis quo ad dominium acquirendum, concedat ipſum eo ſolui aliqua ex parte, quatenus fructibus ſibi prouenientibus vti poteſt, vt vult; quod vtique intelligi debet quantum ad vinculum reſtitutionis non incurrendum.

367 Ex quibus conſtat Epiſcopos regulares poſſe teſtari de bonis patrimonialibus, aut propria induſtria comparatis, non ſecùs ac poſſunt Epiſcopi ſeculares; idque etiamſi dicatur eos non eximi à voto paupertatis: ſi quidem ad hoc ſufficit adminiſtratio bonorum, quam illi habent; vt cenſent *Hoſtienſ. Mich. Medin. Sà, Grat. & Rodriq.* relati à *Sanch. nu. 10.* contrarium tamen ſuſtinente cum *Nau. Henriq. Rodriq. Soto,* alijque plurimis Canoniſtis, etſi fateatur noſtram ſententiam eſſe probabilem.

Quod ſi quæras, an ſtando in ſententia eorum, qui putant Religioſum Epiſcopum non poſſe teſtari de ſupradictis bonis abſque diſpenſatione Papæ talis diſpenſatio ita arctetur ad primum teſtamentum, vt ſi illud reuocent, nequeant poſtea conficere ſecundum.

368 ℞. Non arctari, ſed virtute illius ipſis licere toties, quoties libuerit, teſtari, & teſtamentum priùs factum reuocare. patet, quia eiuſmodi diſpenſatio non debet ita ſtrictè interpretari, vt reddatur illuſoria, & contraria naturæ teſtamenti; quę in eo conſiſtit, vt reuocari poſſit vſque ad mortem; præſertim cum *l. boues §. hoc ſermone ff. de verb. ſignificat.* decidens ſermonem ſimpliciter prolatum intelligi de prima vice explicari debear, niſi actus ille ſuapte natura ſit reuocabilis; vt alios adducens tradit ibi *Tiraquel. limitat. 17. n. 1.* ita *Mol. tr. 2. D. 141. ſub finem Rodriq. tom. 3. q. 69. a. 5.* alijque plures Canoniſtæ, quos refert, & ſequitur *Sanch. l. 8. de matrim. D. 1. num. 18.* contra alios ab eo allegatos *num. 17.*

Vtrum autem religioſus factus Epiſcopus recuperet ius ſuccedendi parentibus, & agnatis,

nec

necnon adminiſtrandi bona, dum vixerit, idque etſi ſit ex Ordine Fratrum minorum.

369 ℟. Recuperare, ipſique mortuo ſuccedere Eccleſiam, cuius ipſe factus eſt Epiſcopus, niſi bona ſint vinculata: quo caſu tranſeunt ad ſucceſſorem vocatum in vinculo. ratio eſt, quia per profeſſionem in monaſterio incapaci non omninò, ac irrecuperabiliter extinguitur ius ſuccedendi, ſed conſopitur, & ſuſpenditur; vnde ſi talis Religioſus transferatur ad Epiſcopatum, aut Cardinalatum, recuperat ius ſuccedendi priori profeſſione ſuſpenſum; & hoc etiamſi demus dictum Religioſum non omninò eximi à voto promiſſæ paupertatis: adhuc enim poſtquam promotus eſt ad Epiſcopatum, non ligatur præfato voto æque ſtrictè, ac quando erat ſubiectus regulari obſeruantiæ; proportionaliter vt *l. 1. §. filio qui mortus ff. ad Turtullian.* dicitur ius ſuccedendi non omninò amitti ſeruitute pęnæ, ſed ſuſpendi, eo ſtatu durante, ideoque conceſſa beneficio principis reſtitutione liberari. ita *Fagund. l. 7. in decal. cap. 6 num. 5. ex Sanch. Mol. Azor.* & alijs monens cum *Sanch. & Rodriq.* religioſum tranſlatum ad Epiſcopatum, etiam ex Ordine minorum, deſinere acquirere monaſterio, & acquirere ſuæ Eccleſiæ à tempore, quo confirmatur à Papa in Epiſcopum; ex tunc quippe eximitur penitus a iuriſdictione monaſterij, ſolique Papæ manet ſubiectus.

Quo modo autem ius ſuccedendi in hæreditate paterna, & alia ſimili, in qua Religioſus ab inteſtato ſuccederet, tranſire poſſit ad Eccleſiam, cui ille præficitur in Epiſcopum: cum ius ſuccedendi in dictis bonis ex vi profeſſionis tranſlatum ſit in monaſterium (quod ſuppono eſſe capax;) ideoque ipſum monaſterium priuari non poſſit iure acquiſito ob tranſlationem perſonæ religioſæ ad Epiſcopatum.

370 ℟. Ius prædictum tranſire poſſe ad Eccleſiam, eo quod vi profeſſionis factæ à Religioſo non ſit tranſlatum in monaſterium, niſi eo modo, quo iura canonica diſponunt: ſiquidem talis effectus eſt merè legalis, ideoque non excedit diſpoſitionem iuris; diſpoſitio autem iuris eſt, vt licet tale ius ſit in monaſterio, pendeat à perſona Religioſi quo ad hoc, vt ſi talis perſona transferatur ad Eccleſiam Cathedralem, ad eam tranſeat, & ius ſuccedendi. ita *Suar. tom. 4. de relig. tr. 8 l. 3. c. 16. n. 14.* addens ſecus dicendum, tum in caſu, quo ante tranſitum ad Epiſcopatum mortuus eſſet pater, & hæreditas iam tranſlata eſſet ad monaſterium (vti iam innuimus in reſponſione principali) tum in caſu, quo hæreditas iaceret, nec monaſterium illam adijſſet ex aliqua cauſa emergente.

371 Cæterum quæ diximus in præſenti materia de Religioſis promotis ad Epiſcopatum; proportionaliter dicendum eſt etiam de Religioſis tranſlatis ad Cardinalatum, aut aliam dignitatem perpetuam ſæcularem (cuiuſmodi ſunt aliquæ Abbatiæ, Archipresbyteratus, & ſimiles) in his enim procedit par ratio, vt inſinuat *Diana p. 5. tract. 2. reſol. 64.*

QVÆRES XIII. An Religioſi beneficiarij ſint exépti à voto religioſæ paupertatis, & quando.

372 ℟. Videri probabile, quod ſint, ſi beneficium, ad quod aſſumuntur, ſit perpetuum, & tale, vt à Prælato regulari non poſſit amoueri: ſiue poſtea illud ſit ſæculare, ſiue regulare. ita *Vaſq. de reddit. cap. 3. d. 8.* & cum eo *Alph. de Leone de offic. Confeſſ. recollect. 11. num. 176.* dicens hoc ipſo quod regulari confertur à Papa beneficium aliquod perpetuum, aut penſio, illum eo ipſo cenſeri diſpenſatum, vt ſit dominus fructuum beneficij, aut penſionis, ſicuti eſt dominus quicumque alius beneficiarius, aut penſionarius Clericus ſæcularis. Quod tamen non facit, quin religioſus modo dicto beneficiarius expendens fructus ſui beneficij in vſus prophanos peccet, non quidem contra votum paupertatis, ſed contra ſpecialem prohibitionem quo ad hoc factam beneficiarijs in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. de reformat.* niſi quis malit dicere eiuſmodi prohibitionem per contrarium vſum fuiſſe legitimè abrogatam: quo modo abrogari poteſt quodcumque aliud ius poſitiuum concurrentibus debitis circumſtantijs. ita docti viri conſulti.

QVÆRES XIV. An, & quo modo religioſi legitimè eiecti cenſeantur eo ipſo liberi à voto paupertatis religioſæ.

373 ℟. Non cenſeri, cum illi adhuc ſint religioſi, ideoque ſint adſtricti ijſdem votis ſubſtantialibus, quantum patitur ipſorum ſtatus: commoditatem tamen totam, vſum, ac diſpoſitionem bonorum, quæ illi poſt eiectionem acquirũt, perinde ad ipſos ſpectare, ac ſi non eſſent religioſi: quippe qui tunc non habent, cui in hac re pareant, & cuius ductum ac voluntatem ſequi teneantur; vnde quo ad illorum bonorum adminiſtrationem, acquiſitionem, & alienationem illi æque ſe habent, ac ſi dominium illorum haberent, quamuis enim dum religioſus manet ſubiectus religioni, ei cõcedi nequeat facultas adeò ampla ſuper illa bona: per repulſum tamen eò ipſo conceditur, cum tunc non maneant ligati voto paupertatis ſimpliciter, ſed ſolum ſecundum quid: vnde fit, vt aliqui DD. relati à *Sanch. l. 6. mor. cap. 6. num. 13.* non vereantur aſſerere religioſos eiectos eximi à voto paupertatis. ita *Mol. tom. 2. D. 376. & 520. Leſſ. l. 2. cap. 41. num. 113. Sanch. ſup. cap. 9. num. 47. Filliuc. tr. 34. num. 57. Alph. de Leone num. 179.* & alij: inter quos bene notat *Sanch. n. 48.* religioſum eiectum illicitè, & ſuperſiuè expendentem non peccare contra votum paupertatis; quippe qui de bonis ab eo tunc acquiſitis iuxta dicta poteſt diſponere, æquè ac ſi eſſet verus dominus, & merè ſæcularis; quod etiam confirmat *Filliuc.* addens recipientem à tali religioſo ob fines illicitos non teneri reſtituere: quamquam aliàs religioſus eiectus in perpetuum de præfatis bonis teſtari non poſſit, eò quod in ijs ſuccedat Camera Apoſtolica, vt inferiùs ſuo loco dicemus.

QVÆRES XV. An religioſi apoſtatæ, quãdiu durant in apoſtaſia, liberi cenſeantur à voto religioſæ paupertatis.

374 ℟. Non cenſeri; & probatur tum quia illi ſunt verè religioſi, ideoque de ijs verificari debet regula generalis, *Quidquid acquirit monachus, &c.* præſertim cum ius contentum in dicta regula nullo iure ſufficienter impediatur; vt aduertit *Suar. ſup. cap. 2. num. 21.*

*nu.*21. tum quia alioqui religioſus ex delicto reportaret commodum, vt patet.

QVÆRES XVI. An Religioſi auctoritate pontificia diſpenſati ad contrahendum matrimonium hoc ipsò ſint diſpenſati etiam in voto paupertatis.

375 ℞. Eſſe; & probatur tum quia, vt obſeruat *Suar. tom. 3. de relig. l. 8. c. 18. num. 15.* in ijs caſibus, in quibus legitur Papam diſpenſaſſe in matrimonio Monachi, aut Monialis, ſignificatur ſemper diſpenſare in omnibus votis: & quidem meritò, cũ tranſlatio ab ſtatu monachali ad ſæcularem ſit ratio ſufficiens diſpenſandi in votis, quæ ſolum facta erant vt annexa ſtatui religioſo: tum quia, ſicut innui q. 7. eſto in caſu propoſito videatur poſſe ſatisfieri neceſſitati Religioſi diſpenſati per adminiſtrationem bonorum liberam: id tamen non fieret ſine grauamine illius, & quidem non leui: quippe qui ſic viæ poſſet donare aliquid ſine ſcrupulo, & neceſſariò infinitis dubijs inuolueretur. ita *Suar. ſup.*

QVÆRES XVII. An Prælati religionum, ſaltem ſupremi ſint exempti à voto religioſæ paupertatis.

376 ℞. Non eſſe: & probatur ex eo quod, quamuis præcipua, & proxima adminiſtratio bonorum monaſterij ſpectet ad illos de iure communi *cap. nullam 18. q. 2. cap. edoceri de reſcriptis, cap. cum ad monaſterium de ſtatu monach.* & iuxta *Trid. ſeſſ. 25. c. 2. de Regular.* certum tamen eſt eos non eſſe dominos dictorum bonorum: quippe qui & ipſi ſunt pauperes, & voto paupertatis adſtricti, ideoque in vſu bonorum temporalium dependent à Prælato quidem ſuperiore, ſi ſint Prælati inferiores: ſi verò ſint Prælati ſupremi, ſaltem à Papa, imo & à Capitulo generali, proprijque Ordinis ſtatutis, ac conſuetudinibus; ſicut innuit *Fagund. ſup. num. 4.* dicens Prælatos regulares non eſſe, abſolutè loquendo, adminiſtratores bonorum monaſterij, ſed iuxta regulam ſibi præſcriptam per ſtatuta, & conſuetudinem vniuſcuiuſque ordinis; ſed de hoc infra.

QVÆRES XVIII. An dato quod cum Religioſo diſpenſetur ſimpliciter in voto paupertatis, hoc ipsò ille deſinat eſſe Religioſus.

377 ℞. Simpliciter non deſinere: idque ob rationem adductam q. 6. in fine.

SVBSECTIO II.

Quo modo obligatio voti religioſæ Paupertatis tolli poſsint per Conſuetudinem legitimè inductam.

378 *Explicatur, quid ſit conſuetudo.*
379 *Conſuetudo aliqua induci poteſt contra votum paupertatis.*
380 *Imò in aliquibus Ordinibus eſt inducta quo ad aliqua.*
381 *Induci tamen non poteſt quo ad vſus illicitos.*
382 *Induci poteſt quo ad teſtandum de bonis.*
383 *Inducitur decennio.*
384 *Ad illam inducendam plures actus requiruntur.*
385 *Et hi debent eſſe externi, manifeſti, ac voluntarij.*
396 *Ea ſi inducatur, poſtea abrogari poteſt.*
387 *Regulariter non debet permitti à Prælatis.*
388 *Præſumitur, ſi ea vtuntur Religioſi, etiam timorati, Prælatis ſcientibus, & non contradicentibus.*
389 *Peccant qui illam inducunt.*

QVÆRES I. Quid intelligatur hìc nomine conſuetudinis,

378 ℞. Quod, cum conſuetudo ſumi poſſit tum pro facto, vti ſumitur in *c. 1. de conſtit. in 6.* & eſt idem ac frequens vſus, ſicut tradit *Greg. Lopez in l. 1. tit. 2. part. 1.* tum pro iure, vt ſumitur in *c. vlt. de conſuetud.* & definitur ab Iſidoro communiter recepto in *c. conſuetudo d. 1.* eſſe ius quoddam moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum deficit lex; hic conſuetudo ſumitur priori modo, nempe pro facto, (ſeu quod idem eſt) pro vſu communi, quem habet vnaquæque religio circa danda, ac recipienda abſque licentia ſuperioris expreſſa: qui vſus indubiè ſufficit ad excuſandum à peccato con. votum paupertatis, & conſequenter ad tollendam obligationem illius, non abſolutè, ſed pro caſu hic, & nunc occurrenti.

QVÆRES II. An, & quo modo talis conſuetudo induci poſſit in religionibus,

379 ℞. Quod, quamuis verum ſit conſuetudinem non prodeſſe, vt renitente ſuperiore aliquid accipiatur, aut retineatur à religioſo: cum ſic recipere, aut retinere ſit con. votum paupertatis obligans iure diuino naturali, contra quod conſtat non poſſe præſcribi: ſi tamen conſuetudo ſit recepta, vigeatque in aliqua religione recipiendi, aut expendendi aliqua non petita expreſſa ſuperioris licentia, valebit vtique & excuſabit religioſos: cum ſic adſit licentia tacita, & voluntas Prælati explicata per conſuetudinem illam in ea religione receptam; vnde fit, vt nihil recipiatur, aut detur renitente ſuperiore, nec contra votum: ſicut notauit *Sanchez l. 7. mor. cap. 19. num. 7.* & poſt illum *Fagund. l. 7. in decal. cap. 5. num. 12. Bonac. de largit. mun. p. 6. num. 15.* & alij.

QVÆRES III. An talis aliqua conſuetudo inducta ſit in religionibus.

℞. De hoc nihil certi ſtatui poſſe, niſi inſpecto vniuſcuiuſque religonis, imò & Prouincię eiuſdem religionis vſu; qui forte non eſt idem, ſed alius, & alius; vt oſtendit experientia rerum magiſtra. Illud generaliter tradit *Leſſius l. 2. cap. 41. num. 79.* in monaſterijs benè ordinatis non extare euiuſmodi conſuetudinem, niſi in rebus minoris momenti, & crebrò occurrentibus. Quare quo ad hoc debent Religioſi attendere, qualis ſit vſus communior Religioſorum magis timoratorum, & qualiter permittatur à Superioribus; num ſcilicet ad vitandos rumores, ad effugiendam offenſionem ſubditorum, & ad cauenda maiora mala; vel quia prudenter iudicant ex concurrentibus circumſtantijs expedire, vt talis vſus toleretur. colligitur ex *Fagundez ſup. nu. 30. 31. 32.*

QVÆRES IV. An talis conſuetudo extendi poſſit ad dandum, ac recipiendum, etiam ad vſus illicitos.

381 ℞. Non poſſe; & probatur ex eo quod non poteſt induci valida conſuetudo, cui totum ius canonicum reſiſtit: talis autem eſſet conſuetudo, quæ fortè in religione aliqua induceretur ad dandum, aut recipiendum ob fines illicitos. cum enim talis conſuetudo induci non poſſit, niſi iuxta dicta *qu.* 2. ſuperior tacitè conſentiat: hoc ipsò quod ille non poteſt conſentire in eas dationes, ac receptiones, vtpote non habens dominium bonorum religionis, ſed ſolam adminiſtrationem, eamque iure canonico non parum reſtrictam: ſequitur neque eam conſuetudinem induci poſſe, &, ſi inducatur, non tam conſuetudinem, quam corruptelam dicendam eſſe. quæ omnia confirmari poſſunt ex eo quod conſuetudo ſuſcipitur pro lege, ideoque debet habere eandem ęquitatem cum lege, & conſequenter, cum nulla lex ferri poſſit, quę non ſit de re honeſta, & vtili reipublicæ, efficitur nullam conſuetudinem eſſe poſſe rationabilem, niſi quæ hanc æquitatem contineat: talis verò non eſſet conſuetudo, quæ in pręſenti caſu induceretur, vt patet.

Nec obſtat, quod in hoc ipſo *cap. num.* 347. oſtédimus prælatum regularem poſſe licitè, & validè dare licentiam expendendi ad vſus illicitos: ex hoc enim non ſequitur illum item poſſe conſentire in conſuetudinem expendendi ad fines illicitos: quin potiùs, cum ibi expreſsè dixerimus prælatum regularem non poſſe dare licentiam expendendi ad illicita, in particulari, ac determinatè, ſed ſolum generaliter, ſequitur illum non poſſe conſentire in conſuetudinem, quæ inducatur ad expendendum determinatè ad vſus illicitos; cum tamen ea induci non poſſit ſine eius conſenſu, vt dictum eſt.

Verum verò induci poſſit conſuetudo, vt religioſi abſque diſpenſatione Papæ teſtari poſſint de aliquibus bonis.

382 ℞. Poſſe in ijs omnibus caſibus, in quibus Papa poteſt id ipſis concedere: & ratio eſt, quod quæ per priuilegium fieri poſſunt, induci etiam poſſunt per conſuetudinem legitimè præſcriptam, cum conſuetudo vim habeat & iuris noui condendi, & abolendi antiqui *c. fin. de conſuetud. ita Sanch. ſup. c.* 8. *numer.* 63. *ex Nau. & Tapia* contra alios ab eodem *Sanch. n.* 62. relatos oppoſitum ſuſtinentes.

QVÆRES V. Quantum temporis requiratur ad inducendam talem conſuetudinem.

383 ℞. Probabile ſatis videri ſufficere, quod perſeueret per decennium. ita *Suarez lib. 7. de leg. cap.* 8. *numer. 9. Sa v. conſuetudo num. 3. Maſcard. de probat. concl.* 424 *à numer.* 24. *Bonac. D. 1. de leg. q. 1. par. vlt.* §. 3. *num.* 31. & alij; patetque, quia iura ſolum requirunt ad inducendam conſuetudinem longum tempus: at decennium eſt longum tempus, & infra illud non reputatur *l. vltim. C. de præſcript. long. temp.* §. 1. *Inſtitut. de vſucap.* quamquam non improbabile ſit, quod tradunt *Menoch. Vaſq. Medi. Sotus, Leſſ. & alij* adducti à *Caſtro Palao tract. 3. D. 1. par. 2. §. 2. numer.* 3. nullum tempus eſſe determinatum ad inducendam conſuetudinem, ſed arbitrio prudentis id penſandum eſſe, qui pro negotij qualitate, & pluralitate actionum poterit tempus aut limitare, aut extendere.

QVÆRES VI. Qualis frequentia actuum requiratur ad inducendam eiuſmodi conſuetudinem.

384 ℞. Quod, cum q. pręcedenti ſuſtinuerimus conſuetudinem non poſſe induci, niſi per decennium: conſequenter ad eam inducendam requiretur actus, per quos ea induci debet, durare per decennium. ratio eſt, quod conſuetudo, quæ ex ratione conſuetudinis vim habet legis, debet eſſe longæua, & legitimè præſcripta: vnico autem, vel duobus actibus non poteſt eſſe longæua, ac legitimè præſcripta, cum ad talem longitudinem, ac præſcriptionem requiratur decennium. ita *Sua. ſup. cap.* 10. *n.* 3 *Salas D, 19. de leg. ſect. 8. n. 71. Bon. ſup. n.* 32. & alij contra alios ſentientes cum *Menoch. l. 2. de arbitr. cent. 1. caſ. 31. n.* 4. talem frequentiam actuum relinquendam eſſe arbitrio iudicis: & hoc, quia ad inducendam conſuetudinem habentem vim legis ea requiritur frequentia, quæ ſufficienter oſtendat populi conſenſum, & principis voluntatem: ſed voluntas principis, & conſenſus populi aliquando paucioribus, aliquando pluribus actibus manifeſtatur; ergo id totum relinqui debet arbitrio prudentis viri; ſic illi, & non improbabiliter meo iudicio, maximè attenta doctrina tradita *q. præced. in fine*.

385 Accedit, quod actus, per quos induci debet talis conſuetudo; debent ex ſe non ſolum eſſe voluntarij ijs, qui inducturi ſunt conſuetudinem, vtpote inducendam ex eorum conſenſu libero; ſed etiam externi, & manifeſti maiori parti communitatis conſuetudinem introducentis; quippe quæ debet ab illa procedere. ita Caſtr. Pal. §. 3 *num.* 11. *&* 14. alijque penes ipſos.

QVÆRES VII. An talis conſuetudo poſſit abrogari.

386 ℞. Poſſe, & probatur tum ex *c.* 1 *de conſtit. in 6.* vbi expreſsè deciditur poſſe conſuetudinem rationabilem, ac legitimè præſcriptam lege expreſſa abrogari; tum quia tota vis conſuetudinis pendet à voluntate legislatoris, ſaltem tacita; adeoque ſi legislator ei reſiſtat, nullam habebit vim, ac efficaciam; præter quam quod poteſtas Superioris arctari non poteſt conſuetudine, vt non poſſit contrarium diſponere, ſi videret conuenire: alias id cederet in perniciem communitatis, vt patet.

QVÆRES VIII. An, & qualiter talis conſuetudo permitti poſſit à Prælatis regularibus.

387 ℞. Regulariter non poſſe permitti in rebus grauioribus: & probatur; quia ex vna parte poſſunt Prælati Ordinum inducere reformationem paupertatis relaxatæ, vt oſtendit Miranda *p. 1. manual. qu. 26. a.* 10. ex alia parte tenentur ex officio illam inducere, & quidem ſub peccato m. ſicut docet *Rodriq. tom. 2. q. 72. a.* 3. ergo non poſſunt permittere conſuetudinem ita notabiliter relaxantem votum paupertatis, Ad quod facit, quod monet *Petr. Nau. l. 3. de reſtit. cap. 1. num.* 280.

dum

dum ſcilicet non inducitur præfata reformatio, expedire, vt ſuperiores, quo tempore monaſterium indiget in communi, ex peculiis religioſorum particularium, quæ habent in depoſito, emant neceſſaria ad vſum communem; & ſi ſubditi reſiſtant, tanquam proprietarios illos priuent dictis peculijs ijs ſubminiſtrando neceſſaria ex bonis communibus monaſterij, quamquam *Alph. de Leone de offic. Confeſſ. recoll. 1 1. nu. 306.* putet ſuperiores ad id non teneri ſub m. quando ſine maximis perturbationibus, ac diſcordijs, imò & periculo ipſorum talis monitio nequeat practicari.

QVÆRES IX. An, & quando præſumi poſſit probabiliter, quod exret talis conſuetudo excuſans à peccato.

388 ℟. Poſſe præſumi, quando conſtat eam paſſim practicari à religioſis etiam timoratis, & alias bene obſeruantibus, idque ſcientibus, & non contradicentibus Prælatis, cum facilè poſſent contradicere in hoc enim ſenſu ait *Baſil. de Leone in l. de quibus ff. de leg. quod ab omnibus fit, rectè fieri præſumitur.* Quamquam, ſi conſuetudo non ſolum ſit contraria lege, ſed etiam à lege prohibita, aut reprobata, tunc in dubio præſumendum ſit pro lege, cum ſic reprobatio conſuetudinis ſit certa ideoque vinci non poſſit ab honeſtate dubia, vt benè aduertit *Caſtr. Pal. ſup. §. 1. num. 5.* ex *Sanch. Suar. Salas*, & alijs monens ſecus dicendum, ſi conſuetudo inducta ſit ſolum contraria legi: tunc quippe in dubio, an ea ſit rationabilis, ac expediens bono communi, præſumendum eſt in fauorem illius.

QVÆRES X. An, & quomodo peccent religioſi inducentes eiuſmodi conſuetudinem.

389 ℟. Peccare toto eo tẽpore, quo conſuetudo non eſt inducta. ita *Suar. ſup. cap. 18. num. 24. Sanch. l. 7. de matr. D. 4. num. 14. Bonac. ſup. §. 3. num. 45.* alijque; & probatur, tum quia ij non poterant excuſari à peccato, niſi ob conſuetudinem legitimè inductam; ergo ſi ea nondum inducta eſt, nulla adeſt ratio excuſans: tum quia quamdiu non eſt inducta conſuetudo, lex obligat; facere autem contra legem obligantem, vtique eſt peccatum.

SVBSECTIO III.

Quo modo obligatio voti paupertatis religioſæ tolli poſſit per Epychiam.

390 *Explicatur quid ſit epychia.*
391 *Duo ad illam requiruntur.*
392 *Eſt licita in materia religioſæ paupertatis.*
393 *Et quidem in tribus caſibus, qui referuntur.*
394 *In dubio conueniendus Superior, ſi poteſt conueniri.*
395 *Epychia facilius admittitur quo ad recipiendum, quam ad dandum.*
396 *Item facilius admittitur in rebus leuioribus.*
397 *Licita eſt in caſu, quo Superior iniuſtè neget licentiam.*
398 *Vtens epychia excuſatur etiam in foro externo.*
399 *Facta epychia, id ipſum poſtea Superiori debet manifeſtari, ſed non ſemper.*
400 *Ad illam ſupponitur Superioris ratihabitio de præſenti.*
401 *Voluntas Superioris præſumpta de futuro ſufficit ad tollendam proprietatem, non item, vt facultas de præſenti ſupponatur.*

QVÆRES I. Quid ſit epychia.

390 ℟. Eſſe veluti interpretationem legis, qua quis in caſu occurrenti interpretatur legislatorem, vel non potuiſſe, vel noluiſſe ad aliquem actum obligare ob concurrentes circumſtantias, etſi alias talis actus ſub verbis legis ſit comprehenſus; vt proinde epychia includat actum tam intellectus, quam voluntatis; vt rectè aduertit *Caſtr. Pal. tract. 1. D. 3. p. 8. nu. 1.* addens operantem ex tali interpretatione dici vti epychia.

QVÆRES II. Quot, & quæ requirantur ad Epychiam.

391 ℟. Requiri duo; nimirum quod res vrgeat; quod ſuperior non ſit præſens, aut præſto inueniri, vel adiri nequat; tũc enim poteſt ſubditus agere perinde, ac ſi expreſſam licentiam haberet, ſi quidem adeſt conſenſus illius præſumptus: cum mens ſuperioris non ſit, vt ſubditus eo caſu non agat, quod ratio dictat, vel vt requirat expreſſum conſenſum. ita *S. Tho. 2. 2. q. 32. a. 8 Rodriq. to. 2 ſummæ c. 31. n. 7. Leſſ. l. 2. c. 41. nu. 79.* alijque communiter, qui benè notant non adeſſe conſenſum præſumptum ſuperioris, quando res facilè differri poteſt, aut ſuperior adiri.

QVÆRES III. An religioſi vti poſſint epychia quo ad votum paupertatis.

392 ℟. Poſſe; & probatur, quia lex, quæ ſtatuitur vniuerſaliter, non ideo ſic ſtatuitur, quod pro omnibus, & ſingulis caſibus rectè idem præſcribat; neq; poſſit occurrere caſus, pro quo id non præſcribatur rectè; ſed quia pro pluribus, & ex maiori parte; vnde ſi lex pro aliquo caſu particulari aduertatur peccaſſe, optimum eſt, vt corrigatur; ſi quidem etiã ipſemet legislator illam correxiſſet, ſi ſciuiſſet, & de nouo corrigeret, ſi adeſſet; neque id referendum eſt in legem, aut in legislatorem, quaſi minùs rectè illam ſtatuerit: ſed in conditionem materię, & in contingentiam rerum, & actuum humanorum, qui infinitis pęnè modis variantur, neque omnes vna aliqua lege poſſunt regulari, vt notant *S. Tho. 1. 2. q. 96. a. 6. ex Ariſtotele 5. Ethic. c. 10. Suar. l. 6. de leg. c. 6. n. 4. Sanch. l. 2. de matr. D. 41. n. 32.* & alij; quare mirum non eſt, etiam in legibus ſpectantibus ad votum paupertatis religioſæ dari locum epychiæ quo ad dandum, aut recipiendum ſine licentia ſuperioris expreſſa: cum etiam in ijs militare poſſit doctrina tradita.

QVÆRES IV. In quibus caſibus poſſint religioſi vti epychia in materia paupertatis religioſæ.

393 ℟. Poſſe vti in triplici caſu; nimirum ſi iudicetur lex præcipere aliquid hic, & nunc illicitum; ſi præcipiat aliquid nimis arduum; ſi iudicetur pręcipere vltra voluntatem legislatoris. ita *Sua. ſup. c. 7. num. 6.* & cum eo *Baldel. l. 5. ſumma theol. D. 47. num. 15.* monens ex ipſo *Suar. cap. 8.* quod ſi in ca-

ſibus propoſitis habeatur iudicium certum, aut ſaltem probabile eos excipi à lege vniuerſali, non eſt opus recurrere ad ſuperiorem; cum ſic ſubditus dicatur habere opinionem probabilem, & alias non peccet quicumque ſequitur opinionem probabilem, vt tradunt DD. communiter.

394 Quod ſi ſubditus ſolum dubitet, an caſus propoſitus comprehendatur ſub lege; tunc conueniri debet ſuperior, ſi poſſit adiri, & dubium illud determinari non poſſit abſque recurſu: ſi vero ſuperior adiri nequeat, eo quod ſubſit periculum in mora; tunc ait Bonac. *D.1. de leg. q.1. p. vlt. §.2. num.* 10. iudicandum eſſe caſum non comprehendi ſub lege: ſi quidem facta morali diligentia pro conditione perſonæ, ac temporis, peruide eſt, ac dubitare latam eſſe legem de tali caſu; ſicque videtur ſubeſſe dubium iuris: in dubio autem iuris melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatem, qui poteſt practicè dubium deponere, & legem non ſeruare; quamquam inquit *Baldel. num.* 16. vix videtur poſſe contingere per epychiam dubium, quod excuſet à legis obligatione; cum alioqui ſupponantur verba legis eſſe vniuerſalia, & dubium de epychia idem ſit, ac dubium de correctione legis: quo modo poſſeſſio ſtat pro lege, ideoque pro illa iudicandum eſt.

QVÆRES V. Qualis debeat eſſe vſus Epychiæ in materia paupertatis religioſæ quo ad dandum, recipiendum, retinendum, aut diſtrahendum.

395 ℞. Eam non eſſe æquè facilè admittendam circa vſum, ac diſpenſationem bonorum monaſterij, quam in alijs actibus recipiendi, aut retinendi aliquid; diſtractio namque bonorum ex ſe eſt magis nociua monaſterio, ideoque regulariter præſumitur inuoluntaria ſuperiori, non ſolum ratione modi, ſed etiam ratione ipſius ſubſtantiæ talis actus; tantoque erit difficilior illa præſumptio, quanto maior fuerit quantitas materiæ; ſicut & augebitur difficultas, ſi ea diſtractio fiat extra monaſterium: ſi quidem ea inter religioſos eiuſdem monaſterij faciliùs permittitur. ita *Suar. tom.3. de relig. l.8. cap.15. num.2.*

396 Addo ego vſum Epychiæ poſſe faciliùs admitti in rebus leuioribus, nec non in eſculentis, ac poculentis, & in rebus deuotionis minoris valoris: enim quo ad hæc facilius præſumi poſſit conſenſus ſuperioris.

QVÆRES VI. An religioſi poſſint vti epychia in dando, aut recipiendo, ſi ſuperior petitam licentiam deneget iniuſtè, ac ſine ratione.

397 ℞. Poſſe, ſi ſubdito conſtet de iniuſtitia negationis. ita *Fagund. l.7. in decal. cap.5. numer.21.* ex *Suar.* & probatur; tum quia iniuſta negatio ſuperioris non adimit ſubdito poteſtatem interpretandi iuſtè voluntatem proprij ſuperioris: tum quia perinde eſt habere prælatum abutentem ſua poteſtate, & iniuſtè nolentem illa vti, cum poſſit, & ex charitate debeat, ac non habere copiam ſuperioris; adeoque ſicut abſente ſuperiore licitus eſt vſus epychiæ, ſic & erit in præſenti caſu; tum quia hìc epychia reſpicit non voluntatem ſuperioris, qui negauit licentiam, ſed alterius Prælati ſuperioris, aut certè totius religionis, vel Papæ, qui eſt ſupremus Prælatus omnium religionum, ſicut ſuperius diximus; qua de re *Peyr. de R.S. q.1. cap.8. §.5. v. ſed quid* ſi nobiſcum ſentiens ex *Henriq. l.6. cap.13. n.4. & c.15. n.6.*

QVÆRES VII. An religioſi dantes, aut recipientes rem notabilem per epychiam excuſentur etiam pro foro externo.

398 ℞. Excuſari, ſi in eo foro ſufficienter probent ſe licitè in illo caſu vſos fuiſſe epychia. ratio eſt, quod forum conſcientiæ, & forum externum ſunt vnum, ac idem quotieſcumque externum non nititur præſumptionibus: ergo ſicut religioſus licitè vtens epychia excuſatur pro foro conſcientiæ, ita & excuſabitur pro foro externo, ſi ceſſet præſumptio, quæ adduci poſſet contra ipſum: ea autem ceſſat hoc ipſo quòd religioſus in eo foro oſtendit ſe licitè vſum fuiſſe epychia.

QVÆRES VIII. An vbi Religioſus per epychiam dedit, aut recepit rem notabilem, teneatur poſtea id aperire ſuperiori.

399 ℞. Non teneri; patetque ex dictis *ſect.3. q.13. §. cæterum.*

QVÆRES IX. An ad hoc vt ſit locus epychiæ, ſufficiat quod ſi religioſus peteret à ſuperiore facultatem dandi, aut accipiendi in eo caſu, ipſe illam omninò concederet, vel certè requiratur aliquid aliud.

400 ℞. Requiri, vt ſuperior tunc cenſeatur concedere talem facultatem. etiamſi religioſus eam non petat; imò nec velle; vt eam in illis circumſtantijs petat. ratio eſt, quia non ideo ceſſat vinculum legis, quod ſuperior diſpenſaret, ſi peteres: per hoc enim non diſpenſat re ipſa; quo modo non propterea poteſt quis rem alterius retinere, eo quod dominus donaret, ſi ille alius peteret; nam per hoc non donat re ipſa: ſi quidem cum illa conditio non ponatur in re, neque ponitur id, quod ex ea ſequeretur. ita *Leſſ. ſup.* concedens tamen ſubditum non peccare m. ſi rem aliquam recipiat ſine licentia, eo quod ſcit eum erga ſe eſſe ſuperioris affectum, vt libenter eſſet conceſſurus, ſi ſciret ipſum tali re egere, vel tale quid deſiderare; quippe in hoc caſu præſumitur adeſſe voluntas ſuperioris, ſaltem virtualis, latens in illo affectu: quæ ſufficit ad excuſandum à peccato m. non, item à veniali; cum modus ille vſurpandi rem datam ſit contra voluntatem ſuperioris. vt patet,

401 Monet autem *Suar. tom.3. de relig. l.8. cap.11. num.10.* quod licet voluntas ſuperioris præſumpta de futuro non ſufficiat, vt facultas de præſenti conceſſa intelligatur, nihilominus ſufficiat ad ſtollendam proprietatem; ſi quidem ad talem effectum ſufficit, vt res non accipiatur nomine proprio, vt tanquam propria, ſed nomine alterius, cui ſtatim ſubordinetur tanquam res communis. Cum enim licentia ad aliquid recipiendum, aut dandum requiri poſſit ex duplici capite, nempe obedientię, & paupertatis; reſpectu quidem obedientiæ non ſufficit facultas ſolum præſumpta de futuro, niſi adſit iuſta ratio excuſans à petitione facultatis ex-

preſſæ

preſsæ propter impotentiam, ſaltem moralem: ſicque religioſus eo modo recipiens, aut dans non excuſatur ab aliqua culpa, ſaltem veniali; reſpectu verò paupertatis ſola illa voluntas ſuperioris in rigore requiritur, quæ ex parte materiæ (vt ſic dicam) occaſionem, aut modum proprietatis minuat: eſtò ex parte operantis non det ei facultatem poſitiuam operandi (id enim non ſpectat ad paupertatem;) ad tollendum autem reſpectum proprietatis ſufficit ordo ad voluntatem præſumptam ſuperioris, ideoque ſufficit etiam ex hoc capite ad excuſandum à peccato mortali.

SVBSECTIO IV.

Quo modo tolli poſſit obligatio voti Paupertatis Religioſæ per licentiam legitima poteſtate conceſſam.

402 *Obligatio voti paupertatis ceſſat per legitimam licentiam.*
403 *Quin etiam licentia ipſa retrotrahitur ad præterita.*
404 *Quadruplex poteſt interuenire in præſenti materia.*
405 *Expreſſa licentia regulariter petitur ad excuſandum à voto.*
406 *Etſi interdum ſufficiat etiam tacita.*
407 *Idque etiam ad excuſandum ab omni culpa.*
408 *Ea in pluribus caſibus præſumitur.*
409 *Ea ſufficit, etſi haberi poſſet expreſſa.*
410 *Limita, ſi datio, aut acceptio ſine expreſſa licentia Prælato diſpliceat ſolum quò ad modum, non autem quò ad ſubſtantiam.*
411 *Et ad hoc ſufficit cognitio probabilis voluntatis Prælati.*
412 *Aliquando licentia petita, & iniuſtè negata excuſat.*
413 *Secus licentia extorta vi, dolo, metu, aut precibus importunis.*
414 *Excuſatur religioſus acquirens ex licentia plurium ſuperiorum maiorem ſummam ea, quam poſſet acquirere ex licentia obtenta ab vno tantum ex illis.*
415 *Non excuſatur accipiens ex licentia petita abſque manifeſtatione eorum, quibus cognitis, ea fuiſſet negata.*
416 *Iuuat licentia data à ſuperiore, etſi indebitè ſit petita.*
417 *Excuſat licentia præſumpta in taciturnitate ſuperioris.*
418 *Non item licentia dubia.*
419 *Iuuat interdum etiam iniuſtè data.*
420 *Limita, niſi ſit iniuſta ex parte cauſa.*
421 *Licentia in præſenti materia danda à Prælato competenti.*
422 *Religioſo peregrinanti datur regulariter à Prælato domicilij.*
423 *Iuuat petita per literas, & ſperata à Prouinciali abſente; etſi ea poſſet haberi à ſuperiore immediato præſente.*
424 *Colligitur aſſertio ex Sanchez.*
425 *Legatum religioſo relictum ad vitam non ſemper expendi poteſt vbique de licentia vnius, ac eiuſdem Prælati.*
426 *Retinens rem ſine licentia diebus 10. dicitur retinere per breue tempus.*
427 *Licentia ad vnum vſum licitum non extenditur ad alium item licitum.*
428 *Licentia acquirendi res ſolitas diſtribui extenditur ad recipientes.*
429 *Habens licentiam dandi, & accipiendi poteſt dare non habenti licentiam accipiendi, & accipere à non habente licentiam dandi; etſi hoc egeat aliqua limitatione.*
430 *Habens licentiam peregrinandi cenſetur habere licentiam etiam parandi neceſſaria ad peregrinationem.*
431 *Religioſus petens Romam ex deuotione, ibi ſine alia licentia emit imagines, numiſmata, & res alias deuotionis, etſi cum debita moderatione.*
432 *Licentia expendendi pro libito extenditur ad vſus illicitos.*
433 *Licentia ab vno ſuperiore Conuentus ibi iuuat ſub ſuperiore ſuffecto in locum prioris Prælati.*
434 *At non iuuat extra illum Conuentum.*
435 *Limita, niſi ſit data à Prouinciali, aut Generali.*
436 *Licentia validè datur à Prælato inferiori per Prælatum ſuperiorem prohibito dare illam, ſed non ſemper.*
437 *Licentia retinendi ſuperflua non excuſat ſimpliciter à violatione voti paupertatis, etſi excuſet à vitio proprietatis.*
438 *Licita eſt datio, & acceptio ſub conditione licentiæ habendæ.*
439 *Aſſignatur, quæ ſumma dari poſſit à Prælato regulari, vel eius ſubditis de illius licentia tam diuiſim, quam ſimul.*
440 *Superior negans ſubdito licentiam accipiendi rem oblatam, interdum illam acceptat ad vſum communem Conuentus.*
441 *Licentia ad aliquid in ſpecie emendum finitur primo actu.*
442 *Data ſuprà poteſtatem concedentis iuuat iuxta menſuram poteſtatis verè competentis.*
443 *Habens licentiam emendi aliquid, vt illius illud accipit mutato iam domicilio: ſecùs, ſi non miſit aliò pecuniam in ea emptione implicandam, quando mutat domicilium; quod ſi pecunia miſſa eſt, quando mutatur domicilium, etſi non peruenerit ad locum, in quo debet expendi, iuuat licentia prioris Prælati.*
444 *Prælatus inferior prohibitus ex Ordinis ſtatuto dare licẽtiam accipiendi pecuniam interdum dat validè, ac licitè: & ſi dare non poſſit directè, dare poteſt indirectè.*
445 *Superior in capite ad 15. dies immò etiam ad 3. dat ſibi facultatem dandi, & accipiendi, quam poſſet accipere à Prælato ordinario; ſecùs ſi ſit ad paucas horas.*

QVÆRES I. An obligatio voti paupertatis religioſæ tolli poſſit per licentiam legitima ſuperioris poteſtate conceſſam, & quo modo.

402 ℞. Quod, cum tota violatio voti paupertatis in eo conſiſtat, vt abſque ſuperioris licentia aliquid recipiatur expendatur, aut aliter diſtrahatur; hòc ipsò quod hæc fient de licentia ſuperioris, nulla erit violatio paupertatis, & conſequenter vi talis licentię pro caſu occurrenti tollitur obligatio ex voto paupertatis conſurgens.

403 Immò religioſus, qui ſine licentia aliqua accepit, aut diſtraxit, vigore licentiæ poſtea obtentæ poteſt accepta retinere. & data non repetere: idque eſtò dicta licentia non expreſsè petita ſit ad retinenda accepta, & ad data non repetenda, ſed ad accipiendum, & dandum. cuius rei ea eſt ratio, quod talis licentia videtur velut retrotrahi ad præterita, & in caſu propoſito interuenit virtualis noua acceptio, ac datio, vt patet. ita docti viri á me conſulti, & probabiliter.

QVÆRES II. Quotuplex licentia poſſit interuenire in præſenti materia voti paupertatis.

404 ℞. Poſſe interuenire quadruplicem; nimirum expreſſam, tacitam, generalem, & ſpecialem. licentia expreſſa eſt, quæ verbo, vel ex ſcripto expreſsè conceditur; tacita eſt illa, quæ non habetur quidem expreſsè, præſumitur tamen, quod ſi peteretur, à ſuperiore, concederetur (vnde & vocatur præſumpta, ſeu interpretatiua) generalis eſt, quæ tribuitur omnibus in generali; ſpecialis quæ conceditur huic, aut illi in particulari.

QVÆRES III. Quæ licentia per ſe, & regulariter requiratur ad excuſandum à violatione voti paupertatis.

405 ℞. Requiri licentiam expreſſam, vbi commodè poſtulari poteſt: eam quippe exigit & religioſa regula, & conueniens, ac ordinatus modus procedendi; vt aduertit *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap.* 11. *num.* 3.

QVÆRES IV. An, & quando ad talem effectum ſufficiat licentia tacita, præſumpta, ſeu interpretatiua.

406 ℞. Sufficere, ſi non adſit commoditas petendi licentiam expreſſam, eò quod ſuperior abſit, vel ſit occupatus, & vrgeat neceſſitas, aut moralis commoditas recipiendi; tunc enim ſi religioſus probabiliter credat ſuperiorem daturum fuiſſe licentiam, ſi conueniri poſſet, ſine peccato proprietatis accipi poteſt res oblata: quamquam, vt meliùs in hoc procedatur, oportet, vt acceptio ſit cum habitudine ad ordinatam retentionem, & diſpenſationem, adeoque fiat cum intentione manifeſtandi rem ſuperiori, cum primum occurrerit opportunitas; idque vt ipſe ratam habeat acceptionem, vel irritet, ſi voluerit: id enim exigit regula religioſa, & debitus ordo, vt bene aduertit loco citato Suarez. ratio reſponſionis eſt, quod taciti, ac expreſſi eadem eſt virtus *cap.* 2. *de reſcriptis*, & hoc ipsò quod præſumitur rationabiliter ſuperiorem id velle, non dicitur res fieri abſque eius licentia, eſtò non habeatur eius expreſſus conſenſus: ita *S. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 38. *articul.* 8. *Mol. tom.* 2. *D.* 276. *numer.* 7. *Sà verb. eleemoſyna numer.* 12. *Rodriquez tom.* 2. *quæſt.* 57. *articul.* 2. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 41. *numer.* 79. alijque plurimi, quos citat, & ſequitur *Sanchez lib.* 7. *moral. cap.* 19. *numer.* 4. addens id fallere in religionibus ſtrictioribus, in quibus ratione paupertatis ſtrictè obſeruandæ præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, ne liceat recipere, aut expendere aliquid ſine expreſſa licentia: ſic quippe apertè excluditur licentia tacita, & præſumpta ad impediendam relaxationem paupertatis; quamquam etiam in iſtis religionibus, vrgente neceſſitate, ſufficeret licentia tacita, ſi non eſſet recurſus ad ſuperiorem longè diſtantem: ſiquidem præcepta debent eſſe rationabilia; ſicque præceptum illud interpretandum eſt, ſicut obſeruauit idem *Sanchez ex Lud. Lopez*, & *Rodriquez*.

407 Quod autem dicit *Leſſ. ſup.* tunc tantum præſumi adeſſe licentiam tacitam, quando adeſt periculum in mora: benè explicat *Sanchez numer.* 5. eſſe verum in hoc ſenſu, vt ſcilicet religioſus excuſetur ab omni culpa; nam, vt excuſetur á mortali, interdum ſufficit probabiliter præſumere fore vt ſuperior aditus licentiam concederet, quamuis inuitus ſit quo ad modum in caſu, quo non petatur licentia.

Ad dubium eſt, quandonam præſumi poſſit adeſſe licentia tacita excuſans religioſum à tranſgreſſione voti paupertatis.

408 ℞. Præſumi poſſe; primò, ſi conſtet experientia ſuperiorem ſolere talem licentiam alijs libenter concedere, nec notabiliter ægrè ferre, vt non petatur: 2. ſi adſit conſuetudo, & prælatus eam volens toleret: 3. ſi religioſus ex vſu ſciat eum eſse erga ſe ſuperior affectum, vt libenter ſibi daret, ſi id ab eo peteret, aut ſciret eum tali re indigere, aut deſiderare; quin etiam ſufficit, quod credat ſuperiorem ipſi dare facultatem ſic accipiendi, aut alienandi; etſi illi diſpliceat modus; vti diximus §. *præcedenti*. ita *Fagund. l.* 7. *in decal. cap.* 5. *num.* 16. aliique penes ipſum.

Maius dubium eſt, vtrum in rigore præcepti ſufficiat tacita, aut probabiliter præſumpta voluntas ſuperioris, etiam in eo caſu, quo ab eo peti poſſet expreſſa licentia dandi, aut recipiendi, & omittitur ob aliquem reſpectum humanum, aut pudorem, vel nonnullam difficultatem adeundi ſuperiorem.

409 ℞. *Suarez numer.* 6. quod, licèt longe melius, & ſecurius ſit operari in hoc cum expreſſa facultate: communis tamen ſententia, quæ aſſerit etiam in tali caſu ſufficere licentiam tacitam, eſt practicè probabilis, & ſecura ad excuſandum à peccato mort. & fortaſſe in rigore vera; idque ſiue loquamur de licentia, quæ in rigore, & proprietate verbi dicitur tacita, & continetur virtute in aliquo actu expreſſo iuxta legalem, aut rationabilem interpretatiuam (hæc enim non eſt voluntas omninò futura, & conditionalis, ſed ſupponitur aliquo modo exiſtens:) ſiue loquamur de licentia, quæ dicitur propriè præſumpta, & conſiſtit in eo, quod per coniecturas, aut rationes creditur futura fuiſſe, ſi ſuperior conueniretur; non autem fundatur in aliqua voluntate ſuperioris præſenti, aut præterita, formali, aut virtuali, neque in ſignis eius; quam-

uis

uis enim talis voluntas præſumpta de futuro non ſufficiat: vt facultas intelligatur conceſſa de præſenti; ſufficit tamen ad tollendum peccatum proprietatis, vti oſtendimus *ſubſect. praced. q. 9. §. monet;* præter quam quod ſicut *l. inter. omnes §. recte ff. de furtis* dicitur non eſſe reum furti eum, qui aliquid accipit probabiliter, credens dominum fuiſſe daturum, ſi ab eo id petiſſet, ſic & idem dici poteſt in caſu noſtro: cum in vtroque euentu locum habeat quod citata *l. inter omnes* ſubditur *quid enim dolo fecit* qui putauit dominum *conſenſurum fuiſſe, ſiue falſo id, ſiue verè putet;* qua de re *Diana p. 6. tract. 6. reſolut.* 58.

410 Nec obſtat dictis, quod iuxta vſum ordinarium religionum ſuperiores non ſolum non conſentiunt, ſed potius ægrè ferunt, quod ſine expreſſa licentia aliquid detur, aut recipiatur, quando ea peti poteſt: quod eſt ſignum eiuſmodi licentiam non poſſe dici moraliter præſumptam, ideoque religioſum ſic dantem, aut recipientem peccare contra votum paupertatis; vt notat Gerſon. 2. *p. alphab.* 34. *lit. S.* his verbis *Quoties probabiliter creditur, quod ſi ſuperior ſciret, ipſe non approbaret, ſed diſpliceret ſibi, & hoc, diſplicentia grani, tunc eſt tranſgreſſio voti.* Id quippe verum eſt ſolum, quando ea diſplicentia ſuperioris eſt de ipſa receptione quo ad ſubſtantiam eius: ſic namquam tollitur voluntas preſumpta: non item, ſi ſit ſolum quo ad modum, eò quod ſcilicet receptio fiat ſine expreſſa licentia, ſic enim adeſt ratio ſufficiens excuſandi à peccato proprietatis, vt iam diximus.

Notat autem *Caſtrus Pal. tract. 16. D. 3. p. 23. nu. 9.* quod licet plures Doctores cum *Molina tom. 2. D. 276. num. 7.* dicant in caſu propoſito requiri certam cognitionem voluntatis Prælati; ne alioqui religioſus exponatur periculo operandi abſque vlla licentia; probabilius tamen eſt ſufficere cognitionem probabilem; cum ſic operans ſit moraliter certus de voluntate ſuperioris, nec exponatur morali periculo operandi ſine licentia. pro hac ſententia ſtant *Nau. Leſſ. Sanch. Mendoza, & Suar.* relati ab ipſo *Caſtro Palao*: qui addit ex *Nauarro, Suar. & Sanch.* in præfata receptione, ac bonorum diſpoſitione fere ſemper interuenire peccatum veniale; eo quod ſuperior, cum commodè adiri poſſit ægrè fert hanc clandeſtinam, & furtiuam receptionem, ac diſpoſitionem, vtpotè contrariam puritati paupertatis, ac regulari obſeruantię: quod tamen aliqui DD. non admittunt ita abſolutè, vt conſtat ex dictis *ſup. ſect. 3. q. 13. §. caterum.*

QVÆRES V. An, & quo modo licentia debitè petita, & indebitè denegata à Superiore excuſet Religioſum à transgreſſione voti paupertatis.

412 ℞. Non excuſare, niſi fortè periculum ſit in mora, aut immineat graue damnum; quo caſu poteſt eſſe locus Epychiæ per rationabilem voluntatem ſuperioris maioris; & ſi contingat, vt etiam Prælatus ſupremus licentiam neget, indeque magnum damnum immineat ſubdito, poterit eſſe locus interpretationi ipſius poteſtatis, & prudenter iudicari, quod in tanto diſcrimine, & cum tanto incommodo lex, aut poteſtas non obliget: quo ſenſu *Henriq. l. 7. cap. 15. num. 6.* ait quod quando conſenſus Parochi eſt debitus, ſed non habitus intelligitur per Epicheiam ſuppleri per conſenſum Epiſcopi, & hic per conſenſum Papæ, &c. & quidem quod licentia debita, ſed negata non excuſet, probatur, tum quia ſic votum paupertatis adhuc obligat, cum nondum materia illa conſtituta ſit extra latitudinem illius; tum quia in tali caſu datio, aut acceptio non poteſt fieri nomine ſuperioris; cum nulla eius voluntas intercedat; nam voluntas debita nulla voluntas eſt, quamdiu contraria de facto ineſt: ſicque acceptio, aut datio fiet nomine proprio, & conſequenter erit proprietaria, & contra votum. Quod vtique non procedit, quando ſubditus petit neceſſaria, & Prælatus ea irrationabiliter denegat. tunc enim militat doctrina *Suarij t. m. 3. de relig. l. 6. cap. 9. num. 28.* perinde ſcilicet eſſe habere Prælatum abutentem ſua poteſtate, atque illum non habere: vnde fit vt ſicut Religioſus abſente Prælato ſibi aſſumere poſſet neceſſaria, ſic & poſſit ipſo ea iniuſtè denegante, ſic *Caſtrus Palaus tr. 16. D. 3. p. 23. num. 9.* docet licentiam debitam, & negatam excuſare à vitiò proprietatis, ſi ſit debita ex parte tam religioſi, quam Prælati: non item ſolum ex parte Prælati.

QVÆRES VI. An excuſet à violatione voti paupertatis licentia ſuperioris extorta precibus valde importunis, aut dolo, aut etiam metu.

413 ℞. Non excuſare, cum licentia modis ſupra dictis non ſit verè voluntaria, dicique melius poſſit violentia, quam licentia. patet, quia preces importunæ, quoties illis ceſſantibus rogatus id non efficeret, ſed importunitate quadam victus, & vt eam repellat, id facit, efficiunt mixtum inuoluntarium, & conditionalem nolitionem: metus item, licet leuis, & dolus reddunt licentiam non voluntariam; vt in terminis docet *Sanch. num. 17.* monens *num. 18.* non eſſe tutum in conſcientia religioſum, qui aliquid retinet ex licentia ſuperioris nō libera, ſed quaſi coacta, eo quod ſuperior videt religioſum ſubditum, negata tali licentia magnas effuſurum querelas, & murmuraturum tanquam iniuria affectum; itaut conceſſio illa licentiæ non ſit voluntaria, ſed permiſſio coacta ad vitandum maius malum. ita *Bonac. de largit. mun. p. 6. n. 25.* & alij.

QVÆRES VII. An excuſari poſſit à peccato proprietatis religioſus, qui intendens ſummam quamdam pecuniæ coaceruare, ſcienſque fore, vt nullus ex ſuis Prælatis concedat licentiam tantam ſummam ſimul recipiendi, petit licentiam à Prælato locali acquirendi ſibi ſummam pecuniæ non excedentem eius poteſtatem, à Prouinciali aliam maiorem, & à Generali aliam item maiorem; ita vt demum perueniat ad ſummam primo intentam; idque nulli eorum ſignificando, ſe ab alio Prælato obtinuiſſe licentiam recipiendi ſummam pecuniæ, quam reuera obtinuit.

414 ℞. Quod licet in præſenti caſu videatur interuenire aliqua fraus, ſeu dolus; nihilominus ſimpliciter loquendo, poteſt religioſus excuſari à vitio proprietatis. ducor, tum quia iſte religioſus vtitur iure ſuo, petendo licentiam acquirendi à legitimo Prælato (cum quilibet illorum poſſit illi da-

re

re præfatam licentiam) & ad talem effectum non teneatur potiùs adire vnum, quam alium: qui autem vtitur iure ſuo, nemini facit iniuriam, nec facit fraudem; tum quia *Nau. Rodriq. Vega, Sa, Henriquez, Graff.* & alij apud *Sanch. l. 8. de Matr. D. 23. num. 1.* cenſent cum ipſo *Sanch.* probabile eſſe, quod indigens diſpenſari in pluribus impedimentis, non tenetur illa omnia exprimere in vna, ac eadem diſpenſatione; ſed ſufficit diuerſa impedimenta proponi in diuerſis diſpenſationibus (niſi fortè, inquit *Sanch.* tot impedimenta concurrant in eadē perſona, vt iuſtè credi poſſit Papam non diſpenſaturum ex cauſis propoſitis, ſi noſſet tot impedimenta concurrere) & hoc, ſiue diſpenſationes omnes peti debeant ab eodem Superiore (v. g. à Papa) ſiue à diuerſis (v. g. à Papa, ac Epiſcopo, aut alio habente poteſtatem diſpēſandi); ſi autem eiuſmodi diſpenſationes non ſunt ſubreptitiæ, ſed legitimæ; neque in caſu propoſito erunt ſubreptitiæ licentiæ obtentæ à diuerſis Superioribus, cum par ratio militet in vtroque: tum denique quia quod Generalis v. g. dederit licentiam recipiendi certam ſummam, non facit, quin etiam Prouincialis, ac Prælatus localis poſſint ſimilem licentiam dare, quamuis magis limitatam iuxta vires ſuæ poteſtatis. ita docti viri conſulti.

QVÆRES VIII. An ſit tutus in conſcientia religioſus, qui ex licentia Superioris recipit, aut dat, cum tamen in petitione licentiæ omiſerit ea, quibus propoſitis Superior talem licentiam non conceſſiſſet.

415 ℞. Videre non eſſe tutum ob dicta *ſect. 4. ſubſect. 2. q. 23.* quamquam in ſimili caſu attendenda ſit doctrina, quam tradit *Mol. tr. 2. D. 209.* his verbis: *Aliud eſt conferentem eſſe in ea diſpoſitione quod ſi ſciret cauſam, propter quam confert, non ſubſiſtere, non conferret: aliud verò eſt eſſe in ea diſpoſitione, quod ſi ſciret cauſam non ſubſiſtere, vellet collationem nullam eſſe: hoc ſecundum inualidam facit gratuitam collationē: ſed primum non ſemper facit inualidam;* hæc enim doctrina videtur poſſe applicari ad præſentem caſum; cum eodem modo contingere poſſit, quod ſuperior aliquibus cognitis aliquam licentiam non daret, & tamen nihilominus velit licentiam, quam dedit de facto, eſſe validam, vnde puto in tali euentu attendendam eſſe mentem dantis, eam iudicio prudentis colligendo ex concurrentibus circunſtantijs: quod ſi ſimus in dubio, præſumendum eſt pro voto paupertatis contra religioſum licentiatum ad dandum, aut recipiendum: cum in dubio melior ſit conditio poſſidentis, & hìc poſſeſſio ſtet pro ipſo voto, vt patet.

QVÆRES IX. An religioſus ſine peccato vti poſſit licentia conceſſa à ſuperiore ad dandum, aut recipiendum, ſi eam prius petijt ab alio Prælato, ſiue ſuperiore, ſiue inferiore, & fuit denegata, idque non ſignificauit alteri Prælato, à quo illam reuera obtinuit; cum alioqui in regula præcipiatur vt, ſi cui à ſuperiore aliquid negatum fuerit, alium ſuperiorem non adeat ſuper ea re, quin ei aperiat, quid ſibi ab alio fuerit reſponſum, & quas ob cauſas negatum: ſicuti habetur in *regulis communibus Soc. Ieſu regula 23.*

416 ℞. Religioſum poſſe vti tali licentia abſque eo quod peccet, contra votum paupertatis: delinquere tamen cōtra regulam. ita docti viri à me cōſulti, & quo ad priorē partem probatur, quia adhuc licentia data eſt voluntaria, & conſequenter valida; cum manifeſtatio illa negationis factæ ab alio Prælato non præſcribatur, tanquam de ſubſtantia licentiæ obtinendæ, ſicque licentia non poſſit dici inuoluntaria ex defectu dictæ manifeſtationis, vt pote proueniens ex errore verſante circa accidentalia: quod non haberet verum, ſi illa manifeſtatio præciperetur tanquam de ſubſtantia valoris licentiæ obtinendæ: tunc enim ex omiſſionē talis manifeſtationis conceſſio licentiæ eſſet nulla ob rationem ſuperiùs allegatam.

QVÆRES X. An, & qualiter excuſet à tranſgreſſione voti paupertatis licentia præſumpta in ſola taciturnitate ſuperioris videntis religoſum aliquid accipere, aut expendere ſine licentia, expreſſa, & non contradicentis.

417 ℞. Excuſare, ſi ea taciturnitas non ſit pura permiſſio, ſed quædam approbatio, & licentia tacita æquipollens ratihabitioni de præſenti (quæ præſumi poteſt, quandocumque ſuperior poteſt commodè contradicere, & non contradicit); ſecùs, ſi taciturnitas ſit pura permiſſio ſuperioris non audentis contradicere præ verecundia, aut timore. ita *Sanch. lib. 7. mor. c. 19. n. 12.* contra plures alios ab ipſo relatos *nu. 10. & 11.* ratio reſponſionis eſt, quod in priori euentu interuenit licentia probabiliter præſumpta, quam *q. 4.* diximus ſufficere ad excuſandum à peccato proprietatis: non item in poſteriori, cum neque Dei permiſſio excuſet à peccato eum, quem Deus permittit incidere in illud.

QVÆRES XI. An licentia dubia excuſet à violatione voti paupertatis religioſum, qui recipit, ac expendit non habens certitudinem, ſed dubitans, num ſuperior eſſet conceſſurus facultatem, nec ne.

418 ℞. Non excuſare; & probatur tum ex dictis *ſubſect. præcedenti q. 4. §. quod ſi ſubditus:* tum quia in tali caſu poſſeſſio ſtat pro voto, ac iure ſuperioris: tum quia ſuperior in dubio præſumitur inuitus *l. qui vas 49. ff. de furtis*: tum quia non licet operari cum conſcientia practicè dubia. ita *Bonac. ſup. nu. 14.* alijque penes ipſum, qui benè aduertit ſecus dicendum, ſi religioſus probabiliter credat licentiam ſibi fore concedendam, ſi petat, idque ob rationem adductam *ſubſ. præced. q 4.*

QVÆRES XII. An excuſet, & in quibus caſibus licentia ſuperioris iniuſtè conceſſa Religioſo ſubdito ad accipiendum.

419 ℞. Non excuſare, ſi ſit iniuſta, ſiue ex parte Religioſi petentis, eò quod ſit extorta per dolum, fraudem, vim, aut metum (idque ob dicta *q. 6.*) ſiue ex parte materiæ, eò quod Superior det licentiam ad furandum; (quo modo conſtat licentiam eſſe ex ſe nullam, ideòque nihil operari) ſecùs, ſi ſit iniuſta ex parte cauſæ; tunc enim licentia excuſat Religioſum cum ea recipientem, oſtò detur ſine neceſſitate, aut vtilitate rationabili, vel ſine aliquo alio iuſto titulo: quippequę eſt ex poteſtate ſufficienti, cum non ſit diſpenſatio in voto paupertatis,

ſed

ſed conceſſio quædam circa materiam remotam paupertatis faciens moralem mutationem in materia proxima conſiſtente in hoc, vt quis rem talem habeat nomine proprio, aut alieno: quæ poteſt fieri à Superiore, etiam ſine cauſa, & de facto fit, non ex ignorantia, aut errore, ſed ſatis voluntariè, vt ſuppono. ita *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap.* 11. *num.* 14. 15. *&* 16. monens *cap.* 12. *num.* 11. non eſſe proprietarium illum religioſum, qui habet aliquid ex licentia Superioris irrationabiliter conceſſa: cũ ſic religioſus rem retineat, non nomine proprio, in quo conſiſtit ratio proprietarij, ſed nomine Superioris, & dependenter ab eius voluntate.

An autem religioſus excuſetur à culpa, ſi ex bonis monaſterij aliquid alienet, aut conſumat de licentia ſuperioris irrationabiliter conceſſa, ac iniuſta ex parte cauſæ.

420 ℟. Non excuſare, ſi attentis, concurrentibus circunſtantijs iudicio prudentis viri licentia cenſeatur nulla, vt pote data inuito domino, idest religione nullo modo conſentiente in illam alienationem; talis autem cenſebitur, ſi res, de qua agitur, ſit grauioris momentis ac ęſtimationis; & alienatio ipſa fiat extra monaſteriũ, vel certè intra monaſterium conſumatur, & pereat. ita *Suarez ſup. cap.* 15. *num.* 4. benè monens, ad hoc vt religioſus peccet vtendo licentia modo dicto iniuſta, debere ei certò conſtare illam eſſe adeo iniuſtam, vt ſit inualida: aliàs in dubio & poteſt, & debet præſumere pro ſuperiore.

QVÆRES XIII. Cuius ſuperioris ſit dare licentiam, vt religioſi dare, & recipere poſſint abſque tranſgreſſione voti paupertatis.

421 ℟. Eſſe tum Generalis in toto Ordine, tum Prouincialis in tota ſua prouincia, tum Superioris localis in proprio monaſterio. ratio eſt, quod dare licentiam recipiendi, & dandi ſpectat ad prælatum regularem habentem veram adminiſtrationem bonorum monaſterij, & qui ſit proprius Prælatus: at talis eſt Generalis quo ad totum Ordinem, Prouincialis reſpectu ſuæ prouinciæ, & ſuperior localis quo ad Religioſos in ſuo monaſterio commorantes: ergò. ita *Bonac. ſup. num.* 6. hinc inferens ex *Lopez, & Sanch.* ſuperiorem immediatum monaſterij non poſſe concedere talem licentiam religioſis hoſpitibus in ſuo Conuentu exiſtentibus; niſi fortè in illo Ordine extet peculiaris Conſtitutio ſubijcens Prelato monaſterij hoſpites tranſeuntes, non ſecùs ac alios, qui ibi commorantur: vti de facto eſt in Soc. Ieſu, ſicut videre eſt in *reg. penult. ex communibus*. Vnde fit, vt, quemadmodum religioſus diceſſurus ab vno monaſterio ad aliud non poteſt recipere, niſi de licentia Prælati, cui tunc ſubeſt; ſic, dum manet hoſpes in aliquo Conuentu non poſſit recipere, niſi de licentia ſuperioris monaſterij, ad quod mittitur, ſin minùs explicita, ſaltem interpretatiua, & probabiliter præſumpta (intellige, ſecluſa peculiari Conſtitutione, de qua modò dictum eſt); is enim eſt Prælatus illius, non autem ſuperior Conuentus, per quem tranſit hoſpitij cauſa, vt aduertit *Alph. de Leone de offi. Confeſ. recoll.* 11. *nu.* 206.

422 Quod ſi religioſus diſcedat à monaſterio ipſi aſſignato in domiciliũ, breui reuerſurus, in monaſterijs, in quibus manet hoſpes, vtique poteſt recipere, & dare de licentia, etiam tacita proprij ſuperioris abſentis; nec tenetur eam petere à Prælato Conuentus, in quo hoſpitatur (imò nec poteſt ab eo petere, cum non ſit eius ſuperior, & hæc licentia debeat peti à proprio ſuperiore, vt notauit *Io: de Lugo D. 3. de iuſt. num.* 129.) & hoc, licèt in Ordine extet peculiare ſtatutum ſubijciens hoſpites Prælato monaſterij, in quo hoſpitantur: ſi quidem in tali caſu religioſus habet duos ſuperiores cumulatiuè, nimirum illum, ad quem breui regreſſurus eſt, & eum, cui ſubeſt in hoſpitio: à quo proinde etiam poteſt licentiam ſup. dictam petere: quare in tali caſu poteſt religioſus hoſpes recipere, aut dare tã de licentia ſui ſuperioris abſentis, quam cum facultate huius alterius præſentis, pro vt ipſi magis libuerit. Quod ſi aliquid detur religioſo peregrinanti in ipſo itinere, poteſt illud recipere de licentia ſuperioris, ſiue quem haber in loco domicilij, ad quem rediturus eſt, ſiue ad quem modo tendit, mutando domicilium.

Dices, quid ſi religioſus aliquid notabile recipiat, aut det ſine licentia ſuperioris immediati, quẽ habet præſentem, animo petendi per litteras talem licentiam à Prouinciali, ſciens ab illo tanquam ſibi valdè beneuolo eam facilius fore concedendam: peccat ne religioſus ſic recipiens, aut dans ex licentia Prouincialis ſolum præſumpta, cum poſſit expreſſam obtinere à Superiore immediato præſente?

423 ℟. Quod, cum iuxta dicta *quæſt.* 4. §. *maius dubium eſt*, ad recipiendum, aut dandum ſufficiat voluntas ſuperioris probabiliter præſumpta, etiam in caſu, quo haberi poſſet licentia expreſſa: conſequenter dicendum videtur religioſum in preſenti caſu non peccare, eo modo recipiendo, aut dando ex præſumpta voluntate Prouincialis, ſi talis præſumptio ſit probabilis; non peccare, inquam, peccato proprietatis, cum ſic recipiat, aut det nomine Prouincialis, non ſuo: eſto peccet peccato inobedientiæ (vti oſtendimus *ſubſ. præced. q.* 9. §. *monet*) non tamen mortaliter, vt iam ſuperius tactum eſt. Colligitur ex *Sanchez ſup. cap.* 19. *numer.* 51. *Regin. l.* 18. *numer.* 400. *& Alphonſ. de Leone num.* 207. paretque ex dictis, ſi aduertero doctrinam illam traditam citato *q.* 4. non minus admittendã eſſe in caſu hìc propoſito, quam in caſu, qui ibi proponitur: cum in vtroque euentu concurrat par ratio, & diſtinctio illa numerica ſuperiorum non inducat talem diuerſitatem, vt non poſſit idem iudicium fieri in vtroque caſu: præſertim cum Prouincialis, & ſuperior localis quo ad hoc ratione officij reputentur vnus, & idem ſuperior.

424 Sic putat *Sanchez loco citato* non peccare mort. ſed ſolum venialiter religioſum, qui abſque licentia expreſſa, aut tacita ſuperioris aliquid abſolutè recipit, ac retinet ad breue tempus, eo quod breui expectetur ſuperior ſuccedens, vel quod religioſus recipiens ſtatim ſcribat Prouinciali petens ab eo licentiam; & ratio eſt, quod, cum res accepta ſtatim acquiratur monaſterio, hoc ipſo quod reli-

gioſus illam retinet, inſcio ſuperiore, retinet inuito domino, & conſequenter aliquo modo peccat, non tamen mort. excuſante leuitate materiæ: quod etiam concedit *Io. de Lugo num.* 151. dicens id fieri poſſe abſque violatione voti, ſi recipiens non intendat vllo modo acceptare rem illam, vel ius aliquod ad eam, ſed totum ius relinquere penes dantem: quo modo res illa detineri poſſet etiam longo tempore quaſi in depoſito; quæ intentio communiter videtur poſſe præſumi in religioſis.

A quo autem ſuperiore peti debeat licentia retinendi peculium religioſo particulari legitimè conceſſum.

425 ℞. *Rodriq. tom. 2. q. 125. a. 5.* ſi quidem peculium ſit quaſi vnum legatum, ſufficere prioris ſuperioris illud concedentis licentiã ad illud expendendũ per totã vitam, niſi fortè talis licentia reuocetur à ſucceſſore: cum .n. ſit vnum, ſufficit, quod ab initio cõceſſionis adfuerit poteſtas in concedente; quod ſi ſint plura legata, tunc neceſſariò peti debet à ſucceſſoribus confirmatio prioris licentiæ, cum quolibet anno legatum ſit diuerſum. ita *Rodriq.* & cum eo *Sanch. ſup. cap. 22. num.* 25. Verùm ſi illa licentia ſit generalis, non video, cur non poſſit ſuffragari etiam in caſu, quo legata ſint plura, non ſolum pro vno anno, ſed etiam pro ſequentibus, vſque dum reuocetur à ſuperiore æquali, v. g. à Prouinciali, ſi ea fuerat conceſſa à Prouinciali, vel à Prælato immediato monaſterij, ſi a Prælato locali; nam licentia generalis non reſtricta ad certum tempus durat, quamdiù non reuocatur à legitima poteſtate; vnde ego puto, quod ſi religioſus à prouinciali habeat generalem facultatem recipiendi, ac expendendi quotannis 25. aureos ipſi a patre legatos ad vitam, poterit vti tali facultate, quamdiu vixerit; & quidem non ſolum in ea prouincia, in qua fuit conceſſa, ſed etiam extra illam, vſque dum reuocetur ab æquali poteſtate: idque ob doctrinam tradendam in *tract. de priuil. cap. 1. ſect. 4. qu. 4. §. difficultas grauior eſt.*

Quid verò intelligant per tempus breue DD. quando iuxta dicta §. *penult.* docent religioſum nõ peccare mort. qui aliquid recipit, ac retinet ad breue tempus abſque licentia ſuperioris tunc præſentis, eò quod breui expectetur ſuperior ſuccedens in officio, &c.

426 ℞. Quod, quamuis *Sanch. ſup. cap. 19. num.* 51. ex *Vict. & Lud. Lopez* ad duos dies tale tempus reſtringat; ego puto poſſe extendi ad decẽ dies plus, minus: idque colligo ex doctrina, quam tradit *Naldus v. tempus nu.* 1. dicens tempus breue; dici multipliciter, nempe aliquando 4. menſes, aliquando 2. vel 3. aliquando 30. dies, aliquando etiam 10. & ſic iuxta naturam, & qualitatem ſubiectæ materiæ; vt notat Gloſſ. in c. *præterea de ætat. & qual. ord.* ſi quidem in præſenti materia iudicio viri prudẽtis ratio temporis breuis videtur ampliari poſſe etiam ad 10. dies; præſertim ſtante doctrina, quod in negotio paupertatis religioſæ philoſophandum eſt de religioſis, ac de filijs. ita docti viri à me de hoc conſulti.

QVÆRES XIV. An religioſus habens licentiam expendendi aliquid in vſum pium, & honeſtum, vi talis licentiæ poſſit illud expendere in alium vſum, ac pium, ſiue quia poſtea mutat voluntatem, ſiue quia ex verecundia non eſt auſus petere licentiam ad illum alium vſum; ſiue quia ſibi perſuadet ſuperiorem facilius conceſſurum eſſe licentiam ad illum, quam ad illum vſum, ad quem re vera petijt.

427 ℞. Religioſum in caſu propoſito non poſſe expendere illam rem ad alium vſum, licèt pium: &, ſi expendat, peccare non ſolum contra obedientiã, ſed etiam contra votum paupertatis, non tamen mortaliter. ita *Fagund. l. 7. in decal. c. 5. n. 37.* & probatur, tum ex dictis *ſect. præced. ſubſect. 2. qu. 12.* tum quia religioſus in tali euentu ſimpliciter habet licentiam, & facultatem ad rem illam expendendã, eamque à ſuperiore potente illam dare licitè, & validè; qui proinde non cenſetur inuitus, niſi quo ad modum: quod non ſufficit ad delinquendum mort. contra votum religioſæ paupertatis, vt iam non ſemel diximus.

QVÆRES XV. An religioſus habens licentiam emendi aliqua, ex quorum qualitate apertè colligitur ſuperiorem in conceſſione talis licentiæ intellexiſſe ea emi, aut accipi ad diſtribuendum alijs: hoc ipsò cenſeatur habere licentiam etiam ea diſtribuendi.

428 ℞. Habere; patetque, quia ſuperior, cum videat religioſum petentem licẽtiam non indigere ijs omnibus pro ſe, & ſciat ea ſolere diſtribui inter alios, tam domeſticos, quam extraneos, tacitè cenſetur approbare hanc futuram diſtributionem, & conſequenter licentiam, quam dat expreſsè ad emendũ; aut recipiendum, extendere etiam ad dandum; quod eſt licentiam poſteriorem continere priorem. ita *Sanch. l. 7. mor. cap. 19. num.* 70. & cum eo *Bonac. de largit. mun. p. 6. num.* 24.

QVÆRES XVI. An religioſus habens licentiam dandi, aut accipiendi eò ipsò poſſit dare non habenti licentiam accipiendi, aut accipere à non habente licentiam dandi.

429 ℞. Videri poſſe, ſi religioſus dans, & accipiens ſint ſubditi eiuſdem prælati, & aliàs in hoc bona fide procedatur; quamuis de rigore iuris requiratur licentia tam ex parte dantis, quam ea parte accipientis; cum re vera poſſit ſuperior concedere licentiam vni, & non alteri, adeoque auferre impedimentum ex parte vnius, & non ex parte alterius: quo pacto diſpenſans cum habente votum Caſtitatis ad contrahendum matrimonium non diſpenſat cum habentibus ſimile votum, vt contrahant cum illo; ſicque pro hac ſententia ſtant *Bartholomæus à S. Fauſto l. 8. theſauri qu.* 182. *Sanchez num. 72. & 73. Alph. de Leone num.* 295. & *Rodriq.* ab eo relatus. Quod verò in caſu propoſito ſufficiat vnica licentia, inde ſuadetur, quod prælatus dans licentiam dandi poteſt velle dare facultatem accipiendi alijs ſuis ſubditis; cum ad hoc totum ei ius intentio ſe extendere poſſit, & eius poteſtas verè ſe extendat: & alia parte talis videtur eſſe mens ſuperiorum tales licentias concedentium, vt R. P. N. Vitelleſcus à P. Io: de Lugo conſultus reſpondit Dixi, & aliàs in hoc bona fide procedatur, vt indicarem eum, qui indirectè vellet dona ſua tranſmittere in alios mediante

diante

dante aliquo religioſo habente licentiam dandi, & accipiendi; is non cenſeretur comprehenſus in generali illa intentione ſuperioris, quippe quæ terminatur ſolum ad ſinceram acceptionem, ac dationem, non autem ad fucatam, & apparentem, cujuſmodi eſſet hæc, ita *Io: de Lugo numer. 163. 164. 165.*

430 QVÆRES XVI. An religioſus habens à ſuperiore facultatem peregrinandi, hoc ipsò cenſeatur habere licentiam ſibi comparandi ea, quę ad talem effectum aliàs prudenter, & cum decentia religioſa recipi poſſent.

℞. Habere, niſi id ei in ſpecie prohibeatur, aut aliàs iſtæ peregrinationes voluntariæ fieri ſoleant expenſis religionis (quod cenſeo communiter non euenire). moueor tum quia conceſſo vno videtur etiam conceſſum id, ſine quo conceſſum eſſe non poteſt *l. continuus §. illud ff. de verb. oblig.* tum quia cui datur antecedens, neceſſario conceditur & cõſequens, ſine quo antecedens eſſe non poteſt: tum quia qui vult finem, debet velle & conſequentia ad finem. Colligitur ex *Suarez tom. 3. de relig. l. 8. cap. 11. num. 6.* & 7. quem ſequitur *Io: de Lugo infra num. 123. & Caſtrus Palatus tract. 16. D. 3. pag. 23. numer. 7.*

QVÆRES XVII. An religioſus petens Romam ex deuotione poſſit ſine alia licentia ibi emere res deuotionis, verbi gratia, imagines numiſmata, & ſimilia ad effectum ea poſtea diſtribuendi iuxta conſuetudinem eorum, qui Romanam peragunt peregrinationem.

431 ℞. Videri poſſe; dummodò in hoc non faciat expenſas iudicio prudentis admodum excedentes, & tales, vt ſuperiores (quorum alioqui præſumi poteſt tacita licentia iuxta dicta quæſt. præcedent.) rationabiliter cenſeantur inuiti; vnde in hac materia attendendus eſt vſus communis religioſorum Ordinis magis timoratorum; ſicūlòque cauendum, ne plus æquo religioſæ paupertatis obſeruantia relaxetur. ita docti recentiores à me conſulti; & non improbabiliter; quamuis conſultius ſit, vt religioſi Ordinum Obſeruantiorum abſtineant à talibus expenſis, eaſque non faciant, niſi de licentia proprij ſuperioris expreſſa.

QVÆRES XVIII. An licentia generalis expendendi pecuniam pro libito extendatur ad vſus illicitos, ac turpes.

432 ℞. Extendi iuxta aliquos DD. & conſtat ex dictis ſuprà in hoc ipſo *cap. ſect. 4. ſubſ. 3. q. 21.* & ex ijs, quæ habet *Cardinalis de Lugo ſup. numer. 139.* vbi rectè monet Prælatum regularem poſſe concedere dictam licentiam, non quidem in particulari, ac determinate; ſed in genere, concedendo licentiam ad quemcunque vſum: & probat, tum quia ſuperior dans talem licentiam generalem non dicitur coopetari peccato ſubditi, cum præſtet ſolum concurſum generalem, ac indifferentem; ſicut nec Deus dicitur coopetari peccato hominis, ſimilem concurſum generalem præſtando: tum quia aliæ licentiæ generales, ac diſpenſationes non ſolent concedi cum limitatione ad vſus licitos; nec ergo Prælatus tenetur licentiam ſuam generalem reſtringere ad vſus licitos, ſed poteſt pro ſua parte auferre totaliter impedimentum relinquendo ſubditum cum ſola obligatione, quam aliunde habet non vtendi tali facultate, niſi ad vſus licitos.

QVÆRES XIX. An religioſus habens licentiam dandi, & accipiendi à præſenti Prælato monaſterij poſſit ea vti in eodem monaſterio ſub alio Prælato in locum prioris Superioris ſuffecto.

433 ℞. Poſſe, & quidem etiam, licèt ipſi conſtet Prælatum poſteriorem reuocaturum eſſe dictam licentiam, ſi noſſet illam fuiſſe conceſſam. Ducor, quod talis licentia eſt gratia facta; gratia autem facta non ſpirat, mortuo concedente, aut amoto ab officio; vt tradunt DD. communiter: ex alia parte diſpoſitio illa habitualis poſterioris Prælati præfatam licentiam non reuocat, cum intus retentum nihil operetur; ſicque durat etiam modò, durabitque vſque dum legitimè reuocetur vt aduerti in *tract. de Monial. capitul. quarto numer. 49.*

QVÆRES XX. An habens licentiam dandi, & accipiendi à proprio ſuperiore locali poſſit ea vti extrà monaſterium dicti ſuperioris, nempe in alio monaſterio, ad quod tranſmittatur in ſubditum.

434 ℞. Non poſſe; & probatur quia licentia præfata obtineri debet à ſuperiore illius monaſterij, de cuius intereſſe agitur: is autem in noſtro caſu eſt ſuperior monaſterij poſterioris, cui religioſus de nouo in ſubditum deputatur; cum modò agatur de præiudicio poſterioris monaſterij, quod ei nequit inferri de conſenſu Prælati præſidentis alteri monaſterio.

Idque puto procedere, etiam in caſu, quo prælatus, qui dedit talem licentiam, poſtea fiat ſuperior illius alterius Conuentus, in quo poſtea habitat religioſus, cui data eſt illa licentia (niſi fortè adſit conſenſus rationabiliter præſumptus ex præcedenti illa licentia) & ratio eſt, quod licentia illa data eſt ab hoc Prælato, non prout eſt adminiſtrator bonorum Conuentus, cui modo præeſt, (quod iuxta dicta q. præced. omninò eſt neceſſarium) ſed quatenus erat adminiſtrator bonorum monaſterij, cui præerat tunc temporis: tunc autem non poterat diſponere de bonis Conuentus, cui poſtea præficitur, vt patet.

435 Concedo quidem, quod ſi licentia illa obtenta fuiſſet à Prouinciali, aut Generali Ordinis, & quidem abſque limitatione certi monaſterij: vigore illius poſſet religioſus dare, & accipere, etiam in poſteriori monaſterio, in quo poſt obtentam illam licentiam incipit habitare; cum poteſtas Prouincialis, ac Generalis extendatur ad hoc, vt poſſint modo dicto inferre præiudicium etiam poſteriori illi monaſterio, vt patet.

QVÆRES XXI. An Prælatus regularis inferior poſſit dare religioſo ſubdito licentiam dandi, & accipiendi, iuxtà facultatem alias ſibi competentem ratione officij, ſi id ipſi Prælato inferiori prohibeatur in ſpecie à Prælato ſuperiori.

℞. Poſſe

436 ℞. Poſſe dare, non quidem licitè: cum peccet contraueniendo prohibitioni ſibi factæ; ſed validè (modò in prohibitione non ſit appoſita clauſula irritans factum) ſiquidem multa prohibentur, quæ tamen facta tenent (vt patet in omni materia) & pro regula traditur, quod actus non redditur ipſo iure nullus, quamuis ſit geſtus contra prohibitionem legis, niſi in caſibus à iure expreſſis *gloſ. in Clem. 1. v. alter de praben. Menochius in caſu 276. num. 17.*

QVÆRES XXI. An licentia legitimi prælati habita ad retinenda ſuperflua excuſet religioſum à violatione voti paupertatis.

437 ℞. Quod, cum votum paupertatis religioſæ non prohibeat ſolum vitium proprietatis, ſed etiam ea, quæ repugnant ſtatui pauperum; vt hinc conſtat, quod alioqui Communitas non peccaret contra votum paupertatis, cum repugnet vitium proprietatis Communitati, vt Communitas eſt (ſiquidem ex terminis ipſis opponuntur proprium, & commune) licentia ſuperioris in præſenti caſu excuſat religioſum à violatione voti paupertatis, non quidem abſolutè, ſed ſolùm pro vt dicta violatio includit vitium proprietatis: quippequod tunc ſolùm datur, quando ex bonis communibus, aut quorum adminiſtratio ſpectat ad prælatum, aut Communitatem, religioſus propria authoritate aliquid vſurpat, aut expendit; quod certè non euenit in caſu noſtro, in quo religioſus hoc ipſo quod habet licentiam retinendi ſuperflua, dicitur ea retinere, non ſuo nomine, ſed conſenſu, & nomine prælati, vt patet. Cum quo tamen ſtat, quod religioſus in iſto caſu aliunde peccet contra paupertatem; non quidem ex defectu licentiæ (ea enim eſt valida ex dictis *ſup. ſect. 4. ſubſ. 3. q. 21.*) ſed quod vſus talis licentiæ eſt illicitus: vt clarè indicat *Cardinalis de Lugo D. 3. de iuſt. n. 183.* aliàs ſuſtinens eiuſmodi licentiam dari poſſe à regulari Præſato & validè, & licitè, ſi detur in genere ad quemlibet vſum; vt iam dictum eſt; & hinc confirmatur, quod, ſicut prælatus poteſt diſpenſare ad omnem eſum carnium, etiam ad turpem, turpitudine orta ex oppoſitione contra temperantiam: non apparet, cur etiam prælatus non poſſit ex ſe dare ſubdito religioſo generalē facultatem expendendi pecunias in ordine ad omnes ſumptus, etſi aliunde turpes, ac ſuperfluos: cum in vtroque caſu prælatus auferat ſolum impedimentum, quod erat ex parte ſua, eamque ſpecialem radicem malitię, quam haberent dicti ſumptus, ſi fierent, repugnante prælato. Colligitur apertè hęc reſponſio ex ipſomet *Cardinali de Lugo ſup. num. 132.*

Monet autem idem *Cardinalis num. 183.* ad cognoſcendum, quænam cenſuri debeant ſuperflua religioſis in materia paupertatis, non poſſe regulam vnam generalem tradi, ſed poſſe, & debere hoc dijudicari ex circumſtantijs concurrentibus, & ex vſu cuiuſque Ordinis: nam in aliquibus Religionibus aliqua erunt contra paupertatem, quæ in alijs non ſunt: & quidem in noſtra Societate dicit ſe non liberaturum à graui peccato contra paupertatem illum, qui haberet ſtragula, aut ornamenta ſerica ad lectum, vel qui haberet 30. induſia linea ad ſuum vſum priuatum; cum hæc, & ſimilia grauiter dedeceant ſtatum pauperum, quem noſtra Societas profitetur; addens ex *Baſilio Legionenſi* ſumptus ſuperfluos eſſe, ſi Religioſus multa ex auro, argento, vel gemmis elaborata, ornamenta valdè curioſa ad lectum, aut ad apparatum, ſcrinia pretioſa habeat.

QVÆRES XXII. An licita ſit datio, aut acceptio facta à Religioſo ſub conditione, *Si Prælatus concedat licentiam.*

438 ℞. Eſſe, dummodo res, quæ ſic alienatur, non exponatur periculo, ne recuperetur. ita *Cardinal. de Lugo ſupr. numer. 161.* & probat quia in tali caſu nihil datur, aut accipitur: ſiquidem conditio nihil ponit in eſſe, & ſuſpendit actum. Quamquam vtile conſilium foret in caſu propoſito ad ſecuritatem accipientis dicere ei; Accipe hoc, & ego petam licentiam, quam certum erit me obtinuiſſe, ſi nihil tibi cras renunciauero.

QVÆRES XXIII. De iure communi qualem quantitatem donare poſſint Religioſi, aut etiam accipere de licentia ſui Prælati.

439 ℞. Quod, cum aliqui tacito nomine relati ab *Azorio par. prima, lib. 12. cap. 13. qu. 4.* ſentiant poſſe Superiorem regularem in pia opera dare, & conſequenter concedere licentiam ad dandum, atque ex pendendum ſingulis menſibus duos, vel tres aureos; alij verò putent poſſe illum ſingulis annis dare, aut concedere licentiam dandi decem, aut quindecim aureos; & *Fagundez lib. 7. in decalog. cap. 6. numer. 2.* notet quod, ſicut videtur multum, concedere Prælato Regulari, vt ipſe pro ſingulis vicibus, ac neceſſitatibus occurrentibus poſſit dare decem aureos, ac dare licentiam ſubditis, vt quilibet illorum quolibet anno donet decem aureos: ita videtur parum quod ſuperior poſſit dare, aut dare licentiam ad donandum pro ſingulis annis, niſi decem aureos: propterea quantitas, de qua hìc agitur, viri prudentis arbitrio definiri debet, attentis opibus monaſterij, dignitate Prælati, vicibus occurrentibus, earumque numero, qualitate perſonarum, quibus donandum eſt, abundantia, aut penuria regionis, conſuetudine Ordinis, ac Superiorum, aliiſque ſimilibus; vt benè notant *Molin. D. 276. column. ſecunda, Sanchez lib. 7. Moral. cap. 19. numer. 42. & Suarez tomo 4. de relig. lib. 8. cap. 15. numer. 13.* quos citat *Fagundez numer. 3.* ſic concludens: *Si Monaſterium habeat quindecim, aut viginti millia ducatorum in ſingulos annos pro redditibus poterit Superior donare, ſaltem ſummam aſſignatam à Panormitano,* (quæ eſt viginti, vel 30. aureorum, vt videre

æ eſt in cap. cæterum de donat. ad finem) *ter in anno: quia hæ vices non cenſentur crebrò repetitæ reſpectu totius anni: modo nihil deſit Religioſis monaſterij*, & *nihil a Prælato ſuperiori, aut religione ei ſit taxatum, & in his poterit præferre amicos pauperes, conſanguineos, aut propinquos, ſi ſint in æquali neceſſitate; hi enim non debent eſſe peioris conditionis*.

Ceterum notat *Cardinalis de Lugo ſup. num.* 129. poſſe Prælatum localem concedere ſubdito ad totam illam ſum nam,quam ipſemet Prælatus expendere poteſt; & nomine Prælati quo ad hanc licentiam intelligi etiam Abbatiſſam reſpectu ſuarum monialium, in ordine ad quas habet verum regimen temporale; & hoc de iure communi,præſcindendo à decreto Clementis VIII. *de largit. mun.*

Has autem eleemoſynas dare poſſunt Superiores ſimul, & cumulatim, quæ diuiſim dandæ erant: ſi enim ſigillatim illas poſſunt dare, cur non etiam cumulatim, quando nihil deeſt Religioſis ſubditis? quamuis in hoc maxima prudentia,& conſilio opus ſit, ne votum religioſæ paupertatis violetur. ita *Fagund. ſup.* monens hic nomine Superioris non venire ſolùm Prouincialem, ſed etiam ſuperiorem localem; etſi Prouinciali liberalior manus concedatur,, vtpote habenti digniorem prælaturam: quod item notant *Molin. Sanch. & Suar. ſupr.* allegati.

QVÆRES XXIV. An Superiot negans religioſo ſubdito licentiam acceptandi rém ipſi oblatam, poſſit illam inuito religioſo, acceptare in bonum commune monaſterij.

440 ℞. Poſſe, & quidem etiamſi religioſus rem illam repudiet (ſi quidem Dominus repudiationem nondum acceptauit) & ratio eſt, quod cum voluntas religioſi translata ſit in Prælatum, is poteſt rem oblatam nomine illius acceptare; & alioqui, poſita tali acceptatione, completa eſt donatio, & res acquiſita eſt monaſterio. Colligitur ex *Cardinali de Lugo ſupra num.* 166. addens aliter dicendum eſſe, ſi Dominus rei oblatæ deſtitiſſet à voluntate donandi: nam tunc Prælatus non poſſet rem illam modo dicto acceptare; ſicut nec poſſet ipſemet religioſus, reuocata priori repudiatione.

QVÆRES XXV. An licentia obtenta ad acquirendum aliquid, v. gr. reliquiarium, ſi poſtea hoc donem alteri de conſenſu Prælati, extendatur ad hoc, vt vi ipſius poſſim acquirere aliud ſimile reliquiarium.

441 ℞. Non extendi, ſi licentia data ſit ad acquirendum, ac retinendum reliquiarium illud in ſpecie: actus enim agentium non operantur vltra intentionem agentium *l. non omnis ff. ſi cert. pet.* & cauſa limitata non producit, niſi effectum limitatum; quæ omnia procedunt in caſu noſtro: præter quam quod aliàs ſequeretur licentiam illam datam eſſe ad acquirenda duo, tria, & plura etiam reliquiaria deinceps; quod eſt falſum, attento tenore conceſſionis. Secus, ſi licentia generaliter, ac indefinitè daretur ad habendum reliquiarium; ſi quidem lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, maximè in materia fauorabili.

QVÆRES XXVI. An licentia data ad ſummam maiorem ea, quam dare poteſt Prælatus, iuuet ſaltem quo ad ſummam,quę non excedit eius poteſtatem.

442 ℞. Iuuare: cum in ſeparabilibus vtile per inutile non vitietur. Quo modo donatio, quæ nulla eſt abſque inſinuatione, ſi excedat aureos 500. ſuſtinetur, qua parte non excedit *l. ſancimus §. ſi quis autem C. de donat.* & emphytheuſis conceſſa ad 4. aut 5. generationes, valida eſt quo ad tertiam permiſſam *Authent. de non alien. §. quod autem collat.* 2. quæ vtique probabilem faciunt noſtram hanc reſponſionem, vt patet.

QVÆRES XXVII. An religioſus, qui degens Ferrariæ v. g. de licentia proprij prælati Romam miſit pecuniam implicandam in emenda re aliqua ad eius vſum; ſi is poſtea, mutato domicilio, ſe transferat Bononiam, poſſit ſine noua licentia prælati Bononienſis, cui tunc ſubeſt, rem illam accipere, ac retinere.

443 ℞. Videri poſſe; & probatur,tum quia licentia illa expendendi dictam pecuniam eſt gratia facta, quæ non ſpirat in caſu propoſito; & alioqui res non eſt integra; tum quia *Diana par. 4. tract. 4. reſolut.* 208. ex *Nouario, & Megala* probabiliſſimum putat habentem licentiam celebrandi in Oratorio propriæ domus in ciuitate Panormi poſſe vti hoc priuilegio Meſſanæ, ſi ibi ponat domicilium; cum tale priuilegium non ſit locale, ſed perſonale. Colligitur reſponſio ex *Sanch. l. 8. de matr. D. 28. num.* 85.

At dubitari poteſt, an hæc reſponſio procedat in caſu, quo pecunia illa Romam mittatur ad ſupra dictum effectum ſolùm poſt quam mutatum eſt domicilium; an ſcilicet requiratur licentia Prælati, cui de nouo ſubijcitur, vel ſufficiat licentia prioris Prælati.

℞. In tali caſu requiri licentiam Prælati poſterioris: & probatur, quia licentia, de qua hic agitur, obtineri debet à Superiore illius monaſterij, de cuius intereſſe agitur, vt oſtendimus *ſup. quæſt.* 20. in præſenti autem caſu is Superior eſt Prælatus, cui Religioſus de nouo ſubditur ratione mutati domicilij, vt patet. Quare cenſeo limitari debere in præſenti materia doctrinam illam generalem, quam tradit *Sanch. ſupra*; nimirum licentias omnes conceſſas à ſuperioribus quibuſcumque, quando non ad certum, & limitatum vſum temporaneum, vel ad certum tempus, ſed abſolutè conceſſæ ſunt, eſſe perpetuas, donec ab eodem concedente, aut eius ſuperiore, vel ſucceſſore reuocentur; eo quod ſint gratiæ factæ: & hanc limitationem inſinuant *Abbas, Angelus Syluester, & Corduba* apud ipſum *Sanchez*, dum dicunt, *niſi licentiæ illæ alteri præiudicent*.

Ex quo maius oritur dubium, an dato quod religioſus, qui à ſuperiore præſentis monaſterij ob-

tinuit licentiam mittendi Romam certam pecuniæ ſummam ibi expendendam ad vſum dicti religioſi; eamque deferendam illuc de facto tradidit amico: ſi religioſus, antequam pecunia perueniat Romam, mutet domicilium, poſſit ſine licentia Prælati, cui poſtea ſubditur ob mutationem domicilij, dictam pecuniam expendere Romæ ſuo tempore.

℟. Videri poſſe expendere; & probatur, quia hoc ipſo quod pecunia eſt in via, res non eſt integra; adeoque licentia, vi cuius miſſa eſt, cenſetur durare, etiam poſt mutatum domicilium: proportionaliter vt dicunt Doctores Sacerdotem, qui tempore iubilei cæpit audire confeſſionem alicuius pœnitentis, ſi pergat illam audire poſt finitum iubileum, poſſe pœnitentem abſoluere à reſeruatis, ſi hic obtinuit iubileum, aut certè intendit ipſum obtinere.

QVÆRES XXVIII. An caſu quo per ſtatutum prohibeatur Prælatis inferioribus, ne ſuis reſpectiuè ſubditis dent licentiam accipiendi ad proprium vſum pecuniam, vel aliud ſimile ab amicis, aut conſanguineis: nihilominus ij validè, ac licitè poſſint dare talem licentiam, in eo Ordine regula non obligante ad culpam.

444 ℟. Poſſe dare & validè, & licitè, ſi concurrat iuſta cauſa id faciendi; validè verò, ſed illicitè, ſi id faciant ſine iuſta cauſa, & aliàs prohibitio hæc non habeat clauſulam irritantem. Et quidem quod validè poſſit dari ea licentia ſiue cum cauſa, ſiue abſque cauſa, inde probatur quod prohibentur multa, quæ tamen facta tenent: & alioqui ea prohibitio non habet adiunctum decretum irritans aliter factum, vt ſuppono. Quod verò ea licentia dari poſſit etiam licitè, ſi fiat cum cauſa; ſuadetur quia prohibitio illa non excedit obligationem regulæ, adeoque ſi regula non obliget ad culpam (vt de facto non obligat in multis Ordinibus), neque ad culpam obligabit hæc prohibitio: quamquam, ſi detur licentia ſine cauſa, aliunde poſſit contingere aliqua culpa iuxta doctrinam *Suarez tom. 4. de relig. tract. 8. l. 1. cap. 3. numer. 13.* dicentis de violatione regulæ non obligantis ad culpam practicè vix fieri, vt ea eueniat ſine aliqua culpa veniali; cum alioqui dicat *num. 12.* quando actus, qui fit, eſt vetitus per regulam, & de ſe non eſt malus, nec per legem Eccleſiaſticam, ſpectandum eſſe motiuum, propter quod fit actus: ſi enim illud verè ſit honeſtum, actus nullum erit peccatum: vnde infero, quod ſi in præſenti caſu detur licentia ex iuſta cauſa, conceſſio licentiæ erit licita, vtpote data ex motiuo honeſto ſpecificante actum conceſſionis: quæ proinde dici poterit aduerſari ſolùm materialiter prohibitioni Prælati ſuperioris.

Addo, quod ſi detur licentiam hanc non poſſe dari nec validè, nec licitè: poſſet nihilominus Prælatus inferior ſatisfacere deſiderio Religioſi ſubditi indirectè; nimirum ei concedendo licentiam accipiendi pecuniam illam ad vſum monaſterij, eamque ſic acceptam concedendo ad vſum ipſius religioſi ſubditi: hoc enim pacto verè accipitur pecunia, non ad vſum religioſi particularis: (quod vetatur in hac prohibitione) ſed ad vſum communem monaſterij; etſi poſtea ſuperior illius ex ſua liberalitate illam permittat vſibus religioſi particularis: quod ille ſine dubio poteſt facere, ſicut poſſet ei dare tantumdem de pecunia monaſterij aliunde ei acquiſita.

QVÆRES XXIX. An religioſus ad breue tempus ſubſtitutus in locum Prælati monaſterij (v. g. ad duas hebdomadas) poſſit ſibi ipſi conferre facultatem dandi, & accipiendi res pretio æſtimabiles pro eo tempore, quo in eo monaſterio erit ſubditus.

445 ℟. Poſſe ſibi conferre totam eam facultatem, quam poſſet tunc dare cuicumque alij ex ſuis ſubditis. Moueor, quod ſuperior vt talis non debet eſſe deterioris conditionis, ac ſint eius ſubditi: eſſet autem, ſi frui non poſſet fauoribus, & gratijs, quas poteſt conferre ſubditis: ex alia parte quod quis breui tempore ſit futurus ſuperior, non tollit, quò minùs verè ſit ſuperior, cum reuera habeat iuriſdictionem in ſubditos; & aliàs in materia præſenti non requiritur alteritas, ſeu diſtinctio perſonarum, itaut quo ad hoc dicatur ſuperior non poſſe agere in ſe ipſum; quo modo requiritur inter Confeſſarium, & Pœnitentem.

Dubium paulò maius eſſe poſſet, an hæc reſponſio dici poſſit procedere in euentu, quo religioſus ſit ſubſtitutus in locum Superioris pro tempore multo breuiori, v. g. ad triduum, eò quòd v. g. Prælatus monaſterij petierit rus ſtatim reuerſurus.

℟. Videri procedere; cum etiam in hoc caſu ſubſtitutus in ſuperiorem verè habeat iuriſdictionem in religioſos ſubditos iuxta alibi dicenda ex *Naldo v. abſentia numer. 11.* ſuſtinente abſentiam Prælati vltra vnum diem naturalem videri ſufficere ad transferendum ius, & auctoritatem in ipſius vicegerentem; & tale ius ſufficiat ad concedendam facultatem, de qua hìc loquimur.

Dices, quid ſi ſuperior monaſterij egrediatur ad paucas horas tractaturus negotia Conuentus in ipſa Ciuitate, & relinquat pro breui illo tempore ſuperiorem; poteſt ne is ſibi, aut alij religioſo ſubdito dare præfatam licentiam?

℟. Non poſſe; cum præfatæ licentiæ conceſſio ex dictis ſupponat iuriſdictionem in concedente, quę tamen non acquiritur ſuperiori in præſenti caſu, attenta breuitate durationis ſuperioratus, quo potitur.

CAPVT

CAPVT III.

De Voto Caſtitatis Religioſæ.

Explicatis in præcedenti cap. ijs, quæ ſpectant ad perfectam notitiam voti religioſæ Paupertatis; in præſenti cap. agendum nobis eſt de voto Caſtitatis Religioſæ, ſed paulò breuiùs. Caput diuidemus in quinque Sectiones, in quarum prima exponemus naturam Caſtitatis Religioſæ: In ſecunda proponemus effectus ex ea prouenientes: In tertia agemus de eius obligatione: In quarta de eius violatione: In quinta de eius diſpenſatione.

SECTIO I.

De Natura Caſtitatis Religioſæ, alijſque ad ipſam pertinentibus.

1 *Explicatur ratio Caſtitatis religioſa.*
2 *Ea eſt multiplex, & varia.*
3 *Eius votum poteſt eſſe tum ſolemne, tum ſimplex.*
4 *Declaratur ſolemnitas voti illius.*
5 *Iſta ſolemnitas non eſt de eſſentia Status religioſi.*
6 *De tali ſolemnitate participat votum caſtitatis ordinum militarium.*
7 *Indicatur materia caſtitatis religioſa.*
8 *Caſtitas mirè confert ad ſtatum religioſum.*
9 *De ſubſtantia huius eſt, vt illa promittatur voto.*
10 *Caſtitas ſedulo cuſtodienda.*
11 *Iuuanda varijs medijs.*
12 *Ad illam confert oratio, & meditatio.*
13 *Confert & manifeſtatio tentationum contra ipſam inſurgentium.*
14 *Item confert carnis caſtigatio.*
15 *Item fuga Otij.*
16 *Item vitatio familiaritatis fœminarum.*
17 *Imò & quorumcumque iuuenum.*
18 *Item frequens vſus Sacramentorum.*
19 *Item cuſtodia ſenſuum.*
20 *Item celer repulſa tentationum.*

QVÆRES I. Quid ſit Caſtitas Ruligioſa.

1 ℞. Eam poſſe definiri, quod ſit virtus, qua religioſus per votum promittit Deo ſe ſe cohibiturum ab omni delectatione venerea, tam licita, quam illicita: quo modo eam profitentur omnes religioſi Clauſtrales, ſiue per votum ſolemne (vti ſit communiter) ſiue per votum ſimplex (vt faciunt religioſi ſocietatis Ieſu, qui, abſoluto biennio probationis, emittunt 3. vota religionis ſimplicia, per quæ tamen conſtituuntur verè, & propriè religioſi. Dixi *omnes religioſi clauſtrales*, vt innuerem, quod, ſi velimus defendere Equites Sancti Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ eſſe verè, ac propriè religioſos, etſi promittant ſolùm caſtitatem coniugalem; tunc aliter definienda eſſet caſtitas religioſa; nimirum quod ſit virtus, qua religioſus per votum promittit Deo ſe ſe cohibiturum ab omni delectatione venerea illicita: ſic enim comprehendit caſtitatem dictorum Equitum, quæ aliàs non comprehendebatur in definitione priùs tradita, vt patet.

QVÆRES II. Quotuplex ſit caſtitas religioſa.

2 ℞. Quod, ſicut caſtitas vniuerſaliter ſumpta diuiditur in virginalem, vidualem, & coniugalem: ita caſtitas religioſa diuidi poteſt iuxta dicta *quaſt. præcedenti*, quod alia ſit perfecta, omnimoda, & totalis; alia imperfecta, & partialis idelt coniugalis; alia ſolemnis, & alia ſimplex; quin etiam ipſa caſtitas ſimplex diuidi poteſt in eam, quæ ſolum impedit matrimonium contrahendum, non autem dirimit (quale eſt votum caſtitatis, quod religioſi Societ. Ieſu emittebant poſt biennium, antequam Gregor. XIII. in Conſtitut. *Aſcendente Domino* iure nouo ſtatueret per tale votum dirimi matrimonium ſubſequens) & eam, quæ impedit, & dirimit matrimonium poſt ipſam contractum, quale eſt votum caſtitatis, quod præfati religioſi ſocietatis faciunt poſt illud decretum Greg. XIII.

QVÆRES III. Per quid differant votum ſolemne, & votum ſimplex caſtitatis religioſæ.

3 ℞. (ſecluſo decreto Gregorij XIII. per quod diximus *quaſt. præcedenti* ſtatutum fuiſſe, vt votum ſimplex caſtitatis, quod poſt biennium emittunt religioſi Societatis Ieſu, dirimat matrimonium ſubſequens) per hoc differre, quod votum ſolemne caſtitatis religioſæ ex Conſtitutione Eccleſiæ inhabilitat perpetuò vouentem, ne validum matrimonium contrahere valeat: votum verò ſimplex non reddit vouentem inhabilem ad matrimonium validè contrahendum; ſed ſolùm efficit, ne licitè poſſit contrahere. Stante autem decreto illo Gregorij XIII. per id differunt votum ſolemne, & votum ſimplex caſtitatis: quod votum ſolemne perpetuò inhabilitat ad matrimonium; votum verò ſimplex, quod emittitur in Societate, non inhabilitat perpetuò, ſed ſolùm quamdiu vouens detinetur in religione; ſi quidem traditio, quæ fit per vota ſimplicia in Societate non eſt omninò perpetua, ac indiſſolubilis ex vtraque parte, ſed tantùm ex parte religioſi, manente interim poteſtate in religione ad diſſoluendum vinculum, ac dimittendum religioſum ex iuſtis cauſis. Colligitur ſatis clarè ex *Suarez tom. 3. de relig. lib. 2. cap. 11. n. 2.* ex dictis benè inferens, quod ſi Papa faceret traditionē illam perpetuam, etiam ex parte

te religionis, auferendo à ſocietate poteſtatem dimittendi eos, qui poſt biennij probationem in ea emiſerant 3. vota ſimplicia (quod vtique facere poſſet; cum ea vota ſint perpetua ex parte materiæ, & ex genere ſuo, & vt talia fiant etiam ex parte Religioſi) eo ipſo votum ſimplex Caſtitatis euaderet ſolemne, vtpotè tunc habens omnes conditiones requiſitas ad votum ſolemne caſtitatis; nempe inhabilitationem ad matrimonium, & omnimodam perpetuitatem; ſicut è contra ſi Papa ſtatueret, vt omnes religiones poſſent ex iuſta cauſa dimittere liberos à vinculo profeſſionis, & ab omnibus votis etiam antea profeſſos; vota priùs ſolemnia deſinerent eſſe ſolemnia; quippe quæ non eſſent amplius abſolutè perpetua, ſed ſub ea conditione, quamdiu in eo ſtatu retenti fuerint.

QVÆRES IV. In quo conſiſtat ſolemnitas voti caſtitatis religioſæ.

4 ℞. Iuxta dicta *cap. 1. ſect. 1. q. 8.* conſiſtere in eo, quod cum certis ceremonijs, ac ſolemnitatibus iure præſcriptis fiat coniunctim profeſſioni religioſæ vna cum alijs duobus votis ſolemnibus religionis paupertatis, ac obedientiæ, & vt alij loquuntur, quaſi vno, ac eodem contextu; habetque hunc effectum ſibi omninò proprium, quod vouentem reddit perpetuò inhabilem ad matrimonium validè contrahendum iuxta *cap. vn. de voto in 6. ca. rurſus qui Cler. vel mon.* ex pluribus decretis 27. q. 1. qui effectus ita eſt proprius voti ſolemnis caſtitatis, vt votum ſimplex eiuſdem caſtitatis illum nullatenus operari poſſit; quamuis aliàs poſſit habere multa alia, quæ competunt ipſi voto ſolemni vt proinde talis effectus dici poſſit veluti proprietas conſequens ex voto ſolemni caſtitatis.

QVÆRES V. An votum ſolemne caſtitatis ſit de eſſentia ſtatus religioſi, vel certe ad eum ſufficiat etiam votum ſimplex, imò & votum non totalis caſtitatis, ſed partialis, nempe coniugalis.

5 ℞. Sufficere votum ſimplex, (vt patet in religioſis Societatis ligatis tantùm 3. votis ſimplicibus biennij, qui ſunt verè, ac propriè religioſi; ſicut ex profeſſo declarauit Gregor. XIII. in ſua Conſtitut. *Quanto fructuoſius*, & nos alibi oſtendimus; & tamen non emittunt, niſi votum ſimplex Caſtitatis) imò & votum ſolius Caſtitatis coniugalis: vti videre eſt in religioſis aliquorum Ordinum Militarium, qui vouent ſolum caſtitatem coniugalem; & tamen, teſte *Suar. tom. 4. de relig. tr. 9. l. 1. cap. 4. numer. 9.* communis opinio eſt illos eſſe ſimpliciter, & abſolutè veros religioſos; quod eſt ſignum rationem Status religioſi poſſe conſiſtere cum ſola caſtitate coniugali: cuius rei ea eſt ratio, quod cum ſtatus religioſus in communi ſumptus non exigat ſummam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam; ſed vnaquæque religio ex fine à ſe intento determinet ſibi certum modum, ac menſuram circa materiam dictorum votorum: hoc ipsò quod caſtitas coniugalis eſt accommodata fini, ac Inſtituto talium ordinum militarium, ea erit ſufficiens ad conſtituendum verum, ac proprium ſtatum religioſum. Quod verò caſtitas coniugalis ſit accommodata Inſtituto illorum Ordinum patet, quia de ratione Inſtituti illorum non eſt contemplari, aut contemplata alijs tradere, neque impenſiùs vacare ſpiritualibus, ac internis exercitijs (quo modo neceſſaria eſt perfecta cuſtodia caſtitatis iuxta illud *1. Cor. 7. qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſũt*) ſed ſeruire Deo ĩ actibus externis, & in re militari: ad quem finem non eſt abſolutè neceſſaria caſtitas excludens coniugium: ſi quidem habens vxorem, adhuc cum tota perfectione neceſſaria poteſt debitis temporibus militiæ vacare; vnde ſequitur votum caſtitatis coniugalis poſſe ſufficere ad talem ſtatum conſtituendum.

Quo modo autem votum caſtitatis, quod emittunt religioſi talium ordinum Militarium, ſit ſolemne, cum non irritet matrimonium ſubſequens, immò nec matrimonium antea contractum, non conſummatum.

6 ℞. *Suar. num. 19.* quod, licet eiuſmodi votum non ſit ſolemne quo ad dictos effectus, participat tamen de voti ſolemnitate quo ad perpetuitatem abſolutam, ob coniunctionem, quam habet cum traditione religioſa; vnde fit, vt eorum vota appellentur ſolemnia à *Nauarro conſ. 12. de regular.* aliiſque DD. & difficiliùs diſpenſari poſſint, quam vota purè ſimplicia emiſſa extra ſtatum religioſum; quin etiam ex parte cauſæ votum caſtitatis coniugalis difficiliùs poteſt diſpenſari, quam votum caſtitatis perfectè ſolemne; cum in hoc, ſuppoſita poteſtate diſpenſandi, occurrere poſſit neceſſitas, & cauſa iuſtæ diſpenſationis: quæ in voto illo caſtitatis coniugalis, etiam data poteſtate diſpenſandi ex parte Papæ, vix poteſt interuenire; ſtante quod tale votum non impedit matrimonium tam licitum, quam validum, & aliàs nulla communis, aut publica neceſſitas poteſt dare cauſam ſufficientem diſpenſationi, cum ei per matrimonium ſufficienter conſulatur: aliæ verò cauſæ priuatæ, ac occultæ, quæ poſſunt excogitari (v.g. ex fragilitate hominis) nihil referre poſſunt ad talem effectum; cum lex naturalis obliget ad ſuperandam illam difficultatem, & alia remedia inquirenda.

QVÆRES VI. Quæ ſit materia voti caſtitatis religioſæ.

7 ℞. Aliam eſſe neceſſariam, & aliam eſſe voluntariam; neceſſaria conſiſtit in abſtinentia ab omni actu turpi, omnique experimento libidinis extra ſtatum matrimonij: idque non ſolum quo ad actum externum, ſed etiam quo ad internum conſenſum ac deſiderium cuiuſcumque actus turpis, imo & quo ad moroſam, ac voluntariam delectationem interiorem de ipſo actu turpi, etiamſi illa ſit abſque deſiderio, imò & cum propoſito non committendi talem actum externum; & hæc materia dicitur neceſſaria ſecundum ſe, & non ſolum ex vi voti, eo quod etiam ſecluſo voto, ad illum homo obligatur ex vi iuris naturalis; quamquam non repugnat tali obligationi naturali aliam ſuperaddere voluntariam, vt inferius oſtendemus q. 7. vnde fit, vt quicumque poſt votum caſtitatis circa hanc partem aliquid peccat, non ſolùm delinquat contra temperantiam, ſed

etiam

etiam contra religionem tanquam voti violator, ideoque teneatur eiuſmodi circumſtantiam exprimere in confeſſione. materia verò voluntaria voti caſtitatis religioſæ conſiſtit in abſtinentia ab omni licito vſu venereo, & conſequenter etiam à matrimonio, eiuſque vſu, cum materia talis voti non ſit ſolùm ea, quæ eſt neceſſaria ex præcepto, ſed omnis illa, quæ eſt etiam ſupererogationis intra latitudinem caſtitatis.

QVÆRES VII. Qualiter requiratur, & conferat votum caſtitatis ad ſtatum religioſum.

8 ℟. Requiri, & cōferre quatenus Religioſus vi ſtatus tenetur anhelare ad perfectionem, eique comparandæ omnibus viribus vacare: ad talem verò effectum exigitur animi auulſio ab ijs omnibus, quæ non modico obſtaculo ſunt, ne vir Religioſus expeditè feratur in Deum; qualia ſunt venereorum vſus, tum ex vehementi delectatione animum ad terrena rapientis, tum etiam ex cura familiæ, filijſque prouidendi, quæ varijs curis, ac ſollicitudinibus mentem obruit; vnde cum talis auulſio fiat vi voti caſtitatis religioſæ, ſequitur illud non ſolùm eſſe licitum, & conſulendum (quidquid impudentiſſimi hæretici in contrarium obſtrepant apud *Suarez to. 3 de relig. l. 9. cap. 1. num. 2.*) ſed etiam valdè vtile, imò & neceſſarium ad ſtatus religioſi conſeruationem; quo faciunt quæ habet *Innoc. III. in Extrauag. Cum ad monaſterium de ſtatu Monach.* dicens *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa ſtatui monachorum, & regulæ monachali, vt ſuper ipſam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere:* ſed de hoc infra.

QVÆRES VIII. An de eſſentia ſtatus religioſi ſit, vt in eo non ſolum obſeruetur perpetua Caſtitas, ſed etiam vt ea per votum promittatur.

9 ℟. *S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 6.* eſſe, probatque: quia de ratione ſtatus religioſi eſt, vt eius profeſſores ſint in ſtatu perfectionis: ad ſtatum autem perfectionis requiritur obligatio ad ea, quæ ſunt perfectionis; quæ obligatio contrahitur per votum, vt patet; vnde cum ad perfectionem vitæ religioſæ pertineant obſeruantia 3. votorum, & conſequenter caſtitatis, ideo ſtatus religioſus petit, vt eius profeſſor ad illam ſe obliget per votum.

QVÆRES IX. Quanta cum ſolertia, ac vigilantia debeant religioſi inſiſtere obſeruantiæ voti caſtitatis.

10 ℟. Quod, cum, teſte experientia, inter omnia Chriſtianorum certamina ſola dura ſint prælia Caſtitatis, vbi quotidiana eſt pugna, & rara victoria, vt loquitur *S. Auguſt lib. de honeſt. mul. c. 2.* ſubdens, *grauem namque ſortita eſt Caſtitas inimicum, cui quotidie reſiſtitur, & ſemper timetur:* neceſſe eſt, vt religioſi conſeruationi Caſtitatis quam maximè inuigilent, eamque omni cura, ac diligentia cuſtodiant. Quis enim non extimeſcat ad ea, quæ habet *S. Hieron. epiſt. ad Euſtoch. de cuſtod. virginit.* de ſe ipſo loquens: *O quoties ego ipſe,* inquit, *in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs: ſedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram; horrebant ſacco membra deformia, & ſquallida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; &, ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius, & ferarum ſæpiſſimè choris intereram puellarum; pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſuum iam carne præmortua ſola libidinum incendia bulliebant.* ſic ille: qui ergo ſtat, videat, ne cadat.

QVÆRES X. Quibus medijs iuuari poſſint & debeant Religioſi ad ſeruandum caſtitatis votum.

11 ℟. Poſſe, & debere iuuari his medijs; nimirum per frequentem orationem, & ſpiritualium rerum meditationem; per manifeſtationem conſcientiæ, ac tentationem factam ſuperiori: per corporis macerationem: per fugam otij: per euitationem conſortij fœminarum, aliarumque perſonarum ſuſpectarum: per frequentiam confeſſionis, & communionis: per cuſtodiam ſenſuum: per celerem reſiſtentiam tentationibus factam.

QVÆRES XI. Quomodo frequens oratio, ac rerum ſpiritualium meditatio conferat ad conſeruandum votum caſtitatis.

12 ℟. Conferre, quatenus eſt maximè neceſſaria ad diuinam gratiam obtinendam, ſine qua caſtitas ſeruari nequit iuxta illud *Sapien. 8. Sciui, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det:* hęc verò valdè iuuat ad Dei timorem, & amorem in animo generandum, quorum præſidio maximè ſeruatur. Caſtitas, & vitia eſt ei oppoſita tolluntur.

QVÆRES XII. Qualiter iuuetur conſeruatio caſtitatis per manifeſtationem tentationum opportunè factam ſuperiori.

13 ℟. Iuuari; tum quia volens Deus homines hominibus ſubijci, per hoc medium ſuum præbet peculiare auxilium, quod fortè non concederet, ſi hoc contemneretur: tum quia facta tali manifeſtatione ſuperior poteſt religioſo ſubdito prodeſſe maiori ſua vigilantia, ac prouidentia, & debita remediorũ ſuppeditatione: tum quia ſic faciliùs eluduntur aſtus dæmonis, qui nihil magis auerſatur, quam quod eius malitia aperiatur; ſi quidem (vt loquitur S. P. Ignatius in *exercitijs ſpiritualibus in regulis ad motus animi diſcernendos reg. 13.*) *Inimicus noſter morem inſequitur iniquiſſimi cuiuſpiam amatoris, qui puellam honeſtorum parentum filiam volens ſeducere ſummopere procurat, vt verba, & conſilia ſua occulta ſint; nihilque reformidat magis, ac ægrè fert, quam ſi puella patri ſuo illa patefaciat: cum ſciat hoc pacto de votis, ac conatibus ſuis actum eſſe: ad eundem modum obnoxiè ſatagit Diabolus, vt anima, quã circumuenire cupit, ac perdere, fraudulentas ſuas cogitationes teneat ſecretas: indignatur verò maximè, & grauiſſimè cruciatur, ſi eius vel confeſſionem audienti, vel ſpirituali homini molimina ſua detegantur, à quibus ſe ita excidere funditus intelligit.*

QVÆRES XIII. Quo pacto corporis maceratio conducat ad conſeruationem caſtitatis.

14 ℞. Conducere tam abſtinentiam cibi, & potus, quæ pertinent ad famem, & ſitim; quam per ſubtractionem veſtium, quæ pertinent ad frigus, & nuditatem, & quam per corporalem laborem; vt bene aduertit *S.Tho.2.2.q.188.a.6. ad 3.* quamuis, quod ſpectat ad abſtinentiam ciborum, ea magis conſiſtat in diminutione quantitatis, quam in ciborum qualitate; ſicut obſeruat *Suar.tom.4.de relig.tr.10.l.4.cap.3. num.5. Libido grauis ignis eſt, ait S. Ambroſ.l.1.de pænit.cap.14. & ideo non demus illi alimenta luxuriæ: paſcitur libido conuiuijs, nutritur delicijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur;* vnde *S. Bern.ſer.66. in Cant.* de ſe ipſo loquens dicit; *Abſtineo à vino, quia in vino luxuria eſt, aut ſi infirmus ſum, modico vtar; abſtineo à carnibus, ne dum nimis nutrio carnem, ſimul & carnis nutriam vitia: panem ipſum cum menſura ſtudebo ſumere, ne onerato ventre ſtare ad orandum tædeat: ſed ne ſimplici quidem aqua ingurgitare me aſſueſcam, ne diſtentio ventris vſque ad titillationem pertingat libidinis.* ſic *in vitis Patrum lib.5.libello de fornicat. nu.31.* dixit quidam ſenior; *Nunquam ſollicitatus ſum à fornicatione, quia ex quo factus ſum monachus, non ſum ſatiatus pane, neque aqua, neque ſomno: & appetitus horum, quibus paſcimur, crucians, me non permittebat ſentire fornicationis ſtimulos.*

QVÆRES XIV. Quantum iuuet ad conſeruandam Caſtitatem fuga Otij.

15 ℞. Iuuare quam maximè: ſi quidem omnium vitiorum mater eſt otioſitas, vt ſcribit S. Hierony. *ad Euſtoch.* nixus verbis *Eccleſ.33. Otioſitas multam docuit malitiam;* vt proinde Auctor ſerm. 17. *ad Fratres in heremo* dicat *Quid ergo dicis, ò Frater, quid otioſè facere potes niſi opera carnis?* Certè etiam *Ouidius* hæc habet de otio.

Otia ſi tollas, periere cupidinis arcus
Contemptæque iacent, & ſine luce faces:
Quæritur Aegiſtus quare ſit factus adulter
In prompta cauſa eſt; deſidioſus erat.

QVÆRES XV. Quo ſtudio, ac diligentia vitari debeant à religioſo conſortia, & colloquia fęminarum ad effectum conſeruandi votum Caſtitatis.

16 ℞. Vitari debere omni ſtudio, ac diligentia; idque etſi fęminæ aliàs ſint religioſæ, & ſanctæ; quod bene monet *S.Bon de inter.puritate conſcientiæ c.14.* his verbis. *Fæminam, quam vides bene conuerſantem, mente dilige, non frequentia corporali, quia initium libidinis eſt in viſitatione mulierum, & mundus cum mulieribus non meliùs vincitur, quam fugiendo:* & infra *ſi mulier potuit vincere eum, qui iam erat in paradiſo, non eſt mirum, ſi eos impediat qui nondum ad paradiſum peruenerunt. Præter quam quod* (*teſte S.Cypriano lib.de ſingularit.*) *lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat: incerta victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare: impoſſibilis liberatio eſt flammis circumdari, nec ardere,* & infra *Ipſi nos fallimus, quoties credimus inter maſculos, & fæminas caſtitatem immobilem cuſtodiri: difficilè quis venenum bibet, & viuet: verendum eſt dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apoſt. 1. Cor. 10. qui ſe putat ſtare, videat, ne cadat.* Et infra *De carbonibus ſcintillæ diſſiliunt de ferro rubigo nutritur, morbos aſpides ſibilant, & mulier fundit concupiſcentiæ peſtilentiam: quam Salomon ſic comparat dicens, De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Hinc ſi quando religioſus cogitur loqui, & agere cum aliqua fęmina: id non faciat ſine arbitro, ſine teſte, ſine ſocio, qui ſaltem videat; quod præſcripſit S.Franc.de Paula ſuis Fratribus in *Correctorio n.83.* & in regulis Sacerdotum Religioſis Societatis Ieſu grauiſſimè indicitur *reg.18.* his verbis *Quando quis à Superiore mittetur ad confeſſiones fæminarum audiendas, vel alia de cauſa eas adierit; ſocius, quem Superior ipſe deſignabit, quamdiu cum fæminis Sacerdos loquetur; eo in loco erit, vnde videre eos, ſed non quæ ſecreta eſſe oportet, audire poſſit, quantum loci diſpoſitio patitur: quod ſi non pateretur, curet omninò Sacerdos, ne oſtium ſit clauſum, nec locus obſcurus.*

Adde ad conſeruandam Caſtitatem debere religioſum abſtinere à quacunque nimia familiaritate, & ſingulari amicitia præſertim Iuuenum; quod benè monet *S. Baſil. in aſceticis ſerm.1. de de abdicat.rer.* dicens *Iuuenis, ſiue ætate, ſiue animo fueris, æqualium tuorum conſuetudinem defugito, ab illiſque te non ſecus atque ab ardentiſſima flamma contine.* quò faciunt item ea, quæ habet in *Conſtit. monach. cap. 30.* ſub his verbis *Charitatem habere inter ſe mutuam fratres debent, non ita tamen vt duo, treſue à cæteris inter ſe ſodalitatem coeant: quandoquidem hoc non charitas eſt, ſed ſeditio. & diuiſio, & eorum, qui ſic coeunt, improbitatis indicium.*

QVÆRES XVI. Quam efficax ſit frequens vſus confeſſionis, & communionis ad votum Caſtitatis plenè, ac integrè ſeruandum.

18 ℞. Eſſe efficaciſſimum, cum Confeſſio præter gratiam ſacramentalem, & internam, ope Confeſſarij inſtruat, dirigat, & illuminet ad ſuperandas difficultates occurrentes circa carnis tentationes; & Euchariſtia, quæ dicitur vinum germinans virgines *Zach. 9.* ita iuuet ad conſeruationem caſtitatis, vt *B. Laur. Iuſtin lib. de diſcipl. monaſt. cap. 19.* Sacramento Euchariſtiæ, tribuat fomitis mitigationem quo modo *S. Bern. tom. 1. ſerm. 1. in cæna D. ait, quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritus vlceris huius ferre queat? confidite quia in hoc gratia ſubuenit, & vt ſecuri ſitis Domini corporis, & ſanguinis pretioſi inueſtituram habetis: duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, vt videlicet minuat ſenſum in minimis, & in grauioribus tollat omninò conſenſum.*

QVÆRES XVII. Quantum conferat ſenſuum cuſtodia ad conſeruationem caſtitatis.

19 ℞. Ita conferre, vt ſine ea vix, ac ne vix quidem poſſit ſeruari Caſtitas; vnde *S. Auguſt. lib. 50. homil. hom. 35.* ſic ait *Si virginitatem animæ integram ſeruare deſideras, quantum potes, obſerua blandimenta draconis, ne fortè ſi incautus fueris, quinque ſenſus, qui in te ſunt, quaſi quinque virgines permittas à ſerpente corrumpi, quidquid enim pulchreſcit viſu, quidquid dulceſcit guſtu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid molleſcit attactu: in his omnibus, ſi incauti fuerimus, ſubrepentibus concupiſcentijs malis, anima virginitatem corrumpi permittimus: & impletur illud, quod per Ieremiam prophetam dictum eſt Ierem. 9. Intrauit mors per feneſtras.* Sic etiam ait *S. Hieron. l. 2. contra Iouinian. Per quinque ſenſus, quaſi per quaſdam feneſtras vitiorum, ad animam introitus eſt: non poteſt antè metropolis, & arx mentis*

capi,

tapi, niſi per portas eius irruerit hoſtilis exercitus.

QVÆRES XVIII. Quanta cum celeritate reſiſtendum ſit tentationibus à dæmone immiſſis contra Caſtitatem.

30 ℞. Reſiſtendum eſſe cum maxima celeritate; ſicuti monet *S. Cypr. ſer. de ieiun.* dicens; *Diaboli primis tentationibus obuiandum, nec foueri debere colubrũ, donec in ſerpentem formetur.* ita *S. Cypr.* eique conſentit *S. Hierony. in c.9. Eccleſ.* dum ait; *Diabolus ſerpens lubricus eſt, cuius capiti, & hoc eſt primæ ſuggeſtioni ſi non reſiſtatur, non eſt dubitandum, quin in penetrale cordis furtim illabatur*: quod confirmat idem *S. Hierony. in epiſt. ad Euſtoch.* his verbis, *Nolo ſinas cogitationem libidinis creſcere: nihil in te babylonicum, nihil confuſionis adoleſcat: dum paruus eſt hoſtis, interfice: nequitia, ne zizania ſerpat, elidatur in ſemine.*

SECTIO II.

De Effectibus, qui proueniunt ex Voto religioſæ Caſtitatis.

21 *Votum Caſtitatis religioſa irritat ſponſalia de futuro.*
22 *Diſſoluit matrimonium ratum non conſummatum.*
23 *Non item dirimit ratum conſummatum.*
24 *Imò Eccleſia non poteſt facere, vt hoc per illam dirimatur.*
25 *Caſtitatis religioſa votum inhabilitat ad matrimonium ſubſequens.*
26 *Idque ſaltem à tempore Innocentij II.*
27 *Hac inhabilitas afficit Scholares approbatos Soc. Ieſu.*
28 *Vota ſimplicia biennij in ea non diſſoluunt matrimonium ratum præcedens.*
29 *Imò nec illud diſſoluunt vota Coadiutoris formati.*
30 *Decretum Gregorij XIII. inhabilitans Scholares approbatos Societatis ad matrimonium ſubſequens extenditur ad præterita.*
31 *Per vota biennij in Soc. diſſoluuntur ſponſalia de futuro.*
32 *Duo operatur profeſſio facta in religione à viro coniugato abſque vxoris conſenſu.*
33 *Vſus matrimonij non ſemper eſt vetitus profitenti de conſenſu vxoris quò ad reddendum.*
34 *Quin etiam is repeti poteſt ab illa poſt datũ conſenſum.*
35 *Votum Caſtitatis in Ordinibus militaribus ſolum vetat acceſſum ad alienam.*
36 *Religioſus ſine cauſa diſpenſatus ad matrimonium omninò impeditur ab vſu illius.*
37 *Violatio voti Caſtitatis eſt ſacrilega.*
38 *Violans caſtitatem, etſi ſit ſacerdos ſimul, & profeſſus, vnicum facit ſacrilegium.*
39 *In confeſſione ſufficit illum dicere ſe eſſe ligatum voto Caſtitatis.*
40 *Si habeat votum Caſtitatis tum ſimplex, tum ſolemne.*
41 *Religioſus fornicans cum religioſa duplex facit ſacrilegium confitendum.*
non tenetur id exprimere in confeſſione fornicationis.
42 *Fornicatio intra monaſterium habita, vt ſic non eſt ſacrilega.*
43 *Malitia ſacrilegij non incurritur, niſi aduertatur.*
44 *Et hoc benè notandum pro confeſſionibus hominum rudiorum.*

QVÆRES I. An votum Caſtitatis religioſæ irritet ſponſalia de futuro, ſi poſt ea ſubſequatur.

21 ℞. Irritare, & probatur tum quia *Ang. v. ſponſalia num.40. Rich. in 4.d.27. a.3. q. 1.* aliique relati *à Suar. tom.3. de relig. l.9. cap.7. num.8.* (& quidem probabiliter iudico ipſius *Suarez nu.* 12. aſſerentis ſolum oppoſitam eſſe veriorem, & magis ſecuram) docent votũ Caſtitatis ſimplex, ſi ſubſequatur poſt ſponſalia de futuro, ea irritare; ergò à fortiori illa irritabit votum ſolemne Caſtitatis, quod fit in religioſæ profeſſionis emiſſione; tum quia votum ſolemne Caſtitatis religioſæ dirimit ſponſalia de præſenti, quæ ſunt fortius vinculum; ergò multò magis dirimet ſponſalia de futuro, quæ ſunt vinculum minus forte *l. non debet ff. de reg. iur. Cui licet quod maius eſt, non debet quod minus eſt, non licere.*

QVÆRES II. An, & quo modo votum Caſtitatis religioſæ diſſoluat matrimonium ratum non conſummatum antea contractum.

22 ℞. Diſſoluere eo modo, quo oſtendimus in *tract. de profeſſione cap. 4. qu. 15.* vbi de hac re ſatis fusè egimus.

QVÆRES III. An votum Caſtitatis religioſæ dirimat matrimonium ratum, & iam conſummatum.

23 ℞. Non dirimere; & ratio eſt, quod matrimonium conſummatum inter baptizatos eſt prorſus indiſſolubile iuxta illud *Matth. 19. quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*; ideoque nullum fundamentum habemus aſſerendi illud diſſolui per votum ſolemne Caſtitatis religioſæ. vnde 1. *Cor. 7.* dicitur *Iis, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari*; quod eſt dicere vinculum matrimonij conſummati nunquam diſſolui, ſiue coniuges ſeparentur iure, ſiue iniuria, vt aduertit *Suar. ſup. cap.22. num.22.*

Quod ſi quæras, an votum Caſtitatis religioſæ ita ex inſtitutione eccleſiæ poſſit eleuàri, vt factum de licentia alterius coniugis irritet ipſum vinculum matrimonij conſummati; & ratio dubitandi eſt, quod verba illa, *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*, non videntur obſtare; cum in tali caſu non homo, ſed Deus illos ſeparet, ideſt eccleſia vtens diuina poteſtate. & hoc iuxta ea, quæ habet *Innoc. III.* in ſimili *cap. inter corporalia de translat. Epiſc.* dicens non humana, ſed potius diuina poteſtate coniugium diſſolui, quod auctoritate Romani Pontificis, quem conſtat eſſe Vicarium Ieſu Chriſti, ſoluitur.

24 ℞. Nihilominus non poſſe id fieri ab Eccleſia: patetque, tum quia hactenùs id non fecit; quod eſt ſignum eam non poſſe illud facere; tum quia *S. Gregor. l.9. epiſt.39.* citans in contrarium legem Iuſtiniani relatam *l. vlt. C. de Epiſc. & Cleric.* apertè docet id repugnare diuino iuri; nam licet lex humana (inquit) hoc conceſſit, lex diuina tamen prohibuit; & poſtquam retulit verba illa Chriſti, *quos Deus coniunxit, &c.* ſubdit *quis ergo huic cæleſti legislatori contradicat?* tum quia hoc repugnat intrinſecè

iuri

iuri naturali, & in lege gratiæ ſpecialiter contrariatur perfectæ ſignificationi Sacramenti matrimonij. vnde Chriſtus nec inſtituit, nec permiſit, nec poteſtatem conceſſit ad tale matrimonium diſſoluendum cauſa religionis. ex quo fit, vt lex illa, *quos Deus coniunxit &c.* quæ naturalis eſt, & non tantum poſitiua, ſimpliciter intelligi debeat de homine, ſiue vtatur poteſtata humana, ſiue diuina: ſicut notauit Suar. *num.* 5. addens neque Deum ipſum, vtendo præcipua gubernatoris poteſtate ſecundum ordinariam potentiam, poſſe ſoluere vinculum matrimonij conſummati; etſi id poſſit facere de poteſtate abſoluta: cum tamen alias poteſtas Eccleſiæ non ſe extendat ad ea omnia, ad quæ ſe extendit potentia Dei abſoluta.

QVÆRES IV. An votum ſolemne Caſtitatis religioſæ reddat vouentem inhabilem ad matrimonium ſubſequens contrahendum.

25 ℞. Reddere; adeoque matrimonium attentatum à religioſo profeſſo in religione approbata eſſe eò ipsò irritum, ac nullum. eſt de fide teſte *Suarez cap.* 21. *num.* 4. & definitur in *cap. vn. de voto in* 6. & in extrauag. 1. *Io:* 22. *de voto*, & in *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *can.* 9. patetque ex dictis *ſect. præced. q.* 4.

Solum hìc quæri poſſet, à quo tempore votum ſolemne Caſtitatis religioſæ cæperit habere vim inhabilitandi vouentem ad matrimonium ſubſequẽs, & quidem, ita, vt ſit ipſo facto irritum.

26 ℞. Id eſſe valdè obſcurum, ac incertum, nec ſatis conſtare, quid in hoc ſeruatum fuerit in vniuerſa Eccleſ. ante tẽpora Baſilij, Chryſoſtomi, Innocẽtij I. & Ambroſii, vti videre eſt ex ijs, quæ latiſſimè de hac re habet *Suarez ſup. cap.* 21. concludens *nu.* 26. eſſe veriſimile in Eccleſia varias quo ad hoc fuiſſe conſuetudines, donec Eccleſia Romana generalem ſtatuit de hoc legem; nec non fieri potuiſſe, vt ab ipſis Apoſtolis ſtatim id cæperit: non enim id repugnat, nec contrarium poteſt oſtendi. Illud ſanè videtur certum, ac indubitatum, ſaltem à tẽpore Innocentij II. hoc fuiſſe in Eccleſia inuiolabiliter obſeruatum: ſiquidem ille in Concil. Rom. legem ſtatuit, vt contrahentes matrimonium poſt votum ſolemne Caſtitatis ſeparentur; rationemq; reddit dicens *Huiuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, matrimonium non eſſe cenſemus*; in qua lege pares eſſe declarat Clericos in ſacris, Canonicos regulares, monachos, atque Conuerſos profeſſos, & Sanctimoniales.

QVÆRES V. An votum ſimpex Caſtitatis, quod faciunt religioſi Societatis Ieſu poſt probationem biennij dirimat matrimonium ratum tam præcedens, quam ſubſequens.

27 ℞. Dirimere matrimonium ratum ſubſequens (idque ex iure nouo inducto per Gregorio XIII. vt diximus *ſect. præced. q.* 2. & fuſiùs oſtendit *Suar. to.* 4. *de relig: tract.* 10. *l.* 4. *cap.* 1. *num.* 8. non item matrimonium ratum præcedens; quod facilè probari poteſt, tum quia nullum adeſt ſufficiẽs fundamentum id aſſerendi, cum in toto ſpeciali iure Societatis neque in Conſtitutionibus, neque in bullis apoſtolicis illius nihil tale declaretur: tum quia Greg. XIII. in Conſtitution. qua declarauit per vota ſimplicia biennij, quæ fiunt in Societate, dirimi matrimonium ſubſequens, nihil de hoc puncto innouauit, ideoque cenſetur permanere in eo ſtatu, in quo erat ante; conſtat autem vnum ſub altero non comprehendi, & conſequenter non benè inferri; Ex decreto Gregorij XIII. vota ſimplicia biennij, quæ fiũt in Soc. Ieſ. dirimunt matrimonium ſubſequens; ergò & dirimunt antecedens: ſiquidẽ talis illatio non eſt formalis, & non habet locum; niſi in terminis conuertibilibus: præter quam quod per nouum ius non diſcedimus ab antiquo, niſi quatenus in nouo expreſſum eſt iuxta *l. præcipimus C. de. appellat.* maximè in materia odioſa, qualis eſt omnis lex irritans contractum, alias natura ſua validum; idque præſertim, quando in ampliatione ſimilitudo rationis non eſt omnino eadem: at hæc omnia concurrunt in caſu præſenti, vt patet; ergò, cum ius nouum aliud non exprimat, non eſt extendendum. ita *Suar. ſup. caput.* 2. *numer.* 6. *&* 8. contra aliquos graues DD. tam Societatis, quam externos ſuſtinentes præfata vota ſimplicia dirimere matrimonium ratum antecedens: quorum opinionem indicat *Suar. num.* 3. eſſe probabilem hòc ipsò quod ſolum ait contrariam eſſe veriorem, ac ſecuriorem.

Nec obſtat, quod, cum Conſtitutiones Societatis non prohibeant, quo minùs recipi poſſit, qui matrimonium contraxit, dummodo illud non conſummauerit (vt à contrario colligitur ex *Conſtitut. Soc. cap.* 2. *exam.* §. 4.) hinc videtur ſequi per vota ſimplicia, quæ ordinariè fiunt in Societate poſt biennium, diſſolui tale matrimonium; alioqui poſſet quis eſſe verè religioſus, & nihilominùs manere ligatus vinculo matrimonij rati, inuita coniuge: quod repugnat ſtatui religionis, & alteri coniugi eſſet onerolum, qui proinde poſſet ius ſuum exigere.

28 ℞. Enim quod, quamuis, abſolutè loquendo, vinculum matrimonij rati non impediat, quo minùs recipi quis poſſit in Societatem: id tamen intelligi debet, non de eo, qui poſt biennij probationem admittitur ad vota ſimplicia, ſed de eo, qui poſt primum annum probationis expletum recipiatur ad profeſſionem; vnde, cum id non poſſit fieri, niſi admittendus diſpenſetur in duobus; nimirum in eo quod primo (vt ita dicam) ſaltu recipiatur ad profeſſionem ſolemnem, & quod immediatè poteſt primum probationis annum; & hoc, ne alioqui vxor cogatur expectare vltra annũ iure præſcriptum, inchoandum à tempore quo alter coniux recepit habitum religioſum: ad quod ipſa non poteſt adſtringi, cum, inquam, id non poſſit fieri, niſi præmiſſa duplici illa diſpenſatione, & tales diſpenſationes rariſſimè ſoleant concedi in Societate, dici item poteſt matrimonium ratum regulariter impedire ingreſſum Societatis, ſicque nõ poſſe inferri illud diſſolui per vota ſimplicia biennij, vt contendunt Aduerſarij; quare vſu ſemper ſeruatum eſt, inquit *Suarez num.* 13. vt nemo ligatus vinculo matrimonij rati in Societatem recipiatur: quo modo ſoluitur fundamentum principale Aduerſariorum.

Vtrum verò matrimonium ratum antecedens

derima-

dirimatur per vota ſimplicia, quæ fiunt in eadem Societate à Coadiutoribus formatis tam temporalibus, quam ſpiritualibus.

29 ℞. Non dirimi, ita interminis *Suarez vbi ſupra l. 7. cap. 3. num. 10.* & patet ex ijs, quæ in hanc rem diximus de votis ſimplicibus biennij; cum quo ad hoc par ratio militet in vtriſque vt conſtabit conſideranti.

Illud item hìc quæri poſſet, an decretum illud Gregorij XIII. per quod religioſi Societ. ſolis votis ſimplicibus biennij redditi ſunt inhabiles ad matrimonium contrahendum, affecerit eos, qui ante dictum decretum vota præfata emiſerant.

30 ℞. *Suarez ſup. l. 4. cap. 1. num. 11.* decretum illud ſtatim habuiſſe effectum in omnibus perſonis Societatis, idq; eſſe certum, & ita ab omnibus fuiſſe intellectum ratio huius eſt, quod ex vna parte Papa potuit id efficere, cum per tale decretum non inhabilitetur perſona ad aliquid præteritum (in quo ſenſu verùm eſt ſtatutum non reſpicere præterita) ſed ad matrimonium in futurum contrahendum: & alioqui ratione materiæ non repugnet dictum decretum habuiſſe ſuam efficaciam, etiam circa perſonas, quæ iam vouerant caſtitatem in Societate; ſtante quod Papa poteſt adiungere talem inhabilitationem tam voto emiſſo, quam in futurum emittendo, quatenus emiſſum in præſens moraliter durat, & fit; cum non ſit maior ratio vnius, quam alterius, ex alia parte de facto id Papa intendit, vt inde conſtat, quod, cum in illa ſua Conſtitutione dixiſſet tam eos, qui vota ſimplicia biennij iã emiſerant in Societate qua eos, qui impoſterum emiſſuri erãt, eſſe verè, ac propriè religioſos, & conſequẽter exemptos, ac ſedi apoſtolicæ immediatè ſubiectos, gaudereque priuilegijs ſocietatis, & fore Apoſtatas, ac excommunicatos, ſi fugiant à ſocietate: tandem eodem cõtextu de illis ait *Eos omnes ad contrahendum inhabiles facimus*: quod eſt ſignum euidens (inquit *Sanchez*) illum loquitur etiam ijs, qui iam emiſerant dicta vota.

31 Addo per vota ſimplicia biennij, quæ fiunt in Soc. Ieſu ſine dubio diſſolui ſponſalia de futuro contracta antea; cum enim ea diſſoluantur non ſolum per ingreſſum religionis actualem, ſed etiam per votum ſimplex Caſtitatis emiſſum extra Religioné poſt ipſa; vt tradunt plurimi DD. apud *Sanch. l. 1. de matr. D. 46. num. 7.* à fortiori diſſoluentur per votum ſimplex Caſtitatis emiſſum in Religione approbata, & conſtituens vouentem verè, & propriè Religioſum: vt euenit in caſu noſtro.

QVÆRES VI. Quid efficiat votum Caſtitatis religioſæ in eo, qui inſcia, aut inuita vxore poſt conſummationem matrimonij Religionem ingreditur, ibique profeſſionem religioſam emittit.

32 ℞. Efficere, vt vouens non poſſit petere debitum, viuente altero coniuge, eoque mortuo non poſſit ſine diſpenſatione contrahere aliud matrimonium, idque etſi alioqui profeſſio illa ſit inualida, ac nulla. habetur expreſſè in *cap. quidam de conuerſione coniugat.* & in *cap. placet eodem titulo.* paterque ex dictis in *tract. de profeſſ. relig. cap. 2. q. 17.* ſi hic moneo ex *Suar. tom. 3. de relig. l. 6. c. 7. num. 6.* in caſu propoſito propterea votum Caſtitatis eſſe validum, & ſi profeſſio, cui eſt annexum, ſit nulla: quia Eccleſia, ex qua inducta eſt illa irritatio profeſſionis, noluit eam omninò irritare, ſed aliquid illius ratum habere, quod ſine præiudicio alterius coniugis, & ſine vllo diſpendio ſtatus matrimonialis validum eſſe poſſet.

QVÆRES VII. Quid operetur votum Caſtitatis religioſæ in eo, qui profitetur de licentia alterius coniugis poſt matrimonij conſummationem.

33 ℞. Cum diſtinctione. Vel alter coniux dedit licentiam nullo voto Religionis, aut Caſtitatis perpetuæ emiſſo; & ſic Religioſus vi voti Caſtitatis emiſſi prohibetur: quidem petere debitum, non tamen reddere, ſi ab altero coniuge repetatur ad vſũ matrimonij: ſic enim expreſſè ſtatuitur in *cap. 1. de conuerſ. coniugat.* & meritò, cum ex interpretatione aut modo acceptationis iuris eccleſiaſtici licentia data a coniuge manente in ſæculo modo dicto fuerit ſolum ad profeſſionem faciendam, ſaluo ſuo iure, quod eſt ad petendum; vnde fit, vt alter teneatur reddere, & monaſterium ſimiliter obligetur eum reſtituere, liberam ei facultatem faciendo: quamuis ad euitandum ſcandalum id fieri debeat auctoritate Iudicis eccleſiaſtici competentis. Vel alter coniux ita dedit licentiam, vt ipſe ſimul conuerſus fuerit emittendo votum religionis, aut Caſtitatis perpetuæ: & ſic matrimonium vi voti Caſtitatis Religioſæ emiſſi ab altero coniuge quaſi ſopitur, & impeditur quo ad vſum: ſicque coniux tali voto adſtrictus prohibetur tum petere, tum reddere debitum, vinculo ipſo matrimonij interim manente integro; ſi quidem votum Caſtitatis factum in profeſſione ad id obligat, & alioqui nullum extat ius adſtringens profeſſum, vt redeat ad alterum coniugem repetentem, & reddat ei debitum coniugale: ſicuti adeſt in priori caſu.

34 Notat autem *Suar. num. 15.* quod, quamuis coniux, quod dedit licentiam alteri coniugi ad profitendum in religione, non poſſit ſuo iure eum repetere, cum ceſſerit iuri ſuo, & aliàs ex tali ceſſione ſtatim acquiſitum fuerit ius Deo, ac Religioni per profeſſionem: nihilominus poteſt petere, vt circa ſe obſeruetur ius eccleſiaſticum conceſſum in *cap. 1. de conuerſ. coniugat:* quod ius, quantumuis ipſe renunciet, adhuc ei prodeſſe poteſt, cum Eccleſia talem renuntiationem nolet acceptare, niſi ſub ea conditione, vt coniux renuntiant etiam ipſe modo ſupra dicto conuertatur; quæ conditio cum pendeat ſemper ex eius voluntate, ſi ipſe illam nolit implere, renuntiatio manet non acceptata, ſicque non habet effectum. Quamquam, ſi contingat coniugem, qui dedit licentiam, & poſtea repetijt, velle conuerti, alter teneatur reuerti ad Religionem; ſicut & tenetur eo moriente, & ablatis impedimentis, quam per accidens occurrere poſſunt.

QVÆRES VIII. Quid efficiat votum Caſtitatis religioſæ in Equitibus S. Iacobi, & alijs profitentibus Caſtitatem ſolum coniugalem.

35 ℞. Quod, cum vi talis voti Caſtitatis non dirimatur matrimonium, neque antea contractum, neque poſtea contrahendum, nec impediatur vſus illius; per tale votum prohibetur ipſis tantùm, ne accedant ad aliam fœminam, quam ad propriam

vxo.

vxorem. ita *Miranda tom.1. Manual. q.27. art.6. ex Arag. P. de Ledeſma, & Henriq. alijque* communiter. Quin dicit *Suar. tom.4. de relig. tr.9 l.1. cap.4. num.19.* ſibi videri probabile dictos Equites peccare contra votum Caſtitatis, ſi debitam militiam omittant ex nimio affectu ad rem vxoriam, aut ex vſu illius immoderato extenuentur viribus ad militiam neceſſarijs: quæ tamen ſunt valdè incerta, & facilè negari poſſunt; vt aduertit ipſemet *Suar.* innuens poſſe dici eos in caſibus propoſitis peccare, non contra votum Caſtitatis, ſed obedientiæ, & contra propriam Regulam ipſis præcipientem, vt multis temporibus ſeparentur ab vxoribus, & conſequenter abſtineant à re vxoria.

QVÆRES IX. An Religioſus profeſſus, ſi abſque cauſa ſufficienti diſpenſetur ad matrimoniũ, licitè poſſit & petere, & reddere debitum, vel certè vi voti Caſtitatis impediatur petere.

36 ℞. Impediri petere; & ratio eſt, quod, quamuis re vera ſublatum fuerit impedimentum irritans matrimonium, & conſequenter matrimonium vi talis diſpenſationis contractum ſit validum, ideoque Religioſus ſic contrahens licitè poſſit, imò & debeat reddere debitum coniugale: quia tamen diſpenſatio quo ad votum non eſt valida, obligat ſemper ad id, quod vir coniugatus poteſt ſeruare ſine iniuria vxoris: idque ſub reatu ſacrilegij, ſub quo item tenetur ſeruare in reliquis omnibus Caſtitatem coniugalem: cum in tali caſu votum Caſtitatis maneat, ſecumque afferat totam hanc obligationem. ita *Suar. tom.3. de relig. l.9. c.20. num.6.*

QVÆRES X. qualem malitiam, ac difformitatem inducat votum Caſtitatis religioſæ in peccata commiſſa contra ſextum præceptum.

37 ℞. Inducere malitiam ſacrilegij; patetque quia DD. communiter ex *S. Thom. 2.2. q.154. a. 10.* definiunt ſacrilegium in materia luxuriȩ eſſe peccatum luxuriæ, quo violatur perſona ſacra, aut locus ſacer: conſtat autem virum religioſum per votum Caſtitatis fieri perſonam ſacram.

Maius dubium eſt, an committat vnum ſpecie ſacrilegium, qui cum ſit Sacerdos, & Profeſſus peccat con. Caſtitatem; ſicque teneatur hanc vtramq; circumſtantiam aperire in confeſſione.

38 ℞. Probabile eſſe vnicum ſacrilegium committi, ideoque talem Religioſum confitentem ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi tantum dicat ſe eſſe ſacerdotem, tacendo ſe eſſe Religioſum profeſſum: aut ſi dicat ſe eſſe Religioſum profeſſum, tacendo ſe eſſe ſacerdotem. ratio eſt, quia eiuſmodi obligationes ſunt eiuſdem ſpeciei: ſi quidem obligatio Caſtitatis in ſacris Ordinibus oritur ex voto implicito Caſtitatis, & non ex præcepto (vt aliqui putant apud *Sanch. l.7. de matr. D 27. num.9.*) votum autem ſolemne Caſtitatis in ſacris Ordinibus, & votũ Profeſſionis ſunt eiuſdem ſpeciei: cum Eccleſia imponat præceptum Caſtitatis ijs, qui recipiunt ſacros Ordines, med ante voto implicito Caſtitatis, ſicque intendat eos obligare ex voto; quod ſi fortè expreſsè noluerint implicitè vouere Caſtitatem, ſeque ad illam obligare ex voto, ne euadant, tunc quidem mediante voto imponit illis præceptum ſeruandi illam: ſi ergò votum Caſtitatis in ſacris Ordinibus, & votum Profeſſionis ſunt eiuſdem ſpeciei, non inducent difformitatem ſpecie diuerſam, vt patet. ita *Leſſ. l.4. c.3. num.87. Corduba in ſum. q.3. Medin. l.1. instruct. conf. c.14. §.18. Rodriq. tom.1. ſum. c.53. nu.5. Sanch. ſup. num.28. Fagund. l.6. in decal. c.6. num.10.* & alij penes ipſos contra plures alios ab ijs relatos oppoſitum aſſerentes.

39 Imo putat *Sanch. num. 32.* ſufficere, quod Religioſus in caſu propoſito præcisè confiteatur ſe eſſe ligatum voto Caſtitatis, tacendo ſe eſſe ſacerdotem, & Profeſſum: probatque, quia tota malitia ſpecifica, quæ hic ſuperadditur, conſurgit ex fractione voti; votum autem Caſtitatis ſacris Ordinibus annexum, & quod emittitur in ſolemni Profeſſione religioſa, licèt ſit ſolemne, non differt tamen per ſe, & eſſentialiter à voto ſimplici Caſtitatis, ſed ex ſola Conſtitutione Eccleſiæ, & accidentaliter; ideoque nullam aliam malitiam inducit, niſi eam, quæ reperitur in violatione voti ſimplicis: cum aliàs multiplicatio votorum non faciat, vt ea neceſſariò aperienda ſit in confeſſione; ſicut aduertit *Sanch. num.35.* ex dictis inferens, eum, qui expreſſè fecit votum Caſtitatis, & præterea ſuſcepit Ordines ſacros, & emiſit ſimplicia vota biennij in Soc. Ieſu, ſi fornicetur, ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi in confeſſione dicat ſe peccaſſe contra votum Caſtitatis, nec teneri quo ad hoc quidquam aliud aperire.

Verum vero Religioſus, qui fornicatur habens votum Caſtitatis tum ſolemne, tum ſimplex, teneatur id manifeſtare in confeſſione.

40 ℞. Non teneri ob rationem modò allatam, quæ ſine dubio militat etiam in præſenti caſu. ita *Filliuc. tr.30. num 126. ex Palud. Henriq. & Sanch.* quos refert, & ſequitur *Fagund. nu. 14.* citans alios oppoſitum ſuſtinentes, & quidem iudiciò eius non improbabiliter. Ex quo infert *Diana in tract. de circũſt. aggrau. reſol.9. cum Fagund. Sanch. Llamas, & Filliuc.* Religioſum profeſſum, qui emiſit votum non committendi mollitiem, aut fornicationem, non teneri id explicare in confeſſione: cum per votum Caſtitatis antea emiſſum in profeſſione ad hoc ipſum teneretur, & ſola votorum multiplicatio numerica non addat circumſtantiam neceſſariò cõfitendam, ſed ſolum confirmet obligationem antiquam.

41 Addunt *Filliuc. num. 128. ex Leſſio*, & alijs perſonam ſacram rem habentem cum ſacra, v. g. Religioſum cum Religioſa committere duplex ſacrilegium neceſſario exprimendum in cõfeſſione: vnum ex parte propria, & alterum ex parte alterius, ad quod cooperatur; non ſecus ac duplex adulterium facit vir coniugatus rem habens cum coniugata: maximè ſi incitet ad peccatum, & perſonam aliàs nolentem precibus, aut blanditijs impellat ad conſentiendum.

42 Monet prætereà *Filliuc. nu.135. ex Nau. & Azor.* Monaſteria Religioſorum, dormitoria, refectoria, & cubicula, imo & ſacriſtiam non uenire nomine loci ſacri; ideoque actus venereos in ijs habitos non continere malitiam ſacrilegii neceſſariò confitendam: idque & ſi in dormitorio, & ſacriſtia adſit altare ad celebrandum; quod tamen nõ admittit *Filliuc. loco citato* oppoſitum innuens: cum alioqui nobiſcum ſentiat *Sanchez l.9. de matr. D.15. n.42. Corduba*

Sum.

Sum. q. 12. Fagund. præc. 1. Eccleſ. l. 3. cap. 14. numer. 45. & alij, inter quos *Fagund. l. 6. in decal. c. 3. n. 13.* cũ alijs DD. notat per deſiderium libidinoſum, & turpem contactum ſactum in loco ſacro non committi ſacrilegium, niſi quando deſiderium tenderet ad habendam copulam in loco ſacro (quod rarò contingit) aut contactus turpis eſſet cum periculo pollutionis, quod etiam *concedit Fagund. ſup. cap. 3. num. 13.* inferens à fortiori idem dicendum de aſpectibus, confabulationibus, nutibus, oculorum intorſionibus, alijſque id genus; ea ſcilicet habita in loco ſacro non eſſe ſacrilega, & conſequenter in eorum confeſſione non eſſe neceſſariò aperiendam circumſtantiam loci ſacri.

Dices, quod ſi religioſus hic, & nunc delinquens contra votum caſtitatis non aduertat per illud induci in actum luxuriæ nouam malitiam ſacrilegij, habet ne tunc talis actus talem malitiam poſtea neceſſario confitendam?

43 ℞. Non habere iuxta doctrinam, quam tradit *Sanch. l. 1. mor. cap. 16. num. 22.* his verbis: *Sicut contingit ſcientiam adeſſe, aut ignorantiam inuincibilem circa factum, aut aliquam circumſtantiam vincibilem tamen circa aliam: & tunc actus à ſola circumſtantia inuincibiliter ignorata excuſatur; ita contingit ſæpè non aduerti ad malitiam alicuius circumſtantiæ concipiendo dubium, aut ſaltem ſcrupulum de illa, quamuis altera eiuſdem actus malitia aduertatur, & tunc erit inaduertentia inculpabilis prioris illius malitiæ, atque ab illa excuſabit.* ſic *Sanchez*, & ratio eſt; Quia non eſt peccatum, niſi voluntarium: non poteſt autem eſſe voluntarium ſine debita cognitione, & conſequenter ſine ſufficienti aduertentia, cum inaduertentia æquiparetur ignorantiæ: vnde fit, vt ſicut actus continens plures malitias, nullo modo eſt peccaminoſus, ſi nulla illarum malitiarum cognoſcatur, aut debitè aduertatur, ita ſi qua illarum cognoſcatur, & aduertatur, non item alia; actus ſit peccaminoſus quo ad malitiam cognitam, non autem quo ad aliam minimè cognitam.

44 Hinc (quod eſt validè aduertendum Confeſſarijs) puto ruſticos, aliaſque ſimiles perſonas rudes plerumque excuſari ab exprimendis in confeſſione circumſtantijs mutantibus ſpeciem; quippe quæ in peccatis luxuriæ vt plurimũ non apprehendunt, niſi rationem generalem peccati contra caſtitatem, nullo modo aduertendo ad malitiam, ſiue adulterij, ſiue inceſtus, ſiue ſacrilegij &c. quo modo militat doctrina paulò ante præmiſſa; eos ſcilicet excuſari ab iſtis malitijs, quas non aduertunt: quod ſi excuſantur, dum committunt peccatum, nec tenebuntur eas aperire in confeſſione; cum ipſis non imputentur, niſi ad peccatum materiale, vt patet.

QVÆRES XI. Quam obligationem inducat votum caſtitatis religioſæ.

℞. Inducere eam, quam explicabimus *ſect. ſeq.*

SECTIO III.

De Obligatione, quæ oritur ex Voto Caſtitatis Religioſæ.

45 *Votum Caſtitatis religioſæ obligat ad plura.*
46 *Obligat ſub peccato mortali.*
47 *Afficit etiam profeſſos profeſſione tacita.*
48 *Iuxta tamen intentionem illorum de facto habitam.*
49 *Religioſus diſpenſatus ad matrimonium tenetur ad caſtitatem coniugalem.*
50 *Ad hoc ipſum tenentur religioſi Ordinum militarium.*
51 *Profitens inualidè obligatur voto caſtitatis vt ſimplici, ſi id intendat.*
52 *Is licitè contrahit matrimonium, ſi ſit certus ſe illud non conſummaturum.*
53 *Votum Caſtitatis obligat ſub varijs pœnis.*

QVÆRES I. Ad quid obliget votum caſtitatis religioſæ.

45 ℞. Obligare non ſolum ad abſtinendum à coniugio (ſi tamen excipias religioſos Ordinum militarium vouentes ſolum caſtitatem coniugalem) ſed etiam ad abſtinendum ab omni actu venereo, ſiue interno, ſiue externo caſtitati aduerſo; nempe à turpibus cogitationibus, delectatione moroſa, pollutione, turpi contactu, impudico aſpectu, & à quacumque copula; ita vt materia talis voti ſit non ſolum bonum ſupererogationis, ſed etiam bonum, quod ali- qui eſt præceptum, vti diximus *ſect. 1. q. 6.*

QVÆRES II. An votum caſtitatis religioſæ ex genere ſuo obliget ſub peccato mortali.

46 ℞. Obligare; & quidem ita, vt quidquid in ſæcularibus extra coniugium eſt peccatum mor. contra caſtitatem, in religioſo ſit ſacrilegium mor. veniale vero, ſi in ſæcularibus eſſet tantum peccatum ven. ita *Leſſ. l. 2. cap 41. num. 77. Sanch. l. 5. mor. c. 6. num. 9. Val. tom. 3. D. 10. q. 4. par. 3. Lezana tom. 1. cap. 5. num. 4.* alijque: & probatur, quia circumſtantia voti non immutat obligationem iuris naturalis omnibus communem efficiẽdo, vt actus venereus, qui ſecluſo voto eſſet venialis, vi voti caſtitatis fiat mortalis; ſed ſolùm addit nouam circumſtantiam ſacrilegij, eamque venialem, ſi actus aliàs ſit venialis; mortalem verò, ſi actus ſit mortalis.

QVÆRES III. An obligatio voti Caſtitatis afficiat religioſos tacitè profeſſos, æquè ac eos, qui emiſerunt profeſſionem expreſſam.

47 ℞. Afficere; ideoque etiam illos incurrere ſacrilegium, ſi violent caſtitatem. ita in terminis *Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 12. q. 9.* & probatur, quia conſtat votum caſtitatis emitti poſſe non ſolum explicitè, (vt fit in Profeſſione expreſſa,) ſed etiam implicitè, ſpontè faciendo aliquid, cui faciens agnoſcit eſſe annexum votum caſtitatis (vt fit in ſuſceptione Ordinis ſacri;) qui autem tacitè profitetur, vtique facit aliquid, cui ſic eſſe annexum votum caſtitatis:

tatis: ergo re vera ſic profitendo, ſpontaneè votũ caſtitatis emittit; non quidem explicitè, ſed implicitè, ergò & tenetur illud ſeruare: quo modo illud tenetur ſetuare quicumque ſciens,& volens recipit Ordinem ſacrum; vt ttadunt communiter DD. cum *Sanch.l.7.de matr.D.27.num.* 10. quamquam *Scotus, Val. Gutier. aliįque plures Canoniſtæ* relati ab ipſo *Sanch.* & probabiliter eius iudicio, putent initiatum ordine ſacro teneri ſeruare Caſtitatem, non ex voto, ſed ex ſola conſtitutione Eccleſiæ; at non vacat in his immorari.

Quod ſi quæras an, & quo modo teneretur ſeruare votum Caſtitatis Religioſus tacitè profeſſus, qui per talem profeſſionem ſolum intendiſſet ſe obligare ad abſtinendum à coniugio.

48 ℞. Non teneri, niſi iuxta intentionem de facto habitam; ſiquidem votum non obligat vltra intentionem vouentis: teneri tamen vel reualidare profeſſionem, quæ, poſita ea intentione, eſt nulla; vel certè recedere à religione, ſeruatis aliàs ſeruandis; vti diximus in *tract. de profeſſ. relig. cap. 1. q. 20. §. grauior dubitatio.*

QVÆRES IV. Qualiter obligetur voto Caſtitatis Religioſus, qui legitima poteſtate diſpenſatur ad matrimonium contrahendum.

49 ℞. Obligari ad ſeruandam Caſtitatem coniugalem; ideoque teneri abſtinere ab ijs omnibus actibus, qui extra coniugium ſunt prohibiti. Colligitur ex *Suarez tom.3. de relig. l.9. c.20. num.6.* & probatur, quia cauſa limitata non producit, niſi effectum limitatum; diſpenſatio autem facta ad matrimonium contrahendum vtique eſt limitata, vt pote non abſoluens a voto Caſtitatis abſolutè, ſed ſolum in ordine ad contrahendum matrimonium; ergò non debet extendi ab hoc effectu expreſſo ad alios non expreſſos; cum à diuerſis non fiat illatio.

QVÆRES V. Quo modo obligentur voto Caſtitatis Religioſi Ordinum militarium promittentes Caſtitatem ſolùm coniugalem.

50 ℞. Non obligari, niſi eo modo, quo *q. præcedenti* diximus obligari Religioſum clauſtralem legitimè diſpenſatum ad matrimonium contrahendum; niſi forte iuxta dicta *ſect. præced. q.8.* quis velit addere cum *Suar.* eos teneri voto Caſtitatis abſtinere etiam à re vxoria in quibuſdam caſibus: quod tamen non eſt ita certum, ſicut ibi innuimus.

QVÆRS VI. An, & quo pacto obliget votum Caſtitatis emiſſum in Profeſſione religioſa, ſi ipſa profeſſio ſit inualida.

51 ℞. *Suar. ſupra l.2. c.10. nu.8.* quod ſi profitens in tali caſu habeat intentionem ſe obligandi ad Caſtitatem, eſtò contingat profeſſionem eſſe nullam: tunc, profeſſione non ſubſiſtente, votum illud obligabit vt omnino priuatum, & ſimplex, non autem vt votum Caſtitatis religioſæ, quod eſt annexum profeſſioni validæ. Vnde fit, vt talis profitens non fiat inhabilis ad matrimonium validè contrahendum; cum eiuſmodi inhabilitas ſolum proueniat ex voto Caſtitatis ſolemni valido. ratio teſponſionis eſt, quod votum ſumit obligationem, eiuſque qualitatem ex intentione vouentis: adeoque non repugnat profitentem inualidè, manere obligatum voto Caſtitatis ſimplici, ſi ipſe habuit intentionem ad id ſe obligandi.

Quod ſi quæras, an vouens in iſto caſu licitè poſſit contrahere matrimonium, ſi habeat animum non conſummandi.

52 ℞. Poſſe, ſi ſit omnino certus alterum coniugem non petiturum debitum, & conſequenter ſe non adſtrictum iri ad conſummandum matrimonium; ſic enim ex contractu matrimonij nullum infertur nocumentum voto Caſtitatis. Quamquam talis certitudo non poſſit haberi, niſi per diuinam reuelationem: quo pacto habuit B. Virgo contrahens poſt votum Caſtitatis; humanæ ſiquidem cõiecturæ, aut quæcumque promiſſio alterius coniugis ad hoc non ſufficiunt: nam ſi promiſſio talis ſit, vt pet eam coniux renunciet iuri ſuo, repugnabit ſubſtantiæ matrimonij, ſi fiat ante illud: ſi verò ſit quæcumque alia aſſertio, aut conteſtatio, non tollit ius petendi, ſicque non tollit obligationem reddendi, ſi poſtea cum effectu petatur; vnde talis contractus ſemper repugnat voto Caſtitatis, niſi adſit reuelatio diuina modo ſupra dicto, aut certè fiat animo tranſeundi ad Religionem. ita *Suar. ſup. l. 9. c.3. nu.* 11. afferens *num.*4. aliquos caſus, in quibus poſt votum ſimplex Caſtitatis licitum eſſet matrimonium inire animo non conſummandi.

QVÆRES VII. Sub quibus pœnis obliget votum Caſtitatis religioſæ.

53 ℞. Obligare ſub varijs pęnis iuxta diuerſitatem exceſſuum, qui committantur contra votum Caſtitatis. primò enim ſi Religioſus fiat fornicarius, iure communi deponitur: idque multò magis ſi fornicatio ſit ſacrilega, ideſt commiſſa cum moniali: ſecundò ſi virginem Deo ſacram carnaliter cognoſcat, deponitur, atque incarceratur: tertiò ſi per vim ſtupret, iure canonico item perpetuò deponitur: quartò ſi committat adulterium, perpetuo deponitur, & in monaſterium detruditur: quintò ſi faciat inceſtum, iure canonico item perpetuò deponitur: ſextò ſi pęnitentem ſollicitet contra Caſtitatem in confeſſione, aut prætextu illius, vel etiam in loco deputato ad audiendas confeſſiones, traditur Inquiſitoribus S. Officij puniendus iuxta qualitatem exceſſus: ſeptimò ſi incurrat peccatum ſodomiæ, ex Conſt. Pij V. priuatur omni priuilegio clericali, omni officio, dignitate, & beneficio eccleſiaſtico; imò & degradatus per Iudicem eccleſiaſticum traditur poteſtati ſæculari puniendus pæna legitimis ſanctionibus contra laicos taliter delinquentes ſtatuta: octauò ſi facta profeſſione matrimonium contrahat, ex *Clem. vn. de conſang. & affinit.* incurrit excommunicationem ipſo facto, imò & irregularitatem bigamiæ ſimilitudinariæ ex *cap. monacho 27. q.1.* pro vt benè adnotauit Sanch. *l.7. de matr. D.85. num. 5. & 6.*

SECTIO IV.

De Violatione voti Caſtitatis Religioſæ.

54 *Violatio Caſtitatis religioſæ ex obiecto eſt mortalis.*
55 *Non admittit paruitatem materiæ.*

Nec

56 *Nec oppoſitum poteſt in præſentia ſuſtineri.*
57 *Maximè à Religioſis Societatis Ieſu ex decreto P. N. Aquauiuæ.*
58 *Explicatur ratio delectationis generaliter ſumptæ.*
59 *Tactus, & oſcula libidinoſa explicantur.*
60 *Probatur in venereis non dari paruitatem materiæ.*
61 *Decretum P. N. Aquauiuæ de hoc editum loquitur de delectatione proximè ſequente ex venereis: tactus ex ſe honeſti non ſunt peccata mortalia.*
62 *Violatio caſtitatis ex ſe venialis non fit mortalis vi ſcandali.*
63 *Ea cæteris paribus eſt grauior in Religioſo profeſſo, quam in Sacerdote ſæculari; & in Religioſo Epiſcopo, quam in Religioſo ſimplici.*
64 *Non ſemper aduerſatur bono publico.*
65 *Specificatur ab opere externo.*
66 *Religioſus conſummato matrimonio profitens, ſi poſtea ſuam cognoſcat vxorem, non eſt adulter.*
67 *Declaratur quando violatio caſtitatis dicatur opere conſummata.*
68 *Actus voluntatis interrumpi poſſunt duobus modis.*
69 *Non reſeruatur quæcumque violatio caſtitatis, licet mortalis.*
70 *In ea includi poſſunt variæ malitiæ, modò plures, modò pauciores: ſicque copula habita cum muliere mortua eſt beſtialis: habita vero cum dormiente non inducit nouam malitiam, ſi ea prius conſenſit: denique habita cum conſanguinea non eſt inceſtuoſa: niſi vtrinque ſit conſummata.*
71 *Violatur caſtitas ex delectatione moroſa deliberata.*
72 *Non item, ſi quis in hanc non conſentiat, nec diſſentiat: quod alij negant.*
73 *Limita, niſi præuideatur periculum pollutionis.*
74 *Caſtitas non ſemper violatur dicendo, ſatisfacerem libidini, ſi hæc, aut illa conditio extaret.*
75 *At violatur ex delectatione de copula cogitata cum fœmina ſub conditione, ſi eſſet vxor.*
76 *Item violatur à cupiente fornicari, ſi id eſſet licitum.*
77 *Oppoſitum tamen ſuſtinent alij.*
78 *Item à cupiente ex bono fine, quod fornicatio ſit licita.*
79 *Secus ſi quis præciſè delectetur de cogitatione fornicationis.*
80 *Indicatur, quando delectatio ſit ex re mala cogitata, & quando ſit ex cogitatione illius.*
81 *Violatur ex delectatione de copula licita aliàs habita.*
82 *Non item interdum ex delectatione de copula illicita habita in ſomnis: quod docent multi Doctores.*
83 *Violatur dando cauſam propriæ pollutioni, ſeu non ſemper.*
84 *Præuidens pollutionem cum periculo conſenſus debet impedire.*
85 *Non peccat m. dans pollutioni cauſam culpabilem venialiter.*
86 *Secus ſi abſque neceſſitate faciat actionem ex ſe turpem, & per ſe tendentem ad pollutionem, idque præuideat.*
87 *Confeſſus cauſam culpabilem pollutionis, ſi poſtea ſequatur ipſa pollutio, non tenetur hanc diſtinctè confiteri.*
88 *Violat caſtitatem, qui ſe exponit probabili periculo eam violandi.*
89 *Explicatur ratio occaſionis proximæ peccandi.*
90 *Violat qui ſe iactitat de fornicatione aliàs habita; ſed non ſemper: qui vero delectatur de adulterio aliàs facto, iuxta aliquos non fatetur circumſtantiam adulterij.*
91 *Non violat, qui inducit alium ad violandum Caſtitatis votum.*
92 *Non qualibet inductio ad peccatum, eſt propriè ſcandalum.*
93 *Scandalum actiuum ex obiecto eſt mortale.*
94 *Violatur caſtitas per tactus, oſcula, & amplexus libidinoſos.*
95 *Differunt inter ſe delectatio venerea, & delectatio ſenſitiua. & eſt maximè abſtinendum à tactibus, etiam merè ſenſualibus.*
96 *Oſcula, tactus, & amplexus interdum permitti poſſunt.*
97 *In confeſſione tactus libidinoſi exprimenda vtraque perſona.*
98 *Oſcula, & tactus, quæ precedunt, & ſubſequuntur copulam, non neceſſariò confitenda; ſicut nec aſpectus, & tactus turpes ſimul habiti, nec turpes tactus exhibiti à perſona tacta explicatur item tactus obſcænus, & tactus carnalis: iuxta aliquos fornicans ſufficit, ſi confiteatur ſe grauiter peccaſſe contra caſtitatem.*
99 *Violatur caſtitas obſcænis aſpectibus, & quidem mortaliter.*
100 *Limita niſi excuſet paruitas materiæ.*
101 *A mortali item excuſant neceſſitas, ſimplex curioſitas, iocus.*
102 *Non violatur, ſi quis non ſubtrahit ſe ei, à quo ſcit ſe aſpiciendum ob malum finem, ſi commodè nequeat ſe ſubtrahere.*
103 *Item non violatur ſemper mortaliter à loquente, canente, aut audiente turpia.*
104 *Et hoc procedit de pingente, aut ſcribente turpia.*
105 *Item non ſemper violatur mortaliter intereſſendo comœdijs etiam turpibus.*
106 *Limita niſi adſit ſcandalum prudenter conijciendum.*
107 *Item non violatur per ſe loquendo, ſi in cubiculo detineantur obſcænæ imagines.*

QVÆRES I. An violatio voti caſtitatis religioſæ ex genere ſuo ſit mortalis.

54 ℞. Eſſe; vt oſtendimus *ſect. præcedenti q. 2.* & tradunt communiter DD. poſſe tamen excuſari à mortali tum ex inaduertentia, tum ex defectu plenæ deliberationis, vti excuſantur alia peccata etiam ſi ex obiecto ſint mortalia.

Difficultas eſt, an talis violatio poſſit excuſari à mortal. ratione paruitatis materiæ, quæ aſſignetur in delectatione venerea.

55 ℞. Quod, cũ iuxta dicta *ſect. præcedenti q. 2. citato* quidquid in ſæcularibus extra coniugiũ eſt peccatum m. contra caſtitatem, in Religioſis ſit ſacrilegium m. id operante voto caſtitatis religioſæ; hoc ipſo quod negamus paruitatem materiæ in delectatione venerea, & conſequenter aſſerimus eſſe peccatum m. omnem illum actum, qui verè, & propriè eſt ex libidine delectationis venereæ, dummodo adſit perfecta deliberatio, & plena aduertentia: ita & negandum eſt violationem voti caſtitatis religioſæ ratione paruitatis materiæ excuſari poſſe à ſacrilegio mortali; vnde ſi ea contingat

eum plena aduertentia, ac deliberatione, vel erit mortalis, vel non erit vllo modo peccaminoſa.

56 Et quidem quod in delectationibus venereis nõ poſſit dari leuitas ex parte materiæ, docent *S. Tho. 2.2.q.154.a.4.* & *poſt illum S. Antoninus p.2.tit.5.c.1. num.9.* aſſerens id non eſſe tenendum, tanquam opinionem, ſed tanquam de fide *Sylu. v. delectatio q.5. Leſſ. l.4.c.3.n.59. Azor.p.3.l.3.c.25. Rebell.p.2.l.3. q.19.ſect.3. Sanch.l.6. mor.c.6.n.12. Baldel. l.3. ſum. D.11.n.3.* & alij inter quos *Sanch.* retractans contrariam opinionem, quam *l.9 de matrim. D.46.n.9.* ex *Soto, Armil. & Nau.* docuerat eſſe probabilem, dicit eam ab aliquibus appellari temerariam, ac erroneam, & prohibitam a Clem. VIII. & Paulo V. qui Inquiſitoribus fidei iuſſerunt denunciari aſſerẽtem non committi crimen læthale in amplexibus, ac oſculis libidinoſis factis ob ſolam delectationem veneream, quæ in ipſis ſentitur, excluſo alio ordine ad copulam. Vnde non miror R.P.N. Aquauiuam die 24. April. 1612. pro Doctoribus & Scriptoribus Societatis ſuper hac re edidiſſe decretum ſequentis tenoris.

57 *Quia nonnullorum opinio, qui docent etiam in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberatò quæſitam propter leuitatem materiæ excuſari à peccato m. plurimùm obeſſe poſſet, non ſolum bonæ Societatis exiſtimationi, ſed etiam puritati morum, quam tum in noſtris, tum in externis, tanti ſemper fecit Societas; & quia propter periculum in quod inducit, ac moralem impoſſibilitatem diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuem à graui, à doctis admodum, grauibuſque Societ. Patribus, cum quibus negotium hoc communicauimus, in praxi omninò falſa, maximè periculoſa, ac puritati valdè contraria iudicatur: Ne quis è Societate in poſterum publicè, vel priuatim, non modò veram, aut probabilem, ſed ne vt tolerabilem quidem vlla ratione eam doceat, aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundùm illam conſilium cuiquam det, omnibus in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & ſub pœnis excommunicationis, ac priuationis lecturæ, vocis actiuæ & paſſiuæ, nec non habilitatis ad qualibet officia, ac alijs pœnis arbitrio noſtro infligendis, &c.*

58 Vt autem probetur noſtra aſſertio ſupponendũ eſt ex *S. Thom. 1.2.qu.11.a.1. ad 5.* nomine delectationis in vniuerſum intelligi complacentiam eius, quod per potentiam apprehenſiuam proponitur appetitui conueniens. hæc autem complacentia in delectationibus venereis tactus maximè cauſatur per diffuſionem ſpirituum factam ad certas partes corporis ad præſentiam obiecti tangibilis delectabilis ad nutũ imaginationis, & appetitus: per quos ſpiritus calefiunt nerui illarum partium, & aliquo modo teruntur ratione cuiuſdam vaporis, aut flatus, vel humiditatis acris, ac mordicantis, ſicque excitatur in corpore quaſi quidam pruritus, qui tãdem lenitur per reſolutionem, ac fluxum ſeminis ab iiſdem ſpiritibus calefacti, attenuati, ac ſoluti: in quo pruritu, ac lenimento dicunt *Hippocrat. lib. de genitura Galenus l.14. de vſu partium c.9. & 10.* & *Ariſtoteles in probl. ſect.30. q.9.* formaliter conſiſtere voluptatem veneream. Vnde fit, vt in iis ſit maior ſenſus voluptatis, ac delectationis, qui emittunt plus ſeminis, illudque craſſius, & calidius, vt aduertit *Zachias in qq. medicolegalibus l.3.tit.1.q.8.nu.15.* addens in venere exercenda maiorem, ac diuturniorem voluptatem communiter ſentiri à viris, quam à fæminis, eò quod plus ſeminis emittunt, illudque craſſius, & calidius, nec non per longiores ductus, qui cernuntur à vaſis ſeminarijs virorum; cum è contra in fæminis ob materiæ tenuitatem, ac frigiditatem interdum eueniat eas nullum, aut ferè nullum delectationis ſenſum percipere.

59 Supponendum ſecundo ex *S. Tho. 2.2.q.154.a.4.* tactus, & oſcula tunc ſolùm dici libidinoſa, quando fiunt ob delectationem veneream, eam ſcilicet, quę cauſatur, & ſentitur in corpore per ſpiritus animales generationi ſubſeruientes, & maximè diffuſos ad partes, quæ ſunt inſtrumenta illius. eiuſmodi autem delectatio eſtò ex intentione operantis non tendat ad vltimum complementum conſiſtens in excitatione pruritus in partibus ſeminalibus, eiuſque lenimento per fluxum ſeminis: nihilominus verè eſt libidinoſa, ſi conſiſtat in ipſa calefactione partium corporis per ſpiritus animales iam dictos, & in eius complacentia ex obiecto tangibili iam præſente tanquam conueniente, ac delectabili ſenſui tactus: idque etſi ex aliquo accidenti vlteriùs non procedat; his ſuppoſitis.

60 Probatur iam non dari in actibus libidinoſis peccatum v. ex paruitate materiæ; cum enim actus libidinoſus ſit is, qui fit ob delectationem, & delectatio ex obiectis tangibilibus ſolùm cauſetur per diffuſionem ſpirituum animalium excaleſacientium, & terentium certos neruos, ſicque diſponentium ad reſolutionem, ac fluxum ſeminis: ſicut talis reſolutio, & fluxus non poteſt eſſe res leuis, ſed ex intrinſeca ſua ratione eſt maximè grauis, vtpote obſtans fini, quem natura intendit in illa: ita & diſpoſitio per ſe ad illam, quæ eſt talis excaleſactio, & attrictio non poteſt non eſſe grauis, vt oſtendit *Rebellus ſup.* & ex eo *Sanchez loco cit.*

Monet autẽ *Baldell. n.10.* decretum latũ pro Doctoribus, & Scriptoribus Societatis ſuperiùs relatũ non loqui vniuerſaliter, & latiſſimè de quacumq; delectatione, & complacentia remotè ſe habente ad actum venereum: ſed ſtrictè de illa, quæ immediatè, & proximè ſequitur ex actu, & re venerea, vel ad illam diſponit, & propriè vocatur delectatio venerea; id enim colligitur ex verbis, & fine ipſius decreti, qui ſolũ eſt cõſulere morali impoſſibilitati diſtinguendi practicè in re tam lubrica materiam leuẽ à graui; quæ certè moralis impoſſibilitas ſolùm adeſt in delectatione, quæ modo ſupradicto eſt propriè venerea; non item in illa, quæ eſt complacentia quædam appetitus ſenſitiui pertinens remotiùs ad idem genus luxuriæ, & habens aliqualem inordinationem contra caſtitatem: qualis eſſet, ſi iuuenis in choreis ſolum ex leuitate, & ioco intorqueat digitos fæminæ, vtpote non ita de proximo pertinens ad copulam, ſicut amplexus, & oſcula; vnde *Sanch. l.9. de matrim. D.46. num.16. & 17.* dicit tactus, qui non ſunt ex ſe turpes (vt tangere manum, intorquere digitos, vellicare brachium, aut premere pedem fæminæ) non eſſe communiter peccata mortalia, non ſolũ ſi fiant ex ſola leuitate;

ac ioco (quod concedunt *Caiet. Armil. Tab. & Nau.* adducti à *Baldello ſup. D. 15. n. 12.*) ſed etiam ſi nant ex ea delectatione, quæ in illis ſentitur: quod non reijcit *Baldel.* pro ſe adducens *Nauarrum*, dummodò delectatio illa non ſit venerea, vti iam diximus; tunc quippe procedit noſtra aſſertio, in delectatione venerea non dari paruitatem materiæ; qua de re plura *Baldellus D. 14. & 15. citata.*

QVÆRES II. An violatio voti caſtitatis religioſæ de ſe venialis cenſeri debeat mortalis ratione circumſtantiæ extrinſecæ mortalis v. g. ratione ſcandali, & quidem ita, vt, ſi contingat violationem caſtitatis reſeruari, etiã hæc ipſa culpa reſeruetur.

62 ℞. Eiuſmodi violationem in religioſo dante ſcãdalum non eſſe mortalem contra ſuum caſtitatis votum, ſed ſolum venialem, adeoque ſolam ſacrilegij venialis circumſtantiam continere, ſicque reſeruata violatione voti caſtitatis, culpam illam non cenſeri reſeruatam; ſiue ſcandalum illud detur ſæcularibus, ſiue alijs religioſis ſimili voto adſtrictis. ita *Sanch. l. 5. mor. c. 6. n. 11.* & probat, quia, licet ſcandalum illud ſæcularibus datum reducatur ad peccatum contra caſtitatem, & datum religioſis ad ſacrilegium, non eſt tamen propriè contra propriam caſtitatem, quam religioſus tenetur in ſe ſeruare, & quæ ſola cadit ſub voto, & cuius violatio tantum reſeruatur: vnde nullam prorſus circumſtantiam habet ex parte huius religioſi dantis ſcandalum, ſed ſolam malitiam contra caſtitatem, ad quam ſuo prauo exemplo inducit ſæculares, aut ſacrilegij, ad quod inducit religioſos: idque non ſecus, ac ſi vir ſæcularis tale ſcandalum daret.

QVÆRES III. An violatio caſtitatis ſit cæteris paribus grauior in religioſo profeſſo, quam in Sacerdote ſæculari.

63 ℞. Eſſe; cum ea reſpectu Sacerdotis ſæcularis ſolum aggrauetur ob ſanctitatem, ac ſublimitatem perſonæ: reſpectu vero religioſi profeſſi intrinſecè augeatur in ratione præuaricationis voti caſtitatis; quod eſt maius, & arctius in religioſo, quam in Sacerdote ſæculari, vt aduertit *Laym. l. 1. tr. 2. ca. 10. num. 4. ex Sanch.* Quamquam tale augmentum non videatur adeo graue, vt ſit circumſtantia neceſſariò exprimenda in confeſſione, niſi adiunctum fuerit ſcandalum, aut alia ſpecialis circumſtantia; ſi quidem illa nec ſpeciem malitiæ addit, vt oſtendimus *ſect. 2. q. 10.* nec iudicium Confeſſarij grauiter immutat, ſicut notauit *Suarez tom. 4. de relig. tr. 8. l. 3. cap. 16. num. 5.* monens quod, cum votum caſtitatis ſit coniunctum cum ſtatu epiſcopali, etiam per ſe ſpectato, & in viro religioſo per conſecrationem epiſcopalem non auferatur, ſed magis quodammodo conſecretur, ſicque eius obligatio aliquantulum augeatur: grauiùs peccat religioſus iam factus Epiſcopus violando caſtitatem, quam ſimplex religioſus, imò & quam Sacerdos, & religioſus propter maiorem conſecrationem, ac obligationem; non tamen ita, vt teneatur fateri in confeſſione talem circumſtantiam, vt iam dictum eſt.

QVÆRES IV. An violatio caſtitatis inter regulares ſit, & dicatur contra bonum publicum, adeoque (ſicuti ſit in criminibus contra bonũ commune) poſſit Iudex procedere per viam inquiſitionis contra religioſum particularem taliter delinquentem, eſtò contra ipſum probata non ſit aliqua infamia.

64 ℞. Quod, licèt aliqui apud *Dianam par. 3. tr. 2. reſol. 69.* affirmatiuam partem ſuſtineant abſolutè, alij negatiuam abſolutè defendant cum *Rodriqu. de ord. iudic. c. 3. n. 4.* mihi placet magis opinio, quam ſequuntur *Valerus in differ. vtr. for. v. inquiſitio diffic. 1. num. 6. & Tho. à Ieſu lib. de viſitat. regul. tr. 1. cap. 12. num. 61.* nimirum peccata contra caſtitatem tunc cedere in damnum totius religionis, quando probabiliter timeri poteſt, quod publicentur: non itẽ, ſi ea ſint adeo occulta, vt veroſimiliter credi poſſit ea nunquam detectum iri. ducor, quod in hoc poſteriori caſu non apparet, quo pacto illa peccata poſſint cedere in damnum religionis commune; cũ de ijs, quæ non ſunt, & quæ non apparent, idem ſit iudicium. Quin dicit *Diana p. 3. tr. 2 reſol. 69.* quod, etiam ſtando in ſententia *Mirandæ* (quam ipſe *Diana* ſequitur cum *Aldrete, & Ioſeph de S. Maria*) fornicatio ſemel, aut bis commiſſa non poteſt dici vergere in malum commune.

QVÆRES V. Vnde violatio caſtitatis religioſæ ſpecificetur, ex ipſo ne opere externo, an ex motiuo?

65 ℞. Specificari non ex motiuo, ſed ex opere ipſo externo, ideoque delectationem veneream, quã capit religioſus de fœmina coniugata ex ſolo affectu libidinis, non habere ſolum malitiam ſimplicis fornicationis, ſed ſacrilegij, etiamſi nõ intendat deuenire ad opus ipſum. ratio eſt, quod, quamuis demus, non eſſe improbabilem ſententiam, quam defendunt *Vaſq. Clau. reg. Regin. Leſſ. Sà, Salas, & Bonac.* relati apud *Dianam par. 2. tr. 17. reſol. 4* delectationem de re venerea non eſſe eiuſdem ſpeciei cũ opere externo, ſed illius tantum ſpeciei, cuius eſt motiuum, nihilominus etiam ſecundùm citatos Doctores iſta Doctrina fallit in habentibus votum caſtitatis abſolutum, & conſequenter in religioſis, eò quod tale votum complectatur omnes internos affectus, ſicque vouens teneatur abſtinere à quacumque delectatione interna, quæ ſit venerea: vnde, ſi non abſtineat, peccat non ſolùm contra caſtitatem, ſed etiam contra religionem, ex qua votum obligat, vt notant *Bonac. q. 4. de matr. p. 8. n. 19. Diana p. 5. tr. 13. reſol. 99. fine.*

Quod ſi hac occaſione obiter quis quærat, an religioſus poſt matrimonij conſummationem legitime profeſſus dici poſſit peccare peccato adulterij, ſi propriam vxorem adhuc ſuperſtitem carnaliter cognoſcat.

66 ℞. Non peccare, ſed ſolum peccato ſacrilegij; patetque ex eo quod, cum per profeſſionem religioſam non diſſoluatur matrimonium conſummatum, religioſus in tali caſu non accedit ad alienam vxorem, ſed ad ſuam: cum tamen malitia adulterij ſit acceſſus ad non ſuam. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 9. c. 19. n. 12.* in terminis ex *c. literas de filijs presb.* hinc benè inferens filios, qui fortè procrearentur ex tali copula, non eſſe in rigore, ſeu ex natura rei illegitimos; quãuis ſecundùm ius canonicũ reputẽtur, tanquã illegitimi quo ad irregularitatẽ ad ordines ſuſcipiendos; vti colligitur ex citato *cap. literas*:

quod cum dicat eiuſmodi filios eſſe irregulares ad modum illegitimæ prolis ob paternam incontinentiam (nempe quo ad ordines, ac beneficia) tacitè innuit illum eſſe legitimum quo ad ſucceſſionem, & alios honores; ſicut aduertit *Sanch.l.9.de matr.D.38. n.7.ex Maiolo, & alijs*.

Ex eo autem quod dicimus per profeſſionem religioſam non diſſolui matrimonium inter coniuges, ſequitur fornicantem cum vxore Religioſi profeſſi committere adulterium, cum verè cognoſcat alienam fęminam, iuſque alterius violet.

QVÆRES VI. In quo caſu violatio caſtitatis dicatur opere conſummata.

67 ℞. Dici non ſolùm fornicationem, adulterium, aut quamcumque aliam copulam illicitam perfectè conſummatam in ſuo genere; ſed quamcumque voluntariam pollutionem, quantumuis non perueniatur ad conſummationem illius actus, quem fortaſſe intendebat peccans, vel in quem actus impudicus natura ſua ordinabatur, copulam ſcilicet carnalem. ita *Suar.to.4 de relig. tr.8.l.2.c.18.nu.12.* ex *S.Tho.2.2.q.154.a.11.* & cum eo *Lezana to.1 c 5 n. 10.* à quibus non diſſentit *Diana p.3.tra.2.reſol.118.* pro ſe citans *Molfeſium*.

QVÆRES VII. Qualiter multiplicetur numero violatio caſtitatis religioſæ quo ad actus internos.

68 ℞. Quod quamuis DD. communiter dicant illam multiplicari per actus moraliter interruptos, ſiue per ceſſationem, ſiue per ſomnum, ſiue per aliã occupationem impertinentem: cum ſic vna voluntas non pendeat ab alia, ideoque eiuſmodi voluntates cenſeantur repetitæ, & alioqui per repetitionem voluntatum multiplicentur peccata, vt notat *Vaſq.to.4.in 3.p.q.91.a.1.d.5.n.11.* nihilominus non omnino improbabilis videtur ſententia *Cani in relect.de pænit.p.5.* docentis quod cum dupliciter interrumpi poſſit voluntas, videlicet actu contrario, aut naturali obliuione, vel inconſideratione: ſi quidem primo modo interrumpatur, tunc neceſſe eſt confiteri, quoties quis renouauit prauam voluntatem: ſi verò ſecundo modo, non oportebit numerum exprimere, ſed ſufficiet explicare tempus, quo durauit illa voluntas non retractata, v.g. per menſem turpiter amaui fęminam ſolutam. cum *Cano* ſentiunt etiam *Io:de la Cruz Petr.Fay.Pitigian.& Homob.* allegati à *Diana p.3.tr.4.reſ.35.* qui tamen non damnat eum, qui vellet ſequi hanc ſententiam; vt confeſſio reddatur hominibus facilior, & amabilis iugumque Domini ſuaue: probatque quia repetitio voluntatum in poſteriori caſu non facit peccatum m.numero diſtinctum in genere moris, ſed tantum vnum pluribus æquiualens, eſto materialiter multiplicetur A *Cano* denique non omninò diſſentit *Salas to.2.in 1.2.tra.13.D.5.ſect.85.n.8.* qui ſic habet *Voluntas efficiendi aliquod peccatum externum, quamdiu opere non completur, nec interrumpitur per actum contrarium licet phyſicè interrumpatur, & poſtea renouetur, vnicum tantum peccatum eſt, intellige, niſi inter ipſos actus voluntatis multum tempus intercedat; quia tunc cenſetur moralis interruptio*. ita *Salas*; vnde ſic probari poteſt opinio Cani: Tunc ſolum peccata debent in confeſſione exprimi, tanquam pluranumero, quando ſunt plura in genere moris; at plures voluntates interruptæ abſque actu contrario, non ſunt plures in genere moris, ſed ſolùm phyſicè, & materialiter: ergo non eſt opus, quod ea explicentur in confeſſione per modum plurium.

QVÆRES VIII. Quid requiratur ad hoc vt violatio caſtitatis religioſæ cadat ſub reſeruationem factam à Superiore.

69 ℞. Quod cum reſeruatio ſit odioſa, ideoque debeat non ampliari, ſed quam maximè reſtringi, quantùm patitur propria ſignificatio verborum, quibus exprimitur, vt violatio caſtitatis religioſæ reputari debeat reſeruata requiritur, vt ſit mortalis non ſolùm per relationem ad intentionem, ac prauum effectum delinquentis, ſed ex ipſa ratione operis externi vt ſic; quo modo *Sanch. l.2. mor. c.8. num.7.* cum *Henriq. Gutier. & Rodriq.* ait non incurri excommunicationem percuſſionis Clerici, quando externa percuſſio eſt leuis, & venialis, & ſi aliàs mortalis ſit ob prauum percutientis animum: cum excommunicatio feratur ab Eccleſia, quæ non imponit pęnas grauiores, niſi ob peccatum m. externum; vtpote quod ſolùm poteſt ſubeſſe eius iuriſdictioni; hæc autem doctrina teſte *Diana p.5. tr.5. reſol.46.* militat etiam in reſeruatione caſuum, ita vt peccatum m. non cenſeatur reſeruatum, niſi ſit mortale ex quantitate operis externi, non autem ſolùm per ordinem ad intentionem: quod eſt benè notandum.

QVÆRES IX. Quot, & quales malitiæ includantur in violatione caſtitatis religioſæ.

70 ℞. Includi modo plures, modo pauciores, eaſque ſpecie, aut numero differentes iuxta diuerſitatem perſonæ, circa quam terminatur violatio; ſi enim hæc ſit religioſa, includet duplicem malitiam ſacrilegij ſolo numero diſtinctam, vti diximus *ſect.2. q.10.§. addit*: ſi verò ſit coniugata, malitiam ſacrilegij, & adulterij, & ſic de alijs; idque verum eſt non ſolùm in copula, ſed etiam in tactibus, oſculis, amplexibus, & aſpectibus libidinoſis, collocutione rerum venerearum, & ſimilibus.

Quod ſi hac occaſione quæras, quam malitiam habeat copula habita cum fęmina mortua, aut dormiente.

℞. Copulam quidem habitam cum fęmina mortua includere malitiam beſtialitatis; cum beſtialitas ſit coniunctio carnalis cum re alterius ſpeciei, & fœmina mortua non cenſeatur amplius ſpeciei humanæ, vt patet: copulam verò habitam cum fęmina dormiente, quæ ante ſomnum conſenſerit in copulam, eſſe eiuſdem ſpeciei, ac eſſet, ſi haberetur cum illa vigilante, ac ſpontè conſentiente: ſiquidem talis copula æquiparatur copulæ habitæ cum muliere ebria (quæ teſte *Sanch.l.9.de matr.D.33.n.12.* vt ſic non inducit nouam malitiam) non autem copulæ habitæ cum muliere mortua. quod ſi mulier cum qua dormiente habetur copula, in eam non conſenſit ante ſomnum, tunc copula continet etiam malitiam raptus formalis; de qua *Sanch.l.7.de matr.D.14. n.7.* eamq; in confeſſione neceſſario exprimendam: imò & malitiam ſtupri, ſi fęmina illa erat virgo, vt colligitur ex ipſo *Sanch.ſup.n.7.*

Addo quod ſicut aliqui Doctores apud *Dianam*

p.3.

par.3. tr.5. reſol.19. & in addit. p.3. reſol.21. & p.4. tr.2. reſol.41. exiſtimant ad contrahendam affinitatem requiri copulam ex parte vtriuſque conſummatam: ſic dici poteſt ad contrahendam malitiam inceſtus ex carnali copula inter conſanguineos requiri, vt ea ſit conſummata ex parte vtriuſque, ac proinde fœminam carnaliter cognitam à viro non conſummante non poſſe dici inceſtuoſam, etſi ipſa ex parte ſua conſummauerit, deficiente ſemine virili, requiſito ad hoc vt copula ſimpliciter, & abſolutè dici poſſit conſummata; imò nec poſſe dici inceſtuoſum virum, qui habet cum propria conſanguinea copulam, conſummatam quidem ex parte ſua, non item ex parte fœminæ; idque ob doctrinam ſuperiùs datam.

QVÆRES X. An religioſus violet votum caſtitatis mortaliter, ſi delectationem moroſam capiat de rebus venereis.

71 ℞. Violare, ſi delectatio ſit deliberata, & terminetur ad actum externum operis, non autem ad eius cognitionem, ac ſpeculationem. eſt communis DD. cum *S.Thom. 1.2. q.74. ar.8.* & patet, quia talis delectatio eſt actus humanus, plenè liber, & eſt de obiecto mortaliter malo, vtpote vetito iure naturali diuino; ergo eſt mortaliter illicitus, & conſequenter peccatum m. cũ, teſte *Ariſtotele 1. Ethic. c.3.* eiuſdem bonitatis, ac malitiæ ſint operatio, & eius conſenſus, ac delectatio. Diſſentit *Euſebius de Herrera diſſ.6.* ſuam inde probãs ſententiam, quod habens votum peregrinandi Hieruſalem, votum nõ dicitur violare ex eo quod delectetur commorari in propria domo, & eſſe liberum ab incommodis peregrinationis; interim habens animum inſtituendi debito tempore peregrinationẽ promiſſam Deo: videtur autem procedere par ratio in noſtro caſu: quod non admittit *Diana p.7. tr.11. reſol.34.* pro ſe citans *Reginal. Trullench. Filliuc. & Alphon. de Leone.*

QVÆRES XI. An religioſus violet caſtitatem, ſi patiens delectationem moroſam plena cum aduertentia, eam nec expreſsè acceptat, nec expreſsè reijcit, ſed negatiuè ſe habet, firmiter proponens non conſentire, imò de hoc moraliter certus, & ſine periculo pollutionis futuræ ex propria experientia aliàs ſæpiùs habita.

72 ℞. Non violare; & probatur tum quia ſic ceſſat omne periculum conſenſus voluntatis, adeoque religioſus patitur potiùs, & meretur, quam condelectetur, & demereatur: tum quia tota ratio culpę m. in hoc caſu conſiſtit in periculo conſenſus: ergò eo ceſſante nulla aderit culpa m. tum quia eſto voluntas teneatur regere appetitum ſenſitiuum ſuæ obligationi ſatisfacit negatiuè ſe habendo, & gubernando, ne conſentiat: hæc enim eſt prima, & præcipua obligatio voluntatis ſe taliter gubernare, vt appetitui non conſentiat, & quidem etiam poſitiuè reſiſtendo, & cum magna cura: non autem opus eſt, vt antecedenter teneatur remouere omnem cauſam præfatæ delectationis, ſi hìc & nunc negatiuè ſe habeat, ſicque ſe habendo probabiliter iudicet ſe non conſenſuram: hæc quippe ſecunda obligatio remouendi cauſam delectationis, ſi voluntas in ea deficiat, inducit ſolam culpam venialem ex paruitate materiæ; quo modo ſub mortali ſolùm tenetur homo reſiſtere ſimpliciter, & abſolutè non conſentiendo tentationibus, reſiſtere verò magna cura tenetur ſolum ſecundum quid; & ſi deficiat in hac ſecunda obligatione, tepidè reſiſtendo, non peccat, niſi venialiter. ita ex communiori DD. ſententia *Nau. c.11. num.12. & 13. Sylu. v. delectatio moroſa q.1. Sotus in 4. d.12. q.1. a.7. Tol. l.5. c.14. n. penult. Sanch. l.1. mor. c.2. n.13. Fagund. l.9. in decal. c.2. n.17.* alijque penes ipſos contra *Val. Azor. Sayr. Vaſq. Leſſ. & Zumel.* relatos à *Sanch. n.12.* aſſerentes peccare m. eum, qui circa delectationem moroſam ſe habet negatiuè, poſitiuè non reſiſtendo: quorum ſententia, practicè loquendo, ferè ſemper eſt vera, inquit *Sanch. n. 13.* ideoque regulariter conſulenda ob periculum proximum conſenſus, cui in materia adeo lubrica ſe exponit, qui circa delectationem moroſam ſe habet merè negatiuè.

73 Imo, ſi voluntate modo dicto negatiuè ſe habente, & quidem cum diſplicentia actus, & propoſito non conſentiendi in illo, detur aliquod præuiſum periculum pollutionis: tunc peccare m. qui ſe negatiuè haberet, & poſitiuè non reſiſteret; tenemur enim ſub mortali auferre cauſas proximas notabiliter concurrentes ad pollutionem: ideoque mortale eſt tunc tepidè, & non viriliter reſiſtere, præuiſo eo periculo. ita *Sanch. ſup. n.14.* addens *n.12.* etiam ſtando in ſententia *Valentiæ*, & aliorum à nobis diſſentientium, dari poſſe aliquos caſus, in quibus ſufficit negatiuè ſe habere circa delectationem moroſam; nimirum ſi meritò timeamus ex illo conatu reſiſtendi, in turpiores, ac grauiores delectationes nos eſſe prolapſuros: ſi experiamur delectationem ſenſitiuam in nobis eo magis roborari, quò plus reſiſtimus: ſi multùm hac in re laborantes nihil efficiamus. ratio horum eſt, quod cum ſe habere negatiuè circa eiuſmodi delectationem ſenſitiuam ad ſummum ſit peccatum v. ſecluſo periculo conſenſus, neque veniale erit, ſi id fiat ex iuſta cauſa: ſi quidem iuſta cauſa rem cohoneſtat.

QVÆRES XII. An violet caſtitatem religioſus, qui dicit, *libidini ſatisfacerem, ſi non eſſem religioſus, ſi non timerem Deum, ſi non eſſet infernus, ſi eſſem iunior, ac deperdita vita, vti aliàs fui, &c.*

74 ℞. Violare, quotieſcumq; conditio appoſita nõ aufert totam malitiã ab obiecto; quo modo re vera non aufert conditio illa, *ſi non eſſem religioſus* (poſito quod voluntas efficaciter cõſonet verbis:) imò nec illa, *ſi nõ timerẽ Deũ*; dato quod intelligatur de timore merè ſeruili: item nec illa, *ſi non eſſet infernus*: ſicut nec illa, *ſi eſſem iunior*, caſu quod ſenſus illius ſit ſe verè habere voluntatem explendi libidinẽ, ſi tẽpore iuuentutis ea occaſio ſe offerret. Colligitur ex *Sanc. ſup. n.24. 27. & 28.* patetque ex eo quod, cum iſtæ conditiones non auferant malitiam, quam importat expletio libidinis extra coniugium, talis expletio eodem modo eſt illicita, ac ſi nulla fuiſſet appoſita conditio; vnde ſicut religioſus abſolutè deſiderãs explere libidinem violat caſtitatem; ſic & illam violabit id deſiderando ſub aliqua dictarum conditionum; ſi quidem tale deſiderium, etſi verbaliter videatur conditionatum, re vera tamen eſt abſolutum, & æquiualet abſoluto, vt innuit *Fagund. cap.3.*

*num.*10. notans *num. 6.* ſecus dicendum de Religioſo cupiente vxorem ducere, ſi eſſet liber à voto Caſtitatis: is enim tali deſiderio non violaret caſtitatem; cum illa conditio appoſita totam ſubiecti malitiam tollat, illudque reddat omninò licitum, vt modò conſtabit ex dicendis *q. ſeq.*

QVÆRES XIII. An religioſus violet caſtitatem, ſi delectetur de copula cogitata cum fæmina, ſi eſſet vxor, & matrimonium adeſſet.

75 ℞. Quod, quamuis deſiderium, & voluntas, etiam efficax habendi copulam cum fæmina, ſi eſſet vxor, ſit licitum, ſecluſa delectatione in commotione corporis, & prurigine appetitus ſenſitiui, (vt concedunt non pauci DD. apud *Sanch. num.* 31.) peccatum tamen mortale eſt contra caſtitatem delectari deliberatè in appetitu ſenſitiuo de tali copula cogitata ſub conditione, ſi eſſet vxor. & ratio eſt, quod, cum conditio appoſita nondum ſit in re, ſed ſola cogitatione apprehenſa, delectatio in copulam futuram orta in appetitu ſenſitiuo fertur ſua natura in matrimonium præſens, & conſequenter in obiectum illicitum, adeoque in rem, quatenus eſt illicita, & mortalis, cum tale obiectum præſens non detur; ſi quidem voluntas conditionalis nihil ponit in eſſe rei; cum tamen delectatio ſtatim ponatur præſens, abſolutè loquendo, non expectata conditione. ita *Caiet. v. delectatio Nau. cap.* 16. *num.* 9. *Val.* t. 2. *D.* 6. *qu.* 4. *par.* 4. §. *nunc Graff.* 1. *par. deciſ. l.* 2. *cap.* 78. *num.* 8. *Rodriq. tom.* 1. *ſum. cap.* 211. *num.* 3. *Sanch. ſup. num.* 31. alijque inter quos ingenioſè notat *Sanch. num.* 32. propterea concedi, vt licitam voluntatem conditionalem habendi copulam cum illa, aut illa fæmina (abſque commotione tamen appetitus ſenſitiui) ſi eſſet ſua: ſicut & gaudium de ſpe, quam quis concipit, illam aliquando habendi in ſuam: non item deliberatam delectationem carnalem inde in appetitu ſenſitiuo prouenientem, & ſuppullulantem, eò quod voluntas conditionalis nihil ponat in eſſe, & delectatio inde naſcens non ſit conditionalis, nec futura, ſed præſens, & abſoluta, atque adeo inchoatio quædam copulæ, quæ tunc non eſt licita; cum alioqui delectatio voluntatis eſſe poſſit de obiecto conditionali, & per conſequens conditionalis. Cuius rei ea eſt ratio, quod, cum delectatio oriatur ex præſentia boni conuenientis poſſeſſi ſiue ſecundùm rem, ſiue ſecundùm apprehenſionem; intellectus quidem, ex cuius cognitione voluntas mouetur, poteſt proponere voluntati obiectum conditione aliqua veſtitum, & à malitia præciſum; non item imaginatiua, ex cuius apprehenſione mouetur appetitus ſenſitiuus; illa enim nullam poteſt apponere conditionem; cum in conditionalibus ſit quædam affirmatio, & negatio, & in copula conditionali interueniat præciſio quædam malitiæ ab ipſa copula: quæ non poſſunt præſtari, niſi ab intellectu, vt benè aduertit *Sanchez vbi ſup.*

QVÆRES XIV. An violat caſtitatem religioſus, qui habet voluntatem efficacem, ſeu deſiderium fornicandi v.g. *ſi fornicatio eſſet licita.*

76 ℞. Violare, niſi fortè ſe apprehendat in ſtatu, in quo copula carnalis eſſet licita: v.g. ſub conditione *ſi illa fæmina eſſet vxor.* Ratio reſponſionis eſt, quod, quamuis ea, quæ ſunt prohibita ſolo iure poſitiuo, poſſint efficaciter deſiderari, appoſita illa conditione, *ſi licerent*: id tamen fallit in ijs, quæ ſunt intrinſecè mala; cuiuſmodi eſt fornicatio; hæc enim cum ſint ſuapte natura mala, non poſſunt intelligi ſine ſua malitia, & conditio illa negans implicat contradictionem: vnde, cum voluntas deſiderio efficaci feratur in ſubſtantiam actus mali, (v.g. fornicationis,) & malitia in ipſo imbibita nequeat ab eo ſeparari, fertur in rem mortaliter malam, & conſequenter peccat mor. è contra in ijs, quæ ſunt prohibita ſolo iure poſitiuo, hoc ipsò quod non ſunt intrinſecè mala, per adiectionem conditionis poteſt ab eis auferri malitia, nec tunc conditio implicat contradictionem; & poteſt quis optare ea non eſſe mala; cum id aliud non ſit, quam optare, quod Eccleſia ea non prohibuerit, (v. g. comeſtionem carnium in quadrageſima.) ita *Azor.* 1. *par. l.* 4. *cap.* 6. *q.* 10. *Sanch. num.* 23. *Fagund. num.* 3. alijque; & patet ex dictis, ſi monuero quod, licet religioſus non poſſit efficaciter deſiderare fornicari, ſi fornicatio eſſet licita, poteſt tamen efficaciter deſiderare copulam cum hac, vel illa fæmina, ſi eſſet ſua, & ſi ipſe eſſet liber à voto caſtitatis: cum talis conditio totam malitiam obiecti auferat, ſicut oſtendimus q. præcedenti.

77 ℞. Non deſunt tamen plures DD. qui putant non eſſe mortale deſiderium, & conſenſum intentum conditionalem, quo quis vellet fornicari, ſi id eſſet licitum; probantque quia eſtò conditio illa nihil ponat in natura obiecti voliti, & ſemper illud relinquat malum: ponit tamen in voluntate affectum non admittendi peccatum, poſita ea conditione non auferente malitiam obiecti: vnde, cum illa conditio ſumatur ex parte voluntatis, ea adiecta excludetur tota voluntas peccandi. ita *Sà Caiet. Fumus, Rodriq. Alcozer. Vaſqu. & Sayr.* relati à *Fagund. num.* 2. talem opinionem admittente vt probabilem: cum quibus ſentit *Caſtr. Pal. tract.* 2. *D.* 3. *par.* 10. §. 3. *numer.* 4. pro ſe referens *Bonacinam q.* 4. *de matrim. p.* 8. *num.* 20.

QVÆRES XV. An violet caſtitatem religioſus, qui videns ſe fragilem, & ſæpiùs labi in peccata venerea, voluntate efficaci deſiderat fornicationem non eſſe peccatum.

78 ℞. *Vaſq.* t. 2. *D.* 116. *num.* 3. tale deſiderium non eſſe mortale, vt pote quod excuſatur ratione boni finis intenti; at contradicunt *Sanchez num.* 23. *& Fagund. num.* 5. ex eo quod ſic bonum totius naturæ, ac ordinis naturalis poſtponeretur bono vnius particularis: cum tamen immutatio boni naturalis, quæ eſt grauiſſimum malum, & peccatum, deſiderari non poſſit ob particulare bonum alicuius; maximè cum vir religioſus poſſit alijs medijs conſulere propriæ fragilitati.

QVÆRES XVI. An religioſus peccet contra caſtitatem, ſi delectetur de cogitatione obiecti mali contra caſtitatem, v. g. fornicationis.

79 ℞. Per ſe loquendo, non peccare; ſi delectatio non ſit de obiecto malo, vt tali, ſed potius quatenus præſcindit à malitia: (v.g. de ingenioſa inuentione, de dexteritate, de inopinato euentu, & ſimilibus, quæ licet prauis actionibus

adium-

adiungantur, non tamen delectatio fertur in ea, pro vt illis ſunt coniuncta, ſed potius vt abſtrahunt ab illis, & prout habent aliquam rationem boni; non ſecus ac quis videns aliquem labi ex præcipitio, & grauiter vulnerari ridet, & lætari ſolet, non quidem de malo cadentis, ſed de modo, quo cecidit. ita *Caſtr. Pal. ſup. §. 1. n. 4. ex Az. ſup. q. 1. Leſſius lib. 4. c. 3. n. 109. Salas 1. 2. q. 74. tr. 13. D. 6. ſect. 7. num. 61. 62. & 64. Sanch. l. 1. mor. ca. 2. à n. 2.* alijſque bonè monens in caſu propoſito per accidẽs poſſe ſæpius interuenire peccatum, ſiue veniale, eò quod cogitatio ſit vana, ac otioſa; ſiue mortale ob periculum conſentiendi in aliquo mortali.

At vnde, dices aliquis, cognoſci poteſt, num delectatio oriatur ex re mala cogitata, an ex ingenioſa inuentione, artificio, dexteritate, &c.

80 ℞. Quod, licet id ſit difficilimum cognitu, ac periculoſiſſimum: aliqua tamen indicia ad id afferri poſſunt. 1. enim certum eſt, vt delecteris de cogitatione, debere te neceſſario aduertere cogitare: alioqui conuinceris delectari de re cogitata, non de cogitatione; ſi quidem voluntas non fertur in incognitum: quamquam etiam dato quod ſupra cogitationem reflectas, non ideo ſequitur te delectari de ſola cogitatione, cum poſſis delectari & de cogitatione, & de re cogitata. 2. ſignum ſumitur ex occaſione, vnde orta eſt cogitatio: ſi enim ex honeſta occaſione cogitas de obiecto prauo (v. g. ex ſtudio, ex auditione confeſſionum) præſumeris delectari de ſola cogitatione; ſecus ſi ex occaſione praua (v. g. ex locutione inutili, ex lectione vana.) 3. indicium, & quidem manifeſtius eſt, attendere, an ingenioſa inuentio, & artificium æquè te delectet in rebus pijs, ac in prauis, & inhoneſtis; nam ſi non æque delectet, ſignum eſt delectationem capi non ex artificio ſolum, ſed ex re, cui annexum eſt artificium.

QVÆRES XVII. An delinquat contra caſtitatem Religioſus, qui delectatur de copula coniugali aliàs habita in legitimo matrimonio.

81 ℞. Delinquere, ſi delectatio illa ſit venerea: & ratio eſt, quod licet obiectum ſit bonum, delectatio tamen non eſt bona, vtpote aduerſans voto caſtitatis prohibentis omnem delectationem ſenſibilem veneream. ita *Vaſq. 1. 2. D. 112. num. 10. Sanch. l. 9. de matr. D. 44. num. 25. Baſil. de Leone l. 10. de matrim. cap. 16. num. 12. Leſſ. l. 4. cap. 3. num. 120.* alijque communiter; & patet tum ex dictis; tum quia actus copulæ maritalis, eaque corporis immutatio inde ſequens in eo ſtatu eſt religioſo illicita; ergo & delectatio, quæ inde prouenit: quod tamen non facit, quin talis religioſus gaudere poſſit de copula aliàs habita, tanquam de re præterita; cum hoc non ſit conſentire in rem illicitam, ſed approbare actum præteritum, & gaudere de cognitione, experientia, alioue ſimili effectu bono ex illo actu ſecuto; vt benè notauit *Leſſius* dicens hoc modo intelligendos eſſe *Angelum, Nauarrum Caietanum, & alios DD.* aſſerentes viduam poſſe gaudere de copula aliàs habita: cum tamen ſit eadem ratio de religioſo profeſſo, vt conſtat.

QVÆRES XVIII. An violet caſtitatẽ religioſus, qui delectatur de copula habita in ſomno, ebrietate, aut dementia, aut alio ſimili ſtatu excuſante actum illum à peccato.

82 ℞. Probabile eſſe, quod non violet; ſi delectatio illa ordinetur ad bonum finem, eo quod v. g. ſic ſedata fuerit tentatio; quamquam ſententia oppoſita, quam ſequitur *Sanch. l. 1. mor. cap. 2. num. 16. ex Palud. Adria. Soto, & Azorio*, ſit non ſolum probabilis, ſed etiam conſulenda vt tutior; eo quod delectatio illa indicet imperfectum affectum ad caſtitatem, & appoſitio illa boni finis, per quam dicta delectatio excuſatur, ſæpè poſſit eſſe palliatio prauæ affectionis ad talem delectationem. probatur autem noſtra reſponſio; tum quia delectatio talis eſt, quale eſt opus, de quo eſt (ſi quidem ſe habet tanquam conditio, & proprietas illius) ſi ergo opus ea ratione factum non eſt malum (v. g. copula habita in ſomno) nec mala erit delectatio de eo ſic facto: tum quia in tali caſu delectatio ſumitur de opere, non ratione delectationis malæ, & contra rationem, ſed ratione boni finis, ac vtilitatis ſecutę; vnde tantò minùs periculi ſuberit, cum in re ipſa id ſit ſolùm delectari de bono effectu ſecuto. ita *Filliuc. tract. 21. num. 293. ex Adriano, Vaſq. Leſſ. Ledeſma, & Corduba*, à quibus non omninò diſſentit *Sanchez ſup.* dicens opinionem, quam ipſe ſequitur eſſe multo probabiliorem: nobiſcum ſentit etiam *Caſtr. Pal. ſup. §. 2. num. 10.* citans pro ſe *Sà Salas, & Baſil. de Leone*, huicque inferens licitum eſſe gaudere de pollutione ob effectum inde ſecutum, imò & illum deſiderare ob eandem cauſam; intellige dummodo cogitans de pollutione ſecuta non admittat delectationem veneream; tunc namque conſenſus in eam eſſet mortalis, eſtò fieret ob bonum finem, vt rectè obſeruauit *Sanch. n. 17.*

QVÆRES XIX. An, & quando religioſus peccet contra caſtitatem dando cauſam propriæ pollutioni præuiſæ, non tamen intentæ.

83 ℞. Quod ſicut Religioſus non peccat contra caſtitatem, ſi pollutio ſequatur ex iuſta cauſa naturali, vt complexione calidiori, & humida cum valida imaginatione, debilitate renum, ac morbo fluxus ſeminis; vel etiam ex cauſa extrinſeca, v. g. ex viſione, auditione, lectione rerum venerearum, equitatu, ſitu corporis in lecto, contactu neceſſario, & ſimilibus neceſſarijs, aut conuenientibus corpori, aut animæ, vel vtilibus alijs (modò non ſit probabile periculum conſenſus deliberati, & partis ſuperioris in delectationem; quod tunc eſſet, quando quis expertus eſſet in ſimilibus occaſionibus ferè ſemper ſe peccare m. deliberatè conſentiendo.) ita peccat relig. con. caſtitatem, ſi præuidens pollutionem ſecuturam eſſe ex actione aliqua natura ſua turpi, & per ſe tendente ad actus venereos excitandos, & conſummandam pollutionem (qualis actio reperitur ſolum in rebus pertinentibus ad ſextum præceptum, vt cogitationibus moroſis, aſpectibus, & tactibus mortalibus) nihilominus talem actionem exercet: idque eſto non intendat pollutionem. ita *Sanch. l. 9. de matrim. D. 45. num. 4. 6. 7. 8. quæſt. 16. & ſequentibus Filliuc. tract. 30. num. 149. & 152. Fagund. l. 6. in decal. cap. 9. nu. 34. & 35. Leſſ. ſup. nu. 97. & 98.* alijque; & probatur: quia pollutio non eſt, ſicut homicidium, aut fornicatio

nicatio, ad quæ vitanda, ſi præuidentur in aliqua cauſa, ipſa cauſa debet auferri; vt pote quæ, etiam indirectè volita, ſunt peccata mortalia: non ſic pollutio, quæ ſecundùm ſe non eſt peccatum, ſed ſolùm taliter facta, nempe vel directè volita, vel, ſi indirectè ex intentione circa aliquam eius cauſam, debet cauſa ex ſe non habere vllum alium effectum; vnde non adeſt obligatio ita ſtricta vitandi pollutionem in cauſis, quæ per ſe, & proximè non ordinantur ad illam (quales ſunt, quæ ad luxuriam non pertinent) ſed per accidens, & præter intentionem agentis ex illis ſequitur; dummodo tamē abſit periculum probabile conſenſus in illius delectationem: ſi enim ſubſit tale periculum, tunc vtique vitari debet cauſa, quocumque demum modo influat in pollutionem; cum nullam ob rem, quantumuis piam, poſſit quis ſe exponere formali periculo peccandi iuxta illud *Eccleſ. 3. Qui amat periculum peribit in illo.*

84 Vnde fit, vt, quamuis DD. communiter tradant non teneri confeſſarium ceſſare à confeſſionibus audiendis, nec ſcholaſticum dimittere ſtudium, nec magiſtrum lectiones: eò quod præter intentionem, & conſenſum inde ſibi contingat pollutio (idque ob doctrinam §. *præcedenti* adductam) id tamen fallit in caſu, quo iuxta modò dicta ſubeſſet periculum conſenſus in delectationem: tunc enim omninò abſtinendum eſt ab illis actionibus. Vnde in tali euentu Religioſus, qui a ſuperioribus fuit deſtinatus ad aliquod tale munus, debet pro viribus curare, vt ſuperior à tali munere ipſum remoueat (& hoc, etiā ipſi manifeſtando ſe non poſſe tuta conſcientia tale munus exercere). quod ſi Superior illum nihilominus non remoueat, tunc licitè poteſt ſe exponere eiuſmodi periculo, proponens tamen firmiter ſe non conſenſurum: ſic quippe non dicitur amare periculum; cum iam non ſponte, ſed neceſſitate compulſus in illud ſe conijciat; quo modo poteſt meritò confidere de diuina miſericordia, fore vt ſibi maius auxilium conferatur, quo à lapſu caueat. ita *Sanch. num. 6.* alijque penes ipſum.

Difficultas eſt, an Religioſus peccet contra Caſtitatem, ſi præuidens pollutionem ex rebus venialibus in genere luxuriæ (v. g. ex leui tactu manus, viſu, verbis, & lectione aliquantulum libidinoſis) ab eā nihilominus non abſtineat, re vera tamen non intendens pollutionem, & moraliter certus ſe non conſenſurum in delectationem illius.

85 ℞. Non peccare m. &ſi nulla vtilitas, aut neceſſitas ad ea inuitet, ſed ſola curioſitas, & animi leuitas; idque eſtò perſeueretur in dictis rebus venialiter turpibus, & ſentiatur vehemens commotio appetitus, ac periculum proximum pollutionis, ſecluſo tamen periculo conſenſus. Moueor, tum quia obligatio vitandi pollutionem in tali caſu eſt valdè tenuis (vt ſuperiùs oſtendimus) neque obligat ſub mortali ad vitandam cauſam leuem, leuiter concurrentem natura ſua ad pollutionem, leuiterque participantem de eius malitia: tum quia cum cauſæ illæ tenuiter influant in pollutionem, ſunt quodammodo, & ſecundum quid cauſæ, ideoque pollutio potiùs dicenda eſt procedere ex cauſa naturali. ita *Sanch. num. 19. ex Caiet. Henriq. Sà S. Anton. Syl. Ang. & alijs*, addens *num.* 21. idem dicendum etiam in caſu, quo res illæ leuiter turpes ex alio capite eſſent peccatum m., nempe ex voluntate copulæ: ſi quidem adhuc non fierent mortales ratione pollutionis præuiſæ in eis, ſed ſolum ratione praui deſiderij. Verum tamen eſt in illo caſu peccari venialiter, etiam, ratione pollutionis præuiſæ: cum Caſtitas aliquantulum offendatur non vitata pollutione illa turpi, eiuſque inimica, & quidem nulla vtilitate, aut neceſſitate cogente ad cauſam illius.

86 Et certè quod Religioſus peccet. m. contra Caſtitatem, ſi præuiſa pollutione exerceat actionem aliquam ex natura ſua turpem, & per ſe tendentem ad conſummandam pollutionem, nulla neceſſitate ad id aſtringente; probatur, quia lex naturalis obligans ad non procurandam ſeminis effuſionem ſubinde obligat ad vitandas cauſas per ſe, & notabiliter influentes in illam, vbi ceſſat neceſſitas: vnde qui vult illas illicitas, periculoſas, & ſibi notas cauſas propriæ pollutionis, conuincitur velle culpabiliter ipſam pollutionem, quæ eſt naturalis effectus illarum;

87 Monet autem *Sanch. num.* 30. quod, licèt de ſe non ſufficiat confiteri cauſam pollutionis datam, ſed etiam confitenda ſit ipſa pollutio tanquam verè, ac propriè peccatum (cum tamen contrarium admittat *Sanch. l. 1. mor. c. 16. num. 46.*) nihilominus ſi quis, antequam ſequatur pollutio, confiteatur de cauſa ipſi data, probabile eſt eum non teneri poſtea confiteri pollutionem iam ſubſecutam; quippe quę iam nullam habet malitiam, & ſatis fuit expreſſa in ſua cauſa; nec eſt ſimile de eo, qui percuſſit hominem, & confeſſus eſt percuſſionem; is enim tenetur confiteri mortem poſtea ſubſecutam: ſi quidem pollutio nullo modo fuit in ſe volita, ſed accidit præter intentionem, nec influit cauſa data in illam, ſicut influit percuſſio in mortem: quamquam tutius ſit fateri pollutionem poſtea ſecutam; cum facto ſecuto prior culpa apertiùs innoteſcat. ita *Sanch. l. 9. de matr. D. 45. num. 29.* addens, quod ſi dantem cauſam culpabilem pollutioni pæniteat legitimè cauſæ datæ, prius quam pollutio ſequatur, hæc ſi ſequatur, omninò vacat culpa: cum ſic cauſa intercidatur, & conſequenter pollutio ſit prorſus inuoluntaria.

QVÆRES XX. An peccet contra Caſtitatem Religioſus, qui voluntariè ſe exponit probabile periculo violandi votum Caſtitatis.

88 ℞. Peccare, & quidem peccato ſacrilegij; cum, teſte *Suar. D. 18. de cenſur. ſect. 3. nu. 16.* in moralibus eiuſdem malitiæ ſit ſe conſtituere in morali periculo committendi aliquod peccatum, atque illud committere: ſtante quod eodem præcepto, quo quis tenetur vitare crimen, tenetur & vitare proximum illius periculum. eſt communis Doctorum: & probatur, tum quia *Eccleſ. 3. qui amat periculum peribit in illo*: tum quia ſalutem ſpiritualem negligere conuincitur, qui ſe tam probabili eius amittendæ periculo objcit, vt notauit *Sanch. l. 1. mor. c. 8. num. 1.* addens in confeſſione aperiendam eſſe circumſtantiam peccati, cuius periculo quis ſe exponit.

89 Tunc autem contingit hoc morale proximum periculum, ſeu moralis proxima occaſio peccandi contra Caſtitatem, quando ex ſuo genere occaſio

talis

talis eſt, vt frequenter Religioſos ſimilis conditionis inducat ad peccandum, vel certè experimento conſtet in hoc, aut illo Religioſo talem effectum habere. ita *Sanch. vbi ſupra* monens *num.* 2. id dupliciter limitandum eſſe; nimirum niſi res ita mutatæ ſint, aut ea cautio adhibeatur, vt ceſſet periculum; vel niſi occurrat grauis cauſa ſe exponendi tali periculo: in quibus caſibus non peccat, qui ſe exponit probabili periculo peccandi; ſicut nec peccat, qui ſe exponit occaſioni remotæ peccandi; cum ea moraliter ſit ineuitabilis, ideoque tanquam inuoluntaria imputari non debeat ad peccatum.

QVÆRES XXI. An Religioſus peccet contra Caſtitatem, ſi ſe iactet de peccatis aliàs commiſſis contra ipſam Caſtitatem.

90 ℞. Peccare mortaliter & quidem peccato ſacrilegij, ſi ſe iactet cum complacentia dictorum peccatorum; idque ſiue ea re vera commiſerit, ſiue non. & ratio eſt, quod qui modo dicto ſe iactat de peccato, illud voluntate amplectitur, & conſequenter ratione illius praui affectus peccat peccato eiuſdem ſpeciei, cuius eſt peccatum illud, de quo ſe iactat. ita *Caſt. Pal. tr. 3. D. 2. p. 11. num. 5. Alph. de Leone de offic. Confeſſ. tr. recollect. 12. num. 13. Diana p. 4. tr. 4. reſol. 44. & alij*; patetque ex dictis, ſi aduertero non peccaturum m. contra Caſtitatem religioſum, qui ſe iactaret de peccatis commiſſis aduerſus Caſtitatem, non quaſi complacens ſibi de illis, ſed de dexteritate, ingenio, fortitudine &c. dummodò tamen non timeatur periculum ſcandali; ad quod cauendum iſte talis deberet manifeſtare animum ſuum; vt notauit *Diana* docens, quod ſi alius te laudat de peccato, & tu laudes acceptas; mortaliter peccas, niſi id tibi diſpliceat, & præ verecundia taceas: quo caſu excuſaris, niſi fortè talis ſis, vt tacendo alijs ſcandalum præbeas; quod tamen non placet *Caſtro Palao ſup. p. 11. num. 3.* qui putat in tali caſu eſſe ſemper neceſſarium, vt diſplicentia, quæ habetur in corde, exteriùs manifeſtetur; ne aliàs vir ſic laudatus teneatur acceptare laudes, & in eas conſentire.

Addo ex *Sà v. confeſſio num* 16. videri non improbabile illum, qui delectatur de adulterio aliàs commiſſo & iam ritè confeſſo, non teneri fateri circumſtantiam adulterij, ſed ſufficere eum confiteri delectationem illam moroſam (quod negat *Sanch. l. 1. mor. c. 2. num. 11.* dicens fundamentum doctrinæ *Sà* ipſum prorſus latere) & ratio eſt, quod in hoc caſu delectatio non eſt de adulterio, pro vt eſt adulterium, id eſt iniurioſum marito adulteræ; ſed ſolum pro vt eſt fornicatio, ſicque abſtrahit ab adulterio.

QVÆRES XXII. An violet Caſtitatem Religioſus, qui inducit alium Religioſum ad violandum votum Caſtitatis.

91 ℞. Non violare: cum votum caſtitatis obliget vouentem, vt ipſe ſit caſtus; non autem ad procurandum vt alij ſint caſti. ita *Cardin. de Lugo D. 3. de iuſt. num. 162.* contra *Sanchez ſup. c. 6. num. 8.* monens tamen in hoc caſu contrahi poſſe malitiam ſcandali, quatenus Religioſus cooperatur alterius peccato contra ſuum votum; & ſi ea malitia non aduerſetur voto Caſtitatis, nec in confeſſione dicti ſcandali explicari debeat circumſtantia voti Caſtitatis.

Quod ſi hinc quæras, quando contingat ſpeciale peccatum ſcandali diſtinctum à ſcandalo generali.

92 ℞. Probabile eſſe quod tunc ſolum contingat, quando quis occaſionem ruinæ ſpiritualis eo affectu, & animo præbet, vt alter in peccatum incidat; quapropter ſi quis, ſiue conſilio, ſiue ſuaſione, ſiue exemplo alium incitet ad peccatum, non eo fine vt peccet, ſed quocumque alio (v. g. vt propriam expleat libidinem) non eſt ſpeciale peccatum ſcandali, ſed tantum generale: quod tamen reducitur etiã ad eandem ſpeciem peccati, ad quod inducit. Ratio eſt, quia ſpeciale peccatum ſpeciali fine indiget, & oppoſitione virtuti ſpeciali: at quando ruina proximi non intenditur, non adeſt ſpecialis finis, nec opponitur ſpeciali virtuti, ſed diuerſi ſunt fines, & diuerſæ virtutes iuxta diuerſitatem vitiorum, ad quæ eſt inductio, ita *Sanch. ſup. num 3. Caſtr. Pal. tr. 6. D. 6. p 3. num. 6. Azor. tom. 1. l. 4 c. 7. q. 1. Bonac. D. 2. de leg. q. 4. p. 2. §. vn. nu. 13.* alijque cum *S. Tho. 2. 2. q. 43. a. 3.* contra *Suar. D. 10. de charit. ſect. 2. num. 3. Coninch. D. 32. de charit. num. 45. & ſeqq. Nau. c. 6. numer. 19.* & alios relatos à *Caſtro Palao num* 5. oppoſitum ſentientes.

93 Cæterum tunc demum ſcandalum actiuum eſt peccatum m. ex genere ſuo, & confitendum neceſſariò, quando quis illud tenetur impedire abſtinendo ab opere, ex quo alter arripit anſam ruinæ mortalis, & non abſtinet: idque ſiue expreſſè illa intendatur, ſiue non. ratio eſt, quod eſſe alteri voluntariam cauſam ruinæ ſpiritualis eſt omninò contra charitatem, & illum eius actum, quo proximo tenemur benefacere. ita *Sanchez ſupra num. 9.* addens *num.* 11. quod, quando ſcandalum actiuum eſt generale, tunc ſi dictum, aut factum, quo quis proximum ſcandalizat, eſt mortale, & mortale eſt ſcandalum: ſicut & in caſu, quo opus de ſe non eſt malum, ſed mali ſpeciem habens, & aduertitur fore Proximo cauſam ruinæ mortalis, vel certè fuit grauis culpa id non aduertere; ſi verò opus eſt veniale, aut in bono habente ſpeciem mali adfuit leuis inconſideratio, eſt veniale. Et hoc regulariter, & per ſe loquendo; per accidens enim multi excuſantur à peccato ſcandali, quod vel ipſi tam prauis moribus imbuti ſunt, vt de eorum exemplo non curetur, nec inde ſumatur exemplum ad liberiùs vacandum vitiis: vel de eo curantes ad peccandum ita facilè inducti ſunt, vt non cenſeatur moralis eorum inductio. E contra verò peccatum ex ſe veniale poteſt effici mortale ratione ſcandali, quando à tali perſona, & coram talibus fit, vt meritò exiſtimari poſſit aſtantes inductum iri ad mortale; vt ſi à Religioſo valdè pio publicè diceretur verbum turpe veniale: quod aduertit idem *Sanch. num. citato* oſtendens toto *cap. 7.* ſequenti, quando quis teneatur vitare ſcandalum generale, & quando non: quod etiam facit *Caſt. Pal. tract. 6. D. 6. per totum.*

QVÆRES XXIII. An Religioſus peccet contra Caſtitatem per tactus, oſcula, & amplexus.

94 ℞. Peccare, & quidem m. iuxta dicta, & probata q. 1. quandocumque tactus ex ſe ſunt turpes aut fiunt ex motiuo libidinis, nec non cum delectatione venerea, nempe cauſata per diffuſionem ſpirituum ſubſeruientium generationi, & calefacientium, & terentium neruos certarum partium, & efficien-

tium

tium in illis pruritum, qui ſit leniendus per reſolutionem, & fluxum ſeminis, vti diximus citato q. 1. ſecùs, ſi ij tactus ex ſe non ſint turpes, vel certè non fiant ex libidine, aut concupiſcentia. ſed ex beneuolentia, ac teneritudine quadam amoris: quo modo nutrices, & matres ſolent ſuauiſſimè exoſculari, & contrectare proprios infantes, a nullis partibus abſtinendo. ita *Sanch. l. 9. de matrim. D. 46. num.* 10. 11. *&* 13. *Nau. c. 16. num.* 13. aliique communiter; & patet, tum ex dictis ea q. 1. tum quia tactus, oſcula, & amplexus ex genere ſuo ſunt res indifferentes, ideoque vel non ſunt peccata vllo modo, ſi fiant ob debitum, ac honeſtum finem (idque & ſi ſentiatur aliqua delectatio ſenſibilis, quæ eſt in ipſis) vel ſi fiunt ob ſolam iſtam delectationem naturaliter conſequentem, ad ſummum erunt venialia ob peruerſionem illam, ac inordinationem, quæ in eiuſmodi actibus reperitur; & conſiſtit in eo, quod, cum homo debeat operari ob aliquem honeſtum finem, non autem propter delectationem ex hac, vel illa operatione naturaliter conſurgentem: in præſenti caſu peruertit hunc finem, aſſumendo operationem vt medium ad habendam delectationem, quæ tamen eſt quid conſequens actum, & conditio quædam à natura tali actioni indita, vt eſſet motiuum, & incitamentum ad aſſumendam actionem ob honeſtum finem.

95 Dixi, *idque etiamſi ſentiatur delectatio aliqua ſenſibilis*, vt innuerem delectationem veneream non eſſe idem, ac delectationem ſenſibilem; ſi quidem illa cauſatur per diffuſionem ſpirituum generationi deſeruientium modo ſup. dicto: hæc verò oritur ex proportione obiecti tangibilis cum ſenſu tactus, nempe ex mollitudine, læuitate, & caliditate abſq; vllo ſenſu libidinis, neque in carne, neque in mente; vnde fit, vt delectatio venerea ſemper ſit mortalis, non item delectatio ſenſibilis, ſeu (vt vulgò loquimur) ſenſualis, quæ ad ſummum damnari poteſt peccati v. ob peruerſionem illam, ac inordinationem debiti finis. Quamquam, ſuppoſita communi morum corruptione, propenſione naturæ in voluptates carnis, qua homo poſt labem primi parentis laborat, & præſentis materiæ lubricitatem, vitari debeant einſmodi tactus, etiam facti ob ſolam delectationem ſenſibilem, vt pote valdè periculoſi ad inducendam delectationem veneream; maximè ſi tales tactus fiant inter perſonas alioqui habiles ad commixtionem carnalem corporum: quales ſunt perſonæ diuerſi ſexus, nec non adoleſcentes, ſiue inter ſe, ſiue cum adoleſcentulis puberibus; vnde concludit *Filliuc. tr. 30. nu.* 179. practicè loquendo, eiuſmodi tactus ob delectationem ſenſibilem aſſumptos ſub peccato mortali vitandos eſſe: cum in re adeo lubrica teneatur quiſque cauere periculum morale peccandi mortaliter: quidquid ſit de his ſpeculatiuè, & metaphyſicè cõſideratis: quod idem repetit *num.* 201.

An autem, & quando Religioſus, non obſtante voto Caſtitatis, permittere poſſit oſcula, amplexus, & tactus.

96 ℞. Poſſe permittere, ſi probabiliter credat, eum, à quo fiunt, moueri ex honeſto amore, & alioqui ex communi hominum vſu habeantur pro licitis; ſecùs, ſi credat eum moueri ex amore prauo, ac libidinoſo, & alias poſſit ea vitare ſine ſcandalo eorum, qui de libidine non ſuſpicantur. Quod ſi Religioſus dubitet, num ea ſint ex amore honeſto, an libidinoſo: tunc, ſi quidem oſcula, amplexus, & tactus ſint ex ijs, quæ ſolent communiter haberi inter pudicos, poterit ea permittere, ſibi perſuadens ea prouenire ab amore honeſto; cum in dubio quilibet præſumi debeat bonus: ſi verò ſint eius generis, vt non niſi inter impudicos ſoleant fieri (qualia ſunt oſcula furtiua, moroſa, tactus partium virilium &c.) tunc non debet ea permittere; quippe quæ rationabiliter præſumi poſſunt, & debent orta ex amore prauo, ideoque non eſſe ijs cooperandum, niſi peccati particeps eſſe velit. ita *Filliuc. num.* 196. *&* 197. addens *num.* 198. eum, qui ſcit ſe tangi ab alio mala intentione, tactibus tamen ex genere ſuo licitis, non peccare, admittendo eiuſmodi tactus: non item, ſi ſint ex genere ſuo ob prauum motiuum illicitis: tunc quippe peccat mortaliter non ſe retrahendo: cum quiſque teneatur vitare peccatum proximi.

97 Hic vnum aduerto ex *Sanch. l. 9. de matr. D. 46. nu.* 18. in confeſſione tactuum libidinoſorum mortalium fatendas eſſe neceſſariò circumſtantias perſonæ tam agentis, quam patientis, æque ac in ipſa copula: vnde, ſi Religioſus tangat mulierem coniugatam, debet id totum exprimere. ratio eſt, quod oſcula, amplexus, & tactus libidinoſi ſunt eiuſdem malitiæ moralis, cuius eſt actus conſummatus copulæ, ad quam ſua natura referuntur, eſtò tangens eam minimè intendat.

98 Verum tamen eſt (vt id etiam obiter dicam) amplexus, oſcula, & tactus, quæ ordinariè præcedunt, & proximè ſubſequuntur copulam carnalem illicitam, non eſſe neceſſariò diſtinctè confitenda in ſpecie: cum enim ea, ſi præcedant, ſint viæ, ac diſpoſitiones præuiæ ad peccatum copulæ; ſi verò eam ſubſequantur, cenſeantur veluti complementa ipſiuſmet copulæ præcedentis, & naturales, ſeu morales reſultantiæ illius; hòc ipsò quod explicatur copula in confeſſione, virtualiter explicantur etiam illa veluti acceſſoria, connexa cum principali, & per talem confeſſionem ſatis conſtat moraliter Confeſſario de ſtatu pœnitentis. ita *Fagund. præc. 2. l. 3. c. 4. num.* 12. *ex Nau. Henriq.* & alijs.

Quod proportionaliter dicendum de aſpectu libidinoſo partium obſcænarum cum tactu libidinoſo earum partium ſimultate, ſiue phyſica, ſiue morali: talem ſcilicet aſpectum non eſſe neceſſariò exprimendum in confeſſione contradiſtinctè à tactu; cum hæc duo facta circa idem genus perſonæ non differant ſpecie, vt potè ordinata ad coitum, aut ſaltem ad delectationem libidinoſam: vnde, cum integrent vnam moralem actionem, de ijs idem dicendum, quod modò diximus de copula cum tactibus antecedentibus, & conſequentibus illam. ita docti viri à me conſulti, & probabiliter.

Idem etiam dicendum eſt de pœnitente, qui confitetur tactus turpes habitos cum alia perſona: is enim non tenetur confiteri ſe item ab illa turpiter fuiſſe tactum: cum ex communiter accidentibus id ſufficienter intelligi videatur à Confeſſario: maximè cum duo illi contactus videantur à Confeſſa-

rio:

rio; maximè cum duo illi contactus videantur vna actio moralis, adeoque explicari non debeant diſtinctiùs, etſi non intelligerentur à Confeſſario.

Addo quod ſicut tactus obſcœnus dicitur is, qui verſatur circa partes obſcœnas, ſcilicet verenda, vel prope illa: ſic tactus carnalis eſt, qui licet nõ fiat circa partes obſcœnas, ſed honeſtas, fit tamen ad finem cauſandi commotionem ſpirituum inſeruientium generationi circa verenda (vt colligitur ex *Sanch. l. 9. de matr. D. 46. num. 5. & 7.*) idque & ſi non adſit deſiderium, nec imaginatio copulæ carnalis: in quo caſu tactus dici etiam poteſt obſcœnus; & multo magis, ſi adſit deſiderium, aut imaginatio copulæ carnalis.

Ex eo autem quod *Sanchez l. 9. de matrim. D. 46. numer.* 18. ait tactus eſſe eiuſdem malitiæ moralis, cuius eſt actus conſummatus copulæ: & aliàs probabile eſt circumſtantias notabiliter ſolum aggrauantes non eſſe neceſſario exprimendas in confeſſione: inferre quis poſſet probabilem eſſe doctrinam illorum recentiorum, qui apud *Dianam p. 3. tract. 4. reſol* 88. dicunt committentem fornicationem ſufficienter confiteri, ſi dicat ſe feciſſe graue peccatum contra caſtitatem cum ſoluta, non expreſſa copula; verum quam probabiliter hoc dicatur, videriunt ij, qui id ipſum docent: Diana certè hoc relinquit alijs iudicandum.

QVÆRES XXIV. An, & quando Religioſus peccet contra caſtitatem per aſpectus turpes, ac inhoneſtos.

99 ℞. Peccare, & quidem m. ſi aſpectus ſint ex ſe, & natura ſua turpes, maximè circa perſonam diuerſi ſexus, & habilis ad carnalem commixtionem, fiantque ſine cauſa neceſſitatis, & ad captandam delectationem venereã: eſt communis DD. & patet, tum quia *cap. nec ſolo 32. q. 5.* non ſunt dicendi animos habere pudicos, qui habent oculos impudicos, cum impudicus oculus impudici cordis ſit nuncius, & corda impudica ſe inuicem ſibi nuncient conſpectu mutuo, etiam lingua tacente, & fugiat caſtitas ipſa de motibus, etiam intactis corporibus; tum quia quamuis delectatio habita per ſenſum viſus non ſit per ſe, & formaliter venerea, ſicut eſt illa, quæ habetur per ſenſum tactus, & eſt ipſa formalis inchoatio, & quaſi pars delectationis copulæ; eſt tamen venerea cauſaliter, cum ad ſenſationem viſus circa obiectum turpe maximè excitetur imaginatio, & appetitus, & ad nutum illius diffundantur ſpiritus ſubſeruientes delectationi venereæ, eamque cauſent, vel ſaltem ad illam notabiliter inſinuant, ac diſponant: quod certè non poteſt non ab illa participare malitiam grauem, & culpam mortalem. ita *S. Anton. p. 2. tit. 5. cap. 1. §. 7. Sylu. v. delectatio num. 5. Nau. cap. 14. num. 36. Sanch. ſup. nu. 23. & 29. Azor p. 3. l. 3. cap 25. quaſt. 1. Baldel. l. 3. ſum. theol. D. 16 num. 1.*

100 Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi aſpectus ſint ex ſe, & natura ſua turpes &c. (qualis eſt aſpectus verendarum, aut partium verendis vicinarum, etiam ſub veſte tenuiſſima tranſparentium, nec non ipſiuſmet copulæ habitæ inter homines;)* vt indicarem aſpectus, qui non ſunt natura ſua turpes (cuiuſmodi eſt aſpectus faciei, pectoris, brachij, cruris, aut mamillæ nudatæ, etiam fœminæ) non eſſe communiter mortales, etſi fiant ob illam delectationem ſenſibilem, quæ ex illis habetur: tales quippe aſpectus ex ſe non important grauem indecentiam, & communiter non ſunt apti inducere magnum periculum, excipe, niſi delectatio, ob quam fiunt tales aſpectus, ſit venerea, etiam cauſaliter per motionem imaginationis, & diffuſionem ſpirituum generationi inſeruientium, ſicque tranſcendat ad genus delectationis tactus, ſed verè contineatur intra genus delectationis viſus; nam alioqui illi aſpectus eſſent mortales; ſicut & eſſent, ſi in aliquo ob malam inclinationem, & complexionis diſpoſitionem excitent graue periculum, magnamque ſpirituum commotionem. ita *Baldel. num.* 11. monens *num.* 10. quod cum malitia aſpectuum ſit diuerſa ſpecie pro diuerſitate perſonarum, circa quas terminantur, ſi contingat illos eſſe mortales, exprimi debet in confeſſione qualitas perſonæ.

101 Porro quod dixi aſpectus ex ſe turpes communiter eſſe mortales, non habet locum in caſu, quo illi fiant cauſa neceſſitatis, vt ad medendum, vel ex ioco, aut vana curioſitate, modo abſit periculum vlterioris conſenſus in turpitudinem; aut pollutionis: hi namque vel excuſantur ab omni culpa, ſi fiant ex neceſſitate, aut alio honeſto motiuo; vel excuſantur à culpa m. ſi fiant ex ioco aut vana curioſitate. Imò *Baldel. num.* 2. ex *Leſſio l. 4. cap. 3. num. 62.* putat quod ſicut eſt probabile tactus ex ſe turpes inter virum, & fœminam non eſſe mortales, ſi fiant ex ſola curioſitate, & abſit probabile periculum conſenſus deterioris; ita & admittit non eſſe mortales aſpectus natura ſua turpes inter virum, & fœminam, ſi abſit periculum probabile vlterioris conſenſus, & verum motiuum ſit ſolus iocus, & vana curioſitas, non autem ſenſualitas, & delectatio ſub prætextu ioci, & curioſitatis: quamquam quia communiter ex ipſa rei natura vix videtur poſſe abeſſe tale periculum, cum tales aſpectus, & tactus ex ſe turpes ſint maximè incitatiui ad libidinem, ideo non ſunt facile excuſandi, vt notat idem *Baldel.* addens *num 6.* ex *Sanch. nu.* 24. excuſari poſſe a mortali eum, qui fœminam nudam aſpicit tam breui tempore, vt non detur occaſio magnæ commotionis ſpirituum, vel certè ratione ætatis puerilis, aut ſenilis, vel etiam ratione frigidiſſimæ complexionis eſt talis, quod ceſſat periculum vlterioris conſenſus, & turpitudinis.

QVÆRES XXV. An Religioſus delinquat contra caſtitatem, qui ſciens ſe turpiter aſpiciendum, & amandum à fœmina, nihilominus ſe non ſubtrahit, cum poſſet.

102 ℞. Non delinquere, ſi non poſſit ſe ſubtrahere ſine graui incommodo; quamuis aliàs optimum ſit, ſi ex charitate conetur, quantum poteſt, auferre omnibus omnes occaſiones peccandi. ratio eſt; quod, quando religioſus pro ſuo bono, & commodo eſt in loco, vbi modo dicto aſpicitur, vtitur iure ſuo, & dat operam rei licitæ (vt ſuppono) ſicque permittit fœminam vti ſua mala voluntate, quando non poteſt alſque ſuo incommodo illum impedire: ad quod non tenetur. Secus ſi Religioſus ſtudioſè, & ſine rationabili neceſſitate, aut cauſa ſe

exhi-

exhibeat aſpectibus fœminæ turpiter amātis, ametque ſic ipſi placere; ſic enim peccat m. contra caſtitatem; etiamſi nihil aliud turpe cum illa intendatur, cum ſit efficax occaſio ruinæ ſpiritualis, & damni illius fœminæ; & qui cauſam damni dat, damnum quoque dediſſe videatur *ca. ſi culpa de iniur. & damn. dat.* Colligitur ex *Sanch. l. 1. mor. cap. 6. nu. 17.* & eſt communis DD. apud *Caſtr. Pal. tr. 6. D. 6. p. 7.* vbi innuit *n. 3.* in propoſito caſu videri ſufficientem cauſam non ſe ſubtrahendi nolle ſe priuare libertate propria, & iure, quod habet religioſus egrediendi domo, eundi in templum, ſtandi ad oſtium, &c.

QVÆRES XXVI. An violet caſtitatem religioſus, qui verba turpia loquitur, canit, aut audit.

103 ℞. Peccare, & quidem mortaliter, ſi ea faciat animo oblectandi ſe de rebus ipſis turpibus narratis, ac imaginationi obiectis: cum enim delectatio conſurgens ex re turpi apprehenſa ſit mortalis, à fortiori mortale erit illam fouere verbis: ſecùs, ſi ea faciat ex quadam leuitate, gratia cuiuſdam vani ſolatij, ob delectationem artificij, ex curioſitate, aut alia ſimili cauſa vana: tunc quippe erit ſolum veniale, (niſi fortè concurrat aliqua circumſtantia inducēs peccatum m. qualis eſſe poteſt circumſtantia ſcandali aſtantium; quod plerumque poteſt probabiliter timeri in caſu, quo religioſus turpiloquia habeat, aut audiat coram ſæcularibus: ſi quidem, vt dicit *S. Bernar. l. 2. de conſiderat. ad Eugenium, inter ſæculares nugæ nugæ ſunt, in ore Sacerdotis blaſphemiæ;*) & ratio eſt, quod in tali euentu nec finis locutionis, aut auditionis, vnde ponderanda eſt culpa, excedit peccatum veniale, nec deordinatio, quæ ibi ineſt, videtur adeo grauis, vt damnari debeat peccati m. quod puto poſſe habere verum, etiam in caſu, quo, ſecluſo periculo ſcandali, religioſus turpia loquens, aut audiens rideret, & gaudium præſeferret, non quaſi complacens ſibi de ijs, quæ dicuntur, & audiuntur, ſed gaudens de artificioſo, & lepido dicendi modo. ita *Sanch. l. 9. de matr. D. 46. num. 35. 38. & 39. Filliuc. tr. 30. num. 207. 208. 209. Baldell. ſup. D. 17. Bonac. q. 4. de matr. p. 9. n. 18.* alijque communiter; inter quos notat *Baldel. n. 9.* confitentem peccata verborum turpium teneri exprimere proprias circumſtantias, & qualitates perſonarum; cum delectatio, ex qua illa ſumunt malitiam, diuerſitatem ſortiatur ex diuerſitate obiectorum, & perſonarum.

104 Atque ex his, quæ diximus de loquentibus, & audientibus turpia, facilè intelligi poteſt, quid dicendum ſit de cantantibus turpia, pingentibus, ſcribentibus, & in lucem edentibus, aut legentibus, nec non de facientibus geſtus, vel nutus turpes; hæc enim omnia, ſi fiant ex delectatione mortali, vel cum probabili periculo delectationis mortalis in ſe, aut in alijs, mortalia ſunt; vt videri poteſt apud *Sanch. ſup. n. 34. 35. & ſeqq.* ratio eſt, quod delectatio turpis, ex qua illa fiunt, & ad quam natura ſua inducunt, ſicut eſt mortalis ex ſe, ita & refundit malitiam mortalem in hæc omnia.

QVÆRES XXVII. An peccet contra caſtitatem religioſus, ſi interſit comœdijs, aut ſpectaculis turpibus.

105 ℞. Peccare, mortaliter quidem, ſi interſit ex deliberata intentione delectationis venereæ, vel cum probabili periculo conſentiendi in illam, aut cum ſcandalo aliorum. venialiter verò, ſi interſit ob ſolam curioſitatem, aut vanam delectationem ex artificio, ac excellentia actorum, vel ne habeatur inurbani, & notetur vitio hypocriſis; imò nec venialiter, ſi interſit ex bono fine, ac iuſta cauſa: quod vtique poteſt euenire. *Sanch. ſup. num. 41. Bonac. ſup. num. 21. & 22. Diana p. 2. tr. 17. reſol. 35.* alijque penes ipſum; qui notat non obſtare *cap. clerici 2. de vita, & honeſtat. cleric.* prohibens clericis, ne aſſiſtant comœdijs: quippe quod vel loquitur ſolùm de honeſtate, (*vt putat Iuuoc. ibi,*) vel contraria conſuetudine videtur abrogatum.

Vtrum verò ſubſit probabile periculum ſcandali ex eo, quod religioſi interſint comœdijs, & ſpectaculis turpibus.

106 ℞. Quod, ſicut *Sanch. ſup. num. 41.* & cum eo *Diana reſolut. citata Baldell. cap. 18. numer. 7.* notant in præſenti caſu reſpectu clericorum ſæcularium communiter hoc tempore non ſubeſſe periculum ſcandali, cum frequentiſſimum ſit, vt etiam clerici interſint comœdijs; ita ad iudicandum, num tale periculum ſubſit reſpectu religioſorum, nec ne: attendendum eſt, an modò religioſi, & quorum ordinum, ſoleant intereſſe comœdijs, an non; hincq; ferendum eſt iudicium: cum ſit par ratio in vtroque caſu, vt patet.

QVÆRES XXVIII. An delinquat contra caſtitatem religioſus picturas turpes detinendo expoſitas in proprio cubiculo.

107 ℞. *Alph. de Leone de offic. Confeſſ. recoll. 10. num. 342.* non excuſare à peccato mortal. habentes eiuſmodi picturas, ſi habeant pueros: ſi quidem pictura eſt liber rudium, & corrumpunt animos puerorum picturæ obſcænæ. Ego verò, quod ſpectat ad religioſos detinentes tales picturas, abſolutè quidem non eos damno de peccato mort. niſi adſit periculum ſcandali mortalis: conſulo tamen, vt tales picturas omninò amoueant vtpote valdè aduerſantes decentiæ, ac honeſtati ſtatus religioſi, & indicantes animum religioſæ caſtimoniæ minùs amantem.

SECTIO V.

De Diſpenſatione Voti Caſtitatis Religioſæ.

108 *Votum Caſtitatis ſolemne eſt diſpenſabile, imo pluries fuit diſpenſatum.*

109. *Eſt diſpenſabile iure tum naturali, tum humano poſitiuo, tum à Papa.*

110 *Idque in ſpecie probatur quò ad Papam.*

111 *Epiſcopi in nullo caſu ſuper eo diſpenſant.*

112 *Generalis Soc. Ieſu non diſpenſat cum Scholari approbato, vt manens religioſus nubat.*

Votum

113 *Votum Caſtitatis Ordinum militarium nõ diſpenſatur vi iubilei aliàs cõcedentis relaxationẽ votorũ reſeruatorũ.*
114 *Votum Caſtitatis ſolemne poteſt diſpenſari 6. modis.*
115 *Papa, relicto vinculo vota, ac profeſſionis religioſæ, diſpenſat ſuper voto Caſtitatis quo ad eius vſum.*
116 *Itẽ ſuper eo diſpẽſat hoc ipſo qđ diſpẽſat ſup̃ profeſſione.*
117 *Imo, ſi diſpenſet ſimpliciter ſuper profeſſione, cogitur regulariter diſpenſare etiam ſuper voto Caſtitatis.*
118 *Papa diſpenſat vt cõiuges iã profeſſi vtãtur matrimonio.*
119 *Item diſpenſat ſuper voto Caſtitatis præciſè ad matrimonium, & hoc vnicum, relicto ſtatus religioſi vinculo.*
120 *Diſpenſat ad matrim. cõtrahendum, ſed non conſũmãdũ.*
121 *Proponitur difficultas in contrarium.*
122 *Diſſoluitur varijs modis.*
123 *Papa nequit diſpenſare ſuper voto ſolẽni Caſtitatis p̃ciſè ad hoc vt Religioſus violans Caſtitatẽ non ſit reus voti.*
124 *Non diſpenſat ſuper dicto voto abſolutè, diſpenſato adhuc manente religioſo.*
125 *Diſpenſare poteſt cum hoc, vti diſpenſatus, habita prole, redeat ad Religionem.*
126 *Ad diſpenſationem hanc grauiſſima petitur cauſa.*
127 *Nec ad eam ſufficit priuata vtilitas Religioſi diſpenſatĩ.*
128 *Diſpenſatus ſine cauſa licitè contrahit matrimonium, ſed non conſummat.* 129 *Idque probatur.*
130 *In petenda tali diſpenſatione aliqua exprimi debent.*
131 *Non tamen exprimendum votum non nubendi, ſicut nec repetitio voti ſimplicis Caſtitatis.*
132 *Petens talem diſpenſationem, ſi habeat alia impedimenta, non tenetur illa omnia ſimul aperire.*
133 *Itẽ nõ neceſſariò exprimẽdũ, q̃ diſpẽſatio alias negata ſit*
134 *Hæc diſpenſatio non ſemper finitur primo actu.*
135 *Diſpenſatus ad matrimonium eximitur pro tunc à votis religioſis, ac regularibus obſeruantijs.*
136 *Non tenetur ad Horas Canonicas.*
137 *Eligere poteſt ſepulturam.*
138 *Oĩbus laicis mortuis, Relig. tenerẽtur nubere: q̃ alij negãt*

QVÆRES I. An votum ſolemne Caſtitatis religioſæ poſſit diſpenſari.

108 ℟. Poſſe, & quidem multis modis inferiùs explicandis; idq; non obſtante *c. cum ad monaſterium de ſtatu monach.* quod ita habet: *Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeò eſt annexa regulæ monachali, vt cõtra eam nec ſummus Pontifex poſſit licentiam indulgere*: quod eſt dicere votũ paupertatis, & caſtitatis ſolẽne eſſe omninò indiſpenſabile. eſt certa, & probatur; tum ex eo quod iuxta probata in *tr. de prof. rel. c. 4. ſect. 1. q. 4.* ipſamet profeſſio ſolemnis poteſt diſpẽſari, ideoq; nõ poteſt negari, quin etiam votũ ſolemne Caſtitatis religioſæ diſpenſari poſſit neceſſaria conſecutione, vt loquitur *Suar. t. 3. de relig. l. 9. c. 26. n. 2.* tũ quia de facto non ſemel fuit diſpenſatũ in voto ſolẽni religioſę Caſtitatis; nimirũ cum Ramiro monacho, & ſacerdote, Nicolao Iuſtiniano monacho, & Conſtãtia Guilelmi Siciliæ regis filia monacha, & alijs, qui vi talis diſpenſationis inierunt matrimonium, & filios procrearunt, vt notauit idẽ *Suar. ſup. l. 6. c. 16. n. 6.* ex *Anchar. ac Surio*: tum quia *c. Cum ad monachatũ* in hoc nullum ſaceſſit negotium, vt oſtendimus *cap. praecedenti ſect. 5. ſubſect. 1. q. 2.* textum illum explicantes.

QVÆRES II. Per quam poteſtatem diſpenſari poſsit ſuper voto ſolemni Caſtitatis religioſæ.

109 ℟. Poſſe diſpenſari tũ iure naturali, tum iure humano poſitiuo, tum poteſtate pontificia iure quidem naturali in caſu, quo omnibus pereũtibus pręter monachos, ipſi monachi tenerentur inire matrimoniũ, vrgente neceſsitate ad id obligante, vt dicemus infrà *q. 22.* iure vero poſitiuo humano in caſu, quo iuxta dicta *ſect. 2. q. 7* vir coniugatus de licentia coniugis profiteretur in religione, ipſa coniuge manẽte in ſęculo nõ adſtricta voto neq; Caſtitatis, neq; religionis: tunc. n. ſi illa virum ſuum iam profeſſum repeteret, ei reſtituendus eſſet ad vſum matrimonij, ſicuti decernitur in *c. 1. de conuerſ. coniugat.* quod eſt partialiter diſpenſare in voto ſolemni Caſtitatis diſpenſatione (vt ita dicam) interpretatiua facta in iure cõmuni: per poteſtatem deniq; pontificiã, & quidem quotieſcũq; occurret iuſta cauſa id faciendi: vt mox probabimus.

110 Probatur ergo Papam poſſe & licitè, & validè diſpenſare in voto ſolemni Caſtitatis religioſæ tũ quia in dubio præſumendum eſt pro geſtis Papæ, vt potè qui in gubernatione Eccleſiæ peculiariter regitur à Spiritu ſancto; cum ergo conſtet ex hiſtorijs Pontifices ſæpiùs diſpenſaſſe in tali voto (vt diximus *q. præce.* & oſtendit *Suar. ſup. l. 6. c. 16. n. 6.* & res ſaltem ſit dubia) præſumendum eſt Papam poſſe id facere: tum quia authoritati põtificiæ nihil denegandũ eſt, quod ei abſq; abſurditate aliqua concedi poteſt, & alioqui eſſe poteſt expediens ad Eccleſiæ regimen; cum eredendum ſit Chriſtum ſuauiter omnia diſponentẽ ſic Eccleſiæ conſuluiſſe, ne in neceſſarijs communi eius bono deficere videretur; at conſtat in aliquo euentu expedire, quod talis poteſtas ſit in Eccleſia) vt ſi cõmune bonum alicuius Regni id peteret) & aliàs ex cõceſsione talis poteſtatis nulla ſequitur abſurditas, neque id repugnat rationi naturali, vt fuſius probat *Sãch. l. 8. de matr. D. 8. n. 6.* ergò talis poteſtas Papę omnino concedenda eſt. tũ quia voluntas hominis, quatenus politici, & ordinati ad commune bonum reipublicæ ſubordinatur capiti in rebus ſpectãtibus ad bonum commune politicum; ergò in volũtate Religioſi vouentis Caſtitatem includitur tacita conditio, niſi caput communitatis, quod eſt Papa, ratione boni cõmunitatis relaxet obligationẽ talis voti, hac. n. ratione cõcedunt DD. poſſe diſpenſari in votis ſimplicibus ita *Tol. l. 4. c. 18. n. 5. Henriq. l. 12. c. 5. n. 7. Rodriq. to. 1. q. 25. a. 2. Azor. to. 1. l. 12. c. 7. q. 1. Graff. 1. p. deciſ. l. 2. c. 31. n. 32.* alijq; innumeri, quos refert, & ſequitur *Sanchez vbi ſupra* adducens *n. 5.* plures alios oppoſitum ſuſtinentes, & probabiliter iudicio ipſiuſmet *Sanchez*.

QVÆRES III. An dari poſſit caſus, in quo Epiſc. valeant diſpenſare in voto ſolẽni Caſtitatis religioſę.

111 ℟. Non poſſe dari talem caſum; & probatur, quia generalis clauſula non cõprehendit caſus ſpeciales, in quibus Superior veroſimiliter non eſſet aliquid conceſſurus: at poteſtas diſpẽſandi in voto ſolẽni Caſtitatis ſecundum præſentẽ ſtatum, & vſum Eccleſiæ eſt valdè ſpecialis, quã non legimus vnquam fuiſſe conceſſã inferioribus Papa; habetq; uſum adeo difficilem, ut ipſimet Pontif. rarò illa utantur; ergò nõ habemus ſufficiens fundamentũ per epychiam interpretandi illã in aliquo caſu fuiſſe conceſsã Epiſc. ſiquidẽ DD. eatenus colligunt Epiſc. ratione urgentis neceſſitatis poſſe diſpenſare in uoto Caſtitatis ſimplici & alijs ſimilibus reſeruatis, quatenus antiqua cõſuetudo diſpẽſãdi in hac occaſione indicat Papã uel à principio nõ intẽdiſſe uota illa in ſimilib. caſibus reſeruare, uel poſteà tacitè cõceſſiſſe facultatẽ diſpẽſandi in ijs: unde, cũ è contra nullus talis vſus fuerit quo ad diſpen-

ſandũ in uotis ſolẽnibus, ſignum eſt Episc. ad id nullã habere facultatẽ. colligitur ex *Suar.ſu.l.6.c.18.n.5.*

QVÆRES IV. An, ſicut Præpoſitus generalis Soc. Ieſu poteſt ex priuilegio tollere votum Caſtitatis religioſæ emiſſum à Scholaſticis eiuſdem Soc. eos omninò eximendo ab illius obligatione; ita & poſſit, retento vinculo talis voti, dare alicui illorum facultatem ducendi vxorem veluti ſub ea conditione, ac lege vt, ſi moriatur vxor, dictum vinculum idem maneat cum Societate, & quaſi reuiuiſcat quo ad vſum.

112 ℞. Non poſſe; & patet tum quia nullibi data eſt talis poteſtas Societati, nec debet effingi gratis: tum quia Præpoſitus generalis Societ. non habet poteſtatem diſpenſandi in votis ſimplicibus bienni, ſed ſolũ irritandi, vt benè oſtendit *Suar.to.4. de relig.tr.10.l.3. c.9.n.6.* cũ tamen in caſu propoſito interueniret quędam quaſi diſpenſatio, & adeo ſpecialis, vt neq; à Papa concedi ſoleat, imò & dubitetur, an poſſit cõcedi; ſicut aduertit idem *Suar.l.4 c.1.n.1.* dicens quod, cum votum ſimplex Caſtitatis emiſſum à Scholaſticis Societ. ſit per ſe annexum ſtatui religioſo, idẽ dicendum eſt de eo, ac de voto ſolẽni, ꝙ ſpectat ad rẽ præſentẽ.

QVÆRES V. An votum Caſtitatis coniugalis, quod emittunt Religioſi Ordinum militarium, poſſit diſpenſari ab habente facultatem diſpenſandi vota non reſeruata, ſiue ex iubileo, ſiue ex alio priuilegio.

113 ℞. Non poſſe; & probatur ex eo quod, quamuis votũ Caſtitatis coniugalis ſecundum ſe non ſit reſeruatum Papæ vt pote Caſtitatis partialis (ſicut probat *Sãch.l.8.de mat.D.9.n 7.*) id tñ bene limitatur ab eodẽ *Sanch.l.4.mor.c.40.n.50.* niſi id votũ auctor. pontiſ. ſit annexum ſtatui religioſo: quo modo re vera eſt in caſu noſtro; tunc enim cum tale votum ſit neceſſariò requiſitum ad illum ſtatum religioſum, & ſit quaſi ſolemne ob ea, quæ dicit *Suar. ſup. tr.9. l.1. c.4. n. 29.* non poteſt diſpenſari ab vllo inferiore Papa.

QVÆRES VI. Quot, & quibus modis diſpenſari poſſit ſuper voto caſtitatis religioſæ.

114 ℞. Poſſe excogitari 6. modos; quorũ primus eſſe pōt diſpenſare in vſu voti caſtitatis, non auferendo omninò ipſum votũ, neq; ſtatũ religionis, neq; vinculũ profeſſionis: 2. vit diſpẽſare in ipſa profeſſione ſolẽni: quo modo neceſſariò, & quaſi cõſecutione quadã diſpenſatur etiã in voto Caſtit. 3, eſt diſpenſare in ſolo vſu matrimonij, eò ꝙ vinculum iam ſupponatur contractũ (vt ſi duo coniuges poſt matrimonij conſummationẽ ex mutuo cõſenſu religionẽ profiteantur.) 4. eſt diſpenſare ſimul in vinculo, & vſu matrimonij; nimirũ vt matrimoniũ denuò contrahi, & cõſummari poſſit ſub ea conditione, vt eo non obſtante perſona diſpenſata in reliquis maneat obligata ad caſtitatẽ, inhabilis ad quodcumq; aliud matrimoniũ in quocũq; euentu, & ligata vinculo religionis; 5. eſt diſpenſare ſolùm quo ad contrahendum licitè, & validè matrimonium, abſque licentia tamen illud conſummandi; 6. eſt diſpenſare in voto caſtitatis, non quidem ad matrimonium contrahendum, & conſummandum, ſed ſolum vt taliter diſpenſatus peccans in materia venerea non ſit tranſgreſſor voti.

QVÆRES VII. An Papa poſſit diſpẽſare cũ relig. in voto caſtitatis quo ad vſũ eius, nõ auferẽdo omninò votũ caſtitatis, nec ſtatũ religionis, nec vinculũ profeſſionis, ita vt religioſus profeſſus manẽs religioſus licitè, & validè contrahat, & conſummet matrimoniũ.

115 ℞. Quod, quãuis Papa nõ poſſit modo dicto diſpẽſare, quin aliqualiter mutetur, ſeu minuatur integritas voti caſtitatis, & ſtatus religioſi; ſiue perpetuò, ſiue ad tẽpus, pro ratione diſpẽſationis hìc, & nũc cõcõceſſę: abſolutè tñ loquẽdo, poteſt Papa diſpẽſare in dicto vſu, non auferẽdo totaliter, aut ſubſtãtialiter (vt ſic dicã) ſtatũ religioſũ, & votũ caſtitatis. probatur tũ exẽplo religionũ Militariũ, quę pri⁹ profitebãtur integrã caſtitatẽ, & poſtea cũ eis diſpenſatũ eſt, vt retẽto religionis ſtatu obligẽtur ſolũ ad caſtitatẽ cõiugalẽ; tũ quia ſtatus religionis ſimpliciter, & vinculũ matrimonij ſimpliciter poſſũt ſimul eſſe in vna, ac eadẽ perſona (vt patet in cõiugatis, qui poſt matrimoniũ conſũmatũ mutuo cõſenſu religionẽ ſimpliciter profitẽtur:) ergò per diſpẽſationẽ Papæ fieri pōt, vt, manẽte in eadẽ perſona ſtatu religionis ſimpliciter, ea poſſit matrimoniũ cõtrahere, & conſũmare; ſi quidẽ in cõiunctione horũ duorũ ſtatuũ nõ adeſt repugnãtia, neq: ex parte ipſorũ (vt iã vidimus) neq; ex parte diſpẽſantis, cũ poteſtas Papę extendatur ad illa omnia, quæ alioqui nõ repugnãt, & nõ ſunt irrationabilia, & plus ſit omnino auferre ſtatũ religioſũ (ꝙ tamẽ conceditur Papæ) quã vſum eius ſuſpẽdere cũ illa limitatione; neq; ex defectu cauſæ, cũ minor cauſa ſufficiat ad hoc genus diſpẽſationis, quã ad diſpenſandũ ſimpliciter, vt patet. præter quam ꝙ ſtatus relig. quo ad alia ſeruari ſimul pōt parti actu, parti obligatione, & animi præparatione: cũ ſic diſpẽſatus obligari poſſit ad ſeruandã actu caſtitatẽ coniugalẽ, ad nunquã petendũ debitũ, ſed ſolũ ad reddendũ, ad non petendũ, niſi ob generationẽ prolis, ad implẽdas regulares obſeruãtias cũ vſu matrimonij directè nõ repugnantes, ad nõ contrahendũ aliud matrimoniũ defuncto cõiuge, caſu, quo iã habita eſſet proles, ſicq; ſubuentũ fuiſſet neceſſitati, in qua fundabatur diſpenſatio. ita *Suar.to.3.de relig.l.9.c.26.n.8.9.& 10.* monens *n.9.* quod, licèt de facto (quantũ intelligi pōt ex bullis Pauli III. & Greg. XIII.) nõ fuerit diſpenſatũ cũ religioſis ordinũ Militariũ iã profeſſis, vt retẽto ſtatu religionis obligarentur ab ſolã caſtitatẽ coniugalẽ, ſed ꝓ ijs tantũ, qui poſt illã mutationẽ in eo Inſtituto factã erãt ꝓfeſſuri; id tñ nõ fuit ex defectu poteſtatis, ſed qa rõ diſpẽſandi tũc fortaſſe nõ plus poſtulabat.

QVÆRES VIII. An Papa poſſit diſpenſare ſuper voto caſtitatis religioſæ facta diſpenſatione ſuper ipſa Profeſſione religioſa.

116 ℞. Poſſe, imo & cogi diſpẽſare ex neceſſaria quadã cõſecutione, ſi in religioſa profeſſione diſpẽſet ſimpliciter, nullo onere impoſito, neq; acceptato à Religioſo, qui ſic diſpẽſatur. patet tũ quia votũ caſtitatis religioſę nõ emittitur, niſi vt annexũ profeſſioni, ac ſtatui religioſo; ergo ablato tali ſtatu, & profeſſionis vinculo, cõſequẽter auſertur & votũ ipſũ; tũ quia ablata profeſſione, auſertur ſolẽnitas voti, vtpote tota depẽdẽs ex profeſſione iuxta *cap. vn. de voto in 6.* ergo & ablatũ eſt votũ ipſũ; quippequod ex intẽtione vouẽtis nõ eſt factũ, niſi vt ſolẽne, & quaſi ad confirmãdã traditionẽ factã in tali ſtatu; ideoq; ſublata traditione euaneſcit, non ſecus, ac quando profeſſio facta in aliqua religione eſt nulla ex aliquo impedimẽto occulto, cõſequẽter etiã votũ caſtitatis eſt nullũ, nullamq; inducit obligationẽ, neq; voti ſimplicis, niſi aliter cõſtet de intentione vouentis in iure, vel aliud expreſſum ſit in aliquo caſu ſpeciali. ita *Suar. ſup. n. 2.*

Dixi

117 Dixi *Imò & cogi diſpenſare, &c.* vt innuerē quod, licèt ſpeculatiuè, & ex obiecto non videatur repugnare, quod diſpēſetur cū aliquo in profeſſione religioſa, non purè, ſed admiſcendo aliquā commutationē videlicet cōmutando ſtatū religioſū in ſtatum ſimplicis continētiæ: idq; vel relinqoendo talē perſonā inhabilē ad matrimoniū, vel illā relinquendo cū ſimplici voto caſtitatis; practicè tamē, & moraliter talis modus diſpēſationis, & cōmutationis vix poteſt habere locū ex defectu legitimæ cauſæ ad ſic diſpenſandum. cum enim votum diſpenſari non poſſit ſine cauſa; & cauſa, quæ poteſt occurrere ad diſpenſandum in Profeſſione religioſa, faciendo de religioſo non religioſum, illa ſit; vt perſona diſpenſata matrimonium contrahat in caſu valdè neceſſario ad bonum commune (nam qualibet alia ratio, aut neceſſitas, quæ excogitetur, ſine mutatione ſtatus religioſi, facilè remedium habere poteſt per alias facultates, aut diſpenſationes) repugnat dari cauſam ſufficientem ad diſpenſandum cum Religioſo, vt non ſit Religioſus, & quod maneat obligatus ad ſeruandam perpetuam continentiam: ſiquidem hæc obligatio vel deſtruit legitimam cauſam diſpenſationis, vel impedit remedium illius.

QVÆRES IX. An Papa poſſit diſpenſare, vt duo coniuges, qui poſt conſummationem matrimonij profeſſi ſunt religionem, iterum conueniant ad filium aliquem procreandum: quod eſſet diſpenſare in ſolo vſu matrimonij

118 ℞. Poſſe, ſi occurrat iuſta cauſa (v.g. ad conſeruandum regnum.) ita *Suar. n.* 12. & probat, quia vſus ille coniugalis eſſet licitus, & legitimus ratione matrimonij, quod adhuc durat inter illos, poteſtque cohoneſtari remittendo ex parte Dei obligationem voti Caſtitatis; quod vtique poteſt Papa facere ex iuſta cauſa, tanquam Chriſti Vicarius, ac ſupremus in terris diſpenſator. non enim quod votum Caſtitatis factum ſit in religione, mutat ſpecificè obligationem illius, neque ſuperaddit nouum ius aliquod diuinum, aut naturale, ratione cuius repugnet ipſum diſpenſari; vnde in tali caſu concedi poterit diſpenſatio ſolùm quo ad vnum, aut alium actum ſufficientem ad remedium occurrentis neceſſitatis, manente aliàs integro ſtatu religioſo vtriuſq; perſonæ quo ad alias omnes obligationes: ita vt impleto tempore, ſeu actu diſpenſationis teneantur ſeparari, & redire ad obſeruantiam prioris ſtatus.

QVÆRES X. An Papa diſpenſare poſſit cum Religioſo profeſſo, vt contrahat, & conſummet matrimonium: ita tamen, vt, eo non obſtante, quo ad alia maneat obligatus ad Caſtitatem, inhabilis ad quodcumque aliud matrimonium in quocumq; euentu, & ligatus vinculo religionis.

119 ℞. Poſſe; & probatur, quia facta tali diſpenſatione non relinquitur ſolum ſimplex votum Caſtitatis coniugalis cum ſimplici obligatione redeundi ad ſtatum religioſum caſu, quo illud matrimonium diſſoluatur per mortem alterius coniugis; ſed relinqueretur vinculū longè maius inhabilitans ad aliud matrimonium priori diſſoluto: nempe ſtatus religioſus, qui per talem diſpenſationem non auferretur, ſed ſuſpenderetur quo ad vſum, durante alio ſtatu; quod eſt adeò verum, vt religioſus ſic diſpenſatus rediens ad religionem, mortuo altero coniuge, non indigeret noua profeſſione ad hoc vt verè eſſet religioſus, nec noua traditio requireretur ad hoc vt monaſterium ius in illum recuperaret: cum prius ius integrum ſemper remanſerit, vt poſe per diſpenſationem ſolum modo dicto ſuſpenſum. ita *Suar. ſup. num.* 13. probans id exemplo ſerui, qui profeſſus religionem inuito domino excuſatur quidem ab vſu, ſeu actuali obedientia religioſi ſtatus, at quacumq; ratione poſtea fiat liber a ſeruitute, eò ipsò abſq; noua profeſſione iterum ſubijcitur iugo relig.

QVAERES XI. An Papa diſpenſare poſſit cū relig. profeſſo, vt licitè, & ualide cōtrahat matrimonium, abſq; licentia tamen illud conſummandi.

120 ℞. Poſſe, ſi occurrat iuſta cauſa: qualis eſſet, ſi quis, genito filio naturali ex uirgine defloratа poſtea religionem profiteretur, & temporis progreſſu iudicaretur neceſſarium, quod filius ille naturalis per ſubſequens matrimonium fieret legitimus, ad effectum v. g. vt poſſet ſuccedere in iure regni, aut alterius hæreditatis. Ratio reſponſionis eſt, quod ex vna parte non repugnat matrimonium validè, & licitè contrahi ſine animo illud conſummandi, vt benè oſtendit *Suar. ſup. c. 3. num.* 3. & 4. ex alia parte actus contrahendi matrimonium abſque intentione conſummandi nihil derogat Caſtitati, parumque vel nihil impedit vſum, ac executionem ſtatus religioſi; vnde fit, vt talis diſpenſatio concedi valeat, non ſolum propter bonum vnius regni, ſed etiam propter conſeruandam illuſtrem aliquam familiam, aut hæreditatem, & propter reparandam aliquo modo famam, & honorem alicuius illuſtris fœminæ. ita *Suar. c. 26. num.* 14.

121 Solum poſſet facere difficultatem, quod ex tali modo diſpenſandi ſuboriretur magna perplexitas; ſi enim tale matrimonium non eſt conſummatum, aut vinculum illud perpetuò eſt manſurum: quod eſt contra ius alterius coniugis, qui altero nolente conſummare matrimonium, ſed religionem profiteri, liber relinqui debet, ita vt poſſit nubere cum alio; aut tale vinculum diſſolui debet, & hoc importat repugnantiam quandam in ipſo facto: vt quid enim illud matrimonium ſolueretur, niſi per profeſſionem? at hæc iam præceſſit, & non potuit impedire valorem matrimonij, nè fieret: ergò multo minus poterit diſſoluere iam factum; quod ſi dicatur requiri noua diſpenſatio Papæ, id ipſum ſpecialem inuoluit indecentiam: nimirum quod detur diſpenſatio ad contrahendum matrimonium ſub formali, aut virtuali intentione, vel ſpe iterum diſpenſandi in tali vinculo, illud omninò diſſoluendo.

122 Verùm talis difficultas poſſet varijs modis eludi: primò ſi limitatio non conſummandi matrimoniū non ſit abſoluta, ſed tantū ex parte illius, cum quo diſpenſatur, ſeu altero non exigente debitū: ſecundò ſi ad talem diſpenſationē accedat conſenſus alterius coniugis promittentis Deo perpetuā continentiam; quod probabile eſt nō repugnare valori matrimonij rati; & tunc poſſet illud vinculū perpetuum manere ſine conſummatione; tertiò ſi diſpenſatio ita concedatur, vt, ſi alter coniux renoueret perpetuam Caſtitatem ſeruare, matrimonium eò ipsò ſolueretur: non quidem per nouam diſpenſationem, ſed per ceſſationem diſpenſationis prioris, profeſſione religioſa recuperante (vt

ſic dicam) vim diſſoluendi matrimonium, qua per priorem diſpenſationem fuerat quodammodo priuata; hæc enim vis intelligi debet non ſolùm in profeſſione in fieri, ſed etiam in facto eſſe; fuitque per diſpenſationem impedita, ne matrimonio obſtaret: quod tamen fieri potuit ea intentione, vt vinculum maneret perpetuum vtroq; coniuge volente ſeruare perpetuam Caſtitatem: altero autem diſſentiente intra certum tempus aliquod per iteratam profeſſionem, aut perſeuerantiam eiuſdem ſtatus matrimonium ſolueretur. ita *Suar.nu.*16. addens *num.* 15. ex eo quod talis modus diſpenſandi conſtituit Religioſum diſpenſatum in periculo probabili peccandi contra Caſtitatem, & ſtatum religioſum, eò quod ſit difficile ſe ſe continere poſt contractum matrimonium; diſpenſationem non ideo reddi difficiliorē; cū talis occaſio ſit valdè accidentaria, extrinſeca, potiùs accepta, quā data, & varijs medijs facilè euitari poſſit. præter quā quod probat ſolū regulariter talem modū diſpenſandi nō expedire, non autē quod abſolutè non ſit poſſibilis.

QVÆRES XII. An Papa poſſit diſpenſare cum Religioſo manente religioſo ſuper voto Caſtitatis, non quidē ad contrahendū, & conſummandū matrimoniū, ſed ſolum vt ſic diſpenſatus peccans in materia venerea non ſit tranſgreſſor voti caſtitatis.

123 ℞. Videri non poſſe, non quidem ex defectu poteſtatis, quaſi verò non poſſit diſpenſari in voto Caſtitatis ſolum quo ad aliquam partem: ſi quidem, cum votum Caſtitatis, quo ad extenſionem obiecti ſit quaſi diuiſibile (vti notauit *Suar.ſup.nu.*8.) poteſt iuxta exigentiam cauſę auferri pro arbitrio diſpenſantis, non in totum, ſed pro maiori, aut minori parte: ſicque non repugnat manente voto ſimplici Caſtitatis diſpenſari in aliquo eius vſu; ſed ex defectu cauſæ, quatenus ſcilicet non apparet, quandonam occurrere poſſit legitima cauſa taliter diſpenſandi: cum teſte *Sanch.l.*8.*de matr.D.*8.*n.*8. diſpenſari non poſſit in voto Caſtitatis religioſæ, niſi ex cauſa publica, qualis vtiq; nō interuenit in pręſenti caſu, in quo ſolū adeſt cauſa priuata, nēpe fragilitas propria vouentis, vt patet. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES XIII. An Papa diſpenſare poſſit cum Religioſo, vt omninò eximatur ab obligatione voti Caſtitatis, & tamē maneat verè Religioſus.

124 ℞. Non poſſe; patetque ex eo quod iuxta dicta in *tract. de ſtatu relig. in communi* aliqualis Caſtitas eſt de eſſentia ſtatus religioſi; ſicuti notant communiter DD. facta autem tali diſpenſatione, iam nulla relinquitur obligatio Caſtitatis: ideoque non ſubſiſtit ſtatus religioſus, neque ſimpliciter, vt conſtat, neque ſecundum quid (vti dicunt aliqui ſubſiſtere in Ordinibus militaribus vouentibus Caſtitatem ſolum coniugalem: quod nos non admiſimus *ſect.*1.*q.*4. ſuſtinentes eiuſmodi Religioſos eſſe ſimpliciter & abſolutè Religioſos) cum ſic diſpenſatus ad nullam omninò teneatur Caſtitatem. Si enim graues DD. conſtanter aſſerunt Inſtituta, in quibus ſolum vouetur Caſtitas coniugalis, non eſſe propriè, ac perfectè Religiones, ſed ſolum imperfectè, & ſecundum quid, eò quod Caſtitas coniugalis non ſit conſilij, ſed præcepti: à fortiori negabunt fore Religioſum eum, qui per diſpenſationem eximeretur ab omnimoda obligatione voti Caſtitatis.

QVÆRES XIV. An, & quo modo Papa diſpenſare poſſit cum Religioſo ad contrahendum matrimonium, ita tamen vt, habita prole, teneatur redire ad Religionem, relicta vxore.

125 ℞. Non poſſe, niſi in caſu, quo vxor liberè conſentiret in id ipſum, aut per fornicationem daret iuſtam cauſam perpetui diuortij. ita *Sanch.l.*8.*de matr.D.*8.*num.*9. ex *Abbate, & Tabiena*, probatque, tum quia de eſſentia matrimonij eſt, quod ſit perpetuū: tum quia, ſi Papa in caſu propoſito ita diſpenſaret, vt vxor, manente vinculo indiſſolubili matrimonij, conſentiret vt habita prole coniux rediret ad religionem, apponeretur conditio contraria ſubſtantiæ matrimonij; vt benè oſtendit idem *Sanch.l.*5.*D.*10.*n.*6. at huiuſmodi conditiones iure naturali irritum reddunt matrimonium, vt probat *Sanch.ſup.D.*9.*n.*4. ergo; Quod tñ nō haberet locum in caſu, quo mō ſupra dicto ſupponeretur cōſenſus vxoris: cū quilibet cōiux poſſit ad hoc ſe obligare ex ꝓprio voto.

QVÆRES XV. An, & quæ cā requiratur ad diſpēſandū in voto Caſtit. religioſæ, tū validè, tum licitè.

126 ℞. Quod, cum in voto Caſtitatis religioſæ duo interueniant, nempè obligatio ad Deum, ac virtutem religionis; & inhabilitas ad matrimonium: non poteſt quidem neque licitè, neque validè diſpenſari in voto Caſtitatis religioſæ quo ad illam obligationem, niſi adſit iuſta cauſa; cum dicta obligatio ſit de iure naturali, ac diuino, quo ad inhabilitatem verò ad matrimonium, cum ſit inducta iure humano, diſpenſari poteſt validè, non tamen licitè. colligitur ex *Suar.tom.*3.*de relig.l.*9.*c.*26.*n.*5. & ex *Sanch.l.*8.*de matr. D.*8.*n.*10. patetq; ex doctrina, quā tradūt cōmuniter DD. cū *S.Thom.*2.2.*q.*88.*a.*12.*ad* 2. diſpenſationē datā ab inferiore in lege Superioris eſſe & illicitā, & inualidā, ſi id fiat ſine iuſta, ac rationabili cā; illicitā verò, ſed validam, ſi detur in lege propria, aut alterius inferioris; quæ doctrina ſine dubio militat in pręſenti caſu, vt facilè cōſtabit cōſiderāti.

127 Cæterum cauſa, quę requiritur ad huiuſmodi diſpenſationem, debet concernere publicam vtilitatem, non autem ſolum bonum priuatum religioſi, qui diſpenſatur. ita *Sanch.ſup.nu.*8. *Val.*2.2.*D.*6.*q.*6.*p.*7. *Metina l.*5. *de ſacrorum hominum continentia c.* 37. alijque con. *Richard.*4.*d.*38. *a.*9.*q.*10. *& Caiet.* relatum à *Sanch.nu.*2. probant, tum quia non poteſt occurrere bonum priuatum tanti momenti, quanti opus eſt, vt tanto malo, & ſcandalo publico valeat comparari, quantum ex matrimonio Religioſi ſequeretur, quodq; compenſet tantum bonum, quantum eſt Religioſorum continentia: tum quia dedecet præferri bonum viri priuati detrimento totius ſtatus religioſi: tum quia alioqui frequentiſſimè cōcedendæ eſſent tales diſpenſationes; cum valdè frequēter occurrere poſſit bonum priuatum Religioſi ſuadens conceſſionem talis diſpenſationis, quod ſine dubio quā maximè labeſactaret ſtatū religioſū.

QVÆRES XVI. An Religioſus diſpenſatus ſine cauſa ſufficienti ad contrahendum matrimonium licitè poſſit vti tali diſpenſatione.

128 ℞. Poſſe vti licitè quo ad contrahendum matrimonium; cum impedimentum per talem diſpenſationem ſublatum ſit iuris humani, ideoque à Papa validè tolli poſſit, etiam ſine cauſa, ſicut diximus *q. præcedenti*; non item quo ad matrimonium primò

con-

conſummandum, ſiue petendo, ſiue reddendo, neque ad petendum poſt primam conſummationem. & ratio eſt, quod, cũ votum Caſtitatis iure diuino naturali impediat vſum matrimonij, eoque contracto obliget ad abſtinendum à petitione debiti: diſpenſatio quo ad hoc eſt irrita, vt pote data ſine iuſta cauſa, ideoque fruſtratur ſuo effectu; quamquam dato quod iam ſit contractum matrimonium, adſit iuſtiſſima cauſa diſpenſandi, vt contrahentes petere poſſint debitum: idque ob præſentaneum periculum incontinentiæ. ita *Sanch. ſup. num.* 10. alijque ab ipſo relati, quorum doctrinam tamen non omninò admittit.

129 Et certè quod diſpenſatus ſine cauſa licitè poſſit vti diſpenſatione, & non teneatur illam renunciare, ſi à Superiore facta ſit in propria lege, probat *Baldel. l. 5. ſum. theol. D. 52 numero* 12. quia data diſpenſatione non poteſt diſpenſatus ex propria voluntate iterum ſe obligare ad legem, in qua fuit diſpenſatus, ac deobligatus: neque tenetur recurrere ad Superiorem, vt iterum illum obliget; ſed ſatis habet, ſi obligationem illam acceptet caſu, quo iterum per legitimam poteſtatem imponeretur. quæ doctrina eſt vera, etiam ſi diſpenſatus Superiorem induxerit ad diſpenſandum: ſiquidem peccatum, quod committit ſic inducendo, in ipſa inductione fuit conſummatum, & non continuatur vlterius, ſicut continuatur peccatum illius, qui modo dicto diſpenſauit: cum diſpenſatus non poſſit ſe ex propria voluntate rurſus obligare ad legem, vt iam dictum eſt.

QVÆRES XVII. Quænam debeant exprimi in petitione talis diſpenſationis ad hoc, vt ea cenſeri debeat legitima, non autem ſubreptitia.

130 ℟. Debere exprimi illa omnia, quæ vel iure iubentur exprimi, vel ſunt talia, vt iis expreſſis, diſpenſatio aut ſimpliciter denegaretur, vel concederetur ſolùm cum aliqua moderatione. ratio eſt, quod alioqui diſpenſatio cenſetur inuoluntaria, vt pote proueniens ex errore verſante circa cauſam finalem; cum tamen nihil magis tollat voluntarium, quam error: conſtat autem diſpenſationem, quę eſt inuoluntaria ex parte concedentis, eſſe nullam, adeoque nullum operari effectum; cum non entis nullæ ſint qualitates. qua de re conſulatur *Sanch. ſup. D.* 21. *per totam.*

131 Concedo tamen, quod ſi Religioſus petiturus diſpenſationem ad matrimonium contrahendum aliàs vouiſſet non nubere, aut ſæpiùs repetiiſſet votum ſimplex Caſtitatis; nequaquam teneretur hęc exprimere; cum hæc comprehendantur in voto ſolemni Caſtitatis tanquam partes in ſuo toto, & conſequenter diſpenſatio cadens ſuper votum ſolemne Caſtitatis religioſæ, quod eſt votum totalis Caſtitatis, extendatur etiam ad illa alia vota, quæ vel ſunt vota Caſtitatis partialis, vel repetitio eiuſdem voti, ſolum accidentaliter differentis à voto ſolemni.

132 Sic etiam puto, quod ſi Religioſus talem diſpenſationem petiturus vltra impedimentum ſtatus religioſi haberet aliquod aliud impedimentum indigens diſpenſatione (eo quod v. g. in gradu prohibito ſit conſanguineus, aut affinis ei, quam intendit ducere in vxorem) non tenetur ea omnia ſimul manifeſtare in eadem diſpenſatione, ſed poteſt petere priùs diſpenſationem ſuper impedimento ſtatus religioſi & poſtea ſuper conſanguinitate, aut affinitate, ſicq; deinceps. ratio eſt tum quia nuſquam habetur in diſpenſatione vnius impedimenti reliqua eſſe manifeſtanda, ideoque non debet imponi tale onus diſpenſato: præſertim cum vnum impedimentum integrè poſſit manifeſtari ſine alio, & integrè cognoſci cauſa tollendi illud; tum quia, teſte *Gloſſa* communiter recepta in *c. ex parte v. redire de offic. ordin.* ligatus pluribus excommunicationibus obtinere poteſt abſolutionem ab vna, alijs tacitis, eſtò ex vna excommunicationis abſolutione non reddatur habilis ad diuina. ita *Sà v. diſpenſatio n.* 16. *Nau. l. 4. conſ. de conſanguinit. & affin. conſ.* 1. *Sanch. l. 8. de matr. D.* 23. *num.* 1. alijque contra plures alios relatos ab eodem *Sanch. n.* 2. quorum poſteriorum opinionem ipſe ſequitur, tanquam longè probabiliorem.

At dubitari poteſt, an Religioſus petens talem diſpenſationem, ſi ea aliàs ipſi fuit negata, teneatur id exprimere in petitione diſpenſationis.

133 ℟. Probabile eſſe non teneri: cum id neque ex iure, neque ex curiæ ſtylo, neque ex conſuetudine habeatur: idque ſiue ſit idem Superior, qui aliàs negauit, ſiue alius, etiam inferior. ita *Suar. l. 6. de leg. c.* 21. *n.* 1. *& ſeqq. Baſil. l. 8. de matr. c.* 17. *nu.* 3. *Sanch. ſup. D.* 22. *n.* 14. *Caſtr. Pal. tr. 3. D. 6. p. 16. §. 4. nu.* 1. addens ex citatis DD. non obſtare valori diſpenſationis, quod ſi Superior ſciret ſe aliàs negaſſe, etiam modo negaret: ſiquidem in tali caſu non negaret ex cauſa concernente diſpenſationem, ſed ex cauſa ſatis extrinſeca diſpenſationi, qualis eſt negaſſe illam.

QVÆRES XVIII. An, & quando diſpenſatio conceſſa Religioſo ad matrimonium contrahendum intelligatur extingui primo inito matrimonio.

134 ℟. Non extingui, ſi diſpenſatio ſit abſoluta, & diſſoluto priori matrimonio adhuc vigeat cauſa diſpenſationis; ſecus, ſi non vigeat: vt ſi Religioſus fuit diſpenſatus, quod deeſſet ſucceſſor in regno, & ex primo matrimonio habuit ſobolem; vel certè illud in ea ætate diſſolutum eſt, vt iam ſit impotens ad generandum; tunc enim non poſſet vi datæ diſpenſationis tranſire ad aliud matrimonium. ita *Sanch. ſup. D.* 31. *nu.* 12. in terminis; & probatur, quia ex vna parte verba diſpenſationis non ſunt reſtricta, vt non poſſint extendi, niſi ad vnum matrimonium: ex alia parte actus non operantur vltra intentionem agentium *c. quemadmodum de iureiur.* in omni autem diſpenſatione ſubintelligitur conditio *dummodò cauſa permaneat*: aliàs iniquus eſſet diſpenſator, ſi intenderet ſuam diſpenſationem extendi ad caſum, in quo cauſa omninò ceſſaret: idque maximè in voto, in quo cauſa requiritur ad valorem diſpenſationis: vnde mirum non eſt diſpenſationem in priori caſu extendi ad aliud, & aliud matrimonium, in poſteriori verò extingui primo matrimonio inito.

QVÆRES XIX. An Religioſus diſpenſatus ad matrimonium contrahendum eò ipsò eximatur à votis religioſis, alijſque obſeruantijs regularibus.

135 ℟. Regulariter eximi: quãuis talis exẽptio non ſit totalis relaxatio obligationis, qua adſtringitur Reli-

gioſus circa vota,&obſeruãcias proprij Ordinis,ſed potiusſuſpenſio quędã durans pro eo tempore,quo vi diſpenſationis manebit extra religionem. deſumitur ex *Suar.tom.3.de relig.l.8.c.18.num.15.*& probatur tum quia ip amet translatio ab ſtatu monachali ad ſæcularem eſt ratio ſufficiens diſpenſandi modo dicto in votis, & alijs obſeruantijs regularibus vt pote annexis ſtatui religioſo: tum quia, ſicut aduertit Suar. & nos etiam notauimus *cap.præced.ſect.5.ſubſect.1.q.16.* in ijs caſibus, in quibus de facto legitur Papam diſpenſaſſe in matrimonio monachi, aut Monialis, ſignificatur ſemper diſpenſaſſe in omnibus votis. Quamquam, vt dixi, talis diſpenſatio non ſit totalis relaxatio obligationis, ſed potiùs ſuſpenſio quædam durans ſolum pro tempore, quo Religioſus diſpenſatus manet extra religionem; vnde, ſi poſtea redeat ad religionem, non indiget noua profeſſione,ad hoc vt ſit verè, & propriè Religioſus: quod non verificaretur, ſi obligatio votorum eſſet omninò ablata, vt patet.

QVÆRES XX. An Religioſus diſpenſatus ad matrimonium teneatur ad horas canonicas, etiam pro tempore, quo manet extra Religionem.

136 ℞. Non teneri, vt probabimus in *tract. de obligat.c.8.ſect.2.q.5.* & docet expreſſè *Sanch.l.8.de matr.D.8.num.11.*

QVÆRES XXI. An Religioſus diſpenſatus ad matrimonium recuperet ius eligendi ſepulturam.

137 ℞. Recuperare ex dicendis in *tract. de priuileg.c.5.ſect.4.ſubſect.1.q.7* vbi hac de re commodiùs agemus.

QVÆRES XXII. An dato quod omnes laici perirent, & ſoli ſupereſſent religioſi,hi tenerentur nubere ad procreandos filios.

138 ℞. *Auerſa q.1.de matrim.ſect.2.§.ſi tamen ex Durando, Palud.Vaſq.Ledeſma, Syluio Rebello, ac Pontio* non teneri; probatque quia data hypotheſi, Religioſi potius prudenter exiſtimare deberent imminere finem mundi, & conſummationem ſæculi; & per hoc Deus ſufficienter indicaret ſe velle mundi curſum, ac hominum propagationem terminare, niſi ſuperiori ſua prouidentia aliud reuelaret:oppoſitum tamen ſuſtinent *Sanch.l.2.de matr.D.3.num 4. Reginald.l.31.c.2.num.8.Diana p.3.tr.4* reſolut. 289. alijque & meo iudicio non improbabiliter: cum præceptum matrimonij ſit naturale, & obliget vrgente neceſſitate:ſicut maximè vrgeret in caſu propoſito: non enim ſecluſa Dei reuelatione conſtare poſſet mundi finem adeſſe.

Addo quod,ſi mortuis omnibus ſæcularibus viris, ſupereſſent tum aliqui Sacerdotes ſæculares, tum aliqui Religioſi :admiſſa opinione *Sanchez* tunc ad conſeruandam ſpeciem humanam poſſent,& deberent priùs nubere Sacerdotes ſæculares:& ratio eſt, quod ſic ſufficienter conſuleretur præſenti neceſſitati generis humani; & aliàs in vſu diſpenſationis à iure ipſo naturali (vt ita dicam) conceſſæ debitus ſeruaretur ordo,in eo conſiſtens, quod ſicut Eccleſia in caſu propoſito faciliùs diſpēſaret cum Sacerdote ſęculari,quam cum Regulari;ſic etiam diſpenſatio hæc iuris naturalis priùs exerceretur cum Sacerdotibus ſæcularibus,vt pote minùs forti vinculo adſtrictis ad obſeruantiam Caſtitatem,quam ſint Regulares profeſſi, vt patet.

CAPVT IV.

De Voto religioſæ Obedientiæ.

INter tria vota ſubſtantialia religionis vltimum locum obtinet votum Obedientię, cum tamen, teſte S.Tho.2.2.q.166.a.8. inter ea ſit omnium præſtantiſſimum; hinc explicatis ijs, quæ ſpectant ad votum Paupertatis, et Caſtitatis, reliquum eſt, vt in præſenti cap.diſſeramus de ipſo voto Obedientiæ Caput diuidemus in 6.Sectiones; in quarum prima agemus de natura voti Obedientiæ religioſæ, alijſq;ad eam pertinentibus: in ſecunda de obligatione ex eo prouenientе: in tertia de illius materia, ſeu obiecto: in quarta de iis,quibus parendum eſt ex voto religioſæ Obedientię: in quinta de eius violatione: in ſexta de diſpenſatione illius.

SECTIO I.

De Natura voti religioſæ Obedientiæ, alijſque ad ipſam pertinentibus.

1 *EXplicatur ratio Voti religioſæ Obedientiæ.*
2 *Definitur Obedientia in commune.*
3 *Obedientia alia materialis, alia formalis.*
4 *Obedientia religioſa differt à traditione, quæ fit in profeſſione.*
5 *Eſt de eſſentia ſtatus religioſi.*
6 *Declaratur ſolemnitas Voti Obedientiæ.*
7 *Per eam voluntas religioſi profitentis plenè ſubditur Prælato.*
8 *Traditio religioſa Obedientia voto firmata ex iure ſolum Eccleſiaſtico non ſufficit ad ſe obligandum ſine Prælati conſenſu.*
9 *Idque item operatur traditio,quæ fit in Soc.Ieſu per votum ſimplex obedientiæ.*
10 *Obedientia varia eſt quo ad obiectum pro varietate Ordinum.*
11 *Eſt tamen eiuſdem rationis quo ad ſubſtantiam.*
12 *Reſpicit per ſe Superioris præceptum.*
13 *Intellige ad hoc,vt fiat actus voti Obedientiæ.*
14 *Simpliciter melius eſſet imperare Religioſis per præcepta formalia, ſed non expedit.*
15 *Actus præſcriptus à Prælato ſine præcepto formali, ex duplici titulo dici poteſt actus Obedientiæ.*

16 *In*

16 *In aliquibus expedit obedire ſine præcepto formali, in alijs non.*
17 *Obedientiæ gradus ſunt 4.*
18 *Referuntur conditiones perfectæ Obedientiæ.*
19 *Obedientia debet eſſe voluntaria.*
20 *Operari ex affectu, & operari cum affectu ad rem iuſſam differunt.*
21 *Obedientia Deum agnoſcit in Prælato præcipiente.*
22 *Conſiderandus eſt Deus in Prælato præcipiente.*
23 *Debet eſſe cæca, ſed prudens.*
24 *In dubio, an res præcepta ſit licita, obediri poteſt ex ſola authoritate Prælati præcipientis.*
25 *Obiectum Obedientiæ aliud proximum, & aliud remotum.*
26 *Votum Obedientiæ eſt præſtantiſſimum ex genere ſuo.*

QVÆRES I. Quid ſit votum religioſę Obedientiæ.

1 ℞. Eſſe promiſſionem, qua religioſus propriam ſubijciens voluntatem prælato regulari ſe obligat ad parendum ei in omnibus, quæ poſſunt cadere ſub obiectum virtutis Obedientiæ. Vbi notandum ex *Suar. tom. 3. de relig. lib.* 10. *cap.* 2. *num*, 13. quod, cum votum Obedientiæ fieri poſſit, vel cum duplici promiſſione, quarum vna fiat Deo, & altera homini; vel cum vna tantùm, quæ fiat Deo; votum religioſæ Obedientiæ probabile eſt fieri priori modo, nimirum & Deo, & homini: idque tum ex iure, ac conſuetudine; tum ex fine, ſeu effectu, quatenus religioſus ex vi talis voti cogi poteſt à prælato ad obſeruantiam regularum. ita *Suar. ex S. Thom.* 2.2. *q.*88. *a.*5. hinc inferens quod, cum aliqui Conuerſi non profiteantur religionem, ſed ſolùm ineant pactum cum illa, ſe obligantes ad eius obſequia, non faciunt propriè votum Obedientiæ, ſed pactum quoddam humanum, ideoque ſi illud non ſeruent, non ſunt vllius voti tranſgreſſores.

Quod ſi quæras quid, & quotuplex ſit obedientia.

2 ℞. Eſſe ſpecialem virtutem, qua quis aliquid facit, quia præceptum; ita vt obedientia faciat id, quod præcipitur, non ſub quacumque ſpeciali ratione honeſti, ſed præcisè, quia præcipitur: quatenus ſcilicet ratione præcepti illud fit adeò neceſſarium, vt ſine aliquo contemptu interpretatiuo, & vilipenſione auctoritatis ſuperioris executio eius omitti non poſſit. ita *Leſſ. l.* 2. *cap.*46. *num.*23. notans *num.*32. Obedientiam dici quaſi obaudientiã, eò quod per illam præceptum ſuperioris audiatur, & admittatur.

3 Eſt autem duplex obedientia: alia materialis, & alia formalis; materialis eſt omne opus virtutis, quo impletur præceptum ſuperioris, licèt non ea intentione expreſsè fiat: ſatis enim eſt ea intentione potuiſſe fieri, & quod ſi talis intentio adeſſet, ei ſuperadderet rationem formalem obedientiæ: obedientia formalis eſt virtus ſpecialis, quę facit aliquid, quia præceptum eſt. ita Doctores communiter.

QVÆRES II. An votum religioſæ obedientiæ ſit aliquid indiſtinctum à traditione, quæ fit in Profeſſione religioſa, & quid ei ſupperaddat.

4 ℞. Eſſe formaliter aliquid diſtinctum; & probatur; quia promiſſio, in qua conſiſtit ratio voti, & traditio genere differunt; cum promiſſio in rigore, & propriè ſumpta, & reſpectu eiuſdem rei includat negationem traditionis; non ſecus ac futurum, vt futurum includit negationem præſentis, & ius ad rem, quod paratur ad ius in re; quod ſi promiſſio, & traditio ſic differunt, repugnat dari votum includens in ſua ratione formali propriam traditionem, vtpote quod continet veram promiſſionem; ergo cum votum obedientiæ religioſæ ſit votum, & conſequenter promiſſio; & ipſa traditio, quæ includitur in profeſſione, ſit item vera donatio, ac traditio: ſequitur ea ita formaliter diſtingui, vt quamuis neceſſariam connexionem habeant in profeſſione religioſa, neutrum tamen intrinſecè includat alterum. præter quam quod vi traditionis acquirit religio ius proprium, & quaſi dominium in Religioſum profitentem; per votum vero obedientiæ propriè non acquiritur ius religioni, ſed Deo; cum votum vt votum ſoli Deo obliget. ita *Suar. ſup. cap.*5. *num.*5. concludens *cap.*6. *n.*9. votum obedientiæ, & traditionem religioſam ita comparari inter ſe, vt votum augeat quaſi intenſiuè obligationem parendi, Prælato ex ipſa traditione conſurgentem, augendo obligationem circa idem; & hoc addendo obligationem nouam, & natura ſuâ excellentiorem.

QVÆRES III. An votum obedientiæ ſit de eſſentia ſtatus religioſi.

5 ℞. Eſſe, & quidem ita, vt teſte *S. Tho.* 2.2. *q.*186. *a* 8. non poſſit eſſe religio ſine illo, & inter vota ſubſtantialia religionis principem locum teneat; vnde fit, vt in aliquibus religionibus ſolùm fiat profeſſio cum voto obedientiæ: vt in Ordine Prædicatorum, qui ſolùm profitentur obedientiam ſecundùm regulam S. Auguſtini (vt conſtat ex eorum Conſtitutionibus *d.*1. *cap.*15.) & in religione Carthuſianorum, qui in profeſſione promittunt ſolùm ſtabilitatem, & obedientiam, & conuerſionem morum, nulla mentione facta paupertatis, & caſtitatis. ita Val. *to.*3. *D.*10. *q* 4 *p.*2. *Leſſ. l.*2. *cap.*41. *nu.*6. Miranda *to.*1. *manual. q.*26. *a.*1. Lezana *tom.*1. *cap.*4. *num.*1. alijque communiter; & probatur; tum quia de eſſentia ſtatus religioſi ſunt tria vota ſubſtantialia religionis, vt tradunt communiter DD. cum S. Tho. *ſup. a.*3. 4. & 5. conſtat autem inter ea enumerari etiam obedientiam: tum quia ſtatus religionis conſiſtit in quadam diſciplina, ſeu exercitio virtutum, quo ad perfectionem peruenitur: at illi, qui tanquam diſcipuli exercentur in aliquo, neceſſe habent dirigi ab alio, quod fit per obedientiam: tum quia Religioſus ſtatus eſt quoddã holocauſtũ, quo homo omnia ſua Deo conſecrat; ergo cum per paupertatem offerat Deo bona externa, per caſtitatem corpus, neceſſe eſt vt & animam offerat, ſubijciens proprium iudicium, & voluntatem in rebus agendis Superiori propter Deum, quod vtique fit per obedientiæ votum: tum denique quia votum obedientiæ includit votum paupertatis, & caſtitatis; ideoque qui illud ſolum emittit in religione approbata, verè fit Religioſus: quod non habet verum in alijs votis, vt notauit Miranda loco citato.

QVÆ-

QVÆRES IV. In quo conſiſtat ſolemnitas voti obedientiæ religioſæ.

6 ℟. Iuxta dicta *cap. 1. ſect. 1. q. 8.* conſiſtere in eo quod cum certis ceremonijs, ac ſolemnitatibus iure præſcriptis ſit coniunctim profeſſioni religioſæ vna cũ alijs 2. votis ſolemnibus religionis, & vt alibi diximus, vno, ac eodem contextu; habetque hunc effectum ſibi omninò proprium, quod ita ſubijcit voluntatem vouentis Prælato, (& quidem per traditionem abſolutè perpetuam cum vinculo, & obligatione irreuocabili ex vtraque parte, Religioſi ſcilicet, ac religionis,) vt ſine conſenſu dicti Prælati volũtas religioſi ſit inefficax ad omnem ciuilem, aut naturalem obligationem per contractum, aut quemcumque alium modum contrahendam; & ſi detur eam validè obligari poſſe naturaliter, obligatio non eſt firma, nec irreuocabilis, ſed poteſt irritari à Prælato; proportionaliter vt tradunt DD. de votis Religioſorum. hic autem effectus eſt moralis, & prouenit ex voto obedientiæ, non quidem quatenus includit promiſſionem (alioqui idem effectus haberetur etiam ex voto ſimplici obedientiæ; cum tamen reuera non habeatur) ſed quatenus importat ſolemnitatem; ergo in tali effectu, & non alio conſiſtet ſolemnitas voti religioſæ obedientiæ.

Quod ſi dicas ſolemnitatem voti obedientiæ debere potius conſtitui in traditione, quam Religioſus facit ſui ipſius in profeſſione: eo quod impotentia illa, quæ reperitur in voluntate religioſi ad firmiter ſe obligandum, pendet ex poteſtate dominatiua, quam Prælatus acquirit in voluntatem religioſi profitentis, non quidem ex vi promiſſionis, quæ fit in voto obedientiæ, ſed ex vi traditionis, quam religioſus facit prælato, ſe conſtituendo ſub eo tanquam pupillus ſub tutore.

7 ℟. Quod, cum traditio religioſa, etiam firmata voto obedientiæ, non habeat ex ſolo iure naturæ, & ſine adminiculo iuris canonici vim ita ſubijciendi voluntatem religioſi voluntati Prælati, vt modo dicto reddatur impotens ad validè, & firmiter ſe obligandum ſine conſenſu prælati (vt modò probabimus). & Eccleſia numquam tribuerit hanc vim irritandi obligationes contractas à religioſo ſubdito, vel ſoli voto obedienriæ ſeparatim à traditione facto, vel ſoli traditioni per ſe ſumptæ, ſed vt confirmatæ per votum Obedientiæ, & principaliter propter illud; proprerea efficacia ſubijciendi volũtatem religioſi in tali gradu; & tali modo poſita, & ſolemnitas per Eccleſiam inducta in voto obedientiæ principaliter attribuitur ipſi voto, non autem traditioni: quippe quæ ſunt effectus proprius profeſſionis religioſæ, (in qua traditio ſe habet veluti materiale, & votum veluti formale, non ſolùm firmans obligationem parendi, ſed etiam illam complens, & maximè Deo conſecrans.

8 Et quidem quod traditio religioſa etiam firmata voto obedientiæ non habeat ex ſolo iure naturali vim reddendi inefficacem voluntatem vouentis ad validè, ac firmiter ſe obligandum abſque conſenſu prælati regularis, ſed potius ex iure eccleſiaſtico, & conſequenter poſitiuo, ac humano; inde probatur quo ad obligationem ciuilem, ex eo quod ipſamet ciuilis obligatio, quantum ad inſtitutionem ſuam eſt de iure humano, adeoque illius incapacitas erit iuris item humani: quo ad obligationem verò naturalem, quia traditio religioſa cum voto obedientiæ non irritat vota, aut alias naturales obligationes religioſorum ipsò factò ex iure naturæ; nam tenent, & obligant, quamdiu non irritantur: ergo nec facit illa directè irritabilia ex natura ſua; cum ſit par ratio ad vtrumq; ſtante quod vtrumque prouenire debet ex poteſtate quaſi dominatiua, quæ acquiritur à prælato ſupra voluntatem religioſi vouentis eiuſque actus, & poteſt extendi ad vtrumq; dato quod vouens velit propriam voluntatem ſubijcere quo ad vtrumque.

9 Dixi in reſponſione principali *& quidem per traditionem abſolutè perpetuam cum vinculo, & obligatione irreuocabili ex vtraque parte:* vt innuerem poſſe dari votum obedientiæ annexum traditioni religioſæ, & habens eandem efficacitatem ſubordinandi voluntatem vouentis prælato ita, vt ſine eius conſenſu non poſſit firmiter obligari: quod tamen non eſt, nec dici poteſt votum ſolemne obedientiæ (cuiuſmodi eſt votum obedientiæ, quod faciunt religioſi Soc. Ieſu tum poſt biennium probationis, tum quando formantur in Coadiutores ſiue ſpirituales, ſiue temporales) propterea enim tale votum non eſt ſolemne, quod non includit traditionem abſolutè perpetuam, ac irreuocabilem ex parte tam religionis, quam religioſi, ſed ſolùm ex parte religioſi, religione interim manente libera ad eum dimittendum, ſi iuſta occurrerit cauſa. Vbi inprimis aduertendum eſt nõ afferri quidem iura eccleſiaſtica, quæ ſufficienter euincant in iure canonico fundari, ſeu inſtitui incapacitatem illam contrahendi: id tamen ſatis probabiliter colligi ex communi traditione Eccleſiæ, poſito ꝙ modus, ac effectus religioſę Profeſſionis numquam fuerit in eccleſia ſine aliqua eius approbatione, aut confirmatione, & talis approbatio, & confirmatio conſequenter influxerit in effectus ipſiuſmet profeſſionis, adeoque in præfatam incapacitatem, quam diximus eſſe effectum profeſſionis.

QVÆRES V. An votum religioſæ obedientiæ ſit eiuſdem rationis in omnibus religionibus.

10 ℟. Quod cum obedientia voueatur iuxta cuiuſque Ordinis Inſtitutum, regulas, ac conſtitutiones: ſicut eæ in diuerſis religionibus ſunt diuerſæ, ſic & diuerſa erit poteſtas præcipiendi, & neceſſitas obediendi, & per conſequens etiam ipſum votum obedientiæ, in quo dicta poteſtas, ac neceſſitas fundantur: diuerſa inquam, non quidem diuerſitate intrinſeca, ac eſſentiali (quo modo votum obedientiæ eſt eiuſdem rationis in omnibus religionibus, vt mox probabimus) ſed obiectiua, ac terminatiua: quatenus ſcilicet obiectum, circa quod verſatur votum obedientiæ in vno Ordine extenditur ad plura obiecta, in alio ad pauciora iuxta diuerſitatem regulæ, ac conſtitutionum, quæ in ijs obſeruantur. Vnde in *regulis minorum cap. 10.* iubentur Fratres obedire in omnibus, quæ non ſunt contra regulam, vel animam: cum Religioſi aliorum Ordinum non teneantur obedire, niſi in ijs, quæ ſpectant ad propriam regulam, aut certè ordinari poſſunt

ſunt ad vitam regularem; ſicut aduertit *Miranda to. 1. manu: qu. 26. a. 12. in Conſtitutionibus* vero *Soc. Ieſu p. 3. cap. 1. §. 23. & p. 6. cap. 1. toto* §. 1. dicitur obediendum eſſe in omnibus, in quibus manifeſtum peccatum non cernitur; quamquam *Sanch. l. 6. mor. cap. 2. num. 16.* ex *Corduba* dicat eiuſmodi verba, ſicut & illa alia, quæ modò retulimus ex regulis Minorum, quo ad rigorem obedientiæ intelligi debere cum hac limitatione, dummodo non excedant limites regulæ: quod etiam notauit *Laym. l. 4. tr. 5. cap. 9. num. 2.* dicens præfata verba intelligenda eſſe ſecundum perfectionem Obedientiæ, ad quam contendere debemus: non quatenus obediendi neceſſitas eſt ex voto; quod eſt contra *Leſſium lib. 2. cap. 41. num. 75.* putantem ſenſum illorum verborum eſſe, quod religioſus Societatis tenetur ex vi voti obedire in iis omnibus, in quibus manifeſtum peccatum non cernitur.

11 Quod verò votum Obedientiæ ſit eiuſdem rationis in omnibus religionibus, ſi ſpectetur ſecundùm ſuam intrinſecam, & eſſentialem rationem; conſtat ex eo quod iuxta dicta *q. 1.* Obedientia formalis, pro vt eſt virtus ſpecialis, eſt virtus inclinans ſubditum ad exequendum Superioris præceptum, vt præceptum eſt: ſeu (quod in idem recidit) eſt ratio inclinans ad obediendum, eò quod Superior id præcipiat; vnde, ſi ſubditus non exequatur præceptum ſuperioris, quatenus præceptum eſt, non exercet actum formalem obedientiæ, vt eſt virtus ſpecialis: conſtat autem id æqualiter requiri in omnibus Religionibus, ideoque dicendum eſt votum obedientiæ quo ad hoc eſſe eiuſdem omninò rationis in omnibus illis: eſtò diuerſitatem admittat in obiecto, ſeu termino, vt iam oſtendimus.

QVÆRES VI. Qualiter votum Obedientiæ reſpiciat præceptum ſuperioris.

12 ℞. Ita reſpicere, vt non poſſit fieri à religioſo formalis actus obedientiæ, niſi vbi interuenit proprium præceptum Superioris. eſt communis DD. cum *S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2. ad* 1. & probatur, quia in omni virtute ad eliciendum proprium, & internum ſpecificum actum eius, neceſſe eſt operari ex proprio motiuo illius (quod vocant obiectum formale, ſeu rationem formalem ſub qua;) idque iuxta Ariſtotelem *2. ethic. cap. 4.* vbi dicit tunc aliquem operari iuſtè, quando operatur *ſciens, & eligens propter ipſa*: ergò, vt quis operetur actum proprium, & ſpecificum obedientiæ, opus eſt, vt velit operari ob ipſam, ideſt propter formale motiuum obedientiæ, nimirum ob honeſtatem, quæ in ea reperitur; ergò, cum tale motiuum ſit facere aliquid præceptum, quia præceptum (vt innuimus etiam *q. 1.*) ex hoc motiuo operandum eſt ſaltem, vt eliciatur actus voti obedientiæ.

13 Dico ſaltem, *vt eliciatur actus voti Obedientiæ*; ſi enim loquamur ſimpliciter de actu obedientiæ ſpecialis vt ſic, maior inſurgit difficultas, an ad illum requiratur ex parte obiecti præceptum ſuperioris, aut certè ſufficiat voluntas ſignificans ſubdito quocumque modo, ratio difficultatis eſt, quod ex vna parte regulæ, & ſtatuta Religionum ſæpè non obligãt ad vllam culpam, & ipſa ſimplex iuſſio ſuperioris non cenſetur obligare ad culpam, niſi addatur in virtute ſanctæ obedientiæ, vel quid ſimile: & nihilominus in obſeruatione talium regularum constitutionum, ac iuſſionum cenſetur exerceri obedientia, ſiue formaliter, ſi res fiant ex dicta intentione, ſiue materialiter, ſi res ipſæ ſimpliciter fiant & tranſgreſſores illatum cenſentur inobedientes: quod eſt ſignum, obiectum illud ſufficere non ſolùm ad formalem actum, ſed etiam ad perfectum actum obedientiæ; ex alia parte obedientia reſpicit ſuperiorem, vt ſuperior eſt, non vt eſt amicus, vel vt prudens ad conſulendum, vel ſub alia ſimili ratione: conſtituitur autem ſuperior in ratione ſuperioris per poteſtatem dominatiuam, aut iuriſdictionis (ſi quidem, ea ſecluſa, omnes homines ſunt æquales) ergò obedientia reſpicit ſuperiorem, vt vtentem ſua poteſtate, aut iuriſdictione: nam, ſi ea non vtatur, non ſe gerit tamquam ſuperior, ſicque non habet locum actualis obedientia erga illum. dico *actualis*, quia reſpectu ſuperioris conſiderati, quaſi in actu primo, poterit dari actus obedientiæ aptitudinalis, ideſt propoſitum obediendi; quamquam etiam talis actus ſuo modo reſpiciat præceptum: quippequi reſpicit ſuperiorem, vt potentem præcipere. ſicut ergò, quamdiu ſuperior non vtitur propria poteſtate, non ſe gerit vt ſuperior, nec reſpectu obedientiæ ſe habet in actu ſecundo: ſic nec ſubditus exercere poteſt erga illum proprium actum obedientiæ, ſed ſolum propoſitum obediendi, quãdo materia occurrerit; quod ſi ſuperior mouet inferiorem vtendo ſua poteſtate ſuperioris, hòc ipsò ei neceſſariò imponit aliquam obligationem, & cõſequenter præceptum. Quæ ratio eſt adeo efficax, vt *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 4. c. 14. num. 14. & S. Thom.* aſſerat veram, & formalem obedientiam habere pro obiecto proprium præceptum, ſub proprio præcepto includendo etiam illud, quod obligat ſolum ad veniale.

Nec obſtat, quod ſic expediret imperare religioſis per propria præcepta, cum ſic operentur ex voto, & ſubinde cum maiori merito.

14 ℞. Enim in primis quidem id non videri expedire regulariter ob periculum lapſus (quo modo in aliquibus Religionibus ſolent Superiores in conceſſione licentiarum, quæ petuntur à religioſis ſubditis dicere *licentiam concedimus, &c. imò & præcipimus cum merito ſalutaris obedientiæ, &c.*) deinde verò augmentum illud maioris meriti ſuppleri poſſe per ipſam voluntatem religioſi obedientis; idque tum ob magis liberam, & ſpontaneam voluntatem, quæ oſtenditur præueniendo præceptum: tum ob intentionem, & præparationem animi ad idem libentiùs exequendum, ſi adderetur præceptum: tum denique quia etiam hoc genus obedientiæ exerceri poteſt ex motiuo religionis in cultum Dei, imò & referri ex intentione operantis ad obſeruationem ipſius voti obedientiæ, ſicque eius honeſtatem participare.

15 Præter quam quod ex duplici titulo ſpecifica, & formalis ratio obedientiæ adiungi poteſt actui præſcripto à ſuperiore, ſed ſine proprio præcepto. prior titulus eſt, ſi actus ille exerceatur intuitu cuiuſdam præparationis animi ad obediendum præceptis, quando neceſſe fuerit, & tollendi omne

omne periculum reſiſtendi, & contradicendi formali obedientiæ, ſi occurreret; quod vtique ſufficit ad hoc vt illa voluntas dicatur aliquo modo procedere ex ſpeciali virtute obedientiæ: cum omnis actus, qui fit intuitu honeſtatis alicuius virtutis, pertineat ad illam; ſiue elicitiuè, ſi illud ſit motiuum proximum; ſiue imperatiuè, ſi ſit finis remotus. poſterior titulus eſt, quod cum voluntas Prælati regularis etiam aliquid ſimpliciter ordinantis abſque proprio præcepto ratione officij habeat ſpecialem vim mouendi maiorem, & alterius rationis, quam habeat voluntas alterius amici; & inde in religioſo ſubdito ſequatur quædam naturalis obligatio conformandi voluntatem ſuam voluntati Superioris (ipſa ratione naturali exigente, vt inter has voluntates ſit conformitas, & ſubordinatio;) talis obligatio ſufficit ad hoc, vt ibi reperiatur obiectum proprium obedientiæ, vt eſt ſpecialis virtus: ſtante quod ſic ibi interuenit ratio aliqua præcepti, ſiue tacitè, ſiue expreſsè, ſiue directè, ſiue indirectè; quamquam, cum eiuſmodi præceptum ſit potius naturale, quam hominis; talis actus non dicatur eſſe ex voto obedientiæ, eſto ſit ex propria virtute obedientiæ. ita *Suar. numer.* 17. ex dictis inferens regulas religionis, etſi ex intentione legislatoris non ponantur, vt præcepta obligantia ad culpam vllam, neque venialem; nihilominus eo ipſo, quod ponuntur in hoc corpore politico, vt regula operationum, ex natura rei obligare aliquo modo ſaltem ſub veniali ad ſui obſeruationem quatenus turpis eſt pars, quæ ſine cauſa diſcedit à toto.

Vtrum verò melius ſit, quod Religioſi obediant ſimplici ordinationi Superioris, vel certè expectent proprium præceptum.

16 ℞. Sotus *l.7.de iuſt.q.2.a.4.* §. *titulo* in aliquibus rebus grauioribus, in quibus timeri poteſt periculum animæ, vel affectus proprij honoris, aut commodi, conſultiùs eſſe non moueri, niſi ex proprio præcepto Superioris: idque ex doctrina *S. Gregorij l.35.moral.c.* 10. aſſerentis obedientiam, per quam aliquid proſperum, id eſt humano affectui conſentaneum præcipitur, debere nihil habere de ſuo: vt cum locus ſuperior imperatur; cum alioqui habere de ſuo idem ſit, ac ex proprio deſiderio illum ſuſcipere, & non inuitum, ac nolentem illum acceptare. quanquam vt benè aduertit Suar. *ſup. l 6.cap.9. num.* 19. doctrina Soti non debeat ita generaliter intelligi, ſed cum limitatione; nimirum ea, quæ habent aliquid proprij commodi, vel in quibus ſubeſt graue periculum proprij nocumenti ſpiritualis, ex genere ſuo non eſſe expetenda, neque deſideranda, imò nec admittenda, ſine proprio præcepto Superioris: niſi in particulari ob ſpeciales rationes hic & nunc concurrentes iudicetur aliter expedire; ſi quidem in moralibus non poſſunt ex conſideratione vnius tantùm circumſtantiæ, aut proprietatis ferri generale iudicium, ſed opus eſt expendere omnia. quare concludit *Suar. num.* 20. quod licet in ijs miniſterijs, in quibus ineſt aliquid de ſuo, nunquam conſultum ſit oſtendere animum paratum, aut indifferentem, ne dum propenſum (cuiuſmodi eſt prælatio, ſeu locus regiminis) eo quod in ijs ſemper adſit periculum, ne homo ſe ipſum potiùs quærat, quam diuinam voluntatem; ſecus habet in ijs miniſterijs, in quibus ſubeſt difficultas, & periculum ſine admixtione honoris, aut commodi temporalis (vt eſt miſſio ad Indos) in his enim obedientia facilius acceptari poteſt ſine præcepto rigoroſo, cum ea nihil habeat de ſuo; & ſignum à poſteriori eſt, quod promptitudo in prioribus obedientijs non ædificat, ſed potius ex ſe infert ſcandalum, in poſterioribus verò ædificat, vt patet.

QVÆRES VII. Quot gradus conſiderari poſſint in religioſa obedientia.

17 ℞. Poſſe conſiderari 4. quorum primus eſt exterius exequi quod præcipitur: ſecundus eſt voluntatem ſuam omnino ſubijcere voluntati Superioris, itaut Religioſus libenter faciat propter Deum, quidquid Superior mandauerit: tertius eſt ſubijcere iudicium ſuum iudicio Superioris, credendo id melius eſſe: quartus eſt hæc obſeruare non ſolum in ijs, quæ ſtrictè præcipit, ſed etiam in ijs, quæ non præcipit, ſed ſolùm fieri deſiderat. ita *Leſſ.l.2. c.46.n.39.*

QVÆRES VIII. Qualis debeat eſſe executio obedientiæ præſcriptæ à Superiore Religioſo ſubdito, ad hoc vt ſit perfecta.

18 ℞. Debere eſſe promptam, abſque excuſatione integram, fortem, perſeuerantem, & in rebus non ſolùm obligatorijs, ſed etiam in alijs debet eſſe prompta, & quidem itaut etiam litera inchoata relinquantur, ſicuti dicitur in *6.p. conſtit. Soc. Ieſu c.1.§.1.* & refert *Caſſian. l.4. de inſtitut. renuntiantium cap.*12. ab antiquis religioſis ad literam fuiſſe obſeruatum: debet eſſe abſque excuſatione, quæ, ſcilicet, vel ſit contra id, quod promiſſum eſt (vt ſi profeſſus 4. votorum Societatis iuſſus obire miſſionem ſe excuſet ex eo præcisè quod non detur viaticum: cum id repugnet promiſſioni factæ) vel non ſit vera ſed ficta, aut colorata, vel quæ proueniat non ex ratione, ſed ex aliqua inordinata affectione; ſi enim excuſatio ſit iuſta, aut talis exiſtimetur, aut de ea probabiliter dubitetur, nulla eſt imperfectio, quod Superiori proponatur: vnde ait *S. Baſil. in regula* 119. *ex breuioribus: ſi cauſam te habere aliquam putas, quamobrem opus recuſes, hanc magiſtris indicato, eamque illis diſceptandam relinquito:* debet præterea eſſe integra fortis, & cum debita perſeuerantia, itaut executioni nulla pars deſit: denique debet eſſe etiam in rebus non obligatorijs; cum teſte *S. Bonau. de proceſſu relig. cap.*28. bonus obediens aliud non ſpectet, vbi de Superioris ſibi conſtiterit voluntate: quo pacto *S.Tho.2.2.q.104.a.5.ad* 3. diſtinguit in religioſis duplicem obedientiam, aliam ſufficientem, quæ reſpicit proprium præceptum, & aliam perfectam, quæ ordinatur etiam ad res non præceptas, & pertinet ad cumulum perfectionis.

QVÆRES IX. Qualiter debeat obedientia religioſa eſſe voluntaria ad hoc vt ſit omninò perfecta.

19 ℞. Quod, cum ad obedientiæ ſubſtantiam ſufficiat voluntas exequendi id, quod præcipitur; quicumque alius affectus adhibetur vltra talem voluntatem, & confert, vt opus ipſum vel ſtudioſiùs,

vel

vel promptius, ac libentius, fiat, pertinebit ad perfectionem obedientiæ, talis eſt pura illa, & formalis intentio obediendi propter obſeruationem præcepti, & voluntatem Superioris implendam, vel etiam proter voluntatem Dei, quæ in illa, & per illam applicatur: ſic quippe exercetur obedientia ex influxu altiorum virtutum, eſt vniuerſalior ex vi ſui motiui, & meliùs diſponit hominem ad obediendum in omnibus, vbi ſimilis ratio obedientiæ interuenerit. talis eſt, vt voluntas ſit non ſolùm abſoluta, ideſt efficax ad operandum (quod etiam eſt de neceſſitate obedientiæ) ſed integra, ideſt ſine vlla contradictione, ac repugnantia, quæ ſit ex aliqua inordinatione naturæ, aut conſuetudinis; v. g. ex vehementi impulſu appetitus ſenſitiui, aut ex nimio affectu ad rem aliquam: quamquam ſi non obſtante tali impulſu, aut affectu Religioſus promptè, & efficaciter obediat, eius obedientia dici poſſit perfecta, imò & interdum quaſi per antiperiſtaſim perfectior, licet aliàs aliquam ſupponat imperfectionem, vel habeat concomitantem in alio genere virtutis, aut affectus; vt benè notauit *Suar. ſup. l. 4. cap. 14. num. 19.* talis denique eſt vt Religioſus ad rem præceptam, quantum fieri poteſt, afficiatur: vt enim ait *S. Leo ſer. 4. de ieiun. 7. menſis, non dura neceſſitate ſeruitur, ubi diligitur quod iubetur*; quòd tamen non habet locum in caſu, quo præcipiatur aliquid conſentaneum inclinationi hominis; v. gr. aliqua actio honorifica, aut delectabilis, aut vtilis: tunc enim operari ex affectu ad rem præceptam reddit obedientiam non nihil imperfectam, niſi voluntas non obſtante tali affectu pro ſua libertate operetur ex puro motiuo obedientiæ; quod facilè poteſt euenire; maximè quando materia obedientiæ de ſe eſt repugnans ſenſui: tunc enim quod Religioſus ſit propenſus ad rem, quæ præcipitur, non diminuit perfectionem obedientiæ; cum ille alius affectus etiam ſit ex aliqua virtute per ſe diſponente ad virtutem obedientiæ, & habente maiorem connexionem cum illa.

20 Addit autem *Suar. nu. 21.* aliud eſſe operari cum affectu ad rem, quæ præcipitur, aliud ex affectu; nam primum dicit tantum concomitantiam; ideoque ex ſe nec auget, nec minuit perfectionem obedientiæ; cum affectus, qui non eſt cauſa actus, per ſe non det, aut tollat ab eo bonitatem; quod tamen non facit, quin ex accidenti talis affectus poſſit moraliter conferre ad perfectionem obedientiæ in omni materia: cum (quantum eſt ex ſe) tollat omninò impedimenta, & augeat voluntarium in obediendo, ſaltem remouendo prohibens; quamquam cum talis affectus, ſi ſit merè humanus, poſſit facilè inclinare voluntatem ad operandum potiùs ex humano motiuo, quam ob perfectionem obedientiæ; propterea in talibus rebus optima cenſetur illa obedientia, quæ nihil, aut parum habet de ſuo, vt iam diximus.

QVÆRES X. Qualis debeat eſſe obedientia religioſa ex parte intellectus ad hoc vt ſit, & dici poſſit perfecta.

21 ℟. Debere eſſe talem, vt Religioſus in actu obediendi conſideret Deum in Superiore, eleuando mentem ad apprehendendam ſupremam rationem, ac motiuum, propter quod obediendum eſt, nempe diuinam auctoritatem, & voluntatem; & vt excludat prudentiam carnis, non examinando, cur Superior hoc, aut illud præcipiat, vel cur potius ſibi, quam alteri, & ſimilia: quo ſenſu obedientia religioſa a SS. Patribus vocatur cęca, indiſcreta, ac inſipiens; cęca quatenus excludit proprium iudicium vitioſum, aut imperfectum, nitens iudicio Superioris; itaut, ſicut cęcus ab alio ducitur, & quaſi alienis oculis videt, ſic & ſubditus regatur iudicio Superioris: indiſcreta, quatenus non diſcernit, ſit ne licitum, an illicitum, quod imperatur; inſipiens, quatenus non ducitur ſapientia carnis.

22 Et certè quod Religioſus debeat conſiderare in obediendo Deum in perſona Superioris, docent non ſolum S.S. Patres, ex quibus *S. P. Ignatius in Epiſtola de obedientia* hæc habet: *Chriſtum D. in Superiore quolibet agnoſcere ſtudeatis, in eoque diuinæ maieſtati obedientiam, ac reuerentiam ſummam cum religione præſtare*: ſed etiam inde ſuadetur, quod cum Religioſi voto ſpeciali Deo conſecrent obedientiam, præceptum Pręlati quodammodo ęquiparatur, ac ſi eſſet latum immediatè à Deo: & hoc quantum ad formalem rationem obediendi, ſi perfecto modo fiat; quo ſenſu dixit *S. Bernard. in opuſc. de præcepto, & diſpenſat. cap. 12. Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus accipiendum eſt, quam ſi præcipiat Deus.* Vbi notanda eſt particula illa *certum*: cum enim certitudo alia ſit ſpeculatiua, quæ ſumitur ex conformitate ad rem; & alia practica, quæ habetur ex conformitate ad affectum operantis, & ad principia, per quæ moueri debet: prior certitudo non requiritur ad obedientiam licet perfectam, neque circa vtilitatem rei præceptæ ad finem intentum à Superiore, neque ad honeſtatem; non circa vtilitatem, niſi fortè ex reſolutione dubij, num res præcepta ſit vtilis, nec ne pendeat honeſtas actionis: non ad honeſtatem: cum in dubio, an liceat obedire, ſufficiat deponere dubium practicum, & firmiter iudicare, non obſtante eo dubio, licitum eſſe exequi opus præceptum: ſic enim prius dubium manet purè ſpeculatiuum, cum non ſit proxima regula operationis, ſed deponitur ex alijs principijs, & formatur certa conſcientia; ſicut rectè aduertit Suar. *ſup. c. 15. n. 17.*

23 Quod verò ad perfectionem obedientiæ requiratur, vt ſit cęca modo dicto, patet; tum quia hoc ipſum eſt valde neceſſarium ad conuenientem gubernationem; vt videre eſt in obedientia politica, œconomica, militari, & quacumque alia: nimis enim difficilè, imo moraliter impoſſibile redderetur omne regimen, ſi ſubditi ſemper deberent percipere rationes, & cauſas, quæ mouent Superiorem ad imperandum: tum quia Superior ſępè mouetur ad præcipiendum ex rationibus altioribus, ac vniuerſalioribus, quas ſubditus vel non poteſt percipere, vel non expedit ipſum ſcire: tum quia talis ratio obedientiæ eſt melior, & neceſſaria ad alias perfectiones obedientiæ, quales ſunt promptitudo, alacritas, perſeuerantia, & ſimilia, quæ cum diſſenſione iudicij vix haberi poſſunt, & includit exercitium tum humilitatis reuerentiæ, fiduciæ in Deum, tũ aliarumque virtutum; præter quam quod ſic tol-

luntur

luntur cogitationes, & diſcurſus, qui poſſent impedire perfectionem obedienriæ. ita *Suar. ſupr. nu.* 29. monens *n.* 30. non tolli per hanc obedientiæ ſimplicitatem ſufficientem diſcurſum, ac diſcretionem ad non parendum in rebus illicitis.

An autem in dubio, vtrum res præcepta, ſecundum ſe, & ſepatata à præcepto Superioris ſit licita poſſit Religioſus formare conſcientiam, quod obediendum ſit, ex eo pręcisè quod Superior rem illam præcepit; itaut ſola authoritas Prælati præcipientis ſit ratio deponendi illud dubium: idque iuxta regulam, quam in præſenti materia tradunt SS. Patres obediendum eſſe in ijs, quæ non eſt certum diſplicere Deo.

24 ℞. Videri poſſe, ideoque regulam illam S.S. Patrum, ſi rectè explicetur, vel eſſe generalem, vel pati tam raram, ac extraordinariam exceptionem, vt moraliter abſolutè ſtatui poſſit. Vel ergo dubium eſt negatiuum, eo quod ſubditus nec habeat poſitiuam rationem indicandi malum eſſe, quod præcipitur, neque credendi illud eſſe honeſtum ſecluſo præcepto: vel eſt poſitiuum, ideſt ortum ex poſitiua auctoritare, aut ratione in contrarium. ſi primum, generaliter verum eſt præceptum Superioris ſufficere, vt ſubditus illi innixus certò iudicet ſibi licere, quod præcipitur, cum in tali caſu Superior ius ſuum exigat, & in dubio melior ſit conditio poſſidentis. ſi ſecundum, expendi debent rationes, vel auctoritates quæ dubitare cogunt an ſit honeſtum id, quod præcipitur; ſiue dubium ſit circa factum (v.gr. an reuelatio talis peccati ſit vera detractio, & infamatio proximi) ſiue circa ius (v. gr. an liceat nunc comedere, lege ieiunij id prohibente;) & tunc ſi reperiatur rem de qua dubitatur, eſſe ex vtraque parte probabilem, generaliter etiam verum eſt adiuncto pręcepto Superioris obediendum eſſe: ſi quidem cum vtraque pars ſit probabilis, ſuperueniente ratione obedientiæ, pars illa fit eligibilior; ſecus ſi ſecluſo præcepto Superioris cognoſcatur ita probabile eſſe, actum, de quo agitur, eſſe malum, vt oppoſitum neque ſit probabile: tunc namq; nullo modo obediendum eſt. quamquam ſi materia obedientiæ non ſit intrinſecè mala, ſed ſolum ex aliquo iure poſitiuo, conſiderandum ſit, an Superior in caſu propoſito poſſit diſpenſare nec ne; & ſi poteſt præſumendus eſt diſpenſare; niſi certo conſtet eum rem illam præcipere ex ignorantia præcepti Eccleſiaſtici; quod tamen non ita facilè iudicandum eſt. Præterea poteſt contingere aliquãdo talem eſſe actum vt ſecluſa obedientia præcipiente alium actum, ſit neceſſarius ad morum honeſtatem, & quidem etiam iure naturali; & nihilominus quod eius neceſſitas ceſſet concurrente obedientia, & præcepto Superioris (v. g. poſſet Religioſus ex charitate, aut voto obligari ad ſeruiendum infirmo indigenti, & tamen Superiore aliud imperante, illud licitè omittere;) & tunc iudicium de malitia talis omiſſionis non obſtat, quo minus obedientia ſeruetur: idque ob mutationem circumſtantiarum, ex quibus illa obligatio, ſeu neceſſitas naſcebatur. ita *Suar. ſup. n.* 21. *&* 22. addens *n.* 23. interdũ eã eſſe poſſe perſonã Superioris, vt eius authoritas efficere poſſit probabilem illã partẽ, quæ antea talis non apparebat.

QVÆRES XI. Quodnam ſit obiectum, ſeu materia voti religioſæ obedientiæ.

25 ℞. Eſſe duplex, remotum ſcilicet & proximum; obiectum proximum eſt præceptum Superioris, de quo egimus *q.* 6. remotum eſt res omnis, vel omnis actus, de quo poteſt Superior præcipere; ſed de hoc agemus infra *ſect.* 3.

QVÆRES XII. Vnde deſumatur excellentia voti religioſæ obedientiæ.

26 ℞. Deſumi ex præſtantia rei, quæ Deo per tale votum offertur, & eſt libera voluntas hominis; ſi quidem, vt benè diſſerit *Miranda tom.* 1. *q.* 26. *a.* 1. tanto maius eſt votum, quanto per ipſum Deo offertur aliquid maius: at per votum obedientiæ offertur Deo propria voluntas, quæ eſt ſupremum bonum hominis, ergo; vt proinde *S. Greg. lib.* 35. *moral. cap.* 12. dicat obedientiam victimis iure præponi quia per *victimas aliena caro, per obedientiam autem voluntas propria mactatur*.

SECTIO II.

De Obligatione, quæ oritur ex Religioſæ Obedientiæ voto.

27 *Obligatio religioſæ Obedientiæ fundatur in iure naturali.*

28 *Ad duo ſe extendit.*

29 *Aſtringit ſolum, vbi Prælatus manifeſtat ſubdito ſuam voluntatem.*

30 *Ex genere ſuo aſtringit ſub mortali.*

31 *Idque etſi non præcipiatur in virtute obedientiæ.*

32 *Prælatus in re leui nequit obligare ſub mortali.*

33 *At in re graui poteſt obligare ſolùm ſub veniali.*

34 *Votum Obedientiæ non obligat ad obedientiam formalem.*

35 *Actus obedientiæ preſsè ſumptæ reſpicit Prælati voluntatem.*

36 *Prælatus nequit præcipere, vt impleatur præceptum quatenus tale.*

37 *Religioſus tenetur obedire in omnibus, quæ ſunt iuxta regulam.*

38 *Et quidem Papæ, ac Prælatis Ordinis.*

39 *Imò & Superiori non potenti præcipere in virtute obedientiæ.*

40 *In obediendo debitus ordo ſeruandus.*

41 *Interdum etiam cum graui periculo obediendum.*

42 *Suſtinendo v.g. ſectionem membri habitando in loco inſalubri, &c.*

43 *Votum obedientiæ non obligat ſub peccato ad regulam ex ſe taliter non obligantem: idque etſi promittatur obedientia iuxta regulam, quod negat Henricus, ſed reijcitur.*

44 *Idque etſi in forma vouendi videatur voueri obſeruantia regulæ.*

45 *Suſtinenda pœna inflicta pro violatione regulæ non obligantis ad peccatum.*

46 *Interdum obediendum in dubio, an parendum ſit, nec ne.*

47 *Non item contra propriam conſcientiam inuincibiliter errantem.*

48 *Perplexus vtrumque oppoſitum eſſe peccatum, debet eligere id, quod minus malum apparet.*

49 *Putans probabiliter rem imperatam eſſe illicitam, debet obedire; indicando tamen practicè opinionem Prælati eſſe probabilem.*

50 *Quod negat Caſtrus Palaus.*

51 *Interdum obediendum eſt præcipienti ex præſumptione falſa.*

52 *Obligatio voti obedientiæ eſt perpetua.*

QVÆRES I. In quo iure fundetur obligatio obedientiæ religioſæ.

27 ℞. Fundari in iure ipſo naturali, & quidem ex duplici capite: 1. quatenus vniuerſaliter dictat obediendum eſſe Superiori in ijs, in quibus eſt Superior: 2. quatenus docet ſtandum eſſe promiſſis; ideoque cum per votum obedientiæ religioſus promittat Deo ſe obediturum Superiori in ijs, quæ ſunt conuenientia propriæ regulæ, id ipſum tenetur fideliter præſtare. colligitur ex *Leſſio l.2. cap.5. num.10. fine*, patetque ex dictis, ſi monuero ex *Suarez tom.3. de relig. l.10. cap.6. num.6.* Religioſum teneri obedire Prælato regulari non ſolùm ex vi voti, ſed etiam ex vi promiſſionis, ſeu traditionis humanæ, qua ſe tradit voluntati ſuorum Prælatorum; imò & ratione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quam ipſi Prælati recipiunt à Papa; vnde obligatio obediendi Prælato regulari oritur ex 4. titulis, nempe ex voto, ex traditione, ex iuriſdictione Eccleſiaſtica, & ex poteſtate politica.

QVÆRES II. Ad quid generaliter obliget votum religioſæ Obedientiæ.

28 ℞. Obligare ad duo; nempe ad obediendum actu, quando actu præcipitur, & ad perſiſtendum quaſi in proxima ſubiectione, vt mandari quis poſſit, quam ex natura rei affert ſecum obedientia, & ſi diſtinctè non præcipiatur; vnde furtiua diſceſſio è clauſtro ſic conſiderata non tam eſt peccaminoſa grauiter ob materialem egreſſum à terminis localibus clauſtri, quam ob ſubtractionem à ſubiectione, & poteſtate Prælati, quæ cum ea coniuncta eſt. ita *Suar. tom.4. de relig. tra.8. l.1. c.6. num.8.* hinc inferens obligationem Clauſuræ reduci etiam ad votum obedientiæ reſpectu Prælati.

QVÆRES III. An votum religioſæ obedientiæ obliget ad obediendum Superiori, quoties ille ſignificat ſuam voluntatem circa aliquid agendum, vel non agendum; itaut ſecus faciens peccet, ſaltem venialiter.

29 ℞. Non obligare, niſi Superior ſuam voluntatem ſufficienter declaret ſuo ſubdito, quibuſcumq; demum ſignis id faciat; ſiue in particulari, ſiue in generali, ſiue per ſe, ſiue per alium; quamquam regulariter interuenire debeant verba prolata, aut ſcripta, quæ ſola habent expreſſam ſignificationem. ita *Suar. to.3. de relig. l.10. c.4. n.8.* & probatur, tũ quia religioſus per votum obedientiæ nõ promittit exequi omnia deſideria Superioris, nec ſequi eius voluntatem ſecundum quid; qualis eſſet, quæ ſub his terminis exprimeretur *vellem*, aut *deſiderarem, vt id facias*; tum quia talis eſt ſenſus omnium religioſorum vouentium obedientiam; cum tamen ſenſus communis, ac vſus eſſe poſſit optimus interpres iſtius obligationis.

QVÆRES IV. An, & quo modo votum religioſæ obedientiæ obliget ſub mortali.

30 ℞. Quod, quamuis ex genere ſuo obliget ſub mortali: vſu tamen communi religionum receptum eſt, vt ſi Superior ſimplici verbo præcipiat, quantumuis materia præcepta ſit grauis, non cenſeatur velle obligare ſub mortali, quantum eſt ex ſuo poſitiuo præcepto, ac voto obedientiæ: quod ſi dicat, *in virtute ſanctæ obedientiæ*, vel quidpiam æquiualens, tunc ſignificat ſufficienter voluntatem obligandi quantum poteſt in tali materia: ſicque votum obligabit ſub mortali, ſi res præcepta ſit grauis. ita *Suar. ſup. numer. 11.* & probatur ex eo, quod ſicut vſus religionũ interpretatus eſt Prælatũ nolle obligare ſub mortali per verba ſimplicia, eſtò videantur pręceptiua adeoque non intendere comprehendere ſub voto materiam præceptam, & conſequenter nec obligare ad illam ex voto; ſic, ſi quid præcipiant in virtute obedientiæ, aut alijs ſimilibus verbis, ſatis ſuperque manifeſtant ſe rem præceptã exigere tanquam debitam ex voto, cum clarioribus verbis non poſſint explicare formalitatem obedientiæ, & ſuam declarare intentionem.

31 Notandum tamen eſt ad hoc vt religioſus ex voto teneatur obedire ſub mortali, non eſſe opus, ſimpliciter loquendo, vt imperetur in virtute obedientiæ, aut alia tali forma; ſed ſufficere, quod materia præcepta ſit grauis, & ſuperior declaret ſe velle obligare, prout poteſt; ſic enim concurrunt omnia, quæ requiruntur ad obligandum ſub mortali. ita *Suar. n.10.* addens intentionem præcipiẽtis ex duobus maximè colligi; videlicet ex forma, ſeu verbis præcepti, & ex grauitate pænæ, ſi adiungatur.

Quod ſi quæras, an ſuperior poſſit obligare religioſum ſubditum ſub mortali ad obediendum in re leui, vel è contra ſub veniali tantùm ad obediendum in re graui.

32 ℞. Nec poſſe obligare ſub mortali in re leui; &, ſi obliget, obligationem eſſe iniquam, ideoque non teneri: quidquid contradicat *Clau. reg. l.3. c.7. n.17.* ſuam ſententiam probans ex eo quod Prælati regulares interdum ſolẽt prohibere etiam res leues ſub pæna excommunicat. ita *Sanch. l.1. mor. c.4. n.4. Suar. l.3. de leg. c.25. n.2. Azor. to.1. l.5. c.6. q.5.* alijq; apud *Sanch.* qui notat ex Caſtro id eſſe verum, etſi ſuperior rem leuem præcipiat in virtute obedientiæ; ſiquidem cum materia præcepti ſit leuis, tũ ex obiecto, tum ex concurrentibus circumſtantijs, non poteſt inducere obligationem grauem: cum alioqui præceptum, & virtus, ad quam præfata materia reducitur, neceſſariò limitetur à præcepti obiecto leui; quo modo etiam iuramentum promiſſorium, & votum de materia leui totali non obligãt ſub mortali, vt benè aduertit idem *Sanch. n.5.* Quod ſi Prælati regulares interdum res leues prohibent ſub pęna excommunicationis, id faciunt, quia res illæ ex obiecto leues, fiunt graues ex circumſtantijs concurrentibus; vnde *Val. 2. 2. D. 7. q. 5. par. 6. column. 9.* benè infert aliquos decipi exiſtimantes præceptum Prælati ſub mortali

de ſeruando ſilentio, hoc, aut illo tẽpore non obligare: additque ex *Caietano v. præceptum* impoſſibile videri in iure humano ex ſola materia diſcernere præcepta ſub mortali; cum res, quæ leuis videtur, & eſt talis in ſe ſpectata, ſit grauis ex circumſtantijs concurrentibus, quas ſuperior ſpectat, & ſubditi ſępè ſæpiùs ignorant. quod, inquit *Suar. tom. 3. de relig. l. 10. c. 4. n. 9.* frequentiùs accidere poteſt in religionibus propter commune bonum illorum.

33 E contra poteſt ſuperior præcipere materiam grauem ſolum ſub veniali, & probatur tum à ſimili ex voto, ad quod etiam in re graui poteſt vouens ſe obligare ſolum ſub veniali, vt rectè oſtendit *Sanc. l. 1. de matr. D. 9. n. 6.* tum quia tota obligatio legis pendet ex voluntate legiſlatoris, exiſtentibus conditionibus neceſſarijs ad legis vigorem: ergò, ſi legiſlator nolit in re graui obligare, niſi ſub veniali, lex non obligabit, niſi ad veniale. ita *Caſtr. de leg. pæn. l. 1. c. 5. docum. 4. Val. ſup. Nau. c. 23 nu. 49. Sanch. l. 6. mor. c. 4. n. 25. Diana p. 3. tr. 6. reſol. 91.* alijque penes ipſos: quorum doctrinam puto locum habere etiã in caſu, quo ſuperior præcipiat in virtute obedientiæ; cum etiam in tali caſu militent rationes adductæ; eam tamen negant plures alij DD. quos allegant *Sanch. n. 36. & Diana reſol. citata.*

QVÆRES V. An votum religioſæ obedientiæ obliget ad obedientiam formalem, ita vt religioſus præceptum ſuperioris, quatenus pręceptum eſt, exequatur.

34 ℞. Non obligare; & probatur tum ex dictis *q. 6. in reſponſ. principali:* tum quia nullum inuenitur præceptum, ſiue Dei, ſiue Eccleſiæ, quo iubeamur facere opus iniunctum, quatenus iniunctum: immo omnia præcepta iubent opus fieri ſimpliciter ſecũdum propriam honeſtatem; tum quia religioſus nõ vouet obedientiam ſub motiuo obedientiæ, ſed ſolùm obedientiam materialem, ideſt executionem rei præceptæ; ergò ad nihil aliud tenetur. ita *Leſſ. l. 2. c. 46. n. 42. Sanch. ſup c. 1. n. 7. Suarez to. 4. de relig. tr. 10 l. 4. c. 14. n. 3. Lezana tom. 1 c. 4. n. 6.* alijque, inter quos optimè aduertit *Sanch.* quod, licèt votum obedientiæ non obliget ad obediendum præcepto, vt præceptum eſt; obligat tamen ad non contemnendum ſuperioris præceptum; cũ obliget ad obediendum ſecundùm regulam & in tali obligatione primò omnium contineatur, ne mandata ſuperiorum, & regulæ contemnantur: ſi quidem contemptus totum fundamentum obedientiæ ſubuertit; quod idem aduertit *Leſſ. num. 43.* his verbis: *Dum tamen implemus aliquod præceptum, obligamur non habere intentionem impletioni contrariam: hoc enim eſſet contemnere præceptum.*

35. Quin etiam ad hoc vt fiat actus obedientiæ propriè, ac preſsè, neceſſe eſt, vt voluntas ſubditi aliquo modo feratur in actum, quatenus cadit ſub voluntatem ſuperioris; vnde qui orat, aut ieiunat ignorans, aut omninò non attendens illud opus eſſe iniunctum à ſuperiore, non poteſt dici propriè obedire, eſtò materialiter faciat, quod iniunctum eſt; non ſecùs ac audiens Miſſam voluntariè ex deuotione, ignorans eſſe diem feſtum, propriè non implet pręceptum Eccleſię, eſtò illud non violet. ita *Suar. ſup. n. 2.* & ante illum *Leß. ſup.* addens cum intentione non implendi pręceptum poſſe impleri pręceptum re ipſa, ita vt implens non ſit illius præuaricator, nec teneatur rurſus exequi opus impletum: dummodo reuocet animum non implendi, & velit ſatisfeciſſe opere illo pręterito; ratio eſt, quod per pręceptũ intenditur ſolum, vt fiat actus virtutis, non autẽ vt fiat ex affectu ſatisfaciẽdi pręcepto.

An verò prælatus regularis præcipere poſſit religioſo ſubdito, vt impleat præceptum, quatenus præceptum eſt.

36 ℞. Probabilius videri, quod non poſſit. & ratio eſt, quia iſte modus operandi non eſt neceſſarius; neque vt fiat actus virtutis, cum poſſit eſſe actus virtutis ratione bonitatis propriæ; neque ex alia rationabili, & iuſta cauſa; vt monet *Leß. num. 44.* hoc idem confirmans ex eo, quod actus internus non poteſt præcipi ab homine, niſi quatenus eſt neceſſarius ad conſtituendum actum externum in aliqua ſpecie virtutis.

QVÆRES VI. In quibus teneatur religioſus obedire ex voto Obedientiæ.

37 ℞. Teneri obedire in ijs omnibus, quæ ſunt iuxta regulam proprij ordinis; ſed de hoc *ſectione ſequenti.*

QVÆRES VII. Quibus ſuperioribus teneatur religioſus obedire ex vi voti obedientiæ.

38 ℞. Teneri obedire ijs omnibus, quibus per votum ſe ſubiecit: cuiuſmodi ſolùm eſt Papa, & Prælati ordinis tam immediati, quam mediati; vt oſtẽdemus in *ſect. 4.* vbi de hac re ex propoſito diſſeremus.

Quod ſi quæras, an religioſus vi voti obedientiæ teneatur obedire illi ſuperiori, qui ex ſtatuto religionis non poteſt præcipere in virtute ſanctæ obedientiæ, vel alia ſimili forma; qualis eſt Miniſter in Soc. Ieſu.

39 ℞. Teneri; cum votum obediendi alteri intelligatur, pro vt moris eſt obtemperare; ſicut adnotauit *Rodriq. tom. 1. qu. 15. a. 1.* vnde, cum votum Obedientiæ obliget religioſum ad obediendum vnicuique ſuperiori ordinis: ſi inter illos extet aliquis, qui ſit verè ſuperior, & tamen non poſſit imponere præcepta ſpiritualia; huic obediendum eſt tanquam patrifamilias iuxta poteſtatem, quæ ipſi cõpetit, & eſt inſtar poteſtatis domeſticæ, ac ciuilis. colligitur ex *Sanch. l. 6. mor. c. 1. n. 21. qui addit cap. 4. num. 45.* quod ſi talis ſuperior nihilominus imponeret religioſo ſubdito præceptũ ſpirituale aliquod, præcipiendo in virtute obedientiæ; ſi materia eſſet grauis, teneretur religioſus obedire ſub mortali: cum vtens ſimilibus verbis, etſi vſus ſit ineptus, ſatis explicet ſe velle obligare ſecundùm totam ſuam poteſtatem, & eo modo, quo ſuperiores habentes iuriſdictionem ſpiritualem intendunt præcipere, dum ſimilibus verbis vtuntur.

QVÆRES VIII. Quo ordine teneatur religioſus obedire prælatis regularibus vi voti obedientiæ.

40 ℞. Quod, cum votum obedientiæ obliget ad obediendum omnibus prælatis religionis reſpectiuè, & in vnaquaque religione extent multi prælati inter ſe ſubordinati: vnuſquiſque Religioſus tenetur obedire omnibus, ſub quibus conſti-

tutus

tutus eſt, ſeruato tamen reſpectu, & ordine inter eos; illi enim habent inter ſe ſubordinationem, cum propriè loquendo, eorum poteſtas vna tantum ſit, ideoq; fundamentum, nempe votum, & profeſſio; ideoque non eſt in multis, niſi cum ordine, ac dependentia: alias ſequeretur confuſio, ac perplexitas; vnde & obedientia, ac ſubiectio non æqualiter reſpicit omnes, ſed reſpectiuè; ita vt maior ſemper præferatur minori. ita *Suar. tom. 3. de relig. l.* 10. *c.* 11. *nu.* 6. & quidem quod votum obedientiæ obliget ad omnes Superiores, conſtat tum ex ipſa forma vouendi; tum quia in illis omnibus eſt vna, ac eadem poteſtas, ſicque licet materialiter ſint plures, formaliter ſunt quaſi vnus: quod vero talis obligatio ſit ad plures cum dicto reſpectu, inde patet, quod obligatio ad alterum accommodatur poteſtati alterius, & alioqni non eſſet recta obedientia.

QVÆRES IX. An votum religioſæ Obedientiæ obliget cum graui periculo.

41 ℞. Quod, quamuis Prælati rsgulares non poſſint præcipere Religioſis ſubditis, niſi ea, quæ ſunt moderata; non autem ea, quæ nimis ardua: vnde ait *Fagund. l.* 5. *in decal. c.* 13. *nu.* 8. difficilima non cadere ſub præceptum obedientiæ: idque regulariter loquendo: nihilominus poteſt dari caſus, in quo Religioſus teneatur obedire, etiam cum periculo vitæ, inſeruiendo v.g. Religioſis Ordinis peſte infectis; vt notat *Peyr. de R. S. q.* 1. *c.* 11. *v. dico tertio ex Caiet. Rodriq. & Sanch.* excipiens tamen illum Religioſum, qui eſſet valetudine admodum infirma, aut valdè vtilis bono communi religionis. ratio reſponſionis eſt, qnod ſicut omnis lex humana debet eſſe accommodata fragilitati humanæ, vt cenſeatur iuſta: ſic bonum commune debet præferri bono particulari, vt patet.

42 Sic, inquit *Fagund. ſup. n* 7. ſi ſit Religioſus Communitati valdè vtilis, qui ad vitam tuendam opus habeat ſuſtinere ſectionem pedis, manus, &c. poteſt ad id obligari à Superiore, etiam cum magnis doloribus: quamquam id neget *Leſſ. l.* 2. *cap.* 9. *n.* 96. niſi euidens, ac magna vtilitas religionis ab eo pendeat. Sic etiam tenetur religioſus habitare in locis aeris intemperie laborantibus, ſi id ei præcipiatur à Superiore in bonum religionis: & hoc, & ſi aliàs expertus ſit illam intemperiem aeris fuiſſe ſibi valdè noxiam; dummodo ipſi non conſtet id ſibi fuiſſe præſcriptum à Superiore ex odio: quod tamen non ita facile debet præſumere: ita *Peyrin. ſup.* §. *vn.* addens ex *Ledeſma* Prælatos regulares poſſe præcipere ſubditis, vt pro conſeruatione Ordinis eant ad Indias, etiam inuiti.

QVÆRES X. An votum obedientiæ religioſæ obliget ad obſeruantiam regularum Ordinis, ſi aliàs hæ ad nullam culpam obligent.

43 ℞. Quod, cum tranſgreſſio regulæ, etiam quatenus non obligat in conſcientia, ſit imperfectio quædam virtutis obedientiæ, eo quod non ſe extendat ad id, quod eſt optimum, magiſque decens in ſtatu religioſo ſecundum talem virtutem; quale eſt conformari non ſolùm præcepto, ſed etiam ſimplici voluntati Superioris; ſic eadem tranſgreſſio in viro religioſo eſt imperfectio intra virtutem religionis, & voti: quatenus per eam licet nõ violetur promiſſio, aliquo modo deuiatur à perfectiori obſeruatione eius, ſicque religioſus aliquo modo diſponitur, vt facilè poſſit eam violare, ſaltem in leui aliqua eius parte. ita *Sua. ſup. c.* 7. *n.* 17. monens *n.* 19. negandum eſſe votum obedientiæ obligare ſimpliciter ad regulas alioqui non obligantes in conſcientia: idq; ſiue fiat votum obediendi ſecundùm regulam, ſeu de conuerſione morum iuxta regulam; ſiue fiat de ſeruanda regula. hęc quippe eſt intentio Authorum talium regularum, quando declarant ſe non intendere obligare ad culpam, neq; m. neque v. volunt. n. excludere etiam illam, quæ poſſet prouenire ex voto obedientiæ: quod vtique eſt in poteſtate eorum; cum poſſent pręcipere, & non pręcipere, ſed ſimpliciter proponere voluntatem, ſeu conſilium ſuum, quæ ſunt res valdè diuersæ, vt patet. Vnde non placet doctrina *Henrici quod lib.* 6. *q.* 17. affirmantis totam regulam contineri ſub voto obedientię, etiamſi proponatur ſub hac forma, *Hæc ſunt, quæ ut obſeruetis admonemus:* ea ſiquidem eſt nimis rigoroſa, redditq; ſtatum religioſum nimis periculoſum, arduum, ac importabilem; ideoque omninò ſuſtinenda eſt ſententia *Suarez num.* 13. aſſerentis vniuerſaliter, quod quando regula de ſe non obligat ad culpam m. aut v. votum obedientiæ neutram obligationem illi adiungit intra ſuum Ordinem, ſeu (quod idem eſt) ex virtute religionis.

44 Quæ doctrina eſt probabilis, & amplectenda, ſiue forma vouendi ſit *obediendi regulæ in omnibus*; cum ſic includatur diſtributio accommoda, videlicet obediendi in omnibus, in quibus interuenerit vera obedientia: ſiue forma ſit *voueo ſeruare regulam*: cum ſic vouens per talia verba intendat ſolùm vouere obedientiam, adeoque promittat obſeruantiam regulæ, quatenus eſt neceſſaria ad obedientiam.

QVÆRES XI. An votum religioſæ obedientiæ obliget religioſum tranſgredientem regulam, aliàs non obligantem in conſcientia ad ſuſtinendam pęnã à Superiore iniunctã pro tali tranſgreſſione.

45 ℞. Suar. *n.* 16. obligare, adeoq; nullam dari propriam regulam religioſam, quæ non poſſit tandem reuocari ad aliquam obligationem in conſcientia: quatenus tranſgreſſor ſubijcitur pęnæ, ſeu diſciplinę regulari, ad quam ſuſtinẽdam poteſt religioſus obligari, & de facto obligatur: cum ſaltem hic modus obligationis neceſſarius ſit in omni lege. quare ſi religioſus occaſione tranſgreſſionis regulæ cogatur pęnam ſuſtinere; tunc ſicut non poteſt in conſcientia reſiſtere, cum ad hoc ſaltem obligetur ex vi regulæ; ita & ad id tenetur ratione voti obedientiæ, cum talis obligatio ſit apta materia illius. Quæ doctrina habet locum, ſiue regula Ordinis obliget ad pęnam taxatam (vti obligant regulæ Dominicanorum) quo caſu videtur loqui *Suar.* ſiue non obliget, neque ad culpam, neque ad pęnam; adhuc enim puto tranſgreſſorem talis regulæ teneri ſubire pęnam à Superiore iniunctam, & quidem ex voto obedientiæ; cum religioſus vi illius teneatur obedire in omnib. quæ ſũt iuxta regulã: cuiuſmodi eſt ſine dubio ſufferentia dictæ pęnæ, eſto potiùs dicẽda ſit pęnalitas, quã pęna, vt indicat *Sanch. ſup. c.* 4. *num.* 13.

QVÆRES II. An votum relig. obedientiæ obliget in dubio, num in tali caſu obediendũ ſit, nec ne.

46. ℞. Diſtinguendo; vel dubium conſurgit ex parte rei, quæ præcipitur, vtrum ſcilicet ſit licita, aut illicita: vel dubium eſt de poteſtate Superioris pręcipientis, an ſit legitimus ſuperior, nec ne. ſi primum, votum obedientiæ obligat; cum in tali caſu poſſeſſio ſtet pro ſuperiore (vt benè probat *Sanch. ſup. cap. 3. nu. 3.*) & in dubio melior ſit conditio poſſidentis: præter quam quod mandatum ſuperioris in dubio præſumitur iuſtum, nec limites ſuæ poteſtatis excedens, vtpote cui ſubditus vice Dei gubernandum ſe tradidit, vt probatur *cap. quid culpatur 23. q. 1.* ſi ſecundum, votum obedientiæ nõ obligat; cum ſic prælatus non dicatur in poſſeſſione ſuperioritatis erga religioſum ſubditum, ſicque poſſeſſio ſtet pro libertatę ſubditi. ita *Sanch. ſup. & nu. 30.* monens *n. 29.* quod ſi religioſus ſubditus habeat opinionem probabilem ſe in hoc, vel illo caſu non teneri obedire, poteſt non parere, eſtò credat oppoſitam eſſe probabiliorem.

QVÆRES XIII. An religioſi vi voti obedientiæ teneantur obedire proprio Prælato contra id, quod dictat conſcientia errans.

47 ℞. Non teneri, ſi conſcientia inuincibiliter erret; quod tamen valdè rarò contingere poteſt; cum præſumendum ſit pro ſuperioris præcepto, adeoq; deponi debeat conſcientia, obediendo ſuperiori. ita *Vaſq. 1. 2. D. 61. cap. 1. Sanch l. 1. mor. c. 11. n. 16. Caſtr. Pal. tr. 1. D. 2. p. 6. num.* 4. alijque. & probatur, quia religioſus in tali caſu ſequendo conſcientiam minimè peccat, vtpote quæ inuincibiliter errat; obediendo autem prælato delinquit contra illud conſcientiæ dictamen, quamdiu illud nõ deponit: quod vtique non eueniret, ſi conſcientia culpabiliter erraret; tunc quippe obediendum eſſet ſuperiori ob rationem adductam in ipſa reſponſione: quatenus ſcilicet in dubio præſumendum eſt pro ſuperiore, & ex hac regula formari poteſt dictamen, quod ſit parendum, deponendo conſcientiam practicè.

48 Quod ſi religioſus ex conſcientia erronea eò perplexitatis deueniat, vt vtrumque oppoſitorum cenſeat eſſe peccatum (nimirum non obedire contra votum, & obedire contra virtutem miſericordiæ v. g.) & non poſſit ipſemet ſe expedire à tali errore, nec tunc habeat, quem conſulat: eligere debet id, quod minus malum apparet, vt ſic culpa, quæ videtur grauior, euitetur; cum enim peccatum debeat eſſe liberum, ac voluntarium, & aliàs religioſus in tali caſu ex conſcientia erronea putet ſibi neceſſitatem impoſitam, ex duobus, quæ alioqui putat eſſe peccata, alterum admittendi, poteſt, & debet formare iudicium practicum, non fore ſibi hìc, & nunc imputandum, ſi eligat, quod minus malum ſibi videtur. Quod ſi neque hoc ipſum arbitrari poſſit, tunc non peccabit, quidquid egerit: ſiquidem nemo neceſſitate peccat. ita *Henriq. lib. 12. cap. 6. num. 7. Sanch. ſup. num. 14. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 4. num. 4. Regin. l. 13. num. 86. & 88. Baldel. l. 4. ſum. D. 4. n. 11.* alijque penes ipſum.

QVÆRES XIV. An religioſus vi voti obedientiæ poſſit, & teneatur obedire, ſi exiſtimet probabiliter rem ſibi imperatam eſſe illicitam.

49 ℞. Poſſe, imò & debere, efformando tamen iudicium practicum de probabilitate opinionis ſuperioris; ne aliàs contra propriam conſcientiam regulantem actiones procedat. Et quidem quod poſſit, conſtat tum ex *c. quid culpatur 23. q. 1.* vbi dicitur *Vir iuſtus, ſi fortè ſub rege homine, etiam ſacrilego militet, rectè poteſt, illo iubente, bellare, ſi quod ſibi iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel vtrum ſit, certum non eſt*, tum quia vnuſquiſque relicta propria opinione probabiliori licitè poteſt, ſequi opinionem aliorum probabilem: ergo & poterit ſequi opinionem ſuperioris probabilem. Quod verò teneatur, inde ſuadetur; quia ſuperior eò ipsò, quò eſt ſuperior, habet ius præcipiendi non ſolum ea, quæ manifeſtè ſunt licita, ſed & ea, quæ ſub opinione ſunt honeſta (vt patet ex citato *cap. quid culpatur*) ergò ſi certum eſt ſuperiorem in tali caſu habere ius præcipiendi, certum item eſt etiam ſubditum obligandum eſſe: cum hæc duo ſint correlatiua. ita *Vaſq. ſup. D. 62. cap. 6. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. 9. Thom. Sanch. l. 6. mor. cap. 3. num. 6. Salas 1. 2. tr. 8. D. vn. ſect. 8. num. 76.* alijque apud *Caſt. Pa. ſup. p. 6. num. 2. & 4.* monens iudicium illud practicum, de quo ſupra, deſumendum eſſe, non ex eo quod præcipiens ſit Superior, & præcipiat (non enim dignitas præcipientis vt ſic opinionem ipſius facit probabilem) ſed quia ſubditus ſcit rem præceptam ab alijs DD. haberi probabilem, aut ſuperiorem, qui præcipit, eſſe virum doctum, ac prudentem, qui niſi probabiliter ductus rem illam non præciperet: quod ſemper exiſtimandum eſt, niſi de iniuſtitia præcepti conſtet.

50 Addit *Caſtr. Pal. n. 5.* quod, licèt doctrina in præcedenti reſponſione data ſit communis, ſemperque conſulenda in praxi: ſibi tamen videtur valdè probabilis etiam oppoſita; nimirum ſubditum non teneri obedire prælato præcipienti rem, quam ipſe putat probabiliter eſſe illicitam, aut excedere eius poteſtatem. probat, quia poteſt ſubditus non obedire ſuperiori imperanti, ſi opinionem habeat probabilem ſe non teneri obedire; at quando eſt opinionem probabilem non eſſe licitum, quod imperatur, aut excedere iuriſdictionem imperantis, eſt opinio probabilis ſubditum non teneri obedire; cũ probabilitas opinionis deobligantis ſubditum obedire, in eo potiſſimum fundetur, quod probabile ſit rem imperatam eſſe illicitam, aut extra iuriſdictionem. præter quam quod non poteſt ſuperior regularis ſtrictius obligare ſubditos ſuo præcepto, quam obligent Chriſtus, & Eccleſia proprijs præceptis; at quoties aliquis iudicat probabiliter ſub materia pręcepta rem aliquam non contineri, pro tunc non obligatur ergò, &c.

QVÆRES XV. An religioſus vi voti obediẽtię teneatur obedire in caſu, quo ipſi aliquid pręcipiatur, aut prohibeatur ex falſa pręſumptione.

51 ℞. Quod, cum pręceptum, & prohibitio innitẽs pręſumptioni poſſit eſſe duplex; nimirũ vt vel pręſumptio ſupponatur in quocumque caſu (vt ſi ſuperior prohibeat ingreſſum domus inhoneſtę fęminę) vel non ſupponatur in quocumq; caſu, ſed prudenter exiſtimetur in aliqua re non rarò pręberi occaſionem peccandi, aut oriri graue aliquod incommodum; ſi quidem pręceptum, & prohibitio

nitan-

nitantur præſumptione primo modo, non tenetur Religioſus obedire in caſu, quo re vera præſumptio ſit falſa (vt ſi bono animo ingrediatur domum inhoneſtæ fœminæ;) ſi verò nitantur præſumptione ſecunda, tunc tenetur Religioſus obedire, etiam in caſu, quo deficiat præſumptio reſpectu ipſius: vt ſi ſuperior præcipiat, ne Religioſi egredientes à monaſterio ſe inuicem disiungant, non quod timeat ex tali disiunctione in quocumque caſu ſecuturum eſſe aliquod graue inconueniens, ſed quod interdum, aut non tarò ſequitur de facto; in tali enim euentu ſi duo Religioſi modo dicto ſe inuicem ſeparent, peccabunt contra votum Obedientiæ, etiamſi reſpectu ipſorum deficiat illa præſumptio. ita *Portel. de dub. regul. v. lex in addit. n. 4.* cum *Vaſq. 1. 2. D. 163. c. 3.* patetque quia in priori euentu ceſſat finis legis, & conſequenter etiam ipſa lex iuxta communem regulam *Ceſſante fine legis, ceſſat lex*: non item in poſteriori; quod tamen non admittetet *Diana p. 1. tra. 10. reſol. 28. & p. 5. tr. 14. reſol. 97.* docens vniuerſaliter verum eſſe, quod ceſſante fine totali legis in particulari, ceſſat etiam lex, citanſque pro hac ſententia innumeros Doctores.

QVÆRES XVI. Quamdiu duret obligatio voti Obedientiæ religioſæ.

52 ℟. Durare, ſaltem, quamdiu religioſus degit intra religionem: cum votum ſit perpetuum, adeoq; neceſſariò inducat obligationem perpetuam. dixi *ſaltem quamdiu Religioſus degit intra religionem*: verum enim religioſus promotus ad epiſcopatum, legitime eiectus ab Ordine, aut aliter degens extra religionem adhuc teneatur voto Obedientiæ, diſcutiemus *infra ſect. vlt.* vbi etiam quæremus, quot, & quibus modis tolli poſſit obligatio voti religioſæ obedientiæ.

SECTIO III.

De Obiecto, ſeu materia, ad quam ſe extendit votum relig. Obedintię.

53 *Ex voto obedientiæ parendum in omnibus iuxtà regulã.*
54 *Materia huius voti eſt varia pro varietate Religionum.*
55 *Non cadit ſub illud Regularum obſeruantia.*
56 *Votum Obedientiæ addit regulæ Ordinis obligationem commenſuratam ipſi Regulæ.*
57 *Religioſis poſſunt præcipi contenta in regula ſolùm implicitè.*
58 *Cogi poſſunt ad obſeruantiam regulæ reformatæ, ſed non ſemper.*
59 *Ad eam cogi nequeunt, ſi Regulæ relaxatio licitè inducta eſt.*
60 *Secus, ſi illicitè, etſi poſtea ex legitima conſuetudine relaxatio Regulæ facta ſit licita.*
61 *Conſuetudo non præualet contra ſubſtantialia Religionis.*
62 *Et conſequenter nec contra vota religioſa.*
63 *Interdum Religioſis præſcribi poſſunt auſteritates extra Regulam.*
64 *Item poſſunt imponi ad tempus ob publicam neceſſitatem.*
65 *Et tunc ea ſeruanda, etiam ab ijs: qui in illas non conſenſerunt.*
66 *At ea non poſſunt imponi ſupra Regulam.*
67 *Limita, ſub præcepto, & quò ad Religioſos iam profeſſos.*
68 *Præcipi poſſunt, quæ ſunt infra, aut præter Regulam.*
69 *Si hæc quoquo modo ordinentur ad obſeruantiam Regulæ.*
70 *Prælatus nequit præcipere cedentia ſolum in bonum ſui, aut ſuorum.*
71 *Non poſſunt præcipi, quæ apertè ſunt contra Regulam.*
72 *Etſi obediendum ſit in dubio, an ſint contra Regulam.*
73 *Difficillima, ac impoſſibilia præcipi nequeunt ad probandam obedientiam.*
74 *Excuſari tamen poſſunt talia præcipientes.*
75 *Docetur modus exequendi eiuſmodi præcepta.*
76 *Præcipi non poſſunt apertè illicita.*
77 *In dubio tamen, an ſint illicita parendum eſt.*
78 *Non ſemper peccat m. qui apprehendit ſe peccare, non diſtinguens peccet ne mortaliter, an venialiter.*
79 *In nullo caſu præcipi poteſt Religioſo reditus ad ſæculum.*
80 *Item nec tranſitus ad Ordinem laxiorem.*
81 *Sicut nec ad Ordinem ſtrictiorem.*
82 *Religioſus ſine conſenſu Prælati non admittit Epiſcopatum.*
83 *At poteſt admittere Papatum ſine dicto conſenſu.*
84 *Cogi nõ poteſt admittere Epiſcopatũ à Prælato regulari.*
85 *Cogi tamen poteſt à Papa.*
86 *Item non poteſt cogi recipere beneficia eccleſiaſtica; at cogi poteſt exercere parochialia apud Indos.*
87 *Item aſtringi poteſt ad prælaturas Ordinis.*
88 *Limita, niſi rationabiliter ſe iudicet indignum.*
89 *Iuſſus acceptare prælaturam regularem non ſemper tenetur parere.*
90 *Prælaturam non tenetur admittere ob bonum commune, ſi ſit expertus ſe non poſſe eam adminiſtrare ſine damno ſuo ſpirituali.*
91 *Prælaturæ regulares non pertinaciter declinandæ.*
92 *Religioſus tenetur ob ire miniſteria Ordinis, etſi ea auerſetur.*
93 *Actus merè interni nequeunt præcipi Religioſo.*
94 *Diſſentit P. Layman, ſed refutatur.*
95 *Damnari nequit Religioſus operans iuxtà opinionem ei vetitam.*
96 *Iuſſus non ſequi aliquam opinionem vt probabilem, interiùs illam adhuc exiſtimare poteſt probabilem.*
97 *Sicque cogi poteſt ſolum ſequi opinionem Prælati exteriùs.*

QVÆRES I. In quibus, generaliter loquendo, teneatur Religioſus obedire Superiori ex voto religioſæ obedientiæ.

53 ℟. Quod, quamuis, ſpectata perfectione Obedientię, teneatur Religioſus obedire in omnibus licitis; & quidẽ etiã pręueniẽdo voluntatẽ ſuperioris quoquomodo manifeſtatam; ſicuti benè docet *S. Thom. in 2. d. 44. qu. 2. a. 3.* ex regula S. Benedicti his

verbis: *Cæterum ſubditus obedientiam, quæ voti finibus cohibetur, nouerit imperfectam, & ad hanc profitentes ex neceſſitate coguntur: Obedientia verò perfecta eſt, ſecundum quam ſubditus ſimpliciter obedit in omnibus, quæ nõ ſunt contraria legi diuinæ, vel regulæ, quam eſt profeſſus: perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, non continetur profeſſionis anguſtijs, & ad omne, quod iniungitur, ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi modum non conſiderans in infinitum fertur.* de rigore tamen, loquendo de voto Obedientiæ, pro vt de facto fit in ſingulis religionibus; vi voti Obedientiæ non tenetur religioſus obedire, niſi in ijs, quæ ſunt iuxta regulam, quæ ſcilicet ad illius perfectam obſeruantiam ſunt vel neceſſaria, vel vtilia, vel conuenientia: quo modo S. *Bernard. lib. de præcepto, & diſpenſat c.7.* hæc habet *Is, qui profitetur, ſpondet quidem Obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatam ſecundùm regulam*; & infra, *Proinde ſi profeſſo ſecundum illam regulam Abbas mihi aliud fortè imponere tentauerit, quod non ſit ſecundum regulam, aut etiam quod non ſit ſecundum iſta Inſtituta, verbi cauſa Baſilij, Auguſtini, Pacomij, quænam mihi quæſo in hac re neceſſitas imminet obſequendi: ſolum quippe id à me poſſe exigi arbitror, quod promiſi.* ratio a priori eſt, quod, ſicut innuit S. *Bernard.* votum obligat iuxta formam, ac intentionem vouentis; at in ſingulis religionibus non vouetur obedientia abſolutè, & illimitatè, ſed ſecundùm regulam; ergo materia huius voti non ampliùs extenditur. ita *Suarez to.3. de relig. l.10. c.8. num.5. ex S.Thom. S.Bonau. Vmberto* alijſque pluribus ab eodem *Suarez* relatis *n.6.*

54 Verum tamen eſt quod, ſicut diximus *ſect.1. q.5.* materia voti obedientiæ in aliquibus religionibus maiorem habet amplitudinem, quam in alijs; vti videre eſt etiam in Societate Ieſu iuxta *9. p. Conſtit. c.3. §.20.* vbi dicitur *Generatim loquendo in rebus omnibus, quæ ad propoſitum Societati finem perfectionis, & auxilium proximorum ad gloriam Dei faciunt, omnibus præcipere in obedientiæ virtute poſſit*; quæ etiam confirmantur in eadem *6.p. Conſt. c.1. §.1.* his verbis, *Ita vt in omnibus rebus, ad quas poteſt cum charitate ſe Obedientia extendere, id eſt in quibus nullum eſt manifeſtum peccatum* (vt ibi *in declaratione* explicatur) *ad eius* (id eſt ſuperioris) *vocem perinde ac ſi à Chriſto D. egrederetur, quandoquidem ipſius loco, ac pro ipſius amore, & reuerentia obedientiam præſtamus, quam promptiſſimi ſimus.* Quamquam hæ locutiones vniuerſales, & aliæ ſimiles intelligi poſſint, & debeant iuxta ſubiectam materiam, & iuxta illam limitari; nimirum obedientiam Societatis extendi ad ea omnia, quæ conducere poſſunt ad finem illius Inſtituti, eiuſque obſeruationem; vnde in Societate voluntas ſuperioris pro regula habenda eſt; qui Superior non poteſt quidem vnquam præcipere extra regulam; poteſt tamen multa præcipere, quæ non habentur in regula ſcripta: quod ſufficit, vt ſubditus Societatis dicatur habere pro regula voluntatem Superioris. ita *Suar. tom.4. de relig. tr.10. l.4. c.12. n.14.* addens *num.15.* quod, cum in Societate materia voti obedientiæ non limitetur, niſi iuxta finem, ac inſtitutum ipſius Soc. & hi termini totam ordinariam vitam hominis circumſcribant ab ea non poſſunt excipi, niſi quædam præcepta extraordinaria, & valdè aliena ab inſtituto Soc. quę tamen magis cogitatione effingi poſſunt, quam in vſum venire: ſicque in ea comprehenduntur non ſolùm ea, quæ poſſunt præcipi, ſed etiam illa quæ poſſunt iniungi ad probationem Obedientiæ, & maius quoddam exercitium; quæ ordinariè ſpectant potius ad conſilium, quam ad præceptum.

Præter quam quod regula præſcribens obediendum eſſe in omnibus, quæ non ſint manifeſtè peccata; debet intelligi de rebus tum licitis, tum honeſtis; cuiuſmodi non eſſet v.g. ſi Superior religioſo ſubdito præciperet, vt alteri daret ſua manuſcripta; ſicut notaui *ſup. cap.2. n.306.*

QVÆRES II. An obſeruantia Regularum contineatur ſub materia voti obedientiæ.

55 ℟. Non cadere, niſi eo modo, quo diximus *ſect. præcedenti q.10.* patetque tum ex dictis ibi, tum quia alioqui committeretur ſacrilegium, quotieſcumq; frangeretur quæcumq; Regula: quæ eſt contra cõmunem ſenſum Religioſorum, & conſequenter præter intentionem vouentium; tum quia id cederet in grauiſſimum præiudicium animarum, & in laqueum cõſcientiarum; tum quia Religioſi in forma profeſſionis non promittunt ſeruare Regulam, ſed vouent Deo, & Prælato promittunt Obedientiam; vt proinde dicat *Suar. tom.3. de relig. tr.10. c.7. num.3.* votum Obedientiæ non cadere in Regulam, vt in materiam, nullamque obligationem addere illi, quam ipſa ex ſe habet.

Vtrum verò caſu, quo Regula Ordinis ex ſe obliget ad mortale, aut veniale; tunc votum Obedientiæ ſuperaddat ei aliam obligationem mortalem, aut venialem, quæ ſit altioris ſpeciei.

56 ℟. Quod, cum Regula participet veram rationem præcepti, & per votum Obedientiæ promittatur obſeruantia cuiuſcumque præcepti; ſine dubio votum Obedientiæ in caſu propoſito addit regulæ aliquam obligationem, mortalem ſcilicet, aut venialem, pro vt regula obligat ſub mortali, vel veniali; idque etiamſi in Regula directè non exigatur obligatio voti: ſi quidem ad hanc inducendam ſufficit, quod Regula ſit materia voti Obedientiæ, quo modo re vera eſt, dato quod obliget ſub mortali, aut veniali. ſic ſi quis vouiſſet omnia præcepta Eccleſiæ, & nunc de nouo poneretur aliquod ieiunium, votum illud ſtatim adderet nouam obligationem religionis ad obligationem ieiunij; non quod præcipiens directè exigat obligationem voti, ſed quod pręceptum ipſum ieiunij eſt materia talis voti. Dixi, *quomodo re vera eſt, dato quod Regula obliget ſub mortali, aut veniali*; ſi enim regula de ſe nullo modo obliget in conſcientia, tunc neque votum Obedientiæ ei adiungit vllam nouam obligationem: cũ ſic Author Regulæ hoc ipſo quod declarat ſe non intendere obligare vllo modo in conſcientia, cenſeatur conſequenter excludere obligationem illã, quæ poſſet prouenire ex voto: aliàs verè obligaret in conſcientia, quod tamen ipſe non intendit. ita *Suar. ſup. n.12. & 13.*

QVÆRES III. An Prælatus regularis poſſit præcipere Religioſis ſubditis non ſolum ea, quæ expreſsè, & directè cõtinentur in regula, ſed etiã illa, quæ in ipſa cõtinẽtur ſolũ implicitè, ac indirectè; cuiuſ-

cuiuſmodi ſunt ea, quæ neceſſaria ſunt ad obſeruationem ipſius Regulæ.

57 ℟. Poſſe. ita *Leſſ.l.2.c.41.n.75.Sanch.l.6.mor.c.2.n.15.Suar.ſup.c.8.n.5.Lezana tom.1.c.4.n.10.*alijque; & probatur;tum quia ad ea omnia ſe obligat Religioſus hoc ipsò quod facit profeſſionem ſecundùm Regulam: tum quia qui vult finem, debet velle & conſequentia ad finem: tum quia implicitis,ac explicitis eadem eſt virtus: tum quia alioqui moniales, quæ profeſſæ fuerant,priuſquam induceretur clauſura, non potuiſſent adſtringi lege Clauſuræ; quod tamen factum eſt,& quidem iuſtè,ſicut oſtendimus ſuo loco, & probat *Sanch.num.*42.

QVÆRES IV. An Religioſus, qui profeſſus eſt in religione valdè relaxata à rigore ſuæ primitiuæ regulæ; poſſit ex voto Obedientiæ cogi ad obſeruantiam primitiuæ Regulæ, facta reformatione ipſius Regulæ, vel etiam antequam illa fiat.

58 ℟. Quod cum relaxatio, ſeu moderatio Regulæ fieri poſſit 3.modis,nimirum primò quod ab initio licitè fiat,& eodem modo perſeueret(quo pacto dici potiùs debet diſpenſatio, quam relaxatio): ſecundo quod conſuetudine inducatur inchoata cum peccato, poſtea verò ita continuata,vt valuerit derogare contrarias Conſtitutiones: tertio quod ipſa ita per ſe, ac intrinſecè ſit mala, vt nulla conſuetudine præſcribi,aut honeſtari poſſit(qualis ſolùm videtur habere locum in ijs, quæ ſunt contra vota in religione emiſſa):ſi quidem relaxatio facta ſit in Religione priori modo, qui ingreſſi ſunt poſt illam,nō poſſunt cogi ad obſeruandam primitiuam Regulam, eiuſque rigorem, neque ante, neque poſt reformationem: ſi autem ſecundo modo fiat relaxatio, non poſſunt Religioſi adſtringi ad ſeruandam Regulam quo ad eam partem, in qua eam reperit relaxatam; eſtò, ſi ea reformetur,tunc ij, quantumuis antea profeſſi,obligari poſſint ad primitiuæ Regulæ obſeruationem: ſi denique tertio modo facta ſit relaxatio, poſſunt Religioſi cogi ad ſeruandam regulam, etiam ſi non fiat reformatio. ita *Suar.tom.3.de relig.l.10.c.8.n.17.18.19.& 20.*

59 Primum probatur;quia in eo caſu Religioſus nō tenetur ſeruare primitiuam Regulam,neque vi voti Obedientiæ, cum factum ſit ſecundùm regulam legitimè moderatam, neque ipſius regulæ, cum ea nondum ſupponatur reformata, ſed potiùs diſpenſata aut derogata; vnde nec Prælatus regularis poterit præcipere talem obſeruantiam, cum poſſit precipere ſolum ſecundùm Regulam;idque &ſi poſtea fiat reformatio Regulæ:ſiquidem nemo poteſt obligari ad acceptandum quod nec directè, nec indirectè vouit: Religioſus autem in præſenti caſu non nouit talem rigorem Regulæ, ideoque non tenetur acceptare illam reformationem,ſi poſtea fiat; intellige, ſi reformatio fiat tantùm ob maiorem perfectionem: non item, ſi fiat propter Obſeruationem neceſſariam ad finem Religionis,etiam ſpectatæ in eo ſtatu diſpenſationis: tunc enim ſi fiat reformatio, debet acceptari à Religioſis; cum ſic illa non debeat attendi tanquam reditus ad priſtinam Regulam, ſed vt additio quædam moraliter expediens ad finem Religionis, quæ cum ſaltem indirectè pertineat ad votum Obedientiæ, & poteſt fieri, & debet admitti.

60 Secundum patet; quia durante illo ſtatu rerum Obedientia illa non eſt ſecundum Regulam; cum Regula tunc non vigeat, ſed ſit derogata, adeoque non cadat ampliùs ſub votum Obedientiæ;quod tamen non facit, quin, inducta reformatione Regulę, poſſint ad eam obligari etiam Religioſi,qui ante illam profeſſi ſunt, ratio eſt quod talis reformatio non eſt additio ſupra regulam, ſed reſtitutio moraliter neceſſaria ad perfectam regulæ obſeruationem: praua autem conſuetudo habet quidem vim relaxandi obligationem Regulæ, quamdiu durat; non tamen poteſt obſtare; quin Papa, aut Religio poſſint reformare Regulam,& conſequenter auferre prauam illam conſuetudinem, nec non adſtringere ad illam etiam eos, qui profeſſi ſunt tempore relaxationis;idque licet ij aliàs ſint viri ſimplices,ac idiotæ; cum ignorantia in præſenti non cauſet proprium inuoluntarium, vt notauit *Suar.num.19.* contra Hoſtienſem.

61 Tertium ſuadetur quod relaxatio,aut conſuetudo nunquam poteſt præualere contra ſubſtantialia religionis, cum ſit contra ius diuinum, & naturale: quippe vota ipſa obligant ad ſeruanda ea omnia, quæ ſunt de ſubſtantia religionis. vnde ſi relaxatio fiat in his, quæ directè ſunt contra votum,etiam ſecluſo præcepto Obedientiæ, manet ſemper obligatio ex vi illius voti,cui repugnat relaxatio; quod ſi relaxatio fiat in his, quæ multum conferunt ad ſeruanda ea, quæ ſunt ſubſtantialia; vota quidem ipſa immediatè non obligant ad illa, poteſt tamen Prælatus ea ſemper præcipere, & teneretur ſubditus obedire.

Quod ſi hìc obiter quæras an vota religionis ſola conſuetudine relaxari poſſint quo ad propriam, & directam materiam ipſorum.

62 ℟. Quod, quamuis prima facie videatur id poſſe concedi de voto Paupertatis, & Obedientiæ(non item de voto Caſtitatis,quod non poteſt pati in ſua materia vllam diminutionem ob quamcumq; corruptelam,vt benè oſtendit *Suar.nu.21.*)imò talis relaxatio inducta videatur etiam in ipſo voto Caſtitatis in Religionibus militatibus, ſicut indicat *Mol.to.1.D.141.*§.eſt vero,nihilominus putat *Suar.nu.21.*id abſolutè negandum; probatque quia talis relaxatio non poteſt fieri poſt vota facta; cum iuxta dicta conſuetudo non poſſit præualere contra obligationem voti;ergò nec poterit fieri antecedenter, ideſt vt vota ipſa circa minorem materiam intelligantur; cum Religioſus in profeſſione ſemper promittat materiam talium votorum, pro vt in regula præſcribitur; vnde, quantumuis priores Religioſi violent vota ſua, ſemper materia, quæ promittitur,eſt eadem: & quidem etiam iuxta intentionem profitentium poſt talem conſuetudinem inductam; cum talis intentio debeat eſſe profitendi ſecundum talem Regulam, pro vt actu obligare poteſt,non obſtante conſuetudine, aut potius corruptela; velle enim profiteri, & ſolum ſe obligare iuxta illicitam conſuetudinem eſſet praua intentio, quæ præſumi non debet: quin, etiamſi quis illam haberet, eſſet ex errore priuato, nec poſſet præualere contra abſolutam intentionem profitendi ſecundum talem Regulam.

gulam. ex quo fit, vt cum iuxta talem intentionem menſurari debeat materia votorum religioſorum definita per talem regulam; eiuſmodi materia ſemper eadem perſeueret non obſtante aliorum abuſu; ideoque ad illam obligent vota.

QVÆRES V. An, & quibus in caſibus poſſint Prælati regulares præcipere Religioſis ſubditis nouas auſteritates in regula non præſcriptas.

63 ℞. Poſſe; tum in iuſtam pœnam tranſgreſſionis regulæ, aut alterius delicti commiſſi: cum Superior poſſit imponere pœnam dignam, idque omninò neceſſarium ſit ad bonum regimen; tum in caſu, quo noua auſteritas iniungeretur in cautelam ad præcauendum recidiuum in aliquod peccatum: cum ſub obedientia ſecundum regulam ſaltem indirectè comprehendantur ea omnia, quæ prudenter iudicantur expedire ad obſeruantiam regulæ, aut aliorum præceptorum. ita *Sanch. l. 6. mor. cap. 2. num. 45. Leſſ. l. 2. cap. 41. num. 75. Suar. ſup. nu. 7. & 8. Vaſq. 1. 2. D. 154. cap. 4. num. 26. & 27. Lezana tom. 1. cap. 4. num. 11. & alij:* qui benè monent non poſſe Religioſis imponi nouas auſteritates ad exercitium virtutis præcisè, ſi eæ alioqui ſint omninò extra regulam ſecundum ſe, & in ſua integra obſeruantia ſumptam, & ad eam non ſint neceſſariæ, nec per ſe conducentes. quod idem putat *Leſſ. cum Corduba, & Sylu.* proportionaliter dicendum in poſteriori caſu allegato, ſi auſteritates, quæ imponuntur ad præcauendum aliquod peccatum in futurum, cenſeantur minùs neceſſariæ, & ſubditus cui imponuntur veriſimiliter videat ſe poſſe aliter vitare peccatum; quod non admittit *Sanch.* dicens ex *Angles. & Vaſq.* ſubditum, in tali caſu teneri obedire, ſi aſperitas impoſita valdè conferret ad illum finem.

64 Addit *Corduba cap. 10. regulæ S. Franc. q. 2. p. 6.* poſſe Religioſis imponi ad tempus quædam auſteriora ob publicam aliquam neceſſitatem; non tamen teneri Religioſum particularem hac in re obedire, ſi ſibi ſoli abſque peculiari cauſa eæ aſperitates pro ea publica neceſſitate iniungantur; eum id non fit iuxta regulam (quo modo eſſet, ſi omnibus Religioſis monaſterij iniungerentur) ſed ſupra regulam; cum Corduba ſentiunt *Leſſ. & Sanch. locis citatis*.

Difficultas eſt, an & quô modo religio, ſaltem cum maiori parte capituli poſſit præcipere ſuis religioſis aliqua auſteriora, ita vt ea ſeruare teneantur etiam illi Religioſi, qui in ea non conſenſerunt, neque ſecundùm illa prius profeſſi ſunt.

65 ℞. Poſſe, ſi quidem additio illarum auſteritatum prudenter iudicetur moraliter neceſſaria ad perfectè ſeruandam regulam; quippe humana prouidentia non ſtatim à principio præuidet omnia commoda, & incommoda ad aliquem finem; ſed paulatim per experientiam multa addiſcit, quæ conuenientia, vel etiam neceſſaria ſunt: vnde etiam in religionibus contingit interdum addi nouum aliquem rigorem, vt medium aptum ad regulæ obſeruantiam. Ad quod vtique ſe extendit non ſolùm poteſtas Papæ (quod eſt certum) ſed etiam religionis de conſenſu maioris partis: cum illa poteſtatem habeat præcipiendi ſecundum regulam, & aliàs additio dictarum auſteritatum ſit ſecundum regulam vt conſtat ex dictis §. ita *Suar. num. 10. & 13.* addens quod, licet præſcriptio illa auſteritatum quo ad obligationem pertineat ad omnes, ac ſingulos Religioſos, quibus eæ iniunctæ ſunt, non ideo tamen eſt neceſſarius conſenſus ſingulorum, ſed ſufficit conſenſus, quem ij præſtiterunt in ipſa profeſſione; cum talis præſcriptio non excedat terminos regulæ, vt ſuppono.

66 Cæterum abſolutè loquendo, non poteſt religio ſiue cum Capitulo, ſiue abſque illo imponere nouas auſteritates, quæ ſimpliciter ſint ſupra regulam, nulloque modo in ea comprehendantur; probatur tum quia votum obedientiæ non obligat, niſi ad ea, quæ concernunt regulam, ſiue explicitè, ſiue implicitè; tum quia Prælatus non poteſt præcipere niſi ea, ad quæ Religioſus per votum obedientiæ ſe obligauit: is autem ſe obligauit ſolùm ad ea, quæ dicto modo comprehenduntur ſub regula, non autem ad ea, quæ ſunt ſupra regulam; tum quia quod tangit omnes, ab omnibus debet approbari; ergo cum illæ nouæ auſteritates pertineant ad ſingulos Religioſos, vtpote à ſingulis obſeruandæ, à ſingulis debent approbari; quod tamen non euenit, ſi ſint ſupra regulam: cum ſic ceſſet ratio credendi eos per ipſam profeſſionem in illas conſenſiſſe, profitendo iuxta regulam, vti diximus in fine §. *præcedentis*.

67 Concedit tamen Suar. *num. 12.* quod ſi eiuſmodi auſteritates, aut nouæ obſeruantiæ non imponerentur ſub præcepto omnibus iam profeſſis, ſed ſolùm ſub conſilio pro ijs, qui velint eas acceptare, eſto ponerentur ſub præcepto quo ad eos, qui in poſterum profeſſionem emiſerint: faciliùs fieri poſſet talis additio tum à Papa, tum à Religione de conſenſu maioris partis Capituli generalis, quamuis alij diſſentiant. Et ratio eſt, quod ſic præſcriptio auſteritatum non ſpectat ad ſingulos vt ſingulos, cum nullus eorum cogatur illam obſeruare, ſed vt vniuerſos, ideſt ad ipſum corpus religionis vt ſic, quod voluntariè poteſt acceptare aliquid pertinens ad maiorem ſuam perfectionem, illudque ſtatuere eo modo, quo magis expediat; & hic modus eſt conuenientiſſimus, cum ſit voluntarius corpori ratione conſenſus maioris partis, & nulli fiat violentia, dato quod iam profeſſis ſolùm conſulantur eæ auſteritates, & in poſterum profeſſuri in eas cenſeantur voluntariè conſenſiſſe per conſenſum ſuorum maiorum, in quorum voluntate moraliter cenſebatur exiſtere voluntas etiam iſtorum.

QVÆRES VI. An Prælati regulares poſſint præcipere ſuis ſubditis ea, quæ ſunt infra, aut præter regulam; quæ ſcilicet non ſunt, neque ſecundum regulam, neque contra ipſam, & alio nomine dicuntur indifferentia.

68 ℞. Poſſe, ſi ea quoquo modo ordinari poſſint ad obſeruantiam Regularem, aut vitam religioſam. ita in terminis *Miranda to. 1. manu. q. 26. a. 9.* ex *Sylu. & Corduba* & poſt illos *Laym. l. 4. tract. 5. cap. 9. nu. 5.* ratio eſt, quod Prælati regulares poſſunt præcipere ea omnia, quæ ſunt iuxta regulam: talia autem ſunt, quæ ad regulam aliquo modo pertinent, & conſequenter indifferentia, quatenus ex circum-

ſtantia

ſtantia boni finis, ob quem præcipiuntur, poſſint cohoneſtari, & fieri bona (v. g. ad exercendos ſubditos in virtute Obedientiæ); ergò ea poſſunt præcipi, vt pote incluſa in Regula implicitè; quod ſufficit ad hoc vt comprehendantur ſub obiecto Obedientiæ. ſic poteſt Prælatus præcipere Religioſo ſubdito, vt deambulet, comedat, honeſtam aliquã recreationem capiat, aliaque id genus indifferentia; cum hæc deſeruire poſſint, vt Religioſus per ea fiat vegetior ad diſciplinam regularem, ad laborem ſtudiorum, & alia miniſteria Religionis; quod eſt ordinare res indifferentes ad finem bonum, ſicque eas reddere bonas.

69 Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi ea quoquo modo ordinari poſſint ad obſeruantiam &c.* vt indicarem ea, quæ ſunt indifferentia, nec cohoneſtantur ex fine, ad quem ordinentur, non poſſe præcipi à Prælato regulari: quippeque ſunt vana, futilia, & fatua tum ex genere ſuo, tum etiam ex circumſtantijs, adeoque ordinari non poſſunt ad regularem diſciplinam, & vitam religioſam. ita expreſſè *S. Tho. 2. 2. q.* 186. *a.* 5. *ad* 4. vbi ait quod quamuis votum Obedientiæ ad religionem pertinens habeat quandam vniuerſalitatem, extendens ſe ad diſpoſitionem totius humanæ vitæ; non tamen, inquit, ſe extendit ad omnes actus particulares, quorum quidam ad religionem non pertinent, eò quod non ſint de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei, ſiue proximi, neque reduci, & ordinari poſſunt ad regularem vitam, & religioſam conuerſationem; & ratio eſt, quod obligatio Obedientiæ ſolum conſurgit ex voto Obedientię, quod emiſerunt: hoc autem votum eſt ſolum ſecundum Regulam Ordinis, ad quam vtique non ſpectant quę ſunt vana, ac impertinentia.

70 Vnde infert *Lezana tom. 1. c. 4. num. 3.* ex Gratiano, quod ſi Prælatus præcipiat Religioſo aliquid ſolùm concernens vtilitatem temporalem ſui, aut ſuorum (v. g. vt tractet aliquod negotium pro ipſis) non tenetur ſubditus obedire: cum materia talis præcepti non ſit ſecundum Regulam, vt patet.

QVÆRES VII. An Prælati regulares poſſint præcipere proprijs ſubditis aliquid, quod certò conſtet eſſe contra Regulam.

71 ℞. Non poſſe; & probatur tum quia tale præceptum non eſt verum, nec validum, vt pote excedens poteſtatem Prælati, quæ non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem ſecundum talem ſtatum: tum quia talia opera, licèt ſimpliciter non ſint mala, ſupponendo quod regula non obliget ad culpam, ſaltem ſunt in tali ſtatu imperfecta, ac impeditiua maioris boni, ideoque non ſunt materia voti, & conſequenter nec votum Obedientiæ obligabit ad illa ita *Miranda ſup. a. 8 Leſſ. ſupra n.* 74. *Suar. tom. 3. de relig. l.* 10. *c.* 8. *n.* 2. aliique cum *S. Tho. quodlib. 1. a* 16. benè monentes ex *Caiet. 2. 2. q. 104. a. 5.* hanc reſponſionem limitandam eſſe cum iſta exceptione, niſi Prælatus præcipiens aliquid contra Regulam habeat legitimam facultatem, & cauſam diſpenſandi: ſi enim eam habeat, iam non præcipit contra regulam, cum præſumi poſſit diſpenſare, ideoque illi obediendum eſt.

72 Quod ſi religioſus ſolum dubitet, num id, quod pręcipitur, ſit contra regulam, nec ne; tunc debet obedire, ſi inde nullum impendeat graue periculum bono publico, aut tertię perſonę, & ſubditus ipſe damnum graue non patiatur. ita *Clau. reg. l. 1. c. 13. num. 40 Sot. de tegendo ſecreto memb. 3. q. 2. concl. 1. Sanch. ſup cap. 3. nu. 3. Mirand. a. 5. Peregr. p. 2. Conſtit. c. 1. lit. d. §. 1.* aliique: & patet tum ex dictis *ſect. praeced. q. 12.* tum quia Obedientia, quę eſt virtus perfectiſſima, non ſinit ſubditum exigere rationem omnium pręceptorum, nec Pręlatus ipſe tenetur eam reddere. Ad quod maximè facit indultum à Leone X. Minoribus conceſſum, & relatum à Miranda vbi ſup. his verbis: *Leo X. conceſſit, & commiſit de plenitudine ſuæ poteſtatis, quod in dubijs, & ſcrupulis ſubditorum conſcientias tangentibus miniſter Generalis, vel Prouinciales, & Cuſtodes cum conſilio aliquorum Patrũ (ſi res magnæ importantiæ fuerint) poſſint auctoritate ſuæ Sanctitatis determinare in huiuſmodi, ac eorum determinationi ſubditi cum ſecura conſcientia debeant, & poſſint ſtare.*

QVÆRES VIII. An, & quo modo Pręlati poſſint iubere ſuis ſubditis aliqua difficillima, imò etiam naturaliter impoſſibilia ad experiendam ipſorum obedientiam.

73 ℞. Non poſſe; &, ſi quando ſimilia præcepta ſunt (quo pacto Abbates ſancti veteres aliqua præcipiebant ſuis monachis) præcipientes excuſari potuiſſe, ſiue quia non præcipiebant ea, quaſi obligarent, nec ſæpè quod ea fieri vellent, ſed vt ſubditi conarentur ea facere, vt in Obedientia ſimplici exercerentur, poſteriſque promptæ obedientiæ exempla relinquerent; vt benè aduertit *Azor. to. 1. l. 12. c. 13. q. 3.* Vnde ait *maior in 4. d.* 38. *q.* 15. quod, licèt præfati ſancti Abbates ea licitè præciperent, & perfectiſſima eſſet dictorum monachorum Obedientia: hi tamen non tenebantur obedire, cum res pręceptæ eſſent aut ſupra, aut præter regulam.

Dubium maius eſt, quo modo dicti Abbates interdum præciperent aliqua etiam contra ius naturæ: v. g. vt proprium filium in flumen proijcerent, deambularent ſuper aquas, ſe ex edito aliquo loco præcipites darent &c.

74 ℞. *Azor loco citato* eos excuſari poſſe ex eo quod nolebant ſubditos ea exequi, ſed ſolum intendebant probare Obedientiam ſubditorum: qui item videntur poſſe excuſari ex ſimplicitate, qua putabant ſibi licere ea imperata exequi, at longè meliùs eos excuſat *Sanch. num* 4. dicens eiuſmodi res fuiſſe pręceptas, ac executas ſpeciali inſtinctu Spiritus Sancti; non vt poſteris imitandæ proponerentur, ſed quò ſimplicis Obedientiæ in rebus non manifeſtè illicitis dignitas commendaretur; quo modo etiam multi Sancti peculiari ductu eiuſdem Spiritus ſancti, eiuſue diſpenſatione alia ſimilia præſtiterunt, quæ aptè ex ſe aduerſabantur iuri naturę, qua de re *Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. l. 4. c. 15. num. 32. & 33.*

Quod ſi quæras, quid poſſit, & debeat facere Religioſus, practicè loquendo, quando ipſi imponitur aliqua obedientia, quæ ſine peccato impleri non poteſt. v. g. vt ſe præcipitem deijciat è monte.

75 ℞. Poſſe, & debere facere quidquid circa rem præceptam poteſt exequi citra peccatum: & ſic (ſtando in exemplo allato) poteſt, & debet Religioſus aſcendere in montem, indeque ſe aliqualiter incli-

clinate, ac ſi re vera præcipitem ſe eſſet deiecturus, ſe tamen firmiter ſuſtentans ſuper ipſo monte. ratio eſt, quod ſic implet præceptum Superioris quantum poteſt, ſicque ſe oſtendit verum obedientem exequendo iuſſa Superioris, in quantum poteſt citra peccatum: cum quo ſine dubio non tenetur obedire.

QVÆRES IX. An Prælati regulares poſſint præcipere aliqua, quæ ſint clarè illicita, v.g. contra præcepta Dei, aut Eccleſię.

76 ℞. Non poſſe; &, ſi præcipiant, ſubditos non teneri obedire, & ſi iubeantur ſub cenſuris, & id quod præcipitur ſit ſolum peccatum v. eſt certa, & indubitata apud *Portel. de dub. regul. v. obedientia nu. 3.* & inde ſuadetur, quod religioſus non tenetur obedire niſi in ijs, quæ ſunt ſecundum regulam: conſtat autem, ea, quæ ſunt clarè illicita, non eſſe iuxta regulam, imò contra, & quidem etiam contra pręcepta Dei, aut Eccleſiæ.

77 Verum tamen eſt, quod ſi religioſus ſubditus ſolùm dubitet, num res præcepta ſit peccatum, nec ne: tunc & poteſt, & tenetur obedire, nec propterea vllo modo peccabit, imò potius merebitur; idque & ſi res, quæ pręcipitur, re vera in ſe ſit peccatum. ita *Portel. loc. cit.* probatque, quia in tali caſu poteſtas Prælati eſt in poſſeſſione: in dubio autem melior eſt conditio poſſidentis, vnde fit, vt religioſus in tali euentu obediendo bona fide faciat actum Obedientiæ, & conſequenter meritorium, ſi ſit in ſtatu gratiæ. cuius rei ea eſt ratio, quod obiectum voluntatis non eſt bonum, pro vt ſolùm eſt in re, & ſecundum naturam, ſed etiam pro vt eſt in anima, & in apprehenſione, vt docent *S. Th. 1.2. q. 8. a. 1.* & Philoſophi communiter dicentes nō differre, vtrum finis ſit bonum verum, an apparens; quod ſi detur, etiam dandum eſt parum referre etiam in actu, quod honeſtas obiecti ſit vera, vel ſolùm apparens, vt proinde *S Bernar. lib. de præcepto & diſpenſat. c. 17.* de conſcientia exponat illud Chriſti. *Matth. 6. Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit*, hinc indicans, pro vt ſe habuerit dictamen conſcientię, quod venit nomine oculi, & ipſum opus eſſe aut bonum, aut malum; qua de re plura *Baldell. l. 4. ſum. D. 7.*

Qualiter autem ſe debeat gerere religioſus ex conſcientia erronea eò perplexitatis deueniens, vt vtramque partem contradictionis putet eſſe peccatum, conſtat ex dictis *ſect. præcedenti q. 13.*

At difficultas eſt, quale peccatum committat religioſus, qui falsò apprehendit ſe peccare exequendo præceptum Superioris, non diſtinguens tamen peccet ne mortaliter, an venialiter.

78 ℞. DD. non conuenire; nam alij abſolutè putant eum peccare ſolum venialiter; nimirum *Naua. Lopez, Val. Salas, Perez, & Rodriq.* relati à *Caſtro Palao tr. 1. D. 1. p. 3. num. 5. Diana p. 3. tra. 4. reſol. 162. Regin. l. 13. num. 70. Baldel. ſup. D. 5. num. 6.* & alij ea ducti ratione, quod voluntas appetens malitiam in communi non appetit malitiam excedentem peccatum, v. alioqui ſi excederet, non eſſet communis mortali, & veniali: alij verò, nempe *Vaſq. Sanch. Azor. Clau. reg.* adducti ab eodem *Caſtro Palao num. 4.* cenſent religioſum in tali caſu peccare m. eò quod voluntas amplectens malum abſque ſufficienti examine qualitatis culpæ, manifeſto periculo ſe exponit amplectendi malitiam mortalem; ſicque videtur affecta, vt, etiam ſi ſciret illum actum eſſe mortalem, adhuc illum faceret. Ego vero in hac re ſic diſtinguerem; vel talis religioſus eſt vir timoratus, & animo ita diſpoſitus, vt, ſi ſciret illud peccatum eſſe mortale, illud non faceret: & ſic puto eſſe veram primam ſententiam; vel eſt conſcientiæ laxioris non omninò abhortentis à peccato mortali; & ſic exiſtimo eſſe veram ſecundam ſententiam; idque ob rationes pro vtraque parte allegatas. ita ego docueram nullius Doctoris nixus patrocinio, cum demum poſt aliquot annos id reperi apud *Decium Cyrillum in ſummula tit. de conſcientia n. 12.*

QVÆRES X. An Religioſi ex voto Obedientiæ cogi poſſint ad tranſeundum à ſtatu religioſo ad ſæcularem, ſi iuſta intercedat cauſa.

79 ℞. Quod, etiamſi fingamus caſum, in quo Papa ob vrgentem Eccleſiæ neceſſitatem poſſet licitè, & validè præcipere talem tranſitum alicui religioſo: nihilominus non poſſet illum præcipere in virtute Obedientiæ, ſed ſolum ex poteſtate ſupremæ iuriſdictionis, quam habet ſupra fideles. ratio eſt, quod Obedientia religioſa non habet pro materia talem tranſitum, ſed potiùs, quantum eſt ex ſe, illi repugnat: nec pertinet ad perſectionem ſtatus religioſi peculiaris obligatio ex voto obediendi Papæ pręcipienti ſtatum matrimonij in tali caſu; ſiquidem illud non eſt bonum ſuperogationis, & conſilij, ſed potiùs neceſſitatis, nec per ſe pertinet ad perſectionem, ſed potius, quantum eſt ex ſe, impędit eius ſtatum; eſto in eo caſu toleretur ob neceſſitatem, cui tamen ſufficienter ſubuenitur per oblationem præcepti abſque adiectione voti. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 10. c. 10. num. 1.* in terminis.

QVÆRES XI. An poſſit pręcipi religioſo vt tranſeat ad Ordinem laxiorem, aut certè æqualem.

80 ℞. Non poſſe; & probatur, quia talis tranſitus, eſtò in aliquo caſu fingatur licitus ex auctoritate Papę, non eſt materia voti Obedientiæ religioſę; vt hinc patet, quod, ſi ſit ad religionem laxiorem, eſt minus bonum, & conſequenter non eſt materia voti: ſi verò ſit ad ęqualem, ſaltem per ſe non eſt maius bonum; imò ratione mutationis aliquo modo eſt minus bonum ex genere ſuo, & (quod caput eſt) repugnat priori ſtatui, & regulę, iuxta quam emiſſum eſt votum Obedientię; ideoque non poteſt eſſe materia imperabilis ex voto Obedientię. ita *Suar. num. 2.*

QVAERES XII. An poſſit præcipi religioſo, vt tranſeat ad Ordinem perfectiorem.

81 ℞. Quod, ſicut talis tranſitus non poteſt prohiberi ex voto Obedientiæ (quia alioqui impediretur maius bonum, quod repugnat voto, cum ſolùm ſit de meliori bono) ita nec poteſt præcipi, cum votum religioſæ Obedientiæ ſit tantum ſecundum regulam, vel ad ſummum extendatur ad ea, quę nō ſunt contra regulam; conſtat autem tranſitum ab vna religione ad aliam, licèt perfectiorem, non eſſe iuxta regulam prioris religionis, imò dici poſſe illi cōtrarium, quatenus ſtatum illum euertit, vt intro-

ducat

ducat alium; vnde talis tranſitus non poteſt eſſe materia apta voti obedientiæ. ita *Suar. num.* 4. *&* 5. monens *num.* 4. ex eo quod non poteſt fieri tranſitus ad religionem perfectiorem ſine licentia petita præſentis Superioris, non ſequi talem tranſitum eſſe materiam voti obedientiæ: cum obligatio petendi eiuſmodi licentiam non oriatur ex voto obedientiæ ſed ex lege poſitiua Eccleſiæ.

QVÆRES XIII. An Religioſus vi voti Obedientiæ prohibeatur acceptare Epiſcopatum, aut aliam dignitatem abſque conſenſu proprij Superioris.

82 ℟. Prohiberi; & patet tum ex *cap. quam ſit* 18. *q.* 2. vbi dicitur, nullus monachus ſine teſtimonio, & conceſſione Abbatis ſui in Eccleſia aliquem locum teneat, vel ad aliquem promoueatur honorem; tum ex *cap. ſi religioſus de elect. in* 6. vbi Bonifac. VIII. irritat conſenſum religioſi acceptantis electionem ſui ad prælationem ſine licentia Prælati petita, & obtenta, & in pœnam talis delicti irritat ipſam electionem, rationem reddens ex eo quod Religioſus non habet velle, nec nolle, ſed ex illius, quem vice Dei ſupra caput ſuum poſuit, & cuius imperio ſe ſubiecit, voluntate dependet; vnde patet, obligationem illam petendi licentiam fundari in voto obedientiæ, cum ex eo ſolùm naſcatur quod Religioſus non habeat velle, nec nolle: vt benè aduertit *Suar. num.* 7. notans præfatam licentiam à Religioſo non eſſe obtinendam, niſi poſt electionem, ſi enim antea detur ad electionem, ſi contingat fieri, nullius eſt firmitatis, vt ſtatuitur in *Clem. vlt. de elect.* & quidem meritò, cum licentia data ad futuram electionem pariat viam ambitioni.

Dubium maius eſt quo ad Papatum, vtrum ſcilicet Religioſus inuito ſuo Prælato poſſit acceptare Pontificatùm, & ſi non ſit Cardinalis, & per conſequens non exemptus ab obedientia religionis.

83 ℟. Videri poſſe; & probatur, tum quia nullum ius extat in contrarium quo ad hoc; cum tamen extet quo ad Epiſcopatum, vt iam vidimus: tum quia id non eſt contra iuſtitiam ratione donationis ſui factæ religioni per traditionem incluſam in profeſſione; cum per papatum perſona non ſubtrahatur religioni, ſed altiori modo maneat illi coniuncta, & in ſupradicta traditione intelligi poſſit incluſa conditio melioris, & altioris ſtatus, præſertim ſpectantis ad bonum totius Eccleſiæ; tum quia id non eſt contra votum obedientiæ; cum nullus Religioſus promittens obedientiam intendat ſe obligare in caſu adeo particulari, atque extraordinario, qui ſecundum ius non cenſetur includi in generali locutione: tum denique quia, quod dicitur religioſum non habere velle, nec nolle, non habet verum, niſi ſecundum fictionem iuris; fictio autem iuris non habet locum, niſi in materia ſubiecta voto obedientiæ, & pro vt illi ſubijcitur. ita *Suar. num.* 10. monens *num.* 14. prohibitionem acceptandi electionem de ſe factam ad Epiſcopatum ſine conſenſu Prælati fundari maximè in nouo iure Bonifacij VIII. in citato *cap. ſi religioſus*, non autem eſſe ex natura rei, & ex vi voti obedientiæ; quamuis fateatur non eſſe ita certum, nec ſatis conſtare, ſit ne dicta prohibitio ſolum de iure Eccleſiaſtico, vel ex vi voti obedientiæ, adeoque ſemper fuerit coniuncta cum ſtatu religioſo, non verò ſolum à tempore Bonifacij.

QVÆRES XIV. An religioſi vi voti obedientiæ cogi poſſint ad acceptandum Epiſcopatum, aliamue dignitatem, ſiue Superiorem, ſiue Inferiorem.

84 ℟. Non poſſe cogi à Prælatis proprijs, & probatur, quia id repugnat tum ex parte Prælati, tum ex parte ſubditi: ex parte quidem Prælati, quia poteſtas competens Superioribus religionum per ſe ordinatur ad bonum commune religionis, aut particulare ſubditi; nec ij ex vi officij tenentur prouidere communi Eccleſiæ: at Epiſcopatus, & aliæ ſimiles dignitates ex ſe non ordinantur ad bonum religionis, aut ſubditi, ſed ad commune bonum Eccleſiæ; ex parte vero ſubditi, quia ille non tenetur obedire, niſi in ijs, quæ ſunt ſecundùm regulam, pertinentibus ad ſtatum religionis; tale autem non eſt fieri Epiſcopum, Cardinalem, &c. ergo. ita *S. Tho.* 2. 2. *qu.* 185. *a.* 2. *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *cap.* 2. §. 6. *Sylu. v. electio* 1. *quæſt.* 19. *S t. l.* 10. *de iuſt. q.* 2. *a.* 2. §. 3. *Sanch. l.* 6. *mor. cap.* 2. *num.* 49. *Lezana to.* 1. *cap.* 4. *n.* 18. alijque inter quos *Sotus* benè notat Doctores aſſerentes religioſum teneri obedire Prælato obliganti ad acceptandum Epiſcopatum, intelligendos eſſe de Papa (quod nos etiam concedimus) non autem de Prælato regulari.

85 Et quidem quod Papa poſſit cogere religioſum ad acceptandum Epiſcopatum, aut aliam ſimilem dignitatem; probatur tum quia etiam poteſtas ciuilis cogere poteſt ciues ad capeſſenda reipublicæ munera *l. ſi ad magiſtratum C. de decurionibus l.* 10. *& toto tit. de excuſat. mun. eodem lib.* tum quia talis poteſtas eſt valdè neceſſaria rectæ gubernationi Eccleſiæ; cum quilibet ſecundùm propriam voluntatem vacare debeat propriæ ſaluti, aliorum regimen declinando, quantum in ſe eſt: ne ergò Eccleſia deſtituatur idoneis miniſtris, ac Prælatis, oportuit dari in Eccleſia poteſtatem compellendi ad acceptandum aliorum regimen, & conſequenter Epiſcopatum, aliaſque Eccleſiaſticas dignitates; nulli autem magis competit talis poteſtas, quam Papæ, cui incumbit cura totius Eccleſiæ, vt patet. ita *Sanch. ſup.* benè monens eiuſmodi coactionem fieri poſſe à Papa, non ratione voti obedientiæ, ſed ex iuriſdictione, quam habet in totam Eccleſiam, & eo modo, quo poſſet ad id compellere Clericos ſæculares, & alios: & hoc in caſu, quo neceſſitas boni communis id exigeret.

QVÆRES XV. An religioſi vi voti obedientiæ cogi poſſint ad acceptanda beneficia tam ſæcularia, quam regularia, & quæ

86 ℟. Non poſſe à regulari Prælato, ſiue beneficia ſint ſæcularia, ſiue regularia alterius Ordinis: poſſe verò cogi ad regularia conſueta regi per religioſos ſui monaſterij. ita *Rodriq. tom.* 1. *qu.* 34. *a.* 8. *Nau. comm.* 4. *de regul num.* 23. Suar. *to.* 3. *de relig. l.* 10. *cap.* 10. *num.* 24. *Sanch. ſup. num.* 51. alijque, & probatur quia beneficia ſæcularia, & regularia, etiam eiuſdem Ordinis, ſi ſint alterius monaſterij, eorumque

cura,

cura, ſunt omninò extra regulam, & nec directè, nec indirectè ſpectant ad vitam regularem, & conſequentet neque ad obedientiam Prælati regularis; cum è contra beneficia regi ſolita per Religioſos talis monaſterij, eorumque miniſteria propriè pertineant ad munera talis religionis, ſeu monaſterij; ideoque cadant ſub materia obediẽtiæ Prælatorum illius iuxta *cap.quorumdam de elect.in 6.* & *cap.cum ſingula §.prohibemus de præbend.in 6.* Dixi, *etiam eiuſdem Ordinis, ſi ſint alterius monaſterij*; vt innuerem, quod indicat *Sanch. loco citato* Prælatum regularem non poſſe cogere Religioſum ſubditum ad ſuſcipiẽdum beneficium regulare alterius monaſterij ſui Ordinis, cum id ſit prohibitum *cap.cum ſingula §.prohibemus modò citato*, & Prælatus regularis ſolum habeat talem poteſtatem quo ad beneficia pertinentia ad ſuum monaſterium. quod tamen non facit, inquit *Suar.* quo minùs regulares per præcepra ſuorum Superiorum adſtringi poſſint ad ſuſcipiendum munus Parochorum apud Indos; eò quod tale miniſterium ex Papæ diſpenſatione ſit appropriatum talibus religioſis; quod non approbat *Sanch.ſup.num.* 50 abſolutè negãs Regulares poſſe à proprijs ſuperioribus ad id obligari; cum illud munus ſit præter Inſtitutum talium Ordinum, & varijs, ac magnis periculis plenum. Verum tamen eſt religioſos poſſe cogi à Papa ad acceptanda beneficia quæcumque ſiue ſæcularia, ſiue regularia: idque ob rationes adductas *q.præcedenti* §.*& quidem.*

QVÆRES XVI. An, & quo modo religioſi ex voto Obedientiæ cogi poſſint ad acceptandas prælaturas, ac dignitares religionis.

87 ℞. Poſſe; & quidem in caſu, quo illi iudicent ſe non eſſe omninò dignos tali munere. ita *S. Antonin. 3.p.tit.16.c.1.§.q.* ex *Palud.in 4.d.19.q.1.n.7. Sanch. ſup.c.3.n.11. Peyr.de R.S.q.1.c.10. Lezana tom.1.c.4. num.17.* alijque; & probatur; tum quia Prælatus regularis poteſt præcipere ea omnia, quæ ad regulam pertinent; tale autem eſt habere aliquam dignitatem in religione, ſiue cum cura animarum, ſiue abſque, imò & aliquod ex officijs minoribus, vt per ſe patet: tum quia aliàs minùs ſufficienter eſſet prouiſum diſciplinæ regulari, ſi omnes poſſent refugere munera, ac dignitates religionis. Vnde infert *Peyr.* ex *S.Tho.Sylu.Ang. Rodriq. & Miranda* religioſum ſub peccato m. teneri acceprare dignitates intra Ordinem, etiamſi non accedat præceptum Superioris, ſi videat id cedere in magnum præiudicium boni communis: quod vtique præferendum eſt bono priuato religioſi particularis; ad quod facit, quod refertur *cap.in ſcripturis 8.q.1.* ex S.Gregorio *Si is, qui valet omnipotentis Dei oues, renuit paſcere, oſtendit ſe Paſtorem ſummum minimè amarè: ſi enim Vnigenitus Patris pro explenda vtilitate omnium de ſecreto Patris egreſſus eſt ad publicum noſtrum: nos quid dicturi ſumus, ſi ſecretum noſtrum præponimus vtilitati proximi?*

88 Dixi *etiam quidem in caſu, quo illi iudicent ſe non eſſe omninò dignos*: in dubio enim obediendum eſt, vt iam probauimus: quod certè non haberet verum, ſi Religioſus ſe rationabiliter æſtimaret indignum prælatura oblata; nam tunc non poſſet illam acceptare abſque peccato; idque etiamſi, manifeſtata propria indignitate, adhuc adſtringeretur à Superiore ad illam acceptandam: præſertim ſi noſſet Prelatum nolle acquieſcere ductum priuata affectione amoris, aut vtilitatis. ratio eſt, quod eſſe dignum eſt ita de intrinſeca ratione prælaturæ, vt neq; Papa poſſit diſpenſare promouendo indignum; cum hoc ſit contra ius naturæ, in quo Papa non poteſt diſpenſare. ita *Sanch.ſup.num.* 11. hinc inferens Paludanum, & S. Antoninum aſſerentes Religioſum iuſſum à Superiore admittere Prælaturam Ordinis, aut audire confeſſiones, teneri obedire, eſtò reputet ſe eo munere indignum, & carentem ſcientia ſufficienti: intelligendos eſſe cum hac limitatione; dummodo non euidenter nouerit defectum dignitatis, & ſcientiæ, ſed ſolùm dubius ſit.

At difficultas eſt, an Religioſus iuſſus acceptare prælaturam aliquam regularem teneatur obedire, ſi agnoſcat ſe affectum aliquo impedimento non parum obſtante dictæ acceptationi.

89 ℞. Quod, cum in præſenti caſu triplex impedimentum interuenire poſſit: vnum, quod ipſemet Religioſus poteſt amouere (vt ſi habeat propoſitum perſeuerandi in aliquo peccato, quod prælationi admittendæ obſtaret): alterum, quod non poteſt amouere Religioſus ipſe, ſed Prælatus diſpenſando (vt ſi Religioſus ſit irregularis): & tertium, quod neque Religioſus, neque Prælatus poteſt amouere; ſi quidem Religioſus laboret impedimento primi generis, debet illud amouere, vt obediat: ſi verò impedimentum ſit ſecundi generis, debet Religioſus illud aperire Superiori, vt diſpenſet, niſi aliunde malit obtinere diſpenſationem, eaque obtenta tenetur obedire; ſi denique impedimentum ſit tertij generis, tunc Religioſus non tenetur obedire; cum impoſſibilium non ſit obligatio, & valdè difficile in moralibus reputetur impoſſibile. ita *Sanch. ſup.cap.2.num.53.* ex *S.Tho. Turrecr.S.Anton. & Soto* addens quod, quando ſubditus eſt ea affectuum prauorum peſte corruptus, vt nullatenus eos ſedare valeat, ſed prudenter timeat fore, vt ſuperetur, non tenetur obedire; & hoc ob rationem modò adductam.

90 Sic *Peyr. vbi ſupra* notat ex *S.Tho.2.2.q.26.a.4. & 13.* quod, quamuis Religioſus videns ſe non poſſe declinare prælaturam oblatam ſine graui dãno boni communis, teneatur illam admittere; eſto ex concurrentibus circumſtantijs opinetur, moraliter loquendo, ſe non raró peccaturum, ſi prælaturam admittat: nihilominus ſi certa experientia doctus in adminiſtrandis ſimilibus prælaturis ſæpiùs videt ſe delinquere, aliàs non delicturus, non tenetur etiam iuſſus admittere prælaturam: cum ſic charitas incipere debeat à ſe ipſo, & periculum peccandi non ſit remotum: quo modo erat in priori euentu: in quo proinde tenetur acceptare prælaturam; cum bonum commune præferri debeat bono particulari, & religioſus ſic acceptans non ſe exponat periculo certo peccandi, ſed ſolum periculo facillimè peccandi, quod cum ipſi ſit moraliter inuoluntarium, non poteſt ei imputari ad peccatum; præter quam quod poteſt, & debet ſperare ſe cum Dei gratia etiam ab illo ipſo periculo liberatum iri: cum homo omnia poſſit in Deo, qui ipſum confortat.

tat. Vt proinde S. Petrus apud Clementem *epiſt. 1.* ſic dicat *Si periculum peccati timens Eccleſiæ gubernacula ſuſcipere refugis, certus eſto quod grauius peccas, quam ſi populum Dei in mari fluctuantem, cum iuuare poſſis, ſubterfugis, tui tantummodo conſiderationẽ habens.*

91 Monet item *Peyr. ex S. Th. quodlib. 5. a. 22.* quod, licèt humilitas religioſa petat, vt oblatas dignitates Religioſus modeſtè declinet; id tamen non eſt pertinaciter faciendum, quando conſtat de ſuperna Dei voluntate. quo pacto Eccleſia ſanctè, pièque inſtituit, vt, quando quis ſuſciperetur in Epiſcopũ, bis priùs reſponderet *nolo*, & tertia vice diceret, *volo*; ſic indicans & ſuam humilitatem, & obedientiam; ad quod alludit effatum Antiſtenis, qui interrogatus, qualiter accedendum eſſet ad reipub. munera reſpondit *Sicut ad ignem, neque nimis prope, ne comburaris; neque nimis longè, ne frigeſcas.* Ad quod facit *cap. niſi cum pridem de renuntiat.* vbi dicitur *Tunc in te veram humilitatem cuſtodies, cum & per eam locum ſublimem fugies, & per obedientiam non dimittes.* vbi *Abbas n. 2.* ait *humilitas, quæ contra obedientiam erigitur, eſt ſuperbia.*

QVÆRES XVII. An Religioſus iuſſus concionari, aut exercere aliquod aliud miniſterium, quod naturaliter quam maximè auerſatur, vi voti obedientiæ teneatur, non obſtante maxima illa repugnantia.

92 ℟. Teneri; patetque ex eo quod, quamuis amplitudo voti obedientiæ pendeat ex intentione vouentis, adeoque ipſum non cenſeatur extendi ad ea, in quibus non eſt veriſimile vouentem voluiſſe ſe obligare ad obediendum; vt notauit *Suar. to. 3 de relig. l. 10. c. 3. n. 10.* loquens in ſpecie de voto ſimplici obedientię, aſſerens obligationem talis voti menſurandam eſſe ex probabili, ſeu coniecturali intentione vouentis; non ideo tamen poteſt Religioſus excuſari in præſenti caſu, quaſi non intenderit in emittendo voto obedientiæ ſe obligare ad obediendum in re ipſi adeò ardua, ac moleſta; ſi quidem, cum promiſerit obedientiam ſecundùm regulam, & munus concionandi, aliaque ſimilia miniſteria ſint iuxta regulam (vt ſuppono) conſequenter intendit ſe obligare etiam ad ea exercenda. quod tamen non facit, quin Religioſus poſſit proponere Superioribus ſuas difficultates, manẽs tamẽ animo paratus ad obediendum in caſu, quo ij perſiſtant in ſua ſententia; qua de re plura in *tract. de profeſſ. c. 5. ſect. 2. q. 5.*

QVÆRES XVIII. An, & quo modo prælati regulares vi voti obedientiæ præcipere poſſint religioſis ſubditis actus merè internos.

93 ℟. Non poſſe, niſi actus internus externo ſit ita colligatus, vt hoc ſuperato, per neceſſariam conſequentiam imperatus cenſeatur & ille; vtpote qui non poteſt conſiſtere ſine interno, quo modo Religioſus iuſſus celebrare pro alio tenetur habere intentionem applicandi ſacrificium ipſi; aliàs enim non poſſet fieri ſacrificium pro illo. ita *S. Tho. 2. 2. q. 104. a. 5.* communiter receptus apud *Sanch. ſupra n. 6. Rodriq. to. 3. q. 19. a. 2. Roſela v. obedientia n. 2. Mirand. to. 1. manual. q. 26. a. 3. Lezana ſup. n. 5. Azor. to. 1. l. 12. c. 13. q. 4. Portel. de dub. regul. v. obedientia num. 1.* alijque; & probatur, quia ad hoc vt Superior poſſit aliquid præcipere, aut prohibere, opus eſt, vt de eo poſſit iudicare, & ad id cogere: at iudicare de internis, & ad id cogere excedit omnem humanam poteſtatem: ergò.

94 Oppoſitum indicat *Laym. l. 4. tract. 5. cap. 9. nu. 4.* dicens non eſſe certum, quod Regularis ſubditus non teneatur obedire ſuo Prælato præcipienti actus merè internos, v. g. orationem mentalem: probat; tum quia ſicut homo poteſt Deo promittere actus merè internos, ita & poteſt promittere in vſu illorum parere homini vice Dei pręcipienti: tum quia non eſt eadem ratio de obedientia, quæ oritur ex vi legis, ſeu præcepti prouenientis ex iuriſdictione, aut naturali, vel coacto dominio; ac de ea, quæ naſcitur ex promiſſione voluntaria hominis (qualis eſt obedientia religioſa.) is quippe ſi velit, poteſt promittere obedientiam homini vice Dei, etiam in ijs rebus, in quibus homo naturaliter non poteſt eſſe homini ſubiectus; quæ ſunt rationes adductæ à *Suarez ſup. cap. 9. num. 5.* ad probandum perfectam obedientiam Euangelicam cadere poſſe, etiam in actus internos. Verùm iſtæ rationes non probant, niſi de poſſibili; vnde ipſemet *Laym.* cautè dixit non eſſe improbabile, quod religioſi, ſaltem aliquarum religionum, in quibus viget ſtrictior obedientia, ad talem obediendi ſeueritatem ſe obligare intendant, cum velint fieri vti holocauſtum, quo ſe totos, ac præcipuè voluntatem ſuam Deo in manibus, ac poteſtate prælati offerant; quare ad diiudicandum, vtrum in hoc, aut illo Ordine vigeat talis obedientia, examinari debet intentio vouentium, & ſtandum eſt communi ſenſui vniuſcuiuſque religionis; quod ſi non conſtet de tali vſu, præſumendum eſt, vouentem obedientiam religioſam non intendere ſe obligare ad obediendum, niſi modo ordinario, ideſt quo ad actus externos.

Quod ſi hac occaſione quæras, an damnari poſſit inobedientiæ religioſus, qui contra prohibitionem factam in ſuo Ordine, ne ſuſtineatur tanquam probabilis aliqua opinio (v. g. quod in materia venerea detur paruitas materiæ) interiùs oppoſitum ſentiens, de facto omittit confiteri quoſdam tactus venereos ex eo præcisè, quod iuxta illam opinionẽ putat eos excuſari à mortali ex paruitate materiæ.

95 ℟. Videri probabile, quod non poſſit damnari; & ratio eſt, quod quamuis religioſus in caſu propoſito omittens confiteri tactus illos venereos, ductus probabilitate illius opinionis eam non ſolùm interiùs ſuſtineat tanquam probabilem (quo modo non poteſt dici tranſgreſſor ſupradictæ prohibitionis, cum Eccleſia non iudicet de occultis) ſed etiam exteriùs re ipſa exerceat: quatenus talis omiſſio eſt negatio actus externi, & conſequenter etiam ipſa eſt externa; nihilominus, cum talis omiſſio non ſit ſufficienter manifeſtatiua præfati actus externi, ac motiui interni, non ſubeſt prædictæ prohibitioni, nec pęnis in ea contentis, ſicque non conſtituit Religioſum tranſgreſſorem illius, per ea, quæ habent *Sanch. l. 2. mor. cap. 8. à num. 7.* alijque DD. penes *Dianam p. 5. tractat. 9. reſolut. 48.* nimirum nullum actum internum præcipi, aut prohiberi, aut puniri ab Eccleſia, niſi verbo, aut alio ſigno exteriùs indicetur: idque etſi actus internus coniũgatur

cum exteriori, ideoque Inquiſitores non incurrere excommunicationem latam in *Clem. 1. de hæretic.* quamuis ex odio, aut amore non procedant in cauſa fidei; niſi ſigno externo indicent omiſſionem procedendi oriri ex amore, vel odio; quę doctrina ſine dubio militat etiam in caſu noſtro: & eſt valdè probabilis; cum eam ſequantur *Sotus*, *Vaſqu. Val. Sayr. Suar. Coninch. Hurtad. Corneius*, & *Sanch.* relati à *Diana*.

96 Vnde quis benè inferat quod, quando prælati regulares prohibent ſuis ſubditis, ne ſuſtineant aliquam opinionem doctrinalem tanquam probabilem, iſta prohibitio per ſe non extenditur ad hoc vt non poſſint interiùs eam exiſtimare eſſe probabilem, ſed ſolum ne eam doceant priuatim, aut publicè illam defendant, typis euulgent, aut ad praxim deducant, & hoc ob doctrinam allatam §. *præcedenti*.

97 Ex quibus patet qualiter reſoluenda ſit controuerſia, quę eſt inter Doctores, vtrum Superior cogere poſſit religioſum ſubditum ad ſequendam ſuã opinionem; poteſt enim cogere, ita vt ſubditus illam exteriùs doceat, aut practicet, non item vt eam interius probabilem exiſtimet; qua de re *Sanch. l. 6. mor. c. 3. n. 7. Rodriq. to. 3 q. 19. a. 6. Bordonus reſol. 19.*

SECTIO IV.

De ijs, quibus parendum eſt ex voto Religioſæ Obedientiæ.

98 *Ex voto obedientiæ parendum omnibus prælatis ordinis.*
99 *Non item Deo.*
100 *Etſi in forma profitendi ei promittatur obedientia.*
101 *Non Eccleſiæ.*
102 *At ex eo parendum eſt Papæ.*
103 *Ei enim principaliter vouetur obedientia.*
104 *Sicque Religioſus non obediens illi, duplicem facit inobedientiam.*
105 *Papa Religioſo vi voti poteſt ſolum præcipere iuxta regulam.*
106 *Papa, ac prælato regulari contraria iubentibus, parendum Papæ.*
107 *Congregationi Cardinalium ſuper Regulares non eſt certum hos vi voti teneri obedire.*
108 *Declarationes dictæ Congregationis non ſemper obligant inſtar legis vniuerſalis.*
109 *Vi voti non tenentur Regulares parere Nuncijs, ac Legatis de Latere.*
110 *Non Protectori Ordinis.*
111 *Non Collegio Cardinalium, Sede vacante.*
112 *Non loci Ordinario, etſi ij non eſſent exempti.*
113 *Quod tamen alij negant, ſed reijciuntur.*
114 *Religioſi non exempti in aliquibus debent potius parere Ordinario loci, quam proprio prælato.*
115 *Omnibus prælatis ordinis parendum ex voto obedientiæ,*
116 *Non item Subprioribus, Vicarijs, Miniſtris, ac ſimilibus.*
117 *Limita, niſi ex abſentia prælati fiant Superiores in capite.*
118 *Idque de iure communi.*
119 *Ex voto parendum etiam habentibus poteſtatem delegatam.*
120 *Poteſtas prælati regularis eſt ordinaria.*
121 *Parendum ei, etiam præcipienti extra ſuum territorium.*
122 *Non item, ſi ille ſit excommunicatus vitandus.*
123 *Ei parendum, quamdiu, eo accuſato, lis pendet.*
124 *Non parendum præcipienti contra regulam, aut ſtatuta Ordinis.*
125 *Item non parendum præcipienti ex falſa præſumptione, ſecluſo periculo ſcandali.*
126 *Parendum prælato nulliter electo ex defectu occulto.*
127 *Item in caſu, quo ille ſit depoſitus, ſed de hoc non conſtet.*
128 *Item in caſu, quo conſtet eum incurriſſe officij priuationem vi alicuius Bullæ, ſi nondum ſecuta eſt Iudicis ſententia.*
129 *Limita, niſi ſubditi renuant obedire nixi opinione docente in caſu propoſito non peti iudicis ſententiam.*
130 *Etſi aliunde malè faciant, non obediendo in tali caſu.*
131 *Parendum prælato, etiam pendente appellatione.*
132 *Parendum prælato ſuperiori, ſi is, & prælatus inferior eodem tempore contraria præcipiant.*
133 *Si quidem præceptum prælati inferioris vera contrarietate aduerſetur præcepto prælati ſuperioris.*
134 *Prælato regulari, ac patre viri religioſi contraria præcipientibus, non ſemper parendum eſt prælato.*
135 *Religioſi peregrinantes regulariter parent ſuo prælato domicilij.*
136 *Tranſeuntes ab vno domicilio ad aliud interim nulli prælato locali ſubſunt.*
137 *Nec ſubſunt prælato prioris domicilij, ſi ad illud redeant, antequam perueniant ad poſterius domicilium, paulò poſt inchoatum iter profecturi.*
138 *Religioſus Cardinalis, aut Epiſcopus ex voto obedit Papæ.*
139 *Religioſus legitimè electus in aliquibus paret prælato regulari ex voto obedientiæ.*
140 *Non item in alijs rebus.*
141 *Religioſus ad matrimonium diſpenſatus ex voto non obedit prælato regulari.*
142 *Parendum Superiori, etiam non potenti præcipere in virtute obedientiæ.*
143 *Non omnes ſuperiores Regularium poſſunt ſic præcipere: etſi aliàs fœmina de potentia Papæ abſoluta ſit capax ſpiritualis iuriſdictionis, ſicque modo dicto poſſit præcipere.*
144 *Afferuntur aliquæ formulæ faciendi præcepta ſub mortali peccato obligantia.*

QVÆRES I. Cui, generaliter loquendo, teneantur religioſi parere ex voto obedientię, quod emittunt in profeſſione.

98 ℞. Quod, cum Obedientia ſit virtus, quæ ad alterum ſuo modo ordinatur, ſicque in ſuo obiecto includat perſonam, cui prȩſtari debet votum obedientię, pro vt fit in religione, generaliter obligat ad obediendum omnibus prȩlatis religionis,

in

in qua quis profitetur, ſeruato tamen reſpectu, & Ordine inter ipſos, vti oſtendimus *ſect.1.q.8.* Vnde ſicut Religioſus ex voto obedientiæ non tenetur obedire niſi homini, ſed Deo per hominem præcipienti; ita nec tenetur obedire cuicumque homini, ſed tantùm illi, cui per tale votum voluntariè ſe tradidit, id eſt Prælatis religionis modo dicto.

QVÆRES II. An Religioſi ex voto obedientiæ teneantur parere Deo.

99 ℟. Non teneri; ſiue Deus præcipiat per ſe ipſum, ſiue per Angelum, ſiue quouis alio modo extraordinario. ita *Suar.to.3. de relig.l.10. cap.11. numer.2.* & probatur tum ex forma emittendi votum religioſæ obedientiæ; quæ ſolet eſſe *Promitto tibi Præpoſito generali, & ſucceſſoribus tuis obedientiam.* vel *promitto in hac religione obedientiam ſecundùm talem regulam*, vel alio ſimili modo (quod ſine dubio eſt promittere obedientiam, non Deo, ſed homini, vt patet;) tum quia finis illius voti eſt, vt homo per hominem dirigatur in ijs, quæ ſpectant ad perfectionem, vt docet *S. Tho.2.2.qu.186.a.5.* tum quia ſtatus religioſus regulariter eſt in humana communitate, ideoque vt conſeruetur, & ſubſiſtat neceſſaria eſt obedientia ad hominem: tum denique quia ad hoc vt homo obligetur obedire Deo per ſe præcipienti, non requiritur votum, cum ei ratione ſuæ connaturalis poteſtatis debeatur obedientia: cum tamen votum obedientiæ religioſæ ſit de ijs, quæ ſecluſo voto non caderent ſub obligationem: vt aduertit idem *S.Tho.a.citato ad 7.*

100 Nec obſtat, quod frequenter in forma emittendi votum obedientiæ religioſæ dicitur *Voueo*, aut *promitto Deo, & tibi*; ſi quidem illi duo datiui caſus ſub diuerſo reſpectu ponuntur; Deus enim eſt perſona, cui fit votum: Prælatus verò ponitur vt perſona, cui vice Dei obediendum eſt ex voto; talis quippe eſt intentio emittentium tale votum; ſicque intellexerunt, & interpretati ſunt hanc obedientiam Inſtitutores Religionum.

QVÆRES III. An Religioſi ex voto obedientiæ teneantur parere Eccleſiæ.

101 ℟. Non teneri, & conſequenter vi talis voti non adſtringi obedire Prælatis ipſius Eccleſiæ, vt tales ſunt, ſed ſolum quatenus præcipiunt ex vi iuriſdictionis, quam illi habent à Chriſto, ſiue mediatè, ſiue immediatè. ita *Suar. n.3.* & probatur, tum quia Religioſus non vouet obedientiam ſecundùm præcepta Eccleſiæ, nec vouet obediētiam aliàs neceſſariam, ſed voluntariè ſupperaditam: quod ſolum erat neceſſarium ad perfectionem: tum quia alioqui Religioſus faciens contra aliquod præceptum Eccleſiæ, v.g. frangens ieiunium, peccaret grauiùs ex circumſtantia voti, & teneretur exprimere in confeſſione hanc ipſam circumſtantiam; quod tamen nemo dicet.

QVÆRES IV. An, & quo modo Religioſi ex voto obedientiæ teneantur parere Papæ.

102 ℟. Teneri quo ad obſeruantias regulares; & quidem eo modo, quo tenentur obedire proprijs prælatis regularibus. ratio eſt, quod votum religioſæ obedientię per ſe primò & principaliter fit Papę, tāquam ſupremo Generali omnium religionum, qui proinde ex duplici capite eſt Superior Religioſorū altero vt omnium fidelium, eò quod ſit caput ſupremum Eccleſię: altero ſpecialiter ipſorum Religioſorum, eò quod ipſi tanquam ſupremo religionum pręlato ſe voto obedientię adſtringunt, non ſecùs ac ad obediendum prę́latis regularibus; vnde fit, vt Papa habeat poteſtatem dominatiuam voluntatis Regularium, qualem non habet aliorum fidelium. ita *Sanch. lib.6. mor.cap.1. num.8. Suarez ſup.num.13. Peyr. de R.S. q.1. ca.8.§.1. Lezana to.1. cap.4. n.31.* alijque communiter teſte ipſo *Suarez* contra aliquos Theologos apud *Durandum in 2. d. 44.q.5.* oppoſitum ſuſtinentes, nimirum Religioſos ex vi profeſſionis non promittere Papę ſpecialem obedientiam.

103 Et certè quod votum obedientiæ religioſæ per ſe primò, & principaliter fiat Papæ, fundatur, tum in voluntate Papæ, qui cum approbet vnamquamque religionem, eamque ſpecialiter ſuſcipiat ſub ſua cura, & principaliter acceptet traditionem, & vota religioſorum, præſumitur velle ſibi principaliter fieri traditionem illam, & promiſſionem obedientiæ, eſtò id ſpecialiter non exprimatur in ipſo voto obedientiæ: tum in intentione religioſorum vouentium, qui cum intendant promittere obedientiam omnibus prælatis, à quibus regi poſſunt iuxta diſciplinam regularem, item intendunt eam promittere Papæ, qui primum tenet locum inter prælatos religionum: tum denique in eo quod, cum tota poteſtas prælatorum regularium dependeat à Papa, non eſſet ordo conueniens, vt religioſi ex voto obedientiæ obligarentur parere illis, & non Papæ, vt aduertit *Suar. n.13.*

104 Illud porro benè aduertit *Sanch. n.9.* quod, ſicut religioſus violans aliquod præceptum Eccleſiæ non eſt reus duplicis malitiæ ſpecificę, vti diximus *quæſt. præcedenti*, eò quod eiuſmodi pręcepta generalia omnibus fidelibus non imponat papa, tanquam ſpecialis pręlatus religionum exigendo in ijs obedientiam ſibi debitam ex voto à Religioſis, ſed tanquam ſupremum caput Eccleſię, & ita omnes fideles ęqualiter obligando; ſic, ſi ſpecialiter aliquid pręcipiat Religioſis (cum poſſit id ipſis pręcipere; tum ratione iuriſdictionis ipſi competentis in Religioſos, tanquam membra Eccleſię, cuius ille eſt caput; tum ratione voti obedientię ipſi prę́ſtiti;) tunc Religioſus, ſi tale pręceptum violet, fit reus duplicis malitię ſpecificę, non ſecùs ac fieret tranſgrediēdo pręceptum ei impoſitum à prę́lato regulari.

105 Verum tamen eſt, quod papa vi voti obedientię non poteſt pręcipere, niſi ea, quę ſunt iuxta regulā Religioſi vouentis; ac proinde in reſponſione diximus Religioſos ex voto obedientię teneri obedire papę quo ad obſeruantias regulares; quo enim ad hoc non habet papa maiorem poteſtatem ſupra religioſos, quam habeant ipſi prę́lati regulares: & quidem meritò, cum talis poteſtas oriatur ex voto obedientię, adeoque non debeat extendi vltra intentionem vouentis expreſſam in forma voti: vnde, cum in forma voti non promittatur obedientia, niſi ſecundùm regulam, poteſtas inde prouenieńs extendi ſolum poterit ad ea, quę ſunt in regula, aut aliquo modo illam concernunt; quod eſt benè notandum.

Dices, quid ſi contingat Papam, & prælatum regularem præcipere alicui religioſo contraria, eaq; omnia licita, cui tunc obediendum eſt?

106 ℞. Obediendum eſſe Papæ; & probatur; quia religioſus profitens intendit promittere obedientiam cum debita ſubordinatione, quam ordo prælationis petit; ſicque eam principaliter, & primario promittit Papæ, qui proinde cenſetur habere quaſi ius prælationis. eſt communis DD. ex *S.Tho. in 2. d. 44. q. 2. a. 3.*

QVÆRES V. An Religioſi ex voto Obedientiæ teneantur obedire Congregationi Cardinalium à Sixto Quinto inſtitutæ ſuper regulares.

107 ℞. *Lezana tom. 1. cap. 4. numer.* 31. & ante illum *Thom. à Ieſu tract. 3. de viſitat. regul. cap. 17. num. 7.* teneri; probatque ſolùm ex eò, quod Sixtus V. in ſua Conſtitut. *æterni Dei*, quæ eſt in ordine 74. aliįque Pontifices inſtituerunt dictam Congregationem Cardinalium pro bono regimine Regularium. Verum non puto id eſſe ita certum; & ratio eſt, quod, quamuis Papa inſtituens præfatam Congregationem abſolutè potuerit illi delegare poteſtatem præcipiendi Regularibus non ſolùm ex poteſtate iuriſdictionis ſpiritualis, quam ipſe habet ſupra omnes fideles, & conſequenter etiam ſupra Religioſos; ſed etiam ex poteſtate, quam ipſe acquirit ex voto Obedientiæ, quod diximus præſtari etiam ipſi; cum vtraque iſta poteſtas ſit delegabilis: nihilominus non conſtat, quod papa vtramque iſtam poteſtatem delegauerit: quin potius præſumendum eſt non delegaſſe, niſi priorem, cum ea ad finem intentum ſufficere poſſet, & alioqui poteſtas competens ex voto Obedientiæ ſit ſpecialiſſima, adeoque cenſeri debeat non venire in generali commiſſione, niſi in ſpecie exprimatur iuxta regulam generalem, *non veniunt in generali conceſſione, &c.*

Votum verò Regulares teneantur ſtare declarationibus Congregationis Cardinalium ſuper Concilium ad ipſos ſpectantibus, tanquam vim legis habentibus.

108 ℞. Quod, cum iſta Congregatio ex Conſtitut. Sixti V. paulò ante citata non habeat facultatem interpretandi Concilium Tridentinum, niſi conſulto Sanctiſſimo, &, teſte *Salas D. 2. de legib. n. 51.* ea in edendis præfatis declarationibus valdè raro conſulat Sanctiſſimum; ſequitur dictas declarationes habere quidem vim interpretationis doctrinalis, & magni æſtimandas eſſe in Eccleſia; non tamen habere vim legis vniuerſaliter obligantis: maximè, cum eæ non ſoleant publicari (quod requiritur ad validitatem legis) imò potiùs prohibeantur publicari ſub pæna, quod libri, in quibus eæ publicantur, eò ipsò ſint prohibiti, vt ſtatuit ipſamet ſacra Congregatio 19. April. 1621. præcipiens 2. Augusti 1631. de mandato Vrbani VIII. vt huiuſmodi declarationibus tam impreſſis, & imprimendis, quam manuſcriptis nulla fides in iudicio, vel extra à quoquam adhibeatur, niſi in authentica forma ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Sacræ Congregat. pro tempore exiſtentium munitæ fuerint. Declarationem iſtam refert *Barboſa in Collectan. v. Congr. pro interpret. Conc. Trid.* & ſi ea benè perpendatur, clarè indicat non neceſſariò inhærendum eſſe omnibus huiuſmodi declarationibus, quæ circumferuntur: alioqui innumeræ eſſent leges eccleſiaſticæ, ſicut innumera ſunt reſponſa huius ſacræ Congregationis: cum tamen multitudo legum, & obligationum vitari debeat, quo ad fieri poſſit; præſertim cum paſſim circa idem omninò obiectum reperiantur declarationes ex diametro oppoſitæ, (quod ego non ſemel aduerti:) idque pro diuerſitate eorum, qui pro diuerſis temporibus in dicta Congregatione conueniunt, vt in ſimili notauit *Filluc. tr. 17. num. 89.* qua de re in *tract. de Monial. cap. 10. num. 43. edit. 2.*

QVÆRES VI. An Regulares ex voto Obedientię teneantur parere Legatis de latere, ac Nuncijs pontificijs.

109 ℞. Ex dictis *q. præc. in reſponſione principali* videri probabile, quod non teneantur; & hoc, etſi demus regulares alioqui exemptos ſubiacere iuriſdictioni dictorum Legatorum, ac Nunciorum. ratio reſponſionis eſt; quod ex vna parte votum obedientiæ religioſæ non obligat ad obediendum cuicumque Superiori, aut prælato proprio, ſed ſolum pręlatis regularibus, & Papę, tanquam ſupremo omniũ religionum Generali; tales autem non ſunt Legati etiam de latere, neq; Nuncij pontificij, vt patet; ex alia parte ad hoc vt ſaluetur in Regularibus debita ſubiectio dictis Legatis, ac Nuncijs, non eſt neceſſe, quod ipſis teneantur parere ex voto obedientiæ, ſed ſufficit, quod illi poſſint ijs imperare per poteſtatem iuriſdictionis, quam Legati de Latere, & Nuncij Apoſtolici habeant in illos; præſertim cum obligatio voti ampliari non debeat vltra intentionem vouentis: & religioſus vouens obedientiam intendat per tale votum ſe obligare ſolùm pręlatis regularibus, & Papę modo dicto; vt colligitur ex ipſa forma promittendi, quę regulariter conſiſtit in his verbis *Promitto Deo, & tibi* (ideſt pręlato regulari) *obedientiam*, aut alijs ęquiualentibus, vt vidimus *q. 2.*

An autem, & quo modo Regulares aliàs exempti ſubijciantur iuriſdictioni Legati de latere, & Nuncij Apoſtolici, dicemus *in tract. de priuilegijs c. 6. ſect. 1. q. 1. §. quod ſi hic obiter quæras.*

QVÆRES VII. An regulares ex voto Obedientię teneantur parere mandatis Cardinalis protectoris.

110 ℞. Non teneri; patetque ex dictis, quod votum religioſę obedientię nõ emittitur, niſi pręlatis proprij ordinis, & conſequenter non obligat ad obediendum niſi illis: Cardinalis autem protector propriè non eſt pręlatus ordinis, vt oſtendemus in *trac. de priuileg. cap. 8. ſect. 5. q. 5.* Quod tamen non facit, quin Religioſi teneantur obedire Cardinali protectori in ijs, quę ſpectant ad eius iuriſdictionem; idq; eo modo, quo diximus ipſos teneri obedire Legatis de latere, & Nuncijs; nimirum ex ſubiectione, quã illi habent, correſpondente eorum poteſtati, ac iuriſdictioni.

QVÆRES VIII. An regulares ex voto obedientię teneantur parere ſacro Collegio Cardinalium, ſaltem pro tempore Sedis vacantis.

℞. Videri

111 ℟. Videri non teneri, & conſtat ex eo quod, quamuis Sedes Apoſtolica, ſeu Collegium Cardinalium tempore Sedis vacantis ſuccedat in locum Papæ; & teſte *Peyrino to. 1. priuil. Conſtit. 2. Sixti IV. num. 11.* Religioſi, qui ex priuilegio immediatè ſubijciuntur Papæ, eo mortuo immediatè ſubiaceant Sedi Apoſtolicæ, & per conſequens Collegio Cardinalium; nihilominus hinc non ſequitur eos ex voto Obedientiæ teneri parere Collegio Cardinalium, quo modo tenentur obedire Papæ; moueor, quod rationes *q. 4.* adductæ ad probandum Regulares ex voto obedientiæ teneri obedire Papæ, non æqualiter militant in Collegio Cardinalium tempore Sedis vacantis ſuffecto in locum Papæ; ideoque cum à diuerſis non fiat illatio, minus benè infertur dictos regulares teneri ex eodem voto obedientiæ parere etiam Collegio Cardinalium, ſaltem pro tẽpore Sedis vacantis; maximè cum rationes allatæ de Cardinale Legato, aut protectore, locũ habeãt, etiam in toto Collegio Cardinalium vicẽ Papæ demortui ſuſtinente. ita viri ſanè docti à me conſulti: cum quibus addo, quod, cũ Collegium Cardinaliũ tempore Sedis vacantis ſpecialem habeat iuriſdictionem in regulares, etiam ex hoc capite, quod tanquam exempti immediatè ſubijciuntur Sedi Apoſtolicæ; tenentur ijs obedire eo modo, quo diximus illos teneri parere Legatis de latere, Nuncijs Apoſtolicis, & Protectoribus.

QVÆRES IX. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur parere Ordinarijs locorum, in quibus degunt, præſertim ſi ab ijs non ſint exempti.

112 ℟. Non teneri, etiam ſtando in iure diuino, & ſecluſo exemptionis priuilegio, ideoque illos ſubiacere non Epiſcopo, ſed proprio prælato quo ad obſeruantias regulares. ita in terminis *Sanch. lib. 6. mor. cap. 1. num. 12.* & probatur tum ex rationibus allatis *q. 6.* & 7. tum quia ſecluſo priuilegio exemptionis Regulares ſubeſſent quidem Epiſcopo, & ipſe eſſet illorum ſuperior, eo tamen modo tantùm, quo eſt ſuperior omnium Clericorum, videlicet quo ad Eccleſiaſticam diſciplinam, non autem quo ad obſeruantias regulares, ad quas ſolum ex voto obedientiæ tenentur: quod votum cum non fiat Epiſcopo, ſed prælato regulari (vt patet ex dictis) conſequenter non imponit onus obediendi Epiſcopo, ſed tantùm prælato regulari, loquendo de obligatione voti. Dico, *loquendo de obligatione voti*; non enim negari poteſt, quin Regulares ex alio titulo teneantur obedire etiam Epiſcopo quo ad ea, in quibus ſubduntur ipſorum iuriſdictioni, ſicut innuit etiam *Sanch. numer. 13.* cum quo ſentit *Layman l. 4. tr. 5. cap. 8. num. 2.*

113 Diſſentit *Petr. de Ledeſma tom. 2. ſum. tractat. 10. cap. 7. not. 2.* docens Epiſcopum, ſecluſo priuilegio exemptionis, eſſe ſpecialem prælatum religioſorum, & ratione voti obedientiæ, quod emittunt, habere poteſtatem dominatiuam in voluntatem illorum: diſſentit etiam *Suar.* (quãuis non ita apertè) dicens *tom. 3. de relig. lib. 10. cap. 11. numer. 17.* Epiſcopum eſſe ordinarium prælatum religionum quo ad totam poteſtatem iuriſdictionis; ſi per exemptionem non prohibeatur: ideõq; ſe cenſere probabile quo ad obligationem voti, licèt cum maiori formidine. At iſta doctrinam ego non puto admittendam, niſi in caſu, quo approbatio religionum pertineret ad Epiſcopos (quo pacto re vera aliàs pertinebat, antequam Summi Põtifices eam ſibi reſeruarent;) tunc quippe dici poſſet Epiſcopum non approbare religionem pro ſuo epiſcopatu, niſi ſub conditione, quod eius alumni ipſi plenè ſubijcerentur, etiam in ijs, quæ ſpectant ad regularem diſciplinam: ſiue poſtea talis conditio exprimeretur, ſiue in ipſa approbatione ex natura rei ſubintelligeretur, tãquam moraliter neceſſaria ad debitam ſubordinationem, ac gubernationem; non ſecus, ac diximus *q. 4. §. & certè* Papam in præſentia hoc ipſo quod approbat aliquam religionem, præſumi velle, quod ſibi principaliter fiat traditio religioſa, & promiſſio obedientiæ, quam faciunt Religioſi in profeſſione. cum *Petro Ledeſma* ſentit *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 4. p. 2. n. 6.*

Quod ſi quæras, an Religioſi non exempti debeant potius obedire Epiſcopo, cui immediatè ſubſunt, quam proprio prælato regulari.

114 ℟. In ijs quidem, quæ ſpectant ad diſciplinam eccleſiaſticam, ac criminum punitionem, teneri potiùs obedire Epiſcopo, quam prælato regelari: in ijs verò, quæ pertinent ad obſeruantias regulares, ac punitionem tranſgreſſionum earum iuxta diſciplinam regularem, parendum potiùs eſſe prælato regulari, quam Epiſcopo. ita *Sanch. loco ſup. citato ex S. Thom. Dur, Sylu. Innoc. & Abbate*, patetque ex eo, quod religioſus etiam non exemptus facit votum obedientiæ (cuius propria materia eſt diſciplina regularis) non epiſcopo, ſed prælato regulari; vt iam non ſemel diximus: ideoque quo ad diſciplinam regularem ſubijcitur proprio prælato, non Epiſcopo; cum è contra obligatio diſciplinæ eccleſiaſticæ, & punitio delictorum reſpiciant poteſtatem iuriſdictionis, quæ competit non prælato regulari, ſed Epiſcopo, vt patet. vnde fit, quod cum hodie religioſi communiter ſint exempti ab Epiſcoporum iuriſdictione; de ijs conſtat eos teneri quo ad omnia obedire potiùs prælato regulari, quã Epiſcopo, demptis tamen paucis, in quibus ſubijciuntur Epiſcopo ex decreto Concilij Tridentini, aut Conſtitutionibus pontificijs, de quibus alibi.

QVÆRES X. Ad quas perſonas votum obedientiæ religioſæ terminetur deſcendendo (vt ſic dicam) à ſuperioribus ad inferiores prælatos.

115 ℟. Peruenire ſaltem vſque ad præpoſitos locales, id eſt ordinarios prælatos ſingulorum monaſteriorum, ſiue Abbates, ſiue Priores, ſiue Guardiani, ſiue Rectores, ſiue quouis alio nomine vocẽtur; non enim hæſitandum eſt in nominibus (cum in vna religione eodem nomine appelletur prælatus, ſeu caput monaſterij, quo in alia vocatur Vicarius) ſed officium ipſum attendendum eſt; vt aduertit *Suar. ſup. nu. 18.* addens hunc prælatum localem ex vſu omnium religionum habere poteſtatem præcipiendi in virtute obedientiæ, adeoque votum obedientiæ dici ad illum terminari.

QVÆRES XI. An regulares ex voto obedientiæ teneantur parere non ſolum prælato monaſterij immediato, ſed etiã Subpriori, Vicario, Mi-

niſtro aliјue ſimili Officiali Conuentus, quocumq; tandem nomine vocetur.

116 ℟. Iure ordinario, & communi nō teneri, adeoque regulariter non competere talibus Officialibus poteſtatem præcipiendi in virtute obedientiæ: imò, per ſe loquendo, non expedire, quod eiuſmodi poteſtas illis concedatur, ne alioqui contingat nimis multiplicari præcepta abſque neceſſitate; vnde fit; vt votum obedientiæ propriè non reſpiciat huiuſmodi perſonas; vt benè aduertit *Suar. num.* 19. monens per hoc non tolli, quominus regulares teneantur obedire etiam talibus Officialibus, ac Superioribus ſubordinatis Prælato locali: his enim vtique tenentur obedire, & quidem etiam ſub peccato m. ſi res præcepta, aut prohibita ab illis ſit grauis, & ij ſufficienter ſe declarent velle obligare ſub mortali. ratio eſt, quod, quamuis eiuſmodi Officiales non habeant poteſtatem ſpiritualem in Religioſos ſubditos; habent tamen poteſtatem temporalem, & domeſticam, ſeu politicam (ſicut in ſimili notat *Sanch. num.* 22.) qualem habent patres familias in totam familiam, magiſtri in diſcipulos, & domini in ſeruos: quæ ſine dubio ſufficit ad obligandum ſub mortali, vt hinc patet, quod DD. communiter concedunt & filios, & diſcipulos, & ſeruos poſſe peccare m. peccato inobedientiæ, ſi violent in re graui mādata ſuorum Superiorum reſpectiuè: cum tamen concurrat eadem ratio in Religioſis ſubditis reſpectu ſuorum ſubditorum.

117 Addo, quod, ſicut præfati Officiales, abſente Prælato monaſterij, ſuccedunt in ſpiritualem iuriſdictionem illius quo ad facultatem diſpenſandi, & abſoluendi Religioſos ſubditos: ita & ſuccedunt quo ad poteſtatem præcipiendi in virtute obedientiæ, & conſequenter obligandi ſubditos ad parendum ex voto obedientiæ; cum enim tunc temporis fiat Superiores monaſterij in capite, habent totam illam auctoritatem, quam iure ordinario habet Superior monaſterij, loquendo de ijs, quæ non indigent ſpeciali conceſſione, cuiuſmodi v.g. eſt facultas contrahendi de bonis monaſterij (quam non puto transferri in dictos Officiales ex abſentia proprij Prælati, niſi in ſpecie peculiariter eis demandetur) ſed de hoc alibi. cenſet autem *Nald. v. abeſſe num.* 11. ad transferendum ius, & auctoritatem Prælati regularis in eius vicemgerentem ſufficere abſentiam à conuentu, quæ ſit vltra vnum diem naturalem: quod non videtur improbabile, niſi obſtet vſus contratius, aut ſtatutum aliquod peculiare religionis: quæ in his rebus conſuli ſemper debent, & ſeruari.

118 Dixi in reſponſione *iure ordinario, & communi*; verum enim in aliqua religione præfati Officiales iure ſpeciali poſſint non ſolum ſimpliciter ordinare, ſed etiam præcipere in virtute obedientiæ, obligando ſubditos in virtute voti, hic non ſtatuimus, nec poteſt reſolui, niſi attentis conſuetudine, & ſtatutis vniuſcuiuſque religionis.

QVÆRES XII. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur parere ei, cui à Prælato proprio delegatur poteſtas præcipiendi.

119 ℟. Teneri; & ratio eſt, quod, cum facultas præcipiendi in Prælato, etiam locali ſit ordinaria, ea item eſt delegabilis, niſi aliunde id prohibeatur, aut repugnet; quorum neutrum in præſentia inuenitur, cum potius vſus hoc ipſum confirmet, & multum faueat modus vouendi obedientiam, qui ſeruatur in Religionibus; ſi quidem vouens non ita intendit ſe obligare proprio, ac perſonali præcepto Prælati regularis, vt nolit ſe adſtringere præcepto alterius, qui loco Prælati ſubſtituatur, ſed promittit obedientiam Prælato, & cuicumque vices eius tenenti; quod eſt indifferenter ſe obligare ad paſtorem tam ordinarium, quam delegatum. ita *Suar. ſup. num.* 18.

120 Et quidem quod poteſtas præcipiendi in Prælato locali ſit ordinaria, inde patet, quod eam habet vi ſui muneris: cum enim ſit per ſe neceſſaria in vnaquaque domo religioſa ad conuenientem illius gubernationem; ea debet eſſe, ſaltem in proximo capite illius, ſtante quod ordinarium eius regimen eſt monarchicum; quod ſi in aliqua religione admiſceatur regimen ariſtocraticum, aut democraticum quoad aliquos caſus: pro illis eiuſmodi poteſtas erit vel in toto Capitulo locali, vel in aliquo communi Concilio, ſeu Definitorio; ſicut etiam eſſe poteſt cum proportione reſpectu totius prouinciæ, aut religionis.

QVÆRES XIII. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur implere præcepta à Prçlato proprio impoſita ipſis extra eius territorium exiſtentibus.

121 ℟. Teneri, patetque ex eo quod cum Religioſus per votum obedientiæ abſolutè ſe ſubijciat Prælatis religionis, ac proinde hi ſupra illum acquirant iuriſdictionem in ordine ad perſonam ſecundum ſe, & vbicumque ſit: mirum non eſt ipſos poſſe ei præcipere, quantumuis extra territorium exiſtenti: quippe qui non habent territorium diuiſum, ſicut Epiſcopi habent reſpectu ſuorum ſubditorum; & conſequenter nec habent iuriſdictionem certis locorum finibus reſtrictam, ſed ſe extendentem ad quemcumque locum, in quo reperiatur Religioſus ſubditus: vnde aliqui apud Sylueſtrum *v. excommunic.* 2. *num.* 15. dicunt totum mundum eſſe territorium Prælatorum regularium. ita *Lezana tom.* 1. *c.* 4. *num.* 37. *ex Sylu. & Cornexo.*

QVÆRES XIV. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur parere proprio Prælato, ſi is ſit excommunicatus vitandus.

122 ℟. Non teneri; cum Prælatus eo modo excommunicatus careat omnimoda iuriſdictione, & per conſequens poteſtate præcipiendi; vt infra oſtendemus in *tractat. de pænis*; imò nec poſſe licitè parere, etiamſi velint, cum hoc ſit recognoſcere in eo iuriſdictionem, quam de facto non habet, & communicare cum illo: quod eſt interdictum à ſacris canonibus *cap. nuper*, & *cap. ſi aliquando de ſent. excommunic.* ita *Lezana num.* 38. patetque tum ex dictis hic; tum ex dicendis in citata *tract. de pænis cap.* 2. *ſect.* 1. *q.* 14. vbi fusè de hac re diſſerimus. Vtrum verò Religioſus teneatur obedire Prælato, qui ſit excommunicatus toleratus, dicemus eadem *q.* 14.

QVÆRES XV. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur obedire proprio Prælato, ſi is ab ipſis fuerit legitimè accuſatus, & lis adhuc pendeat.

123 ℟. Teneri obedire; & probatur tunc ex *c. non ne* 8. *q.* 4.

*qu.*4. tum quia Prælatus accuſatus, pendente lite, nondum eſt priuatus iuriſdictione, neque abſolutè, neque quo ad vſum; ideoque ſine iniuria non poteſt ei denegari obedientia ex voto debita. ita *Sanch.l.6. mor.c.*12.*num.*31. ex *Abbate, & Felino*, monens *Gloſſam*, in qua videtur oppoſitum aſſeri, explicandam eſſe, quo ad non deſiſtendum ab accuſatione iam inchoata Religioſum ſcilicet ſubditum non teneri obedire Prælato præcipienti, vt deſiſtat ab illa: quod etiam nos admittimus, & omninò admittēdum eſt.

QVÆRES XVI. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur parere Prælato præcipienti contra regulam Ordinis, aut contra aliquod ſtatutum illius.

124 ℞. Non teneri, imò nec poſſe: & probatur tum ex dictis *ſect. præcedenti q.* 7. tum quia quæ pro charitate inſtituta ſunt, non debent militare contra charitatem; & poteſtas ipſa Prælatorum regularium non eſt data in deſtructionem, ſed in ædificationem: in caſu autem propoſito eſſet data in deſtructionem; vt patet, & aduertit *Miranda tom.* 1. *Manual.q.*26.*a.*8. aliàs concedens tunc ſolum poſſe Religioſum obedire Prælato præcipienti contra regulam, aut ſtatutum Ordinis; quando ei conſtaret illum habere poteſtatem diſpenſandi ſuper ijs, & non aliter.

QVÆRES XVII. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur parere Prælato, ſi ipſis conſtet illius præceptum fundari in falſa præſumptione.

125 ℞. Non teneri, ſecluſo periculo ſcandali; ideoq; ſi Religioſo imponatur pæna pro delicto, quod ille re vera non commiſit, eum non teneri illam ſubire, ſi ea ſecretò exequenda ſit; teneri verò, ſi ea in publico impleri debeat: idque ad exemplum aliorum. Et ratio eſt, quod pæna in priori euentu non imponitur ad exemplum aliorum, ſed ad propriam correctionem, qua innocens non indiget. ita *Sanch.ſup.* *c.*2.*num.*11. ex *Vaſq. Nau. & Tapia*, qui benè notant Religioſum non teneri obedire, quandocumq; probabiliter credit fore, vt Prælatus conſcius veritatis id non præciperet.

QVÆRES XVIII. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur parere Prælato, ſi ipſi certò ſciant illum nulliter fuiſſe electum, v. g. ex impedimento aliquo occulto irritante ipſo facto electionem.

126 ℞. Teneri, ſi electio facta ſit à potente eligere, & concurrat titulus coloratus cum errore communi. & ratio eſt quod, quando iſta concurrunt in Pręlato, Eccleſia ſupplet iuriſdictionem iuxta *l. Barbatius ff. de offic. Prætoris*: at in noſtro caſu hæc concurrunt, vt ſuppono: ergo talis Pręlatus nulliter electus, quamdiu publicè non conſtat de nullitate electionis, re vera habet iuriſdictionem, & eſt verè Prelatus, adeoque illi obediendum eſt. Colligitur ex *Sanch.l.*3.*de matr.D.*22. per totum.

127 Quæ doctrina vtique locum haberet etiam in caſu, quo Prælatus legitimè fuiſſet depoſitus à proprio Superiore, & monitus ab eo per literas, vt aliū præficeret monaſterio, vſque dum fieret noua electio; ipſe per aliquod tempus malitioſè diſſimulans mandatum ſui Superioris perſiſteret in gubernatione: tunc enim ſi publicè non conſtaret de eius depoſitione, illi obediendum eſſet, cum ratione tituli colorati, ac erroris communis adhuc ſit Superior, Eccleſia modo dicto ſupplente iuriſdictionem.

Dubium maius eſt, an Regulares teneantur obedire Prælato, quem publicè conſtat incurriſſe priuationem officij, eò quod v. g. non fecit publicè legi decreta *de celebrat. Miſſar.* edita iuſſu Vrbani VIII.

128 ℞. Teneri, donec per Superiorem declaretur illum incurriſſe talem pænam: & hoc, etiamſi illa pęna incurratur ipſo facto, ante Iudicis ſententiam. ita *Diana p.*2.*tr.*17.*reſol.*67. in terminis, & ante illum *Valerus in differ. vtriuſque fori v. pæna differ.*20.*num.*4. qui ſic habet: *Superiorem alicuius religionis incidentem in aliquem caſum abſolutionis, ſeu priuationis ipsò factò prioratus, etiamſi palam conſtet de crimine; dicendum eſt non incurrere dictam pænam, donec per Superiorem declaretur, & conſequenter tuta conſcientia in eo manere poſſe, nec licere ſubditis illum repellere à gubernatione.* Fundatur autem iſta opinio in doctrina, quam tuentur, & docent *Auila, Sanch. Suar. Azor. Graff. Vega, Rodriq. Henriq. Filliuc. Floron.* & alij à relati à *Diana*, videlicet legem pęnalem, quæ non poteſt executioni demandari abſque actione hominis (cuiuſmodi eſt priuatio officiorum) etiamſi ipſo iure, vel ipſo facto feratur, vel etiam dicatur *nulla expectata declaratione*, ante Iudicis condemnationem non obligare; cuius doctrinæ ea eſt ratio, quod vſu, & conſuetudine, quæ eſt optimus legum interpres, receptum eſt, vt nemo ſe priuet re antea obtenta, niſi prius feratur ſententia declaratoria criminis: ſicuti dicemus in *tract. de pænis cap.*1 *ſect.*1.*q.*18. vbi fuſiùs de hac re diſſeremus.

129 Verum tamen eſt quod, cum non deſint plures, & graues DD. qui oppoſitum ſentiunt; vt videre eſt apud Sanch. *l.*2 *mor c.*39.*n.*32. ſi in caſu propoſito Religioſi ſubditi contra proprium Pręlatum vellent ſuſtinere contrariam ſententiam (nimirum tales pęnas, ſi latæ ſint ipſo facto, ante Iudicis ſententiam incurri hoc ipſo quod commiſſum eſt delictum) miſello Superiori cedendum eſſet; ſi quidem, ſtante probabilitate oppoſitæ ſententiæ (quæ maximè facere poſſet pro foro externo) de rigore iuris non tenerentur Religioſi obedire Superiori taliter priuato officio; & quidem etiam in conſcientia: niſi fortè obſtaret periculum ſcandali, & nimia perturbatio monaſterij: quare in tali caſu bonum eſt Iudicem habere propitium, vti ait *Nald. v. vſufructuarius n.*2. in opinionum varietate bonum eſſe Iudicem habere propitium.

130 Ego certè non omninò excuſarem à peccato eiuſmodi Religioſos hoc modo repellentes Superiorem; præſertim ſi ipſis conſtaret illum inculpabiliter incurriſſe priuationem officij: talis quippe repulſio videtur eſſe non ſolum contra charitatem (vt per ſe patet) ſed etiam contra reuerentiam debitam Superiori; imò & contra perfectionem obedientiæ, quæ, vt diximus *ſect.*1.*q.*10. debet eſſe cæca, non autem ita ſubtiliter diſcernere, vtrum de rigore iuris ſit obediendum Prælato, nec ne: præſertim cum iura quam maximè faueant poteſtati Superioris, & charitas non quærat, quæ ſua ſunt. Quare in tali caſu omnino conſulendum eſt, vt Religioſi

ample-

ampleſtentes opinionem fauorabilem ſuperiori ordinariam ei præſtent obedientiam: ne alias addant afflictionem afflicto: idque quamdiu ipſe obtinet diſpenſationem, quam interim debet procurare, ſiue à Papa, ſiue ab alio, qui eam poſſit concedere.

QVÆRES XIX. An Regulares ex voto obedientiæ teneantur parere Prælato, pendente appellatione contra ipſum ab illis legitimè intentata.

131 ℞. Teneri, præter quam in ea cauſa, ratione cuius appellatur, quo ad hanc enim non tenentur obedire; cum appellatio eximat appellantem à iuriſdictione illius, à quo appellatur, eumque ſubijciat iuriſdictioni illius, ad quem facta eſt appellatio; non quidem vniuerſaliter, ſed ſolùm quo ad eam cauſam, ratione cuius appellatum eſt; vt inter alios aduertit *Sanch.l.3.conſil.c.vn.d.32.num.24.* ex *c.dilecti, c.ad audientiam de appellat.* inde inferens appellationem ſtatim ligare manus Iudicis à quo, eiuſque iuriſdictionem ſuſpendere abſque alia inhibitione; ita vt nihil poſſit facere, appellatione pendente, imò nec ante interpoſitam appellationem infra terminum iure conceſſum ad appellandum. ſcilicet infra 10.dies *l.vn.ff. nil. nou.appellat. & c.non ſolum de appellat. in 6.* Dixi in reſponſione *præter quam in ea cauſa &c.* quia in alijs tenetur Religioſus obedire Prælato, etiam poſt appellationem, cum adhuc ſit verè eius Superior quo ad illa omnia, quę non concernunt cauſam, propter quam appellatum eſt ad Iudicem Superiorem.

QVÆRES XX. Cui Prælato debeat Religioſus obedire in caſu, quo Prælatus ſuperior (v. g. Generalis) & inferior (v. g. Superior localis) ipſi contraria præcipiant.

132 ℞. Teneri obedire Prælato ſuperiori, ſi præceptum inferioris præcepto illius vera contrarietate aduerſetur, & aliàs Prælatus ſuperior non impediatur facere tale præceptum. ita *Suar.tom.3.de relig.l.10.cap.11.num.7.* & probatur ex eo quod, cum in Prælato religionis ſit duplex poteſtas, iuriſdictionis, & dominationis, & quo ad vtramque Prælatus inferior dependeat à Superiore (vt benè oſtendit *Suar.* & nos probabimus in *tract. de gubernat. cap.3. q.7.*) non poteſt inferior præualere contra Superiorem, & conſequenter neque imperare contra præceptum illius; cum Prælatus ſuperior etiam ſine cauſa poſſit validè reſtringere iuriſdictionem Prælati inferioris, vtpote dependentem ab illius voluntate abſoluta: & poteſtas dominatiua, prout eſt in multis, ſemper ſit cum proportione ad vnum, itaut inferior comparatione ſuperioris non cenſeatur habere dominium, quod primò, & per ſe eſt in tota religione, cui primario fit traditio Religioſi profitentis, & ab ipſa religione communicatur, ſiue ſupremo eius Prælato, vt per ipſum poſtea alijs communicetur, ſiue immediatè ſingulis Prælatis, cum dependentia tamen eorum inter ſe iuxta varias conſuetudines diuerſarum religionum; & hoc ex intentione ipſiuſmet religioſi, qui non intendit ſe tradere per votum obedientiæ multis Dominis, vt multi ſunt, ſed vni, vel vt ſunt vnus.

133 Dixi in reſponſione *ſi præceptum inferioris præcepto illius* (ideſt ſuperioris Prælati) *vera contrarietate aduerſetur*, vt innuerem quod, cum interdum Prælatus inferior poſſit diſpenſare in lege, ſeu præcepto Superioris, aut certè interpretari in tali opportunitate ea non obligare: tunc ſi inferior Prælatus præciperet aliquid contrarium præcepto Superioris, illi obediendum eſſet; cum ſic præceptum illius ſolùm materialiter contrarium ſit præcepto ſuperioris, vt patet. Dixi præterea, *& alias Prælatus Superior non impediatur facere tale præceptum*: quia aliquando conceditur aliqua poteſtas Pręlato proximo, ac immediato, quæ iuxta ſtatutum alicuius religionis non poteſt auferri, aut immutari à Prælato ſuperiori; quamquam cum hoc ideo ſit, quod poteſtas ſuperior ita vtriq; conſtituit, & limitauit poteſtatem Prælati Superioris, vt quo ad illud verè nō maneat Superior: generaliter dici poteſt obedientiæ votum ſemper obligare ad ſuperiorem Prę-latum, prætermiſſo inferiore, ſi inter ſe opponantur.

QVÆRES XXI. Cui debeat Religioſus obedire, ſi contingat ipſum alijs titulis debere alicui alij obedientiam (vt ſi ſit filiusfamilias, patri, aut ſeruus, domino) & eodem tempore contraria ab iſtis ei præcipiantur.

134 ℞. Quod, ſicut quando eiuſmodi ſuperiores habent inter ſe perfectam ſubordinationem, ſuperior maior ſemper præferri debet minori, cum is comparatione illius nullam habeat poteſtatem; ſic ſi illi habeant poteſtatem præcipiendi Religioſo ſine ſubordinatione, aut dependentia (vt in exemplis propoſitis,) ne oriatur perplexitas, & confuſio, aliquis ordo ſeruari debet, vnumquemque præferendo in ſua ſphæra: ſi quidem habeant inter ſe diuiſas iuriſdictiones, aut materias diſtributas: quod ſi ſimul præcipiant, quæ ſimul fieri non poſſunt; ex materia præcepta, alijſque circumſtantijs diſcernendum eſt, ad quem illorum in tali opportunitate pertineat præcipere, vt ille præferatur. Hinc cum votum obedientiæ obliget ſolum ad licita, ſi contingat præceptum Prælati regularis opponi præcepto alterius alio titulo præcipientis religioſo; conſiderandum eſt, an præceptum Prælati, etiam ſuppoſito tali ſtatu perſonæ, & concurrentibus talibus circumſtantijs, ſit contra ius illius alterius præcipientis; & ſi ſit votum obedientiæ pro tunc deſinit obligare; cum nemo promittere poſſit aliquid contra ius alterius; ſi verò non ſit contra ius alterius, eo quod illud ceſſauit, aut certè non extenditur ad talem materiam, tunc votum obedientiæ obligat, adeoque præferri debet præceptum Prælati regularis: cum ergò ius patris carnalis ceſſet per traditionem factam Deo in religione; ſequitur religioſum in caſu propoſito regulariter debere potiùs obedire Prælato regulari, quam patri carnali: excepto ſolum caſu, in quo ratione neceſſitatis iudicaretur aliter faciendum eſſe; qui caſus non niſi raró euenire poteſt; vt conſtat ex dictis in *tract. de profeſſ.c.2.q.22.*

QVÆRES XXII. Cui Prælato regulari debeant Religioſi obedire, dum peregrinantes hoſpitij cauſa commorantur in hoc, aut illo monaſterio.

℞. Quod

135 ℟. Quod, cum obedientia ſolum debeatur proprio Prælato, & Prælatus proprius Religioſi peregrinantis non ſit is, qui præeſt Conuentui, per quem Religioſus tranſit, ſed ille, cui traditus eſt in ſubditum, & à cuius monaſterio peregrinaturus receſſit illi debet obedire, & non alij; niſi fortè in aliquo Ordine extet ſpecialis Conſtitutio, vt hoſpites ſubſint obedientiæ ſuperioris illius Conuentus, ſicue & alij, qui in eodem commorantur: qualis eſt in Soc. Ieſu; vt conſtat ex *regula penult. inter communes*; quo caſu debet religioſus peregrinus obedire etiam Superiori Conuentus, per quem tranſit; cum & ille ſit re vera eius ſuperior, ſtante illa Conſtitutione. quod tamen non facit, quin etiam debeat obedire Prælato monaſterij, in quo habet fixum domicilium: quippequi adhuc eſt eius ſuperior, & eamdem habet in illum iuriſdictionem; vt proinde talis Religioſus dici poſſit habere duos ſuperiores cumulatiuè; nimirum illum in quo ordinariè habitat, & eum, per cuius monaſterium tranſit hoſpitij cauſa: ita docti viri à me conſulti.

Quod ſi quæras, cui ſuperiori debeat Religioſus obedire, qui iuſſu Prælati ſuperioris transfert domicilium de vno Conuentu in alium, poſtquam receſſit à priori Conuentu, & nondum peruenit ad poſteriorem, in quo de nouo poſiturus eſt domicilium; ſuperiori ne prioris monaſterij, à quo non rediturus receſſit, an poſterioris, ad quod tendit.

136 ℟. Talem Religioſum neutri dictorum ſuperiorum teneri obedire; non ei, à cuius monaſterio diſceſſit non reuerſurus, quia hoc ipſo deſijt eſſe ſubditus illius: cum verè mutauerit domicilium; non illi, ad cuius monaſterium tendit animo ibi manendi ſtabiliter: cum ſubiectio non acquiratur, niſi per actualem conſtitutionem domicilij, quæ non poteſt fieri, donec Religioſus perueniat ad nouum monaſterium, vt patet: vnde religioſus in tali caſu æquiparatur vago, ac proinde, ſicut probabile eſt vagos non ſubiacere legibus locorum, per quæ transeunt (vt inter alios docent *Leſſ. l. 4. cap. 2. num. 49. Laym. l. 1. tract. 4. cap. 12. num. 6. Sancius in ſelectis D. 54. num. 34. Clau. Reg. l. 3. cap. 4. num. 15. Diana p. 1. tract. 10. reſol. 16.* & alij) ita mirum non eſt præfatum Religioſum non ſubiacere vlli Prælato locali: præſertim cum interim ſubijciatur ſuis Prælatis mediatis.

Dices, quid ſi Religioſus mutaturus domicilium receſſit iam à priori monaſterio, & ex euentu inopinato paulo poſt ad illud redeat, ante quam perueniat ad aliud monaſterium ipſi aſſignatum in domicilium: tenetur ne obedire Prælato dicti prioris monaſterij, ſi ibi maneat per aliquot dies?

137 ℟. Non teneri, niſi in Ordine extet Conſtitutio relata in reſponſione principali. & ratio eſt, quod domicilium ſemel amiſſum non recuperatur per quamcumque habitationem de nouo, ſed per actualem habitationem inchoatam animo permanendi ibi, ſaltem maiori parte anni: cum ergò Religioſus in præſenti caſu per actualem receſſum animo non redeundi amiſerit domicilium, & per reditum animo ibi manendi ſolùm ad tempus breue non recuperet domicilium: non incipit eſſe de nouo ſubditus Prælati illius monaſterij, & conſequenter nec tenetur ei obedire, vt patet.

QVÆRES XXIII. Cui debeat obedire Religioſus promotus ad Cardinalatum, aut Epiſcopatum, aut aliam ſimilem dignitatem, ex voto obedientiæ.

138 ℟. Debere obedire, non quidem Prælatis regularibus, à quorum ſubiectione eximitur ex vi talium dignitatum (vt colligitur ex *cap. ſtatutum 18. q. 1.* vbi dicitur *Monachus quem canonica electio à iugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſoluit, & Sacra ordinatio de monacho Epiſcopum facit*, & conſtat etiam ex vſu Eccleſiæ) ſed Papæ: quippequi verè eſt Prælatus religionis, & ſemper manet ei Superior, tali ſubiectione maximè congruente cum ſtatu Cardinalitio, aut Epiſcopali: quamquam, cum votum obedientiæ non fiat illimitatè, ſed ſecundùm regulam, non tenetur Regularis factus Epiſcopus ex voto obedientiæ parere Papæ in omnibus, ſed ſolum in ijs, quæ directè, aut indirectè pertinent ad ſuam regulam; ſi quidem votum obedientiæ non eſt mutatum in ſe, ſed tantùm vſus eius quo ad reſpectum ad hunc, aut illum prælatum. ita *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 3. cap. 17. num. 4.* monens fieri poſſe, vt ſuppoſito ſtatu Epiſcopali aliquid indirectè pertineat ad obſeruantiam regulæ in tali perſona, quod in alijs Religioſis ordinis non pertinet; ſicque poſſit ad illud obligari ex vi voti; cuiuſmodi eſt quidquid in tali perſona poteſt eſſe moraliter neceſſarium ſuppoſito tali ſtatu, ſiue ad ſpiritualem animæ ſalutem, ſiue ad perfectionem iuxta regulam. quod eſt benè notandum.

QVÆRES XXIV. Cui ex voto obedientiæ teneatur parere Religioſus ab Ordine perpetuo eiectus.

139 ℟. Quod, quamuis reſpectu talis Religioſi ceſſet executio voti obedientiæ quo ad aliqua ex defectu materiæ; eo quod careat Superiore, per quem dirigatur; ſicuti benè aduertit *Sanch. l. 6. mor. cap. 9. num. 31. ex Leſſio l. 2. cap. 41. numer. 115.* abſolutè tamen non poteſt dici Religioſum eiectum eximi à voto obedientiæ: vt oſtendemus infra *ſect. 6. q. 11.* Vnde fit, vt etiam in tali ſtatu ex vi voti teneantur obedire, non quidem Epiſcopo loci, in quo degit (vt putant *Nau. & Rodriq.* apud *Dianam p. 3. tract. 2. reſol. 60.*) ſed prælato regulari, præſertim in caſu, quo ipſi præcipiatur reditus ad religionem. nec obſtat, quod Sacra Cõg. iuſſu Vrb. VIII. in *decretis 21. Sept. 1624. èditis de Regularibus apoſtatis, & eiectis* præcipiat §. 7. vt Religioſi perpetuò eiecti, *quamdiu non redierint ad religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarij loci iuriſdictioni, & obedientiæ ſubſint*; id quippe non probat eos teneri obedire ex voto, ſed ſolum quod tenentur obedire Ordinario eo modo, quo tenentur alij Clerici, qui vtique non tenentur ex voto: quod etiam innuit *Diana*.

Vtrum verò prælatus regularis ex voto obedientiæ poſſit præcipere Religioſo legitimè eiecto aliqua ieiunia, aut alia ſimilia præſcripta in regula, aut Conſtitutionibus Ordinis.

140 ℟. *Sanch. loco ſup. citato* non poſſe; cum talis Religioſus ſubſit prælatis regularibus ſolum quo ad reditum in religionem; & ratio eſt; quia hoc ipſo quod illum eiecerunt extra religionem, illum conſtitue-

ſtituerunt extra ipſorum poteſtatem, & curam, ac ſubinde exemerunt ab ipſorum obedientia; quod ſi ille exemptus eſt ab eorum obedientia, non tenetur illis obedire: cum obligatio obediendi ſupponat ſubiectionem, quæ non reperitur in exempto, vt patet: idem ſuſtinet *Azor.tom.* 1.*l.*12.*c.*16. *q.*11.

QVÆRES XXV. Cui ex Prælatis regularibus, vi voti teneatur obedire Religioſus, qui ex diſpenſatione Papæ viuit in ſtatu matrimoniali.

141 ℞. Non teneri obedire vlli ex Prælatis regularibus, ſi fuit diſpenſatus eo modo, quo ſolent diſpenſari monachi, & moniales in ordine ad contrahendum matrimonium: in iis enim caſibus, inquit *Suar. tom.* 3. *de relig.l.*8.*c.*18.*num.*15. in quibus de facto legitur Papam diſpenſaſſe in matrimonio Monachi, aut monialis, ſignificatur ſemper diſpenſaſſe in omnibus votis: & quidem meritò, cum re vera ipſamet translatio de ſtatu monachali ad ſæcularem ſit ſufficiens ratio diſpenſandi in votis, quæ ſolum facta erant, vt annexa ſtatui regulari; quod ſi talis Religioſus diſpenſatur in omnibus votis; ergò & in voto obedientiæ: ſi autem diſpenſatur in voto obedientiæ, vtique non tenebitur obedire vi illius; cum per voti diſpenſationem legitimè factam ceſſet eius obligatio.

QVÆRES XXVI. Vtrum ad hoc vt Religioſus teneatur obedire Superiori ex voto obedientiæ, ſit opus, vt præcipere poſſit in virtute obedientiæ, vel alia æquiualenti forma.

142 ℞. Non eſſe opus, ſed ſufficere, quod præcipiens re vera ſit ſuperior. & ratio eſt, quod tunc demum Religioſus tenetur obedire ex voto obedientiæ, quando ei præcipitur à legitimo ſuperiore (ad hoc enim obligat votum obedientiæ; vt vidimus in *ſect.*2.*q.*7.) vt antem poſſit quis cenſeri legitimus ſuperior, non eſt neceſſe, quod habeat poteſtatem præcipiendi in virtute obedientiæ: vt patet in Abbatiſſa, quæ iuxta communem Doctorum ſententiam non poteſt præcipere in virtute obedientiæ, (vt inter alios adnotauit *Sanch.l.*6.*mor.c.*1.*n.*21. & nos ſuo loco oſtendimus) & tamen ipſa verè habet rationem ſuperioris, vt patet.

Quod ſi quæras, quinã Superiores poſſint præcipere in virture obedientiæ.

143 ℞. *Sanch.ſup.* ex vſu Eccleſiæ non poſſe, niſi illos Superiores, qui in Religioſos ſubditos habent poteſtatem ſpiritualem, ac iuriſdictionem Eccleſiaſticam: cuius cum non ſit capax fæmina, de poteſtate ordinaria, propterea communiter negatur Superiorиſſis monialium poteſtas præcipiendi in virtute obedientiæ. Quare ad hoc vt ſuperior regularis præcipere poſſit in virtute obedientiæ, non ſufficit quod ipſi emittatur votum obedientiæ: alioqui, cum moniales obedientiam voueant in manibus Abbatiſſæ, poſſet iſta modo dicto præcipere: quod tamen nos negamus, &, vt paulo ante dixi, negant communiter DD.

Dixi fæminam de poteſtate ordinaria non eſſe capacem iuriſdictionis ſpiritualis; vt indicarem de poteſtate abſoluta Papæ poſſe conferri fæminæ iuriſdictionem ſpiritualem: vt oſtendo in *tract. de monial.c.*10.*num.*118. Imò ex literis P. Honorati Nicquetij è Societ. Ieſu Galli viri doctiſſimi (qui hiſtoriam Ordinis Fontis Ebraldi anno 1641. edidit) ad me reſcriptis nouiſſimè accepi in Francia Abbatiſſam Ordinis præfati Fontis Ebraldi habere iuriſdictionem ſpiritualem in omnes Religioſos ſui Ordinis: idque ex bullis Sixti IV. Leonis X. Clementis VII. Gregorij XV. & Vrbani VIII. ibique eamdem iuriſdictionem competere etiam alijs Abbatiſſis ex varijs bullis pontificijs. Et quidem Abbatiſſa Fontis Ebraldi ex bulla Clemẽtis VII. data anno 1523. ſingulis triennijs eligit vnum, aut duos Viſitatores, ſeu Vicarios in ſpiritualibus ex ſuis religioſis, qui authoritate ordinaria ipſius Abbatiſſæ cenſuras eccleſiaſticas decernunt in viſitatione monaſteriorũ. Quod ſi poteſtas ferendi cenſuras poteſt delegari a fæmina, ab ea poterit & exerceri: ſicque ea poterit facere formalia præcepta obedientiæ, vt pote habens ſpiritualem iuriſdictionem, quæ ſufficit ad imponenda dicta præcepta.

Quod ſi quæras, an Abbatiſſa ratione ſui officij poſſit monialibus ſubditis imperare ex voto Obedientiæ non ſolùm ſpectantia ad rectam monaſterij gubernationem, ſed etiam concernentia ſpiritualem profectum monialium.

℞. Quod, quamuis in *tract.de monial.c.*4.*n.*109. partem negantem ſuſtinuerimus: tamen in præſentia non videtur improbabilis pars affirmans, quam ſuſtinet *Caſtrus Palaus tr.*16.*D.*4.*p.*2.*nu.*3. ex *Suarez tom.*3.*de relig.l.*10.*c.*11.*nu.*20. Ducor, quod poteſt quis ſe voto ſimplici obligare fæminæ, aut laico obedire in iis, quæ ipſi iudicauerint expediri ad bonum ſpirituale vouentis, & ſi ex hoc voto in ipſum nullam illi iuriſdictionem acquirant: quæ enim in hoc repugnantia, aut indecentia adeſt? ſic ergo poſſunt Moniales vouere obedire Abbatiſſæ in iis, quæ conueniunt iuxta illarum Conſtitutiones ſpirituali profectui ipſarum: imò credendum eſt illas ea intentione votum emiſiſſe; cum id Religioni ſit congruentius. Præter quam quod alioqui dicendum eſt Moniales, quibus præcipit Abbatiſſa, ne ſine eius licentia literas mittant, aut recipiant, neue cum externis colloquantur, non peccare mortaliter, ſi occultè, & ſine perturbatione domus, opinioniſue diminutione hæc faciant; cum ſic ceſſet finis, ob quem præceptum fuit impoſitum: hoc autem durum eſt admittere, cum inde regularis diſciplina multum labefactetur, vt patet.

144 Formæ autem faciendi huiuſmodi præcepta obligantia ad peccatum m. non ſunt eædem in omnibus religionibus, ſed interdum diuerſæ; communiores, & frequẽtiores ſunt ***In nomine D.N.Ieſu Chriſti***: vel ***In virtute Spiritus Sancti***: vel ***In virtute obedientiæ***: & aliæ ſimiles; vnde in vnoquoque ordine inſpiciendum eſt, quid quo ad hoc ſtatutum ſit, aut vſu inductum, illudque omninò ſeruandum eſt.

SECTIO V.

De Violatione voti religioſæ Obedientiæ.

145 *Aſſignatur in quo conſiſtat violatio voti Obedientiæ.*

146 *Talis violatio regulariter continet duplicem malitiam.*

147 *At non cogimur ei ſuperaddere malitiam reſpondentem promiſſioni facta Prælato de obedientia ipſi præſtanda.*

148 *Prælati regulares ex duplici poteſtate diuerſa poſſunt præcipere, at regulariter vtuntur ſolum alterutra illarum: quod ſi vtraque vtantur, violatio obedientiæ duas habet malitias.*

149 *Regulariter ij præſumuntur præcipere ex poteſtate ipſis competente ex voto obedientiæ.*

150 *Violatio legis facta ab Eccleſia, & à Prælato regulari vnicam continet malitiam.*

151 *Non omnis violatio obedientiæ eſt formalis inobedientia.*

152 *Inobedientia, quæ non eſt formalis, non eſt ſemper mortalis: quæ verò eſt formalis, modò eſt mortalis, modò non*

153 *Prælati regulares non ſemper præcipiunt ſub mortali in re graui.*

154 *Ad inobedientiam formalem non requiritur formale præceptum.*

155 *Si reſeruetur peccatum inobedientiæ, non omnis inobedientia cenſeri debet reſeruata: at in Societ. Ieſu dicens Miniſtro* nolo parere *incurrit caſum reſeruatum.*

156 *Non item ſi ſic dicens interiùs intendat parere.*

157 *Vt violetur votum obedientiæ, non requiritur præceptum formale Superioris.*

158 *Inobedientia circa rem præceptam à duobus Prælatis vnicam continet malitiam.*

159 *Inobedientia circa rem ex ſe leuem aliunde poteſt eſſe grauis.*

160 *Grauitas inobedientiæ colligi poteſt ex duobus capitibus.*

161 *In Societate Ieſu nullum præceptum obligat ad culpam, niſi fiat ſub certis verbis.*

QVÆRES I. In quo conſiſtat violatio voti religioſæ obedientiæ.

145 ℞. Quod cum violatio obedientiæ in communi ſit tranſgreſſio præcepti impoſiti à proprio Superiore; violatio voti obedientiæ religioſæ erit tranſgreſſio præcepti iniuncti à Prælato regulari ex poteſtate ipſi competente vi voti obedientiæ, quod Religioſus tranſgreſſor emiſit in manibus illius. & ratio eſt: quod ſicut Prælatus regularis ex quadruplici titulo habet poteſtatem præcipiendi Religioſo ſubdito; nimirum ex voto, ex traditione, quæ fit per profeſſionẽ, ex iuriſdictione Eccleſ. & ex poteſtate ciuili, ſeu politica; ſic & Religioſus ex quadruplici titulo tenetur obedire, qui correſpondet ſupradictę quadruplici poteſtati: modò cum tranſgreſſio præcepti impoſiti à prælato regulari iuxta multiplicitatem iſtarum obligationum includat multiplicem malitiam, ſeu difformitatem (vt videbimus q. ſequenti) violatio voti obedientiæ religioſæ in eo ſolum conſiſtet, quod præfata tranſgreſſio fiat contra obligationem voti, reliquis malitijs tantùm concomitanter ſe habentibus.

QVÆRES II. Quotuplex malitia reperiatur in violatione obedientiæ religioſæ.

146 ℞. Regulariter, ac per ſe loquendo, non reperiri niſi duas malitias; vnam ſacrilegij contra Deum ratione voti violati; alteram iniuſtitiæ contra hominem ratione traditionis, & promiſſionis factæ, ſeu (vt alij loquuntur) contra pactum initum cum prælato regulari per profeſſionem religioſam. ita *Suar. tom. 3. de relig. l. 10. cap. 6. num. 3.* & per ſe patet, ſi monuero non eſſe opus multiplicare eiuſmodi malitias reſpectu prælati regularis; quaſi fiat illi multiplex iniuria: reuera enim vnica tantum fit ipſi iniuria: cum promiſſio, & traditio (ratione quarum videri poſſet alicui multiplicari poſſe malitias in præſenti euentu) ſi traditio ſit rei de præſenti in ordine ad actum; ſeu vſum futurum, interdum ſoleant eodem nomine ſignificari; vt videre eſt in traditione matrimonij, quæ ſuppoſita recta intelligentia, ac intentione contrahentium poteſt ſignificari his verbis *promitto te ſemper habere in coniugem; vel tibi ex nunc eſſe coniugem fidelem;* cum enim in matrimonio tradatur corpus in ordine ad actum futurum, & ad illum ſtatim conſurgat obligatio, voluntas contrahendi talem obligationem ſignificatur nomine promiſſionis: eſto reuera immediatè verſetur circa traditionem de præſenti, ex qua naſcitur obligatio ad vſumfructum: vnde cum intentio Religioſi profitentis videatur eſſe tradendi ſe huic religioni, & ſeruandi obligationem obediendi prælatis, quæ ex illa intrinſecè oritur; & explicet illam intentionem tam nomine profeſſionis, quam profeſſionis, aut etiam traditionis, vel quocumque alio ſimili modo: idem proportionaliter aſſerendum eſt in præſenti materia, adeoque in violatione voti obedientiæ religioſæ non debent multiplicari malitiæ iniuſtitiæ.

147 Præterea non eſt neceſſe, quod in dicta violatione multiplicetur malitia, ſaltem mortalis, ratione promiſſionis humanæ factæ prælato regulari de obedientia illi præſtanda; ſi quidem vel illa promiſſio ſpectatur præciſè intra rationem fidelitatis: & ſic non obligat ſub culpa m. cum probabile ſit fidelitatem, & veritatem ex genere ſuo præciſè ſumptas obligare ſolum ſub veniali: vel promiſſio illa ſpectatur, vt tranſit, aut tranſire poteſt in rationem iuſtitiæ; & ſic obligabit quidem ſub mortali cũ tranſeat in rationẽ iniuſtitiæ; nõ eſt tamẽ ſpecie diſtincta ab obligatione, quæ naſcitur ex traditione, adeoque nec continet malitiam ſpecie diſtinctam, cum ſit eadem ratio iuſtitiæ in toto illo contractu; quamuis ob diuerſos modos ſe obligandi aliquantulum augeri videatur, vt notauit *Suar. n. 4.*

148 Quamuis autem prælati regulares, cum ſint ordinarij Paſtores ſuorum ſubditorum iuxta vſum Eccleſiæ, poſſint imponere leges, ſeu præcepta in materia proportionata: & tunc actus habeant neceſſitatem virtutis intra propriam materiam: ſicuti benè aduertit *Suar. ſup. num. 6.* nihilominus probabile eſt in tali caſu ceſſare obligationem obedientiæ, quatenus naſcitur ex traditione, ſeu promiſſione humana: ſtante quod prædicti prælati nunquam videntur habere voluntatem præcipiendi, & obligandi ex duplici titulo; videlicet iuriſdictionis, quæ ijs competit tanquam prælatis ordinarijs, & quaſi dominationis, quæ prouenit ex traditione facta in profeſſione; ſed altero ſolùm iuxta exigentiam rerum, & actionum, quæ præcipiuntur. Vnde ſi inſpiciamus ordinarium modum gubernandi quo ad vim directiuam, quæ eſt in præcipiendo; videntur

vti

vti poteſtate dominatiua; quo ad vim verò coactiuam, poteſtate iuriſdictionis, ſi ea ſit neceſſaria; quo modo irritando vtuntur dominio, diſpenſando autem iuriſdictione.

149 Verum tamen eſt, quod, licèt Prælatus regularis ſemper habeat præfatam poteſtatem iuriſdictionis; poteſt tamen præcipere non ex illa, ſed ſolùm exigendo debitum obedientiæ; imò regulariter præſumitur ſic præcipere: cum materia, circa quam verſantur eius præcepta, ordinariè ſit ſuperogationis, aut conſilij, adeoque imperari non poſſit ex vi iuriſdictionis eccleſiaſticæ ſolius, ſed quatenus illa ex vi profeſſionis facta eſt neceſſaria, nempe vt obligatio facta de illa impleatur: quo caſu præceptum Prælati, & ſi procedat ex iuriſdictione, non ideo cõſtituit actum præceptum, vt neceſſarium intra propriam virtutem, ad quam pertinet ex propria materia, ſed ſolùm intra virtutem obedientiæ, ac religionis.

150 Addo quod, ſicut in violatione præcepti impoſiti à Prælato regulari ratio inobedientiæ non importat malitiam ſpecie diſtinctam ex genere ſuo mortalem, niſi ea ſit ſpecialiter intenta; vt docuit *S.Tho.2.2.q.105.a.1. ad 1.* & inde ſuadetur quod circumſtantia generalis non ſpecificat, niſi peculiariter intendatur; ſic ſi eueniat ſimul coniungi communem legem Eccleſiæ, & propriam legem Prælati, non ideo ex hoc capite multiplicantur malitiæ: cum illa multiplicatio legum vt ſic non multiplicet formaliter obligationes, & conſequenter neq; contrarias tranſgreſſiones; vt patet in furto, quod etiãſi prohibeatur à lege naturali, & poſitiua diuina, & humana, ciuili, & eccleſiaſtica; tamen vnicam continet malitiam, vt pote per omnes haſce leges conſtitutum in materia iuſtitiæ. quod non habet verum in obligatione, quæ oritur ex voto, vel ex traditione, ac promiſſione humana; ſi quidem cum illa transferat actum in aliam ſpeciem religionis, aut iuſtitiæ, ſubinde etiam multiplicat malitias; vt benè aduertit *Suar.ſup.n.8.monens num.9.* votum obedientiæ, & traditionem religioſam inter ſe ita comparari, vt votum quaſi intenſiuè augeat obligationem parendi Prȩlato prouenientem ex traditione: idque addendo nouam, ac prȩliantiorem rationem obligationis.

QVÆRES III. Quandonam violatio voti obedientiȩ importet rationem formalis inobedientiȩ.

151 ℞. Importare, quando ſubditus ea de cauſa non vult obedire, quia nõ vult ſubeſſe proprio Prȩlato; idque facit ex illius contemptu; vnde fit, vt, ſi renuat obedire ex pigritia, timore, aut alio ſimili motiuo, committat inobedientiam, non formalem, ſed materialem. eſt communis DD. apud *Portellum de dub.regul.v.obedientia nu.2.* inter quos notat Suar. *ſup.nu.7.* ex *Caiet. Armil. Soto,* & alijs contemptum, qui requiritur ad inobedientiam formalem, debere verſari circa Prȩlatum, vt talis eſt; nimirum circa eius poteſtatem; ideoque ſi ſolùm ſit contemptus rei in particulari, poſſe ex leuitate materiȩ excuſari à mortali: etſi fiat ex directa intentione in aliquam offenſionem perſonȩ Prȩlati; quod in terminis negat *Portell.* dicens inobedientiam formalem, licèt ſit in materia leui, eſſe peccatum m. ob contemptum Prȩlati, qui contemptus ex genere ſuo eſt mortalis: cum loquatur de abſoluto contempu ipſius Prȩlati, qualis non interuenit in præſenti caſu, vt ſuppono; ſed de hoc *q. ſequenti.*

QVÆRES IV. An violatio voti obedientiæ ſit mortalis, & quando.

152 ℞. Diſtinguendo; vel violatio habet rationem inobedientiæ ſolùm materialis, & hæc non eſt mortalis, niſi Prælatus præcipiat in virtute obedientiæ, aut alijs verbis, quibus ſufficienter manifeſtetur intentio ſuperioris obligandi ad peccatum m. & ratio eſt, quod Religioſus vouet obedientiam, non ſimpliciter, ſed iuxta ordinationes Religionis, in qua profitetur: inter ordinationes autem Religionum ea communiter adeſt, vt nulla ex ordinarijs obedientijs obliget ſub mortali, niſi intimetur in virtute obedientiæ, aut alio ſimili modo, quo ſufficienter indicetur Superiorem intendere obligare, quantum poteſt, atque adeo ſub peccato m. ſicuti aduertit *Leſſ.l.2.c.41.num.74.* & poſt illum. *Fagund. præc.2.l.8.c.6.num.21.* Vel violatio habet rationem formalis inobedientiæ; & tunc, ſi quidem in ea interueniat contemptus abſolutus ipſiuſmet Prælati præcipientis, vt talis eſt; violatio eſt mortalis; cum ſic contemnatur poteſtas religionis, ſicque eneruetur tota vis diſciplinæ regularis; quamquam *Leſſ. ſup.c.46.num.45.* putet, quod ſi ſubditus contemnat perſonam ſuperioris ob defectum eruditionis, prudentiæ, nobilitatis &c. hincque aliquod eius præceptum violet in re leui, fortè non erit mortale: ſicut neque in caſu, quo offenſus ſuperiori, quaſi in vindictam id faciat; ſi verò inobedientia formalis oriatur ex contemptu, non præcipientis, ſed ipſius præcepti tantùm; & præceptum, quod imponitur ſit rei grauis: tunc violatio voti obedientiæ eſt mortalis ex grauitate materiæ, ac modo præcipiendi: quod non eueniret, ſi præceptum eſſet rei leuis; cum homo poſſit errare, & per hoc non excludatur obedientia reſpectu præceptorum maioris momenti.

153 Conſtat ergo, quod quamuis Prælatus regularis præcipere poſſit ſub mortali, quæ iuſta, & regulæ conformia ſunt; non tamen ita ſolet ſemper præcipere; vnde ad cognoſcendum, an de facto velit hic, & nunc obligare ſub mortali, id colligi debet tum ex Conſtitutionibus Ordinis, tum ex conſuetudine, tum ex verbis, quibus vtitur: quo modo in multis religionibus teſtatur *Vaſq.1.2.tom.2.D.158.c.3. num.24.* inductum eſſe conſuetudine, vt nunquam præceptum ſuperioris regularis obliget ad culpam, etiam venialem, niſi addatur *in virtute obedientiæ,* aut *in nomine Domini*, aut alia ſimili forma loquendi indicante regularem Superiorem intendere obligare ſub peccato mortali. Dico *mortali,* quia hoc ipſo quod Superior aliquid præcipit proprio ſubdito, præſumitur velle illum obligare, ſaltem ſub veniali; vt aduertit *Leſſ.ſup.c.41. num. 74.* id inde probans, quod ſuperior præcipiens, etiam ſi non præcipiat in virtute obedientiæ, non intendit conſulere, & ſuadere dumtaxat, ſed aliquo modo obligare, & præcipere; quamuis non tantùm, quantùm poſſet: & præterea ratio ipſa diſciplinæ religioſæ petit, vt in-

inferior obtemperet, etiam ſi illi extremum præceptum non imponatur: quod tamen non facit, quin religioſus ſubditus obligari poſſit ad præceptum Superioris ſolùm ſub pœna, aut correctione regulari (quo modo ipſæ regulę obligant) ſi ipſe Superior ita pręcipiat, vt non intendat abſolutè obligare pro conditione materię: quod vtique poteſt contingere. Dixi, *vt non intendat abſolutè obligare pro conditione materiæ*; ſi enim id intendat, & ſuam hanc intentionem ſufficienter exterius manifeſtet, & ipſa materia pręcepti ſit grauis; tunc ſine dubio eius pręceptum obligat ſub mortali, & ſi non fiat in virtute obedientię, aut alia forma ęquiualenti.

154 Vnde etiam quis benè inferat ad inobedientiam formalem non peti, vt pręceptum fiat in virtute obedientię, aut alia ſimili forma; ſed ſufficere, vt circa illud interueniat formalis contemptus modo ſupra explicato: cùm potiùs forma illa pręcipiendi in virtute obedientię, & alię id genus, indicent pręceptum, cui illę adiunguntur, obligare ſub peccato m., idque ob rationem iam adductam.

QVÆRES V. Quę inobedientia cenſeatur reſeruata caſu, quo in aliqua Religione reſeruetur peccatum inobedientię, aut peccatum contra votũ obedientię; vti de facto fit in aliquibus religionibus.

155 ℞. Non cenſeri reſeruatam, niſi illam inobedientiam, quę eſt mortalis contra virtutem obedientię, aut contra votum illius: quę reſpiciunt pręceptum ſuperioris obligans ad mortale modo dicto; vnde, ſi inobedientia ſit mortalis per accidens, v. g. ratione contemptus, aut propter aliam circumſtantiam extrinſecam mali finis, non cadet ſub reſeruationem; cum non ſit propriè inobedientia, nec directè repugnet voto obedientię; & aliàs reſeruatio, tanquam odioſa non debeat ampliari, ſed reſtringi. ita *Sanch. l. 6. mor. c. 4. nu. 72.* benè monens *nu.* 70. quod dicunt Doctores Superiorem regularem non cenſeri velle obligare ſub mortali ad ſuum pręceptum (niſi id aliunde conſtet) quando non pręcipit in virtute obedientię &c. non habere verum quo ad ſuperiores carentes ſpirituali poteſtate (qualis eſt miniſter domus, aut Collegij in Societ. Ieſu) hi quippe, cum non poſſint modo dicto præcipere, ad hoc vt cenſeantur obligare ſub mortali ſua præcepta, ſatis eſt, vt materia ſit grauis, & multùm neceſſaria gubernationi monaſterij ab ipſis intentæ, & verbis præcepti, aut æquipollentibus vtantur: ij namque non poſſunt aliter ſuam explicare voluntatem. Quod eſt ita verum, vt R. P. N. Generalis Aquauiua declarauerit Religioſum Societatis incurrere caſum reſeruatum inobedientiæ, qui nolens implere aliquid præceptum à miniſtro dicit nolo parere. Idque puto procedere, ſiue Religioſus id dicat immediatè ipſi miniſtro, ſiue alteri nomine illius iuſſionem proponenti: ſiue vtatur verbis illis *nolo parere*; ſiue alijs æquiualentibus: dicendo v. g. *hoc nullo modo faciam*; *nunquam verum erit me id facturum &c.* cum perinde ſit dicere ſic alteri proponenti nomine miniſtri, eius iuſſionem; ac dicere ipſi miniſtro, attenta regula illa, *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*: & aliàs nihil interſit, *quod verbis dicatur, vel ſigno indubitabili demonſtretur. l. quoties §. ſi quis nomen ff. de hæred. inſtit.*

Quod ſi hac occaſione quæras, vtrum in caſu modo propoſito incurrat caſum reſeruatum Religioſus, qui dicit miniſtro nolo hoc, aut illud facere, interiùs tamen re vera habens animum illud faciendi.

156 ℞. Non incurrere; & probatur à ſimili de eo qui eſt hæreticus mentalis: is enim poteſt abſolui à quocumq; confeſſario approbato; vt in ſpecie notauit *Sanch. l. 2. mor. c. 8. n. 3.* alijs citatis, id inde probans *n. 2.* quod Eccleſia non iudicat de omninò occultis; & quamuis id poſſet, minimè expediret rectæ, & ſuaui eius gubernationi: quæ ratio proculdubio militat etiam in caſu noſtro, vt facilè conſtabit conſideranti.

157 Ex quibus patet poſſe dari violationem voti obedientiæ, etiamſi præceptum, quod violatur, non ſit factum in virtute obedientiæ, aut alio modo æquiualenti; etiamſi in ea non interueniat formalis inobedientia: etiamſi præcipiens careat ſpirituali iuriſdictione: ſufficit enim quod Religioſus ſimpliciter omittat obedire ei, cui emiſit votum obedientiæ: cùm præceptum factum in virtute ſanctæ obedientiæ ſolum deſeruiat ad indicandam grauitatem obligationis: (quæ tamen aliter declarari poteſt, etiam ab eo, qui eſt incapax iuriſdictionis ſpiritualis) &, ſi declaretur, taliter præcipienti obediendum ſit ſub mortale.

QVÆRES VI. An violatio voti obedientiæ, ſit vnica numero, vel multiplex, ſi ſit de re præcepta à duobus ſuperioribus.

158 ℞. Eſſe vnicam numero, ſi res præcepta ſit vna, ac eadem numero, & præceptum fiat ſub eadem ratione formali obedientiæ. ita *Fagund.* in terminis *præc. 2. Eccl. l. 3. c. 5. n.* 7. alijque penes ipſum; & probatur, quia in tali caſu cùm illa plura præcepta ſint eiuſdem rationis, ac ſpeciei, vnumque ac eundem actum præcipiant, & ſub eadem ratione formali obedientiæ, non induunt diuerſa numerò peccata; vt ſuo loco oſtendunt DD. & indicat *Sanchez l. 9. de matr. D. 15. n. 6.* quod tamen non eſſet verum caſu, quo Superior vnus mihi prohibeat aliquam actionem ſub præcepto obedientię, quia eſt nociua Paulo, & alter ſuperior eandem actionem mihi prohibeat ſub pręcepto obedientię, quia eſt nociua Petro: tunc enim duo peccata committerem; non quidem quod hìc dentur duo pręcepta numero diſtincta, ſed quod illa actio prohibita, eſt nociua duobus Paulo, & Petro, & in ordine ad duos duplicem numero malitiam importat: non ſecùs ac occidens vnico ictu duos homines, duo peccata facit, & duas irregularitates incurrit; cum ad diſtinctionem, aut multiplicationem terminorum diſtinguantur peccata, & numero multiplicentur; ſicuti docet *Sanch. loco ſup. citato.*

QVÆRES VII. An & quomodo violatio voti obedientiæ poſſit eſſe grauis, ſi pręceptum, quod violatur, ſit de re ex obiecto leui.

159 ℞. Poſſe; ſi res, quæ ex ſe eſt leuis, ex concurrentibus circumſtantijs fiat grauis, vt diximus *ſect. 2. q. 4. §. quod ſi quæras*; ſecus, ſi res illa ſit leuis tam ex ſe, quam ex concurrentibus circumſtantijs.

QVÆRES VIII. Ex quibus regulis colligi poſſit & debeat, quod violatio voti obedientię ſit mortalis.

160 ℞. Poſſe, & debere colligi tum ex grauitate materiæ, tum ex modo præcipiendi; ſiue Superior imperans vtatur forma illa *in virtute obedientiæ*, aut alia ſimili; ſiue vtatur alijs verbis ſufficienter indicantibus intẽtionem præcipientis eſſe obligare ſub mortali. præterea id etiam colligi poteſt ex pæna adiuncta præcepto: ſi enim ea ſit grauis, inde neceſſariò inferendum eſt præceptum eſſe graue. vnde, ſi aliquid præcipiatur ſub pæna excommunicationis maioris ipsò factò incurrendæ; violatio talis præcepti cenſenda erit grauis; idque etſi verba, quibus ſit præceptum, alioqui ſint communia nullam obligationem ex ſe inducentia: ſi quidem additio pænæ ſatis oſtendit mentem ſuperioris præcipientis eſſe obligare ſub graui, & in quantum poteſt; vt in ſimili aduertit *Sanch. lib. 6. mor. cap. 4. num. 44.* monens tamen *num. 46.* huiuſmodi doctrinam ſic eſſe limitandam; niſi tantus ſit abuſus præcipiendi in rebus leuibus ſub pæna ſupradicta excommunicationis maioris, vt præceptum contineret manifeſtum errorem.

161 Sic de Societate Ieſu notat *Sanch. ſup. n. 70.* quod, cum iuxta vſum ipſius, & declarationem factam in conſtitutionibus illius *p. 6. c. 5.* nullum præceptum Superioris obliget in ea ad culpam mor. aut veni. ſi Superior ea *in nomine Domini Ieſu Chriſti*, vel *in virtute obedientiæ* iubeat, præceptum Superioris in Societate non obligat ad culpam, eſtò fiat expreſſis illis verbis, *præcipio, iubeo, ſtrictè præcipio, ſub præcepto iniungo*, & ſimilibus: & ſi ipſe velit obligare ad aliquã culpam, hanc ſuam intentionem debet clariùs explicare; quod ſi ſufficienter exprimat ſuam intentionem eſſe obligare ad culpam mor. aut ven. tunc vtique obligabit, niſi ratione leuitatis materiæ voluntas Superioris eſſet rationi diſſona; & ratio eſt, quod conſtitutio illa Societatis non auſert poteſtatem aliter obligandi, quam vtendo verbis illis, ſed illis certam obligandi voluntatem explicat, vt talis non cenſeatur, quando illis verbis non vtitur.

SECTIO VI.

De Diſpenſatione Voti Religioſæ Obedientiæ.

162 *Votum religioſæ obedientiæ diſpenſabile eſt, ſi ſimul diſpenſetur ſuper ſtatu religioſo, & non aliter.*

163 *Diſpenſari non poteſt, ſaluo ſtatu religioſo, etiam ſecundùm quid.*

164 *Solus Papa poteſt ſuper eo diſpenſare.*

165 *Papa poteſt eximere Religioſum à ſubiectione Prælatorum regularium.*

166 *Et quidem etiam ſine cauſa quò ad validè.*]

167 *Prælatus itẽ regularis ſuperior eximere poteſt Religioſum à ſubiectione Prælati inferioris: Prælatus autem inferior nequit diſpenſare ſuper præceptis communibus Prælati ſuperioris.*

168 *Religioſus obedit Prælato, etiam pendẽte appellatione.*

169 *Non præſcribit contra votum Obedientiæ.*

170 *Si fiat Papa, adhuc tenetur voto obedientiæ.*

171 *Item, ſi fiat Epiſcopus.*

172 *Etſi religioſus Epiſcopus liber ſit à ſubiectione ſui Ordines.*

173 *Idque à die confirmationis ipſius.*

174 *Et, ſi abdicato Epiſcopatu redeat ad Ordinem, non ideo eius Prælatis ſubijcitur.*

175 *Niſi fortè ex ſua culpa deponatur.*

176 *Et hæc procedunt de Epiſcopo titulari.*

177 *Imò religioſus depoſitus ab Epiſcopatu abſque degradatione non iterum ſubditur Ordini, niſi iterum voueat obedientiam.*

178 *Religioſus Cardinalis non ſubiacet prælatis ſui Ordinis: licet iuxtà Caſtrum Palaum ijs iterum ſubijciatur, ſi Cardinalatum renunciet.*

179 *Item non ſubiacet Religioſus promotus ad Abbatiam, aliam ve dignitatem ſæcularem.*

180 *Item non ſubiacet Religioſus factus Parochus Eccleſiæ omninò exemptæ ab Ordine.*

181 *Generalis totius Ordinis, etiam perpetuus, adhuc tenetur voto obedientiæ.*

182 *Ab eo item non eximitur abſolutè Religioſus perpetuò eiectus.*

183 *Item non eximitur Religioſus ad matrimonium diſpenſatus.*

QVÆRES I. An, & quibus modis votum religioſæ obedientiæ poſſit diſpenſari.

162 ℞. Quod cum excogitari poſſint duo modi diſpenſandi in voto religioſę obedientię; nimirum vel diſpenſando ipſum ſimul cum profeſſione, & toto ſtatu religioſo; vel diſpenſando tantùm ipſum votum per ſe, manente ſtatu religioſo: priori quidem modo poteſt diſpenſari votum Obedientiæ; cum iuxta dicta in *tract. de profeſſione religioſa* profeſſio poſſit diſpenſari; & hòc ipsò quod aliquis ex Religioſo fit non Religioſus (quod fit per diſpenſationem profeſſionis) diſpenſatus maneat liber etiã à voto obedientię; vtpote quod eſt acceſſorium profeſſioni tanquam principali, ideoque illa ablata per diſpẽſationem, & ipſum neceſſariò tolli debeat iuxta regulam *ablato principali tollitur acceſſorium*, (præſertim cum, ablato ſtatu regulari auferatur materia voti obedientiæ, quæ non eſt quæcũq; obedientia, ſed regularis.) poſteriori autem modo non videtur votum religioſæ obedientiæ poſſe diſpenſari integrè, per ſe, ac directè; cum illud ſit de eſſentia ſtatus religioſi, ideoque eo durante non poſſit auferri, ſaltem quo ad vinculum; dico *quo ad vinculum*, non enim nego, quod Papa non poſſit diſpenſare cum Religioſo, vt liber ab omni obligatione obedientiæ vitam ſolitariam, vel priuatam agat, reliqua, quæ ſunt de eſſentia ſtatus religioſi, obſeruando: at hoc non eſt diſpenſare in voto obedientię, ſed ad ſummum in eius vſu, ac exercitio, ideoque Religioſus taliter diſpenſatus adhuc maneret ſub iugo ſpecialis obedientiæ, ac obligatus ex voto, ſaltem reſpectu ipſius Papæ: quod benè attigit *S. Th. 2. 2. q. 186. a. 8. ad 3.* dicens Papam non poſſe diſpenſare cum Religioſo, vt nulli prælato teneatur obedire in his, quæ pertinent ad vitæ perfectionem: ſi quidem, licèt poſſit eum eximere ab obediantia info-

inferiorũ prælatorũ,nõ tamẽ à ſua;ſed de hoc infra.

163 Addo ex *Suar.tom.3.de relig.l.10.c.12.n.3.* quòd quamuis ex parte obiecti non repugnet Papam auferre à viro Religioſo votum obedientiæ,relinquẽdo ſtatum religioſum non ſimpliciter (quod diximus omninò repugnare) ſed ſecundùm quid ; ex defectu tamen cauſæ ſufficientis non videtur poſſibilis talis diſpenſatio; quæ enim cauſa excogitari poteſt,vt perſona manens religioſa quo ad alia omnia, non maneat etiam obnoxia religioſæ obedientiæ, ſaltem reſpectu Papæ? quod ſi nulla talis cauſa videtur poſſe occurrere; neque admitti poteſt vt poſſibilis talis diſpenſatio; cum ad valorem diſpenſationis requiratur cauſa, vt patet. Quod tamen non facit, quin votum religioſæ obedientiæ per ſe-ſe,& durante ſtatu religioſo partialem aliquam admittere poſſit diſpenſationem: v.g. quo ad obſeruantiam alicuius regulæ, aut præcepti, vel quo ad aliquam partem materiæ ipſius; cum ad talem diſpenſationem facilè poſſit occurrere iuſta cauſa ſufficiens ad ſic diſpenſandum.

QVÆRES II. Quis poſſit diſpenſare in voto religioſæ obedientiæ.

164 ℞. Non poſſe, niſi Papam: quamquam, vt vidimus *q.præcedenti*, etiam ipſe non poſſit id facere, niſi eo modo, quo ibi dicimus. patent autem reſponſio ex iam dictis de diſpenſatione tum profeſſionis religioſæ,tum aliorum votorum;quę hic proportionaliter militant.

Vtrum verò Papa poſſit eximere quemcumque religioſum ab obedientia inferiorum Prælatorum, eum ſibi reſeruando.

165 ℞. Poſſe, & quidem validè, etiamſi id faciat ſine cauſa, ob ſolam beneuolentiam, aut gratiam talis perſonæ: ideoque poſſe priuare religionem omni iure fruendi, aut vtendi tali perſona, abſque eo quod faciat iniuriam ipſi religioni. ita *Suar. tom. 4. de relig.tr.8.l.3.c.11.nu.7.* probatque tum quia Papa eſt ſupremus Prælatus omnium religionum; ac proinde, ſicut Generalis alicuius Ordinis poteſt religioſum aliquem eximere ab obedientia Prælatorum inferiorum eiuſdem Ordinis ratione ſupremæ poteſtatis, quam habet in eo; ita & poterit Papa; cum ſic vtatur iure ſuo, æque ac vteretur Generalis ille in caſu propoſito; tum quia, eſtò religioſus per profeſſionem ſe tradat religioni, & religio acquirat dominium in eius perſonam; illud tamen dominium non eſt(vt ita dicam) principaliter vtile religioni, præſertim in temporalibus (quo modo eſt dominium ſerui)ſed eſt principaliter ordinatum ad bonum ſpirituale ipſius religioſi;ideoque ea traditio cenſetur fieri principaliter ſupremo Paſtori, ideſt Papæ; vnde non benè infertur: non poteſt Papa auferre ab aliqua religione omnia bona temporalia, & conferre alteri; ergò nec auferre ius perſonarum, ac dominium in illas; cum inter hæc ſit magna diuerſitas; vt conſtat ex modò dictis.

166 *Dixi, & quidem validè, etiamſi id faciat ſine cauſa;* non enim Papa licitè poteſt dare hanc facultatem ſine cauſa legitima: quia hoc non eſſet in ædificationem, ſed in deſtructionem; præſertim cum talis facultas eximendi religioſum à ſubiectione Prælatorum inferiorum cedat in aliquale nocumentum propriæ religionis, & aliàs ſine cauſa non debeat fieri fauor vni cum damno alterius habentis ius, & poſſeſſionem rei.

QVÆRES III. An Prælati regulares poſſint aliquo modo diſpenſare in voto obedientiæ, v. g. eximendo religioſum ab obedientia Superioris immediati, aut etiam Prouincialis, ſi diſpenſans ſit Generalis religionis.

167 ℞. Quod, quamuis *Sylu.v.caſus q.1.caſu 5.Miranda tom.2.Manual.q.7.a.6.Peregr.p.2.Conſtitut.c.1. lit.D.§.6.Rodriq.p.2.ſum.c.31. num.6. Lezana tom.1. c.18.num.23.* aliique putent Prælatos regulares non poſſe id præſtare, eò quod tali exemptioni obſtet ius in *cap.frater noſter 16.q.1.* vbi ea à ſimili videtur reſeruari Papæ: obſtet & recta ratio,cum id ſit contra bonum regimen, ac obſeruantiam religionum; obſtet & generalis conſuetudo omnium religionum, quæ viget in contrarium: nihilominùs *Suar. ſup.l.2.c.2.num.22.* oppoſitam ſuſtinet ſententiam, & meo iudicio non improbabiliter;probatque tum quia Prælatus inferior pendet in ſuo eſſe a Superiore;ergò & in iuriſdictione,& conſequenter in quantitate, ſeu amplitudine iuriſdictionis: tum quia inferior Prę latus & ſubditus ſuperiori; ergò ſi ſuperior præcipiat, vt in hac, aut illa re non ſe intromittat, teneretur ei obedire, ſupponendo in eo præcepto nullam reperiri turpitudinem; ſicque etiam Prælatus poterit ei limitare poteſtatem: tum denique quia Prælatus vniuerſalis poteſt immediatè præcipere omnibus ſubditis; ergò & poteſt eis prohibere, ne in hac, aut illa re obediant inferioribus Prælatis; ergò etiam hoc pacto poterit limitare facultatem illorum, cum eius potentia, & voluntas ſit efficacior. Verum tamen eſt, quod non ſine graui cauſa talis exemptio concedi debet; aliàs conceſſio erit illicita; quamuis valida, vt in ſimili oſtendit *Suar num. 23.*

Quod ſi quæras, an Prælatus inferior poſſit diſpenſare ſuper præceptis communibus Prælati ſuperioris, ſi aliàs poſſit diſpẽſare ſuper reg.Ordinis.

℞. Videri non poſſe: & probatur quia non abſolutè qui poteſt in maius, poteſt in minus quò ad poteſtatem diſpenſandi, niſi in caſu, quo præſumatur talis eſſe voluntas concedentis: quod præſumi poteſt,quando rationabile eſt: cum ergo maior adſit ratio, ne diſpenſetur ſuper præceptis communibus Prælati ſuperioris, quam ne diſpenſetur ſuper regula; propterea ex eo quod prælatus inferior diſpenſare poteſt ſuper regula (quod eſt maius) non ſequitur illum poſſe diſpenſare etiam in præceptis communibus Prælati ſuperioris (quod eſt minus) vt colligitur ex *Sà v.diſpenſatio num.7.* Præter quam quod mitius agitur cum lege, quam cum homine; vt aduertit *Sanch.l.4.mor.c.22.num.23. ex l.Celſus in prin.ff.de arbitr.* ſicque mirum non eſt,faciliùs concedi diſpenſationem ſuper regula,quæ eſt lex;quam ſuper pręceptis prelati ſuperioris, quæ ſunt ab homine. & hæc maximè procedunt, ſi pręceptum ſit ab homine nominatim, & non ab homine tantùm generaliter: ſic enim ſicut cenſura lata, etiam ſine expreſſa reſeruatione eò ipsò implicitè cenſetur reſeruata ferenti; ita idem erit de pręcepto lato ab homine nominatim,ideſt facto particulari perſonę;

ideoque erit indiſpenſabile per poteſtatem Prælati inferioris.

QVÆRES IV. An Regulares vi appellationis legitunè intentatæ contra proprium Prælatum eximantur ab eius obedientia.

168 ℞. Non eximi, niſi quo ad eam cauſam, ratione cuius appellant: patetque ex dictis *ſect. 4. quaſt. 19.* quæ hic etiam locum habent proportionaliter.

QVÆRES V. An Regulares poſſint præſcribere contra obedientiam debitam Prælatis religionis.

169 ℞. Non poſſe; & probatur tum ex *cap. ſicut el 2. de regular.* vbi ſtatuitur eum, qui profeſſionem fecit, licet in clauſura numquam manſerit, ſed in ſæculo & ſuis bonis vſus fuerit, ad obſeruantiam regularem compellendum eſſe (quod eſt dicere eum non poſſe præſcribere contra obligationem religioſæ profeſſionis): tum quia contra vota religionis ſubſtantialia non datur conſuetudo, neque præſcriptio; vt benè probat *Sanch. l. 6. mor. c. 2. nu. 26.* & inde euincitur quod, cum præſcriptio inducta ſit iure humano; & ius humanum non poſſit præualere cõtra diuinum: clarè conſtat præſcriptionem non habere locum circa obligationem votorum, quę eſt ex iure diuino. ita in terminis *Sanchez num. 30. ex Gloſſ. Abb. Greg. Lopez, & Rodriq.*

QVÆRES VI. An hoc ipſo quod Regularis aſſumitur ad papatum, maneat liber à voto obedientiæ.

170 ℞. Non manere. ita in terminis *Sanch. ſup. c. 6. num. 6. ex Aragona*: patetque ex eo quod, cum Regularis creatus Papa adhuc verè ſit Religioſus, non poteſt non adſtringi tribus votis religioſis, in quibus conſiſtit eſſentia ſtatus religioſi; quod ſi non habet, cui obediat, id eſt per accidens, eo quod in terris nullum habeat Superiorem. nec dici poteſt Papam præſumi ſecum diſpenſare: cum enim ad valorem diſpenſationis requiratur ſufficiens cauſa, & nulla appareat cauſa, qua Papa Religioſus ſecum diſpenſet in ſtatu religioſo; non puto, ipſum poſſe hoc facere, neque licitè, neque validè.

QVÆRES VII. An Regularis aſſumptus ad Epiſcopatum adhuc ligetur voto obedientiæ, & quo modo.

171 ℞. Teneri; non quidem quod maneat ſubiectus Prælatis religionis (à poteſtate enim horum omnino eximitur) ſed quod vi voti tenetur obedire Papæ; non ſecùs ac tenebatur obedire Prælatis regularibus, quando erat conſtitutus in minoribus. vnde *S. Tho. 2. 2. q. 185. a. 8. ad 3.* dicit cum Regularibus creatis Epiſcopis non diſpenſari in voto obedientiæ, ſed mutari ſubiectionem ad hunc, vel illum Prælatum. ita in proprijs terminis *Henriq. l. 10. c. 33. Suar. tom. 2. de relig. tr. de voto lib. c. 7. n. 10. & tom. 4. de relig. tr. 10. l. 6. c. 9. n. 2. Sanch. ſup. c. 6. n. 3.* al jq; penes ipſum: qui notat minùs bene loqui eos, qui dicunt in regulari creato epiſcopo mutari materiam obedientiæ debitæ Prælatis regularibus in obedientiam Papæ; ſi quidem Papa, cum ſit generaliſſimus Prælatus omnium Religionum, eique principaliter emittatur votum religioſæ obedientiæ, vt iam diximus ſupra; non mutatur obedientia aliorum Prælatorum in hanc, ſed ea caſſata, hæc adhuc manet.

172 Et certè quod Religioſus promotus ad Epiſcopatum modo ſupradicto eximatur à ſubiectione omnium Prælatorum ordinis; ſumitur ex *cap. vn. 18. q. 1.* vbi dicitur monachum factum epiſcopum à iugo regulæ monaſticæ abſolui, & conſequenter ab obedientia Prælatorum ſuæ religionis: cum non voueat obedientiam qualemcumque, ſed ſecundùm regulam; & non deceat conſtitutum in altiori gradu ſubeſſe Prælatis inferioribus, quales ſunt Superiores regulares. Quod vero Regularis promotus ad epiſcopatum non eximatur voto religioſæ Obedientiæ, ſed vi illius teneatur obedire Papæ probatur: tum ex ratione adducta *q. præcedenti*, quæ à fortiori militat in præſenti: tum quia nulla apparet neceſſitas diſpenſandi cum Regulari epiſcopo in voto obedientiæ, poſito quod vi illius teneatur obedire ſoli Papæ: ſic quippe tale votum non dedecet ſtatum epiſcopalem, nec eſt incompoſſibile cum oneribus illius: non poteſt autem diſpenſari in votis, & maximè religionis, ſine cauſa, eaque grauiſſima.

173 Exiſtimat autem *Sanch. num. 32.* epiſcopum religioſum eximi ab obedientia Prælatorum regularium, non à die electionis, ſed à die confirmationis; probatque tum quia *cap. vn. 18. q. 1.* dicens *Monachus, quem canonica electio à iugo regulæ monaſticæ profeſſionis abſoluit*, intelligi debet de electione confirmata à Papa; vt rectè aduertit idem *Sanch. ex Leſſio*; tum quia ſolùm à die confirmationis contrahitur ſpirituale matrimonium inter epiſcopum, & Eccleſiam; & ex tunc epiſcopus eſt ſub ſpeciali protectione Papę, abſque peculiari eius licentia retrocedere nequit, & poteſt exercere epiſcopalia; ergo ex tunc, & non priùs ita cenſetur Papę ſubiectus, vt eximatur ab obedientia aliorum Superiorum, & à iugo monaſticę diſciplinę.

Cęterum, ſi quęras, an religioſus epiſcopus iterum ſubijciatur iuriſdictioni Pręlatorum regularium, iiſque obedire teneatur vi voti; ſi depoſito epiſcopatu redeat ad religionem, aut maneat extra illam.

174 ℞. Probabilius eſſe non ſubijci, niſi fortè ex propria culpa ita deponatur, vt etiam degradetur. moueor, quod ratione dignitatis epiſcopalis cum tali Religioſo diſpenſatum eſt, vt eximeretur ab obligatione obediendi Pręlatis regularibus; dignitas autem epiſcopalis manet ex parte, etiam poſt depoſitionem; nimirum quo ad ordinem, ſin minus quo ad iuriſdictionem: ideoque manet fauor diſpenſationis; quippe ad eius extinctionem debet eius cauſa omnino ceſſare; vt benè probat *Sanch. l. 8. de matr. D. 30. num. 8.*, idque eſto religioſus epiſcopus deponatur ob demeritum; cum etiam in tali caſu militet ratio allata. ita *Henriq. ſup. c. 32. num. 4. Sà v. Epiſc. num. 11. Rodriq. tom. 3. q. 52. a. 26. Sanch. l. 6. mor. c. 6. num. 29.*

175 Dixi *niſi fortè ex propria culpa ita deponatur &c.* cum enim in tali euentu Religioſus per degradationem exuatur omnibus priuilegijs ratione dignitatis conceſſis; ceſſabit quoq; priuilegium exemptionis ab obedientia Pręlatorum regularium; ſicque

ſicque tenebitur redire ad religionem ; ad quod tamen non teneretur, ſi non eſſet degradatus ; vt notauit *Sanch. ſupra*.

Vtrum verò tali exemptione gaudeant Regulares Epiſcopi nullam habentes diæceſim (quales sũt Epiſcopi, qui dicuntur anulares, ſeu titulares) aut certè habentes impeditam, eò quod occupata ſit à Turcis.

176 ℞. Gaudere; & probatur, tum quia iſti omnes verè habent ſubditam diæceſim, quæ quondam erat Chriſtianorum, & modò eſt occupata à Turcis, eãque tenerentur adire, ſi quando eriperetur à tyrannide infidelium, aut ipſi infideles occupantes fidem admitterent, ſinerentue eos chriſtianè viuere cum ſubditis: tum quia & ſi nulla ſpes moralis affulgeat talis aditus, ſed ſolùm metaphyſica (vt ſic loquar): hi tamen Epiſcopi creantur, vt alios, qui habent oues, & diæceſim non impeditam, adiuuent in pontificalibus. ita *Azor. tom. 1. l. 12. c. 10. q. 7.* & cum eo *Sanch. ſup. num.* 27.

177 Ex eo autem quod Regularis Epiſcopus depoſitus (abſque degradatione tamen) adhuc eſt exemptus ab obedientia Prælatorum regularium: ſequitur eum, caſu, quo redeat ad monaſterium, non teneri obedire Superioribus Ordinis, niſi de nouo emittat votum obediendi illis, aut certè Papa tanquam ſupremus illius Prælatus eum illis ſubijciat ad effectum, vt teneatur ijs obedire. ratio eſt, quod, cum ſit omninò exemptus ab obedientia Prælatorum regularium, non poteſt ſe illis obligare, niſi nouo voto, aut certè niſi à Prælato ſuo, qui eſt ſolus Papa, ijs ſubijciatur: quo modo etiam Prælatus religionis non poteſt ſua ſponte ſe ſubijcere obedientiæ illius, qui ſuus Prælatus non eſt, niſi nouo voto emiſſo. ita *Sanch. num.* 31. contra aliquos ab ipſo relatos *num.* 28.

QVÆRES VIII. An Regulares promoti ad Cardinalatum eximantur ab obedientia Prælatorũ regularium eo modo, quo diximus eximi Epiſcopos

178 ℞. Eximi; & conſtat, quia Cardinales in ſuis titulis habent iuriſdictionem quaſi epiſcopalem; vt tradunt plures Canoniſtæ apud *Sanch. n.* 34. ergò & debent gaudere priuilegijs epiſcopotum, ergò & priuilegio exemptionis: cum par ſit, vt, vbi militat eadem ratio, militet & eadem iuris diſpoſitio. ita *Sanch. loco citato* cum *Rodriq. & Franco*. Quamuis *Caſtrus Palaus tr. 16. D. 5. p. 24.* dicat Religioſum Cardinalem, ſi renunciet Cardinalatum, aut deponatur, reincidere in obedientiam ſui Ordinis: quippe qui priuatur dignitate, ob quam conceſſa erat exemptio; & aliàs Cardinalatus nullam importet conſecrationem, ſicut importat epiſcopatus: quæ facit, vt Religioſus epiſcopus, etiam abdicato epiſcopatu, maneat exemptus ab obedientia ſui Ordinis. ita *Caſtrus Palaus*.

179 Quin idem dicendum eſt etiam de Religioſo promoto in Abbatem, aliamne dignitatem habentem propriam diæceſim nulli epiſcopo ſubiectam. ita in terminis *Sanch. nu.* 35. probatque, quia huiuſmodi Prælati ſunt in omnibus ſimiles epiſcopis, ſola conſecratione ab ipſis differentes: ſicque in ſpectantibus ad poteſtatem ordinis epiſcopalis quæcumque dicuntur de epiſcopis (exceptis ijs, quę ſunt ordinis epiſcopalis) dicuntur etiam de illis; ſi excludas vnum, aut alterum, in quibus adeſt ſpecialis difficultas ob ſpecialem iuris prohibitionem; videlicet circa poteſtatem dandi literas commendatitias pro ordinibus.

QVÆRES IX. An, & quo modo Regulares promoti ad beneficium parochiale eximantur ab obedientia Prælatorum religionis.

180 ℞. Eximi, ſi Eccleſia illa nullo modo ſubijciatur Prę latis monaſterij: (idq; ex *c. in parochia 16. q. 1.*) cum hoc tamen quod manet ſubditus epiſcopo, qui de cætero erit illius Abbas; ſecùs, ſi Eccleſia ſit ſubiecta Prælatis religionis tam quo ad temporalia, quam quo ad ſpiritualia: ſic enim etiam ipſi manent ſubiecti dictis Prælatis eodem modo, ac erant antea. quod ſi Eccleſia præfatis Prælatis ſit ſubdita quo ad ſola temporalia, illi erunt exempti quo ad ſpiritualia: quo ad temporalia vero, ſi Eccleſia ſit ſubiecta quo ad ſpiritualia. ita *Sanch. n. 36.* ex *Goffred. Hoſt. Ang. Roſel. Tab. Syl.* & alijs communiter, monens tamen talem Religioſum, depoſito officio Parochi teneri redire ad monaſterium, & obedire inſtar cæterorum: ſi quidem exemptio illa non eſt ratione alicuius dignitatis (quo modo eſt in epiſcopo, & Cardinali) ſed ratione ſolius officij, quod tunc ceſſat; quamuis *Nauarrus, & Emmanuel Rodriq.* allegati ab ipſo *Sanch.* dicant eiuſmodi Religioſum Parochũ depoſitum, aut renunciantem nequaquam teneri redire.

QVÆRES X. An Generales Religionum, maximè perpetui, eximantur à voto religioſæ obedientiæ.

181 ℞. Non eximi; cum iuxta dicta *q. 7.* illi etiam vi voti teneantur obedire Papæ omnium religionũ Generali generaliſſimo, cui principaliter emittitur votum obedientiæ religioſæ; & alioqui ſit per accidens, quod intra religionem non habeant, cui obediant, vt pote carentes Superiore; ſicuti diximus *q. 6.* vnde fit, vt, loquendo de Generalibus perpetuis, ſolùm verificetur eos eximi ab obedientia Prę latorum regularium; non autem quod abſolutè liberentur ab obligatione voti obedientiæ; præter quam quod, cum dicti Generales amoueri poſſint, ſaltem ex auctoritate Papæ: ſi de facto amoueantur, eò ipſo iterum ſubijcientur Prælatis Ordinis, & denuo adſtringentur voto obedientiæ, quod per accidens erat quaſi ſuſpenſum. Certè in Soc. Ieſu poteſt Præpoſitus generalis in aliquibus caſibus *p. 9. Conſtit. c. 4. n. 6. & 7.* relatis & deponi ab officio; & ſi opus ſit, etiam remoueri à Societate: idque ex propria auctoritate Societatis conceſſa vi Conſtitutionum; vnde patet nullam ſubeſſe rationem præfatos Generales omninò eximendi à voto obedientiæ; cũ ſimpliciter poſſit contingere, vt iterum ſubijciantur Prælatis Religionis; ſiue quia deponantur inuiti, ſiue quia ſponte renuncient officio.

QVÆRES XI. An Regulares perpetuo eiecti à religione ſint exempti à voto religioſæ obediẽtiæ.

182 ℞. Non eſſe, abſolutè loquendo; quamuis enim dum manent extra religionem, ſint exempti ab obedientia Prælatorum regularium (præter quam quo ad reditum ad religionem); cum ipſimet Prælati per eiectionem cenſeantur illos

conſtituiſſe extra ipſorum poteſtatem, & curam, ac ſubinde obedientiam: quippequi non voluerunt obedientiam, niſi quamdiu manerent ſub cura, ac poteſtate Superiorum; adhuc tamen tenentur obedire Papæ: & quidem (vt puto) ex vi voti; ſi enim vi voti tenentur obedire Papæ regulares promoti ad Epiſcopatum, Cardinalatum, &c. à fortiori tenebuntur Religioſi legitimè electi; ne alioqui ex delicto reportent commodum: quo modo autem ſubijciatur Religioſus electus Ordinario loci, in quo degit conſtat ex dictis *ſupra ſect.* 4. *q.* 24.

QVÆRES XII. An Regularis hoc ipſo, quod legitimè diſpenſatur ad matrimonium, cenſeatur etiam diſpenſatus in voto religioſę obedientiæ.

183 ℞. Cenſeri quo ad Prælatos regulares, non item quo ad Papam; patetque tum ex dictis *q. præcedenti*, tum ex iis, quæ diximus *ſect.* 4. *q.* 25. quæ tamen non haberent locum in caſu, quo Regularis ita diſpenſaretur ad matrimonium, vt ex Religioſo abſolutè fieret non Religioſus: ſic quippe omninò eximeretur à voto obedientiæ, & cōſequenter vi illius non poſſet adſtringi ad obediendum, neque Prælatis regularibus, neque etiam Papæ, vt patet.

CAPVT V.

De Votis, ac Iuramentis, quæ peculiariter fiunt in aliquibus Religionibus.

EXplicatis iam votis ſubſtantialibus Religionis, quæ ſunt communia omnibus Religioſis (quod præſtitimus in præcedentibus capitibus agentes de Paupertate, Caſtitate, ac Obedientia religioſa) ſupereſt modò vt in præſenti Capite explicemus vota, ac iuramenta, quæ peculiariter emittuntur in aliquibus Ordinibus iuxta proprium ipſorum Inſtitutum; Caput diuidemus in 13. Sectiones, in quorum 1. agemus De Votis, quæ fiunt in Religione Minorum: In 2. De Voto, quod emittunt Fratres B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum: In 3. De Voto Vitæ Quadrageſimalis, quod fit à Minimis, ac promiſſione fidelitatis, qua Fratres eorum laici ſe aſtringunt: In 4. De Iuramento, quod faciunt Patres Barnabitæ de non procurandis dignitatibus: In 5. De Votis, quæ fiunt in Societate Ieſu vltra tria ſubſtantialia: In 6. De Voto Humilitatis, quod faciunt Carmelitæ Diſcalceati: In 7. De Voto, ac Iuramento, quod faciunt Clerici Minores: In 8. De Votis, quę emittunt Clerici miniſtrantes infirmis: In 9. De votis, quę faciunt Auguſtiniani Diſcalceati: In 10. De voto non procurandi dignitates, quod fit in Ordine Trinitatis redemptionis Captiuorum: In 11. De voto, quod emittunt Fratres B. Ioannis Dei: In 12. agemus De votis, quę faciunt Clerici Regulares Scholarum Piarum: In 13 explicabimus Statutum Carthuſienſium de non edendis carnibus, neque in infirmitate mortali: non quidem quod talis obligatio ſit ex voto, vt aliqui videntur ſupponere, ſed quod non occurrat locus opportunior, in quo de eo diſſeramus.

SECTIO I.

De Votis, quæ fiunt peculiariter in Ordine Minorum.

DVo Vota peculiaria emittuntur in Ordine Fratrum Minorum; nimirum ſpecialis Obedientię erga Papam; quod, teſte Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. lib. 6. cap. 4 num. 27. emittunt Fratres ipſi Minores modo infra explicando; & Clauſurę, quod faciunt Moniales S. Clarę vt notauit Rodriq. tom. 1 q. 49 a. 1. De his ergò duobus votis agendum nobis eſt in hac Sectione; ſicque diuiſa Sectione in 2. Subſectiones, in prima agemus de primo voto, & in ſecunda de ſecundo voto.

SVBSECTIO I.

De Voto ſpecialis Obedientiæ erga Papam, quod faciunt Fratres Minores.

1 *FRatres Minores vouent ſpecialem obedientiam, ac reuerentiam tum Papæ, tum Eccleſiæ.*
2 *At hoc votum non eſt explicitum, ſed implicitum.*
3 *Habet duplicem materiam.*
4 *Eſt laudabile.*
5 *Non obligat ad ſpecialem Obedientiam, ſeclusò præcepto formali.*
6 *Obligat ad ea, quæ ſunt iuxta regulam, & ad aliquid aliud.*
7 *Si non fiat in profeſſione, faciendū poſtea, ſed non ſemper.*

8 Non

8 *Non obligat ad parendum delegatis Papæ.*
9 *Obligat ad ſpecialem obedientiam Eccleſiæ, facitque violationem præceptorum illius ſacrilegam, ſed non ſemper.*
10 *Violatur, ſi Frater minor apoſtatet à fide.*
11 *Obligat ad reuerentiam exhibendam Papæ, ac Eccleſiæ: quæ ſunt duæ res diuerſæ.*
12 *Eſt votum ſolemne.*

QVÆRES I. Quibus verbis concipiatur hoc votum.

1 ℞. Concipi illis verbis, quæ habentur in bulla Honorij III. in Ordine 5. & ſunt: *Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reuerentiam Domino Papæ Honorio, ac Succeſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ.* Vbi notandum quod, cum Expoſitores præfatæ regulæ, & in primis *S. Bonauentura cap. 1. regulæ* ſupponant huiuſmodi promiſſionem eſſe verum votum (vnde ait *S. Bonau. & ſi totus Clerus, & Religioſorum vniuerſitas teneatur firmiter Apoſtolico Domino obedire, Sanctus* (i. Franciſcus) *huic debito votum obiecit ſpeciale, ſciens voto fortificari Sacri Ordinis vinculum, & meritum geminari:*) & ex alia parte promiſſio nō habeat rationem voti, niſi fiat Deo, vt tradunt communiter *DD. cum S. Tho. 2. 2. qu. 88. a. 5. ad 3.* dicendum eſt in illis verbis *Frater Franciſcus promittit obedientiam, &c.* ſubintelligi *Deo*: alioqui eſſet ſimplex promiſſio facta homini, & conſequenter non eſſet votum; fortè autem S. Franciſcus conſultò omiſit nominare Deum, eo quod faciens talem promiſſionem Papæ, in eo tanquam in Chriſti Vicario Deum ipſum agnouit; ſicque promittens Papæ exiſtimauit ſe promittere ipſimet Deo.

QVÆRES II. Quo modo Fratres minores dici poſſint adſtringi hoc voto; cum votum ſit actio perſonalis, quæ nequit fieri per alium, & dicti Fratres, neque in profeſſione, neque aliàs emittant tale votum.

2 ℞. Adſtringi tali voto, eò quod reuera ſit perſonale; non quidem quod S. Franciſcus illud fecerit non ſolum pro ſe, ſed etiam pro omnibus ſuis Fratribus, vt teſte *Suar. to. 4. de relig. tract. 10. l. 6. cap. 4. num. 27.* dicunt communiter expoſitores regulæ ipſius S. Franciſci (nam votum, cum ſit actio perſonalis, non poteſt fieri per alium:) ſed quod Fratres minores in profeſſione voueant obedientiam ſecundùm regulam S. Franciſci, & in ea expreſsè contineatur tale votum; vt conſtat ex dictis *q. præcedenti*. Colligitur ex *Suarez loco citato.*

QVÆRES III. Ad quid obliget hoc votum & quæ ſit eius materia.

3 ℞. Quod cum hoc votum duas habeat partes, alteram obedientiæ, & alteram reuerentiæ: quo ad priorem partem, non habet aliam materiam, niſi eam quam habet votum generalis obedientiæ (quo modo *Suar. ſup.* dicit votum hoc eſſe, velut repetitionem, ac renouationem voti obedientiæ generalis, quod Minores faciunt in religioſa profeſſione) quo ad poſteriorem verò partem habet pro materia reuerentiam; & hoc modo non video, qualiter dici poſſit hoc votum eſſe ſolum repetitionem voti generalis obedientiæ.

QVÆRES IV. An ſit laudabile facere hoc votū.

4 ℞. Quod, cum laudabilis ſit repetitio eiuſdē voti, v. g. caſtitatis) vtpote valdè meritoria; ſicuti diximus in *tract. de priuil. cap. 5. ſect. 5. quæſt. 5. §. dubium maius*; vtique & laudabilius erit emiſſio huius voti; quæ iuxta d. *q. præc.* æquiparatur repetitioni eiuſdem voti; idque ex varijs capitibus; & maximè quia voluntas per illam repetitionem magis & magis confirmatur in propoſito ſeruandi id, quod promittit; vnde ſequitur emiſſionem huius voti non eſſe fruſtratoriam, ac inutilem, imò valdè commendabilem, ac meritoriam, vt patet.

QVÆRES V. An Fratres minores vi huius voti teneantur ſub reatu peccati m. obedire Papæ, etiam ſecluſo præcepto formali.

5 ℞. Videri probabile non teneri. ducor, quod ex vna parte iſtud votum non differt à voto generalis obedientiæ, quod Fratres minores faciunt in profeſſione religioſa, niſi ſicut explicitum ab implicito, ſeu ſpeciale à generali (cum tamen expliciti, & impliciti ſit eadem virtus) ex alia parte verum eſt, quod diximus *ſup. c. præced ſect. 2. q. 4.* vſu communi religionum receptum eſſe, vt ſi Prælatus ſimplici verbo præcipiat; quantumuis materia præcepta ſit grauis, non cenſeatur velle obligare ſub mortali; quantum eſt ex ſuo præcepto poſitiuo, ac voto generalis obedientiæ emiſſo in profeſſione: ergò cum obligatio proueniens ex hoc voto non ſit diuerſa ab ea, quæ prouenit ex voto generalis obedientiæ; ſicut Frater minor vi huius non tenetur obedire Papæ ſub mortali, ſecluſo formali præcepto; ſic nec tenebitur vi huius voti; cum ſit eadem ratio, vt patet.

QVÆRES VI. An Fratres minores vi huius voti teneantur obedire Papæ etiam in ijs, ad quæ non tenerentur vi voti generalis obedientiæ.

6 ℞. Quod quamuis obligatio huius voti videri poſſet magis ampla, ac extenſa; eo quod verba, quib. illud emittitur, ſint indefinita, & abſque vlla limitatione: nimirum *Frater Franciſcus promittit obedientiam, & reuerentiam, &c.* nihilominus dicendum videtur Fratres minores vi huius voti non teneri obedire Papæ, niſi in ijs, ad quæ tenentur vi voti obedientiæ generalis; in ijs ſcilicet, quæ ſunt iuxta regulam. moueor, quod iuxta dicta *cap. præced. ſect. 1. q. 1.* votum religioſæ obedientiæ, eſto in profeſſione emittatur abſolutè, ac illimitatè non obligat ad obediendum, niſi in ijs, quæ ſunt iuxta regulam: & quidem in omnibus religionibus, vt oſtendit *Suar. tom. 3. de relig. l. 10. cap. 8. num. 5.* & conſequenter etiam in Ordine minorum: ſi ergò votum, de quo hìc agimus, non eſt diuerſum ab eo, quod Fratres minores emittunt in religioſa profeſſione, paremque habet obligationem cum illo (vt iam oſtendimus;) non obligabit, niſi ad ea, ad quæ obligat votum generalis obedientiæ; nempe ad ea, quæ ſunt iuxta regulam; nec aliter præſumendum eſt de intentione vouentis; cum votum in dubio obliget ad id, quod minus eſt; vt in terminis docet *Sanc. l. 4. mor. cap. 13. num. 8.* & alioqui verba quibus concipitur hoc votum, clarè non indicent vouentem intendere ſe obligare ad plura, quam obligetur ex voto obedientiæ generalis. Quod tamen non facit, quin Frater minor vi huius voti ad aliquid teneatur

ad

ad quod non tenetur vi voti obedientiæ generalis, nempe ad reuerentiam exhibendam Papæ, ac Eccleſiæ, imo & ad obediendum Eccleſiæ modo infra explicando.

QVÆRES VII. An dato quod Frater Minor ex ignorantia poſitiua in profeſſione religioſa non faceret hoc votum, teneatur poſtea illud facere, & quo modo.

7 ℞. Teneri, ſi in profeſſione habuit actualem, ac expreſſam intentionem contrariam (cum ſic profeſſio fuerit nulla, deficiente ei aliquo ſubſtantiali) teneri inquam, & quidem ratificando profeſſionem modo dicto nulliter factam. ſecùs, ſi non habuit intentionem actualem expreſſam contrariam: ad faciendum enim votum hoc implicitum ſufficit intétio generalis, quam religioſus habuit in profeſſione; adeoque non eſt neceſſarium, votum hoc iterum fieri.

QVÆRES VIII. An Fratres Minores vi huius voti teneantur peculiariter obedire non ſolùm Papæ, ſed etiam alijs ab eo delegatis.

8 ℞. Videri probabile quod non, ob dicta *ſup. cap. praeced. ſect. 4. q. 5. 6. 7. & 8.* vbi ſatis latè de hac quæſtione agimus.

QVÆRES IX. An Fratres Minores vigore huius voti teneantur obedire non ſolum Papæ, ſed etiam ipſi Eccleſiæ, ideoque ſi violent præceptum aliquod Eccleſiæ, dici poſſint violare hoc votum.

9 ℞. Teneri; adeoque violare hoc votum, quoties contrauenit alicui præcepto Eccleſiæ: cum per hoc votum promittatur obedientia tum Papæ, tum Eccleſiæ; & alioqui Papa, ac Eccleſia repræſentent diuerſas perſonas: quamquam piè, ac probabiliter credi poſſit votum hoc non reſpicere omnia præcepta Eccleſiæ directa ad omnes fideles, ſed ſolum ea, quæ ſpecialiter dirigantur ad Fratres Minores. Præter quam quod in confeſſione violationis talis præcepti tunc ſolùm detegi debet circumſtantia huius voti, quando Religioſus confitetur Sacerdoti illum non agnoſcenti, aut ignoranti hoc votum.

Vtrum vero Frater minor peccet contra hoc votum, ſi ſe ſubtrahat ab obedientia Eccleſiæ, apoſtatando à fide.

10 ℞. Peccare; cum vi talis voti teneatur manere in obedientia Eccleſiæ, à qua ſe ſubtrahit apoſtatando à fide.

QVÆRES X. An Fratres Minores vi huius voti teneantur præſtare Papæ, ac Eccleſiæ non obedientiam tantùm, ſed etiam reuerentiam.

11 ℞. Teneri præſtare vtramq; ideoque poſſe contingere, quod tale votum violent, etiam ſine peccato ſpecialis inobedientiæ: nimirum ſi omittant exhibere debitam reuerentiam, ſiue Papæ, ſiue Eccleſiæ. ratio eſt quod qui promittit duo, duo tenetur præſtare, & non ſatisfacit ſolùm pręſtando vnū; at Frater Minor per hoc votum promittit duo; nẽpe obedientiam, ac reuerentiam (quæ abſque dubio ſunt res diuerſæ, cum obedientia reſpiciat præceptum perſonæ excellentis; & reuerentia excellentiam perſonæ; ſicut benè aduertit *S. Tho. 2. 2. q. 104. a. 2. ad 4.*) ergo duo tenetur præſtare, nec ſatisfacit, ſi præſtet vnum tantum: ergo, ſi præſtet obedientiam, ſed non reuerentiam, vel è contra, peccabit contra hoc votum; cum ſic non præſtet, niſi vnum, aliàs habens obligatiouem præſtandi duo.

QVÆRES XI. An hoc votum ſit ſolemne, aut ſimplex.

12 ℞. Eſſe ſolemne. & ratio eſt, quod iuxta dicta hic *cap. 1 ſect. 1. q. 8.* ſolemnitas voti religioſi eſt ens quoddam morale inſtitutum ab Eccleſia plura requirens, videlicet quod fiat in religione approbata coniunctim profeſſioni religioſæ, cum certis cæremonijs, & quod fiat vno, ac eodem contextu cum ipſis votis ſubſtantialibus religionis: ex alia parte præſens votum, cum ſit implicitum in ipſa profeſſione, dicendum eſt fieri vnico quaſi contextu cum ipſa profeſſione, & conſeqnenter ſimul cum votis ſubſtantialibus religionis; quod eſt tale votum eſſe ſolemne; quamuis aliàs non ſit votum diſtinctum à voto generali Obedientiæ ſolemni, ſed ſit ſolum expreſſior quædam mentis eius, quod tacitè, ſeu implicitè ineſt in ipſo voto Obedientiæ. ita viri docti conſulti.

SVBSECTIO II.

De voto Clauſuræ, quod faciunt Moniales S. Claræ.

13 *Moniales S. Claræ vouent Clauſuram.*
14 *Sicque ex voto tenentur ad illam, & non ſolum ex obedientia.*
15 *Eſt votum ſolemne.*
16 *Addit nouam malitiam violationi Clauſuræ.*
17 *Non violatur per admiſſionem perſonarum prohibitarum.*
18 *Eo non obſtante, licitus eſt egreſſus in aliquibus caſibus.*
19 *Violat hoc votum Monialis recedens à loco, in quem tranſit ad tempus.*
20 *Secùs, ſi in eo tranſitu aliquantulum diuertat.*
21 *Licitum eſt ſe obligare ad Clauſuram cum periculo mortis non violentæ.*
22 *Stante hoc voto adhuc licitus eſt egreſſus in caſu lepræ, ac epidemiæ.*
23 *Pius V. in bulla edita de Monial. clauſura non abſtulit caſus exceptos quoad egreſſum ab Vrbano IV. permiſſos.*
24 *Hoc votum difficiliorem facit diſpenſationem ad egreſſum.*

QVÆRES I. Quibus verbis concipiatur hoc votum.

13 ℞. Concipi his, aut alijs æquiualentibus verbis: *promitto viuere in perpetua clauſura;* vt conſtat ex formula profeſſionis, qua vtuntur Moniales S. Claræ.

QVÆRES II. Qualem obligationem inducat hoc votum.

14 ℞. Quod, cum moniales, generatim loquendo, teneantur ad clauſuram ſolùm ex præcepto Eccleſiaſtico, vt oſtendemus ſuo loco: & obligatio proueniens ex tali præcepto extenſiuè non poſſit eſſe maior, neque quo ad perſonas, neque quo ad locū,

neque

neque quo ad tempus; vt benè aduertit, & probat *Suarez tom. 4. de relig tract. 8. l. 1. cap. 8. num. 23.* ſequitur obligationem Clauſuræ prouenientem ex hoc voto ſolum intenſiuè eſſe maiorem ea, qua adſtringuntur aliæ moniales, quæ non emittunt tale votum; quatenus ſcilicet moniales S. Claræ tenentur ſeruare perpetuam Clauſuram, non ſolum ex virtute obedientiæ (quo modo tenentur omnes aliæ moniales) ſed etiam ex vi huius voti: quod eſt teneri ad clauſuram ex duplici titulo, & conſequenter obligari ad illam magis intenſiuè.

QVÆRES III. An hoc votum ſit ſolemne, aut ſimplex.

15 ℞. Eſſe ſolemne: quippe quod non ſolum ſit coniunctum profeſſioni religioſæ (vt conſtat ex formula profeſſionis, qua vtuntur moniales S. Claræ) ſed etiam ex communi ſenſu, ac æſtimatione tam dictarum monialium, quam Fratrum, ſub quorum cura, ac regimine viuunt) & emittitur, tanquam ſolemne, & vt tale acceptatur à religione: quæ petuntur, & ſufficiunt, vt aliquod votum dici poſſit ſolemne, vt conſtat ex dictis.

QVÆRES IV. An obligatio huius voti ſuperaddat violationi clauſuræ nouam malitiam neceſſario exprimendam.

16 ℞. Superaddere. moueor, quod peccatum continet tot malitias, quot virtutibus opponitur: ex alia parte monialis S. Claræ, de qua hic, tenetur ad clauſuram etiam ex voto; ſicque eam violans peccabit contra obedientiam, quatenus ad clauſuram tenetur item ex præcepto Eccleſiæ; & contra religionem, quatenus ad clauſuram tenetur ex voto; ſicque violatio duas habet malitias, quæ proinde neceſſariò exprimendæ erunt in confeſſione.

QVÆRES V. An monialis S. Claræ violet hoc votum, ſi in caſu non permiſſo admittat perſonas prohibitas intra ſuum monaſterium.

17 ℞. Videri non violare; quamuis aliàs peccet contra præceptum Eccleſiaſticum ipſi prohibens talem admiſſionem. ducor quod per tale votum monialis nequaquam ſe obligat ad non delinquendum vllo modo contra clauſuram (quo pacto delinquitur etiam ſolùm admittendo perſonas prohibitas in caſu non conceſſo) ſed tantum ad viuendum in perpetua clauſura; conſtat autem quod monialis taliter admittendo intra clauſuram perſonas prohibitas adhuc reuera viuit in clauſura; cum non recedat à finibus clauſuræ (vt ſuppono:) ergò per dictam admiſſionem non violat hoc votum, dummodo ipſa verè maneat intra clauſuram.

Moueo hìc obiter moniales S. Claræ, & quaſcumque alias grauiter peccare, ſi intra clauſuram introducant, aut admittant adultos ebrios, aut dormientes, aut amentes. & ratiò eſt, quod licet hi ob defectum rationis excuſentur à violatione clauſuræ, tamen ſubſunt præcepto obſeruandi clauſuram. & alioqui moniales introducentes, aut admittentes illos excuſationem illam habere nequeunt, cum liberè introducant, aut admittant. & hinc fortè in *cap. periculoſo de ſtatu Regul. in 6.* ſub verbo paſſiuo dictum eſt: *Nulli inhoneſtæ, vel honeſtæ perſonæ ingreſſus pateat*: vt ſic non ſolum liberè ingredientes, ſed permittentes ingreſſum comprehenderentur: conſtat autem adultos amentes venire ſub nomine honeſtæ, vel inhoneſtæ perſonæ, eoſque poſſe monaſteria perturbare, & vanis locutionibus ad malum prouocare; vt notaui in *tractat. de monas. cap. 5. num. 106.*

QVÆRES VI. An dantur aliqui caſus, in quibus moniales S. Claræ, non obſtante hoc voto, licitè poſſint recedere à clauſura.

18 ℞. Dari aliquos, qui teſte Rodriq. *tom. 1. q. 49. a. 1.* ab Vrbano IV. fuerunt excepti his verbis: *Omni namque tempore vitæ ſuæ hanc vitam profitentes clauſuræ manere firmiter teneantur infra murorum ambitum ad intrinſecam monaſterij deputatum: niſi forſan (quod abſit) ſuperuenerit ineuitabilis neceſſitas ſicut exuſtionis ignis, vel incurſus hoſtilis, ſeu alicuius huiuſmodi, quæ dilationem nullo caperet modo ad egrediendum licentiam poſtulandi, in quibus caſibus transferant ſe Sorores ad locum aliquem competentem, in quo quantum commodè fieri poterit, clauſæ morentur, quouſque eis de monaſterio ſit prouiſum. & propter huiuſmodi neceſſitatis euidentiam nulla eis concedatur licentia, vel facultas extra prædictam clauſuram vlterius exeundi fortè de mandato, aut auctoritate Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, cui à Sede Apoſtolica generaliter fuerit iſte Ordo commiſſus; niſi ad aliquem locum aliqua mitterentur cauſa plantandi, vel ædificandi eandem religionem, vel reformandi aliquod monaſterium eiuſdem Ordinis, vel cauſa regiminis, aut correctionis, aut alicuius valdè euidentis, & grauis diſpendij euitandi, vel niſi de eiuſdem Cardinalis mandato, aut auctoritate monaſterio primo rationabili cauſa relicto totus Conuentus ad monaſterium aliud ſe transferat*: ſic Vrbanus IV.

QVÆRES VII. Vtrum moniales S. Claræ violent illud votum Clauſuræ, ſi à loco, ad quem ſe transferunt recedentes à propria clauſura in caſu permiſſo, ſine debita facultate recedant, antequam redeant ad prius monaſterium, vel certè transferantur in aliud ibi perpetuò manſuræ.

19 ℞. Videri violare; & ratio eſt quod locus, ad quem ſe transferunt, vſque dum prouideantur de habitatione perpetua, ipſis deputatur in clauſuram pro eo tempore, quo ibi permanſuræ ſunt; vt ſatis clarè colligitur ex verbis illis Vrbani IV. ſuperiùs adductis, & relatis in regula S. Claræ, *Transferant ſe Sorores ad locum aliquem competentem, in quo (quantum commodè fieri poterit) clauſæ morentur, quo vſque eis de monaſterio ſit prouiſum*; ſicut ergo moniales S. Claræ facerent contra votum clauſuræ, ſi abſque debita facultate recederent à propria clauſura ipſis in perpetuum deputata, ſic & faciens indebitè recedendo à clauſura in præſenti caſu ipſis ad aliquod tantùm tempus deputata; cum ſic reuera recedant à propria clauſura, vt patet; ita ego ſentio, ſicque mecum ſenſerunt alij docti viri.

Maior difficultas eſſe poſſet, an dictæ moniales delinquant contra votum clauſuræ, ſi in caſu conceſſo recedentes à propria clauſura ad aliquod tempus vagentur per ciuitatem, antequam tranſeant ad locum, in quo manſuræ ſunt, quouſque eis de monaſterio prouideatur.

20 ℞. Videri probabile, quod in tali caſu non delinque-

delinquerent contra votum clauſuræ, moueor ex doctrina, quam tradit *Sanch. l.6. mor. cap. 15. num. 61.* monialem ſcilicet legitimè egreſſam è monaſterio, ſiue cauſa fundationis, ſiue ex alio iuſto titulo; quamuis teneatur via recta in illud tendere (vt docet *Gutierez l.1. quæſt. canonic. cap. 14. n. 10.*) non eſſe damnandam, ſi à recto itinere deflectat 8. aut 9. leucis ad inuiſendum aliquem conſanguineum, aut imaginem piam; cum præceptum Clauſuræ ſit morale, ideoque moraliter intelligendum: ſi enim hæc doctrina poteſt admitti de præcepto clauſuræ (quo modo vtique poteſt admitti) poteſt, & debet admitti etiam de voto clauſuræ; cum obligatio clauſuræ proueniens ex voto item moraliter intelligenda ſit; & in moralibus parum pro nihilo reputetur.

QVÆRES VIII. An moniales S. Claræ poſſint illo voto ſe obligare ad manendum in clauſura, etiam in caſu magni incendij, aut alio ſimili, in quo vita illarum manifeſtè periclitetur, v.g. morbi contagioſi.

21 ℞. *Rodriq. ſup. a.2.* cum diſtinctione; vel mors imminens monialibus eſt violenta (qualis eſſet, quæ impenderet ex incendio, ruina magni ædificij, aut hoſtili incurſu) & ſic moniales non poſſunt ex voto ſe obligare ad manendum in clauſura cum tali periculo, imò tenentur egredi è monaſterio ad effectum ſe recipiendi in locum tutum; alias cenſerentur ſe ipſas occidere, quod eſt omninò illicitum; vel mors imminens non eſt violenta, ſed naturalis, procedens ex ægritudine, & in tali caſu poſſunt moniales ſe obligare ex voto ad manendum in clauſura, imò & de facto tenentur manere ex vi voti hac de re emiſſi; cum ſic exerceant actum maximæ virtutis, præferendo bonum commune ex clauſura proueniens proprio malo imminenti ex obſeruantia clauſuræ, & alioqui per votum ad id cenſeantur ſe obligaſſe ſtrictiùs, quam teneantur aliæ moniales obligatæ ad clauſuram ex præcepto tantum Eccleſiaſtico; vnde fit, vt quamuis admittatur, quod docent *Nauarrus Llamas. Azor. Graff. & Sorbus apud Sanc. ſup. num. 38.* iuſtè concedi poſſe moniali licentiam exeundi è clauſtro cauſa medendi morbo ita periculoſo, vt ea non egreſſa deſperetur ſalus; nihilominus hæc doctrina non habeat locum in monialibus S. Claræ; quippe quæ hoc ipſo quod emiſerunt votum clauſuræ, ceſſerunt iuri ſuo, quod ſecundum talem doctrinam ipſis competeret, ne cum tanto vitæ periculo ex præcepto Eccleſiaſtico clauſuræ inuitæ detinerentur intra clauſuram.

22 Vbi notandum quod, quamuis Vrbanus IV. inter caſus exceptos, in quibus votum clauſuræ deſinit obligare, non comprehendat cauſam lepræ, aut epidimiæ, quæ tamen à Pio V. enumeratur inter caſus ab ipſo exceptos in declaratione bullę ab ipſo editę de clauſura monialium, quæ eſt in Ordine 8. nihilominus talis caſus ſubintelligi debet implicitè exceptus etiam ab Vrbano IV. & quidem ſub generali illa clauſula, *ſeu alicuius huiuſmodi;* ſi quidem exemplum non arctat regulam, ſeu diſpoſitionem; vt eruditè animaduertit *Sanch. l.1. de matr. D. 57. n. 6. ex l. 1. §. quod vulgo ff. de vi, & vi arma.* dictioque ipſa taxatiua non excludit caſus ſimiles, & in quibus militat eadem ratio, aut vrgentior; vt pluribus probat *Gomez tom. 1. var. cap. 11. numer. 13.*

QVÆRES IX. An caſus excepti ab Vrbano IV. quo ad obligationem clauſuræ monialium S. Claræ ſint reuocati a Pio V. in ſua Conſtitutione hac de re edita; in qua ſolum excipit cauſam magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ.

23 ℞. Videri probabile, quod non ſint reuocati; & ratio eſt, quod cum caſus excepti à Pio V. concernant vtilitatem communem religionis (ſicut benè aduertit Rodriq. *ſup. a.5.*) & caſus expreſſi ab Vrbano IV. ſint eis ſimiles, vtpote concernentes bonum non particularis monialis, ſed commune totius religionis; ſicuti oſtendit Rodriq. percurrendo ſingulos; ſequitur hos nequaquam fuiſſe reuocatos à Pio V. idque maximè ob doctrinam §. *præcedenti* traditam in fine, quam latè proſequitur *Sanch. l.6. mor. c. 15. num. 37.* Præter quam quod Pius V. in præfata ſua Conſtitutione non derogauit Concilio Tridentino ſtatuenti, ne vlli *Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire à monaſterio etiam ad breue tempus quocumq; prætextu niſi ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda*: cum ergo caſus appoſiti ab Vrbano IV. nitantur cauſis ſatis legitimis ab ipſomet Vrbano approbatis; dicendum eſt eos non fuiſſe ſublatos à Pio V. vnde inquit *Rodriq.* Superiores concedentes licentiam ad exeundum in dictis caſibus, tantum debent declarare ipſos caſus eſſe eorum, qui à Pontifice maximo ſunt approbati, vt moraliter vrgentes ad eam licentiam concedendam.

QVÆRES X. An moniales S. Claræ vi huius voti, cæteris paribus, difficiliùs licentiari debeant ad egrediendum è clauſura in caſibus aliàs permiſſis, quam aliæ moniales, quæ non aſtringuntur tali voto.

24 ℞. Debere; patetque ex eo quod, quantò fortius eſt vinculum, tantò difficiliùs diſſoluitur: vnde *Eccle. 4.* dicitur *Funiculus triplex difficilè rumpitur*; at moniales S. Claræ fortiori vinculo tenentur ad clauſuram, cum ad eam obligentur non ſolum ex præcepto Eccleſiaſtico (ſicut tenentur omnes aliæ moniales) ſed etiam ex voto ſpeciali; ergò difficilius debent diſpenſari in tali obligatione, ſicque grauior cauſa requiritur ad hoc vt illæ poſſint habere facultatem recedendi à clauſura etiam in caſibus exceptis, & aliàs conceſſis.

SECTIO II.

De voto redeundi Captiuos, quod faciunt Fratres B. Mariæ de Mercede redemptionis.

25 *Fratres Mercennarij faciunt votum redimendi fideles captiuos apud Saracenos.*
26 *Duplex eſt materia huius voti.*
27 *Votum hoc eſt ſolemne.*
28 *Refertur vera praxis illius.*

29 De-

29 *Deputandi in redemptores eliguntur in capitulo prouinciali.*
30 *Votum hoc eſt laudabile, etſi de re difficilima.*
31 *Finis illius eſt ſalus ſpiritualis captiuorum.*
32 *Deputatio Redemptorum fit ex officio, non ex voto.*
33 *Prælatus eos deputare tenetur.*
34 *Hoc votum fit à Religioſis Ordinis, etiam laicis.*
35 *Deputati debent adire Saracenos etiam ſine præcepto formali.*
36 *Religioſi ſe ſubtrahendo etiam ſolùm indirectè, peccant.*
37 *Non tenentur tamen curare, vt deputentur.*
38 *Deputati adeunt Saracenos, etſi religio non habeat theſaurum.*
39 *Hoc votum impleri nequit per alium.*
40 *Non ſufficit deputatos eſſe paratos ſe tradere in pignus.*
41 *Religioſi omnes tenentur quærere eleemoſynas ad redemptionem captiuorum.*
42 *In captiuis redimendis charitatis ordo ſeruandus.*
43 *Vi huius voti non redimendus infidelis captiuus, qui inſtanter petit baptiſmum.*
44 *Nec captiuus apud hæreticos detentus: non enim lex extenditur ex rationis identitate, ac ſimilitudine.*
45 *Deputati redimunt captiuos, etiam conſtantes in fide.*
46 *At pro his non tenentur ſe dare in pignus.*
47 *Imo nec poſſunt.*
48 *Si ſe dent in pignus, manent oppignorati, vſque dum pretium redemptionis ſoluatur.*
49 *Nec licitè poſſunt fugere.*
50 *Non eſt definitum tempus, quo debent vacare redemptioni.*
51 *Aliquando redeunt, nulla facta redemptione.*
52 *Eliguntur plures ad munus redimendi.*
53 *At in qualibet prouincia eligitur vnus tantum cum Socio.*
54 *Electi violant hoc votum, ſi notabiliter deficiant ſuo muneri.*
55 *Hoc votum obligat, etiam cum periculo vitæ corporalis; non item cum diſpendio ſalutis ſpiritualis.*
56 *Electi apud Saracenos incedere poſſunt ſine veſte religioſa.*
57 *Poſſunt & vti cibis vetitis, ſi cogat neceſſitas.*
58 *Si occidantur in hoc munere, ſunt martyres.*

QVÆRES I. Quibus verbis concipiatur hoc votum.

25 ℞. Concipi his præciſis verbis, quæ deſumpta ſunt ex formula profeſſionis, qua vtuntur dicti Fratres; videlicet *Et in Saracenorum poteſtate in pignus (ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſti fidelium) detentus manebo.*

QVÆRES II. Quæ ſit materia huius voti.

26 ℞. Eſſe duplicem, & quidem vtramque eſſentialem, ac intrinſecam: vnam abſolutam nempe redimendi Chriſtianos captiuos apud Turcas: & aliam conditionatam, ſcilicet ſe tradendi in pignus, ſi neceſſe fuerit ad redemptionem fidelium captiuorum. ita reſcripſit ad me P. Procurator generalis illius Ordinis non minùs humaniter, quam doctè.

QVÆRES III. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

27 ℞. Quod, cum iuxta dicta *cap.1. ſect.1. q.8.* ſolemnitas voti religioſi conſiſtat in eo quod fiat in religione approbata, cum certis ceremonijs, coniunctim profeſſioni religioſæ, & quod fiat vno, atque eodem contextu vna cum votis ſubſtantialibus religionis; neceſſariò concedendum eſt votum iſtud eſſe ſolemne; cum fiat vnico quaſi contextu coniunctim profeſſioni; vt ſolemne emittatur à vouente; & vt tale acceptetur communiter ab illo ordine (ſicut per literas teſtatus eſt mihi dictus P. Procurator generalis) aliaque omnia requiſita ad voti religioſi ſolemnitatem in tali voto reperiantur. Et quidem quod iſtud votum fiat vnico quaſi contextu cum ipſa profeſſione; patet ex ipſa formula profeſſionis, quæ ſic habet: *Ego Frater N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam, paupertatem, & caſtitatem obſeruare Deo, & B. Mariæ, & tibi commendatori huius domus, &c.* & paulò poſt. *eroque obediens tibi, & ſucceſſoribus tuis vſque ad mortem, & in Saracenorum poteſtate in pignus (ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſtifidelium) detentus manebo*: quare indubitatum eſt, hoc votum fieri vnico contextu cum profeſſione, quam Religioſi iſtius Ordinis emittunt.

QVÆRES IV. Quæ ſit praxis huius voti.

28 ℞. Quod, cum in iſto voto duplex ratio intrinſeca, ac eſſentialis reperiatur, vt diximus q.2. praxis quidem rationis abſolutæ conſiſtit in eo, quod apponantur media neceſſaria ad finem redimendi: qualia ſunt quærere eleemoſynas, procurare legata, deſignare eos, qui vacaturi ſunt huic muneri, accedere perſonaliter ad Turcas, captiuos eripere è poteſtate paganorum &c. praxis verò rationis conditionatę in eo conſiſtit, quod quando Religioſus actu vacans captiuorum redemptioni (quem breuitatis cauſa, impoſterum vocabimus *Redemptorem*) videt, aut à fide digno audit aliquem fidelem captiuum periclitari in fide, ac religione Chriſtiana, vtatur omnibus medijs ad illum redimendum, etiam ſe ipſum Turcis tradendo in pignus liberationis, ac redemptionis, ſeque ipſum offerendo vinculis; etſi poſita libertate captiui ſic redempti, debeat ſanguinem fundere, & vitam martyrio conſũmare; quod interdũ eueniſſe teſtantur plures Auctores in cronicis dicti Ordinis vt proinde in ijs verificetur, quod habet *Io. 15. maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Quo modo autem eligantur, ac deputentur ij, qui ex profeſſo debent vacare actu redemptioni fidelium captiuorum.

29 ℞. Illos eligi, ac nominari in vnoquoque capitulo prouinciali; &, vt cenſeantur legitimè electi ad tale munus, debere habere tot ſuffragia ſecreta, quot deberent habere, ſi eligendi eſſent in Prouinciales ordinis. facta tali electione nominatur Socius ipſorum de conſenſu Magiſtri generalis, ac Deffinitorum eiuſdem Capituli; idque ad eum finem, vt deficiente theſauro parato ad redemptionem captiuorum, vnus illorum maneat in pretio, pro vt obligat iſtud votum, & alter redemptos reducat in locum libertatis.

QVÆRES V. An votum hoc ſit licitum, ac laudabile, cum ſit de re adeò ardua, &, ſi comparetur

tur ad fragilitatem humanam, grauioribus periculis expoſita, etiam ſpiritualibus.

30 ℞. Non ſolum eſſe licitum, ſed ſummopere cōmendabile, vtpote verſans circa ſupremum actum charitatis in eo conſiſtentis, quod quis animam ſuā ponat pro amicis ſuis, & cooperans reductioni ſpirituali animarum, quæ eſt opus omnium diuinorū diuiniſſimum. Nec obſtat, quod ſit de re adeo ardua, ac periculoſa, etiam reſpectu animæ: quatenus Religioſus electus in redemptorem ad tempus, etiā longum cogitur degere extra obſeruantiam diſciplinæ regularis, conuerſari cum infidelibus malè morigeratis, manere inter occaſiones peccandi, & viuere vitam plurimis distractionibus, ac curis implicitam; ſi quidem, cum ad tale munus non eligantur niſi viri ætate, prudentia, ſcientia, & ſanctitate illuſtres, & quidem capitulariter, vt dictum eſt q. præcedenti, moraliter loquendo ceſſat omnis ratio periculi: præter quam quod tale munus non humanis viribus implendum eſt, ſed Dei gratia, quæ eſt potentior omnibus periculis, ac difficultatibus, ſicque hominem corroborat, & confirmat, vt audeat dicere cum Apoſtolo *Philipp. 4. omnia poſſum in eo, qui me confortat*. hæc eſt ſpecialis gratia huius vocationis; ideoque qui cæpit, ac inſpirauit tale opus, & illud perficiet.

QVÆRES VI. Quinam ſit finis primarius huius voti.

31 ℞. Eſſe ſalutem ſpiritualem animarum, & conſequenter redemptionem corporum eſſe finem ſecundarium, ac minùs principalem: ita vt redemptio corporum aſſumatur tanquam medium ad conſequendam animarum ſalutem. patet ex eo quod iuxta dicta q. 4. tunc demum tenetur Redemptor ſe tradere in pignus pro redemptione captiui, quādo videt aliquem ex captiuis periclitari in fide; ergo ſignum eſt ipſum principaliter intendere ſalutē animæ, quam maximo periculo exponit periclitans in fide; vnde tanto magis agnoſcitur ſumma excellentia iſtius voti; cum, teſte *S. Dionyſio de cæl. hier. c. 3.* omnium diuinorum diuiniſſimum ſit cooperari Deo in ſalutem animarum.

QVÆRES VII. An vi huius voti teneatur religio Fratrum mercēnariorum actu deputare, & mittere redemptores ad redimendos Captiuos.

32 ℞. Prælatos Ordinis ad id quidem non teneri vi huius voti, teneri tamen ratione ſui muneris, ac officij, quod exercent: idque ſub peccato m. & certè quod non teneantur ad hoc vi huius voti probatur; tum quia, vbi agitur de obligatione imponenda, ſtricta fieri debet interpretatio *cap. 1. de iureiur. in 6. & l. quicquid adſtringendæ ff. de verbor. obligat.* hìc autem agitur de obligatione voti, ideoque ea non debet ampliari ad eatam in ipſo non comprehenſum ſecundùm rigoroſam verborum ſignificationem: tum quia obligatio voti debet ſemper explicari, ita vt obliget minùs quam fieri poſſit; ſicut inter alios aduertit *Sanch. l. 4. mor. c. 15. nu. 46.* quod vtique non fieret, ſi præſentis voti obligationem extenderemus; ita vt prælati iſtius Ordinis vi talis voti teneantur mittere Religioſos ſubditos ad redimendos captiuos; cum alioqui in dicto voto nō fiat expreſſa mentio de tali obligatione, ſed ſolum de vacando redemptioni captiuorum caſu, quo Religioſus ad tale munus de facto deputetur: quod ſine dubio eſt quid diuerſum ab eo, quod ſungentes officio prælati teneantur mittere ſubditos ad procurandam captiuorum redemptionem.

33 Quod verò prælati Ordinis teneantur vi ſui muneris deſtinare debitis temporibus aliquos ex ſuis ſubditis ad vacandum modo dicto redemptioni captiuorum; probatur, quia proprium, & principale munus prælati regularis eſt conſeruare inſtitutum Ordinis; cum ergò Inſtitutum Religionis mercēnariorum principaliter ordinetur ad redemptionem captiuorum (ita vt hinc etiam trahant denominationem, & vocentur Fratres B. Mariæ de Mercede redemptionis captiuorum) ad prælatos pertinet curare, vt tale miniſterium debitè peragatur, ſicque Inſtitutum Ordinis quo ad hoc in ſuo primæuo vigore conſeruetur; hoc autem non poteſt fieri, niſi iuxta conſuetudinem Religionis ſuis temporibus prælati deputent aliquos ex ſuis ſubditis, vt ſe ad Saracenos transferant ad procurandam fidelium captiuorum redemptionem.

QVÆRES VIII. An obligatio huius voti æqualiter afficiat omnes Religioſos Ordinis Mercēnariorum, etiam laicos, quos vocant Conuerſos.

34 ℞. Æqualiter afficere; patetque ex eo quod, cū omnes Religioſi huius Ordinis, etiam laici, eandem profeſſionem faciant, & conſequenter emittant hoc quartum votum; omnes, & ſinguli talem ſibi imponunt obligationem. quod ſi de facto non eliguntur in Redemptores, niſi viri ætate, doctrina, prudentia, & probitate inſignes (quales raro, aut nunquam erunt Fratres laici;) hoc non facit, quo minùs etiam Fratres laici deputari poſſint ad tale munus, tanquam ſocij principalis redemptoris; ſi alioqui ſint ætate prouectiores, prudentes, & probatæ virtutis; non enim tot dotes requiruntur in Socio, quot deſiderantur in principali Redemptore, cui maximè incumbit tota negotiatio redemptionis.

QVÆRES IX. An Fratres, capitulariter electi ad munus redemptoris vi huius voti teneantur ſe transferre ad Saracenos, etiam ſecluſo præcepto formali obedientiæ.

35 ℞. Teneri; cum generaliter loquendo obligatio voti arctet vouentem ad implendū promiſſionem, ſecluſo quocumque alio præcepto Superioris; & alias Fratres mercennarij deputati ad redemptionem captiuorum teneantur ſe transferre ad Saracenos, non tam vi voti obedientiæ (quo caſu requireretur formale præceptū obedientiæ iuxta dicta hic *c. 4. ſect. 5. q. 4.*) quam vi huius quarti voti, quod obligat inſtar aliorum votorum, & per conſequens independenter à formali præcepto obedientiæ.

QVÆRES X. An Fratres Mercennarij peccent contra hoc votum, ſi capitulariter electi ad munus Redemptoris indirectè ſe ſubtrahant, allegando propriam inſufficientiam, & adducendo varias excuſationes.

36 ℞. Peccare, & quidem mort. ſi allegatio inſufficientiæ, aliarumque excuſationum ſit doloſa, aut certè includat abſolutum decretum, ac propoſitū non obediendi; ſecùs ſi excuſationes ſint veræ, ac

legitimæ

legitimæ (quamuis propoſitæ ex fragilitate, ac deſiderio ſubterſugiendi munus illud adeò difficilè) & includant propoſitum obediendi caſu, quo dictæ excuſationes non admittantur: ſi quidem, quantumuis excuſatio ſit, & videatur rationabilis, non licet abſolutè nolle parere, ſed dato quod ea non admittatur, omninò parendum eſt vi huius voti, vt in ſimili adnotauit *Suarez tomo 4. de relig. tractat.* 10. *lib. 6: cap. 4. numer.* 11. agens de voto, quod Profeſſi quatuor votorum Societ. Ieſu emittunt obediendi Papæ circa miſſiones; vbi hæc habet; *Et è conuerſo quamuis homo ex fragilitate ſine dolo, & fraude tergiuerſaretur inſinuans difficultatem ſuam, & rogans excuſari per ablationem præcepti, cum præparatione autem parendi, ſi Superior non condeſcendat: tunc non eſt peccatum graue, licèt eſſet imperfectio magna, & fortè etiam peccatum ven.* ſic ille; cum paulò ſuperiùs concedat in talibus caſibus non ſolùm eſſe licitum proferre iuſtas excuſationes, ſed etiam id interdum poſſe caderè ſub obligatione. Ratio reſponſionis eſt; quod facta tali deputatione iam votum redimendi captiuos incipit obligare in actu ſecundo, etiam iuxta intentionem vouentis, ſicque vouens tenetur illud implere; ſicut ergò mortaliter peccaret contra votum, ſi explicitè nollet illud implere; ita & peccat contra illud, modo ſupra dicto afferendo excuſationes falſas, aut etiam veras, ſed cum abſoluto propoſito non obediendi; quod eſt implicitè nolle implere votum: cum tamen impliciti, ac expliciti eadem ſit virtus. è contra ſi proponat difficultates veras, & cum abſoluto propoſito implendi votum, ſi Superior non condeſcendant; eſtò id fiat ex fragilitate, committitur quidem aliqua imperfectiò ob illam animi diſpoſitionem minùs rectam; in hoc tamen non adeſt talis difformitas, vt pertingat ad culpam, ſaltem grauem, excuſante paruitate materiæ; ita viri docti conſulti.

QVÆRES XI. An Fratres mercennarij delinquant contra hoc votum, ſi conſultò procurent, ne eligantur in Redemptores, ſicque effugiant munus hoc adeò difficile, ac periculoſum.

37 ℞. Iuxta diſtinctionem datam *quæſt. præcedenti* peccare, etiam mortal. ſi modo dicto procurent non eligi, interim habentes abſolutum propoſitum non implendi votum, dato quod nihilominùs eligantur: non item, ſi id procurent animo votum implendi caſu, quo electores illum velint eligere: ſi enim licèt interueniat aliqualis defectus, non adeſt culpa grauis. patet reſponſio quo ad vtramque partem ex dictis *q. præc.*

QVÆRES XII. An Fratres mercennarij vi huius voti teneantur tranſire ad Saracenos, ſi eligantur in Redemptores, etiamſi Religio nullum habeat theſaurum, ex quo fiat redemptio Captiuorum.

38 ℞. Teneri; quamuis religio non ſoleat facere talem electionem, niſi parato aliquo theſauro ad effectum redemptionis. ratio eſt, quod votum hoc abſolutè emittitur, non autem dependenter à conditione, quod paratus ſit theſaurus; vt conſtat ex tenore verborum, quibus ſit; cum ergò lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; & votum ſit quædam lex priuata, quam vouens ſibi imponit: hoc ipsò quod votum ſit generaliter, & abſolutè ſine limitatione, generaliter, & abſolutè obligat ſine limitatione. Accedit quod, ſicut in caſu, quo theſaurus paratus ſit minùs ſufficiens ad redemptionem captiuorum, ſi neceſſe ſit, tenetur Redemptor ſe tradere in pignus Saracenis, & apud eos manere detentus, vſque dum redimatur à Religione: ſic vi voti poteſt, abſolutè loquendo, ad id obligari, etiam in caſu, quo nullus adſit theſaurus: idque ob rationem paulò ante adductam.

QVÆRES XIII. An obligatio huius voti impleri poſſit per alium, nimirum mittendo ad Saracenos aliquem alium, ſiue ſæcularem, ſiue religioſum, etiam alterius Ordinis, qui mittentis nomine redemptionem tractet.

39 ℞. Non poſſe; & quidem, etiamſi electus in redemptorem, & modo dicto alium mittens eſſet animo paratus ſe tradere in pignus, ſi ille alius in tractanda captiuorum redemptione agnoſceret id eſſe neceſſarium. Moueor, quod illud votum eſt perſonale; cum per illud Deo promittantur actiones propriæ vouentis; nempe tranſire ad Saracenos, ibi procurare redemptionem captiuorum, quærere eleemoſynas ad talem effectum, & ſe ipſum tradere in pignus, ſi occurrat caſus neceſſitatis: conſtat autem, quod votum perſonale non poteſt impleri per alium, vt tradunt communiter DD. apud *Bonac. D. 4. de leg. quæſt.* 2. *par.* 5. §. 2. *numer.* 3. & inde ſuadetur, quod materia voti debet eſſe in poteſtate vouentis; in poteſtate verò vouentis non eſt actio alterius, vt patet.

40 Dixi *Etiamſi electus in redemptorem & modo dicto alium mittens eſſet animo paratus, &c.* cum enim hoc votum includat duplicem obligationem, vnam abſolutam procurandi redemptionem captiuorum, & alteram conditionatam tradendi ſe in pignus, occurrente neceſſitate, vt dictum eſt q. 2. in præſenti caſu electus per illam animi præparationem ſatisfaceret quidem huic poſteriori obligationi, non item priori, cum hæc ſit perſonalis, adeoque non poſſit impleri per alium, ſicut oſtendimus.

QVÆRES XIV. An Fratres mercennarij vi huius voti teneantur quærere eleemoſynas, & procurare legata implicanda in redemptione captiuorum, & quidem non ſolum electi in redemptores, ſed etiam alij.

41 ℞. Teneri omnes: quamuis fortè aliqui in particulari deputentur magis induſtrij, & prudentes, qui nomine totius Religionis huic muneri vacent. ſic mihi reſcripſit P. Procurator generalis Ordinis his ipſiſſimis verbis: *Itaque tota religio vacat in quærendis eleemoſynis, & legatis pro redemptione fidelium in captiuitate degentium.* Et certè quod vi huius voti tota Religio teneatur ad id, probatur: quia tota religio vi huius voti tenetur vacare redemptioni captiuorum, cum omnes, & ſinguli eius Alumni tale votum emittant; ergò & tota religio vigore dicti voti tenetur quærere eleemoſynas, & pro-

curare legata tanquam medium neceſſarium ad conſecutionem talis finis; ſicut enim lex prohibens aliquem effectum, ac finem, prohibet etiam omnem modum, per quem deuenitur ad illum; ſic & lex præcipiens aliquem actum, & finem, præcipit etiam omnem modum, per quem ad illum peruenitur: vnde, cum procuratio eleemoſynarum, ac legatorum ſit modus, per quem deuenitur ad redemptionem captiuorum, & quidem neceſſarius, cenſendum eſt eam præcipi per hoc votum hoc ipsò quod præcipit dictam redemptionem; idque iuxta regulam generalem: *qui vult finem, vult conſequentia ad finem*.

QVÆRES XV. Quo ordine teneantur Fratres mercennarij redimere fideles captiuos.

42 ℞. Teneri redimere eo ordine, quem ſuadet charitas ordinata; ideoque priùs redimendos eſſe illos, qui ſunt infirmiores in fide, & magis in ea periclitantur (quo ad hos enim magis vrget finis intentus in tali voto;) tum eos, qui ſunt filij illius regni, ex quo collecta eſt pecunia: vnde, ſi fiat redemptio pro prouincia Aragoniæ, redimi debent primo loco Aragonenſes, poſtea Caſtellani, & ſic deinceps (id exigente etiam lege æquitatis:) quo modo DD. afferunt legatum relictum pauperibus dandum eſſe pauperibus loci Teſtatoris, quamuis alij diſſentiant apud *Dianam p. 4. tr. 4. reſol.* 140. §. *nota* 6.

QVÆRES XVI. An electus in redemptorem vi huius voti teneatur redimere infidelem captiuum, ſi ipſi certò conſtet illum velle amplecti fidem Chriſtianam, & inſtanter petere baptiſmum.

43 ℞. In rigore non teneri, & ratio eſt, quod, teſte *Sà verb. interpretatio numero* 2. vbi agitur de obligatione imponenda, ſtricta debet ſemper fieri interpretatio; cum obligatio ſit odioſa, ac proinde reſtringenda; cum ergò in formula profeſſionis verba, quibus concipitur hoc votum, apertè extendant iſtam obligationem redimendi ſolùm ad captiuos fideles, (cuiuſmodi ſunt illa, *ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſtifidelium;*) & aliàs hìc agatur de maxima obligatione; ea non debet ampliari, etiam ad infideles petentes baptiſmum, & promittentes conuerſionem: præſertim cum ratio finalis faciendi tale votum magis militet in iuuandis fidelibus periclitantibus in fide, quam in infidelibus ad fidem reuocandis: vt hinc patet, quod fidelis ex vnione fidei eſt alijs fidelibus magis coniunctus, quam infidelis; ceditque in maius Chriſti dedecus, quod fidelis præuaricetur in fide iam acceptata, quam quod infidelis perſiſtat in ſua infidelitate iuxta illud, *Turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes; & hæc vera ſunt, niſi alia ſit intentio vouentis*.

QVÆRES XVII. An Fratres mercennarij vi huius voti teneantur vacare redemptioni fidelium captiuorum detentorum non ſolum à Saracenis (ſicut exprimitur in emiſſione voti) ſed etiam illorum, qui apud hæreticos, aut alios manent in captiuitate.

44 ℞. Quod, cum obligatio legis non extendatur vltra intentionem legiſlatoris verbis ſufficienter expreſſam, & votum ſit lex quædam priuata, quam vouens ſibi imponit: voti obligatio non debet extendi vltra intentionem ipſius vouentis apertis verbis expreſſam; vt in terminis docent *Sotus lib. 7. de iuſt. quæſt. 2. artic. 1. ad 3. aliyque* penes *Sanchez lib. 4. moral. cap. 16. numer.* 55. hinc, cum votum redimendi captiuos ex intentione vouentium in noſtro caſu extendatur ſolùm ad fideles detentos apud Saracenos (vt conſtat ex illis verbis, *Et in Saracenorum poteſtate in pignus detentus manebo*) non debet tale votum extendi etiam quo ad fideles captiuos detentos apud hæreticos, aut alios ſimiles; idque præſertim ob dicta *quæſt. præcedenti*; quæ pariter militant etiam in præſenti difficultate; & ob doctrinam, quam tradit *Caſtrus Pal. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 4. numero* 2. videlicet ob ſimilitudinem, aut identitatem rationis nunquam legem eſſe extendendam ad alium caſum, qui ſub lata verborum forma non fuerit comprehenſus: & quidem meritò, cum obligatio legis induci non poſſit, niſi legiſlator manifeſtet voluntatem obligandi; & aliàs ipſe id non faciat, quandocumque ſub lata verborum forma caſum legis modo dicto non comprehendit; quæ doctrina vtique non procedit, ſi conſtet aliam eſſe vouentis intentionem.

QVÆRES XVIII. An Frater mercennarius electus in redemptorem teneatur vi huius voti redimere fideles captiuos, etiamſi non periclitentur in fide, & quidem etiam tradendo ſe in pignus, &c.

45 ℞. Teneri, non tamen tradendo ſe in pignus. ducor, quod vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus; & lex generaliter loquens generaliter debet intelligi; at votum hoc, quod ſe habet inſtar legis, non diſtinguit inter fideles captiuos periclitantes in fide, aut non periclitantes, ſed generaliter obligat ad redimendos fideles captiuos (vt clarè conſtat ex illis verbis, *& in Saracenorum poteſtate in pignus, ſi neceſſe fuerit ad redemptionem Chriſtifidelium, detentus manebo*:) ergo vi huius voti tenetur Frater mercennarius vacare redemptioni fidelium captiuorum; ſiue ij periclitentur in fide, ſiue non; eſtò, vt diximus quæſt. 6. finis huius voti primarius ſit ſalus ſpiritualis animarum, & manutenentia in fide: præſertim cum finis legis non ingrediatur legem, vt benè oſtendit *Azula D. 11. de legib. n. 37. ex S. Thoma, & Caiet.* patetque ex eo quod lex dirigit quidem ad finem, at non eſt de fine, ſed de eo, quod dirigit ad finem.

46 Dixi in initio reſponſionis, *non tamen tradendo ſe in pignus*, vt indicarem mihi videri ſatis probabile Fratrem Mercennarium electum in redemptorem non teneri ſe tradere in pignus ad redimendum fidelem captiuum detentum à Saracenis, ſi is in fide non periclitetur. moueor, quod Fratres Mercennarij in emiſſione

ſione talis voti non ſe obligant ſimpliciter, & abſolutè ad tradendum ſe in pignus pro redimendis captiuis, ſed ſolùm in caſu, quo id neceſſe fuerit ad redemptionem; cum ergò talis neceſſitas regulariter non adſit, niſi quando captiuus periclitatur in fide (vt mihi reſpondit per litteras P. Procurator generalis ordinis in ſpecie de hoc interrogatus his verbis *Quando captiuus aliquis vult apoſtatare à fide, dicitque Redemptori: Pater relinquam chriſtianam religionem, ſi non vis me redimere: ecce neceſſitas manendi in pignus*; ſic ille ex communi ſenſu, ac exiſtimatione totius Religionis, vt puto. conſtat autem quod, cum ſimus in materia obligationis, & quidẽ grauiſſimæ, ea non debet ampliari ad caſus non expreſſos, ſed potiùs reſtringi, vt conſtat ex dictis.

QVÆRES XIX. An Fratres mercennarij electi in Redemptores, ſtante hoc voto, ſaltem poſſint ſe tradere in pignus ad redimendos captiuos, etſi hi nullo modo periclitentur in fide.

47 ℟. Quod, cum ex vna parte Religioſus non ſit ſui iuris, ideoque non poſſit de ſe ipſo diſponere, niſi iuxta voluntatem Religionis, cuius eſt quidquid eſt: ex alia parte religio Fratrum mercennariorum non cenſeatur conſentire, vt ſui Religioſi ſe tradant in pignus pro redemptione captiuorum fidelium, niſi occurrente caſu neceſſitatis, vti explicauimus *q. præcedenti*; ſequitur prædictos Fratres, quantumuis velint, non poſſe ſe tradere modo dicto in pignus, niſi captiui redimendi verè periclitentur in fide: aliàs cenſentur rem alienam prodigere, ſicque peccabunt non ſolùm contra charitatem in ſe ipſum, ſed etiam contra iuſtitiam; quatenus ſe tradendo in pignus priuant religionem eo iure quod habet in ipſorum perſonas, & violant ius illius.

QVÆRES XX. Quamdiu Fratres mercennarij vi huius voti teneantur manere in pignus apud Saracenos, dato quod vrgenti neceſſitate cogantur modo dicto eis ſe tradere in pignus.

48 ℟. Teneri manere, donec ſoluatur pretium, de quo conuenerunt pro redemptione captiuorum: quod Religio quidem omni ſtudio, ac ſollicitudine conatur quam primum ſoluere; interdum tamen non poteſt ita citò (cum aliquando perueniat ad ſummam quinque, aut ſex millium aureorum, pro vt mihi per literas teſtatus eſt P. Procurator generalis Ordinis qui ſupra:) ex quo fit, vt Redemptor cogatur interdum ibi manere longiori tempore, imò & ſolutione nimis retardata proprio ſanguine libertatem captiuorum redimere; ſicut colligitur ex Chronicis Ordinis, & docet experientia.

Dubitatur, an Frater mercennarius, qui ſe ad redemptionem captiuorum tradidit in pignus, poſſit licitè fugere abſque tranſgreſſione huius voti, poſtquam captiui redempti reſtituti ſunt in libertatem; & ratio dubitandi eſt, quod, quamuis pars affirmans videatur ſuaderi ex eo quod iniuſtè detineatur, ſicut iniuſtè detinebantur etiam captiui illi redempti, (vt ſuppono) ſicque vtuntur iure ſuo, ſibi per fugam conſulentes, & ſe à poteſtate iniuſti detentoris ſubtrahentes; nihilominus videri poteſt obſtare ipſummet votum, quo Frater mercennarius promittit ſe in poteſtate Saracenorum detentum permanſurum in pignus: ita vt vi voti videatur teneri non ſolùm ſe tradere in pignus, ſed etiam ibi parmanere detentus; quod ſi tenetur permanere, vtique non poteſt fugere.

49 ℟. Fratrem mercennarium non poſſe fugere, &, ſi fugiat, peccare contra hoc votum. ducor, tum quia aliàs de eo diceretur *Mercennarius fugit, quia mercennarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus*, vt habetur Io. 10. ſicque impoſterum impediretur redemptio captiuorum Saracenis nolentibus ampliùs præſtare fidem ob timorẽ, ne iterũ, atq; iterum decipiantur: quod facilè eueniret, cum ſemel malus ſemper præſumatur eſſe malus *reg. 8. de regul. iuris in 6.* tum maximè quia id ſatis clarè videtur colligi ex verbis illis, quæ habentur in formula profeſſionis *detentus manebo*; & apertè indicant Fratrem mercennarium per tale votum non ſe obligare ſolùm ad tradendum ſe ipſum in pignus Saracenis pro redemptione fidelium captiuorum, ſed etiam ad manendum ſic detentum apud illos; idque ex inſtitutione, ac intentione Religionis: quæ volens præcauere inconueniens, quod ſequeretur ex occulta fuga redemptoris traditi in pignus, & nos paulò ante allegauimus, ſuis Religioſis abſtulit facultatem modo dicto fugiendi; quamuis, ſtando in iure naturali id eis eſſe poſſet licitum, vtpote iniuſtè detentis loco eorum, qui hoc pacto fuerant reſtituti in libertatem ipſis iniuſtè ablatam, vt ſuppono. ita ego ſentio, ſicque mecum ſenſerunt alij ſanè docti à me conſulti.

QVÆRES XXI. Quanto temporis ſpatio teneantur Fratres mercennarij electi in redemptores manere apud Saracenos ad negotiandum circa redemptionem fidelium captiuorum.

50 ℟. Non poſſe aſſignari ad id certum tempus: cum redemptio captiuorum expediatur interdum tres menſibus, interdum quatuor, & interdum non niſi vno anno, & ampliùs; pro vt maiores, aut minores difficultates inſurgunt circa negotium adeò arduum, ac difficile. ita de praxi per literas mihi teſtatus eſt P. Procurator generalis Ordinis addens quod, quando, expedita redemptione, redemptor redit ad religionem, Capitulo generali reddit rationem de ijs, quæ geſſit circa dictam redemptionem, & quidem per publicum inſtrumentum ad talem finem confectum.

Quod ſi quæras, an dari poſſit caſus, quo Frater electus in redemptorem reuerti poſſit ad religionem abſque violatione huius voti, nulla prorſus ſecuta redemptione, ne vnius quidem captiui.

51 ℟. Poſſe; dummodo debitam adhibuerit diligentiam ad concludendam captiuorum redem-

ptionem. ratio eſt, quod vi huius voti Fratres mercennarij non ſe obligant ad concludendam captiuorum redemptionem, ſed ſolum ad eam debitè procurandam, ſe actu transferendo ad Saracenos, imò & ſe tradendo in pignus, ſi id neceſſitas exigat; vnde fit, vt poſtquam iudicio prudentis adhibuerunt debita media ad faciendam dictam redemptionem, cenſeri debeant ſatisfeciſſe propriæ obligationi, ideoque redire poſſint ad religionem etiam re infecta: cum verè per ipſos non ſteterit, quo minùs concluderetur redemptio. Sic vouens ingredi religionem aliquam determinatam ſatisfacit obligationi voti, ſi in pluribus monaſterijs illius religionis exiſtentibus intra fines ſui regni petat admitti, & quidem ſeriò; ſiue poſtea de facto admittatur, ſiue non; nemo quippe obligatur niſi ad moralem voti exequendi diligentiam, vt benè aduertit *Sanch. l. 4. moral. cap. 16. numer. 44.* ex *Soto Nauarro Sà*, & alijs pluribus.

QVÆRES XXII. An Frater Mercenarius ſemel electus à capitulo prouinciali in redemptorem, & facta redemptione captiuorum ad religionem reuerſus, iterum teneatur tranſire ad Saracenos faciendi cauſa nouam redemptionem, vel certè alter alteri ſufficiatur.

52 ℞. Teneri, ſi à Capitulo prouinciali ad tale munus iterum eligatur; obligatio enim voti eſt illimitata, nec reſtringitur ad vnam, vel alteram vicem; vt conſtat ex verbis, quibus votum emittitur: vnum tamen religionis eſſe, vt alter alteri ſuccedat, facta eius deputatione in Capitulo prouinciali; ſic ad me reſcripſit P. Procurator Generalis Ordinis in hæc verba: *Redemptores nominati vacant redemptioni, quando adeſt theſaurus ſufficiens; & facta redemptione reddit rationem Capitulo generali: & in Capitulo prouinciali alius cum ſocio nominatur*; ſic ille.

QVÆRES XXIII. Quot redemptores ſingulis vicibus eligantur quotque captiui in ſingulis redemptionibus in libertatem reſtituantur.

53 ℞. Singulis vicibus eligi vnum tantum redemptorem cum ſuo ſocio, in vnaquaque prouincia, vt colligitur apertè ex verbis q. præcedenti in fine adductis, *& in capitulo prouinciali alius cum ſocio nominatur*; in ſingulis verò redemptionibus modo plures, modo pauciores redimi, prout maior, aut minor eſt theſaurus ad talem effectum paratus, & iuxta maiores, aut minores difficultates, quæ hic, & nunc in tractanda redemptione emergunt; itaut non poſſit aſſignari certus numerus redimendorum.

QVÆRES XXIV. An, & qualiter peccent contra hoc votum Fratres electi in redemptores; ſi in tractanda fidelium captiuorum redemptione negligenter ſe gerant, & valdè notabiliter deficiant in ſuo munere.

54 ℞. Quod, cum Fratres mercenarij nominati in redemptores vi huius voti teneantur non ſolum tranſire ad Saracenos cauſa procurandi redemptionem captiuorum, ſed etiam illam actu procurare; non poſſunt dici ſatisfacere huic voto, niſi hoc vtrumque impleant: non implent autem vtrumque, ſi ſint notabiliter negligentes in procuranda redemptione, cum votum obliget vouentem, vt ad ſui executionem adhibeat diligentiam ſaltem ordinariam; vt notant communiter DD. cum *S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2.* & inde patet, quod cum obligatio voti ſit grauis ex natura ſua, adſtringit ad diligentiam humano modo poſſibilem; qualem ſcilicet petunt res arduæ, & magni momenti. Dixi *ex natura ſua*, vt innuerem, quod, cum in voto detur leuitas materiæ excuſans à peccato mortali in tali caſu non eſſet neceſſario adhibenda tanta diligentia: quamquam talis doctrina non habeat locum in voto redimendi captiuos, quod conſtat eſſe grauiſſimum.

QVÆRES XXV. An votum hoc obliget, etiam cum periculo probabili vitæ, aut etiam ſalutis ſpiritualis ipſius vouentis.

55 ℞. Obligare cum periculo vitæ corporalis, cui voluntariè cenſentur Fratres mercennarij ſe exponere hoc ipſo quod voluntariè emittunt tale votum, bene prius perſpectis difficultatibus, ac periculis, quæ illud ſolent comitari, & à Prælatis clarè, ac diſtinctè proponuntur Nouitijs, antequam illud in profeſſione emittant; non item cum probabili periculo ſalutis ſpiritualis; vt ſi nominatus in redemptorem conuerſando cum infidelibus agnoſcat ſe eſſe in periculo proximo præuaricandi in fide, vel aliter delinquendi: idque ex propria fragilitate (quod tamen moraliter loquendo vix poſſe contingere videtur attentis ijs, quæ diximus q. 5) & ratio eſt, quod ſicut notant plures DD. apud *Bonacinam D. 4. de leg. q. 2. p. 7. §. 1. numer. 2.* votum non obligat vltra intentionem vouentis: vouens autem non præſumitur in propoſito caſu voluiſſe ſe obligare, ſuperueniente tali mutatione; præter quam quod aliàs votum non eſſet de meliori bono, & peruerteretur debitus ordo charitatis, quæ vt ſit ordinata in ſpiritualibus debet incipere à ſe ipſo.

QVÆRES XXVI. An Fratres mercennarij vacantes redemptioni fidelium captiuorum apud Saracenos poſſint incedere ſine habitu religionis ad effectum ſe occultandi.

56 ℞. Poſſe, ſi eum deferre non poſſint abſque graui periculo: de facto tamen ipſos non ſolere accedere ad Saracenos ſine habitu Ordinis.

QVÆRES XXVII. An dicti Fratres, quamdiu commorantur apud Saracenos, poſſint veſci cibis vetitis in diebus prohibitis.

57 ℞. Poſſe; ſi aliàs ipſis immineat periculum aliquod notabile; ſecùs ſi nullum tale periculum immineat. *Colligitur ex Sanchez lib. 2. mor. c. 4. numer. 25. Caſtro Palao tractat. 4. D. 1. par. 17. numer. 9. Azorio tom. 1. lib. 7. cap. 29. q. 7.* alijſque communiter, & patet ex dictis in *tr. de priuileg. c. 4. ſect. 3. q. 20.*

QVÆRES XXVIII. An Frater mercennarius, qui tradens ſe in pignus ob redemptionem capti-

captiuorum à Saracenis malè habetur, & occiditur, eò quod nimis retardetur ſolutio promiſſæ pecuniæ, verè ſit, & dici poſſit Martyr.

58 ℞. Poſſe; & probatur ex eo quod, ſicut docet *S. Thomas 2.2. q.124. a.5.* Martyres dicuntur quaſi teſtes, vtpote corporalibus ſuis paſſionibus vſque ad mortem teſtimonium perhibentes veritati fidei Chriſtianæ: ad fidei autem Chriſtianæ veritatem nō ſolùm pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exterior proteſtatio, quæ fit non tantum per verba, quibus fidem confiteamur, ſed etiam per facta, quibus oſtendamus nos fidem habere iuxta illud *Iacobi 2. Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*; vnde omnium virtutum opera, ſecundum quod referuntur in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, & ſecundum hoc poſſunt eſſe martyrij cauſa: quo modo S. Io: Baptiſtæ martyrium celebratur in Eccleſia, qui mortem ſuſtinuit, non pro neganda fide, ſed pro reprehenſione adulterij. modò, cum Frater Mercennarius vacans redemptioni fidelium captiuorum cum præparatione animi, etiam ſe tradendi in pignus Saracenis, ſi neceſſe fuerit, exerceat actum ſupremum charitatis, iuxta illud *Io: 15. maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, & intendat principaliter manutenere captiuos in fide, ne ob ærumnas, ac incommoda captiuitatis ab ea deficiant; ſi contingat eum ex vi talis actus occidi (ſicut euenit in caſu propoſito) vtique erit verè, & propriè martyr, & vt talis poterit coli in Eccleſia; quo modo in ea coluntur etiam ij, qui ex ſeruitio præſtito peſte infectis moriuntur, vtpote morientes ex charitate.

SECTIO III.

De Voto Vitæ Quadrageſimalis, quod faciunt Fratres S. Franciſci de Paula, ac de Promiſſione Fidelitatis erga bona Monaſterij, quam faciunt Fratres eorum Laici.

Explicaturi in hac Sectione Votum Vitæ Quadrageſimalis perpetuæ, quod fit in Ordine Minimorum, & eſt commune Religioſis tam Sacerdotibus, quam Laicis; & Promiſſionem fidelitatis erga bona Monaſterij, & maximè ad eleemoſynas fideliter exponendas, quod fit ſolùm à Religioſis Laicis: Sectionem diuidemus in 2. Subſectiones; in quarum 1. agemus de Voto Vitæ Quadrageſimalis: in 2. de Promiſſione Fidelitatis.

SVBSECTIO I.

De Voto Vitæ Quadrageſimalis perpetuæ, quod faciunt Fratres Minimi.

59 *Fratres Minimi faciunt votum Vitæ Quadrageſimalis perpetuæ.*
60 *Indicatur materia huius voti.*
61 *Eſt votum ſolemne.*
62 *Non obligat pro tempore infirmitatis.*
63 *Eſt conditionatum ſecundùm quid.*
64 *Habet ſuas modificationes, ſed non eæ omnes obligant ſub peccato.*
65 *In eius diſpenſatione ſequendum medici conſilium.*
66 *Requiritur item conſenſus proprij prælati.*
67 *At, ſi hic iniuſtè renuat, ſufficit medici conſilium.*
68 *Interdum etiam ſufficit prælati conſenſus abſque medici conſilio.*
69 *Medico, ac prælato ſimul iniuſtè negantibus diſpenſationem, Religioſus adhuc veſcitur cibis paſchalibus.*
70 *Item, ſi ſit extrà conuentum, & conſtet de neceſſitate.*
71 *Diſpenſatur ſuper hoc voto in purgatione medicinali, etiam voluntaria.*
72 *Item, ſi ſit valetudinarius, etſi non ſit in purgatione.*
73 *Item ad conſulendum ſummæ debilitati complexionis.*
74 *Non item ratione ſenectutis præcisè.*
75 *Idque etſi detur ſenes ſexagenarios eo ipſo eximi à ieiunio.*
76 *Diſpenſatur ſuper hoc voto, ſi Religioſus æque benè munus ſuum implere non poſſit.*
77 *In quo diſſentit Peyrinus, ſed immeritò.*
78 *Diſpenſatur ſuper eo, ſi aliàs Religioſus nequeat adminiſtrare prælaturam ipſi commiſſam.*
79 *Votum hoc non obligat, ſi adſit neceſſitas cibi, & non adſint cibi Quadrageſimales.*
80 *Et hoc, licèt adſit panis, ac vinum, ſi Religioſus hinc graue paſſurus eſt diſpendium.*
81 *Non obligat cum mortis periculo, fidei contemptu ſecluſo; etſi Religioſus in tali caſu poſſit ſeruare votum.*
82 *Limita, niſi eſſet valdè vtilis, ac neceſſarius.*
83 *Non obligat Religioſum factum Epiſcopum.*
84 *Item non obligat Religioſnm legitimè eiectum ab Ordine.*
85 *Diſpenſatus ſuper hoc voto non ideo veſcitur carnibus in ferijs ſextis, & ſabbatis.*
86 *Diſpenſatio huius voti gradatim concedenda.*
87 *Niſi ratio infirmitatis aliter ſuadeat.*
88 *Pro ea peti poteſt conſilium à quolibet medico de prælati conſenſu.*
89 *In ea concedenda prælatus non debet eſſe nimis ſcrupuloſus.*
90 *Concedenda in dubio, an ſubſit iuſta cauſa diſpenſandi.*
91 *prælatus inferior pro ea adit prælatum ſuperiorem, ſi habet præſentem, etiam per literas, niſi periculum ſit in mora.*
92 *Diſpenſatus ſuper hoc voto non peccat edendo cibos Paſchales extra infirmariam ad id deputatam.*

93 *Illos non capit de manu ſui Correligioſi, neque in infirmaria interiori: idque ex regula: etſi in hoc ſtari debeat conſuetudini regulam declaranti.*

94 *Diſpenſati ſuper hoc voto prodeſt, quamdiu durat neceſſitas.*

95 *Obtenta à medico, inſcio Superiore, tenet.*

96 *Prodeſt extra territorium concedentis.*

97 *Sic diſpenſatus ad carnes eximitur à ieiunio.*

98 *Nec votum violat, ſi cum carnibus edat piſces, aut carnes noxias.*

99 *Probatur aſſertio pluribus rationibus.*

100 *Sic diſpenſatus nequit per ſe, & directa intentione veſci cibis impedientibus conſecutionem ſanitatis.*

101 *Violat hoc votum, ſi dat cauſam morbis, vt diſpenſetur ſuper eo.*

103 *Secùs ſi ad hunc effectum cupiat ægrotare.*

103 *Non violat, ſi ſenſibiliter delectetur de eſu carnium.*

104 *Non violat, ſi dicat* ederem carnes, ſi votum non prohiberet.

105 *Religioſus ſine diſpenſatione edens carnes tot facit peccata, quot vicibus edit, cum ieiunium ſemel violatum non amplius violetur per nouam comeſtionem.*

106 *In violatione huius voti datur paruitas materiæ.*

107 *Non violat hoc votum, qui diſpenſatus excedit in eſu carnium.*

108 *Violatio huius voti non reſeruatur in Ordine minimorum.*

109 *Et quidem etiam ſtando in regula.*

110 *Violator huius voti varijs pœnis punitur.*

111 *Religioſus Ordinis impotens ad vitam quadrageſimalem eſt incapax prælaturæ regularis.*

112 *Sed hoc fallit quo ad Religioſos bene meritos de Ordine.*

113 *Ad vitandam talem incapacitatem poſſet Religioſus indigens cibis paſchalibus ijs veſci occultè.*

114 *Religioſus diſpenſatus ad carnes interim non egreditur è Conuentu ex Clemente VIII. decreto, quod tamen non ita ſtrictè obligat.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

59 ℞. Fieri his præciſis verbis ex formula profeſſionis dictorum Fratrum deſumptis: *Voueo, & promitto Deo, &c. ſtare, & perdurare toto tempore vitæ meæ ſub vita, & regula Fratrum Ordinis minimorum S. Franciſci de Paula perſeueranter viuendo ſub votis paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, & quadrageſimalis vitæ iuxta determinationes, & circumſtantias in ipſa regula poſitas, & limitatas.*

QVÆRES II. Quæ ſit materia huius voti, & ad quid obliget.

60 ℞. Materiam eſſe perpetuam abſtinentiam à carnibus, ac lacticinijs, & generaliter ab ijs, à quibus communiter abſtinetur in toto decurſu Quadrageſimæ: vnde & dicitur votum vitæ quadrageſimalis; obligationem verò, cum ſit præcepti negatiui, eſſe vniuerſalem, & adſtringere ſemper, & ad ſemper, excepto tantùm caſu infirmitatis; vnde fit, vt hoc votum obliget tam intra monaſterium, quam extra; tam in refectorio, quam extra illud; tam in itinere, quam in termino; & generaliter vbique, & omni tempore.

QVÆRES III. An hoc votum ſit reuera ſolemne, aut ſimplex.

61 ℞. Eſſe ſolemne; patetque tum ex communi ſenſu totius Ordinis minimorum; tum ex doctrina *ſect. præced. q.3.* à nobis tradita de voto redimendi captiuos, quod emittunt Fratres Mercennarij; quæ doctrina ſine dubio poteſt applicari etiam ad præſens votum.

QVÆRES IV. Qualiter ſuſpendatur obligatio huius voti pro tempore infirmitatis.

62 ℞. Quod, cum hoc votum emittatur iuxta determinationes, & circumſtantias poſitas, & limitatas in regula Ordinis (ſicut conſtat ex tenore verborum, quibus tale votum concipitur, & quæ nos retulimus q.1.) & in regula iuxta modo dicenda ab obligatione huius voti excipiatur caſus infirmitatis, neceſſariò fatendum eſt obligationem illius voti pro tempore infirmitatis ſuſpendi, & conſequenter Fratrem Minimum tempore ægritudinis poſſe ſine huius voti tranſgreſſione veſci carnibus, ac lacticinijs. Regulà autem ſic habet *n. 26. quam primum quis eorum in ægritudinem inciderit, ad infirmariam clauſtralem per infirmarium deducatur, & ibidem primitus de cibis quadrageſimalibus illius infirmitati iuxta medicinalem artem congruentioribus, pro vt loci ſuppetit facultas, diligenter, ac ſolicitè ipſi per obedientiam ſubueniatur; ſi autem talis ægritudo ſic examinata inualuerit, medici conſilio deducatur talis ægrotus ad infirmariam exteriorem intra Conuentus clauſuram ſitam: & inibi iuxta ordinationem dicti medici de Correctoris iuſſione vigilanter, & charitatiuè illi ſuccurratur de quibuſuis cibarijs pro ſanitate celeriùs reſtauranda; & fiat hoc ſecundum facultatem loci, ac per miniſterium oblati, ſi adfuerit: in eius verò abſentia fiat per obſequium procuratorum, & aliorum deuotorum Ordinis;* hactenus regula.

63 Vbi notandum ex *Peyrino to. 3. priuil. cap. 9. num.* 46. quod quamuis hoc votum ſimpliciter ſit abſolutum, vtpote ſtatim obligans; eſt tamen ſecundum quid conditionatum: quatenus adueniente infirmitate, nòn ſuſpenditur abſolutè (quomodo deberet ſuſpendi, ſi eſſet ſimpliciter cōditionatum) ſed ſolum ſecundum quid, ideſt iuxta modificationem, ac limitationem regulæ. Modificatio autem conditionalis, quæ requiritur in regula ad ſuſpendendum hoc votum eſt triplex, vt habetur in ipſa *regula nn.25. &* 27. prima modificatio eſt, quod incidens in morbum non ſtatim paſchalibus cibis vtatur, ſed ſolum facto experimento, num ex morbo conualeſcat, ſuppeditatis ipſi cibis quadrageſimalibus ſanioribus, ac minùs noxijs: ſecunda quod tunc infirmus non proprio iudicio, ſed de medici conſilio veſcatur cibis paſchalibus: tertia quod vbi euidenter conſtiterit infirmum ita conualuiſſe, vt ſine diſpendio poſſit vti cibis conſuetis quadrageſimalibus matura deliberatione præuia ad priſtinā viuendi normam reuertatur. ſic *Peyrinus*; qui præterea *num.*48. benè contra *Caſtillum* dicit verba illa, quæ habentur in formula profeſſionis, & à nobis q. 1. adducta ſunt *iuxta determinationes, & circumſtantias in ipſa regula poſitas, & limitatas*, non videri referenda ſolum ad votum vitæ quadrageſimalis, ſed referri debere etiam ad alia vota: cum etiam circa

hæc

hæc in regula apponantur aliquæ circumſtantiæ; & clauſula vltimo loco poſita referatur ad omnia antecedentia. Quæ doctrina inde magis, & magis confirmatur; quod ſimilis clauſula apponi ſolet ferè communiter in formula profeſſionis: quæ emittitur in alijs Ordinibus: in quibus tamen nullum peculiare votum fit, ad cuius explicationem, ſeu limitationem dicta clauſula apponatur: quod eſt ſignū illam apponi, vt inde ſciat Religioſus, qualis 3. votorum ſubſtantialium obſeruantia ipſi vi proprij inſtituti præcipiatur.

QVÆRES V. An ea omnia, quæ requiruntur in regula *num.* 26. ad hoc vt Frater minimus diſpenſetur in voto vitæ quadrageſimalis, obligent ſub peccato, & quidem mortali.

64 ℟. Quod, cum in regula loco citato aliqua requirantur per modum conditionis (cuiuſmodi eſt, quod infirmus non deducatur in infirmariam, niſi de conſilio Medici) & alia per modum circumſtantiæ extrinſecæ (qualia ſunt, quod cibi paſchales non comedantur extra infirmariam, aut non miniſtrentur, niſi per oblatos, aut Procuratores, vel alios deuotos Ordinis); quæ quidem requiruntur per modum conditionis, obligant ſub peccato, eoque mortali, niſi paruitas materiæ excuſet; cum conditio ex natura ſua ſuſpendat actum, & conſequenter pertineat ad ſubſtantiam actus; quæ verò requiruntur per modum circumſtantiæ, non obligant ſub peccato, ſed ſolùm ad pænam in regula taxatam: cum circumſtantia non ingrediatur ſubſtantiam actus, adeoque is poſſit ſubſiſtere, etiam ſine eius interuentu. colligitur ex *Peyrino ſupra.*

QVÆRES VI. Qualiter requiratur conſilium Medici ad hoc, vt Frater minimus licitè diſpenſetur ſuper hoc voto.

65 ℟. Quod, quamuis, quando conſilium deſideratur ad aliquem actum, ſuficiat illud petere, ac expectare, nec opus ſit illud ſequi; vt ex pluribus oſtendit *Sanch. l.* 1. *de matr. D.* 34. *nu.* 24. & hæc doctrina maximè valeat in materia oneroſa; vt innuit *Bonac. de cenſur. in partic. D.* 2. *q.* 8. *p.* 8. *num.* 10. nihilominus in præſenti caſu puto conſilium Medici ſic requiri, vt etiam ſit neceſſarium illud ſequi. ducor ex eo quod etiam Doctores, qui ſuſtinent non eſſe neceſſariò ſequendum conſilium in caſu, quo illud requiratur, excipiunt caſum, in quo conſilium petendum eſt ab aliquo tanquam á Collega, & participe officij, ſicut aduertit idem *Sanch. l.* 6. *mor. c.* 8. *nu.* 82. vnde cum Superior, qui debet diſpenſare ſuper hoc voto, & Medicus, qui debet iudicare de ſufficientia cauſæ ad diſpenſandum, quoad hoc ſint veluti collegæ, & participes in officio; vt conſtat ex verbis illis regulæ ſuperiùs citatis *Medici conſilio deducatur ad infirmariam exteriorem, & inibi iuxta ordinationem Medici de correctoris iuſſione illi prouideatur de quibuſuis cibarijs pro ſanitate celeriùs reſtauranda*: tenebitur Superior ſequi conſilium Medici: præſertim cum ipſe regulariter non poſſit abſque conſilio Medici iudicare, num infirmus egeat diſpenſari ſuper voto vitæ quadrageſimalis, nec ne. ita *Peyrin. ſup. c.* 14. *n.* 22. patetque tum ex dictis: tum quia viri grauiores, ac doctiores iſtius ordinis, imò & ipſa conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, ſic intelligunt, & interpretantur regulam illam: tum quia hìc propriè non interuenit diſpenſatio, vt ſolius Superioris ſit iudicare, an adſit cauſa ſufficiens ad diſpenſandum: ſed potius ſuſpenſio prohibitionis; quatenus Frater Minimus vi huius voti non poteſt edere cibos paſchales, niſi in caſu grauioris infirmitatis; quod tamen conſtat non poſſe regulariter iudicari niſi á Medico.

QVÆRES VII. An Frater Minimus abſque violatione huius voti poſſit tempore infirmitatis veſci cibis paſchalibus de conſilio ſolius Medici, ſine facultate proprij Prælati.

66 ℟. Videri non poſſe. Moueor, quod in regula *num.* 26. hæc habentur *& inibi* (i. in infirmaria) *iuxta ordinationem Medici de Correctoris iuſſione illi ſuccurratur de quibuſuis cibarijs &c.* quod eſt requiri in ſolidum tam conſilium Medici, quam facultatem, & conſenſum Superioris ſignificatum per illud verbum *iuſſione*; non ergo ſufficit ſolus conſenſus Medici, ſed inſuper requiritur licentia Superioris, ſaltem petita. ita docti viri á me conſulti, & ſatis probabiliter tum ob dicta, tum quia in re tanti momenti ordo regularis diſciplinæ poſcit, vt ſubditus á proprio Prælato dependeat.

67 Dixi *licentia Superioris, ſaltem petita*; vt innuerem, quod ſi detur Prælatum regularem iniuſtè, ac indiſcretè denegare ſuo ſubdito talem licentiam, Medico iudicante eam illi omninò eſſe concedendam; tunc poteſt ſubditus tuta conſcientia veſci paſchalibus cibis: cum licentia iure petita, ſi iniuſtè negetur, cenſeatur ipſo iure conceſſa, vt benè probat *Henriq. l.* 6. *c.* 13. *nu.* 4. pluribus citatis, & in terminis docet *Peyrin. de R. S. q.* 4. *c.* 6. *q.* 2. in hoc nobiſcum ſentiens.

QVÆRES VIII. An Frater Minimus non obſtante hoc voto poſſit tempore infirmitatis licitè veſci cibis paſchalibus de licentia ſolius Prælati ſine conſilio, ac conſenſu Medici, imò etiam eo contradicente.

68 ℟. Poſſe, ſi abſit Medicus, & ſit periculum in mora: vel certè iniuſtè deneget conſenſum, & aliàs certo conſtet de grauitate morbi, & conſequenter de neceſſitate diſpenſandi ſuper hoc voto. prima pars reſponſionis conſtat ex *Capitulo Genuenſi I. num.* 33. vbi ſtatuitur: *quod in Conuentibus á ciuitatibus, & vrbibus remotis cum facilis ad Medicum non poſſit haberi acceſſus, onerata Correctoris, & Seniorum conſcientia, infirmitatis qualitate conſiderata, de prædictorum omnium conſenſu, & tonſoris ordinarij conſilio poterunt omnes prædicti quo ad eſum ciborum paſchalium Medici abſentiam ſupplere.* vbi noto, quod ſi etiam abeſſet tonſor, adhuc Superior vrgente neceſſitate poſſet cum infirmo diſpenſare de conſenſu Seniorum; cum neceſſitas non habeat legem, & ſtatutum Capituli loquatur in caſu, quo tonſor commodè poſſit haberi. Secunda pars reſponſionis patet, quia licentia petita, & iniuſtè denegata cenſetur conceſſa, vt diximus *§. præcedenti*; vnde, ſi conſtet Superiori Medicum irrationabiliter contradicere, poterit Superior ſe ſolo diſpenſare, vt infirmus veſcatur cibis paſchalibus; cum ſic Medicus perinde ſe habeat, ac ſi abeſſet: vt in ſimili notat *Fagund. l.* 7. *in decal. c.* 5. *num.* 21.

QVÆ-

QVÆRES IX. An Frater minimus euidenter cognoſcens ſe ratione morbi præſentis indigere cibis paſchalibus poſſit eos comedere Medico, ac proprio Prælato poſitiuè contradicentibus.

69 ℞. Videri poſſe; ſecluſo periculo ſcandali: quod facilè euitari poterit, ſiue dictos cibos comedendo occultè, ſiue probando intereſſentibus propriam neceſſitatem, ac indigentiam dictorum ciborum. patet autem reſponſio, tum quia quod non eſt licitum in lege, neceſſitas ipſa facit licitum, vt habet regula iuris; tum quia ex dictis *q.7. & 8.* poteſt dari caſus, in quo Frater Minimus, non obſtante hoc voto, licitè poſſit veſci cibis paſchalibus modò ſine licentia Medici, modò ſine facultate proprij Superioris, imo & ijs poſitiuè contradicentibus: ergò etiam ſi detur caſus, in quo tam Medicus, quam Superior iniuſtè negent Fratri infirmo facultatem veſcendi cibis paſchalibus, poterit is adhuc illis veſci; cum non ſit maior ratio, cur poſſit, Medico, & Superiore facultatem dictam ſeorſim deneganti-bus ſine iuſta cauſa, & non poſſit, illis eam coniunctim negantibus. ita docti viri conſulti.

QVÆRES X. An Frater Minimus, ſi peregrinans incidat in grauem morbum extra monaſterium, poſſit ſumere cibos paſchales abſque licentia Superioris, ac conſilio Medici.

70 ℞. Poſſe, ſi ipſi certò conſtet de neceſſitate, & non habeat copiam neque Medici, neque Chirurgi. ita in terminis *Peyrin. ſup. c.5.* addens quod ſi religioſus in tali caſu habeat ſocium, tenetur petere ab eo licentiam; ſed minùs benè meo iudicio: cum talis obligatio non nitatur, neque regula, quæ ſolùm præcipit licentiam peti à Superiore (qualis non eſt iſte ſocius, vt ſuppono) neque ſtatuto Capituli Genuenſis I. requirentis iudicium Correctoris, & Seniorum Conuentus, cuiuſmodi neque eſt iſte ſocius, vt patet;) conſtat autem quod vbi agitur de obligatione imponenda, non debet fieri extenſio à caſibus expreſſis ad non expreſſas, vt inter alios aduertunt *Salas D.21. de leg ſect.3. num 4. & Sanch. l.1. de matr. D 9. num.*11. ratio reſponſionis eſt, quod neceſſitas non habet legem; & lex humana, cum debeat eſſe accommodata fragilitati humanæ, non obligat cum tanto incommodo; quamquam in tali caſu conſulendus eſſet medicus, ſi haberetur copia illius; vt regula, quæ non poteſt ſeruari in totum, ſeruetur in quantum poteſt.

QVÆRES XI. An Frater minimus poſſit, ſeruatis ſeruandis, diſpenſari ſuper hoc voto, ſi ad præcauendas infirmitates voluntariè ſe purget.

71 ℞. Poſſe; & probatur tum ex communi praxi illius Ordinis: tum quia prudentis eſt obſtare initiis morbi iuxta illud *Eccleſ. 18. Ante languorem adhibe medicinam*; tum quia idem ius habet homo ad propulſandum damnum, quod actu patitur, atque ad propulſandum illud, quod certo imminet, aut probabiliter timetur euenturum (quo modo non teneor ſuccerrere extremè indigenti, ſi hinc etiam ego ſum incurſurus extremam neceſſitatem) ſicut ergò Frater minimus licitè poteſt diſpenſari ſuper hoc voto, quando actu eſt infirmus; ſic & poterit, quando eſt potentia infirmus (quo pacto eſt, quando iudicio medici indiget medicinali purgatione;) tum quia ſtatutum Capituli Barchinonenſis relatũ num. 19. declarans non licere Fratribus Ordinis ad præcauendam futuram infirmitatem ſe purgare, teſte *Peyrino ſup. cap.3.* vel non fuit vnquam acceptatum a Religione; vel, ſi fuit acceptatum, contrario vſu abrogatum eſt; quamquam dici poſſet per dictũ ſtatutum non fuiſſe prohibitam quamcumq; purgationem medicinalem, ſed eam ſolum, quæ inſtitueretur potiùs ex deſiderio comedendi cibos paſchales, quam ad morbos præcauendos, ac ſanitatem tuendam. ita *Peyrinus ſupra*.

Vtrum vero medicus poſſit concedere Fratri minimo eſum ciborum paſchalium, etiamſi ei non inſtituat purgationem medicinalem.

72 ℞. *Peyr. loco citato* poſſe; probatque, tum quia interdum infirmi meliùs curantur præſcribendo eis rectam victus rationem, quam adhibendo medicinalem purgationem iuxta illud Hippocratis aphoriſma *Aliquando nihil agere in infirmis eſt optima medela*: tum quia id ipſum ſatis clarè exprimitur in Correctorio Ordinis *num.* 56. dum loquens de languidis languore ſupernaturali *de conſilio medici permittantur per aliquot menſes carnes, & lacticinia comedere*: quod eſt concedere cibos paſchales pro medicina ad reſtaurandas vires fractas, ac noxios humores pellendos.

QVÆRES XII. An poſſit diſpenſari ſuper hoc voto Frater minimus, ex eo præcisè quod eſt debilioris complexionis, adeoque talis, vt probabili medicorum iudicio veſcens cibis quadrageſimalibus ſit victurus in continuis infirmitatibus, & conſequenter futurus inutilis religioni.

73 ℞. Videri poſſe; & ſatis apertè colligitur ex verbis regulæ §. *præcedenti* poſitis: ſi enim Correctorium minimorum permittat, vt Frater diutino languore vexatus per aliquot menſes iudicio medici nutriatur cibis paſchalibus: an non à fortiori id concedet Religioſo habituali languore affecto, qualis eſt, is de quo hic loquimur? præter quam quod talis Religioſus iuxta placitum medicorum dicitur habere corpus neutrum: qui autem habet corpus neutrum, dici poteſt infirmus, vtpote recedens à ſtatu ſalutis, & facilè labens in infirmum; vnde cum regula minimorum excipiat infirmos ab obſeruatione huius voti; ſequitur in ea excipi etiam huiuſmodi religioſum ita debilis complexionis, quippe qui, moraliter loquendo, cenſetur infirmus, iuxta illud *quod parum diſtat, nihil diſtare videtur*. ita docti recentiores à me conſulti.

QVÆRES XIII. An, & quando Frater minimus poſſit diſpenſari ſuper hoc voto præcisè ex eo quod ſit ſenex.

74 ℞. Quod licet ſenectus ipſa ſit morbus quidam naturalis; quo modo eam vocant *Ariſtoteles l.5. de generat. anim. c.4* & *S. Auguſtinus lib. de cathechiz. rud.* dicens *Quiſquis optat ſenectutem, quod ſibi petit, niſi infirmitatem?* nihilominus abſolutè loquendo, ſola ratio ſenectutis non ſufficit ad diſpenſandum cum Fratre minimo, vt poſſit veſci paſchalibus, niſi fortè eam comitentur aliqui morbi, qui præbeant iuſtam cauſam diſpenſandi. ita in terminis *Peyrin. de R.S. q.4. cap.6. qu.1.* & probat quia votum hoc

vitæ

vitæ quadrageſimalis eſt ſolemne, & conſequenter perpetuum, nullam admittens exceptionem, niſi caſum infirmitatis modo ſup. explicato; ſenectus autem vt ſic non eſt infirmitas; cum dentur aliqui ſenes valdè vegeti, ac benè valentes; ſicque non importat ex ſe præcise iuſtam cauſam diſpenſandi ſuper tali voto; præſertim cum Senes ex aſſuèfactione communiter faciliùs, & minori cum diſpendio ſanitatis vitam quadrageſimalem ſuſtinere poſſint, iuxta illud *Ab aſſuetis non fit paſſio*. Dixi, *niſi fortè eam comitentur aliqui morbi &c*; ſi enim ſenex ſit debilioris complexionis, aut obnoxius alicui corporali indiſpoſitioni, ideoque non poſſit degere vitam quadrageſimalem; tunc vtique poteſt licitè diſpenſari: ſed diſpenſatio concedetur, non ratione ſenectutis vt ſic, ſed ratione morbi, vt patet.

75 Nec obſtat quod *Sà v. ieiunium nu. 9. Sanch. l. 7. de matr. D. 32. num.* 17. alijque plures relati à *Fagundez præc. 4. eccl. l. 1. c. 8. num. 9.* docent omnes ſenes ſexagenarios, quamuis viribus pollentes, fortes, ac robuſtos eximi ab obligatione eccleſia ieiunij; eò quod in ijs natura langueſcat, & ad interitum properet. non obſtat, inquam, primo, quia aliud eſt, quod ſenes indigeant cibo frequentiori, aliud, quod non poſſint ſine notabili diſpendio ſanitatis proſequi vitam quadrageſimalem: quæ ſunt duo valdè diuerſa, & in ſenibus ſeparabilia; ſecundo quia ſenes non tenentur ieiunare, niſi ex lege eccleſiaſtica, quæ non obligat cum tanto incommodo; Frater verò Minimus tenetur ad vitam quadrageſimalem ex voto, quod ſine dubio ſtrictiùs ligat, quam lex merè eccleſiaſtica: vnde mirum non eſt faciliùs ceſſare obligationem ieiunij eccleſiaſtici, quam vitæ quadrageſimalis: quo modo plures Doctores dicunt Religioſos ſexagenarios teneri ad ieiunia regulæ, etſi excuſentur à ieiunijs eccleſiæ, vt dicemus in *tract. V. cap. 5 q. 11.*

QVÆRES XIV. An Frater Minimus iuſtè poſſit diſpenſari ſuper hoc voto ex eo quod non poſſit æque benè proſequi curſum concionum quadrageſimalium, aut lectionum, ſiue philoſophicarum, ſiue theologicarum.

76 ℞. Videri poſſe; ſi in tali munere ſit valdè vtilis, ac neceſſarius, & aliàs non poſſit illud proſequi ſine notabili diſpendio ſanitatis, viuendo vitam quadrageſimalem: cum tamen ſpontaneè non ſe ingeſſerit in tale munus, ſed iuſſu ſuorum Superiorum. ita *Peyrin. ſup. q. 11.* probatque, quia in talibus circumſtantijs votum hoc deſinit obligare; alioqui eſſet impeditiuum maioris boni. Quin addit *Peyrinus*, quod ſi contingat Fratrem Minimum non iuſſu Superiorum, ſed ſua ſponte inchoaſſe conciones Quadrageſimæ, & temporis progreſſu non poſſe eas continuare, niſi diſpenſetur ſuper voto vitę quadrageſimalis: tunc is peccauit quidem exponendo ſe periculo violandi tale votum abſque vlla neceſſitate (ſi tamen id præuidit) at, ſi legitimè diſpenſetur à Superiore de conſilio Medici, poteſt tuta conſcientia veſci paſchalibus, nec tenetur intermittere conciones: cum ſic impotentia illum excuſet, & bonum commune, quod ſperatur ex cócionibus illius Religioſi, id ſuadeat; vt notat *Peyrinus* monens ad faciliùs permitti poſſe etiam, ad vitandum ſcandalum populi, qui ex intermiſſione concionum non leuiter offenderetur: ſtante quod multa permittuntur ad vitandum ſcandalum, quæ aliàs non permitterentur, vt habetur *cap. vt conſtitueretur d. 50.*

77 Trepidat tamen *Peyrin. vbi ſup.* etiam quo ad priorem partem huius reſponſionis, dicens ſe iuxta *cap. de quibus diſt.* 20. conſuluiſſe quidem de hoc viros peritos; at non videri planè ſatisfactum dubio, attenta voti ſolemnis obligatione: vnde non pauci Concionatores Ordinis Minimorum ex eo præcisè quod non poterant proſequi curſum concionum quadrageſimalium obſeruando votum vitę quadrageſimalis, abſtinuerunt à munere prędicandi, dicentes ſe feciſſe votum viuendi vitam quadrageſimalem, non autem prædicandi. At putant aliqui Peyrinum immerito trepidare, quia votum debet eſſe de meliori bono; non eſſet autem, ſi in tali caſu obligaret, vt poté impediens fructum concionum &c. ſecundo quia obligatio voti ceſſat, quoties ſuperuenit notabilis mutatio, aut difficultas, quæ ſi fuiſſet præuiſa, votum iuditio prudentis non fuiſset factum; id verò euenit in præſenti caſu; præſertim cum probabile ſit mentem Religionis non eſse extendere obligationem talis voti ad illum caſum; tertio quia Concionatores communiter non omittunt munus prædicandi ex eo quod tempore Quadrageſimæ non poſſint ieiunare, & veſci cibis quadrageſimalibus; & tamen præceptum eccleſiæ vrget, & eſt in poſseſſione; ergo nec Religioſus debet abſtinere à miniſterio concionandi, eò quod illud exercendo non poſſit ſimul implere votum vitę quadrageſimalis, quo adſtrictus eſt; ſi quidem concurrentibus circumſtantijs à nobis in reſponſione propoſitis votum cenſetur cedere iuri ſuo, ne impediat maius bonum: idque etiamſi tale votum ſit ſolemne: non enim repugnat obligationem voti, etiam ſolemnis interdum ſuſpendi: vt patet in voto religioſæ obedientiæ, quod in multis caſibus poteſt non obligare: cum tamen ſit eadem ratio de voto vitæ quadrageſimalis, & de quocumque alio verſante circa obiectum non intrinſecè malum. Sic illi; etſi in hoc ſtandum ſit Ordinis conſuetudini (quę eſt optimus legis interpres) & communi ſenſui hominum doctiorum, ac grauiorum eiuſdem Ordinis, qui in ſimilibus magni debet æſtimari; vt alibi notauimus.

Difficultas grauior eſt, an Frater Minimus poſſit diſpenſari ſuper hoc voto, ſi contingat eum non poſse exercere prælaturam, ad quam electus eſt (v.g. prouincialatum, aut generalatum) niſi vtatur cibis paſchalibus; idque ex virium debilitate, quam patitur itinerando in viſitatione prouinciæ, aut totius Religionis, quamque non pateretur, ſi quieſceret in aliquo monaſterio vacans alij miniſterio; & ratio dubitandi eſt, quod iuxta dicenda inferiùs in religione minimorum inhabiles ſunt ad dignitates ij, qui ſunt valetudinarij: valetudinarij autem dicuntur ij, qui ex conſuetudine morbi, & imbecillitate naturæ coguntur ſingulis fermè annis pluſquam 6. menſes in infirmaria agere veſcentes carnibus &c. ſicut ſtatutum eſt in Capitulo Ordinis Barchinonenſi I. *num.* 19. & in alijs Capitulis generalibus.

78 ℞. Fratrem Minimum in tali caſu poſse diſpenſari,

ſari, ſeu eximi ab obligatione voti quadrageſimalis; & nihilominus poſſe permanere in ſuo munere, illudq; adminiſtrare, ſiue per ſe (ſi poteſt æquè benè) ſiue per alium ei aſſignatum in adiutorem: & hoc iuxta *cap. de rectoribus de Clerico ægrotante* in caſu ſimili ſic decidens. Colligitur ex Peyrino *ſup q. 14. §. colligo ſecundò*, vbi hæc habet *Colligo ſecundo quod electus ad dignitatem, quantumuis infirmetur, & taliter, vt dubitetur de conualeſcentia, ſeu de facto videatur, quod ſit inſanabilis, vt pote quia attractus, ſeu mancus, vel tabidus factus ſit, non per hoc tamen poteſt priuari, ſed debet illi dari Coadiutor.* nec obſtat ſtatutum Capituli Barchinonenſis; cum illud prohibeat ſolùm, ne valetudinarij eligantur ad dignitates Ordinis, nõ autem quod iam electi non poſſint manuteneri in dignitate, ad quam electi ſunt, priuſquam fierent valetudinarij; quæ ſunt res valdè diuerſæ iuxta illud, *Turpius eijcitur, quam non admittitur hoſpes*: vnde ex vna non debet inferri alia, vt patet.

QVÆRES XV. An Frater Minimus obligetur voto vitæ quadrageſimalis, ſi contingat eum in itinere non habere, niſi carnes, aut alios cibos paſchales.

79 ℞. Non obligari; patetque tum ex regula iuris, *quod non eſt licitum in lege, neceſſitas facit licitum*: tum ex *cap. conſilium de obſeruat. ieiun.* quod maximè facit ad rem præſentem: tum quia etiam Dauid. 1. *Reg.* 21. in neceſſitate conſtitutus comedit panes propoſitionis, quos alioqui non potuiſſet comedere: tum quia Iudæi in extrema neceſſitate poterant veſci carne immunda (v.g. ſuilla) ipſis aliàs prohibita; ſicut notauit *Leſſ. l. 4. c. 3. nu. 10. ex Victoria*: tum quia *Caiet. Nauar. Tolet.* & alij apud Leſſium loco citato ſuſtinent non eſſe illicitum veſci carne humana in extrema neceſſitate. ita *Zmard. 1. p. ſum. c. 51.* & cum eo *Peyrin. ſup. c. 5. §. tertius caſus.*

Quod ſi quæras, an iſta doctrina locum haberet in caſu, quo Frater Minimus per multum tempus non eſſet habiturus alium cibum, quam ſimplicem panem, & vinum.

80 ℞. Habere; ſi habita ratione complexionis, qua Frater eſt affectus, iudicio Medicorum, aut aliorum prudentum abſtinentia à carnibus in tali caſu cenſeatur nimia (vt ſi exponeret ſe periculo grauis morbi, aut redderet ineptum ad exequendum proprium munus: tunc enim votum non teneret quo ad illum exceſſum, vt in ſimili notauit *Sanch. l. 4. mor. c. 6. num. 4.* alijs citatis.

QVÆRES XVI. An, & quando Frater Minimus veſci poſſit cibis paſchalibus, qui ei præbeantur ſub comminatione mortis re vera ſecuturæ, ſi conſtanter renuat ijs veſci.

81 ℞. Poſſe, niſi fortè ei præbeantur in contemptum fidei: quo caſu eſt certum illum non poſſe dictis cibis veſci; vt tradunt communiter Doctores teſte *Sanch. l. 2. mor. c. 4. n. 27.* patet autem reſponſio tum ex dictis *q. præced in reſponſ. principali*: tum quia ſimpliciter verum eſt non frangere votum illum, qui ob neceſſitatem illud non ſeruat, vt habet Panormit. in *cap. quod non eſt de reg. iur. nu. 2.* ita *Peyrin. ſup. ex Panormit. Graffio: Io: Medina, Suarez*, & alijs addens Religioſum in illo caſu non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri comedere cibos paſchales ad conſeruandam vitam; ſed minùs benè, cum *Henricus, Sotus, Lopez*, quos refert, & ſequitur *Leſſ. l. 2. c. 9. n. 29.* ſuſtineant condemnatum ad mortem per famem poſſe abſtinere à cibo clanculum oblato: & *Leſſius* ipſe *l. 4. c. 3. num. 12.* alijque non pauci DD. putent poſse Carthuſianum, etiam in extrema neceſſitate, abſtinere à carnibus ob exemplum virtutis, & decus abſtinentiæ in ſuo Ordine tuendum; cum tamen par ratio militet in caſu hìc propoſito, vt facilè conſtabit conſideranti.

82 Concedo quidem, quod ſi iſte Religioſus eſset valdè vtilis, aut neceſsarius bono communi; in tali caſu ex charitate teneretur veſci carnibus, ſicut & teneretur in ſimilibus alijs caſibus: cum ordo charitatis requirat, vt bonum commune præferatur bono etiam ſpirituali particularis Religioſi: quo modo S. Martinus dicebat; *Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem.*

QVÆRES XVII. An Frater Minimus promotus ad epiſcopatum, aut aliam dignitatem ſæcularem hoc ipſo eximatur à voto vitæ quadrageſimalis: idemque dicendum ſit de Fratre eiecto in perpetuum.

83 ℞. Videri probabile quod eximatur: patetque ex dictis in *tract. de Votis cap. 1. ſect. 1. q. 14.* ita *Sãch. l. 6. mor. c. 6. num. 15.* Fagund. præc. 4. *Eccl. l. 1. c. 6. nu. 6. Caiet. Couar. & Rodriq.* relati à *Fagundez*, imò & *Diana p. 3. tract. 2. reſol. 50.* citans pro ſe *Cenedum contra Peyrinum* oppoſitum mordicùs ſuſtinentem *to. de R. S. q. 4. c. 2.* & *tom. 3. priuil. c. 14. num. 3.*

84 Quod idem dicendum eſse de Fratribus legitimè eiectis in perpetuum oſtendimus in *tract. de priuil. c. 8. ſect. 2. q. 18.*

QVÆRES XVIII. An Frater Minimus legitimè diſpenſatus ſuper voto vitæ quadrageſimalis eò ipso veſci poſſit cibis paſchalibus, etiam tempore Quadrageſimæ, etiam in ferijs ſextis, & Sabbatis.

85 ℞. Poſse quidem dictis cibis veſci in Quadrageſima, non item in ferijs ſextis, ac ſabbatis. Ratio eſt, quod reſpectu Quadrageſimæ militat eadem ratio, imò etiam maior: cum ſolutus à maiori vinculo (quale eſt votum vitæ quadrageſimalis) cenſeri poſſit ſolutus à minori vinculo (cuiuſmodi eſt lex eccleſiaſtica præcipiens abſtinentiam à cibis paſchalibus pro tempore Quadrageſimæ) reſpectu verò feriarum ſextarum, & ſabbatorum minimè militat eadem ratio, ſed longè diuerſa; vt inde patet, quod Medici non diſpenſant pro ferijs ſextis, & ſabbatis, niſi ex infirmitate grauiori, aliàs pro alijs diebus Quadrageſimæ longè faciliùs diſpenſantes, etiam ratione morbi minùs grauis, cui noceat eſus ciborum quadrageſimalium; vnde ipſi ſæculares viri, qui modo dicto diſpenſantur, ſolent communiter ferijs ſextis, & ſabbatis ad ſummum comedere lacticinia: ita vt diſpenſatio generaliter facta ſuper cibis quadrageſimalibus ſecundùm communem fidelium æſtimationem non cenſeatur extendi ad ferias ſextas, & ſabbatos; ſaltem in hiſce noſtris regionibus; quamuis alioqui ſpeculatiuè loquendo, videatur eſse eadem ratio de reliquis diebus Quadrageſimæ, ac de ferijs ſextis, & ſabbatis; ſicut aduertit *Peyrin. ſup. de R. S. q. 4. c. 6. q. 8.* concedens tamẽ

ex

ex *Sanchez Armilla, Sà & Beia* Fratrem Minimum diſpenſatum ad carnes poſſe ijs veſci, etiam feria ſexta; in qua incidat feſtum Natiuitatis Domini.

QVÆRES XIX. An diſpenſatio ſuper voto vitæ quadrageſimalis coucedi debeat gradatim, ita vt Fratri diſpenſato prius indulgeantur oua, & alia lacticinia, quam carnes.

86 ℞. Debere concedi gradatim; & hoc non ſolum iure proprio Ordinis, ſed etiam iure communi totius Eccleſiæ; iure quidem proprio, quatenus *regula num.* 26. præſcribens, quod Frater incidens in morbum prius deducatur in infirmariam clauſtralem paſceudus cibis quadrageſimalibus minus noxijs, & congruentioribus præſenti infirmitati, & poſtea, ſi conſtet eum hoc genere ciborum non conualeſcere, in infirmariam exteriorem paſcendus cibis paſchalibus, de conſilio tamen medici, & conſenſu Superioris:) tacitè innuit diſpenſationem nō eſſe ſtatim extendendam ad carnes, ſed priùs ad oua, & lacticinia, ſicque gradatim ad carnes; niſi fortè aliud ſuadeat qualitas morbi ſuperuenientis: qui etiam ab initio poteſt eſſe talis, vt ſtatim infirmo concedendæ ſint carnes. & lacticinia; vnde fit, vt plerumque in Ordine Fratrum minimorum Fratri ægrotanti, etiam ab initio morbi concedantur carnes (ſicut audiui à Religioſis Ordinis) eo quod non ſoleant medicum aduocare, niſi morbus eo proceſſerit, vt infirmus reuera indigeat abſolutè diſpenſari, etiam quoad carnes. quod verò talis diſpenſatio concedi debeat gradatim, ſtando etiam in iure communi; patet quia medici diſpenſantes cum viris ſæcularibus ſuper obſeruantia quadrageſimali, ſi eius indiſpoſitioni videant ſufficienter conſuli diſpenſando ſolùm in lacticinijs, non diſpenſant in carnibus; cum reuera grauior indiſpoſitio requiratur ad licitè diſpenſandum in carnibus, quam ſi diſpenſatio concedatur tantùm in ouis, & alijs lacticinijs; quod ſi hoc obſeruatur cum ſęcularibus, vtique & debet obſeruari cum religioſis, adeoque etiam cum Fratribus minimis.

An autem neceſſariò obſeruari debeat, quod præſcribitur in regula Ordinis *num.* 26. citato, nimirum quod quam primùm quis Fratrum in ægritudinem inciderit, ad infirmariam clauſtralem per infirmarium deducatur, & ibidem primitus de cibis quadrageſimalibus illius infirmitati iuxta medicinalem artem congruentioribus diligentet, ac ſollicitè ipſi per obedientiam ſubueniatur.

87 ℞. Id non eſſe neceſſarium, vt iam innuimus; & inde patet, quod interdum ſuperueniunt morbi adeo graues, ac periculoſi, etiam à principio, vt ſtatim iudicio medici cum infirmo abſolutè diſpenſandum ſit ſuper voto vitæ quadrageſimalis; ne alioqui ægrotus exponatur periculo vitæ, & morbus magis, ac magis ingraueſcat: præſertim cum regula citata nitatur præſumptione, quod morbus ab initio ſit minùs grauis, ac periculoſus; quæ præſumptio cum ceſſet in caſu præſenti, ceſſaret obligatio regulę iuxta probabilem doctrinam, quam tradunt *Becanus p. 2. theol. tract. 3. cap. 6. q. 9. num. 5.* (quamuis oppoſitam ſententiam ſequantur, vt probabiliorem) *Laym. l. 1. tract. 4. cap. 21. num. 4. Mol. tract. 2. D. 81. col. 2. Clauis Reg. l. 3. cap. 7. num. 8.* & alij quos refert, & ſequitur *Diana p. 1. tract. 10. reſolut. 27.* docentes legem fundatam in præſumptione non obligare in eo caſu particulari, in quo ceſſat præſumptio, loquendo de obligatione conſcientiæ.

QVÆRES XX. A quo medico petendum ſit conſilium, vt Frater minimus tempore infirmitatis licitè diſpenſetur ſuper voto vitæ quadrageſimalis.

88 ℞. *Peyrin. to. 3. priuil. cap. 14. num. 22.* petendum eſſe à medico ordinario monaſterij; & quidem non poſſe peti, niſi cum licentia Superioris; prout innuit *regula num.* 26. ijs verbis *de Correctoris iuſſione:* & ſi aliter petatur, conſenſum medici non valere. Verùm iſte doctor (quamuis ex bono zelo) videtur nimis reſtringere obligationem voti quadrageſimalis; cum tamen *Sanch. l. 4. mor. cap. 13. num. 8. ex Gloſſa*, alijſque multis DD. doceat generaliter voti interpretationem ſtrictè faciendam eſſe, vt in quantum fieri poteſt, minus obliget. non ergò placet, quod ait *Peyrin.* tale conſilium petendum eſſe à medico ordinario monaſterij, eo quod in regula dicatur *Medici conſilio*, & analogum abſolutè ſumptum ſumatur pro famoſiori analogato; ſi quidem cum verſemur in materia morali, non debent ſumi verba more logico, ſed moraliter: vnde cum regula indefinitè dicat *Medici conſilio*, & lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; non video cur nomine medici non poſſit venire quicumque medicus, ſiue ordinarius, aut extraordinarius monaſterij, ſiue alius; maximè cum medici conſilium hic requiratur, vt poſſit haberi probabile iudicium, num ſubſit iuſta cauſa diſpenſandi ſuper voto vitæ quadrageſimalis, nec ne: quod iudicium conſtat poſſe haberi æque benè à quocumque medico; quare nec placet quod ſubdit idem *Peyrin.* medicum ordinarium monaſterij non poſſe dare licentiam Superiori, aut alteri, vt poſſint dare Fratribus facultatem veſcendi carnibus, etiamſi hi habitent in locis, in quibus difficilè haberi poſſit copia medici; non enim ſimpliciter loquendo, in hoc eligitur induſtria talis medici, vt non poſſit alteri delegare ſuam auctoritatem, ſicut putat *Peyrinus*) ſed ſolum eligitur ad hoc, vt iuſtè poſſit iudicare, num adſit ratio diſpenſandi, nec ne; quod eſt eligere talem medicum, non vt talis eſt, ſed quatenus medicus eſt: hoc autem ſi concedatur (vti videtur concedendum) iam conſtat non eligi induſtriam perſonæ, adeoque medicum de facto electum poſſe delegare ſuam poteſtatem cuilibet alij medico, imò & cuicumque alij petito, caſu quo non poſſet haberi copia medici: præſertim ſtante doctrina tradita *q. præced §. an autem neceſſariò* ſub finem.

QVÆRES XXI. Qualiter in Ordine Fratrum minimorum procedere debeat Prælatus, in concedenda diſpenſatione ſuper voto vitæ quadrageſimalis, ſcrupuloſè ne, an debita cum latitudine cordis.

89 ℞. Quod licet Prælatus in hoc non debeat eſſe nimis facilis, cum ex officio teneatur conſeruare vigorem diſciplinę regularis, præſertim quoad ſubſtantialia; cauere tamen debet ex alia parte, ne ſit

nimis

nimis hac in re ſcrupuloſus, & (vt dicitur) ſtricti iuris, conſcientiæ ſubditi infirmi tale iudicium relinquendo. Ducor, quod, quando non conſtat de ſpeciali intentione vouentis, votum in quauis materia non obligat, niſi ad inſtar legis diuinæ, aut eccleſiaſticæ, vt latiſſimè, multis citatis oſtendit *Mantica de conieƈt. vlt. volunt. l. 6. tit. 6. à nu. 1.* cum votum re vera ſit lex quædam priuata, quam vouens ſibi imponit circa materiam illam promiſſam: notat autem *Fagund. præc. 4. eccl. l. 1. c. 9. num. 7.* ex *Caiet. Azorio, & Nauarro* quod, quando agitur de diſpenſando ſubdito in lege eccleſiaſtica ieiunij, ſuperior non debet eſſe nimis ſcrupuloſus, & anxius, rem in conſcientiam ſubditi relinquendo, aut in eius arbitriũ; ſtante quod in his rebus procedendum eſt, non metaphyſicè, ſed moraliter. Vnde infert *Fagund.* cum, qui lege ieiunij ſoluitur conſilio medici, aut ſuperioris auctoritate, aut arbitrio Confeſſarij, in tuta conſcientia eſſe, quamuis ſibi euidenter non conſtet ſe cauſam habere: nam in dubijs melior eſt conditio ſuperioris, Confeſſarij, & medici, ac proinde illorum iudicio ſtandum eſt, non noſtro; quæ doctrina vtique facit etiam ad noſtrum caſum, ſi benè applicetur.

Dices, quid ſi dubium ſit, num concurrat iuſta cauſa diſpenſandi ſuper voto vitę quadrageſimalis, poteſt nè ſuperior diſpenſare?

90 ℟. Videri probabile, quod poſſit; eſtò *Medina Suar. Sanch. Sancius, Nald. & Villalob.* relati à *Diana p. 4. tr. 3. reſol. 22.* exiſtiment oppoſitum ſuſtinendum eſſe in materia voti, ea ducti ratione, quod in tali caſu votum poſſidet; & melior eſt conditio poſſidentis. Colligitur ex *Salas 1. 2. tom. 2. tr. 8. D. vn. ſect. 25. num. 259.* quem ſequitur *Diana loco citato*, patetque ex eo quod ſic votum valde impropriè dicitur poſſidere, & potiùs dicendum eſt voluntatem poſſidere ſuam libertatem, qua homo non debet in dubio ſpoliari, ſi illa indigeat ad vitandum graue aliquod damnum: quod omninò euenit in propoſito caſu, vt facilè conſtabit conſideranti.

At dubium eſt, an caſu, quo Prælatus Ordinis indigeat diſpenſari ſuper voto vitæ quadrageſimalis, tunc etiam requiratur licentia ſuperioris: ſicut vi regulæ requiritur ad diſpenſandum cum ſubditis.

91 ℟. Requiri, ſi tunc adſit ſuperior Prȩlati diſpenſandi, v. g. Prouincialis, ſi diſpenſandum ſit cum Prælato aliquo locali; ſi quidem regula loquitur generaliter, ac ſine diſtinctione, dicens *Quam primum verò quis eorum in ægritudinem inciderit &c. & inibi iuxta ordinationem Medici de Correctoris iuſſione &c.* vbi autem lex non diſtinguit, nec etiam nos diſtinguere debemus. Secùs, ſi tunc non adſit dictus ſuperior: tunc quippe procedit doctrina tradita *q. 10.* cum ſic Prælatus incidens in morbum perinde ſe habeat quo ad hoc, ac ſi ægrotaret extra monaſterium. Quod ſi fortè Prælatus incidens in morbum ſit Prouincialis: tunc, ſi adſit Generalis, ab ipſo petenda eſt licentia ob rationem paulo antè adductam; idque etſi in regula citata dicatur de Correctoris iuſſione; quo nomine ſimpliciter prolato venit ſuperior localis; cum enim in Ordine Minimorum nomen Correctoris competat etiam Generali, ac Prouincialibus, quamuis cum addito, nimirum Correctoris generalis, aut Prouincialis: puto in regula nomen Correctoris loco citato ſtare indefinitè, eoque comprehendi etiam Generalem, ac Prouincialem, ſicque etiam ipſos cadere ſub generalem regulæ diſpoſitionem. ita ego ſentio, nec à me diſſenſerunt viri docti conſulti. Vnde quis benè inſerat in caſu, quo Prælatus localis v. g. indigeat medicinali purgatione, ſi præuideat talem indigentiam, & non ſit periculum in mora, teneri petere licentiam à Prouinciali, aut Generali, ſiue per literas, ſiue per nuncium: & hoc iuxta Regulam: etſi in his ſeruari debeat conſuetudo Ordinis.

QVÆRES XXII. An Frater Minimus debitè diſpenſatus ſuper voto vitæ quadrageſimalis peccet contra votum, ſi cibis paſchalibus vtatur extra infirmariam ad talem effectum deſignatam.

92 ℟. Quod, cum in regula apponatur talis limitatio, non per modum conditionis propriè dictæ, ſed per modum circumſtantiæ extrinſecæ: ſecluſo contemptu, aut periculo ſcandali, non peccaret Religioſus in caſu propoſito, ſed ſolùm incurreret pœnam in ipſa regula contra talem exceſſum taxatam, vt diximus *q. 5.* quod idem putat *Peyrin. ſup. cap. 5.* dicendum in caſu, quo Frater Minimus iuxta dicta *q. 15.* nullum alium cibum haberet, niſi paſchalem, & neceſſitate adſtringente cogeretur eo veſci; is enim de rigore regulæ deberet comedere, non in refectorio communi, ſed in infirmaria; &, ſi extra infirmariam comederet, non ideo peccaret, ſaltem m. ſecluſo contemptu, ſed ſolùm incurreret pœnam taxatam in *regula num. 53.* vt iam diximus.

QVÆRES XXIII. An Frater Minimus licitè vtatur diſpenſatione ſuper voto vitæ quadrageſimalis ipſi facta, ſi comedat cibos paſchales ex manu alterius Fratris Ordinis, aut per clauſtrum delatos ad infirmariam exteriorem.

93 ℟. Quod cum in regula Ordinis *num. 26.* præcipiatur, vt Fratri modo dicto diſpenſato ſuppeditentur cibi paſchales per miniſterium alicuius oblati, ſi adfuerit, aut certè in eius abſentia per obſequium procuratorum & aliorum deuotorum Ordinis: & *numer. 28.* quod tales cibi aliunde, quam per clauſtrum, ſeu Conuentum deferantur ad exteriorem infirmariam, quæ ad minus 50. pedum ſpatio (vbi locus compatitur) prouidè ſeparetur, & cum interioribus Conuentus officinis nullo pacto ſtare permittatur; cum, inquam, hæc in regula præcipiantur, non per modum conditionis ſpectantis ad ſubſtantiam diſpenſationis, ſed circumſtantiæ extrinſecæ iuxta dicta *q. 5.* (vt colligitur ex ipſa natura talium limitationum); licitè poterit Religioſus vti dicta diſpenſatione, etiamſi non impleat præfatas limitationes; & ad ſummum incurrit pœnam, quæ fortè lata ſit in Ordine contra talem exceſſum: præter quam quod videndum eſt, qualis ſit vſus, & praxis religionis quo ad prædicta; ſi enim

ca

ea non ſint in vſu (ſicut de facto videntur non eſſe, ſaltem in multis monaſterijs) non eſt opus, quod ea ſeruentur, ſicque Religioſus non tenetur ea ſeruare neque ſub culpa, neque ſub pœna.

QVÆRES XXIIII. Quamdiù vti poſſit Frater minimus diſpenſatione iſta veſcendo cibis paſchalibus.

94 ℞. Poſſe vti, vſque dum durat iudicio prudentis cauſa diſpenſationis, ac neceſſitas; ad quod facit ſtatutum Capituli Genuenſis 4. relatum *numer.* 14. his verbis: *Sicut de Medici conſilio, ac illius onerata conſcientia diſpenſatur infirmis carnes in infirmaria comedere: ita de eiuſdem Medici conſilio, & ipſius pariter onerata conſcientia ijdem infirmi ab infirmaria extre debent*. vnde colligit Peyrinus *de R. S. q. 4. c. 6. q. 2.* Prælatum Conuentus non poſſe eiicere ab infirmaria Fratrem ſuper voto vitæ quadrageſimalis diſpenſatum, quamdiù medicus iudicauerit illum re vera indigere cibis paſchalibus; per quas enim cauſas res naſcitur, per eas diſſoluitur; & par eſt, vt, quamdiù durat cauſa, tamdiù duret & effectus proueniens ex illa. præſertim cum in regula Ordinis *numer.* 27. hæc habeantur. *At vbi ægrotum ipſum ita conſtiterit euidenter conualeſcere, quod quadrageſimalibus cibis conſuetis ſuſtentari queat, matura deliberatione prauia ad priſtinæ vitæ ſanctiorem conſuetudinem redeat*; vbi noto ex particula illa *conſtiterit euidenter*, colligi Superiorem non debere eſſe in hoc nimis ſcrupuloſum in reuocando Fratrem diſpenſatum ſuper voto vitæ quadrageſimalis ad communem victum, niſi ei euidenter conſtet illum ita recuperaſſe vires deperditas, vt non ampliùs indigeat cibis paſchalibus.

QVÆRES XXV. An valida ſit iſta diſpenſatio, ſi Frater eam petat, ac obtineat abſque licentia Superioris.

95 ℞. *Peyrin. tom. 3. priuil. cap. 14. numer.* 22. non valere, id colligens ex verbis illis *de Correctoris iuſſione*, quæ habeutur in *regula numero* 26. & à nobis relata ſunt *q. 4.* nec non ex ijs, quæ ſtatuuntur in eadem regula *numer.* 27. his verbis *Caueant autem omnes ipſi Fratres, ac Oblati, ne quemquam medicorum pro quadrageſimali vita deſerenda, & paſchali, ſeu pingui aſſumenda per ſe, nec per interpoſitam perſonam inducant*. At mihi hoc non placet, & quidem primò, quia multa prohibentur, quæ tamen facta tenent: vnde quando Pontifices voluerunt ipsò factò irritare actum contra ſuam prohibitionem, conſueuerunt adijcere clauſulam irritantem; vt in *cap. ſtatutum de reſcript. in 6.* & alibi ſæpè: ſecundo quia actus non redditur ipſo iure nullus, quamuis ſit geſtus contra legis prohibitionem, niſi in caſibus à iure expenſis; ſicut aduertit *Nald. v. actus numer.* 1. ex *Gloſ. in Clem. 1. v. vel alteri de præben. Menoch. caſu* 276. *num.* 17. idque generaliter niſi ex coniecturis colligi poſſit taliter ſenſiſſe legislatorem actum prohibentem; id autem non colligitur in præſenti caſu, ſaltem certò; ſicque cum ad ſummum ſimus in dubio, præſumendum eſt diſpenſationem taliter obtentam eſſe validam; cum actus in dubio interpretetur, vt valeat potiùs, quam pereat *l. quoties de reb. dubijs.* tertio quia verba illa *de Correctoris iuſſione* non videntur referri ad petitionem diſpenſationis (vt putat Peyrin.) ſed ad hoc vt Fratri diſpenſato prouidè ſuccurratur de cibis paſchalibus; vt conſtat ex tenore textus, qui ſic habet *& inibi iuxta ordinationem Medici de Correctoris iuſſione vigilanter, & charitatiuè illi ſuccurratur de quibuſuis eibarijs &c.* ita docti viri à me conſulti, & probabiliter.

QVÆRES XXVI. An Frater minimus legitimè diſpenſatus ſuper voto vitæ quadrageſimalis poſſit comedere carnes, etiam extra monaſterium ſuperioris, per quem diſpenſatus eſt.

96 ℞. Poſſe; & probatur tum quia iſta diſpenſatio eſt perſonalis, quæ perſonam ſequitur, eique adhæret: tum quia *Suar. l. 8. de leg. cap. 26. num.* 14. *& 15.* & alij docent diſpenſatum à proprio Epiſcopo ad veſcendum carnibus tempore quadrageſimali, poſſe ij veſci, etiam extra territorium epiſcopi diſpenſantis: cum tamen ſit eadem ratio in noſtro caſu, vt patet. ita *Peyrin. tom. 2. priuileg. Conſt. 2. Clementis VIII. num.* 19.

QVÆRES XXVII. An Frater minimus hoc ipſo quod legitimè diſpenſatur ad veſcendum carnibus, cenſeatur etiam eximi ab obligatione ieiunij, ſiue eccleſiaſtici, ſiue Ordinis.

97 ℞. Cenſeri; cum abſtinentia à carnibus ſit pars eſſentialis ieiunij Eccleſiaſtici, adeoque repugnet ſeruari ſubſtantiam ieiunij cum eſu carnium; quæ ratio probat intentum ex quacumque demum cauſa quis diſpenſetur ad carnes; ſiue ratione infirmitatis præſentis; ſiue ratione morbi futuri. Colligitur ex *Caietano* 2. 2. *q.* 147. *a.* 1. *Azorio tom.* 1. *l. 7. cap. 10. q. 3. Henriq. l. 7. cap.* 13. *num.* 12. alijſque relatis à *Fagund præc. 4. Eccl. l. 1. cap. 2. num. 3.* vniuerſaliter docentibus (& ſatis probabiliter iudicio ipſius Fagundez *num.* 5.) obtinentem licentiam ad edendas carnes in diebus ieiunij cenſeri eò ipsò ſolutum ab obſeruatione ieiunij: quod tamen non admittunt plures alij relati à *Fagund. num.* 4. *& 5.* quibus adhæret *Peyrin. de R. S. q. 4. cap. 6. q. 5.* docens in ſpecie Fratrem minimum diſpenſatum ad carnes præciſè ad vitandum aliquem morbum, cui eſus ciborum quadrageſimalium ſit valdè nociuus, teneri nihilominùs ieiunare; cum præceptum ieiunij Eccleſiaſtici ſeruari debeat, in quantum poteſt.

QVÆRES XXVIII. An Frater Minimus legitimè diſpenſatus ad carnes peccet contra votum vitæ quadrageſimalis, ſi ſimul comedat piſces, aut etiam carnes noxias, v. g. carnem ſuillam, aut ſalitam.

98 ℞. Videri probabile, quod non peccet. ita in terminis *Peyrin. tom. 3. priuileg. capit. 9. numer.* 52. ex *Sanchez, Villalob. Sancio, Diana*, & alijs, ſibi contrarius in *tom. de R. S. q. 4. cap. 6. q. 3.* expreſſè docens Fratrem Minimum comedentem carnes, & piſces in eodem prandio, aut cœnam omninò peccare m., eò quod præciſa ratio diſpenſandi cum illo ſuper voto vitæ quadrageſimalis ſit, quia non poteſt veſci cibis quadrage-

Rr ſima-

ſimalibus abſque diſpendio ſanitatis, neque ita facilè cum ijs recuperare amiſſam ſanitatem (vt colligitur ex ipſa regula Ordinis *numer.* 26.) ſicque dicendum ſit diſpenſationem ſolùm cadere ſuper illos cibos, qui ad dictos fines poſſunt deſeruire; talis autem non videtur eſſe caro ſuilla, vt patet.

99 Probatur ergò reſponſio tum quia regula generalis interpretandi vota eſt, quod ſi materia voto promiſſa ſit de præcepto eccleſiaſtico, votum debet interpretari eò modo, quo interpretatur ipſum præceptum eccleſiaſticum, ſicut docent *Nauar. cap.* 12. *num.* 65. *Suar. l.* 4. *de voto cap.* 7. *nu.* 9. *Sotus l.* 7. *de iuſt.* q. 2. *a.* 1. & alij: at infirmi tempore quadrageſimæ diſpenſati ad carnes, iuxta communiorem, ac probabilem ſententiam Doctorum non peccant contra præceptum Eccleſiæ, ſi comedant carnes noxias, etiam ſi cum graui damno ſanitatis *Sanch. l.* 8. *de matr. D.* 1. *num.* 39 & *l.* 4. *mor. cap.* 13. *num.* 57. *Fagund. præc.* 4. *l.* 1. *cap.* 2. *num.* 18. *Azorius*, & *Medina* relati ab ipſo *Fagundez*: tum quia quod Minimi tempore morbi poſſint veſci carnibus non eſt propriè diſpenſatio, ſed caſus exceptus, in ipſa lege eſſentialiter incluſus; quo modo etiam in lege eccleſiaſtica de non edendis carnibus tempore quadrageſimę non comprehenditur tempus grauis infirmitatis; non ergò facienda eſt vis in cauſa diſpenſationis præſentis (quo modo faciunt Aduerſarij) tum quia in dubijs vnuſquiſque præſumitur ſe minùs obligare, quam fieri poſſit; ſicque votum ſemper debet interpretari in fauorem vouentis; ergò in præſenti caſu non eſt pręſumendum Fratrem minimum ſe voluiſſe peculiari voto obligare ad abſtinendum à carnibus cum eo rigore, vt, quando ei permitteretur veſci carnibus, non poſſet veſci abſque violatione voti, etiam carne noxia, aut alio cibo nociuo: tum quia teſte *Peyrino tom.* 3. *priuil. c.* 9. *numer.* 58. nullus Fratrum Minimorum adhuc punitus eſt tanquam tranſgreſſor voti ob eſum carnis ſuillæ factum, quo tempore eſt legitimè diſpenſatus ad carnes; ergò cum aliàs in Ordine ſeueriſſimè puniantur violatores votorum, ſignum eſt per talem eſum non violari hoc votum; etſi aliàs poſſit in hoc eſſe peccatum gulæ, aut violatio charitatis in ſe ipſum: tum quia votum hoc abſtinendi à cibis paſchalibus per modum vnius extenditur ad quaſcumque carnes, & quodcumque aliud genus cibi paſchalis, ideoque ſuſpenſa legitimè illius obligatione, hæc ceſſat (quantum attinet ad votum) quo ad quaſcumque carnes; vt in ſimili notauit *Sanch.* vbi ſupra.

100 Nec obſtat ratio in contrarium adducta ab aduerſarijs; ſi quidem primò negamus in præſenti caſu interuenire diſpenſationem propriè dictam; ſicut etiam innui §. *præcedenti*: ſecundò dicimus ex eo quod cibi paſchales conceduntur fratri minimo ægrotanti ad effectum recuperandæ ſanitatis, & meliùs, & citiùs; ſequi quidem illum non poſſe per ſe, ac directa intentione veſci cibis noxijs, & conſequenter aduerſantibus dicto fini; at hoc non facit, quin ſecundariò, ac indirecta intentione poſſit de ijs comedere, eò quod tales cibi ſint guſtui delectabiles, aliàs non intendens retardare recuperationem ſanitatis.

QVÆRES XXIX. An frater minimus peccet contra hoc votum, ſi conſultò dat cauſam alicui infirmitati, vt ſic ei concedatur facultas veſcendi cibis paſchalibus.

101 ℞. Videri peccare; & probatur, tum quia in voto vitæ quadrageſimalis tacitè includitur obligatio non faciendi quidquam in præiudicium illius iuxta communem regulam, quod, quando lex prohibet aliquem effectum, prohibet etiam omnem modum, per quem peruenitur ad talem actum, ſicut benè probat *Steph. de Federicis de iure interpr. p.* 1. *principali num.* 41.: tum quia non effugit pœnam legis, qui in fraudem legis committit *l. non dubium C. de leg.* id autem euenit in caſu noſtro, vt patet; tum quia alioqui facilè eludi poſſet obligatio multarum legum eccleſiaſticarum: quod non videtur admittendum. ita *Peyrinus tom.* 3. *priuil. c.* 9. *num.* 59. ex *Suarez l.* 4. *de voto cap.* 17. *num.* 19. & *Sanch. l.* 4. *moral. c.* 23. *num.* 52. dicens videri nimis ſubtilem doctrinam eorum, qui apud *Dianam p.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 52. ſuſtinent oppoſitam ſententiam in ſimilibus caſibus, ex eo quod in ijs non interuenit propriè fraus, aut dolus, ſed fuga quædam obligationis ſiue præcepti, ſiue voti; quæ fuga ex ſe eſt indifferens, & fit bona, ſi fiat ex bono fine. Etſi *Peyrinus* abſolutè non damnet talem doctrinam, cum dicat ſolùm eam eſſe nimis ſubtilem: cum quo vtique ſtare poteſt, quod ea ſit non omninò improbabilis.

Maius dubium eſt, an peccet frater minimus contra votum vitæ quadrageſimalis, ſi cupiat ægrotare ad effectum, vt poſſit legitimè diſpenſari ſuper obſeruantia dicti voti.

102 ℞. Videri probabile, quod non peccet; cum in tali caſu faciliùs admitti poſſit fuga illa obligationis, de qua modò diximus: & aliàs *Vaſquez* 1. 2. *D.* 116. *num.* 4. ſuſtineat non violare votum Caſtitatis Religioſum illum, qui videns ſe eſſe valdè procliuem ad venerea deſiderat fornicationem non eſſe peccatum (quod tamen alij communiter reijciunt, & probabiliùs ob dicta in *tract. de votis c.* 3. *ſect.* 4. *q.* 15.) præter quam quod *Sotus l.* 5. *de iuſt. q.* 12. *Petr. Nau. l.* 2. *cap.* 3. *num.* 207. & cum ijs *Nald. v. mors num.* 6. tradunt poſſe nos optare mortem inimicorum fidei ob vtilitatem inde redundantem in Chriſtianos; quæ doctrina, ſicut & illæ aliæ modò adductæ, vtique poſſunt applicari ad præſentem caſum; &, ſi benè applicentur, puto quod probabilem faciunt noſtram reſponſionem. ita docti Neoterici à me conſulti contra Peyrinum, qui *tom. de R. S. q.* 4. *cap.* 6. *q.* 12. obiter innuit id eſſe illicitum, ſed meo iudicio minùs probabiliter.

QVÆRES XXX. An frater minimus peccet contra votum vitæ quadrageſimalis delectando ſe ſenſibiliter de eſu carnium.

103 ℞. Non peccare; dummodò non ſe delectet de eſu carnium, quatenus prohibito: quò caſu Frater ſine dubio peccaret; cum talis delectatio habeat pro obiecto formalem inobedientiam iuri naturali repugnantem. Colligitur ex *Laym. lib.* 1. *tr.* 3. *cap.* 6. *num.* 9. *Leſſ. lib.* 4. *cap.* 3. 114. alijſq; quos citant,

citant, & ſequuntur *Diana p. 3. tr. 5. reſol. 5. & Peyr. tom. 3. priuil. cap. 14. num. 16.* contra *Medinam C. de reſtit. q. 21.* & alios probatur autem reſponſio ex eo, quod præceptum poſitiuum humanum, aut votum voluntariè emiſſum non obligant ad actus internos, ſed ſolum ad externos; vt doctè probat Layman ſuam inde confirmans ſententiam quod, ſicut poteſt quis abſque culpa triſtari de ieiunij præcepto, aut voto edito, interim habens propoſitum ea implendi; ſic & poteſt ſine culpa delectari de opere lege poſitiua prohibita, retinens interim efficax propoſitum non faciendi opus: quod euenit etiam in caſu noſtro, vt patet.

Vtrum verò peccet Frater minimus dicendo *Comederem carnes, niſi ratione voti prohiberer.*

104 ℞. Non peccare; patetque ex dictis in *tr. de votis cap. 3. ſect. 4. qu. 13. & 14.* ita in terminis *Peyrin. ſup. num. 15.* alijque apud ipſum.

QVÆRES XXXI. Quot peccata committat Frater minimus, qui ſine legitima diſpenſatione multoties eodem die comedit carnes, aut etiam animo proponit ijs veſci per multos dies.

105 ℞. Committere tot peccata numero diſtincta, quot comeſtiones facit numero diſtinctas, & quot ſunt dies, quibus ſtatuit veſci carnibus. ratio reſponſionis eſt, quod, cum votum non comedendi carnes ſit inſtar præcepti negatiui, obligat ad ſemper, & pro ſemper; ſicque de eo non procedit doctrina, quam tradunt *Caiet. 2. 2. q. 147. a. 8. Nauar. cap. 21. num. 15. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 9. q. 2.* alijq; plures apud *Fagund. ſup. cap. 4. n. 5.* violato ſemel ieiunio per ſecundam comeſtionem factam, poſt primam hora competenti, non ampliùs violari, nec nouum peccatum committi, etiamſi pluries eo die comedatur; ſi quidem, cum ieiunium fractum ſit in ſecunda comeſtione, vtpote importans vnicam comeſtionem, non poteſt ampliùs frangi in tertia, & quarta comeſtione; obligatio verò abſtinendi à carnibus, cum ſit ſimpliter negatiua, per primam carnium comeſtionem non tollitur, ſed adhuc durat, adeoque quoties violatur, toties peccatur. Quę ratio probat intentum etiam in caſu, quo Fratrer minimus vno actu ſtatuat pluries veſci carnibus; ſi aduertero, quod, licet actus phyſicè ſit vnus, virtualiter tamen eſt multiplex iuxta pluralitatem vicium, quibus præſatus Frater comeſturus eſt carnes: quod eſt multiplicari peccata ad multiplicationem obiectorum totalium eo modo, quo tradunt DD. in materia de actibus humanis.

Quod ſi hìc obiter quæras, an detur paruitas materiæ in violatione voti vitę quadrageſimalis excuſans à peccato.

106 ℞. Dari: cum talis paruitas à Doctoribus admittatur in qualibet materia, præter quam in ea, in qua reperitur tota ratio iniuriæ, ac offenſæ: cuiuſmodi eſt odium Dei, iuramentum aſſertorium falſum, & ſimilia; non item violatio voti, & aliæ id genus; ſicut aduertit Bonac. *D. 2. de leg. qu. 3. par. 3. numer. 11. ex Sanchez, Suarez, & alijs.* Quo modo etiam excuſatur à culpa Fratet minimus, qui ex charitate, aut neceſſitate præparans cibos carnium pro infirmis monaſterij eos prægustat ad effectum illos conuenienter præparandi; id quippe licitum eſſe tradunt communiter DD. & inter alios *Fagundez ſup. cap. 2. numer. 8.* id ex eo probans, quod talis prægustatio non ſit per modum comeſtionis cibi.

QVÆRES XXXII. An Frater minimus peccet contra votum vitæ quadrageſimalis, ſi ſuper eo legitimè diſpenſatus excedat in eſu carnium.

107 ℞. Non peccare, peccare tamen contra virtutem Temperantiæ, imò & contra Charitatem in ſe ipſum, ſi aduertat inde ſibi iminere diſpendium notabile ſanitatis; patet ex eo quod, cum vi diſpenſationis dictus Frater ſit pro tunc ſolutus ab obligatione voti, non poteſt dici tranſgreſſor illius, ex eo quod nimis excedat in edendis carnibus: ea proportionaliter ratione, qua DD. apud *Peyrynum tom. 3. priuil. cap. 9. numer. 34.* dicunt fideles legitimè diſpenſatos ad carnes pro tempore quadrageſimali non peccare contra præceptum Eccleſiæ, quantumuis excedant in carnibus edendis, ſiue quo ad quantitatem, ſiue quo ad qualitatem.

QVÆRES XXXIII. An violatio voti vitę quadrageſimalis in Ordine Fratrum Minimorum ſit reſeruata.

108 ℞. Peyrinus *ſup. cap. 12. de addendis ad Conſtit. Vrbani VIII. numer. 7.* ſtante decreto Clementis VIII. edito ſuper reſeruatione caſuum facta Regularibus, & à nobis expoſito in *tract. de prohibit. cap. 1. quæſt. 2.* videri non reſeruatam; idque etſi aliqui producant declarationem quamdam Sacræ Congregationis poſt præfatum decretum Clementis VIII. editam in hæc verba: *Sacra Congregat. Cardinalium negotijs Regularium præpoſita cenſuit abſolutionem à tranſgreſſionibus votorum, etiam obedientiæ, & vitæ quadrageſimalis vtique Prælato eiuſdem Ordinis* (idest Fratrum Minimorum) *ad præſcriptum regulæ eſſe reſeruatam, & decreto ſac. memor. Clem. VIII. diſpenſationem eiuſdem regulæ hac in parte minimè ſublatam fuiſſe.* Ratio Peyrini eſt, quod ex vna parte reſeruatio violationis voti vitæ quadrageſimalis facta in regula ordinis (ſi tamen facta eſt) fuit ſublata per dictum decretum Clementis VIII. vtpote derogans quo ad hoc, etiam regulis Religionum, (vt apertè conſtat ex eius tenore) ex alia parte declaratio, quæ in contrarium affertur, videtur minùs authentica, funditusque euertit præfatum decretum Clementis; vt hinc conſtat, quod ea data, poſſent Superiores Minimorum multiplicare caſus reſeruatos, ad arbitrium apponendo cuilibet eorum meritum obedientiæ, ſicq; illum reddendo reſeruatum ratione voti obedientiæ in dicta declaratione reſeruati; cum tamen non ſit probabile, quod Sacra Congregatio voluerit omninò eneruare decretum illud ſtatui Regularium adeò ſalutare: præſertim cum talis declaratio non eſſet neceſſaria, concedente Pontifice in eo decreto facultatem reſeruandi etiam alios caſus in Capitulo generali.

109 ℞. Dixi loquẽs de reſeruatione violationis huius voti, *ſi tamen facta eſt*, vt innuerẽ quod, quamuis in Correctorio Ordinis minimorum de 4. votis dicti

Ordinis dicatur, *Quorum abſolutio reſeruabitur*, non ideo eſt certum ea de facto reſeruari vi talium verborum, cum *Peyrinus ſup. num.* 7. ex *Trimarcho* dicat ex illis verbis ſolum colligi ea arbitrio ſuperiorum poſſe reſeruari: ita vt ly *Quorum abſolutio reſeruabitur*, faciat hunc ſenſum *poterunt Prælati ſibi reſeruare*.

QVÆRES XXXIV. Qua pæna puniatur Frater minimus, qui fortè reperiatur violaſſe votum vitæ quadrageſimalis.

110 ℞. Puniri pænis præſcriptis in *Correctorio Ordinis num.* 51. his verbis, *Si quis vitæ quadrageſimalis votum infregerit, 3. menſibus, vel pluribus carceribus mancipetur, & iure primogenituræ perpetuò priuetur: niſi per generale, vel prouinciale Capitulum rehabilitetur, primitus conſiderata ipſius qualitate. & ſi talis delinquens Prælatus eſſet, vltra prætaxatam pœnitentiam confeſtim ab officio deponatur.* Vbi etiam aduertenda eſt clauſula illa *primitus conſiderata ipſius qualitate*; per eam quippè innuitur non omnes, qui incurrunt dictas pœnas, rehabilitari debere in Capitulo, ſiue generali, ſiue prouinciali, ſed tantum eos, qui alioqui talem indulgentiam promerentur, eò quod aliàs ſint timoratæ conſcientiæ, ac obſeruantes, aut de Ordine benè meriti, aut multum neceſſarij miniſterijs Religionis. quod puto habere locum etiam in pæna priuationis officij, licet hic non exprimatur; ſi quidem, cum talis pæna ad ſummum reſeruetur ordini, vtique Capitulum generale, quod repreſentat totam religionem, poterit illam relaxare. niſi quis mallet dicere, quod, cum de tali pæna in ſpecie non exprimatur eam eſſe reſeruatam (vt conſtat ex verbis adductis) & reſeruatio pænarum tanquam odioſa non ſit inducenda abſque textu expreſſo; huiuſmodi pæna non videtur reſeruata, ſicque poterit auferri ab illo ipſo, qui eam intulit; nimirum à Prouinciali, aut Generali; qui tamen non poterunt illas alias auferre abſque interuentu Capituli generalis, aut prouincialis: cum eæ in Correctorio apertiſſimè capitulo generali, vel prouinciali de facto reſeruentur; quod eſt benè notandum.

QVÆRES XXXV. An, & quam pænam incurrat Frater minimus, qui ratione morbi, aut prauæ complexionis non poteſt ſeruare votum vitæ quadrageſimalis.

111 ℞. Fieri eò ipsò inhabilem ad prælaturas ordinis: idque ex ſtatuto *Capituli Valentini V. num.* 16. in quo præterea declaratum fuit talem inhabilitatem non incurri, niſi in caſu, quo Frater ita ſit valetudinarius, vt cibis quadrageſimalibus non valeat ſuſtentari, ſed ex conſuetudine morbi, & imbecillitate naturæ cogatur per ſpatium 3. annorum ſingulis fermè annis plus quam 6. menſes agere veſcendo carnibus, & choro intereſſe horis matutinis, & communitati ſe conformare non valeat. Vnde *Peyrin. ſup. cap.* 14. *num.* 19. notat ad incurrendam eiuſmodi inhabilitatem ita requiri omnes iſtas conditiones expreſſas in hoc ſtatuto, vt, ſi vna ſolum earum deſit, Frater cenſeri non debeat valetudinarius, & conſequenter nec ſubiacere præfatæ inhabilitati. ex quo infert *Peyrin.* in ordine minimorum, etiam modò, poſſe eligi in Generalem, Prouincialem, aut Correctorem, illum, qui neceſſitatem haberet veſcendi paſchalibus toto anno, poſſet tamen frequentare chorum, ſaltem de die, & reliqua munia prælaturæ obire: ſi quidem tunc in eo non concurrerent omnes conditiones requiſitæ ad ipſum inhabilitandum ratione malæ valetudinis. Quod vtique à fortiori locum haberet in illo, qui non omninò poſſet ſe conformare communitati (v. g. comedendo legumina, aut cibos ſalſos) & indigeret cibis paſchalibus per 6. menſes ſingulis annis; cum enim ſtatutum Capituli Valentini citatum ſit odioſum, non debet interpretari, quod in Fratre eligendo ad prælaturas ordinis requirat, vt poſſit in omnibus ſe conformare communitati, ſed benignè poteſt explicari, quod ſaltem in aliquibus ſe conformet.

112 Addit *Peyrin. num.* 21. ſtatutum hoc Capituli Valentini, quomodocumque intelligatur, non extendi ad Fratres bene meritos de ordine, & qui ſtatum illum valetudinarij acquiſiuerunt laborando pro Religione, ſi alioqui ſint ad prælaturas idonei; id quippe eſt valde alienum ab humanitate: vnde etiam inter barbaras, ac ſylueſtres nationes remunerari ſolent toto vitæ decurſu ij, qui pro bono communi ſtrenuè laborarunt, ſicque progreſſu laborum facti ſunt inutiles ad ampliùs laborandum (quos vocant milites emeritos); præter quam quod hoc eſſet addere afflictionem afflicto, & (vt ita dicam) de bono opere lapidare; maximè cum regimina Religionum magis niti debeant prudentia, diſcretione, & charitate, quam bona valetudine, ac virium firmitate: quare ſic tandem concludit *Peyrin. & ita obſeruari video in Religione, & Superiores ita declarare.*

An autem Frater minimus iudicio Medici verè indigens cibis paſchalibus poſſit occultè ijs veſci in proprio cubiculo de licentia ſuperioris ad effugiendam præfatam inhabilitatem.

113 ℞. *Peyrin. de R.S.q.4.c.6.q.*13. non poſſe: cum neque Medicus, neque ſuperior dare poſſint Fratri minimo licentiam edendi carnes extra infirmariam; vt colligitur ex regula ordinis *num.* 26. 27. & 28. At ego puto illum Fratrem non ita abſolutè damnandum eſſe, ſi alias ſit verè idoneus, & ipſi conſtet ſe alioqui non promotum iri ad prælaturas Religionis, quamuis illas promereatur ob ſeruitium per multos annos ab ipſo fideliter præſtitum ordini; ſi quidem id eſſet quaſi redimere vexationem; vt facilè conſtabit conſideranti.

QVÆRES XXXVI. An, & quo modo Frater minimus poſſit egredi è monaſterio durante tempore, quo in infirmaria veſcitur cibis paſchalibus de licentia medici, ac ſuperioris.

114 ℞. Quod, quamuis Clemens VIII. hac de re anno 1596. ediderit decretum relatum à *Peyrino ſupra cap.* 8. prohibens generaliter Fratri minimo legitimè diſpenſato ad cibos paſchales, ne vnquam egrediatur è Conuentu toto illo tempore, quo vtitur paſchalibus, aut comedit extra infirmariam; idque

ſub

ſub pęna priuationis vocis actiuæ, & paſſiuæ per tres annos ſequentes, eaque reſeruata Papæ: nihilominus probabile videtur Fratres minimos in præſentia poſſe de licentia Superioris egredi è monaſterio, tum ad deambulandum recreationis gratia, tum ad commorandum in domo alicuius conſanguinei, aut amici cauſa recuperandi ſanitatem meliùs, & citiùs; etiam pro tempore, quo legitimè veſcuntur cibis paſchalibus. Ducor, tum quia decretum illud Clementis VIII. eſt valdè rigidum, & nititur præſumptione, quod Fratres minimi ſine neceſſitate diſpenſentur, ad cibos paſchales, ſicut colligitur ex verbis illis, quæ in proemio dicti decreti habentur *ad tollendos abuſus, & fraudes*: cum ergò valdè probabile ſit ceſſare obligationem legis fundatæ in præſumptione reſpectu illius particularis, in quo ceſſat pręſumptio, hoc ipſo quod Frater minimus ex iuſta cauſa diſpenſatur ad cibos paſchales, non cenſetur comprehenſus in eo decreto; cum ſic reſpectu illius ceſſet præſumptio: tum quia vel illud decretum non fuit acceptatum; vel certè modò eſt abolitum, fortè vt nimis graue, parumque accommodatum fragilitati humanæ; cum valdè durum ſit, adſtringere Religioſum melancholicum, tabidum, & valetudinarium ad manendum ſemper in monaſterio interdum valdè anguſto; & quidem tempore longiori; tum quia non eſt credibile voluiſſe comprehendere ſub illo ſuo decreto huiuſmodi perſonas, quamuis aliàs in eo loquatur generaliter: hùc enim etiam facere poteſt regula iuris *non veniunt ſub generali probibitione ea, quæ quis veroſimiliter non eſſet in ſpecie probibiturus*. ita *Peyrin. ſup.* addens nec ſub tali decreto includi Generales, Prouinciales, ac Correctores; cum illud loquatur ſolum de Fratribus nulla mentione facta Superiorum, & alioqui nomine Fratrum, ſeu monachorum non veniat Abbas, vt cum *Gloſſa cap. fin. de ſimonia v. Abbates* aduertunt *Abb. Felin. Armil. & Rodriq.* relati à *Peyrino*, & communiter notant DD. in *cap. vt periculoſa ne Cler. vel Monach. in 6.* dicentes Pręlatum regularem accedentem ad ſtudia literarum ſine licentia proprij Superioris, ac Conuentus, non incurrere excommunicationem latam in dicto *cap. vt periculoſa* contra Religioſos ſine dicta licentia accedentes ad ſtudia literarum.

SVBSECTIO II.

De Promiſſione Fidelitatis circa bona monaſterij, quam in ipſa profeſſione faciunt Religioſi laici Ordinis Minimorum.

115 *Fratres laici Ordinis Minimorum promittunt Ordini fidelitatem circa bona monaſterij.*

116 *At hæc promiſſio non eſt votum.*

117 *Declaratur, quid hic ſignificetur nomine fidelitatis.*

118 *Vi huius promiſſionis debent fideliter exponere eleemoſynas Conuentui datas.*

119 *Explicatur quid veniat hic nomine eleemoſynæ.*

120 *Violatio huius promiſſionis ex obiecto eſt mortalis.*

121 *At leuitatem materia admittit.*

122 *Fratres præfati violant hanc promiſſionem, ſi ſint in quæſtuando notabiliter negligentes; ſecus ſi ſibi applicent de conſenſu dantis eleemoſynam primò oblatam pro Conuentu.*

123 *Neque in hoc caſu poſteriori adeſt propriè dicta infidelitas.*

124 *Violant, ſi eleemoſynam oblatam Conuentui ſine cauſa recuſent.*

125 *Item, ſi deſtinati ad emenda neceſſaria Conuentui, ſint in hoc notabiliter negligentes.*

126 *Item, ſi valdè negligenter cuſtodiant res Conuentus ipſis commiſſas.*

127 *Item, ſi eas diſtribuant vltra voluntatem Prælati.*

128 *Idque maximè, ſi eas dent externis.*

129 *Item, ſi eas ſibi applicent indebitè.*

130 *Non violant autem, ſi de iis ſibi vſurpent iniuſtè negata.*

131 *Non violant, ſi ex cauſa occultent inferiori Prælato eleemoſynas animo eas manifeſtandi Prælato Superiori.*

132 *Non violãt, ſi redditus Cõuẽtus nõ manifeſtent fideliter.*

133 *At violant (etſi non ſemper) occultando eleemoſynas Conuentus in maius bonum illius.*

134 *Probatur aſſertio.*

135 *Non violant, ſi ex verecundia omittant aperire aliquas eleemoſynas Conuentus deperditas.*

136 *Violant, ſi eleemoſynas Conuentus non detegant eius Officialibus.*

137 *Præfati Fratres laici debent fideliter manifeſtare eleemoſynas Conuentus, etſi ad quæſtuandum non ſint deputati.*

138 *At non violant hanc promiſſionem, ſi valdè negligenter conſeruent res ipſorum vſibus conceſſas.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat talis promiſſio.

115 ℞. Fieri his ipſiſſimis verbis deſumptis ex formula profeſſionis, qua vtuntur huiuſmodi Fratres; videlicet, *Et vlterius promitto fidelitatem eidem Ordini ſeruare, & eiuſdem Ordinis eleemoſynas fideliter exponere.* Vbi notandum eiuſmodi verba continuari immediatè cum verbis, quibus promittunt 3. vota ſubſtantialia religionis vnà cum voto ſolemni vitæ quadrageſimalis perpetuæ.

QVÆRES II. An iſta promiſſio verè habeat vim voti Deo facti, vel certè ſit ſimplex promiſſio facta religioni.

116 ℞. Quod quamuis poſſet videri probabile iſtam promiſſionem habere vim voti, quatenus ly *vlterius promitto* videtur reſpicere Deum, cui expreſsè fit promiſſio 4. votorum; & quatenus dici poteſt ly *eidem Ordini* referri non ad *promitto*, ſed ad *ſeruare*: tamen quia viri graues, ac docti Ordinis nomine meo conſulti à Reuerendiſs. P. Generali eiuſdem Ordinis reſponderunt huiuſmodi promiſſionem nequaquam habere vim voti, ſed eſſe ſimplicem pro-

miſſionem factam Religioni; ideo ſic puto ſentiendum eſſe; & moueor tum ex communi ſenſu Ordinis, qui in hoc debet magnifieri; cum promiſſio non obliget, niſi iuxta intentionem promittentis, & aliàs in præſenti materia non poſſit conſtare meliùs de intentione promittentium, quam ex communi ſenſu Ordinis: tum quia vt promiſſio ſit verè votum, debet fieri Deo ſiue explicite, ſiue implicitè ex intentione vouentis; hæc autem non fit Deo, neque explicitè, vt patet, neque implicitè, vt conſtat ex modo dictis. Ita ego ſentio, & his ſcriptis poſtea reperi mecum ſentire *P. Peyrinum in commentarijs aſceticis in regulam ſui Ordinis cap. 2. §. 3. qu. 4. not. 10.* vbi loquens de hac promiſſione ait *Ego ſemper putaui, quod non eſſet votum, ſed ſolum promiſſio: quæ tamen habet vim contractus, & obligat ſine dubio ad mortale, & cum ſit contra iuſtitiam retinere eleemoſynas, eſt peccatum furti ad reſtitutionem obligans; cumque etiam ſit contra voluntatem Prælati, etiam eſt diſtinctum peccatum proprietatis contra votum Paupertatis*. Sic ille; & probat aſſertionem principalem, tum quia eiuſmodi promiſſio non fit Deo, ſed ſoli Ordini; & cum votum ſit promiſſio facta Deo, liquet illam non eſſe votum: tum quia in *regula Ordinis num. 17.* loquens S. Fundator de Oblatis (qui faciunt hanc promiſſionem) ait, quod ſe obligent ad 4. vota, vt alij Fratres; ſi autem promiſſio illa eſſet votum, non ad 4. tantum vota, ſed ad quinque ſe obligarent, vt patet.

QVÆRES III. Quid hìc intelligatur nomine fidelitatis.

117 ℞. Intelligi virtutem, qua ſeruatur promiſſio alteri facta, & quidem in eo ſenſu, quo Theologi ſolent dicere hoc, vel illud deberi ex fidelitate: & ratio eſt quod, ſicut æconomus, qui principaliter tenetur ex officio in contractibus, ac negotijs gerendis ſpectare maxima commoda ſui domini, dicitur ad id teneri ex fidelitate, & non ex iuſtitia; eo quod ſuſcipiens officium æconomi eo ipſo ex quadam tacita promiſſione cenſetur ſe adſtringere ad curandam ſummam vtilitatem ſui Domini, quantum poterit commodè, ſeu communi diligentia, vt aduertit *Leſſius l. 2. cap. 18. num. 57.* ſic etiam Religioſi laici, qui in religionibus recipiuntur pro miniſterijs temporalibus, quamuis ratione officij teneantur vtiliter curare bona temporalia monaſterij, quæ ipſis pro qualitate muneris impoſiti committantur cuſtodienda, ac diſtribuenda: nihilominus ad id dicuntur teneri ex fidelitate, quatenus aſſumentes officium ipſis iniunctum ex tacita quadam promiſſione ad hoc ipſum ſe obligant: vnde, ſi bona monaſterij ipſorum curę commiſſa vel malè cuſtodiãt, vel cõtra Superioris volũtatẽ diſtribuãt, dicuntur infideles, & peccant contra fidelitatem. Quod ergò Fratres laici Religionum tenentur iure naturali facere circa bona temporalia monaſterij ipſorum cuſtodiæ, & adminiſtrationi commiſſa; vult religio Minimorum, vt Fratres ſui laici ad hoc ipſum ſe obligent peculiari quodam vinculo, nimirum ſpeciali iſta promiſſione: idque vt tanto maiori cura, ac diligentia bona Ordinis cuſtodiant, eaque non niſi iuxta Superiorum beneplacitum fideliter diſpenſent.

QVÆRES IV. Quid intelligatur per illa alia verba, quæ apponuntur in hac promiſſione, *& eiuſdem Ordinis eleemoſynas fideliter exponere*.

118 ℞. Quod, cum in Ordine Fratrum Minimorum iuxta priuilegia Religionum Mendicantium deputentur aliqui Fratres laici, qui ad ſubleuandam monaſteriorum indigentiam vacent quæſtuationi eleemoſynarum; & in hoc ipſo poſſint ſe ſe offerre plures occaſiones peccandi contra fidelitatem debitam religioni (v. g. reſeruando ſibi partem eleemoſynæ receptæ ad priuatum commodum, vel eam in vſus inutiles, aut etiam illicitos diſſipando:) conſultum fuit ad cauenda hæc mala, vt religio ſuos quæſtuatores fortiori aliquo vinculo adſtringeret ad omnes, & ſingulas eleemoſynas receptas Prælato monaſterij fideliter, ideſt candidè, & ſincerè manifeſtandas, ac referendas: hoc autem in Ordine Minimo fit per præſentem pr. miſſionem præfatis verbis expreſſam, *& eiuſdem Ordinis eleemoſynas fideliter exponere*.

QVÆRES V. Quid intelligatur hìc nomine *eleemoſyna*.

119 ℞. Quod cum *S. Tho. 2. 2. q. 32. a. 1.* alijque communiter definiant eleemoſynam, quod ſit ſubleuatio alienæ miſeriæ (adderem ego ad maiorem expreſſionem, gratis facta, & ex mera liberalitate; cum ſimpliciter loquendo, poſſit ſubleuari aliena miſeria, etiam ſolum mutuando:) conſequenter dicendum eſt hìc nomine *elemoſyna* intelligi donationes illas, quæ ad ſubleuandam indigentiam Fratrum Minimorum à fidelibus ex mera liberalitate hìc, & nunc offeruntur quæſtuatoribus; ſiue ſit donatio pecuniæ, ſiue cuiuſcumque alterius rei: quæ doctrina benè retinenda eſt; faciet enim ad ſolutionem plurium difficultatum inferiùs proponendarum.

QVÆRES VI. An violatio huius promiſſionis ex genere ſuo ſit peccatum mortale.

120 ℞. Eſſe, ſin minus quatenus eſt contra virtutem fidelitatis (cuius violationem plures *DD.* relati à *Leſſio l. 2. cap. 18. num. 54.* & quidem probabiliter iudicio ipſius *Leſſij*, putant non eſſe mortalem, etiam in re graui contra communiorem DD. ſententiam ſuſtinentem promiſſionem in materia notabili obligare ſub peccato m.) ſaltem quatenus eſt contra votum paupertatis, quod regulariter læditur in quocumque caſu læditur præſens promiſſio; cum expreſſio talis promiſſionis ſit veluti quædam declaratio, ſeu extenſio ipſius voti paupertatis; ſicut viri docti illius Ordinis à me de hoc interrogati reſponderunt.

QVÆRES VIII. An detur in hoc voto lenitas materiæ excuſans à peccato mortali,

123 ℞. Dari; patetque ex dictis *ſubſect. præced. q. 31. §. quod ſi*, & maximè ex eo quod etiam in voto paupertatis religioſæ admittitur paruitas materiæ excuſans à mortali; ſicut oſtendimus *ſup. cap. 2. ſect. 4. ſubſect. 2. q. 2. §. vt difficultas eſt*; cum tamen ſit par ratio in hoc voto.

QVÆRES IX. An Frater Minimus laicus peccet contra iſtam promiſſionem, ſi deputatus ad quæſtuationem ſit valdè negligens in quærendis eleemoſynis; aut certè eleemoſynam ſibi oblatam

pro

pro toto monaſterio, de licentia dantis ſibi applicet cum facultate ſuperioris ignorantis illam primò fuiſſe oblatam pro toto monaſterio.

122 ℞. Videri peccare; ſi ſit notabiliter negligens in quærendis eleemoſynis: non item, ſi eleemoſynam illā modo dicto ſibi applicet. moueor, quod in priori caſu violat fidelitatē promiſſam Ordini in eo cōſiſtentem, vt, quantū poteſt commodè, vtilitatem temporalem monaſterij curet, ſicut diximus *q.4.* non cum ille id præſtat hoc ipsò quod eſt notabiliter negligens in quærendis eleemoſynis; cum ad id in ſpecie ſit deputatus: in poſteriori vero caſu quamuis prima facie videatur violare fidelitatem promiſſam, ſubtrahendo ab vſu communi monaſterij eleemoſynam illam, quam ſibi modo dicto applicat; re vera tamen, cum id faciat de conſenſu dantis, & aliàs ſupponatur habere iuſtam cauſam procurandi ſibi dictam eleemoſynam; videtur poſſe excuſari à peccato infidelitatis, & conſequenter à tranſgreſſione huius promiſſionis; præſertim cum in ea non cenſeatur comprehendiſſe hunc euentum ſatis extraordinarium, & alioqui non illicitum.

Nec obſtat, quod in hoc poſteriori caſu videtur interuenire aliqua fraus, ac dolus, adeoque ſpecies aliqua infidelitatis, & conſequenter etiam trangreſſio aliqua illius promiſſionis, quatenus Frater, qui illam eleemoſynam ſibi applicat, non aperit ſuperiori modum, quo ei oblata eſt.

123 ℞. Enim quod, licèt verè interueniat aliqualis ſpecies infidelitatis, pro vt infidelitas importat defectum debitæ ſinceritatis; nulla tamen interuenit infidelitas propriè ſumpta, pro vt à nobis ſumitur *q.4.* Vnde, cum obligatio promiſſionis tanquam odioſa non ampliari debeat, ſed reſtringi; non debemus extendere obligationem huius promiſſionis ad fidelitatem minùs propriè ſumptam, vt in præſenti caſu.

An autem peccet contra promiſſionem fidelitatis Frater minimus laicus, qui ex officio vacans quæſtuationi recuſat eleemoſynas ſibi oblatas pro Monaſterio, & quidem ſine iuſta cauſa.

124 ℞. Peccare; patetque ex eo quod, cum iſte ex officio teneatur procurare bonum temporale monaſterij, quantum commodè poteſt, promiſſione fidelitatis ipſum ad id aſtringente (vt non ſemel iam diximus): & ei in præſenti caſu ſe offerat commoda occaſio dictum bonum procurandi; hòc ipsò quod recuſat eleemoſynas ſibi ſpontè oblatas pro monaſterio (& quidem ſine iuſta cauſa) cenſetur violare fidelitatem promiſſam, vt pote in tali euentu non procurans bonum monaſterij; cum commodè poſſit. Dixi *ſine iuſta cauſa*, vt innuerem Fratrem præfatum non peccaturum contra fidelitatem, ſi dictas eleemoſynas repudiaret ex iuſta cauſa (eò quod dans v.g. ſit pauper, vel habeat alios, quibus ſtrictiùs tenetur ſuccurrere &c.) idque ob rationem allatam in *tract. de profeſſ. cap. vlt. ſect. 2. q. 11.* pro caſu non diſſimili.

QVÆRES X. An Frater Minimus laicus peccet contra iſtam promiſſionem, ſi deſtinatus ad emenda neceſſaria pro victu, ac veſtitu Fratrum, ſuum munus negligenter impleat; ſiue emendo pretio nimis excedenti, ſiue non faciendo ſolitas prouiſiones monaſterij opportuno tempore, ideoque plus pecuniæ inſumendo.

125 ℞. Peccare, ſi negligentia ſit valdè notabilis, ac frequens, & aliunde non excuſetur (v.g. ex inaduertentia) ratio eſt, quod ille ex fidelitate promiſſa tenetur vtiliter gerere negotia monaſterij, & procurare maximam vtilitatem illius in contractibus, ac negotijs gerendis, in quantum poteſt abſq; ſuo notabili incommodo, vt vidimus *q. 4.*: at id non præſtat in præſenti caſu, vt conſideranti facilè conſtabit; ergò peccat contra promiſſam fidelitatem; & quidem toties, quoties deficit in propoſita materia; niſi fortè eum excuſet inaduertentia; quę vtique poteſt hic excuſare, ſicut & in alijs materijs.

QVÆRES XI. An Frater Minimus laicus peccet contra præſentem promiſſionem, ſi minùs diligenter cuſtodiat res monaſterij ipſius curę commiſſas, ſicque eæ aut omninò pereant, aut valdè notabiliter deteriorentur.

126 ℞. Peccare, & quidem m. niſi excuſet paruitas materiæ, aut defectus plenæ aduertentiæ. ratio eſt, quod ille vi ſui officij tenetur procurare maximam vtilitatem monaſterij, quantam poteſt communi diligentia, & ad id ſe obligat per promiſſionem fidelitatis; in præſenti autem caſu tantùm abeſt, vt procuret maximam vtilitatem monaſterij, quod potiùs ſua culpabili neglıgētia infert illi maximum damnum, ergò.

QVÆRES XII. An Frater minimus laicus peccet contra iſtam promiſſionem, ſi bona monaſterij diſtribuat aliter ac ſcit velle ſuperiorem ea diſtribui, vel certè de ijs donet propria auctoritate.

127 ℞. Peccare, &, data grauitate materiæ, etiam mortaliter; dummodò non excuſetur ratione inaduertentiæ; & quidem in vtroque caſu. probatur autem reſponſio, tum ex dictis hic *c. 2. ſect. 4. ſubſ. 2. q. 21. & 10.* vbi oſtendimus Religioſum in propoſitis caſibus peccare contra votum paupertatis: cum tamen ſit par ratio quo ad hanc promiſſionem fidelitatis; tum quia in talibus caſibus peccaret contra fidelitatem quilibet Æconomus ſæcularis, vt pote delinquens contra debitum proprij muneris; cum ergò Frater laicus Officialis monaſterij in rebus ſpectantibus ad ſuum officium teneatur ſeruare fidelitatem ex illa eadem radice, ex qua tenetur Æconomus; etiam ille in caſibus propoſitis dicetur delinquere contra fidelitatem, & conſequenter contra promiſſionem illius, ſi illam emiſit; vti emittunt de facto Fratres laici in Ordine Minimorum.

128 Verum tamen eſt, quod in poſteriori caſu tunc maximè religioſus diceretur violare promiſſionem fidelitatis, quando de bonis monaſterij donaret externis, ſiue religioſis, ſiue ſæcularibus; cum quo ad hos ſuperior præſumi poſſit magis inuitus; & quidem non ſolùm quo ad modum, ſed etiam quo ad ſubſtantiam. vnde fit, vt dictus religioſus dans de bonis monaſterij ſuæ curę commiſſis, religioſis eiuſdem Ordinis, faciliùs poſſit excuſari, niſi multùm excedat in quantitate, aut qualitate: cum quo ad iſtos ſuperior inuitus cenſeri poſſit ſolùm quo ad modum, non item quoad ſubſtantiam; ſicut diximus *ſup. c. 2. ſect. 4. ſubſ. 2. q. 2. §. dices.*

QVÆRES XIII. An Frater minimus laicus

peccet

peccet contra iſtam promiſſionem, ſi abſque Superioris licētia ex bonis monaſterij applicet aliquam quantitatem notabilem.

129 ℞. Quod, ſicut in tali caſu peccaret contra votum paupertatis, ſic violaret promiſſionem fidelitatis diſperdendo bona communia monaſterij, adeoque illius vtilitatem non procurando, ſicut tenetur ex officio, ac promiſſione fidelitatis; quamquam, ſi ea, quæ ſibi vſurpat ex bonis monaſterij, ſint ſingula modica, probabile ſit eum poſſe excuſari à peccato m. etiamſi paulatim perueniat ad quantitatem notabilem: idque ob dicta *ſup. c. 2. ſect. 4. ſubſ. 2. q. 2. §. difficultas*, vbi tamen ſuſtinuimus oppoſitum eſſe probabilius; præſertim ſi furta illa modica non ſint ex eſculentis, aut poculentis: qua de re *Sanch. lib. 7 mor. cap. 21. n. 30.*

Dices, quid ſi Frater rem aliquam notabilem occultè ſibi vſurpet ex bonis monaſterijs, quæ ſibi iure Religionis erat debita, & iniuſtè fuit denegata à proprio Superiore?

130 ℞. Fratrem in tali caſu nullo modo peccare; cum ſic vtatur iure ſuo, & Superior monaſterij ſit inuitus irrationabiliter; vt oſtendimus in *tractat. de profeſſ. cap. 5. ſect. 1. q. 7. §. ex quo.*

QVÆRES XIV. An Frater minimus laicus peccet contra hanc promiſſionem, ſi proprio Superiori locali non manifeſtet fideliter eleemoſynas oblatas monaſterio, paratus animo eas manifeſtare fideliter Prouinciali tempore viſitationis.

131 ℞. Non peccare, ſi id faciat ex iuſta cauſa, probabiliter credens id Prouinciali fore acceptum: eò quod v. g. non expediat bono monaſterij, quod omnes eleemoſynæ acquiſitæ manifeſtentur Prælato locali, vtpote ijs abuſuro cum graui præiudicio monaſterij; ſecùs, ſi id faciat ſine iuſta cauſa, tunc quippe violabit hāc promiſſionem, quatenus obligat ad eleemoſynas receptas fideliter exponendas. ratio reſponſionis eſt, quod in priori euentu adeſt conſenſus interpretatiuus Prouincialis tacitè ſibi reſeruantis manifeſtationem dictarum eleemoſynarum, vt ſcilicet eæ ſibi, non autem Prælato regulari in ijs circumſtantijs exponantur, ſic exigente communi bono monaſterij; vnde, ſicut Prouinciale expreſs. præcipiente prædicto Fratri, ne Prælato locali pro tunc manifeſtaret omnes eleemoſynas, poſſet Frater aliquas occultare ſine violatione huius promiſſionis; ſic poteſt, ſuppoſito præfato conſenſu Prouincialis interpretatiuo; cum impliciti, & expliciti eadem ſit virtus. In poſteriori autem caſu, cum non poſſit probabiliter præſupponi interpretatiuus conſenſus Prouincialis, non apparet, quo titulo Frater poſſit occultare Prælato locali eleemoſynas quæſtuatas promiſſione fidelitatis ipſum aliàs obligante, vt illas fideliter exponat proprio Superiori, qualis etiam eſt Superior localis, vt patet. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES XV. An Frater minimus laicus peccet contra hanc promiſſionem, qua parte obligat ad eleemoſynas fideliter exponendas, ſi notabilem portionem reddituum monaſterij à ſe perceptam fideliter non exponat Superiori, ſed eam vel ſibi retineat, vel alteri largiatur.

132 ℞. Videri non peccare; eſtò peccet contra votum paupertatis, imò & contra promiſſionem fidelitatis, qua parte obligat ad ſeruandam fidelitatem ordini: cum ſic indebitè ſibi vſurpet de bonis monaſterij (quod conſtat eſſe contra votum paupertatis) & non ſeruet Ordini fidelitatem, damnificando monaſterium quo ad illam partem redditutum, quam ei occultè ſubtrahit. Et certè quod in caſu propoſito non peccetur contra hanc promiſſionē qua parte obligat ad eleemoſynas fideliter exponendas: inde ſuadetur, quod redditus annui certi, quos habent monaſteria ſecundum communem æſtimationem, ac modum loquendi non veniunt nomine eleemoſynæ; quamuis lato modo dici poſſint eleemoſynæ, quatenus ex mera liberalitate relicti ſunt à fidelibus ad ſubleuandam Religioſorum miſeriam: cum ergò promiſſio hæc fidelitatis quo ad hanc partem obliget ſolùm ad exponendas fideliter eleemoſynas; & aliàs obligatio quæcumque debeat eſſe ſtrictæ interpretationis; ſequitur Religioſum in caſu propoſito non violare hanc promiſſionem quo ad illam partem; cum ſic verè non poſſit dici infidelis in exponendis eleemoſynis; quod prohibetur in ea parte præſentis promiſſionis, vt patet.

QVÆRES XVI. An Frater minimus laicus delinquat contra hanc promiſſionem, qua parte obligat ad eleemoſynas fideliter exponendas, ſi aliquas illarum occultet Superiori in euidentem vtilitatem monaſterij; eò quod v. g. velit illas coaceruare ad effectum faciendi poſtea magnam aliquam expenſam monaſterio non vtilem ſolùm, ſed neceſſarium.

133 ℞. Delinquere; niſi fortè contingat occultationem illam eleemoſynarum fieri in talibus circumſtantijs, vt iudicio prudentis, penſatis omnibus, cenſeretur geri vtiliter negotium monaſterij, alioqui à Superiore irrationabiliter impediendum, ſi dictæ eleemoſynæ ipſi manifeſtarentur; quo caſu puto per dictam occultationem non violari hanc promiſſionem: cum ea occultatio præſumi poſſit fieri de conſenſu interpretatiuo Prælati Superioris, & Superior localis quo ad illam ſit irrationabiliter inuitus, quo modo *Leſſius l. 2. cap. 12. num. 85. Nau. cap. 17. num. 153. Vaſq. de eleemoſyna cap. 4. nu. 5. Bonac. D. 2. de contract. q. 10. p. 2. num. 9.* & alij docent vxorem, inuito proprio viro, poſſe facere competentes eleemoſynas ad auertendum malum aliquod temporale, aut ſpirituale ſibi, aut ſuo viro imminens; id inde probantes, quod quamuis maritus non conſentiat in tales eleemoſynas, tenetur conſentire; cum eius negotium ſic geratur vtiliter; quæ ratio ſine dubio militat etiam in præſenti caſu, vt facilè conſtabit, ſi benè adaptetur.

134 Et quidem quod præfatus Religioſus in propoſito caſu violet hanc promiſſionem fidelitatis, regulariter loquendo; probatur, quia ad ipſum non ſpectat iudicare, quod neceſſarium, aut vtile hîc, & nunc ſit monaſterio, cum hoc interſit Superioris, cui totius monaſterij regimen incumbit: vnde poteſt contingere, quod, dū Religioſus occultat eleemoſynas ad faciendam expenſam illam, quam ipſe putat maximè neceſſariam; tunc re vera monaſterium prematur maiori aliqua neceſſitate, quæ eſt omninò

omninò incognita ſubditis, ſicque occultatio illa cedat in graue incommodum monaſterij; cum ergo facile poſſit contingere iſte caſus; & promiſſio fidelitatis generaliter obliget ad exponendas fideliter eleemoſynas: non video, quo iure poſſit Religioſus ſubditus ſibi arrogare facultatem interpretandi promiſſionem hic, & nunc non obligare; cum ille in iudicandis neceſſitatibus monaſterij ita facilè errare poſſit, vtpote non habens plenam notitiam ſtatus rerum illius; qualem ſupponitur ſolus Superior habere: qui proinde ſatis appoſitè aduerſus Religioſum illum poſſet vſurpare quod habemus *Act. 7. quis te conſtituit principem, & iudicem ſuper nos?*

QVÆRES XVII. An Frater Minimus laicus faciat contra hanc promiſſionem, ſi non omnes eleemoſynas monaſterio factas fideliter referat Superiori, eo quod aliquas earum amiſerit, & præ verecundia erubeſcat id ipſi manifeſtare, ne inde reprehendatur, aut etiam puniatur.

135 ℞. Videri probabile, quod non faciat; & ratio eſt, quod obligatio huius promiſſionis extenditur ſolùm ad eleemoſynas extantes; vt colligitur ex fine huius promiſſionis, qui eſt conſulere bono temporali religionis, & ſubtrahere Religioſis occaſionem ſibi vſurpandi aliquid ex eleemoſynis oblatis monaſterio, ſiue pro ſe ipſis, ſiue pro alijs. conſtat autem in præſenti caſu non ſubſiſtere tales fines; cum eleemoſynæ illæ amiſſæ quo ad vſus monaſterij, perinde ſe habeant, ac ſi non fuiſſent datæ; idque ſiue culpabiliter, ſiue inculpabiliter fuerint amiſſæ: quamquam ſi culpabiliter amiſſæ ſint, dici poſſit Religioſum peccaſſe contra promiſſionem fidelitatis, qua parte obligat ad ſeruandam fidelitatem Ordini eo modo, quo explicauimus in præcedentibus qq.

QVÆRES XVIII. An Frater Minimus laicus peccet contra hanc promiſſionem, ſi non omnes eleemoſynas monaſterio oblatas fideliter manifeſtet Officiali monaſterij ad id delegato à Superiore.

136 ℞. Peccare; & patet, tum quia hæc promiſſio non obligat ad manifeſtandas fideliter eleemoſynas ſoli Superiori, ſed obligat generaliter, ac indefinitè; vt conſtat ex illis verbis, *& eiuſdem Ordinis eleemoſynas fideliter exponere*: lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi; nec diſtinguendum eſt, vbi lex non diſtinguit: tum quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur; ſicut ergò in caſu, quo ipſe Superior exigeret rationem eleemoſynarum teneretur Frater vi promiſſionis eas fideliter exponere; ſic & tenebitur illas manifeſtare ei, qui nomine ipſius Superioris eas repetit; tum quia etiam in familijs Principum tenentur famuli reddere rationem rerum ſui domini non ſolùm ipſimet Domino, ſed etiam Præfecto Domus, alijſque officialibus ab ipſo Domino ad tale munus delegatis. vnde mirum non eſt ad id teneri etiam Religioſos, qui ratione voti obedientiæ longè maiorem habent ſubordinationem erga proprium Superiorem.

QVÆRES XIX. An quilibet Frater Minimus laicus vi huius promiſſionis teneatur fideliter exponere eleemoſynas, quæ fortè ipſi offeruntur pro toto monaſterio, etiamſi non ſit deputatus ad munus quæſtuandi.

137 ℞. Teneri; & probatur tum quia in Ordine Minimorum quilibet Frater laicus facit promiſſionem fidelitatis, & quidem independenter ab eo quod deputetur ad munus quæſtuandi; eſto potiſſimum habeat locum in quæſtuantibus: ſiue ergo exerceat tale munus, ſiue non, perinde promiſſio afficit, ſicque oblatâ materia illius (vt in præſenti caſu) tenetur illam implere; tum quia finis huius promiſſionis eſt in quolibet Fratre laico, etiamſi non ſit deſignatus ad quæſtuandum; cum vnicuique illorum contingere poſſit hinc, inde tradi eleemoſynas pro toto monaſterio; vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio.

QVÆRES XX. An Frater Minimus laicus faciat contra hanc promiſſionem, ſi bona ipſius vſibus conceſſa debita cura non conſeruet, ſed notabili negligentia malè perdat, & diſſipet.

138 ℞. Videri non peccare; licèt poſſit in tali caſu peccare contra votum paupertatis; vt conſtat ex dictis in *tract. de profeſſ. cap. 5. ſect. 2. q. 10.* ratio reſponſionis eſt, quod promiſſio fidelitatis non videtur ſe extendere, niſi ad bona communia monaſterij (ſicut innuunt verba illa *promitto fidelitatem eidem Ordini ſeruare*) non item ad ea, quæ quo ad vſum ſunt applicata legitimè huic, aut illi Religioſo in particulari: cum ergo obligatio promiſſionis ſemper debeat reſtringi, iudicandum eſt promiſſionem fidelitatis, de qua hìc agimus, non extendi ad bona hæc conceſſa vſui huius, vel illius Religioſi particularis, ſed tantum ad bona communia monaſterij; & quidem meritò; cum reſpectu horum magis militet finis intentus promiſſionis, dato quod communiter ſolent homines curare magis bona propria, quam communia, vt quotidiana docet experientia.

SECTIO IV.

De iuramento non ambiendi dignitates, quod faciunt Patres Barnabitæ.

139 *Patres Barnabitæ iurant non ambire dignitates.*
140 *Idque poſt profeſſionem in choro, & in manu admittentis profeſſionem.*
141 *Hoc iuramentum fit ſolum à Clericis.*
142 *Obligat ad dignitates non ambiendas intra, vel extra Ordine, imo nec acceptandas dignitates extra Ordinem ſine præcepto Papæ.*
143 *Explicatur, quid veniat nomine Officij in hoc iuramento.*
144 *Item quid in eo ſignificetur nomine dignitatis.*
145 *Vi huius iuramenti de rigore ſolùm vetatur ambitus externus directus; ſecùs ex intentione iurantis.*
146 *Probatur aſſertio principalis.*
147 *Eadem aſſertio confirmatur.*

148 *Ambi-*

148 *Ambire directè, & ambire indirectè apud aliquos confunduntur, ſed minùs bene.*

149 *Dicti Patres non violant hoc iuramentum, ſi non impediant ambientem pro ipſis.*

150 *Non violant, ſi ſe purgent ab exceſſibus obiectis, ne aliàs inhabiles ſint ad prælaturas Ordinis.*

151 *Non violant, ſi accuratè ad eundem finem ſtudijs vacent.*

152 *Non violant, ſi ad dictum effectum obſequijs ſibi promereantur voluntatem Superiorum.*

153 *Non violant, ſi ad eundem finem ſe oſtentent pios, prudentes, &c.*

154 *Non violant, ſi curent diſpenſari ſuper inhabilitatem ad prælaturas ex delicto incurſa.*

155 *Non violant abſtinendo à delicto vetito ſub dicta inhabilitate.*

156 *Non violant promouendo eum, à quo ſperant ſe promotum iri.*

157 *Non violant procurando officium, ex quo aſcenditur ad dignitatem.*

158 *Non omnis manifeſtatio ambitioſæ intentionis aduerſatur huic iuramento.*

159 *Violant hoc iuramentum ambiendo, aut admittendo prælaturam alterius Ordinis.*

160 *Item, ſi acceptent promiſſionem prælaturæ ſæcularis.*

161 *Talis enim acceptatio eſt acceptatio indirecta dignitatis.*

162 *Probatur aſſertio.*

163 *Hoc iuramentum abſolutè eſt commendabile.*

164 *Super eo nequit diſpenſari per generalem facultatem relaxandi iuramenta.*

165 *Papa inique præcipiente admiſſionem prælaturæ, ea licitè admittitur, non obſtante hoc iuramento.*

166 *Obligatio huius iuramenti ceſſat, religioſo tranſeunte ad alium Ordinem, reſpectu dignitatum huius alterius Ordinis.*

167 *Idque etiam poſt Vrbani VIII. decretum de ſimili caſu editum, quod ad præterita extenditur.*

168 *Religioſus hoc iuramento ligatus, ſi promouebatur ad ſæcularem prælaturam, licitè poſtea procurat alias prælaturas.*

169 *Violatio huius iuramenti habet malitiam periurij, & ſimul fractionem voti: cum plures malitiæ poſſint eſſe in eodem actu.*

170 *Hoc iuramentum continet etiam rationem voti.*

QVÆRES I. Quibus verbis emittatur hoc iuramentum.

139 ℞. Emitti his præciſis verbis ex formula illius deſumptis: *Ego N. teſtem inuoco Deum, quod neque Præpoſiti dignitatem, neque aliquod officium, quod huiuſmodi dignitati ex Conſtitutionibus in Congregatione præfertur, mihi mandari curabo: neque item aliquam dignitatem eodem modo extra Congregationem quæram, aut ſine præcepto Summi Pontificis accipiam.*

QVÆRES II. Quo tempore, in quo loco, & qua ſolemnitate fiat hoc iuramentum.

140 ℞. Fieri in choro publicè, & incontinenti poſt emiſſam profeſſionem, nec non in manibus eiuſdem Superioris, qui iam ex Altari maximo profeſſionem acceptauit, & quidem coram illis eiſdem Patribus, qui emiſſioni profeſſionis interfuerunt; ſic quippe ſtatuitur *l. 1. Conſtit. cap. 5.* in hæc verba *Poſt profeſſionem, extra ſolemnem tamen actum, ibidem ſtatim Clericus profeſſus verbis ita conceptis, Idem N. teſtem, &c.* Vbi noto per verba illa, *extra ſolemnem tamen actum*, indicari hoc iuramentum non eſſe ſolemne, ſed ſimplex, vtpote emiſſum extra actum ſolemnem profeſſionis, quamuis incontinenti, vt iam dictum eſt.

QVÆRES III. An hoc iuramentum fiat ab omnibus Religioſis Ordinis, etiam laicis, quos vulgò vocamus Conuerſos.

141 ℞. Fieri ſolum à Clericis: patetque tum ex praxi Ordinis, tum ex verbis illis modo adductis ex Conſtitutionibus *Clericus profeſſus*; vnde ſequitur illud non fieri à Religioſis laicis; cum materia talis iuramenti non cadat in ſtatum ipſorum; vt conſtat ex incapacitate, quam illi habent de lege ordinaria ad prælaturas ac dignitates.

QVÆRES IV. Ad quid obliget hoc iuramentum.

142 ℞. Obligare ad hoc, vt Religioſus eo adſtrictus non poſſit licitè procurare vllam dignitatem, aut prælaturam, neque intra religionem, neque extra, imo nec eam acceptare extra religionem, niſi accedente præcepto Summi Pontificis; hæc enim omnia expreſsè habentur in ipſa formula iuramenti, vt vidimus q. 1.

QVÆRES V. Quid intelligatur hìc nomine officij, quod in Conſtitutionibus Ordinis præfertur dignitati Præpoſiti.

143 ℞. Intelligi non ſolum generalatum, ac prouincialatum, ſed etiam munus Viſitatoris, Procuratoris generalis, & Aſſiſtentium Generalis; idque communi æſtimatione, ac iudicio totius Ordinis; prout reſponderunt viri docti præfati Ordinis à me de hoc conſulti.

QVÆRES VI. Quid veniat nomine dignitatis in formula huius iuramenti.

144 ℞. Quod, quamuis non improbabile ſit poſſe dignitatem, & prælaturam inter ſe contradiſtingui eo modo, quo diſtinguit *Suar. tom. 3. de relig. tract. 10. l. 6. cap. 7. num. 13.* ita vt prælatura per ſe importet ordinariam iuriſdictionem vnà cum dignitate (cuiuſmodi eſt Epiſcopatus v.g.) dignitas verò per ſe non importet ordinariam iuriſdictionem (vt Cardinalatus, cui ex ſe non competit vlla iuriſdictio ordinaria, niſi in Eccleſiam proprij tituli) nihilominus in præſenti iuramento prælatura, & dignitas confunduntur, ſicque nomine dignitatis venit etiam prælatura: idque ex communi ſenſu religionis mihi per literas ſignificato à Patribus eiuſdem religionis, cui ſine dubio ſtandum eſt; maximè cum ſecundùm plures Doctores prælatura coincidat cum dignitate, vt aduertit *Lezana tom. 2. cap. 13. num. 4.*

QVÆRES VII. Quæ actiones vi huius iuramenti prohibeantur ſub illis verbis *mihi mandari non curabo, & neque item quæram.*

145 ℞. Quod licèt vi verborum huius iuramenti religioſus ſolùm prohibeatur procurare externè per ſe, & directè dignitates, tam intra Ordinem, quam extra, vt inferiùs oſtendemus; attento tamen communi iudicio, ac ſenſu totius religionis à grauioribus Patribus illius ad me relato (ſecundum

quem

quem omninò debet interpretari iſtud iuramentum) ſub illis verbis prohibetur quælibet actio externa aliqualiter influens circa effectum obtinendi dignitatem, ſiue per ſe, ſiue per alium; ſiue directè ſiue indirectè, ſiue intra religionem, ſiue extra; ſi enim Doctores communiter tradunt potiſſimam regulam interpretandi leges debere deſumi ex intentione legislatoris ſufficienter cognita, & ſi de ea conſtet, illam omninò ſeruandam eſſe; quidquid in contrarium ſignificent ipſa verba legis iuxta *l. non dubium C. de leg.* vbi dicitur *In legem committit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem*: vtique etiam hoc iuramentum, quod ſe habet inſtar cuiuſdam legis, quam iurans ſibi imponit, interpretandum erit iuxta intentionem ipſorum iurantium nobis modo dicto manifeſtatam; eſtò verba ipſa materialiter ſumpta illam minùs ſufficienter exprimere videantur; cuius rei ea eſt ratio, quod cum verba apponantur ad declarandam mentem, ac intentionem proferentis, ſi illam mentem non declarent, illis ſtandum non eſt; ſicut docent *Tiraquel. ad l. ſi vnquam C. de reuocan. donat. v. libertas numer. 45. Sanch. l. 2. de matr. D. 37. numer. 3. Azor. p. 1. l. 5. cap. 9. & alij apud Caſtrum Palaum tra. 3. D. 5. p. 3. §. 3. num. 1.*

146 Et certè quod PP. Barnabitæ vi verborum huius iuramenti, prohibeantur ſolum procurare dignitates per ſe, & directè; probatur quia ex vna parte obligatio iuramenti, cum ſit odioſa, debet reſtringi, & ita explicari, vt potius non obliget, quam vt obliget: idque ob periculum periurij, ſicut in ſpecie aduertit *Sanch. l. 3. mor. cap. 14. num. 1.* dicens iuramentum eſſe ſtrictiſſimi iuris, ac interpretationis; ex alia parte facere per alium (v. g. mandando, aut conſulendo,) aut indirectè, non eſt propriè facere, ſed impropriè, ſaltem in materia odioſa (quo modo *Suarez D. 4. de cenſur. ſect. 3. num. 5. Auila p. 2. de Cenſ. cap. 5. D. 3. d. 2. Nau. cap. 27. num. 51.* & alij communiter contra *Syluestrum v. excommunicatio 10. num. 5.* docent cenſuram latam contra facientes non ligare mandantes, aut conſulentes, niſi in ſententia cenſuræ iſti ipſi exprimantur;) ergò de rigore iuris ſub obligatione huius iuramenti non continetur prohibitio procurandi dignitates per alium, aut indirectè; cum procurare per alium, aut indirectè, non ſit propriè procurare: quo modo debet ſumi in hac materia adeò odioſa; quod eſt benè aduertendum contra *Menochium l. 4. de præſumpt. præſumpt. 189. n. 82. Surdum deciſ. 21. num. 4.* & alios, quos refert, & ſequitur *Barboſa ad cap. cum quid vna via de reg. iur. in 6.* generaliter aſſerentes prohibitũ directè, non poſſe fieri indirectè; quod ego non admitto in præſenti materia, nec puto vllo pacto admittendum, niſi iurans id expreſsè intendat, ſicut euenit in caſu noſtro.

147 Confirmatur ex eo quod, cum in varijs Ordinibus fiat votum non ambiendi dignitates; in aliquibus eorum voto expreſsè apponuntur particulæ *directè, vel indirectè*; vt in Societate Ieſu, in Ordine Clericorum Miniſtrantium infirmis, & alijs: in alijs apponuntur particulæ *ſiue per me, ſiue per alium*, vt in religione Clericorum minorum, & Fratrum Auguſtinianorum Diſcalceatorum, & alijs, vt videbimus ſuis locis; quod eſt ſignum per votum, aut iuramentum non ambiendi dignitates vt ſic non prohiberi procurationem dignitatis factam per alium, aut indirectè; alioqui non eſſet neceſſe, quod tales clauſulæ exprimerentur modo dicto in formulis, quibus emittitur tale votum, aut iuramentum: imò eſſet vitioſum, quatenus præfatæ formulæ, quæ debent eſſe breuiſſimæ, redundarent verbis non neceſſarijs.

Quod ſi quæras, quid ſit procurare dignitate directè, aut indirectè.

148 ℟. Quod, quamuis aliqui hæc duo confundãt, aſſerentes idem penitus per vtramque particulam importari, ſolumque multiplicari clauſulas ad indicandum quam ſtrictè ſibi interdicatur procuratio dignitatum, ſicut inter alios adnotauit *Sanch. lib. 6. mor. cap. 18. num. 23.* id probans ex *Caietano, & Suarez*; mihi tamen magis placet ea contradiſtingui, vt iam probatum eſt, vnde dicendum eſt, tunc procurationem dignitatis cenſeri factam directè, quando fit expreſſis ſignis, aut verbis: indirectè verò, quando fit non ita expreſsè, ſed alio prætextu, alioque ſimulato colore; quo modo *Soſa, & Sorbus* relati à *Sanch. num. 24.* explicantes bullam Clementis VIII. *de largit. mun.* Regularibus prohibentis dictã largitionem, ſiue directam, ſiue indirectam, dicunt donationem directam eſſe eam, quæ fit claris verbis; indirectam verò illam, quæ re vera eſt donatio, ſed alio quæſito colore palliata, ac ſimulata: vt ſi Religioſus rem ſibi oblatam, & tacitè à ſe acceptatam iubeat dari alij, aut etiam prætextu mutui, vel commodati aliquid alteri donet, animo nunquam repetendi. Sic ergò in propoſito caſu tunc dicetur Religioſus procurare dignitatem directè, quando verbis expreſſis petit promoueri ad aliquam prælaturam, ſiue ſæcularem, ſiue regularem, & quidem ab eo, cuius eſt illum promouere; indirectè autem, quando v. g. ex vna parte proponeret Superiori neceſſitatem alicuius promotionis, & ex alia à partiũ inductione oſtenderet in eo monaſterio, aut prouincia non extare vllum, qui ad eam dignitatem ſit æque habilis, ac ipſe: ſi quidem hoc eſt tacitè dicerè, vt eam dignitatem ſibi conferat, & non alij.

QVÆRES VIII. An Religioſus Barnabita faciat contra hoc iuramentum, ſi ſciens alium nomine ipſius ei procurare aliquam dignitatem, nihilominus non impediat, cum facilè poſſit impedire.

149 ℟. Non facere; cum hoc non ſit quærere dignitatem, aut curare ſibi illam mandari, quæ iuxta dicta *q. præcedenti* important quemdam influxum; ſeu cauſalitatem circa effectum obtinendi dignitatem, & quæ ſola prohibentur per hoc iuramentum: ſed ſolùm ſe habere negatiue, ac permittere, quod alter ipſi procuret dignitatem: quæ ſicut non exprimuntur in emiſſione iſtius iuramenti, ita nec per illud prohibentur; conſtat autem, quod vbi agitur de prohibitione, ea non debet indući ad caſus non expreſſos; proportionaliter vt dicunt non pauci Doctores apud *Bonacinam D. 1. de cenſur. in genere q. 4. p. 3. n. 5.* non obſtantem percuſſioni Clerici non incurrere excõmunicationem latã in canone *ſi quis ſuadente*, etiãſi ad id ex charitate teneatur, & poſſit obſtare: eò quòd talis caſus non eſſet in iure expreſſus.

QVÆ-

QVÆRES IX. An Religioſus Barnabita peccet contra hoc iuramentum, ſaltem indirectè, ſi apud ſuum Superiorem ſe iuſtificet de exceſſibus ipſi obiectis; idque ne alias impediatur ab obtinendis dignitatibus Religioſus ei debitis ex alijs titulis.

150 ℞. Non peccare, dummodo nihil aliud agat ad conſequendam prælationem; colligitur ex *Sanc. ſup. num.* 21. & probatur quia auferre ea, quæ poſſunt obſtare conſecutioni dignitatum, non eſt influere circa effectum obtinendi dignitatem, neque per actionem aliquam moralem effectiuè mouere Prælatum ad exercitium actus conferendi prælaturam (quod prohibetur per iſtud iuramentum,) ſed ſolum mouere obiectiuè prælatum ad ſui electionem, vt in ſimili notat *Suar. tom.* 4. *de rel. tr.* 10. *l.* 2. *c.* 7. *num.* 10. hinc inferens non violare votum de non ambiendis dignitatibus illum Religioſum, qui maiori diligentia vacat ſtudijs ad effectum vt ſit magis capax dignitatum regularium; ſed de hoc *q. ſequenti*.

QVÆRES X. An Relig. Barnabita violet iſtud iuramentum, ſi videns prælaturis Relig. viam aperiri per doctrinam, & alias dotes naturales, vacet ſtudijs, ſeque conetur inſtruere dictis dotibus, vt ſic etiam ipſe ad præfatas prælaturas promoueatur.

151 ℞. Videri non violare, eſtò coram Deo ſit ambitioſus, & ſtudium eo animo factum apud Deum ipſi imputari poſſit ad culpam. Colligitur ex *Sanch. num.* 22. *& Suar. vbi ſupra*, patetque tum ex dictis *q. præcedenti*; tum quia, licèt id interiùs, & coram Deo ſit procurare dignitates, ac prætendere prælaturas; cum tamen id ſit indifferens ad dictam ambitionem manifeſtandam, aut aliquid aliud, non eſt ita exteriùs manifeſtum, vt dici poſſit contra hoc iuramentum; quippe quod prohibet ſolùm procurationem humanam cum aliqua negotiatione, ac inductione illius, qui poſſit prælationem dare (vt in ſimili notat *Suar. loco citato:*) qualis vtique non eſt procuratio, quæ in præſenti caſu interuenit; ſicut facilè conſtabit conſideranti; & inde patet, quod hoc iuramentum directè eſt de actionibus externis, non autem de internis: cuiuſmodi eſt intentio illa ambitioſa, ex qua Religioſus in caſu propoſito vacat ſtudijs; vnde non eſt mirum eam non cadere ſub hoc iuramentum, quamuis aliunde ſit peccaminoſa. Quæ omnia confirmari poſſunt ex doctrina, quam tradit *Sanch. ſup. num.* 19. nimirum non peccari contra votum de non procurandis dignitatibus, neque directè, neque indirectè, niſi procuratio manifeſtetur ſigno aliquo externo ex ſe ſufficiente, ſiue ratione temporis, ſiue ratione circumſtantiarum concurrentium ad declarandam internam mentem procurandæ eo actu dignitatis: ita vt, ſi actus externus ſit ex ſe indifferens ad illam ambitionem, aut aliquid aliud manifeſtandum, non poſſit dici, nec ſit contra hoc votum; quæ doctrina ſine dubio æque procedit in iuramento, de quo hic agimus, ac in voto.

QVÆRES XI. An Religioſus Barnabita peccet contra hoc iuramentum, ſi extraordinarijs obſequijs, aut beneficijs, procuret ſibi beneuolentiam Prælati, animo parandi viam ad obtinendam prælaturam.

152 ℞. *Suarez tom.* 4. *de relig. tr.* 10. *l.* 6. *cap.* 7. *nu.* 12. in caſu non diſſimili peccare, eo quod in tali euentu interueniat procuratio indirecta (quam diximus per hoc iuramentum prohiberi Patribus Barnabitis) idque etſi intentio illa ambitioſa omninò non declaretur; ſiquidem talis declaratio procurationem redderet directam, quæ tamen non neceſſariò ſupponitur ad violationem iſtius iuramenti. Verùm puto oppoſitum ſuſtinendum eſſe ex doctrina tradita *q. præcedenti ſub finem*; quæ vtique poteſt applicari ad præſentem caſum; ſtante quod re vera procuratio illa beneuolentiæ de ſe eſt indifferens ad manifeſtandam illam ambitionem, vel aliquid aliud; vt inde patet, quod regulariter conſultum eſt habere Prælatum beneuolum, propitium, & amicum ob frequentes, & varias occaſiones, quibus ſubditi indigent illorum opera, gratia, & beneuolentia; vnde, ſicut *Sanch. ſup. n.* 22. defendit non eſſe contra votum de non ambiendis dignitatibus ne indirectè quidem, fingere ſe ſanctum, prudentem, doctum, alijſque dotibus præditum coram Superiore ex intentione obtinendi dignitates: eò quod fictio ſanctitatis, & oſtentatio illarum dotium ſit indifferens ad eam ambitionem, vel aliquid aliud manifeſtandum, adeoque non poſſit iudicari ambitioſa; niſi concurrant aliquæ aliæ circumſtantiæ, ex quibus hæc ambitio ſufficienter dijudicari valeat; ſic neque in præſenti caſu erit contra iuramentum non procurandi dignitates, beneuolentiam Superioris modo dicto aucupari animo ambitioſo obtinēdi aliquam dignitatem: cum talis animus per præfatam procurationem (vt pote indifferentem ad manifeſtandam ambitionem, vel aliquid aliud) minùs ſufficienter exteriùs declaretur; & alias iuxta doctrinam illam *Sanchez* votum, aut iuramentum non procurandæ dignitatis non violetur, niſi per procurationem exteriùs ſufficienter manifeſtatiuam intentionis ambitioſæ; cuius rei ea eſt ratio, quod, cum procuratio dignitatis debeat eſſe reſpectu alicuius hominis, per quem acquirenda eſt dignitas: procuratio debet eſſe talis, vt prudenter, & probabiliter poſſit homo ſiniſtram ambitionis intentionem colligere: alioquin non verificaretur, quod procuratio fieret reſpectu talis hominis; ſicut benè aduertit *Sanch. ſup. num.* 19. nobiſcum ſentit *Caſtrus Palaus tr.* 16. *D.* 5. *p.* 5. *n.* 4.

QVÆRES XII. An Religioſus Barnabita violet hoc iuramentum non procurandi dignitates, ſi ad effectum illarum conſequendi oſtentet ſanctitatem, doctrinam, ac prudentiam; vel etiam procuret apud Generalem, aut alios bonam famam, ſeu æſtimationem per aliorum informationem.

153 ℞. Videri non violare, niſi fortè iuxta dicta *q. præcedenti* ambitioſa eius intentio ita exteriùs manifeſtetur, vt de ea iudicio prudentis ſufficienter conſtet: idque ſiue oſtentatio illa ſanctitatis, ac informatio ſint falſæ, ſiue veræ. Ducor quod, quamuis in propoſitis caſibus interueniat procuratio aliqua dignitatis, ſaltem indirecta, vt aduertit *Suarez ſupra*; nihilominus, cum illa oſtentatio ſanctitatis, & procuratio bonæ æſtimationis apud Ge-

neralem

neralem, aut alios ex ſe ſint indifferentes ad declarandam intentionem ambitioſam, aut aliquid alıud (quippequæ natura ſua poſſunt ordinari ad alıos fines, v.gr. ad vanam gloriam, ad comparandam beneuolentiam Prælatı, &c.) & alioqui iuxta dicta non omnis procuratio dignitatis ſit contra votum, aut iuramentum non procurandi dignitates, ſed ſolùm ea, quæ fit ex intentione ambitioſa, ſufficienter exteriùs declarata ei, à quo acquirenda ſit dignitas; conſequenter negandum eſt in præſentibus caſibus violari hoc iuramentum. Quod eſt contra *Suarez ſupra* ſuſtinentem votum non ambiendi dignitates ne indirectè quidem, violari in dictis caſibus, eò quod oſtentatio illa Sanctitatis, ac procuratio bonæ æſtimationis apud Superiorem habeant rationem procurationis indirectæ, ſi fiant ex intentione ambitioſa: imò & directæ, ſi talis intentio explicetur: quamuis poſtea dicat eiuſmodi procurationem non eſſe ſemper in indiuiduo peccaminoſam m. ſiue ob leuitatem materiæ; ſiue qnia intentio illa ambitioſa ſubrepit, & non eſt ſatis deliberata; ſiue quia non propriè imperat actum procurationis, ſed ſolum illi adiungitur, & circa illum verſatur, tanquam circa obiectum tantùm; ſicqne vel eius malitia eſt merè interna, vel certè, quatenus ſe prodit exteriùs, eſt leuis; ita *Suarez*: noſtra tamen ſententia fundatur in doctrina *Sanchez*, vt iam diximus, & eſt ſatis probabilis.

QVÆRES XIII. An Religioſus Barnabita violet hoc iuramentum, ſi curet diſpenſari ſuper inhabilitate ad prælaturas incurſa ex aliquo delicto, & quidem eo animo, vt talis inhabilitas ipſi non obſtet, quo minus aliunde poſſit promoueri ad dignitates religionis.

154 ℞. Videri non violare; dummodo nihil aliud agat ad obtinendam prælaturam. Colligitur ex *Sanch. ſup. numer.* 21. dicente non eſſe contra votum de non ambiendis dignitatibus intendere etiam directè auferre impedimenta, quæ vonenti opponuntur, ne ſit Prælarus, dummodo nihil alıud agatur, vt prælatio obtineatur. Ratio reſponſionis eſt, quod quamuis in tali caſu videatur interuenire aliqua procuratio dignitatis indirecta, ſi remotio inhabilitatis procuretur ex intentione ambitioſa (vt euenit in præſenti caſu;) talis tamen procuratio & eſt valdè remòta, & ex ſe eſt indifferens ad declarandam intentionem illam ambitioſam, aut aliquid aliud: vnde recurrit argumentum factum *q. præcedenti*, & quidem à fortiori, cum probabiliter præſumi poſſit procurari ablationem illam inhabilitatis non ad obtinendam proximè dignitatem, ſed ad tollendum dedecus religioſo proueniens ex dicta inhabilitate, quod innuit *Sanch. loco citato*.

Ex quo ſequitur multò minus violari hoc iuramentum, ſi Religioſus abſtineat à delicto prohibito ſub pæna inhabilitatis ad prælaturas, ne alioqui fiat incapax prælaturarum; ſi quidem per hoc nullo modo procuratur dignitas, neqne directè, neque indirectè, ſed ſolùm declinatur præfata inhabilitas, & dedecus ex ea proueniens, vt patet.

QVÆRES XIV. An Religioſus Barnabita peccet contra hoc iuramentum, ſi conſultò curet promoueri ad Generalatum v.g. Religioſum ſibi amicum, ea intentione, ac ſpe, vt etiam ipſe ab illo poſtea promoueatur ad dignitatem aliquam religionis.

156 ℞. Videri non peccare, niſi ſuam illam intentionem exteriùs ſufficienter declaret ei, quem ſic curat promoueri: patetque ex *q.* 12. ſi benè ad præſentem caſnm applicetur doctrina illa *Sanchez*, ſicut verè poteſt applicari.

QVÆRES XV. An Religioſus Barnabita faciat contra hoc iuramentum, ſi procuret officium aliquod in monaſterio, ad quod regulariter ſoler conſequi conſecutio alicuius dignitatis regularis: & quidem animo, ac intentione obtinendi illam.

157 ℞. Non ſacere, niſi hanc ſuam intentionem exterius ſufficienter explicet: & hoc ob doctrinam *q.* 12. traditam ex *Sanchez*, quæ æquè probat etiam in præſenti caſu: cum procuratio illa officij non ſit ex natura ſua manifeſtatiua ambitioſæ illius intentionis, vt patet.

158 Solùm hìc aduerto (qnod etiam faciet pro difficultatibus ſuperiùs propoſitis) manifeſtationem ambitioſæ intentionis, ad hoc vt ſit contra votum, aut iuramentum non procurandi dignitates, debere eſſe ita moraliter certam, vt, ſpectatis conditione, vita, ac honeſtate agentis, & alijs circumſtantijs concurrentibus, ea abſque nota temeritatis, probabiliter, & prudentet vitio dari poſſit: ſicut in ſimili notauit *Suarez D.* 12. *de cenſur. ſect.* 6. *n.* 16.

QVÆRES XVI. An religioſus Barnabita vi huius iuramenti prohibeatur acceptare prælaturam regularem alterius Ordinis, aut etiam procurare, adhnc manens profeſſus proprij Ordinis.

159 ℞. Prohiberi; & patet, quia talis Religioſus iurat ſe non quæſiturum aliquam dignitatem extra Congregationem, neqne acceptaturum ſine præcepto Papæ; at prælatura regularis alterius Ordinis eſt dignitas extra Congregationem; ergò comprehenditur ſub tali iuramento; quippequod non loquitur ſolùm de dignitatibus ſæcularibus extra Ordinem, ſed generaliter, ac indefinitè *neque item aliquam dignitatem eodem modo extra Congregationem quæram*; vbi autem lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.

QVÆRES XVII. An Religioſus Barnabita violet hoc iuramentum, ſi acceptet promiſſionem prælaturæ ſibi oblatæ à potente conferre.

160 ℞. Videri violare; & ratio eſt quod, quamuis promiſſio dignitatis, & dignitas ipſa ſint res diuerſæ: & Barnabita per hoc iuramentum promittat ſolùm ſe non acceptaturum dignitatem vllam extra Religionem abſque præcepto Papæ, nulla mentione ſacta de promiſſione dignitatis (vnde aliqnis poſſet inferre in præſenti caſu non violari iſtud iuramentum, cum non acceptetur

dignitas, ſed tantum promiſſio dignitatis, & à diuerſis non fiat illatio:) nihilominus, cum iuxta dicta *q.* 7. hic, prohibeatur non ſolum acceptatio dignitatis directa, ſed etiam indirecta; & præſens acceptatio promiſſionis dignitatis ſit acceptatio quædam indirecta: dicendum eſt per talem acceptationem violari hoc iuramentum: quod non eſſet, ſi per tale iuramentum prohiberetur ſolum directa acceptatio dignitatis; ſi quidem acceptatio promiſſionis dignitatis non eſt acceptatio directa dignitatis.

161 Et quidem quod vi iſtius iuramenti prohibeatur etiam acceptatio dignitatum indirecta: conſtat ex communi ſenſu, ac æſtimatione ipſorum Patrum Barnabitarum mihi per literas notificato; cum tamen intelligentia, ac interpretatio obligationis iuramenti promiſſorij (quale eſt illud, de quo hic agimus) deſumi debeat ex intentione ipſorum iurantium; ſicut oſtendimus qu. 7.

Quod verò acceptatio promiſſionis dignitatis ſit quædam indirecta acceptatio ipſius dignitatis; patet, quia promiſſio dignitatis inuoluit dignitatem per modum obiecti, ideoque implicat acceptare dictam promiſſionem, niſi aliquo modo acceptetur dignitas, quæ eſt eius obiectum: actus quippe, & eius obiectum ſunt inuicem inter ſe ita connexa, vt non poſſit quis velle vnum ſine alio; vnde volitio actus eſt conſequenter volitio obiecti, ſin minus directa, ſaltem indirecta, vt in caſu noſtro. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES XVIII. An iuramentum hoc, quod emittunt Religioſi Barnabitæ de non acceptanda dignitate extra Ordinem abſque diſpenſatione Papæ, ſit licitum, & commendabile.

163 ℞. Eſſe, & conſtabit ex dictis *ſect. ſeq. ſubſ.* 4. *qu.* 5.

QVÆRES XIX. An hoc iuramentum ſit diſpenſabile ab ijs, qui alioqui poteſtatem habent relaxandi alia iuramenta.

164 ℞. Non eſſe; idque ob doctrinam *Suar. tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *l.* 2. *cap.* 12. *nu.* 3. de votis peculiaribus, & proprijs ſingulorum Ordinum: quæ vtique proportionaliter militat etiam in hoc iuramento; cum ſit par ratio, & vbi militat eadem ratio, militare debeat & eadem iuris diſpoſitio. Pro praxi vnum hic aduerto, quod quando aliquis ex Religione Patrum Barnaſitarum promouendus eſt ad aliquam prælaturam extra Congregationem, non ipſemet Papa per ſe imponit ei præceptum, vt prælaturam illam acceptet, ſed mandat ſuis miniſtris, vt cum eo diſpenſent ſuper iſto iuramento ad effectum vt poſſit acceptare prelaturam oblatam: idque non ſe ipſis, ſed per Generalem Religionis, aut Prouincialem Romanum. ſic ad me reſcripſerunt grauiſſimi Patres ex dicto Ordine.

Quod ſi quæras, an Religioſus Barnabita poſſit tuta conſcientia acceptare prælaturam extra Ordinem, ſi ipſi conſtet id ſibi præcipi à Papa abſque iuſta, ac rationabili cauſa.

165 ℞. Poſſe; & probatur ex eo quod, cum prohibitio acceptandi dignitatem extra Religionem, quæ ſit per hoc iuramentum, non ſit abſoluta, ſed conditionata, nempe dependens à præcepto Papæ; vt conſtat ex ijs verbis, *ſine præcepto Summi Pontificis*, quæ habentur in ipſa formula iuramenti; conſequenter Religioſus, qui facit tale iuramentum non abſolute prohibetur acceptare dignitates extra Religionem, ſed ſolum ſub conditione, videlicet, niſi adſit præceptum Papæ; vnde, ſi hoc adſit, eo ipſo ceſſat prohibitio iuramenti; cum ſenſus illius ſit, *Iuro me non acceptaturum dignitatem extra Ordinem, niſi Papa mihi id præceperit*; ſiue deinde id præcipiatur ex iuſta cauſa, ſiue non: id enim parum refert; proportionaliter vt dicunt Doctores apud *Leſſium l.*2,*c.*40.*n.*74. Prælatos regulares poſſe irritare omnia vota ſuorum ſubditorum præter votum religionis arctioris: & quidem etiam ſine cauſa, ſi in ea prius non conſenſerunt (quod aduertit idem *Leſſius num.*76. *§. peccabit tamen*;) cuius rei ea eſt ratio, quod vota Religioſorum ex iuris diſpoſitione inuoluunt iſtam conditionem, *niſi prælatus contradixerit*, ſicque ceſſat eorum obligatio hoc ipſo, quod Prælatus contradicit: idque etſi abſque cauſa contradicat, quippe qui contradicendo vtitur iure ſuo, ac proinde ad contradicendum nulla alia eget cauſa, niſi quod ita velit. quæ doctrina proportionaliter militat in caſu noſtro quo ad iuramentum non acceptandi dignitates extra Religionem abſque præcepto Papæ; vnde mirum non eſt, quod, cum tale iuramentum pendeat à voluntate Papæ, Papa illius obligationem auferre poſſit, etiam ſine cauſa ſufficienti iuxta illud *Stat pro ratione voluntas*.

QVÆRES XX. An obligatio iſtius iuramenti duret etiam in caſu, quo Religioſus Barnabita tranſeat ad aliam Religionem, aut aliter eximatur à iugo regularis diſciplinæ.

166 ℞. Durare, præter quam in caſu, quo legitimè fuerit promotus ad dignitatem aliquam extra proprium Ordinem. patet ex decreto hac de re edito ab Vrbano VIII. & relato in *bullario tom.* 4. *Conſtit. Vrbani VIII. in ordine* 140. in quo ſtatuitur Regulares, qui vltra 3. vota ſubſtantialia religionis emittunt votum, promiſſionem, ſeu iuramentum de non petenda, aut acceptanda extra religionem dignitate, per quamcumque ipſorum tranſlationem, ſeu habitus priuationem, aut dimiſſionem, ab huiuſmodi voto, promiſſione, ſeu iuramento nullatenus liberari; imò ſic translatos, expulſos, & à delatione habitus regularis abſolutos, vel priuatos, remanere incapaces quarumcumque dignitatum huiuſmodi, & inhabiles ad illas petendas, acceptandas, ac obtinendas; perinde ac ſi tranſlati, expulſi, ſeu à delatione habitus liberati, ſeu priuati non fuiſſent.

167 Vbi notãdum, quod cum in præfato decreto fiat ſolum mentio de voto, promiſſione, ſeu iuramento de non petenda, nec procuranda, minuſue acceptanda aliqua dignitate, neque aliqua ſuperioritate extra eorum religionem, nulla omninò mentione facta de dignitatibus intra religionẽ nõ petẽdis, nec procurandis, nec acceptandis, vt conſtat

ex

ex dicta conſtitutione §.1. hinc fit, quod ſi Religioſus Barnabita legitimè tranſeat ad alium Ordinē, ibique profiteatur, abſque violatione huius iuramenti poterit petere, procurare, ac prætendere prælaturas illius Ordinis, ad quem tranſijt: quippequi non amplius adſtringitur hoc iuramento, neq; ex natura rei (ſicut in ſimili oſtendit *Sanch.l.6.mor. cap.6. num.15.*) neque ex præfato decreto Vrbani VIII. cum hoc ſolùm loquatur de voto non procurandi, nec acceptandi dignitates ſæculares, & alioqui ſimus in materia odioſa, quæ non debet ampliari.

Addo quod, licèt votum ſit promiſſio, quæ non obligat vltra intentionem promittentis; & votum non ambiendi ante hoc decretum à vouentibus ante illius emanationem non fuerit extenſum ad caſum, in quo perpetuò legitimè recedant ab Ordine, in quo votum fecerunt: tamen dicta extenſio potuit præſcribi in præfato decreto; attenta ea doctrina ſatis probabili, quam tradit *Diana par.5.tr.2. reſol.65.ex Vaſq.& Peyrino*(videlicet vota, quæ Religioſi aliqui faciunt vltra tria ſubſtantialia, durare, etiam poſtquam aſſumpti ſunt ad epiſcopatum, aut aliàs liberantur perpetuò ab obedientia prioris Ordinis; quæ doctrina corroboratur non parum per dictum decretum quò ad forum externum; eo decreto impediente, ne contraria doctrina,(quæ item eſt probabilis, & ſuſtinetur à *Suarez tom.4. de relig. tract.10.l.6.c.9. nu.12.& 13. Diana ſup.* & alijs, in foro externo deducatur in praxim: quippecui poteſt opponi decretum hic propoſitum, etiam reſpectu illorum Religioſorum, qui votum non ambiendi emiſerant ante dictum decretum.

Dixi *in foro externo*, quia, ſtante probabilitate doctrinæ allegatæ *Suarez*, & aliorum, extenſio illa huius decreti non obligat pro foro conſcientiæ; ideoque in tali foro Religioſus adſtrictus voto non ambiendi, ſi translatus ad alium Ordinem ambiat, dici nequit violator voti; vtpote quod cenſetur ceſſaſſe iuxta probabilem doctrinam *Suarez*.

Difficultas eſſe poſſet, an ſtante decreto iſto Vrbani VIII. Religioſus Barnabita teneatur iſto iuramento, qua parte obligat ad non procurandam, nec acceptandam dignitatem extra Religionem abſque præcepto Papæ, ſi ille ex legitima diſpenſatione iam fuerit promotus ad Epiſcopatum, aliamue dignitatem ſæcularem.

168 ℟. Videri non ampliùs teneri. moueor, quod ex vna parte, ſecluſo decreto iſto Vrbani, de facto hoc iuramentum non obligaret talem Religioſum iam legitimè promotum ad Epiſcopatum, vt in ſimili oſtendemus *ſect. ſequenti ſubſ. 4. quæſt. 14.* & docet *Suarez tom. 4. de relig. tr.10. lib.6. cap.9.n.13.* ex alia parte ſub decreto Vrbani VIII. non comprehenditur iſte caſus; quippequod loquitur tantum de Religioſis translatis, expulſis, ſeu à delatione habitus liberatis; cuiuſmodi non eſſet Relig. Barnabita promotus ad Epiſcopat. cum de eo non poſſit dici, neque quod ſit translatus, neque quod ſit expulſus, neque quod ſit liberatus à delatione habitus regularis (ſi quidem Epiſcopi regulares tenentur deferre habitum ſuæ Religionis, vt oſtendimus ſuo loco.) cum ergò dicta non debeat ampliari, ſed reſtringi, non apparet, vnde obligatio iſtius iuramenti extendi debeat ad Religioſum Barnabitam iam legitimè promotum ad epiſcopatum: quin potiùs ſuſtinendum eſt eum manere omninò liberum à dicta obligatione, ſicque poſſe ſine fractione iuramenti non ſolùm acceptare nouas dignitates ſponte oblatas, etiam ſine præcepto Papæ, ſed etiam illas petere, procurare, ac prætendere: qua de re in *tract. de priuil. cap.6. n.164.*

QVÆRES XXI. Quæ, & qualis ſit violatio iſtius iuramenti, quod emittunt Religioſi Barnabitæ.

169 ℟. Quod, cum iuramentum iuxta modò dicenda vltra rationem iuramenti promiſſorij includat etiam rationem voti, ita vt dici poſſit voto iuratum; conſequenter eius violatio duplicem includet malitiam ſpecie diuerſam, & neceſſariò in confeſſione exprimendam; vnam periurij reſultantem ex fractione iuramenti; & alteram ſacrilegij conſurgentem ex violatione promiſſionis factæ Deo. Colligitur ex *Fillnuccio tr.25. num.109.* patetque ex eo, quod in vno, ac eodem actu materiali poſſunt ineſſe plures malitiæ ſpecie diuerſæ, ſi actus ille opponatur diuerſis virtutibus, aut etiam vni, ac eidem virtuti, ſed ſub diuerſis rationibus formalibus; quod omninò euenit in caſu noſtro, quo violatio illius iuramenti includit duplicem malitiam ſpecie differentem, & tamen opponitur tantum virtuti religionis: cum tam violatio voti, quam iuramenti aduerſetur virtuti religionis: cuius rei ea eſt ratio, quod votum, & iuramentum reſpiciunt virtutem religionis ſub diuerſa ratione formali votum quidem, quatenus importat promiſſionem ordinatam ad honorem Dei; iuramentum verò, quatenus eius veritas, ac obſeruantia ſpectat ad honorem ipſiuſmet Dei; vnde mirum non eſt in violatione iſtius iuramenti includi duplicem malitiam ſpecie diuerſam, vt iam diximus.

170 Et certè quod hoc iuramentum includat etiam rationem voti, colligitur ex doctrina, quam tradit *Sotus lib.8. de iuſt. q.1. a.9.* nimirum iuramenta pia (quale vtique eſt illud, de quo hìc loquimur) regulariter fieri ſimul cum voto; cum ordinariè iuramentum de aliqua actione facienda non fiat ſine promiſſione; & in materijs religioſis, ac pijs (cuiuſmodi eſt effugere dignitates ex virtute humilitatis; circa quod verſatur præſens iuramentum) promiſſio communiter fiat Deo, ſicque induat rationem voti; vt benè aduertit *Filliuc. num.111.* monens ad cognoſcendum, vtrum iuramentum promiſſorium (de hoc enim hìc loquimur) habeat ſimul rationem voti attendendam in primis eſſe intentionem iurantis, ſi ea haberi poſſit: ſin minùs, dijudicandam id eſſe ex circumſtantijs concurrentibus, num ſcilicet opus iuratum fuerit intuitu diuini honoris, vel ſolum ad firmandam voluntatem ſuam: nam in priori caſu erit etiam votum, non item in poſteriori, quod ſi ſimus in dubio, præſumendum eſt pro voto, cum in iſta materia ſic frequentiùs contingere ſoleat.

SECTIO V.

De votis, quæ fiunt in Societate Ieſu vltra tria vota ſubſtantialia religionis.

QVoniam in Societate Ieſu vltra tria vota ſubſtantialia religionis emittuntur alia 7. vota, priora quidem 6. à Profeſſis, & vltimum ab ijs, qui poſt biennium probationis emittunt 3. vota ſimplicia religionis; ſectionem hanc, in qua agendum nobis eſt de his omnibus votis, diuidemus in 7. ſubſectiones, in quarum 1. agemus de voto ſolemni Obedientiæ ad Papam circa miſſiones, quod faciunt Profeſſi 4. votorum: in 2. De voto non permittendi relaxationem Paupertatis: in 3. De voto non procurandi dignitates intra Societatem: in 4. De voto non ambiendi dignitatem, aut prælationem extra Societatem: in 5. De voto denunciandi ambientes: in 6 De voto audiendi conſilia Generalis, aut alterius ab ipſo deputati, ſi profeſſus eligatur in Epiſcopum: in 7. De voto ingrediendi Societatem in gradu à Generali conſtituto, quod faciunt emittentes vota biennij.

SVBSECTIO I.

De voto ſolemni Obedientiæ ad Papam circa Miſsiones, quod faciunt profeſsi 4. votorum.

171 *Profeſſi Soc. Ieſu vouent ſpecialem obedientiam Papæ circa miſſiones.*
172 *Et hoc votum eſt ſolemne.*
173 *Probatur eius ſolemnitas.*
174 *Indicatur materia huius voti.*
175 *Hoc votum eſt aliud à generalis obedientiæ v to.*
176 *Deo fit, & dirigitur ad Papam.*
177 *Papa per Generalem Societatis ordinariè inſtituit miſſiones.*
178 *Hoc votum obligat ad obeundas miſſiones, etiam ſine viatico.*
179 *Etſi non obſtante hoc voto, viaticum ab amico poſſit procurari.*
180 *Imo & peti à Papa, ſi vouens ſit certus ſibi defuturum, neceſſarium alimentum.*
181 *Hoc votum excludit ſolum excuſationes friuolas, & falſas.*
182 *Etſi non obſtante quauis excuſatione iuſta, parendum ſit, ſi Papa, aut Generalis perſiſtant.*
183 *Non violat hoc votum Religioſus, qui timens deſtinari ad miſſionem à Papa, ipsum varijs prætextibus præuenit, ne deſtinet, interim paratus obedire.*
184 *Hoc votum obligat ad quaſcumque miſſiones.*
185 *Obligat item ad perſiſtendum in miſſione commiſſa.*
186 *Probatur aſſertio.*
187 *Obligat ad recedendum, Superiore reuocante à miſſione.*
188 *Obligat ad nō eundum in locum, quem Papa interdicat.*
189 *Obligat ad exercenda miniſteria Societatis in loco miſſionis.*
190 *Talia autem miniſteria ſunt omnes actiones ſpirituales miſericordiæ.*
191 *Sicque vi huius voti præcipi poſſunt plura ad bonum ſpirituale proximorum.*
192 *Hoc votum obligat ad vacandum ſtudio linguarum.*
193 *Declaratur quid ſignificent verba illa,* prout in eiſdem literis apoſtolicis, *quæ extant in formula huius voti.*
194 *Item declaratur quid hîc intelligatur nomine* miſſionum.
195 *Hoc votum, vt obliget, petit præceptum formale.*
196 *Etſi regulariter non debeat expectari tale præceptum.*
197 *Violat hoc votum, qui deſtinatus ad miſſionem voluntariè nimis procraſtinatur in ea obeunda.*
198 *Violat, qui iam profectus in miſſione negligenter ſe exercet.*
199 *Non violat, qui cupit non deſtinari ad miſſiones.*
200 *Hoc votum obligat, etiam cum periculo vitæ.*
201 *Generalis Societatis iuxta Suarez vi huius voti tenetur indicere miſſiones; ſed reijcitur.*
202 *Idem Generalis liberè deſtinat ad miſſiones ſuos Religioſos; imò & deſtinatos à Papa reuocat, ſed non ſemper.*
203 *Tempus miſſionum non eſt certum, nec determinatum.*
204 *Papa hoc votum non relaxat ſine cauſa.*
205 *Profeſſus renitens parere in materia miſſionum de facto ſolum facit contra hoc votum, non item contra votum generalis obedientiæ.*

QVÆRES I. Quibus verbis emittatur hoc votum.

171 ℞. Emitti his ipſiſſimis verbis, quæ deſumpta ſunt ex formula profeſſionis relata *p. 5. Conſti. Societ. c. 3. n. 3.* videlicet: *Inſuper promitto ſpecialem obedientiam Summo Pontifici circa miſſiones, prout in eiſdem literis apoſtolicis, & Conſtitutionibus* (1. Societatis) *continetur,* vbi ſolum noto per clauſulam *inſuper* connotari promiſſionem 3. votorum ſubſtantialium antecedenter factam, & continuatam cum emiſſione huius quarti voti, quod vocamus Obedientiæ ad Papam circa Miſſiones.

QVÆ-

QVÆRES II. In quo conſiſtat ſolemnitas huius voti.

172 ℞. Iuxta dicta hìc *cap.1.ſect.1.q.8.* conſiſtere in eo, quod fiat coniunctim cum 3. votis eſſentialibus religionis, & (vt alibi non ſemel diximus) quaſi vno, ac eodem contextu: & quidem ita, vt non ſit neceſſe ad ſeruandam huius voti ſolemnitatem adinuenire incapacitatem aliquam, aut inhabilitatem ex tali voto peculiariter vi iuris poſitiui emanantem; qualis reperitur in tribus votis ſubſtantialibus religionis (vt quod votum paupertatis reddat vouentem incapacem dominij; & votum caſtitatis ſimpliciter inhabilem ad matrimonium;) eſtò enim talis incapacitas, ſeu inhabilitas de facto reperiatur in votis ſolemnibus religionis; non ideo tamen ea eſt de eſſentia ſolemnitatis voti abſolutè loquendo; quamuis *Suar.tom.4.de relig.tract.10.l.6. cap.4.num.39.* & *Caſtrus Pal.tract.16.D.5.p.3.nu.5.* ſimilem incapacitatem aſſignent in hoc voto, quod religioſus per illud prohibetur de ſe aliter diſponere, & ſi hoc voto diſponat, diſpoſitio eſt infirma, & fit etiam contra iuſtitiam, non modò contra religionem.

173 Et quidem quod hoc votum ſit, & dici poſſit ſolemne, patet tum ex communi iudicio, ac ſenſu totius Societatis: tum quia alioqui facientes hoc quartum non deberent dici profeſſi 4. vototum (quo modo reuera dicuntur,) ſed potius vocandi eſſent profeſſi plurium vototum, vt notauit Suar. *ſup. num. 38.* tum quia Gregorius XIII. in bulla *Aſcendente Domino* tale votum appellat ſolemne bis verbis: *Tribus illis ſubſtantialibus votis ſolemnibus quartum ſimiliter ſolemne addunt ſpeciale Summo Pontifici obedientiæ circa miſſiones præſtandæ ob certiorem Spiritus S. in miſſionibus ipſis directionem.*

QVÆRES III. Ad quid obliget hoc votum.

174 ℞. Obligare ad proficiſcendum ſine excuſatione, non petito viatico, quocumque gentium Summus Pontifex miſerit, inter fideles, vel infideles ad res, quæ ad diuinum cultum, & religionis Chriſtianæ bonum ſpectant. habetur expreſsè in Conſtitut. Societ. *c.1. examinis* §.5. & in varijs bullis pontificijs, maximè in Conſtitut. Pauli III. quæ incipit *Regimini militantis Eccleſiæ*, & ſic habet: *Ita vt quidquid modernus, & alij Romani Pontifices pro tempore exiſtentes iuſſerint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, & ad quaſcumque prouincias nos mittere voluerit, ſine vlla tergiuerſati one, aut excuſatione illicò, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur; ſiue miſerit nos ad Turcas, ſiue ad quoſcumque alios Infideles etiam in partibus, quas Indias vocant, exiſtentes: ſiue ad quoſcumque hæreticos, ſeu ſciſmaticos, ſeu etiam fideles.* Vnde fit, materiam iſtius voti non eſſe totam illam, quæ poteſt eſſe materia obedientię religioſæ, etiam ſecundùm regulam Societatis, ſed ſolùm materiam miſſionum; vt conſtat ex verbis illis, quæ habentur in *examine, Ad proficiſcendum*, quæ ſunt declaratiua, ac limitatiua voti, & materiæ illius; nec non ex ipſa forma profeſſionis, in qua dicitur *Inſuper promitto ſpecialem obedientiam Summo Pontifici circa miſſiones*; vbi in declaratione additur *tota intentio huius quarti voti obediendi Summo Pontifici fuit, & eſt circa miſſiones.*

QVÆRES IV. Quid addat hoc votum ſupra votum generale obedientiæ, quod emittitur in Societate.

175 ℞. Quod, quamuis prima facie dicendum videatur per illud votum non addi quidquam vltra obligationem voti generalis obedientiæ, dato quod iuxta Conſtitutiones *p.9.cap.3.* §.9. Præpoſitus generalis Societatis poteſtatem habeat mittendi omnes ſuos ſubditos, etiam non profeſſos ad quaslibet mundi partes, & pro quocumque tempore, ac miniſterio pro animarum auxilio; reuera tamen hoc votum addit aliquam maiorem obligationem ſupra votum obedientiæ generalis eamque non ſolum intenſiuam, ſed etiam extenſiuam ex parte materiæ; intenſiuam quidem, quatenus ſpecialis promiſſio intra ſuum genus maiorem videtur inducere obligationem (vt ſentit *Gloſſa in c. quamquam d.23. v.plus*) & promiſſio cæteris paribus eo maiorem cauſat obligationem, quo dignior eſt perſona, cui fit: vnde cum promiſſio huius voti directè fiat Papæ, quæ eſt perſona digniſſima, longè maiorem inducit obligationem: extenſiuam verò quatenus profeſſi 4. vototum vi huius voti tenentur acceptare miſſiones, etiam ſine viatico, aut illo non petito, vel procurato, etiam ſine excuſatione: ad quæ vtique non tenentur Scholaſtici Societatis, quamuis aliàs teneantur etiam ipſi vacare miſſionibus, & quidem ex voto obedientiæ, ſi id ipſis præcipiatur; præter quam quod profeſſi 4. vototum ex vi profeſſionis pluribus negotijs, ac miſſionibus exponuntur, quam alij: quippe qui ratione dotum, quæ ſupponuntur, & requiruntur in profeſſis, iudicantur ad ea magis idonei, ipſique acceptando talem profeſſionem, conſequenter ſe offerunt omnibus illis miniſterijs; quod nō faciunt ij, qui non faciunt in Soc. hoc quartum votum; qua de re plura *Suarez ſup.* à *num.26.* & *Caſtrus Pal. n.3.*

QVÆRES V. Cui propriè loquendo fiat hoc votum.

176 ℞. Quod, licèt directè fiat Deo (idque ex generali ratione voti, quod non poteſt fieri, niſi Deo, ſicuti communiter tradunt *DD.* cum *S. Thom. 2.2.q. 88. a.5.*) propriè tamen includit promiſſionem factam Papæ, & quidem non ſolum vt Prælato communi omnium religionum (quo modo votum generalis obedientiæ, quod faciunt Religioſi, reſpicit ipſum) ſed nominatim, & in particulari: ita vt, quando Præpoſitus generalis mittit profeſſum Societatis virtute huius voti ad miſſiones Indicas, aut alias, id faciat, non propria auctoritate, ſed poteſtate ſibi delegata à Papa: cum alioqui ex propria poteſtate poſſit Religioſos Societatis non profeſſos deſtinare ad miſſiones in virtute voti generalis obedientiæ; quod eſt quartum hoc votum directè fieri non Generali Societatis; ſed Papæ ſecundum ſe, etſi aliàs verum eſſet illum non eſſe Prælatum religionum.

177 Moneo hìc vnum, quod licet Pontifices ex iure ſibi per hoc votum competente ſe ipſis deſtinarint Profeſſos Societatis ad miſſiones, & deſtinent, modò in generali petendo perſonas, eorumque determinationem committendo Generali; modò deſignando etiam perſonas particulares, & quidem in-

terdum etiam ipſum Generalem (quo pacto miſſi fuerunt P. Laynez in Galliam, & B. Borgia in Luſitaniam pro bono communi Eccleſiæ) ; regulariter tamen Generalis Societatis eſt principalis miniſter, quo Papa vti ſolet, ac debet ad eiuſmodi miſſiones faciendas: idque ex multis cauſis, & maximè quia Generali magis conſtat de idoneitate mittendorum, ſicque miſſiones cedunt in maius bonum Eccleſiæ, ac maiorem fidei propagationem.

QVÆRES VI. Quo modo profeſſi 4. votorum vi huius voti teneantur proficiſci ad miſſiones nullo expectato, aut petito viatico.

178 ℞. Ita teneri; vt ſi quis eorum occaſione viatici, aut ex timore indigentiæ miſſionem detrectaret, peccaret directè contra hoc votum; quippequi per tale votum promittit obedientiam circa miſſiones iuxta Conſtitutiones, ac bullas materiam huius voti ita declarantes; ſicque cum in Conſtitutionibus Societatis, tum *c. 1. examinis* §. 5. tum *6. p* ipſarum Conſtitutionum *c. 2.* §. 13. dicatur quod *quando ſummus Pontifex, vel ſuperior profeſſos, vel Coadiutores ad laborandum in vinea Domini mittet, nullum viaticum petere poſſint*: ſe obligat ad hoc ipſum ſeruandum, & conſequenter vi huius voti tenetur non ſolum proficiſci ad miſſiones, ſed etiam ad talem effectum reſidere vbique locorum, non expectato viatico, neque ſubſidio vllo a Papa, ſui ſuſtentationem expectans à Deo, ac piorum hominum eleemoſynis; ſic exigente voto paupertatis, quam Religioſi Societatis profitentur. Ex quo infert *Suarez ſup. num.* 10. obligationem ſe transferendi ad miſſiones ſine viatico ſpectare non modò ad hoc votum miſſionum tanquam circumſtantiam illius; ſed etiã ad votum paupertatis; vt patet ex loco Conſtitutionum paulo ante citato; vnde mirum non eſt ad id obligari etiam Coadiutores formatos, qui tamen non emittunt votum miſſionum: non enim inconueniens eſt, vt eadem res ſub diuerſis rationibus cadat ſub diuerſa vota, cum poſſit & cadere ſub diuerſa præcepta.

At difficultas eſt, an profeſſus 4. votorum deſtinatus ad aliquam miſſionem peccet contra quartum hoc votum, ſi viaticum procuret ab amicis, aut conſanguineis.

197 ℞. Videri non peccare. ducor quod in *6. p. conſtitut. cap.* 2. §. 13. id ſatis probabiliter inſinuatur per illa verba *Quando ſummus Pontifex, vel ſuperior profeſſos, vel Coadiutores ad laborandum in vinea Domini mittet, nullum viaticum petere poſſint* (intellige ab illis) *ſed ſe liberaliter repræſentent, vt mittantur, pro vt illis* (i. mittentibus) *ad maiorem Dei gloriam fore videbitur*: & ex eo, quod ait *Sanch. l. 6. mor. c. 18. n. 6.* loquens de profeſſis deſtinatis ad miſſiones, his ipſiſſimis verbis *At nullum peti à Papa viaticum licet*: quod eſt dicere à contrario ſenſu non eſſe illicitum illud petere ab aliquo alio, cuius non interſit deſtinare ad miſſiones; præſertim cum finis Conſtitutionum prohibentium petitionem viatici ſit, ne Papa, aut Generalis Societatis ex onere ſoluendi viatici retrahantur ab indicendis miſſionibus: quod non euenit, ſi deſtinatus ad miſſiones non à Papa, aut Generali petat viaticum, ſed illud ſibi aliunde procuret; cum quo ſtat, quod liberaliter ſe præſentat mittenti, & conſequenter non contrauenit fini Conſtitutionum: qui ſine dubio non parum læderetur, etiamſi viaticum à Papa, aut Generali non peteretur tanquam debitum, & veluti conditio ſine qua non itineris conficiendi, ſed ex liberalitate: quod innuit *Sanch. loco citato* dicens eſſe contra hoc quartum votum petere viaticum à Papa, quamuis non petatur tanquam debitum & conditio ſine qua non itineris conficiendi: vnde & textus non dicit *nullo exacto viatico*, ſed *nullo petito viatico*.

Dices, quid ſi profeſſus 4. votorum moraliter certus ſit ſe non habiturum neceſſariam ſuſtentationem in loco, ad quem deſtinatus eſt à Papa cauſa miſſionum; in tali caſu poteſt ne ille petere viaticum a Papa, aut à religione?

180 ℞. Mihi videri probabile, quod poſſet; & ratio eſt, quod votum iuxta ſæpiùs repetita non obligat vltra intentionem vouentis; non eſt autem probabile, quod Religioſi Societatis emittentes tale votum intendant ſuo voto comprehendere talem caſum: quippequi includeret ſpeciem quandam tentationis Dei, ſaltem interpretatiuam, & eſt adeò difficilis, vt omninò excedens fragilitatem humanam: nec obſtat, quod promiſſio proficiſcendi ad miſſiones non petito viatico eſt abſoluta, ac generalis, adeoque generaliter videtur explicanda; ſi quidem *Sà v. interpretatio num.* 1. *Salas D. 21. de leg. ſect. 3. num. 4. Suar. l. 6. de leg. c. 1. n. 17.* & alij ex *l. nulla iuris ratio ff. de leg.* tradunt in interpretanda legem non neceſſariò ſeruandam eſſe proprietatem verborum, ſi hinc ſequatur aliqua abſurditas: quod vtique euenit in caſu noſtro, vt iam probatum eſt; vnde fit, vt obligatio huius quarti voti de proficiſcendo ad miſſiones non petito viatico, quæ ſecundum verborum proprietatem eſt generalis, non immeritò explicari poſſit non comprehendere illum caſum adeò arduum, ac importantem ſpeciem quandam tentationis Dei.

QVÆRES VII. Qualiter profeſſi 4. votorum vi huius quarti voti teneantur proficiſci ad miſſiones indictas, illicò, & ſine vlla tergiuerſatione, aut excuſatione, quarum ex ipſis eſt.

181 ℞. Ad id non teneri, ita, vt non poſſint repræſentare Papæ, aut alij nomine ipſius mittenti iuſtam excuſationem, ac legitimum impedimentum ipſis tunc fortè occurrens quo ad hoc: ſed ſolùm vt non poſſint adducere excuſationes friuolas, aut falſas, & abſoluto decreto non eundi; quod eſt dicere per hoc votum excludi excuſationes voluntatis, non rationis, ſicut benè aduertit *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 6. c. 4. n. 11.* monens, loquendo de excuſationibus iuſtis, non ſolùm eas in præſenti caſu poſſe proponi, vt modò probabimus, ſed etiam interdum debere: ita vt eas tacere eſſet valdè contrarium intentioni Papæ mittentis, ac fini huius quarti voti. ita *Suar. loco citato*, & ante illum *Sanch. ſup. c. 18. nu. 6.* alijque doctiſſimi viri è Societate; patetque, tum quia conditio hæc eundi ad miſſiones ſine vlla tergiuerſatione, quæ habetur in Conſtitutionibus Soc., explicari debet iuxta alia loca earundem Conſtitutionum, & ſecundùm rationem rectam: in alijs autem locis Conſtitutionum ſæpè habetur

betur

betur perfectionem Obedientiæ non excludere, quia, ſi aliqua iuſta excuſatio occurrat, ea Superiori proponi poſſit cum debita reuerantia, ac modeſtia; vnde & hoc idem erit licitũ in præſenti caſu: tũ quia quando iura ſtatuunt aliquid agendum eſſe, ſemota quacumque appellatione, intelligi debent de appellatione friuola, vt docetur *Gloßa* communiter recepta *cap. ex conqueſt v. poſt appellat. de reſtit. ſpoliat.* ergò & idem dicendum eſt in præſenti, cum votum ſit quoddam ius, quod vouens ſibi imponit. idem ſentit & *Caſtrus Pal. loco citato*.

182 Verum tamen eſt quod, etiam quando excuſatio videtur rationabilis, non licet in caſu propoſito nolle abſolutè parere, & hoc pacto ſe excuſare; ſed caſu quo, nõ obſtante difficultate propoſita nihilominùs vrgeret præceptũ Papæ, illi omninò parendũ eſſet ex vi huius quarti voti: niſi fortè euidenter cõſtaret præceptum eſſe nullum, quod ſaltem regulariter non poteſt præſumi, aut timeri. ita *Suar. ſup.* addens è contra non peccaturum mort. profeſſum 4. votorum, qui ex fragilitate, ſine dolo, ac fraude tergiuerſaretur, inſinuando ſuas difficultates, & rogando excuſari per ablationem præcepti, cum præparatione tamen animi parendi, ſi Papa non condeſcendat.

Dubium modò eſt, an profeſſus 4. votorum faciat contra quartum hoc votum, ſi timens deſtinari ad aliquam difficilem miſſionem, præuenit Papam, aut Generalem Soc. alijſque artibus, ac prætextibus ſtudet eos retrahere à conſilio, quod fortè conceperant illum ſic deſtinandi.

183 ℞. Videri, non facere contra hoc votum, ſi illi prætextus ſint veri (quamuis ſatis friuoli,) & profeſſus interim ſit animo paratus obedire caſu, quo Papa, aut Generalis, non obſtantibus illis prætextibus, velint ipſum mittere, nec allegatione dictorum prætextuum ijs inducat moralem neceſſitatem mutandi conſilium, eumque amplius non deſtinandi ad miſſiones. Moueor ex eo quod votum non obligat vltra intentionem vouentis; in noſtro autem caſu vouens promiſit ſolùm ſe transferre ad miſſiones in euentu, quo ad illas deſtinetur; non item abſtinere à procuranda fuga talis obligationis per media licita: nam talis procuratio non eſt illicita, cum teſte *Sanchez l.4. mor. cap. 16. numer. 34.* habens aliquam obligationem poſſit deſiderare habere iuſtam cauſam excuſationis, per quam liberetur à tali obligatione: quod ſi poteſt hoc deſiderare, cur non poterit & id procurare medijs licitis? cum ergo media, quibus vtitur vouens in præſenti caſu ad declinandam obligationem huius quarti voti, ſint licita (vt mox oſtendam) non video, qua ratione vouens dici poſſit peccare contra præfatum votum, modo dicto procurando, ne deſtinetur ad miſſiones. Et certè quod illa media ſint licita, patet; quia nullam habent admixtam falſitatem, nec efficiunt quominùs Papa, & Generalis poſſint talem profeſſum deſtinare ad miſſiones æq; liberè, ac poſſent, ſi non fuiſſet facta dicta procuratio; quod non eſſet, ſi in tali procuratione intercederet aliqua fraus, aut vi illius Papa, & Generalis morali neceſſitate cogerentur abſtinere à deſtinando illo profeſſo ad miſſiones, ſicut de facto ſtatuerant, aut ſtatuiſſent eum deſtinare; tunc enim profeſſus faceret contra quartum illud votum: cum in tali caſu perinde ſe habeat, ac ſi deſtinatus legitimè ad aliquam miſſionem, ab ea falſis excuſationibus ſe ſubtraxiſſet; quo caſu certum eſt, quod peccaret contra votum: cum coram Deo ſcrutante corda, & renes idem ſit falſis prætextibus ſe excuſare à faciendo eo, quod promiſſum eſt, ac nolle illud facere: ſi quidẽ implicitè, ac explicitè eadem eſt virtus; non .n. aliunde Papa, aut alius delegatus omittit deſtinare talem profeſſum ad miſſionem animo iam conceptam, niſi quod cenſet illum vel eſſe inhabilem, vel impotentem ad illam obeundam, ſicut ei propoſitum fuit: quod tamen eſt falſum, præter quam quod hac ratione iniuſtè priuatur Papa iure ipſi acquiſito ex hoc quarto voto quo ad deſtinandum talem profeſſum ad miſſiones: quod vtique non poteſt contingere abſque violatione dicti voti.

QVÆRES VIII. An profeſſus 4. votorum vi huius quarti voti teneatur proficiſci ad omnes, & quaſcumque miſſiones indifferenter.

184 ℞. Teneri; patetque tum ex bulla Pauli III. relata *qu. 3.* tum quia ideo de profeſſis dicitur in *4. p. Conſtitut cap. 2. §. 4. lit. B. in declarat. non habere ſtabilem habitationem*: & in examine *cap. 4 num. 36.* eos debere eſſe paratos ad diſcurrendum per quaſcumque mundi partes, prout à Pontifice, vel à Superiore fuerit iniunctum, vt proinde profeſſi Societatis iure poſſint vſurpare quod habetur *Rom. 1. Græcis ac barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum, ita (quod in me) promptum eſt & vobis, qui Romæ eſtis, euangelizare*.

QVÆRES IX. An profeſſus 4. votorum vi huius quarti voti teneatur non ſolum proficiſci ad miſſiones, ſi ad eas deſtinetur, ſed etiam in ijs commorari, imò & ab illis recedere, ſi legitima poteſtate reuocetur.

185 ℞. Quod, quamuis nomine miſſionum grammaticè ſumptarum videatur venire ſolum actus eundi, non autem actus commorandi, & redeundi; & aliàs materia voti limitari debeat ad proprietatem verborum: nihilominus quia moraliter hæc conſiderando, videntur eſſe, ſiue eiuſdem prorſus rationis, ſiue ita connexa, vt non poſſit alterum ſine alio promitti: propterea profeſſus huius quarti voti cenſendus eſt teneri non modò ire ad miſſiones, ſed etiam in ijs commorari, imò & ab ijs recedere, ſi reuocetur ad maius bonum animarum (vt ſi ibi ſit parum vtilis, & fortè impediat alios, vel etiam noceat proximis. ita *Suarez to. 4. de relig. tract. 10. l. 6. cap. 4. nu. 15.* & patet tum ex communi ſenſu, ac æſtimatione Societatis: tum quia ſub nomine miſſionum comprehenduntur etiam termini illarum, & permanentia in illis (vt mox probabimus:) ad hanc autem permanentiã ſpectat temporis limitatio, & conſequenter non ſolum acceſſus, ſed etiam receſſus: alioqui poteſtas mittendi eſſet valdè diminuta, imperfecta, ac multis incommodis expoſita; tum quia intentio Conſtitutionum Societatis eſt, vt iſta diſtributio Profeſſorum per orbem Papæ omninò ſubijciatur, vt patet ex *7. p. c. 1. §. 1.* hoc autem non eſſet ita, niſi Papa

plenam

plenam haberet poteſtatem in ijs, tam reuocandis, quam mittendis.

186 ℟. Et certè quod profeſſus 4. votorum vi huius quarti voti teneatur perſeuerare in miſſionibus, ad quas proficiſcitur, proximiùs probatur tum ex *c. ſi poſtquam de elect. in 6.* vbi Boniſacius VIII. interpretans conſtitutionem Nicolai Papæ exigentem, vt electi ad quædam beneficia Romana proficiſcantur pro confirmatione electionis ait *Non ſolum vt quis veniat, ſed etiam ex ſui mente exigit, quod vſque ad finem negotium proſequatur;* quæ deciſio vtique facit & ad noſtrum caſum, ſicut conſideranti conſtabit; tum quia via eſt propter terminum: inutilis enim eſſet miſſio, niſi in termino ſiſteretur, quantum opus eſt ad finem, ac effectum miſſionis: vnde hic terminus, & quies neceſſaria in illo non eſt quaſi finis extrinſecus, qui ſolet diſtingui à materia legis, ſeu promiſſionis, ſed eſt intrinſecus terminus, à quo pendet tota ratio, ac vtilitas talis materiæ, ſicque intrinſecè ſpectat ad materiam talis voti; vnde & ſupponitur in *7. p. Conſtit. c. 1. §. 2.* ſub his verbis *reſidere, vel mitti, &c.*

187 Quod verò vi huius quarti voti teneatur profeſſus recedere à miſſione, ad quam profectus eſt; hinc maximè ſuadetur, quod cum profeſſi Soc. ex vi ſui Inſtituti debeant eſſe alicubi ad fructificandum, eo ipſo quod ab aliquo loco reuocantur, ad alium virtualiter mittuntur, ſiue hoc intentum ſit primariò, ſiue ſecundariò, ſiue ille locus determinatus ſit à Papa, ſiue à Prælatis Societatis, ſiue in eo ſpectetur magis bonum ipſius profeſſi, ſiue Proximorum; hæc quippe omnia accidentaria ſunt; cum ad materiam voti ſufficiat, quod ibi adſit ratio aliqua miſſionis, ex qua oriri poſſit maius aliquod auxilium Proximorum, ac bonum Eccleſiæ; quæ in hoc voto intenduntur.

Verum verò profeſſus vi huius quarti voti poſſit teneri non ire ad aliquem locum, aut regionem ipſi à Papa prohibitam.

188 ℟. Poſſe teneri, ſiue talis negatio eundi ordinetur ob permanentiam in termino à quo (qua ratione certum eſt eam poſſe præcipi) ſiue vt impediatur acceſſus ad talem terminum: dummodo ratio prohibitionis ſit vtilitas animarum; ſic enim id pertinet ad diſtributionem perſonarum, ſemperque reducitur talis negatio ad poſitiuum oppoſitum, vt ſcilicet Societas alibi occupetur in miſſionibus: ſiue id primò, ſiue ſecundariò intendatur. ita *Suar. ſup. numer. 16.* id inde confirmans quod, ſicut qui poteſt præcipere actum, poteſt & præcipere neceſſaria, ac per ſe coniuncta actui: ſic & qui poteſt mittere profeſſum ad miſſiones, poterit ei præcipere, vt non eat in hunc, aut illum locum, ſi id iudicetur neceſſarium ad finem miſſionis iniunctæ.

QVÆRES X. An profeſſi vi huius quarti voti teneantur non ſolum proficiſci ad miſſiones, ac permanere in ijs, ſed etiam ibi exercere miniſteria ſpiritualia Societatis deſeruientia ad ſpirituale bonum proximorum, nimirum docere, concionari, audire confeſſiones, &c.

189 ℟. Teneri; & probatur tum quia nomine miſſionum iuxta verum ſenſum, ac communem vſum loquentium non intelliguntur ſolum itinera, aut reſidentiæ in aliquibus locis, ſed etiam actiones, & miniſteria, ad quæ ordinantur dicta itinera; tum quia qui vult finem, vult & conſequentia ad finem; ergò qui promittit vacare miſſionibus, promittit & vacare ijs miniſterijs, quæ exerceri ſolent in miſſionibus: tum quia alioqui votum Miſſionum dicendum potiùs eſſet votum peregrinandi ad aliquem locum deſignatum à Papa, vel ab alio nomine ipſius, ibique commorandi: quod nemo admittet; tum quia tale votum aliàs eſſet illuſorium, vt patet.

Sed difficultas eſt, quæ actiones, & miniſteria ſint ea, ad quæ ordinantur miſſiones, & quæ in ijs exerceri debent vi huius quarti voti.

190 ℟. *Suarez ſup. num. 8.* quod, licèt quælibet actio cedens in cultum Dei, ſaltem indirectè, ac remotè, poſſit deſeruire bono ſpirituali miſſionum; propriè tamen, ac directè ſub voto miſſionum veniunt ſolum actiones miſericordiæ ſpiritualis, vt ſunt procurare pacem inter principes diſſidentes, ſubuenire laborantibus in quocumque periculo animæ, ſeminare fidem, reſiſtere hæreticis, &c. actiones verò miſericordiæ corporalis, ſi ſint ex ijs, quæ decent ſtatum clericalem, non videntur excludi, quamuis directè ſub tali voto non comprehendantur. Vnde defendere Eccleſiam, aut reſiſtere Infidelibus per arma, & bella, cum ſint actiones non ſpectantes ad Clericos, ſub hoc voto non includuntur. quare ſic concludit *Suarez numero 9. Et ita in rigore, & ſine alia reſtrictione verum eſt, quod in bullis dicitur, hoc voto nos aſtringi, vt quidquid Romani Pontifices pro tempore exiſtentes iuſſerint ad profectum animarum, & fidei propagationem pertinens, exequi teneamur; & quidem etiam in dubio, num hoc loco, & tempore tale miniſterium pertineat ad profectum animarum, aut ſolùm ad temporalem, vel ciuilem vtilitatem proximorum: cum in dubio ſtandum ſit pro Superiore.*

191 Vnde quis benè inſerat vi huius quarti voti poſſe Profeſſum 4. votorum obligari, tum ad vacandū redemptioni captiuorum, tum ad inſeruiendum infirmis, etiam peſte infectis, tum ad aſſiſtendum militibus actu pro Eccleſia dimicantibus, tum ad docendum, concionandum, audiendas confeſſiones, adminiſtranda alia Sacramenta, & aliud ſimile miniſterium peragendum: cum hæc omnia immediatè pertineant ad ſpiritualem profectum animarum. Et hoc, quamuis Profeſſus ad talem finem illuc non miſſus fuerit; quod in ſpecie aduertit *Suar. ſup.* his verbis. *Etiamſi Pontifex eò non me miſerit, poteſt mihi præcipere, vt ibi doceam, concioner, vel aliud ſimile miniſterium peragam: quia ſi eo in loco non eſſem, poſſet me illò mittere in hunc finem: ergò licèt adſim, poteſt præcipere, vt permaneam, & tale miniſterium exerceam;* ſic ille loquens in perſona profeſſi 4. votorum.

Poſſet hìc etiam quæri, an deſtinatus ad Miſſionem Indicam, aut aliam ſimilem vi huius quarti voti teneatur vacare ſtudio linguarum, quæ in illis regionibus ſunt in vſu.

192 ℟. Teneri; patetque ex eo quod obligatus ad finem obligatur etiam ad media, ſine quibus talis finis nequit obtineri iuxta regulam communem,

Qui

Qui vult finem vult conſequentia ad finem; quamquā, ſi poſtea ipſi certo experimento conſtaret ſe non niſi cum maxima difficultate poſſe percipere dictas linguas; tunc poſſet excuſari, cum nemo obligetur, niſi ad moralem voti exequendi diligentiam; vt in ſimili aduertit *Sanch. l. 4. moc. c. 16. num. 43.*: præter quam quod nemo obligatur ad implere; quod autem eſt ſummè difficile, moraliter reputatur impoſſibile.

QVÆRES XI. Quid ſignificetur per ea verba, quæ habentur in formula huius quarti voti, *pro vt in eiſdem literis apoſtolicis, & conſtitutionibus continetur.*

193 ℞. Significari circumſtantias, cum quibus impleri debet hoc votum, quæque à nobis explicatæ ſunt *q. 6. 7. &* 8. ex bullis pontificijs, & ex Conſtitutionibus Societatis.

QVÆRES XII. Quid intelligatur hìc nomine *Miſſionum*.

194 ℞. Regulariter intelligi excurſiones quaſdam ſpirituales ordinatas ad ſpiritualem profectum animarum, ac fidei chriſtianæ propagationem, & ſacras in terris tam fidelium, quam infidelium, medijs quibuſdam ſpiritualibus miniſterijs, maximè docendi, concionandi, audiendi confeſſiones, & alia ſacramenta adminiſtrandi; ſicuti diximus in *tract. de privileg. c. 4. ſect. 3. q. 1.*

QVÆRES XIII. Quando profeſſi teneantur obedire ſub culpam. ex vi huius quarti voti; num ſcilicet ad id requiratur proprium, ac formale præceptum Papæ, aut Generalis deſtinantis ad miſſiones.

195 ℞. Requiri; & probatur tum quia verſamur in materia obligationis, quæ debet eſſe ſtrictæ interpretationis: tum quia id ſatis clarè exprimitur in *Conſtit. c. 1. examin. §. 4.* ijs verbis: *Profeſſa Societas facit expreſſum votum ſummo Pontifici ad proficiſcendum ſine excuſatione, non petito viatico quocumque gentium eius Sanctitas iuſſerit &c.* vbi notandum verbum hoc *iuſſerit*; ſicque in præſenti voto vtique habet locum quod de generali voto obedientiæ cautum eſt 6. *p. Conſtitut. Societ. c. vlt.* non imponi præceptum eius, ſed ſimplicem obedientiam, *niſi Superior in nomine D.N.I.Chriſti, vel in virtute obedientiæ iubeat.* ita *Suar. ſup. num. 36.* monens id habere verum, non ſolùm quo ad miſſiones, quæ iubentur à Generali (quod ait eſſe certiſſimum, ac vſu receptum, cum dicta Conſtitutio ſit generalis pro omnibus materijs) ſed etiam quo ad miſſiones ab ipſo Papa immediatè iniunctas: quippequi præcipiens Religioſis Societatis intelligitur præcipere iuxta modum ſuarum Conſtitutionum, quamdiu aliud non declarat: maximè cum nunquam præſumatur imponi proprium præceptum, donec ſufficientibus verbis exprimatur. cum *Suarez* ſentit *Caſtrus Palaus ſup. n. 6.*

Quod ſi quæras, an expediat hac in re expectare proprium præceptum.

196. ℞. Regulariter non expedire; eſtò *Sotus l. 7. de iuſt. q. 2. a. 4. §. 3.* indicet in huiuſmodi rebus arduis conſilium eſſe expectare proprium præceptum Superioris. ratio eſt, quod, quamuis præceptum videatur addere aliquod meritum: tamen illud compenſatur, ac exceditur promptitudine voluntatis; & prius meritum non amittitur; cum voluntas parata ſit ad multò magis obediendum præcepto, ſi interponeretur.

QVÆRES XIV. An, & quando profeſſus legitima poteſtate deſtinatus ad miſſiones peccet contra hoc votum, ſi notabiliter differat proficiſci ad miſſionem ſibi iniunctam.

197 ℞. Peccare, & quidem m. ſi dilatio illa ſit voluntaria, & culpabilis. ducor, quod profeſſus vi quarti voti tenétur *illico* proficiſci ad miſſionem iniunctam; vt diximus *q. 3.* ex bulla Pauli III. in iure autem dicitur fieri *illico*, ſeu *ſtatim* quod fit intra triduum; vt oſtendit *Sanch. l. 1. de matr. D. 51. n. 14.* ex *l. fin. C. de errore aduocat. & l. fin. C. de iudicijs.* Quamquam, cum in bulla citata Pauli III. poſt clauſulam illam *illico* immediatè addatur *quantum in vobis fuerit*; innuitur notabilitatem dilationis habere in præſenti caſu maiorem aliquam latitudinem; & quidem meritò, cum profectio Religioſi profeſſi ad miſſionem iniunctam non pendeat ſolum ab ipſo, ſed ex multis alijs circumſtantijs, quæ non ſunt in eius poteſtate, nec ita citò plerumque poſſunt expediri; vt proinde cautè addita ſint in præfata bulla verba illa *quantum in vobis fuerit.*

QVÆRES XV. An profeſſus peccet contra hoc votum, ſi profectus ad miſſionem indictam in ea minùs diligenter ſe exerceat.

198 ℞. Quod, cum hoc votum iuxta dicta *q. 10.* obliget non ſolùm ad proficiſcendum, quo profeſſus mittitur, ſed etiam ad exercendum ibi quidquid iuſſus fuerit, ſequitur profeſſum in tali caſu impleuiſſe quidem votum, qua parte præcipit profectionem, non item, qua præcipit executionem eorum, quæ ſolent fieri in miſſionibus, ſicque peccare quo ad hanc partem: cum votum debeat impleri in totum, & non ſolùm ex parte. Colligitur ex *Suarez ſup. n. 6.* qui tamen concedit, quod ſi alicui profeſſo Societatis præcipiatur ire in Indiam, non præcepta actione ibi exercenda, ſed relicta ſecundum Inſtitutum: tunc, ſi profeſſus obediat eundo, licèt poſtea ſit negligens, aut aliàs peccet abutendo ſuo munere, non peccabit ſpecialiter contra hoc votum; cum præceptum non fuerit impoſitum circa totam materiam talis voti.

QVÆRES XVI. An profeſſus peccet contra hoc votum, ſi deſideret non deſtinari ad miſſiones, imò & exoret Papam, aut Generalem Societatis, vt ipſum nullatenus ad illas deſtinent.

199 ℞. Non peccare in neutro caſu; patetque ex dictis *q. 7.*

QVÆRES XVII. An Profeſſus 4. votorum vi quarti huius voti teneatur proficiſci ad miſſiones, ibique manere, etiam cum periculo vitæ.

200 ℞. Teneri; & probatur ex eo quod qui vult antecedens, vult etiam conſequens: hoc autem ipſo quod dictus profeſſus vouet vacare miſſionibus, etiam inter infideles, ac hæreticos chriſtiani nominis infenſiſſimos hoſtes, ad quod plerumque conſequuntur non pauca, nec leuia pericula vitæ tam in profectione, quam in actuali exercitio miſſionum (vt quotidiana docet experientia): eo ipſo vouet ſubire talia pericula tanquam conſequentia ad illud antecedens; quo modo vouens inſeruire infirmis

in-

infectis peſte, ad id tenetur etiam cum periculo vitæ; cum id ſit apta materia voti, & cadat ſub promiſſionem talis voti. Colligitur ex *Suarez ſup. num.* 23. vbi loquens de Religioſis ordinum Mendicantium vt ſic ait, poſſe excuſari à miſſionibus Indiarũ, eò quod ſic verſari debeant inter infideles cum probabili periculo mortis, ſeu martyrii in tali munere obeundo, ſubdens è contra perſonas Societatis ratione ſui voti nõ poſſe hoc titulo tergiuerſari: quod eſt dicere illos teneri ad miſſiones, etiam cum periculo vitæ. An autem teneantur etiam cum periculo ſalutis ſpiritualis, conſtat ex dictis hic *ſectione* 2. *q.* 25.

QVÆRES XVIII. An Præpoſitus generalis vi huius quarti voti teneatur opportunis temporibus deſtinare aliquos Profeſſos 4. votorum ad miſſiones peragendas tam inter infideles, quam inter fideles.

201 ℞. *Suarez ſup. num.* 20. Præpoſitum Generalem teneri ad id non ſolùm ex vi ſui muneris, ſed etiam (*vt ego opinor*, ſubdit *Suarez*) ex vi huius quarti voti, quod etiam ipſe emiſit: probatque tum quia Generalis eſt principalis miniſter, quo Papa neceſſariò ordinariè vſurus eſt ad miſſiones faciendas: tum quia in 7. *p. Conſtit. c.* 1. §. 4. dicitur *Superior iuxta eius* (i. Papæ) *præceptum eos, qui magis conuenire, & aptiores ad id fore videbuntur, deſignabit*. Verùm, cum obligatio voti non debeat ampliari, ſed reſtringi, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit, ſalua verborum proprietate; non video, cur Generalis vi huius quarti voti adſtringi debeat, vt identidem deſtinet aliquos profeſſos ad miſſiones; ſtante quod in emiſſione quarti voti nulla fit mentio de tali deſtinatione; niſi quis velit præfatum Generalem talem ſibi obligationem impoſuiſſe eò ipſo quod faciens profeſſionem 4. votorum promiſit ſpecialem obedientiam Papæ circa miſſiones, ſicque ſub generali obligatione obediendi Papæ circa miſſiones videtur comprehendiſſe etiam iſtum caſum: quæ interpretatio, licèt habeat aliquam ſpeciem probabilitatis, mihi non omninò probatur; cum nimis ampliet obligationem voti, & generalis illa obligatio obediendi Papæ circa miſſiones iuxta communem ſenſum, ac æſtimationem Societatis ordinetur ad actuale exercitium miſſionum, non autem ad illas inducendas, & reſpiciat profeſſum vt ſubditum, non vt Prælatum; ſic mihi videtur, viſumq; eſt aliis viris valdè doctis è Societate, & meo iudicio valdè probabiliter: præſertim, cum ad conſequendum finem intentum in emiſſione quarti voti ſufficiat Generalem Societatis ex vi ſui muneris teneri opportunis temporibus deſtinare ad miſſiones Religioſos Societatis tam profeſſos, quam non profeſſos; vt re vera facit cum ingenti bono Eccleſiæ, ac magno fructu ſpirituali Proximorum.

QVÆRES XIX. An Præpoſitus Generalis Societatis poſſit liberè deſtinare Profeſſos ad miſſiones, imò & deſtinatos reuocare, etiamſi fuerint miſſi immediatè à Papa.

202 ℞. Poſſe, quanquam (quod ſpectat ad reuocandos miſſos à Papa) non poſſit illos reuocare, niſi in caſu, quo ij miſſi ſint nullo tempore definito, & ſine certi temporis limitatione. habetur expreſſè in *Conſtitut. Societ p.* 9. *c.* 3. *n.* 9. his verbis: *Idem Generalis in miſſionibus omnem habebit poteſtatem, eis tamen nulla ratione repugnando quæ à ſede Apoſtolica proficiſcuntur, mittere ergo poterit omnes ſibi ſubditos, ſiue profeſſionem emiſerint, ſiue non emiſerint, quos mittendos iudicauerit &c.* & infra; *poterit etiam miſſos reuocare*; vbi in declaratione hæc habentur, *non ſolùm miſſos per præcedentem Præpoſitum, vel per ſe ipſum, ſed etiam per ſummum Pontificem nullo tempore definito poteſt reuocare, vt in literis apoſtolicis gratiarum anno* 49. *per Paulum* III. *noſtrum ſanctum Patrem nobis conceſſarum continetur*. tenor autem conceſſionis Pauli III. quo ad hoc factę habetur in bulla ipſius *licèt debitum* in hęc verba: *Suos quocumque locorum, etiam inter infideles, cum expedire in Domino iudicauerit, mittere, ac reuocare, & per nos, ac ſucceſſores noſtros ad locum aliquem miſſos ſine temporis certi limitatione cum id expedire ad Dei gloriam, & animarum auxilium viſum erit, ad alia loca tranſmittere liberè, & licitè valeat*. Vbi notandum quod, ſicut *q.* 5. diximus Generalem Societatis in caſu, quo aliquem deſtinet ad miſſiones in virtute huius quarti voti, id facere non propria auctoritate, ſed poteſtate ſibi delegata à Papa; quippe cui propriè fit hoc votum; ſic dicendum eſt in præſentia dictum Generalem poſſe reuocare eos, qui ab ipſo Papa deſtinati ſunt ad miſsiones, non quidem propria auctoritate, ſed poteſtate ipſi delegata à Paulo III. vt vidimus.

QVÆRES XX. Quanto tempore Profeſsi Societatis debeant vacare miſsioni, ad quam deſtinentur à Papa.

203 ℞. Siquidem deſtinentur ad particularia loca tempore minimè limitato per ſummum Pontificẽ, debere ibi manere ad 3. menſes, & magis, aut minùs pro modò maioris, aut minoris ſpiritualis fructus, qui inde præcipi videbitur, vel alibi ſperabitur: vel demum vt ad bonum aliquod vniuerſale magis expedire iudicabitur; quę omnia iuxta ſuperioris arbitrium, qui ſanctam intentionem Pontificis in C. D. N. obſequium conſiderabit, tranſigentur. habetur expreſsè in Conſtit. *p.* 7. *c.* 1. *num.* 6.

QVÆRES XXI. An Papa etiam ſine cauſa poſsit profeſsis 4. votorum remittere obligationem huius quarti voti.

204 ℞. Non poſſe, idque etiam admiſſa doctrina, quam tradunt *Leſſius l.* 2. *c.* 42. *num.* 57. & alij, quemlibet poſſe remittere promiſsionem factam in ſuũ fauorem, etiamſi facta ſit in modum voti. Moueor quod, quamuis hoc quartum votum verè fiat Papæ (vt diximus *q.* 5.) adeoque Papa vi illius acquirat ius ſupra Profeſſum in ordine ad miſsiones; re vera tamen in tali caſu non habet locum præfata doctrina (quæ ſine dubio eſt ſatis probabilis ex eo quod vouens dare, aut facere aliquid alteri non intendit ſe obligare, niſi ſub conditione, ſi ille, de cuius commodo agitur, velit acceptare, & obligationem ſemel acceptatam poſtea non remittat); & ratio eſt, quod promiſsio huius quarti voti non fit Papæ in fauorem illius, ſed in honorem Dei; ſicque Papa vi talis voti ius acquirit ſupra profeſſum circa miſsiones, non tanquam Dominus (vt ita dicam) rei promiſſæ, ſed tanquam miniſter, ac Æconomus Dei; vnde, ſicut Æconomus non poteſt ſine cauſa re-

mitte-

mittere promiſſionem factam Domino: ita nec Papa poterit ſine cauſa remittere promiſſionem, quæ fit iſto voto, cum Deus, cui acquiritur ius dictę promiſſionis quo ad hoc ſit inuitus: vt in ſimili oſtendit *Sanch. l. 4. mor. c. 45. n. 3.* ex communi Doctorum ſenſu probans ad legitimam votorum diſpenſationem requiri cauſam ſufficientem.

QVÆRES XXII. An caſu, quo profeſſus 4. votorum non obediat; Papæ, aut Generali Soc. in materia miſſionum, cenſendus ſit delinquere non ſolum contra hoc quartum votum, ſed etiam contra votum generalis obedientiæ, quod fit in Societate.

205 ℞. Quod, cum Papa, & Generalis Societatis eſtò poſſint profeſſum eiuſdem Societatis deſtinare ad miſſiones non ſolùm in virtute huius quarti voti, ſed etiam in virtute voti obedientiæ generalis (colligitur ex eo quod habet *Suar. ſup. num. 31.*) nihilominus de facto regulariter cenſeantur id facere in virtute quarti voti, abſtrahēdo à voto generalis obedientiæ; hinc dicendum videtur profeſſum non obedientem in materia miſſionum peccare ſolùm contra quartum votum: quippe cui tantum opponitur eius inobedientia, dato quod ſolùm in virtute quarti voti ei miſſio præcipiatur, vt hìc ſupponimus; & quidem meritò tum quia tale votum ex primæua ſua inſtitutione ordinatur ad miſſiones: tum quia vi talis voti Profeſſus tenetur ad aliquas circumſtantias miſſionum, & quidem illis maximè vtiles, ad quas non tenetur vi voti generalis obedientiæ, vt oſtēdimus q. 4. tū quia iugum Soc. ſuaue eſt, & onus eius leue, adeoque quantum poteſt refugit multiplicare vincula obligationum. Quamquam dato etiam quod miſſio præciperetur in virtute tam voti generalis obedientiæ, quam huius quarti voti, non ideo inobedientia contineret plures malitias ſpecie, aut numero diſtinctas: cum generale, ac ſpeciale non mutent rationem ſpecificam obligationis, licet intra eandem ſpeciem aliquam poſſint habere diuerſitatem, vt vidimus q. 4.

SVBSECTIO II.

De voto non permittendi Paupertatis relaxationem, quod faciunt Profeſſi Societatis Ieſu.

206 *Profeſſi Societ. Ieſu vouent non conſentire in relaxationem religioſæ paupertatis.*
207 *Et hoc votum eſt ſimplex.*
208 *Fit ad vitandam relaxationem paupertatis.*
209 *Eius materia eſt, ne mutetur ius Societatis quo ad vſum paupertatis.*
210 *Hoc votum abſolutè eſt licitum.*
211 *Vi illius duæ actiones in genere prohibentur.*
212 *Vi illius probibetur ſuffragium, etiam conſultiuum relaxationis circa paupertatem.*
213 *Non violat hoc votum, qui non reſiſtit procurantibus dictam relaxationem.*
214 *Non violat, qui in dubio, an expediat dicta relaxatio diſſerit in vtramque partem, & aperit quid ſit veroſimilius.*
215 *Non violat, qui extra dictum dubium conſcribit ſimilem tractatum penes ſe retinendum priuatim; quod non procedit in caſu, quo prauideat alios inde inductum iri in præfatam relaxationem.*
216 *Non violat, qui propoſito eo dubio, de hoc ageret cum Papa modo dicto.*
217 *Non violat, qui eam relaxationem à Papa iuſtè præſcriptam admitteret.*
218 *Probatur aſſertio.*
219 *Societas, non obſtante hoc voto, potuit admittere conceſſionem bonorum immobilium factam à Concilio Tridentino.*
220 *At nequit ea vti, dato quod ei ceſſerit.*
221 *Dicta relaxatio ſine cauſa præſcripta à Papa vi huius voti non poteſt admitti.*
222 *Violat hoc votum, qui poſt requiſitum numerum ſuffragiorum, ſuum dat ſuffragium ad dictam relaxationem.*
223 *Statutum inducens talem relaxationem eſſet validum.*
224 *Imo & licitè obſeruaretur in Societate, etſi illicitè factum.*
225 *Hoc votum obligat circa totam materiam Paupertatis.*
226 *Illud non violat Superior, qui ſinit induci conſuetudines relaxatiuas paupertatis.*
227 *Cum in talem relaxationem non influat agendo.*
228 *Ad violandum hoc votum non eſt opus, quod præfata relaxatio inducatur per Conſtitutionem.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

206 ℞. Fieri his verbis deſumptis ex formula, quæ adhibetur in eo emittendo, nimirum: *Promitto numquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum, vt quæ ordinata ſunt circa paupertatem in Conſtitutionibus Societatis immutentur: niſi quando ex cauſa iuſta rerum exigentium videretur paupertas reſtringenda magis.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſolemne, aut ſimplex.

207 ℞. Eſſe ſimplex; & patet tum ex communi ſenſu, ac æſtimatione Societatis agnoſcentis hoc votum tanquam ſimplex: tum quia non fit coniunctim profeſſioni religioſæ, nec in eodem loco, vbi fit profeſſio, ſed ſeparatim, & in Sacriſtia, aut alio ſimili loco, coram tamen eodem Superiore, aut alio Sacerdote, qui profeſſionem acceptauit, & aliquibus domeſticis, imò & externis nonnullis: & præterea nec fit à profitente, vt ſolemne, nec vt tale acceptatur; quę iuxta dicta *c. 1. ſect. 1. q. 8.* requiruntur ad voti religioſi ſolemnitatem.

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

208 ℞. Fieri ad præcauendā paupertatis relaxationem, & conſequenter totius regularis diſciplinæ diſſolutionem; ſtante quod inter cauſas, ob quas

Reli-

Religiones à primæuo inſtituti ſui ſeruore excidiſſe, primum ſibi locum vendicat relaxatio paupertatis: quippè paupertas fundamentum eſt religionis, ideoque ea deſtructa corruat neceſſe eſt religionis ædificium *c. cum Paulus 1. q. 1.* Sicut ergò ad vitandum hoc periculum ſubuerſionis diſciplinæ religioſæ S. Dominicus, & S. Franciſcus ſpecialem maledictionem ſuis Religioſis tranſgredientibus paupertatem à ſe inſtitutam reliquerunt: ita S. P. Ignatius ad eundem finem inſtituit, vt profeſſi Societatis, maximè 4. votorum peculiari hoc voto ſe adſtringerent paupertatis relaxationem nunquam permittendi.

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti.

209 ℞. Quod, cum duplex interuenire poſſit mutatio religioſæ paupertatis: vna quo ad factum tantum, quæ de ſe habet intrinſecam malitiam, vt pote conſiſtens in violatione voti paupertatis religioſæ; & alia etiam quo ad ius, quæ per ſe ſpectata non eſt intrinſecè mala, aut prohibita, cum non fiat per violationem iuris, ſed per mutationem illius factam ab eo, qui poteſtatem habet; materia huius voti verſatur ſolùm circa poſteriorem mutationem, ne ſcilicet in Societ. Conſtitutionibus ius illius mutetur quo ad vſum paupertatis, niſi fortè ad illam magis, & magis reſtringendam. Vnde infert *Suar. tom. 4. de relig. tra. 10. l. 6. c. 6. nu. 8.* votum hoc eſſe diſtinctum à voto paupertatis: cum aliud ſit non habere proprium, nec redditus, vel capellanias, & alia (quæ ſunt materia voti paupertatis in Societate): aliud verò non admittere relaxationem in hoc inſtituto paupertatis, quod eſt optima materia huius voti.

An autem admittendum ſit quod ait *Sanch. l. 6. mor. c. 18. n. 8.* votum hoc non intelligi de quacumque relaxatione paupertatis, ſed tantùm de paupertate quo ad redditus, ac bona ſtabilia donorum profeſſorum Societatis, id colligens ex *6. p. Conſtit. c. 2. in declarat. lit. A.* videbimus *q. 13.* A *Sanchez* certè non omninò diſſentit *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 5. p. 4. n. 5.* qui dicens oppoſitam opinionem eſſe veriorem, i. probabiliorem, indicat opinionem *Sanchez* eſſe probabilem.

QVÆRES V. An, & quo modo hoc votum ſit licitum, ſtante quod tanta poteſt in rebus humanis interuenire mutatio, vt omninò expediat bono Societatis domos profeſſas habere redditus in com muni: quo caſu votum hoc eſſet maioris boni impeditiuum, ſicque non eſſet votum, cum votum debeat eſſe de meliori bono.

210 ℞. Quod, quamuis, data illa hypotheſi, ceſſaret huius voti obligatio (quomodo ceſſaret etiam obligatio voti, quod quis faceret de non petenda diſpenſatione alterius voti à ſe emiſſi, ſi occurreret caſus, in quo, penſatis omnibus, prudenter iudicaretur melius, & gratius eſſe Deo petere diſpenſationem: vt notauit *Suar. ſup. nu. 11.* ſuſtinens *l. 2. de voto c. 1 c. n. 6.* contra *Sanch. l. 4. mor. c. 8. n. 20.* & alios dictum votum non petendi diſpenſationem alterius voti eſſe validum); non ideo tamen dicendum eſt hoc votum eſſe illicitum: eum ad hoc vt tale votum ſit licitum, ſufficiat materiam illius regulariter eſſe bonam; ſicut re vera eſt, cum hoc votum impediat relaxationem paupertatis, quæ ſolet eſſe occaſio cadendi ſimul à tota obſeruantia rigoroſa Religionis. Et quidem, cum quodlibet votum contineat iſtam conditionem generalem (vt ſcilicet ceſſet eius obligatio eo ipſo quod materia illius ſit inutilis, aut maius bonum impediens) nõ eſt opus eam in voto iſto explicari; vt obſeruat *Suar. tom. 4. de relig. loco paulò ante citato* monens ad hoc vt ſine ſcrupulo contraueniatur dicto voto non petendi diſpẽſationem, oportere, vt mutatio illa facta ex parte materiæ ſit euidens, ac certa; nam in dubio melior eſt conditio voti; cum certò conſtet de abſoluta promiſſione.

QVÆRES VI. Quæ actiones prohibeantur per illa verba *nunquam me acturum quacumque ratione*, quæ habentur in formula huius voti.

211 ℞. Quod, cum dicta verba deſumantur ex *6. p. Conſtit. c. 2. §. 1.* vbi dicitur *promittant ſe ad innouationem Conſtitutionum in his, quæ ad paupertatem pertinent, nihil facturos, niſi magis reſtringendam iudicarent*: & ibi in *declaratione* verba illa *nihil facturos*, ſic exponantur, *quod nunquam aſſentietur ad immutandum quod ad paupertatem in Conſtitutionibus pertinet, nec in conſenſu totius Societatis congregatæ, nec per ſe ipſum vlla ratione id curando*; ex vi iſtius voti duæ actiones in genere prohibentur: prima, ac præcipua eſt, quod ſi contingat in Congregatione generali controuerti de hoc puncto, nunquam Profeſſi ferant ſuffragium, vt paupertas relaxetur (quod ſuffragium eſt deciſiuum, ideoque circa illud præſertim vrget obligatio huius voti): ſecunda actio eſt, ne quacumque ratione procuretur, vt talis relaxatio fiat, vel admittatur in Societate.

Quod ſi quæras, an vi talis voti prohibeatur etiã ſuffragium ſolùm conſultiuum de tali relaxatione paupertatis facienda.

212 ℞. Prohiberi: eum per verba illa *nunquam me acturum quacumque ratione*, vel *conſenſurum* excludant omnem conſenſum cooperatiuum, & dantem efficaciam aliquam, aut auctoritatem eiuſmodi mutationi: quale vtique eſt etiam ſuffragium merè cõſultiuum, & à fortiori omnis poſitiuus fauor, aut procuratio, ſicut notat *Suar. num. 10.*

QVÆRES VII. An profeſſus ſocietatis peccet contra hoc votum, ſi videns alios procurare huiuſmodi relaxationem paupertatis, non reſiſtat, neque diſſuadeat, quamuis poſſit.

213 ℞. Non peccare; eſtò poſſit contingere illum peccare contra charitatem debitam ſuæ Religioni: quo modo etiam peccare poſſet in ſimili caſu non profeſſus, eſtò non emiſerit hoc votum. ita in terminis *Suar. ſup. num. 9.* & probatur tum quia per tale votum non obligatur profeſſus ad impediendum, aut reſiſtendum, ſed ſolùm ad non agendum; vt conſtat ex verbis illis *nunquam me acturum quacumque ratione*: voti autem obligatio non debet ampliari vltra verborum proprietatem; tũ quia quod dicitur in *cap. quantæ de ſent. excommunic. Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui, cum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obuiarr*: non procedit niſi in caſibus iure expreſſis, & ita declaratis; qualis eſt in textu citato, non autem in præſenti. cum *Suarez* ſentit *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 5. p. 4. n. 4.*

QVÆ-

QVÆRES VIII. An profeſſi Soc. non obſtante hoc voto in caſu, quo dubitetur, vtrum expediat immutatio paupertatis inſtituræ, poſſint rõ hanc cogitare, & rationes dubitandi in vtramque partem proponere, nec non proferre, quid veroſimilius, aut probabilius appareat.

214 ℞. Poſſe; cum, ſuppoſita tali dubitatione, hæc omnia non ſolum ſint honeſta, ſed etiam neceſſaria ad commune bonum: vt ſic euitetur periculum alicuius maioris incommodi totius Religionis. quę ratio item probat non futurum eſſe contra hoc votum, ſi Profeſſus in dicto dubio conficiat hac de re aliquam ſcripturam, aut etiam conſulat doctos viros ad cognoſcendum, quid magis expediat bono ſocietatis; ſi quidem eſt par ratio in his omnibus caſibus, vt patet.

Dices, quid ſi profeſſus, etiam ſecluſo illo dubio, talem ſcripturam efformet, & conſequenter abſq; neceſſitate: peccaretne is contra hoc votum?

215 ℞. Videri non peccare, ſi intenderet ſcripturam illam apud ſe retinere, aut certè ſi illam alijs traderet, id faceret ſine animo eos inducendi ad conſentiendum relaxationi paupertatis; ſic enim diceretur agere ad relaxandam paupertatem ſolum ſpeculatiuè (vt ita dicam) non autem practicè: cum tamen per verba illa *nunquam me acturum quacumque ratione*, excludatur ſolum cooperatio practica, & re vera efficaciter influens in relaxationem paupertatis; quamquam, ſi Auctor talis ſcripturę præuideret alios vi illius inducendos eſſe ad pręſatam relaxationem: puto quod peccaret contra hoc votum, etſi non intenderet talem inductionem; cum verè influat moraliter in relaxationem paupertatis prohibitam à dicto voto, & alioqui non excuſetur ratione bonæ fidei, aut inaduertentiæ, vt ſuppono. Quod à fortiori verum eſſet, ſi profeſſus talem ſcripturam faceret animo illam alijs exhibendi, ſicque eos inducendi ad relaxandam paupertatem: cum ſic talis ſcriptura æquiualeat ſaltem conſilio, quod qu. 6. diximus prohiberi per hoc votum, & influat efficaciter in relaxationem paupertatis. ita docti viri è ſocietate à me conſulti.

QVÆRES IX. An, & quo caſu profeſſi Societatis poſſint, non obſtante hoc voto, agere cum Papa de relaxanda paupertate ipſius Societatis.

216 ℞. Poſſe; ſi poſito dubio, num expediat bono Societatis dicta relaxatio, nec ne, Societati non poſſit conſtare certò, ac euidenter de rei veritate; idque vt tota dubitatione, eiuſque rationibus propoſitis Papæ, ipſe ſtatuat, quod ipſi Societati melius eſſe iudicauerit. Quamquam, vt aduertit *Suar. n.* 12. in tali caſu melius eſſet, ac ſecurius petere ab illo facultatem, vt, non obſtante hoc voto poſſet vnuſquiſque liberè proponere, quod ſentit, aut opinatur: quod eſſet petere diſpenſationem huius voti.

QVÆRES X. An Profeſſi Societatis ſtante hoc voto poſſint licitè acceptare relaxationem paupertatis caſu, quo Papa motu proprio ipſis concederet facultatem illam relaxandi ductus iuſta cauſa.

217 ℞. Diſtinguendo: vel Papa dictam facultatem concedit præcipiendo vſum illius; & ſic profeſſi non ſolùm poſſunt, ſed tenentur illam acceptare, non obſtante hoc voto: ſi quidem per hoc ſe obligant tantùm ad non conſentiendum relaxationi paupertatis, quantum eſt ex parte ſua, non item ad reſiſtendum imperio Papæ, cui tanquam proprio Prælato vi voti obedientiæ tenentur parere iuxta dicta de voto obedientiæ. Vel Papa concedit dictam facultatem ſolùm indulgendo: non tamen arctando Societatem ad illam neceſſariò acceptandam: & ſic *Sanch. l. 6. mor. c.* 18. *n.* 15. negat profeſſos poſſe conſentire in talem conceſſionem; eò quod per illud votum ſe priuent poteſtate tam procurandi relaxationem paupertatis, quam illam vltrò oblatam admittendi: *Suarez* tamen *num.* 16. & *Caſtrus Palaus ſup. num.* 11. exiſtimant (& benè meo iudicio) probabilius eſſe oppoſitum, videlicet profeſſos vi huius voti non prohiberi acceptare talem conceſſionem ſponte oblatam: idque colligitur ex *decreto* 48. *Congregationis* 2. *generalis*; Quod loquens de ceſſione, qua Patres dictæ Congregationis ceſſerunt conceſſioni *Concilij Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 3. *de Regul.* indulgentis ferè omnibus Religionibus, vt poſſent habere bona immobilia, etiam quibus antea non erat permiſſum, ſic habet, *Congregatio totius ſocietatis nomine ceſſit cuicumque iuri prouenienti ex conceſſione Concilij Trident.* quod eſt dicere, ſocietatem habuiſſe ius non cedendi, ſi voluiſſet, ſicut aduertit *Suarez*: quod ſi potuit non cedere; ergò & potuit dictam conceſſionem liberè acceptare.

218 Ex his autem duabus ſententijs magis mihi placet opinio *Suarez*: idque tum ob modo dicta: tum quia verba illa, quibus emittitur hoc votum *nunquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum*, cum debeant interpretari iuxta mentem Conſtitutionum, in quibus pro materia iſtius voti ſolum ponitur non procurare vllo modo, neque eſſe cauſam relaxationis paupertatis, non excludunt, quo minus talis relaxatio acceptari poſſit, ſi fiat à Papa; tum quia verbum illud, *vel conſenſurum* intelligitur de conſenſu cooperatiuo in actionem, ſeu negotiationem huic voto contrariam; cuiuſmodi non eſt iſta acceptatio, quæ non eſt conſenſus cooperatiuus, ſed potiùs receptiuus (vt ſic loquar.)

Quod ſi Papa modo dicto indulgeret relaxationem paupertatis ſub tacita conditione, ſi ſocietas iudicans eam ſibi expedire, illam acceptaret: putat *Caſtrus Palaus numer.* 12. non eſſe improbabile per hoc votum non prohiberi dictam acceptationem; cum hæc non ſit cauſa relaxationis, ſed conditio, vt relaxatio proprio motu facta à Papa effectum obtineat; & aliàs Profeſſi hoc voto ſolum promittere videantur ſe non procuraturos, neque conſenſuros in paupertatis relaxationem procuratione, & conſenſu, qui illius cauſa ſit.

219 Et quidem quod ſocietas potuerit non velle cedere conceſſioni illi Concilij Tridentini, conſtat ex dictis §. *præcedenti*, & maximè ex eo, quod acceptatio præſatæ conceſſionis non prohibetur

vi huius voti, & conſequenter ipſi non contrariatur.

220 Neque hinc ſequitur ſocietatem profeſſam etiam modò, ſi vellet, poſſe vti dicta conceſſione Concilij Trid. ſi quidem res non eſt integra, nec in eodem ſtatu: nam poſtquam Soc. ceſſit dictæ conceſſioni, virtualiter confirmauit votum ſolenne paupertatis, non obſtante illa conceſſione: & in eodem ſenſu profeſſi ſunt paupertatem omnes ſucceſſores, ſicque per votum hoc non relaxandi paupertatem promittunt illam paupertatem, quam ſic profeſſi ſunt, illæſam conſeruare, nihil ex parte ſua innouando, quod ſpectet ad eam relaxandam; reuocare autem ceſſionem factam, & à Sede Apoſtolica cum reliquo Inſtituto toties confirmatam vtiq; eſſet magna relaxatio, ideoq; contra hoc votum. ita *Suar. num.* 17. addens ſecùs fore, ſi vel Papa, vel aliud Concilium generale ſimilem denuò faceret conceſſionem: tunc quippe ſocietas libere poſſet eam acceptare, ſi vellet; cum ſic militent rationes allatæ pro conceſſione illa facta à Concilio Tridentino.

At quid ſi Papa ſine cauſa præciperet ſocietati relaxationem paupertatis, poſſet ne tunc ſocietas acceptare dictam relaxationem abſque tranſgreſſione illius voti?

221 ℞. Non poſſe, cum talis acceptatio repugnet voto ſolemni paupertatis, cuius obligatio auferri non poteſt abſq. iuſta cauſa; vnde neceſſe eſt, vt intercedat virtualis aliqua diſpenſatio, ſeu interpretatio, quæ non poteſt dari ſine iuſta cauſa. ita *Suar. n.* 14. ex hoc inferens quod, cum talis cauſa ſit rara, ac difficilis ad æſtimandum, ideo Papa raró, vel numquam talia præcepta ſolet imponere Religionibus circa ſimilia vota.

QVÆRES XI. An profeſſus ſocietatis peccet contra hoc votum, ſi conſentiat in relaxationẽ paupertatis, poſtquam in eam concurrerunt ſuffragia tot Profeſſorum, quot requiruntur ad aliquid legitimè ſtatuendum in Societate.

222 ℞. Videri peccare: cum prohibitio iſtius voti non excludat ſolum conſenſum, qui de facto efficaciter influat in relaxationẽ paupertatis, ſed quemcumque conſenſum abſolutè, ac generaliter; ſiue à parte rei influat, ſiue non, cum tamen natura ſua poſſit influere. quæ confirmari poſſunt ex doctrina, quam tradit *Leſſius l.2.c.13.n.23.* ex *Nauarro, & Caiet.* nimirum quod, quando plures ferunt ſuffragia, aut ſubſcribunt in cauſam iniquam; ſi quis conſentiat, vbi iam ſufficiens numerus ſuffragatus eſt, peccat m. eſtò non teneatur ad reſtitutionem: par enim ratio proportionaliter in caſu noſtro procedit, vt conſideranti facilè conſtabit.

QVÆRES XII. An caſu, quo ſocietas faceret aliquod ſtatutum contra hoc votum, tale ſtatutum eſſet tam inualidum, quam illicitum.

223 ℞. Tale ſtatutum fore quidem illicitum, non tamen inualidum; patetque quia multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, vt videre eſt in eo, qui cum ſit adſtrictus ſimplici voto Caſtitatis, contrahit matrimonium; is enim validè contrahit, quamuis illicitè; quod eſt adeo verum, vt, quando lex prohibens aliquem actum intendit illum etiam irritare, addat clauſulam irritantem; ſicut benè aduertit *Caſtr. Pal. tr. 3. D. 2. par. 8. num. 3.* monens *n. 4.* regulam iuris 64. qua cauetur, habenda eſſe pro infectis, quæ contra ius fiunt, non eſſe neceſſariò intelligendam de ijs, quæ fiunt contra ius dans formam actui, ſicut docet *Sanchez lib. 3. de matrimon. D. 5. num. 4.* ſed poſſe extendi etiam ad alia, cò quod quæ fiunt contra ius, etiam ſolum prohibens, poſſunt à Iudice haberi pro infectis, ſi videat eſſe conueniens ob violationem legis talem irritationem apponere (intellige, ſi actus ſit capax irritationis: nam aliqui actus ſemel validi non ſunt capaces irritationis, vt matrimonium;) quæ doctrina poteſt facere etiam ad præſentem caſum, vt patet.

An autem dato quod fieret tale ſtatutum contra hoc votum, illud licitè poſſet obſeruari in Societate, etiam ab illis Religioſis, qui fuiſſent auctores dicti ſtatuti.

224 ℞. Poſſe; quippe quod, licèt modo illicito fuerit factum, vtpote contra præſens votum, eſt tamen validum, cum ſit factum per legitimam poteſtatem; conſtat autem quod ſtatuta Religionum legitimè edita poſſunt licitè obſeruari, & quidem etiam ab ijs, qui illicitè concurrerunt ad illa: ſiquidem per hoc non fit, quo minùs ſint legitima, adeoque obſeruari poſſint.

QVÆRES XIII. An votum hoc obliget ſolum ad non procurandam relaxationem paupertatis quo ad bona immobilia, vt diximus *q. 4. §. notat,* ſed etiam circa alia omnia, quæ ſocietas obſeruat in vſu paupertatis.

225 ℞. Obligare ad totam materiam paupertatis, prout cadit ſub votum in ſocietate factum, in quocumque gradu, ſeu ſtatu illius factum ſit. ita *Suar. ſup. num.* 18. & probat tum ex Gregorij XIII. bulla, quæ incipit *Aſcendente Domino*, & ſic habet *nunquam acturos, vt quæ in conſtitutionibus Societatis circa paupertatem ordinata ſunt, immutentur*: cum tamen in Conſtitutionibus ordinata ſint tam ea, quæ pertinent ad collegia, ac domos probationis, quam cætera; tum quia quod dicitur in Conſtitutionibus *6. p. cap. 2. in declarat. Innouare quod ad paupertatem attinet, eſt relaxari ad redditus, vel poſſeſſionem vllam in proprium vſum, &c.* ideo dicitur, quia illa eſt præcipua, & magis propria materia paupertatis in Societate. diſſentit tamen *Sanch. lib. 6. mor. c. 18. nu. 8.* eiuſque opinionem *Caſtr. Pal. tr. 16. D. 5. p. 4. nu. 5.* indicat eſſe probabilem. dum dicit opinionem *Suarez* eſſe veriorem; ex opinione *Sanch.* inferens non facturum contra votum hoc Profeſſum. qui procuraret, aut conſentiret, vt Coadiutores formati retinerent dominium ſuorum bonorum, vt collegia, & domus probationis ipſo facto ſuccederent in bona ſuorum Religioſorum, & alia ſimilia; cum hæc non pertineant ad paupertatem Societatis profeſſæ, de qua ſolùm votum illud videtur intelligendum.

QVÆRES XIV. An Profeſſi Soc. peccent contra hoc votũ, ſi in collegijs, aut domibus, quibus præſunt, ſinant paulatim induci conſuetudines relaxatiuas paupertatis, cum poſſint eas impedire;

re;

re; v.g. quod recipiatur ſtipendium pro miniſterijs ſpiritualibus, &c.

226 ℟. Quod cum iuxta dicta *q. 7.* votum hoc non obliget ad aliquid agendum, ſed ſolùm ad non agendū, vt clarè cōſtat *ex 6.p. conſtit.c.2.* §.1. vbi dicitur *promittant ſe ad innouationem conſtitutionum in his, quæ ad paupertatem pertinent nihil facturos, &c.* & profeſſi in præſenti caſu non agant quidquam in ordine ad relaxandam paupertatem, ſed tantùm negatiuè ſe habeant, non reſiſtendo, nec impediendo; conſequenter dicendum eſt illos non peccare contra hoc votum, ſed ſolum contra charitatem debitam Religioni, aut etiam contra iuſtitiam, quatenus non impediunt relaxationem paupertatis, cum teneantur ex officio ratione prælaturæ ipſis commiſſæ, & commodè poſſint, vt ſuppono.

Dices, non obſtans percuſſioni Clerici, cum teneatur ex officio, incurrit excommunicationem latam in canone *ſi quis*: quam tamen non incurrit ille, qui non obſtat, cum teneatur ſolum ex charitate, ergò etiam in præſenti caſu dicendus eſt peccare contra votum non relaxandi paupertatem profeſſus Societatis conſtitutus in prælatura, ſi non obſtet dictæ relaxationi, cum teneatur ex officio: eſto non peccet contra dictum votum profeſſus non obſtans, qui ſolum ex charitate tenetur obſtare.

227 ℟. Negando paritatem; ſiquidem ad incurrendam dictam excommunicationem ſufficit, quod quis moraliter influat in percuſſionem Clerici: quo modo influit, qui eam non impedit, cum teneatur ex officio, ſicut innuit *Bonac. de cenſu. in comm. D.2.q.4.p.3.num.5.* ex *Molina*, & alijs: ad violandum autem illud votum non ſufficit, quod profeſſus Societatis quoquo modo cooperetur relaxationi paupertatis, ſed requiritur, vt in illam influat agendo, ſicut vidimus q. 7. quod non euenit in præſenti caſu, quo profeſſus influit in relaxationem paupertatis, non agendo, ideſt non impediendo; vt proinde mirum non ſit incurri excommunicationem à non obſtante percuſſioni Clerici, cum teneatur ex officio: & tamen non cenſeri transgreſſorem illius voti eum, qui non obſtat relaxationi paupertatis, cum teneatur ex officio, ideſt ratione prælaturæ: nam à diuerſis non fit illatio.

QVÆRES XV. An ad violandum iſtud votum requiratur, vt relaxatio paupertatis fiat per peculiarem Conſtitutionem, vel certè ſufficiat, quod præfatam relaxationem quoquomodo permittant.

228 ℟. Quod quamuis aliquis prima facie videatur requiri, vt dicta relaxatio fiat per Conſtitutionem; ſtante quod in *6.p. Conſtit.c.2.* §.1. de hoc voto dicitur *Promittant ſe ad innouationem Conſtitutionum in his, quæ ad paupertatem pertinent, nihil facturos*: & in *declarat.* additur *Et in re, quæ tantum habet momenti, Conſtitutiones mutentur poſt emiſſam profeſſionem vnuſquiſque promittat &c. quod nunquam aſſentietur ad immutandum quod ad paupertatem in Conſtitutionibus pertinet, nec in conuentu totius Societatis congregatæ, nec per ſe ipſum vlla ratione id curando.* nihilominus puto id non eſſe neceſſarium, ſed ſufficere, quod permittatur relaxatio paupertatis eo modo, quo ſuperiùs diximus: ſiue id fiat per ſtatutum, ſeu conſtitutionem, ſiue non. Ducor, quod in formula iſtius voti (ex qua colligenda eſt obligatio illius) non requiritur dictam relaxationem fieri per Conſtitutionem, ſed abſolutè dicitur *Promitto numquam me acturum quacumque ratione, vel conſenſurum vt quæ ordinata ſunt circa paupertatem in Conſtitutionibus Societatis, immutentur*: vbi notandum ly *in Conſtitutionibus Societatis* non reſpicere verbum *immutentur*, ſed illa alia verba præcedentia *quæ ordinata ſunt circa paupertatem*, adeoque interpunctionem apponendam eſſe immediatè ante verbum *immutentur*. præter quam quod in legem delinquit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem; & intentionem *l. non dubium C. de leg.* conſtat autem intentionem, ac finem huius voti eſſe, vt impediatur relaxatio paupertatis, ſicque auertatur à Societate malum ex ea proueniens: ad hoc autem parum, aut nihil refert, ſiue dicta relaxatio inducatur per ſtatutum, ſeu conſtitutionem, ſiue abſque conſtitutione; cum ijdem mali effectus ex ea prouenire poſſint.

SVBSECTIO III.

De voto non ambiendi dignitates intra religionem, quod faciunt profeſsi Societatis.

229 *Profeſſi Societatis Ieſu voueant non ambire dignitates intra ipſam Societatem.*
230 *Hoc votum eſt ſimplex.*
231 *Fit ad tollendam ambitionem.*
232 *Eius materia eſt fuga ambitus, etiam indirecti.*
233 *Vetat omnem actionem externā influentem in ambitū.*
234 *Idque etſi ambitus fiat per alium.*
235 *At actio illa debet ſufficiēter manifeſtatiua ambitionis*
236 *Declaratur, quid veniat hic nomine dignitatis, ac prælationis.*
237 *Suarez nimis ampliat harum acceptionem.*
238 *Non violat hoc votum, qui cupit dignitates.*
239 *At violat, qui ambit animo non acceptandi illas.*
240 *Violat, qui ambit in bonum Societatis.*
241 *Non item qui curat ſibi non auferri dignitatem iam obtentam.*
242 *Violator huius voti eſt incapax cuiuſuis prælationis Societatis.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

229 ℟. Fieri his verbis deſumptis ex ipſa formula, videlicet: *Promitto nunquam me acturum, vel prætenſurum, nec indirectè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Soc. eligar, vel promouear.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

230 ℟. Eſſe ſimplex; patetque ex dictis *ſubſ. præc. q. 2.*

QVÆRES III. Ad quem finē fiat hoc votū.

231 ℟. Fieri ad præcludendum aditum Ambitioni,

& conſequenter ad excludenda mala illa, quæ ex ipſa procedunt; ſi quidem, vt loquitur *S. Bernard. ſer.6 in Pſal. qui habitat; ambitio eſt ſecretum venenum, peſtis occulta, doli artifex, virtutum ærugo, & tinea ſanctitatis*.

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti.

232 ℞. Eſſe fugam dignitatum, ac prælationum quo ad eas non procurandas intra Societatem, ne indirectè quidem; ita vt profeſſus ſocietatis vi iſtius voti non poſſit, neque directè, neque indirectè procurare vllam dignitatem, aut prælationem intra ſocietatem, ſicque non curare, vt ad illas, vel eligatur, vel etiam promoueatur.

QVÆRES V. Quæ actiones hìc prohibeantur ſub ijs verbis, *nunquam me acturum, vel prætenſurum, ne indirectè quidem*.

233 ℞. Prohiberi quamcumque actionem externam, qua profeſſus ſocietatis procuret eligi, aut promoueri ad aliquam prælationem, aut dignitatem ipſius ſocietatis, & quidem ita, vt dicta actio importet aliquem influxum, ſeu cauſalitatem circa effectum obtinendi dignitatem, aut prælationem: ſiue poſtea procuratio fiat directè, ſiue indirectè eo modo, quo explicauimus *ſect. 4. q. 7. §. quod ſi quæras*. Vnde fit, vt vi talis voti non prohibeatur, neq; actus deſiderandi dignitates ſolo affectu interno; eum deſiderare vt ſic non ſit prætendere, procurare, aut agere aliquid ad conſequendam dignitatem; neque actio, quæ ſolum ordinetur ad reddendum ſe magis capacem, ac dignum prælatione, quæ prætenditur; cum per hoc non interueniat, neque indirecta prætenſio externa, qualis hìc præſupponitur; neque actio, qua quis oſtentet doctrinam, prudentiam, & ſanctitatem animo ſibi lucrandi aliquā dignitatem Religionis (non tamen exteriùs manifeſtato) cum nec hìc interueniat indirecta procuratio, qualis requiritur vi iſtius voti, vt oſtendimus *ſup. ſect. 4. q. 12*. Colligitur ex *Suar. to. 4. de relig. tract. 10. l. 6. cap. 7. numer. 9. 10. & 12.* patetque ex dictis citata *ſect. 4. q. 9. 10. & 12.* Quin etiam putat *Caſtrus Palaus tr. 16. D. 5. p. 5. n. 4.* nec improbabiliter, non violari hoc votum, ſi religioſus fingat virtutem, aut procuret Prælati beneuolentiam obſequijs, ac beneficijs, aut bonam exiſtimationem ex aliorum relatione apud Generalem aucupetur ad obtinēdam dignitatem in ſocietate: niſi hæ actiones fiant in ijs circumſtantijs, vt ex ijs prudenter colligatur animus ambitioſus operantis.

Addit *Caſtrus Palaus n. 5.* prætenſionem directā in præſenti materia eſſe illam, qua quis per propriam perſonam prætendit apud eum, qui prælationem conceſſurus eſt; indirectam verò, qua quis medio alio prætendit. non enim ſatis percipio, inquit *Caſtrus*, quo modo non ſit directa prætenſio, (etſi minùs expreſſa) ex qua quis animo quærendi dignitatem præſtat actionem ſufficienter declaratiuam ſuæ prauæ intentionis.

Quod ſi quæras an Profeſſus Societatis vi huius voti prohibeatur procurare dignitates, etiam per alium, qui pro ipſo v. g. intercedat apud prælatos Religionis ad effectum obtinendi illi aliquam dignitatem.

234 ℞. Quod, quamuis iuxta dicta *ſect. 4. citata quæſt. 7.* de rigore iuris dicendum videatur Profeſſum vi huius voti ſolum prohiberi procurare dignitates per ſe: cum in formula non apponatur clauſura *per alium*; ſpectato tamen communi ſenſu, ac æſtimatione Societatis dicendum eſt vi iſtius voti profeſſos ipſius ſocietatis prohiberi procurare dignitates tam per alios, quam per ſe: idque tum ob ea, quæ diximus *ea q. 7.* tum quia finis huius voti maximè militat in remouenda procuratione per alios; quippe quæ, cum ſoleat fieri à viris primarijs, ſiue eccleſiaſticis, ſiue ſæcularibus, eſt efficacior, & magis periculoſa.

Vtrum verò ad hoc, vt procuratio dignitatis ſit contra hoc votum, debeat non ſolum eſſe externa, ſed etiam manifeſtata ſigno aliquo externo ex ſe, aut ex concurrentibus circumſtantijs ſufficienter declarante internam mentem procurandi eo actu dignitatem.

235 ℞. Debere eſſe; patetque ex dictis *ſect. 4. q. 10.*

QVÆRES VI. Quid intelligatur hìc nomine dignitatis, ac prælationis.

236 ℞. Ex declaratione P. N. Aquauiuæ relata à *Sanch. lib. 6. mor. cap. 18. numer. 25.* intelligi omnia officia ſocietatis, quæ habent iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam: qualia ſunt officium Generalis, Prouincialis, Præpoſiti domus profeſſæ, Rectoris, Viſitatoris, Vicegeneralis, Viceprouincialis, Vicepræpoſiti, & Vicerectoris; non item alia officia; vt officium Aſſiſtentis, Magiſtri Nouitiorum, Miniſtri, Conſultoris, Admonitoris, Lectoris Theologiæ, Concionatoris, aut aliorum Superiorum; hæc enim in ſocietate non reputantur dignitates. Puto autem quod, licèt in hac declaratione non fiat expreſſa mentio de ſuperioratu Reſidentiarum ſocietatis; tamen is eſſe poteſt materia ambitus: cum ſit officiorum habens annexam iuriſdictionem, ſicque comprehendatur ſub præfata declaratione, vt patet.

237 Addit *Suar. ſup. num. 15.* poſſe eſſe contra hoc votum prętendere in ſocietate dignitatem aliquam extraordinariam; vt habere quaſi iure proprio, & perſonali ſuffragium in Congregatione generali extra omnem modum, & titulum præſcriptum in Conſtitutionibus; procurare nomen aliquod, & modum dignitatis, ratione cuius habeat conſortium aliquod in gubernatione cum aliquibus peculiaribus priuilegijs (cuiuſmodi ſunt in aliquibus Ordinib. Definitores, Magiſtri Ord. aut alij poſt aliqua grauiora officia emeriti, ac priuilegiati;) prætendere fieri electorem Præpoſiti generalis in Congregatione generali; deniq; procurare eligi in Procuratorem Prouinciæ pro Congregatione Procuratorum, (quod tamen affirmat *Suar.* ſub dubio id non carere ſcrupulo.) Verùm per iſtas extenſiones nimis videtur ampliari obligatio iſtius voti contra communem doctrinam Theologorum aſſerentium interpretationem voti ſic ſemper faciendam, vt ſalua verborum proprietate obliget minùs, quam fieri poſſit; imò & contra declarationem Pater N. Aquauiuæ

paulò

paulo ante allegatam, ſupponentem ſub iſto voto ſolum comprehendi officia habentia iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam; vnde, cum officia in iſtis extenſionibus propoſita à *Suarez* non importent iuriſdictionem ordinariam, aut delegatam (vt ſuppono) ea cenſeri debent non comprehenſa hoc voto: ſecùs, ſi ſupponamus ea importare iuriſdictionem modo ſupradicto.

QVÆRES VII. An, & quando peccet profeſſus Societatis contra illud votum, deſiderando dignitates, ac prælationes in Religione.

238 ℞. Non peccare quidem præcisè deſiderando dignitates: idque ob ea, quæ diximus q. 5. ſecùs, ſi deſideret procurare dignitates eo procurandi modo, qui ſit contrarius huic voto: cum enim actus internus, ac externus eiuſdem obiecti afficiantur eadem bonitate, aut malitia: ſicut procuratio dignitatis eſt contra votum, ſic & erit deſiderium illius. ita *Sanch.* in terminis *n.* 18.

QVÆRES VIII. An faciat contra hoc votum profeſſus Societatis, ſi ſolum procuret eligi ad aliquam dignitatem Religionis (v. g. vt redintegretur illius ſama, ac bona exiſtimatio ex aliquo accidenti non mediocriter læſa) interim habens animum non acceptandi dignitatem.

239 ℞. Facere contra votum; & ratio eſt, quod in hoc voto expreſsè prohibetur non ſolùm, vt profeſſus non procuret promoueri ad dignitatem in Societate (ad quod ſupponitur acceptatio dignitatis) ſed etiam vt non procuret eligi: ſic enim habet *promitto me nunquam acturum, &c. vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Societate eligar, vel promouear*; quare vt fiat contra iſtud votum, ſufficit, vt alterutra eius pars violetur.

QVÆRES IX. An peccet contra hoc votum profeſſus Societatis, ſi procuret aliquam prælaturam in Religione non propter excellentiam, ac poteſtatem, quæ in ea inſit, ſed in bonum Religionis, v. g. ad magis promouendam regularem diſciplinam.

240 ℞. Peccare; & conſtat, quia verba illa, quibus fit hoc votum *nunquam me acturum, vel prætenſurum*, ſunt indifferentia ad prætenſionem tam licitam, quam illicitam: non ſecus ac vouens abſolutè Caſtitatem, promittit abſtinere non ſolùm ab actibus venereis illicitis, ſed etiam à licitis matrimonij; vt benè aduertit *Suar. ſup. n.6.*

QVÆRES X. An profeſſus Soc. peccet contra hoc votum, ſi directè procuret ſibi non auferri dignitatem, aut prælationem iam obtentam.

241 ℞. Videri non peccare; cum ſic non procuret eligi, aut promoueri ad dignitatem: quod ſolum prohibetur in hoc voto, vt patet ex tenore illius.

QVÆRES XI. Quam pœnam incurrat profeſſus Societatis violando hoc votum.

242 ℞. Incurrere pœnam incapacitatis, & inhabilitatis ad quamuis prælationem intra Societatem: non tamen ipsò factò, ſed poſt ſufficientem probationem, adeoque poſt ſententiam, ſaltem declaratoriam criminis; vt rectè aduertit *Suar. num.* 16. habetur in *Conſtitut. p.* 10. §. 6. & clariùs *p.* 8. *c.* 6. §. 2. *in declarat. A.* vbi in ſpecie eſt ſermo de ambitione Generalatus; quin etiam ibi additur perpetua incapacitas votis actiuæ; vt oſtendunt verba illa, *nec in eam Congregationem, nec in aliam vnquam admitti poſſit.* Quamquam ad talem pœnam incurrendam ibi requiratur probationes delicti eſſe tales, vt rem ipſam, ſeu veritatem ſufficienter oſtendant. Quod autem dicitur *p.* 10. *Conſtit. c.* 6. §. 6. eſſe inhabiles ad quamuis prælationem eos, de quibus probari poſſit, quod eam ambijſſent; debet explicari de poteſtate iam reducta ad actum, non autem de poteſtate probationis; vt benè notauit *Caſtrus Pal. tr.* 16. *D.* 5. *p.* 3. *n.* 7. *ex Suarez.*

SVBSECTIO IV.

De voto non acceptandi dignitates extra Societatem, quod faciunt profeſſi eiuſdem Societ.

243 *Profeſſi Societatis Ieſu vouent non admittere dignitates extra ipſam Societatem ſine præcepto Papæ.*
244 *Hoc votum eſt ſimplex.*
245 *Fit in bonum ſpirituale tam profeſſi, quam Societatis.*
246 *Materia illius eſt fuga dignitatum extrà Societatem.*
247 *Eſt laudabile.*
248 *Non obligat in caſu neceſſitatis.*
249 *Vetat omnem actionem externam influentem in ambitum.*
250 *De rigore vetat ſolum ambitum directum.*
251 *Declaratur, quid hic veniat nomine prælationis, ac dignitatis.*
252 *In pluribus caſibus ceſſare poteſt obligatio huius voti.*
153 *Petit præceptum Papæ ad hoc vt acceptetur dignitas.*
254 *Et hoc procedit, etiam de Generali Societatis.*
255 *At ſufficit præceptum Papæ ſub peccato veniali.*
256 *Ad dictum effectum non ſufficit præceptum Collegij Cardinalium, ſede vacante.*
257 *Non violat hoc votum, qui dignitatem admittit ex præcepto Papæ iniquè facto.*
258 *Nec in tali caſu peccaret Papa, ſaltem mortaliter.*
259 *Peccaret tamen venialiter.*
260 *Præceptum, de quo hic, non debet eſſe formale.*
261 *Sine dicto præcepto non admittitur dignitas, etſi Papa iudicet expedire admiſſionem.*
262 *Idque etſi admiſſio credatur vtilis bono publico, & bono Profeſſi.*
263 *Votum hoc extenditur ad Epiſcopatus Indicos.*
264 *Vbi profeſſus obtinuit dignitatem extrà Societatem, non ligatur amplius hoc voto.*
265 *Et hoc, etiam ſtante decreto Vrbani VIII. hac de re facto.*
266 *Etſi aliàs ſub eo decreto contineantur Religioſi, qui ſimile votum prius emiſerant.*
267 *Limita, niſi ante hoc decretum obtinuerint dignitatem extra Religionem.*
268 *Vi præfati decreti inducitur incapacitas dignitatum, etiam merè ſæcularium.*
269 *Sicque violat hoc votum Profeſſus, qui ambit dignitatem laicam.*
270 *Non tenet electio, & acceptatio dignitatis facta contra hoc votum, ſtante præfato decreto Vrbani Oct.*

271 *Sic indebitè promotus nequit ambire alias dignitates.*
272 *At decretum illud Vrbani VIII. non extenditur ad dignitates regulares alterius Ordinis.*
273 *Violat hoc votum, qui curat illud ſibi relaxari, ſi per ipſum dicatur vetari ambitum, etiam indirectum.*
274 *Hoc votum non videtur poſſe irritari, neque à Papa.*
275 *Illud non violat, qui dignitatem admittit ex præcepto Papæ etiam facto ſub cenſura, non autem expreſſè ſub peccato.*
276 *Non violat, qui dignitatem admittit ex ſuppoſitione quod Papa præcipiat admiſſionem.*
277 *Etſi aliunde illud violet.*
278 *Sub hoc voto non includitur papatus.*

QVÆRES I. Quibus verbis emittatur hoc votum.

243 ℞. Emitti his verbis deſumptis ex ipſa formula: nimirum *Promitto nunquam me curaturum, prætenſurumve extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem: nec conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit, niſi coactum obedientia eius, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

244 ℞. Eſſe ſimplex; & patet ex dictis *ſubſect.2.q.2.*

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

245 ℞. Fieri, tum vt vnuſquiſque propriæ, & Proximorum ſaluti iuxta noſtræ profeſſionis humilitatem vacare poſſit: tum ne Societas ſubditis ſibi ad finem propoſitum valdè neceſſarijs priuetur. Colligitur ex *p.10 Conſtitut.§.* 6. vt notauit *Suar.tom.4. de relig.tr 10.l.6.c.8.n.22.*

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti.

246 ℞. Eſſe fugam prælationum, aut dignitatum extra Societatem quo ad eas non procurandas, imò nec acceptandas, niſi ex præcepto Papæ, vt inferiùs dicemus; ita vt hoc votum contineat duas partes, vnam non procurandi dignitates, & alteram illas non acceptandi.

QVÆRES V. An hoc votum ſit licitum, & laudabile.

247 ℞. Eſſe: & probatur, tum quia bonum eſſet propoſitum non acceptandi epiſcopatum, & aliàs ſimiles, dignitates niſi ex obedientia à Papa impoſita; ergò & licitum erit confirmare tale propoſitum voto; tum quia tale votum de facto fuit approbatum à varijs Pontificibus, non ſolùm pro Societate, ſed etiam pro alijs Ordinibus, & quidem per bullam; non approbaſſent autem, ſi non eſſet licitum: tum quia appetere epiſcopatum, aut procurare eſt illicitum; cum nihil in hac vita ſit difficilius, laborioſius, ac periculoſius officio epiſcopi, ideoque illud appetere arguat vel vaniſſimam præſumptionem, vel ingentem temeritatem; ergò è contra votum illud non procurandi licitum erit. ita *Sanch.ſup. num.30.Suarez ſup.c.8.n.7.Fagund.l.2. decal.c.31.nu. 13.* alijque communiter cum *S.Tho.2.2.q.185.a.2.*

248 Verum tamen eſt, quod votum acceptandi epiſcopatum ſibi oblatum in vllo prorſus *euētu*, eſt illicitum, ac temerarium, & conſequenter nullum; ſi quidem poteſt occurrere caſus vrgentis neceſſitatis, in quo adeſſet præceptum ſub mortali obligans ad illum acceptandum: vt ſi nullus alius reperiretur, qui præeſſet illi Epiſcopatui, v.g. inter hæreticos. ita *Sanch.n 31.& 32.Suar.n.15.Fagund.n.14.* & alij; inter quos *Sanch.num.32.* benè aduertit, quod, quamuis non acceptare epiſcopatum (ſeclusis caſibus, in quibus vrget præceptum illum acceptandi) ſit licitum, & conſequenter materia voti; ſi tamen per modum vnius complexi promittatur non acceptare epiſcopatum in vllo penitus euētu (vt in præſenti caſu) totum votum corruit, nec obligat neque in caſu licito, iuxta doctrinam quam tradit idem *Sanch.l.4.moral.c.10.num.10.*

QVÆRES VI. Quæ actiones prohibeantur in hoc voto per verba illa *nunquam me curaturum, prætenſurumue &c.*

249 ℞. Prohiberi illas eaſdem actiones, quas *ſubſect. præced.q.5.* diximus prohiberi in voto non ambiendi dignitates, ac prælationes in Societate ſupra à nobis explicato: vnde quæ ibi diximus locum habent etiam in præſenti voto.

Difficultas eſſe poteſt hìc, an vi huius voti prohibeatur procuratio dignitatum, etiam indirecta; & ratio dubitandi eſt, quod in formula huius voti non exprimitur clauſula *indirectè*, ſicut exprimitur in voto à nobis declarato *ſubſect.præcedenti*; vnde fit, quod, cum obligatio voti non debeat ampliari vltra verborum proprietatem (vt ſæpiùs diximus) prohibitio huius voti non videtur extendenda, niſi ad procurationem directam, quæ ſola importatur per verba ipſius voti.

250 ℞. De rigore iuris non videri prohibitam, niſi procurationem directam, idque ob modò dicta. Quod ſi *Sanch.l.6.moral.c.17.nu.27.* oppoſitum docet in terminis ſuſtinens ſub hoc voto comprehendi procurationem, etiam indirectam, eſtò de illa non fiat in eo expreſſa mentio; forte loquitur ex ſenſu, ac æſtimatione Societatis arbitrantis ſub iſto voto includi procurationem dignitatum tam indirectam, quam directam: quod ſi eſt, nec ego diſſentio ob doctrinam in ſimili traditam *ſect. 4. quæſt.7.* quæ proportionaliter applicari poteſt ad præſentem caſum; quod ego nego hìc, ſolum eſt, de rigore iuris, & vi verborum prohibitionem iſtius voti non extendi ad procurationem indirectam: & id forte neque ipſe *Sanchez* negaret; ſicut nec negarunt viri valdè docti e Societate à me conſulti.

QVÆRES VII. Quid intelligatur hic nomine prælationis, ac dignitatis.

251 ℞. Nomine prælationis intelligi epiſcopatum, abbatiam habentem iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, & quodcumque aliud officium in foro externo habens iuriſdictionem in ſibi ſubditos: cuiuſmodi eſt vicariatus generalis epiſcopi, & ſimilia; nomine verò dignitatis intelligi Cardinalatum, aut aliā dignitatem in eccleſia aliqua, & ſi prælatione careat. ita *Sanch.ſup.n.28.* hinc inferens profeſſum Societatis procurantem promoueri ad parochiam alicuius Eccleſiæ non agere contra hoc votum: cum officium Parochi non ſit prælatio, nec dignitas.

QVAERES VIII. Quid ſignificetur per illa verba *nec conſenſurum in mei electionem, quantum in me fuerit,* quæ apponuntur in hoc voto.

252 ℞. Quod, cum iuxta dicta *q.5.§.verum* poſſunt occur-

occurrere caſus, in quibus illicitum eſſet recuſare Epiſcopatum abſolutè (idque non ſolum in euentu, quo Papa profeſſo Societatis imponeret præceptum acceptandi aliquem Epiſcopatum, ſed etiam à fortiori quando præceptum naturale hoc ipſum ſuaderet, ſiue ob vrgentem Eccleſiæ neceſſitatem, ſiue quod ſigno ſpeciali, & miraculo manifeſtaretur talem eſſe voluntatem Dei, vt notauit *Suar. num.* 15.) hinc profeſſi Societatis non vouent abſolutè ſe non acceptaturos Epiſcopatum, ſed ſolum, quantum in ipſis fuerit; id eſt niſi occurrat caſus, in quo teneantur acceptare; quo modo Epiſcopatum acceptarent non ſpontaneè, ſed adſtricti præcepto, ſiue humano, ſiue iuris naturalis, ac diuini, & conſequenter verificaretur illos non acceptare Epiſcopatum, quantum in ipſis eſt.

QVÆRES IX. De cuius obedientia poſſit, & debeat profeſſus Societatis acceptare Epiſcopatum, aut aliam dignitatem extra ipſam Societatem non obſtante hoc voto, ſtante, quod in eo dicitur *niſi coactum obedientia eius, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati.*

253 ℞. Non poſſe, nec debere acceptare, niſi de obedientia Papæ, ideoque per illa verba *niſi coactum obedientia eius &c.* intelligi ipſum Papam. ita *Sanch. num.* 36. *& Suar. nu.* 16. patetque tum ex Conſtitutione Vrbani VIII. quæ incipit, *Honorum* relata hic *cap.* 1. *num.* 25. tum ex Societ. Conſtit. *p.* 9. *cap.* 3. *num.* 13. vbi id expreſsè deciditur in hæc verba: *Sine eius facultate, & approbatione nullus poſſit dignitatem vllam extra Societatem admittere, nec ille* (id eſt Generalis ipſius Societatis) *facultatem huiuſmodi dabit, nec id approbabit, ſi Sedis Apoſtolicæ obedientia ipſum non compelleret.* Vbi obiter aduerto, vi iſtius Conſtitutionis Religioſos Societatis prohiberi acceptare vllam dignitatem extra religionem ſine præcepto Papæ, etiamſi non ſint profeſſi, & per conſequens non emiſerint hoc votum; cum enim Conſtitutio dicat *nullus*, non diſtinguendo inter profeſſos, & non profeſſos; & ex alia parte Religioſi Societatis etiam non profeſſi non poſſint acceptare vllam dignitatem extra religionem ſine licentia proprij Prælati, vt oſtendimus in *tract. de votis cap.* 4. *ſect.* 3. *q.* 13. hoc ipſo quod Generalis Societatis (cuius eſt dare talem licentiam) eam non poteſt dare, niſi interueniente præcepto Papæ, conſequenter neque ipſi Religioſi poterunt ſine præcepto Papæ acceptare talem dignitatem; quod eſt benè notandum.

254 Quin etiam de ipſomet Generali Societatis in ſpecie habetur *p.* 9. *Conſtitut. c.* 4. *in declarat. lit. B. quod ſi Papa ordinet eum ſumere aliquam dignitatem, non tamen ità abſolutè imperando, vt oſtendat ſe velle eum ad tale officium admittendum obligare: non poteſt illam admittere ſine conſenſu Societatis, nec Societas poteſt conſenſum præſtare, niſi obedientia Sedis apoſtolicæ per præceptum quod ad peccatum obliget, illam compulerit* quod idem repetitur *c.* 5. *in fine, & lit. E.*

255 Addo, quod dicitur in hoc voto ſub *pœna peccati*, intelligendum eſſe tam de peccato veniali, quam de mortali: ac proinde ſi Papa profeſſo Societatis iniungeret præceptum acceptandi aliquam dignitatem extra religionem ſolùm ſub peccato ven. (quod vtique poteſt facere ob dicta in *tract. de votis cap.* 4. *ſect.* 2. *q.* 4. *§. è contra*) profeſſum poſſe, & teneri oblatam dignitatem acceptare; cum votum loquatur de peccato indefinitè, & peccatum indefinitè ſumptum extendatur, tam ad mortale, quam ad veniale, vt patet.

Maius dubium eſt, an attenta diſpoſitione illa Conſtitutionum ſuperiùs relata ex *p.* 9. *cap.* 3. *num.* 13. quod non poſſit religioſus Societatis acceptare dignitatem extra religionem abſque præcepto Sedis apoſtolicæ, ſi ſedis Apoſtolicæ obedientia ipſum non compelleret; poſſit profeſſus Societatis non obſtante hoc voto recipere aliquam talem dignitatem, ſi id ei præcipiatur à Collegio Cardinalium tempore Sedis vacantis: ſtante quod tunc Collegium Cardinalium repræſentat Sedem Apoſtolicam.

256 ℞. Videri non poſſe; cum iuxta communem loquendi modum nomine Sedis Apoſtolicæ non veniat Collegium Cardinalium, neque pro tempore Sedis vacantis, ſed Papa; ita docti viri à me conſulti ex *Sanch. l.* 3 *mor. c.* 10. *n.* 44.

QVÆRES X. An profeſſus Societatis tuta conſcientia poſſet acceptare dignitatem extra Religionem, ſi Papa id ei præciperet abſque iuſta cauſa.

257 ℞. Poſſe. ita in terminis *Sanch. l.* 6. *mor. cap.* 18. *num.* 38. ex *Hoſtienſi, Abulenſi, & Aſtenſi* contra *Hugonem* relatum ab *Hoſtienſi in ſum. de voto num.* 4. patetque ex dictis *ſup. ſect.* 4. *qu.* 19. *§. quod ſi quæras*, vbi hac de re egimus in caſu non diſſimili.

An autem Papa peccaret, ſine cauſa præcipiendo profeſſo Soc. vt non obſtante hoc voto acceptaret dignitatem extra religionem.

258 ℞. Probabile eſſe, quod non peccaret ſaltem m. & ratio eſt, quod ſicut ſuperior poteſt irritare vota proprij ſubditi, etiam ſine cauſa abſque eo quod peccet m. imò nec v. iuxta *Toletum l.* 4. *cap.* 18. *nu.* 9. *Nau. cap.* 13. *num.* 73. *Caiet. v. votum c. vlt. Rodriq. to.* 1. *q.* 25. *a.* 7. & alios apud *Fagundez l.* 2. *decal. cap.* 33. *num.* 1. ea dicti ratione, quod ſic ſuperior vtitur iure ſuo, & aliàs nullo iure cogitur approbare vota facta à ſuis ſubditis; ſic & Papa poterit præcipere profeſſo Societatis, vt acceptet extra religionem, non obſtante hoc voto; cum talem votum inuoluat conditionem, quam Papa poteſt ponere, vel non ponere, nempe præceptum, quo profeſſus iubeatur acceptare dignitatem extra Societatem. Vnde fit, quod ſicut ſuperior poteſt ſine culpa, ſaltem m. irritare vota ſubditorum, etiam abſque cauſa, eo quod ea inuoluant conditionem, *niſi Superior contradixerit*; ſic & Papa ſine culpa ſaltem m. poterit etiam abſque cauſa præcipere profeſſo Societatis, vt non obſtante hoc voto acceptet dignitatem extra religionem: cum huiuſmodi votum item inuoluat conditionem hanc, *niſi Papa in contrarium præceperit*; itaut videatur currere proportionalis paritas in vtroque caſu: vbi autem militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio.

259 Dixi *ſine culpa ſaltem m.* vt indicarem videri difficile, quod Papa aliunde in caſu poſito non peccet, ſaltem venialiter. moueor tum quia impoſitio talis præcepti, ſi fiat ſine cauſa, eſt actus otioſus, qui

ſup-

ſupponit culpam v. tum quia in tali caſu interueniret aliqualis abuſus poteſtatis, quæ cum data ſit in ædificationem, cederet in deſtructionem: tum quia nonnulla deformitas eſt, & vitupetabile impedire ſine vlla cauſa promptitudinem illam ſubditi ad exhibendum Deo cultum per tale votum; vt in ſimili notauit *Sanch. l. 4. mor. c. 24. n. 13.* tum quia non decet quem vti iure ſuo cum tanto alterius præiudicio; quod omninò euenit in præſentia; cum maximopere conferat ad bonum totius Societatis, vt profeſſi illius non cogantur acceptare dignitates extra eam: ſicque impoſitio illa præcepti non poteſt non eſſe aliquo modo contra charitatem, & conſequenter culpabilis, ſaltem venialiter.

QVÆRES XI. An requiratur præceptum formale ad hoc vt profeſſus Societatis licitè poſſit acceptare dignitates extra religionem.

260 ℞. Videri probabile non requiri; & probatur tum quia propterea votum ſtrictè explicādum eſt, quantum fieri poteſt, ſalua verborum proprietate, ac communi intelligentia, vt ſic quam maximè caueatur periculum peccandi; id autem fit, interpretando votum ſtrictè, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit; quod inter alios benè aduertit *Bonac. D. 4. de leg. q. 2. p. 6. n. 10.* alijs citatis: cum ergò in propoſito caſu non poſſit Religioſus acceptare prælationem, aut officium extra Religionem, niſi interueniente præcepto Papæ; & tale præceptum poſſit eſſe vel ordinarium, vel proprium, ac rigoroſum; dicēdum eſt ad hoc ſufficere præceptum ordinarium; cum ſic tantò faciliùs euitetur violatio voti in acceptanda dignitate oblata.

Dices quid ſi contingat Papam iudicare, ac declarare meliùs eſſe, & maius Dei obſequium acceptare (epiſcopatum v. g.) nolit tamen rigorosè id præcipere, ſed tantùm ſimpliciter ordinare; poterit ne profeſſus acceptare epiſcopatum in tali caſu?

261 ℞. *Suar. ſup. c. 8. n. 16.* quod, quamuis prima facie videatur poſſe concedi totum, aſſerendo talem caſum comprehendi ſub ea exceptione *niſi coactum obedientia eius, qui mihi præcipere poteſt*: nihilominus oppoſitum ſuſtinendum eſt, eò quod in *Conſtitut. p. 9. c. 4. lit. B. in declarat.* dicatur expreſſè de Generali Societatis, quod ſi Papa ordinet eum recipere aliquam dignitatem, non tamen ita abſolutè imperando, vt oſtendat ſe velle eum ad tale officium admittendum obligare, non poteſt illam admittere ſine conſenſu Societatis &c. cum tamen ſit eadem ratio etiam de alijs profeſſis Societatis, adeoque in illis militet eadem iuris diſpoſitio iuxta regulam *vbi militat eadem ratio.*

QVÆRES XII. An poſſit Profeſſus Societatis acceptare dignitatem extra Religionem, non obſtante hoc voto, ſi iudicio prudentum id iudicetur magis expediens tum bono publico, tum bono ipſius Profeſſi, & quidem ſine præcepto Papæ.

262 ℞. *Sanch. l. 6. mor. c. 18. n. 37.* non poſſe; probatque ex eo quod, quamuis in caſu propoſito melius eſſet, ſecluſo voto, recipere dignitatem in ordine ad ſpiritualem proximorum vtilitatem; non eſt tamen melius in ordine ad acceptantem ob pericula, quibus ſe exponit recipiendo dignitatem; non tenemur autem cum tanto noſtro periculo ſpirituali procurare bonum commune, niſi præcepto cogente; ſicut notauit *Sanch.* addens etiam dato caſu, quo prudentum iudicio ſalubrius eſſet priuato Religioſo acceptare dignitatem, vt priuatus eſt: vt tamen eſt pars Societatis, ad cuius bonum principaliter ordinatur iſtud votum, abſolutè melius eſſe dignitatem non recipere, & conſequenter votum in tali caſu obligare; ne in Societate aperiatur oſtium ambiendi dignitates cum grauiſſimo eius diſpendio: quo pacto etiam Carthuſiano ſpectato vt priuatæ perſonæ conſultius eſt carnibus veſci in morbo periculoſo; quia tamen bono communi Religionis id non expedit (vt inferiùs dicemus) ideo poteſt licitè eas non edere, vitam propriam poſthabendo bono communi totius Ordinis.

QVÆRES XIII. An prohibitio iſtius voti ſe extendat etiam ad Epiſcopatus Indicos, Iaponenſes, & alios ſimiles, in quibus multum eſt oneris, ac laboris, & parum honoris, ac commodi temporalis: ita vt videri poſſit bonum & optimum opus illos acceptare.

263 ℞. Extendi, adeoque neque tales epiſcopatus recipi poſſe à Profeſſis Societatis abſque præcepto Papæ. ita *Suar. ſup. num. 25.* probatque tum quia votum generaliter loquitur, ac proinde debet generaliter intelligi: tum quia etiam in caſu propoſito non adeſt neceſſitas aliter faciendi; cum facilè ſit Papæ, imponere præceptum, vt acceptetur epiſcopatus oblatus: tum quia id non obſcurè innuitur in *10. p. Conſtit. lit.* A. in gloſſa per ea verba *nec tamen in Patriarchatu, & Epiſcopatibus Aethiopiæ admittendis reſiſti potuerit*: quod eſt dicere, etiam in ijs, quantum eſt ex parte Societatis, reſiſtendum eſſe. Diſſentit tamen *Sanch. l. 7. mor. c. 29. num. 67.* (quem allegans *Laym. in qq. canon. num. 192.* non reijcit) dicens votum hoc de ijs tantum dignitatibus intelligendum eſſe, quibus honor, & opes annexæ ſunt, non item de Epiſcopatibus Aethiopiæ, & ſimilibus, quibus cum oneribus paupertas adiuncta eſt.

QVÆRES XIV. An profeſſus Societatis vbi ſemel promotus eſt ad aliquam dignitatem extra Religionem, poſſit abſque violatione iſtius voti procurare aſcenſum ad ſuperiorem dignitatem.

264 ℞. De iure antiquo poſſe; & probatur ex eo quod in tali caſu ceſſat obligatio iſtius voti per ſubtractionem materiæ; ſi quidem materia iſtius voti non eſt ambitio, aut procuratio dignitatis abſolutè ſumpta, ſed reſpectiuè, i. reſpectu eius, qui adhuc permaneat in puro ſtatu Religioſi Societatis: ita vt ſenſus huius voti ſit non procurandi, aut acceptandi tranſitum à Religione ad talem dignitatem; ſemel autem facto tranſitu euacuata eſt materia voti: cum ſic omnis alius tranſitus ſit diuerſæ rationis: quippequi eſt tranſitus Religioſi non amplius perſiſtentis in puro ſtatu Religioſi Societatis, ſed iam promori ad prælationem non regularem, ideoque non comprehenditur ſub iſto voto: eo modo proportionaliter quo DD. communiter dicunt votum virginitatis propriè ſumptum, hòc ipsò quod ſemel violatum eſt, non amplius obligare; quod ſi in caſu propoſito ceſſat obligatio voti non ambiendi, ceſſabit & prohibitio procurandi dignitates

tates ex dicta obligatione conſurgens. ita *Suar.* in terminis *ſup. cap. 9. num. 13.*

265 Dixi *de iure antiquo*: quia de iure nouo poſſet non nihil dubitari, ſtante decreto Vrbani VIII. à nobis relato *ſup. ſect. 4. q. 20.* quo ſtatuitur votum non ambiendi dignitates extra religionem, quod faciunt aliqui Religioſi, durare poſt quamcumque ipſorum translationem, ſeu habitus priuationem, aut dimiſſionem; verùm puto noſtram reſponſionem ſubſiſtere, etiam de iure nouo ob dicta *ſect. 4. citata q. 2. o §. difficultas* in re non diſſimili.

Quod ſi quæras, vtrum iſto decreto Vrbani VII. comprehendantur etiam illi Religioſi, qui ante illius promulgationem fecerunt tale votum.

266 ℞. Comprehendi, & ratio eſt, quod quamuis lex non dicatur extendi ad præterita (loquendo de lege conſtitutiua noui iuris) id tamen fallit in caſu, quo oppoſitum claris verbis exprimatur, & hoc ex *l. leges C. de legib.* vbi dicitur leges, & Conſtitutiones certum eſſ futuris dare formam negotijs, nō ad facta præterita reuocari, niſi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendētibus negotijs cautum ſit: in noſtro autem caſu ſatis clarè exprimitur comprehendi ſub præſenti decreto etiam Religioſos illos, qui ante eius promulgationem dictum votum emiſerant; vt conſtat ex illis verbis, *Sed eos hactenus* (loquitur de omnibus, & quibuſcumque Religioſis, qui emittunt votum non ambiendi dignitates extra Ordinem) *& pro tempore, vt præfertur, translatos, expulſos, ac à delatione habitus regularis abſolutos, vel priuatos, quarumcumque dignitatum huiuſmodi proinde incapaces, & ad illas petendas, acceptandas, & obtinendas inhabiles remanere in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi translati, expulſi, ſeu à delatione habitus liberati, ſeu priuati non fuiſſent*; cum enim verba iſta ſint generalia, & vi illorum omnes, ac ſinguli Religioſi, qui præfato voto non ambiendi dignitates ex peculiari ratione ſui Inſtituti ſe adſtringunt, reddantur incapaces quarumcumque dignitatum non regularium, imò & inhabiles ad illas petendas, acceptandas, ac obtinendas, (non diſtinguendo inter eos, qui votum illud ediderant ante dictum decretum, & inter eos, qui poſt illud ſe adſtrinxerunt eo voto:) apertè ſequitur ſub præfato decreto comprehendi etiam illos Religioſos, qui tale votum fecerunt ante dictum decretum.

267 Verum tamen eſt quod incapacitas illa dignitatum, quæ ſtatuta eſt in iſto Decreto non extenditur ad illos Religioſos, qui poſt emiſſum votum non ambiendi de facto aliquo modo ante hoc decretum liberati ſunt à iugo regularis diſciplinæ, & promoti ad aliquam dignitatem extra Religionem; hi enim vi huius decreti non ſunt effecti incapaces dignitatum iam obtentarum: alioqui poſt editionem præfati decreti fuiſſent coacti eas à ſe abdicare; quod tamen non eſt factum. quare dicendum eſt decretum illud extendi tantum ad dignitates obtinendas in poſterum, ſiue ab ijs Religioſis, qui emiſſo voto non ambiendi ante promulgationem dicti decreti iam liberi erant à iugo Religionis; ſiue ab ijs, qui poſt dictum decretum receſſiſſent à religione.

268 Addo quod, cum votum non ambiendi ſolitum emitti in aliquibus religionibus indefinitè, & generaliter comprehendat dignitates extra religionem non diſtinguendo inter dignitates Eccleſiaſticas, aut ſæculares: & aliàs euenire poſſit, quod Religioſus translatus à religione ad ſæculum proueheretur ad aliquam dignitatem ſæcularem (v. gr. proregis) conſequenter dicendum eſt vi decreti iſtius Religioſos dicto voto adſtrictos reddi incapaces etiam dignitatum ſecularium: cum lex generaliter loquens, generaliter intelligi debeat, & præfatum decretum omninò generaliter loquatur de quibuſcumque dignitatibus; vt colligitur ex ipſo textu.

269 Ex quo vlteriùs ſequitur Religioſum voto non ambiendi adſtrictum peccare contra tale votum, ſi procuret modis ſupradictis promoueri ad aliquam dignitatem ſæcularem; cum votum ſit generale, ideoque excludat procurationem, etiam talium dignitatum; vtpote quæ ſunt dignitates extra religionem, ſicque comprehenduntur ſub voto non procurandi dignitates extra religionem. Quæ ratio item oſtendit abſque violatione iſtius voti non poſſe dictum Religioſum procurare dignitatem, aut prælationem alterius Ordinis: cum hæ ſint dignitates extra propriam Religionem; adeoque prohibitæ vi talis voti. quod maximè conſtat in voto, quod hìc explicamus: cum in eo expreſsè promittatur vouentem numquam curaturum, aut prætenſurum extra Societatem prælationem aliquam, vel dignitatem.

QVÆRES XV. An electio, aut acceptatio dignitatis facta contra hoc votum ſit non ſolum illicita, ſed etiam inualida.

270 ℞. Eſſe illicitam (vt euidenter conſtat) & ſimul inualidam; idque tum ob rationes, quas adducit *Suar. ſup. n. 20.* tum maximè ob decretum Vrbani VIII. *præcedenti q.* relatum; quod cum reddat Religioſum tali voto adſtrictum incapacem quarumcumque dignitatum extra religionem, nec non inhabilem ad eas petendas, acceptandas, ac obtinendas: manifeſtè apparet earum electionem, aut acceptationem non poſſe eſſe validam. & conſequenter eſſe nullam. Quare modo admitti non poteſt, quod docet *Suar. loco citato*, caſu quo Generalis Societatis indebitè vtendo poteſtate ſua, aut ex aliqua epicheia daret alicui Religioſo Societatis facultatem, aliquam dignitatem extra Religionem acceptandi ſine præcepto Papæ, acceptationem iſtam fore validam, quamuis illicitam; hoc inqnam modo non poteſt admitti: cum vi præfati decreti talis acceptatio ipſo facto ſit nulla, vt patet. nec mirum, quod *Suarez* in hoc diſſentiat; cum dictum decretum ad ipſum peruenire non potuerit, vtpote editum eo iam mortuo.

Dices, quod ſi quis Religioſus voto non ambiendi adſtrictus contra hoc decretum promoueatur ad aliquam dignitatem extra religionem abſque ſpeciali præcepto Papæ: poterit ne is ſine voti violatione procurare alias dignitates iuxta dicta *hoc cap. ſect. 4. q. 20. §. difficultas?*

271 ℞. Quod non; & patet, quia ſtante incapacitate illa ſtatuta in dicto decreto Religioſus iſte tali-

talitet promotus ad dignitatem extra Religionem perinde ſe haber, ac ſi non fuiſſet promotus; cum promotio re vera ſit nulla; ſicut ergò Religioſus non poſſet abſque violatione voti procurare dignitares extra Religionem, ſi nullo modo fuiſſet promorus ad eam diguitatem extra Religionem: ita nec poterit, daro quod promorio ſir nulla, ac inualida; cum eſſe promotum nulliter, & non eſſe ſimpliciter promotum, æquiparentur:& alioqui æquiparatorum eadem ſir ratio, ac idem iudicium.

272 Illud demum hìc placet aduertere pro intelligentia dicti decreti, nimirum incapacitatem dignitatum ibi ſtatutam non afficere religioſos voto non ambiendi adſtrictos, ſi ij adhuc exiſtenres intra Religionem, aliquam dignitatem acceptent extra illam, aut ad illam eligantur;ſi quidem deeretum loquitur præcisè de religioſis translatis, expulſis, ac abſolutis à delatione habirus regularis: quales vtique non ſunt religioſi voto non ambiendi adſtricti, quamdiu perſeuerant in proprio ordine. Quod tamen non facit, quin aliunde talis electio, aut acceptatio eſſe poſſit nulla, ac inualida: quo modo *Suarez vbi ſupra* oſtendit Profeſſum Societatis non poſſe valide acceptare dignitatem extta religionem abſque licentia Generalis (idque maximè ex *cap. ſi religioſus de elect. in 6.* vt vidimus *ſup.c.4.ſect.3.q.13.*) quamquam alioqui ſentiat dictum Profeſſum poſſe validè eligi ad digniratem extta Societatem,ſi illam accepret de licentia Generalis, etſi illicitè data, videlicet ſine præcepto Papæ: cum tamen iuxta ſuperiùs dicta ea non poſſit dari abſque præcepto Papę. Dixi, *idque maximè ex cap. ſi religioſus &c.* vt innuerem *Suarez* ſuam probare ſententiam etiam ex *Conſtitutionibus Societatis p.9.c.3 num.13.* nimitum ex verbis illis *ſine eius facultate, & approbatione nullus poſſit dignitatem vllam extra Societatem admittere*; vbi verbum illud *nullus poſſit*, de ſe ſufficit ad irritandum; vt vulgare eſt apud Doctores: quod idem in Conſtitutionibus habetur proportionaliter etiã de ipſo Generali Societatis, quatenus ipſa ſocietas quo ad hoc eſt Prælatus illius: vnde de eo dicitur *p.9.Conſt.c.4.lit.B.* in gloſſa quod ſi Papa ordinaret illum aliquam ſumere digniratem,non ramen ita abſolutè imperando, vt oſtenderet ſe velle eum ad tale officium admittendum obligare: non debet, nec poteſt ſine probatione Societatis eam admittere; vbi *Suarez* in ſpecie conſiderat clauſulam illam *non poteſt, nec debet*, quæ vim eandem habet cum illa *nullus poſſit*; vt etiam aduertit *Sanch.l.6. mor.c.11.n.43.* & ex multis probat *l.6.de matr.D.38.n.20.*

QVÆRES XVI. An profeſſus Societatis peccet contra hoc votum non ambiendi, ſi procurer ſibi hoc votum legitima poteſtate irritari, aut diſpenſari, aut commutari.

273 ℟. Videri peccare,ſi demus vi huius voti prohiberi procurarionem dignitatum, etiam indirectã (ſicut expreſſè ſentit *Sanch.l.6.mor.c.18.num.27.*): quippe in rali caſu interuenit procuratio indirecta exrerior, & quidem ſufficienrer manifeſtata,quatenus ralis procuratio narura ſua ordinatur ad obtinendans dignitates, vt facilè conſtabit conſideranti. Secùs,ſi dicamus vi huius voti ſolùm prohiberi procurationem dignitatum directam (vti *q.6.* diximus de rigore iuris poſſe ſuſtineri;cum enim votum ſit interpretationis ſtrictæ, nec debeat eius obligatio extendi vltra verborum proprietatem;& ex alia parte votum non ambiendi dignirates nõ ſit votum non procurandi irrirationem, aut diſpenſationem dicti voti: ſequitur obligationem iſtius voti non extendi ad præſentem caſum,adeoque vouentem non peccare procurando illius irritationem(ſi tamen eſt irritabile): cum re vera talis procuratio ex ſe non ſit illicita; ſicut nec eſt illicita ipſa irritatio, ſaltem m. vt vidimus *q. 10.*; quod idem proportionaliter dici poteſt de procuratione diſpẽſationis,aut commutationis,ſi ſufficiens cauſa diſpenſandi,aut commurandi occurrat.

274 Dixi, *ſi tamen eſt irritabile*; quia eſt valdè probabile eiuſmodi votum non poſſe irritari neque à Prælatis Societatis, neque ab ipſo Papa; idque ob doctrinam, quam in ſimili tradit *Suar.ſup.c.6.num.14.* dicens ſibi valdè probabile eſſe non poſſe Pontificem irritare votum non relaxandi paupertatem à nobis explicatum *ſubſect.2.* eò quod ſit votum quodammodo de ſubſtantia ſtatus religioſi Societatis aut certè per ſe ei annexum, & talia vota alioqui non poſſint irritari à Prælatis regularibus; cum tamen in poteſtate irritandi vota Regularium quo ad materiam, aut obiectum, per ſe loquendo, Papa non habeat maiorem poteſtatem,quam Generales Religionum reſpectu ſuorum ſubditorum: ſtante quod dicta poteſtas oritur ex voto obedientiæ, ac traditione, quæ fit per profeſſionem religioſam; hæc autem doctrina ſi admittitur in præfaro voto non relaxandæ paupertatis, debet etiam admitti in iſto voto non ambiendi dignitates;cum militent eędem rationes.

QVÆRES XVII. An profeſſus Societatis poſſit acceptare dignitatem extra religionem, ſi id ei præcipiatur ſub cenſura aliqua eccleſiaſtica (v.g. ſub pœna excommunicationis) & quidem à Papa.

275 ℟. Poſſe: cum perinde ſit præcipere ſub pœna excommunicationis, aut alterius pœnę eccleſiaſticæ obligantis ſub peccato, etiamſi ſolùm veniali,ac præcipere ſub pęna peccati; vnde fit,vt,ſicut poſſet Profeſſus Societatis acceprare digniratem extra religionem, ſi id ei præciperetur ſub pœna peccati (cum hoc expreſſè declaretur in ipſo voto); ita & poſſit acceptare in caſu, quo id præcipiatur ſub pęna eccleſiaſtica: cum ſic præcipiens implicitè, & conſequenter præcipiat etiam ſub pœna peccati, quatenus pœna eccleſiaſtica propriè dicta non incurritur ſine aliquo peccato, ſiue mortali, ſiue veniali; vt inter alios benè aduertit *Bonac. D.1. de cenſur.in com.q.1.p.2.nu.6.*

QVÆRES XVIII. An profeſſus Societatis violet hoc votum non ambiendi, ſi dignitatem aliquam extra religionem acceptet, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione quod ipſi id legitima poteſtate præcipiatur.

279 ℟. Videri non violare; eſtò in tali modo acceptandi interueniat aliquis defectus: quatenus ſic acceptans inde arguitur parum humilis. ratio autem reſponſionis eſt tum quia talis acceptatio,ſimplicirer loquendo, non eſt acceptatio, ideoque non eſt illa, quæ prohibetur vi iſtius voti (quod tamen

iuxta

iuxta ſæpius repetita debet ita interpretari, vt ſalua verborum proprietate obliget minùs, quam fieri poſſit); tum quia factum tempore inhabili, ſed relatum in tempus habile validum eſt, ſaltem pro tempore habili *l. in tempus ff. de hæred. inſtitut.* ergò & licita erit talis acceptatio, cum referatur ad tempus habile, quo ſcilicet illa per legitimam poteſtatem præcipietur; tum quia hypotheſis illa, ſub qua ſit talis acceptatio ſe habet tanquam conditio auferens totam malitiam ab actu; huiuſmodi autem cõditiones actum faciunt omninò licitum; vt ex communi tradit *Sanch. l. 1. mor. c. 2. nu. 24.* loquens de rebus non intrinſecè malis.

Dubium eſſe poſſet, an per talem modum acceptandi dignitatem violetur votum hoc non ambiendi, ſaltem quatenus prohibet vouenti, ne procuret dignitates extra Religionem; & ratio dubitandi eſt, quod in tali modo acceptandi videtur interuenire procuratio indirecta: quatenus ſic acceptans certum ſe reddit dignitatem illam ſibi oblatam fore ſuam, ſicque eam aliquo modo procurat, ſaltem indirectè.

277 ℞. Violari: idque ob rationem modò adductam, & ob ea, quæ habet *Sanch. l. 6. mor. c. 18. n. 19.*

An autem ſub hoc voto comprehendatur etiam Papatus.

278 ℞. *Suar. ſup. c. 9. nu. 14.* non comprehendi, præſertim loquendo de Papatu, pro vt modo confertur nimirum ſolis Cardinalibus.

SVBSECTIO V.

De Voto, quod faciunt Profeſsi Societatis de denunciandis ambientibus.

279 *Profeſſi Societatis Ieſu vouent denunciare ambientes.*
280 *Hoc votum eſt ſimplex.*
281 *Fit ad tollendam ambitionem ex metu talis denunciationis.*
282 *Eſt conueniens, ac vtile.*
283 *Duplex eſt eius materia.*
284 *Vi illius denuncianda omnis ambitio mortalis contra votum non ambiendi commiſſa.*
285 *Denunciatio hæc poteſt modò eſſe paterna, modò iudicialis.*
286 *Ad eam præſupponitur moralis certitudo delicti.*
287 *Denunciatio facienda, etſi delictum probari nequeat.*
288 *Imò & in caſu, quo delictum ſciatur ſub ſecreto naturali.*
289 *Secus, ſi ſciatur ex vera conſultatione ordinata ad confeſſionem.*
290 *Non item, ſi conſultatio ſit ſimulata.*
291 *Nobiſcum ſentit Sanchez.*
292 *Denunciatio fit à Prælato ſciente delictum ex literis à ſubdito ſcriptis, aut ad illum miſſis.*
293 *Non facienda denunciatio, ſi delictum ſit emendatũ.*
294 *Limita, niſi delictum eſſet publicum.*
295 *Vi huius voti denunciandus ambiens dignitates extra Societatem; idque ex quadam extenſione.*
296 *Et hæc extenſio afficit etiam profeſſos ante eius publicationem, ſi ea dicatur eſſe vera declaratio.*
297 *Vi huius voti non denunciandus, qui iam obtinuit dignitatem.*
298 *Neque is, qui vult ambire, ſed nondum cæpit ambire.*
299 *Neque is, pro quo conſtat alios velle ambire.*
300 *Neque is, cui Papa ſtatuit conferre dignitatem.*
301 *Neque is, qui ambiuit occultè, ac omninò fruſtra.*
302 *Neque is, qui ab alijs denunciatus eſt, loquendo de denuntiatione paterna.*
303 *Denuntiatio non facienda, ſi conſtet eam fore fruſtratoriam.*
304 *Denunciandus, qui bona fide ambit.*
305 *Vi huius voti denunciandi ſolùm Profeſſi ambientes: quod negat Sanchez, ſed reijcitur.*
306 *Huic denuntiationi præmitti poteſt correptio fraterna.*
307 *At id non eſt neceſſarium.*
308 *Et quidem loquendo regulariter, & per ſe.*
309 *Denunciatus de ambitu punitur, ſi iudicialiter denuncietur.*
310 *Et in hoc ſeruari debet certa forma iudicij.*
311 *In formula huius voti nomine Societatis venit Congregatio generalis.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

279 ℞. Fieri his ipſiſſimis verbis, quæ deſumpta ſunt ex ipſa formula; nimirum: *Tum ſi quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere* (ſermo eſt de dignitatibus tam intra Societatem, quam extra) *promitto illum, remque totam me manifeſtaturum Societati, vel Præpoſito eius*, i. Generali.

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſimplex, vel ſolemne.

280 ℞. Eſſe ſimplex ob dicta ſuperiùs *ſubſect. 2. q. 2.*

QVÆRES III. Quinam ſit finis huius voti.

281 ℞. Eſſe, vt Religioſi Societatis ſaltem timore huius manifeſtationis arceantur ab ambitione, ſicque eâ à nobis omninò relegetur ita *Sanch. l. 6. mor. c. 18. n. 40.*

QVÆRES IV. An hoc votum ſit conueniẽs, ac vtile.

282 ℞. Eſſe, conueniens quidem, quatenus deferre ad Superiorem peccatum ſubditi, maximè quando vergit in commune damnum, per ſe, & ex obiecto eſt bonum (dummodo fiat debito fine, ac debitis circumſtantijs,) vtile verò, quatenus, eſtò charitas poſſit etiam ipſa obligare ad deferendum peccatum ſubditi; peculiaris tamen obligatio religionis ex voto eſt magis clara, & expreſſa, ſoletq; multùm mouere conſcientiam religioſorum: præterquam quod iſtud votum non obligat ſolùm ſuppoſita alia obligatione charitatis, ſed abſolutè, nimirum quoties id fieri poteſt honeſtè, etiamſi non adſit obligatio præcepti.

QVÆRES V. Quæ ſit materia huius voti.

283 ℞. Quod, cum in hoc voto duplex materia conſiderari poſſit; remota, & proxima: remota quidem eſt peccatum ambitionis in procurandis dignitatibus: proxima verò eſt manifeſtatio talis peccati, eaque iuſta, & charitati conſentanea; ſicut in ſimili notat *Syl. v. denunciatio q. 5.*; quod tamen non fuit neceſſe explicare, cum materia ipſa, & ratio

voti

voti id ſufficienter manifeſtent.

Quod ſi quæras, qualis & quanta debeat eſſe ambitio, vt ſit materia huius voti, & debeat denunciari.

284 ℞. Nullam in hoc certiorem regulam aſſignari poſſe, quam quod illa ambitio, quæ cenſetur peccatum mortale contra votum non ambiendi, eſt etiam in ſuo ordine materia ſufficiens ad obligationem huius voti; nimirùm quod vi huius voti debeat denunciari. ita *Suar. to. 4. de relig. tr. 10. l. 6. c. 10. n. 6.* id colligens ex ipſis *Conſtitutionibus Societatis p. 10. n. 6.* videlicet ex illis verbis *Omnes profeſſi ſe nihil vnquam ad eam obtinendam* (id eſt dignitatem) *acturos, & quos agere animaduerterint delaturos Deo, ac Domino noſtro voueant*: quod eſt eandem illam actionem, quæ cauenda promittitur, vouere deferendam.

Difficultas maior eſt, an manifeſtatio ambitionis debeat fieri Superiori tanquam iudici, an tanquam patri.

285 ℞. Quod cum votum indiſtinctè fiat, non debet limitari citra id, quod materia ipſius voti intrinſecè petit (quod eſt ſolum, vt talis manifeſtatio honeſtè, ac vtiliter fiat;) ſi quidem circumſtantiæ concurrentes non conferant ad hoc vt fieri poſſit denuntiatio iudicialis; & è contra vtiliter, & commodè fieri poſſit denuntiatio paterna: per illam ſufficienter implebitur obligatio iſtius voti, & illa vi huius voti facienda eſt: quod ſi etiam fieri poſſit denuntiatio iudicialis; & hæc licitè fieri poterit, eritque ſufficiens ad implendam voti huius obligationem; quamuis ea non cadat immediatè ſub obligationem iſtius voti, vtpote inuoluens plus, quam promiſſum ſit per votum. Vnde fit, vt ſemper ſatisfiat huic voto, ſimpliciter manifeſtando rem Superiori, qui iudicabit, an procedi debeat ad denuntiationem iudicialem, poteritque obligare ſubditum, vt illam faciat, ſi eam cenſuerit expedire: ſin minùs in virtute iſtius voti, ſaltem in virtute obedientiæ; quod eſt ſatis. ita *Suar. ſup. numer. 9.* & cum illo *Caſtrus Pal. tract. 16. D. 5. p. 7. nu. 3.* monens atiam in caſu, quo tenearis denunciare iudicialiter, ſatisfieri voto per paternam denuntiationem. & ſi aliunde tenearis denunciare iudicialiter.

QVÆRES VI. Quæ, & quanta notitia de delicto alterius requiratur ad hoc vt profeſſus Societatis vi iſtius voti teneatur illud denunciare Superiori.

286 ℞. Requiri moralem certitudinem delicti, adeoque non ſufficere, quamcumque probabilitatem, ſed oportere talem eſſe, vt abſque temeritate aliqua poſſit ambitio indicari: hæc quippe eſt moralis certitudo, qualis in huiuſmodi rebus exigitur ita *Sanch ſup. num. 55. Suar. num. 11. Lezana to. 2. ca. 4. num. 14.* patetque ex ipſa forma vouendi, in qua dicitur *Si quem ſciam*; cum tamen non dicatur quis ſcire ea, de quibus dubitat, niſi de ijs habeat certitudinem moralem: cum ſcire iuxta Philoſophos importet certam cognitionem habere, & *Gloſſa in l. 2. §. antepenult. ff. de aqua pluuiali arcenda* dicat ſcire eſſe veritatem viſu perceptam in mente retinere; per viſum intelligendo quamcumque notitiam rei experimentalem, ſiue propriam, ſiue alienam: quod dico, quia ad ſcientiam hìc requiſitam ſufficit fides humana, certa, habita per teſtimonia fide digna: quo modo *Innocentius in c. cum in cauſa de iuramento calumniæ* ait iuramentum de veritate dicenda, quam quis ſciuit, non ſolùm eſſe poſſe de his, quæ quis vidit, ſed etiam de ijs, quæ indubitanter credit, non ſolum fide diuina, ſed etiam humana: in quo conſentit cum pluribus alijs etiam *Felinus in c. 1. de Sum. Trin. & fid. cathol.* dicens poſſe quem dicere pro certo ſcire, quod ab vno fide digno tanquam certum accepit: nobiſcum ſentit *Caſtrus Pal. tract. 16. D. 5. §. p7. n. 8.*

QVÆRES VII. An profeſſus Soc. vi huius voti teneatur denunciare, etiam in caſu quo ambitio eſt adeo occulta, vt probari non poſſit.

287 ℞. Teneri; & probatur tum quia quando ambitio denunciatur ad vitandum aliquod damnum, non eſt opus, quod denuncians poſſit illam probare (vt videre eſt in impedimentis matrimonij, quæ debent denunciari, etiamſi nō poſſint probari) eiuſmodi autem ambitio eſt in graue damnum religionis, vt patet: tum quia iſta denunciatio regulariter non fit tanquam Iudici, neque ad punitionem ambientis denuntiati (quod non poteſt fieri, niſi probato delicto,) ſed tanquam Patri ad conſulendum bono communi, ac impediendum, ne denunciatus obtineat dignitatē ambitā: qui finis vtiq; non ceſſat, quantũuis ambitio ſit occulta, ſed pleniſſimè obtinetur per denuntiationem factā Generali Soc. qui cautè poterit obuiare malo ambitionis, tam quo ad dignitates intra religionem, eas non conferendo Religioſo denunciato, quam extra, non conſentiendo vt acceptetur dignitas oblata, quæ iuxta ſuperiùs dicta non poteſt recipi ſine eius conſenſu. ita *Sanch. n. 48. Sua. n. 23.* citās pro ſe *Couarruiam, Adrianum Sotum, Nauarrum* alioſq; DD. & *Lezana vbi ſupra.*

QVÆRES VIII. An profeſſus Soc. vi huius voti teneatur denunciare, quando ambitio non ſolùm eſt occulta, ſed recepta ſub ſecreto naturali.

288 ℞. Teneri; & ratio eſt, quia eſtò de iure naturæ ſit ſimile ſecretum ſeruare; id tamen ſallit, quando delicta ſub eo ſecreto commiſſa vergunt in damnum Communitatis, & pendent in futurum, ſemper enim ſubintelligitur conditio, niſi tale ſecretum cedat in damnum boni communis; ſiquidem tunc obligatio eſſet iniqua, & contra ipſum ius naturale: quod omninò euenit in præſenti caſu; vt ſupponimus. ita *Sanch. n. 57. Suar. nu. 23. Caſtr. Palaus ſup. num. 9.*

QVÆRES IX. An profeſſus Soc. vi huius voti teneatur denunciare, ſi delictum nouit ſolum ex conſultatione ſecreta ordinata ad confeſſionem Sacramentalem, quamuis verè diſtincta ab ipſa confeſſione.

289 ℞. Probabile eſſe non teneri; ſi dicta conſultatio vera ſit, & non ficta; id eſt quod fiat animo intelligendi veritatem ad cauendum peccatum, aut ob alium bonum finem. Ratio reſponſionis eſt, quod cum remedium conſultationis ſecretę ex natura rei ſit ſummè neceſſarium ad bonum animarum, quod bonũ pręferri debet omnibus rebus temporalibus, ideoq; ad bonũ generis humani ſpectet, quod tale remediũ conſeruetur, & non reddatur inutile, aut

nimis

nimis oneroſum; hinc fit obligationum ſecreti debitam tali conſultationi, èſtò non obliget in omni caſu, & ſine vlla exceptione (ſicut obligat ſigillum confeſſionis) regulariter ſeruandam eſſe, & conſequenter non niſi ad vitandum grauiſſimum malum commune violari poſſe; qui tamen caſus in præſentia non videtur habere locũ, quamuis aliàs ambitio ſit ex peccatis vergentibus in damnũ Cõmunitatis: ſi quidem damnum, quod ipſi Religioni proueniret ex violatione dicti ſecreti, eſſet longè maius præfato damno ambitionis; quatenus data facilitate reuelandi dictum ſecretum, vix vllus auderet conſulere propriæ conſcientiæ per talem conſultationem; ſicque impediretur via conſulendi malo ambitionis, eamque excludendi à religione. Quæ omnia confirmari poſſint ex *decr. 32. Congreg. genera. 6.* in quo ſtatuitur quod habetur in noſtra regula de manifeſtãdis Superiori aliorum defectibus, *intelligi de illius defectibus, quæ ab alio notata, & obſeruata fuerint: non autẽ de ijs, quæ ipſimet ſecretò, & conſilij petendi gratia, vt dirigantur, vel inuentur, alteri communicauerint*; & quidem meritò, cum quod ſic ſcitur, moraliter dici poſſit neſciri, & hoc etiam titulo cenſeri poſſit non contineri ſub hoc voto. ita *Suar.* in terminis *n. 40.* & cum eo *Caſtrus Palaus ſup. p. 7. n. 11.*

290 A *Suarez* non diſſentit *Sanch. ſup. num.* 57. vbi ait, quod, quamuis ſecretum non debeat ſeruari quando delicta ſub tali ſecreto commiſſa vergunt in dãnum Communitatis, & pendent in futurum; ſi tamen contingat delinquentem ſic ſe detegentem reſipiſcere, & pęnitentia ductum ſe detegere alteri ad petendum conſilium, ſicq; conſulendum animæ ſuę; nullatenus poteſt denunciari; cum talis detectio ordinetur ad confeſſionem Sacrametalem; ea proportionaliter ratione, qua quis inueniens papyrum continentẽ peccata alterius deſcripta in ordine ad confeſſionem, tenetur ea tegere, pręciſa obligatione ſigilli quaſi Sacramentalis, eo quod ſcriptio illa re uera ordinetur ad confeſſionem: quod etiam euenit in præſenti caſu, vnde & de eo eadem ratione philoſophandum eſt; quamquam *Suar. n. 29.* diſſentiat à *Sanch.* in hoc; quod putat obligationem ſecreti in iſto caſu non eſſe ſigilli Sacramentalis, ſed tantum naturalis, ſi ea conſultatio fiat omninò extra confeſſionem: quod idem ſentit *Caſtr. Pal. n. 11.*

291 Dixi in reſponſione, *ſi dicta conſultatio vera ſit &c.* vt indicarem, quod ſi delinquens ſpecie ſolum conſultationis vtatur, ſiue animo aliũ inducendi ad malum, ſiue ad explorandam eius intentionem, ſiue ad alium ſimilem finem; tunc vtique talis conſultatio non eſſet digna ſecreto, ſicque ex vi huius voti denunciandus eſſet talis conſulens; eo modo, quo diximus de alijs caſibus occultis. ita *Suar. num. 29. & Caſtr. Pal n. 12.*

QVÆRES X. An profeſſus Soc. vi huius voti teneatur denunciare, ſi, cum ſit Superior alicuius domus, aut collegij, ex literis Religioſi ſubditi miſſis, aut receptis, & à dicto profeſſo lectis nouit illum procurare aliquam dignitatem, aut prælaturam extra religionem.

292 ℟. Teneri; & probatur ex eo quod, quandocumque vouens poteſt ſine peccato ſeruare votum tenetur illud ſeruare: at in noſtro caſu poteſt ſeruare, attenta facultate, quam habent Superiores Soc. quo ad legendas literas ſuorum ſubditorum; ergò & tenetur. nec obſtat Superiores teneri ſub ſecreto naturali tegere ea, quæ cognoſcunt ex literis ſuorum ſubditorum, & quidem ſub culpa mortali, ſi ſint res magni momenti, non ſecùs ac teneretur quilibet alius priuatus: vt colligitur ex *Layman l. 3. tr. 3. p. 1. ſect. 5. c. 4. n. 4.* id enim non habet verum in caſu, quo res cognita ſub ſecreto naturali vergit in damnum publicum, & pendet in futurum (vt in caſu noſtro;) præter quam quod etiam loquendo in ſpecie de literis *Mol. tr. 4. D. 36. n. 6. Nau. c. 18. n. 53. Sà v. litera Diana p. 3. tr. 6. reſol. 55. Peyrin. de R. S. q. 2. ca. 2. §. 13.* & alij communiter doceat non peccare eum, qui literas alienas aperit, ac legit; ſi ex ijs ſibi, aut alteri timeat graue aliquod periculum, ſiue ſpirituale, ſiue temporale: & conſequenter concedunt legentem tales literas poſſe vti notitia ex ijs habita in bonum ſui, aut alterius; vnde cum in præſenti caſu literæ vergant in damnum graue religionis, (vt iam probatum eſt,) & tale damnum pendeat in futurum; poterit Superior vti notitia ex illis habita, & conſequenter etiam ad denunciandum delinquentem, prout tenetur vi huius voti.

QVÆRES XI. An profeſſus Soc. vi huius voti teneatur denunciare ambientem dignitates, ſi certiſſimè conſtet illum eſſe plenè emendatum, nullum ſubſit periculum recidiui, occultum ſit delictum, nec adſit aliqua in futurum dependentia.

293 ℟. Non teneri: & probatur tum quia obligatio voti non debet extendi vltra propriam verborum ſignificationem ideoq; cum in voto dicatur *ſi quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere*, ſcilicet de præſenti, non autem dicatur *curaſſe, aut prætendiſſe*, quod longè diuerſum eſt: obligatio voti non debet extendi ad talem caſum: tum quia votum obligat inſtar legis Eccleſiaſticæ de eadem re editæ: at lex Eccleſiaſtica iubens delictum denunciari non comprehendit delictum occultum omninò emendatum; cum tunc ceſſet finis, ob quem id præcipitur, qui eſt correctio fraterna, ac euitatio damnorum, quæ timentur; ergò nec votum hoc in ſimili caſu obligabit. ita *Sanch. n. 60. Suar. n. 15. Lezana ſup. n. 14. Caſtr. Palaus n. 7.*

294 Dixi *ſi occultum ſit delictum*, quia ſi delictum eſt publicum, licet ſit emendatum, adhuc manet obligatio denunciandi: cum tunc denunciatio ordinetur non ſolum ad emendationem, ſed etiam ad punitionem delicti, & ſatisfactionem illorum, qui ex delicto paſſi ſunt ſcandalum. Dixi præterea, *& nulla ſit in futurum dependentia*: cum enim poſſit contingere, quod ambiens ſit plenè emendatus ſine periculo relapſus, & tamen ex negociatione præterita res ſint in eo ſtatu, vt moraliter ſit certum dictum ambientem conſecuturum eſſe dignitatem ambitam; in tali caſu denunciatio facienda eſt, ſiue Societati, ſiue eius Generali, vt ſic dignitatis cõſecutio impediatur, quod eſt finis huius voti. ita *Sanch. num. 60.* id confirmans ex *p. 8. Conſtit. cap. 6. §. 2.* vbi præcipitur ſub pæna excommunicationis, vt quicumque è Soc. ſciret aliquem affectaſſe, vel affectare generalatum ipſius Societ. eum denuncient ab obitu Generalis præteriti vſque ad electionem præſen-

tis: & hoc, quia quamdiu non eſt electus Generalis, præſumitur dependentia ambitionis præteritæ quo ad ſuum effectum. cum *Sanchez* ſentit *Caſtr. Pal. ſup. n.6.* addens *n* 7. in dubio, an ambiens ſit emendatus, faciendam eſſe denuntiationem; eò quod votum, & eius obligatio ſint certa, ideoque pet excuſationem incertam excuti non poſſint.

QVÆRES XII. An profeſſus Societatis vi huius voti teneatur denunciare ambientem dignitates tam intra, quam extra Societatem, an verò ſolùm illos, qui ambiunt intra Societatem.

295 ℟. Quod, quamuis vi Conſtitutionum talis denuntiatio videatur facienda ſolùm de ambiente dignitates intra ſocietatem, vt oſtendit *Suar. ſup. nu. 1. ex p. 10. Conſt. §. 6.* praxis tamen ſocietatis habet, vt votum hoc fiat de dignitatibus tam extra, quam intra Religionem. conſtat, quia poſt duo vota non procurandi prælationem, aut dignitatem intra, vel extra ſocietatem additur. *Tum, ſi quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere, promitto illum, remq; totam manifeſtaturum Societati, vel Præpoſito eius*; quare non videtur dubitandum, quin votum hoc obliget in vtroq; genere dignitatum: ſiue tale votum fiat ex vi citatæ Conſtitutionis: ſiue (quod eſt valdè probabile) ea fuerit extenſio quædam facta à Congregatione generali tertia, cuius auctoritate *decreto* 46. forma vouendi præſcripta à prima Congregatione *decreto* 102. ſic extenſa fuit: idq; iuxta intentionem S.P.N. Ignatij, quam potuerunt atteſtari vnà cum vſu ſocietatis multi ex Patribus, qui interfuerunt tertiæ illi Congregationi generali, eſtò verbis illis Conſtitutionis fuerit minùs ſufficienter explicata.

Quod ſi quæras, an profeſſi ſocietatis, qui tale votum emiſerant ante tertiam Congregationem generalem, vi dicti voti teneantur denunciare ambientem dignitates tam extra, quam intra ſocietatem modo ſupra dicto.

296 ℟. Teneri; ſi ſupponamus extenſionem illam fuiſſe veram, & propriam declarationem; cum enim declarãs nihil de nouo diſponat, ſed diſpoſitionem iam perfectam, ac certam apud ſe, licèt obſcuram apud alios, aperiat: Profeſſus non adſtringitur ad aliquid poſt præfatam extenſionem, ad quod vi voti non teneretur etiam ante illam, & quod non eſſet comprehenſum in ipſo voto, etiam ante præfatam extenſionem. ſecùs, ſi ſupponamus illam extenſionem voti fuiſſe veram, & propriam additionem obligationis; ſic enim quo ad illam non tenerentur, qui ante eius promulgationem votum hoc emiſerant: cum votũ ſit quædam lex priuata, quã vouens ſibi imponit; & lex non extendatur regulariter ad præterita; pro vt latè oſtẽdit *Caſt. Pal. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 5.*

QVÆRES XIII. An profeſſus ſocietatis vi huius voti teneatur denunciare eum, qui indebitè acceptauit dignitatem extra Religionem.

297 ℟. Quod, cum voti obligatio non debeat extendi vltra rigoroſam verborum ſignificationem; & in forma iſtius voti dicatur *ſi quem ſciam aliquid prædictorum curare, vel prætendere*, nulla mentione facta de acceptantibus indebitè dignitates; obligatio huius voti non debet ampliari ad iſtum caſum non expreſſum: eſtò is etiam potuiſſet exprimi; cum poſſit euenire, quod aliquis è Soc. clãdeſtinè acceptet dignitatem aliquam extra ipſam ſocietatem, quãuis ab ipſo non prætenſam, neq; procuratam; & id ſciatur ab aliquo Profeſſo, antequã publicè innoteſcat; quo caſu talis acceptatio potuiſſet eſſe materia illi' voti, vt patet; quamquam id non fuit adeò neceſſarium, cum dicta acceptatio non poſſit diù latere Societ. ſicq; conſequẽter poſſit eius executio impediri.

QVÆRES XIV. An profeſſus Societ. vi huius voti teneatur denunciare illum, quem ſcit velle procurare dignitatem aliquam ſiue intra, ſiue extra ſocietatem, nondum tamen incæpit procurare.

298 ℟. Non teneri; quamuis poſſit ad id obligari ex charitate; & ratio eſt, quod velle procurare dignitatem non eſt illam procurare (ſicut velle facere votum verè non eſt facere); ex alia parte votum hoc non obligat ad denunciandum, niſi eum, qui actu procurat, vt conſtat ex verbis. *Si quem ſciam aliquid prædictorum duorum curare, vel prætendere*; tum ergo à diuerſis non fiat illatio, & obligatio voti ſtrictè interpretari debeat: apertè ſequitur profeſſum ſociet. vi huius voti non teneri denunciare eum, quem ſolùm ſcit velle procurare dignitatem. cum quo tamẽ ſtat eum teneri ad hoc ex charitate, ſicut teneretur etiam quilibet aliùs è ſocietate, licèt non profeſſus; videlicet ad euitandum damnum, quod poteſt prouenire ex tali ambitione tã ipſi vouenti, quam Soc.

QVÆRES XV. An profeſſus ſocietatis vi huius uoti teneatur denunciare eum, pro quo ſcit alios illi procurare aliquã dignitatẽ, eo tamẽ inſcio.

299 ℟. Non teneri vi voti iſtius, teneri tamen ex charitate; idque ob dicta q. præcedenti, quæ faciunt etiam ad præſentis reſponſionis probationem.

QVÆRES XVI. An vi huius voti teneatur profeſſus ſocietatis denunciare illum, cui ſcit Papam ſtatuiſſe conferre aliquam dignitatem.

300 ℟. Non teneri, niſi ex charitate; ſi quidem ex denunciatione ſperet fructum, nempe impeditum iri collationem illam dignitatis opera ſocietatis; & hoc ob dicta *q.* 14. quæ etiam hìc intentum probãt.

QVÆRES XVII. An profeſſus ſoc. vi iſtius voti teneatur denunciare illum, quem ſcit procuraſſe dignitatem aliquam, ſed fruſtra; eò quod fuerit abſolutè reiectus à potente conferre, vel certè eò quod ipſemet pęnitentia ductus procurationem efficaciter reuocauerit.

301 ℟. Non teneri, ſi procuratio ſit occulta; ſecus, ſi publica; patetque ex ijs, quæ diximus *q.* 12.

QVÆRES XVIII. An profeſſus ſoc. vi huius voti denunciare teneatur de ambitu eum, quem ſcit alios denunciaſſe, aut fore denunciaturos.

302 ℟. Non teneri; ſi ſupponamus denunciationem faciendam eſſe, non iudicialiter, ſed paternè: ſecùs, ſi iudicialiter; patetq; ex dictis in *tr. de guber. c. 4. ſect. 1. q. 25.* ſi hìc aduertero, quod ſi in caſu, quo denunciatio ſupponatur fieri iudicialiter, conſtet delictum fuiſſe denunciatum à tot denunciatoribus, quot abſolutè requiruntur ad formam iudicialem; tunc, ſi qui alij præterea eſſent conſcij delicti denunciati, minimè tenerentur illud denunciare; cum ſic ceſſet finis denunciationis, & conſequenter etiam obligatio denunciandi: ſtante quod nulla lex obligat ad actum inutilem.

An

An autem talis denuntiatio fieri debeat, ſi conſtet ſuperiorem,cui fit,nullum remedium allaturum eſſe.

303 ℞. Non debere fieri, ſi id moralis certitudine conſtet; & hoc ob dicta in *citata tractat. de gubernat. loco citato q.*21.quę tamen non habent locum in caſu, quo de eo ſolum dubitetur: cum ſic votum obligans ad denunciandum ſit in poſſeſſione, & in dubio melior ſit conditio poſſidentis; præterquã quod in dubio nemo debet præſumi malus, & multò minùs ſuperior: præſumeretur autem in præſenti caſu, cum præſumatur non ſatisfacere ſuæ obligationi in re grauiſſima, cuiuſmodi eſt præcludere oſtiũ ambitioni in Societate, & negligere inde ipſi Societati imminentia.

QVÆRES XIX. An profeſſus Societatis vi huius voti teneatur denuntiare eum, quem ſcit bona fide procuraſſe dignitatem aliquam, non aduertendo id ſibi eſſe prohibitum, aut etiam inuincibiliter ignorando talem prohibitionem.

304 ℞. Teneri; & probatur, quia talis denuntiatio non ordinatur ſolùm ad punitionem ambientis (quo caſu poſſet dici ceſſare obligatio denuntiandi, ſaltem pro foro conſcientiæ; cum pœna propriè dicta ſupponat culpam,quæ hic non interuenit)ſed ad impediendam conſecutionem dignitatis ſic procuratæ, ac obuiandum damno, quod inde poteſt prouenire Societati; quæ vtique militant etiam in caſu, quo procuratio fiat bona fide. Colligitur ex *Suarez ſup.num.*32.

QVAERES XX. An profeſſus Societatis vi huius voti teneatur denunciare de ambitu non ſolùm profeſſos ipſius ſocietatis,ſed quoſcumq; alios è ſocietate.

305 ℞. *Suar.ſup. num.*7. non teneri denunciare, niſi Profeſſos; & probat tum quia, eſtò in forma huius voti dicatur indefinitè *ſi quem ſciam*: tamen ex ſubiecta materia, & ex contextu ſatis apertè colligitur illud relatiuum referri tantùm ad eos, qui ex voto tenentur vitare delictum ambitionis; tum quia licèt ſocietati maximè expediat, vt omnes,qui quoquo modo ſunt membra illius, caueant omnem ambitionem,cum tamen non omnes de hoc faciant votum, ſufficienter prouiſum videtur quo ad hoc ſocietati; ſi principalia eius membra, quæ cum illa iam ſunt vltimatè coniuncta (i. profeſſi) tali voto obligentur: quippe in quibus plus timeri poteſt hoc vitium ob inſigniores dotes, quæ in ipſis ſupponuntur. Oppoſitum ſentit *Sanch. numer.* 54.nimirum profeſſos ſocietatis vi huius voti teneri denuntiare religioſos ſocietatis, etiam non profeſſos; probatque ex eo quod, cum in formula votorum ſimplicium, quæ faciunt profeſſi ſocietatis, duplex votum præmittatur, priùs non ambiendi dignitates, aut prælationes in ſocietate, & poſteriùs non ambiendi illas extra ſocietatem, ſtatim ſubſequitur præſens votum denunciandi ambientes, per quod profeſſus promittit ſe denuntiaturum ambientes aliquid prædictorum duorum; & quidem vniuerſaliter non diſtinguendo inter profeſſos, & non profeſſos; vt patet ex illis verbis indefinitis *ſi quẽ ſciam*: præter quam quod mala, quorum euitatio intenditur per huiuſmodi denuntiationem, æquè ſequuntur ex ambitione profeſſi, ac non profeſſi. ita *Sanch.* ſed minùs probabiliter; cum nimis ampliet obligationem voti, quod tamen iuxta ſuperiùs dicta, eſt ſtricti iuris; vnde mihi placet magis opinio, quam ſuſtinet *Suarez*, eamq; approbarunt abſolutè docti viri è ſocietate à me conſulti,cum quibus ſentit *Caſtrus Pal.tr.*16.*D.*5.*p.*7.*num.*4.

QVÆRES XXI. An occurrente caſu denunciandi aliquem ambientem iuxta obligationem huius voti,profeſſus ſocietatis poſſit, imò & teneatur ante denunciationem præmittere correctionem fraternam.

306 ℞. Poſſe, non tamen teneri per ſe loquendo. ita *Suar.*in terminis *n.*32.*&* 33.*Sanch.nu.*58.quo ad priorem partem, alijq; & quidem quod poſſit præmitti correctio, conſtat, quia id non eſt contra hoc votum; quippe quod non fit de manifeſtatione facienda, nulla præmiſſa admonitione, ſed ſolùm de manifeſtanda ambitione, ideoq; non debet extendi ad alium caſum longè diuerſum,cum votum ſit ſtrictæ interpretationis. Nec obſtat,quod talis admonitio eò videtur tendere, vt manifeſtatio non fiat (ſi videlicet delinquens vi admonitionis emẽdetur) ſicq; videtur aduerſari huic voto, vt pote tendens ad impediendum illius actum; non obſtat, inquam, tum quia poteſt contingere dictam admonitionem fieri, non vt impediatur manifeſtatio, ſed vt delinquens ſciat ſuam ambitionem detegendam eſſe ſuperiori, ſicque meliùs ſe diſponat ad correctionem illius: tum quia intentio illa impediendi manifeſtationem, ſi debito modo concipiatur, non eſt mala, ſed bona; vt ſi ſic monens ſit animo paratus denuntiare ambientem caſu, quo is non reſipiſcat vi monitionis, aut non omninò impediatur omnis effectus ambitioſæ procurationis; aliàs omiſſurus denuntiationem, ſi ambitioſus plenè emendetur, & auferatur omnis effectus ambitionis:quod benè aduertit *Suarez n.*32.nobiſcum ſentit *Caſtrus Pal. n.*13.

307 Quod vero in caſu propoſito profeſſus ſocietatis vi huius voti, aut certè ex lege charitatis non teneatur præmittere correctionem fraternam, probatur quia, quod ſpectat ad hoc votum, in eo nihil agitur de præmittenda fraterna correctione; quod autem ſpectat ad legem charitatis, inde ſuadetur quod,licet illa denuntiatio ſit ſecreta, & per ſe non ordinetur ad punitionem delicti;re vera tamen non eſt correctio fraterna, nec ſpectat ad præceptum illius; cum per ſe non ordinetur ad bonum priuatũ fratris,quod eſt emendatio illius; ſed ad bonũ commune procurandum, & impediendum commune damnum religionis ex aſſumptione ſui ſubditi ad prælaturam: vnde communis ſententia Doctorum eſt in delictis per ſe vergentibus in damnum Communitatis, non eſſe per ſe loquendo, neceſſarium, quod correctio præcedat denũtiationem; cum quo ad ea rariſſimè præſumatur ea profutura.

308 Dixi *per ſe loquendo*, vt innuerem quod, quamuis vbi per ſe primò agitur de communi bono, & de firmo,ac ſecuro remedio illius, & vbi adeſt periculum mali grauiſſimi, priuata monitio non ſit remedium opportunum,ideoq; ordinariè nõ ſit opus mediũ illud intentare: per hoc tamen non tollitur, quin in caſu aliquo ſpes tanta eſſe poſſit fructus, ac

Vu 2 reme-

remedij per admonitionem ſecretam, vt charitas obliget ad eam præmittendam; At hoc in noſtro caſu eſt adeo rarum, ac difficilè, vt cenſeri poſſit non eſſe caſus moralis, ſicque abſolutè dici poſſit in caſu ambitionis non extare obligationem pręmittendi correctionem, antequam denuntiatur. ita *Suar. numer.* 33. monens in hoc caſu non ſolum licere; ſed etiam melius eſſe ſtatim adire Superiorem, eo quod comparatione boni communis, de quo hic agitur, damnum fratris proueniens ex tali denunciatione quaſi nihil exiſtimetur.

QVÆRES XXI. An Religioſus Societatis vi huius voti denunciatus de ambitu poſſit puniri in virtute talis denunciationis, & quando.

309 ℞. Poſſe; ſi denunciatio fiat iudicialiter modo inferius explicando; non item ſi fiat tanquam patri: talis enim denunciatio non ordinatur ad punitionem, ac inhabilitandum ambientem; cum hoc non poſſit effici, niſi delicto iuridicè probato: ſed ad proſpiciendum bono communi, impediendo, ne ambiens denunciatus conſequatur dignitatem ambitam; quod facilè poteſt præſtare Generalis Societatis ob dicta q 5. §. *difficultas maior eſt.* Colligitur ex *Sanch. numer.* 56. qui proinde ſuſtinet vi denunciationis etiam factæ, tanquam patri, poſſe Religioſum denunciatum impediri ab adipiſcenda dignitate ambita; quod eſt benè aduertendum.

Quod ſi quæras, quos & quales ſocios debeat Superior Societ. adhibere ad iudicandum de ambitu Religioſi delati, eumque puniendum.

310 ℞. Ad iudicandum quidem de ambitu Generalatus requiri, vt Vicarius generalis Societatis aſſumat tres alios ex antiquioribus profeſſis vocatis ad Congregationem generalem (hoſque diuerſarum nationum, itaut omnes 4. Iudices ſint ex illis 4. nationibus, ex quibus eligi ſolent Aſſiſtentes, idque ex *can.* 49. Congregationis generalis 4.) & vt condemnatio non fiat, niſi vt minimum tribus ſuffragijs; ſic enim habetur *p.* 8. *Conſtit. cap.* 6. *in declarat. lit. A.* vbi additur, quod ſi ipſemet Vicarius generalis, aut aliquis ex antiquioribus notaretur, ſemper 4. ex ijs, qui prius profeſſionem emiſerunt, iudicabunt, excluſo eo, qui notatus eſt, & eorum quiſque ad cuius aures huiuſmodi infamia perueniret, reliquos vocet, vt de ea cognoſcatur. Vbi notandum puto, quod cum modo in Soc. eligantur quinque Aſſiſtentes: conſequenter affirmandum videtur vi illius canonis 49. ex natione Aſſiſtentis additi aſſumendum eſſe alium Iudicem: itaut in iudicio ferendo de ambitu Generalatus interuenire debeant quinque Iudices ex diuerſis nationibus modo ſupradicto. ita docti viri è Soc. à me conſulti; & patet quia fines, qui intenti ſunt à 4. Congregatione generali in promulgatione dicti canonis 49. æque militat etiam reſpectu Aſſiſtentis de nouo adiuncti; vbi autem militat eadem ratio, militat, & eadem iuris diſpoſitio.

QVÆRES XXII. Quid intelligatur in iſto voto per ea verba, *remque totam me manifeſtaturum Societati, vel Præpoſito eius.*

311 ℞. Nomine Societatis intelligi Congregationem generalem; vnde denunciatio ambientium fieri debet, ſiue Congregationi generali Societatis, ſi tunc temporis ſit coacta, ſiue Præpoſito generali eiuſdem Societatis.

SVBSECTIO VI.

De voto quod faciunt Profeſſi Societatis de audiendis conſilijs Generalis, &c. ſi eligantur in Epiſcopos.

312 *Profeſſi Societatis vouent audire conſilia Generalis, ſi in alicuius Eccleſiæ Præſides promoueantur: & votum eſt ſimplex.*
313 *Eſt in bonum vouentis, ac Proximorum.*
314 *Eſt licitum, ac validum.*
315 *Eſt vtile Religioſo vouenti.*
316 *Confert ad bonum regimen Eccleſiæ.*
317 *Obligat ad duo.*
318 *Explicatur, quid ſit detrectare audire conſilia Generalis.*
319 *Explicatur item, quid ſit promoueri in Præſidem Eccleſiæ: huic voto non videtur ſubeſſe Profeſſus factus Cardinalis.*
320 *Et à fortiori, ſi eligatur in Papam.*
321 *Item ei non ſubeſt indebitè promotus ad Epiſcopatum.*
322 *Hoc votum obligat ad audienda conſilia, tum Generalis, tum ſubſtituti ab eo, imò & ad ea implenda.*
323 *Si ea videat eſſe ſuis meliora omnibus circumſtantijs penſatis.*
324 *Hoc votum non obligat in dubio an ea ſint meliora.*
325 *Nec in caſu, quo meliora aliunde ſuggerantur.*
326 *Non obligat ad petenda conſilia Generalis.*
327 *Nec ad manifeſtandum ei negotium inducens neceſſitatem conſilij.*
328 *Non violat hoc votum, qui ſe auerſum Generali oſtendit, vt ſic declinet eius conſilia.*
329 *Generalis Societatis ſpecialiter non tenetur dare ea conſilia.*
330 *Obligatio huius voti non deſinit per promotionem ad Epiſcopatum.*
331 *Idque ex peculiari intentione vouentis, ne aliàs votum ſit illuſorium.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum; & an ſit ſimplex.

312 ℞. 1. Hoc votum fieri his ipſiſſimis verbis, quæ deſumpta ſunt ex formula ipſa voti; videlicet: *Promitto, ſi quando acciderit me hac ratione in Præſidem alicuius Eccleſiæ promoueri, pro cura, quam de animæ meæ ſalute, ac recta muneris mihi impoſiti adminiſtratione gerere debeo, me eo loco, ac numero habiturum Præpoſitum Societatis generalem, vt nunquam conſilium audire detrectè, quod vel ipſe per ſe, vel quiuis alius de Societate, quem ad id ipſe ſubſtitueret, dare mihi dignabitur. conſilijs verò huiuſmodi ita me pariturum ſemper eſſe promitto, ſi ea meliora eſſe, quam quæ mihi in mentem venerint, iudicabo.*

℞. 2. Hoc

℞. 2. Hoc votum eſſe ſimplex: patetque ex dictis hac ſect. ſubſect. 2. q. 2.

QVÆRES II. Ad quem finem fiat hoc votum.

313 ℞. Fieri ad conſulendum ſaluti ſpirituali Religioſi promoti ad Epiſcopatum, & maiori vnioni illius cum Societate, nec non maiori Proximorum ædificationi.

QVÆRES III. An hoc votum ſit validum, adeoque licitum.

314 ℞. Eſſe; & probatur 1. quia votum illud eſt validum, quod eſt de meliori bono, & nullam habet circumſtantiam vitiantem materiam illius: votum autem hoc eſt de meliori bono. (cum bonum ſit, ac laudabile in rebus arduis audire conſilia viri ſapientis, eaque exequi, ſi ad finem intentum ſuggerantur opportuna) nullamque continet circumſtantiam ipſum vitiantem; ergò illud eſt validum, & conſequenter licitum.

Dices; hoc votum continet circumſtantiam illicitam, & per conſequens vitiantem eius validitatem, quatenus per illud Religioſus promotus ad Epiſcopatum adhuc ſubijcitur iuriſdictioni, ac obedientiæ Societatis; ſicque derogat exemptioni ex ſacris Canonibus competenti ratione ſtatus epiſcopalis quibuſcumque Regularibus prouectis ad epiſcopatum; vt videre eſt in *c. ſtatutum* 18. *qu.* 1. & hinc patet, quod obligatio huius voti non aſſumitur pro ſtatu religionis (ſi quidem quamdiu manet in religione Religioſus, materia talis voti non habet locum) ſed pro ſtatu prælatiæ, in quo ſolùm dicta materia incipit habere locum: ita vt obligatio illius cadat ſupra gradum prælatiæ, cum cadat ſupra perſonam, quatenus ei competit adminiſtratio Eccleſiæ: votum enim hoc eſt de audiendis conſilijs in ordine ad talem adminiſtrationem: quod eſt contrahere ſubiectionem pro ſtatu prælatiæ ad Generalem Societatis; cum Religioſus Epiſcopus vi iſtius voti cogi poſſit ab ipſo ad audienda conſilia, & ille teneatur obedire, imò cogi poſſit in virtute obedientiæ ad dicta conſilia audienda. Hæc quippe non poſſunt ſubſiſtere, neque ex parte vouentis, neque ex parte Societatis: non ex parte vouentis; quia ſic Religioſus Epiſcopus præiudicaret exemptioni Regularibus Epiſcopis conceſſæ à iure communi; quod non poteſt facere, cum dicta exemptio ſit exemptio ſtatus, non autem priuatæ perſonæ: non ex parte Societatis, quia alioqui, ipſa ſe extenderet vltra ſphœtam ſuæ iuriſdictionis, illam exercendo in perſonas iam exemptas.

Verùm hæc doctrina falſo nititur fundamento; quod ſcilicet per tale votum Societati, eiuſque Generali acquiratur poteſtas, ac iuriſdictio in Religioſos Societatis iam promotos ad epiſcopatum: quod eſt falſum, vt apertiſſimè conſtat ex *Conſtitut. Societ. p.* 10. *numer.* 6. *litt. A* vbi de hoc voto dicitur: *Promittat etiam Deo, quod ſi quando dicto modo compulſus prælationem aliquam extra Societatem admittet, audiet poſteà quouis tempore Præpoſiti generalis, qui pro tempore fuerit, conſilium, vel alicuius, quem ille ſibi ad hoc ſubſtitueret: quodque ſi ſenſerit melius eſſe, quod conſulitur, ſit illud executurus: non quod habeat, qui Prælatus eſt, aliquem de Societate Superioris loco, ſed quòd ſponté in Dei conſpectu vult ad id faciendum obligari, quod ad diuinum obſequium melius eſſe intellexerit; quodque placeat eſſe aliquem, qui ſibi cum caritate, ac libertate chriſtiana ad gloriam Dei, & Domini noſtri id proponat.* Et quidem, cum dictum fundamentum ſit falſum, vt conſtat ex modò dictis, & indicant *Suarez tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *l.* 6. *cap.* 9. *num.* 2. *& Caſtrus Palaus tract.* 16. *D.* 5. *p.* 8. *num.* 3. corruant neceſſe eſt omnia illa, quæ aduerſus validitatem huius voti inferri ex eo poſſunt, eaque conſequenter negari poſſint, & debeant; ſicque.

Nego 1. per hoc votum derogari exemptioni Regularium Epiſcoporum ipſis iure communi conceſſæ à ſacris canonibus.

Nego 2. Religioſum Epiſcopum vi huius voti teneri obedire Generali ſocietatis ex voto obedientiæ religioſæ, ac poſſe ab eo cogi ad implendam promiſſionem huius voti; cum coactio iuriſdictionem ſupponat in perſonam cogendam, quæ non exiſtit quo ad hoc in Generali ſocietatis: etſi aliàs Religioſus Epiſcopus à propria conſcientia, vrgente voti vinculo, ad id aſtringatur.

Nego 3. Societatem per hoc votum ſibi ſubdere ſuos Religioſos, etiam promotos ad Epiſcopatum (quod eſſet ſubijcere gradum ſuperiorem legibus gradus inferioris) ideoque extendere ſuam poteſtatem vltra ſphœram propriæ iuriſdictionis.

Nego 4. per hoc votum effici, quod votum Obedientiæ religioſæ, eiuſque obligatio in ordine ad Generalem ſocietatis non extinguatur totaliter in Religioſo Epiſcopo, ſicque in ipſum poſſe Generalem ſocietatis exercere vim coactiuam, ac præcipere in virtute obedientiæ huius voti obſeruantiam, vt partem ſuæ Regulæ.

Nego 5. Societatem extendere ſuam iuriſdictionem in perſonas exemptas præſcribendo emiſſionem iſtius voti: hanc enim præſcribit ſuis religioſis pro eo tempore, quo ij ſubſunt illius poteſtati; etſi voti executio implenda ſit ab ijs quo tempore non ampliùs erunt ſubditi ſocietati; cogente ad id, non regula ſocietatis, ſed virtute Religionis, cuius actus eſt votum.

Nego 6. Dato hoc voto, ſequi contra *S. Thomam* 2. 2. *quæſt.* 185. *art.* 8. *& Caietanum ibi d.* 2. quod ſtatus epiſcopalis diſcat à ſtatu diſcipuli, & quod magiſter ſit auditor Diſcipuli (cum alioqui ſtatus epiſcopalis comparatus ad ſtatum religionis ſit ſicut ſtatus magiſtri ad ſtatum Diſcipuli) non enim votum hoc inductum eſt in Societate ad illuminandum intellectum, ſed ad firmandam voluntatem in ſequendis conſilijs ſalubrioribus; vt rectè notat *Suar. ſup. num.* 7. quamquam, eſtò hoc votum ordinaretur

ad illuminandum intellectum, non ideò eſſet improbandum: cum *Clemens ep. 3.* & refertur *diſt.38.cap. vlt.* Epiſcopum moneat, vt neque propter ſenectutem, nec propter generis nobilitatem omittat accipere vtilia, & ſalutaria conſilia, etiam à paruulis, & minus eruditis: & *S. Auguſtinus ep.75. ad Aurelium* de ſe ipſo dicat, *Si tibi, quam iuſtè fiat, Dominus reuelarit, nequaquam iuuenilem ætatem tuam, & honoris eccleſiaſtici rudimenta contemno: en adſum ſenex à iuuene Coepiſcopo, & Epiſcopus annorum à Collega nondum annieulo paratas ſum dicere.*

Nego 7. per hoc votum Religioſum Societatis factum Epiſcopum ſe ſubiicere Generali, tribuendo ei iuriſdictionem, vt poſſit ipſum cogere ad audienda eius conſilia: tota enim obligatio eſt ſolùm coram Deo, & pro foro conſcientiæ.

Probatur 2. hæc reſponſio quia hoc votum fuit approbatum, & confirmatum a Gregorio X I II. in bulla *Aſcendente Domino* edita anno 1584. non fuiſſet autem approbatum, ac confirmatum, ſi eſſet nõ honeſtum, non iuſtum, illicitum, ac nullum, vt patet. Et quidem ex tali approbatione ſic firmatur validitas huius voti, vt aliqui Recentiores valdè docti ſuſtineant non poſſe abſque errore in fide eam negari: idque ob doctrinam à *Suarez* traditam *ſup. l.3.c.4.nu.5.* videlicet aſſertionem (quod Scholares approbati ſocietatis per vota bienni) ſint vere ac propriè Religioſi) hoc ipſo quod à Gregorio *X*III. in citata bulla fuit definita, continere veritatem infallibilem; ita vt ſine errore in fide non poſſit negari: nam ſententia Papæ in his, quæ ad doctrinam ſpectant, infallibilem habet certitudinem ex Chriſti inſtitutione, ac promiſſione *Lucæ 22. & Matth. 16.*

Nec obſtat, quod Gregorius in *citata bulla* recenſens reliqua vota ſimplicia, quæ fiunt à Profeſſis ſocietatis, de hoc voto nullam facit mentionem; cum alioqui eſſet eadem ratio illud exprimendi, ac alia, & fortè maior.

℞. Enim ad ſufficientem huius voti approbationem, & confirmationem ſatis fuiſſe, quod fuerit confirmatum in generali confirmatione omnium ſtatutorum, ac conſtitutionum ſpectantium ad Inſtitutum ſocietatis facta in dicta bulla his verbis, *Conſtitutiones* quoq; *ac ſtatuta, & decreta qualiacumque ac ſi ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes tenore præſentium approbamus, & confirmamus.*

Et hoc: ſiue votum iſtud omiſſum fuerit in allegata bulla, eo quod hæc petita fuerit ad quietem, & pacem ſocietatis contra perturbatores illius, & tota deberet deſeruire pro foro externo: ad quem finem impertinens erat mentio huius voti, quod nullum prorſus ius confert ſocietatis, ſed fit ſoli Deo, nec ſocietas poteſt cogere, aut vrgere pro eius obſeruantia, ſed relinquit totum conſcientiæ vouentis: vt optimè ad me reſcripſit Eminẽtiſſimus Cardinalis de Lugo ingenio, ac doctrina æque ac dignitate re vera eminentiſſimus: Siue quia Gregorius in relata bulla potiſſimum intendit confirmare ea, quæ à pluribus circa ſocietatis Inſtitutum fuerant reuocata in dubium, & impugnabantur; cuiuſmodi non erat votum hoc, cum tunc temporis à nemine impugnaretur, nec antea fuiſſet impugnatum; vt mihi per literas reſpondit ingenioſiſſimus, ac doctiſſimus P. Raynaudus. Cum ergo votum hoc per bullam pontificiam fuerit ſufficienter confirmatum in generali confirmatione Inſtituti ſocietatis; non apparet, quo modo poſſit eius validitas in dubium verti abſque aliqua Sedis Apoſtolicæ iniuria, eiuſque auctoritatis offenſione: maximè cum hinc poſſit aperiri oſtium ad controuertenda, ac impugnanda plura alia, quæ per bullas pontificias ſancita, approbata, & confirmata fuerunt; idque cum diſpendio non leui auctoritatis Eccleſiæ eiuſque capitis, vt conſideranti facilè patebit.

Quod ſi dicas cum *Lorea 2.2.q.3.a.8.D.47.reg.2. nu.14.* nullum Inſtitutum Religionis maiori plauſu fuit à Sede Apoſtolica confirmatum, quam ſanctiſſima Carthuſienſium religio: & tamen Doctores diſputant, an Conſtitutio dictæ Religionis de perpetua abſtinentia à carnibus ſit cum periculo vitæ licita; & non pauci negantem ſuſtinent partem: ergo etiam in præſenti caſu licitum erit negare validitatem huius voti, quantumuis per bullam pontificiam approbati.

℞. Quod, cum in dicta Conſtitutione de abſtinentia à carnibus nulla fiat mentio de periculo vitæ (vt videre eſt apud *Dianam p.5.tr.3.reſ.136.*) propterea liberum fuit Authoribus illam diuerſimodè, imo & inter ſe contrariè interpretari: quod non liceret, ſi dictum periculum vitæ fuiſſet expreſſum. In noſtro autem caſu expreſſè approbatur, & confirmatur votum per generalem confirmationem Inſtituti Societatis, ideoque non eſt in poteſtate Doctorum de eius validitate in vtramque partem diſſerere.

Inſtabis, Paulus IV. in bulla edita in fauorem dictæ Conſtitutionis de abſtinentia à carnibus, inferiùs citanda *ſect.13.q.18.* ſic habet: *Ac vobis in virtute obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna mandamus, vt regulam, & conſuetudinem in dicto Ordine circa præmiſſa haſtenus obſeruatam* (nempe circa eſum carnium) *inuiolabiliter obſeruetis in omnibus, & per omnia*: cum ergo conſuetudo Ordinis Carthuſienſis ſit, vt nec in morbo periculoſo edantur carnes, etiã quò ad hunc caſum videtur conſtitutio de abſtinendo à carnibus approbata, & confirmata à Sede Apoſtolica, ideoque non poſſe impugnari vt illicita.

℞. In citatis verbis Paulinæ relatæ vnum præſupponi, & alterum diſponi: id, quod præſupponitur, eſt dictam conſuetudinem Carthuſienſium eſſe licitam; ad quod præſupponendum ſufficit adeſſe probabilem Doctorum ſententiam hac de re, ſtante adhuc probabili ſententia in contrarium; id verò quod diſponitur, eſt, quod in virtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis mandatur obſeruantia dictæ conſuetudinis. In noſtro autem caſu Gregorius XIII. diſponit votum eſſe licitum, & validum, quatenus ipſum comprehendit ſub generali confirmatione Inſtituti Societatis; idque nullam faciens præſuppoſitionem. Vnde fit, vt ob dictam probabilem tantum præſuppoſitionem factam in

bulla

bulla Pauli IV. liceat contra illam opinari; non item contra noſtram Gregorianam, de qua procedit doctrina tradita à Suarez *ſup. §. Dices*, & mox tradenda.

Probatur 3. principalis aſſertio ex eo quod Gregorius XIII. in bulla *Aſcendente* ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, alijſque pœnis Papæ reſeruatis præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, ne quis cuiuſcumque ſtatus, gradus, & præeminentiæ exiſtat, Societatis Inſtitutum, ac Conſtitutiones quouis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore directè, vel indirectè impugnare, vel eis contradicere audeat. non potuiſſet autem Papa id ſic præcipere iuxta *Suarez ſup. l. 3. cap. 4. n. 5.* ſi de validitate huius voti (quod vtique continetur in Societatis Inſtituto) iuſtè poſſet dubitari: dicit enim *Suarez* inſiſtens doctrinæ datæ ſupra non poſſe Papam ſub anathematis vinculo ſubditos compellere ad ſtandum ſimilibus declarationibus, ſeu definitionibus, ſi ipſe in doctrina tradenda poſſet errare.

Probatur 4. quia ſimile votum poſſet fieri laudabiliter, & validè in manu cuiuſcumque etiam famuli: ergò à fortiori fieri poterit à Profeſſis Societatis in manu Generalis, qui ſupponitur vir ſingularis probitatis, doctrinæ, prudentiæ, ac rerum experientiæ. Cum enim in neutro caſu ex voto conferatur iuriſdictio ei, in cuius manibus fit votum, & vouens in neutro caſu ſe ei ſubijciat; non apparet, vnde hoc votum debeat improbari tanquam illicitum, ac nullum: quale eſſet, ſi vigore illius in noſtro caſu acquireretur iuriſdictio in Religioſum Epiſcopum modo ſupra dicto.

Probatur 5. quia à primæua inſtitutione Societatis votum hoc in ea fuit emiſſum, in qua tamen floruerunt tot viri doctiſſimi, in Theologia, & Sacris Canonibus verſatiſſimi, prudentia ſingulari conſpicui, & in indaganda veritate doctrinarum, tam ſcholaſticarum, quam moralium accuratiſſimi; qui tamen de validitate huius voti nunquam dubitarunt. Illud emiſerunt 3. viri Sanctitate inſignes S. P. Ignatius, Societatis Fundator, & B. P. Borgia: emiſerunt 4. Eminentiſſimi Cardinales Toletus, Bellarminus, Pazman, & de Lugo: emiſerunt plures Patriarchæ, ac Epiſcopi ex Societate aſſumpti: emiſerunt Lainius, & Salmeron, qui non ſemel à Summis Pontificibus deſtinati fuerunt ad Tridentinum Concilium, tanquam ipſorum Theologi in tanto conſeſſu de religione diſſerturi: emiſerunt plurimi, & grauiſſimi Doctores ob plurimos, ac egregios codices ab ipſis conſcriptos, ac editos Orbi celeberrimi, Suarez, & Vaſquez, Sanchez, & Molina, Valentia, & Leſſius, Becanus, & Layman, Coninchus, & Phaſolus, Tannerus, & Granadus, Hurtadus, & Præpoſitus, Filliucius, & Caſtrus Palaus, alijque ſexcenti tum antiquiores, tum recentiores; & horum aliqui ex propoſito tractarunt de hoc voto, vt Suarez, Sanchez, & Caſtrus Palaus: hi porrò tanti viri votum hoc non emiſiſſent, ſi illud illicitum, ac inualidum agnouiſſent; probabile autem eſt, quod agnouiſſent, ſi à parte rei illicitum, ac inualidum fuiſſet.

Eſt enim omnino improbabile, quod ijs non occurriſſent rationes dubitandi contra huius voti validitatem, ſi quæ fuiſſent alicuius momenti; vel quod ij non ponderauerint tale votũ ſpeciali modo, aut non auſi fuerint ſuum dubium, vel etiam contrariam opinionem manifeſtare. Et certè quod falſum ſit illos non ponderaſſe hoc votum; inde conſtat, quod iuxta modo dicta Suarez, Sanchez, Caſtrus Palaus, & Io. Rhò vir vndequaque eruditus, ac celeberrimus Concionator in ſuo Achate illud ex profeſſo examinarunt: præterea illud ponderarunt 4. Cardinales, qui iuſſu Pauli IV. Conſtitutiones Societatis (in quibus hoc votum continetur) diu, multumque diſcuſſerunt, & tandem ſaluas, ac integras, quemadmodum acceperant, ne verbo quidem mutato, reſtituerunt, teſte *Orlandino tomo 1. hiſt. Societ. num. 51.* illud item ponderarunt Lainius, Salmeron, & reliqui Socij, S. P. Ignatij, quorum iudicio, & animaduerſioni S. Pater, nolens ſuo iudicio ſtare, ac ſua niti prudentia Conſtitutiones omnes Societatis vltrò, ac ſponte ſubiecit vt notat *Orlandinus ſup. num. 50.* addens præfatas Conſtitutiones ab omnibus dictis Patribus perlibenter, ſummoque ſtudio perlectas fuiſſe, nec minori approbatione ſuſceptas. qui certè liberè S. Patri manifeſtaſſent S. Patri dubium de validitate huius voti relati in ipſis Conſtitutionibus, ſi ijs iuſtæ dubitandi rationes occurriſſent; quæ vtique facilè potuerunt occurrere, cum illi eſſent ingenij perſpicaciſſimi, ac ſimul doctiſſimi.

Cum ergò dicti omnes viri ingenio, doctrina, ac prudentia adeo inſignes vnanimi conſenſu votum hoc admiſerint eſſe licitum, ac validum; non video, quam rationabiliter in ijs contradici poſſit, ſtante doctrina *Baldi conſ. 112. l. 2.* videlicet rarò benè loqui eum, qui contra omnes loquitur: ſi quidem plus vident duo oculi, quam vnus oculus (maximè ſi ij ſint perſpicaciſſimi) & alioqui communi adagio dicitur *Nec Hercules contra duos*. Quod verò ait Iuſtinianus Imperator *l. 1. §. ſed neque C. de veteri iure enucleando*, neque ex multitudine Auctorum, quod melius eſt, & æquius eſt, iudicari debere; cum poſſit vnius forſan, ac deterioris conditionis ſententia & multos) & maiores aliqua in parte ſuperare; non videtur procedere in caſu noſtro, attentis validis rationibus, quibus voti huius firmatur validitas, ſpectatiſque leuibus fundamentis, quibus nititur opinio contraria.

QVÆRES IV. An hoc votum ſit vtile Religioſo vouenti.

315 ℞. Quod, licet primo aſpectu videri poſſit inutile, ac fruſtraneum; eo quod Profeſſus Societatis factus Epiſcopus, ſi nolit ſequi conſilia Generalis, vel non ſit affectus ad rem, quam ei conſulit, facilè ſibi poſſit perſuadere conſilium datum non eſſe optimum, & regulariter loquendo inuenire aliquem, qui contraria conſulat: tamen hoc votum abſolutè eſt vtile, tum quia qui præſunt alijs indigent conſilio, expeditque eos habere amicum fidelem, qui nullo fucato colore detegat veritatem, & manifeſtet, quid hic & nunc faciendum ſit, quidue omittendum: tum quia hoc votum ordinatur ad firmandam voluntatem circa id, quod melius eſt; cum in dignitate conſtitutis non leue ſubſit periculum

lum deflectendi à via virtutis, ac perfectionis, honoribus paſſim mores mutantibus, & diuitijs, ac voluptatibus voluntatem inflectentibus in malum, etſi intellectus agnoſcat, quod eſt honeſtius, ac melius.

QVÆRES V. An hoc votum ſit vtile regimini Eccleſiæ.

316 ℞. Eſſe; & patet tum ex dictis *q. præcedenti*, & ex eo, quod ſic Epiſcopi melius ſatisfaciunt proprio muneri: tum quia ex vna parte nullum præiudicium per hoc votum infertur Eccleſiæ, cum iuxta dicta q. 4. vi illius Religioſus Epiſcopus non ſubijciatur Societati, nec priuetur exemptione de iure communi ei competente: tum quia per hoc votum non tollitur, neque minuitur debita reuerentia prælatis Eccleſiæ; cum officium conſulendi non debeat paſſim aſſumi, ſed rarò, & quando ad Dei obſequiũ iudicetur plurimùm expedire: & tunc, licèt cum libertate Chriſtiana, debita tamen ſubmiſſione, ac religioſa humilitate ſuſcipiendum eſt; vt colligitur ex *Conſtit. ſociet. p.* 10. *§.* 6. *in declarat.*

QVÆRES VI. Ad quid obliget hoc votum, & quæ ſit eius materia.

317 ℞. Obligare ad duo, quorum primum eſt non detrectare audire conſilia, quæ Generalis Societatis per ſe, aut alius ab ipſo ſubſtitutus dare dignabitur circa ea, quæ pertinent, vel ad propriæ animæ ſalutem, vel ad debitam adminiſtrationem muneris epiſcopalis; ſecundum eſt parere dictis conſilijs, ſi ea iudicauerit eſſe meliora illis, quæ ipſi occurrerint. vnde fit, vt profeſſus Societatis vi huius voti non teneatur abſolutè facere in omnibus, quod melius eſt, ſed ſolum in caſu, quo id ei modo dicto conſulatur; quæ vtique non eſt parua obligatio, adeoque in talibus conſilijs præſtandis, & non multiplicandis magna opus eſt prudentia, ac circumſpectione, ſicut aduertit *Suar. num.* 9. monens huiuſmodi conſilia non eſſe multiplicanda, niſi rarò, & in ijs rebus, quæ ad diuinum obſequium, aut magnum fructum animarum neceſſariæ iudicabuntur. patet autem reſponſio ex ipſa forma voti relata q. 1.

Quod ſi quæras, quod ſit detrectare audire conſilia.

318 ℞. Eſſe vel omnino nolle audire talia conſilia, vel certè ita acerbè ea ferre, vt profeſſus ea ſibi multùm diſplicere ſignificet: nam hæc eſt non ſolum detrectatio virtualis, ac indirecta, ſed, moraliter loquendo, etiam ſatis expreſſa, vt tradit *Suar. ſup. n.* 8.

QVÆRES VII. Quid intelligatur per illa verba, *ſi in Præſidem alicuius Eccleſiæ promouear*, numque ſub ijs comprehendatur etiam Cardinalatus vt ſic.

319 ℞. Quod, cum dicta verba intelligi debeant iuxta Conſtitutionem, ex qua ſumpta eſt forma illa vouendi, & *Conſtitutio p.* 10. *§.* 6. dicat, *promittat etiã Deo, quod ſi quando dicto modo compulſus prælationem aliquam extra ſocietatem admittet, audiet poſtea quouis tẽpore Præpoſiti generalis, qui pro tempore fuerit, conſilium*; conſequenter hic ille dicetur promoueri in Præſidem alicuius Eccleſiæ, cui conferetur aliqua prælatio extra ſocietatem: ſicque votum hoc ligabit, ſiue profeſſus prouehatur ad Epiſcopatum, aut aliam dignitatem quaſi epiſcopalem (cuiuſmodi ſunt nonnullæ Abbatiæ, Archipresbyteratus, &c.) ſiue etiam ad Cardinalatum; cum is in omni proprietate loquendi ſit prælatio extra ſocietatem, & in præſentia idem ſit promoueri in Præſidem alicuius Eccleſiæ, ac promoueri ad aliquam prælationẽ: maximè cum Cardinalis, etſi non ſit Epiſcopus, titulum habeat alicuius Eccleſiæ, & in ea iuriſdictionem exerceat, adeoque dici poſſit ei præſidere. ita *Suar. n.* 16. quamquam, cum dicat verius eſſe Cardinalem, qui non eſt Epiſcopus, comprehendi ſub hoc voto, tacitè concedat etiam oppoſitum non eſſe improbabile: quo modo re vera videtur eſſe; cum ſimus in materia obligationis, quæ eſt ſtricti iuris, & Cardinalis ex vi Cardinalatus propriè non præſit vlli Eccleſiæ, adeoque de ipſo non verificentur verba voti.

Difficultas eſſe poteſt de profeſſo ſocietatis qui fortè fieret Papa, an is vi huius voti teneretur audire conſilia Generalis Societatis, iiſque parere, ſi meliora iudicaret.

320 ℞. *Suar. ſup.* non teneri; probatque tum quia Papa non alicui Eccleſiæ tantum (vt dicitur in voto) ſed vniuerſali Eccleſiæ præſidet; ſicque de eo non verificantur verba voti, ideoque nec ille cenſendus eſt adſtringi obligatione illius; tum quia Papa eſt caput totius ſocietatis, non ſolùm vt vniuerſalis Epiſcopus, ſed etiam vt ſupremus Prælatus Religionis, ac proinde non decet ipſum comprehendi ſub obligatione iſtius voti.

QVÆRES VIII. An obgligatio iſtius voti extendatur ad profeſſum ſocietatis, qui indebito modo promoueatur in Præſidẽ alicuius Eccleſiæ.

321 ℞. Probabile eſſe non extendi; & probatur tum quia aliàs obligatio iſtius voti nimis ampliaretur contra communem Doctorum regulam, quod votum debet interpretari ita, vt obliget minùs quam fieri poſſit, ideoque explicandum eſt ſecundùm rigoroſam verborum ſignificationem: cum ergò in *Conſtit. p.* 10. *num.* 6. de præſenti voto dicatur *promittat etiam Deo* (ideſt profeſſus) *quod ſi quando dicto modo compulſus prælationem aliquam extra Societatem admittet, audiet poſtea quouis tempore Præpoſiti generalis, qui pro tempore fuerit, conſilium, &c.* hoc ipſo quòd profeſſus ſine ea compulſione admittit aliquam prælationem, non eſt in caſu, quo obligetur tali voto; cum ad huius obligationem ſupponatur, vt profeſſus prælationem recipiat compulſus; quod non euenit, quando illam recipit abſque ea compulſione; tum quia commodum, quod ſic videtur referri ex delicto, non eſt commodum ſimpliciter, ſed ſecundum quid; quo modo ſacerdos improbus culpabiliter celebrans in mortali nõ tenetur quam primum confiteri iuxta decretum *Concilij Tridentin. ſeſſ.* 13. *c.* 7. obligantis Sacerdotem ad ſic confitendum, ſi neceſſitate vrgente celebret abſque præuia confeſſione.

QVÆRES IX. An profeſſus ſociet. promotus in Præſidem alicuius Eccleſiæ, vi huius voti teneatur audire conſilia non ſolum Generalis, ſed etiam alterius ab ipſo ſubſtituti, & quidem etiam non Religioſi Societatis.

℞. Te-

322 ℞. Teneri; dummodò ſubſtitutus ille ſit è Soc. Ducor tum quia obligatio voti non debet ampliari vltra intentionem vouentis ſufficienter declaratã: in iſto autem voto videtur ſufficienter declarari dictum ſubſtitutum debere eſſe è Societate, vt conſtat ex illis verbis, *vel quiuis alius de ſocietate, quem ad id ipſe ſubſtituerit*: tum quia magis decet promotum in Præſidem alicuius Eccleſiæ moneri ab aliquo ipſi peculiari ratione coniuncto (cuiuſmodi ſunt Religioſi eiuſdem Ordinis) quam ab extraneo; ſicque etiam ſuauior redditur admonitio, quæ aliàs non ſolet eſſe admodum grata, vt quotidiana docet experientia.

QVÆRES X. Qualiter meliora debeant eſſe conſilia ad hoc vt profeſſus ſocietatis promotus in Præſidem alicuius Eccleſiæ, vi huius voti teneatur ea exequi.

323 ℞. Debere eſſe meliora ea, (vt ita dicam) melioritate, qua Doctores, & præ illis in ſpecie *Leſſius l.2. cap. 40. num.* 101. docent votum in communi debere eſſe de meliori bono: nimirum dici melius, non quod eſt ex genere ſuo præſtantius (qua ratione melior eſt oratio, quam ieiunium, & eleemoſyna, quam carnis afflictio per cilicium) ſed quod omnibus expenſis prudenter iudicatur hic, & nunc eſſe Deo gratius nos facere: quo modo poteſt contingere melius eſſe ieiunium oratione, & carnis afflictionem eleemoſyna. Ratio reſponſionis eſt, quod, cum iuxta dicta q. 6. conſilia, quæ profeſſus ſocietatis promotus in Præſidem alicuius Eccleſię vi huius voti tenetur audire, ac exequi, debeant eſſe de materia accommodata tali voto; nimirum ordinata ad bonum ſpirituale ipſius profeſſi, aut debitam adminiſtrationem muneris epiſcopalis; ſicut poteſt contingere hic, & nunc aliqua per ſe, & ex genere ſuo minùs præſtantia magis conducere ad bonum ſpirituale profeſſi, ac bonum regimen, & conſequenter eſſe meliora: ſic & profeſſus vi huius voti tenebitur exequi conſilia de huiuſmodi rebus ipſi præſtita, vtpote meliora ea melioritate, de qua loquitur votum hoc. ita Recentiores valdè docti è ſocietate à me conſulti, & ſatis probabiliter.

QVÆRES XI. An profeſſus ſocietatis promotus in Præſidem alicuius Eccleſiæ vi huius voti teneatur ſequi conſilia Generalis, aut alterius ab eo ſubſtituti, ſi ſit in dubio, num ea ſint meliora ijs, quę ipſi occurrunt.

324 ℞. Videri probabile non teneri; & ratio eſt, quod in dubio melior eſt conditio poſſidentis; in noſtro autem caſu poſſeſſio, non ſtat pro voto, ſed pro libertate vouentis; quatenus is præſenti voto ſolum promittit ſe pariturum conſilijs Generalis, aut alterius ad id ab ipſo ſubſtituti, quando iudicabit ea eſſe meliora illis, quæ ipſi occurrerint; cum tamen in caſu, quo dubitet, num ea ſint meliora, necne, nõ poſſit dici iudicare illa eſſe meliora; ſtante quod dubitare, & iudicare ſunt res valdè diuerſæ; cum ille propriè dicatur dubitare, qui animo hæret ſuſpenſus in medio neutram in partem inclinans; is verò dicatur iudicare, qui aſſentitur ſine formidine oppoſiti. Vnde fit quod, cum voti obligatio nõ debeat ampliari vltra verborum proprietatem; conſequens eſt profeſſum ſocietatis non teneri obedire prædictis conſilijs in caſu, quò firmiter iudicare non poſſit ea eſſe meliora: quod euenit in præſenti euentu.

QVÆRES XII. An profeſſus ſocietatis vi huius voti teneatur obedire conſilijs Generalis, aut alterius ſubſtituti, ſi iudicet illis melius eſſe conſilium, quod ei aliunde ſuggeritur.

325 ℞. Non teneri; & ratio eſt, quod, quamuis in formula voti dicatur, *ſi ea* (id eſt conſilia) *meliora eſſe, quam quæ mihi in mentem venerint, iudicabo*: & aliàs talia non videantur eſſe conſilia, quæ aliunde ſuggeruntur Profeſſo; quippe quæ non veniunt illi in mentem ſpontaneè, ſed extrinſecus (vt ita dicã) immittuntur; nihilominus, cum venire in mentem abſtrahat ab eo, quod cõſilium ex ſe occurrat profeſſo; aut proponatur ab alio, qui non ſit Generalis, vel alius ab ipſo ſubſtitutus; ſicque in præſentia dici poſſit venire in mentem omne illud conſilium, quod occurrit Profeſſo, & non fuit propoſitum à Generali, eiuſue ſubſtituto: dicendum eſt ipſum Profeſſum vi huius voti non teneri parere conſilijs Generalis, aut alterius ab ipſo ſubſtituti, ſi ei aliunde proponatur conſilium, quod hic & nunc coram Deo iudicet eſſe melius ijs, quæ ei ſuggeruntur à Generali, vel eius Subſtituto: ſiquidem etiam tale conſilium dici poteſt ei venire in mentem, vt iam oſtendimus, & conſequenter comprehenditur ſub iſto voto.

QVÆRES XIII. An profeſſus ſocietatis promotus in Præſidem alicuius Eccleſiæ vi huius voti teneatur petere conſilia à Generali, eiuſue Subſtituto, ſi hi ex ſe in caſu grauiſſimo occurrenti ea non ſuggerant.

326 ℞. Non teneri; & probatur ex eo quod votum ſtrictè interpretandum eſt, ita, vt in quantum fieri poteſt, minùs obliget; vt non ſemel diximus, & oſtendit *Sanch. l. 4. mor. cap.* 11. *num.* 3. ex alia parte profeſſus ſocietatis hoc voto non ſe obligat ad petendum conſilia à Generali, eiuſue Subſtituto, ſed ſolùm ad audiendum conſilium, quod hi ei dare dignabuntur: ſic enim dicitur in voto, *vt nunquam cõſilium audire detrectem, quod vel ipſe per ſe* (id eſt Generalis) *vel quiuis alius de Societate, quem ad id ipſe ſubſtituerit, dare mihi dignabitur*; quod eſt ſolùm ſe obligare ad audienda dicta conſilia, non autem ad illa petenda: cum acceptare conſilia alterius, & ea petere ſint res valdè diuerſæ, ideoque non poſſit inferri vnum ex alio iuxta regulam *A diuerſis non fit illatio*, præſertim in materia obligationis.

QVÆRES XIV. An Profeſſus Societatis promotus in Præſidem alicuius Eccleſiæ delinquat contra hoc votum, ſi ad euitanda conſilia Generalis, aut eius Subſtituti, ijs occultet negotia, in quibus egeret eorum conſilijs.

327 ℞. Videri non delinquere; & probatur tum quia per hoc votum vouens non ſe obligat ad manifeſtandas res ſuas Generali, eiuſue Subſtituto, ſed ſolum ad audienda, ac exequenda ipſorum conſilia modo ſupradicto; ſicque vi huius voti non prohibetur occultare ijs res ſuas; tum quia vitatio obligationis, ſiue præcepti, ſiue voti, non eſt mala, ſi fiat medio non illicito; quo modo *Sanch. l. 3. de matr. D.* 18. *num.* 21. ex *Nauar. Rodriq. & Lopez* docent nõ delin-

delinquere proficiſcentem in die feſto ad locum, vbi id feſtum non obligat gratia exercendi ſeruilia; ea ducti ratione quod præceptum Eccleſiæ non prohibet exitum à loco, in quo obligat, nec extra illum aſtringit etiam illius incolas: cum ergò profeſſus Societatis non teneatur, neque iure diuino, neque iure naturali, neque vi huius voti manifeſtare res ſuas Generali, eiuſue Subſtituto, licitè poterit ea ipſis occultare, & conſequenter ſic occultando non peccabit contra illud votum, vtpote vtens iure ſuo, ac exercens actionem ex natura ſua licitam.

QVÆRES XV. An profeſſus Societatis in Præſidem alicuius Eccleſiæ promotus peccet contra hoc votum, ſi ſe auerſum à Generali oſtendat ad effectum, vt is ex timore, aut alio reſpectu ſe retrahat à ſuppeditandis ei ſalutaribus conſilijs, ac monitis iuxta rerum occurrentium exigentiam.

328 ℟. Quod, quamuis in præſenti caſu videatur interuenire detrectatio audiendi conſilia non ſolùm virtualis, ac indirecta, ſed moraliter loquendo, etiam ſatis expreſſa, vt in ſimili aduertimus *q.6.§. quod ſi quæras*; quia tamen iſta detrectatio eſt veluti habitualis, & per hoc votum videtur prohiberi ſolum detrectatio (vt ſic dicam) actualis; quæ ſcilicet fiat in caſu, quo actu detur conſilium (ſicut ſatis clarè colligitur ex verbis illis voti *quod vel ipſe per ſe, vel quiuis alius, &c. dare mihi dignabitur:*) hinc puto non eſſe improbabile profeſſum in iſto caſu poſſe excuſari à tranſgreſſione iſtius voti; quippe quod ſolùm prohibet detrectationem conſiliorum actualem, non autem habitualem; qualis eſt, quæ in præſenti caſu interuenit: ſecùs ſi profeſſus ita acerbè, & indignanter audiat conſilia, vt prudenter iudicetur Generalem à ſimilibus conſilijs dandis auerſum iri; quod notat *Caſtr. Pal. tr.16. D.5.p.8.n.3.* id inde probans, quod profeſſus hoc facto virtualiter dicit ſe nolle conſilium audire.

QVÆRES XVI. An, ſicut profeſſus factus Epiſcopus vi huius voti tenetur audire conſilia Generalis, ſic & ipſe per ſe, aut per alium teneatur dare huiuſmodi conſilia.

329 ℟. Non teneri peculiari aliqua obligatione, ſed ſolum ex charitate, quæ tamen maiori quadam ratione, ſeu potiori ordine poteſt obligare circa dictum profeſſum, vtpote magis coniunctum Societati. ita in terminis *Suar. nu.10.* patetque ex dictis *ſup. ſect.2.q.7.* imò & ex ipſis *Conſtitutionibus Soc. p.10.§.6. in declarat. lit. A* vbi expreſsè dicitur *Non tamen obligatur Societas ad hoc munus ſuſcipiendum, quandocumque alicui ex ea Epiſcopatus eſſet admittendus: imò libera manet, vt id oneris & relinquere, & aſſumere poſſit, vbi multum referre ad Dei obſequium iudicaret.* Conſentit *Caſtrus Palaus n.5.* per hæc vltima verba denotari hoc officium non paſſim aſſumendum eſſe, ſed raro, & quando ad Dei obſequium plurimum iudicaretur expedire: & tunc etſi cum libertate chriſtiana, debita tamen ſubmiſſione, ac religioſa humilitate ſuſcipiendum eſt, ne optato effectu conſilium careat.

QVÆRES XVII. Quo modo profeſſus Societatis in Præſidem alicuius Eccleſiæ promotus poſſit obligari hoc voto, ſi eo ipſo quod taliter eſt promotus, eximitur à votis, quæ vltra tria ſubſtantialia, & votum non ambiendi emittunt profeſſi Soc. vt diximus hìc *cap.1. ſect.1. q.27.* & aduertit *Sanch. l.6. mor. c.6. n.15.*

330 ℟. Poſſe obligari, eo quod alioqui tale votum fruſtra emitteretur, & eſſet omninò inutile; quippe quod ratione materiæ, circa quam verſatur non poteſt obligare, niſi pro tempore, quo profeſſus eſt de facto promotus in Præſidem alicuius Eccleſię, & ſi tunc non obligaret, nunquam obligaret; conſtat autem, quod actus in dubio interpretari debet potius vt valeat, quam vt corruat *l. quoties in action. ff. de reb. dub.*

331 Nec obſtat, quod nos etiam admittimus eſſe probabile vota, quæ in religionibus emittuntur vltra tria ſubſtantialia ceſſare, ac ſuſpendi in Religioſis promotis ad Epiſcopatum; ſi quidem de hoc voto in ſpecie peculiaris eſt ratio ſuſtinendi oppoſitum ob rationem paulo ante allatam; vnde, ſicut *Nauar. c.27. n.51. Suar. l.6. de leg. c.2. n.7. Couar. 3. var. c.3. num. 9.* alijque apud *Caſtrum Palaum tr.3. D.5. p.3. §.3. n.6.* ex *cap. ſi ciuitas de ſent. excommunic. in 6.* docent in caſu, quo ex proprietate verborum lex redderetur inutilis, poſſe tunc recurri ad impropria; quamuis aliàs in legum interpretatione ſeruari debeat verborum proprietas, & ſecundum talem proprietatem intelligi debeat eſse lata lex: ita dicere poſſumus in præſenti euentu fallere doctrinam illam generalem, quod in Religioſo facto Epiſcopo ceſſent vota propria ſui Ordinis ab ipſo emiſſa: idque ex peculiari intentione ipſius vouentis, qui ſciat votum iſtud audiendi conſilia Generalis emitti ex natura ſua in illud tempus, quo per promotionem eximetur ab obedientia Societatis, ex propria electione cenſetur voluiſſe ad id per votum illud ſe obligare; ne aliàs votum dicatur fruſtra emiſſum; quod vtique potuit vouens facere; ſicut Frater Minimus poſſet ſe obligare voto illo vitæ quadrageſimalis ad eam ſeruandam, etiam poſtquam promotus fuerit ad Epiſcopatum: quantumuis alioqui probabile ſit eum in tali ſtatu eximi à dicto voto; vt tradunt *Sanch. ſup. num.15. Fagund. præc.4. Eccl. l.1. cap.6. num.6. Diana p.5. tr.13. reſol.39.* & alij.

SVBSECTIO VII.

De voto ingrediendi Societatem, quod faciunt Religioſi eiuſdem Societatis poſt biennium probationis, vnà cum tribus votis ſubſtantialibus Religionis.

332 *Religioſi Societatis cum votis biennij promittunt ingredi Societatem.*

333 *Et hæc promiſſio verè eſt votum.*

334 *Imò & diſtinctum ab alijs votis.*

335 Eſt

335 *Eſt aliquo modo votum perſeuerantiæ.*
336 *Eſt per ſe conueniens.*
337 *Obligat ad acceptandum gradum à Generali poſtea offerendum.*
338 *Fit ad conſeruandam indifferentiam circa gradum.*
339 *In ſocietate enim eſt varietas graduum, & laudabiliter.*
340 *Hæc promiſſio eſt votum ſimplex.*
341 *Nomine ingreſſus hic venit profeſſio, aut formatio.*
342 *Hoc votum non obligat ad procurandum vlteriorem gradum.*
343 *Imò talis procuratio regulariter eſſet mala.*
344 *Obligat pro tempore, quo Religioſus debet promoueri ad gradum.*
345 *Obligat ad recipiendum gradum, ad quem Religioſus aſſumitur.*
346 *Idque etſi vouens intendiſſet ſe ſolùm aſtringere ad certum gradum.*
347 *Obligat ſcholarem approbatum ad acceptandum gradum Coadiutoris temporalis (ſi ei offeratur) iuxta Suarez.*
348 *At oppoſitum contra Suarez videtur ſuſtinendum.*
349 *Soluuntur rationes in contrarium adductæ.*
350 *Hoc votum non obligat ad mutationem inter vltimos gradus.*
351 *Limita, niſi mutatio fiat aſcendendo ad ſuperiorem gradum.*
352 *Vt obliget, debet ſuperior proponere gradum ex definita voluntate. & quaſi decreto.*
353 *At non requiritur formale præceptum.*
354 *Vi illius Coadiutor temporalis tenetur acceptare gradum Coadiutoris temporalis formati.*
355 *Obligatio huius voti afficit admiſſos ad vota bienniј, antequam declararetur promiſſionem illam ingrediendi eſſe votum.*
356 *Afficit & illum, qui inuincibiliter ignoraret eam declarationem.*
357 *Violat hoc votum, qui recuſat conſtanter gradum oblatum eò quod putet ſibi deberi gradum ſuperiorem.*
358 *Violat, qui in tali caſu appellaret ad ſuperius tribunal.*
359 *Violat, qui recuſat conſtanter gradum propoſitum, eò quod putet ſe eſſe eo indignum.*
360 *Violat, qui varijs prætextibus declinat gradum propoſitum.*
361 *Violat, qui ad hunc finem conſultò malè ſe gerit, vt ſic è ſocietate dimittatur.*
362 *Non violat verò, qui ad hunc effectum tranſit ad Ordinem ſtrictiorem.*
363 *Etſi in tali caſu peccet aliunde.*
364 *Item non violat, qui ad hunc finem curat fieri Epiſcopus; etſi poſſet violare ex nimia dilatione in admittendo gradu.*
365 *Votum tamen Religionis non impletur per aſſumptionem Epiſcopatus.*
366 *Non violat, qui Superiorem inducit ad conferendum gradum altiorem eo, quem ſtatuerat conferre.*
367 *Non violat Coadiutor temporalis, qui ad declinandum gradum Coadiutoris temporalis formati curat fieri Sacerdos.*
368 *Item non violat, qui promotus ad gradum inferiorem ſtudet aſcendere ad ſuperiorem.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

332 ℟. Fieri his verbis, quæ deſumpta ſunt ex formula votorum, quæ poſt biennium probationis fiunt in ſocietate, nimirum, *Et promitto eamdem Societatem me ingreſſurum, vt vitam in ea perpetuò degam, omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis Conſtitutiones.*

QVÆRES II. An, & quo modo promiſſio, quæ fit per hoc votum, ſit verum, ac proprium votum à tribus ſubſtantialibus diſtinctum.

333 ℟. Eſſe; & probatur, tum quia ſic declaratum fuit in Congregat. v. generali *can.* 5. his verbis *Promiſſio illa ingrediendi ſocietatem, quæ in formula votorum ſimplicium Scholaſticorum habetur, votum eſt peculiare a tribus alijs diſtinctum*; tum quia votum nihil aliud eſt, quàm promiſſio facta Deo: promiſſio autem, quæ hìc fit, verè fit Deo; vt inde conſtat, quod cum in formula dictorum votorum dicatur *Ego N. voueo coram ſacratiſſima V. Maria, & Curia cæleſti vniuerſa diuinæ maieſtati tuæ Paupertatem, caſtitatem, & obedientiam perpetuam in ſocietate Ieſu:* ſtatim ſubditur; *& promitto eamdem ſocietatem me ingreſſurum, vt vitam in ea perpetuò degam.* vbi notandum tam verbum *voueo*, quam verbum *promitto* copulati cum termino illo *diuinæ maieſtati tuæ*; ſi quidem in omni promiſſione prudenter, ac conuenienter facta, indicatur perſona, cui fit: aliàs promiſſio eſſet incerta, ac vaga, & conſequenter nullam quo ad eam partem: vnde, cum in præfata forma nulla alia perſona exprimatur, cui iſta promiſſio fiat, niſi diuina maieſtas: dicendum eſt verbum *promitto* ad eandem referri. Quod ſi obligatio huius voti exprimitur ſub nomine promiſſionis, & non voti: id fit, vt intelligatur dictam obligationem eſſe diſtinctam à tribus votis præcedentibus; vt rectè notauit *Caſtrus Palaus tr* 16. *D.* 5. *p.* 1. *n.* 1.

334 Et certè quod tale votum ſit diſtinctum ab alijs tribus, probatur tum ex ipſa materia, quæ per illud promittitur; & eſt diuerſa à materia aliorum votorum; tum quia nomen *Societatis* in dicta formula vouendi bis repetitum non omninò idem ſignificat: nam licet ſit eadem Societas, in qua vouentur Paupertas, Caſtitas, ac Obedientia, & cuius ingreſſus promittitur: non tamen ſecundum idem; cum vota illa fiant in toto corpore Societatis abſolutè ſumpto, promiſſio verò ingreſſus in eandem ſecundum vlteriorem gradum eius: quæ promiſſiones ſine dubio ſunt diuerſæ, & inuicem ſeparabiles; cum vouens poſſet perſiſtere in obligatione ſeruandi tria vota ſubſtantialia in Societate abſque obligatione vlteriùs progrediendi, vt patet.

QVÆRES III. An hoc votum verè ſit votum perſeuerantiæ, & qualiter.

335 ℟. Eſſe: quamuis non ita explicitè, ac directè. ratio reſponſionis eſt, quod ex vna parte materia iſtius voti eſt acceptatio illius gradus, ad quem vnuſquiſque deputabitur in ſocietate; quæ ſine dubio eſt quod diuerſum ab obligatione perſeuerandi in ſocietate: ex alia parte verba, quæ adduntur in forma huius voti, *vt vitam in ea peepetuò degam*, vtique important votum perſeuerandi in Societate; cum promiſſio perpetuò degendi in ſocierate ſit

idem

Idem ac promiſſio perſeuerandi in illa, vt patet.

QVÆRES IV. An hoc votum ſit per ſe conueniens.

336 ℞. Eſſe; & patet tum quia fuit approbatum ab Eccleſia per bullas pontificias, & præſertim à Paulo III. tum quia promiſſio ingrediendi ſocietatem eſt de votis Profeſſorum ſolemnibus, aut Coadiutorũ formatorũ: conſtat autem quod votũ ſimplex de voto ſolemni faciendo, aut de alio voto quacumque ratione perfectiori, aut ſtrictiori eſt per ſe conueniens, ac de meliori bono: aliàs enim non eſſet votum.

QVÆRES V. Quæ ſit materia iſtius voti.

337 ℞. Quod, cum Religioſi ſocietatis per tria vota ſubſtantialia Religionis, quæ emittunt poſt biennium probationis, ita reponantur in ſtatu religionis, vt tamen non omninò conſtituantur extra viã, ſeu in termino (vt ita dicam) ſtatus religioſi: vndè, licèt ſint vltra ordinem Nouitiorum, non tamen ſunt omninò extra probationem, ac experimentum; conſequenter debent eſſe animo parati tranſire ad vltiorem gradum, per quem omninò continuantur extra viam, & in ſtatu (vt ſic loquar) vltimato; id autem fit per acceptationem gradus, ad quem vnuſquiſque illorum deputatur à Generali ſocietatis, ſiue Profeſſi 4. aut 3. votorum, ſiue Coadiutoris formari: ſicque talis acceptatio propriè eſt materia huius voti; ita vt promiſſio ingrediendi ſocietatem, quæ fit hoc voto, nihil aliud ſit, quam promiſſio acceptandi illum gradum, ad quem vnuſquiſque deputatur iuxta ſocietatis ipſius Conſtitutiones.

QVÆRES VI. Ad quem finem fiat hoc votum.

338 ℞. Quod, cum iuxta dicta *q. præcedenti* religioſi ſocietatis per vota biennij non omninò conſtituantur extra viã, ſed tendant ad vlteriorem gradum: & in ipſa ſocietate extet diuerſitas graduum (cum alij ſint profeſſi 4. votorum, alij trium tantum, & alij Coadiutores formati tum ſpirituales, tum temporales) dictorumque graduum alij ſint ſpecioſiores, adeoque expetibiliores, alij minus ſpecioſi, & conſequenter minùs expetibiles; proinde, vt maiori alacritate, ac animi indifferentia admitteret vnuſquiſque gradum ſibi propoſitum à Generali ſocietatis (ad quem ſolum pertinet collatio talium graduum, vt habetur in *p. 5. Conſtit. cap. 1. n. 2.*) fuit conueniens, imò & neceſſarium, vt ad hoc ipſum peculiari promiſſione ſe obligaret: non quidẽ quod non potuiſſet ad id ſufficere præceptũ obedientiæ, ſi aliàs fuiſſet declaratum hanc eſſe materiam Obedientiæ, ſed quod ſuauiori, ac meliori modo id habetur per propriam promiſſionem Deo voluntariè factam; hoc autem fit per præſens votum, quod propterea diximus fieri ad talem finem, vt ſcilicet Religioſi ſocietatis iam per vota biennij in ſtatu religioſo conſtituti, tempore debito, maiori promptitudine animi tranſeant ad vlteriorem gradum, in quo maximè neceſſarij ſunt Religioni, maiorique cum indifferentia acceptent gradum ſibi oblatum, ſiue ſpecioſiorem, ſiue minùs ſpecioſum.

Quod ſi hic obiter quæras, an iſta diuerſitas graduum in ſocietate ſit laudabilis, ac expediens.

339 ℞. Quod, quamuis prima facie videri poſſit alicui minùs expediens; quatenus poteſt eſſe occaſio diſſenſionum, ac æmulationum in ipſa Religione: abſolutè tamen eſt commendabilis, ac expediens bono ſocietatis, vt hinc patet, quod fuit approbata à varijs Pontificibus teſte *Suar. to. 4. de relig. tr. 10. l. 7. c. 1. n. 2.* imò & facta ad imitationem Chriſti; qui cum miſſurus eſſet Prædicatores in mundum, paucos elegit, qui eſſent præcipua capita talis miniſterij, nempe 12. tantum Apoſtolos, deinde adiunxit plures alios, qui eſſent veluti Cooperatores apoſtolorum, nimirum 72. Diſcipulos: quin & conſtat ex actibus Apoſtolorum, epiſtolis Pauli, ac eccleſiaſticis hiſtorijs cum Apoſtolis ſemper inceſſiſſe aliquos, qui erant ſocij, & quaſi Coadiutores illorum; & quidem meritò; cum Apoſtoli non omnia per ſe ſe efficere poſſent, nec inuicẽ aſſociati poſſent ſemper incedere, nec ſolos peregrinari deceret, aut expediret, ſicque indigerent ſuis Adiutoribus, ac ſocijs, quos oportebat aliquo modo eſſe in eo miniſterio inæquales, ac eis ſubordinatos, vt negotium prædicationis Apoſtolicæ commodiùs ordinatè procederet: cum alioqui proportionalis ratio militet in ſocietate, vtpote quæ Apoſtolorum munus participat, quo ad diſcurrendum per orbem ad prædicandum euangelium: vnde & par eſt, vt etiam illa habeat aliquos, quibus hoc miniſterium ex vi ſuæ profeſſionis principaliter conueniat (cuiuſmodi ſunt Profeſſi 4. votorum) alios, qui ſint veluti Cooperantes (& ſunt Profeſſi 3. votorum) alios deniq; qui ſint velut ſocij, & Coadiutores aliorum, tam in minoribus, quam in domibus, aut collegijs, (& ſunt Coadiutores formati.

QVÆRES VII. An hoc votum ſit ſolemne, aut ſimplex.

340 ℞. Eſſe ſimplex; & probatur; tum quia quod, cum vota ſubſtantialia Religionis, quæ fiunt cum hoc voto, ſint ſimplicia, non deceret votum iſtud, quod fit coniunctim cum ijs, eſſe ſolemne; tum quia illud votum non eſt ſolemne, quod non fit coniunctim cum votis ſubſtantialibus religionis ſolemnibus, & vt ſolemne non emittitur à vouente, nec vt tale acceptatur à Religione; ſicuti conſtat ex dictis *ſup. cap. 1. ſect. 1. q. 8.* tale autem eſt votum, quod hic explicamus, vt conſtabit conſideranti: ergò.

QVÆRES VIII. Qualis ingreſſus intelligatur hic per illa verba, *& promitto eandem ſocietatem me ingreſſurum*.

341 ℞. Quod, cum triplex aſſignari poſſit ingreſſus ſocietatis, primus per nòuitiatum, vt cum quis admittitur ad probationem religionis: ſecundus per emiſſionem votorum biennij, qua Nouitij poſt probationem 2. annorum incorporantur ſocietati, promouendi poſtea ad vlteriorem gradum: & tertius per emiſſionem profeſſionis 4. aut 3. votorum, vel formationem Coadiutorum formatorum, quibus adſtricti votis biennij vlteriùs incorporantur ipſi ſocietati vltimatè, & conſtituuntur in termino, & veluti extra viam; hìc in præſentia per ingreſſum ſocietatis intelligitur ſolum tertiùs ingreſſus; ſicuti conſtat ex dictis q. 5. & ſatis clarè innuit *Suar. ſup. l. 4. c. 16. n. 3.* rem declarans exemplo eius, qui exiſtens intra domum aliquam, in primis receptaculis

illius

illius promitteret ibi manere, & interiùs ingredi; ſic namque in præſenti ſuo modo per vota biennij obligatur Nouitius ſocietatis ad ea ſeruanda intra ipſam ſocietatem, poſſetque perſiſtere in tali obligatione abſque eo, quod teneretur vlteriùs progredi, niſi peculiari hoc voto ſe adſtringeret ad vlterius progrediendum, idque acceptando gradum ſibi à proprio Prælato religionis deputatum.

QVÆRES IX. An religioſus ſocietatis adſtrictus votis biennij vi iſtius voti teneatur procurare vlteriorem gradum in ſocietate: quo modo religioſus, qui vouit tranſire ad Ordinem ſtrictiorem, tenetur procurare medijs opportunis habitum illius.

342 ℟. Non teneri, imò nec regulariter poſſe ex *Conſtitut. cap. 6. examinis §. 5. & 6.* & *par. 5. cap. 4. §. 5.* vbi hæc habentur *Poſtquam aliquis in corpus ſocietatis cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet, ſed in ſuo perfici, & obſequio Dei, & gloriæ ſe ſe impendere: ac ſuperiori, qui ſcilicet Christi D. N. vices gerit, curam aliorum omnium relinquere.* nec obſtat quod religioſus laxioris Ordinis vouens tranſire ad arctiorem ſubit obligationem procurandi habitum illius; ſi quidem is virtualiter vouet etiam procurare dictum tranſitum, cum non adſit alius modus obtinendi illum: quippe vanum eſſet expectare, vt ab Ordine illo ſtrictiori inuitaretur; cum è contra in ſocietate ſuperiorum curæ, ac prouidentiæ ſubſit deputatio gradus vnicuique proportionati, ac obſeruatio præſati voti: quod ſine dubio cedit in maius bonum ſpirituale ſubditi, qui ſic non tenetur cogitare in craſtinum, ſeque totum committit prouidentiæ Dei, ac ſuperiorum diſpoſitioni.

343 Dixi in reſponſione, *imò nec regulariter poſſe*, vt innuerem quod, quamuis nemo teneatur vi huius voti procurare ingreſſum ad vlteriorem gradum; non tamen ſimpliciter prohibetur id facere; cum hoc non ſit per ſe malum, imò interdum poſſit eſſe conueniens, ſi fiat debito modo; ſicque poterit ſubditus, quæ ad executionem iſtius voti pertinent, proponere, ſeu reuocare in memoriam; præſertim ſi ex accidenti, aut alio caſu præſumi poſſit obliuio, aut aliqua incogitantia ex parte ſuperiorum. quamquam, vt hoc fiat ſine vlla ſuſpicione affectus humani, in tali caſu non debet peti determinatus aliquis gradus, ſed ſolùm generatim, ac indefinitè, ſuperioris arbitrio particularem determinationem relinquendo. patet hoc ex *cap. 8. examinis lit. A. in gloſſa* vbi dicitur *Cum tamen aliquid conſtanter ſe ſe eis offerret, quod ad maiorem Dei gloriam fore indicarent, poſt orationem ſimpliciter ſuperiori proponere poterunt ipſius iudicio omninò rem committentes.*

QVAERES X. Pro quo tempore vrgeat obligatio huius voti.

344 ℟. Non obligare pro aliquo tempore determinato, ſed ſolùm pro eo tempore, quo ſuperiori videbitur vnumquemque promouere ad gradum ipſi proportionatum. Colligitur ex *decreto 5. & canone 4. Congregat. V.* vbi de hoc voto dicitur *Quo quis ſe obligat ad acceptandum gradum Profeſſorum, vel Coadiutorum formatorum, pro vt Præpoſito ad maius Dei obſequium fore videbitur*; quæ declaratio ſumpta eſt ex *cap. 7. examinis* §. 1. vbi ſic dicitur *Sic autem intelligendus eſt huiuſmodi ingreſſus, vt profeſſionem, vel vota Coadiutorum formatorum, ſi Societas eos admittere velit, emittant.* vnde fit, quod, cum hoc votum fiat cum clauſula *omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis Conſtitutionis*; hoc ipſò quod conſtitutiones ſocietatis non alligant impletionem huius voti vlli tempori determinato, imò id relinquant arbitrio ſuperiorum; conſequenter ipſum votum non obligabit, niſi pro eo tempore, quo ſuperiores inuitabunt Religioſum ad gradum ſibi proportionatum.

QVÆRES XI. An religioſi Societatis vi huius voti obligent ſe ad acceptandum gradum, non quem ipſi elegerint, ſed ad quem fuerint aſſumpti.

345 ℟. Obligari ad acceptandum illum gradum, ad quem aſſumuntur à Superioribus. ratio eſt tum quia hoc votum fit iuxta Societatis Conſtitutiones: in Conſtitutionibus autem ſtatuitur electionem gradus, ſeu ſtatus intra Societatem non debere eſſe Religioſi priuati, ſed religionis; tum quia etiam vouens ingredi religionem indefinitè, ſi non recipitur in vna, tenetur ingredi aliam, ſi admittatur, nec ſatisfacit eligendo religionem vnam determinatam; cum in obiecto voti ipſius non vna ſolùm religio, ſed plures diſiunctiuè includantur, vt oſtendit *Sanc. l. 6. mor. cap. 18. n. 28.* cum ergò etiam in præſenti fiat votum ingrediendi Soc. indefinitè, & talis ingreſſus habeat varios modos plures ſecundùm regulam, qui in vno non admittitur, vi voti tenebitur alium acceptare, ſi offeratur.

346 Et hæc doctrina eſt adeò vera, vt ſi quis in Societate præſenti voto interiùs intenderet ſolum ſe obligare ad acceptandum gradum Profeſſorum, adhuc teneretur admittere illum, qui ei offerretur à Superiore. ita *Suar. ſup. cap. 17. num. 6.* & probat quia vouens aliquid ſecundum regulam tenetur ſe conformare regulæ, ſuamque intentionem referre ad illam: ergo diuerſa intentio, quæ poſtea fingatur, nec præſumitur, nec debet credi, & ſi admittatur minimè excuſat: ſiquidem vel taliter vouens habuit præſatam intentionem bona fide putans illam eſſe intentionem regulæ; & ſic error eſt priuatus, qui non excludit intentionem ſe obligandi iuxta regulam: vel intentionem illam habuit mala fide nolens ſe obligare iuxta vim ſuorum verborum, nec iuxta intentionem religionis, ſed ex proprio arbitrio; & in hoc facit iniuriam religioni, ac tenetur poſtea mutare intentionem, & parere religioni; non ſecus ac *Suar. tom. 3. de relig. l. 9 cap. 17. Coninch. D. 20. de Sacram. numer. 128. Nauarrus in ſumma cap. 22. num. 52.* alijque dicunt eum, qui in ſuſceptione Ordinis Sacri renueret vouere Caſtitatem, & grauiſſimè peccare peccato fictionis contra legem Eccleſiæ in re grauiſſima, & teneri nihilominus ſeruare caſtitatem, non quidem vi voti, quod cum non fuerit factum, non obligat, ſed ex lege Eccleſiaſtica, ad quam voluntariè ſuſcipiendo Ordinem Sacrum ſe obligauit.

& multò minùs rigorosè exigitur, ac præcipitur;) propterea Superior Societatis videtur retinere ius exigendi à ſuo ſubdito præſatum tranſitum: ſtante quod is abſolutè promiſit ingredi Societatem in quocumque gradu Superior voluerit; vnde ſicut ſubditus à principio teneretur emittere profeſſionem ſolemnem, ſi ad eam immediatè fuiſſet admiſſus; ſic etiam tenetur poſtea, cum gradus interpoſitus non abſtulerit ius Superioris, neque adequatè (vt ſic dicam) expleuerit obligationem, ſed ſolum quamdiu aliquid maius non exigitur. ita *Suar. n.* 12. & non improbabiliter, quamuis tandem dicat oppoſitum poſſe non difficilè defendi; nimirum per formaturam Coadiutoris ſpiritualis extingui in Societate omnem obligationem tranſeundi ad profeſſionem, aut à profeſſione 3. votorum ad profeſſionem 4. quod ego etiam admitto, & tanquam probabilius admittit *Caſtrus Pal. ſup. n.* 7.

QVÆRES XIV. Quid requiratur ad hoc, vt Religioſus Soc. biennij votis adſtrictus vi huius voti in conſcientia teneatur acceptare gradum ſibi oblatum à Superiore, nunque requiratur, vt id ei præcipiatur in virtute Sanctæ Obedientiæ, vel ſub alia æquiualenti forma.

352 ℞. Non requiri quidem proprium præceptum obedientiæ (vt inferiùs probabo) neque ſufficere vt Religioſus à Superiore inuitetur ad vlteriorem gradum per modum gratię, vt ſic dicam, & conſequenter ex voluntate non abſoluta, ſed conditionata, id ei concedendo tanquam fauorem quemdam religionis, in quo moraliter loquendo ſubintellecta eſt conditio, ſi velit illum acceptare: cum gratia non conferatur in inuitum (quo caſu Religioſus in rigore nõ tenetur ex voto acceptare gradum oblatum; ideoque poteſt excuſari à culpa graui, ſi illum recuſet; ſed requiri, & ſufficere, vt Superior ex definita voluntate, & quaſi decreto certum aliquem gradum iniungat Religioſo ſubdito, ab eo voti ſui obligationem exigendo. ita *Suarez* in terminis *n.* 14. & probat tum ex *can.* 32. Congreg. VII. cuius ſunt hæc verba; *Cenſuit Congregatio omnes vi quarti voti* (quod ſcilicet fit in emiſſione votorum biennij) *teneri Superiori certum gradum imponenti obedire, ita tamen vt rationes Prouinciali, ac Patri noſtro conſueto Soc. more proponere poſſit, quas ſcripto cenſuit proponendas; verùm Superiori illis examinatis in ſententia perſiſtenti, & certum gradum abſolutè ſtatuenti, licèt non addat obedientiæ præceptum, teneri vnumquemque obedire, imperatumque gradum ſuſcipere. vt ſi non fuerit obſecutus, cenſendus ſit in malo ſtatu eſſe, atque à Sacramentorum vſu, & adminiſtratione excludendus*; tum à ſimili exemplo illius; qui fortè vouit dare alicui eleemoſynam, quoties ille voluerit, ac petierit: ſi enim is ſolum petat ſimpliciter oſtendendo quemdam affectum, & quod illam libenter accipiet, votum adhuc non obligat, cum nondum impleta ſit conditio appoſita ipſi voto; quod ſi definitè, & ex voluntate efficaci petat, volens impleri quod Deo promiſſum eſt; iam tunc votum incipiet obligare: non quidem quod petens imponat præceptũ, ſed ꝙ tunc impleatur conditio, qua poſita votũ obligat. hoc autem euenit proportionaliter in caſu noſtro, vt conſideranti conſtabit. Notat autem *Caſtrus Pal. num.* 4. gradum abſolutè offerri à Superiore, quoties is examinata cauſa repulſæ perſiſtit in offerendo gradu: ſic enim indicat abſolute, ac definitè ſe velle, vt gradus acceptetur ob bonum Societatis, non autem ob gratiam faciendam Religioſo ſubdito.

353 Et certè quod non requiratur proprium præceptum obedientiæ (ſicut diximus ſub initium reſponſionis) probatur: quia votum iſtud ingrediendi Societatem eſt diſiunctum à voto obedientię, adeoque poteſt obligare per ſe abſque obligatione voti obedientiæ: & ſic de eo non procedit regula generalis Doctorum, quod ordinatio Prælati regularis non inducit obligationem rigoroſam in conſcientia, maximè grauem; niſi proponatur in virtute obedientiæ; aut ſub alia forma æquipollenti.

QVÆRES XV. An, & quam obligationem contrahant Coadiutores temporales ex vi illius voti.

354 ℞. Quod cum etiam illi emittant hoc votum, vtpote vtentes eadem formula votorum, qua vtuntur Scholares approbati: vtique & contrahunt eandem obligationem ingrediendi Societatem, non quidem indeterminatam (qualem contrahunt Scholares approbati) ſed determinatam ad gradum Coadiutoris formati: quippe qui iuxta Inſtitutum ad alium gradum non admittuntur, ſicque certum eſt illos vi huius voti obligari ad acceptandum talem gradum. ita *Suar. num.* 5. hinc inferens *num.* 9. quod, cum illi modo dicto admitti ſoleant ad gradum determinatum: conſequenter vi huius voti non videntur poſſe aſtringi ad acceptandum gradum Scholaris approbati (etiamſi detur ipſos Scholares approbatos vi huius voti teneri acceptare gradum Coadiutoris temporalis formati, ſi ipſis ex definita voluntate iniungatur;) idque ob rationes *q.* 12. §. *verùm* adductas in ſimili de Scholaribus approbatis in ordine ad acceptandum gradum Coadiutoris temporalis: quæ vtique proportionaliter applicatæ Coadiutoribus temporalibus in Ordine ad gradum Scholaris approbati probant intentũ; maximè attenta doctrina, quã tradũt *Sot. l.* 7. *de iuſt. q.* 2. *a.* 1. §. 8. *Arag.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. §. *eſt aliud Rodriq. to.* 2. *ſum. c.* 95. *num.* 10. & alij, quos refert, & ſequitur *Sanch. l.* 4. *mor. cap.* 16. *num.* 55. videlicet eum qui vouit religionem, vt ſit laicus, fortè ob maiorem animi ſubmiſſionem, vel cauſa vitandi labores ſtudiorum, aut ſcrupulos ex auditis confeſſionibus, ſi non admittatur niſi vt Sacerdos, eo ipſo manere liberum à voto religionis; cum votum non obliget vltra intentionem vouentis: quæ doctrina ſine dubio, poteſt ſeruata proportione applicari ad præſentem caſum.

QVÆRES XVI. An hoc voto adſtringantur ij, qui biennij vota emiſerant ante Congregationis V. declarationem hac de re factam, & à nobis relatam q. 2.

355 ℞. Adſtringi; ſi dicta declaratio ſit facta per modum veræ, ac propriæ declarationis, quæ nihil noui agit, vt rectè aduertit *Nald. v. declarare n.* 1. ſecus, ſi ſit vera, ac propria additio nouæ obligationis: quo caſu procederet regula, quod lex non extenditur ad præterita. ita viri docti è Societate à me conſulti, patetque tum ex ijs, quæ diximus

ſup. ſubſect. 5. q. 12. §. quod ſi quæras; tum ex ijs, quæ habet *Caſtrus Pal. tr. 3. D. 5. p. 3. §. 5. n. 1.* puto autem huiuſmodi declarationem fuiſſe per modum veræ, ac propriè dictæ declarationis: cum in decreto, vbi ea proponitur adhibeatur verbum *declarauit*, & alioqui verba propriè intelligi debeant, niſi inde ſequatur aliquod abſurdum: quod certè non ſequitur in caſu noſtro.

QVÆRES XVII. An obligatio iſtius voti afficiat illum, qui forte in Societate emitteret vota biennij inuiolabiliter ignorans, aut non aduertens promiſſionem illam ingrediendi Soc. eſſe verum, ac proprium votum, non obſtante, quod Congregat. V. modo ſupra dicto id declarauerit.

356 ℟. Afficij; & probatur ex doctrina, quam in caſu non omninò diſſimili tradit *Suar. to. 4. de relig. tr. 10. l. 4. c. 17. n. 6.* nimirum, quod, cum in euentu propoſito vouens procedat bona fide, (vt ſuppono) ideoque error, qui hìc interuenit, ſit priuatus, non excludens intentionem ſe obligandi iuxta Regulã: præſumitur vouens implicitè, & conſequenter voluiſſe ſubire etiam obligationem iſtius voti; neque enim neceſſe eſt, vt Prætoris officium ſuſcipiens ſciat, aut aduertat omnia onera illius; ſicut in ſimili aduertit *Tiberius in inſtruct. ordinand. q. 81. §. aut horum*: præſertim cum Nouitius Societatis emittens vota biennij confuſam ſaltem habeat cognitionem talis obligationis ipſi inſinuatam ex verbis illis formulæ *omnia intelligendo iuxta ipſius Societatis Conſtitutiones.*

QVÆRES XVIII. An Religioſus Societatis peccet contra hoc votum, ſi conſtanter recuſet gradum Coadiutoris formati ex definita voluntate Superioris ipſi iniunctum, eò quod videat, & credat gradum profeſſionis ſibi iniuſtè denegari.

357 ℟. Peccare; præſertim ſi admittamus doctrinam qu. 12. traditam ex *Suarez*, ſcholares ſcilicet approbatos vi iſtius voti teneri admittere etiam gradum Coadiutoris temporalis formati, ſi ei à ſuperiore iniungatur. moueor tum quia promiſſio, quæ ſit hoc voto, eſt abſoluta, ac indefinita, admittendi nimirum quemcumque gradum iniunxerit ſuperior, lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi; tum quia eſtò Religioſus ſociet. ſit præditus ijs dotibus, quæ requiruntur in Profeſſis, non ideo hòc ipsò ius habet ad profeſſionem, ita vt illa non poſſit ei denegari ſine iniuſtitia; cum adhuc ſuperiori poſſint occurrere rationes iuſtæ illum non promouendi ad profeſſionem, v.g. ad probandam eius virtutem, eumque exercendum in abnegatione ſui, ac humilitate pro vt habetur in *cap. 4 examinis num. 46.* vbi dicitur, *Vt meliùs ad hunc perfectionis gradum in ſpirituali vita tam pretioſum perueniatur eius maius, ac impenſius ſtudium ſit quærere in Domino maiorem ſui abnegationem, & continuam in rebus omnibus, quo ad poterit, mortificationem*: tum quia *Conſtitutiones Societ. p. 10. num. 7.* habent non debere admitti ad profeſſionem alios, quam ſpiritus, & doctrinæ ſelectæ viros, & multùm, diuque exercitatos, & in varijs probationibus virtutis, & abnegationis ſui ipſorum cum omnium ædificatione & ſatisfactione perſpectos: non tamen decernunt omnes illos, in quibus elucent huiuſmodi dotes, debere admitti ad profeſſionem, ſicque ijs non tribuunt aliquod ius ad profeſſionem, vt paulò ante innui.

Quod tamen non facit, quin religioſus cum humilitate, ac indifferentia poſſit ſuperiori proponere, quæ in animo verſantur circa gradum: maximè, ſi ſibi ſuadeat gradum ſuperiorem denegari ob inaduertentiam, obliuionem, aut ſiniſtram informationem. habetur in *declarat. par. 5. Conſtitut. Societ. c. 4. §. 5.*

An verò religioſus ſocietatis credens ſibi iniuſtè denegari profeſſionem, abſque violatione iſtius voti poſſit appellare ad ſuperius tribunal tanquam de iniuſtitia ſibi illata.

358 ℟. Videri non poſſe; & probatur, quia regulares vi ſuorum priuilegiorum non poſſunt appellare ad ſuperiorem, niſi in caſu, quo prudentis viri arbitrio conſtet ipſis inferri iniuſtum grauamen; vt inter alios notauit *Portel. de dub. regul. v. appellare n. 1.* & nos latè tradimus in *tract. de prohibit. c 7. q. 14.* in præſenti autem caſu non interuenit iniuſtum grauamen, cum religioſus ſocietatis iuxta modo dicta non habeat ius ad profeſſionem, niſi ex ſuppoſitione, quod ea illi concedatur à ſuperiore: cum enim iniuſtitia importet violationem iuris alterius, vt docent communiter Theologi cum *S. Thom. 2. 2. q. 59. a. 1.* ea non poteſt intercedere, vbi nullum adeſt ius, quod violetur. ita viri docti è Societate à me conſulti, & ſatis probabiliter.

QVÆRES XIX. An peccet contra hoc votum religioſus ſocietatis, qui recuſat gradum ſibi iniunctum acceptare, eò quod ſibi clarè conſtet ſe non eſſe præditum ijs dotibus, quę ad talem gradum prępſupponuntur.

359 ℟. Videri peccare; & ratio eſt, quod, cum religioſus ſocietatis ex *decreto 5. Congregationis V. & can. 4.* vi huius voti ſe obliget ad acceptandum gradum Profeſſum, vel Coadiutorum formatorum, pro vt Pręposito ad maius Dei obſequium fore videbitur; & aliàs non ſpectet ad ſubditum indagare, num habeat dotes requiſitas ad gradum ſibi iniunctum, nec ne; & hę ipſę dotes, quantumuis in Conſtitutionibus pręſcriptę, non ſint ſimpliciter neceſſarię ad valorem religioſę profeſſionis, (vt patet in alijs Ordinibus;) debet prędatus religioſus ſocietatis acceptare gradum ſibi iniunctum, relicta ſuperiori diſcuſſione, an ipſe habeat debita merita, nec ne. quod tamen non facit, quin poſſit ſuperiori proponere ſuas difficultates, ſuamque inſufficientiam declarare: dummodo interim ſit paratus obedire; vt in ſimili indicat *Sanch. lib. 4. moral. cap. 16. num. 35.* docens vouentem religionem nullam culpam admittere, ſi, vt religioſi iudicent, an expediat illum admittere, illis bona fide exponat auerſionem ſuam à ſtatu religioſo, proponens tamen viribus ſe enixurum illum amplecti.

QVÆRES XX. An peccet contra hoc votum religioſus ſocietatis, ſi varijs prętextibus ſubterfugiat promoueri ad gradum ſibi iniunctum, eò quod exiſtimet illum eſſe inferiorem ſuis meritis, eo tamen non expreſsè recuſato.

360 ℟. Videri peccare; & colligitur ex *Suarez nu. 15.*

dicente

dicente non eſſe tutum in conſcientia, neque illum, qui abſolutè reſiſtit refutando gradum iniunctum; neque illum, qui adeò reſiſtit, vt moraliter cogat ſuperiorem ad mutandam voluntatem, aut ſuſpendendam, ne fortè ſubditum maiori periculo exponat. ratio autem reſponſionis eſt, quod, cum per hoc votum acquiratur ius ſocietati, vi cuius, & ratione etiam iuriſdictionis, quam habet in ſubditū, poteſt non ſolum obligare, ſed etiam cogere ad implendum tale votum in gradu deſignato à Superiore; non debet ipſa iniuſtè priuari iure ſuo; iniuſtè autem priuatur hòc ipsò, quod Religioſus gradum ſibi iniunctum varijs tergiuerſationibus ita effugit, vt modo ſupradicto, moraliter cogat Superiorem mutare voluntatem, aut ſuſpendere: cum talis mutatio, ſeu ſuſpenſio, non ſit libera, ac voluntaria, ſed moraliter neceſſaria; quo pacto DD. apud *Leſſium l.2.c.16.n.35.* communiter aiunt ad hoc, vt remiſſio creditoris excuſet debitorem à reſtitutione, eam debere eſſe omninò liberam, ideoque non extortam metu, aut fraude; quæ doctrina proportionaliter militat etiam in caſu noſtro, præſertim attenta doctrina, quàm tradunt *Nauar.l.3.de reſtit.c.1. p.3.d.1.nu.179.* & alij apud *Sanch.l.4.de matr. D.10. num.9.* licentiam ſcilicet extortam à Religioſo precibus valdè importunis accipiendi, aut retinendi aliquid non excuſare à vitio proprietatis: ſi Superior illam concedat inuoluntariè ad repellendam importunitatem aliàs omninò repugnaturus. nobiſcum ſentit *Caſtrus Pal. ſup. num.* 5. quamuis indicet ſe etiam oppoſitum exiſtimare probabile, cum dicat ſententiam Suarez, & noſtram eſſe veriorem, ideſt probabiliorem.

QVÆRES XXI. An peccet contra hoc votum Religioſus Societatis, ſi conſultò malè ſe gerendo det cauſam ſuæ dimiſſioni ad effectum declinandi gradum ſibi iniunctum, vtpote ab ipſo exiſtimatum inferiorem ſuis meritis.

361 ℟. Quod, ſicut Religioſus Societatis peccat m. dedita opera malè ſe gerendo ad effectum, vt ſic dimittatur ex ipſa Societ. ſicut oſtendimus in *tract. de profeſſ. cap.4. ſect.1.q.15.* ita & peccat in præſenti caſu contra hoc votum. Ducor, quod tunc vouens peccat contra votum, quando, vrgente obligatione voti, ipſe renuit illud implere, cum poſſit, & debeat; vt in caſu propoſito vrget obligatio huius voti; cum impleatur conditio in eo incluſa; quæ eſt, vt Superior, qui habet poteſtatem, efficaci voluntate indicat certum, ac determinatum gradum; & Religioſus, cum poſſit implere votum, ſine iuſta cauſa renuit implere, modo dicto procurando dimiſſionem; ergò peccat contra hoc votum. & quidem quod peccet contra iſtud votum, procurando dimiſſionem, patet; quia admittens ſcienter impedimentum implendi voti peccat contra votū, vt benè docent *Hoſtienſ. ſumma de voto num.14. Ang. v.votum 2.n.12. Sylu.v.votum 3.fine*, & alij: id autem euenit in præſenti caſu, vt patet.

QVÆRES XXII. An Religioſus Societatis peccet contra iſtud votum, ſi ad vitandum gradum ſibi à Superiore efficaci voluntate iniunctum, ipſique minùs gratum, tranſeat ad Ordinem ſtrictiorem.

362 ℟. Non peccare contra hoc votum; quidquid ſit, an aliunde peccet. Moueor; tum quia votum hoc ingrediendi Societatem, vt ſit validum, includit conditionem hanc, *niſi elegero tranſire ad religionem arctiorem*, prout iura concedunt, ſi quidem votum debet eſſe de meliori bono, adeoque non impeditiuum maioris boni, quale eſt tranſitus ad Religionem arctiorem; cum ergo in præſenti euentu impleatur iſta conditio, non facit Religioſus contra hoc votum, indirectè & conſequenter recuſando gradum iniunctum; cum natura conditionis ſit, vt ſuſpendat valorem actus vſque ad ipſius conditionis aduentum *l. ſi ita ſtipulatus fuero 10. ff. de verb. obligat.* & alioqui nullo iure reijciantur à voto conditiones honeſtæ, ac piæ; vt inter alios notat *Fagund.l.2.decal.cap.28. num.9.* tum quia vnuſquiſque vouens poteſt etiam propria auctoritate commutare ſua vota in euidenter melius; vt docent communiter Auctores cum *Caiet.2.2.q.88. a.12.* ex *cap. peruenit 2. de iure iur.* vbi dicitur *promiſſum non infringit, qui illud in melius commutat*: ergò etiam Religioſus Soc. in illo caſu poterit commutare votum hoc ingrediendi Societ. in ingreſſum Religionis arctioris, tanquam in aliquid euidenter melius (quāquam *Leſſius l.2.c.40 numer.105. Sà v. votum vbi de irritat. vot n.10. Suar. tom.2. de relig. lib.6. de voto c.20. num.4.* alijque apud *Fagund. ſup. cap.48. num.5.* ſentiant vouentem propria auctoritate commutare ſuum votum etiam in id, quod eſt euidenter æquale:) tum denique quia vouens ingredi determinatam aliquam Religionem poteſt licitè ingredi aliā, quæ ſit ſtrictior; ergò à fortiori poterit Religioſus Societatis, non obſtante voto acceptandi in Societate ipſa gradum præceptum, ingredi alium Ordinem arctiorem: cum grauius ſit votum ingrediendi ſimpliciter aliquam Religionem determinatam, quam votum admittendi certum gradum in Religione aſſumpta, ſicq; procedat regula communis; *Cui cōceditur, quod eſt plus, cōceditur etiā quod minus eſt.*

363 Dixi ſub initium reſponſionis, *quidquid ſit, an aliunde peccet*, vt indicarem tranſeuntem à Societate ad aliam Religionem arctiorem animo vitandi aſſumptionem gradus ſibi propoſiti in dicta Societate, eſtò non peccet contra votum acceptandi gradum iniunctum, cum vtatur iure ſuo, & vtens iure ſuo non faciat alteri iniuriam; peccare tamen ex illo prauo fine (maximè ſi ex eo principaliter moueatur ad dictum tranſitum,) & quidem non ſolùm contra humilitatem, ſed etiam contra virtutem conſtantiæ: peccare, inquam, & non leuiter, ſi agnoſcat talem tranſitum ipſius bono ſpirituali nō expedire; quod ſine dubio poteſt contingere; cum poſſit quis eſſe aptus inſtituto Ordinis minùs arcti, non item regulari obſeruantiæ Ordinis arctioris, ideoque proficere in illo, non autem in hoc. & hoc eſt ita verum, vt *Sanch.l.4.mor.c.8.n.8.* expreſsè cōcedat votum non ingrediendi Religionem emiſſum ab eo, qui ſe agnoſcit ineptum ad ſtatum religioſū, eſſe & licitum, & validum, quamdiu durat ea ineptitudo: quo modo debet interpretari tale votum, & non aliter, etiamſi abſolutè emittatur.

QVÆRES XXIII. An contraueniat huic voto Religioſus Soc. ſi ad effectum non acceptandi

gradum efficaciter iniunctum, ipſiuſque voluntati minùs conformem, interim curet ſibi conferri aliquem Epiſcopatum, aut aliam dignitatem extra Religionem, per quorum collationem eximatur à regulari diſciplina, & conſequenter ab onere acceptandi dictum gradum.

364 ℞. Videri non contrauenire; non quidem quod votum hoc ingrediendi Societatem commutari poſſit, etiam propria auctoritate in aſſumptionem Epiſcopatus, tanquam in aliquid meliùs: vt primo aſpectu poſſet alicui videri ex eo quod Epiſcopatus eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, ſtatus verò religionis eſt via ad acquirendam perfectionem (at minùs bene, vt paulo poſt videbimus) ſed quod vnicuique licitum ſit effugere obligationem ſibi impoſitam, dummodò id faciat medio licito: vt hinc patet, quod ſine culpa poteſt ſubditus petere à proprio Prælato irritationem voti emiſſi præcisè ad vitandam eius obligationem; cum ſic vtatur iure ſuo, & ipſi ſuperiori item præbeat materiam proprio iure vtendi: quod vtrumque conſtat eſſe licitum. id autem omninò euenit in caſu noſtro, quo Religioſus ſocietatis ad declinandum gradum ſibi iniunctum procurat promoueri ad Epiſcopatum ſciens ſe per talem aſſumptionem fore liberum ab obligatione voti, quo alioqui adſtringitur admittere dictum gradum; ſi quidem eiuſmodi obligationem ſtudet effugere medio licito, nempe per aſſumptionem Epiſcopatus, cuius procuratio ipſi non eſt ſimpliciter prohibita, vt pote nondum habenti votum non procurandi dignitates, de quo ſupra. Verum tamen eſt, quod ſi iuxta dicta q. 14. ſupponamus obligationem acceptandi gradum oblatum ita vrgere, vt eius acceptatio non poſſit vlteriùs differri abſque violatione voti de hoc emiſſi; tunc Religioſus peccaret quidem contra præſens votum pro eo tempore, quo præfatam differret acceptationem procurando ſibi Epiſcopatum: cum interim teneatur implere votum, non habens iuſtam cauſam differendi; vbi tamen fuiſſet promotus ad Epiſcopatum, ſicut ceſſaret obligatio recipiẽdi dictum gradum, ſic & ceſſaret tranſgreſſio prædicti voti. Vnde fit, vt Religioſus in caſu propoſito poſſit excuſari à præſata tranſgreſſione voti, ſi præſagiens ſibi offerendum gradum minùs ſpecioſum, modo dicto procuraret promoueri ad Epiſcopatum, animo effugiendi gradum: cũ ſic verè nondum vrgeat obligatio voti, & aliàs vi voti non prohibeatur adhibere tale medium ad gradum illum declinãdum, ſaltem ex vi voti. Dico, *ſaltem ex vi voti*, quia aliunde poſſet prohiberi id facere, ex eo ſcilicet quod ſecundum plures DD. relatos ab *Henriq. l. 10. c. 32. nu. 3.* illicitum eſt appetere Epiſcopatum, aut procurare illum, pertinetque ad ambitionem, vel præſumptionem, ſi appetatur, aut procuretur propter honorem, excellentiam, ac ſuperiorem poteſtatem, quæ ſecum defert Epiſcopatus: quo ſenſu dicit *S. Auguſt. l. 19. de ciuit. c. 19. Locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt, etſi adminiſtretur, vt decet, tamen indecenter appetitur.*

365 Quod verò aſſumptio Epiſcopatus, tanquam importans ſtatum euidenter meliorem, ac perfectiorem ſtatu religioſo, hìc, & nunc non ſit Deo gratior, & conſequenter in eam non poſſit propria auctoritate commutari votum religionis: patet quia ſtatus epiſcopalis dicitur perfectus, non quod hominem faciat perfectiorem, ac Deo gratiorem, quam ſtatus religioſus; ſed quia iuxta rectum ordinem ſupponit perfectionem. vnde, cum hìc, & nunc poſſit talis perfectio deficere in perſona Epiſcopi; hìc, & nunc non eſt gratius Deo, vt ſtatum epiſcopalem amplectaris, imò gratius erit Deo, ſi fias Religioſus: cum ſtatus religionis ſit via ad perfectionem, inſtructioque ad virtutes, & in hoc deficere non poſſit. ad quod facit *cap. penult. de voto*, vbi habetur eum, qui in ſæculo vouit in religione profiteri, & poſt tale votum ad epiſcopatum electus, debere epiſcopatum reſignare, & votum implere, ſi ſuæ conſcientiæ velit conſulere. ita *Leſſius l. 2. c. 40. num. 103. Abulenſ. in cap. 30. Numer. q. 94.* & cum illis *Fagund. l. 2. decal. c. 48. num. 21.*

QVÆRES XXIIII. An faciat contra hoc votum Religioſus ſocietatis, ſi videns ſibi offerri gradum minùs ſpecioſum, curet per ſe, aut per alios inducere ſuperiorem, vt ipſi cõferat alium gradum altioris ordinis.

366 ℞. Non peccare; niſi fortè inductio illa ſit talis, vt, attentis concurrentibus circumſtantijs, ſuperior, moraliter loquendo, non ſpontè, ſed coactè cenſeatur indulgere ſubdito quoad collationem gradus; vt ſi indulgeat ad ſe liberandum à moleſtia importunarum precum, aut ex auctoritate, ac reuerentia perſonæ intercedentis pro ſubdito, aut ex alio ſimili reſpectu. Colligitur ex *Suarez tom. 4. de relig. tract. 10. l. 4. c. 17. nu. 15.* patetque ex dictis *ſup. q. 20.* ſi hìc monuero ex *Leſſio* l. 2. c. 17. nu. 48. ad hoc vt preces importunæ cenſeantur habere rationem moralis coactionis, ac inducere inuoluntarium, requiri, vt is, qui talibus precibus vrgetur, illam importunitatem non poſſit aliter repellere minori cũ ſuo incommodo, & ſic Principes, ac magni Prælati non cenſentur omninò inuiti concedere officia, aut beneficia, quæ improba ſollicitatione ab ipſis obtinentur: quippe qui ſi vellent, facilè poſſent coercere petentes. Addo quod, quamuis iſta inductio non aduerſetur huic voto, cum vouens per tale votum non ſe obliget ad abſtinendum ab illa: aliunde tamen eſt defectuoſa, vt pote contraria virtuti humilitatis, ac religioſæ ſui ipſius deſpicientiæ, quæ eſt fundamentum totius religioſę perfectionis. à *Suarez* non diſſentit *Caſtrus Pal. tr. 16. D. 5. p. 1. nu. 5.* quamuis, cùm ſolùm dicat opinionem *Suarez* eſſe veriorem, indicet ſe exiſtimare probabilem etiam opinionem contrariam.

QVÆRES XXV. An Religioſus ſocietatis Coadiutor temporalis nondum formatus contraueniat huic voto, ſi ad declinandum gradum Coadiutoris temporalis curet promoueri ad ſacros ordines.

367 ℞. Non contrauenire: idq; ob doctrinam traditam paulo ante *q. 23.* quæ proportionaliter procedit etiam in præſenti caſu. præterquam quod obligatio voti non debet ampliari, ſed reſtringi, ita vt vouentem obliget minùs, quam fieri poſſit; quod certè in voto iſto non obſeruaretur, ſi illud extenderetur ad caſum hìc propoſitum.

QVÆ-

QVÆRES XXVI. An Religioſus Soc. ſpeccet contra hoc votum, ſi iam promotus ad gradum inferiorem curet per ſe, aut per alios aſcendere ad alium gradum Superiorem.

368 ℞. Non peccare; cum per hoc votum non ſe obliget ad abſtinendum à tali procuratione, & alioqui obligatio voti non debeat ampliari vltra rigoroſam verborum proprietatem: commmittere tamen aliquam imperfectionem, tum ex defectu debitæ hum. itatis, tum quia non obſeruat, quod habetur p. 5. *Conſtitut. cap. 4. §. 5.* his verbis *Poſtquam aliquis in corpus Soc. cooptatus fuerit in aliquo gradu, ad alium progredi curare non debet, ſed in ſuo perfici, & obſequio Dei, & gloriæ ſe ſe impendere, ac Superiori, qui ſcilicet Chriſti D. N. vices gerit, curam aliorum omnium relinquere.*

SECTIO VI.

De voto Humilitatis, quod emittunt Fratres Carmelitæ Diſcalceati.

369 *Fratres Carmelitæ Diſcalceati faciunt votum humilitatis,*
370 *Et quidem omnes, etiam laici.*
371 *Hoc votum eſt ſolemne.*
372 *Fit ad relegandam ambitionem.*
373 *Eius materia eſt multiplex, ac varia.*
374 *Explicatur, quid ſit prætendere directè, aut indirectè: enumerantur prælationes, & officia, quæ cadunt ſub hoc votum.*
375 *Vi huius voti vetatur admiſſio dignitatum, ac officiorum extra Ordinem: & quidem ea interdum confunduntur.*
376 *Ea poſſunt admitti ſolùm ex præcepto Papæ.*
377 *Vi huius voti Fratres laici prohibentur prætendere mutationem habitus, & aſcenſum ad altiorem gradum.*
378 *Hoc votum eſt licitum.*
379 *Vi illius Fratres laici non prohibentur ambire, vel admittere officium ſpecioſum extra Ordinem.*
380 *Hoc votum non petit formale præceptum ad acceptandam dignitatem extra Ordinem.*
381 *Obligatio eius durat, etiam extra Ordinem.*
382 *Vi illius Fratres laici non prohibentur procurare per alium, ac indirectè mutationem habitus, & aſcenſum ad gradum.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

369 ℞. Fieri his ipſis verbis, quæ deſumpta ſunt ex formula, qua dicti Fratres vtuntur; nimirum *Inſuper promitto me nunquam directè, vel indirectè, per me, vel per alium, intra, vel extra Congregationem vllam prælationem, aut officium prætenſurum, neque extra Congregationem oblatum acceptaturum, niſi præcepto eius, qui mihi præcipere poteſt, adſtringar iuxta Conſtitutiones noſtras.* Et hæc ſunt verba, quibus vtuntur Fratres Clerici in emiſſione huius voti; laici enim his alijs vtuntur, quæ deſumpta item ſunt ex ipſa formula profeſſionis; videlicet *Inſuper promitto me nunquam prætenſurum aliquam mutationem habitus, aut aſcenſum ad gradum aliquem altiorem eo, ad quem à Deo vocatus ſum.*

QVÆRES II. An hoc votum fiat ab omnibus Fratribus Ordinis, etiam laicis.

370 ℞. Fieri; vt conſtat ex q. præcedenti, in quo adduximus ipſiſſima verba, quibus vtuntur dicti Fratres laici in emiſſione talis voti.

QVÆRES III. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne, etiam reſpectu Fratrum laicorum.

371 ℞. Eſſe ſolemne; & probatur tum ex communi ſenſu illius Ordinis: tum quia in eo concurrunt ea omnia, quæ ſuperiùs *c. 1. ſect. 1. q.* 8. diximus requiri ad rationem eſſentialem voti ſolemnis.

QVÆRES IV. Ad quem finem emittatur hoc votum.

372 ℞. Emitti ad ambitionem omninò relegandam à Religione, ſpiritumque religioſæ humilitatis in ea conſeruandum: vnde & tale votum communiter vocant votum humilitatis.

QVÆRES V. Quæ ſit materia iſtius voti.

373 ℞. Diſtinguendo; vel enim conſideratur, quatenus fit à Fratribus Clericis; & materia illius eſt veluti duplex: prima eſt non prætendere dignitates, neque directè, neque indirectè, neque per ſe, neque per alium, neque intra Ordinem, neque extra: ſecunda eſt non acceptare vllam prælationem, aut officium extra Religionem, niſi interueniente præcepto eius, qui poſſit id præcipere. Vel conſideratur, quatenus fit à Fratribus laicis; & materia illius eſt non prætendere aliquam mutationem habitus; aut aſcenſum ad gradum aliquem altiorem eo, ad quem ij à Deo vocati ſunt, & in quo de facto ſunt conſtituti. patet ex formula ipſiuſmet voti adducta q. 1.

QVÆRES VI. Quid intelligatur per verba illa *promitto me nunquam directè, vel indirectè, &c. vllam prælationem, aut officium prætenſurum.*

374 ℞. Per verba quidem illa *directè, vel indirectè prætenſurum* intelligi illud idem, quod *ſup. ſect. 4. q. 7. §. quod ſi quæras, & ſect. 5. ſubſ. 3. q. 5.* diximus ſignificari per ſimilia verba vſurpata in faciendo ſimili voto; per illa verò alia verba, *vllam prælationem, aut officium*, intelligi officium Præpoſiti, Definitoris generalis, Prouincialis, Viſitatoris, Procuratoris generalis, Definitoris, Prouincialis, Prioris, Vicarij canonicè electi, Socij, & Subſtituti capituli generalis, & Socij capituli prouincialis, & non alia. patet ex *Conſtitutionibus Ordinis ſub finem num.* 15. vbi additur ipſo verbo *ambiendi*, ſeu (quod idem eſt) prætendendi, aut procurandi, externos actus ambitionis cum deliberatione procedentes intelligi. Vbi vnum moneo, quod quamuis in præſenti declaratione non fiat expreſſa mentio de Vicario generali Ordinis: nihilominus pro certo habendum eſt etiam officium illius comprehendi ſub hoc voto, ac indicari ſub nomine Vicarij canonicè electi indefinitè appoſiti in præfata declaratione, vt ſic poſſet adaptari omnibus prælaturis Ordinis, & conſequenter etiam Vicario generali; & id abſque eo quod ſæ-

pius

piùs repeteretur; ita reſponderunt viri docti, & graues illius ordinis à me conſulti reſponſionem ſuam confirmantes ex vſu communi Religionis, qui eſt optimus legum interpres *l. ſi de interpretatione ff. de legib. & c. cum dilectus de conſuetud.* & ex fine huius voti, qui eſt relegare ambitionem ab ordine; & ſine dubio potiori ratione militat in ambitu Vicariatus generalis, quam in alijs prælaturis, ſiue mediatis, ſiue immediatis.

QVÆRES VII. An Carmelitæ diſcalceati vi huius voti prohibeantur acceptare non ſolùm officia extra Ordinem, quæ ſola videntur referri in formula ipſius voti ſub illis verbis *neque extra Congregationem oblatum* (ideſt officium) *acceptaturum*, ſed etiam prælationes item extra Religionem.

375 ℞. Prohiberi tam prælationes, quam officia: ſiue quia ibi *oblatum*, quod eſt neutrius generis indifferenter refertur ad vtraque, ſiue quia ibi officium confunditur cum prælatia; quomodo *Lezana tom. 2. c. 13. num. 7. ex Portello de dub. regul. v. officia ordinis in addit. nu.* 2. notat communi vſu multarum Religionum, & aliquarum Conſtitutionum, ſeu decretorum pontificiorum nomine officiorum venire etiã prælationes, ſeu dignitates: ita vt nomen *officij* comprehendat non ſolùm officia propriè dicta, quę important adminiſtrationem abſque præeminentia, ſeu iuriſdictione, ſed etiam prælaturas, quæ propriè dicunt adminiſtrationem cum iuriſdictione; præter quam quod eſt maior ratio comprehẽdendi ſub iſto voto prælatias extra ordinem, quam officia: cum illæ maiorem habeant expetibilitatem, vt pote ſpecioſiores, ac vtiliores, quam ſint officia propriè dicta, quæ regulariter ſunt minùs ſpecioſa, ac minoris vtilitatis.

QVÆRES VIII. Qui ſuperior veniat ſub illis verbis *niſi præcepto eius, qui mihi præcipere poſſit.*

376 ℞. Venire Papam, aut alium ab ipſo delegatam poteſtatem ad id habentem, & non alios; ita vt neque Generalis Ordinis, neque Definitorium generale, imò neque ipſum Capitulum generale poſſint adſtringere Religioſum Ordinis ad acceptandum Epiſcopatum, aut aliam prælationem extra Religionem. ita mihi reſponderunt viri docti, & graues eiuſdem Ordinis ex communi ſenſu totius Religionis; qui ſenſus communis in ſimilibus debet magni fieri, vt pote æquiualens interpretationi ipſiuſmet legiſlatoris, qui ſolus poteſt ſuam legem interpretari authenticè, patetque expreſſè ex Conſtit. Vrb. VIII. quæ incipit *Honorum*, edita 26. Febr. 1643. ſuperiùs relata.

QVÆRES IX. Quam mutationem habitus, & quem aſcenſum ad gradum altiorem vi huius voti prohibeantur prætendere Fratres laici ordinis.

377 ℞. Prohiberi procurare (intellige iuxta declarationem allatam q. 6. actibus externis cum deliberatione procedentibus) vt vel eorum habitus mutetur in album, quali vtuntur fratres clerici Ordinis: vel quod ipſi promoueantur ad gradum Choriſtæ, aliumue ſimilem proprium Clericorum. ita viri docti eiuſdem Ordinis à me per literas interrogati expreſſe reſponderunt ex ſenſu item communi totius Ordinis.

Quod ſi quæras, quo modo licitum, & validum eſſe poſſit hoc votum quo ad iſtam partem, cum videatur impeditiuum melioris boni, vt pote arcens à ſacerdotio, ac miniſterijs proprijs Sacerdotum.

378 ℞. Quod, cum teſte *Leſſio* l. 2. c. 40. *nu.* 101. votum dicatur eſſe de meliori bono, non quia ſit de re ex genere præſtantiori, ſed quod ſit de re, quæ hìc, & nunc omnibus expenſis ſit gratius vouentem facere; hoc ipsò quod confert ad maiorem quietem, ac profectum ſpiritualem dictorum Fratrum laicorum perſeuerare in ſtatu humili propriæ vocationis, inſeruiendo ordini in temporalibus, & aliàs vacando ſibi, ac Deo: conſequenter Deo gratius eſt ipſos in tali ſtatu perſeuerare, non autem quod aſcendant ad ſacerdotium, & ſe exerceant in miniſterijs altioris ordinis, in concionibus habendis, in confeſſionibus audiendis, in docendis rudioribus, & ſimilibus; quamuis alias eiuſmodi miniſteria ex genere ſuo ſint præſtantiora ijs, in quibus ſe exercent tanquam laici; quod ſi id eſt gratius Deo, erit & materia apta voti, adeoque licitè, & validè poterit Deo promitti voto ſpeciali: ſicuti de facto fit præſenti voto. Sic habetur in *Conſtitutionibus Societ. Ieſu c. 6. num. 6. exam. Si quis examinatus, & inſtructus fuerit, vt ſit futurus Coadiutor temporalis, ſic ſe totum rebus, quæ cum ſua propria vocatione propriè ſunt coniunctæ addicat, vt non curet vlla ratione à ſtatu Coadiutoris temporalis in ſtatum ſpiritualis, vel ſcholaſtici, aut Profeſſi progredi: nec etiam, ſi in eodem ſuo maneat, plus literarum addiſcere, quam ſciebat, cum eſt ingreſſus, curet, ſed perſeuerare cum magna humilitate debet in omnibus Creatori, ac Domino ſuo iuxta primam ſuam vocationem inſeruiendo &c.* Et quidem quod ſit Deo gratius dictos Fratres laicos perſiſtere in ſua prima vocatione contentos ſorte Marthæ, conſtat tam ex modò dictis; tum quia id in ordine ad propriam ſalutem eſt ſecuriùs, quo ad propriam æſtimationem ſui ipſius humilius, & à propria præſumptione remotius; ſicut in ſimili notat *Suarez tom. 4. de relig. tr. 10. l. 2. c. 8. nu.* 14. loquens in ſpecie de ſtatu epiſcopali.

QVAERES X. An Fratres laici Ordinis vi huius voti prohibeantur procurare, aut acceptare gradum aliquem, aut officium aliquod ſpecioſum extra Religionem.

379 ℞. Videri probabile neutrum ipſis prohiberi. moueor, quia obligatio legis, & conſequenter etiã voti, quod æquiparatur legi, non extenditur vltra caſus verbis ſufficienter expreſſos, nec vltra intentionem legiſlatoris, ac vouentis: præſertim cum votum interpretari debeat, vt obliget minùs, quam fieri poſſit; ſicut aduertit *Bonac. D. 4. de leg. q. 2. p. 6. n.* 10. ex *Suarez, Azorio, Sanch. Panorm. & alijs*; ex alia parte in formula voti, quod emittunt dicti Fratres laici, nulla fit mentio de acceptatione graduum, aut officiorum, ſed ſolùm de prætenſione (vt conſtat ex verbis illis *me nunquam prætenſurum*): præterea ibi videtur eſſe ſermo tantùm de gradibus intra Ordinem, & qui via ordinaria poſſent in dictos Fratres cadere (cuiuſmodi eſt fieri Choriſtam, capacem vocis actiuæ, aut paſſiuæ, promoueri ad ſacerdotium &c.) non autem de ijs, qui via extraordinaria poſſent ab ipſis acquiri; ſi quidem leges fiunt de cõmuni-

muniter contingentibus nec obſtat quod eadem ratio militat etiam in gradibus, ac officijs extraordinem; id enim probat quidem etiam illos potuiſſe comprehendi ſub hoc voto, ſi religio voluiſſet, & ſtatuiſſet; non tamen probat de facto comprehendi, prout in ſimili aduertit *Caſtr. Pal. tra. 3. D. 5. p. 3. §. 4. nu. 2.* quin potius oppoſitum probabiliter ſuadetur ex ijs, quæ diximus ſub initium reſponſionis.

QVÆRES XI. An ad hoc vt Fratres Carmelitæ Diſcalceati, non obſtante hoc voto poſſint acceptare prælationem, aut officium extra Ordinem, neceſſe ſit, vt de hoc ijs fiat proprium, ac formale præceptum.

380 ℞. Videri poſſe; & conſtat ex ijs, quæ diximus *ſupra ſect. 5. ſubſect. 4. quæſt. 11.* in caſu omninò ſimili.

QVÆRES XII. An Fratres Carmelitæ diſcalceati maneant affecti obligatione huius voti, etiam ſi tranſeant ad alium Ordinem, in quo non emittatur tale votum, aut aliter recedant à proprio Ordine; & quidem etiam Fratres laici.

381 ℞. Manere, non tamen fratres laicos; manere inquam, non quidem vi præientis voti, ſed ex Decreto hac de re edito ab Vrbano VIII. & relato in *bullar. to. 4. Conſtit. Vrb. VIII. in Ordine* 140. nec non à nobis adducto *ſup. ſect. 4. q. 20.* vnde peti poſſunt ea, quæ hìc deſiderari poſſent ad probationem præſentis reſponſionis, ac maiorem declarationem huiuſce difficultatis. Dixi, *non tamen fratres laicos*, vt innuerem iſtos non videri comprehendi ſub præfato decreto Vrbani VIII. & ratio eſt, quod dictum decretum loquitur ſolum de Religioſis emittentibus votum, promiſſionem, ſeu iuramentum, de non petenda, aut acceptanda extra Religionem dignitate, eoſque tantum reddit incapaces, & inhabiles ad præfatas dignitates tam petendas, quam acceptandas, etiamſi aliàs eximantur à iugo regularis diſciplinæ, quomodocumque id eueniat. Fratres autem laici prædicti non faciunt votum non petendi, aut non acceptandi dignitates extra Ordinem, ſed ſolùm de non prætendendo mutationem habitus, aut aſcenſum ad gradum aliquem altiorem eo, ad quem à Deo vocati ſunt; quæ ſunt res valdè diuerſæ; à diuerſis autem non fit illatio, maximè in materia voti, quod DD. communiter dicunt eſſe ſtrictæ interpretationis.

QVÆRES XIII. An Fratres Laici Carmelitæ diſcalceati peccent contra hoc votũ, ſi indirectè, vel per alium procurent mutationem habitus, aut aſcenſum ad gradum altiorem.

382 ℞. Videri non peccare; & inde ſuadetur, quod obligatio voti non debet ampliari vltra rigoroſam verborum proprietatem, ac intentionem vouentis, vt ſæpius dictum eſt; ex formula autem voti, qua vtuntur iſti Fratres, ſatis clarè colligitur intentionem ipſorum eſſe ſe ſolùm obligare ad non procurandum directè, & per ſe; cum ſimpliciter, & abſolutè promittant, ſe nunquam prætenſuros mutationem habitus, &c. non additis illis alijs particulis *directè, vel indirectè, per me, vel per alium*, quas addunt Fratres Clerici in ſuo voto humilitatis: quod eſt ſignum dictos Fratres Laicos ſub ſuo voto non comprehendere niſi procurationem directam, & per ſe, quæ ſignificatur per verbum *prætendere* ſimpliciter prolatum; alioqui ſi voluiſſent comprehendere etiam procurationem indirectam & per alium, id exprimerent, ſicut exprimunt Fratres Clerici; generaliter enim procedit regula, quam tradit *Sua. ſup. tr. 8. l. 2. c. 17. n. 7.* ſeruandam eſſe in oneribus maximè imponendis: *ſi voluiſſet, expreſſiſſet*.

Reliqua quę hìc poſſent controuerti de hoc voto, deſumi poſſunt ex dictis *ſup. ſect. 4. & ſect. 5. ſubſ. 3. & 4.* ideoque non eſt cur fruſtra ea hoc loco iterum repetamus.

SECTIO VII.

De voto non prætendendi, nec acceptandi dignitates extra Ordinem, quod faciunt Clerici regulares, *Minores* vulgo dicti; nec non de Iuramento, quod ijdem faciunt de non prętendendis dignitatibus Ordinis.

383 *Clerici regulares minores faciunt votum non ambiendi dignitates extra Ordinem, & iuramentum non ambiendi intra.*

384 *At non omnes, ſed ſolum Clerici.*

385 *Votum hoc eſt ſolemne, non item iuramentum.*

386 *Ea fiunt ad tollendam ambitionem.*

387 *Non conſtat, cur promiſſio non ambiendi intra Ordinem fiat per modum iuramenti, & non voti.*

388 *Aſſignatur materia huius voti, ac iuramenti.*

389 *Vi eorum prohibentur ſolùm ambitus directus.*

390 *Vi huius voti vetita admiſſio dignitatis collatæ, etiam alia via, quam per electionem.*

391 *Violatur votum iſtud tam admittendo electionem, quam confirmationem.*

392 *Vt licitè admittatur dignitas, non petitur formale præceptum.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum, & Iuramentum.

383 ℞. Votum quidem fieri his verbis deſumptis ex formula ipſius voti, quam adhibent dicti Patres; nimirum *Inſuper promitto nunquam me curaturum, vel prætenſurum, ſiue per me, ſiue per alium extra religionem prælationem aliquam, vel dignitatem, nec conſenſurum in mei electionem, niſi coactus obedientia Summi Pontificis*, Iuramentum verò fieri his alijs verbis item deſumptis ex formula ipſiuſmet iuramenti, videlicet, *Ego N. N. teſtem inuoco Deum, quod neque Præpoſiti dignitatem, neque aliquod officium, quod huiuſmodi dignitati ex ordinationibus noſtræ Religionis præfertur, mihi expreſsè mandari curabo.*

QVÆRES II. An hoc votum, & iuramentum

tum fiant ab omnibus Religioſis Ordinis, etiam laicis.

384 ℞. Non fieri, eò quod illa ipſis non ſint neceſſaria, aut eorum ſtatui accommodata: quippe qui ſunt incapaces dignitatum intra Religionem, & regulariter, quod ſpectat ad dignitates extra Religionem, non ſubeſt periculum eos ad illas promoueri, vt proinde efficacibus medijs ab ijs arceri debeant. Vnde fit, vt Religioſi laici nobis Ordinis, quantum eſt ex parte huius voti, poſſent licitè procurare, & acceptare dignitates, & officia extra proprium Ordinem; cum re vera non adſtringantur hoc voto, & conſequenter in ipſos non cadat prohibitio pretendendi, aut acceptandi dignitates & officia extra religionem, proueniens ex hoc voto.

QVÆRES III. An hoc votum, & iuramentum ſint ſolemnia, aut ſimplicia.

385 ℞. Votum eſſe ſolemne, cum fiat coniunctim profeſſioni religioſæ immediatè poſt tria vota ſubſtantialia religionis (quæ ſine dubio ſunt ſolemnia) & vt ſolemne tum emittatur a vouente, tum acceptetur à religione; quæ ſunt conditiones voti ſolemnis, vt oſtendimus *c.1.ſect.1.q.8.* Iuramentum vero non eſſe ſolemne, ſed ſimplex; cum fiat priuatim, diſiunctim à profeſſione, & in loco diuerſo ab eo, in quo fit profeſſio; nimirum ſtatim poſt abſolutam profeſſionem, in choro, aut in ſacriſtia, & quidem in manu illius eiuſdem, qui profeſſionem ſolemnem excepit; quæ indicant tale iuramentum non eſſe ſolemne, ſed ſimplex: maximè cum fiat à iurante vt ſimplex, & vt tale admittatur à religione, communiterque agnoſcatur, pro vt mihi per literas non ſemel teſtatus eſt P. Raphael Auerſa vir inſignis non minùs doctrina, quàm morum probitate, & olim Generalis Ordinis.

QVÆRES IV. Ad quem finem fiant hoc votum, & iuramentum.

386 ℞. fieri ad recludendum aditum quemcumq; ambitioni, humilitatiſque virtutem conſeruandam in Religione eo modo, quo dicemus *ſect.5.ſubſ.3.q.3.* Solum hic addo ex *Fagund.l.2. decal.c.51.nu.17.* quod cum hoc iuramentum ſit promiſſorium, & fiat Deo (vt in ſimili oſtendimus *ſect.4.q.21.§. & certè*) re vera habet rationem, & naturam voti, ſicque in ſubſtantia eſt votum, non iuramentum.

Quod ſi quæras, cur promiſſio non prætendendi dignitates intra religionem, fiat per modum iuramenti, non autem voti; cum è contra promiſſio non procurandi, nec acceptandi dignitates extra religionem fiat per modum voti.

387 ℞. Quod, cum in multis, quæ à ſola libertate operantium pendent, ſtet pro ratione voluntas: nõ ſemper afferri poſſunt rationes, cur hoc vel illud factum ſit; niſi fortè allegentur aliquæ congruentiæ; hæc autem doctrina omninò procedit in præſenti difficultate.

QVÆRES V. Quæ ſit materia huius voti, ac iuramenti.

388 ℞. Materiam voti eſſe non procurare dignitates extra Religionem, nec eas acceptare abſq; præcepto Papæ; materiam verò iuramẽti eſſe non procurare dignitatem Præpoſiti, neque aliud quodcumque officium, quod iuxta Ordinis conſtitutiones præferatur ipſi dignitati Præpoſiti; cuiuſmodi tantùm eſt dignitas Generalis, ac Prouincialis, ſicut expreſſè declaratum eſt in *Conſtitut.ordin.p.1.c.6.* patet autem reſponſio ex formula tam voti, quam iuramenti adducta *q.1.*

QVÆRES VI. Quæ actiones prohibeantur vi huius voti, ac iuramenti.

389 ℞. Vi voti prohiberi procurationem directam tantùm, non autem indirectam; ſiue illa fiat per ſe, ſiue per alium; cum enim in formula voti dicatur ſolùm: *promitto nunquam me curaturum, vel prætenſurum*, non appoſita clauſula *ſiue directè, ſiue indirectè*; & per illa verba ſimpliciter prolata veniat ſolùm procuratio directa: hæc ſolùm cenſeri debet prohibita vi huius voti, non etiam indirecta; ne alioqui nimis amplietur obligatio voti, quod ſæpiùs diximus eſſe ita interpretandum, vt obliget minùs, quã fieri poſſit: præterea vi huius voti prohibetur conſentire ad aliquam prælationem, aut dignitatem abſque præcepto Papæ, denique vi huius iuramenti prohibetur ſolùm directa, ac expreſſa procuratio dignitatis Præpoſiti, alteriuſue Officij, quod iuxta Conſtitutiones præferatur dignitati Præpoſiti; id quippe colligitur ex verbis illis *neque Præpoſiti dignitatem, neque aliquod officium, quod huiuſmodi dignitati ex ordinationibus noſtræ religionis præfertur, mihi expreſſè mandari curabo*; patetque ex doctrina paulò ante adducta de voto.

Difficultas eſſe poſſet, an Clerici Minores vi huius voti prohibeantur acceptare dignitatem, quæ ijs extra religionem conferatur, non per electionem propriè dictam, ſed per ſimplicem collationem à Papa; & ratio dubitandi eſt, quod in formula voti dicitur, *nec conſenſurum in mei electionem*, ſicque Clericus Minor vi huius voti non videtur prohiberi cõſentire in quamcumque collationem dignitatis ſibi factam, ſed ſolùm in eam, quæ fiat per electionem propriè dictam, ad quam neceſſario interuenit tota aliqua communitas; cum tamen dignitates, quæ poſſunt conferri Clerico Minori plereque ſint ex ijs, quæ conferuntur per ſolam voluntatem vnius (v.g. Papæ, aut alterius Prælati) conſtat autem quod, cum votum ſit ſtrictæ interpretationis, non debet eius obligatio ampliari vltra rigoroſam verborum proprietatem.

390 ℞. Nihilominus Clericos minores vi huius voti prohiberi acceptare quamcumque dignitatem extra Religionem, etiamſi non conferatur per electionem propriè dictam, ſed per ſolam voluntatem vnius tantùm. Ducor, quod aliàs eiuſmodi votum eſſet inutile, ac fruſtratorium, cum dignitates, quæ poſſunt ambiri, & obtineri à Regularibus, pleræq; ſint ex ijs, quæ ab vno tantùm conferri ſolent, non autem per electionem propriè dictam; adeoq; non haberetur finis huius voti, qui eſt præcludere omnem aditum ambitioni; cum ergò ille ſenſus verborum eligendus ſit, per quem ſortiamur legis effectum *l.cum quidam C.de verb. ſignific.* & hoc quamtumuis oporteat verba impropriare *c.petitio de procurat.* ſequitur nomen electionis hic ſumendum eſſe in latiori ſignificatione, quatenus ſcilicet importat quamcumque collationem dignitatis, etiamſi factam per voluntatem vnius tantùm: quo modo

ſub-

ſubſiſtit finis voti, & votum ipſum non eſt inutile, nec fruſtratorium, vt patet. ita docti viri à me conſulti, & maximè P. Auerſa item à me conſultus.

QVÆRES VII. An Clericus Minor peccet contra hoc votum non ſolùm ſi conſentiat in electionem ſui ad aliquam dignitatem extra Religionem, ſed etiam conſentiendo in confirmationem factam à Superiore caſu, quo dignitas ei conferatur per electionem propriè dictam, ad ſui valorem ſuperioris confirmatione indigentem.

391 ℞. Videri peccare, tum conſentiendo in electionem, tum etiam admittendo confirmationem. & ratio eſt quod, quamuis vi voti expreſſè videatur prohiberi ſolummodo conſenſus in electionem; vt conſtat ex illis verbis, *nec conſenſurum in mei electionem*; tamen ſub nomine electionis venit etiam confirmatio; primò quidem quia cum acceſſorium non exiſtat ſine principali, naturale eſt, quod prohibito principali, prohibitum intelligatur etiam acceſſorium iuxta *regul. 42. in 6. Acceſſorium ſequitur principale*; ſecundò quia cui prohibetur antecedens, prohibetur item conſequens, ſine quo ſtare non poteſt antecedens; confirmatio autem electionis eſt cõſequens, nec ſtare poteſt ſine electione; Tertiò quia vbi lex prohibet aliquem effectum, & finem, prohibet etiam omnem modum, per quem deuenitur ad illum; at per hoc votum prohibetur conſecutio dignitatis indebitè facta; ergò & per illud prohibebitur confirmatio electionis influens in dictam conſecutionem; nec obſtat quod ſic nimis ampliatur obligatio voti contra doctrinam à nobis ſæpius traditam; ſi quidem talis ampliatio non eſt vitioſa, quandocumque concurrunt iuſtæ rationes illam faciendi, vt in caſu noſtro.

QVAERES VIII. Quæ coactio importetur per illa verba voti, *niſi coactus obedientia ſummi Pontificis*, numque ad id requiratur præceptum formale.

392 ℞. Quod, cum coactio propriè non ſit, niſi vbi interuenit violentia, aut iniuria; ſicut benè notant *Suar. D. 23. de cenſur. ſect. 7. num. 6. Filliuc. tract. 14. nu. 87. & Bonac. de cenſur. in partic. D. 2. q. 2. p. 6. num. 2.* & alioqui per præceptum proprium, ac formale videatur veluti inferri moralis quædam violentia voluntati eius, cui imponitur præceptum; quippequi ſic non poteſt abſque peccato detrectare imperiũ; videri poſſet dicendum, Clericum Minorem vi huius voti non poſſe conſentire in ſui electionem, neque acceptare dignitatem oblatam extra Ordinem per quodcumque præceptum Papæ commune, ac ordinarium, ſed requiri præceptum formale (quod non reprobauit amiciſſimus P. Auerſa à me de hoc in ſpecie conſultus); verùm procedendo conſequenter ad dicta *ſup. ſect. 5. ſubſ. 4.* q. 11. puto oppoſitum probabiliter ſuſtineri poſſe, Clericum ſcilicet Minorem poſſe tuta conſcientia acceptare dignitatem ſæcularem ſibi iniunctam à Papa, etiamſi iniungeretur abſque præcepto formali, moneor quod ſic iuxta communem doctrinam obligatio voti explicatur ſtrictè, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit, pro vt diximus citato q. 11. ex alia parte iuſſio Papæ in tali caſu facta cum ſufficienti cognitione talis voti æquiualet præcepto formali, ideoq; importat coactionem expreſſam in voto, quatenus Religioſus non poteſt ſine peccato mortali detrectare id, quod ipſi taliter præcipitur; vnde verificatur ipſum non acceptare dignitatem extra Religionem, niſi coactum obedientia Papæ, ſicut de facto promittit in emiſſione huius voti.

SECTIO VIII.

De Votis, quæ fiunt à Clericis regularibus miniſtrantibus infirmis.

IN Ordine Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis præter 3. vota ſubſtantialia Religionis emittuntur alia quinque, quorum vnum eſt ſolemne, alia 4. ſunt ſimplicia. ea porrò explicanda nobis ſunt in hac ſectione; ſicque illam diuidemus in quinque ſubſectiones: in 1. agemus de voto inſeruiendi perpetuò infirmis, etiam peſte infectis: in 2. de voto numquam agendi, aut conſentiendi, vt mutetur, aut alteretur modus inſeruiendi ægrotis, vi Conſtitutionum præſcriptus: in 3. de voto numquam procurandi, aut conſentiendi, vt ipſis committatur adminiſtratio redditūum, aut dominium noſocomiorum: in 4. de voto non procurandi dignitates neque intra, neque extra Religionem, imò neq; illas admittendi extra Ordinem, niſi interueniente præcepto Papæ: in 5. de voto denunciandi eos, qui ambiunt dignitates. Vnum hic generaliter aduertendum eſt hęc omnia vota indifferenter emitti ab omnibus Religioſis Ordinis tam laicis, quam clericis, vt conſtat ex *Conſtit. 75. Cle. 8.*

SVBSECTIO I.

De Voto inſeruiendi infirmis, etiam peſte infectis.

393 *Clerici miniſtrantes infirmis vouent ſeruire, etiam peſte infectis.*
394 *Et hoc votum eſt ſolemne.*
395 *Fit ad facilius euincendas difficultates occurrentes in ſeruitio infirmorum.*
396 *Aſſignatur eius materia.*
397 *Referuntur miniſteria, ad quæ obligat hoc votum.*
398 *Item referuntur plura à Clemente VIII. ſtatuta de eius vſu.*

Hoc

399 *Hoc votum eſt licitum; cum vita ex charitate poſſit exponi..*

400 *Obligat ſemper, ſed non pro ſemper.*

401 *De rigore reſpicit ſolum pauperes infirmos.*

402 *At praxis ad omnes infirmos, etiam diuites illud extendit.*

403 *Non reſpicit laborantes amentia, vt tales.*

404 *De rigore obligat etiam in locis, in quibus Religioſi non habent monaſterium: at praxis eſt in contrarium.*

405 *Excipiendus caſus, in quo ij vocentur alio.*

406 *Non tenentur vi voti ſe vltro offerre infirmis.*

407 *Vi voti debent ſeruire gratis.*

408 *Et quidem, licèt ijs alimenta non dentur ab infirmis.*

409 *Non ſeruiunt, inuito proprio Superiore.*

419 *Secùs, ſi ille ſit inuitus irrationabiliter.*

411 *Vi voti debent ſeruire, etſi adſint alij, qui ſeruirent.*

412 *Prælatus illorum non deputat ſeruientes, ſi aliàs prouiſum ſit.*

413 *Deputati non ſeruiunt, ſi minùs benè habeant.*

414 *Seruiunt infirmis excommunicatis vitandis.*

415 *Item etſi ipſi Religioſi ſint excommunicati vitandi.*

416 *Vi voti tenentur aſſiſtere agonizantibus.*

417 *Seruiunt, etiam in noſocomijs, in quibus non habitant.*

418 *Prælati debent deputare ſeruientes, ſed non ex hoc voto.*

419 *Deputatio hæc prudenter facienda.*

420 *Violant hoc votum, qui indebitè effugiunt ſeruire, aut deputari.*

421 *Vi voti debent ſeruire ordinaria diligentia, ac cura.*

422 *Seruire debent iuxta litteras Apoſtolicas, & Ordinis ſtatuta.*

423 *Statuta de nouo edita circa hoc votum extenduntur ad præteritum.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum

393 ℞. Fieri his iiſdem verbis, quæ deſumpta ſunt ex formula ipſiuſmet voti; nimirum *Et perpetuò inſeruire* (præintelligitur promitto) *pauperibus infirmis, quos etiam peſtis inceſſerit, ſecundum formam viuendi contentam in litteris apoſtolicis noſtræ religionis miniſtrantium infirmis, & in eis Conſtitutionibus, tam editis iam, quam in poſterum edendis.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

394 ℞. Eſſe ſolemne; & probatur tum quia ſolemne vocatur à Clemente VIII. in ſua *Conſtitut.* 75. his verbis, *debebunt quartum præterea ſolemne votum emittere, quo nimirum voto Deo promittant ſe infirmis, & præcipuè in noſocomijs degentibus in ſpiritualibus, & corporalibus neceſſitatibus ſeruituros*; tum quia hoc votum ſit coniunctim profeſſioni, & vno, ac eodem contextu cum alijs votis ſubſtantialibus, vt conſtat ex ipſa votorum formula, quæ iuxta alibi dicta, ſunt conditiones propriæ voti ſolemnis: tum quia communis ſenſus totius religionis eſt, præſens votum reuera eſſe ſolemne; qui ſenſus vtique maximi æſtimari debet, cum conſuetudo ſit optimus legum interpres.

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

395 ℞. Quod cum tota ratio inſtituti huius Ordinis poſita ſit in operibus miſericordiæ tam corporalibus, quã ſpiritualibus, & præcipuè in ijs, quę ſpectãt ad ęgrotos in noſocomijs, carceribus, & priuatis ciuium domibus laborantes: aliáſque huiuſmodi miniſterium ijs moleſtijs, ac difficultatibus ex natura ſua ſcateat, vt homines illud naturaliter maximè auerſentur: ideo neceſſarium fuit, vt qui ex peculiari conditione ſui Inſtituti vacaturi erant tali miniſterio, ad hoc ipſum ſpeciali vinculo ſe obligarẽt; nimirum voto; cum obligatio religionis ex voto multùm ſoleat mouere conſcientiam viri Religioſi; vt in caſu non diſſimili aduertit *Suar. tom. 4. de relig. tract. 10. l. 6. cap. 10. num. 5.* ſicque voluntas humana magis, & magis excitetur ad ſuperandas difficultates, quæ in dicto miniſterio ſolent interuenire; ad hoc autem maximopere confert votum, quod hic explicamus. Colligitur ex *Conſtit. Clementis VIII. citata* §. 9. vbi loquens Pontifex de iſto voto hæc habet; *debebunt quartum præterea ſolemne votum emittere, quo nimirum voto Deo promittant ſe infirmis, & præcipuè in noſocomijs degentibus in ſpiritualibus, & corporalibus neceſſitatibus ſeruituros, in quo tanquam in fundamento omnis Inſtituti noſtri ratio conſtituta eſt.*

QVÆRES IV. Quæ ſit materia iſtius voti.

396 ℞. Eſſe perpetuò inſeruire pauperibus infirmis, etiam peſte infectis: & quidem tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus; tam in noſocomijs, quam extra. Colligitur ex ipſa formula voti; & habetur in *citata Conſtitutione Clementis VIII.* §. 9. & *Conſtitut.* 17. *Greg. XIV.* §. 3.

QVÆRES V. Ad quę miniſteria vi huius voti teneantur Clerici Regulares miniſtrantes infirmis.

397 ℞. Quod, cum illi vi huius voti teneantur ſeruire infirmis tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus; & obligatio talis voti afficiat omnes Religioſos Ordinis, etiam Laicos: propterea diſtinguendum eſt: vel enim loquimur de Religioſis iam promotis ad Sacerdotium; & hi ex officio quidem principaliter tenentur adminiſtrare Sacramenta infirmis: nimirum audire confeſſiones, conferre Euchariſtiam, adhibere Oleum extremæ vnctionis, miſſas celebrare, mortuos mandare ſepulturæ, & agonizantibus aſſiſtere die, ac nocte, ſuppetias in neceſſitatibus tunc temporis occurrentibus laturi: vt tamen voto ſatisfaciant, quod corporale, ac ſpirituale miniſterium amplectitur (inquit Clem. VIII. in relata *Conſtitut.* §. 17.) manus etiam ad aliquas corporales miſericordiæ functiones afferre debent; cuiuſmodi ſunt ægrotantibus cibum ſubminiſtrare, pituitoſas linguas eorum detergere, ora colluere, fouere frigida membra, cæteraque huius generis charitatis officia. Vel loquimur de Religioſis laicis; & hi etiam (quod eſt proprium illorum officium) non tenentur ſolùm ſeruire infirmis in miniſterio corporali, aſſiſtendo ipſis infirmis, vigilias, ac excubias conſuetas diurnas, ac nocturnas peragendo, lectulos ſternendo, menſas eſcarias apponendo, & & amouendo, cibos, & fercula deferendo, illos cibatu reficiendo, cibum, ſi ſit opus, in os inſerendo, linguas repurgando pituitoſas, infirmos attollendo ſubditis, ſi neceſſe fuerit, vlnis, algentes calore

re confouendo, medicatas potiones, ſyrupos, & pharmaca ſuis temporibus afferẽdo, corporis cauteria curando, medicos, aut chirurgos comitando, & alia id genus officia præſtando; ſed etiam tenentur ſeruire in miniſterijs ſpiritualibus quo ad aliqua; videlicet præparando infirmos ad exactam peccatorum confeſſionem, ac communionem, eoſque ad patientiam, & ad benè moriendum diſponendo: idque vt voto ſatisfiat (ait Clemens VIII. §. 18.) quo miniſterium etiam ſpiritualis miſericordiæ continetur. Habetur expreſsè in *§§. citatis dictæ Conſtit. Clementis VIII.* Vnde quis benè inferat vi huius voti religioſos iſtius Ordinis tam clericos, quam laicos, teneri vtroſque inſeruire infirmis & in temporalibus, & in ſpiritualibus miniſterijs, quamuis cum limitationibus ex Conſtitut. Clementis VIII. modò adductis; & meritò, quandoquidem animarum curatio verus eſt Inſtituti iſtius Ordinis ſcopus; vt loquitur Clemeus §. 18.

398 Statuitur tamen in citata Conſtit. Clementis §. 20. ne quiſquam ex dictis religioſis laicis in noſocomijs munere vnctoris, clyſterarij, coqui, cannauarij, diſpenſatoris, cuſtodis veſtium, pharmacopulæ funguntur; neque ſtultorum, ſeu dementium curam gerat, neq; cæteris omninò huius generis muneribus præficiatur. Additur præterea §. 19. ne dicti religioſi laici compellantur exequi miniſteria, quæ maiorem virium firmitatem requirunt; qualia ſunt attollere grauiora onera, prunas in clibanum, & in focum ligna componere, atque ſuccendere, aquam potoriam excoquere, ſarcinas indumentorum ægrotantium portare, ſordidas veſtes abluere, & ad fœminarum lauacra deferre, demortuos deferre, ac ſepelire, capſulas & vnguentorum, ac oleorum repoſitoria, chirurgos, atque vnctores ſequendo circumferre, noſocomiorum pauimenta verrere, atque lauare, ænea, vel lignea vaſa tergere, polubra, matulas, catillos, & alia huiuſmodi purgamentorum vaſa egerere. Quod ſi dicti religioſi non poſſunt compelli ad talia miniſteria, (quæ potius obiri debent à miniſtris ſæcularibus ad talem effectum conductis, vtpote regulariter robuſtioribus:) conſequenter dicendum eſt, eos non teneri vi huius voti ad dicta miniſteria; cum tale votum non obliget, niſi iuxta menſuram obligationis contentam in literis Apoſtolicis, & Conſtitutionibus ipſius ordinis; vt conſtat ex clauſula illa, quæ ipſi voto apponitur, *ſecundùm formam viuendi contentam in literis Apoſtolicis noſtræ Religionis miniſtrantium infirmis, & in eius Conſtitut. tam editis iam, quam in poſterũ edendis.*

QVÆRES VI. An hoc votum ſit licitum, & conueniens.

399 ℞. Eſſe; & probatur tum quia de facto fuit approbatum à Sede Apoſtolica; vt conſtat ex bulla Clem. VIII. citata *§. 9.* quod vtique non fuiſſet factũ ſi tale votum nõ eſſet licitum: tum quia hoc votum eſt de meliori bono; ergò & eſt licitum, & validum. Et certè quod huiuſmodi votum ſit de meliori bono, patet 1. quia *Sà v. homicidium n. 22.* Tolet. *l. 5. c. 6. n. 10.* Bonac. *D. 3. de leg. q. 4. p. 4. n. 6.* & alij docent poſſe quem, ſi velit, exponere vitam ſuam pro vita temporali amicorum, inſeruiẽdo v. g. infectis peſte; cum talis actio ſit ſupremus actus charitatis ex *Io. 15. maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis;* 2. quia *Vict. relect. de homic. n. 51.* & cum illo *Leſſ. l. 4. c. 3. nu. 12.* concedunt poſſe vxorem miniſtrare marito in peſte ad coniugalem beneuolentiam oſtendendam, etſi opera eius non ſit neceſſaria ipſi marito, 3. quia ſi quid obſtat, quo minus id votum ſit licitum, maximè quia obligat ad prodigendam propriam vitam contra legem communem charitatis in ſe ipſum; at hoc non obſtat, cũ non poſſit dici prodigi vita contra legem Charitatis ordinatæ, quando profunditur ex motiuo virtutis, præſertim ſupernaturalis, vt in præſenti caſu; in quo vtique non peruertitur debitus ordo Charitatis; cũ ſic homo bono temporali proprio præferat bonum ſpirituale item proprium, quod eſt ſuperioris ordinis, & longè pluris æſtimabile: adeoque verificetur regula generalis, quod prima charitas incipit à ſe ipſo. Certum eſt ergo, ac indubitatum votum hoc ſolemne inſeruiendi infirmis, etiam peſte infectis, & conſequenter cum periculo propriæ vitæ, eſſe licitum, & conſequenter validum; cum ſit de meliori bono, & nullo modo aduerſetur recto ordini Charitatis; qua de re conſulantur quæ diximus in *tra. de obligat. c. 12. q. 17.*

QVÆRES VII. Qua temporis continuatione teneantur Religioſi huius Ordinis inſeruire infirmis ex vi illius clauſulæ *& perpetuò inſeruire*, quæ apponitur huic voto.

400 ℞. Teneri inſeruire ſemper (nimirum quando occurrerit neceſſitas, & à proprio Prælato ad tale munus deſignabuntur) ſed non pro ſemper: ſicque ſenſum illius clauſulæ, *perpetuò* eſſe, quod tales Religioſi nullo vitæ ſuæ tempore eximuntur ab obligatione iſtius voti, ſed eo adſtringuntur, quamdiu viuunt. patet autem reſponſio tum quia obligatio huius voti eſt inſtar precepti affirmatiui, quod obligat ad ſemper, ſed non pro ſemper; vt tradunt communiter Theologi: tum quia in *citata bulla Clem. VIII.* §. 21. ſtatuitur, vt omnes, & ſinguli tantummodo Fratres (nimirum Religioſi Ordinis laici) qui ægrotantium curæ in hoſpitalibus deſtinati fuerint, debeant in eiſdem hoſpitalibus in ſingulos menſes per 3. hebdomadas commorari, habitare, degere, pernoctare, & alimoniam, ac cibum ſumere: at quartã verò vniuſcuiuſq; menſis hebdomadam in profeſſorũ domibus, aut in locis animi relaxationibus aſſignatis Præfecti arbitrio conſument: quod eſt dicere eos teneri ſeruire ſemper, at non pro ſemper. Vbi notandum in relato §. non eſſe ſermonem de religioſis Ordinis Sacerdotibus, ſed tantum laicis; fortè quia Sacerdotes ex approbato vſu religionis non ſolent vacare ſeruitio infirmorum tanta temporis continuatione, vtpote delicatiores complexione, & viribus infirmiores.

QVÆRES VIII. Quibus infirmis vi huius voti teneãtur religioſi huius ordinis, an omnib. ẽt diuitib.

401 ℞. De rigore iuris probabile videri eos non teneri ſeruire omnib. infirmis, ſed ſolũ infirmis pauperibus aliunde non habentibus, qui ijs neceſſariũ famulatum in infirmitate exhibeant. Ducor tũ quia iuxta ſæpius dicta, obligatio voti debet ſic interpretari, vt obliget vouentẽ minùs, quã fieri poſſit (ſicut docent *Azor. to. 1. l. 11. cap. 20. q. 1.* & alij) cum ergo in formula iſtius voti dicatur *& perpetuò inſeruire pauperibus infirmis*; & iuxta rigoroſam verborum

proprietatem nomine pauperum infirmorum veniant ij, qui ſimul ſunt & pauperes, & infirmi; non debet votum ampliari ad eos, qui ſunt quidem infirmi, ſed non pauperes: aliàs votum non interpretatur, vt minùs obliget, imò ampliatur; tum quia vbi non militat eadem ratio, nec militat eadem iuris diſpoſitio; in infirmis autem diuitibus, ideoque habentibus abunde miniſtros neceſſarium ſeruitium præſtantes, non militat ratio, & finis, ob quẽ fit hoc votum, qui eſt ſubuenire indigentiæ, ac neceſſitati infirmorum non habentium, vnde ipſis cõmodè ſubueniatur in ægritudine; ergo nec quo ad illos militabit eadem obligatio voti. Et certe quod finis huius voti fuerit ſubuentio illorum infirmorũ, qui ſimul ſint pauperes, ſatis probabiliter videtur colligi ex bulla Gregorij XIV. ſuperiùs citata §.3. vbi loquens Papa de iſto voto ſic habet: *Et ſub perenni miniſterio ægrotantium, quos etiam peſtis inceſſerit, non ſolum in noſocomijs, ſed etiam in carcerum valetudinarijs, vbi ægroti magna tam corporalium, quam ſpiritualium rerum anguſtia premuntur*: vnde videtur colligi votum iſtud fuiſſe inſtitutum ad ſubleuandam neceſſitatẽ, non quorumcumq; infirmorũ, ſed eorũ, qui paupertate laborantes nõ habẽt, qui ipſis in infirmitate ſubueniant. ita docti viri à me conſulti.

402 Dixi *de rigore iuris*, quia conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, aliter potuit hoc votum interpretari, ipſum etiam extendi ad infirmos diuites; qui proinde hic dicantur pauperes, non ex defectu diuitiarũ, ſed ratione infirmitatis, & ex quodam affectu commiſerationis: imò & de facto extendit; prout reſpondit P. Generalis Ordinis nomine meo hac de re conſultus in hæc verba: *Extenditur votum ad omnes infirmos pauperes, & diuites: nam quidquid ſit de voce pauperũ de rigore iuris, à nobis accipitur iuxta moralem ſignificationem, qua veniunt illi, qui infirmitatibus, ac miſerijs ſunt detenti; quin & dubitandi rationem aufert noſtra Clementina, in qua expreſſè nominantur ciues in priuatis domibus laborantes: qui poſſunt eſſe & pauperes, & diuites. Inſuper noſtra Conſtitutio Italicè ſic habet: Ancor che l'Inſtituto, che per voto profeſſiamo d'aſſiſtere à moribondi s'eſtenda à Cittadini delle priuate caſe, & à gl'infermi de gli Oſpitali: con tutto ciò più prontamente abbracciaremo l'occaſione di giouare à poueri, mentre il più delle volte con eſſi è più grande il biſogno, e maggiore il merito; hæc ille de communi ſenſu ſui Ordinis*.

An autem iſti Religioſi vi huius voti teneantur inſeruire infirmis quacumque ægritudine laborantibus, & quidem etiam dementibus.

403 ℟. Teneri inſeruire, etiam peſte, aut alio morbo contagioſo infectis, vt conſtat ex ipſa formula voti; non tamen ſtultis, ſeu dementibus; cum id in ſpecie ipſis prohibeatur in *Conſtit. Clem. Oct. §. 20.* ijs verbis, *neq; ſtultorum, ſeu dementium curam gerat*. quamquã, ſi hi ipſi febri, aut alio morbo laborent; tunc temporis ceſſet talis prohibitio: quippe quæ excludit ſolam curam dementium formaliter, (vt ita dicam) ſumptorum, ideſt quatenus dementes ſunt, non autem, pro vt alio genere morbi laborant.

QVÆRES IX. An Religioſi iſtius Ord. vi huius voti teneantur inſeruire infirmis, etiam in locis, in quibus nullũ habẽt monaſteriũ, nullam domum.

404 ℟. Quod, quamuis votum hoc ſeruiendi infirmis fiat indefinitè abſq; vlla determinatione locorum, (vt conſtat ex formula ipſius voti,) & lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi, ideoq; dicti Religioſi in rigore teneantur vacare ſeruitio infirmorum, etiam in locis, in quibus nullam habent habitationem; quia tamen conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, eſt in contrarium, (vt mihi retulerunt viri graues, ac docti præfati ordinis) quod ſcilicet de facto dicti Religioſi non inſeruiant infirmis, niſi in locis, in quibus aliquam habent habitationem, ſaltem in noſocomijs: propterea regulariter dici poteſt illos non teneri inſeruire infirmis extra loca, in quibus non habent certam habitationem; idque iuxta intentionem tam religioſorum particulariũ, ſaltẽ virtualem, quã totius religionis.

405 Dixi *regulariter*, vt innuerem, quod, ſi contingat in aliqua ciuitate, aut oppido, in quibus iſti religioſi nullum habeant domicilium, grauari aliquem morbum vniuerſalem, ideoque operam illorum eſſe ibi valdè neceſſariam ob ingentem multitudinem pauperum infirmorum (vt tempore peſtis) ijque in ſubſidium aduocentur; tunc puto eos teneri vi huius voti ſeruire infirmis illius ciuitatis, aut oppidi; cum verba voti ſint indefinita, ac generalia, & alioqui talis caſus non cenſeatur ex intentione vouentium excluſus, ſed comprehenſus, & ipſa conſuetudo Ordinis quo ad hoc non repugnet.

QVÆRES X. An Religioſi huius Ordinis vi huius voti teneantur quærere infirmos, quibus inſeruiant, & eis ſe offerre; vel certè ſufficiat quod vocati accedant, ac inſeruiant.

406 ℟. Non teneri quærere infirmos, ſed ſufficere, quod vocati accedant. patet reſponſio tum ex vſu communi Ordinis, qui eſt optimus interpres legũ, & conſequenter etiam voti: tum quia in formula voti non fit expreſſa mentio de quærendis infirmis ſed ſolùm de ijs inſeruiendo; quæ vtique ſunt res diuerſæ: ſicque obligatio huius voti non debet ampliari ad caſum non expreſſum; cum a diuerſis non fiat illatio; & votum explicari debeat, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit, ſalua verborum proprietate, vt alibi ſæpius dictum eſt.

QVÆRES XI. An Religioſi iſtius Ordinis ex hoc voto teneantur præſtare infirmis omninò gratis, & ſine vlla omninò mercede, imo etiam ſi non ſuppeditentur neceſſaria alimenta.

407 ℟. Teneri, & inde probatur quod illi vouent inſeruire infirmis ſecundum formam viuendi contentam in literis Apoſtolicis, & Conſtitutionibus Ordinis: in literis autem Apoſtolicis ſatis clarè habetur dictos religioſos teneri gratis præſtare eiuſmodi ſeruitium; & præſertim in bulla Greg. XIV. §.7. vbi dicitur *Quod ſi nobis, vt cæteris pauperibus, noſocomiorũ patroni, aut adminiſtratores aliquid eleemoſynæ ſiue quotidianæ, ſiue mẽſtruæ, ſiue annuæ, ſiue in plures annos largiri voluerint, Congregatio noſtra ius nullũ habeat id exigendi, ſed quæ dabuntur liberaliter, cum gratiarũ actione accipiet, nos. n. curæ ægrotorum incumbimus nulla mercede, vel ſpe tẽporali adducti, ſed ex Inſtituti noſtri obligatione*. quod idẽ etiã §.8. repetitur his verbis, *Itaq; ab ægrotis hoſpitaliũ nulla munera, nihil pecuniæ nullam omninò rẽ noſtri capiant, ac ne per ſubmiſſas quidẽ perſonas: legata ab ijs, qui i noſocomijs defũcti fuerĩt relicta, nõ admittãtur*

408 Dixi *imò etiamſi non ſuppeditentur neceſſaria alimenta:*

μι: quamuis enim operarius ſit dignus mercede ſua, & non deceat alligari os boui trituranti; nihilominus, ſi ex inopia noſocomiorum, aut pauperum, quibus inſeruiunt, aut ex defectu debitæ diſcretionis miniſtrorum aliquando contingat præfati: Religioſis denegari neceſſariam ſuſtentationem; non ideo poſſunt ſe tettahere à ſeruitio infirmorum; ſed aliunde ſibi debent conſulere, ſiue emendicando oſtiatim (vt habetur in citata bulla Greg. XIV. §.4.) ſiue alia ratione, quæ hic & nunc iudicetur minùs obſtare executioni præſentis voti; & ratio eſt, quod votum hoc inſeruiendi infirmis non eſt conditionatum (ſi ſcilicet ſuppeditetur neceſſaria ſuſtentatio) ſed abſolutum, ideoque inducit obligationem, non conditionatam, ſed abſolutam; ſiue ergò dentur neceſſaria alimenta, ſiue non, exhibendum eſt infirmis debitum ſeruitium, voto ipſo ilind depoſcente.

QVÆRES XII. An Religioſi huius Ordinis vi iſtius voti teneantur inſeruire infirmis, etiam inuito proprio Superiore.

409 ℞. Regulariter non teneri; & probatur quia iſtud votum tacitam inuoluit conditionem, *ſi Superior me deputauerit* (vt mox probabimus) votum autem conditionatum non obligat, donec conditio ipſi appoſita verificetur; vt teſte *Fagund.l.2.decal.cap.28.num.9.* tradunt communiter DD. ex *c.ſuper eo de condit.appoſit.* & ſuadet natura conditionis, quæ eſt ſuſpendere valorem actus vſque ad ipſius conditionis aduentum iuxta *l. 120. ſi ita ſtipulatus fuero hanc ſum.ff.de verb.obligat.* Et quidem quod votum iſtud ſeruiendi infirmis importet conditionem illam tacitam, videtur ſatis apertè colligi ex Conſtit. Clementis VIII. ſæpiùs relata tum §. 21. vbi dicitur *Conſtituitur etiam, vt omnes, & ſinguli tantummodo fratres, qui ægrotantium curæ in hoſpitalibus deſtinati fuerint*; & infra, *quod ſi accidet, vt in aliqua noſtrorum domo maior numerus degat, quam noſocomiorum miniſteria poſtulabunt, in hoc caſu liberum erit Præfecto illius domus fratrum vices permutare, quemadmodum, & quo tempore conuenire iudicauerit.* tum §.17. vbi dicitur *Conceditur etiam iiſdem Sacerdotibus (quibus tamen per Superiores licebit) vt reliqua quoque fratrum miniſteria corporalia, quæ eorum propria ſunt officia, circa ægrotantium neceſſitates exercere poſſint.* Vnde fit, vt quamdiu Religioſus non deputatur à Superiore ad ſeruitium infirmorum, ad id non teneatur, loquendo de obligatione voti; cum ſecluſa dicta deputatione, votum iſtud non obliget, vtpote pendens à conditione nondum impleta.

410 Verum tamen eſt, quod ſi Superior abſque iuſta cauſa renueret Religioſum ſibi ſubditum vacare ſeruitio infirmorum, & hoc ipſum conſtaret ſubdito; vrgente neceſſitate inſeruiendi, poſſet Religioſus, imò & vi voti teneretur inſeruire; cum ſic præſumi poſſit deputari ad tale miniſterium, ſiue à Prælatis Superioribus, ſiue ſaltem à Papa ſupremo Prælato omnium Religionum, & conſequenter cenſeatur purificata conditio voto illi appoſita: proportionaliter, vt docent *Henriq. l.6. cap. 13. num. 4.* & cum illo *Baldel.l.5. D.51. numer. 15.* conſenſum Parochi, ſi ſit debitus, & non habitus ſuppleri per epicheiam ex conſenſu Epiſcopi, aut certè ipſius Papæ. quamquam cum Superiori occurrere poſſit iuſta cauſa non deputandi aliquem ex Religioſis ſubditis ad ſeruiendum infirmis, quæ lateat ipſum ſubditum: non ita facilè debet ſubditus iudicare ſuum Prælatum eſſe quo ad eius deputationem irrationabiliter inuitum, & conſequenter neque contrauenire ipſius voluntati.

QVAERES XIII. An vi huius voti teneantur Religioſi iſtius Ordinis inſeruire infirmis, ſi adſint alij, qui æque benè debitum ſeruitium iis præſtent.

411 ℞. Teneri, ſi ad id proprio Superiore deputentur; & ratio eſt, quod ij vi voti tenentur vacare ſeruitio infirmorum quandocumque deputantur à Superiore, ſiue adſint alij parati ad idem miniſterium, ſiue non; quo modo *Regin.l. 4. numer. 247. Vaſq.de eleemoſ.cap.2.d.3.* alijque communiter apud *Bonac.ſup. q.4. p.6. num.* 12. docent quod, quando multi diuites norunt indigentiam alicuius, tenentur ſinguli ei ſubuenire; cum præceptum Charitatis afficiat ſingulos, & non ſit maior ratio, cur vnus teneatur, & non alij (quamuis vno illorum ſubueniente, cæteri maneant exempti ab onere ſubueniendi, eo quod proximus non ampliùs indigeat;) quæ doctrina à fortiori militat in caſu noſtro, quo ſtante obligatione præſentis voti, Religioſi iſtius Ordinis ſtrictius obligantur ad tale ſeruitium, quam illi alij, qui tenentur ex ſola charitate (vt ſuppono,) ſicque eſt maior ratio, cur potiùs ſeruitium illud præſtent dicti Religioſi, quam illi alij; cum obligatio voti ſit ſtrictior obligatione Charitatis.

Difficultas eſſe poteſt, an Prælatus ordinis teneatur deputare aliquos ex ſuis ſubditis ad ſeruitium infirmorum, ſi ipſi conſtet aliunde eſſe prouiſum, ideoque non eſſe neceſſariam operam ſuorum ſubditorum.

412 ℞. Probabile eſſe non teneri (eſtò iuxta dicenda inferiùs q.18. Prælati huius Ordinis teneantur deputare Religioſos ſubditos ad ſeruitium infirmorũ, occurrente caſu neceſſitatis.) ducor quod *Becanus to.3.c.21.d.1.n.5. Regin.ſup. Vaſq.* & alij penes *Bonac. ſup.* docent diuites aliàs obligatos ad faciendam eleemoſynam poſſe excuſari à tali obligatione, ſi ipſis certò, aut probabiliter conſtet pauperis indigentiam ab alio ſubleuandam eſſe; id inde probantes, quod in tali caſu perinde ſe habet, ac ſi indigens fuiſſet adiutus, quippe cui paratum adeſt auxiliũ, quo ipſius neceſſitas ſubleuatur: par autem ratio militat in caſu præſenti, vt facilè cõſtabit cõſideranti.

QVÆRES XIV. An Religioſi iſtius Ordinis vi huius voti teneantur vacare ſeruitio infirmorum ſi ad id deputati à Superiore minùs bellè ſe habeãt; ſicque videant ſe non poſſe tunc vacare dicto ſeruitio abſque notabili ſuo damno.

413 ℞. Videri probabile non teneri. Moueor quod obligatio voti non extenditur vltra intentionem vouentis, vt ſæpiùs dictum eſt; cum ergò in noſtro caſu non poſſit probabiliter præſumi vouentem voluiſſe ſe obligare in tali euentu, non debet extendi obligatio huius voti ad caſum propoſitum; nec obſtat, quod Religioſus vi huius voti tenetur

inſeruire etiam cum periculo vitæ; cum vi illius teneatur miniſtrare etiam peſte infectis; ſiquidem ſenſus iſtius obligationis eſt, quod habens aliàs corporis vires ſufficientes ad miniſtrandum infirmis, non poſſit ſe retrahere à tali miniſterio, eò quod morbus, quo laborat infirmus, ſit valdè periculoſus, vtpote contagioſus v. g. non autem, quod carens de præſenti debita ſanitate, ac viribus neceſſarijs ad miniſterium adeò difficile, ac laborioſum, vi voti etiam tunc teneatur vacare tali miniſterio cum manifeſto vitæ periculo, ac notabili ſuo incommodo: is quippe caſus non cenſetur voto iſto comprehēſus ex intentione vouentium; ſicut teſtati ſunt viri grauiores ordinis à me de hoc conſulti.

QVÆRES XV. An Religioſi iſtius Ordinis vi huius voti teneantur vacare ſeruitio infirmorum, quantumuis excommunicatorum vitandorum.

414 ℞. Teneri; & probatur ex eo, quod *Aula p.2. de cenſur. cap.6. D.11. d.4. Leſſ.l.2.c.16.n.79.Bonac. D.2.de cenſur.in comm.q.2.p.6.§.2.n.15.* alijque quos refert, & ſequitur *Diana p.5. tr.9. reſol.*130. docent debitorem teneri in conſcientia ſoluere debitum ſuo creditori excommunicato vitando: quippe qui nullo iure prohibetur exigere ſuum creditum; (ſicut benè oſtendit *Diana* contra *Sayrum l.2. de cenſur. c.9. n.20. & 21.* & alios adductos à *Bonacina* oppoſitum ſuſtinentes) at religioſus adſtrictus voto inſeruiendi infirmis, ex vi talis voti habet debitum ſeruiendi infirmis; ergò, etiamſi iſti ſint excommunicati vitandi, cum ſint veluti creditores, tenebitur dictus religioſus præfatum debitum exoluere: præſertim cum communicatio interueniens in iſta ſolutione debiti iuſtificetur titulo neceſſitatis, qui etiam ſe ſolo licitam facit excommunicationem cū excommunicato vitando; ſicut colligitur ex c. *quoniam multos 11.q.3.* & notant cõmuniter DD. apud *Vgolinum tab.2. de cenſur. c.23.* §.11. monentes dictum titulum habere locum non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in alia, quam ex conſilio tenemur ſubleuare: idque tam in temporalibus, quā in ſpiritualib. vt ī ſpecie aduertit *Bonac.ſu.n.*57.

415 Quod ſi contingat religioſum modo dicto adſtrictum voto ſeruiendi infirmis eſſe excommunicatū vitandum; non ideo excuſatur ab obligatione voti, ſed tenetur miniſtrare infirmis; cum etiam debitor pecuniarius, quamuis ſit excommunicatus vitādus, poſſit, & teneatur ſoluere debitum iuxta doctrinam *§.præc.* traditam, ſin minùs in foro externo, ſaltem in foro conſcientiæ: vnde, cum proportionalis ratio militet in præſenti caſu; idem proportionaliter aſſerendum eſt, iuxta regulam iuris, *Vbi militat eadem ratio, militat eadem iuris diſpoſitio.*

QVÆRES XVI. An, & quo modo religioſi iſtius Ordinis vi huius voti teneantur aſſiſtere infirmis agonizantibus.

416 ℞. Teneri, & probatur quia hoc votum fit iuxta formā viuendi contentam in literis Apoſt. Ordinis, eiuſque Cōſtitutionibus; in his autē præcipitur expreſsè talis aſſiſtentia; vt videre eſt in citata Conſt. Greg. XIV. §.10. vbi dicitur *Cumq; ingraueſcet morbus, diu, noctuq; apud eos* (ideſt infirmos) *excubent noſtri, animamq; commendent, ac ſalutaribus monitis opitulentur, magnumque ponatur in eo ſtudium, vt hortationibus pijs informentur, ne tentationibus ſuccumbant, & in illo formidoloſo vitæ exitu confortētur, vt benè, ac diligēter commendentur animæ;* quod idem repetitur etiam in bulla Clem.VIII. ſæpius citata §.17. & 25. vbi tamen expreſsè prohibetur, ne Religioſi Ordinis fœminis intra noſocomia agonizantibus aſſiſtant noctu, ſed ſolum interdiu; quæ prohibitio vtique non extenditur ad fœminas agonizantes extra noſocomia; cum textus loquatur tantum de fœminis agonizantibus intra noſocomia, in quibus Religioſi certum habitandi locum tenent; & alioqui quo ad has fœminas militant iuſtæ rationes faciendi dictā prohibitionem, quæ non militant in mulieribus agonizantibus intra domos priuatas.

QVÆRES XVII. An caſu, quo religioſi ordinis non ſinantur habitare in noſocomijs, nihilominus vi huius voti teneantur inſeruire infirmis ægrotantibus intra dicta noſocomia.

417 ℞. Teneri; patetq; ex Conſt. Clemen. VIII. §.8. vbi dicitur: *quia verò prædictum miniſterium, & perpetua Noſtrorum in noſocomijs habitatio non ex noſtræ Religionis voluntate, ſed ex dominorum Præſidum, & Gubernatorum externorum auctoritate dependet; idcircò ſtatuimus, vt, ſi ob eam, quam diximus cauſam dicti miniſterij noſtri munus exequi nequiuerimus: nihilominus tamen noſtra Religio obſtricta teneatur, ac inſeruiendi noſocomiorum ægrotis vtroq; miſericordiæ miniſterio ex Inſtituti noſtri obligatione permaneat.* & quidem, quod iſta obligatio ſit ex præſenti voto, conſtat tum quia votum loquitur de infirmis indefinitè, adeoq; comprehendit etiam infirmos noſocomiorum; tum quia votum fit iuxta formam viuendi contentam in literis Apoſtolicis, ac Conſtitut. Ordinis; ergò, cum in his præcipiatur, vt infirmis noſocomiorum ſeruiatur in caſu propoſito, votum ad eos extendi debet.

QVÆRES XVIII. An Prælati Ordinis, ſtāte hoc voto, teneantur deputare Religioſos ſubditos ad miniſtrandum infirmis, & quo modo.

418 ℞. Teneri, non tamen ex voto (vt in ſimili notauit *Suar.to.4.de relig.tr.10.l.6.c.9.n.10.* & nos ipſi oſtendimus *ſect.5.ſubſ.6.q.16.*) ſed ex charitate, & ex Conſtitutionibus Ordinis: quæ tamen, cum ex ſe nō obligent ſub pœna peccati, præterquam in materia votorum, (vt expreſsè ſtatuitur in bulla Gregor. XIV.§.3.) neq; ſub pœna peccati obligabunt in præſenti materia. & quidem quod iſta obligatio non ſit ex voto, patet quia votum, quod emittunt religioſi huius Ordinis, non loquitur de deputandis miniſtris infirmorum, ſed ſolum de miniſtrando infirmis; ideoq; non debet ampliari ad caſum in ipſo nō comprehenſum iuxta rigoroſam verborū proprietatem: ſtante quod obligatio voti ſemper debet interpretari, ita, vt obliget minùs, quam fieri poſſit.

QVÆRES XIX. Qua prudentia, ac circūſpectione procedere debeant prælati iſtius Ord. in deputandis ſuis ſubditis ad miniſtrandum infirmis.

419 ℞. Quod, quāuis omnes, & ſinguli religioſi huius Ord. quantū eſt ex ſe, debeant eſſe parati ad miniſtrandū infirmis, quandocūq; ad tale munus deputabuntur à proprio prælato, voto iſto illos ad id aſtringente; non ideo tū prælati indifferenter, ac promiſcuè debent eos ad tale miniſterium deputare, ſed cum delectu, & magna circumſpectione; nimirū

habita

habita ratione perſonarum, & qualitatis morbi tunc vigentis: num ſcilicet Religioſus deputandus ſit delicatioris complexionis, aut robuſtioris, bonæ valetudinis, vel prauæ, multùm neceſſarius, ac vtilis Ordini ob ſingulares animi dotes in eo exiſtentes, aut parum vtilis, ac minùs neceſſarius; num morbus, qui tunc temporis graſſatur, ſit contagioſus, ideoque periculoſus, num ſuppetant opportuna remedia præſeruatiua, & ſimilia, quæ prudens Charitas ſuggeret, & Spiritus S. vnctio edocebit; qua de re *Sanch. l.6. mor. c.2. num.57. Rodriq. tom.3. q.31. a. vlt. Peyr. tom.3. priuil. c.9. n.65.* & nos in *tr. de obligat. cap.12. q.17.*

QVÆRES XX. An peccet contra hoc votum religioſus, qui vel deputatus ad miniſterium infirmorum tale munus varijs artibus ſubterfugit; vel certè timens deputari, varijs medijs ſtudet remouere ſuperiorem à tali conſilio, ne ipſum deputet ad huiuſmodi miniſterium.

420 ℞. Peccare, ſi ſuperior illum ex definita, ac efficaci voluntate, & quaſi exigens ab illo ſui voti obligationem deputet ad miniſtrandum infirmis, & ipſe modo dicto varijs artibus, ac prætextibus effugiat obedire. Colligitur ex *Suar. ſup. l.4. c.17. nu.14.* & probatur quia tunc violatur votum, quando vrget eius obligatio, & vouens renuit illud implere; at in noſtro caſu, facta illa deputatione, vrget obligatio huius voti in actu, (vt ita dicam) ſecundo; ergò, ſi Religioſus tali voto adſtrictus recuſet, ſin minùs explicitè, & in actu ſignato, ſaltem implicitè, & in actu exercito illud implere, violator voti cenſendus eſt. Secùs, ſi ſuperior minùs efficaciter illum deputaret, animò potius proponendi, quam præcipiendi, & religioſus ſubditus ex timore, aut alia ſimili affectione ſtuderet ſe retrahere medio aliquo non illicito (v. g. ſincere proponendo ſuam auerſionem à tali miniſterio, ſubmittendo interceſſorem ad ſuperiorem, qui eum precibus, ac ſuaſionibus inducat ad reuocãdam deputationem, ſe offerendo ad aliud miniſterium vtile religioni, &c.) & quidem interim paratus obedire caſu, quo ſuperior perſiſtat in ſententia, velitque efficaciter ipſum vacare ſeruitio infirmorum: proportionaliter, vt docet *Sanch. lib.4. mor. cap. 16. num. 35.* adſtrictum voto religionis non peccare, ſi, vt iudicent religioſi, an expediat illum admitti, nec ne, bona fide explicet auerſionem ſuam à ſtatu religioſo, proponens tamen viribus ſe enixurum illum amplecti; ſic enim religioſus non peccaret contra hoc votum, cum ſic ſolum ſtudeat effugere obligationem illius, & quidem medio licito: quod non eſſe illicitum oſtendimus *ſup. ſect.5. ſubſect.7. qu. 23.* in caſu non diſſimili. excipe, niſi medium, quo talis religioſus vtitur ad ſe retrahendum à miniſterio infirmorum, ſit tale, vt, attentis concurrentibus circumſtantijs, iudicio prudentis cenſeatur ſuperior moraliter cogi mutare conſilium; nam tunc religioſus non eſſet tutus in conſcientia; vt conſtat ex dictis *citata ſubſ.7. q.24.*

QVÆRES XXI. Qua diligentia, ac cura vi iſtius voti teneantur religioſi huius Ordinis vacare miniſterio infirmorum, ſi ad id deputentur.

421 ℞. Teneri vacare ea diligentia, ac cura, quam miniſtri infirmorum paſſim ſolent adhibere; non autem teneri ad diligentiam inſolitam, ac extraordinariam. ducor tum quia talis præſumitur eſſe intentio vouentium, ne alioqui nimis ſe grauent, ſibimet imponendo onera importabilia; tum quia lex humana debet eſſe accommodata fragilitati humanæ, & de re moraliter poſſibili, teſte *Laym. lib.1. tr.4. c.1. num.4.* cum ergò votum ſit quædam lex humana, debet eſſe de re moraliter poſſibili, ſicque non debet obligare ad diligentiam extraordinariã; tum quia, vbi agitur de obligatione, non niſi ſtricta adhibenda eſt interpretatio (vt ſæpiùs diximus:) ergò etiam obligatio huius voti ſtrictè debet interpretari, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit; ergò ea non debet extendi, niſi ad diligentiam communem, ac ordinariam, non autem ad extraordinariam.

QVÆRES XXII. An clauſula illa, quæ apponitur in formula huius voti *ſecundùm formam viuendi contentam in litteris Apoſtolicis noſtræ Religionis, & in eius Conſtitutionibus tam editis iam, quam in poſterum edendis*, referatur non ſolum ad præſens votum miniſtrandi infirmis, ſed etiam ad alia 3. vota ſubſtantialia religionis.

422 ℞. Referri & ad præſens votum, vt oſtendimus *q.5. & 16.* & etiam ad alia 3. vota ſubſtantialia religionis: idque ob ea, quæ diximus ſup. *ſect.3. ſubſ.1. q.4. §. vbi notandum.*

QVÆRES XXIII. An Conſtitutiones, quę in iſto Ordine de nouo eduntur circa miniſterium infirmorum, ligent religioſos, qui antea emiſerant profeſſionem, & conſequenter etiam hoc votum miniſtrandi infirmis.

423 ℞. Ligare; & probatur tum ex eo, quod Clem. Oct. in citata Conſtit. §. 26. concedit ſuperioribus Ordinis, vt poſſit diſpenſare cum religioſis profeſſis ante dictam Conſtitutionem ſuper oneribus ibi de nouo adiunctis miniſterio infirmorum, ad quæ prius ex proprij Inſtituti obligatione non tenebantur, ſi ad præfata onera minùs habiles, ac idoneos ſe iudicarent; non eſſet autem neceſſaria diſpenſatio, ſi dicti religioſi antea profeſſi non tenerentur dictis oneribus: cum enim diſpenſatio, ſit relaxatio obligationis, vbi non adeſt obligatio, nec poteſt adeſſe diſpenſatio; tum quia religio poteſt obligare ſuos religioſos ad ſeruandum non ſolùm ea, quæ expreſsè continentur in regula, ſed etiam quæ indirectè, ac implicitè (vt benè aduertit *Miranda qu. 1. de monialib. a.3. ex S. Thoma, & S. Bonauentura*) qualia in noſtro caſu ſunt ea, quæ conferunt ad maiorem obſeruantiam præſentis voti; tum quia quod dicitur *cap. geſta d. 74.* neminem cogendum eſſe inuitum creſcere, debet intelligi de noua Religione aſſumenda, ſeu de vita ſtrictiori per nouam regulam, non autem de noua reformatione, ſeu de modo ſtrictiùs viuendi; vt innuit *Nauar. c.23. nu.39.* & cum eo *Miranda loco cit.*

SVBSECTIO II.

De voto, quod faciunt Clerici Regulares miniſtrantes infirmis, nunquam agendi, aut conſentiendi, vt mutetur, aut alteretur modus inſeruiendi ægrotis.

424 *Clerici miniſtrantes infirmis vouent non conſentire in mutationem, ſeu alterationẽ modi ſeruiendi infirmis.*
425 *Hoc votum eſt ſimplex.*
426 *Fit ad proprium Inſtitutum melius conſeruandum.*
427 *Aſſignatur eius materia.*
428 *Modus ſeruiendi eſt is, qui à Clemente VIII. fuit præſcriptus.*
429 *Declaratur, quid ſit* Mutari, *&* Alterari.
430 *Hic vetita ſolùm mutatio modi ſeruiendi in noſocomijs.*
431 *Vetatur hîc conſenſus, etiam poſt præſtitum neceſſarium numerum ſuffragiorum.*
432 *Ea mutatio, indebitè inducta, poſſet admitti in Ordine.*
433 *Vi huius voti vetitus conſenſus etiam verbalis.*
434 *Vi illius non tenetur Religioſus reſiſtere procuranti dictam mutationem.*
435 *Ex cauſa poſſet ea mutatio procurari, & admitti.*
436 *Admitti poſſet ſponte oblata à Papa per modum indulgendi.*
437 *Controuerti poſſet, an ea expediat, ſecluſo animo illam efficaciter ſuadendi.*
438 *Non violat hoc votum, qui Papæ proponit incommoda præſentis modi ſeruiendi, vt illum mutet, hoc animo tamen occultato.*
439 *Violat, qui procurat eam mutationem animo illam non admittendi.*
440 *Non violat, qui illam admittit, ſed non auctoritatiuè.*
441 *Violat qui conſulit eam debere procurari, etſi non procuret.*
442 *Modus inſeruiendi infirmis, de quo hîc, poteſt magis reſtringi.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

424 ℞. Fieri his ipſiſſimis verbis, quæ deſumpta ſunt ex formula ipſius voti, videlicet: *Item promitto obligando me voto ſimplici numquam me acturum, nulloque opere, quantum erit in me conſenſurum, vt mutetur, vel alteretur modus ægrotis ſeruiendi in hoſpitalibus, tam in operibus miſericordiæ ſpiritualibus, quam corporalibus, niſi id fiat iuſtis de cauſis, & quia validiùs, & vehementiùs adſtringendus videretur: ſemper tamen auctoritate Apoſtolica interpoſita.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſolemne, aut ſimplex,

425 ℞. Eſſe ſimplex; patetque tum ex ipſa formula, in qua id diſertiſſimè exprimitur illis verbis *obligando me voto ſimplici*: tum quia non ſit coniunctum profeſſioni, neque vt ſolemne acceptatur à religione: quæ iuxta ſępius dicta ſunt conditiones propriæ voti ſimplicis.

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votũ.

426 ℞. Fieri ad proprium Inſtitutum Ordinis meliùs conſeruandum in primæua ſua obſeruantia: & ratio eſt, quod cum tota ratio huius Inſtituti poſita ſit in operibus miſericordiæ, tam ſpiritualibus, quam temporalibus exhibendis, in ijs præcipuè, quę ſpectant ad ægrotos in noſocomijs, carceribus, & priuatis ciuium domibus laborantes (vt diximus *ſubſect. præc. q. 3.*) hoc ipſo quod inciperet relaxari modus inſeruiendi infirmis, conſequenter relaxaretur etiam ipſum Inſtitutum: relaxatio autem illa modi miniſtrandi infirmis facillimè inducitur, ſi in eo incipiat admitti aliqua mutatio, ſeu alteratio moderatiua rigoris illius: cum natura hominis corrupta ſẽper propẽdeat in deterius, vtpote inimica laboris, & plùs æquo addicta proprijs cõmodis, vnde nihil magis cõducit ad auertendam relaxationẽ religionum, quam quod integer, & omnino immutabilis conſeruetur ſtatus vniuſcuiuſque Inſtituti; niſi fortè mutatio fiat in melius, vt dicitur in formula huius voti.

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti.

427 ℞. Eſſe nunquam procurare, aut conſentire, quantum eſt ex parte ſua, vt immutetur, aut alteretur modus inſeruiendi infirmis præſcriptus in literis Apoſtolicis, & Conſtitutionibus Ordinis pro noſocomijs, tam quo ad ſpiritualia, quam quo ad temporalia: excepto tamen caſu, quo mutatio, aut alteratio facienda eſſet in melius, & quidem cum auctoritate Apoſtolica.

QVÆRES V. Quis ſit modus ille inſeruiendi infirmis, cuius mutatio, aut alteratio præſenti voto prohibetur.

428 ℞. Eſſe illum, qui præſcribitur in Conſt. Clem. VIII. *ſubſect. præc.* ſæpiùs citata, nimirum quod Patres, ac Fratres Ordinis in noſocomijs (vbi licebit, & commodè fieri poterit) ęgrotis tam in ſpiritualibus quam in temporalibus deſeruiant, atque in iiſdem noſocomijs dies, noctéſque degant, & habitent: quod ſi contingat ijs non permitti habitare in ipſis noſocomijs ex voluntate Dominorum Pręſidum, & Gubernatorum externorum auctoritate; nihilominus teneantur inſeruire noſocomiorum ægrotis, vtroq; miſericordiæ miniſterio; idque ex obligatione Inſtituti: nullam interim procurantes, aut admittentes adminiſtrationem redituum ipſorum noſocomiorum, ibiq; exercentes ea munera tum ſpiritualia, tum corporalia, quæ *ſubſect. præced.* ex eadem Conſt. Clementis VIII. retulimus q. 5. patet ex citata *Conſtitut.* §. 7. 8. 16. 17. 18. 19. *&* 20.

QVÆRES VI. Quid intelligatur hîc per illa verba, *mutetur, vel alteretur*.

429 ℞. Quod cum modus miniſtrandi infirmis (de quo hîc agitur) poſſit intelligi moraliter mutari tum ſubſtantialiter, tum accidentaliter, & mutatio ſubſtantialis veniat nomine mutationis ſimpliciter dictæ; mutatio verò accidentalis propriè dicatur alteratio; hinc in formula huius voti per verbũ *mutetur*, importatur mutatio ſubſtantialis: per verbũ autẽ *alteretur* mutatio accidẽtalis; quod duplex genus mutationis vtiq; poteſt cadere in modũ miniſtrãdi infirmis præſcriptũ religioſis iſtius Ordinis, vt mox oſtendã. Sicut.n. in phyſicis mutatio ſubſtãtialis dicitur

citur illa, per quam ſubiectum totum tranſmutatur, non remanente aliquo ſenſibili vt ſubiecto eodem: mutatio verò accidentalis (quæ dicitur alteratio) eſt illa, per quam, manente ſubiecto ſenſibili exiſtente tranſmutatur in eius paſſionibus, ſiue contrarijs, ſiue medijs (vt tradunt communiter Philoſophi) ſic in moralibus poteſt item interuenire duplex mutatio; altera ſubſtantialis, quæ ſimpliciter dicitur mutatio; & altera accidentalis, quæ proprie dicitur alteratio, vt iam diximus. In moralibus autem illa mutatio dici poterit ſubſtantialis, per quam res ita immutatur, vt iudicio prudentis non æſtimetur amplius ipſa, ſed alia ſe tota diuerſa: accidentalis verò dicetur, per quam res aliquo quidem modo mutatur, non tamen ita, vt prudenter æſtimari poſſit alia. Quando ergo per hoc votum promittit vouens ſe non procuraturum, neque pro ſua parte conſenſurum, vt modus miniſtrandi infirmis in noſocomijs mutetur, aut alteretur: promittit ſe neque acturum, neque permiſſurum, quantum eſt ex parte ſua, vt dictus modus immutetur neque ſubſtantialiter, neque accidentaliter.

QVÆRES VII. An vi huius voti Religioſi iſtius Ordinis prohibeantur procurare, aut conſentire, quod mutetur, aut alteretur modus inſeruiendi infirmis extra noſocomia.

430 ℟. Non prohiberi; cum votum expreſſè loquatur ſolùm de modo ſeruiẽdi infirmis in noſocomijs; vt conſtat ex illis verbis *præſcriptus ægrotis inſeruiendi modus in noſocomijs*; votum autem, cum ſit ſtrictę interpretationis, non debet ampliari ad caſum iuxta rigoroſam verborum proprietatem in eo non comprehenſum. præter quam quod non ita facilè poteſt contingere modum miniſtrandi infirmis extra noſocomia modo dicto mutari, aut alterari; vt proinde opus fuerit ad præcludendum aditum tali mutationi, aut alterationi, peculiare votum emittere, vt in caſu noſtro.

QVÆRES VIII. An ſtante clauſula quæ apponitur huic voto, *nulloque opere, quantum erit in me, aſſenſurum*, poſſint religioſi iſtius Ordinis ſine peccato admittere, & conſentire in mutationem, aut alterationem modi miniſtrandi infirmis, ſi tot vocalium ſuffragia in eas iam concurrerunt, quot ſufficiunt ad aliquid legitimè ſtatuẽdum in ordine.

431 ℟. Non poſſe; & probatur tum ex dictis *ſup. ſect. 5. ſubſ. 2. q. 11.* quæ proportionaliter poſſunt applicari ad præſentem difficultatem; tum quia per hoc votum promittit religioſus ſe, quantum erit in ipſo, non aſſenſurum, vt mutetur, aut alteretur modus miniſtrandi infirmis in noſocomijs; religioſus autem in caſu propoſito conſentiens in dictam mutationem, ſeu alterationem verè, & propriè diceretur conſentire, quantum eſſet in ipſo (quidquid ſit de alijs) adeoque contrauenire huic voto. ita docti viri à me conſulti, & ſatis probabiliter.

Vtrum verò caſu, quo induceretur præſata mutatio, ſeu alteratio modo dicto, poſſent religioſi ordinis licitè eam amplecti abſque violatione iſtius voti.

432 ℟. Poſſe; eum per hoc votum religioſi ordinis ſolùm prohibeantur conſentire in dictam mutationem, ſeu alterationem, non autem eam amplecti, poſt quam ſint legitima poteſtate inducta; & aliàs obligatio voti non debeat ampliari ad caſus non expreſſos, vt ſæpè ſæpiùs aduertimus.

433 Addo quod quamuis per ea verba *nulloque opere* nõ videatur excludi conſenſus, qui ſolùm fieret verbis, aut nutibus; cum verba, ac nutus propriè non ſint opera; nihilominùs ſecùs dicendum eſt: aliàs hoc votum eſſet parum vtile, cum talis conſenſus communiter ſoleat præſtari verbis, aut nutibus.

QVÆRES IX. An religioſi iſtius Ordinis vi huius voti teneantur reſiſtere procurantibus huiuſmodi mutationem, aut alterationem modi miniſtrandi infirmis.

434 ℟. Non teneri. colligitur ex *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 6. c. 6 num. 9.* & probatur tum ex dictis *ſup. ſect. 5. ſubſ. 2. q. 7.* tum quia per hoc votum religioſus promittit ſolùm ſe non conſenſurum in dictam mutationem, non autem ſe reſtiturum ijs, qui fortè illam procurent: cum ergò hæc duo ſint diuerſa; & à diuerſis non fiat illatio; non debet obligatio huius voti extendi ad talem caſum iuxta propriam verborum ſignificationem in eo non comprehenſum; quamuis aliunde poſſit in hoc peccari; vt oſtendimus q. 7. paulò ante citato in caſu non diſſimili.

QVÆRES X. An & quo modo religioſi huius Ordinis, non obſtante hoc voto, poſſint procurare, vt Papa mutet, aut alteret modum miniſtrandi infirmis in noſocomijs, aut etiam conſentire in talem mutationem ab ipſo ſponte oblatam.

435 ℟. Videri poſſe, ſi occurrant iuſtæ cauſæ id faciendi; conſtatque ex ijs, quæ in ſimili diximus *ſubſect. citata q. præced. in q. 9.* & ex ijs, quæ habet *Sanch. l. 6. mor. c. 18. num. 10.* ſi hic monuero quod de præſenti voto philoſophandum eſt eadem ratione, ac de voto, quo quis ſe adſtringit ad non petendum diſpenſationem alicuius certi voti priùs emiſſi, nec vtendum ea vltro oblata; ideoque ſicut, non obſtante voto facto de non petenda diſpenſatione, occurrente iuſta cauſa non ſeruandi prius votum, poteſt vouens procurare eius diſpenſationem (obtenta tamen prius diſpenſatione huius poſterioris voti) ſic & religioſi huius ordinis poterunt agere cum Papa de dicta mutatione, non obſtante quod præſenti voto promiſerint indefinitè, ac generaliter ſe numquam acturos de tali mutatione: dummodò tamen prius obtineant diſpenſationem ſuper hoc ipſo voto; ſicut in ſimili notauit *Sanch. loco citato.*

Dubium maius eſt, an religioſi huius ordinis vi iſtiuſ voti prohibeantur conſentire in præfatam mutationem ipſis ſponte oblatam à Papa; & quidem non præcipiendo, ſed ſimpliciter indulgendo.

436 ℟. Non videri improbabile, quod non prohibeantur. moueor, quod iuxta ſæpiùs dicta obligatio voti ita ſemper explicari debet, vt obliget minùs, quam fieri poſſit; cum ergo votum hoc non conſentiendi in dictam mutationem intelligi, ac explicari poſſit de conſenſu cooperatiuo in actionem, ſeu negotiationem contrariam tali voto, non autem de conſenſu merè receptiuo (vt in caſu non diſſimili ingenioſè aduertit *Suarez ſup. nu. 16.*) non debemus votum ampliare ad conſenſum merè receptiuum; aliàs votum hoc non explicaretur, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit; quippe quod exten-

tenderetur ad conſenſum præcisè receptiuum (qualis interueniret in caſu noſtro): cum æque benè explicari poſſit de conſenſu cooperatiuo. ita docti viri à me conſulti adhærentes doctrinæ traditæ à *Suarez vbi ſup.* quem puto ſtare pro noſtra ſententia, *Sanchez* diſſentiente *loco citato nu. 9.* qui conſequenter ad ea, quæ dicit in caſu ſimili, diceret religioſos iſtius ordinis non poſſe in euentu propoſito conſentire in dictam mutationem eo quod per iſtud votum ſe priuauerint poteſtate conſentiendi in illam, alioqui ipſis competente; cum tamen quilibet poſſit cedere iuri ſuo.

QVÆRES XI. An Religioſi iſtius ordinis abſq; violatione huius voti poſſint in Capitulo generali, aut prouinciali diſcutere, vtrum expediat bono Religionis, quod fiat dicta mutatio, vel non, & quidem proponendo rationes dubitandi in vtramque partem.

437 ℞. Videri poſſe, modò id non faciant animo efficaciter ſuadendi dictam mutationem. ducor, quod in tali caſu non agitur de immutando modo miniſtrandi infirmis (quod prohibetur præſenti voto per ea verba *numquam me acturum*) ſed ſolùm cõtrouertitur, an expediat talis immutatio, nec ne: quod ſine dubio eſt quid diuerſum, nec eſt, ſaltem directè, comprehenſum ſub hoc voto; cum ergò votum non debeat ampliari vltra rigorem verborum, neque præſens votum extendi debet ad talem caſum. præter quam quod actio, quæ prohibetur per iſtud votum, eſt illa ſolùm, quæ efficaciter, & auctoritatiuè (vt ita dicam) influat in præfatam mutationem, aut ſaltem ad hoc ordinetur ex intentione agentis; huiuſmodi autem actio non interuenit in præſenti caſu; cum illa diſcuſſio ordinetur tantùm ad cognoſcendum, num expediat dicta immutatio, nec ne; non autem ad eam re vera efficiẽdam; niſi quis velit dicere præfatam diſcuſſionem, ſaltem indirectè ordinari ad faciendam talem mutationem, ſicq; per eiuſmodi actionem indirectam violari votum; quod tamen ego non puto admittendum, ſed potiùs negandum eſſe votum iſtud vllo modo in caſu propoſito violari; ſiquidem cum in hoc voto non fiat vlla mentio de actione indirecta, ſed ſolùm dicatur abſolutè *nũquam me acturum* (per quæ verba diximus ſuperiùs non venire niſi actionem directam): obligatio iſtius voti non debet ampliari ad actionem indirectam: alioqui extenderetur vltra rigorem verborum, contra communem Doctorum ſententiam ſæpiùs à nobis relatam, & diſertis verbis traditam à *Suarez ſup. num. 16.*

QVÆRES XII. An religioſi iſtius ordinis peccent contra hoc votum, ſi Papæ, aut Cardinali Protectori proponant incommoda, quæ ex præſenti modo miniſtrandi infirmis proueniunt, ad effectum vt ipſi talem modum propria poteſtate immutent, quamuis aliàs talem animum exteriùs verbis non manifeſtent.

438 ℞. Videri non peccare, ſi propoſitio illa incõmodorum ratione temporis, loci, & aliarum circumſtantiarum concurrentium ex ſe non ſufficiat ad exteriùs manifeſtandam internam mentem procurandi dictam mutationem. Colligitur ex *Sanch. ſup. num. 19.* ſuſtinente eam ſolùm procurationem dignitatis in Societate Ieſu eſſe contra votum non ambiendi (quod in ea faciunt profeſſi) quæ declaretur ſigno aliquo externo ex ſe ſufficienti, ſiue ratione temporis, ſiue aliarum circumſtantiarum cõcurrentium ad manifeſtandum animum procurandæ eo actu dignitatis; adeoque ſi actus ille externus ſit indifferens ad declarãdum animum ambitioſum, vel aliud, re vera non delinquere contra dictum votum non ambiendi; idque ob dicta *ſect. 4. q. 10.* quæ tamen proportionaliter videntur militare in præſenti caſu, (cum enim procuratio, vt immutetur præfatus modus miniſtrandi infirmis, prohibita ex præſenti voto, debeat eſſe reſpectu hominis, qui poſſit illam auctoritatiuè inducere: conſequenter debet eſſe talis, vt homo ille prudenter, & probabiliter dignoſcere poſſit prauam illam intentionem procurantis; talis autem, abſolutè loquendo, non eſt propoſitio illa incommodorum prouenientium ex præſenti modo miniſtrandi infirmis: quippe quæ ex ſe eſt indifferens ad declarandam intentionem procurandi dictam mutationem, vel aliquid aliud, & per conſequens non eſt talis, vt inde cognoſci poſſit eam dirigi ad Papam, aut Cardinalem Protectorem, vt immutent dictum modum; quod ſi non eſt talis, nec dici poteſt contraria huic voto: niſi fiat in talibus circumſtantijs, vt prudenter iudicari poſſit per illam intendi, quod immutetur modus ille miniſtrandi infirmis. ita docti viri conſulti.

QVÆRES XIII. An religioſi huius ordinis peccent contra iſtud votum, ſi procurent quidem, vt immutetur modus miniſtrandi infirmis in noſocomijs, habeant tamen animum non conſentiendi in dictam mutationem, quantum in ipſis erit.

439 ℞. Peccare; & ratio eſt, quod vi huius voti promittuntur duo, non per modum vnius, ſed diſiunctiuè; nimirum non procurare dictam mutationem, neque in eam conſentire: ſicut conſtat ex verbis illis *nunquam me acturum, nulloque opere, quantum erit in me, aſſenſurum*; quæ vtique faciunt ſenſum diſiunctiuum, ac ſi diceretur promitto me neque acturum vt modus miniſtrandi infirmis immutetur, neque in id conſenſurum, quantum erit ex me; conſtat autem quod promittens Deo plura diſiunctiuè, etſi hæc omnia promittat vno, ac eodem voto, votum violat, quodcumque eorum omittat implere; vt ſi quis faciat votum non furandi, neque fornicandi, is ſine dubio votum violat, ſiue ſolùm furetur, ſiue ſolùm fornicetur: vt vel hinc patet, quod tale votum, licèt formaliter ſit vnum, virtualiter tamen eſt multiplex, ſicque ad illud violandum ſufficit ei contraueniri quo ad vnam ſui partem; quod omninò euenit in caſu noſtro: vnde mirum non eſt Clericum regularem miniſtrantem infirmis delinquere contra præſens votum etiam ſolùm procurando, vt mutetur modus miniſtrandi infirmis, etſi habeat animum poſtea non conſentiendi in eam mutationem, imò de facto non conſentiat: ſiquidem hæc duo promiſit diſiunctiuè, ideoque ad violandum votum ſufficit, quod alterutri parti illius contraueniatur. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES XIV. An Religioſi huius Ordinis delinquant contra iſtud votum, ſi conſentiant in mutationem modi miniſtrandi infirmis, non vt vocales

cales

cales in Congregatione aliqoa generali, aut prouinciali, vel alio ſimili conuentu (v. gr. in Conſulta generali) ſed vt perſonæ priuatæ, ideoque conſentiant non auctoritatiuè, vt ita dicam.

440 ℞. Quod, cum iuxta dicta *q. 10. §. dubium* præſens votum probabiliter explicari poſſit de conſenſu cooperatiuo, ac efficaciter influente (vt in ſimili adnotauit *Suar ſup. nu. 16.*) & conſenſus, qui præſtaretur à Religioſo illius Ordinis, non auctoritatiuè, ſed tanquam à perſona priuata, non poſſit dici, nec ſit cooperatiuus, cum nihil influat in dictam mutationem; non improbabiliter videtur poſſe ſuſtineri Religioſum taliter conſentientem in præfatam mutationem non violare iſtud votum; præſertim ſtante doctrina illa; quod votum debet interpretari, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit: quod certè non fieret, ſi explicaretur de quocumque conſenſu, etiam non influente in effectum voto prohibitum; alioqui votum iſtud extendendum eſſet etiam ad caſum, in quo Religioſus conſentiret in præfatam mutationem, poſtquam ea legitimo vſu inducta eſſet; quod (vt puto) nemo dicet.

QVÆRES XV. An contraueniat huic voto Religioſus Ordinis, qui conſulit, aut ſuadet procurandam eſſe mutationem modi miniſtrandi infirmis in noſocomijs, non tamen eam de facto procurat.

441 ℞. Quod quamuis prima facie videri poſſit Religioſus in præſenti caſu non contrauenire tali voto, eo quod per hoc votum Religioſus ſe obliget tantum ad non procurandam mutationem illam, non item ad non conſulendum, aut ſuadendum, vt alter eam procuret; quæ ſunt res valde diuerſæ & conſequenter tales, vt ex vna illarum non poſſit altera inferri (præſertim in materia voti, quod debet eſſe ſtrictæ interpretationis;) nihilominus abſolutè dicendum videtur Religioſum in caſu propoſito contrauenire huic voto. Colligo ex *Suarez ſup. num. 10.* vbi agens de voto, qood faciunt profeſſi Soc. Ieſu de non procuranda, aut permittenda relaxatione paupertatis, ait per negationem agendi, ſeu procurandi dictam relaxationem prohiberi omne conſilium, ſeu ſuffragium, etiam conſultiuum de tali relaxatione facienda. eſt autem eadem ratio in præſenti caſu: adeoque de vtroque philoſophandum eſt eodem modo iuxta communem regulam, quod vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio. Et certè quod in præſenti caſu concurrat eadem ratio, conſtat quia ex voto illo, quod faciunt Religioſi Societatis prohibentur non agere ad relaxandam paupertatem; ex præſenti autem voto prohibentur Clerici regulares miniſtrantes infirmis non agere ad immutandum modum inſeruiendi infirmis in noſocomijs: & quidem in vtroque voto adhibetur idem verbum *agere*; vt vel hinc tantò clariùs conſtet in vtroque caſu, eodem modo philoſophandum eſſe.

QVÆRES. XVI. An, & qualiter poſſit magis reſtringi in religione Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis modus inſeruiendi ipſis infirmis degentibus intra hoſpitalia.

442 ℞. Poſſe, ſi talis maior reſtrictio reputetur pro temporis, & loci occaſione neceſſaria, aut valdè vtilis ad conſeruationem inſtituti Ordinis, ac obſeruantiam præſentis voti: poſſe, inquam, dummodo id fiat à maiori parte Capituli, aut ab alio Superiore habente poteſtatem condendi ſtatuta pro religione. Colligitur ex *Sanch. l. 6. mor. cap. 2. num. 36.* pro ſe alios citante; & patet tum ex dictis *ſup. c. 4. ſect. 3. q. 5. §. difficultas*; tum quia ſubijciens ſe alicui ad aliquem finem ſe ei ſubijcit etiam in ijs, quæ ſunt valdè neceſſaria ad illum finem: talis autem poteſt interdum eſſe dicta reſtrictio: tum quia quod poſſit fieri talis maior reſtrictio, apertè ſupponitur in formula voti ijs verbis, *niſi id fiat iuſtis de cauſis, & quia validius, & vehementius adſtringendus videretur* (modus ſcilicet miniſtrandi infirmis) quod certè non ſupponeretur, ſi non poſſet fieri.

SVBSECTIO III.

De voto, quod faciunt Clerici Regulares miniſtrantes infirmis, non admittendi adminiſtrationem reddituum Noſocomiorum, neque eorum Dominium.

443 *Clerici miniſtrantes infirmis vouent non adminiſtrare redditus Noſocomiorum.*
444 *Hoc votum eſt ſimplex.*
445 *Fit ad vacandum ſeruitio infirmorum maiori cum puritate.*
446 *Aſſignatur eius materia.*
447 *Eſt licitum, ac conueniens.*
448 *Declaratur, cur in eo dicatur* Spondeo, ac promitto.
449 *Nomine reddituum veniunt hic etiam eleemoſynæ.*
450 *Vi huius voti vetatur reddituum adminiſtratio, etiam per alium.*
451 *Hic ſolum vetatur procuratio directa dictæ adminiſtrationis.*
452 *Ea adminiſtratio, ſi præciperetur à Papa, poſſet admitti.*
453 *Violatio huius voti eſt vetita ſub excommunicatione reſeruata.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

443 ℞. Fieri his formalibus verbis deſumptis ex ipſa formula voti: videlicet *Inſuper ſpondeo, ac promitto item obligando me voto ſimplici, nunquam ſcilicet me operam daturum, nulloque pacto conſenſurum, quantum in me erit, ac fieri poterit, vt noſtra religio habeat, vel poſſideat, nec reddituum adminiſtrationem, nec noſocomiorum dominium: vt cum maiori animi puritate, & cordis affectu me totum in ægrotantium ſpirituale, & corporale miniſterium conuertere valeam, ac poſſim.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſolemne, aut ſimplex.

444 ℞. Eſſe ſimplex; & conſtat ex dictis *ſubſ. præc. q. 2.*

QVÆ-

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

445 ℞. Fieri ad effectum, vt Religioſi Ordinis maiori animi puritate, & cordis affectu ſe totos conuertere poſſint in ægrotantium miniſterium tam ſpirituale, quam temporale (quod diſertis verbis exprimitur in formula voti) & vt hinc conſter ipſos non quærete, quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti, ijque liberiùs dicere poſſint, *non veſtra quærimus, ſed vos.*

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti.

446 ℞. Eſſe duplicem actionem negatiuam; nimirum non procurandi, nec conſentiendi, quantum eſt ex parte ſua, vt Religioſi Ordinis adminiſtrationem habeant redditunm noſocomiorum, neque eorum dominium; hæc enim duę actiones clatè exprimuntur in ipſa formula voti, & non aliæ.

QVÆRES V. An hoc votum ſit conueniens, ac licitum.

447 ℞. Quod, quamuis huiuſmodi votum videri poſſet minùs conueniens eò quod cenſeri poſſit impeditiuum illius maioris boni, quod prouenirer, ſi adminiſtratio bonorum noſocomiorum, eorumque dominium manerer penes Religioſos ordinis; quatenus & bona illa fidelius adminiſtrarentur ab ipſis, quam fortè adminiſtreutur à miniſtris ſæcularibus, ideoqne in maiorem vtilitatem noſocomiorum: & ipſi religioſi maiori cum libertate, ac independentia poſſent iuxta proprium Iuſtitutum vacare miniſterio infirmorum, ſi ſub ipſorum dominio eſſent noſocomia, ac proinde non poſſent ab ijs amoueri (ſicut de facto interdum alicubi amuuentur); nihilominus abſolutè dicendum eſt, votum illud eſſe conueniens, licitum, ac ſummè laudabile. moueor tum quia, ſi tale non eſſer, minimè fuiſſet approbatum ab Eccleſia; ſicut verè approbatum eſt à Clemente VIII. in *ſua Conſtit.* 75. *in ordine* §. 13. tum quia bona, quæ conſequuntur ex obſeruantia iſtius voti, & relata ſunt q. 3. præponderant bonis, quæ prouenire poſſent in euentu, quo Religioſi ordinis haberent adminiſtrationem, ac dominium noſocomiorum: ex duobus autem bonis ſemper præferendum eſt maius bonum minori: tum quia etſò excludantur à noſocomijs, non ideo fit, vt non poſſint adhuc vacare miniſterio infirmorum, quod eſt adeo proprium Inſtituti illorum; ſi quidem poſſunt id facere extra noſocomia inſeruiendo infirmis degentibus in domibus priuatis tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus.

QVÆRES VI. Quorſum in formula voti huius apponantur verba illa *ſpondeo, ac promitto item me obligando voto ſimplici*; cum ea ſynonima ſint, & eandem importent ſignificationem.

448 ℞. Quod, cum teſte *Sanch. l. 5. mor. c. 4. num.* 19. verborum geminatio in eodem textu quoddam myſterium, & vim ſpecialem in ſe contineat (vt notat *Gloßa Clem.* 1. *v. diœceſanus de iure patron.*) hìc verba ſynonima apponuntur ad indicãdam enixiorem voluntatem, quam habet Religio, vt ſui alumni caueant ab ijs, quæ ipſis per hoc votum interdicuntur.

QVÆRES VII. An nomine redditųum veniant etiam eleemoſynæ incertæ, quæ noſocomijs annuatim obueniunt, ideoque religioſi ordinis vi huius voti prohibeantur procurare, aut admittere adminiſtrationem illarum.

449 ℞. Venire; cum dictæ eleemoſynæ ſint verè redditus noſocomiorum, licèt incerti; & alioqui finis huius voti ęque militet quoad ipſas; vnde procedit regula, quod *vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio*. ita docti viri à me conſulti, & talis eſt praxis ordinis.

QVAERES VIII. An religioſi iſtius ordinis vi huius voti prohibeantur adminiſtrationem redditųum noſocomiorum admittere, ſi eam per alios exercere velint, non autem per ſe ipſos immediatè.

450 ℞. Quod, quamuis alicui probabilis videri poſſet pars negans, eò quod ſic ceſſet finis prohibitionis (quo modo *Leſſ. l. 2. c. 21. nu. 6. Moli. tom. 2. D.* 342 *num.* 10. *Tabiena v. emptio q.* 16. alijque communiter apud *Dianam p. 1. tra. 8. reſol.* 72. docent Eccleſiaſticos poſſe per alios exercere negotiationem ipſis alioqui iure prohibitam); nihilominus puto dicendum religioſos huius ordinis vi iſtius voti non poſſe neque per alios adminiſtrare redditus noſocomiorum. Moueor in primis ex eo quod *Sà v. lex n.* 1. *& v. Ludus nu.* 1. *Angel. v. lex nu.* 4. *Nau. tom.* 4. *comment. in rub. de iudicijs nu.* 74. & alij apud *Dianam ſup. tract.* 1n. *reſol.* 28. docentes obligationem legis ceſſare in particulari hòc ipsò quod finis legis ceſſat in caſu aliquo particulari; huiuſmodi doctrinam limitant, vt in tali caſu particulari ceſſet finis legis adæquatus; hinc inferentes obligationem legis non ceſſare in caſu, quo finis illius ceſſet tantùm inadæquatè; in præſenti ergò caſu, cum non ceſſet adæquatè finis iſtius voti (vt facilè patebit conſideranti ea, quæ diximus q. 3.), nec eius obligatio cenſeri debet ceſſare: cum alioqui Doctores apud *Bonacinam D. 4. de leg. q. 2. p.* 7. §. 1. *num.* 1. concedant obligationem voti ceſſare, ceſſante ipſius cauſa finali.

QVÆRES IX. An vi iſtius voti prohibeantur religioſi huius ordinis procurare etiam indirectè, vt ipſis committatur adminiſtratio, & dominium noſocomiorum, in quibus miniſtrant.

451 ℞. De rigore iuris non prohiberi ob ea, quæ diximus *ſubſect. præced. q.* 11. quæ etiam militant in præſenti voto; niſi fortè obſtet praxis, & ſenſus communis ordinis, qui in explicanda huius voti obligatione debet quam maximè aduerti iuxta dicta *ſup. ſect.* 4. *q.* 7.

QVÆRES X. An caſu, quo Papa, aut Cardinalis Protector præciperent huic ordini, vt acceptaret adminiſtrationem, & dominium noſocomiorum, eius religioſi poſſint, non obſtante hoc voto, prædicta admittere.

452 ℞. Poſſe; ſi id ipſis præcipiatur, non autem ſolùm proponatur indulgendo. colligitur. ex *Suar. to. 4. de relig. tr. 10. l. 6. c. 6. num.* 13. & 14. patetque ex eo quod religioſi iſtius ordinis vi huius voti non ſe obligant abſolutè ad non admittendam adminiſtrationem, ac dominium noſocomiorum, ſed quãtum in ipſis erit, & fieri poterit: dato autem quod ipſis id præcipiatur modo dicto, iam in ipſis non eſt ea admittere, vel non admittere; cum poſito ſuperioris pręcepto, non poſſint licitè contradicere. Secùs, ſi ea proponantur quaſi indulgendo; tunc enim non poſſent religioſi in eam conſentire; cum ſic in ipſis

poſi-

poſitum ſit conſentire, aut non conſentire, ideoq; vrgeat obligatio huius voti, non conſentiendi in admiſſionem adminiſtrationis, ac dominij noſocomiorum.

QVÆRES XI. Sub qua pœna prohibita ſit violatio illius voti Clericis regularibus miniſtrantibus infirmis.

453 ℞. Eſſe prohibitam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ipſimet Papæ reſeruatæ. patet ex citata *Conſtitut. Clementis VIII. §. 16.* vbi talis pęna fertur his verbis: *Decernimus ad validiorem firmitatem huius ordinis obſeruandam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, cuius abſolutio Sedi tantùm Apoſtolicæ reſeruetur, ne quiſquam ex noſtris Patribus, & Fratribus, ſiue Generalis ſit, ſiue Conſultores, ſiue Prouincialis, vel quacumque dignitate fungens, ſiue per ſe, ſiue per alios directè, vel indirectè recipere noſocomiorum dominium, aut ius nullum, vel quamlibet eorum adminiſtrationem vectigalium, ſeu redditunm audeat, vel præſumat; imò quantum erit in ipſis, nunquam aſſentient, vt huiuſmodi curæ, vel adminiſtrationes à Religione admittantur.* Vbi notandum quod, cum hìc adhibeatur verbum *audeat, vel præſumat*, quæ important temeritatem, præſumptionem, ac contemptum; & cenſura lata contra audentes, aut præſumentes aliquid facere, non incurratur ab eo, qui operatur ex ignorantia, etiam affectata (pro vt non improbabiliter ſuſtinent *Sanch. l. 2. mor. c.* 10. *nu.* 38. *Filliuc. tract.* 22. *n.* 205. *Bonac. D. 2. de cēſur. in cō. q. 5. p. 4. n. 5. Diana p. 3. tract. 6. reſolut. 7.* & alij ea ducti ratione, quod, vbi adeſt ignorantia affectata, non adeſt ſcientia, & conſequenter neque præſumptio, niſi fortè dicta ignorantia ſit coniuncta cum ingenti temeritate, vt rectè aduertit *Bonac. loco citato*) conſequens eſt quod religioſus ordinis Patrum miniſtrantium infirmis non incurrit præſentem excommunicationem, niſi ſcienter, & cum præſumptione delinquat contra iſtud votum; ſicque excuſabitur ab ea incurrenda, ſi delinquat ex ignorantia, ſiue iuris, ſiue facti: idq; etſi illa ſit craſſa, & affectata; quod eſt benè aduertendum tum in præſenti materia, tum etiam in alijs ſimilibus.

Quamquam *Sanch. l. 9. de matr. D. 32. num. 40.* expreſſe dicit ignorantiam affectatam nunquam excuſare à pœnis ſcientiam, ac præſumptionem exigentibus; ideoque ſibi contradicere videtur *l. 2. mor. c.* 10. *num.* 38. *& l. 6. c. 14. num.* 49. cum in his locis oppoſitum doceat. quem tamen doctus quidam recentior Societatis putat iuxta doctrinam traditam ab ipſomet *Sanch. l. 1. mor. c. 17. num.* 5. poſſe ſic conciliari; ſi dicamus illum *l. 9. de matr. loco citato* loqui de ignorantia affectata ad liberiùs delinquendum (quo caſu ignorans non meretur eximi à pœnis) *lib.* vero 2. *mor. & l. 6. Locis allegatis* loqui de ignorantia affectata ob aliquem bonum finem (v. g. vt culpa ſit leuior) quo pacto minuitur peccatum, ſicque ignorans meretur eximi à pœnis. Sic ille Recentior hinc inferens falſum eſſe, quod *Sanch. l. 2. & 6. mor.* retractarit, quod dixerat *l. 9. de matr.* vt dicit *Diana ſupra.*

SVBSECTIO IV.

De Voto, quod faciunt Clerici Regulares miniſtrantes non prætendendi prælaturas neque intra, neque extra Religionem.

454 *Clerici miniſtrantes infirmis voueat non ambire dignitates nec intra ordinem, nec extra.*

455 *Hoc votum eſt ſimplex.*

456 *Fit ad excludendam ambitionem.*

457 *Aſſignatur eius materia.*

458 *Vetat ambitum directum, ac indirectum, per ſe, & per alium.*

459 *Explicatur, quid hìc veniat nomine Dignitatis, & Prælationis.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

454 ℞. His ipſis verbis, quæ deſumuntur ex formula ipſius, voti videlicèt *Præterea polliceor me adſtringēdo voto ſimplici nunquam curaturum, ne indirectè quidem, ſeù quouis modo, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in Religione eligar, nec quantum in me erit, aſſenſurum, vt extra Religionem, neque minùs in aliquam prælationem, vel dignitatem promouear, niſi eſſem ſub pœna peccati m. à ſummo Pontifice ad id coactus, ſeu adſtrictus.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

455 ℞. Eſſe ſimplex; & patet ex dictis *ſubſect.* 2. *quæſt.* 2.

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

456 ℞. Fieri ad illos fines, ad quos *ſect. 5. ſubſ. 3. q. 3.* diximus fieri ſimile votum à profeſſis in Societate Ieſu.

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti, & ad quid obliget.

457 ℞. Obligare ad duo; nempe vt religioſus tali voto adſtrictus non procuret eligi ad aliquam prælationem, aut dignitatem in Religione: & vt (quantum in ipſo eſt) neque procuret eligi ad aliquam prælationem, vel dignitatem extra Religionem, neque conſentiat ad illas promoueri, niſi à Papa ſub peccato m. id ipſi præcipiatur, patet expreſſè ex formula voti relata q. 1. & ex ijs, quæ diximus *ſup. ſect. 4. q. 7.* per totum.

QVÆRES V. Quę actiones prohibeantur vi huius voti.

458 ℞. Quod quidem ſpectat ad prælationes, aut dignitates in Religione, prohiberi procurationem tam directam, quam indirectam, tam per ſe, quam per alium, ſiue quouis alio modo factam: id enim ſatis clarè innuitur per ea verba voti, *ne indirectè quidem, ſeu quouis modo:* quod verò ſpectat ad prælationes, aut dignitates extra Religionem, prohiberi, ne religioſi iſtius ordinis (quantum in ipſis eſt) con-

conſentiant ad eas eligi, ac promoueri, niſi fortè ad id præcepto Papæ adſtringantur. Vbi noto quod, quamuis quo ad prælationes, aut dignitates, extra religionem non fiat expreſſa prohibitio, ne Religioſi huius Ordinis procurent ad eas eligi, ſed ſolum ne conſentiant vt ad eas eligantur; nihilominus ego puto hìc prohiberi etiam ipſam procurationem, & quidem eo modo, ac diximus illam prohiberi quo ad prælationes, ac dignitates in religione: id quippe ſatis apertè videtur indicari per illa verba, *nec quantum in me erit aßenſurum, vt extra religionem* (ſupple, *eligar*) nam qui procurat eligi ad dignitates, hoc ipſo conuincitur velle eligi ad illas, & conſequenter conſentire, quantum in ipſo eſt, vt eligatur: quippe qui ſi vellet, poſſet abſtinere à tali procuratione, & eatenus cenſetur procurare eligi, quatenus vult eligi: alioqui ſi non vellet eligi, id non procuraret; vnde prohibitus conſentire, vt eligatur (quod fit per præſens votum) ex conſequenti prohibetur etiam id procurare; cum non poſſit quis velle vnum, niſi velit & aliud. Dixi *& quidem eo modo, quo diximus illam prohiberi quo ad prælationes, ac dignitates in religione*, vt innuerem, quod ſicut Religioſus huius Ordinis vi iſtius voti prohibetur procurare eligi ad dignitates in religione, etiam procuratione indirecta, & per alium; ita & prohibetur eadem etiam procuratione indirecta, & per alium procurare, vt eligatur ad prælationes, ac dignitates extra religionem, cum in ipſo ſit abſtinere etiam à tali procuratione, ſicque locum habeant verba voti, *nec quantum in me erit*, aſſenſurum, *vt extra religionem*. Præter quam quod minùs ſufficienter conſultum eſſet fini iſtius voti, ſi vi illius Religioſus huius Ordinis non prohiberetur procurare modo dicto prælationes, aut dignitates extra religionem; cum ſit maior ratio id ipſis prohibendi, quam quod non poſſint dignitates procurare in ipſa religione: idque ob incõuenientia, quæ oriri poſſunt ex præfata procuratione dignitatum extra religionem. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES VI. Quid intelligatur hìc nomine *prælationis*, *ac dignitatis*.

459 ℟. Quod licet iuxta dicta *ſect* 4. *q*. 6. prælatio, ac dignitas interdum ſumantur apud Doctores tanquam ſynonima, adeoque inuicem confundantur: hìc tamen videntur ſumi tanquam duæ res diuerſæ (quo modo reuera ex aliquando ſumuntur apud aliquos DD. vt vidimus citata q. 6. moueor, quod in præſenti voto inter illas apponitur clauſula diſiunctiua *vel*, vt conſtat ex ijs verbis, *in aliquam prælationem*, *vel dignitatem*: quod non fieret, ſi ſumerentur pro vna, ac eadem re, vt patet. Prælatio autem per ſe importat ordinariam iuriſdictionem cum dignitate (qualis eſt Epiſcopatus) dignitas verò per ſe non importat ordinariam iuriſdictionem (vt Cardinalatus;) ſicut diximus *ſup. ſect*. 4. *qu*. 6. *ex Suarez*.

Alia, quæ de præſenti voto poſſent hìc quæri, peti poſſunt ex dictis *ſect*. 4. *&* *ſect*. 5. *ſubſ*. 3. *&* 4. ideoque non eſt opus, quod ea hoc loco fruſtra repetantur.

SVBSECTIO V.

De voto, quod faciunt Clerici Regulares miniſtrantes infirmis denunciandi ambientes.

460 *Clerici miniſtrantes infirmis vouent denunciare ambientes.*

461 *Hoc votum eſt ſimplex.*

462 *Fit ad magis auertendos Religioſos ab ambitu.*

463 *Aſſignatur eius materia.*

464 *Denunciatio hæc eſſe poteſt modo paterna, modo iudicialis.*

465 *Nomine Religionis venit hìc Capitulum generale.*

466 *Denunciatio facienda Religioni, aut Conſultæ generali.*

467 *Ad eam faciendam aliquod tempus conceditur iudicio prudentis.*

468 *Supponitur ad illam moralis certitudo ambitus.*

469 *Non denunciatur, qui admiſit dignitatem ab eo non ambitam.*

470 *Denunciatio non fit religioni, ſi iam conſulta prouidit.*

471 *Secus ſi denunciatio eſt facta conſultæ, & hæc non prouidit.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

460 ℟. Fieri his verbis ex formula ipſiuſmet voti deſumptis, videlicet *Ac demum promitto me obligando voti ſimplicis vinculo me manifeſtaturum tum religioni, tum etiam Conſultæ generali, cum primum compertum mihi foret quemquam ex noſtris horum duorum promiſſorum aliquid prætendere, ſeu quouis modo procurare prælationem ſcilicet, vel dignitatem aut intra, aut extra religionem*.

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſolemne, aut ſimplex.

461 ℟. Eſſe ſimplex; patetque ex dictis hìc *ſubſect*. 2. *q*. 2.

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

462 ℟. Fieri ad illum finem, ad quem *ſect*. 5. *ſubſe*. 5. *q*. 3. diximus fieri ſimile votum à Profeſſis in Societate Ieſu.

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti, & ad quid obliget.

463 ℟. Obligare ad denunciandum religioni, & Conſultæ generali, ſi quem ex Ordine conſtet curare, ſeu prætendere prælationem aliquam, aut dignitatem intra, aut extra religionem; patet ex formula voti.

QVÆRES V. Qualis debeat eſſe huiuſmodi denunciatio, paterna ne, an iudiciālis.

464 ℟. Quod cum in voto indefinitè dicatur *me manifeſtaturum*, & vi talis verbi ſignificetur denunciatio

abſtra-

abſtrahens à paterna , aut iudiciali ; dicendum conſequenter videtur denunciationem debere fieri, ſiue paternè, ſiue iudicialiter ; prout circumſtantiæ hìc , & nunc concurrentes conferunt ad eam faciendam alterutro ex dictis modis ; & ratio eſt, quod cum lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi ; & votum hoc indiſtinctè fiat non debemus illud limitare citra id , quod materia ipſius voti intrinſecè petit ; Quod eſt ſolum vt denunciatio fiat honeſtè, ac licitè ; ſicut in ſimili tradit *Suar. tom.4. de relig. tract. 10. l.6. cap. 10. num.9.* hinc inferens eiuſmodi voto ſatisfieri , ſimpliciter manifeſtando rem Superiori , qui poſtea iudicet , num procedendum ſit ad denunciationem iudicialem , necne , eamque præſcribat, ſi cenſuerit expedire. Quamquam cum conſuetudo ſit optimus legum interpres, & conſequenter etiam votorum , quæ ſe habent inſtar legis priuatæ , quam vouentes ſibi imponunt : videndum eſt, qualiter conſuetudo ipſa Ordinis votum hoc interpretetur , eiuſque interpretationi omninò ſtandum eſt. Verùm cum in iſto Ordine nondum occurrerit caſus talis denunciationis , ſicut mihi retulerunt viri grauiores Ordinis ; non potuit induci vlla talis conſuetudo, ſicque in hoc procedendum eſt, prout de iure cõi.

QVÆRES VI. Quid intelligatur hìc nomine religionis , & Conſultæ generalis per ea verba voti *tum religioni , tum etiam Conſultæ generali.*

465 ℞. Per religionem quidem intelligi Capitulum generale , quod in iſto Ordine celebratur ſolùm ſexto quoque anno : per Conſultam verò generalem intelligi Præfectum generalem Ordinis vnà cum 4. eius Conſultoribus ; quorum duo ſunt Sacerdotes ; & alij duo Fratres laici, durantque in officio per ſexennium, & eliguntur ſexto quoque anno , nec non habent votum deciſiuum , non autem ſolum conſultiuum .

QVÆRES VII. An talis denunciatio debeat fieri tam Religioni , quam Conſultæ generali ſimul ; vel certè ſufficiat quod fiat alterutri illarum

466 ℞. Quod quamuis, attento tenore voti, denunciatio illa facienda videatur & religioni , & Conſultæ generali ſimul ; cum eæ exprimantur ſub verbis illis, *tum religioni , tum etiam conſultæ generali*, quæ æquiualent particulæ coniunctiuæ, *&*; inſpecto tamen fine huius voti probabile videtur ſatisfieri huic voto ; ſiue denunciatio fiat ſoli religioni , ſiue ſoli Conſultæ generali, adeoq; particulam *&* habere vĩ clauſulę diſiunctiuæ, vt oſtendemus infra q. 11.

QVÆRES VIII. Intra quantum tempus fieri debeat iſta denunciatio , ſtante clauſula illa, quæ habetur in hoc voto *cum primum .*

467 ℞. Quod cum præfata clauſula. *cum primum* accipi debeat cum ſpacio aliquo temporis , nec minimo, nec maximo, & quod magis intellectu percipi quam locutione exprimi poſſit (prout expreſsè habetur *l. ratum ff. de ſolut. & liberat.* & hinc aduertit *Alberic. in diction. v. cum primũ*) proinde in præſenti voto clauſula hæc *cum primũ* ſumi debet cũ ea latitudine tẽporis, quã ſuadebũt circũſtãtię perſonarũ tẽporis loci, delicti, quod debet denũciari, aliæq; ſimiles circũſtãtiæ hic, & nunc cõcurrentes; ſicq; iuxta diuerſitatem circumſtantiarum denunciatio facienda erit modò citiùs, & modò tardius ; ita vt non poſſit definiri certum tempus , intra quod determinatè facienda ſit dicta denuntiatio . illud quidem certò aſſeri poteſt in implenda obligatione iſtius voti procedere doctrinam, quam tradunt *Pet. Nau. l.4. de reſtit. cap.4. numer. 2. Rodriq. tom. 2. ſum. cap. 99. Sed v. votum num. 28. Sanch. l.4. mor. c. 14. n. 5.* & alij penes ipſum ; votum ſcilicet emiſſum abſque præfixione temporis perſoluendum eſſe , cum primum iudicio prudentis ſine notabili incommodo vouentis poteſt impleri : idque tum ex intentione vouentis ; tum ex ipſius Dei voluntate , qui promiſſionem ſibi factam per votum non cenſetur exigere , niſi quando vouens abſque notabili incommodo poteſt illud implere . Regulariter autem ad implendam obligationem præſentis voti videtur poſſe cõcedi ſpatium dierum 15. quippe quod nec eſt maximum, nec eſt minimum, adeoque eſt conforme diſpoſitioni iuris ſuperiùs allegati; quamquam , ſi ſit periculum in mora , tunc teneatur Religioſus implere votum , etiam cum aliquo maiori ſuo incommodo ; dummodo impletio voti inde non reddatur longè difficilior ; proportionaliter , vt docet *Sanch. ſup. n. 18. ex Petro de Ledeſma* vouentem, ſi præuideat fore , vt non poſſit implere votum tẽpore à ſe præfixo ob aliquod ſuperueniens impedimentum , teneri præuenire tempus : dummodò præfixio temporis non ſit facta in honorem diei , & ſic præueniendo voti impletio non reddatur longè difficilior.

QVÆRES IX. Quæ, & quanta notitia requiratur de delicto ambitus ad hoc , vt Religioſus vi iſtius voti teneatur denunciare ambientem .

468 ℞. Quod , cum in forma vouendi dicatur *cum primũ compertum mihi foret quemquam ex noſtris horum duorum præmiſſorum* aliquid prætendere ; & per verbum illud *compertum* ſignificetur idem , ac eſſe exploratum ac ſcitum per inueſtigationem, (vt tradit *Spiegel in lexicon iuris v. compertum ;*) ad hoc vt Religioſus vi huius voti teneatur denunciare ambientem , debet eſſe moraliter certus de delicto ambitus, & prærequiritur, vt plenè ſit de eo informatus; ſicut in ſimili notauit *Suar. ſup. num. 11.* & nos oſtendimus *ſect. 5. ſubſ. 5. q. 6.* Vnde fit, vt qui ſolam habet ſuſpicionem de ambitu alterius , non teneatur modo dicto denunciare ; ſicut nec tenetur , qui ea de re opinionem habet non ſatis certam; cum tales caſus non comprehendantur præſenti voto ; quod tamen non facit, quin poſſit Religioſus etiam in iſtis caſibus interdum manifeſtare Superiori illam ſuam ſuſpicionem aut opinionem: dummodò id fiat purè, ac ſimpliciter , & in illo gradu , in quo meretur talis manifeſtatio , & ad effectum, vt Superior dicta cognitione inſtructus attentiùs vigilet , ac prudenter perſpiciat , an res manifeſtata maius habeat veritatis fundamentum , vel, ſi nullum repererit , ſuſpicionis auferat occaſionem .

QVÆRES X. An Religioſi iſtius Ordinis vi huius voti teneantur denunciare, ſi quem ſciant ex ipſo Ordine conſenſiſſe in aliquam prælationẽ, aut dignitatẽ, non tñ ab ipſo prętenſam, aut procuratã.

469 ℞. De rigore non teneri ; & ratio eſt , quod in formula huius voti non ſit vlla mentio de denunciandis conſentientibus in prælationem , aut

dignitatem ſponte oblatam, ſed ſolùm de manifeſtandis ijs, qui prælationes, aut dignitates prætendunt, ſeu quouis modo procurant; vt clarè colligitur ex verbis illis *quemquam ex noſtris horum duorum præmiſſorum aliquid prætendere, ſeu quouis modo procurare*; conſtat autem quod voti obligatio, cum ſit ſtricti iuris, non debet extendi ad caſum in eo non comprehenſum iuxta rigoroſam verborum ſignificationem: cum potiùs debeat explicari ita, vt obliget minùs, quam fieri poſſit; ſicut non ſemel aduertimus ex *Sanch.ſup.c.* 11.*n.*3. ita docti viri à me conſulti; & probabiliter, vt conſtat ex ratione modò allata. Addo ſolùm quod, licèt de rigore voti in iſto caſu non ſit facienda denunciatio: ex charitate tamen erit facienda, ſi alioqui concurrant ea, quæ exiguntur ad inducendam obligationem charitatis; idque ad conſulendum bono tum totius ordinis, tum illius Religioſi, qui modo dicto indebitè conſenſit in prælationem, aut dignitatem.

QVAERES XI. An iſta denuntiatio fieri debeat Religioni, ſi iam conſtet ſufficienter prouiſum fuiſſe à Conſulta generali.

470 ℞. Videri non debere; & probatur tum quia nulla lex obligat ad actum inutilem; obligaret autem, ſi votum hoc in præſenti caſu obligaret; tum quia ceſſante fine legis adæquato, & totali, ceſſat obligatio legis, vt diximus ſup.*ſubſect.*3.*q.*8.ex *Diana p.*1.*tr.*10.*reſol.* 28. at poſito quod per conſultam generalem ſufficienter prouiſum fuerit contra delictum ambitus denunciati, ceſſat finis huius voti; qui ſine dubio eſt impedire ambitum, & punire ambientem tum in ipſius emendationem, tum in exemplum aliorum, ergò; Vnde, quando in formula huius voti dicitur *tum Religionis, tum etiam Conſultæ generali*, verba hæc videntur facere ſenſum diſiunctiuum; ita vt ſit ſenſus, denuntiationem iſtam debere fieri vel Religioni (i. Capitulo generali, ſi tunc temporis fiat) vel Conſultæ generali, ſi tunc non ſit tempus Capituli generalis. quod non eſt nouum; tum *Tuſchus v.dictio concl.*a54.*n.*3. benè notat particulam *&*, quæ communiter eſt coniunctiua, ſæpe vſurpari pro particula *ſeu*, quæ eſt diſiunctiua; idque ne aliàs ſequatur abſurdum paulò ante adductum: ad quod euitandum non repugnat impropriari verba legis; vt aduertit *Laym.l.*1.*tr.*4.*c.*18.*n.*5. tum ex *l.*17.*ff.de legib.vbi dicitur benigniùs leges interpretandæ ſunt, quo voluntas earum conſeruetur*; tum ex *l.*18. quæ ita habet *in ambigua voce legis ea potiùs accipienda eſt ſignificatio, quæ vitio caret.*

471 Moneo tamen hic vnum, quod ſi daretur eiuſmodi denuntiationem fieri Conſultæ generali, nullumque ab ea adhiberi remedium; tunc denuntiatio facienda eſſet iterum Religioni, ſi adueniret tempus Capituli generalis; vt ſic demum opportunum adhiberetur remedium, bonoque tum Religionis, tum Religioſi denuntiati conſuleretur (ſi tamen relictus eſſet locus remedio); ad quem fortè effectum verba voti faciunt ſenſum coniunctiuum, vt etiam comprehendant iſtum caſum; cum alioqui, habita ratione finis huius voti, ei meliùs conueniat ſenſus diſiunctiuus; vt iam vidimus, & inde conſtat, quod, cum Capitulum generale non fiat, niſi ſexto vnoquoque anno, & ſemper recurri poſſit ad Conſultam generalem; vix videtur poſſe dari locus faciendi talem denuntiationem Religioni, præter quam in caſu paulo ante propoſito, in quo ſcilicet Conſulta generalis non adhibeat opportunum remedium contra Religioſum denuntiatum: qui caſus non niſi valdè raro poteſt contingere. Quare puto dicendum verba illa voti, *tum Religionis, tum etiam Conſultæ generali*, quæ q. 7. diximus æquiualere particulę *&*, poſſe ſumi, tam in ſenſu diſiunctiuo, quam coniunctiuo, pro vt modò explicauimus.

Multa alia, quę de pręſenti voto hîc controuerti poſſent, iam explicata ſunt *ſect.*5.*ſubſect.* 5. cum de ſimili voto ageremus, ſicque non eſt, cur ea hoc loco iterum repetamus.

SECTIO IX.

De Voto Humilitatis, quod faciunt Fratres Auguſtiniani Diſcalceati.

VLtra 3. vota ſubſtantialia Religionis emittunt Fratres Auguſtiniani Diſcalceati, quartum votum, quod vocant *humilitatis*: illudque emittunt tam Fratres clerici, quam laici, licèt in ordine ad diuerſum obiectum, ſeu materiam; vt conſtabit ex dicendis in præſenti ſectione; hanc autem diuidemus in 2. ſubſectiones, in quarum priori agemus de hoc voto, pro vt emittitur à Fratribus Clericis; in poſteriori verò, pro vt fit à Fratribus laicis.

SVBSECTIO I.

De voto Humilitatis, quod faciunt fratres Clerici non ambiendi prę-lationes, & officia.

472 *Fratres Auguſtiniani Diſcalceati faciunt votum humilitatis.*
473 *Hoc votum eſt ſolemne.*
474 *Fit ad relegandam ambitionem.*
475 *Aſſignatur eius materia.*
476 *Explicatur, quid veniat hic nomine* Officij *non ambiendi: & quid ſit* prætendere.
477 *Vetatur hoc voto quicumque ambitus, & procuratio.*
478 *De præcepto ſolius Papæ hi Religioſi admittunt dignitates extra ordinem.*
479 *Non item ex ſolo præcepto Protectoris ordinis.*
480 *Hoc votum intelligitur iuxtà Regulam S. Auguſtini.*
481 *Non vetat admiſſionem dignitatis ſecularis vt ſic.*
482 *Statuta de nouo facta circa hoc votum extenduntur ad præteritum.*

Hoc

483 *Hoc votum non obligat ad abdicandam dignitatem indebitè habitam.*

484 *Item non obligat ad actus internos humilitatis.*

485 *Vt illius ad dignitatis admiſſionem non petitur præceptum formale.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

472 ℟. Fieri his ipſiſſimis verbis, quæ ſumpta ſunt ex forma profeſſionis, qua vtuntur dicti fratres; nimirum: *Voueo, & promitto me nunquam directè, vel indirectè, per me, aut per alium vllam prælationem, aut officium per Conſtitutiones prohibitum prætenſurum: & pariter extra Congregationem neque directè neque indirectè per me, aut per alium prælationem vllam prætenſurum, aut oblatam accepturum, niſi obſtringar præcepto eius, qui mihi iure præcipere poteſt: & hoc ſecundum regulam S.P.N. Auguſtini, & iuxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum vſque ad mortem.*

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

473 ℟. Eſſe ſolemne; & probatur tum ex communi ſenſu totius Ordinis, (pro vt mihi teſtati ſunt viri grauiores, ac doctiores illius) tum quia huiuſmodi votum fit coniunctim profeſſioni religioſæ, & vno, ac eodem contextu cum alijs 3. votis religionis ſolemnibus, vt manifeſtè conſtat ex tenore ipſiuſmet formulæ votorum: quæ iuxta ſæpiùs dicta ſunt conditiones requiſitæ, & ſufficientes ad hoc, vt votum aliquod dicatur ſolemne, & non ſimplex.

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

474 ℟. Fieri ad religioſam humilitatem in ordine magis, ac magis conſeruandam; vt proinde meritò votum iſtud communiter dicatur votum *humilitatis*.

QVÆRES IV. Ad quid obliget hoc votum, & quæ ſit eius materia.

475 ℟. Obligare ad duo; nimirum quod Religioſi iſtius Ordinis neque directè, neque indirectè, neq; per ſe, neque per alium vllam dignitatem, aut officium per Conſtitutiones Ordinis prohibitum prætendant, aut procurent neque intra Religionem, neque extra: imò nec vllam prælationem extra ordinem acceptent, etiamſi vltro offeratur, niſi ad id aſtringantur præcepto eius, qui de iure id ipſis præcipere poſſit. habetur expreſſè in ipſa forma vouendi relata q. 1.

QVÆRES V. Quid intelligatur hìc nomine *officij*, & per verbum *prætendere*.

476 ℟. Nomine quidem officij intelligi officium Vicarij generalis, Definitoris generalis, Procuratoris generalis, Viſitatoris generalis, Prouincialis, Prioris, Vicarij canonicè electi, ac Diſcreti ituri ad Capitulum generale tantùm, & non alia; per verbum verò *prætendere*, intelligi actus externos ambitionis cum intentione, ac deliberatione procedentes. ita declaratum fuit in Capitulo generali anno 1632.

QVÆRES VI. Quæ actiones prohibeantur vi præſentis voti.

477 ℟. Ex dictis q. 4. conſtare prohiberi non ſolùm acceptationem dignitatum extra Religionem, quæ fiat abſque præcepto eius, qui de iure poſſit præcipere; ſed etiam procurationem dignitatum, ac officiorum tam intra, quam extra ordinem, & quidem non ſolùm directam, & per ſe, ſed etiam indirectam, & per alium: dummodò tamen tales actiones ſint externæ, & fiant cum debita deliberatione, & ex intentione ambitioſa; vti diximus *q. præcedenti.* patet ex ipſa formula voti.

QVÆRES VII. Quis ſit ille, de quo in huius voti forma dicitur, *niſi aſtringar præcepto eius, qui mihi iure præcipere poſſit.*

478 ℟. Quod, licèt prima facie videatur ſignificari per hæc verba quilibet Prælatus ordinis; cum de omnibus Prælatis regularibus verificetur, quod iure poſſunt præcipere ſuis ſubditis; & aliàs lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; ex praxi tamen, ac communi ſenſu ordinis dicendum eſt per ea verba non intelligi Prælatos regulares, ſed ſolum Papam, ideoque Religioſos iſtius ordinis vi huius voti non poſſe acceptare dignitates extra Religionem, niſi ad id aſtringantur ex præcepto Papæ. Ducor tum quia talis eſt praxis aliorum ordinum, in quibus emittitur ſimile votum vt vidimus *ſect.* 4. *q.* 4. de Barnabitis, *ſect.* 5. *ſubſ.* 4. *q.* 9. de religionis Societatis Ieſu, *ſect.* 6. *q.* 5. de Carmelitis diſcalceatis, *ſect.* 7. *q.* 8. de Clericis minoribus, *ſect.* 8. *ſubſ.* 4. *q.* 4. de Clericis miniſtrantibus infirmis, & infra *ſect.* 10. *q.* 7. videbimus de fratribus ordinis S. Trinitatis: praxis, inquam, horum eſt, vt non acceptent dignitates, & prælationes extra Religionem niſi ad id cogantur præcepto Papæ, ſicque ſinguli intelligunt ſuum votum; etiamſi illud emittant ſub his iiſdem verbis, ſub quibus illud emittunt. Fratres Auguſtiniani Diſcalceati (vt in Societate Ieſu, & in ordine Carmelitarum Diſcalceatorum, ſicut vidimus ſuis locis); tum quia ſub illis verbis, quæ habentur in hoc voto, *niſi aſtringar præcepto eius, qui mihi iure præcipere poſſit*, non videntur comprehendi Pręlati regulares; quippe qui iuxta dicta hic *c.* 4. *ſect.* 3. *q.* 13. non poſſunt de iure præcipere proprijs ſubditis, niſi quæ ordinantur ad bonum, ſiue commune totius Religionis, ſiue particulare Religioſi ſubditi: tale autem nō eſt promoueri ad dignitates extra Religionem, vt facile conſtabit conſideranti: tum quia minùs æquum videtur, vt Prælatis regularibus concedatur poteſtas cooperandi in iis, quæ cedunt in præiudicium ordinis: tum quia Vrbanus VIII. in ſua Conſtitut. *Honorum* edita 26. Febr. 1643. ita expreſſè declarauit, vt iam aſſertio ſit indubitata.

Difficultas eſſe poteſt de Cardinali Protectore, an de præcepto huius poſſint Religioſi iſtius ordinis, non obſtante hoc voto, acceptare dignitatem ſibi vltroneè oblatam extra ipſum Ordinem.

479 ℟. Non poſſe: cum intentio vouentis iuxta communem ſenſum ordinis ſit velle ſe obligare ad non acceptandam dignitatem extra ordinem, niſi de pręcepto Papę; pro vt mihi ſępius atteſtati ſunt viri graues dicti ordinis: Protector autem ordinis non eſt Papa, vt patet.

QVAERES VIII. An verba illa, quę adduntur in formula huius voti; *& hoc ſecundùm regulam S.P.N. Auguſtini, & iuxta ſeriem noſtrarum Conſtitutionum*, referantur ſolùm ad pręſens votum, vel etiam ad alia 3. ſubſtantialia Religionis, quę cum eo fiunt eodem contextu.

480 ℞. Videri probabile, quod referantur non ſolum ad præſens votum, ſed etiam ad alia 3. vota Religionis; idque ob dicta in hoc ipſo *ca. ſect. 3. ſubſ. 1. q. 4.* in re non diſſimili.

QVÆRES IX. An Religioſi iſtius Ordinis vi præſentis voti prohibeantur acceptare dignitatem aliquam ſæcularem ſimplicitet non tepugnantem Statui religioſo (cuiuſmodi eſſet promoueri ad gubernationem alicuius ciuitatis.)

481 ℞. Videti probabile, quod non prohibeantur; & ratio eſt, quod tales Religioſi vi huius voti ſolùm prohibentur acceptare prælationes, ſeu (quod idem eſt) prælaturas; vt conſtat ex illis verbis, *vllam prælationem prætenſurum, nec oblatam accepturum*; nomine autem prælaturarum non veniunt dignitates ſæculares, ſed tantum Eccleſiaſticæ; vnde, cum obligatio voti non debeat ampliari vltra rigoroſam verborum ſignificationem; patet obligationẽ iſtius voti non debere extendi ad dignitates ſæculares, vt pote non comptehenſas ſub verbis voti. Nec obſtat, quod finis huius voti non minùs habet locum in dignitatibus ſæcularibus, quam in eccleſiaſticis; ſi quidem hinc ſolum infertur non defuiſſe rationes, ob quas potuiſſent comprehendi ſub hoc voto etiam dignitates ſæculares: at, cum de facto non fuerint comptehenſæ, non eſt, cur nos eius obligationem ampliemus etiam ad illas, contra generales tegulas, quas DD. tradunt de voti obligatione non amplianda.

QVÆRES X. An caſu, quo de nouo iuridicè declararetur in Ordine officium aliquod Religionis comprehendi ſub hoc voto, tali declarationi ſubijceretur etiam Religioſi, qui ante illam votum hoc emiſiſſent.

482 ℞. Subijci; & probatur ex eo, quod iuxta dicta *ſect. 5. ſubſ. 6. q. 16.* declarans nihil noui agit, ſed ſolum, quod inerat legi, clar ùs explicat & factum apetit (ſicut alijs citatis benè notat *Sanch. l. 7. mor. cap. 11. num. 16.*) ſicque in tali caſu non procedit tegula, quod lex non debet extendi ad præterita; vnde mirum non eſt, facta de nouo declaratione, quod aliqua officia contineantur ſub hoc voto, tali declaratione ligari etiam Religioſos, qui ante illam huiuſmodi voto ſe obſtrinxerant: cum officia de nouo declarata re vera continerentur ſub tali voto, eique ineſſent (quamuis non ita explicitè, ac diſtinctè, ſicque etiam ipſa caderent ſub generalem huius voti prohibitionẽ. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES XI. An Religioſi iſtius ordinis vi huius voti teneantur abdicare à ſe prælationem, aut dignitatem à ſe indebitè receptam, nimirum abſq; præcepto Papæ.

483 ℞. Non teneri. Colligitur ex *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 6. cap. 9. num. 14.* & probatur, tum quia per receptionem dignitatis extta Religionem eo ipsò ceſſat obligatio huius voti, vt oſtendimus *ſup. ſect. 4. q. 20. §. difficultas*, ſicque Religioſus perinde ſe habet, ac ſi tale votum non feciſſet; tum quia obligatio voti non debet extendi vltra tigorem verborum, quibus fit ipſum votum; in præſenti autem voto nullum adeſt verbum, quo ſignificetur vouentem ſe obligare ad non perſeuerandum in prælatione modo dictò indebitè admiſſa, ſed ſolum in eo dicitur *nec oblatam accepturum*: cum tamen acceptare dignitatem extta religionem ſit quid diuerſum ab hoc, quod eſt perſeuerare in prælatione iam acceptata, adeoque non poſſit vnum inferri ex alio; cum à diuerſis non fiat illatio.

QVÆRES XII. An Religioſi huius Ordinis vi præſentis voti teneantur etiam ad aliquos actus internos humilitatis (v. gr. ad non appetendas dignitates) cum in profeſſionis formula abſolutè promittant humilitatem his verbis *promitto Deo, &c. obedientiam, paupertatem, caſtitatem, & humilitatem.*

484 ℞. Non teneri; & probatur quia eſtò abſolutè promittatur humilitas modo dicto, & nomine humilitatis ſimpliciter dictæ veniant actus non ſolùm externi, ſed etiam interni; cum tamen in ipſa formula profeſſionis poſt verbum illud *humilitatem* immediatè ſubdatut pet modum declarationis *id eſt voueo, & promitto me nunquam directè, vel indirectè per me, aut per alium vllam prælationem, aut officium per Conſtitutiones prohibitum prætenſurum*: & iuxta dicta q. 5. declatatum ſit per verbum *prætendere* non intelligi, niſi actus externos; ſequitur ſub hoc voto non comprehendi actus internos humilitatis, ſed tantum externos; non quidem quod non potuerint in eo comprehendi etiam actus interni (potuerunt enim ſine dubio comprehendi) ſed quod non fuerint de facto comprehenſi.

QVÆRES XIII. An ad hoc vt Religioſi iſtius ordinis poſſint abſque violatione huius voti admittere dignitates extra religionem, requiratur proprium, ac formale præceptum obedientiæ, ſtante quod in Conſtitutionibus Ordinis habetur *1. p. cap. 5. num. 4. Admonemus Conſtitutiones, ordinationes, aut quæuis Superiorum præcepta ad culpam non obligare, niſi in virtute Spiritus S. & Sanctæ Obedientiæ, & ſub formali præcepto ijs verbis, & ſcriptis præcipiantur.*

℞. Videri probabile non requiri proprium, ac formale præceptum; idque tum ob dicta ſuperiùs *n. 260.* tum quia textus allegatus ex Conſtitutionibus ordinis piè poteſt interpretari quo ad præcepta de rebus arduis, ac difficilioribus; cuiuſmodi non eſt acceptatio dignitatũ regularitet loquendo.

SVBSECTIO II.

De voto humilitatis, quod faciunt Fratres laici non ambiendi Statum Clericalem, nec habendi ius vocis actiuæ, & paſſiuæ.

486 *Fratres Auguſtiniani Diſcalceati laici vouent non ambire Statum Clericalem, nec ius vocis.*
487 *Hoc votum eſt ſolemne.*
488 *Aſſignatur eius materia.*
489 *Fit ad quietiùs viuendum in propria vocatione.*
490 *Vetat ſolum ambitum directum.*
491 *Item vetat procurationem vocis actiuæ, & paſſiuæ.*
492 *Et quidem etiam pro Fratribus laicis in genere.*
493 *Non item pro Fratribus laicis impoſterum recipiendis.*

494 *Obligatio huius voti ceſſat per tranſitũ ad aliũ ordinẽ.*
495 *Declaratur ſenſus verborum illorum* Promitto quartum votum non ambiendi.
496 *Votum hoc obligat ad renunciandum ius vocis indebitè habitum.*
497 *Vetat receptionem dicti iuris etiam ſpontè oblati.*
498 *Hoc votum fit, etiam à Fratribus Commiſſis ordinis.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

486 ℞. Fieri his verbis, quæ habentur in ipſa forma vouendi, videlicèr *& vlteriùs promitto quartum votum non ambiendi ſtatum clericalem, nec habendi vocem actiuam, & paſſiuam iuxta regulam S.P.N. Auguſtini, & formam noſtrarum Conſtitutionum vſq; ad mortẽ.*

QVAERES II. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

487 ℞. Eſſe ſolemne, & tale reputati ex communi ſenſu Religionis: quippe quod fit vno, ac eodem contextu cum alijs votis ſubſtantialibus religionis.

QVAERES III. Quæ ſit materia huius voti, & ad quid obliget.

488 ℞. Obligare ad duo; nimirum quod Fratres laici ordinis non prætendant, neque procurent promoueri ad ſtatum clericalem; & quod non procurent habere ius vocis actiuæ, ac paſſiuæ, quale habent Fratres Clerici.

QVÆRES IV. Ad quem finem fiat hoc votũ.

489 ℞. Fieri, vt ſic & quietiùs viuant in propria vocatione ſorte Marthæ contenti, & in ſe ipſos eò magis foueant ſpiritum religioſæ Humilitatis, eligentes abiecti eſſe in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

QVAERES V. Quæ actiones prohibeantur vi huius voti.

490 ℞. Quod, cum in forma vouendi dicatur ſimpliciter *non ambiendi*, & per hoc verbum ſimpliciter prolatum ſolùm ſignificetur procuratio directa & per ſe, vt oſtendimus *ſect.6. q.13.* in rigore loquendo, vi huius voti non videtur prohiberi procuratio indirecta, & quæ fiat per alium; maxime attenta doctrina illa toties repetita, quod votum debet interpretari ita, vt obliget minùs, quam fieri poſſit.

Ar difficultas eſt, an vi huius voti prohibeatur procuratio Votis actiuæ, & paſſiuæ; cum in eo dicatur, *nec habendi vocem actiuam, & paſſiuam,* & per verbum *habere* non ſignificetur actus prætendendi, ſeu procurandi.

491 ℞. Prohiberi, quatenus, prohibito aliquo fine, cenſetur prohiberi omnis via, per quam deuenitur ad illum: qualis in præſentia eſt procuratio caſu, quo obtineatur vox actiua, ac paſſiua vi procurationis à ſe factæ; quod eſt procurationem hic prohiberi non formaliter, ſed conſequenter.

QVAERES VI. An Fratres laici iſtius ordinis vi præſentis uoti prohibeantur procurare ius uocis actiuæ, & paſſiuæ non ſolùm pro ſe ipſis, ſed etiam pro alijs; nimirum ut in genere Fratres ordinis laici fiant capaces uocis actiuæ, & paſſiuæ, ſiue abſolutè, ſiue in certis caſibus.

492 ℞. Prohiberi procurare utroque modo. & ratio eſt, quod, quamuis ui uerborum uideatur obligatio iſtius uoti extendi ſolùm ad non procurandũ dictum ius uocis actiuæ, & paſſiuæ, ſibi ipſi; cum perinde ſit dicere: *promitto quartum votum non ambiendi ſtatum Clericalem, nec habendi vocem actiuam, & paſſiuam*; ac dicere, *promitto me non ambiturum ſtatum clericalem, nec vocem actiuam, & paſſiuam*: quia tamen, hoc ipsò quod Frater laicus procurat in genere, ut Fratres laici ordinis habeant ius uocis actiuæ, & paſſiuæ, conſequenter etiam ſibimet hoc idem procurat tanquam ſingulari contento ſub ſpecie; propterea ui huius uoti prohibetur procurare dictum ius præfatis Fratribus etiam ſolùm in genere. ita docti uiri à me conſulti.

Dubium eſſe poteſt, an talis procuratio foret licita caſu, quo Religioſus, non obſtante hoc uoto, dictum ius uocis actiuæ, & paſſiuæ procuraret Fratribus laicis in poſterum admittendis, non autem iam admiſſis; & ratio dubij eſt, quod ſic non poteſt dici procurare ſibi tale ius (ſicut poteſt dici in priori euentu) & conſequenter non uidetur contrauenire huic uoto; cum iuxta dicta §. *præced.* ſe obliget ſolùm ad non procurandum ſibi ipſi dictum ius; & alias obligatio uoti non debeat extendi ultra rigorem uerborum, uotumque ipſum explicandum ſit, ut obliget minùs, quam fieri poſſit.

493 ℞. Talem procurationem uideri fore licitam, quantum eſt ex parte uoti: idque ob rationem modò adductam. ita docti uiri à me conſulti.

QVAERES VII. An obligatio huius uoti afficiat Fratres laicos iſtius Ordinis, ſi fortè tranſeant ad alium ordinem: idq; ex decreto Vrbani VIII. relato *ſup. ſect. 4. q. 20.*

494 ℞. Non afficere, ac proinde, ſi ad alium ordinem ſe transferant, in quo non fiat tale uotum, poſſe abſque uiolatione huius uoti procurare ſibi aſcẽſum ad ſtatum Clericalem, & ius uocis actiuæ, & paſſiuę; patet ex *citata ſect. 4. q. 20. §. vbi notandum.*

QVAERES VIII. Quo modo promiſſio hæc non ambiendi ſtatum clericalem, nec ius uocis actiuæ, ac paſſiuę dici poſſit habere rationem uoti non ambiendi, cum uerba, quibus fit talis promiſſio *promitto quartum votum non ambiendi ſtatum clericalem &c.* indicent illam eſſe uotum faciendi uotum de non ambiendo: ut ſi quis promitteret Deo ſe facturum uotum Religionis, non ideo dici poſſet uouiſſe religionem, ſed ſolùm uotum faciendi uotum religionis: unde & tale uotum non eſſet reſeruatum, eſtò uotum religionis ex iure eccleſiaſtico ſit Papę reſeruatum iuxta alibi dicta.

495 ℞. Quod, licèt ob modo dicta primo aſpectu uideri poſſet alicui dicta promiſſio non uotum de nõ ambiendo, ſed uotum faciendi tale uotum; nihilominus ſuſtinendum uidetur pręfatam promiſſionem eſſe uerum uotum non ambiendi ſtatum clericalem &c. ideoque uerba illa *promitto quartum votum non ambiendi* iacere hunc ſenſum, *promitto Deo me non ambiturum, quod eſt quartum votum.* Moueor, quod *Suar. l.6. de leg. c.2. n.7. Maſcard. de probat. concl. 597. Nau. c.27. nu. 51.* alijque penes ipſos docent in legibus interpretandis impropriari poſſe verba, ſi ex eorum proprietate lex reddatur inutilis; id autem fit in caſu noſtro, ſi verba illa, *promitto quartum votum non ambiendi* ſumamus ſecundùm propriam, ac rigoroſam illorum ſignificationem: cum enim ſic ſumpta contineant promiſſionem factam

Deo, non quidem de cauendo ambitu (quod intenditur in hoc voto ad relegandam ambitionem ab Ordine) ſed de faciendo voto non ambiendi; iam votum, quod eſt inſtar legis, magna ex parte redderetur inutile, vt pote minùs proximè ac efficaciter deſeruiens ad cauendum ambitum. Præter quam quod in dubio ea interpretatio ſumenda eſt, vt actum faciat valere (& quidem in ordine ad finem intentum ab agente) cum nemo præſumatur eligere viam, vt ſua diſpoſitio ſubuertatur, ſicut aduertit *Sanchez l. 1. de matr. D. 38. num. 4. ex l. 3. ff. de milit. teſtam.*: ne ergo præſens votum reddatur inutile ad finem in ipſo per ſe, & principaliter intentum, interpretari debet potius, vt valeat (quod fit eo explicato, vti nos explicauimus) quam quod corruat. ita docti viri conſulti.

QVAERES IX. An Fratres laici iſtius ordinis vi præſentis voti teneantur renunciare iuri vocis actiuæ, & paſſiuæ, quod fortè modo indebito acquiſiuerint.

496 ℞. Videri probabile, quod teneantur, & ratio eſt, quod, cum iuxta dicta *q. praced.* perinde ſit dicere *promitto quartum votum non habendi vocem actiuam, & paſſiuam*; ac dicere *promitto me non habiturum vocem actiuam, & paſſiuam*; conſequenter dicendum eſt, quod, ſicut vouens non habere diuitias, vi voti tenetur eas abdicare, ſi quas quoquo modo acquirat, ſic in præſenti caſu vouens non habere vocem actiuam, & paſſiuam, vi voti tenebitur illas renunciare, ſi eas quoquo modo acquirat: cum votum non habendi vocem actiuam, & paſſiuam ſit votum illas non retinendi, vt patet, conſtat autem, quod, quamuis vota non debeant interpretari vltra rigorem verborum, debent tamen explicari ſecundùm propriam verborum ſignificationem: niſi fortè ea ex proprietate verborum reddantur inutilia, vti diximus *q. praced.* quod certè non euenit in iſto caſu; in quo & ſeruatur verborum proprietas, & ex ea ſeruata non efficitur votum inutile ad finem intentum; quin potiùs magis confert ad illum conſequendum. Nec obſtat, quod hinc ſequeretur Fratres laicos iſtius ordinis vi huius voti teneri renunciare iuri vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi fortè eis legitima poteſtate concederetur; cum enim hoc votum ex rationabili præſumptione mentis inſtituentium inuoluat iſtam tacitam conditionem, *niſi legitima poteſtate aliter ſtatuatur*, poſita tali conceſſione ceſſaret obligatio huius voti; vt in ſimili notauit *Suar. tom. 4. de relig. tr. 10. l. 6. c. 6. num. 16.*

QVAERES X. An Fratres laici iſtius ordinis vi præſentis voti prohibeantur non ſolùm procurare Ius vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſed etiam illud acceptare, ſi ſpontaneè offeratur.

497 ℞. Prohiberi, attentis verbis, quibus tale votum emittitur quo ad iſtam partem; nimirum *non habendi vocem actiuam, & paſſiuam*. ducor, quod, cum ad habere ius vocis actiuæ, & paſſiuæ præſupponatur illud fuiſſe acceptatum; hoc ipſo quod dicti Fratres prohibentur habere tale ius, prohibentur etiam illud acceptare, iuxta regulam adductam à *Peyrino tom. 3. privil. c. 1. num. 6.* quod vbi lex prohibet aliquem effectum, & finem, prohibet etiam omnem modum, per quem ad ipſum peruenitur; quod tamen non facit, quin poſſint præfatum Ius acceptare, ſi eis legitimè concedatur: idque ob doctrinam traditam *q. praced. in fine*; quæ confirmari poteſt ex alia doctrina, quam affert *Suarez ſup.* in ſimili dicens votum non acceptandi, ſeu non conſentiendi in rem aliquam poſſe benignè exponi de conſenſu cooperatiuo in actionem, ſeu negotiationem voto contrariam, cuiuſmodi eſſet ferre ſuffragium in capitulo) non item de conſenſu (vt ſic dicam) receptiuo; qualis eſt is, qui interuenit in præſentia: is enim non aduerſatur huic voto, vt facilè conſtabit ex dictis *ſect. 5. ſubſ. 2. q.*

498 Vnum hîc moneo hoc idem votum fieri à Commiſſis iſtius ordinis, quibus tamen poſt 3. annos completos à profeſſione conceditur capuccium. Commiſſos autem voco illos, qui in alijs ordinibus vocantur laici, ſeu Conuerſi ad differentiam eorum, qui profitentur tanquam Clerici, & ſunt deputati ad Chorum.

SECTIO X.

De Voto non ambiendi Prælationes, aut Officia, quod faciunt Fratres Diſcalceati ordinis S. Trinitatis redemptionis captiuorum.

499 *Fratres Diſcalceati ordinis S. Trinitatis redemptionis captiuorum vouent non ambire intra, aut extra ordinem.*
500 *Hoc votum inſtitutum eſt à Paulo V.*
501 *Indicantur officia Ordinis ex hoc voto vetita ambiri.*
502 *Hoc votum eſt ſolemne.*
503 *Aſſignatur eius materia.*
504 *Oſtenduntur actiones vi illius vetitæ.*
505 *Hi Religioſi ſolùm ex praecepto Papæ acceptant dignitates extra ordinem.*
506 *Obligatio faciendi hoc votum non extenditur ad præteritum.*
507 *Hoc votum non fit à Religioſis ordinis laicis.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

499 ℞. Fieri ſequentibus verbis, quæ deſumpta ſunt ex Pauli V. Conſtitutione 61. in ordine; nimirum: *Voueo me directè, vel indirectè, per me, aut per alios intra Congregationem prælationem aliquam, aut officium per Conſtitutionem prætendi prohibitum nunquam prætenſurum; & pariter extra eandem Congregationem neque directè, neque indirectè, per me, aut per alium vllam prælationem prætenſurum, vel oblatam acceptaturum, niſi præcepto eius, qui mihi præcipere poterit, aſtringar.*

QVÆRES II. à quo tempore fuit inſtitutum hoc votum.

500 ℞. Inſtitutum fuiſſe à tempore Pauli V. die x. *Febr. 1610.* vt videre eſt in bulla illius citata *q. præcedenti.*

cedenti: cum alioqui iſta Congregatio fuerit erecta a Clemente VIII. *die* 20. *Aug.* 1599. vt conſtat ex eius bulla in ordine 62. cuius initium eſt *Ad militantis*.

QVÆRES III. Quæ ſint officia ordinis per Conſtitutionem prætendi prohibita.

501 ℞. Eſſe officium miniſtri generalis, Definitoris generalis, miniſtri prouincialis, & conuentualis, Viſitatoris, Præſidentis, Procuratoris generalis in Vrbe, & in Hiſpania. ita reſponderunt viri graues Ordinis à *me de hoc in ſpecie requiſiti*.

QVÆRES IV. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

502 ℞. Videri ſolemne; & videtur colligi ex ipſa Conſtitutione Pauli V. primo quidem ex eo quod §. 3. dicitur *Fratres qui de cætero profitebuntur vltra alia vota tempore eiuſdem profeſſionis emittenda aliud votum etiam emittant* (votum ſcilicet de quo hic agimus) ſicque videtur innui tale votum fieri vno, ac eodem contextu cum 3. votis ſubſtantialibus religionis: quod eſt ſignum huiuſmodi votum eſſe ſolemne ob dicta *cap.* 1. *ſect.* 1. *q.* 8. ſecundò quia §. 4. dicitur ſuper *huiuſmodi voto diſpenſari minimè poſſe, neque illud commutari non ſecus, ac cætera ſubſtantialia vota religionis*: conſtat autem quod cætera vota ſubſtantialia religionis ſunt ſolemnia, non autem ſimplicia; præter quam quod communis ſenſus Congregationis, (cui omninò ſtandum) eſt tale votum non eſſe ſimplex, ſed ſolemne.

QVÆRES V. Quæ ſit materia huius voti, & ad quid obliget.

503 ℞. Obligare ad duo; nimirùm ad non procurandum prælationem, aut officium per conſtitutiones Congregationis prætendi prohibitum intra religionem, imò nec vllam prælationem extra religionem; & ad non acceptandam prælationem, vllam extra Congregationem, niſi interueniat præceptum eius, qui pręcipere poſſit. patet ex ipſa forma vouendi relata q. 1.

QVÆRES VI. Quæ actiones prohibeantur vi præſentis voti.

504 ℞. Prohiberi quamcumque procurationem, tam directam, quam indirectam; tam per ſe, quam per alium non ſolùm prælationum, aut officiorum prætendi prohibitorum intra Congregationem, ſed etiam quarumcumque dignitatum, quæ iis conferri poſſint extra Ordinem; nec non acceptationem cuiuſcumque prælationis, quæ admittatur abſque præcepto eius, qui ipſis præcipere poſſit. patet item ex forma vouendi adducta q. 1. ſi aduertero ex Conſtitutionibus iſtius Congregationis petendum eſſe, & non aliunde, quænam ſint ea officia, quæ illi Religioſi prohibentur prætendere per Conſtitutiones Ordinis.

QVÆRES VII. Quis ſit ille, de cuius præcepto poſſunt Religioſi iſtius Congregationis recipere prælationes extra Ordinem, non obſtante hoc voto.

505 ℞. Videri non eſſe alium, niſi Papam: idque ob dicta *ſect. præced. ſubſect.* 1. *q.* 7. quæ etiam probare poſſunt intentum in præſentia.

QVÆRES VIII. An Conſtitutio Pauli V. præcipiens tale votum emitti à Religioſis iſtius Congregationis, extendatur ad illos, qui ante editionem dictæ Conſtitutionis emiſerunt profeſſionem.

506 ℞. Non extendi; & probatur tum quia lex non extenditur ad præterita, ſi noui iuris ſit conſtitutiua, vt tradunt DD. ad *c.* 2. *& vlt. de conſt.* tum quia id expreſsè colligitur ex ipſa Pauli V. Conſtitut. quatenus in ea ait *Auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & ordinamus quod dictæ Congregationis Fratres, qui de cætero profitebuntur vltra alia vota tempore eiuſdem profeſſionis emittenda aliud votum etiam emittant*: quod eſt dicere tali ſtatuto ligari eos ſolùm, qui poſt editionem illius profeſſuri ſunt, non item illos, qui antea profeſſionem emiſerant; tum quia in eadem Conſt. Pauli V. ſubditur *Profeſſi tamen, ſi voluerint, iuxta eandem formam idem votum emittant*; vbi clauſula illa *ſi voluerint*, clarè indicat illos ad id non teneri.

QVÆRES IX. An votum hoc emittatur à Religioſis Ordinis, etiam laicis.

507 ℞. Non emitti: cum reſpectu ipſorum ceſſet materia talis voti, quippe qui non admittuntur ad officia Ordinis.

SECTIO XI.

De voto inſeruiendi infirmis, quod faciunt Fratres B. Ioannis de Deo.

508 *Fratres B. Ioannis de Deo vouent ſeruire infirmis.*
509 *Hoc votum eſt ſolemne.*
510 *Fit ad facilius vacandum ſeruitio infirmorum.*
511 *Indicatur eius materia.*
512 *Fit ab omnibus Religioſis Ordinis, etiam laicis.*
513 *Explicatur, quid in eo veniat nomine hoſpitalitatis.*
514 *Declaratur verba illa* Toto tempore vitę meæ, *quæ in iſto voto inſeruntur.*
515 *Hoc votum obligat ad ſeruiendum, etiam infirmis incolis.*
516 *Non tamen extra Hoſpitale ſtando in rigore iuris.*
517 *Vt illius non ſeruiendum infirmis diuitibus.*
518 *Non obligat ad ſeruiendum amentibus.*
519 *De rigore non obligat cum vitæ periculo.*
520 *Obligat ad miniſtranda Sacramenta infirmis.*
521 *Item ad quæſtuandum pro infirmis.*
522 *Non tamen pro infirmis exiſtentibus extra hoſpitalia.*
523 *Huius voti obligatio ſuſpenditur ratione morbi, ac ſenectutis.*

QVÆRES I. Quibus verbis fiat hoc votum.

508 ℞. Fieri his verbis deſumptis ex ipſa forma vouendi, qua vtuntur dicti Fratres; videlicet *Promitto*

to perpetuam hoſpitalitatem inſeruiendi pauperibus infirmis toto tempore vitæ mea.

QVÆRES II. An hoc votum ſit ſimplex, aut ſolemne.

509 ℟. Eſſe ſolemne; patetque tum ex communi ſenſu Ordinis; tum ex eo, quod tale votum ſit coniunctim vnà cum alijs 3. votis ſubſtantialibus religionis, ideoque ſolemne reputandum eſt ob dicta *hic cap.* 1. *ſect.* 1. *q.* 8. tum quia id ſatis clarè indicat Paulus V. in ſua *Conſtit.* 64. *in ordine* §. 7. ſub initium.

QVÆRES III. Ad quem finem fiat hoc votum.

510 ℟. Fieri ad illum eundem finem, ad quem *ſect.* 8. *ſubſ.* 1. *q.* 3. diximus fieri ſimile votum à Clericis regularibus miniſtrantibus infirmis.

QVÆRES IV. Quæ ſit materia huius voti, & ad quid obliget.

511 ℟. Obligare ad ſeruandam hoſpitalitatem in miniſtrando infirmis, & quidem non ſolum in corporalibus (ad quod per ſe primò inſtitutus videtur iſte Ordo,) ſed etiam in ſpiritualibus, nempe in adminiſtrandis Sacramentis; & ratio eſt, quod in forma vouendi vtuntur verbo *inſeruire*, quod eſt generale, & indifferenter ex ſua propria ſignificatione extenditur ad ſeruitium tam ſpirituale, quam corporale; lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi; & vbi ius non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus; præter quam quod in confirmationem præſentis reſponſionis facit communis ſenſus ordinis, qui in hoc plurimi æſtimandus eſt, & praxis, ſeu vſus item communis eiuſdem ordinis, quæ ſicut eſt optima legum interpres *cap. cum dilectus de conſuetud.* ita & optimè poteſt interpretari votum, quod ſe habet inſtar legis, quam vouens ſibi imponit.

QVÆRES V. An omnes, & ſinguli Religioſi huius Ordinis indiſcriminatim emittant hoc votum.

512 ℟. Omnes, & ſingulos emittere; patetque tum ex praxi; tum ex eo, quod in iſto ordine per ſe primò non adeſt diuerſitas Sacerdotum, & non Sacerdotum: vt hinc patet, quod Clemens VIII. in *ſua Conſtitut.* 44. in ordine §. 10. expreſsè ſtatuerit, quod Religioſi huius ordinis *Sacerdotes, aut in ſacris ordinibus conſtituti eſſe non poſſint, nec ad huiuſmodi ſacros Ordines promoueri valeant, ſed iuxta primæuum eorum Inſtitutum in ſimplicitate pauperibus infirmis inſeruire debeant*: Pius verò V. in ſua *Conſtit.* 143. §. 3. vnum tantùm Sacerdotem conceſſerit pro vnoquoque ipſorum hoſpitali: Paulus denique V. in *ſua conſtit.* 64 §. 9. duos, & non plures. Vnde, cum ex primæuo ipſorum Inſtituto ſint omnes eiuſdem rationis, & gradus; & aliàs eorum Inſtitutum ſit vacare ſeruitio infirmorum; non eſt, cur aliqui illorum emittant hoc votum, & alij non: ſed par eſt, vt omnes illud emittant, ſicque de facto omnes illud emittunt.

QVÆRES VI. Quid ſignificetur nomine *hoſpitalitatis in ſeruiendi infirmis*, quæ promittitur præſenti voto.

513 ℟. Quod, cum, teſte Calepino *v. hoſpitalitas* nomine hoſpitalitatis intelligatur facilitas in excipiendis hoſpitibus, ſeu peregrinis; & hæc ipſa hoſpitalitas exerceri poſſit non ſolùm cum peregrinis benè valētibus, ſed etiam cum pereginis infirmis; hoſpitalitas, quæ promittitur præſenti voto non eſt quæcumque hoſpitalitas, ſed ea, per quam excipiuntur peregrini infirmi: ſicque in forma vouendi ad contrahendam rationem communem hoſpitalitatis adduntur per modum differentiæ contrahentis verba illa *inſeruiendi infirmis*; ita vt promittere hoſpitalitatem inſeruiendi infirmis, (quod ſit in iſto voto) nihil aliud ſit, quam promittere facilitatem in excipiendis peregrinis infirmis, iiſq; liberaliter curandis. hæc ergò eſt hoſpitalitas, quæ promittitur præſenti voto; quamquam ea non reſtringatur ad ſolos peregrinos, ſed extendatur etiam ad incolas loci, in quo Religioſi huius Ordinis erigunt hoſpitalia, ita docente lege charitatis benè ordinatæ.

QVAERES VII. Qua temporis continuatione vi huius voti teneantur Religioſi iſtius Ordinis miniſtrare infirmis, attenta clauſula illa *toto tempore vitæ meæ*, quæ ponitur in ipſo voto.

514 ℟. Non teneri miniſtrare, niſi ea temporis continuatione, qua *ſect.* 8. *ſubſ.* 1. *q.* 7. diximus vi ſimilis voti teneri Clericos regulares miniſtrantes infimis; cū .n. perpetuò inſeruire infirmis, (quod exprimunt dicti Clerici in ſua forma vouendi) idem ſit, ac inſeruire toto tempore vitæ ſuæ, (quod exprimunt Fratres B. Ioannis de Deo in præſenti voto:) eadem prorſus erit obligatio vtrorumque; & conſequenter, quæ diximus citato q. 7. poſſunt rectè adaptari præſenti reſponſioni.

QVÆRES VIII. An Religioſi iſtius Ordinis vi huius voti teneantur inſeruire ſolùm infirmis alienigenis, ſeu peregrinis, ſed etiam indigenis, ſeu incolis loci, in quo extant hoſpitalia ab ipſis erecta.

515 ℟. Quod, quamuis, ſumpta hoſpitalitate ſecundùm rigoroſam verbi ſignificationem videantur teneri inſeruire ſolum infirmis alienigenis, (vt conſtat ex dictis q. 6.) quia tamen praxis, & conſuetudo, quæ eſt optimus legum interpres *cap. cum dilectus de conſuetud.* eſt in contrarium; dicendum eſt illos teneri inſeruire etiam infirmis incolis; præſertim cum talis ſit ſenſus communis Ordinis, & charitas ipſa ordinata id ſuadeat.

QVÆRES IX. An vi præſentis voti teneantur Religioſi iſtius Ordinis inſeruire etiam infirmis degentibus extra illorum hoſpitalia.

516 ℟. De rigore iuris videri non teneri; & ratio eſt, quod iſti Religioſi non promittunt abſolutè inſeruire infirmis (quo modo promittunt Clerici regulares miniſtrantes infirmis,) ſed promittunt hoſpitalitatem inſeruiendi infirmis; ſicque videntur reſtringere obligationem proprij voti ſolum ad miniſtrandum infirmis intra ſua hoſpitalia; conſtat autem, quod, cum votum ſit ſtrictæ interpretationis, explicandum eſt, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit; vt non ſemel aduertimus ex *Sanch. lib.* 4. *mor. cap.* 11. *num.* 3. quæ ratio meo iudicio benè confirmari poteſt ex eo, quod ait Clem. VIII. in illa *Conſtit.* 44. §. 1. nimirum, quod Fratres iſtius Congregationis *à ſuo primæuo inſtituto paulatim recedebant, ac opus hoſpitalitatis*

tatis

tatis eorum pauperum infirmorum, cui in primis incumbere tenebantur, intermittebant, & multi Confratrum litterarum ſtudijs intendebant, & Sacris Ordinibus initiari, vt à ſeruitio hoſpitalium exeuſarentur, procurabant, &c. Vbi noto non ſolum hæc poſtrema verba *vt à ſeruitio ſpitalium exeuſarentur*, ſed etiam illa alia, *à ſuo primæuo Inſtituto paulatim recedebant, ac opus hoſpitalitatis, cui in primis incumbere tenebantur, intermittebant*; inferoque quod, cum præſens votum cenſendum ſit fieri iuxta proprium Inſtitutum Ordinis, & ex alia parte Inſtitutum Ordinis ſit miniſtrare infirmis degentibus intra ſua hoſpitalia; ad hos ſolùm, & non ad alios de rigore iuris extendi videtur hoc votum; quidquid ſit de vſu, & praxi, quam Religioſi dicti Ordinis mihi teſtati ſunt eſſe in contrarium. Quamquam contingere poſſit huiuſmodi praxim non eſſe ſundatam in ſtricta obligatione voti, ſed procedere ex ſuperabundantia charitatis; quod in dubio præſumendum eſt ob ea, quæ habet *Suar. l. 7. de leg. cap. 15. num. 13.* docens, quod quando dubitatur, an conſuetudo inducta ſit ex animo deuotionis, vel animo ſe obligandi, præſumendum eſt non fuiſſe inductam tanquam obligatoriam: quod etiam docet *Diana p. 1. tr. 10. reſol. 30.* contra *Reginald. l. 13. n. 244. & Azorium to. 1. l. 5. c. 18. q. 5.*

QVÆRES X. An votum hoc obliget ad miniſtrandum infirmis etiam diuitibus.

117 ℞. De rigore iuris videri non obligare; patetque tum ex dictis in ſimili *ſect. 8. ſubſ. 1. q. 8.* quæ etiam confirmari poſſunt ex ijs, quæ diximus *q. præced.* ex Conſtitut. Clementis VIII. & ex ijs, quæ habet Paulus V. in ſua Conſtitut. 100. §. 1. vbi loquens de Fratribus iſtius Ordinis ait; *Cuius Confratres pauperes infirmos, grauiterque laborantes hoſpitio ſuſcipere, eiſque inſeruire conſueuerunt*: quæ verba minùs benè poſſunt adaptari infirmis diuitibus: quippe qui non ſolent ſe transferre ad publica hoſpitia, vt curentur, ſed intra priuatas domos, ſiue proprias, ſiue alienas curari conſueuerunt; vnde non videtur adeſſe ratio ſufficiens extendendi obligationem iſtius voti (quod vtique ſupponitur fieri iuxta inſtitutum ordinis) ad infirmos diuites; cum in ordine ad ipſos non ſit per ſe inſtituta hæc Religio, ſed in gratiam illorum infirmorum, quibus ratione paupertatis, aut ſimili alia de cauſa deeſt, vnde aliàs curari poſſint à ſuis infirmitatibus. Quod ſi praxis ordinis eſt in contrarium, illi ſtandum; niſi iuxta dicta *q. præced.* malimus dicere eam non eſſe fundatam in obligatione voti, ſed in virtute Charitatis, adeoque illam non obligare, niſi eo modo, quo obligat lex charitatis.

QVÆRES XI. An Religioſi iſtius ordinis vi præſentis voti teneantur intra propria hoſpitia admittere non ſolum infirmos, ſed etiam ſenes, amentes, debiles, ac membris impotentes, ijſque inſeruire.

518 ℞. Non teneri, in rigore loquendo, recipere, ac inſeruire, niſi ijs, qui propriè ſunt, & dicuntur infirmi: quales non ſunt ſenes, amentes, ac debiles, ſed ij ſolum, qui laborant ægritudine aliqua corporali. Ducor, quod alioqui nimis ampliatur obligatio voti; quod tamen DD. fatentur communiter ſtrictè interpretandum eſſe. itaut obliget minùs, quam fieri poſſit. quod ſi diſcordat praxis Ordinis; ea non eſt de rigore voti (quod ſolùm hìc nos aſſerimus) ſed ex ſuperabundantia Charitatis ſe extendentis vltra fines rigoroſæ obligationis eo modo, quo diximus *q. 9.*

QVÆRES XII. An votum hoc obliget ad inſeruiendum infirmis, etiam cum periculo propriæ vitæ (vt in morbis contagioſis.)

519 ℞. Non obligare de rigore iuris. moueor tum quia Clerici regulares miniſtrantes infirmis, qui obligationem ſui voti extendere voluerunt, etiam ad illum caſum; id deſertis verbis expreſſerunt dicendo, *quos etiam peſtis inceſſerit*; cum ergo Fratres iſtius Ordinis id non exprimant in ſuo voto, ſignum eſt ipſos noluiſſe ſe ad id obligare, iuxta regulam, quam tradit *Suar. tom. 4. de relig. tractat. 8. l. 2. cap. 17. num. 7. Si voluiſſet, expreſſiſſet*: tum quia votum non obligat, niſi ea ratione, qua obligaret lex Eccleſiaſtica, quæ ferretur de re promiſſa voto; ſicut benè aduertit *Sanch. l. 4. mor. cap. 11. numer. 54.* lex autem Eccleſiaſtica, ſi ederetur de miniſtrando infirmis, vtique non obligaret cum periculo vitæ, ſaltem ordinariè; prout de quacumque lege humana tradunt communiter DD. apud *Laym. l. 1. tract. 4. cap. 14. num. 5.* contra *Caietanum 1. 2 qu. 96. a. 4.* id deſumentes tum ex *c. conſilium de obſeruat. ieiun.* vbi dicitur *Cum non ſubiaceat legi neceſſitas*; tum ex *regula 6. in 6. nemo poteſt obligari ad impoſſibile*: tum quia in communi intentione vouentis non cenſentur venire ea, quæ ſunt difficiliora, niſi expreſsè intendantur (quo modo *Sanch. ſup. cap. 16. numer. 49.* cenſet vouentem religionem vagè, non teneri caſu, quo excludatur ab alijs religionibus, ingredi ordinem ſtrictiſſimum (v. g. Cappucinorum, aut Carthuſiæ;) tale quid verò eſt miniſtrare infirmis, etiam cum periculo vitæ; ergò niſi id expreſsè intendatur à vouente, non præſumitur comprehendi ſub voto generali miniſtrandi infirmis. ita docti viri à me conſulti, & benè; niſi obſtet ſenſus communis Religioſorum huius ordinis, & quidem magis peritorum extendens obligationem huius voti ad ſeruiendum, etiam cum periculo vitæ: de quo tamen mihi non conſtat.

QVÆRES XIII. An Religioſi iſtius ordinis vi huius voti teneãtur adminiſtrare infirmis Sacramenta, aſſiſtere agonizantibus, eorumque animas commendare, illos diſponendo ad piè, ſtrictèque moriendum.

520 ℞. Teneri, ſi ſint admiſſi ad Sacerdotium; & probatur quia illi vi præſentis voti ſe obligant generaliter, ac indefinitè ad ſeruiendum infirmis; cum ergò inſeruire infirmis generaliter ſumptum abſtrahat ab hoc quod ijs inſeruiatur, ſiue in corporalibus, ſiue in ſpiritualibus (cum lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi:) ſequitur iſtos Religioſos vi huius voti teneri inſeruire infirmis etiam in ſpiritualibus, cum idipſum comprehendatur in illorum voto, vtpote modo dicto generaliter loquente, præter quam quod ad talem effectum huic ordini conceſſum eſt habere aliquos Sacerdotes ex eodem ordine; vt conſtat ex bulla Pauli V. in ordine 100. §. 9. vbi dicitur *Deinceps in eorum ſingu-*

lis

lis (ideſt hoſpitalibus dicti ordinis) *duo Fratres preſbyteri manere, & ali poſſint qui confeſſiones tam infirmorum, quam aliorum Confratrum, & miniſtrorum inibi audire, & iniuncta ſibi pœnitentia ſalutari eos à peccatis ſuis abſoluere, illiſque Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare liberè, & licitè valeant.*

QVÆRES XIV. An Religioſi iſtius Ordinis vi huius voti teneantur quærere eleemoſynas ad effectum curandi infirmos degentes in ipſorum hoſpitalibus.

521 ℞. Videri probabile, quod teneantur; eſtò id non exprimatur clarè in forma vouendi. Ducor, quia hoc ipſo quod quis vult conſequens, conuincitur velle, & antecedens neceſſarium ad illud *l. illud ff. de acquir. hered.* & qui promittit finem cenſetur implicitè promittere media, quæ vouit exigi ad obtinendum talem finem (loquendo de medijs ordinarijs;) vnde cum Religioſi iſtius ordinis in hoc ſuo voto intendant ſe obligare ad curandos infirmos, & curatio fieri non poſſit ſine aliquibus expenſis; hoc ipſo quod iſti non poſſunt eas facere (& id conſtat dictis Religioſis) conſequenter hi præſumuntur velle ſe obligare ad illas ſuppeditandas: ſin minus ex proprijs bonis (quæ non habent, cum ſint adſtricti voto religioſæ paupertatis, adeoque nihil proprij poſſidentes) ſaltem per quæſtuationem eleemoſynarum; quod ipſis eſt medium ordinarium, & per conſequens non ita arduum, ac difficilè, vt dici poſſit non cadere ſub obligationem huius voti: quippequi ex proprio Inſtituto primæuo vacant præfatæ quæſtuationi; vt colligitur ex bulla Pij V. in ordine 143. §. 1. vbi dicitur *Et pro quorum curatione, & alimento ſummam ſexdecim millium ducatorum, & vltra ex eleemoſynis à pijs Chriſtifidelibus ipſis Confratribus erogari ſolitis prouenientem ſingulis annis exponitur quæritandis, ipſiſque Chriſti pauperibus gubernandis ſua caritate impendant opera.*

522 Verum tamen eſt iſtos Religioſos vi præſentis voti non teneri quærere eleemoſynas ad effectum curandi infirmos degentes extra ipſorum hoſpitalia, etſi demus illos vi huius voti teneri ijs inſeruire; cum actus agentium non operentur vltra intentionem ipſorum; & alioqui probabile videatur præfatos Religioſos non intendere ad id ſe obligare quo ad tales infirmos.

QVÆRES XV. An iſti Religioſi excuſentur ab hoc voto ratione imbecillitatis, morbi, aut grauis ſenectutis.

523 ℞. Excuſari: cum votum non obliget vltra intentionem vouentis, & vouens in allatis caſibus non præſumatur voluiſſe ad id ſe obligare; quod non facit quin votum ſeruiendi infirmis, etiam peſte infectis, ſecundùm ſe obliget, etiam cum periculo vitæ: cum id petat ratio talis voti, adeoque intentio vouentis præſumatur talem caſum comprehendiſſe,

---

SECTIO XII.

De votis peculiaribus, quæ fiunt in Congregatione Clericorum regularium Scholarum piarum.

524 *Clerici regulares Scholarum piarum vltra vota communia ſtatus religioſi faciunt alia 4. vota.*
525 *Vouent eruditionem puerorum.*
526 *Hoc votum eſt ſolemne.*
527 *Indicatur eius materia.*
528 *Non vetat receptionem munerum ex gratitudine.*
529 *Vetat tamen pactum de dandis alimentis pro puerorum eruditione.*
530 *Item vetat acceptionem ſtipendij ſpontè oblati.*
531 *Declaratur, quid in eo ſignificetur nomine* Honorarij.
532 *Vetat acceptionem ſtipendij ex traditione Philoſophiæ.*
533 *Item vetat ne Conuentus Ordinis recipiant ſufficientes redditus cum onere erudiendi pueros.*
534 *Bona Religioſis iſtis conceſſa quo ad dominium ſpectant ad Sedem Apoſtolicam.*
535 *Illi item vouent non permittere relaxationem paupertatis.*
536 *Vouent præterea non ambire dignitates intra Ordinem.*
537 *Vouent denique non ambire dignitates extra Ordinem.*

QVÆRES I. Quot, & quæ ſint eiuſmodi vota.

524 ℞. Eſſe 4. ſequentia; nimirum votum erudiendi pueros in primis elementis, grammatica, computo, ac præcipuè in fidei catholicæ rudimentis, erudiendi illos bonis, & pijs moribus, ac demum chriſtiano more educandi, idque gratis abſque vllo ſtipendio, mercede, ſalario, aut honorario; Votum nunquam agendi, nec ratione aliqua conſentiendi, vt quæ ordinata ſunt circa paupertatem in Conſtitutionibus ordinis immutentur, niſi quando ex cauſa iuſta videretur paupertas magis reſtringenda. Votum non agendi, nec conſentiendi, ne indirectè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in religione eligatur: Votum denique non curandi extra religionem aliquam dignitatem, ſeu prælationem, nec conſentiendi, niſi coactus ſit obedientia eius, qui ipſi poſſit præcipere ſub pœna peccati.

QVÆRES II. Quibus verbis fiat primum votum.

525 ℞. Fieri ſequentibus: videlicet *Voueo Omnipotenti Deo, &c. peculiarem curam circa puerorum eruditionem ſecundùm formam Breuis Pauli V. fel. record. in*

Conſti-

Conſtitutionibus noſtræ Religionis contentam. Forma autem Breuis Pauli V. comprehendit circumſtantias, ſub quibus *q. præcedenti* votum iſtud propoſuimus; quas proinde non eſt opus iterum hîc repetere; qui vult, eas legat in *Conſtitut. Pauli V. in ordine* 101.

QVÆRES III. An votum iſtud ſit ſolemne, fiatque ab omnibus Religioſis huius Ordinis tam laicis, quam clericis.

526 ℞. Eſſe ſolemne; patetque tum ex ſenſu communi Ordinis, & in ſpecie Inſtitutoris illius, qui nomine meo interrogatus de hoc ſic reſpondit; tum quia fit vno, ac eodem contextu cum alijs 3. votis ſolemnibus; quod iuxta ſæpius repetita, eſt ſignum etiam ipſum eſſe ſolemne: in præſentia verò fieri ſolùm à Religioſis Clericis; cum olim fieret etiam à laicis; idque ex indulto Vrbani VIII. bullato ad talem effectum obtento, ad præcludendum oſtium ambitioni, quæ aliàs non parum potuiſſet foueri in dictis laicis inde ſumentibus occaſionem prætendendi munus docendi; prout reſpondit idem Inſtitutor Ordinis hac de re interrogatus.

QVÆRES IV. Quæ ſit materia iſtius voti.

527 ℞. Eſſe obligationem erudiendi pueros in primis elementis, grammatica, & computo, ac præcipuè in fidei Catholicæ rudimentis, nec non eos pijs moribus imbuendi, & chriſtiano more educandi: idque gratis, ac nullo ſtipendio, mercede, ſalario, aut honorario recepto.

QVÆRES V. An vi huius voti interdictum ſit recipere munera ex gratitudine oblata à pueris, quos erudiunt, aut ab alijs intuitu ipſorum.

528 ℞. Non eſſe interdictum; & ratio eſt, quod voti obligatio ſtrictæ interpretationis eſt, ideoque ampliari non debet vltra propriam verborum acceptionem; conſtat autem munera oblata ex gratitudine, non venire, propriè loquendo nomine ſalarij, ſtipendij, mercedis, ac honorarij, quæ per hoc votum prohibentur; cum hæc importent debitum iuſtitiæ; quod eſt diuerſum à debito gratitudinis: & aliàs procedat regula iuris, *A diuerſis non fit illatio*.

QVÆRES VI. An vi huius voti prohibeantur Religioſi huius Ordinis paciſci cum aliqua Communitate de alimentis neceſſarijs ſe obligando ad erudiendos pueros dictæ Communitatis modo dicto.

529 ℞. Prohiberi; cum talis conuentio alimentorum ſit debita ex debito iuſtitiæ, nempe ex contractu innominato, *Facio, vt des*, ſicque habeat rationem veri, ac propriè dicti ſtipendij, cuius exactio, ac receptio prohibetur per hoc votum; vt conſtat ex dictis.

QVÆRES VII. An vi huius voti prohibitum ſit non ſolum exigere ſtipendium, ſed etiam illud recipere, quantumuis ſponte oblatum.

530 ℞. Eſſe prohibitum vtrumque; vt clarè indicant verba illa, quæ habentur in bulla Pauli V. *nullo ſtipendio, mercede ſalario, aut honorario accipiendo:* quæ verba cum ſint generalia, & verbum *accipere* abſtrahat ab eo, quod ſtipendium exigatur, aut vltro offeratur, apertè oſtendunt per hoc votum prohiberi receptionem ſtipendij vltro oblati (intellige, ſi recipiatur per modum ſtipendij, non autem ſub alio titulo, v.g. gratitudinis, eleemoſynæ &c. ſub quibus titulis poſſet ſine dubio recipi: cum hoc ſit recipere ſtipendium ſolùm materialiter, quod vtique non interdicitur in hoc voto;) lex autem generaliter loquens generaliter debet intelligi.

531 Vbi notandum ex *Calepino v. honorarium*, nomine honorarij intelligi donum, quod olim loco honoris dabatur Conſulibus in prouincias aduenientibus, ob idque dici honorarium eò, quod daretur honoris cauſa, non autem tanquam debitum ex iuſtitia exigeretur; ſic etiam apud Iuriſconſultos dicitur *honorarium* munus, quod patronis dabatur à clientibus: cum enim patroni olim non exigerent mercedem ſui officij, clientes, ne accepti beneficij immemores viderentur, patronis pro ſuo cenſu, atque arbitrio munus aliquod offerebant, quod vocabant honorarium; vtpote oblatum potius ad honorandum patronum, quam ad mercedis ſatisfactionem. Vnde ego infero honorarium in citata Bulla Pauli V. ſumi in hoc poſteriori ſenſu, quo ſumitur à Iuriſconſultis, ideoque Religioſis iſtius Ordinis non eſſe interdictum quodcumque honorarium, (ſeu donum, quod detur honoris cauſa,) ſed ſolum illud, quod datur tanquam debitum ex iuſtitia, prout dictum eſt q. 5. & per literas mihi teſtatus eſt idemmet Fundator, ac Generalis Ordinis.

QVÆRES VIII. An Religioſi huius Ordinis vi huius voti prohibeantur recipere ſtipendium ab adoleſcentibus, quos fortè doceant Philoſophiam, &c.

532 ℞. Quod, quamuis ſpeculatiuè loquendo, videri poſſet probabilis pars negans ex eo, quod votum eſt ſtrictæ interpretationis, ideoque ſemper explicari debet, ita vt vouentem obliget minùs, quam fieri poſſit iuxta ſæpius repetita; & aliàs votum iſtud expreſsè loquatur ſolum de tradenda gratis Grammatica, cuius traditio vtique eſt diuerſa à traditione Philoſophiæ, & aliarum Scientiarum ſuperiorum (vnde videtur procedere regula iuris: *A diuerſis non fit illatio;*) practicè tamen ſuſtinenda eſt pars affirmans. moueor, quod votum eſt quædam lex particularis, quam vouens ſibi imponit; de interpretatione autem legis dicitur *l. non dubium C. de legibus* in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem; cum in lege interpretanda non debeant ſpectari verba nude, & ſimpliciter, ſed intentio, ac voluntas, *ſiquidem non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni cap. humanæ* 22. *q.* 5. cum ergò Religioſi iſtius Ordinis (pro vt mihi teſtatus eſt ipſemet Fundator, ac Generalis illius) putent ſe non poſſe in tali caſu recipere ſtipendium abſque ſcrupulo, idque ex vigore bullæ Pauli V. ſuperiùs relatæ; ſequitur mentem, ac intentionem ipſorum eſſe, vt in hoc voto comprehendatur etiam præſens caſus; adeoque cenſeri poſſunt voluiſſe ſe ad hoc obligare; ſicque procedunt regulæ à nobis traditæ. præter quam quod Religioſis iſtius Ordinis expreſsè interdicitur *p. 2. conſtitut. cap.* 10. ne Philoſophiam, aut Theologiam doceant alios, quam Religioſos eiuſdem Ordinis, ſicque practicè non poteſt contingere præſens caſus.

QVÆ-

QVÆRES IX. An ſtante hoc voto, poſſint hi Religioſi ſaltem admittere fundationem monaſteriorum cum redditibus annuis ſe obligando ad docendos pueros iuxta proprium Inſtitutum.

533 ℞. Non poſſe; & probatur tum quia ipſi ſunt incapaces annuorum redituum, quippequi vigore ſuarum *Conſtitutionum p. 2. cap. 5.* tenentur viuere ex eleemoſynis vel mendicatis, vel ſpontè oblatis: tum quia per votum hoc ſe obligant ad non recipiendam quamcumque mercedem pro miniſterio docendi pueros, & quidem generaliter: conſtat autem quod ſi modo ſupradicto reciperent fundationes monaſteriorum cum annuis redditibus pro miniſterio docendi, verè, ac propriè dicerentur recipere mercedem pro miniſterio docendi; cum ad rationem mercedis parũ referat eam ſolui,ſiuetotã ſimul (quod eueniret in caſu noſtro) ſiue ſingulis menſibus. ita docti viri ordinis, & maximè eius Fundator.

QVÆRES X. An indultum, per quod Paulus V. in bulla relata concedit Religioſis huius Ordinis, *vt bonorum corporalem, realem,& actualem poſſeſſionem capere, & apprehendere, & illa in ſcholarum beneficium poſſidere* poſſint; extendatur ad hoc vt dicta bona inſumi poſſint in ſuſtentationem Religioſorum deſeruientium ſcholis; vt magiſtrorum, Præfecti, &c.

534 ℞. Non extendi; cum hoc indultum loquatur non de bonis immobilibus fructiferis (quorum incapax eſt iſte ordo) ſed tantum de immobilibus non fructiferis, nempe de domibus in quibus hi Religioſi habitant,hortis,annexis, ſcholis, templis, oratorijs, &c. quorum ipſi capiunt poſſeſſionem, non proprio nomine, ſed Apoſtolicæ Sedis, ſub cuius dominio ſunt: quod eſt talia bona poſſideri à Religioſis huius Ordinis quo ad vſum remanente eorum dominio penes Sedem Apoſtolicam. Vnde verba illa *& illa in ſcholarum beneficium poſſidere*, videntur innuere poſſeſſionem dictorum bonorum ipſis concedi intuitu miniſterij docendi, quod exercent, aliàs non concedendam:ad hoc ſcilicet vt illud commodiùs exercere valeant.

QVÆRES XI. Quibus verbis fiat ſecundum votum.

535 ℞. Fieri ſequentibus *Inſuper promitto me nunquam acturum, nec ratione aliqua conſenſurum, vt quæ ordinata ſunt circa paupertatem in Conſtitutionibus noſtræ religionis,immutentur, niſi quando ex iuſta cauſa videretur paupertas magis reſtringenda*. patetque ex dictis hic ſect. 5. ſubſ. 2. de ſimili voto, quod fit in Soc. Ieſu.

QVÆRES XII. Quibus verbis fiat tertium votum.

536 ℞. Fieri his; nimirum *Præterea promitto me nunquam acturum, nec conſenſurum, nec indirectè quidem, vt in aliquam prælationem, vel dignitatem in religione eligar*:patetque ex dictis ſupra in varijs ſectionibus, in quibus ſimile votum latè explicatur. Solum hic poſſet facere difficultatem, quo modo iſti Religioſi vouere poſſint ſe non conſenſuros, vt in prælationem, aut dignitatem in religione eligantur, cum actus eligendi pendeat ex voluntate eligentium, adeoque eſſe non poſſit in libera poteſtate illius qui eligitur: cum tamen votum nequeat fieri de re poſita in aliena poteſtate, vtpote inducens obligationem perſonalem. Verùm cum conſtet de mente vouentium (eos ſcilicet per hoc votum intendere ſolum promittere ſe non ambituros, ſeu procuraturos vllam prælationem, aut dignitatem in religione (prout non ſemel reſpondit Fundator, ac Generalis Ordinis de hoc interrogatus) parùm de modo loquendi curandum eſt iuxta illud 22. q. 5. *Non debet aliquis verba conſiderare, ſed intentionem, & voluntatem*; ſicque improprianda ſunt verba iſtius voti, vt retineatur mens vouentis; ſicut aliquando fit etiam in legibus interpretandis, ne alioqui reddantur inutiles, ſicut notauit *Caſtrus Pal. tract. 3. D. 5. p. 3. §. 3. num. 6. ex Couar. Nau. Felin. Maſcard. Suar. & alij*. ita vt verba illa *promitto me nunquam acturum, nec conſenſurum*,faciant hunc ſenſum, *promitto me nunquam procuraturum*, &c. ſiquidem procurans eligi in aliquam prælationem vtique dici poteſt conſentire vt eligatur, quatenus conſentit in actum procurandi, &c.

QVÆRES XIII. Quibus verbis fiat quartum votum.

537 ℞. Fieri ſequentibus; videlicet *Promitto etiam me nunquam curaturum eſſe extra religionem aliquam dignitatem, ſeu prælationem, nec conſenſurum, niſi coactus ſim obedientia eius, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati*:pateque ex dictis de ſimili voto *ſect. 5. ſubſect. 4.* per totum, quæ proinde non eſt cur hic iterum repetamus.

SECTIO XIII.

De Statuto abſtinendi perpetuò à carnibus,quod ſeruant Patres Carthuſienſes.

538 *Patres Carthuſiani ex ſpeciale ſtatuto, quod refertur abſtinent perpetuò à carnibus.*
539 *Hoc ſtatutum eſt licitum,ac rationabile.*
540 *Indicatur materia illius.*
541 *Non obligat per modum voti,vt aliqui putant.*
542 *Editum fuit anno 1254. ad rigorem diſciplinæ regularis magis conſeruandum in Ordine.*
543 *Iuxta aliquos non obligat ſub mortali.*
544 *At quo ad hoc attendi debet ſenſus Ordinis.*
545 *Qui ſenſus videtur eſſe in contrarium.*
546 *Hoc ſtatutum non obligat Religioſum aliàs fame moriturum.*
547 *Diſſentiunt alij, ſed reijciuntur.*
548 *Hoc ſtatutum obligat in caſu morbi grauiſſimi.*
549 *Secus ſi infirmus vti non poſſit alijs cibis, niſi carnibus.*
550 *Religioſus Ordinis, ſi ei ſit valdè neceſſarius,ac vtilis, in graui morbo poteſt, & tenetur vti carnibus, ſed non ſemper.*

551 Hoc

551 *Hoc ſtatutum non obligat Religioſum apud Infideles aliàs malè inde tractandum.*
552 *Item non obligat in graui vitæ periculo, ſecluſo ſcandalo.*
553 *Scandalum enim actiuum cauendum, etiam cum proprio periculo.*
554 *Hoc ſtatutum non vetat delectationem ex eſu imaginario carnium.*
555 *Non peccat extraneus dando carnes Carthuſiano grauiter ægrotanti id nullo modo aduertenti.*
556 *Secus, ſi dans carnes ſit Carthuſianus.*
557 *Violat hoc ſtatutum Religioſus Ordinis dando carnes laicis viris intra monaſterium; non item, ſi in domibus ruſticis.*
558 *At hoc fallit, ſi laici intra monaſterium ægrotent.*
559 *Violat item, ſi permittat intra Conuentum miniſtrari carnes perſonis laicis.*
560 *Violat, ſi, cum poſſit, non obſtet violationi huius ſtatuti.*
561 *Limita, ſi obſtare poſſit ſine graui damno.*
562 *Indicatur praxis Ordinis quò ad obſeruantiam huius ſtatuti.*
563 *Religioſus Ordinis vi huius ſtatuti prohibetur conſentire, ne à ſuis Correligioſis carnes edantur, ac dentur.*
564 *At de rigore non tenetur curare, vt Superior impediat.*
565 *Hoc ſtatutum obligat ſub varijs pœnis.*
566 *Et quidem etiam ſub excommunicatione maiori reſeruata Papæ lata à Paulo IV.*

QVÆRES I. Quibus verbis latum ſit hoc ſtatutum.

538 ℞. Latum eſſe his iiſdem verbis, quæ habentur *p.2.ſtatut.Ord.c.10.§.24.* nimirum *Quia ſecundùm ſanctiſſimam noſtri Ordinis conſuetudinem à Sanctis Patribus noſtris introductam omnem eſum, & ſumptionem carnium, & omnium quæcumque ex carnibus quomodolibet conſtant, ſiue per modum cibi, ſiue per modum potionis, aut ſorbitionis ſumantur, à noſtro propoſito abiecimus; ſtatuimus, vt quicumque Ordinis noſtri profeſſus huius tam laudabilis inſtitutionis tranſgreſſor extiterit, carnes videlicet comedendo, & alicui perſonæ Ordinis miniſtrando, aut comedentibus, vel miniſtrantibus conſentiendo, vel non prohibendo, cum poterit prohibere, vel qui infra domus ſuæ clauſuram quibuſcumque perſonis carnes miniſtrauerit, ſeu ab alijs permiſerit miniſtrari, nec prohibuerit, prohibere eùm valebit. ſi Prior, vel Vicarius, aut Procurator hoc fecerit, ipsò factò tanquam ipſius ſuæ profeſſionis calumniator, & tranſgreſſor obedientiam perdat, & vocibus, ac locis debitis, & cæteris obedientijs Ordinis careat in æternum: ſi verò ſimplex monachus, aut alia quæuis perſona Ordinis extiterit, voce, loco, ac obedientijs carens, perpetuò ad capituli generalis voluntatem carceri mancipetur. Hanc autem laudabilem Conſtitutionem ad omnes moniales noſtri Ordinis, & eis Præſidentes de verbo ad verbum extendi volumus, & iubemus. Carnes autem mortua nunquam vendantur in Ordine.*

QVÆRES II. An hoc ſtatutum ſit licitum, ac rationabile.

539 ℞. Eſſe; quamuis aliqui Theologi de hoc non parum dubitauerint, eò quod putauerint tale ſtatutum aduerſari obligationi naturali, quam homo habet conſeruandi propriam vitam, illamque talem, vt nulla lex poſitiua præſertim humana obligare poſſit: vnde & inferunt nec votum ieiunandi, aut abſtinendi à carnibus cum periculo vitæ videri poſſe obligare, vtpote indiſcretum, & in damnum vitæ, quæ non eſt hominis, ſed Dei. probatur autem noſtra reſponſio, tum quia huiuſmodi ſtatutum per 300. annos, & ampliùs in Ordine fuit obſeruatũ, quo tamen floruerũt tot viri inſignes doctrina, pietate, ac prudentia, fuitq; approbatũ, & cõmendatũ, etiã à Cõcilijs generalib. q vtiq; nõ fuiſſet factũ, ſi tale ſtatutũ eſſet illicitũ: tũ quia nõ tenetur homo vitã conſeruare omni modo licito, ſed poteſt eã negligere, & exponere ex iuſta cauſa, ac honeſta ratione; qualis eſt in præſẽtia exẽplũ virtutis, & decus abſtinẽtiæ in propria religione tuendũ; ne ſcilicet aperiatur aditus diſpẽſationibus, ac interpretationibus, ſicq; ſenſim laxetur rigor ille cõmunis abſtinẽtiæ; tũ quia abſtinere à carnib. quãdo adeſt copia aliorũ ciborũ, nõ eſt directè, ac proximè ſibi vitam adimere, ſed ſolum indirectè, ac remotè: quod non eſſe illicitum probat *Leſſ.l.4.c.3.num.12.* ex *Victoria.* ita in terminis *Suar.to.4.de relig.tract.9. l.2.c.4.num.5. Rodriq.tom.2.qu.101. a.1. Leſſ. loco cit. Sanch.l.6. mor. cap.15. num.39. Fagund.l.5.dec.cap.11.num.19. Baldel.l.5. D.26.num.15. Diana p.5. tract.3.reſol.136.*

QVÆRES III. Quæ ſit materia huius ſtatuti, & ad quid obliget.

540 ℞. Obligare ad plura; nimirum ad non comedendas carnes; ad eas non miniſtrandas alicui perſonæ Ordinis; ad non conſentiendum eas comedentibus, aut miniſtrantibus; ad prohibendam earum comeſtionem, cùm quis potuerit; ad eas intra monaſterij clauſuram non miniſtrandas cuicumque perſonæ; quamuis ſæculari: ad non permittendum eas ab alijs inibi miniſtrari, imò & ad hoc ipſum prohibendum, quando quis prohibere poterit; ad hæc inquam, omnia obligat præſens ſtatutum; vt conſtat ex tenore illius relato qu. 1. & quidem ſub pœnis ibidem recenſitis, ac inferiùs paulò latius explicandis.

QVÆRES IV. An obligatio iſta abſtinendi à carnibus ſit per modum ſimplicis ſtatuti, vel etiam aſtringat per modum voti.

541 ℞. Quod quamuis *Leſſ. ſup.* dicat Carthuſianos nõ nudo ſtatuto humano, ſed etiã voto videri obſtrictos ad abſtinendũ à carnib. etiã in extrema neceſſitate, eo quod voueant obedientiã ſecundũ ſtatuta; & *Fagund.l.2.decal.cap.12.n.19.* diſertis verbis aſſerat in religione Carthuſianorum extare votum abſtinentiæ à carnibus; nihilominùs abſolutè dicendum eſt talem obligationem non eſſe ex voto, ſed ſolum ex ſimplici ſtatuto religionis. ita expreſsè *Sanch.l.5.conſil.c.1.d.34.n.1.* & probatur tum quia ſine ſufficienti fundamento non ſunt inducendæ nouæ obligationes, præſertim ex voto; hìc autem nullum extat ſufficiens fundamentum, vt modo conſtabit ex ſolutione rationis, quam affert in contrarium *Leſſius*, & nos etiam paulò ante ex ipſo adduximus: tum quia DD. communiter loquentes de hac obligatione illam agnoſcunt ex ſtatuto, ſeu Conſtitutione Ordinis, non autem ex voto: & quidem meritò, cum tale votum non fiat à Carthuſianis, neque explicitè, neque implicitè: tum quia falſum eſt vouentem aliquam regulam (v.g. S. Brunonis) peccare contra votum, quoties violat ali-

qua in re dictam regulam; ſi quidem (vt benè notat *S.Th.2.2.q.186.a.9.*) qui profitetur aliquam regulã, ſeu (quod idem eſt) qui vouet obedientiam ſecundùm aliquam regulam, non vouet ſeruare omnia, quæ ſunt in ea regula, ſed ſolum vouet viuere vitam regularem, quæ conſiſtit in 3. votis ſubſtantialibus, & in ſubiectione regulæ (quod explicat *Sanch. l.6. mor.cap.4.num.9.fine,*) ſicque non peccat contra votum, niſi quando peccat contra aliquod ex dictis tribus votis, quo modo corruit fundamentum *Leſſij*, manetq; probata noſtra reſponſio; quæ item confirmari poteſt ex communi ſenſu Carthuſienſium, qui præſentem obligationem abſtinendi à carnibus agnoſcunt, non ex voto, ſed ex ſimplici ſtatuto.

QVÆRES V. A quo tempore, & ad quem finem editum ſit hoc ſtatutum.

542 ℞. Teſte *Petro Sutore* Carthuſiano in *hiſt. Ordinis l.1.tit.3.cap.8* editum fuiſſe anno 1254. adeoque Ordinem Carthuſianorum per 170. annos extitiſſe abſque tali ſtatuto, eſtò ex pia conſuetudine dictam abſtinentiam à carnibus obſeruauerit ab initio ſuæ inſtitutionis: ſtatutum verò hoc fuiſſe factum in quodam Capitulo generali ſub pęna, vt tranſgreſſores illius à religione eijcerentur: quanquam hæc pęna poſtea fuerit temperata eo modo, quo vidimus q.1. editum autem fuit hoc ſtatutum tanto cum rigore, ne aliàs communis rigor diſciplinæ illius monaſticæ paulatim diſſolueretur; quis enim non videt, quod ſi in morbis periculoſis, & in mortis articulo concederetur diſpenſatio ad eſum carnium, exinde poſſet facilè deduci exemplum ad plures alios caſus, ſicque in valetudinarijs Carthuſianorum paſſim admitteretur comeſtio carnium cauſa valetudinis, ideoque ſenſim ſolueretur laudabilis conſuetudo abſtinendi à carnibus tot annorum curſu firmiter ſtabilita.

QVÆRES VI. An hoc ſtatutum obliget ſub mortali.

543 ℞. Videri probabile quod non, ſi conſideremus precisè ſtatutum ipſum vt ſic abſtrahendo à cæteris. ita *Sanch.ſup.* dicens Carthuſienſes nullũ habere votum de tali abſtinentia (de qua ſcilicet hic loquimur) nec aliquod ſtatutum obligans etiam ad peccatum ven. cum tamen alioqui paulò poſt referat ſtatutum à nobis relatum qu.1. Moueor quod *Nauar.cap.23.num.55.Val.tom.2.D.7.q.5.p.6. §.alterum Azor.to.1.l.5.cap.6.q.4. Filliuc.tract.21. num.42.* & *Regin.l.15.num.50.* & alij relati à *Diana p.1.tract.10.reſolut.17.* docent, & probabiliter, legem purè pęnalem, etiam in materia graui non obligare in conſcientia, & conſequenter, neque ad peccatum: idque ob multas rationes, quas adducit idẽ *Diana* dicens contra *Sotum* huiuſmodi doctrinam non niti errore vulgi (vt putat *Sotus l.1.de iuſt.q.6.a.5.*) ſed opinione doctorum virorum, eaque probabili, etiam ex mente illorum, qui contrariam docent ſententiam; at ſtatutum, de quo hic agimus, eſt purè pænale, vt mox probabo: ergò non obligat ſub peccato, ſed ſolum ad ſuſtinendam pęnam in eo præſcriptam. Et quidem quod hoc ſtatutum ſit purè pęnale videtur ſufficienter colligi ex tenore verborum, quibus fertur; nimirum *Statuimus, vt quicumque noſtri Ordinis profeſſus huius tam laudabilis inſtitutionis tranſgreſſor extiterit &c. ſi Prior, vel Vicarius, aut Procurator hoc fecerit, ipſo facto tanquam ipſius ſuæ profeſſionis calumniator, & tranſgreſſor obedientiam perdat, & vocibus, ac locis debitis, & cæteris obedientijs Ordinis careat in æternum: ſi vero ſimplex monachus, aut alia quæuis perſona Ordinis, extiterit, voce, loco, ac obedientijs carens perpetuò ad Capituli generalis voluntatem carceri mancipetur.* Vbi notandum nullum adeſſe verbum per ſe, ac directè præceptiuum; aut prohibitiuum ex quo argui poſſit ſtatutum hoc eſſe vel abſolutè obligatorium (cuiuſmodi eſſet illud, quo diceretur *Præcipimus, ne quis ex noſtro Ordine comedat carnes, &c.*) vel mixtum pęnale (quale eſſet, quod ſimilibus verbis ederetur *Præcipimus ne quis ex noſtris comedat carnes, &c. ſub pæna priuationis obedientiæ, vocis actiuæ, & paſſiuæ;*) vnde ſupereſt, vt tale ſtatutum dicendum ſit purè pęnale, & conſequenter dicatur non obligare ſub vllo peccato: quod erat probandum. Quin etiam hoc idem ſuſtineri poſſit non improbabiliter, etiamſi daretur dictum ſtatutum eſſe pęnale mixtum, ſtante doctrina, quam tradit Diana *ſup reſolut.20. ex Valentia Nau. Filliuc. & Villalob.* nempe probabile eſſe omnem legem pęnalem, ſiue mixtam, ſiue purè pęnalem non obligare in conſcientia; quamquam non ſit nobis opus tali doctrina; cum ex dictis ſatis clarè conſtet ſtatutum, de quo in præſentia agimus, non eſſe mixtum pęnale, ſed purè pęnale. Quæ omnia confirmari poſſunt ex eo quod Conſtitutiones Ordinis Carthuſienſis ad nullam culpam obligant, exceptis votis eſſentialibus; ſicque non adeſt iuſta ratio aſſerendi iſtud ſtatutum obligare ſub peccato; cum ſtatuta Religionum ex ſe minùs ſtrictè ſoleant ligare, quam ligent.

544 Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi conſideremus præcisè ſtatutum ipſum vt ſic*; ad indicandum, ſpectata conſuetudine Ordinis Carthuſienſis (quæ eſt optimus legum interpres *l.ſi de interpretat.ff.de leg.*) & pœna excommunicationis maioris latæ ſententiæ impoſita tranſgreſſoribus dicti ſtatuti (de qua *infra qu.18.*) oppoſitum videri ſuſtinendum; videlicet ſtatutum hoc obligare ſub mortali, excommunicatio enim maior latæ ſententię ſupponit peccatum mortale; & conſuetudo ipſa item obligat ſub mortali, ſi conſtet eam fuiſſe legitimè inductam, & non ex deuotione tantum, ſed tanquam ex obligatione, eaque graui: tunc namq; illi ſtandum eſt; cum ex vſu, quo lex communiter obſeruatur, & ex Doctorum interpretatione colligi poſſit obligationem legis eſſe ſub mortali, vel non; ſicut notant *Salas D.10.de leg.ſect.9.n.48.Suar.l.6 de leg.c.1.n.4. & l.7.c.17.Regin.l.15.n.47.&56.* alijque communiter apud *Baldellum ſup.D.22.n.1.* Quamquam in dubio, quod conſuetudo inducta ſit ex obligatione, vel ex deuotione putent *Suar.l.7. de leg.c.15.nu.13.* & cum eo *Diana reſ.30.* eam præſumi debere inductam ſolum ex deuotione: idque ob doctrinam quam tradunt *Salas ſup.D.21.ſect.3.n.4.Sanch.l.1.de matr.D.9.n.11. & Caſtr.Pal.tr.3.D.5.p.3.§.3.n.12.* ſine manifeſta ratione non eſſe inducẽdam obligationẽ, ideoq; in cõtractibus interpretationẽ debere fieri iuxta minimã obligationẽ *l.ſẽper in ſtipulationibus ff.de reg.iuris.*

Quod

Quod ſi quæras, quis ſit ſenſus communis ipſorum Patrum Carthuſienſium circa obligationem huius Statuti.

545 ℞. Ex repetita atteſtatione viri grauiſſimi Ordinis mihi facta ſenſum communem eſſe, quod tale ſtatutum obliget ſub mortali: & meritò, ſtante excommunicatione lata contra eius tranſgreſſores, de qua infra.

QVÆRES VII. An ſtatutum hoc obliget in caſu, quo Religioſus nullum alium habeat cibum, quem comedat, niſi carnes, adeoque moriturus ſit fame, niſi veſcatur carnibus.

546 ℞. Non obligare, ac proinde Religioſum in tali caſu & poſſit, & teneri edere carnes. ita *Suar.to.4. de relig.tr.9.l.2.c.4.num.4.Sanch l.5.conſil.c.2.d.34. num 5.Couar.l.1.Var.cap.2.num.10.Bonac.D.2.de leg. q.8.p.2.n.16.* alijque quos refert,& ſequitur *Baldell. D.26.num.15.* referens ex *Gerſone* ipſoſmet Carthuſianos interrogatos, quid agerent, ſi in deſerto, aut carcere nihil cibi haberent præter carnes, reſpondiſſe omninò ſe comeſturos abſque ſcrupulo: ſicq; cum quidam ex ipſis in itinere ex ſimili extrema neceſſitate ſanguinem ſui equi ebibiſſet, idque ad Prelatos Ordinis delatum fuiſſet, nullam ei pœnam inflictam fuiſſe, eò quod is non eſſet caſus regulæ eſum carnium prohibentis in periculo vitæ. Ratio reſponſionis eſt, tum quia aliàs Religioſus cenſeretur ſe ipſum occidere; cum in tali caſu mors non ſit naturalis, ſed violenta, eique iuſtè videatur imputari; tum quia in propoſito euentu abſtinentia à carnibus nullam haberet rationem virtutis; quippequæ neque conferret ad bonum particulare Religioſi, neque ad bonum commune totius Ordinis; vt aduertit *Suar.vbi ſup.* monens ipſam obſeruationem inuiolabilem huius ſtatuti non poſſe dici cedere in bonum commune Ordinis; eum abſtinere à carnibus in tali caſu non ſit ſeruare legem, ſed agere contra animam ipſius, quæ eſt charitas.

547 Oppoſitum tuentur *Leſſ.l.4.c.3.n.12.* alijq; apud *Dianam par.5.tr.3.reſol.136.* ſuſtinentes religioſum Carthuſianum in tali caſu poſſe quidem edere carnes, ſed non teneri; id probantes tum exemplo Machabæorum, qui dederunt vitam, ne comedendo carnem ſuillam violarent legem: tum, quia abſtinens à carnibus in propoſito euentu non poteſt dici occidere ſe ipſum: ſicut nec poteſt dici in caſu morbi, cui non poſſit iudicio medicorum conſuli, niſi per eſum carnium, (quod etiam nos admittemus *q.ſequenti*. Verùm non videtur recedendum à noſtra ſententia; nec multum negotij faciunt allatæ rationes; non prior, quia in caſu Machabæorum agebatur de confeſſione fidei, ac honore religionis, in cuius contemptum cogebantur edere carnem ſuillam; ſicque vitam dederunt, non per ſe ob abſtinentiam à carne illa, ſed propter fidei confeſſionē, ac honorem religionis (quo modo etiam quilibet Chriſtianus iuſſus veſci carnibus feria *6.* in contemptum fidei, ac Chriſtianæ religionis, non poſſet, nec deberet id facere, quamuis alioqui ex defectu aliorum ciborum eſſet fame periturus;) non poſterior ratio, eò quod moriens ex omiſſione eſus carnium ipſi ſuaſarum à medicis ad præſentem morbum depellendum, vitamque conſeruandam, naturaliter moritur ex morbo, cuius ipſe non eſt cauſa, adeoque non cenſetur occidere ſe ipſum (ſicut cenſetur in caſu, quo non habens copiam alterius cib. moritur ex eo, quod non vult edere carnes, cum ſic ipſe ſolus ſit cauſa ſuæ mortis,) ſed tantùm nō prolongare vitam eſu carnium; cum tamen non teneatur quis prolongare vitam omnibus medijs poſſibilibus. Quod ſi dicas cum *Leſſio* morientem ex fame, eò quod non habens alium cibum, niſi carnes, ſi nolit ijs veſci, etiam ipſum poſſe dici occidi non à ſe, ſed à fame, aut calore interno illū abſumente, ideoque nullum eſſe diſcrimen inter hunc caſum, quem negamus, & illum alium de moriente, eò quod nolit veſci carnibus ipſi præſcriptis in medicinam, quē admittimus; id omninò negandum eſt: ſi quidem moriens ex fame in priori caſu allato, eſtò dici poſſit abſumi à calore interno, hòc ipsò tamen quod prębet cauſam tali abſumptioni, nolēdo comedere carnes, cenſetur dare cauſam etiam propriæ morti, ſicq; ſe ipsū occidere cū cauſa cauſę ſit etiam cauſa cauſati; præter quam quod in iſto caſu ita raro verè non adeſt iuſta cauſa, vitandi ſcilicet pericula abuſuum in alijs caſibus, vt in caſu ægritudinis.

QVÆRES VIII. An liceat abſtinere à carnibus caſu, quo medicus iudicet eſum carnis eſſe moraliter neceſſarium ad reſiſtendum infirmitati.

548 ℞. Licere; & probatur, tū ex dictis q.2. tū ex ijs, quæ diximus *q.præc.§.oppoſitū ſuſtinent*; tum quia, licet eſus carniū in articulo mortis ſit loco medicinę, nemo tñ tenetur medicinam ſumere ad vitam protrahendā: quod eſt ita verum, vt *Sayr.&Vict.* relati à *Fagund.ſup.n.19.* ſuſtineant non teneri quem bibere vinum, aut edere carnes, etiāſi iudicio medici ſic eſſet victurus amplius 10.annis, quam cum aqua, & piſcibus. ſic *Suar.ſup.n.5. Sanch.nu.6.Fagund. loco cit.Leſſ.vbi ſup.Baldel.n.15.* alijque apud *Dianam ſup.* qui tamen addit ex *Sanch.nu.7.* in tali caſu Carthuſianos poſſe edere carnes, ſi velint, cum id ipſis non ſit interdictum, neque ex voto, neq; ex ſtatuto obligante ad culpam: ſed de hoc *infra q.11.*

549 Vnum autem hìc benè notat *Suar.loco cit.* quod ſi contingat Carthuſianum ægrotantem nullo modo valere vti alijs cibis, quam carnibus, ſiue ob pecuniam, ſiue ob conditionem ægritudinis; tunc teneretur edere carnes; cum ſic coniungatur caſus relatus q. præced. cum præſenti caſu, & aliàs infirmus dicendus eſſet mori potius ex fame, quam ex morbo.

QVÆRES IX. An Religioſus Carthuſianus poſſit, & teneatur edere carnes in caſu propoſito quæſt. præced. ſi ſit perſona valdè vtilis, ac neceſſaria bono communi totius Ordinis, aut etiam Eccleſiæ.

550 ℞. Et poſſe, & teneri; ſi neceſſitas illius, & vtilitas ex eo ſperata ſint tales, vt, penſatis omnibus, iudicio prudentis præferri debeant bono, quod prouenit Ordini ex obſeruatione præſentis ſtatuti. Ducor, tum quia lex, vt ſit iuſta, debet ordinari ad bonum commune, (vt tradunt communiter DD.) & quidem ita, vt, quo maius eſt bonum cōe, eò magis illud intendat, poſthabito eo, *quod eſt minùs bonum: idque iuxta regulam, vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſecundum quid ad ſecundum*

quid: tum quia præſens obligatio abſtinendi à carnibus, ſi eſſet ex voto, in caſu propoſito non aſtringeret; cum votum ſit de meliori bono, ideoque non poſſit eſſe impeditiuum maioris boni, quale eſt, quod hìc, & nunc cedit in maius obſequium Dei, ergò in tali caſu multò minùs aſtringet ſtatutum, de quo hìc agimus. Quamquam moraliter loquendo vix videatur poſſe contingere dari Religioſum huius Ordinis ita neceſſarium, ac vtilem bono communi, vt ex hoc capite violari poſſit & debeat hoc ſtatutum; poſthabita tam antiqua, ac laudabili conſuetudine, tantoque cum rigore in illo Ordine hactenus obſeruata.

QVÆRES X. An hoc ſtatutum obliget Religioſum Carthuſianum exiſtentem in locis infidelium, ſi ex eius obſeruantia probabiliter ſibi timere poſſit graue aliquod malum à dictis Infidelibus illum inde agnoſcentibus eſſe Chriſtianum, ac Religioſum.

551 ℞. Non obligare; patetque ex dictis *hoc cap. ſect. 1. ſubſ. 1. q. 16.*

QVÆRES XI. An Carthuſianus data neceſſitate graui comedendi carnes (v.g. ad euadendum periculum vitæ imminens ex aliquo morbo) poſſit veſci carnibus, ſaltem occultè ad euitandum ſcandalum.

552 ℞. Quod, cum ex vna parte probabile videatur ſtatutum hoc non obligare niſi ad pęnam (vt oſtendimus q. 6.) & ex alia parte in præſenti caſu occurrat iuſtiſſima cauſa illud non ſeruandi, nec ſubſit vllum periculum ſcandali: non apparet, cur Carthuſianus nixus probabilitate talis opinionis non poſſit veſci carnibus; præſertim attenta doctrina, quam *Sanch. l. 2. de matr. D. 36. nu. 8.* affert ex *Soto, & Nauarro*; nimirùm *quod, licet quis habeat opinionem alicuius partis, & ſolam alterius formidinem; non tenetur ſequi opinionem, ſi inde magnum immineat alicui periculum, & formido alterius apparentem habeat probabilitatem, quia periculũ graue facit, vt in moralibus formido præponderet opinioni.* quæ doctrina videtur ſine dubio facit ad præſentem caſum, in quo agitur de periculo vitæ, & in quo opinio ſuſtinens Carthuſianos poſſe edere carnes in propoſito caſu non poteſt dici carere probabilitate, ſaltem apparenti, cum eam in terminis tradat doctiſſimus Sanchez, & nitatur fundamentis ſatis firmis: ſicut vidimus q. 6. vnde & eam ſuſtinent *Diana p. 5. tr. 4. reſol. 32. Victoria, Lorca, & Monteſinus.*

553 Dixi, *niſi ſubſit vllum periculum ſcandali*; vt innuerem, quod ait *Bonac. ſup.* in præſenti caſu abſtinendum eſſe ab eſu carnium, ſi inde timeatur probabile periculum ſcandali in aſtantibus; ſi quidem poteſt homo ex iuſta cauſa permittere ſui necem, & alioqui tenetur præferre euitationem ſcandali propriæ vitæ; quamquam ſi ſcandalum ſit phariſaicum & paſſiuum, nihil curandum ſit; vt ſi aſtantibus euidenter conſtet de grauiſſima neceſſitate, quam Carthuſianus tunc habet veſcendi carnibus, & de probabilitate præſentis opinionis, quæ etiam poſſet in tali caſu inſinuari dictis aſtantibus: non enim vitãda ſunt ea, ad quæ tenemur ex pręcepto, vt euitetur ſcandalum paſſiuum proueniens ex bono opere *c. qui ſcandalizauerit de reg. iur. qua de re Sanch. l. 5. conſil. c. 1. d. 34. n. 8.*

QVÆRES XII. An dato quod Carthuſianus non poſſit ſine peccato veſci carnibus, peccet ſumendo delectationem ex imaginario carnium eſu.

554 ℞. Non peccare, ſaltem m. & patet ex eo quod Carthuſianis vi præſentis ſtatuti ſolum prohibetur actio externa edendi carnes: idque non tam cauſa vitandæ voluptatis ex imaginaria carnium comeſtione fortè conſequentis in ſpiritibus, humoribus, & corde, quam mortificandæ carnis per externam abſtinentiam; ſicq; ſufficienter impletur tale ſtatutum, exteriùs abſtinendo à carnibus, & volendo abſtinere, quantumuis imaginatio ſapore, & eſu illarum delectetur. ita *Leſſ. l. 4. c. 3. n. 113.* monens dictis non obſtare, quod ſic Carthuſianus videatur conſentire in affectum erga carnes; nam hic affectus non eſt malus; ſicut nec malus eſt affectus edendi tempore ieiunij; quod tamen non facit, quin ſæpè in tali delectatione interueniat culpa venialis ratione ſuperfluæ delectationis, quæ quæritur.

QVÆRES XIII. An peccet Medicus, vel alius, qui Carthuſiano ægrotanti, ideoque grauiſſimè indigenti eſu carnium, callidè ei præbet ius confectum ex carnibus, aut etiam carnes artificioſè conditas, itaut infirmus id non agnoſcat, alioqui talia conſtantiſſimè recuſaturus, eo quod certiſſimè credat ſimilia ſibi eſſe prohibita ſub peccato m.

555 ℞. Non peccare; niſi fortè miniſter prædicta præbens ſit etiam ipſe Carthuſienſis, & alioqui ſuſtineamus ſtatutum hoc obligare ad culpam, & non ſolum ad pęnam. Colligitur ex *Bonacina ſup. num. 17. & Diana p. 5. tract. 3. reſol. 136.* pro ſe referente *Granadum* aſſerentibus non peccare Medicum, aut aliũ miniſtrum, qui Carthuſiano ægrotanti, & neſcio prębet cibos aliquos ex carnib. Moueor tũ quia huiuſmodi miniſtratio carnium, ſimpliciter loquendo eſt licita (vt conſtat ex dictis *q. 6. & 11.* licitum eſt autem cooperari actioni licitæ: tum quia eſtò ſpeculatiuè credat ægrotus illicitam eſſe comeſtionem carnium Carthuſiano, quamuis grauiſſimè ægrotanti, practicè tamen hoc ipſo quod non agnoſcit cibos, qui ſibi præbentur eſſe ex carnibus, non credit hìc, & nunc dictam comeſtionem ſibi eſſe prohibitam, ſicque ei non imputatur ad peccatum; quo modo *Hurtad. 2. 2. D. 173. ſect. 16. §. 199.* & cum eo *Diana ſup. tr. 7 reſol. 14.* docent non peccare peccato ſcandali eum, qui alterum inducit ad iurandum de re, quam iurans ex errore inculpabili putat eſſe veram, cum tamen à parte rei ſit falſa, & id ſciat inducens; id inde probantes, quod in illo caſu non interuenit ſcandalum actiuum influens in ruinam ſpiritualem proximi, neq; formaliter, cum inducens id nullo modo velit (vt ſuppono) neq; materialiter, cũ non petatur materia hìc, & nunc mala ſed quę potiùs hìc, & nunc bona, ratione ſcilicet bonæ fidei procedentis ex illo errore; vnde nec in tali inductione intercedit ſcandalum paſſiuum. Nec obſtat, quod inducens ſcit obiectum illud eſſe falſum: cum ipſe non iuret, & aliàs non intendat alterum iurare id, quod ſcit eſſe falſum, ſed quod credit eſſe verum; & quidem itaut tale iuramentum non ſit moraliter falſum, ſed verum. quæ doctrina non incongruè poteſt adaptari præſenti caſui; & ſi benè

ada-

adaptetur, non parum confirmat noſtram reſponſionem, vt facilè conſtabit conſideranti.

556 Dixi ſub initium reſponſionis, *niſi fortè miniſter prædicta præbens ſit, etiam ipſe Carthuſianus &c.*: quia in præſenti ſtatuto prohibitum eſt Carthuſianis non ſolùm edere carnes, ſed etiam eas miniſtrare cuicumque perſonæ ordinis; vt patet ex illis verbis, *carnes videlicet comedendo & alteri perſonæ ordinis miniſtrando*: & hoc ſub pœnis relatis q.6. quibus ex æquo ſubijciuntur tam miniſtrantes carnes alijs, quam eas comedentes. ſicque ſi demùm hoc ſtatutum obligare in conſcientia, & non tantùm ad pœnam; dandum eſt etiam Carthuſianum peccare, ſi alteri Carthuſiano miniſtret carnes in caſu propoſito: cum verè violet ſtatutum in materia expreſſè per ipſum prohibita; quamquam, ſi admittamus Carthuſianum hic & nunc non peccare veſcendo carnibus; tunc nec peccabit alter Carthuſianus, qui eas illi miniſtret; cum ſic verè cooperetur rei licitæ, &, per ſe loquendo, licitum ſit cooperari actioni licitæ; vt in ſimili oſtendit *Leſſ.l.2.c.31.num.* 40. *ex Caietano, & Soto.*

QVAERES XIV. An Carthuſiani vi præſentis ſtatuti prohibeantur miniſtrare carnes perſonis laicis; & quidem non ſolùm intra propria monaſteria, ſed etiam in domibus ruſticis, in quibus ipſi non habitant.

557 ℞. Quod, cum in ſtatuto dicatur, *vel qui infra domus ſuæ clauſuram quibuſcumque perſonis carnes miniſtrauerit, ſeu ab alijs permiſerit miniſtrari*: & ſub talibus verbis videantur comprehendi ſolùm monaſteria formalia, in quibus ipſi Carthuſiani degunt ſub clauſura (vt videtur inſinuari per verba illa *infra domus ſuæ clauſuram*): conſequenter dicendum videtur de rigore huius ſtatuti non eſſe prohibitum Carthuſianis miniſtrare carnes viris ſæcularibus intra proprias domos ruſticas, in quibus ipſi non habitant. Moueor, quod, vbi agitur de obligatione imponenda ſtricta ſemper fieri debet interpretatio; vt colligitur ex *l.42.ff. de pœnis,* vbi dicitur *interpretatione legum pœnæ mollienda potius, quam exaſperandæ*; & ex regula 15. *in 6. Odia reſtringi, & fauores conuenit ampliari*; cum ergo præſens prohibitio miniſtrandi carnes quibuſcumque perſonis expreſſè loquatur ſolùm de domibus habentibus clauſuram; non videtur extendenda ad domos ruſticas non habentes clauſuram, ne alioqui nimis amplietur talis prohibitio, quæ tamen eſt odioſa, vt patet. ita ego ſenſi, mecumque poſtea ſenſerunt viri grauiores ex ordine Carthuſiano à me de hoc interrogati; addentes ſecùs dicendum de grangijs, in quibus legitima poteſtate conſtituta eſt clauſura; in his enim nullo modo licita eſt miniſtratio carnium; ſiue tunc temporis adſint aliqui Religioſi ordinis, ſiue non: & ratio eſt, quod de ijs verificantur verba ſtatuti ſuperius citata *infra domus ſuæ clauſuram*, ideoque eæ comprehenduntur ſub ſtatuto.

Difficultas maior eſt, an Carthuſiani in proprijs monaſterijs poſſint miniſtrare carnes, aut permittere, quod miniſtrentur hoſpiti ſæculari fortè ibi incidenti in morbum grauem, ac periculoſum, cui iudicio Medicorum neceſſariò conſulendum ſit eſu carnium, alijſque cibis ex carnibus confectis.

558 ℞. Quod, quamuis Patres Carthuſiani conſtanter dicant ſe neque hoc vllatenus permiſſuros, eò quod ſtatutum loquatur generaliter, *vel qui infra domus ſuæ clauſuram quibuſcumq; perſonis miniſtrauerit, ſeu ab alijs permiſerit miniſtrari*; nihilominus mihi videtur non improbabile ſub dicto ſtatuto non comprehendi talem caſum. ducor tum quia in generali prohibitione non veniunt ea, quæ quis non eſſet prohibiturus, vi in ſpecie peterentur talis autem eſt caſus præſens; cum nimis durum ſit velle in tanta neceſſitate obligare virum ſæcularem ad obſeruantiam præfati ſtatuti cum tanto ſuo diſpendio: tum quia *Sanch.l.5. conſ.c.2.d.34. num.*10. alijque expreſſè docent, quod, quando quis abſolutè vouet non edere carnes, eas tamen poteſt edere in caſu infirmitatis grauioris, eò quod huiuſmodi votum ex intentione vouentis non præſumitur extendi ad caſum tantæ neceſſitatis: quod ſi iſta doctrina admittenda eſt, vtique & debet admitti quo ad præſens ſtatutum; cum par ratio concurrat in vtroque: tum quia, eſtò verba illa ſtatuti ſint generalia, videntur tamen admittere iſtam limitationem, ſi minus de rigore iuris, ex æquitate iuxta *l. 8.c. de iudicijs*, vbi dicitur *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe iuſtitiæ, & æquitatis, quam ſtricti iuris rationem*. quare puto, quod in tali caſu poſſent PP. Carthuſiani permittere carnes miniſtrari viro ſæculari intra ipſorum monaſteria grauiter ægrotati (ſaltem per miniſtrum ſæcularem) benignè interpretantes ſub dicto ſtatuto non comprehendi caſum adeò extraordinarium, & varijs ex capitibus excipiendum à generali regula: præſertim attenta regula, quam tradit *Gloſſa in c. tale pactum ff.de pactis §.vlt.* his verbis, *Id iure ſeruandum, licèt ſtatutum non ſit, quod veriſimile eſt ſtatuendum fuiſſe, ſi quæſitum fuiſſet*.

QVAERES XV. An PP. Carthuſiani vi huius ſtatuti prohibeantur permittere, quod viri ſæculares alijs item ſæcularibus intra ipſorum monaſteria miniſtrent carnes.

559 ℞. Prohiberi; patetque tum ex verbis illis ſtatuti, *ſeu ab alijs permiſerit miniſtrari*; quæ ſunt generalia, ideoque generaliter intelligi debent de quocumque miniſtrante, ſiue Religioſo, ſiue ſæculari; pro vt notant Doctores in *l.1.ff. de legatis præſtandi*: tum ex praxi, ac communi ſenſu ordinis tale ſtatutum interpretantis hac ratione, & non aliter.

QVAERES XVI. Quandonam cenſeatur Carthuſianus violare præſens ſtatum, ex eo quod non prohibeat miniſtrari carnes, cum valeat prohibere.

560 ℞. Quod, cum *prohibere* idem ſit, ac *impedire verbis* (ſiue id fiat auctoritate publica, ſiue priuata) vt benè aduertit *Bonac. de cenſur. in partic. D.1.q. 9.p.1.num.6.ex Vgolino, & Duardo*; tunc Carthuſianus cenſebitur violare hoc ſtatutum non prohibendo, quando valens verbis impedire, ne intra ſepta monaſterij carnes miniſtrentur quibuſcumq; perſonis; de facto non impedit, nec reſiſtit, ſed tacet, & diſſimulat: cum alioqui ſine notabili incommodo ſui ipſius, aut monaſterij, vel ordinis poſſit impedire, ac reſiſtere.

561 Dixi *cũ alioqui ſine notabili incõmodo ſui ipſius &c.* vt

vt innuerem, quod, cum homines excuſari poſſint ab implendis præceptis iuris humani non ſolum ratione impotentiæ phyſicæ, ſed etiam moralis (qualis interueniret in præſenti caſu): & dici poſſit non poſſe quem facere id, quod non poteſt facere, niſi cum magna difficultate, ac damno notabili: vi huius ſtatuti non tenetur Carthuſianus prohibere, ne modo dicto miniſtrentur carnes; ſi hìc & nunc prudenter iudicet id ceſſurum in graue præiudicium ſui, aut monaſterij: eò quod v. g. is, cui miniſtrantur carnes, ſit vir primarius, ſingularis benefactor ordinis, aut aliàs bono monaſterij apprimè neceſſarius, vel vtilis; & ex tali prohibitione ſit grauiter offendendus, magnamque conceptūrus diſplicentiam; in quo caſu vtique non diceretur Religioſus poſſe prohibere, moraliter loquendo: quod tamen ſupponitur in ſtatuto ijs verbis *prohiberi cum valebit*, debetque neceſſariò ſupponi, vt ſit iuſtum.

562 Et hoc de rigore iuris; de facto enim non defuerunt aliqui Carthuſiani, qui rigidiùs interpretantes hoc ſtatutum quo ad hoc, reſtiterunt in faciem etiam primarijs viris tam eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, nec vllo modo permittere voluerunt ipſos veſci carnibus intra clauſtra proprij monaſterij. Sic audiui ex Religioſo ordinis valdè graui, & fide digniſſimo, quod, cum Clemens VIII. ex occaſione viſitandi 7. eccleſias, per certum nuncium ſignificaſſet Priori monaſterij Carthuſienſis ſe ibi eo mane cibum ſumpturum, & ad talem effectum illuc miſiſſet carnes condiendas: Prior illas noluit vllo modo admittere intra monaſterium, ipſique Clementis poſtea accedenti dixit ſe ductum zelo proprij Inſtituti, & fretum ſingulari benignitate, ac pietate ipſius reſpuiſſe carnes miſſas, & humillime rogare Sanctitatem ſuam, vt dignaretur veſci cibis ab illorum Inſtituto conceſſis; quod omninò approbauit Clemens: at multa ſunt magis admiranda, quam imitanda.

QVAERES XVII. An, & quo modo PP. Carthuſiani vi præſentis ſtatuti prohibeantur non conſentire quod Religioſi eiuſdem ordinis comedant carnes, eiſque miniſtrentur, imò & teneantur prohibere, ſi poſſint.

563 ℟. Prohiberi; vt conſtat ex illis verbis, *ſeu alicui perſonæ ordinis miniſtrando, aut comedentibus, vel miniſtrantibus conſentiendo, vel non prohibendo, cum potuerit prohibere*; prohiberi inquam conſentire (intellige exteriùs, cum nulla lex humana extendere ſe poſſit ad actus merè internos per ſe præcipiendos, vt habet communior Doctorum ſententia cum *S. Thom. 1. 2. q. 91. a. 4. & q. 100. a. 9.*): imò & teneri poſitiuè prohibere, ſi poſſint ſine notabili ſuo incommodo, vt diximus *q. præcedenti* in ſimili. Tunc autem diceretur quis conſentire in comeſtionem, aut miniſtrationem carnium, quando videns, aut ſciens miniſtrari carnes Religioſo ordinis, verbis, aut alijs ſignis externis oſtenderet ſe id approbare, vel taceret; idque iuxta regulam 43. in 6. *qui tacet*, conſentire videtur. non puto tamen Religioſum Carthuſianum, ad hoc vt dicatur prohibere eſum, aut miniſtrationem carnium, pro vt præcipitur in hoc ſtatuto, teneri eas per vim ſurripere comedenti, aut miniſtranti; ſiquidem iuxta dicta *q. præcedenti* verbum *prohibere* non importat violentiam, cum ſignificet idem ac impedire verbis, & non aliud: ſi aliàs hinc ſequi poſſent inconuenientia longè grauiora, quæ magis debent vitari, cum non ſint facienda mala, vt inde veniant bona.

Vtrum verò Religioſus Carthuſianus vi præſentis ſtatuti ſaltem teneatur referre Superiori rem totam, vt ipſe ſua auctoritate impediat præfatam comeſtionem, ac miniſtrationem carnium.

564 ℟. De rigore iuris videri non teneri; patetque ex eo quod lex inducens obligationem explicari debet, ita vt obliget minùs, quam fieri poſſit, nec debet extendi vltra caſus clarè expreſſos. ad quod faciunt quæ habentur *c. 2. de translat. epiſc. Si idem* (ideſt canon.) fieri voluiſſet, *poterat expreſſiſſe*; cum ergò in præſenti ſtatuto expreſſè non ponatur talis modus prohibendi, ſed ſolùm generaliter dicatur *vel non prohibendo, cum prohibere potuerit*; & hæc verba benignè interpretari poſſiint de prohibitione, quam Religioſus faciat per ſe ipſum, & modo ordinario; non debent ampliari, ita vt obligent ad interponendam in hoc auctoritatem Superioris: quod vtique eſt onus non leue, adeoque non inducendum abſque ſufficienti fundamento. ita docti recentiores à me conſulti.

QVAERES XVIII. Quæ pœnæ infligantur contra Carthuſianos violantes præſens ſtatutum.

565 ℟. Infligi eas, quas recenſuimus q. 6. ex ipſomet ſtatuto à nobis relato hìc q. 1. nec non excommunicationem maiorem ipſo facto latam à Paulo IV. & Papæ pro tempore exiſtenti reſeruatam; vt conſtat ex Conſtitutione ipſius Pauli IV. cuius originale authenticum ad me Roma tranſmiſſum fuit opera ℟. admodum P. Prioris Carthuſiæ Ferrarienſis; tenor autem illius ſic habet: *Vobis* (ideſt Carthuſienſibus) *in virtute S. Obedientiæ, & ſub maioris excommunicationis, à qua non niſi à nobis, aut Roman. Pontifice pro tempore exiſtente, præter quam in mortis articulo conſtituti abſolui poſſitis: diſtrictiùs inhibentes, ne prioribus Pœnitentiariæ, ac Prædeceſſoris* (Iulij ſcilicet Papæ III.) *literis, aut proceſſu huiuſmodi vti, aut vos illis iuuare quomodolibet præſumatis; ac vobis in ſimili virtute, & ſub eadem pœna mandantes, vt Regulam, & conſuetudinem in dicto ordine circa præmiſſa hactenus obſeruatam* (nimirum circa eſum carnium etiam pro tempore infirmitatis) *inuiolabiliter obſeruetis in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi priores Pœnitentiariæ, ac Prædeceſſoris literæ, ac proceſſus huiuſmodi minimè emanaſſent*. Vbi notandum per huiuſmodi literas, ſeu proceſſus fuiſſe indultum Carthuſienſibus *tam profeſſis, quam laicis, oblatis, ſiue Conuerſis; vt quicumque ex eis, quos aliquibus infirmitatibus detineri contingeret, etiam quadrageſimalibus, & alijs diebus, quibus eſus carnium erat generaliter prohibitus, de conſilio Medici corporalis, carnibus, & alijs cibis eis iuxta Regulam, ſeu Conſuetudinem prædictam prohibitis veſci, ac Miniſtri eis deſeruientes, carnes, & cibos huiuſmodi eis propinare, & præparare abſque alicuius ſententiæ, cenſuræ, vel pœnæ, etiam per Regulam, ſeu Conſuetudinem, aut Inſtituta huiuſmodi impoſita, vel imponenda incurſu, aut aliquo conſcientiæ ſcrupulo poſſint,*

ſint, nec propterea regulæ, ſeu conſuetudinis prædictæ in aliquo tranſgreſſores eſſe cenſerentur. Quin etiam in præfatis literis, ſeu proceſſibus excommunicationi maiori Papæ reſeruatæ, & ipsò factò incurrendæ ſubijciebantur Carthuſienſes, qui contra conſilium medici corporalis, tempore infirmitatis non vtebantur carnibus, alijſque ſimilibus cibis; nec non in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis ſupradictę diſtrictiùs inhibebatur Generali, & Viſitatoribus, atque alijs Superioribus domorum Ordinis, & prouinciæ Bethicæ, & Caſtellæ, nec non quibuſuis alijs perſonis tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, ne eos, vel aliorum aliquem ſuper premiſſis, vel eorum occaſionem impedire, moleſtare, vel aliàs quomodolibet inquietare, aut literas ipſas occultare, ſiue quo minùs illis pacificè, & quietè vti poſſint, facere, vel promouere, aut eiſdem literis aliquo modo contrauenire auderent, ſeu præſumerent, decreto irritanti deſuper adiecto. Verùm Paulus IV. in allegata Conſtit. (quam edidit 16. Nouemb. 1555.) dictas literas, ſeu proceſſus, omneſque & ſingulas cenſuras, ac pœnas in eis contentas Apoſtolica auctoritate reuocauit, caſſauit, irritauit, & annullauit, decernens inſuper, eas Prioribus, Monachis, & Religioſis ſub illis comprehenſis minimè ſuffragari poſſe. Quæ placuit paulò latius adnotare, quia multis erunt noua, & fortè apud vllum Doctorem non inuenientur.

Circa cuius excommunicationis intelligentiam placet aduertere, ea non obſtante, ſubſiſtere doctrinam datam *ſup. q. 11.* & quidem non ſolum in caſu, quo Carthuſianus alioqui eſſet fame moriturus, (quod facilius concedunt DD.) ſed etiam in caſu, quo medicorum iudicio ægrotans liberari non poſſet ab ægritudine abſque eſu carnium (quod DD. non concedunt ita facilè) ratio eſt, tum quia pœnæ eccleſiaſticæ non debent explicari cum tanto rigore: tum quia Paulus IV. in bulla modò relata loquitur de infirmitate, abſtrahendo à periculo mortis; ſicque (quod mihi conſtet) ſub ſua prohibitione non comprehendit infirmitatem mortalem modo ſupradicto; vnde dicta prohibitio ſine ſufficienti fundamento non debet extendi ad talem infirmitatem: cum à diuerſis non fiat illatio, vt patet, præſertim in materia pœnali, quæ eſt odioſiſſima.

TRA-

TRACTATIO V.

DE.

Præcipuis Regularium Obligationibus.

IN præſenti tractatione agendum nobis eſt de præcipuis Regularium obligationibus, ad quas ij tenentur ſiue ratione ſtatus Religioſi, quem profitentur, ſiue ex decretis Pontificijs, quæ varijs temporibus emanarunt, ſiue ex peculiaribus Conſtitutionibus, quæ in vnoquoque Ordine ſeruantur. In ijs autem explicandis illum ordinem ſeruabimus, vt totam tractationem in 12. Capita diuidentes in 1. cap. agamus de obligatione acquirendi perfectionem Religioſam: In 2. De Obſeruantia Regularum, ac Conſtitutionum: In 3. De Frequentia Sacramentorum Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ: In 4. De Obſeruantia Feſtorum, & de auditione Miſſæ: In 5. De Obſeruantia Ieiuniorum: In 6. De Cuſtodia Clauſuræ: In 7. De Obligatione deferendi religioſum Habitum, & Tonſuram: In 8. De Recitatione Horarum Canonicarum tam in Choro, quàm extrà: In 9. De Obligatione celebrandi Miſſam: In 10. De Fidei profeſſione facienda: In 11. De Obligatione intereſſendi Proceſſionibus: In 12 De Spirituali Proximorum ſalute procuranda.

Quod ſi in hac Tractatione aliquæ obligationes explicantur, quæ non ſunt propriæ Regularium, ſed communes etiam Eccleſiaſticis ſæcularibus, imo & omnibus Chriſtianis: id factum eſt, vt Regulares in hoc vno Manuali reſoluta habeant omnia dubia, quæ frequentius ipſis occurrere poſſunt in quacumque materia ad Religioſos ſpectante, ſiue ipſorum propria, ſiue etiam communi alijs. vt proinde titulus huius Tractationis non ſit de *proprijs Regularium obligationibus*, (in quo caſu explicare obligationes communes vniuerſis Eccleſiaſticis, aut omnibus Chriſtianis eſſet ſaltare extra propoſitum,) ſed *de præcipuis Regularium obligationibus*; quales ſunt tum eæ, quæ ſunt ipſorum propriæ, tum quæ ſunt communes alijs, vtpote æque cadentes in Religioſos, ac in alios.

CAPVT I.

De Obligatione acquirendi Religioſam Perfectionem.

1 *STatus Religioſus eſt ſtatus perfectionis.*
2 *Explicatur, in quo conſiſtat Perfectio religioſa.*
3 *Vt quis dicatur in ſtatu religioſæ perfectionis, debet coniungere obſeruantiam praeceptorum cum obſeruantia conſiliorum.*
4 *Perfectio religioſa eſt eadem ſubſtantialiter in omnibus Religionibus.*
5 *Acquiri poteſt in hac vita, ſed non omnimoda.*
6 *Ad eam tendere debent Religioſi, at non debent eſſe perfecti.*
7 *Tendere autem debent ſolum per media praſcripta in Regula.*
8 *At hac obligatio non eſt diſtincta ab obligatione ſeruandi vota, & praecepta Regulæ.*

9 *Eſſe perfectum eſt aliquid amplius, quam ſeruare prædicta.*

10 *Statuens omittere ea, quæ in Regula non obligant ad vllam culpam, vel ſolum ad venialem, regulariter peccat ſolum venialiter.*

11 *Secùs, ſi ſit periculum violandi vota, & præcepta, aut adſit ſcandalum.*

12 *Intendens non attingere perfectionem, etſi ſeruet vota, ac præcepta, peccat mort.*

13 *Violat obligationem tendendi ad perfectionem, qui intendens acquirere perfectionem violat vota, ac præcepta.*

14 *Secus ſi regulam violet abſtrahendo ab intentione non tendendi ad perfectionem.*

15 *Eſt in malo ſtatu, qui habet propoſitum liberè peccandi venialiter.*

16 *Media ad Perfectionem alia interna, & alia externa.*

17 *Negligens in vſu horum non eſt in malo ſtatu, ſi ſeruet ſubſtantialia.*

18 *Arctius non tenentur ad perfectionem, qui in profeſſione promittunt morum conuerſionem.*

19 *Contra obligationem tendendi ad perfectionem peccatur in pluribus caſibus.*

20 *Præferenda propria perfectio Proximorum perfectioni.*

21 *Profitentes vitam mixtam poſſunt æqualem perfectionem acquirere, ac profitentes vitam merè contemplatiuam.*

22 *Imò vita mixta auget perfectionem vitæ contemplatiuæ.*

23 *Acquiſitio perfectionis eſt facilior degentibus vitam ſocialem.*

24 *Peccata Religioſorum, vt ſic non ſunt grauiora peccatis hominum ſæcularium.*

QVÆRES I. An ſtatus religioſus ſit ſtatus perſectionis.

1 ℞. Eſſe, & patet ex dictis *tr.1. cap.3. ſect.2. q.1.*

QVÆRES II. In quo conſiſtat perfectio religioſa.

2 ℞. Conſiſtere non ſolum in eo, quòd Religioſi diligant Deum, & proximum per virtutem charitatis, quæ eſt vinculum perfectionis, & eſt velut eſſentia Chriſtianæ perſectionis; ſed etiam quòd per conſilia, & maximè per tria vota ſubſtantialia Religionis (quorum emiſſione fideles mutant ſtatum, ſeque Deo in perpetuum dicunt) chriſtianarum virtutum ſtudio vacent, illarumque exercitio remoueant omnia impedimenta, quæ chriſtianæ perfectioni opponuntur, eamue quoquo modo remorantur. Colligitur ex *S.Tho.2.2.q.134.a.1.&2.* & probatur, quia ex vna parte res ordinata ad finem tunc eſt perfecta, quando ſuo fini coniungitur; coniungitur autem homo Deo per charitatem; quippequi eſt finis illius iuxtà illud *1. Io.4. qui manet in charitate, in Deo manet:* ex alia parte, ſicut perfectio vitæ naturalis humanæ non conſeruatur ſolis naturæ partibus eſſentialibus, ſed etiam alijs diſpoſitionibus conſeruantibus, & remouentibus contraria; ſic & perfectio Chriſtiana importat non ſolùm charitatem, in qua veluti eſſentialiter ipſa conſiſtit, ſed & alias virtutes ſupernaturales tanquam diſpoſitiones, quibus charitas vtitur, & fouetur iuxtà illud *1. Cor.13. charitas patiens eſt, benigna eſt, &c.* idque media conſiliorum euangelicorum obſeruatione, & præcipue 3. votorum ſubſtantialium religionis: quæ obſeruatio coniungi debet neceſſario cum charitate, ad hoc, vt quis dicatur tendere ad perfectionem religioſam. In hoc enim differt perfectio chriſtiana à religioſa, quòd illa conſiſtit præcisè in charitate, qua quis diligat Deum, & proximum, vitatis omnibus peccatis mortalibus; hæc verò non ſaluatur in qualicumque charitate, ſed petit, vt cum charitate coniungatur perfecta obſeruatio conſiliorum; idque per firmam, ac immobilem vitæ mutationem, per quam homo dicitur non ſolùm progredi ad perfectionem, ſed verè, & propriè conſtituitur in ſtatu perſectionis, vt mox dicam.

Hinc, ſi quæras, quod requiratur, vt quis dicatur eſſe in ſtatu perſectionis religioſæ.

3 ℞. Requiri, vt modo ſupradicto coniungat præceptorum obſeruantiam cum obſeruatione conſiliorum, & præſertim 3. votorum ſubſtantialium religionis, per quorum emiſſionem mutet ſtatum, & vitæ genus: quod eſt ita neceſſarium, vt, ſi quis conſilia euangelica ſeruet, ſtudioſè colens Paupertatem, Caſtitatem, ac Obedientiam, & nulla regula ſit adſtrictus; is dicatur quidem eſſe ſtudioſus perſectionis, non tamen eſſe in ſtatu perfectionis; vtpote qui non profitetur certum vitæ genus, quod includit 3. vota eſſentialia religionis: ideoque non eſt in ſtatu, qui iuxta communem DD. ſenſum eſt quædam forma, ac immobilis conditio ad aliqua officia, ac opera facienda: cum alioqui totalis immobilitas dari nequeat abſque emiſſione 3. votorum; quæ ita conſtituit Religioſum in ſtatu perfectionis, vt, quamuis ille ſit expers charitatis, adhuc cenſeatur manere in tali ſtatu; vt notat *Azor. tom.1. l.11. c.24. q.1.*

QVÆRES III. An perfectio religioſa ſit eadem in omnibus Ordinibus.

4 ℞. Eſſe, ſi loquamur de perfectione ſumpta ſecundùm ſuam eſſentiam: ſecus, ſi eam ſumamus ſecundùm ſua accidentalia. pars 1. patet ex eo, quod cùm eſſentia perfectionis iuxtà dicta conſiſtat in charitate, ſicut charitas eſt ſemper eiuſdem rationis, ſic & eiuſdem rationis erit perfectio. pars 2. probatur ex eo quòd, cùm accidentalia perfectionis ſita ſint in obſeruantia conſiliorum (vt iam oſtendimus) & ſecluſis 3. votis eſſentialibus religionis, non omnia conſilia ſint neceſſaria ad omnes, ac ſingulos perfectionis ſtatus; fit, vt in vno Ordine expediat ſeruare aliqua conſilia, & alia in alio; cùm tamen quilibet illorum ſtatum perfectionis profiteatur: vnde, ſicut conſilia ſunt diuerſæ rationis, ſic diuerſæ rationis eſt perfectio, quam illi Ordines profitentur. Colligitur ex *Suar. tom.3. de relig. l.1. c.10 num.6.* vbi probat non omnia conſilia eſſe neceſſaria ad omnes, & ſingulos ſtatus perfectionis; cùm non omnia poſſint ſimul impleri; imò nec omnia ſint conſona, & proportionata cuilibet ſtatui: vt conſtat ex eo, quòd aliqua ſunt proportionata diuitibus, alia pauperibus, aliqua incipientibus, & alia proficientibus, aut perfectis: ita vt generaliter dici poſ-

ſit

ſit illorum conſiliorum obſeruantiam in quolibet ſtatu requiri, quæ ipſi ſint proportionata, & non alia.

QVAERES IV. An, & quo modo Religioſi poſſint acquirere perfectionem.

5 ℞. Quòd, licèt in hac vita non poſſint eſſe adeo perfecti, vt diligant Deum, quantùm in ſe eſt amabilis, id eſt dilectione infinita; imò nec quantùm poſſibile eſt ex parte diligentis, ita ſcilicet, vt ſemper actu diligant: poſſunt tamen pertingere ad illam perfectionem charitatis, vt vitent omnia, quæ contrariantur charitati, nempe mortalia peccata, & caueant ea, quæ poſſunt eſſe impedimento, quò minùs liberè, ac expeditè ferantur in Deum. ita DD. communiter cum *S. Thom. ſup. art.* 2. & patet ex iis, quæ traduntur in ſcholis de gratiæ efficacia contrà Sectarios negantes poſſe quem vitare omnia peccata mortalia. Solùm moneo cum *Valentia tom. 3. D.* 10. *qu. 2. par. 2. §. vltim.* nomine eorum, quæ impediunt expeditum motum charitatis in Deum, hic intelligi non peccata venialia, ſed bona temporalia, quæ ſolent eſſe occaſio peccandi, & conſequenter retardant charitatem. Vnde fit, vt Religioſus poſſit modo ſupradicto perfectus dici, etſi in effectu venialiter peccet, ſiue ex infirmitate, ſiue ex ignorantia, vel alia de cauſa; cùm talis perfectio conſiſtat ſolùm in abdicatione præfata rerum temporalium, ac in affectu, & conatu vitandi omnia peccata, etiam venialia, quantùm eſt in ipſo; non autem in actuali fuga omnium peccatorum venialium.

QVÆRES V. An Regulares vi ſtatus teneantur eſſe perfecti.

6 ℞. Non teneri, ſed ſolùm debere ad id tendere, curando, vt perfectionem comparent charitatis, & illa exequantur, quæ ad eam comparandam ſunt neceſſaria. ita *Sanch. lib. 6. mor. cap. 5. numer.* 1. cum *S. Thoma 2. 2. qu. 186. art.* 2. & aliis Doctoribus; patetque quia ſtatus religioſus non eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, ſed eſt ſchola perfectionis; quo nomine illum vocant Sanct. Patres, & præcipuè *S. Thomas ſupra* hinc inferens, quòd, ſicut intrans ſcholas non profitetur ſe ſcientem, ſed profitetur ſe ſtudentem ad effectum ſcientiam acquirendi: ita religioſus non tenetur eſſe perfectus vi ſtatus religioſi vt ſic, ſed ſolùm tenetur tendere ad perfectionem vtendo mediis opportunis, & præſertim obſeruando vota ſubſtantialia religionis, nec non regulas, & ſtatuta proprii Ordinis.

QVÆRES VI. An Regulares teneantur progredi ad perfectionem per omnia, & ſingula opera, quæ ad eius acquiſitionem deſeruire poſſunt.

7 ℞. Non teneri, ſed ſufficere eos tendere ad eam per media præſcripta in regulis, aut conſtitutionibus ſui Ordinis. ita *S. Thom. art. cit. ad* 3. aliique communiter; & probatur, quia nec Deus, nec Eccleſia, nec vota in religione facta petunt à Religioſo aliquid amplius, quàm vt vitam regularem peragat iuxtà ſuum Inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum: quin etiam nec finis ſtatus religioſi, qui eſt perfectio vitæ chriſtianæ comparandæ, exigit amplius, quàm niti ad illam per media inſtituta à Religione, quam quilibet profitetur; cum talis perfectio ſufficienter obtineri poſſit per dicta media, vtpote quæ tanquam ſufficientia ad finem illum conſequendum ab Eccleſia ſunt approbata.

QVÆRES VII. An Regulares teneantur tendere ad perfectionem peculiari aliquo præcepto diſtincto à præcepto ſeruandi 3. vota ſubſtantialia Religionis, & ſta præſcripta in Ord. regula.

8 ℞. Teneri ſolum præcepto generali imbibito præcepto ſeruandi vota, ac regulas; quo modo præceptum ſeruandi mandata Dei, & non peccandi non eſt ſpeciale præceptum diſtinctum à peculiaribus præceptis, ſed imbibitum in illis. ita *Sanch. ſup. num.* 5. contrà *Caietanum 2. 2. q. 184. ar. 5. Tabienam v. religio num.* 5. & alios; quorum opinionem *Sanchez* dicit eſſe probabilem: & probatur, tum quia non debent multiplicari præcepta, vtpote odioſa, abſque rationibus vrgentibus, & valde neceſſariis; quales tamen non videntur eſſe, quæ in iſto caſu referuntur in contrarium; vt conſtat ex illarum ſolutione allata à *Sanchez*: tum quia, ſi extaret diſtinctum præceptum tendendi ad perfectionem ſecundùm regulas, & vota; quoties Religioſus violat aliquod votum, duplex peccatum committeret, alterum contrà votum violatum, & alterum contrà ſupradictum præceptum; non ſecus, ac Religioſus fornicans duplex facit peccatũ, vnum contrà votum Caſtitatis, & aliud contrà virtutem Continentiæ eo quòd reſpectu illius extent duo præcepta, videlicèt vnum ſeruandi votum Caſtitatis, & alterum non fornicandi: quod non ita facilè admitterent Aduerſarii, vel ſaltem non deberent admittere ob rationem ſuperiùs adductam.

9 Neque hinc fit Religioſum non ſolùm teneri tẽdere ad perfectionem, ſed debere eſſe perfectum; ſicut aliqui inferunt apud *Sanch. ſup. num.* 4. inde id probantes, quòd, cum Religioſi non teneantur ſolùm tendere ad obſeruationem votorum, ſed debeant reuera illa obſeruare; ſi detur præceptum nitendi ad perfectionem non eſſe in Religioſis diſtinctum à præceptis ſeruandi vota, ſed eſſe velut generale imbibitũ in illis; dandum item erit, quòd, ſicut ii tenentur de facto ſeruare vota, ita tenebuntur de facto eſſe perfecti; quod tamen communiter negant DD. Non inquam ſequitur hoc ex noſtra reſponſione: nam obſeruare vota, & regulares obſeruantias non eſt Religioſum eſſe perfectum, (quod ſupponit conſummatam charitatem, & perfectam acquiſitionem virtutum) ſed eſt applicare media ad comparandam perfectionem: quod eſt tendere ad perfectionem, non autem eſſe perfectũ, quod eſt aliquid amplius, quàm ſeruare vota.

QVÆRES VIII. An Regulares peccent contra obligationem tendendi ad perfectionem, ſi proponentes ſibi ſeruare vota, & alia omnia præcepta tum regulæ, tum Superiorum, ſtatuant omittere illa, quæ non obligant ad vllam culpam, vel ſolùm ad venialem.

10 ℞. Per ſe non peccare, niſi venialiter, excepto tamen caſu, in quo id facerent per contemptum. ita *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l. 1. cap. 4. numer.* 4.

*Azor.ſupr.cap.vlt.qu.*11. alijque ex doctrina *S. Thomæ ſupr.a.*2. & probatur, quia nulla ratio vrget ad damnandum dictum ſimplex propoſitum de peccato veniali ſiquidem hoc ipſo quod volunt exequi omnia vota, & præcepta obligantia ſub mortali, volunt ire ad perfectionem vitæ, & multa conſilia euangelica ſeruare: quæ, licèt ratione voti non videantur reſpectu eorum conſilia, ſed præcepta; cum tamen ad ea ſponte ſe obligarint vltra præcepta communia Chriſtianorum, adhuc verè ſunt conſilia: ex alia parte non niſi leuiter deficiunt à propoſito perfectionis, qui habent dictum propoſitum; cùm perfectio eſſentialis, quam Religioſus profitetur, & ad quam directè ſub culpam ſe adſtringit, conſiſtat in ſola obſeruantia votorum, & aliarum rerum obligantium ſub mortali, non autem in alijs obſeruantijs, ad quas ille non tenetur ſub mortali, ſed ſolùm ne occludat aditum Spiritui S. meliora inſpiranti; quod videtur importare ſolùm culpam venialem.

11 Dixi initio reſponſionis religioſum, qui habet dictum propoſitum, peccare ſolùm venialiter, per ſe loquendo, quia poteſt euenire ipſum aliunde peccare, etiam mortaliter, ob periculum violandi vota, & alia præcepta grauia, nec non deficiendi à religione, vt dicetur *cap. ſequenti queſt.* 17. Dixi præterea *excepto caſu, in quo id faceret per contemptum*; certum eſt enim Religioſum habentem tale propoſitum tunc m. peccaturum, vt oſtendit *Sanchez ſup. numer.*6. docens nomine contemptus hìc ſolùm ſignificari, quòd Religioſus omittat ſeruare conſilia tanquam vana, ac inutilia: non autem quòd illa omittat ea ſola ratione, quòd videt ea ſibi non præcipi, nec eſſe ad ſalutem neceſſaria: quo modo *Caiet.* 2. 2. *qu.* 186. *a.* 2. *§. ad euidentiam*, ait tunc contingere contemptum conſiliorum, quando contemnitur Deus ipſa conſilia præſtans; quando ſcilicet homo refugit ſubijci conſilijs diuinis, ac perfectiori vitæ, vt à Deo traditis: contemptus enim eſt nolle ſubijci regulæ diuinæ. At ſi quis, inquit *Caietan.* ſpiritualem profectum, & conſilia diuina, vt à Deo data reuereretur, ſed quia non tenetur ad illa, nec ſunt neceſſaria ad ſalutem, renuit illa ſequi, nec curat ea ſeruare, is non contemnit Deum, ſed potiùs operum executionem, & per hoc non peccat mortal. ſed ſolùm venialiter ex incuria hac deliberata, quæ aliqualis contemptus eſt, omittendo intentionem, ac executionem profectus ſpiritualis, ac bonorum operum, quæ facere poſſet. hæc *Caietanus* qui, cùm loquatur generaliter, non exprimendo neque religioſos, neque ſæculares, vtique in hac ſua doctrina comprehendit Religioſos. Quæ doctrina videtur ſatis probabilis, & eſt etiam *Valentiæ, Azorij, & S. Thomæ*, quos refert *Sanch. ſup.* eſtque pia, & conformis humanæ fragilitati, ideoque ſuſtineri poteſt; quidquid aliqui cum *Sylueſtro, Corduba, & Tabiena* adductis a *Sanchez numero* 7. ſuſtineant Religioſum tunc dici contemnere perfectionem, adeoque peccare contra illam ex contemptu, quando animum habet non tendendi ad illam; ſiue poſteà peccet ex contemptu, ſiue ex negligentia, ſiue alia de cauſa; quorum opinio, ait *Rodriquez tom.* 3. *quæſt.* 48. *art.* 1. eſt terribilis multis Religioſis, qui nec actu, nec virtute habent animum tendendi ad perfectionem maioris charitatis in dies, nec curant ad eam tendere, plùs quàm Clerici ſæculares, aut viri laici.

QVÆRES IX. An Regulares mortaliter peccent contrà obligationem tendendi ad perfectionem, ſi ſeruantes regulam, & vota intendant non attingere perfectionem vitæ religioſæ, & finem per eam intentum.

12 ℞. Mortalit. peccare; & probatur ex eò quòd, licèt Religioſus non teneatur attingere perfectionem, & eſſe perfectus (vt iam oſtendimus) tenetur tamen non habere actum contrarium, ideſt propoſitum eam non attingendi per talia media: aliàs fruſtrà apponeret media cum intentione repugnante fini, ad quem ea media ordinantur. ita *Corduba in regul. S. Franciſci cap.* 1. *q.* 3. & quidem loquens de peccato mort. (etſi id non exprimat) dicit enim Religioſum in hoc caſu ſimiliter peccare, ac illum, qui negligit perfectionem, dicens aliàs hunc peccare mort.

QVÆRES X. An Regulares contrà dictam obligationem faciant, ſi violantes vota, & regulares obſeruantias nihilominùs animum retineant acquirendi religioſam perfectionem.

13 ℞. Facere; patetque ex eo quòd, cùm Religioſum ſeruare vota, & præcepta ſui Ordinis idem ſit, ac tendere ad perfectionem eo modo, quo tenetur tendere; conſequenter non obſeruare votum aliquod, aut præceptum erit idem, ac non tendere ad perfectionem. Vnde fit, vt, licèt talis Religioſus animum habeat tendendi ad perfectionem in alijs occaſionibus, in ea tamen, in qua de facto peccat, violet præceptum, quod habebat procurandi perfectionem per talis peccati euitationem. ita *Sanch. ſup. numer.* 12. contrà *Caiet.* 2. 2. *q.* 184. *a.* 5.

QVÆRES XI. An Regulares faciant contrà dictam obligationem, ſi ex vſu licentioſè viuendi, regulas violent, abſtrahendo à dicta intentione non tendendi ad perfectionem.

14 ℞. Videri non facere; & patet ex dictis *qu.* 8. Quamquam, ſi detur propoſitum formale non tendendi ad perfectionem eſſe peccatum mortale, (quod nos negamus conſequenter ad dicta *nu.* 10.) Religioſus in caſu hic propoſito dicendus ſit peccare mortaliter; cum in moralibus conſenſus indirectus, ac virtualis perinde valeat, ac formalis, & directus; & Religioſus videns ſe longo tempore deficere ab obſeruantia totius regulæ, cenſeatur habere plùs, quàm virtualem conſenſum non proficiendi in perfectione ſecundùm illam regulam; ideoque ex tunc incipiat peccare m. quando incipit præuidere ſuum ſtatum, & non vult adhibere remedium, ſed voluntariè continuare; quo modo committens leuia furta dicitur peccare m. ſtatim, ac incipit præuidere iam conſurgere materiam grauem; vt aduertit *Suar. ſup. n.* 7.

QVÆRES XII. An ſint in malo ſtatu, & peccent contra dictam obligationem Religioſi, qui habent propoſitum faciendi omnia peccata venialia ijs quoquo modo ſe ſe offerentia.

15 ℞. Quod, cum *Sanch. l.* 1. *mor. c.* 5. *n.* 4. *Bonac. D.* 2.

de

de leg. q. 3. *p.* 5. *nu.* 17. aliique doceant propoſitum faciendi omnia venialia occurrentia eſſe mortale peccatum, cum venialia teſte *S.Tho.* 1.2. *q.*83. *a.*3. diſponant ad mortale, ſicque volens ea facere ſe exponat periculo peccandi mortaliter, ideoq; peccet mortaliter; conſequenter dicent Religioſum in iſto caſu eſſe in malo ſtatu, & peccare mortaliter: idque ob rationem modò allatam, Quamquam *Caſtrus Palaus tract.* 2. *D.* 2. *p.* 9. §. 3. *n.* 5. dicat ſententiam præfatorum Doctorum ſibi ſemper difficilem apparuiſſe, eò quod peccata venialia non diſponant proximè, & moraliter ad peccatum mort. ſed remotè; ſicque non raro videamus homines nullũ facere peccatum m. qui alias non curant euitare venialia; quippe qui habent cum propoſito faciendi venialia propoſitum non peccandi m. & adhuc opera virtutum exercent; ita vt quod deperditur ex vna via, reparetur ex alia: tum quia ex oppoſita ſententia ſequitur fideles teneri ſub mortali cauere aliqua venialia, quatenùs ſcilicèt omnia venialia per Aduerſarios ſunt proxima occaſio peccandi m. & quilibet tenetur vitare occaſiones proximas peccandi m. quod ſi detur; iam quæro quot, & quæ ſint ea peccata venialia, quæ debent vitari; non enim ſignari poſſunt, vt patet: tum quia etſi peccatum v. diſponat ad mortale, non ideò tamen conſtituit hominem in probabili periculo peccandi m. ideoque peccatum v. non ſit mortale vi periculi præuiſi; ita Caſtrus Palaus.

QVÆRES XIII. Quibus medij poſſint Regulares acquirere perfectionem religioſam.

16 ℞. Poſſe acquirere varijs medijs, quorum aliqua ſunt merè interna, per quæ anima Deo immediatè vnitur per æternarum rerum meditationem, conſcientię diſcuſſionem, ac exercitium internarum virtutum; alia externa, quæ ſubſtingui poſſunt in ea, quæ per ſe ſe, & ex opere operato animam ſanctificant, (vt ſunt Sacramenta, & ſacrificia) & in ea, quæ ex opere operantis; vt ſunt exteriores exercitationes virtutum. ita *Suar. ſup. tr.* 10. *l.* 8. §. poſito ante *cap.* 1.

QVÆRES XIV. An ſint in malo ſtatu Regulares, qui in vſu dictorum mediorum ſunt valdè negligentes, ideoque non proficiunt in via religioſæ perfectionis.

17 ℞. Non eſſe, modò ſeruent ſubſtantialia religionis, firmiterque ſtatuant cauere quodcumque probabile periculum peccandi m. Colligitur ex dictis *ſup. q.* 8. & 12. patetque ex dictis vtrobique. moneo hic ſolùm effatum illud SS. Patrum *In via Dei non proficere deficere eſt*, non debere intelligi formaliter, ac rigoroſè (cùm poſſit quis non creſcere in gratia, & tamen, ſi non peccet, non regredi in via Dei) ſed de defectu alicuius culpæ v. vel defectu in acquirendo aliquo morali vitio, aut de augmento alicuius inordinatæ affectionis impedientis curſum, aut facilitatem virtutis; quod eſt deficere cauſaliter, conſecutiuè, & morali modo; maximè ſtante ſubtractione ſpecialium auxiliorum, quæ Deus ſubtrahere ſolet Religioſis tepidioribus in pœnam ſocordiæ, & quæ illis etiam concederet, ſi eſſent ſollicitiores in procurando proprio profectu ſpirituali.

QVÆRES XV. An arctiorem habeant obligationem tendendi ad perfectionem religioſi illi, qui in profeſſione promittunt morum conuerſionem; vt præcipitur in *regula S.Benedicti cap.* 58.

18 ℞. Non teneri; cùm talis conuerſio morum (quam etiam Carthuſiani, & alij promittunt) ſemper intelligatur iuxta regulam; nam Religioſus non tenetur ad mores ſupererogationis non contentos in regula, vel certè qui ad illam non reuocentur: & quantumuis eo modo profiteantur, ſolùm ſe obligant ad habendum propoſitum ſeruandi regulam; quod tamen eſt habere propoſitum tendendi ad perfectionem, cum Religioſus non teneatur aliter ad illam tendere, quam ſeruando regulam, vt notauit *Caietanus* 2.2. *q.* 186. *a* 9.

QVÆRES XVI. In quot, & quibus in caſibus peccent m. Regulares contra obligationem procurandi propriam perfectionem.

19 ℞. Peccare in quinque caſibus: 1. ſi contemnant ea, per quæ venitur ad perfectionem: 2. ſi violent regulam eo fine, vt non attingant perfectionem; idque etſi regula obliget ſolùm ad peccatum v. aut ad nullum: 3. ſi firmiter ſtatuant nullo modo curare de perfectione ſui ſtatus: 4. ſi habentes talem animum dicunt, *nolo tendere ad perfectionem*: 5. ſi ſuo prauo exemplo alios ſeducant ad relaxationem regulæ; & hoc ratione damni inde prouenientis Ordini. ita *Lezana tom* 1. *cap.* 1. *num* 10. aliique penes ipsum, & patet ex dictis; ſi moneo Religioſum in hoc vltimo caſu non peccare contra propriam perfectionem, ſed potius contra pietatem debitam religioni, aut etiam contra charitatem Proximi, ideoque minus bene videri appoſitum caſum hunc inter illos, in quibus Religioſus peccat contra obligationem acquirendi perfectionem.

QVÆRES XVII. An Regulares teneantur præferre propriam perfectionem perfectioni Proximorum procurandæ.

20 ℞. Teneri, charitate ordinata id exigente, quæ incipit à ſe ipſo, idque depoſcente munere ipſo vacandi proximorum ſaluti; cùm valdè inordinatum ſit, vt quis priùs doceat, quam diſcat. vnde ſit, vt meritò reprehendi debeant Religioſi, qui omnem ſollicitudinem collocantes in iuuandis proximis negligunt propriam perfectionem, & ſalutem omittentes ſolitas ſpirituales exercitationes, aut certè illas non integrè, vel ſegniter facientes: quaſi verò *Matth.* 16. *v.* 26. non diceretur; *Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

QVÆRES XVIII. An Regulares vitam mixtam profitentes æqualem perfectionem attingere poſſint, ac ſi profiterentur vitam merè contemplatiuam.

21 ℞. Poſſe attingere, imò & maiorem. moueor ex eo quod vita mixta includit totam perfectionem vitæ contemplatiuæ, & in nullo eam diminuit, ſed potiùs auget, ideoque in ea attingi poterit perfectio, etiam maior; quod nemo negabit, vbi probatum fuerit vitam mixtam includere non ſolum perfectionem ſubſtantialem vitæ contemplatiuæ, ſed etiam illam augere: quod facile probatur. Et quidem quod vita mixta includat perfectionem

ſubſtantialem vitæ contemplatiuæ, patet quia per ſe illam intendit, exercet, & procurat (vt ſuppono) nec eam vllo modo diminuit; vt conſtat ex eo quòd ſi in aliquo diminuit, maximè quia quo tempore vacatur actioni proximorum, diſtrahit animum, ne actu poſſit Deum in ſe diligere: cùm tamen, per ſe loquendo, & regulariter, id non proueniat ex vi talis actionis: quippequæ per ſe includit cogitationem de Deo, ac rebus diuinis, & ſecum admittit aſcenſionem cordis in Deum, qui ſæpè eſt neceſſarius ad implorandum diuinum auxilium pro obeũdis ſpiritualibus miniſterijs ad proximorum ſalutem ordinatis. præterquam quòd, cùm talia miniſteria ordinentur ad maiorem Dei gloriam, & exerceantur ob purum eius amorem: fit vt, licèt proximè obeantur ob charitatem proximi hæc ipſa charitas proximi ſit virtualis quædam dilectio Dei, qui eſt tota ratio ſic diligẽdi proximum; vt proinde dici poſſit ex hoc capite non diminui in vita mixta perfectionem vitæ contemplatiuæ.

22 Quod verò vitam xta potiùs augeat perfectionem vitæ contemplatiuæ: probatur, quia in ſtatu vitæ mixtę ſunt plures occaſiones exercendi vnà cum charitate multas, ac excellentes virtutes: adeſt commoditas conſequendi maiorem Dei notitiam, ac exercendi altiori modo eius charitatem: adſunt & plures occaſiones ſuſtinendi labores, ac patiendi mala propter ipſum: itaut exceſſus, qui attenditur in vita contemplatiua, ſit ſolùm (vt ita dicam) in cauſalitate per accidens, remouendo ſcilicet magis impedimenta; exceſſus autem vitæ mixtæ ſit in cauſalitate per ſe, præbendo ſcilicet materiam, & opera maioris meriti. Quamquam nec in vita mixta deſit ſufficiens prouidentia ad cauenda pericula quibus exponuntur eius profeſſores: nam in primis ſi minùs tollit occaſiones omnes remotas, ac humanas, tollit morales, & quæ prudenti prouidentia præueniri poſſunt: item prouidet media, quibus tollantur etiam ordinariæ occaſiones leuiũ culparum, aut diſtractionum, quæ ex conuerſatione cum hominibus, etiam pia, ac religioſa frequenter oriuntur, aut vincantur, aut aliquo maiori fructu compenſentur.

QVAERES XIX. An perfectionis acquiſitio ſit facilior Regularibus vitam ſocialem degentibus in monaſterijs, quam ijs, qui vitam traducunt ſolitariam.

23 ℞. Quòd licèt vita ſolitaria, ſi debitis modis aſſumatur, ſit ex ratione ſua perfectior ſociali, vt tradunt DD. cum *S. Thoma* 2.2. *q.* 188. *a.*8. id probantes ex eò quod ſolitudo competit ſolum viris perfectis, ac ſtrenuè verſatis in exercitio religioſarum virtutum: ſi autem ſolitudo indebitè aſſumatur, nempe ab ijs, qui diutiùs non ſe exercuerint in virtutibus, eſt periculoſa, ac pernicioſa; & attenta præſentium temporum conditione, vt plurimùm talis eſt: cùm è contra vitam ſocialem degentes in monaſterijs plura, ac opportuniora auxilia habeãt ad acquirendam perfectionem; nimirùm regimen Superiorum, bonum exemplum Religioſorum, frequens occaſio exercendi varias virtutes, aliaque id genus, quæ faciliorem faciunt perfectionis acquiſitionem. ita *Miran. p.*1. *man. q.*9. *a.*4. *ex S. Th.* & alij.

QVÆRES XX. An obligatio tendendi ad perfectionem, quam tenentur Regulares, efficiat, vt peccata illorum cæteris paribus ſint grauiora peccatis virorum ſæcularium.

24 ℞. Non efficere, niſi in caſu, quo peccata ſint contra aliquod votum, vel fiant ex contemptu, aut cum ſcandalo; quæ tamen ſunt accidentaria, & extra propriam rationem, ac obligationem particularium præceptorum, contra quæ peccatur: aliàs loquendo de præceptis, quæ ſunt communia Religioſis, & ſæcularibus, quantùm eſt de ſe, ea obligant æqualiter vtroſque; cum præceptum indiſtinctè loquatur, & præcipientis poteſtas ſit æqualis reſpectu omnium, & voluntas obligandi ſit generalis, ac indifferens, ſicque obligatio ad omnes, per ſe loquendo, deſcendat: vnde & peccata, quæ fiunt contra talia præcepta, ſunt æqualia, cùm ex parte perſonarum non poſſit aſſignari aliquid, quod reddat vnam ex talibus perſonis magis obnoxiam huic obligationi, quã alias. Quæ tamen non faciunt, quin regulariter loquendo, Religioſus grauiùs peccet, quandocumque peccat cum perfecta deliberatione: quippequi peccat cum maiori ſcientia rerum ſpiritualium, & conſequenter maiori cum libertate, & maiori cum ingratitudine in Deum. ita DD. communiter cum *S. Thoma* 2.2. *qu.* 186. *a.* 10. qui ait peccatum Religioſorum potiùs eſſe in eodem genere peccati leuius: quippe quod, ſi eſt leue, abſorbetur ex pluribus operibus bonis, quæ facit; ſi verò eſt mortale, ab eo faciliùs liberatur; licèt hæ etiam rationes ſint deſumptæ ab extrinſecis effectibus, & ſolùm probent peccatum Religioſorum habere facilius remedium, non autem eſſe in ſe leuius. dico *in ſe*, quia contingere poteſt, vt ſit leuius ratione ſubreptionis, quatenùs paſſio, quæ Religioſum vincit, aut perturbat, ſolet eſſe maior, ideoque ſæcultatem conſiderandi impedit, & facit, ne Religioſus cum perfecta libertate vti poſſit maiori lumine, & ſcientia, quibus pollet.

CAPVT II.

De Obligatione Regularium quoad obſeruandas Ordinis Regulas, ac Conſtitutiones.

1 *Explicatur, quid ſit regula religioſa, & vnde ſic vocetur.*
2 *Differunt inter ſe Regula, & Conſtitutio.*
3 *Religiones Regulam habent diſtinctam à Conſtitutionibus.*
4 *Condere poſſunt nouas Conſtitutiones.*
5 *Poſſunt, & abrogare antiquas.*
6 *Sed ex iuſta cauſa; ſicque de facto non omnes abrogari poterunt.*
7 *Regula religioſa obligant in conſcientia.*
8 *Sed diuerſo modo iuxta voluntatem proprij Fundatoris.*

Tota

9 *Tota regula non continetur ſub voto obedientiæ.*

10 *Ex varijs colligitur qualitas obligationis regulæ.*

11 *Regula expreſſè obligans in vim præcepti, ſi materia ſit grauis, adſtringit ſub mortali.*

12 *Solum vero ſub veniali, ſi in ea explicetur illam obligare ſolum ad veniale.*

13 *Obligat item ſub veniali, ſi in ea ſolum generaliter declaretur illam non obligare ſub mortali: imò videtur item obligare ad pœnam.*

14 *Non obligat in conſcientia, quæ ſolum adſtringit ad pœnam taxatam; etſi aliunde poſſit quis obligari in conſcientia ad pœnam.*

15 *Obligatur ad pœnam, qui violat regulam non obligantem ad vllam culpam, nulla mentione facta de obligatione ad pœnam.*

16 *Si in regula non explicetur, an ea obliget ad culpam ſiue m. ſiue v. aut ad pœnam, ea obligat ſub veniali quo ad ſua ſtatuta, ac conſtitutiones.*

17 *Statuta etiam Regulæ non obligantis ad culpam neque venialem, obligant ad pœnam; ſicque conſtitutiones omnes Societatis Ieſu dici poſſunt ſtatuta.*

18 *Regula continens rem iure diuino, aut naturali, aut eccleſiaſtico præſcriptam obligat ſub mortali.*

19 *At eius violatio non habebit duplicem malitiam in confeſſione aperiendam, niſi conſtet de peculiari intentione dictam rem præcipientis.*

20 *Regula præſcribens ſpectantia ad vota ſubſtantialia obligat ſub mortali.*

21 *Quæ verò præſcribit ſolum opera ſupererogationis, ad nihil obligat.*

22 *Ad nullum peccatum obligat Regula præſcribens peculiares obſeruantias Ordinis, ſi Inſtitutor Regulæ explicet ſe nolle obligare ad culpam.*

23 *In quo caſu Regula non eſt propriè lex, etſi aliàs dici poſſit lex.*

24 *Pœna nequit infligi ſine cauſa, at interdum infligitur ſine culpa.*

25 *Vouentes in profeſſione Regulam non peccant contra votum ſi eam violent.*

26 *Violantes Regulam ex ſe non obligantem ad culpam poſſunt aliunde peccare.*

27 *Actus operantis contra Regulam petita, & non obtenta licentia, non eſt per ſe malus.*

28 *Qualitas obligationis Regulæ colligenda ex grauitate, aut leuitate materiæ.*

29 *Indicatur, quæ verba importent præceptum, quæ æquipolleant, & quæ ſint communia.*

30 *Referuntur verba quæ in Regulis importent præceptum, & quæ non ſunt, & quæ ſunt communia.*

31 *Recenſentur aliqua verba, quæ certò inducunt obligationem ſub mortali.*

32 *Ex qualitate pœnæ conijcitur qualitas obligationis Regulæ.*

33 *Excommunicatio, Suſpenſio, Interdictum, Irregularitas, & aliæ ſimiles pœnæ eccleſiaſticæ indicant regulariter obligationem grauem.*

34 *Regula poteſt obligare ſolum ſub veniali in re capaci obligationis grauis.*

35 *Non item ſub mortali in re, quæ attentis præſentibus circumſtantijs, ſit leuis.*

36 *Poteſt obligare ſolùm ad pœnam.*

37 *In dubio, an obliget ſub mortali, non præſumi debet obligare ſub mortali.*

38 *Violatio Regulæ non obligantis ad peccatum ex triplici capite poteſt eſſe peccatum.*

39 *Oſtenditur in quo conſiſtat promiſſio vitæ regularis.*

40 *Non peccant mortaliter, qui intendunt ſolum ſeruare regulas obligantes ſub mortali.*

41 *Sunt in malo ſtatu, qui habent conſuetudinem violandi Regulam non obligantem ſub mortali: idque ob periculum contemnendi Regulas.*

42 *Regula, & Conſtitutiones ſeruandæ, etiam à ſupremis Prælatis Ordinum.*

43 *Non item à Religioſis promotis ad Epiſcopatum, aliamue dignitatem ſimilem.*

44 *Non à Nouitijs de rigore iuris.*

45 *At ſeruari debent a monialibus immediatè ſubiectis Ordini.*

46 *Religioſi hoſpites non tenentur ad ſtatuta Prouinciarum per quas tranſeunt.*

47 *Ignorantia inuincibilis excuſat a regulæ violatione.*

48 *Imo & Ignorantia pœnæ, ſed non à culpa.*

49 *Impotentia item excuſat à violatione regulæ.*

50 *Excuſat & Diſpenſatio legitimè obtenta.*

51 *Imò & Epicheia.*

52 *Sed hæc non habet locum in dubio caſu, ſi conſuli poteſt Prælatus.*

53 *Nec ſufficit ſcire, quod ſi peteres licentiam, ea daretur.*

54 *Excuſat & Conſuetudo legitima, ſed non in omni caſu.*

55 *Profitens Regulam iam relaxatam tenetur illam ſeruare in priſtino rigore quo ad vota ſubſtantialia Religionis.*

56 *Limitatur aſſertio.*

57 *Non poteſt præſcribi contrà Regulam, ſi ea ſæpè legatur publicè.*

58 *Ad illam abrogandam per non vſum certum tempus non requiritur.*

59 *Ceſſante fine Regulæ adequatè in caſu particulari, ceſſat & illa.*

60 *Prælati peccant mortaliter, ſi frequenter ſinant violari regulam, etſi non obligantem ad culpam, aut ſolum venialem.*

61 *Limita, niſi excuſet paruitas materiæ, quæ in hoc admitti debet: videndum præterea ne in exigenda rigoroſa, obſeruantia odioſa fiat diſciplina.*

62 *Arduum munus eſt Prælatura regularis.*

63 *Prælatus ſine cauſa diſpenſans in regulam poteſt peccare mortaliter.*

QVÆRES I. Quid ſit Regula religioſa.

1 ℞. Quòd cùm, teſte *S. Iſidoro l. 6. etymolog. c. 16.* regula dicatur ex eo, quòd regat præbens normam viuendi rectè, corrigatque quod eſt diſtortũ, & prauum; & in iure canonico ſumatur pro lege, ſeu iure hominum mores dirigente, non quidem per modum præcepti obligantis in conſcientia, ſed per modum ſimplicis ordinationis: quo pacto præcepta, quę in vnaquaque arte ſeruanda traduntur, vt opus fiat artificioſè, vocari ſolent regulæ artis. Regula religioſa, de qua hìc, ſumitur ſecundùm hunc poſteriorem ſignificationem; quatenùs ſcilicet per modum ſimplicis ordinationis perfectiori modo dirigit Religioſorum actus: ſicque Religioſi ipſi vocantur Regulares, eò quòd adſtringuntur viuere iuxtà regulam, vt conſtat ex rubrica *de Reg.*

QVÆRES II. Qualiter differant Regula, & Conſtitutio.

2 ℞. Differre, non quidem ex parte obligationis, quam inducunt; cùm tam Conſtitutio, quàm Regula obligare poſſint, vel ad culpam ſiue mortalem, ſiue venialem; vel ad ſolam pœnam iuxtà intentionem inſtituentium, aut acceptantium; & Prælati regulares gubernare debeant ſuos ſubditos, tam ſecundùm Conſtitutiones, quàm ſecundùm Regulas proprij Ordinis: ſed ex parte originis, quatenus Regula eſt quaſi generalis, & communis; Conſtitutiones verò ſunt ſpeciales, ac propriæ. Præter quàm quòd Regula eſt magis perpetua; quippeque non poteſt mutari abſque auctoritate Papæ, cùm ſit iure communi, vel à Papa ſpecialiter confirmata: Conſtitutiones verò ſunt minùs perpetuæ, vtpote quæ ſicut factæ ſunt per Religionem, ſic per eam poſſunt mutari. ita *Suar. to.4. de relig. tr.8. l.1. c.1. n.5.* dicens quò ad hanc vltimam differentiam conſulenda eſſe ſingula Religionum Inſtituta, ac earum priuilegia: cùm etiam Conſtitutiones Ordinũ à Pontificibus confirmatæ (quo modo ſolent eſſe confirmatæ, ſi ſint Religionum approbatarum) ſine ſpeciali priuilegio mutari nequeant, etſi interueniat communis Ordinis conſenſus.

QVÆRES III. An quælibet Religio approbata habeat Regulam à Conſtitutionibus modo dicto contradiſtinctam.

3 ℞. Non habere; etſi non ideò dici debeant carere Regula propriè dicta; cùm habeant pro regula ſuas Conſtitutiones, ideoque verè, ac propriè ſint Regulares. patet in Carthuſienſibus, in Societate Ieſu, & in alijs Ordinibus, qui nullam ex antiquioribus Regulis profitentur, ſed Conſtitutiones, acceptas à ſuis Inſtitutoribus habent pro Regula à Sede Apoſtolica approbata.

QVÆRES IV. An Religiones poſſint condere nouas Conſtitutiones.

4 ℞. Poſſe ex indulto bullato conceſſo Societati Ieſu per Paulum III. in bulla *Iniunctum nobis*, in qua decernitur, vt Conſtitutiones, *poſtquam mutatæ, alteratæ, ſeu de nouo conditæ fuerint* (quæ omnia ibi conceduntur) eo ipſò *Apoſtolica auctoritate confirmatæ cenſeantur*. Vbi notat *Suar. ſup. tract.* 10. *l.1. cap.4. numer.12.* Papam hìc non vti verbo *approbare*, ſed *confirmare*, vt indicaret, quòd cùm *approbare* referatur magis ad intellectum, pertineatque ad clauem ſcientiæ; confirmare verò magis ſpectet ad iuriſdictionis clauem, & referatur ad vim obligandi: intendit quidem Papa dare robur Conſtitutionibus, eò ipſo quòd fiunt, non ideò tamen illas approbar, vt declaret eſſe conuenientes, aut opportunas, cùm potiùs id ſupponat.

QVÆRES V. An Religioſi poſſint abrogare aliquam ex ſuis Conſtitutionibus condendo ſtatutum illis contrarium.

5 ℞. Poſſe, ſi ad id ſpeciale habeant priuilegium; quale habet Societas Ieſu ex bulla Pauli III. relata in *bullar. Societ. pag.11.* his verbis: *Quòd quaſcumq; inter eos conſtitutiones particulares, quas ad Societatis huiuſmodi finem, & Ieſu C. D. N. gloriam, ac proximi vtilitatem conformes eſſe iudicauerint, condere, & tam hactenus factas, quàm in poſterum faciendas Conſtitutiones ipſas iuxtà locorum, & temporum, ac rerum qualitatem, & varietatem mutare, alterare, ſeu caſſare, & alias de nouo condere poſſint, & valeant*: Secùs, ſi ad id non habeant priuilegium, vt benè probat *Portel. p.2. reſp. mor. caſu 18. n.3.* tum quia inferior non poteſt immutare legem Superioris *Clem. ne Roman. de elect.* ideoque nec Religio, quæ eſt inferior Papa, poterit mutare Conſtitutiones confirmatas, & approbatas à Papa: tum quia ſi Religio mutare poſſet, aut abrogare aliquam ex ſuis Conſtitutionibus, poſſet & plures, imò & omnes; cum non ſit maior ratio de vna, quàm de alia; hoc autem ſi detur, poſſet Religio totum ſuum Inſtitutum immutare; quod eſſet maximùm inconueniens, vt patet.

6 Neque hoc ſequitur ex priuilegio Pauli III. ſupra relato, quatenùs apponit verbum *quaſcumque* importans vniuerſalitatem: cum enim Papa ibi ſupponat Conſtitutionum immutationem debere fieri ſolùm in caſu, quo illa ceſſura ſit ad maius bonum religionis, Ieſu Chriſti gloriam, & proximorum vtilitatem; & aliàs contingere non poſſit, moraliter loquendo, vt prædicta locum habeant in immutatione omnium omninò Conſtitutionum: ſequitur nec poſſe contingere caſum, in quo vi præfati priuilegij immutari poſſit tota ſubſtantia Religionis, cui conceſſum eſt tale priuilegium.

QVÆRES VI. An Regula religioſa obliget in conſcientia.

7 ℞. Obligare: aliàs non diſtingueretur à mero conſilio nullam inducente obligationem; cùm alioqui ſine aliquali obligatione in conſcientia (quæcumque demum illa ſit) non ſubſiſtat vera ratio legis, nec vera neceſſitas moralis induci poſſit; quæ tamen neceſſariò admitti debet in Regula religioſa. Vnde ſit, vt licèt Regula non obliget ad vllam culpam, imò nec ad pœnam, quam taxet: hoc ipſo tamen quòd eſt Regula, ſubijcit tranſgreſſores iuſtæ pœnæ hìc & nunc imponendæ; aliàs vt dixi, Regula non differret à conſilio, ſi non induceret vllam neceſſitatem, ſaltem ad pœnam; quod innuitur in *cap. quiſquis 14. q.1.* his verbis. *Vbi conſilium datur, offerentis conſilium eſt; vbi præceptum, neceſſitas eſt ſeruientis.* ita *Suar. ſup. tract.8. l.1. cap.2 num.6.* probans *num.3.* Regulam religioſam non eſſe merum conſilium.

QVÆRES VII. Qualem obligationem inducat Regula religioſa.

8 ℞. Quòd cùm Regula, ſimpliciter loquendo, obligare poſſit, vel ad nullam culpam, vel ad culpam mortalem, vel ſolùm ad venialem, vel ad pęnam; & nulla harum obligationum ſit neceſſaria ad Regulam religioſam vt ſic; ideoque Ordinum Inſtitutores eligere potuerint hunc, aut illum modum obligationis: ideò definiri non poteſt quo genere obligationis ſingulæ Regulæ obligent, niſi conſulantur ſingularum Religionum Regulæ, ac Conſtitutiones; idque ex ijs colligatur iuxtà regulas infrà tradendas.

9 Vnum hìc moneo ex *Suar. tom.3. de relig. l.10. c.7. num.2.* non eſſe verum, quod docent aliqui cum *Henrico quodlib.6. qu.17.* totam regulam contineri ſub materia voti obedientiæ religioſæ, ſicque Religioſos vi voti teneri ad totius regulæ obſeruatio-

nes

nem, & conſequenter Regulam religioſam ex genere ſuo ſub mortali, obligare, & obligationem regulæ eſſe ex obligatione voti non inquam, eſt verum, niſi Regula ipſa verbis ſatis expreſſis exigat voti obligationem: nam votum obedientiæ non obligat ad ſeruandam regulam, ſed ad obediendum iuxta regulam (quæ ſunt res valdè diuerſæ,) & ideo propria obligatio regulæ vt ſic, non ex voto obedientiæ, ſed ex propria ratione legis eiuſque principijs colligenda eſt. cum *Suarez* ſentit *Sanch. l.6. mor. c.4. n.2.*

QVÆRES VIII. Quo modo in particulari cognoſci poſſit an Regula religioſa obliget ad culpam grauem, aut leuem, vel ſolùm ad pęnam.

10 ℞. Cognoſci poſſe ponderando, ac expendendo verba vniuſcuiuſque Regulæ, & conſiderando communem ſenſum, & conſuetudinem cuiuslibet Ordinis. ita *Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. l.1. cap.2. numer.* 8.

QVÆRES IX. Qualiter obliget Regula, in qua diſtinctè, & in actu ſignato explicatur mentem Religionis eſſe, vt obligatio ſit in vim præcepti, quantùm patitur capacitas materiæ, quæ præſcribitur.

11 ℞. Obligare ſub mortali, ſi materia ſit capax tantæ obligationis, & Regula conſtituatur per modum præcepti, adhibito verbo *præcipere*, aut verbo *teneantur*; ita enim declaratum eſt in *Clem. exiui de paradiſo* quo ad regulam S. Franciſci, cui maximè accommodatur talis modus præcipiendi, eſto in primitiua regula id non exprimatur ſub his formalibus verbis. ſi verò regula modo dicto non conſtituatur per modum præcepti, tunc obligabit ſolùm eo genere obligationis, quo dicemus q. 12. cùm quo ad hoc nihil ſpeciale declaratum extet. ita *Suar. ſup. nu. 9.* addens de facto nullam dari regulam generaliter obligantem ſub mortali, imo non conuenire talem modum regulæ, quippe quæ eſſet in laqueum, ac perditionem.

QVÆRES X. Qualiter obliget Regula, in qua explicatur illam obligare ſolum ad veniale, & nunquam ad mortale ex vi regulæ, niſi verbis claris maior præcepti rigor exprimatur.

12 ℞. Obligare ſub mortali ſolùm in caſu, quo regula contineat materiam voti (vt ſi vetet habere proprium) tunc enim obligat ſub mortali non vi regulæ, ſed voti; ſub veniali verò obligare in alijs omnibus caſibus, præter quam in caſu, quo regula ponatur per modum conſilij, non autem præcepti, vel ordinationis: quippe in regula miſceri ſolent, quæ ſunt pura conſilia, in quæ nulla obligatio in conſcientia cadit, neque ad veniale; idque licèt in regula generaliter explicetur illam obligare ſolùm ſub veniali: talis enim declaratio intelligitur fieri iuxta materiam proportionatam, & ponitur non ad ponendam obligationem, vbi non adeſt ex vi verborum, ſed ad illam limitandam, vbi ex modo regulæ poſtulatur; nam tunc non obligat neque ad veniale, cùm è contra in regula, quæ habetur per modum præcepti, ſemper modo dicto adſit obligatio ſub veniali, nunquam tamen ſub mortali, quantumuis materia illius ſit grauis, quamuis aliàs obligatio ſit maior, ſi ſit circa materiam grauiorem, ſiſtendo tamen intra latitudinem peccati venialis. ita *Suar. ſup. num.* 10. *&* 11. monens *num.* 10. quod quando in aliqua regula generaliter declaratur illam non obligare ad mortale, ad inducendam talem obligationem non ſufficiunt ſimplicia verba quantumuis præceptiua (nam propter illa ponitur præfata declaratio, quæ aliàs eſſet inutilis,) ſed addendum eſt aliud ſpeciale ſignũ, quo indicetur legiſlatorem velle obligare ſub mortali non obſtante generali illa declaratione; ſiue ad hunc effectum addatur clauſula *In virtute obedientiæ*, aut alia ſimilis; ſiue addatur pena excommunicationis latæ ſententiæ, quæ ſupponit culpam mortalem, vt infrà.

13 Addo ex *Suar. ſup. num.* 11. quòd ſi in regula generaliter ſolùm explicetur eam non obligare ad mortale, nulla mentione facta de obligatione ad veniale (quod ſit in regula S. Hieronymi ex Martino V.) tunc tacitè innuitur eam obligare ad veniale, præſertim ſi in regula generaliter dicatur illam obligare in conſcientia. cum enim obligatio in conſcientia ſit tantum duplex, nempè ad peccatum m. & ad peccatum v. excluſa vna, nempe ad mortale, ſolùm altera relinquitur iuxtà *cap. non ne de præſumpt.* videlicèt obligatio ad veniale. Imò ſi in Regula non fiat mentio de obligatione in conſcientia, ſed ſolùm explicetur eam non obligare ad mortale; hoc ipſo videtur inferri poſſe Regulam obligare non ſolùm ad culpam v. ſed etiam ad pęnam: ſiquidem ex vna parte obligare ad culpam. v. & obligare ad pęnam ſunt compatibilia, & valdè germana: ex alia parte, qui præciſè excludit obligationem ad culpam m. videtur planè admittere totam aliam obligationem, quæ ex vi legis inferri poteſt, nimirùm ad culpam. v. & ad pœnam.

QVÆRES XI. Qualiter obliget regula, in qua expreſsè declaratur illam non obligare, neque ad veniale, neque ad mortale, ſed ſolùm ad pœnam taxatam ſuſtinendam.

14 ℞. Nullam inducere obligationem in conſcientia; ideoque ſi regula imponit pęnam ipſo facto exequendam à ſubdito, & ea non infligatur à Prælato, non magis obligare in conſcientia ad ſubeundam pęnam, quàm ad non cõmittendam tranſgreſſionem: nam declaratio regulæ excludens obligationem in conſcientia eſt vniuerſalis; ſicque illam excludit etiam quo ad ſubeundam pęnam. Quod ſi pęna contra tranſgreſſionem regulæ imponi debet a Prælato; tunc vel pęna conſiſtit in actione exequenda à ſubdito ad præceptum Prælati; & ſic erit qualitas obligationis iuxta qualitatem præcepti, & conſequenter, ſi pręceptum rigoroſè ponatur, orietur obligatio ex præcepto, non autem ex ſola Regula; vel pęna ſolùm paſſiuè ſuſtinenda eſt à ſubdito: & ſic non habet locum directa obligatio in conſcientia; cùm talis obligatio non ſit ad agendum, ſed ad patiendum: quamquam dici poſſet extare talem obligationem quo ad non reſiſtendum violenter; idque ex vi ſubiectionis, ac obedientiæ. Ex quo fit, vt ſicut in iſto caſu pęna, cui ſubijcitur tranſgreſſor regulæ, per modum ſupplicij, eſt materia obedientiæ iuſtè impoſitæ (nam ſine tali cauſa

non

non poſſet Prælatus iuſtè, vel rigorosè præcipere talem actionem, vel cogere ad talem paſſionem) ita obligatio in conſcientia, quæ ibi adeſſe poteſt, radicaliter fundetur in regula, eiuſque declaratione. ita *Suar. ſup. num. 13. ex Caietano 2.2. qu. 169. a. 9.* vbi notat declarationem illam, quam Ordo S. Dominici fecit in generali Capitulo II. quod eius Regula non obligaret ad vllam culpam, ſed ſolum ad pęnam taxatam, comprehendiſſe non ſolùm Conſtitutiones editas ab ipſo Ordine, ſed etiam Regulam Sancti Auguſtini, quam dictus Ordo profitetur.

Dubium maius eſt, an teneantur exequi pęnas iniunctas contrà regulę tranſgreſſiones Religioſi illi, quorum regula non obligat ad vllam culpam, & quidem nulla mentione facta de obligatione ad pęnam, vt expreſsè declaratur in *Conſtitut. Soc. Ieſu p. 6. cap. 20.*

15 ℞. Teneri, cùm id ex natura rei ſequatur, & ad religioſam diſciplinam ſit omninò neceſſarium, ideòque nunquam præſumi debeat excludi ab vlla Regula, eò quòd in ea mentio non fiat de pęna: nam talis mentio in aliqua regula omittitur ob altiſſimos fines, nimirùm, vt Religioſi intelligant ſe potiùs amore regendos eſſe, quàm timore; & ſi quando deficiunt in obſeruantia regulæ, meminerint ſe non ſolùm debere patienter ſuſtinere pęnam ſed etiam voluntariè, ac ſtudiosè illam procurare. Quo modo in *Conſtit. Societ. p. 3. cap. 1. §. 28.* dicitur, *Aliquoties ſingulis annis omnes à Superiore ſibi pænitentias iniungi propter defectum obſeruationis regularum petant, vt hæc cura indicium ſit illius, quam de ſuo profectu ſpirituali in via Dei quiſque habet.*

QVÆRES XII. Qualiter obliget regula, quæ abſolutè præcipit, ordinat, aut ſtatuit, non explicans, an obliget ad culpam ſiue mortalem, ſiue venialem, aut ad pęnam.

16 ℞. Quòd licèt difficilè ſit coniectari mentem Auctoris vniuſcuiuſque Regulæ, & teſte *Nauarro c. 23. nu. 50.* ſimplicia verba verè ad id non ſufficiant; idque maximè procedat in regula religioſa, vt oſtēdit *Suar. ſup. cap. 3. num. 5.* illud tamen hìc vniuersè videtur dici poſſe, quod ſicut in regula religioſa modo dicto propoſita non debet admitti obligatio peccati m. niſi apertè contineat materiam voti, aut materiam aliàs per ſe neceſſariam (quale eſt illud in Regula S. Auguſtini: *Vbicumque fæminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite*) aut certè ſpeciali aliquo ſigno, vel pęna ſpirituali apertè ſignificetur neceſſitas præcepti ſub culpa graui, (idque ob rationes modo adductas) ita cum vix ſeparari poſſit culpa v. à tranſgreſſione regulæ, vt infrà videbimus: veriſimile eſt, vbi expreſsè non excluditur in regula culpæ v. obligatio, illam induci per propria ſtatuta, & Conſtitutiones regulæ. Dico *per propria ſtatuta*, quia talis obligatio non inducitur per ea, quæ interdum miſcentur in regulis; vt ſunt pura conſilia, ſicque nullam imponunt obligationem, vt conſtat ex dictis *ſuprà q. 6.* & explicat *S. Auguſt. de S. Virgin. cap. 4.* cùm aliàs ſtatuta ſemper videantur inducere obligationem ſaltem ſub veniali, vbi aliud non exprimitur, quamuis in hoc multum valeat conſuetudo, & communis ſenſus Ordinis, qui ad interpretandam legem plurimùm valet, eique poteſt adijcere obligationem, aut tollere.

17 Hæc autem diſtinctio inter ſtatuta, & conſilia procedit item in regulis expreſsè excludentibus obligationem ad culpam, etiam venialem: adhuc enim ſtatuta illarum obligabunt ad pęnam; cùm mera conſilia neque ad pęnam obligent, vtpote nullam omninò neceſſitatem inducentia. Imò in Ordine S. Dominici neque incurritur debitum pęnæ, niſi in caſu, quo violetur regula illam taxans; cùm in eo declaratum ſit, regulam ſolùm obligare ad ſuſtinendam pænam taxatam. Vnde fit, vt in dicto Ordine illa ſola capitula regulæ, & conſtitutiones habeant vim ſtatuti, quæ ſub pęna aliqua taxata aliquid ordinant, reliqua verò ſint pura conſilia; niſi ex eis, aut ex vſu conſtet Prælatos ſolere contra eorum tranſgreſſores imponere pęnas ipſorum arbitrio taxandas: quod ſufficit, vt habeant vim ſtatuti. ita *Suar. ſup. numer. 9.* hinc inferens in Societate Ieſu, cùm ordinariè nulla ſit obligatio ad culpam, nec vlla communicatio pęnæ taxatæ, omnes regulas, ac Conſtitutiones illius non eſſe ſolùm conſilia, ſed ſtatuta; cum de illis omnibus perfecta exigatur obſeruantia in *Conſtitutionibus p. 6. cap. 5.* & pro cuiuſcumque tranſgreſſione poſſint Prælati iniungere accommodatas pęnas: quo modo in Societate vix poſſunt diſtingui conſilia à ſtatutis, niſi fortè ex parte materiæ; quatenus ſcilicet in eius regula plura extant, quæ ſolùm generaliter componunt hominem interiorem; cum alia omnia, quæ aliquid determinatè agendum ordinant, aut prohibent, propriè ſint ſtatuta; quæ neceſſe eſt aliquo modo verſari circa actus externos, idque etſi ſint de actibus mentalibus, qui poſſunt dici reſpicere exteriorem obſeruantiam, quatenùs ad illos præſcribitur certum tempus, in quo vacandum eſt ab alijs actibus externis. Quo pacto in Societate conſilia videntur diſtingui à ſtatutis in eo ſolùm quòd defectus commiſſi contra conſilia puniri nequeunt; cùm homo non poſſit iudicare, aut punire pro actibus internis, niſi quo ad externos defectus indicantes illam internam imperfectionem.

QVÆRES XIII. Qualiter obliget regula continens aliquid iure diuino poſitiuo, naturali, aut Eccleſiaſtico præſcriptum; v. g. vt communicemus in Paſchate, vt obſeruemus feſta, vt non occidamus.

18 ℞. Obligare ſub mortali; & patet quia etiam ſecluſa Regula extaret talis obligatio ratione alterius præcepti. ita DD. communiter cum *S. Thoma 2.2. q. 186. a. 9.*

Solùm difficultas eſſe poteſt, an tunc fieret duplex peccatum m. exprimendum in confeſſione Sacramentali.

19 ℞. Quòd ſi conſtet de peculiari intentione dicta præcipientis, ac nouæ obligationis inducendæ per tale præceptum regulæ: vtique ſit duplex peccatum, vtrumque neceſſariò confitendum, non quidem ob ſolam multiplicationem præceptorum (quo modo *Caietanus ſup. d. 1.* putat in hoc caſu vnicum fieri peccatum) ſed quia illud peccatum eſſet etiam contra votum obedientiæ; quo Religioſus ſe aſtringit ad ſeruandam regulam eo pacto, quo ipſa inten-

intendit obligare, ideoque haberet duplicem malitiam. alteram contra præceptum Dei, v.g. & alteram contra votum obedientiæ. *ita Sanch. l. 6. mor. cap.4.num.5 ex Valentia 2.2. D.10. q.4. p. 4.* addens multa contineri in Regula ſimpliciter cum intentione ea præciſè reducendi in memoriam, ac commendādi, nō autē animo inducendi nouā obligationem; idque in dubio præſumi debere de mente Inſtitutoris, niſi in contrarium ſe explicet, aut aliter ex claris indicijs colligatur; vt ſi regula præcipiat non fornicari, aut non furari, quæ aduerſantur voto Caſtitatis, & Paupertatis) ſiquidem in dubijs, ac obſcuris amplectendum id, quod minimum eſt; & ex genere ſuo plus damni, quàm vtilitatis affert nouas obligationes in eadem re inducere, ſicque præſumi debet de Inſtitutore, qui ſupponitur totus in procuranda ſuorum ſalute.

QVÆRES XIV. Qualiter obliget Regula, quæ præſcribit opera ſpectantia ad vota ſubſtantialia religionis.

20 ℞. Ex genere ſuo obligare ſub mortali; & probatur, quia vota obligant ſub mortali, vt patet. intellige, niſi trangreſſio voti ſit modica; tunc enim eſt venialis. ita *S.Tho.ſup.* alijque

QVAERES XV. Qualiter obliget regula, quæ præſcribit opera ſupererogationis; v.g. benefacere inimicis.

21 ℞. Ad nihil obligare; cùm iuxta dicta tales res ſtatuat per modum conſilij, non autem ſtatuti. ita *Sanch.ſup. num.* 10. & probatur tum ex dictis: tum quia præfata ſpectant ad perfectionem charitatis; Religioſus autem non tenetur, eſſe perfectus, & ſi tenetur tendere ad perfectionem, ad id non tenetur, niſi iuxta præſcriptum propriæ regulæ, non autem omnia conſilia Euangelica; cum alias conſtet ex dictis q. 12. Religioſum non teneri tanquam ex præſcripto regulæ ad ea, quæ in ipſa proponuntur ſolùm per modum conſilij.

QVÆRES XVI. Qualiter obliget regula, quæ præcipit obſeruantias peculiares cuiuslibet Ordinis (vt ieiunare in Aduentu)

22 ℞. Ad nullam culpam obligare, ſi Inſtitutor regulæ explicet ſe intendere ad nullam culpam obligare. vt factum eſt in regula S. Dominici, Fratrum Minimorum, & Societatis Ieſu. Ducor, quòd cùm in poteſtate Inſtitutoris ſit præcipere eo modo, quæ Superior præcipit inferioribus, aut ſolùm proponere, vel ordinare, ac dirigere per modum conſilij; regulæ vero ipſæ ſint de rebus aliàs non obligantibus, ideoque nullum vim obligandi habentibus, niſi ex voluntate legislatoris volentis, & potentis obligare ad culpam: ſequitur quòd ſi legislator explicuit ſe nolle obligare ad culpam, eius ſtatuta non obligabunt in conſcientia. ita *Sanch. ſup. n.* 11. & alij

Nec obſtat, quod ſtante doctrina huius reſponſionis, ſequitur regulas illas non eſſe veras, ac proprias leges, cum de eſſentia legis ſit, vt obliget ad culpam.

23 ℞. Enim concedendo dictas regulas non eſſe propriè leges, cùm ijs deſit vis coactiua, ac inductiua obligationis ad culpam; poſſe tamen dici leges, eo quòd illis aſſimulentur in multis; nimirùm in cauſa efficiente, cùm fiant ab habente poteſtatem condendi leges; in cauſa materiali, cùm verſentur circa actus ſubditorum, quorum ordinatio, ac diſpoſitio ſpectat ad Superiorem; in formali, cùm ſeruent eandem formam verborum quam communiret ſubditis intimatur præceptum Superioris; denique in cauſa finali, cùm ordinentur ad bonum ſubditorum, ad quod ſubiectio ipſa ordinatur.

Non obſtat item, quòd ſtante doctrina illa non poſſent Prælati regulares punire ſubditos ob violationem talium Regularum ad nullam culpam obligantium; cùm pęna ſupponat culpam, & culpa non adſit in violatione legis, niſi adſit obligatio in conſcientia ſeruandi illam, qualis non eſt in caſu noſtro.

24 ℞. Enim negando quòd omnis pęna præſupponat culpam: nam teſte *S.Thoma 2.2.q.108.a.4.* imponi poteſt pęna ſine culpa, etſi non ſine cauſa, vt habet *regula 23.de reg. iur. in 6. Sine culpa, niſi ſubſit cauſa, non eſt aliquis puniendus:* cauſa autem ſufficiens vt pęna iuſtè imponatur, eſt violatio Regulæ, ac ordinationis Superioris: præter quàm quòd pęna in hoc caſu habet rationem non pęnæ, ſed potiùs cuiuſdam pęnalitatis.

QVÆRES XVII. An Regulares, qui vouent aliquam regulam (v. gr. S. Auguſtini) peccent contra votum; quoties violant regulam.

25 ℞. Non peccare, niſi illam violent in materia alicuius voti ex tribus ſubſtantialibus religionis, aut alterius voti ſpecialis, quod fiat in illo Ordine. patet ex dictis in *tract. de profeß.cap.6.q.2.* ſi hìc monuero nobiſcum ſentire *Peyrinum de R.S. q.1. cap.5.* & *Bordonum cap.1. de profeſſ q* 48. vbi rectè notat vouentes regulam continentem aliqua præcepta ſub mortali (vt in Ordine Minorum) ſe obligare præcisè ad ſeruanda ea, quæ in tali Regula continentur, & quidem eo genere obligationis, quod repetitur in regula. Vnde fit, vt promittens ſeruare talem regulam, non teneatur ſub voto ſeruare dicta præcepta: quippe quæ in regula continentur, vt ſimplicia præcepta, non autem ſub voti obligatione; etſi alias in Ordine voueatur Regula modo dicto.

QVÆRES XVIII. An violans regulam ex ſe non obligantem ad vllam culpam, poſſit aliunde peccare, & quo modo

26 ℞. Poſſe; idque colligendum eſſe ex motiuo, quo fit actus contrarius regulæ: ſi enim motiuum ſit honeſtum, aut ſaltem apprehenſum vt tale, actus erit virtutis, etſi materialiter ſit contra regulam (idque licèt talis actus ſit minùs perfectus quā ſeruare regulam,) ſi verò motiuum ſit malum, & actus erit malus, non quidem ex eo quòd ſit contra regulam, quæ cum non obliget in conſcientia, ſola oppoſitio ad illam nequit vitiare dictum actum; ſed ratione motiui mali influentis malitiam in actum: vt ſi quis contra Regulam ſine licentia intret alienum cubiculum ad vanè confabulandum. ex quo ſequitur quòd, cùm raró contingat Religioſum operantem contra regulam operari ex motiuo honeſto, ſed ex aliqua otioſitate, aut vana delectatione, ideò ſæpè non ſine culpa violatur regula, aliàs non obligans ad culpam; quod benè nota-

uit

uit *Suar.ſup.l.1.cap.3.num.12.* addens *num.14.* idem proportionaliter iudicandum eſſe de omiſſione petendi licentiam, quæ ſemper coniungitur cum violatione regulæ, & in ea principaliter conſiſtit: ſi enim omittas petere licentiam ex motiuo honeſto, actus, qui fit contra regulam, eſt honeſtus: malus verò ſi ex malo motiuo; otioſus, denique ac proinde peccaminoſus, ſi motiuum ſit indifferens (v.gr. ad fugiendum laborem;) quod vt plurimùm euenit, ideoque vt plurimùm in ſimili omiſſione peccatur venialiter, non quidem ob regulæ violationem, ſed ob irrationabilem modum volendi, aut nolendi in indiuiduo; quo modo DD. concedunt etiam in actibus conſiliorum peccare illum, qui otioſè, & ſine cauſa rationabili directè renuit eſſe Religioſus, etſi aliàs non teneatur facere actum contrarium. nobiſcum ſentiunt *Vaſq. 2.2. D.258. cap.3. numer.16. Sanch.l.6. mor. cap.4. numer.14. Laym.l.4. tract.5. cap.8. num.7. Caſtrus Palaus tract.16. D.4.p. 3.num.3.*

27 Addo ex *Suarez ſup.* quòd ſi quis petita, & non obtenta licentia, operetur, aut omittat contra regulam; ſi non adſit contemptus; illa operatio, aut omiſſio non eſt per ſe mala, ſed de ea eodem modo iudicandum iuxtà motiuum operandi; cum ſic etiam actus non ſit intrinſecè malus, nec adſit ſufficiens prohibitio reddens illum malum; quippe Prælatus negando licentiam non ideò imponit nouum præceptum obligans in conſcientia, vt ſuppono.

QVÆRES XIX. An, & quo modo ex verbis regulæ, ac præceptorum colligi poſſit intentio Superioris obligandi ad culpam grauem, aut leuem.

28 ℞. Non poſſe, ideoque ſi aliunde non conſtet de intentione legiſlatoris volentis obligare ſub mortali, an ſub veniali, nec de communi intellectu legis; veram regulam ad diſcernendum talem obligationem debere peti ex grauitate, aut leuitate materiæ præceptæ; itaut ſi hæc ſit grauis reſpectu finis intenti à Legiſlatore, obligatio legis ſit ſub mortali; ſi verò leuis, ſit ſub veniali. ita *Molina tract. 2. de iuſt. D. 344. num.3. Aragona 2.2. q.62. a.3. §. etiam quis Clauis Regia l.3. c.7. n.15.* aliique apud *Sanchez ſup. num* 31. citantem plures alios in contrarium *num* 29. & probatur ex eo quòd cum omnia verba præceptiua, aut æquiualentia præcepto (de quibus infrà) ſint natura ſua indifferentia ad ſignificandam obligationem ſub mortali, aut ſub veniali; non apparet, quo pacto ex iis deduci poſſit obligatio ſub mortali; non enim *Clementina exivi de verb. ſignificat.* cui innituntur Aduerſarij, id probat: ſiquidem Papa ibi non definit, quando lex verè præcipiens obliget ſub mortali, & quando ſub veniali, nec de hoc fuit conſultus; ſed ſolùm an Fratres Minores teneantur ad omnia conſilia Euãgelica, & ad omnia contenta in regula; deinde dicit eos non teneri æqualiter ad conſilia contenta in regula, ſed ad quædam teneri ſub mortali; an verò ſub veniali teneantur ex aliò capite, non decidit: prætereà ad declarandam obligationem ſub mortali non nititur ſola vi verbi præcepti, aut æquipollentis, ſed vi illa vna cum grauitate materiæ præcepti, quæ meritò æſtimari debet grauis ad finem illius Ordinis; itaut grauitas materiæ determinet verba illa præceptiua, aut æquipollentia, quæ ex ſe erant indifferentia ad indicandam obligationem ſub mortali.

Porrò ſi quis quærat, quæ verba importent præceptum, aut æquipolleant præcepto, aut etiam ſint communia, ac indifferentia præceptis, & conſiliis.

29 ℞. Verba importantia conſilium ratione ſubiectæ materiæ interdum ſumi pro verbis præceptiuis; & è contra verba præceptiua pro verbis conſilij. quo modo verbum *rogo* in *cap. rogo 11. q. 3.* ſumitur pro *præcipio*, & verbum *præcipio* pro verbo *moneo* in *cap.2. 12. q.1.* Vnde fit, vt quando id, de quo eſt ſermo, conſtat eſſe materiam præcepti, quibuſcumque verbis importantibus conſilium vtatur textus, ea per impropriationem importent præceptum; quando verò conſtat eſſe materiam ſolius conſilij, quæcumque verba apponantur ſignificantia præceptum, ea impropriè vſurpentur pro verbis conſilij: quod ſi neutrum conſtet, inſpici debet verborum rigor, iſque ſeruandus eſt.

30 Verba autem præceptum importantia vſurpari ſolita in regulis ſunt ſequentia: nimirùm *Præcipio, mando, Iubeo* (quod negant *Sà v. lex num.5.* dicens verbum *præcipimus* importare præceptum, nõ item verbum *mandamus*) *Impero, Edico, Iniungimus*: item *Prohibeo, Inhibeo, Veto, Interdico*, & ſimilia, nã omnis prohibitio includit præceptũ abſtinẽdi ſe à re prohibita: item *Debeo*, licèt interdum per accidens ratione ſubiectæ materiæ importet ſolum debitum honeſtatis: quale importat & verbum *Oportet*: quidquid in contrarium ſentiunt plures DD. apud *Sanchez ſup. num.37.* Verba autem æquipollentia præcepto ſunt hæc *Teneantur, Obligentur, Non poteſt, Neceſſariò*, & quodlibet verbum importans neceſſitatem. Verba denique communia, quæ non ſunt præcepti, nec æquipollent præcepto, ſunt. *Monemus, Hortamur, Ordinamus, Stabilimus, Conſtituimus, Statuimus, Volumus, Intendimus, Sancimus, Decernimus* (etſi per verbum *Decernimus* aliqui cenſeant importari neceſſitatem.) ita *Sanch. ſup. numer.33. & ſeqq.* aliique penes ipſum: qui *num.39.* notat, quod attinet ad verba *Facite, & Faciant*, ſtandum eſſe conſuetudini religionis acceptantis, ac intelligentis dicta verba, ideoque continere præceptum, ſi Religio illa explicauit tanquam verba præcepti; conſilium verò, ſi ea explicuit tanquam verba conſilij; vbi autem conſuetudo nihil explicuit, attendi debere materiam, & ſi ea magni momenti ſit, ac neceſſitatis, & veriſimile ſit eam ſic à Superiore ponderatam, præceptum continebunt, ſecus autem non: Addit *Sanch. num.42.* ex *Vaſquez* legem, in qua continentur verba, quæ nec ſunt præcepti, nec æquipollent præcepto, ad nullam culpam obligare: quippe quæ talem obligationem non important; & Legiſlator quando intendit obligare ad culpam, vtitur verbis rigidioribus, ac expreſſioribus.

31 Addo legibus, ac præceptis interdum addi aliqua verba certò inducentia obligationem ſub mortali: qualia ſunt *In virtute obedientiæ; Virtute iuriſiurandi*

randi præſtiti, aut *voti facti*; *ſub pœna præſtiti* (quod eſt dicere *virtute iuramenti*) *In virtute Spiritus S. In nomine, vel virtute Ieſu, Sub interminatione gehennæ, ſub pœna maledictionis æternæ, ſub pœna indignationis Dei: ſub indignatione Apoſtolorum Petri, & Pauli, ſub ſtricto Dei iudicio; ſub obteſtatione diuini iudicij; ſtrictè; Arctè*, & ſimilia, quæ indicant intentionem præcipientis eſſe obligari ſub mortali; & hoc licèt alias vtatur verbis communibus, nullam obligationem ex ſe inducentibus: v. g. *Ordinamus*, vel *ſtatuimus in virtute Obedientiæ*; nam hoc additum quibuſcumque verbis ſatis oſtendit mentem Superioris eſſe grauiter obligare, & in quantùm poteſt. ita *Sanch. ſup. num.* 43. addens *num.* 45. hanc doctrinam procedere, etiam de Superiore, qui non habens ius præcipiendi in virtute obedientiæ modo dicto præciperet; aliàs carens ſpirituali iuriſdictione, quæ requiritur ad vſurpanda ſimilia verba in præcipiendo: ſi enim materia, quæ tunc præciperetur, eſſet talis, vt poſſet ille Superior obligare ſub mortali, illam præcipiendo, vtique obligaret ſub mortali; quippe qui vtens verbis illis (quamuis ineptè) explicat ſufficiēter velle ſe obligare ſecundùm totam ſuam poteſtatem, & eo modo, quo Superior habens ſpiritualem iuriſdictionem intendit præcipere, dum ſimilibus verbis vtitur. Quæ doctrina eſt vera, ait *Corduba in regul. S. Franciſci c.* 10. *q.* 3. *p.* 1. etſi dubiū ſit, an materia, quæ in caſu propoſito præcipitur, ſit adeò grauis, vt ſit capax obligationis ſub mortali: nam ſubditus, quamdiu non conſtat de leuitate materiæ, tenetur ſtare iudicio Superioris: imò, ſi conſtaret, ait *Corduba*, materiam non eſſe ita grauem, vt obligaret ſub mortali, obligabit tunc ſub veniali, cùm Superior in tali euentu intendat obligare, quantùm poteſt.

QVÆRES XX. An, & quo modo ex qualitate pœnæ, ſub qua lex fertur, colligi poſſit, an illa obliget ſub mortali, vel ſub veniali.

32 . ℞. Poſſe colligi, ſi tranſgreſſori legis imponatur excommunicatio maior latæ ſententiæ; ſiue explicando maiorem excommunicationem, ſiue proferendo excommunicationem abſolutè (quo modo venit maior excommunicatio *cap. penult. de ſent. excommunicat.*) tunc obligationem legis eſſe ſub mortali; cùm talis pœna infligi ſoleat pro ſolo peccato mortal. ita *Sanch. ſup. num.* 49. qui *numer.* 50. cum multis alijs putat idem dicendùm eſſe de omni lege præcipiente aliquid ſub pœna excommunicationis ferendæ, illam ſcilicèt obligare ſub mortali: & probat quia, quando lex abſolutè præcipit aliquid ſub pœna excommunicationis (quo modo intelligitur excommunicatio ferenda) nulla alia monitio requiritur, vt tranſgreſſor poſſit excommunicari, ideòque præſumitur iam reus culpæ mortal. cùm ob hanc ſolam ferri poſſit maior excommunicatio: quod tamen negant alij DD. apud *Dianam p.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 76. & *Caſtrum Palaum tra.* 3. *D.* 1. *par.* 15. *num.* 3 ſuſtinentes in caſu propoſito peti aliam monitionem, & conſequenter excommunicationem ferendam non eſſe ſignum grauis obligationis. nec diſſentit omninò *Suar. l.* 4. *de leg.* 1. 18. *num.* 18. dicens ex vi talis cenſuræ non ſatis colligi legem obligare ſub mortali, per ſe, ac regulariter loquendo, niſi lex ipſa declaret, vt excommunicatio feratur, nulla alia monitione præmiſſa. Immò *Sanch. num.* 51. licèt alioqui contrarius, concedit excommunicationem ferendam non eſſe ſignum obligationis grauis, ſi ea apponatur ſolùm ad terrorem (quod interdum fit a Iudicibus eccleſiaſticis,) vel ſi ex cōſuetudine requiratur trina monitio.

33 Cæterùm, quod dictum eſt de excommunicatione, dicendum eſt de ſuſpenſione, interdicto, ac irregularitate; niſi fortè, ait *Sanch. ſup. num.* 54. ſuſpenſio, & interdictum leuia eſſent (vt alicuius actus ſpecialis ad breue tempus) idem etiam dicendum de depoſitione, de gradatione, ac priuatione Eccleſiaſticæ ſepulturæ; hæ enim pœnæ ſi abſolutè proferantur, & ſint ipſo factò, ſemper indicant grauem obligationem, cum ſint grauiſſimæ, ideoque imponantur ſolùm ob grauem culpam. ita *Caſtrus Pal. ſup. numer.* 4. & 5. alijque apud ipſum contra *Nauarr. c.* 23. *n.* 53. aſſerentē ſuſpenſionem, interdictum, ac irregularitatem non eſſe ſignum grauis obligationis; cùm interdum imponantur etiam abſque culpa; quod non reijcit *Diana ſuprà*: quæ omnia, teſte *Sanchez ſup. n.* 56. vera ſunt licèt verba legis, in qua dictæ pœnæ imponuntur, non ſint præcepti, nec æquipollentia præcepto: idque ob rationem adductam *ſup. q.* 17. *§. Addo*

QVÆRES XXI. An regula poſſit obligare ſolū ſub v. in materia capaci obligationis ſub mort.

34 ℞. Poſſe; & probatur quia tota obligatio præcepti poſitiui pēdet ex voluntate legiſlatoris, ſuppoſitis conditionibus neceſſarijs ad vigorē legis, ideoque ſi ille velit obligare ſub mortali obligabit, ſub mortali; ſub veniali verò, ſi velit obligare ſub veniali; cùm enim talis obligatio ſit effectus moralis faciendus ab homine, nempe à Prælato, non poteſt fieri ſine conſenſu voluntatis illius; ac proinde, ſi ille nolit obligare ſub mortali, non conſurget obligatio ſub mortali; cùm actus agentium non tranſcendant intentionem eorum *l. ſi quis nec cauſam ff. ſi certum petatur*. hoc autem ſupponimus in præſenti caſu. Confirmatur ex vſu Religionum, quarum aliquæ habent conſtitutiones obligantes ad audiendam miſſam quotidie, ad ieiunandum tali die, & ſimilia; quæ ſunt materia ſufficiens ad obligandum ſub mortali, & tamen vel non obligant ad vllam culpam, vel ſolùm ad venialem. ita *Suar. l.* 3. *de leg. c.* 27. *n.* 7. *ex Caietano, Caſtro, Medina, & Nauar.* alijq; apud *Sanch. ſup. n.* 25. cōtra *Vaſquez* 1. 2. *D.* 158. *c.* 4. *n.* 22. *Bellarm. l.* 3. *de laicis cap.* 11. & *Medinam* 1. 2. *q* 96. *a.* 4. ſuſtinentes legem non poſſe obligare, niſi iuxta qualitatem materiæ præceptæ; videlicèt ſub graui, ſi materia ſit grauis, vel ſub leui, ſi ea ſit leuis; idque per Legiſlatoris voluntatem non poſſe impediri: quod iam à nobis refutatum eſt.

QVÆRES XXII. An Regula poſſit obligare ſub mortali, ſi materia in ea præcepta, attentis omnibus circumſtantijs, ſit leuis.

35 ℞. Non poſſe; quantumuis Legiſlator id intendat; & probatur, quia leuis materia videtur incapax tantæ obligationis; ideoque lex illam imponens eſſet iniuſta, & conſequenter non obligatoria, vtpotè irrationabilis: præter quam quòd nec Deus obligat ſub mortali in materia leui (vt patet

in verbo otioſo, in furto leui, &c.) ergò nec lex humana poterit in re leui obligare ſub mortali; cùm ea, vt ſit iuſta, ac rationabilis, conformari debeat legi diuinæ, à qua deriuat. eſt communis Doctorum apud *Bonacinam D.1. de leg. quæſt. 1. p.7. §.4. numer.13.* & procedit reſpectu legiſlatoris tam ſæcularis, quàm eccleſiaſtici. Vnde quis benè inferat, quòd ſi in Religionibus interdum leuiora præcipiuntur ſub excommunicatione maiori, aut alia graui pœna (*v.g.* ingredi alienũ cubiculum ſine licentia) eiuſmodi res verè non ſunt leues reſpectu finis intenti à Superiore modo dicto præcipiente, aut reſpectu alterius circumſtantiæ concurrentis; vt benè aduertit *Sanch. l.1. mor. c.4. n.5.* addens *n.4.* doctrinam à nobis hìc datam ex *Bonacina* eſſe veram, etiam in caſu, quo Prælatus in re leui præcipiat in virtute obedientiæ: cùm enim materia ſit parua, nequit obligare ſub mortali. Quod tamen non facit, quin in tali caſu, aut alio ſimili præceptum factum ſub mortali in re leui obliget ſaltem ſub veniali iuxtà regulam iuris *Actus. qui non valet, vt agitur, valet ſaltem eo meliori modo, quo poteſt.* Accedit, quòd Superior obligans plùs quàm poteſt, cenſetur velle etiam obligare, quantum põt.

QVÆRES XXIII. An Regula poſſit obligare ſolùm ad pœnam.

36 ℞. Poſſe, patetque, ex dictis in *tr. de pœnis c.1. q.22.*

QVÆRES XXIV. An Regula in dubio, vtrum obliget ſub mortali, nec ne, obſeruari debeat ſub mortali.

37 ℞. Non debere obſeruari; & probatur, tum quia, teſte *Nauarro c.23. n.50. & Sayro in claui regia l.3. c.7. n.29.* verba legis apta ad inducendam culpam venialem, & mortalem in dubio debent intelligi de veniali; cum iuxta *regulam in pœnis de reg. iur. in 6. & l. ſi præſes ff. de pœnis* lex, quæ poteſt intelligi de pœna maiori, ac minori, in dubio interpretari debeat de minori: tum quia, teſte *Caietano v. præcepti tranſgreſſio §. pœna præceptorum, & Armilla v. præceptum num. vlt.* non tam lata præceptorum in iure obligantium ſub mortali interpretatio ſumi debet, ne laqueus multiplex animabus iniiciatur. ita *Sanch. l.6. mor. c.4. n.66.* contrà aliquos ab ipſo relatos; qui tamen concedit ſecùs dicendum eſſe, ſi ſolùm dubitetur, an lex obliget ſub aliqua culpa, ſaltem veniali, an ſolùm ad pœnam: cum tali enim dubio videtur obligare tantùm ſub veniali; cùm lex natura ſua habeat vim obligandi ſub culpa, vbi de intentione contraria legiſlatoris volentis obligare ad ſolam pœnam non conſtat; ſicque in dubio poſſeſſio ſtat pro legis obligatione.

QVÆRES XXV. Ex quotuplici capite oriri poſſit culpa, quæ fit in violatione Regulæ non obligantis ad peccatum neque mortale, neque ven.

38 ℞. Poſſe oriri ex triplici capite, videlicet ex negligentia, libidine, aut contemptu: ex negligentia quidem, quando quis ſolùm ex quodam animi torpore ducitur ad tranſgreſſionem; ex libidine verò, quando quis violat Regulam ob nimiam cupiditatem ergà aliquid; cùm enim culpa ſit facere ex libidine aliquid à Regula religioſa non prohibitum, à fortiori erit culpa, ſi ſit prohibitum à Regula; ex contemptu denique quando quis Regulam violat, eò quòd nolit ei ſubiici; quod cùm ſit contrà votum quo Religioſus promiſit vitam regularem, erit peccatum m. vtpote violans promiſſionem grauem.

Quod ſi hìc obiter quæras, in quo conſiſtat promiſſio Vitæ regularis.

39 ℞. *Sanch. ſup. num. 9.* conſiſtere in eo, quòd Religioſus ita ſubſit Regulæ, vt iure poſſit puniri à Prælatis ob illius violationem; non autem in propoſito ſeruandi illam, neque in hoc, quod ita Regulæ ſit ſubiectus, vt eius violatio ipſi imputetur ad peccatum; ea enim aliquando violatur ſine vllo peccato, vt diximus q. 16.

QVÆRES XXVI. An peccet mort. Religioſus, qui habet animum liberè viuendi abſque obſeruatione, vel cura vlla ſeruandi Regulam, niſi in iis tantùm rebus, in quibus illa obligat ſub mor.

40 ℞. Non peccare mort. per ſe loquendo; & patet tum ex dictis *cap. præced. q.8.* tum quia ratio naturalis ſolum præcipit ſeruare Regulas communitatis in eo gradu obligationis, in quo eæ latæ ſunt; ac proinde, cùm tota Regula etiam collectiuè ſumpta non ſit poſita cum obligatione ſub mortali, (vt ſuppono,) nec ratio naturalis obligat ad illam ſeruandam ſub mortali. Et quidem quod tota Regula collectiuè ſumpta non obliget ſub mortali, conſtat, quia in tota collectione Regularum non adeſt alia obligatio, niſi ea, quæ oritur ex ſingulis Regulis particularibus; cùm Auctor Regulæ per vnamquamque Regulam imponat ſuam obligationem, & hic conſurgat obligatio totius Regulæ, quæ re vera eſt multitudo obligationum particularium; ideoque cùm in ea multitudine nulla extet Regula obligans ſub mortali, neque ex multitudine obligationum leuium, præſertim diuerſarum legum, ac rationum oriatur vna obligatio grauis in conſcientia. & hoc, ſiue Regulæ ſingulæ obligent ſub veniali (cum multa peccata venialia non faciant vnum mortale) ſiue non obligent, neque ſub veniali, cùm ſic nõ poſſint efficere vnam obligationem grauem; quippe quæ etiam ſimul ſumptæ nullam continent obligationem in conſcientia. ita *Suar. tom.4. de relig. tract.8. l.1. c.4. n.6.* addens nihil referre, quòd illa multa leuia vnico propoſito apprehendantur: non enim habent, vnde inter ſe vniantur in vna materia graui eiuſdem vitij; quo pacto DD. dicunt multa furta parua vniri in vnum graue.

QVAERES XXVII. An ſit in malo ſtatu religioſus, qui habet conſuetudinem violandi regulam non obligantem ſub mortali.

41 ℞. *Sanch. ſup. n.18.* eſſe in malo ſtatu, non quidem quod talis conſuetudo ſit contemptus quidam Regulæ interpretatiuus (vt ſupponunt aliqui cum *Syluestro v. religio 1. q. 12.* ſed minùs benè; cùm non poſſit adeſſe contemptus Regulæ, quamdiu adeſt voluntas ſe ſubiiciendi illi) ſed quia habens talem conſuetudinem exponitur probabiliſſimo periculo contemnendi Regulas: quod tamen nos negauimus *cap. præcedenti q.12.* ſicque conſequenter negamus religioſum habẽtem dictam conſuetudinẽ eſſe in malo ſtatu: quod admitteret etiam *Sanc.* in caſu, quo poſſibile eſſet ex dicta cõſuetudine nullã ſequi Religionis ruinã, nullũ periculũ violandi vota, nullũ contemptum Regularum; cùm alioqui putant *Sanc.*

mora-

moraliter id eſſe impoſſibile, à nobis diſſentiat.

QVÆRES XXVIII. An omnes Regulares teneantur ſeruare Regulas, & Conſtitutiones proprij Ordinis, etſi ſint in eo Prælati ſupremi.

42 ℞. Teneri, tum quò ad vim directiuam (cùm etiam ipſi ſint membra Ordinis, & Conſtitutiones fiant auctoritate Capituli poteſtatem habentis ſuprà ipſos Prælatos:) tum aliquo modo etiam quò ad vim coactiuam, vt docent *Rodriqu. tom.* 1. *qu.* 68. *a.* 3. *Miranda p.* 2. *manual. q.* 29 *a.* 4. alijque & nos ipſi oſtendimus in *trac. de priu. c.* 8 *ſect.* 1. *ſubſ.* 2. *q.* 8. Quin etiam addit *Lezana tom.* 1. *cap.* 18. *nu.* 11. *ex Suar. ſup. l.* 2. *c.* 8. *n.* 20. Prælatos Religionum, etiam generales, teneri ſeruare præcepta, quæ alijs imponunt: idque non ſolùm quia Princeps tenetur ſeruare ſuas leges iuxta illud, *Turpis eſt pars, quæ diſcordat à ſuo toto*; ſed etiã quia ipſi debẽt præcedere exẽplo ſuos ſubditos.

QVÆRES XXIX. An Regula ſeruari debeat à Regularibus promotis ad epiſcopatum, aut aliam dignitatem extrà Ordinem, vel certè in perpetuùm eiectis ab Ordine.

43 ℞. Non teneri (exceptis tamen 3. votis ſubſtãtialibus Religionis) & conſtabit ex dicendis in *tract. de priuil.* quò ad promotos quidem ad epiſcopatum *c.* 6. *ſect.* 4 *q.* 9. quò ad eiectos verò *ca.* 8. *ſect.* 2. *q.* 16.

QVÆRES XXX. An Nouitij teneantur ad Regulas Ordinis.

44 ℞. De rigore non teneri; cùm adhuc non ſint pars Communitatis religioſæ; teneri tamen ex graui decentia, quatenùs aliquo modo ſubſunt Religioni, eiuſque bonis fruuntur: imò & in conſcientia teneri obedire Superioribus regularibus in rebus ſpectantibus ad bonum regimen ipſorum; idq; vi poteſtatis, ac iuriſdictionis, quam dicti Superiores habent in ipſos. ita *Lezana ſup. c.* 24. *n.* 2. *Henriq. l.* 7. *c.* 22. *n.* 7. *& l.* 6. *c.* 16. *n.* 3. *Corduba l.* 1. *q.* 3.

QVÆRES XXXI. An Moniales teneantur ad regulas ſui Ordinis.

45 ℞. Teneri, ſiue ſint ſubiectæ Prælato Ordinis, ſiue Epiſcopo; ſecluſis tamen ijs, quæ non ſunt accõmodata ſexui, ac fragilitati illarum. ita *Suar. ſup. tr.* 9. *l.* 1. *c.* 12. *nu.* 11. & patet quia moniales verè ſunt Religioſæ, & Religioſæ talis Ordinis, non minùs, quàm ſint viri eiuſdem Ordinis profeſſores; ergò, ſicut hi tenentur ſeruare Regulam proprij Ordinis, ſic & illæ; cùm talis obligatio ſit effectus conſequens ex religioſa profeſſione, quæ fit etiam à monialibus. Illud quidem concedendum puto Conſtitutiones, quæ fiunt in Ordine, poſtquàm aliquod monaſterium monialium immediatè ſubiectum fuit Ordinario loci, non ligare Moniales talis monaſterij; cùm lex non feratur, niſi in ſubditos; quales non ſunt præfatæ moniales reſpectu Prælatorum Ordinis, ſtatim ac immediatè fuerunt ſubiectæ Ordinario: aliàs ſubiacerent oneribus, tum proprij Ordinis, tum Ordinarij, cui immediatè ſubſunt; quod vtique eſſet illas nimis grauare, vt patet.

QVÆRES XXXII. An Regulares hoſpites teneantur ad ſtatuta Prouinciarum, in quibus breui commorantur.

46 ℞. Probabile eſſe non teneri, ſecluſo ſcandalo, ac peculiari ſtatuto Ordinis ad id obligãtis. ita *Sanctius in ſelectis D.* 54. *num.* 30. innumeros DD. pro ſe referens *Bonac. D.* 1. *de leg. q.* 1. *p.* 6. *num.* 36. in terminis id aſſerens, etſi putet vſu aliter receptum eſſe, & oppoſitum conſulendum eſſe ob periculum ſcandali, *Sanch. lib.* 1. *mor. cap.* 12. *n.* 38. alijque penes ipſos contrà *Caſtrum Palaum tract.* 3. *D.* 1. *par.* 24. §. 3. *num.* 11. plures pro ſe adducentem: & probatur, tum quia ad obligandum requiritur iuriſdictio in obligante, & ſubiectio in eo, qui obligatur; per breuem autem commorationem non acquiritur iuriſdictio, neque ſubiectio: cum non dicatur moraliter eſſe in loco, qui tranſit, aut breui commoratur, *l. quæſitum* 76. §. *fin. ff. de legatis* 3. tum quia in *cap. illa d.* 12. ex *S. Auguſtino* dicitur, *Alia, quæ per loca terrarum, regioneſque variantur, ſicut eſt, quòd alij ieiunent ſabbato, alij non, totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes.* vbi *Gloſſa v. liberas*, ait, quòd liberũ eſt ſabbato ieiunare, quantum ad extraneos, non quantùm ad illos, vbi conſuetudo ſeruata eſt. Dixi *ſecluſo ſcandalo, aut peculiari ſtatuto*: ſi enim ſubſit ſcandalum, aut in aliquo Ordine extet ſtatutum in contrarium, tunc ſeruari debent Conſtitutiones propriæ Prouinciarum, per quas Religioſus tranſit; ſicque puto in praxi faciendum, & conſulendum eſſe; cũ Relig. non debeant in talibus rebus ſpectare apices iuris, cùm teneãtur ad perfectionẽ.

QVÆRES XXXIII. An, & quæ ignorantia excuſet à violatione regulæ.

47 ℞. Excuſare ignorantiam inuincibilem: & probatur, quia violatio Regulæ non poteſt eſſe peccaminoſa, niſi ſit voluntaria; non poteſt autem eſſe voluntaria, niſi ſit cognita; quod ſtare nequit cum ignorantia inuincibili. ita DD. communiter cum *S. Thoma* 1. 2. *q.* 76. *a.* 3. ex quibus *Sanch. l.* 1 *mor. c.* 16. *n.* 9. aduertit nomine ignorantiæ venire hìc non ſolùm ignorantiam habitualem, ſed etiam actualem inconſiderationem, ſeu obliuionem: quippe quæ ſi ſint inuincibiles, actum faciunt inuoluntarium, adeoquè excuſant à peccato, quantumuis aliàs adſit habitualis ſcientia. Dixi *ignorantiam inuincibilem*, (quæ ſcilicèt viribus proprijs vinci nequit ab homine,) vt indicarem ignorantiam vincibilem (qualis eſt, quæ vinci poteſt proprijs viribus) non excuſare à peccato, cùm ſit voluntaria indirectè, & Regulæ violationem reddat indirectè voluntariam; vt notauit *Sanch. ſup. c.* 17. *n.* 1. addens *n.* 3. quòd, cùm talis ignorantia minuat rationem voluntarij, minuit & culpam, reddens illam leuiorem, quàm ſi ſcienter admitteretur.

An autem ignorantia pęnę latę contra tranſgreſſores regulæ excuſet, tum à culpa tranſgreſſionis, tum à pęna.

48 ℞. Excuſare, non à culpa (cùm per eam non tollatur voluntarium, & aduertentia ſufficiens ad regulam ſtet cum tali ignorantia; quæ ſola requirũtur, & ſufficiunt ad rationem culpæ) ſed à pęna; cùm in *c.* 2. *de Conſtitut. in* 6. dicatur ignorantes non ligari ſententijs: & hoc, ſiue ſententia ſit excommunicationis, ſiue quælibet alia lata ab Ordinario, vt notat *Sanch. l.* 9. *de matr. D.* 32. *n.* 17.

QVÆRES XXXIV. An Impotentia excuſet à tranſgreſſione regulæ.

49 ℞. Excuſare; ſiue impotentia ſit phyſica, ita vt Religioſus nullo pacto Regulam poſſit obſeruare;

ſiue tantùm moralis, ita vt ſolùm cum graui incommodo id præſtare poſſit. Ducor, quòd nemo tenetur ad impoſſibile, cum impoſſibilium non ſit obligatio. ita DD. communiter, inter quos *Bonacina D. 1. de leg. q. 8. p. 1. n. 4.* notat eum, qui nequit implere totum præceptum, teneri implere partem, quam poteſt; ſi pars ſit notabilis, & cenſeatur intenta à Superiore. probat, quia potens implere partem præcepti non habet cauſam ſufficientem, vt excuſetur ab obligatione implendi dictam partem, iuxtà illud, *Qui non poteſt ſoluere totum, quod debet, ſoluat, quod poteſt*: intellige, ſi pars illa ſit ſeparabilis à reliquis, & ſolui poſſit ſine graui incommodo, quæ vtique procedunt de Regula religioſa, vt conſideranti facilè conſtabit.

QVÆRES XXXV. An, & qualiter diſpenſatio legitimè obtenta à Superiore excuſet à violalatione Regulæ.

50 ℞. Excuſare; cùm ſic Religioſus eximatur ab obligatione Regulæ, ideòque non poſſit dici illius tranſgreſſor, etſi faciat contrà illam. ita DD. communiter apud *Bonacinam ſup. nu. 1.* & patebit ex dicendis in *tract. de priuil. c. 8. ſect. 1. ſubſ. 4. q. 1.*

QVÆRES XXXVI. An, & quibus in caſibus poſsint Regulares excuſari à Regulę obſeruantia ex epicheia.

51 ℞. Poſſe excuſari in ijs omnibus caſibus, qui per epicheiam non cenſentur comprehenſi in Regula, etſi verba regulæ videantur illos comprehendere. moueor, quòd lex non excedit voluntatem legislatoris; legislator autem non cenſetur velle comprehendere in ſua lege omnes omninò caſus: qualis eſſet, ſi lex obligaret ad rem turpem, aut pernicioſam communi bono, vel nimis arduam, ideòque ſuprà poteſtatem legislatoris, vel denique talem, vt ex occurrentibus circumſtantijs conſtet legislatorē excepturum fuiſſe talem caſum, ſi illum præuidiſſet. ita *Bonac. D. 1. de leg. q. 1. p. vlt. §. 2. num. 9.* & alij communiter, maximèque *Suarez l. 6. de leg. cap. 7. & 8.* qui benè notant epicheiam eſſe quaſi emendationem legis, ſeu interpretationem, qua quis prudenter interpretatur legislatorem, vel non potuiſſe, vel noluiſſe obligare ad aliquem actum, quamuis comprehenſum ſub verbis legis; idque ob circumſtantias hîc, & nunc concurrentes.

52 Eſt autem communis ſenſus Doctorum cū *S. Th. 2. 2. q. 120. a. 1.* epicheiam non habere locum in caſu dubio, ſi conſuli poſsit Superior: & hoc, ſiue dubium ſit de poteſtate Superioris, an potuerit in eo caſu obligare; cùm enim clarè non conſtet de defectu poteſtatis illius, iniquum eſt interpretari illum non poſſe obligare, ac legem deficere; cùm poſſeſſio ſtet pro lege, ac legislatoris poteſtate: ſiue dubium ſit de voluntate ſuperioris, an voluerit legem ſuam extendere ad illum caſum; ſiquidem ex vna parte non licet operari cum conſcientia practicè dubia, quando ipſa deponi poteſt; ex alia parte in caſu propoſito deponi poteſt conſcientia dubia ex conſilio Superioris; ergò, eo inconſulto, non licet operari. ita *Caſtrus Pal. ſup. p. 8. n. 2.* addens *num. 4.* ex *S. Thoma, Soto, Suar. Vaſq. Sanch. & Medina* non eſſe locum epicheiæ in dubijs, quantumuis vrgentibus, in quibus adiri nequit Superior, ſed ſeruanda eſſe verba legis, pro vt ſonant; cùm ſic lex poſsideat; ideoq; *Syluester, Corduba, & Henriq.* oppoſitum ſuſtinentes loqui non de dubio æquilibri, ſed de formidine; quando ſcilicèt adeſt probabile iudicium, quamuis cum formidine, Superiorem pro tali, vel tali caſu noluiſſe, aut non potuiſſe obligare.

53 Addit *Card. de Lugo D. 18. de euchar. n. 19.* ad præſumendam voluntatem Superioris, non ſufficere ſcire, quod ſi peterem licentiam, daretur; interdum enim tanti intereſt, ne fiat aliquid non petita licentia, vt, quamdiu non petitur, Superior ſit inuitus & quò ad modum, & quò ad ſubſtantiam actionis; vt conſtat in Religioſo, cui non ſufficit ad dandum, vel expendendum ſcire, quod ſi peteret licentiam, Prælatus daret. nam ſi hoc ſufficeret, religioſa Obedientia rueret, & votum Paupertatis eſſet merum nomen; aut ferè ſemper præſumi poſſet talis voluntas, ſaltem in Superiore mediato, v. g. in Prouinciali; ſicq; nunquam peti deberet licentia; quod tamen falſum eſt: quamuis enim Prælatus daret licentiam, eſt tamen inuitus, etiam quò ad ſubſtantiam actionis, quamdiu licentia non petitur; cùm ob grauiſsima incommoda ex illo alio modo operandi prouenientia debeat velle retinere totum ius ſuum, & eſſe omninò inuitus circà illā actionē, niſi in aliquo caſu, in quo ob peculiares circumſtantias præſumi poſsit illum non eſſe ita inuitum.

QVÆRES XXXVII. An conſuetudo legitimè præſcripta contrà Regulam excuſet ab ipſius Regulæ obſeruantia.

54 ℞. Diſtinguendo: vel enim Regula ſumitur pro vt includit tria vota ſubſtantialia Religionis, ſicque induci non poteſt conſuetudo contrà illam: vel ſumitur pro vt alia dictis tribus votis annexa præſcribit: & ſic induci poteſt conſuetudo contra illam, ſi concurrunt omnes conditiones requiſitæ ad abrogationem legū eccleſiaſticarum. pars 1. probatur, tum quia tria vota religionis continentur ſub regula quaſi quid omninò ſubſtātiale religionis, ideoq; ſtante religione, nulla conſuetudo poteſt præualere contrà illa: tum quia vota religioſa obligant iure naturali diuino, ideoq; ſicut nulla conſuetudo vim habere poteſt contrà ius diuinum naturale; ſic nec habebit contrà dicta vota. Pars 2. patet, quia aliæ obſeruantiæ annexæ votis continentur ſub regula, non tanquam quid ſubſtantiale religionis, ſed quaſi leges adiunctæ; ideòque ſolùm obligant, quamdiu habent vim legis; quam tamen vim amittunt ſtatim ac inducta eſt conſuetudo contraria ſufficiens ad abrogandas leges eccleſiaſticas; quippe quæ non habent maiorem vim, quàm reliquæ leges Eccleſiaſticæ. ita *Sanch. l. 6. mor. c. 2. n. 26.* addens *n. 28.* quod diximus, conſuetudinē nihil poſſe circà vota ſubſtātialia religionis abroganda, debere intelligi de ijs præceptis, quæ talia ſunt, vt, ijs ſublatis, deſtruatur eſſentia Religionis; non item, ſi ſpectent ad ſolam perfectionem dictorū votorū, ita vt, ijs ſublatis, adhuc eſſentia religionis maneat; hæc enim abrogari poſſunt conſuetudine: quo modo in Ord. Minorum vſu potuerūt aboleri præcepta nō equitādi extrà caſū neceſsitatis, & nō geſtandi calceamenta, vt pote ſpectātia ad ſolā perfectionē paupertatis mō dicto.

55 Ex quib⁹ habetur ſolutio quęſtionis, qua quęritur,

an

an Religioſi profitentes Regulam tunc temporis per conſuetudinem relaxatam teneantur illam ſeruare in ſuo priſtino rigore. quamuis enim aliqui id affirment cum *Maiore in 4. d.* 38. *qu.* 20. *& Corduba in regul. S. Franc. c.* 10. *q.* 5. *p.* 1. & alij id negent cum *Abbate in cap. ſuper eo nu.* 5. *de regular.* & alijs ſi profitentes modo dicto intenderunt profiteri ſolùm Regulam ita collapſam, pro vt tunc temporis ſeruabatur; vel ſi ſimpliciter profeſſi ſunt immemores præfatæ intentionis limitatæ, iam à tempore immemorabili Regula abijt in deſuetudinem: nihilominùs iuxtà diſtinctionem à nobis modò traditam probabiliùs dicitur præfatos Religioſos teneri ſeruare Regulam in priſtino ſuo rigore quò ad vota ſubſtantialia Religionis, non item quò ad regulares obſeruantias votis annexas: idque ob rationes iam adductas.

56 Verum quidem eſt, quòd ſi profitens in Religione relaxata (& quidem nulla legitima conſuetudine excuſante) eſſet ita ſimplex, vt non deberet ſcire Regulam illam ſtrictiùs obligare, quàm tunc temporis obſeruaretur; poſſet tranſire ad Ordinem laxiorem, qualem ipſe putabat eſſe illum, quem profeſſus eſt; idque ſine diſpenſatione Papæ: & , ſi noluerit tranſire, tenebitur obſeruare Regulam in priſtino rigore; ſicut etiam tenebitur, qui ſecluſa tali ignorantia tempore profeſſionis expreſſe intendit non ſe obligare ad Regulam, niſi pro vt de facto tunc obſeruabatur: idque non ratione voti, quod non excedit intentionem vouentis, ſed ratione iniuriæ, quam taliter profitendo intulit Ordini: cùm eligens profiteri in eo teneretur verè profiteri. quamuis *Corduba ſup. cap.* 2. *qu.* 16. *p.* 2. putet eiuſmodi Religioſum poſſe tranſire ad Ordinem ita relaxatum, qualem ipſe intendit vouere: qua de re *Sanch. ſup. num.* 27. *&* 28.

QVÆRES XXXVIII. An Regulares poſſint præſcribere contrà Regulam.

57 ℟. *Portell. de dub. regul. v. regula*, & benè quòd ſi in aliquo Ordine ſæpius in loco publico legantur regulæ (vt fit in Ordine Minorum qualibet hebdomada, & in Societate Ieſu quolibet menſe, & in alijs etiam Ordinibus) tunc non currit præſcriptio contrà Regulam, & conſequenter nec induci poteſt conſuetudo aduersùs illam: ſiue Regula ſumatur, prout continet tria vota ſubſtantialia, ſiue pro vt etiam importat regulares obſeruantias: ſic enim concurrere non poſſunt omnes conditiones neceſſariæ ad præſcriptionem, de quibus *Leſſius l.* 2. *de iuſt. ca.* 6. *d.* 2.

Vtrum verò ad abrogandam Regulam per non vſum requiratur certum tempus, & opus ſit aliqua præſcriptione.

58 ℟. Quòd, licèt aliqui cum *Azorio p.* 1. *l.* 5. *c.* 4. *q.* 4. putent requiri ſpatium 10. annorum: alij tamen probabiliùs ſuſtinent cum *Suarez l.* 4. *de leg. c.* 16. *n.* 12. non requiri certum tempus, ſed ſufficere ſolam repugnantiam per actus contrarios in numero ſufficienti factos iudicio boni viri: nullum enim extat ius, quod præſcribat ſpatium 10. annorum, neque id ex natura rei eſt neceſſarium, & vſus ipſe videtur eſſe in contrarium. Imò *Diana p.* 2. *tr.* 10. *reſol.* 7. *cum Azorio Panormit. Sà Regin. Rodriq.* & alijs docet, ſi fiant duo, aut tres actus contrà legem, ſciente Principe, & non puniente, ſufficere dictos actus ad derogandam legem; cùm ad inducendam conſuetudinem binus actus ſufficiat, & dicatur fieri frequenter, quod bis fit: & hoc, inquit *Rodriq. tom.* 1. *qu.* 6. *a.* 12. licèt dicti actus non fiant coram Principe legislatore; modò fiant coram ipſorum officialibus deputatis. Hæc autem quàm ſint probabilia, iudicent alij; non enim vacat hìc ea diſcutere. certè, quòd ſpectat ad regulares obſeruantias, hæ doctrinæ non ità facilè admittendæ videntur; aliàs facillimè, & citiſſimè tota diſciplina regularis corrueret cum magno præiudicio ſtatus religioſi.

QVÆRES XXXIX. An, ceſſante fine Regulæ in caſu particulari, omnimoda obligatio ipſius Regulæ ceſſet.

59 ℟. *Diana ſup. reſol.* 28. *cum Nauarro Mexia Henriq. Sà Soſa Ang. Megala Granado*, & alijs ceſſare, ſi ceſſet finis adæquatus legis: & probat, tum quia valet argumentum de toto ad partem; ideoque ſicut, ceſſante fine legis in totum, lex in totum ceſſat; ſic & ceſſabit in parte, ſi finis legis ceſſet in parte: tum quia ita ſe habet lex in vniuerſali ad rationem acceptam in vniuerſali, ſicut lex in particulari ad rationem acceptam in particulari; ac proinde, ſicut ceſſante ratione legis in particulari, ceſſet obligatio legis in vniuerſali, ſic ceſſante fine in particulari ceſſabit obligatio legis in particulari: tum quia lex non ſolùm obligat omnes in generali, ſed etiam ſingulos in ſpeciali; ergò, ſicut deficiente ratione reſpectu omnium, omnes manent deobligati; ita deficiente apud vnum, ille vnus manebit deobligatus. ita *Diana* de lege in generali ſumpta; idemque diceret de Regula religioſa, quæ eſt ſpecies legis, ſi velit philoſophari conſequenter; quod tamen non admittunt alij apud ipſum *Dianam* ſuſtinentes obligationem legis non ceſſare in particulari, niſi ratio, & finis adæquatus illius ceſſet in vniuerſali.

QVÆRES XL. An, & qualiter peccent Prælati regulares, ſi permittant frequenter, & paſſim violari Regulas Ordinis ad culpam venialem obligantes, vel etiam ad nullam.

60 ℟. *Naldus v. prælatus n.* 11. peccare mortaliter, ſi commodè poſſint impedire Regularum violationem, & ab animi ſui paſſiones id facere omittant; v. g. ad vitandas tricas, ac moleſtias, ad ſeruandam ſubditorum beneuolentiam, ad propriam quietem cuſtodiendam. probat, tum quia Prælatus tenetur ex officio procurare ſpiritualem profectum ſubditorum, qui per frequentem Regulæ tranſgreſſionem multùm impeditur; tum quia, licèt ſubditi violantes Regulam peccent ſolùm venialiter, imò nec venialiter, ſi Regula non obliget ad vllam culpam; non ideò tamen Prælatus eximitur à peccato m. ſi permittat dictam regulę tranſgreſſionem; cùm non ſit nouum idem ex diuerſitate rationis diuerſo iure iudicari; vt patet in cuſtode vineæ, qui ex officio tenetur impedire damnum illius, ideoque peccat mortalit. ſi videns extraneos illam intrantes ſeorſim, vt ſinguli ſurripiant vnum, vel alterum racemum, taceat, & non impe-

diat; cùm illi peccent ſolùm venialiter; vt tradunt communiter DD. teſte *Naldo* pro hac ſua reſponſione adducente *Sanchez l. 1. mor. cap. 6. num. 19. Sotum*, & alios: à quibus non diſſentiunt *Miranda, Villal. Thoma à Ieſu Tannerus Bann. & Azorius* relati à *Diana p. 3. tract. 2. reſol. 38.* quatenus docent Prælatum regularem teneri ſub mortali corrigere peccata venialia ſubditorum, ſi inde regularis obſeruantia grauiter lædatur: etſi *Rodriq. de ordine iudiciario cap. 9. num. 7.* id neget ductus quodam fundamento à nobis ſoluto in poſteriori ratione, quam adduximus pro noſtra ſententia; quam in terminis ſequitur *Peyrinus de R. P. q. 1. c. 7. n. 15.*

61 Nota: autem *Cardinalis de Lugo D. 9. de iuſt. n. 22.* poſſe in hac materia, licut in alijs, dari culpam venialem ex parte Prælati ob paruitatem materiæ v.g. grauis eſſet materia, ſi ob Prælati negligentiam culpabilem regula aliqua magni ponderis abiret in deſuetudinem; qualis eſſet in Ordine obſeruanti regula vetans ingreſſum in aliena cubicula: regula item ſtatuens lectionem librorum ſpiritualium in noſtra Societate, & fortè etiam regula ſilentij, vbi ſunt multi Religioſi iuuenes ſcholaſtici; cum hæ regulæ, & earum obſeruantia ad magnum Religionis ornamentum pertinere videantur. Paruitas verò materiæ eſſet, ſi hæc non ita frequenter, ſed aliquando fierent; vt. fortaſſe circa regulam, quæ non tam ad bonum ſpirituale, quam ad gubernationem temporalem ordinatur. v. gr. in Societate circa regulam ordinantem Scholaſticos vti lingua latina in communibus colloquijs, cuius regulæ violatio permiſſa à Prælato non ita facilè in eo debet iudicari grauis. ita *Cardinalis* addens idem dicendum de peccatis venialibus ſubditorum; Prælatum ſcilicet teneri ſub graui culpa procurare eorum correctionem, ſi ex illorum permiſſione graue damnum ſpirituale Religio ſubiret.

Addit *Cardinalis num. 24.* cauendum eſſe, ne Prælatus regularis in procuranda Religioſorum ſubditorum correctione, ac reformatione ſpirituali incidat in contrarium extremum, vt odioſam reddat diſciplinam, ac correctionem. Vnde non debet omnia, & ſingula examinare, inquitere, punire; ſed iuxta Soſipatri monitum parua, & vulgaria peccata frequenter diſſimulare, & ijs, quæ iam ingraueſcunt, curam ſecundùm leges adhibere.

62 Vnde quis non videat quam periculoſum ſit munus Prælatorum regularium, è quorum manibus exquirendus eſt ſanguis ſubditorum, & exigenda eſt ratio de animabus illorum? Ah quam benè dicebat ille, *ſi fuiſſem de numero Prælatorum, non fuiſſem de numero electorum*: quàm piè ille alter Deum quotidie exorabat, ne in prælatia decederet; quam prudenter Chryſippus apud *Stobæum ſerm. 43.* interrogatus, cur Rempublicam renueret adminiſtrare, reſpondit *Quia ſi malè rexero, Dijs diſplicebo, ſi benè ciuibus*: quam verè dictum eſt in *Concilio Trid. ſeſſ. 6. de reformat. cap. 1.* Eccleſiarum regimen eſſe onus Angelicis humeris formidandum. Certè ſi Seleucus dicere ſolebat, *Si cogitarent homines, quantum negotij ſit in Principe ſolùm tot legere, & ſcribere Epiſtolas, nec humi proiectum diadema tollerent*; quid dicat Prælatus regularis, cui incumbit onus adeò graue reddendi rationem de proprijs ſubditis iuxta illud *Sap. 6. Iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet.* qua de re *Leſſius l. 10. de perfectionibus diuinis cap. 6. num. 69.*

QVÆRES XLI. An Prælatus regularis peccet. m. diſpenſando ſine cauſa in regula, aut Conſtitutione non obligante ſub mortali.

63 ℞. *Suarez tom. 4. de relig. tract. 10. l. 4. cap. 8. n. 13.* poſſe contingere, quòd Prælatus in caſu propoſito peccet. m. & probat quia talis diſpenſatio eſt maximè contra bonum commune religionis, præſertim in re graui, imò & contra fidelitatem, ac iuſtitiam, ad quam Prælatus tenetur ex officio.

CAPVT III.

De Obligatione Regularium quo ad vſum Sacramentorum, & maximè Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ.

IN hoc cap. differendum nobis eſt de obligatione, quam habent Regulares quo ad vſum Sacramentorum. & quidem cùm in vniuersùm illa extendantur ad Sacramentum Pœnitentiæ Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis, ac Ordinis; & de his duobus poſtremis dicturi ſimus in *tract. de priuil.* (in quo etiam plura dicemus de vſu Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ) ſupereſt, vt hoc loco dicamus de vſu Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ: ſicque caput diuidemus in 2. ſectiones, in quarum prima agemus de vſu Sacramenti Pœnitentiæ: in ſecunda De vſu Sacramenti Euchariſtiæ.

SECTIO I.

De obligatione Regularium quo ad vſum Sacramenti Pœnitentiæ.

1 *REgulares triplici iure tenentur ad confeſſionem Sacramentalem.*

2 *Et quidem iure diuino in articulo mortis, & in caſu, quo adſit periculum probabile non confitendi in vita peccatum mortale commiſſum.*

3 *Imo & in aliquo alio caſu, ſed rarò.*

4 *Et in caſu, quo velit ſumere Euchariſtiam, & habeat copiam Confeſſarij.*

5 *Non confeſſus in mortis articulo, elapſo periculo non tenetur confiteri.*

De-

6 *Debent ex præcepto Eccleſiæ confiteri in Quadrageſima ſi habent mortalia.*

7 *Secùs ſi ſolum habeant venialia; etſi conſultum ſit etiam tunc confiteri.*

8 *Quod ſi non confitentur in Quadrageſima, quia non habent tunc mortalia, ſi quod mortale poſtea committant tenentur confiteri; etſi alij id negent.*

9 *Et horum ſententia videtur probabilis in caſu, quo præfati Religioſi in Quadrageſima confeſſi fuiſſent animo implendi præceptum Eccleſiæ.*

10 *Regulares de iure communi tenentur confiteri in infirmitate; etſi regulariter non videatur neceſſarium, vt de hoc à medico moneantur iuxta Pij V. bullam.*

11 *Quæ bulla benignè interpretatur quo ad aliqua.*

12 *Non tenentur de iure communi confiteri ſingulis menſibus, niſi ſint Monachi S. Benedicti; qui tamen ad hoc non tenentur arctius, quam obliget ipſorum Regula.*

13 *Regulares abſolutè loquendo, ſub mortali poſſunt ex regula obligari ad confeſſionem venialium.*

14 *Et tunc tenerentur ſe ſiſtere Confeſſario, et manifeſtando ſe nullius peccati mortalis eſſe conſcios.*

15 *Adſtringi poſſunt ſub peccato iterum confiteri peccata aliàs ritè confeſſa.*

16 *Et tunc non poſſunt omittere vllum peccatum mortale.*

17 *Etſi culpabiliter omittant, debent repetere illam confeſſionem.*

18 *Cogi non poſſunt confiteri proprio Prælato, cùm alias poſſent.*

19 *Poſſunt cogi confiteri ordinario Confeſſario peccata fortè alij confeſſa, ac legitime remiſſa, v.g. in itinere.*

20 *Abſoluti à reſeruatis ex facultate conceſſa a religione adſtringi poſſunt comparere poſtea coram Superiore.*

21 *Ex præcepto Eccleſiaſtico non poſſunt cogi confiteri per Interpretem; etſi ex præcepto diuino ad id teneantur in articulo mortis.*

22 *At ad hoc non tenentur, ſi velint communicare, & aliter nequeant confiteri.*

23 *In aliquibus caſibus tenentur confiteri per ſcriptum.*

24 *Quorum aliqui negantur ab aliquibus.*

25 *Et ſi erubeſcant fateri peccatum aliquod, poſſunt illud aperire ex ſcripto.*

26 *Obligatio confitendi de iure Eccleſiæ, ac Ordinis impletur per confeſſionem informem, imò & per inualidam iuxta aliquos.*

27 *Alij enim probabilius id negant de confeſſione inualida.*

28 *Item impletur in caſu, quo Religioſus prius abſoluatur à peccatis, quam ab excommunicatione.*

29 *Religioſi in confeſſione menſtrua per ſtatutum præſcripta obliti aliquod mortale intra eundem menſem non tenentur poſtea illud confiteri.*

30 *Et hoc procedit in caſu, quo ex cauſa in priori confeſſione omittant aliquod peccatum.*

31 *Implent ſtatutum menſtruæ confeſſionis, ſi irretiti reſeruatis in neceſſitate confiteantur non habenti facultatem reſeruatorum.*

32 *Vt talis ſtatuti confeſſus venialia, cum non haberet mortalia, non iterum confiteri debet mortale poſtea commiſſum, niſi præcipiatur ſolùm confeſſio mortalium.*

33 *Regulares tenentur interdum præuenire tempus aſſignatum confeſſioni menſtruæ.*

34 *Id que tſi detur non eſſe ſic præueniendum tempus in recitatione diuini officij.*

35 *Non confeſſi tempore præſcripto non ſemper tenentur poſtea confiteri quàm primum.*

36 *Omittentes confeſſionem menſtruam toto menſe præcedenti, ſi confiteantur inchoato menſe ſequenti, debent iterum confiteri illo eodem menſe.*

37 *Confeſſio menſtrua poteſt aliquantulum differri.*

38 *Indicatur modus computandi menſem, aut annum aſſignatum confeſſioni.*

39 *Obligati confiteri ex præcepto Eccleſiæ, & ex Regula, ſi omittant confiteri vnicum faciunt peccatum.*

40 *Et in tali caſu ſatisfaciunt, vnicam faciendo confeſſionem.*

41 *Obligati ad confeſſionem menſtruam ſatisfaciunt confitendo quacumque die menſis.*

42 *Regulares laudabiliter in confeſſione ſe accuſant de imperfectionibus ordinarijs.*

43 *Non tenentur aperire ſe eſſe Religioſos, ſi violent votum Caſtitatis, & ſint ſimul Profeſſi, & Sacerdotes, vel aliàs ligati voto Caſtitatis.*

44 *Circumſtantia loci non ſemper aperienda in confeſſione.*

45 *Et hoc procedit, etiam quo ad aſpectus, tactus, & verba turpia.*

45 *Imo & quo ad pollutionem in loco Sacro habitam, ſi hæc ſit occulta.*

47 *Item quo ad furtum factum in Eccleſia, niſi ſit rei ſpectantis ad ipſam.*

48 *Peccantes in conſcientia erronea non tenentur id aperire in confeſſione.*

49 *Præter quam in aliquibus caſibus, qui afferuntur.*

50 *Peccans non diſcernendo, an ſit mortale, vel veniale peccatum, quod facturus eſt, ſi ſit bonæ conſcientiæ, cenſetur peccare ſolùm venialiter.*

51 *Iactans ſe de peccato aliàs commiſſo non tenetur confiteri ſpeciem peccati: idque procedit etiam in caſu, quo quis delectetur de adulterio alias commiſſo, modo non delectetur de eo vt iniurioſo marito adulteræ.*

52 *Conſulens alteri peccatum debet confiteri ſpeciem peccati.*

53 *In confeſſione delectationis moroſæ non debent exprimi perſonæ circa quas: etſi alij probabiliùs id negent.*

54 *In dubio, an peccatum ſit commiſſum, aut confeſſum, nec ne ſpeculatiuè probabile eſt illud non eſſe neceſſariò confitendum; quod negant Doctores practicè loquendo.*

55 *Non tenetur quis confiteri peccatum, quod probabiliter putat non eſſe mortale, iudicans tamen probabilius eſſe, quod ſit mortale.*

56 *Peccatum confeſſum vt dubium, ſi poſtea conſtet eſſe certum, iuxta aliquos non iterum confitendum eſt: quod alij communiter negant.*

57 *Omiſſa inculpabiliter circumſtantia neceſſariò confitenda ſufficit eam poſtea confiteri, non expreſſo peccato, cui ea eſt annexa.*

58 *Limita, ſi circumſtantia, & peccatum ſeorſim poſſint explicari.*

59 *Abſolui poteſt confitens ſolum in genere mortalia, aut venialia, ſed non ſemper.*

60 *Abſolui nequit Sacerdos, qui in miſſa, facta confeſſione, loquelam amittit.*

61 *Secus ſi inchoans confeſſionem non abſoluatur, & poſtea reperiatur à Confeſſario ſenſibus omninò deſtitutus.*

62 *Licitè abſoluitur confitens peccatum recens factum prætextu*

textu generalis confeſſionis, etſi Confeſſarius apprebendat illud eſſe confeſſum aliàs.

63 *Si tamen ſeruentur aliqua, quæ proponuntur.*

64 *Dimidiari poteſt confeſſio ad vitandum ſcandalum.*

65 *Non habens copiam Confeſſarij, ſi neceſſitatem habeat celebrandi poteſt celebrare, non præmiſſa confeſſione mortalium, quæ commiſit.*

66 *Referuntur varia remedia contra ſcrupulos, eaque efficacia.*

QVÆRES I. Quotuplici iure teneantur Regulares confiteri Sacramentaliter ſua peccata.

1 ℞. Teneri triplici iure; nempe diuino, eccleſiaſtico generali, ac iure ſpeciali propriæ Regulæ. & quidem quòd teneantur iure diuino, eſt de fide; & probatur ex *Concilio Trid. ſeſſ.* 14. c.5. *&* *can.* 7. qui ſic habet; *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure diuino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur etiam occulta, &c. anathema ſit.* præter quàm quod Chriſtus *Io.* 20. conſtituit Apoſtolos, eorumque in ſacerdotio ſucceſſores Iudices conſcientiarum cum vera poteſtate remittendi, retinendique peccata: quod ipſi nequeunt prudéter præſtare, niſi cognoſcant ſtatū pœnitētis, eiuſq; peccata; ad quod vtique opus eſt, vt ipſe ea confiteatur. Quòd verò ſit de iure eccleſiaſtico generali, habetur expreſsè in *cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* deducto ex *Concilio Lateranenſi* his verbis; *Omnis vtriuſq; ſexus fidelis ſaltem ſemel in anno, cum ad annos diſcretionis peruenerit, ſolus ſua omnia peccata fideliter confiteatur.* Vbi notat *Fagundez præc. 2. Eccl. l. 1. c. 3. n. 5.* quòd, licèt in citato *cap. & Concilio* dicatur *ſemel in anno*, non aſſignato tempore determinato, quo fiat talis confeſſio; vſus tamen communis, & quidem etiam ſuffragante *Concilio Trid. ſeſſ.* 14. *can.* 8. hoc expoſuit de tempore Quadrageſimæ. Quòd deniq; teneantur iure ſpeciali Regulæ, non poteſt probari, niſi ex Conſtitutionibus vniuſcuiuſque Ordinis, quæ proinde omninò hac in re conſuli debent.

QVÆRES II. In quibus caſibus Regulares teneantur confiteri iure diuino.

2 ℞. Directè, propriè, & per ſe ex vi intrinſeca diuini præcepti teneri confiteri ſolùm in articulo mortis, & quando quis conſcius eſt peccati mor. & adeſt probabile periculum non confitendi ampliùs in vita, ſi tunc, habita copia Confeſſarij, non confiteatur. ita DD. communiter cum *S. Thoma in 4. d. 17. q. 3. a. 1. q. 4.* & conſtat ex eo quòd, cùm pœnitentia in hac vita agenda ſit, & poſt vitam non adſit locus pœnitentiæ; neceſſariò ſequitur præceptum diuinum obligare, imminente articulo mortis: ſi enim præceptum eſt, impleri debet in hac vita, & ante mortem; vel ſaltem in eo caſu, quo quis habet conſcientiam peccati m. & habet copiam Confeſſarij, & adeſt morale periculum, vt, elapſa occaſione illa, numquam ampliùs in vita confiteri poſſit. tunc enim tenetur præuenire tempus mortis; idq; ex præcepto diuino confeſſionis: alioqui dato quod extet tale præceptum, & hoc ante mortem non fuerit impletum, nullum ſupereſt tempus, quo moraliter impleri debeat, niſi illud, quo habet copiam Confeſſarij, in tota vita moraliter non habiturus. Hìc autem per articulum mortis non venit ſolùm præciſus articulus mortis, ſed etiam is, in quo probabiliter timetur mors, aut veroſimiliter timeri poteſt; vt in bello, naufragio, tranſitu per loca infidelium, aut latronibus, & graſſatoribus infeſtata, in nauigatione periculoſa, acuto, & graui morbo, alijſque id genus, vt benè aduertit *Nauarrus cap. 26. num. 3.*

3 Dixi ſub initium reſponſionis, *directè propriè, & per ſe*, vt indicarem ex *Suarez D. 35. de pœnit. ſect. 3. num. 10. Coninco D. 5. de Sacram. num. 31.* & alijs poſſe dari caſum, in quo quis ex præcepto diuino teneatur confiteri extrà articulum mortis: nimirum, ſi credat ſe aliter non poſſe euitare certum aliquod peccatum in particulari, in quod ſæpiùs labitur, & iudicat confeſſionem tunc eſſe medium neceſſariū ad illud vitandum: aut certè habeat continuam occaſionem peccandi, à qua videt ſe non poſſe abſtinere ſine conſilio alicuius viri prudentis, cui omnem conſcientiam ſuam detegat, nec velit id facere extrà confeſſionem. in his inquam caſibus vrget præceptum diuinum confitendi; vt conſtat ex eo, quòd præcipiens aliquid, conſequenter præcipit omnia media, ſine quibus illud obtineri nequit *l. 2. ff. de iuriſd. omn. iud. & cap. præterea de offic. deleg.* ideoque ſicut homo ex diuino præcepto tenetur vitare peccata, ita ex eodem præcepto in dictis caſibus tenebitur confiteri; cū tunc confeſſio ſit mediū neceſſarium ad illū finē, vt ſuppono. Et ſi in praxi, moraliter loquendo non niſi rarò talis caſus contingere poſſit, teſte *Reginaldo l. 6. numer. 29.* cùm ad vincendam quamcumque tentationem, ac ſuperandum periculum peccandi. m. ſufficere poſſit diuinum auxilium excitans, & adiuuans, quod etiam efficax dari poteſt extra Pęnitentiæ Sacramentum: præter quam quod homini ſuppetunt alia media, orationis mentalis, mortificationis, lectionis ſpiritualis, & ſimilia, per quæ fortaſſe non minùs impediretur à nouis peccatis, quam per confeſſionem Sacramentalem, vt aduertit *Card. de Lugo D. 15. de pœnit. nu. 12.*

4 Addo peccare contra diuinum præceptum confeſſionis illum Religioſum, qui exiſtens in peccato m. ſumit Euchariſtiā, nō præmiſſa confeſſione, cū habeat copiam Confeſſarij: nam conſtat ex *Concilio Trid. ſeſſ. 13. c. 7. & can. 11.* ex præcepto diuino fundato in *1. Cor. 11. probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, ante ſumptionem Euchariſtię præmitti debere confeſſionem Sacramentalem, ſi adſit copia Confeſſarij; vt communiter notant DD. inter quos notat *Suar. ſup. D. 35. ſect. 3. num. 12.* contra *Canum in relect. de pœnit. p. 4.* communicantem in mortali non facere duo peccata, ſed vnum tantum indignæ ſumptionis: & ratio eſt, quòd fideles non tenentur in tali caſu præmittere confeſſionem directè, & abſolutè ex præcepto diuino confeſſionis, ſed per accidens ex præcepto dignè communicandi.

Vtrum verò, qui non eſt confeſſus in articulo mortis habens conſcientiam peccati m. teneatur poſtea quàm primùm confiteri.

Bona-

5 ℞. *Bonacina D.5.de Sacram.q.5.ſect.2.p.4.nu.28.* non teneri: & probatur, tum quia pręceptum cõfeſſionis obligat in articulo mortis, vt occurratur periculo damnationis; ſublato autem periculo mortis, non adeſt amplius periculum damnationis: tum quia non præbens eleemoſynam exiſtenti in extrema neceſſitate, hac tranſacta, non tenetur eam tradere; ergo nec in noſtro caſu obligari debet ad confeſſionem, tranſacta neceſſitate confeſſionis; qui in ea poſitus non fuit confeſſus. ita *Bonacina* contrà *Henriquez l.4.c.4.nu.5.*

QVÆRES III. An, & quo tempore Regulares teneantur implere præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis latum in *cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* & in *Conc.Trid.ſeſſ.14.c.5.*

6 ℞. Teneri, ſi conſcientiam habeant peccati m. & quidem in Quadrageſima, ſic interpretante vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine præceptum annuæ confeſſionis; vt diximus q.1. cum *Fagundez* addente *cap.3.num.10.* quòd cùm Religioſi in Quadrageſima ſæpè confiteantur, ſufficit eos vnam ex dictis confeſſionibus applicare ad ſpecialis huius obligationis impletionem per intentionem ſiue generalem, ſiue particularem. Quamquam *Filliucius tr.7. num.50.* dicat probabile eſſe per dictam conſuetudinem non inductam fuiſſe obligationem confitendi in quadrageſima; & conſequenter, quantum ad impletionem præcepti annuæ confeſſionis vt ſic, ſufficere, quod fideles confiteantur in qualibet parte anni: cùm dictum præceptum ex vi ſua, & per ſe non obliget in certa anni parte; & fideles in quadrageſima ſoleant confiteri ob ſuam commoditatem, aut neceſſitatem, eo quòd in Paſchate debeant communicare, & regulariter tunc neceſſe habeant confiteri: etſi tandem concludat *Filliucius* ſecurius eſſe obſeruare conſuetudinem confitendi in quadrageſima, & ſic in praxi faciendum. Quòd autem Regulares ſubſint præcepto Eccleſiaſtico annuæ Confeſſionis, patet quia *Concilium* tam *Lateranenſe*, quam *Tridentinum*, per quæ inductum eſt tale præceptum, loquuntur generaliter de omnibus fidelibus, ideoque comprehendunt etiam Regulares, vtpote fidelium nomine venientes.

7 Dixi, *ſi conſcientiam habeant peccati* m. quia, teſte *Layman l.5.tract.6.cap.5.num.12.* communior *Scholaſticorum* doctrina in 4.d.17. contrà *S.Bonauenturam Richardum, & Alenſem* ab ipſo *Laym.* relatos eſt nullum extare præceptum Eccleſiaſticum obligans omnes fideles ad confeſſionem venialium: nam *Concilium Lateranenſe*, in quo fertur præceptum annuæ confeſſionis, expreſsè loquitur ſolùm de peccatis mortalibus; *Tridentinum* verò non intendit imponere fidelibus nouam obligationem in ſubſtantia cõfeſſionis peccatorum, ſed tantùm determinare certum tempus ad illam faciendam. Vnde infert *Laym.* quòd licet conſultiſſimum ſit fidelibus nullo mortali peccato adſtrictis, vt venialia confiteantur tum ad recipiendam gratiam Sacramenti, tum vt per Sacramentalem abſolutionem iuſtificentur, ſi fortè minùs contriti ſint de peccato m. oblito; imò vſu receptum ſit, vt fideles communicaturi in Paſchate, proprio Sacerdoti, aut alteri delegato ſe ſiſtant confeſſuri venialia, nullius mortalis peccati conſcientiam habentes; etſi ſimpliciter ad hoc non teneantur; cùm de facto nullum ius, neque diuinum, neque naturale illos ad id cogat; quidquid ſit de poſſibili, de quo infrà q.6.

Quòd ſi quæras, an Religioſus, qui in quadrageſima non eſt confeſſus, eo quòd tunc non haberet conſcientiam peccati m. elapſa quadrageſima, teneatur confiteri, ſi poſtea committat peccatum aliquod mortale.

8 ℞. Teneri; & probatur quia ex vna parte obligatio confitendi ſemel in anno non eſt alligata quadrageſimæ in honorem illius temporis, vt docent *Suarez Henriq. Nauar. Medi. Vuald. +'iſt. & Conincus* relati à *Fagundez præc.2.Eccl.l.1.cap.4.numer.15.* ea ducti ratione, quòd Eccleſia ſolet excommunicare eos, qui non ſunt confeſſi in quadrageſima, & illos obligat ad confitendum, etiam poſt illud tempus elapſum; quod eſt ſignum confitendi præceptum durare, etiam poſt illud tempus elapſum; cum *cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* feratur, non determinato vllo tempore quo debeat impleri; & Eccleſia, quando determinauit tempus illius ad quadrageſimam, tale tempus aſſignauerit, non ad finiendam obligationem, ſed ad illam ſollicitandam; ex alia parte Religioſus in præſenti caſu non impleuit adhuc tale præceptum; ergò cùm præceptum adhuc duret iuxtà communiorem, & probabiliorem ſententiam, tenetur illud implere; cùm iam habeat materiam neceſſariam Confeſſionis, ideòque non ampliùs excuſetur ab implendo tali præcepto: quo modò antea excuſabatur ex defectu materiæ neceſſariæ, eo quòd ſcilicet non eſſet conſcius peccati m. Dixi, *iuxta communiorem, & probabiliorem Doctorum ſententiam*, quia non deſunt, qui oppoſitum ſuſtinent eſſe probabile cum *Filliucio tract.7.num.54.* adducente pro ſe *S. Antoninum, Syluestrum, Ledeſmam*, & alios; qui proinde conſequenter ad præſentem caſum dicere it, Religioſum non confeſſum in quadrageſima, eo quòd tunc non haberet conſcientiam peccati m. non teneri poſteà confiteri; eo quòd obligatio illa cenſeatur alligata certo tempori, ac proinde, eo peracto, ceſſet *cap. ſicut de ſponſal.*

9 Addo videri ſatis probabile Religioſum, qui in quadrageſima confeſſus eſt animò implendi præceptum, eſto non eſſet conſcius peccati m. non teneri iterum confiteri, ſi poſt quadrageſimam, incurrat peccatum m. Ducor, tum quia præceptum Eccleſiæ obligat ſolùm ad confitendum ſemel in anno; ideoque cùm in præſenti caſu Religioſus de facto ſit confeſſus, non tenetur iterum confiteri: tum quia peccatum m. de nouo commiſſum ſe habet inſtar peccati obliti, ac proinde ſicut confitens in quadrageſima ſi inculpatè obliuiſcatur alicuius mortalis, non tenetur iterum confiteri; ſic nec tenebitur confiteri in præſenti caſu.

QVÆRES IV. An Regulares ſubſint præcepto Eccleſiaſtico confitendi tempore infirmitatis lato in *cap. cùm infirmitas de pœnit. & remiſſ.* ac innouato à Pio V. in Conſtit. *Super gregem* præcipiente medicis, vt vltra tertium diem nõ viſitent infirmos, niſi ipſis conſtet de confeſſione per fidem Confeſſoris in ſcripis; idque iuxta iuramentum, quod an-

te

te gradum doctoratus à Medicis circa obſeruantiam dictæ Conſtitutionis exigitur in ipſa Conſtitutione.

10 ℟. Subiacere, cùm præceptum ſit generale, nec adſit ratio excludendi Religioſos ab illo, vt in ſimili diximus *q. præced.* Verum quidem eſt, quòd cum Regulares frequenter ſoleant confiteri tum ex priuata deuotione, tum ex præſcripto regulæ, poſſintque communiter præſumi bonæ conſcientiæ, ideoque carentes mortali peccato, vel certè ſi quod habent, ſpontè confeſſuri: proinde non videtur neceſſarium, quòd Medici iuxtà Pij V. bullam moneant Religioſos ægrotantes de confeſſione, ſicque puto communiter obſeruari: præſertim cùm in monaſterijs adſint Relig. qui opportuniùs id præſtare poſſint.

11 Imò *Filliucius ſup. num.* 34. ex *Suarez*, & alijs notat Conſtitutionem illam Pij V. debere intelligi ſolùm de infirmitate periculoſa, vel quæ Medici iudicio talis fieri poſſit; & Medicum hac in re abundè ſatiſfacere, ſi moneat infirmum, & inducat ad confeſſionem, ſiue per ſe, ſiue per alios viros idoneos; nec teneri deſerere infirmum nolentem confiteri, ſi morbus ſit periculoſus, & non adſit alius Medicus qui æquè benè illum curet; non enim Conſtitutio illa aliter recepta eſt. Quin conſuetudine inductum videtur, vt non requiratur fides Confeſſarij in ſcriptis, & ſi apertè id præſcribatur in dicta Conſtitutione. ita *Filliucius* addens iuxtà talem conſuetudinem interpretandum eſſe iuramentum, quod modò fit à Medicis ante gradum doctoratus; non enim nouum eſt, quod Conſtitutio, etiam Papalis aboleatur ſiue in totum, ſiue in parte.

QVÆRES V. An, & quo modo Regulares teneantur confiteri ſingulis menſibus ex decreto lato in *Clem. ne in agro dominico* §. *ſanè de ſtatu monach.* his verbis; *Singulis menſibus tam in monaſterijs, quam extra (ſublata occaſione quacumque) ad confeſſionem ſaltem ſemel accedant omnes, & ſinguli monachi.*

12 ℟. Teneri, non quidem omnes, ſed ſolùm monachos S. Benedicti; & quidem ſub mortali iuxtà *Sotum, Palud. Innocent. & Maiorem* relatos à *Fagundez ſup. l. 2. cap. 2. num.* 12. etſi careant mortalibus; ſecundùm verò *Caietanum, Nauar. & Syluestrum* adductos à *Fagundez num.* 13. ſub veniali tantùm. Quamquam *Suarez D. 36. de pænit. ſect. 5. num 7.* media via incedens dicat præfatam *Clementinam* non magis obligare, quàm obliget, regula dictorum Monachorum; itaut ſi regula non obligat, niſi quando adiungitur excommunicatio; nec *Clementina* obliget ad mortale: ſi autem vſus, ac declaratio Superiorum ſit, vt Regula obliget ad mortale, item ad mortale obliget Clementina. ita *Suarez*, & probabiliter; cùm in citata *Clementina* nullum ſit verbum, quod aliud indicet: ſi tamen addas dictam Clementinam ad nullum omninò peccatum obligaturum, ſi regula ad nullum omninò peccatum obliget; hoc enim concedere debet *Suarez*, ſi conſequenter velit philoſophari: etſi verè id non exprimat) & de facto concedit *Filliucius ſup. num.* 54. ſuſtinens obligationem confeſſionis menſtruæ factam in citata *Clementina* eſſe per modum conſilij, non autem præcepti. quod confirmat *Lezana tom. 1. cap. 9. num.* 22. dicens probabilius eſſe in præfata *Clementina*, vel non eſſe obligationem ad culpam, vel ſolùm ad venialem. Dixi ſub initium reſponſionis, *non quidem omnes*: cum enim textus in ſpecie loquatur de Monachis S. Benedicti, & teſte *Suarez to. 4. de relig. tract. 9. l. 1. c. 7. num.* 10. nomine *Monachorum* in odioſis non veniant Religioſi vitam monachalem non profitentes; ſequitur in dicta *Clementina* comprehendi ſolos Monachos S. Benedicti; itaut in ea non comprehendantur Monachi aliorum Ordinum, vt innuit *Gloſſa* ad textum citatum *v. ſinguli* his verbis, *dubito, an per hoc intendat dilatare hanc Conſtitutionem quò ad alios Monachos, quod ſatis eſt honeſtum.*

QVAERES VI. An Regulares ex propria regula obligari poſſint ad cõfeſſionem menſtruam, vel hebdomadariam, etſi incurrerint ſolùm peccata venialia.

13 ℟. Poſſe obligari, etiam ſub mortali, ſi regula id ſufficienter explicet. ita *Suarez ſup.* & probatur tum quia non eſt probabile talia ſtatuta Ordinum obligantia ad confeſſionem menſtruam, aut hebdomadariam loqui ſolùm de confeſſione mortalium: cùm credibile non ſit omnes Religioſos toties labi in mortalia; ſicque dicendum eſt illa extendi ad confeſſionem venialium, ne aliàs ſint fruſtranea, ac inutilia: tum quia valdè probabile eſt Eccleſiam poſſe præcipere confeſſionem venialium (vt docent *Richardus, S. Bonau. Caiet. Canus Nau. Suar. & Vaſquez* apud *Layman ſup. num.* 13. contra *Syluestrum, Henriq. & Rodriq.* relatos ab ipſo *Layman*) probantque quia Eccleſia ex poteſtate legiſlatiua in fideles poteſt imponere opera ſupererogationis, ad quæ ex lege diuina non tenentur, vt actus religionis; ideòq poterit ijs præcipere, etiam confeſſionem venialium, etſi lex diuina ad illam non obliget; tum quia Religioſus ex ſua priuata deuotione poteſt ſe ex voto obligare ad confeſſionem venialium (quod non negabunt Aduerſarij) ergò & hoc præcipi illis poterit per ſtatutum Ordinis.

14 Nec obſtat ratio adducta à *Coninco* in contrarium *ſup. num.* 52. quòd ſcilicet, dato tali ſtatuto, vel Religioſi tenerentur confiteri omnia venialia; & hoc eſſet onus nimis graue, & origo ſcrupulorum; vel ſolùm aliqua, & tunc tale ſtatutum eſſet parum vtile, cùm quilibet pro libito poſſet quælibet confiteri, aut omittere; vel denique tenerentur confiteri aliqua determinata (*v. g.* mendacia iocoſa, leues detractiones, actus gulæ, &c.) & ſic ſtatutum non foret tantæ vtilitatis, vt poſſet ferri ad totam communitatem religioſam: præter quàm quòd hoc ſtatutum eſſet de re leui, ideoque non obligaret ſub mortali, imò nec ſub veniali iuxtà *Coninchum*. non obſtat inquam cum iuxta *Fagund. ſup. numer.* 17. dici poſſet tale ſtatutum in caſu, quo Religioſus careret mortalibus, obligare ſolùm ad ſe ſiſtendum Confeſſario, eique dicendum ſe nullius mortalis culpæ eſſe conſcium: quo modo non pauci Doctores cum *S. Thoma in 4. d. 16. q. 2. a. 2. q. 3. ad 3.* dicunt fideles carentes mortalibus in quadrageſima, etſi in paſchate poſſint communicare ſine confeſſione, teneri ſe præſentare proprio Parocho ad tollendum ſcandalum, ſaltem vt dicant ſe non habere conſcientiam peccati mor. Cum *Fagundez* ſentiunt *Vualdus*

Vega

Vega, Sotus, Ledeſma, & alij docentes Religioſos dicto ſtatuto adſtrictos ſolùm teneri ſub mortali ad confeſſionem mortalium: quod tamen admitti non debet, ſi ſtatutum præſcribens confeſſionem menſtruam explicet ſe obligare ſub mortali.

QVÆRES VII. An Regulares per ſpeciale ſtatutum Ordinis cogi poſſit ſub peccato repetere confeſſionem peccatorum alias Sacramentaliter ritè, & validè remiſſorum.

15 ℞. Poſſe, etiam ſub mortali; etſi non expediat id facere, ne poteſtas data in ædificationem cedat in deſtructionem. Pars 1. quæ colligitur ex *Henriquez l. 5. cap. 17. numer. 3. Card. de Lugo D. 15. de pænit. ſect. 6. num. 98.* & alijs, probatur ex eo quòd licèt pro Eccleſia tota induci nequeat lex obligans ad ſecundam confeſſionem eiuſdem peccati, vt indicat *Suarez D. 22. de pænit. ſect. 7. num.* 8. nihilominùs non apparet, cur talis lex ferri non poſſit pro aliqua religione obſeruante, in qua poſſint præcipi ſpectantia ad perfectionem: imò tale ſtatutum de facto habent Ciſtercienſes à pluribus Pontificibus approbatum, vt annuatim generaliter confiteantur: licèt *Henriquez ſup. num.* 3. dicat tale ſtatutum de facto non obligaſſe ſub mortali; quaſi dicat illud potuiſſe obligare ſub mortali; quod ſolùm hîc nos intendimus. Pars 2. deſumitur ex *Miranda p. 2. manual. q. 33. a. 5.* vbi ait talia ſtatuta eſſe potiùs reuocanda, quàm practicanda; vtpote quæ ſcatent innumeris periculis, & occaſionaliter parant viam multis ſacrilegijs: quod ſentit etiam *Nauarrus in cap. placuit de pænit. d. 6. numer.* 119. non omninò diſſentiente *Cardinali de Lugo ſup.* qui ait. *Fateor ex alio capite poſſe habere aliquid periculi illam legem vniuerſalem obligantem ſub peccato graui*; ſicque concedit poſſe fieri ſtatutum obligans ſub mortali ad repetendam confeſſionem eiuſdem peccati iam ritè remiſſi. Ita Doctores hi, & alij; qui tamen aliter dicerent de ſtatuto, quod eſſet in aliquo Ordine de faciendis confeſſionibus generalibus annuis, aut ſemeſtribus, non quidem Superiori, ſed Confeſſarijs ordinarijs, & ſine obligatione ad culpam; quale ſtatutum extat in Societate Ieſu: cum ſic ceſſent maiori ex parte inconuenientia allegata in contrarium, & aliàs confeſſionum generalium inſtitutio ſit vtiliſſima.

Vtrum verò dato in aliqua religione ſtatuto obligante ſub graui ad repetenda per generalem confeſſionem mortalia, poſſet Religioſus in tali confeſſione reticere ſine peccato mortale aliquod peccatum, à quo aliàs fuit ritè abſolutus.

16 ℞. Quòd licèt faciens generalem confeſſionem voluntariam poſſit ſine culpa graui omittere mortale aliquod peccatum iam remiſſum (vt communiter tradunt DD. apud *Dianam p. 3. tra. 4. reſol. 86.*) in præſenti tamen caſu non videtur poſſe Religioſus conſultò omittere peccatum aliquod mortale; & probatur, quia eatenus DD. concedunt in priori caſu generaliter confitentem poſſe voluntariè reticere aliquod mortale, quatenùs talis confeſſio eſt libera, & ex ſupererogatione, ideoque ipſi liberum eſt confeſſionem facere magis, aut minùs generalem; ergò è contra ſi confeſſio non ſit libera (vt in præſenti caſu) debebit eſſe de omnibus omninò mortalibus; adeoque non poterat pænitens voluntariè mortale aliquod omittere: quæ tamen non procedunt ſi ſtatutum præcipiens generalem confeſſionem non obliget ſub peccato; cùm ſic habeat vim conſilij regularis de meliori bono, & non præcepti, vt notat *Suarez tom. 4. de relig. tr. 10. l. 8. cap. 4. nu. 3.*

Dices, quid ſi faciens generalem confeſſionem ex ſtatuto obligante ſub mortali, conſultò omittat aliquod mortale, aliàs debitè remiſſum; tenetur ne is repetere totam confeſſionem generalem, aut ſaltem confiteri poſtea peccatum omiſſum? idque etiam in caſu, quo quis inculpatè omiſiſſet dictum peccatum, v. g. ex obliuione.

17 ℞. Religioſum in propoſito caſu omittentem culpabiliter aliquod mortale teneri poſtea totam generalem confeſſionem repetere; non ſecus ac ſi talem confeſſionem inſtituiſſet ex eo quod plures confeſſiones inualidas, ac nullas feciſſet, reticendo peccatum aliquod graue ex naturali erubeſcentia: in quo caſu certum eſt fore omninò neceſſarium repetere confeſſionem generalem; cum prior fuerit inualida ex defectu debitæ integritatis formalis: quæ ratio procedit, etiam in præſenti caſu, dato quod confeſſio generalis ſit neceſſaria ex præcepto ſtatuti illam præſcribentis ſub peccato mortali; hoc enim ipſo quod eſt neceſſaria, habet pro materia omnia peccata mortalia commiſſa intra illud tempus, quod deſignatur in ſtatuto, & quidem pro materia neceſſaria, itaut omiſſio culpabilis vnius ex illis ſufficiat ad confeſſionem inualidandam. Dico *culpabilis*, vt innuam, quod ſi Religioſus in caſu præſenti inculpabiliter peccatum aliquod mortale omitteret confiteri, ſufficeret illum poſtea confiteri hoc peccatum, non autem teneretur repetere totam confeſſionem: proportionaliter vt dicunt DD. facientem generalem confeſſionem, & inculpabiliter omittentem aliquod peccatum in ea neceſſario exprimendum, ſufficere illum poſtea hoc confiteri; & ad aliud non teneri.

QVÆRES VIII. An Regulares cogi poſſint confiteri proprio Prælato.

18 ℞. Olim potuiſſe, cùm proprius Prælatus ſit proprius Paſtor Religioſorum ſubditorum, & vt talis poſſit, ac debeat ipſis miniſtrare Sacramenta: quo modo diximus *q. præcedenti* in Ordine Ciſtercienſium fuiſſe ſtatutum, vt Religioſi, qui intrà annum Confeſſario ordinario confeſſi fuerint, in fine anni debeant eadem peccata confiteri proprio Abbati: in præſentia tamen non poſſe ob decretum Clementis VIII. relatum à *Quaranta in bullario v. caſus reſeruati* his verbis: *Non liceat Superioribus Regularum confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, ac proprio motu id ab ijs petierint.* Vnde fit, vt ſtatutum illud Ciſtercienſium de confitendo generaliter proprio Superiori quotannis omninò corruerit: quamquam *Llamas p. 1. Methodi cap. 5. §. 10.* dicat præfatum ſtatutum per Prælatos Ordinis moderatum fuiſſe, vt ſolùm ter in anno ſibi reſeruarent confeſſiones ſubditorum, nec tunc eos obligarent ad repetendas præcedentes confeſſiones, ſed ſolùm ad confitenda peccata poſt vltimam confeſſionem commiſſa.

QVÆ-

QVÆRES IX. An Religioſus poſſit obligari, vt ſi quando contingat illum confiteri alteri, quam Confeſſario ordinario, cùm primùm redierit ad ordinarium, ipſi integrè confiteatur omnia peccata ab vltima confeſſione ei facta, idque etſi confeſſiones intermediæ ex legitima facultate alijs factæ ſint.

19 ℞. Poſſe obligari, etiam ſub mortali: etſi (quod ſciam) in Ordine nullo extet talis obligatio cum tanto onere. Colligitur ex dictis q. 7. quæ ad præſentem caſum proportionaliter applicari poſſunt: & confirmatur ex eo quod licèt non poſſit quis cogi inuitus ad iteratam confeſſionem eiuſdem peccati; ad id tamen compelli poteſt; ſi in id conſenſit per votum, promiſſionem, vel pactum: ſicut conſentirent Religioſi Ordinis, in quo extaret tale ſtatutum hoc ipſo quod profiterentur regulam dicti Ordinis: quod benè notauit *Suarez ſup. numer. 4. ex Maiore, Henrico, Medina, & Nauarro*. Dixi *etſi in nullo Ordine extet talis obligatio cum tanto onere*: quia ſimilis obligatio reperitur in *Conſtitutionibus* Soc. Ieſu *p. 3. cap. 1. §. 20. lit. Q.* ſed ſine obligatione ad peccatum: ſicque eſt facilior, ac ſuauior: maximè cùm teſte *Suarez ſup. num.* 10. ea non habeat locum, niſi in caſu, quo ſpeciale aliquid contigerit: aliàs enim ſufficit ſignificare proprio Confeſſario ab vltima confeſſione ipſi facta nihil ſpeciale accidiſſe; quod ſufficit, vt intelligat totam conſcientiam illius eſſe ſibi notam, ſicque ſecutiùs poſſit procedere in eius directione.

QVÆRES X. An Regulares poſſint obligari, vt ſi accidat eos abſolui à reſeruatis ex facultate iam communiter conceſſa etiam Sacerdotibus extraneis, poſtea ſe præſentent Superiori ad effectum ipſi manifeſtandi illa eadem peccata.

20 ℞. Poſſe eo modo, quo dicemus in *tract. de priuil. cap. 2. ſect. 1. ſubſ. 2. qu. 14.* Solùm hìc moneo ex *Cardinali de Lugo D. 15. de pænit. num.* 115. quòd ſpectat ad talem facultatem conceſſam in Societate Ieſu, circà illius vſum decretum fuiſſe à R.P.N. Vitelleſco anno 1617. primò quidem non eſſe Societatis mentem dare illam facultatem, quando Religioſus ex induſtria iter facit eo fine, vel aliàs iter facturus conſultò differt confeſſionem, vt in itinere abſolui poſſit: 2. non poſſe, neque in itinere adiri externos Confeſſarios, ſi adſint proprij: 3. obligationem illam ſe præſentandi Superiori eſſe conditionem, ſine qua nullo modo Societas concedit facultatem, ideoque qui non habet animum acceptandi, vel implendi, non poſſe vti facultate illa, & in vſu facultatis illius tacitè contineri acceptationem conditionis, qua ſubditus in re tanti momenti, atque ad bonum Societatis maximè conducentis illi ſe obligat; quæ ſunt benè notanda.

QVÆRES XI. An Regulares pro obſeruantia præfatorum ſtatutorum, ſiue Eccleſiaſticorum, ſiue regularium teneantur confiteri per interpretem, aut ex ſcripto.

21 ℞. Quòd, quamuis iuxtà communiorem DD. ſententiam probabiliſſimum ſit fideles non teneri confiteri per interpretem, neque ex præcepto Eccleſiaſtico, neque ex diuino; niſi fortè in caſu, quo quis in mortis articulo non eſſet tutus ſe habere contritionem, qua extrà Sacramentum poſſet iuſtificari; quo caſu, putant aliqui hominem teneri confiteri per interpretem, non quidem ex præcepto diuino confeſsionis, ſed ex præcepto naturali pęnitentiæ, aut charitatis in ſe, & curæ de propria ſalute: meliùs tamen ſentire videntur *Syluester, Canus, & alij* apud *Suarez D. 36. de pænit. ſect. 6. numer. 2.* dum docent fideles non obligari quidem ex præcepto Eccleſiaſtico ad confitendum per interpretem (vt aperiè colligitur ex *cap. omnis vtriuſque ſexus de pænit. & remiſſ.* vbi cùm præceptum annuæ confeſſionis imponatur his verbis, vt omnis fidelis teneatur *ſolus confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti*, & per ly *ſolus* hoc ipſo excludatur obligatio confitendi coram alio, & conſequenter per interpretem) teneri tamen modo præfato confiteri ex præcepto diuino; quando ſcilicet præceptum diuinum confeſſionis vrget, vt in mortis articulo; nam etiam dato quod præceptum diuinum confeſſionis iuxtà communem Theologorum ſenſum non obliget cū graui damno extrinſeco; in præſenti caſu non apparet tale damnum ſequi ex confeſſione facta per interpretem fidelem, ac prudentem, cui non minùs quam Confeſſario pęnitens fidere poſſit; vt dici debeat ceſſare obligatio dicti præcepti diuini: in ea enim ſolùm conſiſtit damnum, quòd peccata, quæ alioqui deberent eſſe nota vni tantùm, duobus manifeſtentur; quod non videtur eſſe tanti momenti, vt excuſet à dicta obligatione diuini præcepti. præſertim cùm dentur alij caſus, in quibus non obſtante tali damno, præceptum confeſſionis obligat; vt euenit in eo, qui habens reſeruata in caſibus permiſſis per inferiorem ab illis indirectè abſoluitur cum onere ſe præſentandi poſteà Superiori: qui vtique nequit abſolui hoc modo, ſi non ſubeat onus manifeſtandi duobus eadem peccata, & tamen ſi velit communicare, aut celebrare, non excuſatur à præcepto diuino confitendi. ita *Cardin. de Lugo D. 15. de pænit. num. 65. & ſeqq.* meoque iudicio ſatis probabiliter: quæ ſi benè applicentur ad præſentem quæſtionem, probant Regulares teneri confiteri per interpretem, non quidem in caſu, quo obligatio confitendi ſit ex præcepto Eccleſiaſtico, aut ex ſtatuto religionis; ſed ſolum quando obligatio eſt ex iure diuino, & præſertim in mortis articulo.

22 Dico, *& præſertim in mortis articulo*, quia ſtante etiam doctrina hìc tradita, ſuſtineri poteſt fideles excuſari à præcepto diuino confeſſionis præmittēdæ ante communionem Euchariſticam ob ſolum incommodum adhibendi interpretem; cùm alias non excuſantur ob verecundiam manifeſtandi duobus eadem reſeruata: etſi enim vtrumque hoc incommodum videatur æquale; prius tamen eſt magis extrinſecum confeſſioni, quam poſterius; cùm interpres ad confeſſionem ſe habeat ſolùm vt medium, ideòque faciliùs excuſet (vt patet in difficultate itineris excuſante ab adeundo, aut accerſendo Confeſſario) in poſteriori verò caſu difficultas ſit magis intrinſeca, vtpotè naſcens tota ex confeſſione: nam manifeſtatio reſeruatorum, quæ fit duobus in primo caſu, verè eſt confeſſio, etſi per accidens compleri nequeat apud Superiorem: quam-

tus

nis aliàs difficultas vtendi interprete ſufficiens ad differendam cõfeſſionem non ſufficiat ad illã omittendam ſimpliciter in articulo mortis; ſicut nec difficultas extrinſeca breuis itineris peragendi ad habendam copiam Confeſſarij: idque ratione magnæ neceſſitatis vrgentis in illo articulo ad quærenda, & adhibenda omnia illa remedia, quæ ſaluti animæ magis expediant; quale eſt, vt fiat peccatorũ confeſſio, ſicque homo ſuæ ſalutis reddatur certior, quam ſi abſque tali confeſſione deceſſurus eſſet.

23 Quòd verò ſpectaead obligationem confitendi ex ſcripto; cenſeo Regulares teneri confiteri per ſcriptum, ſed præſente Confeſſario; ſiue vrgeat pręceptum diuinum confitendi, ſiue pręceptum Eccleſiæ, ſiue ſtatutum Ordinis: ideòque ſi vel Sacerdos ſit ſurdus, aut pęnitens ſit mutus, & non poſſit aliter ſe explicare nutibus, teneri ſcribere ſua peccata, eaque præſenti Confeſſario exhibere legenda; vt ijs lectis ipſum præſentem abſoluat. Colligitur ex *S. Thomæ in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad* 2. *Palud. Sylu. Maiore Caiet. & Soto* relatis à *Suarez D. 36. de pœnit. ſect. 6. nu.* 5. docentibus fideles poſſe obligari ad confitendum modo dicto per ſcripturam: & probatur quia in hoc modo confitendi verè non adeſt periculum conſiderabile, vereuelentur peccata; quod non ſic etiam in confeſſione per voces: cùm nõ magis timẽdum ſit, quod Sacerdos non reddat ſcriptum, poſtquàm illud legerit, quàm ne reuelet confeſſionem auditam. Preter quàm quòd pęnitens, qui tale quid timet, poteſt ipſum manibus tenere ſcriptum, dum Confeſſarius legit, ſicque ſibi conſulere; vt aduertit *Fagundez ſup. n.* 10. addens, ſi hìc, & nunc ſubſit periculum, quòd Confeſſarius ſcriptum rapiat è manibus, pœnitentem non teneri modo dicto ei confiteri; ſicut nec tenetur ore confiteri, ſi ſubſit periculum reuelationis.

24 Verùm tamen eſt, quòd ſi admittamus doctrinã *Nauarri c. 12. n. 36. Medinæ Rich. Vict. Soti, & Ledeſmæ* relatã apud *Fagund. ſup. nu.* 9. ſuſtinentium non improbabiliter fideles obligari non poſſe ad confeſſionem quadrageſimę faciendã per ſcriptum, eò quòd talis modus cõfitendi ſit de ſe publicus, & valdè periculoſus iuxtà dicta: conſequenter dici poteſt nec Regulares poſſe per ſtatutum Ordinis obligari ad confitendum modo dicto; cùm adſit par ratio in vtroque caſu. quamquam ea doctrina non procedat in caſu, quo præceptum diuinum confeſſionis obliget in articulo mortis; vt conſtat ex modò dictis quò ad aliam partem præſentis quæſtionis.

An autem poſſit pęnitens ſolùm ex graui verecundia, vel alia ſimili cauſa exhibere Confeſſario præſenti ſcripturam continentem ſua peccata, & ab ijs abſolui tum validè, tum licitè.

25 ℞. Poſſe, ſiue pœnitens poſt eam lectam dicat Cõfeſſario, *de ijs omnibus me accuſo*, nihil aliud ſubiũgens; quod ſufficit (ſicut & ſufficeret, teſte *Suar. ſup. D. 22. ſect. 6. n.* 5. in caſu quo Confeſſarius aliàs noſſet extra confeſſionem peccata ſui pęnitentis; is enim ſufficienter confitetur dicendo, *Me accuſo de omnibus peccatis illis, quæ tu ſcis*) ſiue pęnitens nullum omninò verbũ dicat, nec in generali (quod interueniente graui cauſa v. gr. nimia erubeſcentia) fieri poſſe docet *Cardin. de Lugo ſup. n.* 85. *ex Cano, Suar. Vaſq.* & alijs; addens tamẽ difficile eſſe, ac moraliter impoſſibile, quòd verecundia impediat illa duo verba *Accuſo me de his, quæ legiſti*. cùm aliàs talis caſus frequẽtiùs contingere poſſit ob difficultatem proferendi verba ex morbo, aut alio impedimento accidentali: ſicut & quando pęnitens vellet abſolui, nemine aduertente, ideoq; Confeſſario proximè ſedenti daret ſchedam continentem ſua peccata petens, vt ijs lectis, quaſi aliud agens ipſum abſolueret. ita *Card. de Lugo* docens *n.* 86. quòd ſi pænitens per ſcripturam confitens ſine iuſta cauſa renueret proferre pauca illa verba *Accuſo me de his, quæ legiſti*; dicendus eſſet peccare grauiter, eò quòd videatur in tali caſu interuenire aliqua ſpecies contemptus, ac irreuerentia: licèt ingenuè fateatur ipſemet *Cardinalis* ſe non videre rationem conuincentem ad damnandum hunc modum confitendi vt mortalem: cùm non facilè appareat conſuetudinem confitendi verbaliter inductam eſſe ex obligatione, & non potiùs ob communem modum, quo in alijs rebus vtimur.

QVÆRES XII. An poſſit ſatisfieri præfatis ſtatuti, Eccleſiæ, aut Religionis confeſſionem præcipientibus per confeſſionem informem, aut inualidam.

26 ℞. Poſſe tũ per confeſſionẽ informẽ (quod concedũt DD. cõmuniter teſte *Card. de Lugo ſup. n.* 137.) ſed etiam per inualidam ſecundùm *Sylueſt. Sà Vict. Alenſ. Gabriel. Palud. Canum, & Ledeſmã* relatos à *Fagund. ſup. l. 1. c. 4. n.* 4. qui hanc opinionem dicit eſſe probabilem. Et quidem, quòd attinet ad confeſſionẽ informem, probatur reſponſio, quia ſtatuta præcipientia confeſſionẽ non ſunt de fructu Sacramẽti ſed de ipſo Sacramento ſuſcipiendo; ideoque ſicut per communionem Eucharиſticã, aut miſſę auditionem ſine fructu factam ob ſtatũ peccati, vel malum finem, quo miſſa audiatur, impletur præceptũ Cõmunionis, ac miſſæ; ſic à fortiori per confeſſionẽ informẽ ſatisfiet præfatis ſtatutis: præſertim cũ hæc ſublato obice, ſunm habere poſſint effectum. Quòd verò ſpectat ad confeſſionem innalidam, probatur, tũ quia dicta ſtatuta proueniũt ab Eccleſia, quæ tãtùm præcipere poteſt actum externum; is autẽ; qui inualidè cõfitetur, exteriùs facit, quod Eccleſia præcipit, & ſolùm deficit quo ad actum internũ: tũ quia Eccleſia pręcipit confeſſionẽ, & non abſolutionem; ſicq; abſolutio videtur finis ſtatuti Eccleſiaſtici, nõ autẽ materia illius: ergò licèt aliquis ita confiteatur vt ob malitiam ſuam, & culpã inualidè abſoluatur, aut abſolui nequeat, implet tamen Eccleſiæ præceptum, effugietq; pęnas impoſitas tranſgreſſoribus.

27 Dixi *ſecundùm Syluestrum Sà &c.* quia probabilior, & communior DD. ſententia negat per confeſſionẽ inualidam ſatisfieri præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis: quippe quæ nititur non ſolùm auctoritate plurium Doctorum, quos refert *Fagund. ſup. nu.* 5. & *Diana p. 3. tract. 4. reſol.* 120. ſed etiam firmioribus rationibus; quarum hæc vna ſufficiat: nimirùm quòd iuxtà *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5. & can.* 8. Eccleſia in pręcepto annuæ confeſſionis nõ præſcribit confeſſionẽ abſolutè, ſed ſolùm determinat tẽpus, quo fieri debet confeſſio aliàs de iure diuino obligans; ſicq; tale præceptum ſolùm impleri poteſt per illã confeſſionẽ, quæ de iure diuino obligabat. i. per confeſſio-

nem validam, quæ ſola ſufficit ad implendum præceptum diuinum confeſſionis, vt oſtendit *Fagundez ſup. cap. 2. n. 1.* Quæ doctrina benè probat per confeſſionem inualidam non ſatisfieri ſtatuto Ordinis præcipienti confeſſionem; cùm ratio allata pro præcepto Eccleſiæ procedat item in ſtatuto ſimili Religionis; etſi non ita facilè conuinci poſſit falſitatis, qui ſequens doctrinam *Sylueſtri* mallet ſuſtinere ſtatutum illud ſufficienter impleri, etiam per confeſſionem inualidam, non modò informem.

QVÆRES XIII. An Regulares ſatisfaciant ſtatuto præſcribenti confeſſionem annuam, aut menſtruam, ſi excommunicatione maiori irretiti priùs abſoluantur à peccatis, quàm ab excommun.

28 ℞. Satisfacere; & probatur quia ad implendum tale ſtatutum ſufficit confeſſio valida; & aliàs confeſſio facta bona fide ab excommunicato eſt valida, vt docent *Sotus, Nauar. Medina, Suar. Tolet. Laym. Conınc. Diana, & Sanch.* quos refert, & ſequitur *Cardin. de Lugo ſup. D. 16. n. 614.* probatque quia duriſſimum eſſet pænitentem oblitum excommunicationis obligare, vt non poſſit vnquam iuſtificari in Sacramento, ſed ſolùm per contritionem; quippequi ignorans ſe eſſe excommunicatum nūquam quæreret remedium abſolutionis, ideòque maneret incapax recipiendi Sacramentum Pænitentiæ: quod non videtur præſumi poſſe de pia matre Eccleſia; quæ licèt poſſet irritare abſolutionem Sacramentalem collatam excommunicatis, de facto tamen illam non irritauit; nec foret expediens illam irritare, ne poteſtas data in ædificationem cederet in deſtructionem.

QVÆRES XIV. An Regulares vi ſtatuti præcipientis confeſſionem, menſtruam v. g. ſi confitentes obliuiſcantur alicuius peccati m. teneantur poſteà illud confiteri intrà eundem menſem, ſi illius recordentur, ſicque perficere præcedentem confeſſionem.

29 ℞. Non teneri; & colligitur ex doctrina, quam in ſimili tradunt DD. apud *Dianam ſup. reſolut. 124.* contrà *Medinam l. 1. ſummæ cap. 14. §. 41.* nimirùm, quòd confitens ex præcepto Eccleſiæ, ſi fortè inculpabiliter obliuiſcatur alicuius peccati m. non tenetur eodem anno redire ad Confeſſarium confeſſurus peccatum oblitum: quippequi iam ſatisfecit præcepto Eccleſiæ ſolum præcipientis, vt fideles ſemel in anno confiteantur omnia peccata, quę, præmiſſo diligenti examine, memoriæ occurrunt: quod re verà præſtitit pænitens in tali caſu. Quæ doctrina probat item Religioſum in caſu hìc propoſito nō teneri vi ſtatuti regularis redire ad Confeſſarium, vt confiteatur peccatum oblitum; cùm ſit par ratio in vtroque caſu.

Dubium maius eſt, an hæc doctrina procedere poſsit in caſu, quo Religioſus in priori confeſsione ob iuſtam cauſam ſcienter, explicatis alijs peccatis mortalibus, tacuit aliquod peccatum.

30 ℞. Procedere poſſe ob rationem *§. præcedenti* adductam: quæ proportionaliter militat, tum in caſu, quo quis ad vitandum graue damnum, peccatum aliquod omittit in confeſsione facta ex præcepto Eccleſiæ; tum in caſu, quo quis in periculo mortis conſtitutus confiteatur, & ob impedimentum ſuperueniens, aut temporis anguſtias aperire non poſsit omnia peccata: nam in vtroque caſu facta eſt confeſsio, qualis in ijs circumſtantijs requirebatur, videlicèt integra integritate formali, & cōſequenter ſufficiens ad implendum præceptum eccleſiaſticum confeſsionis. ita *Cardin. de Lugo D. 15. de pænit. num. 66. & 67.* qui licèt in ſpecie loquatur de impletione præcepti eccleſiaſtici; idem tamen etiam diceret de confeſsione facienda ex ſtatuto regulari; cùm de hoc militet eadem ratio.

QVÆRES XV. An ſatisfaciat ſtatuto Religionis præſcribenti confeſsionem menſtruam Religioſus, qui habens reſeruata in caſu neceſsitatis (ob ſcandalum v. g.) confeſſus eſt non habenti facultatem abſoluendi à reſeruatis, ideoque ab ijs ſolùm indirectè abſolutus eſt.

31 ℞. Satisfacere; cùm ſic faciat confeſsionem integram formaliter, & pro tunc ad aliud non teneatur; vt conſtat ex dictis.

QVÆRES XVI. An dicto ſtatuto ſatisfaciat Religioſus, qui cùm hoc menſe confeſſus eſſet ſola venialia, vtpote tunc nullum mortale habens, poſteà incurrit aliquod mortale; an certè vi ſtatuti præcipientis menſtruam confeſsionem teneatur intrà eundem menſem confiteri dictum mortale de nouo commiſſum.

32 ℞. Satisfacere, ſi dicamus in ſtatuto iſto præcipi non ſolùm confeſsionē mortaliū, ſed etiā venialiū; ſic quippe impleuit præceptū, cùm de facto confeſſus ſit venialia: non item, ſi dicamus in ſtatuto præcipi ſolùm confeſsionem mortalium; nam ſic Religioſus in caſu propoſito confitens ſola venialia non impleuiſſet ſtatutum præcipiens ſolam confeſsionē mortaliū, ſed feciſſet aliquid aliud, ꝙ nō præcipitur, ideòq; manet adhuc obligatus ad implendū ſtatutū Ordinis, vtpote habens peccatum, m. vi præfati ſtatuti neceſſariò confitendū; Quod non eueniret in caſu, quo Religioſus vnà cū venialibus cōfeſſus fuiſſet aliquod mortale certū: non enim tunc teneretur iterū cōfiteri intrà eundē menſē; quippequi iam impleuiſſet ſtatutū, ꝙ præſcribens confeſſionē mortaliū obligat ad cōfitenda mortalia nō ſolū certa, ſed etiā dubia: quale eſt illud, ꝙ de facto Religioſus in præſenti caſu confeſſus eſt vnà cū venialibus. Vnde nō eſt ratio, cur illū cogamus iterū confiteri, cùm iā ſufficienter impleuerit ſtatutū ſui Ordinis. Colligo hāc reſponſionē ex doctrina nō diſſimili *Card. de Lugo ſup. n. 174. & 169.* qui loquens de impletione pręcepti eccleſiaſtici præſcribentis annuam confeſſionem; quæ meo iudicio adaptatur caſui hìc propoſito de confeſſione menſtrua ex ſtatuto regulari facienda, adeòque intentum optimè probat.

QVÆRES XVII. An Regulares, ſi præuideant non futuram ſibi opportunitatem confitendi tempore præſcripto in Regula, teneantur pręuenire confitendo ante illud tempus.

33 ℞. Teneri, niſi fortè obligatio cōfitendi eſſet alligata certo diei v. g. primę dominicę cuiuslibet menſis in veneratione talis diei. Colligitur ex *Fagund. ſu. c. 4. n. 16.* eſtq; cōmunior DD. ſententia; & probatur ex eo, ꝙ cū obligatio cōfitendi ſit vniuerſalis pro toto menſe (vt ſuppono) obligat ad confitendum in ea parte menſis, in qua Religioſus poteſt confiteri:

quo

quo pacto Doctores dicunt fideles teneri anticipare auditionem miſſæ (v.gr. hora nona) ſi prævideant ſe fore impeditos hora decima. Dixi *niſi fortè obligatio confitendi eſſet alligata certo diei*, quia quando obligatio eſt affixa certo diei in honorem illius, incipit cum illa die, & cum ea deſinit; ideoque non eſt, cur præueniatur; cùm tempus certum ipſi aſſignetur, non ad ſollicitandam ſolùm, ſed ad finiendam obligationem; vt patet in præcepto audiendi miſſam, &c.

34 Nec obſtat, quòd obligatus ad horas canonicas non tenetur præuenire illarum recitationem, dicendo totum officium manè, etſi præuideat fore, vt ex iuſto impedimento nequeat illud poſtea recitare veſpere: quamuis enim aliqui hoc admittant de diuino officio, quando impedimentum, quod præuidetur, non eſt voluntarium, ſed neceſſarium (vt morbus, aut captiuitas:) præter quàm quo aliqui id negant, & vlterius dicunt, etiam eo dato, non currere paritatem in obligatione Confeſſionis, de qua hìc agimus: cùm anticipatio in diuini officij recitatione ſit licita ex priuilegio, quo quis poteſt nolle vti; præceptum verò confitendi non obliget pro aliqua parte menſis certæ, ſed pro toto menſe, ideoque anticipari non poſſit Confeſſio. ita *Cardin. de Lugo ſupr. num.* 183.

QVÆRES XVIII. An Religioſi, qui non ſunt confeſſi tempore præſcripto in Regula, teneantur poſteà quam primùm confiteri, peccentque ſi oblata opportunitate confitendi, non confiteantur.

35 ℞. Non teneri, ſi obligatio confitendi ſit affixa diei in honorem ipſius diei: ſecùs, ſi currat pro aliquo tempore (v.g. pro menſe) ideòque certum tèmpus deſignetur non ad finiendam, ſed ad ſollicitandam obligationem. patet ex dictis *q. præcedenti*; ſi hìc addidero, quod ſi præceptum confeſſionis obliget hoc poſteriori modo, omittens confiteri tempore debito peccat toties, quoties non confitetur habens opportunitatem confitendi, & quidem mortaliter, aut venialiter, prout obligatio confitendi propoſita eſt ſub mortali, vel veniali: idque iuxtà regulas tradi ſolitas in Scholis quò ad hoc.

QVÆRES XIX. An Religioſus, qui toto menſe præcedenti omiſit confiteri iuxtà Regulæ præſcriptum, ſi poſteà confiteatur, inchoato iam menſe ſequenti, debeat iterum confiteri eodem menſe.

36 ℞. Iuxtà diſtinctionem *q. præcedenti* datam debere iterum confiteri eodem menſe, ſi obligatio confeſſionis ſit affixa menſi, non in honorem talis temporis, ſed abſolutè, & ſimpliciter, ne diutius differatur; ſecùs ſi ſit alligata tempori in honorem talis temporis: nam in priori caſu tenetur ad duplicem confeſſionem, vnam debitam ratione menſis iam præteriti, & aliam ratione menſis præſentis; ideoque vnica confeſſione nequit ſatisfacere: quo modo obligatus ſoluere quotannis vnum aureum, ſi anno præterito non ſoluit, ſuam obligationem, non implebit ſoluendo vnum tantùm aureū hoc anno. In poſteriori autem caſu, cùm iam defierit obligatio confitendi reſpondens menſi præterito iuxtà *c. ſicut de ſponſ. & l. ſi fideiuſſ. §. vlt. ff. mandati*, & vrgeat ſolùm obligatio reſpondens menſi præſenti, ſufficit Religioſum facere vnicam confeſſionem. Colligitur reſponſio ex *Bonacina ſup. num.* 26. *& ſeqq. Coninco D.* 5. *de Sacram. d.* 8. & *Cardinali de Lugo ſup. numer.* 179. *&* 180. qui *num.* 178. ex *Sanchez l.* 4. *mor. cap.* 14. *num.* 24. *& ſeqq.* docet ex materia, & circumſtantijs præcepti, aut ſtatuti potiſſimum debere colligi, an terminus temporis apponatur in obligatione tanquam terminus executionis, vltrà quem non differatur, vel vt terminus, in quo ceſſet obligatio, ſi tunc non impleatur.

QVÆRES XX. An Regulares poſſint aliquantulum differre confeſſionem in Regula præſcriptam pro vnoquoque menſe.

37 ℞. *Diana p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 100. ex *Sancio* poſſe; etſi in ſpecie non loquatur de Regularibus; quod parùm refert, cùm reſpectu horum militent rationes allatæ à *Sancio in ſelectis D.* 13. *num.* 9. vbi ait; *Animaduertito non tranſgreſſurum pænitentiam illum, cui eſſet iuſſum intrà vnum menſem confitendum fore, ſi per* 3. *vel* 4. *dies vltra menſem confeſſionem differret, præſertim ex cauſa iuſta: & idem iudico, ſi votum eſſet emiſſum de confeſſione agenda; non enim ita mathematicè præfigendus eſt terminus, nec Deus adeò rigoroſus exactor erit iudicandus. Imò ſi intrà* 8. *dies à menſe elapſo, ſolemnis aliquis dies ſequeretur, vel iubileum, poſſe differri confeſſionem vſque ad illum diem mihi perſuadeo, ſi ægrè pænitens ferret bis intrà illos* 8. *dies confiteri, vel iubileum non lucrari: & poſſe anticipari per* 8. *dies minimè dubito ex cauſa illa: iubilei, vel ſolemnis diei.* ita *Sancius*; quàm probabiliter, iudicent alij. certè quod attinet ad difficultatem hìc propoſitam, talis doctrina ad ſummum poſſet admitti in caſu, quo iuxtà diſtinctionem ſępè repetitam obligatio confeſſionis eſſet affixa tempori, non in honorem diei, ſed ne illa vlteriùs protrahatur.

Quòd ſi quæras, quo modo computari debeat menſis, vel annus, intrà quem debet fieri confeſſio ex præſcripto regulæ.

38 ℞. Quod, licèt excogitari poſſint multi, & varij modi, qui videri poſſunt apud *Cardinalem de Lugo ſup. à num.* 154. ille modus videtur minùs violentus, quod ſcilicet annus computetur à prima die Ianuarij ad vltimum Decembris; menſis verò à prima die Ianuarij v. g. ad diem vltimam eiuſdem menſis; & ſic confeſſio facta in quolibet die anni, vel vniuſcuiuſque menſis ſufficeret ad impletionem præcepti Eccleſiaſtici, aut ſtatuti regularis. Colligitur ex *Vaſquez Nugno*, alijſque recentioribus relatis ex *Diana à Cardinali de Lugo vbi ſup. num.* 157. & conſtat quia, quod præcipitur ſemel in anno, vel menſe, vel hebdomada, ſufficit fieri qualibet die anni, aut menſis, aut hebdomadæ.

QVÆRES XXI. An peccet duplici peccato Religioſus, qui cùm ex regula teneatur ſub mortali confiteri ſingulis menſibus, non confitetur eo menſe, quo vrget præceptum Eccleſiaſticum annuę confeſſionis.

39 ℞. Videri peccare vnico peccato; & probatur ex communi doctrina Theologorum ſuſtinentium

tium ex ſola multiplicatione præceptorum materiali circà idem obiectum non multiplicari peccata in eorum tranſgreſſione; niſi plura illa præcepta ſint varia per diuerſitatem honeſtatum, ac rectitudinum, ſub quibus præcepta imponuntur. Vnde fit, vt, cùm in præſenti caſu præcipiatur confeſſio tum ab Eccleſia, tum à Regula ſub motiuo eiuſdem virtutis, nempe religionis, ſicque præcepta illa ſint plura ſolùm materialiter; omittens confiteri peccet vnico peccato: cùm plura illa præcepta quaſi vniantur in illa vnica honeſtate, ſub qua fiunt, adeòque moraliter vnum reputentur; qua de re *Sanch. l.9. de matr. D.15. n.5. & 6.*

Vtrum verò Religioſus in hoc caſu teneatur bis confiteri, an verò vnica confeſſione ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, & Regulæ.

40 ℞. Satisfacere vnica confeſſione: & probatur ex ſimili doctrina *Sanchez l.8. de matrim. D.34. num.38.* docentis illum, qui ex diſpenſatione ſacræ Pœnitentiariæ, aut ex voto tenetur confiteri ſingulis menſibus, non teneri duplicare confeſſionem eo menſe, quo vrget præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis: cum Pœnitentiaria, & vouens iniungentes confeſſionem ſingulis menſibus nouerint fore, vt in aliquo menſium coincidat præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis, & tamen non obligauerint ad duplicem confeſſionem; eadem autem ratio militat in præſenti caſu, vt patet. Quamquam ſecùs dicendum foret, ſi Religioſus eo menſe teneretur confiteri ex pœnitentia à Confeſſario iniuncta; cùm hæc, niſi aliud exprimatur, ſemper intelligatur de operibus ſupererogationis, teſte *Sanch. ſup. num.39.*

QVÆRES XXII. An Religioſus ex Regula obligatus ad confeſſionem menſtruam ſatisfaciat confitendo quocumque die menſis; ita tamen, vt ab vltima confeſſione elabatur plùs quàm menſis; vt, ſi prima confeſſio præcedens fiat prima die Ianuarij, & ſequens, vltima die Februarij.

41 ℞. Videri ſatisfacere; & probatur ex doctrina *Sanchez ſup. num.36.* ſuſtinentis obligatum ad confitendum ſingulis menſibus ob diſpenſationem obtentam à ſacra Pœnitentiaria ſatisfacere, etſi inter vnam confeſſionem, & alteram modo dicto interponat plùs quàm vnum menſem: cùm obligatio illa affixa ſit ſingulis menſibus, & quacumque die menſis confeſſio fiat, verificetur illam fuiſſe factam eo menſe; quod non euenit in confeſſione annua, ſubdit *Sanchez*, quæ ſemel in anno præcepta eſt, nec addita eſt particula ſingulis; ſicut additur in priori caſu à ſacra Pœnitentiaria. ita *Sanchez*, & probabiliter, etiam ad intentum noſtrum; cum in Regula præſcribatur confeſſio ſingulis menſibus, ſicque procedat ratio allata à *Sanchez* in illo alio caſu, vt facilè conſtabit conſideranti.

QVÆRES XXII. An Regulares laudabiliter poſſint in confeſſionibus ſe accuſare de ordinarijs imperfectionibus (v. g. quod non reſponderint diuinis inſpirationibus.)

42 ℞. Poſſe; & probatur tum quia non eſt neceſſe, quod omnia quæ pœnitens confitetur, abſolutè, ac determinatè ſint materia abſolutionis; cùm aliqua dicantur in confeſſione ad maiorem abundantiam, ad plenius aperiendum ſtatum pœnitentis, vel vt per abſolutionem deleatur, ſi quid in ijs peccatum fuit: tum quia plura ex ijs, quæ videntur meræ imperfectiones, non fiunt ſine aliqua culpa veniali; præſertim attenta communi Thomiſtarum ſententia, quod non detur actus moralis indifferens in indiuiduo. ita *Cardin. de Lugo D.16. de pænit. nu.103.* contrà *Sancium in ſelectis D.3. num.4.* contendentem non eſſe permittendum pœnitentibus, vt in confeſſione ſe accuſent de præfatis imperfectionibus, cùm eæ non ſint peccata, & conſequenter nec materia confeſſionis.

QVÆRES XXIII. An Regulares in confeſſione peccati commiſſi contra votum Caſtitatis teneantur exprimere circumſtantiam ſtatus religioſi, ſi ſimul ſint Sacerdotes, vel aliàs ligati voto Caſtitatis.

43 ℞. Non teneri, ſed ſufficere, ſi dicant ſe eſſe vel ordine ſacro initiatos, vel voto Caſtitatis adſtrictos; idque ob rationes afferendas in *tract. de priuil. c.2. ſect.3. q.21.* moneo hic ſolùm, quòd ſi ibi dicta procedunt de Religioſo ſolemniter profeſſo, à fortiori procedunt de Religioſo Societ. Ieſu ſolis votis biennij adſtricto; vt oſtendit *Sanch. l.7. de matr. D.27. num.34.* contrà *Fagundez præc. 2. Eccl. l.4. cap.3. num.9.*

QVÆRES XXIV. An Regulares committentes peccatum carnale intrà monaſterium, teneantur exprimere in confeſſione circumſtantiam loci.

44 ℞. Teneri, ſi tale peccatum committant in clauſtro benedicto, ac deputato in ſepulturam Religioſorum, aut aliorum fidelium; ſic enim clauſtrum comprehenditur ſub nomine loci ſacri: ſecùs, ſi peccatum illud fiat in alijs officinis, & habitaculis monaſterij; hæc enim licèt gaudeant immunitate eccleſiaſtica, non tamen cenſentur loca ſacra ad dictum effectum; quippequæ non ſunt ab Epiſcopo benedicta, nec deputata ad diuina officia, vel fidelium ſepulturam. ita *Sanchez l.9. de matr. D.15. num.41. & 42.* alijque penes *Fagundez ſup. c.4. num.39.* qui addit ex *Sanchez* dicta eſſe vera, etſi in monaſterio extet altare ad celebrandum; quippe quod reputatur velut Oratorium priuatum; quod DD. communiter dicunt non eſſe locum ſacrum; hinc inferentes in confeſſione copulæ ibi habitæ non eſſe neceſſariò exprimendam loci circumſtantiam; vt videri poteſt apud *Fagund. præc. 1. Eccl. l.3. c.14. num.45.*

Quòd ſi quæras an tactus, aſpectus, & verba turpia à Regularibus habita in templo, aut alio loco ſacro importent ſpecialem malitiam in confeſſione exprimendam.

45 ℞. Non importare, niſi dicti actus fiant cum periculo pollutionis, vel ſint ex ſe tales, vt videantur connecti cum ipſa pollutione: & probatur, ex eo quod prædicta rationem ſacrilegij recipiunt ex prohibitione Eccleſiæ, Eccleſia autem ſolùm prohibet copulam, & pollutionem factam in loco ſacro, vt pote violantes ſanctitatem loci ſacri; ſicque non apparet, cur dicta deſumere debeant malitiam ſacrilegij, ſitque in eorum confeſſione

ne aperienda circumſtantia loci. Dixi, *niſi dicti actus fiant cum periculo pollutionis*, quia tunc prohibitio pollutionis videtur continere ea, quæ ex ſe afferunt tale periculum morale, videlicèt tactus, aſpectus, & colloquia; quæ proinde in eo caſu non poſſunt ſufficienter exprimi in confeſſione, niſi aperiatur loci circumſtantia. ita *Card. de Lugo ſup. n. 464.* alijque apud *Dianam p. 1. tr. 7. reſol. 25.*

Difficultas grauior eſt, an pollutio habita in loco ſacro contineat malitiam ſacrilegij neceſſariò confitendam, ſi ea ſit occulta.

46 ℞. *Vaſquez 1. 2. q. 72. a. 7. D. 98. cap. 3. nu. 6.* probabile videri non continere: & probat, quia locus ſacer iuxtà communem DD. ſenſum eatenùs cenſetur violari, quatenùs prophanatur, & tollitur eius conſecratio, aut benedictio; at id euenit ſolùm, quando pollutio eſt notoria; vt hinc conſtat, quòd plures apud *Fagundez præc. 2. Eccl. l. 4. cap. 4. num. 24.* ſuſtinent Eccleſiam non egere reconciliari, ſi pollutio facta in ea maneat occulta; ergò & pollutio habita in loco ſacro non continebit malitiam ſacrilegij. cum *Vaſquez ſentit Pontius l. 10. de matr. c. 10. num. 15. & Diana ſup. reſol. 26.* qui tamen addit contrariam ſententiam, quæ eſt *S. Thomæ Suar. Sanch. & Bonacinæ* penes ipſum *Dianam* eſſe probabiliorem.

47 Addo ex *Leſſio l. 2. de iuſt. c. 44. n. 14. Coninco D. 2. de Sacram. num. 22.* & alijs, quos refert, & ſequitur *Diana ſup. reſol. 24.* furem, qui in Eccleſia ſurripit crumenam viri diuitis, in confeſſione talis furti non teneri exprimere circumſtantiam loci; eò quòd crumena illa nimis materialiter ſit in loco ſacro, quippe quæ per accidens ibi reperitur abſque vllo ordine ad locum ſacrum; quare ſecùs dicendum, ſi de loco ſacro ſurripiatur aliquid non ſacrum, ſed commiſſum cuſtodiæ, vel etiam commodatum Eccleſiæ; tunc enim furtum contineret malitiam ſacrilegij omninò confitendam.

QVÆRES XXV. An Regulares peccantes ex conſcientia erronea debeant hoc ipſum exprimere in confeſſione.

48 ℞. Regulariter loquendo, non debere præſertim quo ad confeſſiones præteritas, in quibus explicata non fuit talis circumſtantia. ita *Cardin. de Lugo* in terminis *ſup. num. 503. Sanch. l. 1. mor. cap. 11. num. 5.* alijque penes ipſos; & probatur, quia nullum præceptum, nullaque virtus obligat, niſi mediante iudicio conſcientiæ, quod eſt regula proxima operandi, ideòque notitia virtutis, ac præcepti eandem vim habebit, ac ipſum præceptum; & ipſa virtus; ſicq; peccans cõtra conſcientiã non peccat contra duplicem regulam, duplicemue virtutem, ſed contra eandem ſibi notam, ac propoſitam: tum quia; aliàs pęnitenti imponendum eſſet onus iterum confitendi eadem peccata, cum circumſtantia conſcientiæ erroneæ, quam antea non agnouerat; quod eſſet onus grauiſſimum, & Confeſſarijs, & pęnitentibus, vt facilè conſtabit conſideranti. Dixi *quò ad confeſſiones præteritas*, quia, quod attinet ad præſentes, ſi pęnitens aduertat, vel dubitet, an peccauerit ex conſcientia erronẽa, optimè faciet ſe de ijs accuſando ſimilibus verbis, *feci hoc, vel illud putans me facere contra præceptum, vel contrà obligationem grauem*; ſic enim explicat verum peccatum; quod fecit, nec ſe exponit periculo dicendi peccatum, quod non fecit. ita *Cardin. de Lugo* monens quòd quando Confeſſarius aduertit pęnitentem in aliqua materia peccaſſe aliquando ſolùm ex conſcientia erronea, & aliquando ex vera, debet illum interrogare, quoties reliquerit miſſam v. gr. putans peccare grauiter contra præceptum; nam ſic comprehendet omnia illa peccata.

49 Dixi præterea *regulariter loquendo*, quia occurrere poſſunt aliqui caſus, in quibus explicanda erit circumſtantia conſcientiæ erroneæ; quando ſcilicèt peccato facto ex conſcientia erronea annexa eſt cenſura (quæ non incurritur ob peccatum factum ſolùm ex conſcientia erronea) quando peccatum illud eſt reſeruatum; tunc enim communiter non incurritur reſeruatio; quando denique materia peccati eſt talis, vt omiſſa circumſtantia conſcientiæ erroneæ non intelligatur peccatum illud, ſed aliud, aut etiam nullum; vt ſi puer ſe accuſet de violatione ieiunij, non explicata conſcientia erronea, Confeſſarius non intelliget illud fuiſſe peccatum.

Quòd ſi quæras, qualiter peccet, qui ex conſcientia erronea apprehendit aliquid eſſe peccatum, non diſtinguendo, an ſit mortale, vel veniale.

50 ℞. Doctores in hoc non conuenire: nam alij cum *Nauarro in ſumma prælud. 9. num. 9. Valentia to. 2. D. 2. qu. 14. p. 4. col. 4. Diana p. 3. tract. 4. reſol. 162.* putant hunc peccare tantùm venialiter: cum ſic abſtrahat à peccato tum mortali, tum veniali, ideoque non magis conſentiat in mortale, quàm in veniale: nam cauſa non poteſt refundere in effectum quod non habet in ſe, & conſequenter conſcientia non infundet grauitatem mortalem, cùm in ſe non iudicet eſſe talem. alij verò cum *Vaſquez 1. 2. q. 19. a. 6. D. 59. cap. 3. num. 10. Azorio p. 1. l. 2. cap. 8. qu. 6. Sanch. l. 1. mor. cap. 11. numer. 6. & Fagund. ſup. cap. 5. num. 13.* exiſtimant hunc peccare mortaliter, eo quòd ſine ſufficienti examine qualitatis culpæ illam in genere, & in confuſo amplectitur, ſicque exponit ſe periculo peccandi mortaliter; & videtur eſſe ita diſpoſitus, vt ſi noſſet illud eſſe peccatum m. adhuc illud committeret, Verùm ego ſic diſtinguerem: vel taliter peccans eſt bonæ conſcientiæ, & ita animo affectus, vt ſi ſciret ſe peccare mortaliter, nullo modo illud faceret; & ſic puto eſſe veram ſententiam *Nauarri*: vel eſt laxioris conſcientiæ, & minùs abhorret à peccato mor. & ſic cenſeo veram eſſe ſententiam *Vaſquez*. ratio autem huius diſtinctionis eſt. quòd in priori caſu per illam habitualem animi diſpoſitionem cenſetur omninò excludere peccatum m. quod proinde non poteſt ipſi eſſe voluntarium; in poſteriori autem caſu non excludit, imò aliquo modo includit, nimirum interpretatiuè, ideòque dici poteſt eſſe in aliquo modo voluntarium.

QVÆRES XXVI. An Religioſus, qui ſe iactat de peccato olim commiſſo in ſæculo, v. gr. contra Caſtitatem, teneatur explicare in confeſſione ſpeciem talis peccati.

51 ℞. Videri probabile non teneri: & probatur quia tota malitia, quæ eſt in peccato iactantiæ con-

ſiſtit in eo, quòd peccatum ſumitur, vt medium ad captandam ex ipſo gloriam, & laudem; ad hoc autem per accidens ſe habet, quòd ſit hoc, vel illud peccatum; vnde fit, vt ſicut peccata, quibus violatur votum, ſemper ſint eiuſdem ſpeciei (cùm ſolùm attendatur irreuerentia Deo irrogata in violatione voti) ſic gloriatio de peccato ſemper ſit eiuſdem ſpeciei; cùm hìc item attendatur ſolùm irreuerentia facta Deo quatenùs ex eius offenſa intendit quis conſequi honorem, & gloriam. ita *Caſtrus Pal. tract. 2. D. 2. p. 11. numer. 5. Diana p. 3. tract. 4. reſol. 161. & p. 4. tra. 4. reſol. 44.* alijque contrà *Sanchez ſup. cap. 3. num. 5.* & alios penes illum ſuſtinentes in caſu propoſito explicari debere ſpeciem peccati, de quo quis ſe iactat; & ſatis probabiliter teſte *Cardinali de Lugo ſup. n. 268.*

Et hanc noſtram reſponſionem puto procedere, etiam in caſu, quo Religioſus delectetur de adulterio aliàs commiſſo: ſi de eo delectetur non quatenus fuit iniurioſum marito adulteræ, ſed ſolùm, quatenus fuit fornicatio: quod puto communiter euenire. ita *Sà vetus v. confeſſio num. 16.* (qui §. ablatus eſt in *Sà correcto*) alijque docti recentiores à me conſulti contrà *Sanchez ſup. cap. 2. num. 11.* & alios communiter diſſentientes. Ducor quod in confeſſione illæ tantùm circumſtantiæ exprimi debent, quæ fuerunt intentæ, ac volitæ: in noſtro autem caſu circumſtantia adulterij non fuit intenta, vt ſuppono.

QVÆRES XXVII. An Religioſus, qui alteri dat conſilium de aliquo peccato, in confeſſione teneatur exprimere ſpeciem peccati, quod conſulit.

52 ℞. Teneri; & patet quia conſilium ſpecificatur à peccato, quod conſulitur, ideoque duplicem continet malitiam: alteram contrà charitatem proximi, quem ſuo conſilio inducit ad peccandum; alteram contrà ſpecialem illam virtutem, cui aduerſatur peccatum, quod conſulitur: ſingulæ enim virtutes obligant non ſolùm ad opus, quòd directè præcipiunt, ſed etiam ad non procurandum directè, & ex intentione quòd alij violent præceptum talis virtutis; cùm alioqui conſilium ex directa intentione conſulentis tendat ad procurandum quod proximus violet præceptum talis virtutis, ſicque ſpecialem malitiam contrahat contra dictam virtutem. ita *Medina 1. 2. q. 14. a. 6.* & cum illo *Card. de Lugo ſup. n. 275.*

QVÆRES XXVIII. An Religioſus, qui delectationem moroſam habet de copula cum coniugata teneatur confiteri hanc circumſtantiam; quod eſt quærere, vtrum in delectatione moroſa interna explicari debeant, perſonæ, quæ peccanti obijciuntur.

53 ℞. Videri probabile non teneri; etſi oppoſitum ſit probabilius, & tutius, Et quidem quod ſpectat ad 1. partem reſponſionis, quæ eſt *Vaſquez 1. 2. D. 112. num. 3. Coninchi D. 34. de Sacram. num. 108. & 109. Caſtri Palai ſup. D. 2. p. 10. §. 4. numer. 2. Regin. Sayri, Dianæ, Azorij, Salas, Fillucij, Leſſij, & Bonacina* apud *Cardinalem de Lugo ſup. num. 363.* probatur quia ex vna parte apprehenſio obiecti poteſt abſtrahere ab omnibus circumſtantijs, & ſolùm verſari circa illud ſub certa ratione (quod item euenit in delectatione; vt conſtat in eo, qui delectatur in apprehenſione alicuius furti, quatenùs ingenioſum eſt, interim illud deteſtando, quatenùs eſt iniuſtum) vnde poteſt quis delectari circa alienam coniugem præcisè, quatenus pulchra eſt, non autem quatenus eſt coniugata. ex alia verò parte in confeſſione explicari debet ſolùm illa malitia, quæ in actu peccandi fuit volita; talis autem non eſt, quæ à peccante non fuit apprehenſa, & conſequenter nec volita; idque per abſtractionem, qua peccans poteſt præſcindere rationem coniugatæ à ratione pulchræ, & ſic delectari de coniugata, non vt coniugata, ſed vt pulchra; modo abſit voluntas deueniendi ad ipſum actum: tunc enim cùm actus externus neceſſariò verſetur circa obiectum cum omnibus ſuis circumſtantijs, & hoc idem præſtet voluntas faciendi præfatum actum; ſi eæ circumſtantiæ ſint cognitæ, & copula habita cum coniugata, & voluntas illam habendi neceſſariò habent rationem adulterij.

Quòd autem probabilius ſit circumſtantiam perſonæ circa quam in delectatione moroſa confitendam eſſe probat *Cardin. de Lugo ſup. §. 4.* & maximè ex eo, quòd ſi detur delectationem vi dictæ abſtractionis non contrahere malitiam adulterij, neque cõtrahet malitiã fornicationis, cũ peccãs eodẽ modo poſſit non delectari de malitia fornicationis, ſed de voluptate, quę ſecundũ ſe abſtrahit à licita, & illicita; vt hinc patet, ꝙ ſicut mulier illa poterat non eſſe coniugata, ideoque libido, de qua peccans delectatur, ſecundùm ſe præſcindit ab adulterio: ſic poterat eſſe vxor illius, & ideò voluptas, de qua delectatur; ſecundùm ſe abſtrahit à fornicatione, aut copula licita; quod item non videtur admittendum. Quamquam poſſet aliquis dicere non omninò improbabiliter quòd, ſi hìc ſit ſermo de voluptate in genere abſtrahente à venerea, non videtur eſſe inconueniens adeò magnum concedere, quod infert *Cardin. de Lugo*, delectationem ſcilicèt, quam quis habet ſpeculatiuè de copula, præcisè vt voluptuoſa, non continere malitiam fornicationis (idque ob rationem allatam in probatione primæ partis reſponſionis) ſi tamen in praxi dari poſſit talis abſtractio; quod videtur valdè difficile ob lubricitatem materiæ, & humanæ naturæ propenſionem ad venerea.

QVÆRES XXIX. An Religioſus teneatur confiteri peccatum, de quo poſt debitum examen dubitat, num fuerit commiſſum, nec ne; vel ſi conſtat fuiſſe commiſſum, dubitat, an fuerit mortale, aut veniale.

54 ℞. Speculatiuè videri probabile non teneri, practicè verò oppoſitum ſuſtineri à Doctoribus cum *S. Thoma in 4. d. 21. q. 2. a. 3. ad 3.* Prima pars, quam teſte *Diana p. 4. tract. 3. reſol. 5.* indicat *Henriquez*, confirmat *Layman* multis rationibus, & *Io. Prapoſitus* ait cum alijs recentioribus à ſe conſultis ſemper ſibi viſam fuiſſe ſpeculatiuè probabilem: patet tum quia in dubio non debet præſumi delictum, & in nullo fore debet quis accuſari de delicto, quod illum commiſiſſe ita oſtendi non poteſt, vt data indicia, & coniecturæ aſſenſum generent: tum quia

Con-

Concilium Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. ad ſeruandam Confeſſionis integritatem ſolùm exigit *à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, recenſeri*: quo modo videntur excludi peccata dubia, de quibus vtique dici nequit, quòd homo habeat conſcientiam; cùm conſcientia dicatur quaſi concludens ſcientia.

Pars autem ſecunda reſponſionis, quæ eſt communis DD. apud *Layman L. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. numer. 37.* conſtat tum ex ſolutione rationum, quam affert *Card. de Lugo ſup. à nu. 63.* tũ præcipuè ex vſu, ac praxi totius Eccleſiæ immemorabili probabiliter inducto ob ipſis Apoſtolis, qui meliùs intelligere potuerunt vim, ac obligationem incluſam in inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ; & ex natura illius; quippe quod, cùm fuerit à Deo inſtitutum per modum tribunalis, in quo Sacerdotes deputati ſunt velut Vicarij Dei, vt fideles ad illos recurrerent pro remiſſione peccatorum; ſicut anteà recurrebant ad Deum immediatè per contritionem: fit, vt, quemadmodum fideles antea ad tribunal Dei debebant modo dicto accedere etiam pro peccatis dubijs, item in præſentia teneantur accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, etſi habeant ſolùm peccata dubia: quod eſt peccata dubia debere exprimi in Confeſſione Sacramentali.

Quærunt hìc etiam aliqui, an pœnitens teneatur confiteri peccatum, quod probabiliter credit non eſſe mortale.

55 ℟. Non teneri, etſi iudicet probabilius eſſe, quod ſit mortale: licet enim operari ſequendò opinionem probabilem, etiam omiſſa probabiliori. ita *Sanch. ſup. cap. 10. num. 71.* & alij contrà *Salas 1. 2. q. 21. tract. 8. D. vn. ſect. 5. n. 60.* oppoſitum ſuſtinentem in caſu, quo pœnitens ſine graui incommodo confiteri poſſet tale peccatum.

Grauior difficultas eſt, an pœnitens, qui confeſſus eſt peccatum vt dubium, ſi poſtea cognoſcat illud fuiſſe certum, teneatur illud iterum confiteri tanquam certum.

56 ℟. Quòd, licèt Doctores communiter putent cum *Sanch. ſup. c. 10. num. 69.* pœnitentem in tali caſu teneri iterum confiteri peccatum illud vt certũ; ea ducti ratione, quòd, ſicut pœnitens, ſi ab initio nouiſſet illud peccatum vt certum, debuiſſet illud confiteri vt certum; & talis obligatio tunc ceſſauerit per accidens ob ignorantiam, ac dubium, quod erat; ita ceſſante impedimento ignorantiæ, ac dubij tenetur illud confiteri vt certum, redeunte priori illa obligatione, quæ anteà fuerat ſuſpenſa: aliqui tamen viri docti, & præſertim P. Nicolaus Richardus Sacri Palatij Magiſter, teſte *Cardinali de Lugo ſup. numer. 92.* oppoſitum probabile iudicant, non diſſentiente ipſo *Cardinali*, qui ſic ait: *Cæterùm, quia in re morali non eſt facilè recedendum à communi ſententia, & quia nullum Scriptorem inuenio pro ea parte, eos autem paucos, qui hoc attigerunt, video in contrarium inclinare, nolo ego in hoc puncto aliquid definire, ſed ſecuriorem partem conſulere.* Vbi noto, quòd, cùm *Cardinalis* vocet ſecuriorem partem affirmantem huius quæſtionis eſſe ſecuriorem, conſequenter innuit partem negantem eſſe ſecuram. Ratio autem partis negantis eſt, quòd iuxtà *Suarez, Vaſq. Coninum, Vegam, Ledeſmam, Villalobum, Sotum, & Sà* relatos à *Cardinali num. 78.* quando pœnitens non poteſt definire certum numerum peccatorum, ideòq; confitetur numerum veroſimilem (v. g. iuraui decies plùs, minùſue) ſi poſteà recordetur ſe peieraſſe duodecies, non tenetur id confiteri; cùm verba illa, *plùs, minuſue* ad minimum includant illa duo periuria; & tamen, qui dicit ſe peieraſſe decies plus, minùſue non dicit vt certum vndecimum periurium, ſed vt dubium: ergò etiam qui confitetur in dubio vnicum periurium, ſi poſtea certior fiat de illo, non tenebitur illud iterum confiteri, vt certum: cur enim magis vnum, quàm vndecimum periurium debet confiteri, quando vtrumque dixit cũ æquali dubio, & poſtea de vtroque æqualem habeat certitudinem, vt ſuppono? Præterquàm quòd in caſu propoſito non ſolùm periurium vndecimũ, aut duodecimum dicitur ſub dubio, ſed etiam ipſum periurium decimum; nam confitens ſe peieraſſe decies, plùs minùs ve aſſerit pro certo ſe peieraſſe decies, relinquens ſub dubio, an periuria fuerint pauciora, ſicque non dicit periurium decimũ, vt certum, ſed vt dubium; & tamen, licèt poſteà recordetur determinatè, & certò, quòd fuerunt decem periuria, non tenetur ea iterum confiteri: ſicut ergò periurium decimum dictum ſub dubio non debet dici vt certum; ſic nec primum periurium dictum, vt dubium, debebit poſtea explicari vt certum, quando pœnitens poſteà illius certo recordatur. Ita *Cardin. de Lugo*, & meo iudicio ſatis probabiliter, etſi ille præ ſua ſingulari modeſtia non audeat abſolutè proferre ſuum ſenſum.

QVÆRES XXX. An Religioſus, qui in cõfeſſione omiſit circumſtãtiam mutantem ſpeciem, teneatur poſteà repetere confeſſionem peccati integri, vel ſufficiat ipſum confiteri circumſtantiam omiſſam; vt ſi fateatur fornicationem, non explicando ſe eſſe Religioſum.

57 ℟. Sufficere ipſum confiteri circumſtantiam omiſſam; ſi peccatum, & eius circumſtantia ſeorſim explicari poſſint ſufficienter. ita *Suarez D. 22. de pœnit. ſect. 2. Coninckus ſup. D. 7. num. 60. Regin l. 6. n. 141. Filliuc. tr. 7. num. 8. Diana p. 1. tr. 7. reſol. 45.* alijque apud *Cardinalem de Lugo ſup. nu. 645.* contrà *Syluestrum v. confeſſio 1. q. 10. numer. 11.* patetque ex eo, quòd fornicatio in præſenti caſu duplicem habet malitiam ſpecificam, vnam contrà religionem, alteram contrà caſtitatem; ideoque cùm pœnitens in priori confeſſione vnam explicauerit, & aliam explicet in poſteriori confeſſione, cenſetur ſufficienter explicuiſſe totum peccatum quò ad vtramque malitiam. Quæ doctrina eſt adeò probabilis, vt *Henriquez l. 5. c. 5. n. 4. Regin. ſup. numer. 142.* alijque putent poſſe pœnitentem conſultò in eadem confeſſione diuidere circumſtantiam peccati ab ipſo peccato, illamque ſeorſim confiteri; dicendo v. g. ſe fornicatum fuiſſe, & poſtea ſe accuſando, quòd violauerit votum in re graui, non explicando fornicationem illam fuiſſe contrà votum Caſtitatis: quod tamen negat *Cardin. de Lugo ſup. n. 652.* concedens *n. 661.* cum *Diana*, & alijs furantem ad mœchandum iuxtà doctrinam ſuperiùs datam poſſe in confeſſione prius ſe accuſare de furto, & poſteà de

peccato

peccato mœchiæ: & ratio eſt, quòd etiam in hoc caſu interueniat duplex malitia in ſpecie atoma, furti ſcilicèt, ac mœchiæ (etſi hæ malitiæ aliàs habeant inter ſe aliquam ſubordinationem medij ad finem) ſicque poſſunt ſingulæ ſeorſim explicari.

58 Dixi ſub initium reſponſionis, *ſi peccatum, & eius circumſtantia ſeorſim explicari poſſint ſufficienter*, vt indicarem, quòd, cùm ex circumſtantijs inducentibus malitiam ſpecie diuerſam aliquæ importent malitiam omninò diſparatam (vt patet in circumſtantia voti, quæ addit fornicationi malitiam omninò diſparatam; cùm tota malitia fornicationis eſſe poſſit ſine violatione voti, & malitia ſpecifica violationis voti, prout aduerſatur religioni, eſſe poſſit ſine peccato fornicationis) aliæ verò circumſtantiæ importent malitiam non omninò diſparatam, ſed quæ nequeat intelligi ſine malitia deſumpta ex obiecto principali, quam in ſuo conceptu includit; vt patet in homicidio, in cuius confeſſione explicari non poteſt circumſtantia perſonæ ſacræ occiſæ, niſi explicetur homicidium; cùm peccatum ſacrilegij ſit ratio generica continens ſub ſe diuerſas ſpecies, quæ ſpecies explicari non poſſunt, niſi explicetur peccatum, cui talis circumſtantia aduenit. cùm, inquam, circumſtantiæ importantes malitiam ſpecie diuerſam aliæ importent malitiam omninò diſparatam, & aliæ non omninò diſparatam; præfata doctrina procedit ſolùm quò ad circumſtantias prioris generis, non item poſterioris.

QVÆRES XXXI. An poſſit ſacramentaliter abſolui Religioſus, qui nullum peccatum in ſpecie confitetur, nec mortale, nec veniale, ſed ſolùm dicit peccatum mortale, aut veniale in communi, vel certè dicit ſolùm generaliter ſe peccaſſe.

59 ℞. Poſſe, ſi inſtet periculum mortis, & alia confeſſio fieri non poſſit; ſecùs, ſi non ſubſit tale periculum, nec concurrat impoſſibilitas phyſica, vel moralis, & aliàs fieri poſſit confeſſio magis diſtincta. Prima pars, quæ eſt *Suarez D.23. de pœnit. ſect. 1. n.5.* & aliorum apud *Dianam p.3. tract.3. reſol. 1.* probatur, tum quia, ſicut poteſt ſtare valor Sacramenti pœnitentiæ, non explicatis omnibus peccatis quò ad numerum maximè (ſi ex impotentia non explicentur) ſic & validum poteſt eſſe hoc Sacramentum, licèt non explicentur ſpecies peccati in particulari; nam integritas confeſſionis quò ad ſpecies, numerum, & circumſtantias peccatorum non eſt ita neceſſaria, vt ex cauſa non poſſit omitti: tum quia confeſſio peccati in genere poteſt eſſe materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ (vt patet in eo, qui recordatur ſe peccaſſe mortaliter, & omninò oblitus eſt ſpeciem peccati; is enim debet illud cõfiteri in genere, prout eſt in conſcientia ſua) ergò & poteſt eſſe materia ſufficiens, quod attinet ad valorem Sacramenti: cùm enim homo non teneatur quidquam confiteri in Sacramentali confeſſione, niſi in ordine ad abſolutionem; hòc ipsò quòd debemus confiteri peccatum in genere, illud cenſeri debet capax abſolutionis.

Pars ſecunda reſponſionis, quæ eſt eiuſdem *Suarez ſup. n.10. Layman l.5. tr.6. c.12. n.7.* & aliorum, probatur quia quantùm fieri poteſt, materia Sacramenti eſſe debet certa, & particularis, id exigẽte reuerentia debita Sacramentis; talem autem materiam non præbet, qui extrà neceſſitatem ſolùm confitetur in genere, dicendo ſe multoties peccaſſe, vel dicit tantùm venialia in genere, nullo expreſſo in ſpecie. Dixi, *vel dicit tantùm venialia in genere*: quia ſi confitetur mortalia in genere, eò quòd non recordetur, in qua ſpecie determinata ſit peccatum m. quod fecit, etiam extrà neceſſitatem, poteſt pœnitens abſolui, vtpote præbens materiam ſufficientem abſolutionis; quamquam ob certitudinem ſit melius in eo caſu confiteri, etiam aliquod veniale in ſpecie; vt benè notauit *Suarez ſup. n.* 8. addens *n.* 10. quòd, licèt ſpeculatiuè tantùm loquendo, defendi poſſit confeſsionem venialium in genere eſſe per ſe ſufficientem in eo, qui non habet mortalia, etiam extrà neceſſitatem; practicè tamẽ id negandum eſt ob incertitudinem materiæ; quæ incertitudo etiam facit, vt in praxi non liceat confiteri ſolùm mortalia in genere, aut confiteri in genere ſe peccaſſe; quidquid ſit de probabilitate ſpeculatiua contrariæ opinionis.

Vtrum verò Religioſus Sacerdos, qui in confeſſione generali fieri ſolita in principio miſſæ amittit loquelam, ac vſum ſenſuum, poſſit Sacramentaliter abſolui ex vi talis confeſſionis, qua ille ſe confeſſus eſt peccatorem, dicens *quia peccaui nimis cogitatione, verbo, &c.*

60 ℞. Non poſse, eò quod talis confeſſio non ſit Sacramentalis, nec in ordine ad claues (prout requiritur ad abſolutionem) ſed oratio quædam ad alium finem prolata. ita *Layman l.5. tract.6. c.8. num.4.* & alij contrà *Marchinum tract. de peſte p.3. cap. 13. num.15.* cuius opinionem puto defendi poſse, non quidem quod hæc confeſſio ſit ſufficiens ad abſolutionem Sacramentalem, ſed ob doctrinam à nobis tradendam in *tract. de priuil. cap.2. ſect.2. q.16.* nimirùm poſse abſolui illum, qui ſenſibus omninò deſtituitur, & nullo modo petit confeſſionem, ſi conſtet illum fuiſse ſolitum viuere more chriſtiano, &c.

61 Addo quod ſi Confeſsarius cępit audire confeſſionem ægroti perficiendam die ſequenti, & ipſo die ſequenti ægrotus inueniatur ſenſibus deſtitutus; poteſt abſolui; modò non conſtet illum mutaſse voluntatem pęnitendi; quod in eo articulo non ita facilè præſumi debet. ita *Card. de Lugo D.17. de pœnit. num.6.* ex *Chapeauilla Zambrano, & Diana*, referens ſe aliquando conſuluiſse quemdam Parochum vt abſolueret moribundum, qui ante morbum confeſsus fuerat dicto Parocho dubitanti, an ille moribundus eſset capax abſolutionis ob amentiam, quam pati ſolebat; conſuluiſse, inquam, vt vi illius confeſſionis, de cuius valore dubitabat, illum abſolueret ſub conditione: quippequi ob amentiam, ac breue tempus interceptum præſumi poterat moraliter perſeuerare in eadem voluntate obtinendi abſolutionem, quam Parochus dicebat ſe nolle impendere in confeſſione facta, quo tempore pęnitens erat mentis compos.

QVÆRES XXXII. An licitè, & validè abſoluatur Religioſus, qui erubeſcens fateri peccatum recenter commiſſum petit à Confeſsario facultatem

tem faciendi ipſi confeſſionem generalem, ſicque cum peccatis aliàs confeſſis confitetur etiam peccatum non amplius confeſſum.

62 ℞. Licitè, & validè abſolui, niſi ob aliquam ſpecialem circumſtantiam mutantem ſpeciem neceſſe foret oſtendere peccatum illud fuiſſe de nouo commiſſum: vt ſi peccatum eſſet contra Caſtitatem, adeoque contra votum Caſtitatis factum in profeſſione, quod proinde deberet manifeſtari, ne Confeſſarius ſub prætextu generalis confeſſionis cenſeret illud fuiſſe factum ante profeſſionem: quamquam huic incommodo occurri poſſet, dicendo ſe, quo tempore commiſit illud peccatum, fuiſſe ligatum voto Caſtitatis. ita *Diana p. 3. tract. 4. reſol. 62. ex Suarez, Sanchez, Coninco, & Bonacina.* patetque tum quia in tali caſu parùm variatur iudicium Confeſſarij (quidquid contradicat *Turrianus* relatus à *Diana p. 4. tract. 3. reſol. 65.*) tum quia iuxtà allegatos Doctores eſt probabile pœnitentem in confeſſione non teneri dicere ſe tale peccatum commiſiſſe poſt vltimam confeſſionem, niſi fortè ob cauſam modo allatam: ſicut enim ſciens, aut dubitans ſe tale peccatum confeſſum fuiſſe, non tenetur dicere ſe illud alias fuiſſe confeſſum, aut dubitare, an illud confeſsus fuerit; ita qui commiſit aliquod peccatum, non tenetur dicere ſe illud feciſse poſt vltimam confeſſionem, niſi adſit peculiaris circumſtantia neceſsariò aperienda.

Quòd ſi dicas eſse neceſsarium in confeſſione peccati recens commiſſi indicare illud non fuiſse ampliùs manifeſtatum tum, vt Confeſsarius cognoſcat, an illud ſit reſeruatum, necne (cùm poſſit contingere illud modò eſse reſeruatum ex ſtatuto Religionis) tum vt intelligatur, an pœnitens ſit in proxima occaſione peccandi, & relabendi; tum vt conſtet, an peccatum ſit conſuetudinarium: tum vt imponi poſſit ſatisfactio proportionata; cùm in confeſſione generali voluntaria imponi ſoleat mitior pœnitentia.

63 ℞. Ex nullo horum capitum illud eſse neceſsarium; cùm pœnitens ipſe poſſit ſignificare Confeſſario peccatum non eſse reſeruatum, vel eſse, & ſe non eſse, vel eſse in proxima occaſione peccandi; & alioqui ille non teneatur manifeſtare conſuetudinem peccandi præteritam, poſſitque ad ſuam conſolationem petere à Confeſsario, vt hanc, vel illam iniungat pœnitentiam, quam hìc & nunc pœnitens iudicet eſse proportionatam culpæ recens confeſsæ.

QVAERES XXXIII. An caſu, quo Religioſus egeat longiori confeſſione, itaut illam abſoluere nequeat ante communionem, & aliàs ad vitandum ſcandalum vrgeat neceſſitas communicandi; ille poſſit abſolui, dimidiata confeſſione, etſi timeatur ipſum non eſse eliciturum actum contritionis.

64 ℞. Ex *Diana p. 5. tract. 14. reſol. 53.* pro ſe citante *Granadum* poſse; & probatur, quia Doctores cum *Suarez D. 23. de pænit. ſect. 2.* concedunt confeſſionem poſſe dimidiari in multis caſibus, & præſertim ad vitandum ſcandalum, docentque non licerè peccatori accedere ad communionem, niſi præmiſſa confeſſione, aut contritione in aliquibus caſibus: in præſenti autem caſu nequit Religioſus cauere ſcandalum, niſi communicando; & cum credat ſe habere ſolum attritionem, tenetur præmittere confeſſionē, ne alioqui nouum committat peccatum; ergò licitè poterit dimidiare confeſſionem.

Quòd ſi hìc obiter quæras, an Religioſus copiâ Confeſſarij non habens, vrgente neceſſitate, poſſit celebrare, non præmiſſa Sacramentali confeſſione peccatorum mortalium, quibus irretitus eſt.

65 ℞. Poſſe, ſed cum obligatione quàm primùm confitendi eo modo, quo dicemus in *tr. de priuileg. c. 2. ſect. 2. q. 17.* Solùm hìc moneo ex *Cardinali de Lugo D. 14. de Euchar. num.* 158. quòd, cùm dictio *quàm primùm* non habeat determinatam ſignificationem, ſed ex diuerſitate materiæ, & ex circumſtantijs concurrentibus iudicandum ſit, quando aliquid dicatur factum quàm primùm: ſic in præſenti caſu totum hoc relinquitur prudentis viri arbitrio, qui ex materia huius præcepti, eius fine, & alijs circumſtantijs iudicare debet, quæ dilatio ei opponatur, vel non opponatur. quamquam regulariter cenſeri non debeat dilatio grauis, quæ non excedit triduum; modò Sacerdos ante finem tridui nō habet neceſſitatem celebrandi iterum, vel poſteà per plures dies non ſit habiturus copiam Confeſſarij, ideoque dilaturus per plures dies confeſſionem.

QVÆRES XXXIV. Qualiter debeat Confeſſarius procedere cum Religioſis ſcrupuloſis, & quibus remedijs poſſit ei conſulere.

66 ℞. Poſſe conſulere ſequentibus remedijs: primò illi præcipiendo, vt operetur contrà ſcrupulos, *Filliucius tr. 2. nu. 176.* & alij: 2. ei ſuadendo, quòd, cùm ſcrupuloſis ſit conceſſum priuilegium, vt eorum dubia ſemper interpretentur in meliorem partem, numquam iudicent eſſe peccatum m. aut ſe conſenſiſſe tentationi, niſi id certò deprehendant, ita vt iurare poſſint, & quidem abſque vlla indagatione: *Sanch. l. 1. mor. cap. 10. n. 8. Vaſq. 1. 2. D. 67. c. 2.* alijq; Imò addit *Breſſerus l. 6. de conſcientia c. 5. nu. 49.* ſcrupuloſos, etſi putent tam certò aliquid eſſe peccatum, vt auderent illud iurare, poſſe nihilominus, imò debere credere Confeſſario contrarium aſſerenti: 3. vt vnicum habeant Confeſſarium, cui totam animam ſuam committant, non autem recurrant, & conſulant varios; ſi enim conſulant varios, inquit *Breſſerus ſup. num. 42.* varijs, ac diſparatis, ac fortè etiam contrarijs conſilijs variorum magis turbabitur conſcientiæ quies; vt ſolet turbari ſanitas corporis varijs variorum medicorum medicamentis: 4. hòc ipsò quòd ſcrupuloſi dubitant de re aliqua, ſiue ſtrictè, ſiue latè, ſiue negatiuè, ſiue poſitiuè; debere illud explodere, & contemnere tanquam ſcrupulum; *Breſſerus n. 46. ex Azorio, Vaſq. Sanch. Granado, Medina, ac Filliuccius* id inde probans, quòd ſcrupuloſi hòc ipsò quòd ſolent dubitare, etiam de rebus clariſſimis, & credunt ſe reperire culpam mortalem, vbi verè nulla adeſt vmbra culpæ, vel eius periculum; intolerabile ipſis eſſet, imò impoſſibile practice habere pro peccato, quidquid ſolùm dubiè ijs proponitur tanquam malum: prætet quàm quòd ſcrupuloſo exiſtente ita propenſo ad iudicanda quælibet mala, non ſubeſt morale periculum, ne aliquid verè ſit malum graue, quod ab

eo certiſſimè non credatur tale. Accedit ipſam dubitationem, an aliquid voluerit ſcrupuloſus, dixerit, aut fecerit; magnum indicium eſſe (ait *Breſſerus ſuprà c.9.num. 96.*) imperfectæ deliberationis: cum perfecta deliberatio ſoleat relinquere ſui memoriam aliter, quàm imperfecta cogitatio, aut imaginatio neceſſaria 5. proponantur ſcrupuloſo plurima, & grauiſſima mala tam temporalia, quam ſpiritualia, quæ oriuntur ex ſcrupulis, eique certo imminent, niſi reſipiſcat: cum alioqui fideles ad materialem integritatem confeſſionis non teneantur cum tanto ſuo damno, & cum probabili periculo perpetuò hærendi; ſicque interdum difficultates longè minores ab ea excuſent, teſte *Coninchs D.7.de ſacr.num.57.* & *Laym.l.1.tr.1.c.6.nu.2.* præterquam quod ſcrupuloſus, quantumuis non confiteatur peccatum aliquod, vel aliquam eius circumſtantiam neceſſariam (de quibus ei certò non conſtet), ab ijs coram Deo indirectè abſoluitur, nec ea ipſi ex conſilio Confeſſarij manenti quò ad illa in bona fide, vllo modo imputabuntur a Deo, ſicque eſt tutus in conſcientia, ac ſi ea verè fuiſſet confeſſus 6. perſuadeatur ſcrupuloſo, vt, cum primum ſuboritur ſcrupulus, ſtatim prudenti aliqua ratione illum reijciat, non autem illum foueat cogitatione; certus, quod, ſi ſcrupulum deponat ad conſilium boni, & docti viri, excuſabitur à culpa, quantumuis Doctor erret; quod notat *Syluest. v. dubium num.4.* prohibeatur 7. ſcrupuloſus, ne ſit nimis anxius in examinanda conſcientia, ac inquirendo numero peccatorum; cum, teſte *Diana p.2. tract.17.reſol.47.* exceſſus in hac re ſit peccatum v. iuxta doctrinam illam generalem, quod in omni virtute poteſt peccari tàm ſecundùm exceſſum, quàm ſecundùm defectum: quod confirmat *Megala p.1.l.5.c.9. num.7.* dicens peccare illum, qui ob nimiam diligentiam in conſcientiæ examinare poſitam nimis angitur ſcrupulis 8. ſcrupuloſus aliorum bonorum virorum vitam ſumat pro regula viuendi; ſicque aſſueſcat intrepidè facere, aut dicere, id, quod ij faciunt, ac dicunt, *S. Antonin.p.1.tit.3.c.10.* §.10.*reg.6.* Exerceatur 9. ſcrupuloſus in eligenda parte minùs tuta, vbi ſunt opiniones vtrinque probabiles, eique ſuadeatur, ne angatur multum, eò quod non poſſit ſoluere rationes in contrarium occurrentes; cum ſufficiat ipſum ſtare conſilio ſui Confeſſarij, aut alterius viri docti, vt *Fillucius ſup. num.* 182. rectè aduertit. 10. ſcrupuloſus aſperioribus interdum repellatur verbis, eique præcipiatur, vt per vnam, aut alteram hebdomadam nulli omninò confiteatur, interim tamen communicans, aut (ſi eſt Sacerdos) celebrans debitis temporibus 11. excitetur ſcrupuloſus ad ſentiendum de Domino in bonitate, ſibique perſuadendum, quod, ſi Deus illum tot annos amicè ſecutus eſt, dum ipſe ei turpiſſimè terga vertebat, eique tot contulit beneficia, dum eſſet inimicus: multò magis benignum, ac propitium ſe ei modo exhibebit, dum contritus ad ipſum feſtinat veniam petiturus, ipſique ex corde impoſterum inſeruiturus 12. ſcrupuloſus, dum ſentit ſe acriùs angi ſcrupulis, coram Deo ſe humiliet repetens ſæpiùs cum Fratribus Ioſeph; *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum* 13. moneatur ſcrupuloſus, ne legat libros tractantes de modo confitendi, ac explicantes peccatorum ſpecies; quippe qui ſolent excitare maiores, ac plures ſcrupulos, vt notauit *Alphonſ. de Leone de offic. Confeſſ. recollect. 23. num. 19.* & confirmat quotidiana experientia 14. meminerit ſcrupuloſus quod, teſte *Sancio in ſelectis D.41.nu.18.* nullus (etiam non ſcrupuloſus) poſt mediocrem perquiſitionem adhibitam in diſcuſſione conſcientiæ ad confitendum tenetur vlterius cogitare de anteacta vita, &, ſi quid occurrat non fuiſſe explicatum in confeſſione, poteſt credere illud iam memoratum fuiſſe: & hoc etiam in morte, vt aduertit *Diana p.2.tr.13. reſol.9.*

Moueatur denique ſcrupuloſus quod, quamuis in vltima infirmitate immediatè mortem præcedente inſurrexerit grauis ſcrupulus, num integrè confeſſus ſit numerum, ac ſpecies peccatorum, aliaque præſtiterit, à quibus modo ex conſilio confeſſarij ſtudet animum auertere, ne foueat ſcrupulos: non ideo tenebitur tunc repetere confeſſiones illas, de quarum validitate dubitat; (idque quantumuis dubium ipſi videretur probabile) ſed ſufficiet illum in genere confiteri omnia ſua peccata, ſub his comprehendendo etiam illa, de quibus dubitat, an bene confeſſus ſit; elicito actu doloris ex motiuo vniuerſali (nimirum ex amore Dei, aut ex metu gehennæ) ſic enim omnia ſua peccata, etiam ea, de quibus dubitat, ſaltem indirectè remittentur ſacramentaliter, etſi aliàs verè non fuiſſent remiſſa: nec tunc temporis tenetur ad diſtinctiorem dictorum peccatorum confeſſionem cum manifeſto periculo aggrauandi infirmitatem corporis, & magis, ac magis inquietandi conſcientiam; cum alioqui cauſæ multo leuiores excuſent à materiali integritate confeſſionis; quæ ſola deeſſet in præſenti caſu. Quo dato tanquam certiſſimo, poteſt ſcrupuloſus in vita quietè viuere, reiectis ſcrupulis inſurgentibus iuxta præſcriptum confeſſarij; certus ſe in morte modo dicto poſſe conſulere ſuæ conſcientiæ abſque moleſtia repetendi confeſſiones: quod item præſtare poteſt in qualibet alia confeſſione, ſi in fine ſe accuſet de omnibus, & ſingulis peccatis totius vitæ, dolens de ijs ex motiuo vniuerſali, ſicut diximus: eſt enim par ratio in vtroque caſu, vt patet. Et hoc remedium puto fore vtiliſſimum ſcrupuloſo, ſi vim illius benè perceperit: ſicque omninò curandùm eſt, vt illud ſpeculatiuè, & multò magis practice intelligat.

SECTIO II.

De obligatione Regularium quo ad vſum Sacramenti Euchariſtiæ.

67 *Regulares ex triplici iure teneantur ſumere Euchariſtiam.*

68 *Communio Euchariſtica non eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij ſiue in re, ſiue in voto, etiam quò ad adultos.*

69 *Iure*

69 *Iure diuino ſumenda in mortis articulo.*

70 *Limita, niſi paucis ante diebus ſumpta ſit.*

71 *Qui communicauit in Paſchate, iterum debet communicare in mortis articulo.*

72 *Et quidem ſub ſpeciebus vini, ſi nequeat deglutire hoſtiam conſecratam.*

73 *Item ſumi debet communio aliquot alijs vicibus in vita.*

74 *Omnes, etiam Regulares in Paſchate communicant ex præcepto Eccleſiæ.*

75 *Declaratur, quid veniat hîc nomine Paſchatis.*

76 *Implent hoc præceptum communicantes de manu alieni Sacerdotis, ſi id faciant de licentia proprij Prælati; ſin minus expreſſa, ſaltem tacita: quæ præſumi poſſet in caſu, quo Parochus ſuo parochiano neget communionem Paſchalem, ſed non ſemper.*

77 *Tacita enim ſufficit in hoc caſu, non item ad audiendas confeſſiones.*

78 *Excommunicantur Religioſi indebitè miniſtrantes Communionem paſchalem.*

79 *Non communicantes tempore paſchali tenentur communicare poſtea; quod alij negant.*

80 *Dato autem quod teneantur, ſufficit illos communicare ante finem anni.*

81 *Præuidens fore, vt non poſſit communicare in Paſchate, præuenit, ſed non ſemper: & , ſi poſtea in paſchate ceſſet impedimentum, tunc iterum communicandum eſt.*

82 *Communicans in paſchate cum conſcientia peccati mortalis implet præceptum.*

83 *Idque procedit de excommunicato, aut interdicto tunc communicantibus, & ſi peccent.*

84 *Ad implendum hoc præceptum ſibi poteſt Sacerdos dare Communionem laicalem, ſi aliàs non poſſit implere.*

85 *Et per talem Communionem implet hoc præceptum.*

86 *Imò in caſu propoſito tenetur ſibi dare Communionem: non item Diaconus.*

87 *Communicans per modum Viatici feria 2. hebdomadæ ſanctæ, ſi iudicio Medicorum moriturus intra tempus paſchale pluribus diebus ſuperuiuat poſt ſumptum Viaticum non tenetur iterum communicare ad implendum hoc præceptum.*

88 *Non implens hoc præceptum nullam ipſo facto incurrit pœnam de iure communi.*

89 *Regulares iure communi ſemel tantùm in anno tenentur communicare; & Monachi ipſi, de quibus ſolis loquitur Clementina* Ne in agro, *vt illius non tenentur communicare prima Dominica menſis, ſi ſint extrà monaſterium.*

90 *Iure vero proprio debent cõmmunicare ea frequentia, quæ præſcribitur in Regula.*

91 *Communio eucharistica ijs prohiberi poteſt in pœnam.*

92 *Illis miniſtranda a proprio Prælato, etiam cum periculo vitæ.*

93 *Neganda Religioſo Apoſtatæ (ſed non ſemper)*

94 *Secùs, ſi ſit emendatus, & de hoc conſtet per publicam ſatisfactionem, aut aliter.*

95 *Quod ſi non conſtet illum eſſe emendatum, non ſemper ei neganda communio.*

96 *Concedenda Communio Religioſis amentibus, ſed non in omni euentu.*

97 *Et quidem in articulo mortis, & ſi tunc non habeant lucida interualla, modò non ſit periculum vomitus, aut irreuerentiæ.*

98 *Regulares communicare poſſunt, etiam in mari.*

99 *Communicanti ex deuotione dari poteſt pars hoſtiæ ſumenda à celebrante Miſſam, ſi non ſit periculum ſcandali.*

100 *Sacerdos, ſi celebrat media nocte in Natiuitate Domini, mane ſequenti nequit ſumere communionem laicalem, ſi nolit celebrare.*

101 *Regulares in infirmitate laudabiliter communicant frequentius.*

102 *In periculo mortis communicant, & ſi patiantur vomitum, ſed non ſemper.*

103 *Ad Communionem eucharisticam requiritur ſtatus gratiæ; præterquam in caſu aliquo raro, qui affertur ex Vaſquez & Cardinali de Lugo.*

104 *Celebrans præmiſſa confeſſione, ſi recordetur alicuius mortalis obliti, dum celebrat, non tenetur de nouo confiteri.*

105 *Is tamen, ſi poſſet commodè confiteri, teneretur; quod alij negant.*

106 *In communicante non exigitur actualis deuotio, vt acquirat augmentum gratiæ ex opere operato.*

107 *Grandis fructus Communionis reputatur perſeuerare in gratia.*

108 *In aliquo caſu communicans nec gratiam recipit, nec de nouo peccat.*

109 *Effectum communionis eucharisticæ nõ impediunt peccata venialia.*

110 *Communicans in peccato veniali peccat venialiter: quod alij negant.*

111 *Communicans ſub vtraque ſpecie non recipit plus gratiæ, per ſe loquendo.*

112 *Secus, ſi, ſumpta hoſtia, melius ſe diſponat ante ſumptionem Calicis.*

113 *Celebrans recipit gratiam, ſi, ſumpta hoſtia in peccato mortali, conteratur, & contritus ſumat Calicem.*

114 *Per ſe loquendo, non recipit plus gratiæ, qui plures, aut grandiores hoſtias recipit.*

115 *Communicans ſub vnica ſpecie poteſt plus gratiæ recipere, quam communicans ſub vtraque.*

116 *Per communionem eucharisticam delentur venialia, etiam immediatè.*

117 *Imo in aliquo caſu deletur peccatum mortale, & confertur prima gratia.*

QVÆRES I. Quotuplici iure Regulares teneantur communicare.

67 ℞. Teneri triplici iure; nempe diuino, eccleſiaſtico, & regulari. Et quidem, quòd teneantur iure diuino, patet tum ex *Ioan.* 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; tum ex Lucæ 22. & 1. *Cor.* 11. *Hoc facite in meam commemorationem*: in quibus fertur præceptum communionis ſacramentalis non pertinens ad ſolos Apoſtolos, qui iam communicauerant (vt colligitur ex eo quòd Chriſtus dicturus *hoc facite in meam commemorationem*, priùs præmiſit verba illa *Accipite, & comedite*) ſed ad vniuerſam Eccleſiam in ijs repræſentatam: vnde *Concilium Trident. ſeſ.* 13. *c.* 2. ait: *Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque* annun-

annunciare mortem. Quòd autem Regulares teneantur communicare ex præcepto Eccleſiaſtico, probatur ex *cap. omnis vtriuſque ſexus de pænit. & remiſſ.* quod ſic habet, *Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur ſuſcipiens reuerenter ad minùs in paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. alioqui & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura*. Quòd denique teneantur ex ſtatuto regulari, colligi debet ex peculiaribus ſtatutis cuiuslibet Ordinis; quæ proinde conſulenda ſunt ad cognoſcendum, quæ, & qualis obligatio quo ad hoc imponatur in vnoquoque Ordine. Certè, quod ſpectat ad obligationem de iure diuino, & Eccleſiaſtico, indubitatum eſt illam extendi ad Regulares; cùm verba ſint generalia, ideoque generaliter intelligi debeant, nec adſit ratio excludendi illos ab obligationibus adſtringentibus oēs fideles.

Quod ſi hìc obiter quæras, an Euchariſtia ſit neceſſaria ad ſalutem, etiam neceſſitate medij, ſiue in re, ſiue in voto, loquendo de adultis.

68 ℞. Non eſſe; & probatur quia Euchariſtia eatenus poteſt dici medium neceſſarium ad ſalutem, quatenus eſt medium neceſſarium ad primam gratiam, aut certè ad perſeuerandum in illa; at ex neutro capite eſt medium neceſſarium; ergò ex nullo capite. Et quidem quòd non ſit medium neceſſarium in re, vel in voto ad primam gratiam, probatur, quia ad hoc vt dicatur medium neceſſarium modo dicto, requiritur vt poſitiuè, & per ſe conducat ad primam gratiam: quod ipſa non præſtat, cùm ad ſummum per accidens primam gratiam conferat; vt patet in attrito bona fide communicante, qui iuxtà aliquos Doctores iuſtificatur vi Sacramenti. Quod verò Euchariſtia non ſit medium neceſſarium ad perſeuerandum in gratia probatur, quia ſiue per eiuſmodi perſeuerantiam intelligatur diuturna conſeruatio gratiæ per longum tempus ſine peccato .m. ſiue mori in gratia; Euchariſtia ex nullo horum capitum eſt neceſſaria neceſſitate medij; non primo, cùm perſeuerare in gratia longo tempore non ſit medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, vt conſtat ex eo quòd poteſt contingere hominem breui poſt primam iuſtificationem mori: quo modo non egeret diuturna gratiæ conſeruatione ad ſalutem: non ſecundo, quia ſi mori in gratia eſſet infallibilis effectus conſequens Euchariſtiam dignè ſumptam, hoc ipſo quod quis dignè communicaret, eſſet infallibiliter prædeſtinatus, vt pote qui infallibiliter moreretur in gratia, id operante infallibiliter diuina protectione ipſi debita ad dignam Euchariſtiæ ſuſceptionem: aliàs, ſi adhuc poſſet mori in peccato m. iam effectus moriendi in gratia non haberetur ex diuina promiſſione, ſed ex liberalitate, cùm alioqui effectus Sacramentorum ipſis alligentur ex diuina promiſſione in illis contenta, adeò que ſint infallibiles; nemo autem dicet fideles hoc ipſo quod dignè communicant, eſſe prædeſtinatos vt patet. eſt communior DD. ſententia cum *S. Thoma p. 3. q. 65. a. 4.* apud *Cardinalem de Lugo D. 3. de Euchar. num. 35.* contrà *Henriquez Nugnum, Pitigianū*, & alios relatos à *Bonacina D. 4. de Sacr. q. 1. p. 3. nu. 1. Suare. D. 40. de Sacram. ſect. 2. Fagundez præc. 3. Eccl. l. 1. c. 3. n. 4.*

QVÆRES II. In quibus caſibus Regulares teneantur de iure diuino ad communionem Euchariſticam.

69 ℞. Teneri in articulo mortis, etiam violentę, & publica auctoritate iuſtitiæ factæ: & hoc, ſiue nunquam aliàs in vita communicauerint (alioqui non poſſent vnquam implere præceptum diuinum Communionis) ſiue etiam ſæpè in vita communicauerint. ita *Conincus de Sacram. q. 80. a. 11. d. 3. ex Valentia, Durando, Gabriele, Soto, & Suarez* contrà *Victoriam v. Euchariſtia nu. 86.* ſuſtinentem ſufficere, quòd homo ſemel communicet in vita, vt ſatisfiat præcisè diuino præcepto: & probatur, tum ex magna cura Eccleſiæ, ne vllus, etiam excommunicatus, ſi pænitentiam egerit, moriatur ſine viatico: vnde *Concilium Nicenum I.* dicit antiquam legem obſeruandam eſſe, ne aliquis ſine neceſſario viatico decedat: vbi abſolutè vocat viaticum neceſſarium; tum quia maximè expedit fideles morientes ſigno aliquo externo teſtari ſe eſſe, ac mori in communione catholica; cùm aliàs ad huiuſmodi communionem faciendam, ac declarandam Chriſtus inſtituerit euchariſticam cōmunionem; tum quia quęlibet res pręcepta videtur in primis pręcepta pro eo tempore, quo vſus illius eſt maximè neceſſarius ad obtinendum finem pręcepti; at ſi vnquam fideles debent ſe coniungere Deo, & ſe tueri contrà hoſtes, pręſertim ad hoc tenentur in articulo mortis; ergò, cùm communio ad hunc finem ſit pręcepta, tunc pręcipuè erit pręcepta.

70 Verum quidem eſt, quòd ſi Religioſus 8. aut 10. diebus ante mortem communicaſſet, in rigore non teneretur iterum communicare; cùm illa communio cenſeretur facta inſtante morte, adeoque habere rationem Viatici; & parùm referat, quod tunc ille de hoc non cogitauerit; nam poſſumus ſatisfacere obligationi, quam ignoramus: vt patet in eo, qui audit miſſam ignorans eſſe diem feſtum. Imò *Diana p. 5. tr. 3. reſol. 33.* cum *Hurtado, Turriano, Ochagauia, & Kelliſonio* contrà plurimos alios ab ipſo relatos docet illum, qui mane celebrauit, poſſe non ieiunum communicare per modum Viatici, imò & teneri, ſi contingat illum eadem die incurrere morbum periculoſum (quod nos negamus quo ad eam partem, quę ſupponit eum teneri) & probat *Diana* his verbis: *Hæc obligatio* (ſcilicèt ſumendi eucharìſtiam per modum Viatici) *eſt propria illius temporis, quo adeſt tale præceptum, nec orta fuerat, quamdiu non extabat periculum; ergò illis ſatisfacere non potuit per communionem priùs factam: ſicut è contrà homo exiſtens in periculo mortis non communicat, ceſſante periculo non tenetur ampliùs communicare, eò quòd ceſſauerit obligatio.*

71 Dixi, *ſi Religioſus* 8. *vel* 10. *diebus ante communicaſſet*; non enim admitto, quod dicunt *Caietanus, Armilla, Sà, Ledeſma, Victoria, Suarez, & Tannerus* apud *Dianam ſup. reſol. 42.* communicantē in paſchate non teneri ſub mortali ſumere viaticū in articulo mortis contingente poſt multum tēpus; nā diſtincto pręcepto

cepto tenentur fideles communicare in eo articulo, ſicque non poſſunt ſatisfacere per communionem tantò priùs præcedentem, quæ non habet vllam rationem viatici; vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, & ſenſu communi fidelium, qui grauiter ſcandalizarentur, ſi tales in eo caſu non communicarent; cum conſuetudo, qua fit aliquid tanquam ex obligatione neceſſarium, vel ſupponat præceptum iam latum, vel ipſo vſu inducat.

Maior difficultas eſt, an Religioſus etiam laicus, ſi in articulo mortis non poſſit deglutire hoſtiam, poſſit communicare ſub ſpeciebus vini.

72 ℞. Ex *Diana ſup. reſol.* 34. pro ſe adducente *Ocbaganiam, & Nugnum* poſſe: & probatur, quia in illo articulo obligat præceptum diuinum communionis, quod debet præferri præcepto eccleſiaſtico prohibenti, ne laicalis communio fiat ſub ſpeciebus vini: Doctores autem dicunt communiter, concurrentibus duobus præceptis diuerſi ordinis præferri debere illud, quod eſt ſuperioris ordinis; quale in caſu iſto eſt præceptum diuinum, vt patet. ſic citati Doctores; quàm probabiliter, ipſi viderint; nam conſuetudo eſt in contrarium, & alij Doctores communiter contradicunt.

73 Addunt Doctores apud *Coninckum ſup. num.* 101. præter articulum mortis teneri fideles iure diuino aliquoties communicare in vita: & probant, quia Chriſtus præcepit nobis, vt Sacramentum hoc ſumamus per modum cibi; ac proinde, ſicut cibus corporalis ſumi debet ſæpiùs, eò quòd ſit opus ſępè reſtaurare vires corporis actione caloris naturalis debilitatas; ſic & neceſſaria eſt frequentatio cibi ſpiritualis, cùm vires animæ eatenus ratione concupiſcentiæ calore aſſiduè debilitentur. Contrarium tamen ſuſtinet *Fagundez ex præc.* 3. *Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 4. *numer.* 5. cum *Henriquez lib.* 8. *cap.* 5. *numer.* 3. & non improbabiliter, aſſerens per rationem allatam non probari intentum, poſtquàm Eccleſia determinauit tempus paſchale ad annuam communionem fidelium; cùm ſic ipſa declarauerit, quodnam ſit tempus illud, quo fideles extrà mortis articulum tenentur de iure diuino ad communionem. quod idem docet *Bonacina D.* 4. *de Sacrament. qu.* 7. *p. prim. numer.* 9. *ex Suarez*, *Valentia*, *Reginaldo*, & alijs addens iuxtà aliquos Doctores quod, ſi ſecluſa determinatione Eccleſiæ aliquis ſpatio 3. aut 4. annorum differret communionem, pręſumeretur nimis differre executionem pręcepti diuini de communicando, & conſequenter violare dictum pręceptum peccando mortaliter; cùm ſit pręceptum de re grauiſſima, & grauitas materię pręceptę indicet grauitatem tranſgreſſionis.

QVÆRES III. An, & quo modo Regulares, etiam Sacerdotes obligentur pręcepto Eccleſię de communicando in paſchate.

74 ℞. Obligari, cùm *in cap. omnis vtriuſque ſexus ſuprà citato* locutio ſit vniuerſalis, ideoque includat etiam Religioſos, vtpote comprehenſos ſub nomine fidelium, qui omnes fideles vtique includuntur in *dicto cap.* Vnde ait *Suarez D.* 69. *de Sacrament. ſect.* 1. nullum fidelium, cuiuſcumque ſtatus exiſtat, eximi ab obligatione huius pręcepti. Quamquam, quod ſpectat ad Religioſos Sacerdotes, dicit *Fagundez ſup. cap.* 6. *num.* 12. illos ſufficienter implere hoc præceptum, ſi in aliqua miſſa illarum, quas dicunt in Paſchate, communicent pro intentione, ac impletione dicti præcepti ſiue formali, ſiue virtuali iuxtà conſuetudinem communem, quæ ſic in Sacerdotibus laicis præfati præcepti obligationem interpretatur, vt paſſim videmus; additque ad habendam virtualem illam applicationem ſufficere, quod non habeant intentionem contrariam.

75 Addo hìc nomine *Paſchatis* non venire ſolùm dominicam Reſurrectionis cum duobus diebus ſequentibus, ſed tempus dierum quindecim intercedentium à dominica Palmarum vſque ad dominicam in Albis incluſiuè: idque ita declarante vſu ex decreto Eugenij IV. vt refert *Nauarrus cap.* 21. *num.* 45. & cum illo *Suarez ſup.* monens, quòd ſi alicubi inducta eſſet conſuetudo illud tempus extendendi, etiam vlteriùs (ſicut dicunt inductam eſſe Mediolani, vt qualibet die Quadrageſimæ communicando impleatur hoc præceptum) vtique ſufficeret illam ſeruare: quæ extenſio, cùm ſit fauorabilis, non video cur Religioſi Mediolani degentes non poſſint ea vti: aliàs enim eſſent deterioris conditionis, quàm laici, vt patet. Quocumque ergò horum dierum communicent religioſi, dicuntur communicare in Paſchate, ideoque implent præceptum Eccleſiaſticum præbens Paſchalem communionem; ſecùs, ſi non communicent intra illos dies; cùm verba legis limitent communionem ad illud tempus, & communio facta extrà hoc tempus non ſit ea, quæ tunc præcipitur ab Eccleſia, ſed alia, ideòque non impletiua præfati præcepti, vt *ſect. præced. q.* 1. & 3. diximus de confeſſione annua.

QVÆRES IV. An Regulares impleant præceptum Eccleſiaſticum cõmunionis paſchalis, ſi extrà propriam Eccleſiam communicent de manu alieni Sacerdotis, ſiue ſæcularis, ſiue regularis.

76 ℞. Implere, ſi id faciant de licentia, ſaltem tacita, ac interpretatiua proprij Prælati regularis, ſecus ſi id faciant ſine tali licentia. ratio eſt, quòd quantùm ſpectat ad implendum præceptum Communionis paſchalis, ſicut ſe habent ſæculares reſpectu proprij Parochi, ita ſe habent Regulares reſpectu proprij Prælati; ergò ſicut ſæculares communicantes in paſchate de manu alieni Sacerdotis, & in aliena parœcia non implent præceptum, ſi id faciant abſque licentia proprij Parochi, ſaltem tacita; implent verò, ſi id faciant cum dicta licentia: ſic Regulares in Paſchate communicantes de manu alieni Sacerdotis, & in aliena Eccleſia, ſi id faciant ſine licentia Prælati regularis, ſaltem interpretatiua non implebunt præceptum paſchalis communionis; implebunt verò, ſi id faciant cum dicta licentia: eſt enim par ratio in vtroque caſu, ideòque par debet eſſe iuris diſpoſitio. Diſcurſus autem iſte fundatur in eo, quòd in citato *cap. omnis* ſtatutũ eſt, vt quilibet fidelis à proprio Sacerdote corpus

Domini in paſchate recipiat, & conſequenter in propria paræcia; Regulares verò pro paræcia habent propriam eccleſiam, & pro Parocho Prælatũ regularem. vnde fit, vt, ſicut ſæculares non ſatisfaciunt præcepto eccleſiaſtico de communicando in paſchate, niſi communicent in propria paræcia de manu proprij Parochi; ſic nec ſatisfaciant Regulares, niſi communicent in propria eccleſia de manu proprij Prælati, aut alterius de illius licentia. Dixi *Regulares non Sacerdotes*, quia puto conſuetudine inductum fuiſſe, vt Regulares Sacerdotes ſatisfaciant præcepto communionis paſchalis, celebrando in quacumque eccleſia tempore paſchali animo implendum præceptum Cõmunionis paſch.

Licentiam autem tacitam puto in hac re poſſe præſumi, ſi Parochus ſemel, & bis requiſitus à ſuo parochiano, vt ipſi miniſtret Communionem paſchalem, ſemper neget ei illam tunc præbere; eo quod iis diebus, quibus requiritur, ea non ſolet dari; etſi ſint intra tempus paſchale; ſi quidem neget, eò quod ipſi ſit incommodum, & de hoc conſtet parochiano: ſecùs, ſi neget, eò quod parochianus ſit publicus peccator, & indignus. Ducor, quod in priori caſu Parochus prudenter præſumitur conſentire, vt parochianus de manu alterius Sacerdotis communicet. non item in poſteriori: ſicque interrogatus reſpondi.

77 Dixi *præterea de licentia ſaltem tacita*, ac interpretatiua, vt notetur diſcrimen inter adminiſtrationẽ Sacramenti Pœnitentiæ, & adminiſtrationem Sacramenti Euchariſtiæ: quòd ad illius miniſtrationẽ requiritur licentia expreſſa proprij Sacerdotis, itaut ſine illa extrà neceſſitatem extremam illicitè, & inualidè miniſtretur: ad miniſtrandam verò Euchariſtiam ſufficit licentia interpretatiua, & ſufficit ratihabitio conſenſus poſteà præſtandi: in Sacramento enim Pœnitentiæ requiritur licentia, & iuriſdictio ad valorem actus; in Sacramento autem Euchariſtiæ ſolum, ad debitum modum, ac ordinem ſeruandum, ne turbetur pax communis, aut contrà Paſtorum voluntatem talis iuriſdictio vſurpetur. ita *Rodriq. to. 1. q. 56. a. 3.* & alij.

Quòd ſi quæras an Regulares incurrant excommunicationem ipſo facto lata in *Clem. religioſi de priuil.* & reſeruatam Papæ, ſi indebitè euchariſtiam miniſtrent Religioſis alterius Ordinis in paſchate.

78 ℞. Non incurrere, cùm in citata *Clem.* comprehendantur ſolùm Religioſi miniſtrantes Euchariſtiam ſæcularibus Clericis, aut laicis, nulla mentione facta de iis, qui miniſtrant Religioſis alterius Ordinis: dicitur enim ibi *Religioſi, qui Clericis, aut laicis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare præſumpſerint.* vnde, cùm in pœnis fieri non debeat extenſio, extendi debet hęc cenſura ſolùm ad caſus expreſſos; vt aduertit *Fagundez ſup. l. 3. c. 2. n. 14. ex Suarez, Nauarro, & Henriq.* addens quòd, cùm in illa *Clementina* ſupponatur pręſumptio (vt colligitur ex verbo *præſumpſerint*) hanc cenſuram non incurrent Religioſi, qui Euchariſtiam indebitè miniſtrarent laicis bona fide, ex ignorantia, aut ratihabitione probabiliter pręſumpta.

QVÆRES. V. An Regulares non implentes tempore debito pręceptum Communionis paſchalis ob negligentiam, aut iuſtum impedimentũ, teneantur poſtea communicare quàm primùm.

79 ℞. Teneri: quamuis *Diana p. 3. tr. 4. reſol. 41.* cũ *Soto, Sylu. Tabiena, S. Antonino, Valent. Armilla, Medina, Vict. Ledeſma, Io. de la Cruz, Toleto, & Sà* contrarium putet eſſe probabile (non renuente *Fagundez ſup. l. 1. c. 6. nu. 1.*) ea ductus ratione, quod obligatio limitata ad certum tempus, elapſo tali tempore, ceſſat *cap. ſicut de ſponſal.* & alioqui *c. Omnis* ſępiùs allato pręcipitur, vt communio fiat tempore paſchę, adeoque videtur illa alligari tempori paſchali, itaut, eo elapſo, ceſſet talis obligatio. Probatur autem reſpõſio, quam admittunt *Suarez, Coninchus, Laym. Fagund. Vaſq.* & alij apud *Dianam*, tum quia in citato *cap. Omnis* dicitur *ſemel ſaltem in anno confiteatur ſuſcipiens ad minùs in paſcha Euchariſtiæ Sacramentum*; vbi verba *ſaltem*, & *ad minùs* indicant ſimul prohiberi minorem frequentationem communionis, & pręcipi ad minùs annuam: tum quia Eccleſia, exigente fidelium negligentia, debuit determinare tempus implendi pręceptum diuinum cõmunionis, in quo non fuerat priùs vllum tempus vniuerſaliter determinatum; in hoc autem defeciſſet Eccleſia, ſi illum, qui in paſchate non communicat, liberum reliquiſſet; nam tunc multi ob impotentiam excuſarentur. Vnde, cùm pręceptum diuinum non reſpiceret venerationem, & cultum Paſchatis, ſed debitam frequentiam Euchariſtię, hanc debuit Eccleſia primo loco, & principaliter pręcipere, & prohibere infrequentiam, obiter pręcipiendo venerationem feſtiuitatis paſchalis.

An verò, ſtante hac ſententia, non communicans tempore pręſcripto peccet, & quàm primùm teneatur communicare.

80 ℞. *Cardinalis de Lugo D. 16. de Euchar. n. 69.* non peccare, ſed poſſe communionem differre vſque ad finem anni: probatque quia in noſtro caſu poſſunt diſtingui duo pręcepta, quorũ alterũ eſt communicandi in paſchate, quod ex hypoteſi ampliùs non obligat, imò non põt ampliùs obſeruari; alterũ eſt communicandi ſemel in anno, quod quidem obligat, ſed non aſtringit ad cõmunicandũ potiùs hoc menſe, quã alio, ſed ad communicandum ſemel in anno: vnde non manet obligatio cõmunicandi ſtatim poſt Paſcha, ſed ſolùm communicandi ante finẽ anni: ac proinde, ſicut obligatus ad communicandũ ſingulis hebdomadis ſatisfacit communicãdo intra illos 7. dies, quocũq; die id faciat; ſic obligatus cõmunicare ſemel in anno, quantũ eſt ex vi talis præcepti, ſatisfaciet, cõmunicãdo ĩtra annũ, quocũq; mẽſe id faciat.

QVÆRES VI. An Regulares prævidentes fore, vt ex iuſto impedimento non poſſint cõmunicare in Paſchate, teneantur communicare ante Paſcha, præueniendo tempus.

81 ℞. Quòd, cùm iuxta dicta *q. præcedenti* in præcepto communicandi in Paſchate virtualiter extent duo pręcepta, alterũ ſemel cõmunicandi in anno, & alterũ cõmunicandi in Paſchate; ad implendũ quidẽ hoc poſterius pręceptũ nõ eſt obligatio anticipãdi cõmunionem (ſicut nõ tenemur anticipare Officiũ diuinũ, ſi cras nõ poſſimus recitare) imò nec ea anticipatio deſeruiret ad implendũ præceptũ, vt patet: ad implendũ verò prius ꝓceptũ debet pręueniri com-

communio (ſi præuideatur impedimentum duraturum per totum annum) ſicut debet præuenire, qui ſub mortali tenetur recitare officium intrà hūc diem, & ſub veniali pro tali hora, ſi præuideat impedimentum futurum tali hora, & toto tempore ſequenti: eſt enim paritas in præſenti caſu, vt patet. Dixiſſi *præuideatur īpedimētū duraturū per totū annū*, vt indicarem, quòd cùm obligatio anticipandi communionem oriatur ſolùm ex præcepto communicandi intrà annum, eique ſatisfiat, communicando duobus, aut tribus menſibus poſt Paſcha, modo id fiat ante finem anni; non poteſt vrgere obligatio anticipandi, niſi in caſu, quo præuideatur impedimentum duraturum eſſe per totum annum; nam tunc deberet obſeruari in principio anni, non ſecùs ac qui præuidet ſe non auditurum miſſam horis ſequentibus, debet illam audire prima hora ad implendum præceptum. ita *Card. de Lugo ſup. nu.* 75. & 76. & quidem ingenioſè; cùm alij ſimpliciter negêt in propoſito caſu debere anticipari communionem vt *Suar. ſup. D.* c 70. *ſect.* 2. *Azorius, Nauar. Sylu. Maior, Sotus, Durand. Bonau. & Gabriel.* apud *Fagund. ſup. n.* 3. alij abſolutè affirment, vt *Vaſquez, Syluus, Nugnus, & Fagund.* apud *Cardinalem de Lugo n.* 75. qui n. 77. contrà *Dianam p.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 42. notat illum, qui modo dicto ob futurum impedimentum in paſchate, bona fide anticipauit communionem, teneri communicare iterum in paſchate, ſi tunc ceſſet impedimentum: probatque quia iuxtà doctrinam datam communio illa non fuit ad implendum præceptum communionis paſchalis, ſed ad ſatisfaciendum præcepto annuæ communionis; cui vtique ſatisfactum eſt, manente adhuc obligatione præcepti de communicando in paſchate.

QVÆRES VII. An Religioſus, qui ſcienter, aut ignoranter communicauit in paſchate in peccato, impleat præceptum Eccleſiæ, itaut eodem anno non teneatur iterum communicare.

82 ℞. Satisfacere; & probatur, quia præcepta non obligant ad finem, ſed ad ſubſtantiam præcepti; ac proinde, cùm Eccleſia in hoc præcepto ſolùm præcipiat, vt fideles ſuſcipiant Euchariſtiam; ſequitur illum, qui verè recipit Sacramentum Euchariſtiæ, verè implere præceptum, etſi non obtineat fructus, & effectus ab Eccleſia intentos: quippequi recipit ſacrilegè, & cum nouo peccato. ita *Fagund. ſup. c.* 6. *n.* 4. cum *Azorio, Lopez, Medina, Vega, Soto, Conaru. & Corduba* contrà *Durandum, Capreolum, Nugnum, Syluestrum*, & alios penes *Cardinalem de Lugo ſup. n.* 83. qui *D.* 16. *nu.* 44. obſeruat illum, qui in ſtatu peccati ſuſcipit viaticum in articulo mortis, implere diuinum præceptum de ſumendo viatico; cùm tale præceptum item non obliget ad finem (qui eſt corroborare hominem per gratiam Sacramenti in illo articulo; qui finis vtrique non obtinetur ab indignè communicante) ſed ad opus, nempe ad communionem, quæ in iſto caſu fit.

83 Addit *Azorius p.* 1. *l.* 7. *c.* 41. *qu.* 12. ob adductam rationem excommunicatum, ac interdictum, ſi cōmunicent in paſchate, implere præceptū Eccleſiæ, etſi aliàs peccent contrà ius diuinum, & naturale præcipiens, vt ſancta ſanctè tractentur; nec non contrà ius eccleſiaſticum ſpecialiter excludens excommunicatos, ac interdictos à Sacramentorum ſuſceptione.

QVÆRES VIII. An Regulares ad implendum præceptum eccleſiaſticum paſchalis communionis poſſint ſe ipſos communicare.

84 ℞. Videri poſſe, ſi ſint Sacerdotes, & tunc non poſſint celebrare, non adſit alius Sacerdos, à quo ſumant Euchariſtiam, & abſit ſcandalum. ita *Card. de Lugo ſup. D.* 18. *n* 28. *ex Suarez, Vaſq* & alijs relatis à *Diana p.* 3. *tr.* 4. *reſol.* 47. ſuſtinentibus Sacerdotem poſſe ſe ipſum communicare non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam cauſa deuotionis; ſi concurrant præſatæ conditiones, ſicut facilè concurrere poſſunt; vt maximè conſtat quo ad ſcandalum, quod vitare poterit Sacerdos, ſiue remotis arbitris ſe communicando, ſiue mouendo aſtantes, ne inde ſcandalizentur, cùm ſibi in caſu illo liceat communicare: vnde ſic arguo; Sacerdos poſitis illis cōditionib. poteſt ſe ipſū cōmunicare etiā ſolius deuotionis cauſa; ergo cùm eæ conditiones facilè poni poſſint, à fortiori poterit ſe cōmunicare ad implendū præceptum Eccleſiaſticum communionis; cū magis vrgeat obligatio præcepti, quā motio deuotionis.

85 Et quidem per talem communionem puto Religioſum Sacerdotem ſatisfacere præcepto Eccleſiaſtico communionis; cùm Doctores explicantes tale præceptum communiter concedant ad illud implendum ſufficere, quòd fideles communicent in paſchate, ſin minùs de proprij Paſtoris manu, ſaltem de illius licentia; & in noſtro caſu præſupponi poſſit rationabiliter licentia Prælati regularis, ſicque communio illa dici poſſit facta de licentia proprij Paſtoris, ac proinde cenſeri debeat ſufficiens ad implendum præceptum Eccleſiaſticum. Nec obſtat quod Sacerdos manu propria ſe communicans dici nō poſſit cōmunicare de manu proprij Parochi; ſicut præſcribitur in præcepto Eccleſiaſtico paſchalis communionis (cui ſupponunt Doctores ſubeſſe Sacerdotem non celebrantem; quatenùs loquentes de obligatione recipiendi Euchariſtiam in paſchate à proprio Paſtore, excipiunt nominatim Sacerdotes in aliena etiam Eccleſia tunc celebrantes; eò quòd præceptum non loquatur de ijs Sacerdotibus, qui celebrando communicant, ſed de ijs ſolùm, qui cōmunionem recipiunt de manu alteriùs; quod eſt dicere Sacerdotem extrà miſſam non poſſe communicare, niſi de manu proprij Paſtoris, aut de licentia illius, ſicque non poſſe communicare ſe ipſum) non obſtat, inquam, cum in tali caſu præſumi poſſit licentia interpretatiua proprij Prælati regularis, poſito quòd Sacerdos poſſit ſe ipſum communicare, ſicut verè poteſt, cum in miniſtratione Euchariſtiæ non requiratur diſtinctio inter miniſtrum, & illum, cui miniſtratur Sacramentum; vt patet in Sacerdote ſe ipſum communicante in miſſa: ſic que ſaluatur Sacerdotem communicare iuxtà rigorem præcepti Eccleſiaſtici, cùm ſe ipſum communicet de licentia proprij Paſtoris, ideſt Prælati regularis.

86 Imò exiſtimo Religioſū Sacerdotem in caſu propoſito teneri ſe ipſum communicare ex vi præcepti Eccleſiaſtici. Ducor; quòd cùm facultas ſe ipſum communicandi competēs Sacerdoti non ſit priuile-

 gium

gium propriè dictum, ſed quædam poteſtas ipſi competens ratione gradus Sacerdotalis; non poteſt nolle ea vti, iuxtà generalem doctrinam, quòd quilibet poteſt cedere iuri ſuo, & non vti gratia ſacta; ne alioqui quod in gratiam, & ſauorem conceſſum eſt, in damnum retorqueatur *reg. 60. de reg. iur. in 6.* ſed tenetur vti dicta poteſtate, per quam ſit habilis ad implendum præceptum Eccleſiæ, quod aliàs implerè non poſſet. præter quam quòd plurimi, & grauiſſimi Doctores in ſimilibus caſibus docent priuilegiatum teneri vti ſuo priuilegio: vt patet in habente priuilegium audiendi Miſſam tempore Interdicti; quod tamen negant plures alij.

An verò alij Religioſi, ſaltem Diaconi, poſſint ſe ipſos communicare ad implendum præceptum eccleſiaſticum communionis.

℞. Videri non poſſe; & patet, quia Doctores ad ſummum concedunt Diaconos, & alios clericos, aut laicos poſſe ſe communicare in articulo mortis, non autem ex priuata deuotione (vt notauit *Fagundez ſup. l. 3. c. 3. num 8.*) & aliàs præceptum eccleſiaſticum communionis ex defectu idonei miniſtri pro tunc deſinit obligare, vſque dum detur copia præfati miniſtri; ſicque non eſt, cur Religioſus nondum Sacerdos de hoc multùm angatur; ſi quidem quod differtur, non auſertur.

Quærere hìc etiam poſſet quis, an Religioſus communicans per modum Viatici feria 2. hebdomadæ ſanctæ, ſi iudicio Medicorum ſit moriturus intra tempus præſcriptum ad communionem paſchalem, ſed ſuperuiuat pluribus diebus poſt ſumptum Viaticum, teneatur iterum communicare ad implendum præceptum communionis paſchalis.

87 ℞. Non teneri; & probatur tum quia vno, ac eodem actu ſatisfieri poteſt pluribus præceptis; vt benè oſtendit *Sanch. l. 1. mor. c. 14. n. 5.* tum quia hæc videtur eſſe mens interpretatiua Eccleſiæ, quatenùs hòc ipsò quòd ſupponit communionem factam per modum Viatici eſſe vltimam, non cenſetur velle in iſto caſu obligare ad aliam communionem, nempe ad paſchalem: idque procedit etiam in caſu quo præfatus Religioſus eſſet perfectè conualiturus; dummodò communicauerit intra tempus præſcriptum ad paſchalem communionem. Secùs, ſi non communicaſſet intrà tale tempus: tunc quippe iterum deberet cõmunicare: idque, etſi viaticum ſumpſiſſet vna die tantùm ante præſatum tempus: in hoc enim non videtur admittenda paruitas materiæ; cùm ab inſtanti indiuiſibili incipiat dictum tempus, & in inſtans indiuiſibile terminetur.

QVÆRES VIII. An, & quam pœnam incurrant Regulares, ſi non communicent in paſchate iuxta præceptum Eccleſiæ.

88 ℞. Nullam incurrere pœnam ipsò factò, quæ ſaltem ſit lata de iure communi: poſſe tamen arceri ab ingreſſu eccleſiæ, & priuari eccleſiaſtica ſepultura: idque ex *cap. omnis vtriuſque ſexus* relato q. 1. vbi dicitur: *Arceantur ab eccleſia, & priuentur eccleſiaſtica ſepultura.* qui modus loquendi clarè indicat præfatas pœnas incurri ſolùm poſt ſententiam Iudicis, ideoque talis præcepti tranſgreſſionem debere eſſe manifeſtam, ita vt probari poſſit in iudicio, ac puniri dictis pœnis; vt notauit *Fagund. præc. 2. Eccl. l. 3. c. 4. num. 2.* ex *Cano in relect. de pænit. p. 5 & Fillucio tract. 4. num. 61.* monens pœnas dictas incurri, etſi quis ſolùm omittat communionem; quamuis communiter cenſeantur latæ contrà tranſgreſſores confeſſionis, eò quòd communiter cum communione omittatur confeſſio. Et quidẽ quod talibus pœnis ſubſint etiam Regulares, conſtat: quia *caput Omnis* citatum loquitur vniuerſaliter de omnibus fidelibus, ideoque comprehendit Regulares; cùm non appareat, vnde ij debeant excludi.

QVÆRES IX. An Regulares iure communi teneantur cõmunicare ſæpiùs, quàm ſemel in anno.

89 ℞. Non teneri; & probatur tum quia in *Clemen. ne in agro §. ſanè,* vbi ſtatuitur, vt monachi in prima dominica cuiuſque menſis in monaſterijs communicent, niſi iudicio Superiorum, aut Pœnitentiariorum Ordinis aliter ſit differendum, vel crebriùs accedendum: id non præſcribitur per modum præcepti, ſed conſilij: tum quia in *Concilio Trid. ſeſſ. 25. de Regul. ac Monial. c. 10.* per ea verba *Attendant diligenter Epiſcopi, & cæteri Superiores monaſteriorum Sanctimonialium, vt in Conſtitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant:* eodem modo non imponitur præceptum, ſed conſilium. vnde fit, vt Regulares ſingulis menſibus non communicantes mortaliter non peccent: etſi contrarium doceant *Nauarrus, Tabiena, & Armilla* apud *Fagundez præc. 3. Eccl. l. 1. c. 6. num. 8.* qui nobiſcum ſentit ex eo probans confeſſionem, & communionem menſtruam præſcribi in Tridentino per modum conſilij, non autem præcepti, quòd ibi ſolùm præcipitur Epiſcopis, vt Moniales de ijs moneantur, non autem quòd ea illis præcipiantur; cùm alioqui non debeant præcepta multiplicari ſine claro fundamento. Addo ego, quòd, licèt detur verba Concilij Triden. continere præceptum, non ideò Regulares maſculi eo adſtringerentur; cùm ibi ſit ſermo præcisè de Sanctimonialibus; & in odioſis non admittatur extenſio, neq; à paritate rationis, neque à maioritate.

Notat autem *Bartholomæus à S. Fauſto l. 6. theſauri q. 186.* Monachum non teneri communicare in prima dominica menſis iuxtà citatam *Clementinam*, ſi tunc temporis ſit extrà Conuentum. ratio eſt, quod in dicta *Clementina* habetur *in monaſterijs percipiant*; cùm aliàs de confeſſione ibidem dicatur *confiteantur ſingulis menſibus, ſiue in monaſterio, ſiue extrà commorentur.*

90 Dixi in reſponſione Regulares iure communi non teneri communicare ſæpiùs, quàm ſemel in anno: quia, quod ſpectat ad obligationem communicandi ex præſcripto Regulæ, nil certi in genere ſtatui poteſt, ſicque ex ſtatutis vniuſcuiuſque Ordinis colligendum eſt, quam obligati ſint quò ad hoc habeant ſinguli Ordines religioſi. nam in Conſtitutionibus Minorum habetur, vt decimo quinto quoque die Fratres in Miſſa conuentuali communicent: in Conſtitutionibus verò Societatis Ieſu præſcribitur, vt ſinguli Religioſi communicent octauo quoque die; in alijs denique Ordinibus præcipitur ſolùm, vt illorum Religioſi communicent ſemel in menſe; idque iuxta Clemen-

mentinam ſuprà citatam: quam dicit *Suarez tom. 4. de relig. tract. 10. l. 8. capitul. 3. numer. 10.* ex *Gloſſa, & Cardinali* extendi ad omnes Religioſos, quamuis expreſſè loquatur ſolùm de monachis. Illud hic vniuersè dici poteſt, Regulares vi ſtatus religioſi teneri frequentiùs communicare in Ordinibus obſeruantioribus eſſe ſtatutum, vt Religioſi non Sacerdotes, ſaltem ſingulis dominicis communicent: quæ frequentia, ordinariè loquendo, videtur ſufficere pro omnibus Religioſis.

QVÆRES X. An Prælati regulares poſſint prohibere ſuis Religiòſis, ne communicent in pœnam delicti commiſſi.

91 ℞. Poſſe, ſed non expedire, vt crebrò id fiat; vt oſtendemus in *tract. de gubernat. c. 3. ſect. 3. q. 13.*

QVÆRES XI. An Prælati regulares teneantur miniſtrare Euchariſtiam Religioſis ſubditis, etiam cum periculo vitæ.

92 ℞. Teneri, ſi non inueniant alium, qui id pro ijs præſtet, ita in terminis *Tabiena v. parochia nu. 1.* alijque communiter apud *Fagundez ſup. l. 3. c. 3. num. 1.* contrà *Dianam p. 3. tr. 4. reſol. 174. Maiorem, & Molſeſium* oppoſitum ſuſtinentes: & probatur quia Prælati regulares reſpectu Religioſorum ſubditorum ſunt velut Parochi, ideoque ſicut Parochi ob pactum implicitè initum inter illos, & ſuos parochianos tenentur ijs miniſtrare Sacramenta; ſic ad id tenentur & Prælati regulares quò ad Religioſos ſubditos ob ſimile pactum, quod ij cenſentur inter ſe contrahere, dum ſubditi illos acceptant in Prælatos, iiſque ſe ſubijciunt. Dixi, *ſi non inueniant alium &c.* quia certum eſt, quòd, ſicut Parochi, occurrente iuſta cauſa, poſſunt miniſtrare Sacramenta per alios; ſic & poſſunt Prælati regulares, ſi inueniant miniſtros æque idoneos iuxtà illud, *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.* Quod autem ait *Diana*, non cenſerem omninò improbabile in caſu, quo adeſſet magna penuria Paſtorum, & aliàs infirmus non haberet magnam indigentiam communionis, eò quòd iam ſit confeſſus, & benè alioqui diſpoſitus ad piè, & ſanctè moriendum.

QVÆRES XII. An Religioſo Apoſtatæ à religione debeat, & poſſit negari communio eucharistica.

93 ℞. Poſſe, & debere negari, ſi ſit Apoſtata publicus, ac notorius: ſecùs, ſi ſit occultus. patet ex communi doctrina Theologorum, & Canoniſtarum, quam tradunt de peccatore petente euchariſtiam: dicunt enim publicum peccatorem, ſiue publicè, ſiue ſecretò petat Euchariſtiam, repellendam eſſe, ſi non ſit emendatus, & quidem ſub mortali: ſi verò ſit occultus, & publicè petat, non debet ei denegari Euchariſtia; ſi autem occultè, & ſit notus extrà confeſſionem, ea illi deneganda eſt; ſicut etiam deneganda eſt, quando delictum peccatoris eſt notum vni, aut alteri tantùm extra confeſſionem, & alios peccator ergà alios laborat infamia, ac ſuſpicione ob rumorem; imò & quando delictum eſt notum duobus, aut tribus tantùm, & peccator nulla laborat infamia, ſi tamen petat coram illis; ſic enim delictum eſt publicum reſpectiuè, ideſt reſpectu eorum, qui ſunt præſentes petitioni.

Ex hac autem doctrina, ſi caſui noſtro applicetur, probata manet noſtra reſponſio: ſi enim Religioſus Apoſtata ſit notorius, & non conſtet de eius emendatione, ei denegari debet communio; cum Sacerdos ex officio ſancta ſanctè tractari debeat, & aliàs non ſequatur infamia Apoſtatæ eò ipſò quod eſt notorius, nec ſcandalum in populo, quod potius ſequeretur, ſi Apoſtatæ notorio daretur Euchariſtia: ſi autem Apoſtata ſit occultus, & ſolùm ſit notus ex confeſſione; tunc ſiue petat publicè, ſiue ſecretò, debet ei dari communio; aliàs violaretur ſigillum confeſſionis, & petens infamaretur (: idque & ſi negans ſit Prælatus Apoſtatæ petentis; nam etiam reſpectu illius militant eædem rationes) ſecùs, ſi notus ſit extrà confeſſionem, & petat occultè; cùm ſic ceſſet violatio ſigilli, ac periculum infamationis: quòd ſi Apoſtata non ſit publicus, ſed ſit nota illius apoſtaſia vni, aut alteri extra confeſſionem, illeque laboret infamia ob violentam ſuſpicionem apoſtaſiæ; item debet repelli à communione, ſiue petat publicè, ſiue ſecretè, cùm talis infamia ſit publica (vt ſuppono) ideoq; illum faciat publicum peccatorem: qui ſiue petat communionem publicè, ſiue ſecretè, ſemper debet repelli, niſi emendatus ſit, & de hoc publicè conſtet (quamquam, ſi infamia ſit occulta, communio non poſſit denegari petenti publicè) quod ſi deniq; delictum Apoſtatæ Religioſi ſit notum duobus, aut tribus tantùm, & ille non laboret infamia; ſi quidem petat communionem coram illis duobus, aut tribus ſolis, ea debet negari, cùm reſpectu illorum eius delictum ſit publicum; ſecùs, ſi petat coram illis. & alijs, quibus delictum non eſt notum; nam ſic delictum eſt in ſe occultum, etiam reſpectu illorum, qui ſunt præſentes, ideoque Apoſtata dici non poteſt publicus peccator, cui negari debeat Euchariſtia. Excipe, ſi Apoſtata peteret coram vno tantùm ex illis duobus, aut tribus & Sacerdos, cui petitur, id noſcet; tunc enim teneretur negare, cùm ſit periculum infamandi petentem, ſiue coram eo negetur Euchariſtia Apoſtatæ (vt patet ex dictis) ſiue ea ipſi detur coram illo (cum is affirmare poſſit ſe vidiſſe illum communicare cum maneret in apoſtaſia) & aliàs minùs dedeceat eum infamari ex eo ſolù, quod fuerit excluſus à communione, quam quod indignè ad illam acceſſerit; vt notauit *Fagund. ſup. c. 10. n. 28.*

94 Dixi, *niſi ſit emendatus &c.* vt innuerem, quod, ſi publicus peccator v. g. Religioſus Apoſtata, communionem petat in occulto, & Sacerdos ſine per confeſſionem, ſine alia ratione ſciat illum eſſe emendatum: poterit ipſi concedi communio, ſi populus id non ſciat, nec ſciturus ſit, & peccator alioqni ſit paratus dare debitam ſatisfactionem: ſic enim ceſſat ſcandalum, ac irreuerentia ergà Sacramentum. Satisfactio autem, ad quam tenetur publicus peccator, in eo conſiſtit, quod ſi publicè petit communionem, publicè conſtet de illius conuerſione, ac bona diſpoſitione; ſiue id fiat per manifeſtationem factam à Sacerdote de licentia peccatoris, ſiue per publicam ſatisfactionem ab ipſo peccatore præſtitam: ſi verò petit occultè, tunc cenſetur plenè ſatisfeciſſe hòc ipsò quòd occultè confeſſus eſt, & de hoc conſtat tum Sacerdoti, cui petitur communio, tum alijs, qui ſunt præſentes: ſic quippe eſt diſpoſi-

tus coram Deo, & coram hominibus fecit, quod erat neceſſarium ad tollendum ſcandalum per ipſum illatum.

Quòd ſi quæras, quid faciendum ſit, ſi Apoſtata ſit publicus in vno loco, & petat communionem in alio, vbi eius apoſtaſia ignoratur.

95 ℞. Si quidem conſtat Sacerdoti, à quo petitur Euchariſtia, ſiue ex confeſſione, ſiue aliter Apoſtatam eſſe emendatum; non poſſe ei negari communionem; cùm delictum ibi ſit occultum, & peccator ſit emendatus, ideòque nullum ſequi poſſit ſcãdalum ex eo, quòd ei detur communio (& hoc ſiue delictum eſſet publicum per ſententiam Iudicis, ſiue ex euidentia facti, ſiue ex infamia contracta) vel non conſtat Sacerdoti à quo petitur communio, de emendatione petentis, imò putat illum non eſſe emendatum; & ſic, ſi petat publicè, non debet repelli, cùm ſe habeat velut peccator occultus, cui publicè petenti non poteſt negari communio *cap. ſi tantum*, & *cap. placuit 6. q. 2.* ſi autem petit ſecretò, poteſt, & debet negari; cum hoc pacto non infametur petens. ita *Fadung. ſup. nu.* 7. alijque contrà alios relatos ab ipſo *Fagundez*.

QVÆRES XIII. An poſſit, & debeat dari Euchariſtia Regularibus, qui fortè lapſi ſint in amentiam.

96 ℞. Poſſe, & debere, ſi habeant lucida interualla, itaut iudicio prudentis viri Euchariſtia per talem adminiſtrationem nulli periculo irreuerentiæ exponatur, & Confeſſarij teſtimonio iudicentur capaces. Moueor, quòd ſic conſolitur bono ſpirituali Religioſi amentis, qui aliàs defraudaretur fructu ſacræ communionis, & Sacramentum nullum periculum incurrit irreuerentiæ; cùm Religioſus ſupponatur eſſe in ſtatu gratiæ, & habere diſpoſitionem tum animæ, tum corporis neceſſariam ad communionem. Sic me conſulente, Confeſſarius quidam monialium cœpit miniſtrare Euchariſtiam cuidam moniali, quæ catena ferrea adſtricta per 10. annos integros vt amens fuerat excluſa à communione; cùm tamen identidem lucida haberet interualla, vt egomet de licentia Ordinarij ingreſſus monaſterium diutiùs cum illa diſſerens, eiuſque conſcientiam ſedulò examinans expertus ſum: cœpit, inquam miniſtrare, & ſæpiùs poſteà miniſtrauit cum ingenti gaudio aliarum Monialium, quæ inſpicientes quanta cum deuotione Monialis aliàs amens primò communicauerit, præ lætitia lacrymas continere non potuerunt. ſic ego conſului, & id ipſum cum alijs Religioſis amentibus fuiſſe practicatum certò ſcio.

97 Imò, quod maius eſt, concedunt Doctores apud *Bonacinam D 4. de Sacram. q. 6. p. 1. num. 4.* in articulo mortis poſſe miniſtrari Euchariſtiam illi, qui de præſenti laborat amentia, ac phreneſi, ſi antequã ad hunc ſtatũ deueniret, Euchariſtiam petijt ſaltem implicitè, nec timeatur periculum vomitus, aut irreuerentiæ. probant tum quia id nullo iure prohibetur: tum quia nulla adeſt indecentia, & alioqui ſuccurritur ſpirituali neceſſitati Religioſi amentis, qui per Euchariſtiæ ſumptionem cum attritione præmiſſa ante amentiam poteſt iuſtificari, aliàs damnandus. Quin etiam *Nauarrus cap. 26. num. 27.* docet dandam eſſe Euchariſtiam infirmo à iudicio rationis per phreneſim alienato, qui antea contritionis ſigna dedit tundendo pectus, dicendo *miſerere &c.* etſi non petierit Sacramenta, & obſtinatus in peccato m. diutiùs vixerit, non confeſſus per multos annos. Quod probabile cenſet *Card. de Lugo D. 13. de Euchar. num. 25.* addens *num. 28.* quòd ſi homo ante amentiam habuiſſet voluntatem accipiendi fructum ſpiritualem, etiam ex comeſtione caſuali Euchariſtiæ, quæ fortè contingeret in amentia; ſi caſu poſteà inueniret hoſtiam conſecratam, & comederet inſtar cibi communis, obtineret fructum ex vi voluntatis illius præcedentis; cùm ad effectum Sacramenti non neceſſarium videatur, quòd comeſtio ſit voluntaria per modum obiecti, ſed ſufficiat illam eſſe voluntariam per modum effectus, ideſt volita in ſuo effectu, vt euenit in præſenti caſu.

QVÆRES XIV. An Regulares poſſint communicare, etiam in mari, ſi occaſione nauigationis longioris ibi diutiùs morentur.

98 ℞. Quòd cùm iuxta dicenda in *tra. de priuil. c. 2. ſect. 2. q. 7.* Regulares licitè poſſint celebrare in mari (quod etiam approbat *Card. de Lugo ſu. D. 20 ſect. 3.* dicens ex *Granado in 3. p. controu. 6. de Euchar. tr. 14. D. 13.* Epiſcopum Malacæ retuliſſe Epiſcopum Cyrenenſem teſtatum eſſe, ſe vidiſſe Breue papale, in quo declarabatur licitum eſſe celebrare in mari) poterunt Religioſi ſiue Sacerdotes, ſiue laici, item cõmunicare in mari; cùm in miſſæ celebratione conſecrari poſſint particulæ aſſiſtentibus diſtribuendæ; vt oſtendit *Diana p. 5. tr. 3. reſol. 40.* citans alios.

An verò Sacerdos celebrans frangere poſſit hoſtiam ad effectum præbendi partem illius Religioſo communicanti ex mera deuotione.

99 ℞. Poſſe, ſecluſo periculo ſcandali: & hoc, non obſtante *capite relatum de conſecr. d. 2.* ita *Diana p. 3. tr. 4. reſol. 34.* ex *Sancio in ſelectis D. 22. n. 21.* & probat, tum quia in hoc nulla fit iniuria Sacramento, aut Sacrificio; cùm non dedeceat aſſiſtentes Miſſæ fieri participes fructus realis ſacrificij, realiter recipiendo partem hoſtiæ in ſacrificio conſecratæ, qui aliàs participant de fructibus ſpiritualibus ipſius ſacrificij: tum quia in *c. relatum* contrà nos adducto apud *Dianam* ſtatuitur ſolùm eſſe valdè deteſtabilem conſuetudinem quorundam Sacerdotum, qui celebrantes eodem die plures Miſſas, hoſtiam ſacram ſumebant ſolùm in vltima Miſſa: quod vtique non facit contrà nos. cum *Diana* ſentiunt *Syluester Angelus Scorcia, Homob. & Sà* relati à *Diana p. 2. tra. 14. reſol. 37. & p. 5. tr. 3. reſol. 54.*

QVÆRES XV. An Regularis Sacerdos, qui in nocte Natiuitatis Domini celebrauit primam miſſam, ſi mane ſequenti non poſſit celebrare alias duas miſſas, poſſit communicare communione laicali.

100 ℞. Non poſſe; cùm in die Natiuitatis concedatur facultas communicandi pluries, non quomodocumque ſed ſolùm celebrando. vnde cùm Religioſus in caſu præſenti ſemel communicauerit celebrando, non poteſt ampliùs communicare communione laicali: ſtante quòd communio illa Sacerdotalis ſpectat ad diem ſequentem, & obligatio

commu-

cōmunicandi ſemel in die duret etiam pro die Natiuitatis, præter quam reſpectu Sacerdotum pluries eo die celebrantium. Colligitur reſponſio ex doctrina, quam *Card. de Lugo ſup. D. 20. num. 43.* in caſu non diſsimili tradit de Cardinali; qui vt Diaconus in die Natiuitatis miniſtrat Papæ in Miſſa ſolemni. & in ea communicat ſub vtraque ſpecie: illum ſcilicet ſi ſit Sacerdos, non poſſe ea die vllam miſſam dicere, ſiue ante, ſiue poſt illam communionem, cùm facultas conceſſa Sacerdotibus pro ea die ſit ſolùm ad communicandum bis, vel ter in miſſa, ſeu ad facienda duo, aut tria ſacra: quod eſt diſpenſare in prohibitione celebrandi pluries, non autem in prohibitione communicandi pluries in eadem die.

QVÆRES XVI. An, & qua frequentia poſſint, & debeant Regulares communicare tempore infirmitatis.

101 ℞. Quòd, licèt Eccleſia non ſoleat, ita frequēter deferre Euchariſtiam ad ægrotos laicos (etſi aliàs Parochi, etiam extra probabile mortis periculum non deberent ſe oſtendere nimis difficiles in hoc præſertim cum illis, qui ſunt aſſueti frequentiùs communicare, & in quibuſdam maioribus ſolemnitatibus) quod tamen attinet ad Religioſos ægrotantes, omninò decet, vt frequenter communicent in infirmitate; maximè ſi ſint Sacerdotes: ſicque in Societate Ieſu mos eſt, vt Religioſi tempore infirmitatis communicent ſemel in hebdomada ex *regula 13. Infirmarij*: qui mos eſt laudabilis, & fortè etiam in aliquibus alijs Ordinibus vſitatus.

Quòd ſi obiter quæras, an Religioſo infirmo præberi poſſit Euchariſtia cum periculo vomitus, ſi vrgeat probabile mortis periculum.

102 ℞. Ex *Diana p. 5. tract. 3. reſol. 55.* ex *Sancio ſup. D. 38. num. 2.* poſſe, ſi ſpecies vomitus, quam patitur infirmus, medicorum iudicio ſit talis, vt ſinat ſtomachum retinere modicum aliquid cibi: ſecùs ſi talis ſit, vt reſpuat omnem, & qualemcumque cibum, ſiue modicum, ſiue multum. Quamquam etiam in tali caſu, ſi vomitus ceſſet per 6. horas, fortè poſſet Euchariſtia miniſtrari infirmo; maximè cōſulto priùs medico, ſi adſit, vel aliquo alio perito, vel etiam facto experimento, an ſtomachus tunc ſit diſpoſitus ad retinendam hoſtiam conſecratam; videlicet præbendo ipſi infirmo hoſtiam non conſecratam, vt poſteà ſi conſtet ſtomachum illam retinere, miniſtretur hoſtia conſecrata. ita *Diana* & nō improbabiliter; cùm ſic conſulatur & reuerentiæ Sacramenti, & ſpirituali neceſſitati infirmi. vnde ſi adhibitis dictis diligentijs, adhuc contingat hoſtiam conſecratam reſpui à ſtomacho infirmi, id erit per accidens nec imputandum erit Parocho ad culpam, quippe qui prudenter egit.

QVÆRES XVII. An, & quo modo Regulares acceſſuri ad Sacram communionem debeant eſſe in ſtatu gratiæ.

103 ℞. Debere eſſe, & quidem ante ipſam communionem; cùm Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum ſit per modum cibi, & potus, ideòque ordinetur ex natura ſua, non ad generandum, aut viuificandum (quæ non competunt cibo, aut potui) ſed ad nutriendum, ac proinde ex natura ſua prærequirat in ſumente vitam ſpiritualem. eſt communis DD. ſententia, & certa de fide ex *Concilio Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & 1. Cor. 11.* manetque ex dictis probata, ſi addidero, non obſtante obligatione adeò ſtricta communicandi in gratia, poſſe dari caſum, in quo quis poſſit communicare cum conſcientia peccati m. Caſus autem eſt is, quem refert, & approbat *Vaſq. in 3. p. D. 207. cap. 1. num. 3.* his verbis; *Si quis in altari recordetur alicuius peccati poſt confeſſionem, cuius illuc vſque nullam neque in vniuerſum habuiſſet contritionem, quia fortaſſis numquam putauit eſſe mortale; tunc autem iam videt, aut vehementer dubitat eſſe mortale: ita poſſet temporis anguſtijs coarctari alijſque neceſſarijs ipſius ſacrificij diſtrahi* (quamquam rarò id accidere poſſit) *vt niſi ab eo ceſſaret, nullo modo ad perfectam contritionem excitari poſſit; ac proinde tunc ad Sacramentum in peccato illo mortali accedere ad nouum peccatum m. ipſi non imputaretur. quia hoc præceptum non obligat cum tanto diſpendio, vt debeat homo coram toto populo à ſacrificio cum nota ſui honoris ceſſare potiùs, quàm ad Sacramentum cum illo peccato accedere.* Ita *Vaſq.* & probabiliter iudicio *Cardinalis de Lugo ſup. D. 14. num. 3.* contrà *Suarez D. 66. de Sacram. ſect. 1.*

104 Addit *Cardin. de Lugo nu. 122.* cum *Io. Præpoſito 3. p. q. 80. a. 5. d. 3. n. 15.* illum, qui priùs confeſſus eſt, & poſtea recordatur alicuius peccato m. ex obliuione non confeſſi, nec iam poſſit confiteri, eò quòd ſit in altari, non teneri de nouo conteri. probat, quia homo in caſu illo ſupponitur eſſe in ſtatu gratiæ per confeſſionem præcedentem, & abſolutionem obtentam, per quā ablata ſunt omnia mortalia, ſaltem indirectè; ideòque non eſt, cur obligemus Sacerdotem ad eliciendum nouum actum contritionis vbi meminit peccati omiſſi: cùm vniuerſalis contritio, quam habuit in confeſſione facta, habitualiter perſeueret, quamdiu non reuocatur.

Grauior dubitatio eſt, vtrum in propoſito caſu, per ſe loquendo, teneatur pænitens ante communionem confiteri peccatum, cuius tunc recordatur, vel ſufficiat propoſitum confitendi illud ſuo tempore. & ratio dubitandi eſt, quòd pænitens in tali caſu iam ſatisfecit præcepto præmittendi confeſſionem ante communionem, eamque formaliter integram, ideòque non videtur obligandus ad confitendum iterum ante communionem.

105 ℞. Pænitentem in tali caſu teneri iterùm confiteri ante communionem, ſi poſſit: patetque tum ex praxi communi, ac conſenſu fidelium non audentium communicare, niſi priùs confiteantur peccata memoriæ occurrentia poſt confeſſionem: tum ex ſenſu omnium Doctorum, quorum nullus oppoſitum docet, excepto *Henriq. l. 8. de Euchar. cap. 46. n. 3.* qui tamen ſatis obſcurè loquitur, dum ait: *Laicus verò, qui ad linteum altaris aſtat paratus communicare cum alijs, & confeſſionem præmiſerat, excuſatur propter reuerentiam Sacramenti, ne ſtatim redeat ad Confeſſarium, vt directè abſoluatur à peccato, cuius fuerat oblitus, etiam ſecluſa nota, & ſcandalo; cùm iam accedat iuſtus, & probatus per confeſſionem: expeditque communiter, ne Sacerdos audiat ad altare reconciliatio-*

nem

nem volentium communicare: pœnitens tamen noui peccati memor, antequam ad altare accedat, tenetur quæſito Confeſſario id aperire, antequàm communicet. hæc *Henriquez*; non omninò diſſentiente *Victoria*, quem refert *Suarez ſup. ſect.4.* ſuſtinens in caſu propoſito, per ſe loquendo, peccatum illud mortale confitendum eſſe.

QVÆRES XVIII. An exigatur actualis deuotio in Religioſo communicante, ad hoc vt obtineat augmentum gratiæ ex opere operato.

106 ℟. Non exigi, etſi per illam meliùs diſponatur communicans, ideoque recipiat maiorem gratiam, ac vberiorem fructum Sacramenti. ita *S.Thom.3.p. q.79. a.8.* & recentiores Thomiſtæ cum illo, alijq; Doctores communiter contrà *Syluestrum, Durandū, Caietanum, Paludanum, S. Antoninum, & Alexandrū* relatos à *Vaſquez ſup. D.206. cap.1.* moueor, tum quia *Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* ex *Paulo* ad recipiendam Euchariſtiam ſolùm exigit velut neceſſariam diſpoſitionem, vt homo ſe probet, & inueniat ſine conſcientia peccati m. idque per confeſſionem ſacramētalem; qua diſpoſitione poſita *Paulus* permittit de pane illo edere, & de calice illo bibere; ſicque non petit neceſſariò aliam diſpoſitionem: aliàs manca fuiſſet doctrina *Pauli, & Concilij*, ſi non explicaſſent illā aliā neceſſariā diſpoſitionē: tū quia ſi defectus deuotionis actualis impediret omnē effectum Euchariſtiæ, & omne augmentum gratiæ, communicās teneretur ſub mortali procurare deuotionem actualem, ne Sacramentum fruſtraretur omnino ſuo effectu principali, & ad hunc finem ſub mortali teneretur auferre obicem, qui obſtat, ne Sacramentum operetur ſuum effectum; quod tamen eſt contrà communem fidelium exiſtimationem: tum denique, quiā talis neceſſitas actualis deuotionis, cùm pendeat ex libera Chriſti voluntate, non debet poni abſque ſufficienti fundamento, quod tamē nullum in præſenti apparet: maximè cùm ad effectum aliorum Sacramentorum non petitur actualis deuotio; vt conſtat in Baptiſmo, Confirmatione, Ordine, &c. & fatentur communiter Doctores.

107 Nec obſtat, quòd experientia videtur eſſe in contrarium; cùm paſſim videamus plurimos quotidie communicantes valdè parum proficere in vita ſpirituali: quod non contingeret, ſi ſemper acciperent augmentum gratiæ; gratia enim & charitas intenſa neſcit eſſe otioſa, ſed magna operatur, & patitur. non obſtat, inquam, cùm non ſit exiguus fructus frequentis communionis, quod illi diu perſeuerent in gratia ſine peccato m. attenta imperfectione diſpoſitionis, qua accedunt ad communionem. præter quàm quòd efficacia Sacramenti Euchariſtiæ non ita apparet in profectu ad perfectionem acquirendam ex multitudine impedimentorum, quibus homines in hac vita diſtinentur, vel etiam ex defectu materiæ, eò quòd interdum non ſe offerat opportuna occaſio, qua gratia vires ſuas exerceat: quæ omnia ſunt benè notanda.

QVÆRES XIX. An poſſit dari caſus, quod Religioſus communicans, neque gratiam recipiat, neque nouum peccatum committat.

108 ℟. Poſſe; patetque in eo, qui diſcuſſa diligenter conſcientia non recordatur cuiuſdam peccati m. quod verè habet, & ſic ſine vllo prorſus dolore accedit ad communionem merè negatiue ſe habens, eo quòd conſcientiam non habeat peccati m. is .n. nō peccat ſic accedēs cùm adhibuerit diligentiam à ſe putatam neceſſariam, & tamen non obtinet gratiam, cùm habeat obicem peccati obliti, & Sacramentum non habeat vim delendi, ac remittendi peccata mortalia, quamdiu peccator de ijs non dolet. ita *Fagund. præc.3. Eccl. l.4. cap.2. num.14.* cum *Caietano, Alenſe, Bonau. Gerſone, & Suarez* contrà *Sotum, Richardum, Adrianum, & Maiorem* ſuſtinentes communicantem neceſſariò, aut recipere gratiam, aut facere nouum peccatum, & non poſſe dari ſtatum medium inter hæc duo extrema. nobiſcum ſentit *Diana p. 3. tract. 6. reſol. 98.* inferens ex hoc caſu curandum ſemper eſſe communicantibus, vt dolorem generalem habeant ſuorum peccatorum; ſic enim recipient gratiam, non obſtante peccato m. inculpabiliter oblito.

QVÆRES XX. An peccata venialia impediant effectum Euchariſtiæ, ſiue Religioſus ea committat in ipſo actu communionis, ſiue antecedenter.

109 ℟. Non impedire; & probatur, tum ex dictis q.18. tum quia Sacramentum ſemper ex vi ſua confert gratiam, vbi non reperit obſtaculum; tale autem non eſt peccatum v. factum in ipſa communione, vt conſtat ex dictis q. 18. citata. quamquā, ſi loquamur de gratia, quæ ex opere operantis reſpondet actuali deuotioni communicantis, ea in iſto caſu conferatur longè minor; quod tamen non facit contra nos, qui hic ſolùm loquimur de gradu gratiæ ex opere operato reſpondente ipſi Sacramento. ita *Fagund. ſup. c.3. n.5.*

Vtrum verò Religioſus communicans cum peccato veniali peccet venialiter.

110 ℟. *Suarez ſup. D.66. ſect.1.* peccare; ſiue peccet venialiter in actu communionis, v. gr. voluntariè ſe detinens in aliqua vana cogitatione, ſicque accedens diſtractus, & ſine debita deuotione, ac reuerentia; ſiue habeat conſuetudinem faciendi multa peccata venialia, & illorum multitudine oneratam ſentiat conſcientiam, ideoque indiſpoſitam ad ſpirituales exercitationes, & tamen ante communionem nullum habeat dolorem, aut propoſitum emendandi. Ratio eſt, quia communio, ſi non habeat debitas circumſtantias eſt aliquo modo mala, ſicque ad minimum erit peccatum v. præterea communicās cum conſcientia multorum venialium ponit obicem aliquibus effectibus Euchariſtiæ non negligendis; quales ſunt remiſſio venialium, actualis feruor charitatis, & ſimiles; quod non videtur poſſe contingere ſine peccato v. Contrà *Suarez* ſentit *Vaſq. ſup. D.207. c.2.* dicens non eſſe peccatum v. accedere ad communionem ſiue cum peccato v. actuali, ſiue cum multitudine venialium habitualium, cùm in neutro caſu impediatur effectus principalis Euchariſtiæ; qui eſt augmētum gratiæ ſanctificantis, & aliàs communicans non teneatur procurare omnem effectum, qui poteſt ab Euchariſtia produci; qua de re *Card. de Lugo ſup. D.14. ſect.2.* per totum.

QVÆ-

QVÆRES XXI. An Religioſi Sacerdotes communicantes ſub vtraq; ſpecie plus gratiæ recipiant, quàm laici communicantes ſub vna tantùm ſpecie.

111 ℞. Non recipere, niſi Sacerdotes ſint meliùs diſpoſiti, dum ſumunt calicem, quàm eſſent, quando ſumpſerunt hoſtiam. eſt communis DD. ſententia cum *S. Thoma p. 3. qu. 80. a. 12. Suarez D. 63. de Sacram. ſect. 6. Coninco ſup. q. 79. a. 1. n. 34.* & probatur, quia ideò communicanti promiſſa eſt gratia eò quòd Chriſtum Sacramentaliter ſumat: ergò cùm tam perfectè ſumant Chriſtum laici communicantes ſub vna ſpecie, quàm Sacerdotes communicantes ſub vtraque (ſiquidem Chriſtus æque perfectè totus continetur ſub vna ſpecie, ac ſub vtraque) ſi vtrique ſint æqualiter diſpoſiti, æqualem gratiam obtinebunt, ideoque dicendum eſt non acquiri plus gratiæ communicanti ſub vtraque ſpecie.

112 Dixi *niſi Sacerdotes ſint meliùs diſpoſiti*; vt indicarem, quod ſicut laicus poſt communionem ſumptam meliùs ſe diſponens, interim dum ſpecies digeruntur, acquirit plus gratiæ Sacramentalis; ſic & Sacerdos plus gratiæ recipiet, ſi ſumpta hoſtia cum minori diſpoſitione meliùs ſe diſponat ad ſumptionem calicis: in quo vtique Sacerdos eſt melioris conditionis, quàm laici. Quanquam laici nō ideò iuſtè poſſint conqueri; cùm Eccleſia debuerit magis proſpicere reuerentiæ Sacramenti, quàm communicantium vtilitati, ſicque meritò laicis interdixerit vſum calicis: maximè cùm vtilitas illa facilè compenſari poſſit per frequentiorem, ac deuotiorem communionem. Et quidem quòd communicans maiorem gratiam lucretur, ſi meliùs ſe ad illā diſponat interim dum ſpecies euchariſticæ digetūtur; inde conſtat quòd Euchariſtia confert gratiam per modum nutrimenti, ideoq; ſicut cibus propriè non nutrit eò quòd ſumatur (non enim nutriret, ſi ſumptus ſtatim annihilaretur,) ſed quòd iam ſumptus in ſtomacho digeratur: ſic Euchariſtia animā nutrit, prout ſumpta perſeuerat in ſtomacho; ſi ſumens ob meliorem diſpoſitionem fiat capacior ad gratiam ſuſcipiendam, quàm eſſet ab initio. ita *Conincus ſup. num. 42.* addens *n. 43.* hinc non colligi Euchariſtiam conferre gratiam, ſi nobis inſcijs ſine vlla comeſtione in ſtomacho noſtro apponatur (quo modo cibus poſitus in ſtomacho nobis neſcientibus verè nutriret,) nam ex Chriſti inſtitutione Euchariſtia non nutrit animam, niſi per manducationem applicetur ex *Io. 6.* quod non requiritur in cibo corporali, qui nutrit quomodocumq; ſtomacho applicetur.

An autem Sacerdos, qui cum conſcientia peccati m. celebrat, recipiat gratiam, ſi ſumpta hoſtia conteratur de ſuis peccatis, & poſteà hac ratione iuſtificatus ſumat calicem.

113 ℞. Recipere, & probatur ex doctrina, quam tradit *Cardin. de Lugo D. 12. de Euchar. n. 75.* videlicèt gratiam habitualem, quæ datur intuitu ſumptionis hoſtiæ non pendere à ſumptione calicis: ſi enim hoc detur, dandum item eſt gratiam, quæ datur intuitu ſumptionis calicis, non pendere à ſumptione hoſtiæ.

114 Ex dictis verò in reſponſione principali benè infert *Conincus ſup. num. 46.* per ſe loquendo non recipere maiorem gratiam illum, qui ſumit plures, aut maiores hoſtias, vel diutiùs hæret in ijs recipiendis etſi per accidens hæc longior mora eſſe poſſit occaſio, vt maiorem quis recipiat gratiam; quatenùs interim elicit plures, ac perfectiores actus charitatis. quare falluntur, qui ſatis ſuperſtitiosè curant ſibi dari plures hoſtias, vt diutiùs hæreant in ſtomacho, ſicque maiorem gratiam obtineant: ſi enim velint æque diligenter ſe præparare, æqualem gratiam percipiunt, ſiue parùm, ſiue diu hæreant in digerendis hoſtijs receptis, & ad illum effectum conferat præparatio maior, ſiue præcedat communionem ſiue concurrat cum illa.

115 Addo ego hinc poſſe contingere laicum communicantem ſub vna ſpecie plus gratiæ recipere, quàm recipiat Sacerdos communicans ſub vtraque ſpecie; ſi videlicet laicus ſe diſponat meliùs ad gratiæ receptionem; maius enim augmentum gratiæ, quod acquiritur ex communione Euchariſtica, per ſe non pendet ex multiplicatione ſpecierum, ſed ex maiori diſpoſitione cōmunicantis, vt iam dictū eſt.

QVÆRES XXII. An, & quo modo Regulares per communionem Euchariſticam obtineant remiſſionem venialium.

116 ℞. Obtinere, & quidem non ſolùm mediatè, quatenus vi communionis excitatur feruor charitatis; quo communicans per propriam operationem ſe diſponit; ſed etiam immediatè, quatenùs ipſum Sacramentum delet maculam peccati v. ad quod ſufficit; vt præcedat negatio affectus, ſeu complacentiæ ad veniale; eſtò non præcedat deteſtatio ſufficiens ad illud tollendum ſiue Sacramento. ita *Suarez D. 12. de pænit. ſect. 1.*

Vtrum verò Euchariſtia in aliquo caſu conferat primam gratiam, & conſequenter poſſit delere peccatum mortale.

117 ℞. Conferre in duplici caſu: primò quando quis diſcuſſa diligenter propria conſcientia, non agnoſcit ſe conſcium peccati m. & ante communionem elicit dolorem generalem de omnibus peccatis ſuis: ſecundò quando quis eſt memor peccati m. commiſſi, & vrgente neceſſitate, accedit ad communionem, non confeſſus, eò quod non habeat copiam Confeſſarij, & putat ſe verè eſſe contritum, cùm ſit ſolùm attritus. ita *Fagund. ſup. l. 4. c. 2. num. 9.* alijque apud ipſum contrà *Maiorem S. Bonauenturam Gabrielem,* & alios ſuſtinentes Euchariſtiam non poſſe vnquam conferre primam gratiam; cùm ſit Sacramentum viuorum, non mortuorum. quæ tamen ratio ſolùm probat Euchariſtiam non conferre primam gratiam: vt ſuum precipuum effectum (quod nos etiam concedimus,) non autem quòd interdum id præſtare non poſſit. quo modo *Concilium Trid. ſeſſ. 13. cap. 2.* ait *Siquis dixerit vel præcipuum fructum huius Sacramenti* (intellige Euchariſtiæ) *eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex eo non alios fructus prouenire, anathema* ſit. vbi Concilium non negat remiſſionem peccati m. eſſe effectum Euchariſtiæ, ſed expreſsè id ſupponit definiens dictam remiſſionem non eſſe præcipuum effectum illius; ſicque manet probata noſtra reſponſio, & ſoluta ratio potiſſima, quæ contrà illam affertur.

CA-

CAPVT IV.

De obligatione Regularium quo ad obſeruantiam Feſtorum, & de Auditione Miſſæ in die feſto.

ACturi in hoc capite de Obſeruantia feſtorum, & de Auditione Miſſæ in die feſto, ad quas tenentur Regulares, vt pote inter ſe connexis: caput diuidemus in 2. ſectiones, in quarum 1. agemus de Obſeruantia feſtorum, in 2. de Auditione Miſſæ.

SECTIO I.

De Obligatione Regularium quò ad Obſeruantiam Feſtorum.

1 *REgulares tenentur ad obſeruantiam Feſtorum partim ex iure naturali, ac diuinó, partim ex iure humano.*

2 *Hæc obligatio non eſt æqualis quò ad omnia Feſta.*

3 *Oſtenditur, ad quos dies ea extendatur.*

4 *Incipit, & deſinit quo ad non operandum ſeruiliter iuxta conſuetudinem locorum: poteſt tamen inſtitui feſtum durans ſolum pro dimidio die naturali.*

5 *Importat auditionem Miſſæ, & abſtinentiam à ſeruilibus operibus, ac liberalibus iure prohibitis.*

6 *Obligat ſub mortali, etiam quò ad abſtinendum à ſeruilibus.*

7 *Etſi admittat paruitatem materiæ, quæ aſſignatur.*

8 *Laborans ſeruiliter modico tempore diuerſis diebus feſtis, ita vt demum perueniat ad quantitatem notabilem, non peccat mortaliter: idque etiam procedit, ſi eodem die quis faciat, vt multi opus notabile faciant ſingulis modico tempore laborantibus: in actibus autem forenſibus, ac iudicialibus die feſto vetitis materiæ grauitas in hoc deſumenda ex qualitate operis, non quantitate temporis.*

9 *Feſta de præcepto Regularibus præſcribi poſſunt à Papa, Ordinario loci, & Prælatis regularibus.*

10 *Etſi Regulares non teneantur ad feſta, quæ populus vouet, & approbat Ordinarius, neque ad feſta, quæ obſeruantur in certa paræcia diœceſis.*

11 *Ordinarij non poſſunt indicere feſta pro ſolis Regularibus.*

12 *Poſſunt tamen eos eximere à feſtis per ipſos inductis.*

13 *Religioſi hoſpites non tenentur ad feſta propria diœceſis, per quam tranſeunt.*

14 *Non tenentur Regulares ad feſta per conſuetudinem inducta in loco, vbi degunt.*

15 *Et multò minus ad inducta poteſtate laicali.*

16 *Peregrinantes non tenentur ad feſta loci, per quem tranſeunt.*

17 *Licitum eſt recedere à loco, vbi eſt feſtum, ad locum, in quo non eſt, vt ibi laboretur.*

18 *Obſeruantia diei feſti obligat ad Miſſam audiendam modo inferius explicando, & ad abſtinendum ab opere ſeruili; cuius ratio, ac eſſentia proponitur.*

19 *Die feſto, per ſe loquendo, non poſſunt mundari templa, ornari tapetibus &c.*

20 *At poteſt fieri tabulatum, & parari ſcoena ad habendam repræſentationem, ſi hæc præueniri non poſſint.*

21 *Poſſunt & corrigi Libri prohibiti, etiam tegendo loca mendoſa pagellis glutine affixis ab habente priuilegiũ; non item modo dicto corrigi poſſunt menda; quæ ex incuria Typographi irrepunt in editione librorum: quod non procedit de Authore modo dicto corrigente ſua manuſcripta.*

22 *Die feſto non poteſt recognoſci regiſtrum foliorum in exemplis codicis recens impreſſi, ſi in hoc multum tempus inſumendum ſit.*

23 *At poteſt ſcribi, & tranſcribi, etiam ex mercede.*

24 *Non item imprimi ſcriptura, non ordinando caracteres ſimul, ſed ſingulos illorum ſeorſim comprimendo ſuper papyro, vſque dum fiat tota ſcriptura.*

25 *Pingi poteſt die feſto, ſaltem gratia diſcendi, & cauſa voluptatis.*

26 *Licitum eſt venari ex recreatione, & piſcari in flumine ſine multo labore.*

27 *Feſta transferuntur, ſed ſolum quo ad eccleſiaſticum Officium.*

28 *Abrogari item poſſunt per conſuetudinem 40. annorum.*

29 *Sicque excuſari poteſt certum genus mechanicorum die feſto laborantium.*

30 *Regulares à ſuo Prælato poſſunt diſpenſari ſuper obſeruantia Feſtorum.*

31 *Etſi vrgente neceſſitate laborandi, non ſit opus diſpenſatione.*

32 *Ordinarij poſſunt in hoc diſpenſare, etiam frequenter, ſi frequenter occurrat neceſſitas diſpenſandi; & hoc ex epicheia iuris communis.*

33 *Imò ſine cauſa poſſunt diſpenſare ſuper feſtis per ipſos inductis.*

34 *Item validè diſpenſant ſuper feſtis iuris communis, ſi adſit cauſa, & ſi ab ijs ante diſpenſationem non cognita.*

35 *Ex varijs cauſis excuſantur Regulares à feſtorum obſeruantia.*

QVÆRES I. Quo iure teneantur Regulares ad obſeruantiam feſtorum, quæ legitima poteſtate indicuntur.

1 ℟. Teneri partim ex iure naturali, ac diuino; cum quilibet homo teneatur colere Deum iure naturæ, ſicq; eodem iure vacans ab alijs negotijs pro aliquo tempore, huic muneri ſe dedicare teneatur: partim de iure humano, nimirũ quò ad hoc, quod eſt hos, aut illos dies eſſe feſtiuos, & quo ad modum ſanctificandi ab Eccleſia ſtatutum, videlicèt audiendo Miſſam. ita *Sanch. l. 5. conſil. c. 2. d. 1. num. 2.* ex *S. Thoma 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1.* alijſque pluribus ab eo citatis; monens *numer. 4.* ex *Couaruuia*, & *Corduba* non ſolùm eſſe præceptum diuinum, ac naturale de colendo Deo in aliquo tempore indeterminato, ſed etiam de aliquibus diebus feſtis inſtituendis ad di-

uinum cultum; ideoque Eccleſiam non poſſe diſpenſare, quod nullus ſit dies feſtiuus diuino cultui deputatus; cùm præceptum diuinum vetus de ſanctificandis feſtis modò maneat quo ad morale; & morale ſit, quod aliquis dies ſit dedicatus diuino cultui: ſiquidem alioqui hoc præceptum malè ab omnibus ſeruari poſſet.

QVÆRES II. An hæc obligatio ſit æqualis quò ad omnia feſta, ita vt cauſa ſufficiens ad laborandum ſeruiliter in vno feſto ſufficiat, vt laboretur etiam in alijs feſtis.

2 ℟. Non eſſe æqualem, ſed eſſe quædam feſta, in quibus maior requiritur cauſa ad laborandum; tum quia proximius accedunt ad ius diuinum, vt dies Dominica; tum quia ſunt longè ſolemniora, ſicque ſtrictiori iure iubentur obſeruari. ita *Nauar. c. 13. nu. 10. Lud. Lopez inſtruct. conſcientiæ l. 1. c. 52. Syl. v. dominica q. 5. concl. 3.* alijq: quos refert, & ſequitur *Sanch. d. 4.* cum quibus ſentit *Suarez l. 2. de dieb. feſtis c. 10. num. 4.* id colligens ex *cap. licet de ferijs* vbi datur facultas laborandi in aliquibus operibus aliàs prohibitis in diebus feſtis, & ab ea diſpenſatione excipiũtur maiores anni ſolemnitates; cuiuſmodi ſunt Natiuitas Domini, Epiphaniæ, Paſcha, Aſcenſio, Pentecoſtes, Aſſumptio B.V. Feſtum Corporis Chriſti, ac feſtum Patroni, vt v. g. S. Iacobi Compoſtellæ, aut aliud ſimile æque ſolemne communiter reputatum. idque ex *gloſſa* in dicto *cap. licet* enumerante primas quinque ſolemnitates, quibus aliæ duæ à Doctoribus congruo fundamento additæ ſunt, teſte *Suarez ſup.*

QVÆRES III. Ad quos dies feſtos extendatur obligatio iſta, etiam reſpectu Regularium.

3 ℟. Extendi ad omnes dies Dominicas, & omnia feſta, quæ Vrbanus VIII. in ſua *Conſtitut. vniuerſa per orbem* anno 1642. declarauit eſſe obſeruanda de præcepto. Quamquam Eugenius IV. Vt habetur in *com. priuileg. v. feſtiuitas n. 4.* viuæ vocis oraculo indulſerit ſæcularibus, vt ſine peccato laborare poſſint in feſtis S. Crucis Maij, S. Michaelis Septembris, SS. Innocentium, & S. Silueſtri Papæ, niſi dicta feſta incidant in Dominica. Et hoc eſt notandum, inquit *Sanch. d. 5. n. 3.* quia deſeruire poteſt multum pro his, qui laborant in vindemia in die S. Michaelis. Quod indultum puto durare, & ſi viuæ vocis oraculo fuerit conceſſum: cùm in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum reuocata fuerint à Gregorio XV. & Vrbano VIII. ſolùm priuilegia viuæ vocis oraculo conceſſa Regularibus; & hoc indultum fuerit conceſſum ſæcularibus, vt conſtat ex tenore illius: quod proinde non videtur ſuffragari Regularibus.

QVÆRES IV. Quando incipiat, & deſinat obligatio iſta in ordine ad abſtinendum ab operibus ſeruilibus.

4 ℟. Quod, quamuis id potiſſimùm pendeat ex conſuetudine loci, prouinciæ, vrbis, ac regionis: de facto tamen iuxtà regularem vſum Eccleſiæ dies feſtus ſumitur à media nocte ad mediam noctem; idque non ex aliquo iure ſcripto (cum potiùs in *cap. primum de ferijs* dicatur, *Dominicam obſeruandam eſſe à veſpera vſque ad veſperam, & illo tempore abſtinendum eſſe ab omni tempore illicito*, ideſt prohibito) ſed ex communi conſuetudine, ac traditione Eccleſiæ; de qua dicit *Suarez ſup. c. 31. n. 4.* in Hiſpania, Italia, & Gallia ſatis conſtare, eamque probabile eſſe vigere in tota Europa, ac ſufficere ad determinationem præcepti. ita *Fagundez ſup. c. 6. n. 2.* alijque plures apud ipſum.

Concedunt tamen *Suarez nu. 3. Bonac. D. 5. de leg. q. vn. p. 1. n. 7.* & alij poſſe in Eccleſia inſtitui feſtum pro dimidio tantùm die naturali, aut etiam artificiali, nimirum ab ortu ſolis vſque ad meridiem; & ſi id non fiat in feſtis communibus toti eccleſiæ.

QVÆRES V. Quot, & quæ importet obligatio ſeruandi feſta.

5 ℟. Importare duo; videlicèt audire Miſſam, & abſtinere ab opere ſeruili, ac liberali prohibito: ſicque præceptum ſeruandi feſta, qua parte præcipit auditionem Miſſæ, eſſe affirmatiuum, vt pote poſitiuum cultum præſcribens: qua verò parte continet ceſſationem ab opere ſeruili, eſſe materialiter negatiuum, ſed formaliter poſitiuum; vt pote præcipiens diei ſanctificationem, quæ poſitiuum quod ſonat, ſaltem moraliter, & participans de negatiuo, quatenus ſanctificatio facienda eſt, non actione phyſica, ſed ceſſando ab ea. ita *Caſtrus Palaus tra. 9. D. 2. p. 3. n. 1. & 2.* ex *Suarez, Azorio*, & alijs.

QVÆRES VI. An obligatio hæc adſtringat ſub mortali, etiam quatenùs importat ceſſationem ab opere ſeruili.

6 ℟. Ex genere ſuo adſtringere ſub mortali: cum ſit grauiſſima tum ratione virtutis Religionis, ex qua prouenit; tum ratione finis ad quem ordinatur, & eſt diuinus cultus. Quamquam in indiuiduo tranſgreſſio huius obligationis eſſe poſſit venialis ex leuitate materiæ, aut excuſari ex conſcientia erronea probabili ex conſilio viri reputati digni fide, ac docti, aut ex ſimplici inaduertentia; vt benè oſtendit *Suarez ſup n. 2.* ita DD. communiter.

Quod ſi quæras, quæ paruitas materiæ aſſignari poſſit in præſenti materia excuſans à mortali.

7 ℟. Quod, ſicut explodenda eſt opinio aliquorum Canoniſtarum exiſtimantium tertiam partem diei non eſſe partem notabilem illius, adeoque laborare in vno, vel altero die feſto per tertiam partem illius non eſſe peccatum mortale (vt notant *Suarez ſup. Fagund. c. 14. n. 2.* & alij) ſic nec debet admitti ſententia illorum, qui docent laborantem per horam integram non poſſe excuſari à mortali: cùm opinio illorum Canoniſtarum ſit nimis laxa, nullaque probabili ratione nitatur; & ſententia horum aliorum ſit nimis rigida. propterea amplectenda in hoc videtur ſententia *Filliuc. tract. 27. num. 205. Granadi in 1. 2. controu. 6. tr. 2. D. 2. ſect. 6. nu 54. Dianæ p. 2. tr. 15. reſol 36. Io: Henriq. in comp. caſ. moral. c. 7. nu. 4.* docentium laborantem die feſto per 2. horas non peccare m. Imò *Marchantius in qq. paſtoral. cap. 3. q. 2.* hac de re diſſerens ſic habet: *Quæres quantum temporis requiratur, vt quis dicatur notabili tempore in die feſto opus ſeruile exercuiſſe: reſpondeo, alij dicunt 4. horas alij verò 2. ego vt minimùm requirerem 3. ad peccatum mortale, quia cenſeri debet pars notabilis diei; vnde aliqui tertiam, vel quartam diei partem requirunt*; ſic ille.

Quod

8 Quod autem dicunt *Toletus l.4. cap.25. num.1.* & *Fagundez cap.14. num.3.* illum peccare mortaliter, qui pluribus diebus feſtis laborat ſeruiliter modico tempore v. g. per mediam horam, ſed tandem pertingit ad quantitatem notabilem, eo quòd in opere ſeruili, vtpotè materiali detur continuatio: reijcit *Sanchez l.1. mor. cap.4. num.1.* dicens: *Si quis diſtinctis vicibus eademmet feſti die ſeruilia exerceat, ita vt ſingulis vicibus parum temporis inſumat, at totum tempus ſit notabile, peccabit lethaliter. Secus ſi in diuerſis diebus, etiamſi habeat propoſitum ſingulis diebus paruo tempore laborandi.* ita *Sanchez* addens item non peccare mort. illum, qui efficit, vt plures eodem die feſto laborent magna temporis parte; ſi omnium labor vniatur, & ſinguli tantùm modico tempore laborent; nam modica illa ſingulorum tempora non vniuntur, & aliàs quilibet illorum peccat ſolùm venialiter: quod admittunt etiam *Bonacina D.5. de leg. q. vn. p.3 nu.3. & 4.* & *Diana p.3. tr. 5. reſol.8.*

Addit *Diana p.5. tract.5. reſol.6.* ex *Caſtro Palao* in operibus forenſibus, ac iudicialibus ſpeciali iure vetitis pro diebus feſtis, materiæ grauitatem deſumi debere, non ex temporis quantitâte, ſed ex qualitate operis; ac proinde, ſi venditio ſolemnitate aliqua celebretur, & res vendita ſit magni momenti, etſi breui fiat tempore, ſic contrahentes peccare m. non item ſi venditio ſit minoris momenti, vt vendere calceos; hæc enim conſuetudo obtinuit, vt poſſit fieri ſine peccato m. imò & veniali, ſi concurrat neceſſitas vendentium, ac ementium.

QVÆRES VII. Ad quos pertineat inſtituere dies feſtos, qui etiam à Regularibus obſeruentur ſub mortali.

9 ℟. Pertinere, tum ad Papam (& quidem pro toto orbe) tum ad ordinarios locorum (ſed ſolùm pro ſua diœceſi) tum ad Prælatos ipſos regulares. Patet autem reſponſio, quod ſpectat ad Papam, quia ipſe eſt Paſtor vniuerſalis totius Orbis chriſtiani, & conſequenter etiam Regularium, ideòque debet illum regere legibus, & ſtatutis ad vitam ſpiritualem accommodatis: inter, quæ ſine dubio comprehenditur obſeruantia feſtorum, vtpote ſpectans ad ſupernaturalem, & ſpiritualem finem animarum. Quòd verò attinet ad ordinarios locorum, colligitur reſponſio ex *Concilio Trid. ſeſſ.25. de regular. cap. 12.* vbi dicitur: *Dies etiam feſti, quos in diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, ſeruentur.* Quòd denique ſpectat ad Prælatos regulares, inde ſuadetur reſponſio, quòd hi in ſuos ſubditos habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; ideòque ſicut Epiſcopi poſſunt de iure communi inſtituere feſta quò ad ſuos ſubditos (vt concedunt omnes Doctores) ſic & poterunt illos inſtituere Prælati regulares quo ad Religioſos ſubditos: etſi id videatur non eſſe in vſu ſaltem communiter.

10 Notant autem Doctores cum *Layman l.4. tra.7. cap.1. num.4.* vi Concilij Tridentini non teneri Religioſos ad feſta, quæ populus vouit, & Epiſcopus approbauit; hæc enim non cenſentur promanare ex præcepto Epiſcopali, ſed primordialem naturam obligationis perſonalis ex voto ſeruant, ideòque ſi Regulares non conſentiant in votum populi, eo non obligabuntur: quamuis dato quod temporis progreſſu vſus ſeruandi feſtum per modum legis communis inducatur, etiam Religioſi debeant ſe conformare: quod etiam notauit *Nald. v. feſtum n.4.* ex *Rodriquez*.

Sic ego in *tract. de priuil. cap.6. num.62.* moneo Religioſos ex decreto *Concilij Trid.* allegato non teneri ad feſta, quæ ſolùm obſeruantur in certa parœcia diœceſis; eò quòd v.gr. ſit feſtum Sancti Tutelaris parochiæ, ſub qua eſt monaſterium Regularium, & in qua ex præcepto Ordinarij obſeruatur tale feſtum. Moueor, quod cùm decretum Concilij reſpectu Regularium ſit odioſum debet reſtringi ad feſta diœceſana ſimpliciter; qualia ſunt, quæ communia ſunt toti diœceſi, non item quę ſunt propria vnius tantùm parœciæ. præterquam quod verba ipſa decreti videntur fauere noſtræ ſententiæ, quatenus dicit, *Dies etiam feſti, quos in diœceſi ſua ſeruandos idem Epiſcopus præceperit*: hoc enim ipſo, quòd dicit *in diœceſi ſua*, videtur excludere feſta, quæ ab ordinario indicantur pro hac, vel illa parochia particulari.

An autem Ordinarij poſſint præcipere vigore Concilij Trid. feſta pro ſolis Regularibus.

11 ℟. Videri non poſſe: cùm Concilium obliget Regulares ſolùm ad feſta, quæ Epiſcopus præceperit ſeruanda in diœceſi ſua; id eſt ſuis diœceſanis: qualia non viderentur eſſe, quæ præciperentur pro ſolis Regularibus; maximè, cùm ſimus in materia obligationis, quæ eſt ſtrictæ interpretationis.

Illud prætereà hìc controuerti poteſt, an attento præfato decreto Concilij Tridentini, poſſit Epiſcopus inſtituere feſtum diœceſanum à cuius obſeruantia eximantur Regulares.

12 ℟. Poſſe: & inde ſuadetur, quod obligatio legis pendet ab intentione Legislatoris; ex alia verò parte Concilium eo decreto intendit ſolum fauere intentioni Epiſcopi legem ferentis; ſicque non apparet, cur Epiſcopus in caſu propoſito non poſſit, ſi velit excipere Regulares ab obſeruantia feſti, quod indicit: cùm quilibet poſſit cedere iuri ſuo.

Maius dubium eſt, an Religioſi hoſpites, ac peregrini vigore Concilij Trid. teneantur obſeruare feſta diœceſana inſtituta ab Ordinario loci, per quem tranſeunt: & ratio dubitandi pro parte affirmante eſt, quòd Concilium generaliter obligat Regulares ad obſeruantiam feſtorum, quæ in propria diœceſi inſtituuntur ab Ordinarijs: lex autem generaliter loquens, generaliter debet intelligi; nihilominùs.

13 ℟. Religioſos hoſpites non teneri ad feſta inſtituta ab Ordinario loci, per quem tranſeunt. Ducor, quòd cùm probabile ſit peregrinos non teneri ad feſta loci, per quem tranſeunt (vt infrà oſtendemus) decretum ſupradictum Concilij, quod vtique eſt valdè odioſum, non debet explicari, vt velit comprehendere etiam Religioſos hoſpites; qui aliàs iuxtà grauiſſimos Doctores eximuntur ab obligatione colendi feſta loci, per quem tranſeunt: imò poteſt, & debet benignè interpretari, vt obliget Religioſos ſolùm ad colenda feſta, quę inſti-

tuuntur

tuuntur à proprio Ordinario, id eſt ab Epiſcopo loci, in quo habent domiciliū, aut quaſi domicilium. ſic enim ſeruatur regula interpretandi priuilegia Regularium tradita ab *Henriq. l. 7. c. 23. in comm. lit. G.* ea ſcilicèt debere interpretari inſtar iuris communis; ita vt ijs derogetur minùs, quàm fieri poſſit; quod non fieret, ſi decretum Concilij ampliaretur, ita vt Religioſi etiam hoſpites, ac peregrini teneantur ad feſta propria loci, per quem tranſeunt. ita docti viri à me conſulti.

14 Addo Regulares nō teneri ad feſta, quæ fortè in loco, vbi degunt, conſtituantur per conſuetudinē: ſiue conſuetudo inducatur à ſolis laicis (quo modo nec obligaret Clericos ſæculares, vt benè probat *Suarez l. 2. de feſtis c. 12. n. 5.*) ſiue inducatur à clericis ſimul, & à laicis, accedente epiſcopi conſenſu expreſſo, aut ſaltem tacito. moueor ex doctrina, quā tradunt *Medina, Ledeſma, Angles, Anton. & Sylueſter* apud *Sanchez l. 5. conſil. c. 1. d. 3. n. 1.* conſuetudinem ſcilicèt ſæcularium non ligare Clericos, nec Clericorum conſuetudinem ligare Religioſos: cùm ſint diuerſi ſtatus, & diuerſis ſtatibus, ac conſuetudinibus gubernentur. Dixi *accedente conſenſu Epiſcopi, &c.* vt innuerem, quod, cùm iuxta communem ſenſum Doctorū in materia *de legibus* conſuetudo non habeat vim obligandi, niſi de conſenſu illius, qui poteſt legem condere; & ſine epiſcopi authoritate nō poſſit ferri lex de obſeruatione diei feſti: ad hoc, vt conſuetudo introductiua diei feſti induci poſſit per laicos, & Clericos ſimul, omninò requiritur conſenſus proprij Epiſcopi, ſaltem tacitus; vt benè aduertit *Filliuccius tr. 27. n. 97. ex Suarez.*

15 A fortiori certum eſt, Regulares non teneri ad feſta, quæ à laica poteſtate Principis inducantur ſine Epiſcopo: ſi enim hæc non obligant in conſcientia laicos ſubditos Principis, vtpote promanantia à poteſtate non legitima: qualis eſt poteſtas Principū laicorum quò ad præcipiendos dies feſtos cultui diuino dicatos; vt benè aduertit *Suar. n. 2.* id colligēs ex generali illo principio iuris, quòd laici in rebus ſpiritualibus (cuiuſmodi eſt inſtitutio feſtorū) nullā habent præcipiendi auctoritatē *c. cum laicis de rebus eccl. non alien. c. decernimus de iudic. & cap. benè quidem cum tota diſt. 96.* Vnde fit, vt, ſi quando Princeps iudicet expedire, quòd inſtituatur aliquod feſtum, debeat id procurare per Prælatum eccleſiaſticum, qui eius votis ſatisfaciet, pro vt res poſtulauerit.

QVÆRES VIII. An obligatio obſeruandi dies feſtos loci, per quem Religioſi peregrinantes tranſeunt, illos afficiat, æque ac indigenas ibi habentes domicilium.

16 ℞. Non afficere: & probatur ex dictis hìc *c. 2. qu. 32.* moneo hìc vnum, ad hoc vt Religioſus teneatur ad feſta loci, in quo eſt, non eſſe opus illum ibi habere fixum domicilium; ſed ſufficere, quòd illuc acceſſerit animo ibi commorandi diuturno tempore (v. g. ob aliquod negotium) ita *Fagundez ſup. c. 8. n. 7. ex Paludano, Sanch. S. Antonino, Medina, & Suarez* monens *n. 6.* opinionem aſſerentem peregrinos nō teneri feſtis loci, per quem tranſeūnt, niſi animum habeant ibi perpetuo commorandi, eſſe in praxi improbabilem, etſi illam ſuſtineant 9. Doctores ab ipſo relati *num. 1.* cùm ad hoc vt aliqua opinio ſit practicè probabilis, non ſufficiat multitudo Authorum illam ſuſtinentium ſine ratione, aut fundamento probabili maximè in re, quæ multùm poteſt vrgere contra bonos mores; vt notauit *Suarez ſup. ca. 14. n. 2.* addens *n. 6.* ad acquirendam præfatam ſubiectionem, ſicut ſufficit accedere ad locum animo ibi habitandi ad tempus incertum (puta ad aliquod negotium moraliter petens notabilem durationem) vel, ſi non determinetur actio, nec tempus, accedere animo ibi diutiùs viuendi, non determinando tempus: ſic ſi tempus certum determinetur, ſufficere illud eſſe adeò magnum, vt arbitrio prudentis poſſit dici eſſe ibi habitator; ad quod tamen non videtur rationabile requiri, quòd accedens ibi ſit habitaturus maiori parte anni: quod eſt dicere ad dictam ſubiectionem ſufficere quaſi domicilium.

17 Non nego tamen licitum eſſe recedere à proprio loco, in quo eſt dies feſtus, ad locum, in quo vacatur operibus ſeruilibus, ibique laborare: cum præceptum proprij loci non vetet egreſſum ab eo loco, in quo obligat: poſtquàm verò eſt in alio, non amplius obligatur ad præceptum, cùm ibi ſupponamus vacari operibus ſeruilibus: idemque eſt, ſi feſtum celebretur in vna parochia, & non in alia, & ſubditus parochiæ, in qua eſt feſtum recedat in aliam parochiam; ibi enim poteſt vacare operibus ſeruilibus. ita *Suarez cap. 13. num. 6.* dicens in his caſibus non interuenire propriè fraudem, aut dolum, ſed fugam obligationis præcepti; quæ contrà præceptum non eſt, & licèt per ſe non ſit bona, non ideò eſt mala; ſed bona, vel mala pro ratione finis, aut cauſæ, ob quam fit: cum *Suarez* ſentiunt *Filliuc. n. 110. Leſſ. l. 4. c. 2. num. 55. Sanch. l. 1. mor. c. 12. nu. 31. Sà v. feſtum n. 9.*

QVÆRES IX. Quo modo lex obſeruandi dies feſtos obliget ad audiendam miſſam, & ad ceſſandum ab operibus ſeruilibus.

18 ℞. Obligare ad miſſam quidem audiendam eo modo, quo dicemus toto *cap. ſequenti*; ad ceſſandum verò ab operibus ſeruilibus eo modo, quo explicabimus in ſequentibus qq. ſi priùs monuero opus ſeruile propriè eſſe illud, ad cuius exercitium ſeruos habemus deputatos, & in quo artes mechanicę verſari ſolent. ſicq; opus ſeruile duo petit, nimirùm vt ſit opus mechanicum, & corporale ex parte inſtrumenti, vtpote exercendum per corpus tanquā per inſtrumentum (quale eſt arare, fodere, &c.) & vt natura ſua, ac inſtitutione ordinetur ad corpus ac vtilitatem illius (vt eſt conficere calceos &c.) è contra opus liberale eſt, quod licèt fiat inſtrumento corporis, cùm homo non poſſit aliter mentem ſuam alijs explicare; ordinatur tamen ad finem ſpiritualē, ac inſtructionem mentis: vt locutio, ſcriptio, &c. ita DD. communiter cum *S. Thoma 2. 2. qu. 122. a. 4.* qui item communiter notant opus, quod factum ſine lucro, ac mercède non eſt ſeruile, non euadere ſeruile, ex eo quod fiat ob mercedem. Et ratio eſt, quòd Eccleſia non prohibuit operari die feſto propter mercedem, niſi quatenus prohibetur ipſum opus; ideoque ſi ratione feſti non prohibetur opus, nec prohibetur illud fieri ob mer-

cedem. Vnde fit opus liberale fieri poſſe die feſto ob mercedem, non item opus ex natura ſua ſeruile, & ſi fiat gratis.

QVÆRES X. An Regulares poſſint die feſto templa ſcopis verrere, ornare parietes tapetibus, & aulæis, purgare candelabra, aliaque id genus facere ſpectantia ad cultum diuinum.

19 ℞. Non poſſe ſine culpa veniali, ſi ea conſultò referuentur ad diem feſtum, & aliàs potuerunt præueniri. ita *Suarez l. 2. de diebus feſtis c. 21. n. 11. Caiet. v. feſtorum violatio Fagund. præc. 1. Eccl. l. 1. c. 14. n. 4. Sotus l. 2. de iuſt. q. 4. a. 4. Filliuc. tract. 27. nu. 156. Diana p. 3. tract. 5. reſol.* 8. alijque apud ipſos; & probatur, quia opera illa ſunt ſeruilia, adeoque prohibentur fieri die feſto; ex alia verò parte non continent materiam adeò grauem, & quæ ex coniunctione ad cultum Dei fit leuior. Imò ne veniale quidem peccatum erit dicta opera obire, ſi ea non poſſunt commode præueniri ſiue ob concurſum plurium dierum feſtorum, vel ob defectum eorum, qui templorum parietes ſciunt ornare, vel quia ornamenta debito tempore non fuerant data, vel ex alia rationabili cauſa. quod ſi interceſſit inaduertentia præcedens, aut obliuio, caret opus omni culpa, obliuione, aut inaduertentia excuſante: ſi verò ex negligentia contingat omitti opus, aderit poſtea neceſſitas, vt ſine nouo peccato opus fiat in die feſto: nobiſcum ſentit *Sanc. l. 5. conſil. c. 2. d. 22. numer.* 4.

QVÆRES XI. An Regulares poſſint die feſto efficere tabulatum, præparare ſcenam, & ſimilia præſtare ex occaſione comediæ, aut piæ repræſentationis apud ipſos faciendæ.

20 ℞. Poſſe: & colligitur tum ex *Sanchez l. 5. conſ. c. 2. d. 18. num.* 17. vbi ait, quod ſi recitanda ſit comædia in die feſto, poſſunt fieri apparatus, qui commodè non potuerunt præueniri: tum ex *Fagundez n.* 5. dicente cum *Suarez*, & *Azorio* licitum eſſe tabulata efficere, & architectare in die feſto, quando antecedenti die fieri non potuerunt, cum publici ludi fiunt, atque ſpectacula celebrantur recreationis cauſa: hoc enim & ratio ipſa, & publica vtilitas ſuadent: idque & ſi ex negligentia prædicta non fuerint conſtructa die antecedenti: tunc enim licèt peccatum fuerit in negligentia, ratione neceſſitatis, ac publicæ vtilitatis fieri poterunt in die feſto, vt benè aduertit idem *Fagundez.*

QVÆRES XII. An Regulares habentes priuilegium corrigendi libros prohibitos, aut edentes aliquem librum, in quo ex incuria Typographi errores aliqui grauiores irrepſerint, poſſine die feſto dictos libros corrigere, tum delendo loca mendoſa calamo, tum ea tegendo pagellis glutine affixis.

21 ℞. Videri poſſe, loquendo de libris prohibitis modo dicto corrigendis. moueor, quod, licèt illa conglutinatio pagellarum ex ſe cenſeatur opus ſeruile; cùm tamen correctio librorum vetitorum communiter committatur viris doctrina, ac prudentia conſpicuis, non autem ſeruis, non videtur habere rationem operis ſeruilis, ſed quaſi eleuari ad ſpeciem actus liberalis, qui proinde licitè exerceri poterit, etiam in die feſto. Quæ ratio non procedit in caſu, quo correctio illa conſideretur in poſteriori euentu: cùm tunc affixio pagellarum nullam doctrinam, ac prudentiam ſupponat, adeoque committi poſſit cuicumque homini mechanico, imò & communiter ſoleat; vt proinde non amittat rationem operis ſeruilis. Quod tamen non videtur procedere in caſu, quo Author alicuius manuſcripti illud recognoſcens, vt errores in eo repertos abſque multiplicatis lituris corrigat, glutine pagellulas affigit, in quibus poſtea errorem corrigat: nam tale opus cum ſit proprium hominis docti, & ordinetur proximè ad inſtructionem intellectus, non videtur ſeruile, ſed liberale, adeoque non prohibitum in die feſto.

Quod ſi hac occaſione quæras, an die feſto concedi poſſit, vt ad multum tempus recognoſcatur regiſtrum foliorum in exemplis codicis recens impreſſi.

22 ℞. Non poſſe concedi: cum talis recognitio ſit opus verè ſeruile, quippe quod communiter exercetur à famulis Typographi ad ſimilia deputatis, & ordinetur non ad inſtructionem mentis, ſed ad libros conglutinandos, vt patet.

QVÆRES XIII. An Regulares poſſint ſcribere, imò & tranſcribere, etiam ex mercede, in die feſto.

23 ℞. Poſſe; cùm ſcribere pertineat ad Artem grammaticam, quæ inter liberales eſt prima; & ipſum tranſcribere ſit quoddam ſcribere, ac opus Artis grammaticæ: quod tamen limitat *Sanchez ſupra d. 9. num.* 6. dummodò tranſcribere ordinetur ad ſtudium; hinc inferens tranſcribentem ex officio, & ob lucrum libros, in quibus cantus figuratus deſcribitur, vel priuilegia, vel aliæ tales ſcripturæ, peccare, ſi hæc fiant in die feſto: quam limitationem non admittunt *Suarez ſup. c. 25. n. 4. Filliuc. tr. 27. n. 164. Fagund. ſup. cap. 11. num. 6. Caſtrus Pal. tract. 9. D. 2. p. 5. num.* 4. alijque apud ipſos ſuſtinentes tranſcribentem, etiam ex mercede, & ad Domini vſum ſine propria vtilitate, aut ſpirituali profectu non facere opus ſeruile, & conſequenter nec vetitum in die feſto. probant autem, quia tranſcribere cauſa addiſcendi certum eſt non eſſe opus ſeruile, nec redditur tale eò quòd fiat cauſa lucri, vt diximus *q.* 9. ex alia parte, quòd fiat in gratiam alterius abſque proprio profectu, non obſtat: cùm etiam amanuenſis, qui ſcribit altero dictante, non faciat opus ſeruile, & tamen in hoc ſolùm differat à tranſcribente, quod ille percipit auribus, quæ ſcribit, hic verò oculis. Præter quàm quòd non eſt ſimile de impreſſione, quia tam formatio literarum, quàm compoſitio, ac impreſſio ſunt opus mechanicum, vt pote directæ ad imprimendam chartæ talem figuram, quod eſt quid corporale: nec fit per modum locutionis, ac expreſſionis mentis, ſicuti fit tranſcriptio. Quamquam *Layman ſup. c. 2. num. 2. §. dico* 3. exiſtimet probabile eſſe, actum caracteres ordinandi, qui exercetur à Typographis, non eſſe opus ſeruile; aliàs ſuſtinens ipſam librorum impreſſionem eſſe ſeruile opus.

An autem dicatur exercere opus ſeruile, qui imprimit aliquam ſcripturam (quod interdum fit) non ordinando caracteres ſimul, vt faciunt typographi,

ſed

ſed ſingulos illorum ſeorſim manu comprimendo ſuper papyro, vſque dum exprimatur tota ſcriptura.

24 ℟. Dici exercere opus ſeruile; & inde ſuadetur, quod talis compreſſio caracterum facta manu perinde eſt, ac ea quæ fit torculari: ideòque ſicut hæc habet rationem operis ſeruilis iuxtà omnes Doctores; ſic & illa erit opus ſeruile.

QVÆRES XIV. An Regulares die feſto poſſint pingere, ſaltem gratia diſcendi, & cauſa voluptatis.

25 ℟. *Layman vbi ſuprà* pictores damnari non poſſe, ſi, poſtquam rei diuinæ ſatisfecerint, artem ſuā non magno apparatu, & ſine ſcandalo exerceant; ducti probabili, & ſatis inter ipſos vulgata perſuaſione artem ſuam, non ſeruilem, ac mechanicam, ſed liberalem eſſe; hancque ſententiam ideo vt probabilem ſe defendere aduerſus communem, eò quod ſciat, quàm ægrè pictores in Germania ſibi perſuaderi patiantur, vt feſtis diebus à pingendo omninò abſtineant. Sic *Sanchez ſup. d. 6. n. 8.* ex *Sylueſtro, Ang. Tabiena, Roſel. Armilla,* & *Caietano*, ſuſtinet excuſari eos, qui diebus feſtis picturas retractant ad diſcendum: cùm hoc non ſit exercitatio operis mechanici, ſed potiùs actus ſpiritualis diſciplinæ ordinatus ad diſcendum: idq; &ſi retractans imagines ad diſcendum inde referat lucrum vendendo imaginem; cùm intentio lucri opus non efficiat illicitum; quod notat idem *Sanch. num. 9.* Sic *Filliuc. tract. 27. num. 167.* concedit pingere voluptatis cuiuſdam gratia, ac recreationis, vel ob peritiam ad non magnum tempus valdè probabile eſſe accedere ea ratione ad opus liberale: quod eſt dicere opus pingendi ſimpliciter non eſſe ſeruile. Sic *Azorius p. 2. l. 1. c. 27. q. 6.* ait tuta conſcientia facere iuuenes, qui cupidi diſcendi artem pingendi in ea loca ſe abdunt diebus feſtis, in quibus Sanctorum imagines, aut Ducum, Imperatorum, & Regum effigies pulchrè depictæ cernuntur, quas intentis oculis, & animis intuitu pingendi imitantur: idem ſentiunt *Sayrus, Medina, Lud. Lopez, & Sa* relati à *Caſtro Palao ſup. num. 6.* oppoſitum ſuſtinente cum *Suarez, Caiet. Fagund.* & alijs: quorum opinio vtiq; eſt probabilior; at meo iudicio non eſt improbabilis etiam contraria; maximè, cùm pro ſe habeat tot Doctores, & adeò graues, aliaſque ſit fauorabilis fragilitati hominum: qui (vt concedunt etiam Aduerſarij) maximè ſi ſint ſæculares, toto die feſto non poſſunt vacare orationi, ac lectioni; ideoque ne ſint otioſi, vel actibus minùs honeſtis occupentur, moraliter loquendo, egent aliqua operatione; quæ proinde permitti poterit tanquam medicina ad vitandam culpabilem otioſitatem.

QVÆRES XV. An Regulares in die feſto licitè poſſint venari, aucupari, & piſcari.

26 ℟. Poſſe, ſi hæc faciant recreationis cauſa, & in ſpecie piſcatio fiat in flumine ſine multis operis, ac labore. & ratio eſt, quòd, quamuis venari, aucupari, & piſcari ex genere ſuo ſint opera ſeruilia (vt latè oſtendunt *Suarez ſup. c. 28. n. 3. Fagund. c. 11. num. 16. Caſtrus Pal. n. 9. Filliuc. num. 173.* & alij) ideoque iure communi vetita cenſeantur in die feſto; vt colligitur ex *cap. licet de ferijs*: conſuetudo tamen obtinuit, vt licita cenſeantur, ſi fiant modo ſup. dicto. ita *Layman ſup. n. 6. Filliuc. n. 174.* alijque plures relati à *Sanchez d. 14. n. 1. & d. 15. n. 1.* dicente *nu. 2.* plures viros doctos è Societate cenſuiſſe non videri condemnandum illum, qui tota die feſti, audita miſſa, arundine piſcaretur; &ſi id faceret omninò ob lucrum: quod non reijcit *Sanchez*, imò approbat dicens cum *Palacios in ſumma v. feſtorum violatio* ſententiam ſuſtinentem licere piſcari in die feſto, etiam cauſa lucri, eſſe veriorem: nec à nobis diſſentit *Fagundez*, cùm dicat *nu. 16.* de piſcationibus in fluminibus recreationis cauſa, non eſſe dubitandum ex conſuetudine licere; maximè, quando ſunt moderatæ, & fiunt ſine magno labore miniſtrantium: conſuetudo enim poteſt rigorem legis remittere, ac temperare, vt benè aduertit *Suarez l. 2. de diebus feſtis c. 28. n. 5.* hinc concedens poſſe excuſari venationem, quæ ſit moderata, & fiat ſolùm à prandio per 2. aut 3. horas; idque tum ex leuitate materiæ; tum ex quadam morali neceſſitate ad vitandum otium, aut peiora opera.

Quærendum hìc eſſet an, & qualiter in die feſto prohibeantur actus bellandi, mercatus, & placitum; ſub quo comprehenduntur citatio partis, formatio proceſſus, ſeu cognitio cauſæ, & ſententia. Verùm, cùm hæc per ſe non ſpectent ad Regulares, & aliàs commodè videri poſſint apud *Suarez ſup. c. 28. Fagundez n. 21. 22. & 23. Caſtrum Palaum p. 6. & 7. Layman n. 6. 7. & 8. Filliucium n. 175. & c. 10. per totum,* & alios; non eſt cur in ijs explicandis hic diutiùs immoremur.

QVÆRES XVI. An, & qualiter obligatio diei feſti transferatur de vna in aliam diem.

27 ℟. Transferri, non quidem quò ad obligationem audiendi miſſam, & vacandi ab operibus ſeruilibus, ſed tantùm quò ad eccleſiaſticum Officium, vt conſtat ex ipſo vſu Eccleſiæ. ita *Suarez ſup. c. 31. num. 7.* & cum eo *Fagundez præc. 1. Eccl. l. 1. c. 2. n. 10.* monens ex *Azorio p. 2. l. 1. c. 28. q. 8.* translato Officio feſti occurrentis non transferri indulgentias intuitu illius conceſſas: quippe quæ ex voluntate concedentis ſunt annexæ certo diei, ac proinde ſine ſpeciali priuilegio non poſſunt transferri; quod tamen negant *Sylvius in ſuis reſolutionibus v. indulgentia num. 2. & Diana p. 6. tr. 7. reſol. 31.*

QVÆRES XVII. An, & qualiter abrogari poſſit obligatio dierum feſtorum, tam papalium, quam epiſcopalium.

28 ℟. Quòd, cùm deſignatio diei feſti ſit de iure humano, & ius humanum poſſit conſuetudine abrogari, minui, ac mutari (vt tradunt communiter Doctores cum *S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 1.* & eruditè probat *Baldellus l. 5. ſumm. D. 53. nu. 1.*) vtique & præfata deſignatio diei feſti poterit abrogari per conſuetudinem 40. annorum: ſi enim talis conſuetudo ſufficit ad derogandum Paulinæ *de rebus Eccl. non alien.* iuxtà *Gutierez l. 1. quaſt. canonic. q. 8. num. 20.* & *Couar. l. 2. variar. cap. 16. à numero 1. vſque ad 16.* vtique ſufficiet & in præſenti caſu. Nec obſtat ad præſcribendum contrà Eccleſiam Romanam requiri conſuetudinem centenariam *cap. cum vobis, cap. ad audientiam cap. ſi diligenti de præſcript.* id enim ſolùm procedit in caſu, quo per præſcriptionem,

ac conſuetudinem derogandum ſit rebus Eccleſiæ Romanæ; non item, quando derogandum eſt ſolis legibus latis à Papa; vt cum *Abbate c. fin. de conſuetudine* docent *Molina tom. 1. de iuſt. D. 77. column. 1. Sanch. l. 4. mor. c. 38. nu. 22.* & alij. Quòd ſi ad derogandum feſto inſtituto à Papa ſufficit conſuetudo annorum 40. à fortiori ſufficiet ad derogandum feſto epiſcopali, vt benè aduertit *Fagundez cap. 6. n. 10.*

29 Monet autem *Fagundez num. 11.* & benè quòd, cùm in eadem ciuitate, ac loco poſſint eſſe variæ leges iuſtæ pro varijs communitatibus mechanicorum (ſiquidem vnumquodque genus mechanicorum ſuam conſtituit veluti rempublicam, quæ ſuis legibus gubernetur) poteſt contingere, quod excuſetur à peccato certum genus mechanicorum (v.g. Sartorum,) ſi conſuetudo ſit illos ſolùm operari die aliquo feſto; reliquo populo illum colente: nimirum ſi maior pars dictorum mechanicorum obſeruet diem illum: dignus enim ad ſe trahit minùs dignum: intellige, ſi præfata conſuetudo ſaltem tacitè approbata ſit ab Ordinario loci; vt rectè aduertit idem *Fagund. vbi ſup.* & *Filliucc. tr. 27. n. 227.*

QVÆRES. XVIII. An, & quo modo Regulares poſſint à proprio Prælato Ordinis diſpenſari ſuper obſeruantia feſtorum.

30 ℞. Poſſe, & conſtat, quia Doctores communiter tradunt ordinarios locorum poſſe ex cauſa diſpenſare, vt ipſorum ſubditi in die feſto etiam papali poſſint exercere opus aliquod ſeruile: vt docet *Azorius ſup. c. 28. qu. 5. §. poſtremo*, docetque quotidiana experientia; ex alia verò parte hîc nomine ordinariorum veniunt non ſolùm Epiſcopi, ſed etiã ij, qui ex conſuetudine, vel iure habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem; cuiuſmodi ſunt Prælati regulares, ſiue mediati, ſiue immediati; vt in terminis notat *Fagundez ſup. c. 14. num. 28. ex gloſſa in cap. quemquam de vſuris in 6. v. loci Ordinario*, monens tamen illos poſſe diſpenſare cum ſuis domeſticis tantùm intrà clauſtra degentibus; & cum illo *Caſtrus Pal. ſup. p. 10. n. 5.* dicens nomine Ordinariorum in præſenti materia comprehendi Superiores Religioſorum reſpectu ſuorum ſubditorum: quod eſt dicere illos nequaquam poſſe diſpenſare ſuper obſeruantia feſtorum cum ſæcularibus famulis intrà clauſtra degentibus; cum hi nõ ſint illorum ſubditi: vt notauit *Portellus de dub. reg. v. Abbas num. 11. ex Azorio ſuprà.*

31 Vnum moneo ex *Filliucio nu. 225.* quod ſi cauſa diſpenſandi ſuper feſtorum obſeruantia ſit euidenter iuſta, non eſt opus diſpenſatione, niſi ad vitandum ſcandalum, ac pro foro externo. quod etiam aduertit *Suarez c. 33. n. 3.* addens *num. 4.* in præſenti materia, per ſe loquendo, non ſufficere præſumptionem, vel ratihabitionem, ſi cauſa concurrens ad obtinendam diſpenſationem ſit dubia, & pateat acceſſus ad Superiorem; ſufficere verò, ſi non pateat acceſſus, vrgeat neceſſitas, & probabile iudicium fiat de ſufficientia cauſæ.

32 Addo ex *Fagundez num. 27.* quòd cum cauſa diſpenſandi ſuper obſeruantia diei feſti poſſit dari vel rarò, vel crebrò; ſi rarò contingat, ſufficit Ordinarium diſpenſare ſemel tantùm, & pro vna vice; ſi verò ſæpe, tunc poteſt frequenter cum aliquo diſpenſare: idque ex epicheia iuris communis in eo fundata quòd non præſumitur Eccleſia velle obligare fideles, vt cum tanto ſuo damno obſeruent dies feſtos; & aliunde nemo poſſit eſſe rectus iudex in cauſa propria, vt ſecum diſpenſet, vnde fit, vt adiri debeat proprius Ordinarius, qui examinata cauſa, hanc diſpenſationem concedat, aut deneget.

33 Porrò ſi dies feſtus, ſuper cuius obſeruantia diſpenſandum eſt, inductus ſit vel ab ipſo Ordinario, vel à conſtitutione ſynodali, vel à cõſuetudine populi, aut ciuitatis approbata ab Ordinario: poteſt is illum diem feſtum in totum, vel in partem abrogare, etiam abſque vlla cauſa; & tunc nec peccat ipſe ſic diſpenſando, nec peccant ſubditi vtentes ea diſpẽſatione (intellige peccato mortali) vt aduertit *Fagund. cap. 14. num. 26.* docens è contrà ordinarium ſic diſpenſantem grauiter peccare; quod tamen negant *Layman l. 1. tract. 4. c. 22. n. 13. Salas D. 20. de leg. n. 54. Sanch. l. 1. mor. c. 20. num. 2.* & alij, quos citat, & ſequitur *Diana p. 1. tr. 10. reſol. 32.* monens petentes diſpenſationem in caſu propoſito etiam ipſos peccare ſolùm venialiter, petendo, imò ne venialiter quidem præfata diſpenſatione vtendo. Quòd ſi ordinarius ſine cauſa diſpenſat ſuper die feſto à iure communi inducto, peccabunt mortaliter tam ipſe, quàm petentes diſpenſationem, ac ea vtentes, & diſpenſatio eſt nulla; vt aduertit idem *Fagundez ſup. num. 27.* alijs citatis.

34 Quòd ſi fortè Ordinarius diſpenſet ſuper die feſto inducto à iure communi, vel à Papa ſine vlla cognitione cauſæ, cùm tamen adſit vera, ac legitima cauſa diſpenſandi: putat *Sanchez l. 8. de matr. D. 17. n. 11.* diſpenſationem tenere pro foro conſcientiæ, vſque dum reuocetur in foro externo, at peccare mortaliter ſic diſpenſantem: in quo diſſentiunt alij relati ab ipſo *Sanchez n. 10.* ſuſtinentes, & diſpenſationem eſſe nullam, & ſic diſpenſantem peccare mortaliter.

QVÆRES XIX. Ex quibus cauſis excuſari poſſint Regulares, & alij à feſtorum obſeruantia.

35 ℞. Excuſari poſſe ex varijs cauſis; quæ ex *Caſtro Palao tr. 9. D. vn. p. 10. n. 1.* reduci poſſunt ad 4. capita, videlicèt ad religionem, pietatem, neceſſitatem, ac diſpenſationem: quę cum latè explicentur à Doctoribus tractantibus de obſeruatione feſtorum, ad eos ſtudioſum lectorem remitto cap. ſequenti declaraturus præceptum audiendi miſſam comprehenſum in generali præcepto obſeruãdi dies feſtos.

SECTIO II.

De obligatione Regularium quoad audiendam Miſſam in die feſto.

36 *Regulares die feſto tenentur audire miſſam ex præcepto Eccleſiaſtico.*

Etſi

37 *Etſi iura, in quibus fertur hoc preceptum, loquantur ſolum de ſæcularibus.*

38 *Obligatio hæc adſtringit ſub mortali; & ſi admittat paruitatem materiæ.*

39 *Vi illius audienda miſſa diebus Dominicis, & diebus feſtis ſub præcepto.*

40 *Et quidem diebus feſtis indictis ab Ordinario loci, in quo degunt; nec non feſtis occurrentibus Mediolani in feria ſexta Quadrageſimæ, in qua feria ritu Ambroſiano miſſa non celebratur, etiam occurrente feſto ſub præcepto.*

41 *Item feſto die occurrente in feria V. aut Sabbato hebdomadæ maioris; ſecùs, ſi occurrat in feria 6. euſdem hebdomadæ.*

42 *Regulares iure communi non tenentur miſſam audire frequentiùs, quam laici.*

43 *Vt ſatisfaciant præcepto miſſæ audiendæ requiritur, & ſufficit moralis præſentia, ſicque ſimul mutus, ſurdus, ac cæcus aſtringitur iſto præcepto.*

44 *Implent hoc præceptum, ſi miſſam audiant in choro poſt altare maius interpoſito muro.*

45 *Item, ſi audiant è feneſtra poſita è regione templi, in quo celebratur.*

46 *Requiritur item ad implendum hoc præceptum intentio, ſaltem virtualis, non quidem implendi præceptum, ſed ſolùm implendi id, quod præcipitur.*

47 *Quin etiam dicitur ſatisfacere qui audit cum intentione expreſſa non ſatisfaciendi præcepto, & cognoſcit id ſufficere; & hoc, licèt non reuocet priorem illam voluntatem: quod negat Suarez.*

48 *Ad implendum hoc præceptum ſufficit attentio externa ſola (etſi alij diſſentiant) ſicque confabulans liberè tempore miſſæ non debitæ facilè excuſatur à mortali: declaratur, quæ ſit attentio interna, & quæ externa.*

49 *Implet hoc præceptum, qui tempore miſſæ recitat preces ex alio titulo debitas.*

50 *Item iuxta aliquos, qui tunc confitetur ſua peccata, etſi per tempus notabile.*

51 *Item qui inſeruiens miſſæ huc, & illuc diſcurrit ob neceſſaria ad ſacrificium.*

52 *Item qui non intereſt tempore conſecrationis, ſi interſit tempore Communionis.*

53 *Indicatur, quæ ſit pars notabilis miſſæ, cuius omiſſio ſit mortalis.*

54 *In die Natiuitatis Domini vnica miſſa ex præcepto audienda: & ad hoc ſufficit audire miſſam coram Papa ſolitam celebrari nocte Natiuitatis.*

55 *Accedens ad miſſam poſt Conſecrationem, ſi aliam audire nequeat, non tenetur audire reliquum miſſæ illius.*

56 *Audiens miſſam non tenetur aſſiſtere ei, dum celebrans in* Memento *diutius protrahit orationem.*

57 *Implet præceptum miſſæ, qui mediam miſſam vnius Sacerdotis audit, v. g. à conſecratione vſque ad finem, & aliam mediam alterius Sacerdotis vſque ad conſecrationem.*

58 *Item iuxta aliquos, qui eodem tempore miſſam audit ab vno Sacerdote à principio vſque ad conſecrationem, & ab alio audit à conſecratione vſque ad finem.*

59 *Item iuxta aliquos, qui tres miſſas ex diuerſo titulo debitas ſimul audit.*

60 *Non tenetur ad miſſam peregrinus tranſiens per locum, in quo celebratur feſtum diœceſanum de præcepto: & hoc idem procedit, etiamſi in loco ſui domicilij celebretur item feſtum diœceſanum ſub præcepto.*

61 *Non tenetur Religioſus, ſi recedens à loco domicilij, in quo eſt feſtum diœceſanum ante meridiem peruenturus ſit ad locum, in quo non eſt feſtum; & hoc, licèt eadem die rediturus ſit ad locum domicilij.*

62 *Regulares in loco interdicto tenentur ad miſſam, ſed non ſemper: idque ex cap.* Alma mater, *non autem quod teneantur vti priuilegio ad hoc ijs conceſſo.*

63 *Audientes miſſam in Oratorio priuato viri ſæcularis non ſatisfaciunt præcepto, & ſi videatur diſſentire ingenioſus Recentior doctiſſimus.*

64 *Præuidens impedimentum, ne miſſam audiat, tenetur præuenire, ſed non ſemper.*

65 *Non peccat contra miſſæ præceptum dans cauſam excommunicationi, aut non procurans abſolui ab illa iam contracta.*

66 *Peccat verò, qui ſcit fore, vt per vltimas tres horas nequeat audire miſſam, & non præuenit, cum commodè poſſit.*

67 *Item qui voluntariè ſe facit impotentem ad miſſam audiendam: & ſi alij diſſentiant.*

68 *Vnicum facit peccatum, qui omittit miſſam debitam tum ex præcepto Eccleſiæ, tum ex Regula ſui Ordinis.*

69 *Regulares ab huius præſenti obſeruantia excuſantur pluribus ex cauſis, maximè ex impotentia, quæ tamen interdum non excuſat ex errore.*

70 *Super obſeruantia huius præcepti diſpenſantur à proprio Prælato.*

QVÆRES I. An, & quo iure teneantur Regulares audire Miſſam in diebus feſtis.

36 ℞. Teneri ex præcepto eccleſiaſtico lato in multis decretis, & maximè in cap. *Omnes fideles de conſecrat. d. 1.* quod ſic habet: *Omnes fideles, qui conueniunt in ſolemnitatibus ſacris ad Eccleſiam, &* ſcripturas Apoſtolorum. & euangelium audiant; qui autem *non perſeuerant in oratione vſque dum miſſa peragatur, conuenit communione priuari*: quamquam hoc præceptum non obliget ſtrictiùs Regulares, quàm reliquos fideles; quippe quod obligat Regulares ſolùm, quatenus veniunt nomine fidelium, nec quò ad illos inducit maiorem vllam obligationem, quòd mihi conſtet.

37 Nec obſtat, quòd in *cap. miſſas eod. tit.* tale præceptum videtur imponi ſolis ſæcularibus, non autem Regularibus, alijſque perſonis eccleſiaſticis: ſiquidem ibi dicitur *Miſſas die Dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus*: cum enim *caput omnes fideles* deductum ſit ex canone Apoſtolorum, antiquius eſt, quàm *caput miſſas*, & per hoc caput non abrogetur *caput omnes*; neceſſariò ad illius ſenſum trahi debet *caput miſſas*)

iuxtà regulam iuris, quod omnes leges moderniores trahendæ ſunt ad ſenſum antiquiorum, cùm de eadem re diſponunt, & antiquiores non abrogant: præterquàm quòd,&ſi daremus in *cap.miſſas* vi textus comprehendi ſolùm ſæculares; vſus tamen, & praxis Eccleſiæ communis inuiolata, ac inueterata conſuetudine obſeruatus quò ad eam partem illud abrogauit, aut ſaltem illius mentem interpretatur: cùm in *cap. miſſas* ſpecialis mentio fiat de ſæcularibus, vt intelligatur eò magis Religioſos, alioſq; Eccleſiaſticos teneri ad hanc obligationem,cùm indignùm ſit à diuino cultu excludere illos, qui ratione ſtatus ad illum magis obligantur; vt notauit *Suarez D.88.de Sacram.ſect.4.§. iam verò.*

QVÆRES II. Quæ, & qualis ſit obligatio huius præcepti.

38 ℞. Eſſe grauem, adeoque tranſgreſſionem dicti præcepti eſſe mortalem: quidquid dicant *Angelus v.feriæ num.42.Richard.Roſella,* & *Turrecremata* relati à *Suarez ſup.*negantes omiſſionem Miſſæ in die feſto eſſe peccatum m. niſi fiat ex contemptu formali, ſeu virtuali; quem contemptum virtualem putant interuenire, quando quis abſque cauſa legitima aſsueſcit ad omittendam miſſam. Ratio reſponſionis eſt, quòd tenor *capitis omnes fideles* relati q. *præcedenti* importat præceptum, & materia, quam continet, ex genere ſuo eſt grauis, vtpote pertinens ad cultum Dei: ſicque non ſolùm aſſidua miſſæ omiſſio erit mortalis,ſed etiam quælibet omiſſio particularis; vt notauit *Suarez ſup.* inferens *ſect.ſeq. §.ex hac certa* non poſſe fideles voluntariè,& ſine legitima cauſa omittere aliquam partem miſſę,etiam minimam ſine culpa (intellige, veniali) cum ſic ſaltem in parte non impleatur pręceptum: quod mihi minùs probatur; cum paruitas aliqua materię excuſare poſſit, etiam à veniali; vt expreſſè docet *Rebellus l.9.q.8.ſect.vlt.num.35.* de negotiatione facta in die feſto ita modica, vt pro nihilo haberi debeat.

QVÆRES III. Quibus diebus teneantur Regulares ad miſſam vi præcepti eccleſiaſtici hic relati.

39 ℞. Teneri in diebus Dominicis, & in omnibus feſtis ex pręcepto: licèt.n. in *cap. miſſas* ſolùm fiat mentio de diebus Dominicis, ex conſuetudine tamen, ac vſu Eccleſię communi idem debet intelligi de omnibus feſtis ex pręcepto: & meritò,cùm ratio militans pro Dominicis procedat de omnibus feſtis ex pręcepto; nempe vt in talibus diebus ad diuinum cultum deputatis exerceatur hic cultus audiendi miſſam, qui ſolus præcepto propriè affirmatiuo mandatur omnibus fidelibus in Eccleſia; cùm reliqua feſtorum obſeruatio ſit potiùs negatiua, vacandi ſcilicet ab omni opere ſeruili.

40. Moneo hic Regulares vi huius præcepti teneri ad Miſſam non ſolù in diebus feſtis vniuerſaliter obſeruatis in Eccleſia, ſed etiam in ijs, qui ab Ordinario dięceſis,iuxtà dicta *cap.præcedent.q.7.*indicantur per conſtitutionem aut legem fixam, vel etiam pręcepto tranſeunte, ac durante pro die illo.cùm enim Regulares teneantur ad feſta, quæ in ſua diœceſi ſeruanda præcipiunt Ordinarij, & in quodlibet die feſto ex pręcepto teneantur ad miſſam: ſequitur illos vi huius pręcepti eccleſiaſtici teneri audire miſſam in ijs diebus feſtis, qui obſeruari pręcipiuntur ab Ordinario dięceſis, vbi degunt: non item in ijs, qui ex conſuetudine, vel voto populi obſeruantur vt feſtiui, cùm Regulares ad horum obſeruantiam non teneantur, vt oſtendimus *cap.præced.q.7. citato §.notant.*

An autem Regulares degentes Mediolani, poſito ritu Ambroſiano, quod in ferijs ſextis Quadrageſimæ non celebretur Miſſa, & ſi in aliqua illarum occurrat feſtum ſub pręcepto (v.g. Annunciationis B.V.Mariæ) teneantur ſub pręcepto audire Miſſam in caſu, quo in aliqua ex dictis ferijs ſextis contingat feſtum ſub pręcepto; cùm ipſi iuxta ritum Romanę Eccleſię de facto celebrent Miſſam tali die.

℞. Teneri: cum ipſi diuina Officia celebrent, nō ritu Ambroſiano, ſed Romano, adeoque Miſſam celebrent tali die, ac proinde reſpectu ipſorum ceſſet ratio excuſans Mediolani fideles à pręcepto audiendi Miſſam in tali caſu.

Dubitari hic poteſt, an Regulares, & alij fideles teneantur audire Miſſam, ſi contingat celebrari feſtum aliquod ex pręcepto die Iouis ſancti, aut Veneris ſancti, aut Sabbati ſancti.

41 ℞. Non teneri,ſi feſtum incidat die Veneris ſancti; cùm Miſſa illius diei non contineat integrum ſacrificium, & aliàs nimis durum foret ſingulis fidelibus implere hoc præceptum,ſtante quòd ea die Miſſa ſolùm celebratur in Eccleſijs collegiatis, & tardiùs; ſicque pro noſtra reſponſione ſtat declaratio Sacrę Congregationis hac de re facta, teſte *Gauanto in manuali Epiſc.v.hebdomada maior n.9.* Secùs, ſi feſtum incidat in diem Iouis ſancti, aut Sabbati ſancti: tunc enim cùm Miſſa contineat integrum ſacrificium, videntur fideles teneri audire Miſſam, ſin minùs omnes, ſaltem pro maiori parte familię, reliquos excuſante impotentia. ita *Fagund.præc.1. Eccl.l.3.c.4.num.17.* & *Nald.v.Miſſa n.20.*addens in fine, hac in re attendi debere locorum conſuetudinem.

42 Addo ex *Suarez ſup.ſect.4.§.quin potiùs,*nullam de facto extare legem vniuerſalem, obligantem Religioſos, vt Miſſam frequentiùs audiant, quàm *laici*; ac proinde cuicumque Religioſo inſpiciendas eſſe proprij Ordinis Conſtitutiones, & ſtatuta; quamuis Religioſi communiter ex ſtatuto,aut conſuetudine Ordinum ſuorum teneantur ad quotidianam Miſſę auditionem.

QVÆRES IV. Quid requiratur ad hoc, vt Religioſi cenſeantur ſatisfacere pręcepto eccleſiaſtico de audienda Miſſa.

43 ℞. Requiri, non quidem vt Miſſam videant,aut audiant;(aliàs cęcus,aut ſurdus non eſſent capaces talis pręcepti)ſed vt ei moraliter interſint, ideſt humano modo dici poſſint ei eſſe preſentes; ita vt aliquo ſenſu externo percipiant id,quod ſit ſurgendo, & aſſurgendo, genua flectendo, ac pectus tundendo cum alijs item aſſiſtentibus: quod eſt eſſe moraliter pręſentem ſacrificio Miſſę, vt notauit *Fagund. ſup.l.2.c.7.nu.3.* ex *Sanchez, Ledeſma,* ac *Segura,* monens, ad hoc vt quis dici poſſit moraliter pręſens, ſufficere, quòd aliquo ſenſu externo percipere poſ-

ſit

ſit id, quod ibi fit; & hinc inferens illum, qui in magna populi frequentia aſſiſtit miſſæ pone columnã templi, ſatisfacere, etſi Sacerdotem celebrantem non videat; nec audiat; cùm adhuc poſſit ſurgere, genuflectere, & percutere pectus, vnà cum alijs fidelibus aſſiſtentibus. Et quidem quòd ad implendum hoc præceptum requiratur moralis præſentia modo dicto, patet quia præceptum audiendi miſſam ſolùm obligat ad corporalem aſſiſtentiam, ac præſentiam ad rem ſacram; ſi enim quis in propria domo per totum miſſæ tempus ſit attentus, & oret, non ideò implet hoc præceptum, cùm non aſſiſtat Miſſæ corporaliter: hæc autem præſentia corporalis natura ſua ordinatur ad percipienda ſenſibiliter verba, ac ceremonias miſſæ; ſicque requiritur talis præſentia, qualis eſſet neceſſaria ad ea percipienda. Verum tamen eſt, quòd cùm teſte *Sanchez l.3. de matr. D.39. num.2.* percipere idem ſit, ac ſenſu aliquo externo aduertere ad ea, quæ fiunt, & quinque ſint ſenſus externi, ad dictam moralem præſentiam ſufficit rem diuinam percipi aliquo ex præfatis ſenſibus; itaut vel videantur ceremoniæ, vel audiantur verba, vel ſaltem aſſiſtens percipere poſſit, & attendere ad diuina myſteria, quæ ibi peraguntur. ita *Fagund. ſup. nu.2.* alijque communiter.

Quare Religioſus ſimul mutus, ſurdus, & cœcus tenetur præcepto miſſæ; vt in ſpecie notat *Diana p.5. tra.6. reſol.8. ex S. Antonino, Sylu. Soto, Nau. Azor. Fagund. & Præpoſito*; id inde probans, quod talis Religioſus, moraliter loquendo, poteſt ſenſu aliquo externo præſentialiter adeſſe miſſæ, & attendere ad id quòd fit, illudque percipere: quod ſolum præcipitur in *cap. miſſas de conſecrat. d.1.* per verbum *audire*.

44 Vnde infert *Card. de Lugo D.22. de Euchar. num.20.* Religioſos, qui in choro cantant, ſatisfacere præcepto miſſæ, etſi non videant Sacerdotem, vtpote iuxta vſum Romanum exiſtentes in Choro poſt altare maius interpoſito muro; adhuc enim moraliter aſſiſtunt ſacrificio miſſæ, videntque poſteriorem partem altaris correſpondentem choro. quo pacto dici poteſt præſens miſſæ, qui eſt in templo, ad quod magna populi confluxit multitudo; cùm verè ſit pars multitudinis, quæ dicitur præſens, & moraliter coniungitur cum illis, qui ſunt in conſpectu altaris; dum tamen diſtantia non ſit tanta, vt ipſe velut extrahatur ob humana præſentia. quare vt aliquis moraliter dicatur præſens miſſæ, non ſufficit illum eſſe intra idem templum (vt ſi in Baſilica Romana S. Petri in aliquo altari fiat miſſa priuata, non ſufficit, quòd quis in ea exiſtens intendat audire miſſam, quam ſcit tunc dici in aliquo altari dicti templi) ſicut nec requiritur, quod ſit intrà templum, vt auditi poſſit miſſa, quæ in ea dicitur; ſed totum hoc iudicio prudentis viri regulandum eſt ad iudicandum, an homo dicatur moraliter præſens illi actioni, itaut humano modo dici poſſit ipſi aſſiſtere.

45 Hinc colligi poteſt cum *Cardinali de Lugò ſup. nu.21.* ſatisfacere præcepto miſſæ illum, qui audit miſſam è feneſtra propriæ domus poſitæ à regione Eccleſiæ, in qua tunc celebratur; ſi inter feneſtram, & Eccleſiam ſit tanta propinquitas, vt non impediatur moralis præſentia: prout de facto (inquit *Cardinalis*) in hoc noſtro Collegio Romano habemus ſacellum priuatum, cuius altare è feneſtris domus aduerſæ non plus quam 30. paſſus diſtat, ac perinde ab illa feneſtra audiri poteſt, vel percipi miſſa, licèt via publica intercedat, ac ſi intrà paruam Eccleſiam audiretur ab aliquo ibi exiſtente. ita *Cardinalis*, non omninò diſſentiente *Gordono to.2. l.6. q.7. cap.2. §.3. num.12.* & ſatis probabiliter; quamuis contrà communem aliorum Doctorum ſenſum, qui (quod ego ſciam) hactenus non ſunt auſi amplecti opinionem hanc, fortè imposterum eam ſecuturi tanto Doctore duce. *Filliucius* certè *tr.5. n.209.* concedit, quòd ſi miſſa diceretur in aliqua platea (quod fit interdum) ſatis eſſet miſſam è domo audire, ac videre, eo quòd tunc corporalis præſentia multò amplior intelligatur, & in talibus circumſtantijs dici poſſet quis moraliter præſens actioni factæ in platea.

QVÆRES V. An, & qualis intentio requiratur in Regularibus ad implendum præceptum miſſæ.

46 ℞. Requiri intentionem, ſin minùs formalem, ſaltem virtualem, non quidem ſatisfaciendi præcepto miſſæ (vt conſtabit ex mox dicendis) ſed implendi id, quod præſcribitur in dicto præcepto, itaut velint facere, quod præcipitur. Ratio eſt, quòd præceptum audiendi miſſam præſcribit actũ humanum; actus autem humanus non fit ſine voluntate: vt videri poteſt in actu audiendi miſſam, qui componitur ex præſentia morali, attentione, ac intentione formali, ſiue virtuali implendi præceptum. ita *Suarez D.88. de Sacram. ſect.3. Azorius p.1. l.7. cap.2. qu.6. Sanch. l.1. mor. cap.13. numer.8. & ſeqq.* alijque quorum aliqui rectè notant voluntatem, ſeu intentionem formalem dici illam, qua quis directa intentione vult præceptum aliquod implere, elicito hoc actu, *Volo facere hunc actum mihi ab Eccleſia præceptum* (v.g. audire miſſam) voluntas verò, ſeu intentio virtualis eſt ea, quæ relinquitur in nobis, & manet poſt intentionem formalem; v.g. audiuiſti miſſam in die feſto de præcepto immemor diei feſti; hoc ipſo quòd non eliciuiſti hunc actum poſitiuum *Nolo per hanc miſſam implere præceptum*, habuiſti intentionem virtualem implendi illud; imò de facto illud impleuiſti; cùm præcepta ſolùm obligent ad actum, quæ præſcribitur, non autem ad faciendum actum ex intentione formali, vel virtuali implendi præceptum.

47 Imò, quod maius eſt, ſatisfacit præcepto miſſæ, qui illam audit habens intentionem expreſſam non ſatisfaciendi præcepto: idque licèt poſteà non reuocet voluntatem, iam volens ſatisfacere per miſſam priùs auditam: vt enim diximus ad implendum præceptum ſufficit facere actum impetatum per ipſum præceptum; nec opus eſt, vt actum faciamus cum intentione formali, aut virtuali implendi præceptum; quare in caſu propoſito qui miſſam audiuit nolens ſatisfacere præcepto, & intendens ad talem effectum audire aliam miſſam; ſi poſtea aduertens, ſe non obſtante illa intentione; reue-

reuera ſatisfeciſſe, non audiat aliam miſſam, non peccar neque peccato violationis affectiuæ, etſi nullam voluntatem eliciar ſatisfaciendi præcepto per miſſam iam auditam: quippequi videt ſe, audira ſemel miſſa, non poſſe violare præceptum de miſſa audienda; ſicque non videtur poſſe habere affectum illud violandi (niſi fortè ex conſcientia erronea) quod eſt contra *Suarez l. 4. de horis canon. cap.26. num.10.* docentem in caſu propoſito requiri dictam mutationem voluntatis, non ad realem præcepti adimpletionem, ſed ne ille, qui modo dicto audiuit miſſam, affectiuè peccet per affectum, ac voluntatem violandi præceptum, quantùm in ſe eſt.

QVÆRES VI. Qua attentione debeant Regulares audire miſſam, vt debito modo ſatisfaciaut præcepto de Miſſa audienda.

48 ℞. Quòd, licèt *Suarez ſup. nu.13. Vaſq. 1. 2. D. 160. n.30. & 31. Sotus, Nauar. Medina, Malder. Caiet. Viguer.* & alij plurimi relati à *Diana p.2. trac.12. reſol.2.* doceant ad implendũ pręceptũ miſſę requiri attentionem, tum internam, rum externam̃, ideoq; peccare morraliter illum, qui per partem miſſæ notabilem voluntariam admittit mentis euagationẽ: contrariam tamen ſententiam ſuſtinent non ſolùm recentiores, ſed antiquiores multi *Sylueſter. Durand. Medin. S. Anton. Angel. Palud. Roſel. & Valerus*, quos refert, & ſequitur *Diana*, quibus addi poſſunt *Coninc̃us, Hurtad. Leſſius, Henriq. Laym. & Fagundez* relati à *Cardinali de Lugo D. 22. de Euchar. nu. 25.* nobiſcum ſentiente. Probatur aurem reſponſio hæc, quia præceptum audiendi Miſſam obligar fideles ſolùm, vt Miſſæ aſſiſtant per modum orationis, vt infrà; ar oratio facta Deo quò ad ſubſtantiam poreſt conſiſtere cum voluntaria mentis diſtractione: ſiquidem orare eſt loqui cum illo, quem oramus; & alioqui poreſt quis ſubſtantialiter loqui, etiam cum actuali mentis euagatione voluntaria; vt patet in eo, qui ex ſcripto, aut memoriter vult orare Principem: is enim poteſt id facere, vel legendo coram eo orationem ad talem effectum conſcriptam, vel eam recitando memoriter, ſi illam benè poſſideat & tamen quantumuis legat, aut recitet cum voluntaria diſtractione, verè orat Principem, ſi intendit orare, & loqui, idque ei manifeſtet: hæc autem ſi concedantur, item concedi debet illum, qui cum eadem intentione manifeſtata Deo recitat, aut legit preces, verè, & ſubſtantialiter orare; quippequi per illas voces Deo aperit ſua deſideria interna, non ſecùs, ac qui Principem alloquitur in caſu poſito. Prærer quàm quod (& eſt altera probatio reſponſionis) ſi defectus attentionis mentalis tolleret ſubſtantiam orationis, vt putant Aduerſarij; ſequitur, quòd ſi Sacerdos miniſtrans extremã vnctionem ſpontè admittat aliquam mentis diſtractionem, dum profert verba formæ *per iſtam ſanctã vnctionem, &c.* non faceret Sacramentum validũ; quamuis ab initio haberet intentionem conferendi Sacramentum, nec eam vnquam reuocaſſet: patet hinc, quòd forma extremę Vnctionis deber eſſe deprecatoria, per quam miniſter exteriùs orer; vt colligitur ex verbis illis *Iacobi: Inducant Presbyteros Eccleſiæ, & orent, &c. & oratio fidei ſaluabit infirmum*; ac proinde ſi oratio facta ſine attentione interna non eſſet ſubſtantialiter oratio, neque forma extremæ Vnctionis erit ſubſtantialiter forma, & conſequenter non faciet validum Sacramentum; quod tamen non concedent Aduerſarij, nec vllo modo concedendum eſt. Quin potiùs hinc infero, quòd, ſicut validè confertur Sacramentum extremæ Vnctionis, licèt miniſter cum interna mentis diſtractionę proferat verba formæ; ſic erit vera oratio ſubſtantialis, quæ fit cum voluntaria mentis euagatione, ac proinde implebit præceptum audiendæ miſſæ, qui illam audit abſque interna attentione per partem miſſæ notabilem: cùm præceptum illud obliget ſolùm ad miſſam audiendam per modum orationis, vt dictum eſt.

Vnde quis benè inferat liberè confabulantem tempore Miſſæ non debitæ ex præcepto poſſe excuſari à culpa mortali; niſi notabiliter diſturbet Sacerdotem, aut alios audientes; vel certè tali irreuerentia cenſeatur contemnere ſacrificium, & generet ſcandalum: quæ tamen ſunt per accidens, & de raro eueniunt.

Vnum hìc aduerto attentionem internam, ac externam, de quibus in eo conſiſtere, quod externa conſtituitur in negatione diſtractionis externæ, ideſt negotij, aut occupationis externæ ex ſe mentem diſtrahentis ab auditione Miſſæ: vt ſi quis tempore miſſæ pingat, legat hiſtoriam, &c. attentio verò interna conſiſtit in applicatione interna mentis ad miſſam; ſiue ea ſit ad verba integrè audienda ſuo debito ordine, (quæ eſt infima) ſiue ad ſenſum verborum, (quæ eſt melior) ſiue ad Deum, ac diuina contemplanda, (quæ eſt optima, ac præſtantiſſima.

QVÆRES VII. An Regulares ſatisfaciant præcepto Miſſæ, ſi tunc recitent horas ex debito Profeſſionis religioſæ, aut alias preces ex pænitentia à Confeſſario iniuncta, ſiue etiam ex voto.

49 ℞. Satisfacere; & probatur, quia talis recitatio non impedit attentionem debitam ad Miſſam, ſed ſolùm remittit, ac extenuat illam, relinquens ſufficientem ad implendum præceptum Miſſæ: Eccleſia enim teſte *Nauar. c.25. n.106. 107.* in auditione Miſſæ, ac recitatione horarũ, aut aliarũ precũ, ſiue ex pęnitẽtia, ſiue ex voto recitandarũ, non exigunt omnem attentionem, ſed tantum mediocrem. vnde fit, vt ad vtramque obligationem præcepti mediocriter attendi poſſit, & vtrique præcepto ſatisfieri eodem tempore. ita *Fagund. ſup. l.2. c.7. n.10.* cum *Sua. Azor. Caiet. Soto, Ledeſma, Nauar. Tolet. Maiore, & Adriano* contrà *Angelum, Roſellam, ac Syluestrum* oppoſitum docentes.

QVÆRES VIII. An Regulares impleant præceptum Miſſæ, ſi tunc confiteantur ſacramentaliter, & quidem per partem notabilem.

50 ℞. Quòd, licèt probabiliùs ſit præceptum miſſæ in hoc caſu non impleri, ſi ea confeſſio poſſit differri, aut poſteà audiri alia Miſſa; non puto tamen omninò improbabile, quod docent *Reginald. l. 19. num.14. Fagund. ſup. c.9. n. 12.* alijque recentiores à me conſulti, non prorſus repugnante *Suarez D.88. de Sacram. ſect. 3.* qui ſic ait: *Quidam putant toto illo tempore* (loquitur de Miſſa) *neceſſariam eſſe atten-*

tionem ad ipſum Deum, vel orando, ſeu petendo, vel gratias agendo, vel etiam de peccatis dolendo, vel aliquid ſimile. Et quidem quo ad 1. partem, quam ſequitur *Cardinalis de Lugo ſup. num.* 22. pro ſe citans *Suarez, Azorium, Gordonum, & Bonacinam*, probatur quia fideles tenentur aſſiſtere miſſæ per modum orationis adeoque non omnis actio vtcumque ordinata ad Dei obſequium eſt compatibilis cum miſſæ auditione; vt vel hinc conſtat, quòd aliàs tempore miſſæ poſſet quis conſulere Patrem ſpiritualem, aut Theologum de dubijs ſuæ conſcientiæ; quod non videtur ita facilè admittendum. Vnde fit, vt confitens Sacramentaliter tempore miſſæ hoc ipſo quòd dici nequit aſſiſtere miſſæ per modum orationis (quod requiritur ad ſatisfaciendum præcepto miſſæ, teſte *Bonacina D.4. de Sacr. q. vlt. p. 11. nu. 26.*) non conſeatur implere dictum præceptum; cùm ad hoc non ſufficiat pietas actionis, quæ tunc exerceatur, ſed debeat eſſe talis, vt non excludat attentionem ad miſſam impediendo cultum externum ſacrificandi, ſeu ſe oſtendendi aſſiſtentem ſacrificio, & offerentem vna cùm Sacerdote. Pars verò ſecunda reſponſionis patet, quia de facto aliqui Doctores graues illam ſuſtinent, inter quos *Fagũd. ſup.* ait: *Mihi videtur in magna neceſſitate confeſſionis, quamuis ea non ſit de præcepto, ſufficienter poſſe, quemquam excuſari* (loquitur de confeſſione facta tempore miſſæ) *v.g. in iubileo, in feſto aliquo, quando conſcientia nimis grauata eſt, & longum tempus præceſſit, quo non fuit quiſquam confeſſus, vel in aliqua tentatione, & in alijs caſibus ſimilibus; ſed in hac re prudentis iudicium deſideratur*. præterquàm quòd, confitens tempore miſſæ videtur moraliter aſſiſtere miſſæ, in quantùm opus eſt: cùm aſſiſtat corporaliter, imò & mentaliter, quatenùs applicat mentem ad actionem cedentem in Dei cultum.

QVÆRES IX. An ſatisfaciant miſſæ præcepto Regulares, qui inſeruientes miſſæ diſcurrunt pro rebus neceſſarijs ad illam, ideoque aliquam partem illius omittunt.

51 ℞. Satisfacere, ſi non omittunt partem notabilem. ita *Toletus l.6. cap.7. num.* 2. & alij apud *Fagundez ſup. cap. 6. num.* 10. patetque ex eo quod, cùm iſti vagentur ob res neceſſarias ad ſacrificium miſſæ, moraliter loquendo, non cenſentur abeſſe; niſi recedant ab Eccleſia, & extrà illam longiori tempore maneant (v.gr. ad quærendum vinum) tunc enim cùm non interſint miſſæ corporaliter, præcepto non ſatisfacerent: quamquam ſi aliam miſſam audire non poſſent, excuſarentur ratione debiti ſeruitij, vt docet *Fagund. ſupra*.

QVÆRES X. An Regulares impleant præceptum Miſſæ, ſi non interſint tempore Conſecrationis, aut Communionis.

52 ℞. Quòd, licet ſtando in principijs intrinſecis, videantur non implere; cùm Conſecratio, & Communio à pluribus cenſeantur partes ſubſtantiales Sacrificij, adeoque non præſumatur intereſſe oblationi Sacrificij, qui ijs non intereſt: quia tamen ſub opinione eſt, an eſſentia ſacrificij Miſſæ conſiſtat in Conſecratione, aut Communione, non ita facilè damnari debet de mortali, qui per breue tempus omitteret alterutram illarum; modò non omittantur ſimul Conſecratio, & Communio; nam tunc nõ impleretur præceptum Miſſæ. ita *Card. de Lugo ſup. num.* 4. alijque penes *Fagundez ſup. cap. 6. num.* 14. inter quos notat *Cardinalis*, quòd ſi quis abſit ſolùm tempore conſecrationis, aut ſolùm tempore Communionis, non eſt iudicandum de tali eius abſentia iuxtà menſuram temporis, quod illis reſpondet; ſicut ſi per tantumdem temporis abeſſet, quando legitur Epiſtola, aut dicuntur orationes; nam partes miſſæ ſunt valdè heterogeneæ, ideoque breue tempus Conſecrationis æquiualet longiori tempori aliarum partium; quo modo etiam Sacerdos magis obligatur ad non omittendum vnam orationem ex canone, quam quatuor ex Collectis Ordinarijs.

Quòd ſi hac occaſione quæras, quæ ſit pars notabilis Miſſæ, cuius omiſſio ſufficiat ad peccatum mortale.

53 ℞. Doctores in hoc non conuenire: nam alij cum *Suarez, Nauarr. Soto, Tabiena, & Azorio* relatis à *Fagundez ſup. c. 6. n.* 2. docent non peccare mort. illum, qui ab initio Miſſæ omittit vſque ad Euangelium excluſiuè; alij cum *Nauarro, Suar. Nugno, Azorio, Rodriq. & Graſſio*, quos adducit, & ſequitur *Bonacina ſup. num.* 17. aiunt non eſſe peccatum m. etſi omittatur Euangelium, dummodò tota reliqua Miſſa audiatur cum Euangelio vltimo incluſiuè; alij denique cum *Layman l. 4. tr. 7. c. 3. n. 3. & Amalaſio l. 3. de eccl. offic. c.* 36. putant fideles grauis culpæ dãnari non poſſe, ſi ab Offertorio (vnde aliqui putant inchoari Miſſam) interſint vſque ad benedictionẽ Sacerdotis; quamquam *Layman* dicat ſe nihil contrà communem Doctorum ſententiam definire; ſolum ſibi duriuſculum videri, ſi hominem, qui circà Offertorium ad Miſſam acceſſit, peccati m. damnemus, quòd reliqua neglexerit, ſecluſo contemptu, quando, quæ ſunt principalia in Miſſa, attentè audiuit.

An verò Regulares in die Nat. Domini teneantur ſub mortali audire 3. Miſſas.

54 ℞. Quòd, ſicut Sacerdotes eo die non tenentur dicere, niſi vnam Miſſam, vt tradunt communiter DD. ita fideles non tenentur audire niſi vnam Miſſam, ideoque ſatisfaciunt, audiendo miſſam in ea ſolemnitate ſolitam dici nocte. ita DD. communiter apud *Fagundez ſup. c. 3. n.* 1. & patet, tum ex vſu, & praxi fidelium cõmuni; tum quia caput *Miſſas* ſæpiùs relatum, præcipiens fidelibus, vt Miſſas totas audiant, etſi loquatur in plurali, non ideò obligat ad audiendas plures Miſſas eadem die, ſed diſtributiuè accipiendum eſt, ita vt ſinguli fideles (alloquitur enim multitudinem fidelium) ſingulas Miſſas audiant, non autem quòd ſinguli audiant plures Miſſas.

Addo audientem Miſſam Natiuitatis coram Papa celebrari ſolitam ea nocte ſatisfacere præcepto Miſſæ audiendæ: & probatur, tum quia eſtò illa Miſſa ante mediam noctem dicatur, ideoque auditio illius non videatur ſufficere ad implendum præceptum, vtpote ad ſui obſeruãtiam petens Miſſam audiri poſt mediam noctem: hoc ipſo tamen, quod Papa ea nocte diſpenſat anticipari diem pro Cardinali celebrante coram Papa, ita vt dies inchoari cen-

cenſeatur ab hora, in qua incipit Miſſa; cenſetur Miſſæ auditio facta poſt mediam noctem (non quidem phyſicè, ſed moraliter loquendo:) tum quia diſpoſitum in vno correlatiuo cenſetur diſpoſitum & in alio; ſicque Papa diſpenſans, vt pro ea nocte miſſa celebrari poſſit coram ipſo, & tota Curia ante mediam noctem, diſpenſat conſequenter vt eius auditio ſufficere poſſit ad impletionem præcepti. ita *Diana ex Cardinali de Lugo*, & *Auerſa p. 7. tract. 12. reſol.* 12. contrà *Paſqualigum tom. 1. deciſ. 312. num. 4.*

QVÆRES XI. An Religioſus, qui nequit audire miſſam integrã (eo quòd v.g. venerit ſub medium vltimæ miſſæ) teneatur audire reliquum illud miſſæ.

55 ℞. *Card. de Lugo ſup. num. 6.* cum diſtinctione: vel Religioſus, aut quicumque alius fidelis poteſt intereſſe Conſecrationi, vel non; ſi poteſt tenetur audire reſiduum miſſæ, cùm ea ſit pars principalis, & reliqua ſpectent ad eius complementum: ſi verò iam ſit facta Conſecratio, tunc non tenetur audire reliquam miſſam; cùm ſic feria 6. paraſceue non teneantur audire Miſſam etiam occurrente feſto ex præcepto, eò quòd illa die non fiat Conſecratio, & hæc ratio militet in præſenti caſu, quo quis peracta Conſecratione, alijs diebus feſtis accedat ad Miſſam. Vnde infert *Cardinalis* ſibi probabile videri eum, qui nullo modo adeſſe poteſt tempore Conſecrationis, etſi poſſit intereſſe reliquis omnibus partibus Miſsæ, non teneri intereſſe: ſiquidem intereſſe Miſſæ non eſt ſolùm adeſſe corpore, ſed offerre Sacrificium vnà cum Sacerdote offerente; qui autem non adeſt tempore Conſecrationis, non offert Sacrificium, niſi generali quadam ratione, ſicut omnes alij fideles; ergò nec tenetur aſſiſtere reliquis partibus Miſſæ, ſicut nec tenetur in die paraſceues ob eandem rationem. Quamquam doctrina iſta non procedat de eo, qui iuxtà dicta q. 10. tempore Conſecrationis ingreſſus fuiſſet Sacriſtiam allaturus aliquid neceſſarium ad cultum Sacrificij; is enim aliquo modo diceretur adeſſe, & facere vnum corpus morale cum alijs, qui miſsæ aſſiſtunt. ita *Card. de Lugo*, & ingenioſè more ſuo contrà aliquos relatos à *Diana p. 3. tra. 6. reſol. 69.* cum *Sancio in ſelectis D. 15. num. 5.* abſolutè negantes accedentem ad miſsam, dum præfatio dicitur ſi non adſit alia miſsa, non teneri audire reliquum illius; nec non contrà alios cum *Sanchez l. 1. mor. cap. 19. numer. 6.* & *Suarez ſup. ſect. 2.* abſolutè aſſerentes tunc reliquam miſsam omninò audiri debere.

56 Addit *Card. de Lugo num. 5.* quòd ſi Sacerdos ex ſua deuotione in miſsa per vnam horam vellet mentaliter orare in *memento*; non teneutur fideles intereſſe pro eo tempore, ſed poſſunt abeſſe; cùm miſsa abſque ea parte temporis verè ſit, & dici poſſit integra.

QVÆRES XII. An Religioſus ſatisfaciat præcepto miſsæ, ſi audiat mediam miſsam vnius Sacerdotis (v. g. poſt Conſecrationem vſque ad finem) audiendo poſteà ab alio Sacerdote vſque ad Conſecrationem incluſiuè.

57 ℞. Videri ſatisfacere: cùm illæ duæ partes miſſæ poſſint Miſsam integram conſtituant, & Ordo partium inter ſe non videatur pertinere ad ſubſtantiam præcepti miſsæ; vt hinc conſtat, quòd etiam in recitatione diuini Officij recitans priùs Laudes, quàm matutinum, aut priùs tertium nocturnum, quàm primum, & ſecundum, verè implet præceptum recitandi diuinum officium. ita *Diana p. 2. trac. 17. reſol. 18.* cum *Nauarro, Sà, Soto, Henriq. Coninco, Fagund. Medina S. Bonauent.* & *Hurtado* allegatis à *Cardinali de Lugo*, qui tamen *num. 8.* cum *Azorio, Toleto, Suar. Fagund.* & *Coninco* oppoſitam ſuſtinet ſententiam, dicens illam in rigore eſſe veram; cùm ex illis duabus partibus miſsæ non fiat vnum ſacrificium, imò nec ſacrificium: ſiquidem ſacrificium quòd dicas fieri, vel eſt factum à primo Sacerdote vel à ſecundo; at à neutro ſit; ergò aliud tertium, & ſic fient tria ſacrificia; quod eſt falſum. Vnde fit, vt non poſſit dici Religioſus in caſu propoſito interfuiſſe vlli ſacrificio. Certè illud faciliùs concedi poſſet, ſatisfacere præcepto miſsæ *illum*; qui priorem partem miſsæ priùs audit ab vno Sacerdote, & aliam poſteriorem ab alio; cùm ſic minùs inuertatur ordo miſsæ, & minora ſequantur abſurda: vnde *Diana p. 5. tr. 14. reſol.* 52. hunc caſum indubitanter admittit.

Dubium maius eſt, an dici poſſit implere præceptum miſsæ, qui eodem tempore miſsam ſimul audit à duobus Sacerdotibus, ab vno à principio miſſæ vſque ad Conſecrationem, & ab altero à Conſecratione vſque ad finem.

58 ℞. Diana *p. 2. tract. 17. reſol. 18. ex Molfeſio* & *p. 5. tract. 14. reſol.* 50. ex *Hurtado*, & *Bartholomæo à S. Fauſto* implere: probatque tum quia Eccleſia non præcipit, vt miſsa audiatur ab vno Sacerdote, ſed ſimpliciter, vt audiatur; duæ autem medietates miſsæ conſtituunt miſsam vnam (quo modo dicitur vnum ſacrificium, quando deficiente vno Sacerdote, alter Sacerdos perficit, quod fuerat inchoatum ab alio) tum quia etſi curandum ſit, vt partes Miſsæ dicantur ſuo ordine, id tamen non eſt de neceſſitate præcepti; vt conſtat in recitante horas, qui etſi dicat illas ordine inuerſo, non tamen peccat m. imò nec venialiter, ſi id faciat ex cauſa. Cum *Diana* ſentit *Bonacina ſup. num. 13.* diſſentientibus alijs Doctoribus communiter; quorum opinio in praxi regulariter ſequenda videtur.

59 Quam probabile verò ſit, quod docent *Bonacina ſup.* cum *Sà, Rodriq. Graſſio,* & *Azorio Diana p. 5. tract. 14. reſol. 52. ex Fauſto* & alij poſſe quem eodem tempore audire 3. miſsas ex triplici titulo diuerſo debitas, nempe ex voto, ex pœnitentia impoſita à Confeſſario, & ex præcepto Eccleſiæ; colligi debet ex dictis *§. præcedenti*, ijs proportionaliter applicatis ad præſentem caſum.

QVÆRES XIII. An Regulares iter agentes, ac peregrinantes, ſi tranſeant per locum, in quo eſt feſtum proprium illius loci, teneantur audire miſsam ſub obligatione peccati mortalis.

60 ℞. Non teneri, etſi ibi per aliquot dies commoraturi ſint. Colligitur ex doctrina generali, quam tradunt *Suarez tom. 1. de relig. tract. 1. l. 2. cap. 14. n. 3. Sanch. l. 3. de matr. D. 18. num. 6.* & *l. 1. mor. cap. 12. nu. 38. Fagund. ſup. l. 1. cap. 8. num. 20. Diana p. 1. tract. 10.*

reſol.

reſol. 13. 14. & 15. alijque aſſerentes viatores, ac peregrinos non teneri legibus loci, per quem tranſeunt; Quippequi per breuem illam commorationem non fiunt ſubditi Principis illius, ſiue eccleſiaſtici, ſiue ſæcularis, nec ſubijciuntur eius iuriſdictioni; vt conſtat ex *l hæres abſens* §. *proinde ff. de iudicijs*: cùm alioqui ad obligandum aliquem legibus requiratur iuriſdictio, vt notauit *Laym. l.* 1. *tr.* 4. *c.* 12. *num.* 4. addens *nu.* 1. ad hoc, vt hoſpes præſumatur incola loci, in quo non habet animum manendi perpetuò, ideoque ſubiaceat legibus ſpecialibus illius, non requiri, vt velit habitare ibi toto tempore, vt iudicio prudentis viri magnum videri poſſit, videlicet ampliùs medio anno: (quo pacto Scholares in Academijs cenſentur incolæ loci, in quo vacant ſtudijs) ſed ſufficere, vt ibi alicuius negotij, aut negotiationis cauſa domicilium, officinam, vel tabernam figat, aut ſaltem conducat; etſi intendat ibi manere tempore paulò breuiori. Quæ doctrina, ſi caſui noſtro applicetur, oſtendit Regulares tranſeuntes per aliquam diœceſim, vbi ſit aliquod feſtum ſpeciale ex præcepto, non teneri ibi audire Miſſam, etſi per aliquot dies tanquam hoſpites ibi commorati ſint, aut ſint commoraturi: idque non obſtante, quòd *Concilium Trid.* iuxtà dicta q. 3. obliget Regulares ad ſeruanda feſta diœceſis, in qua degunt; Concilium enim loquitur ſolùm de Regularibus habentibus ibi domicilium, non autem de hoſpitibus, ac peregrinantibus, qui vt tales non ſubſunt legibus loci, per quem tranſeunt.

Quòd ſi quæras, an Religioſus hoſpes teneatur audire Miſſam in loco, per quem tranſit, ſi non ſolùm ibi ſit feſtum de præcepto, ſed etiam in loco domicilij, vnde receſſit, & quo breui rediturus eſt.

℟. Non teneri: cùm non teneatur ad feſtum loci domicilij, eò quòd ſit abſens, & incola abſens nõ ſubſit legibus proprij domicilij iuxtà communiorẽ DD. ſententiam; nec ad feſtum loci, per quem trãſit, eò quòd iuxta dicta non ſit ſubditus Epiſcopi illius loci, vt poſſit illius legibus obligari. Colligitur ex doctrina, quam vt probabilem tradit *Fagundez ſup. c.* 7. *num.* 20. in ſimili contra *Sanchez l.* 3. *de matr. D.* 18. *n.* 3. *Suarez ſup. num.* 15.

Difficilior quæſtio eſt, an Religioſus recedens è loco domicilij, in quo ea die eſt feſtum de præcepto, teneatur ibi audire Miſſam, antequàm diſcedat ſi illa eadem die ſub veſperam illuc rediturus eſt.

61 ℟. Non teneri, ſi intrà tempus opportunum ad audiendam Miſſam (ideſt ante meridiem) peruenturus ſit ad locum, in quo feſtum illud non obſeruetur. ita docti neoterici, & valdè probabiliter, teſte *Sanch. ſup. num.* 21. contrà *Nauarrum, Lopez, & Rodriq.* relatos ab ipſo *Sanchez*: patetque quia Religioſus, & quilibet alius fidelis in caſu propoſito vſque ad dictum tempus in proprio oppido poterat differre auditionem Miſſæ; vbi autem peruenit ad locum, in quo non obſeruatur illud feſtum, eſt omninò deobligatus ab illo præcepto. Quare non facit contrà nos, quod vrgent Aduerſarij, nimirùm, quòd ille Religioſus, quando diſceſſit, iam adſtrictus eſt præcepto audiendi Miſſam: adſtrictus enim erat eo præcepto, non abſolutè, ſed ſub conditione, ſi intrà tempus obligationis non eſſet peruenturus ad locum, in quo præceptum illud omninò ceſſaret; quod de facto euenit in caſu præſenti.

QVÆRES XIV. An Religioſi degentes in loco interdicto teneantur implere præceptum Miſſæ in diebus feſtis, cùm habeant ad id ſpeciale priuilegium.

62 ℟. Teneri, ſi Interdictum ſit locale generale, & ipſi non ſint interdicti, aut cauſam interdicto non dederint: idque non tam ob doctrinam generalem, quam plures DD. tradunt habentem priuilegium audiendi Miſſam tempore Interdicti teneri illam audire, (quæ doctrina eſt probabilis, & communior) quàm quia in *cap. Alma mater de ſent. excommunic. in* 6. vbi conceditur omnibus Clericis, ac Religioſis, vt poſſint in ſuis templis, ac monaſterijs tempore Interdicti localis generalis celebrare Miſſas, & alia diuina Officia, ſicut priùs; dummodò ipſi ſpecialiter non ſint interdicti, &c. non tã videtur concedi priuilegium prædicta præſtandi, quàm imponi obligatio, vt ea præſtent: nam ibi dicitur: *Adijcimus præterea, quod ſingulis diebus in eccleſijs, & monaſterijs Miſſæ celebrentur, & alia diuina Officia, ſicut priùs.* Vnde, cùm ly *celebrentur* iuxtà doctrinam datam *cap.* 2. *q.* 17. contineat præceptum, ſequitur Regulares non ſolùm poſſe, ſed debere vti priuilegio conceſſo in *cap. alma mater*, & per conſequens teneri audire Miſſam in diebus feſtis, etſi locus, in quo degunt, ſit interdictus locali interdicto generali. & hoc in terminis docet *Bonacina D.* 5. *de cenſur. in comm. q.* 3. *n.* 20. cum *Henriq. l.* 13. *c.* 48. *num.* 11. alijſque, & facilè poteſt probari, tum ratione modò adducta; tum quia præceptum Miſſæ obligat, quoties ſine detrimento poteſt quis illud implere; ergò, vndecumque tollantur impedimenta, obligabitur, qui nullum prorſus habet impedimentum: quo pacto in carcere detentus excuſatur à Miſſa; at, ſi à Iudice obtineat facultatem accedendi ad illam, tenetur vti ea facultate, vtpote non ampliùs impeditus: ſic ergò Religioſi, cum iam ex *cap. Alma mater* poſſint audire Miſſam tempore Interdicti, tenebuntur illam audire: tum denique quia, ſi interdicta ciuitate, media pars illius abſolueretur ab interdicto, ea vtique obligaretur ad Miſſam; ergò cùm Religioſi quò ad hoc ſint abſoluti ab interdicto, tenebuntur ad Miſſam, ceſſante ſic impedimento, per quod aliàs excuſabantur ab illa audienda.

Dixi *idque non tam ob doctrinam generalem, &c.* vt indicarem, ſecluſa obligatione, quæ in *cap. Alma*, quò ad hoc videtur imponi Religioſis per verbum *celebrentur*, non videri improbabile Regulares eſſe liberos ab obligatione Miſſæ pro tempore Interdicti, etſi aliàs ex ſpeciali priuilegio illam poſſint audire; non enim caret probabilitate habentem priuilegium audiendi Miſſam pro tempore Interdicti, neqnaquam teneri illam audire; cùm nemo cogendus ſit vti priuilegio ſibi conceſſo, & priuilegiatus poſſit ſe cõformare communi obligationi aliorum non habentium ſimile priuilegium: maximè cùm ſit valdè conforme intentioni Eccleſiæ, quòd omnes ſe componant ad eius diſpoſitionem prohibentem pro tunc diuina Officia, vt ſic eccleſiaſticæ cenſuræ melius ſuum vigorem retineant. ita *Fagund. ſup. l.* 2. *c.* 8. *num.* 4. pro hac ſententia adducens *Aulam, Victoriam*,

Victoriam,

Floriſm, *Canum*, *Rodriq. Flamam*, *Lopez*, *&* *Ledeſmam*, dicenſque illam eſſe probabilem, etſi ipſe oppoſitam ſequatur.

QVÆRES XV. An Regulares ſatisfaciant præcepto miſſæ, ſi illam audiant in oratorio priuato alicuius ſæcularis.

63 ℞. Satisfacere, niſi facultas conceſſa ad celebrandum ibi ſit limitata (vt ſæpè ſolet eſſe) ne illic ad miſſam admittantur, niſi familiares, & domeſtici illius, cui conceditur facultas, & ſi qui alij ab ijs admittantur, præcepto miſſæ non ſatisfaciant. Colligitur ex eo quòd fideles modò liberè poſſunt miſſam audire in quocumque loco ea ritè celebretur, præter quàm in caſu propoſito, in quo proinde ſi quis contra prohibitionem à legitimo Superiore factam audiret miſſam in oratorio priuato, cùm verè non ſit de familia illius, cui data eſt facultas audiendi miſſam ibi cum ſua familia, non impleret præceptum: quippequod non petit ſolum vt audiatur Miſſa, ſed vt audiatur in loco non prohibito]; quare hoc ipſo quòd auditur in loco prohibito, præceptum violatur; ſicut communicans in paſchare ſine proprij Parochi licentia de manu alieni Sacerdotis, non ſatisfacit præcepto paſchalis communionis; idque ex eo præcisè quod præceptum communionis Paſchalis dicit non ſolùm communicare, ſed communicare in propria paræcia de manu proprij Sacerdotis; ſicque non impletur ab eo, qui modo dicto communicat extrà propriam paræciam; cùm is communicet quidem, ſed non in propria paræcia, ſicut præcipitur. qua de re *Diana p. 5. tr. 10. reſol. 77.*

Contra hanc reſponſionem poſſet obijci, quod, quamuis in caſu propoſito non impleatur præceptum Eccleſiæ iuxtà formam antiquam audiendi miſſam in propria parochia diebus feſtis, & non alibi: cum de facto circumſtantia iſta propriæ parochiæ hodie abrogata ſit contrario vſu; conſequenter implicare videtur, quod audiens hodie miſſam in Oratorio priuato non ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto, prout hodie extat. Quod ſi Papa in conceſſione Oratorij priuati ſubdit *Volumus autem vt familiares ſeruitijs tuis* (ideſt illius, cui fit conceſſio) *non neceſſarij præter ſupradictos ibidem miſſæ intereſſentes ab obligatione audiendi miſſam in Eccleſia diebus feſtis de præcepto minimè liberi cenſeantur*: id facit ad retinendum modum loquendi iuxta Sacros Canones, & ritum antiquum, qui fortè alicubi non eſt abrogatus (idque ob aliquot dignos reſpectus:) cum alioqui res aliter habeat, attenta præſenti conſuetudine modò communiter recepta, quæ liberauit ab obligatione audiendi miſſam in propria parochia. ita ingenioſè Recentior quidam vir doctiſſimus: quam probabiliter, viderit ipſe, & iudicent viri docti, quorum iudicio in hoc me ſubijcio.

QVÆRES XVI. An Regulares, ſi præuideant impedimentum, ne Miſſam audire poſſint 15. hora in æſtate, teneantur præuenire.

64 ℞. Teneri, ſi ſint commoraturi vſque ad 15. horam in loco obligationis; ſecùs ſi ſint inde receſſuri ante dictam horam. & intrà tempus habile ad miſſam audiendam ſint peruenturi ad locum, vbi non adeſt talis obligatio. ita *Leſſius l. 4. de iuſt. cap. 2. num. 56. Sanch. l. 1. mor. cap. 12. num. 32. Suarez D. 88. de Sacram. ſect. 5.* (qui tamen loquitur indiſtinctè) alijque & probatur, quia quando præcipitur, vt intrà tale tẽpus fiat hoc, aut illud (v.g. vt audiatur miſſa) ſubintelligitur tacita conditio, ſi toto illo tempore manſeris obligatus præcepto: vnde fit, quod ſi interim contingat ſe eximi à ſubiectione præcepti (v.gr. recedendo à territorio, in quo vrget obligatio) & hoc præuideas, non teneris præuenire tempus exemptionis; teneris autem, ſi ſcias te toto tempore obligationis futurum in loco, vbi illa viget, & conſequenter non futurum ab ea exemptum: cùm quo ad horam, qua audiri debet miſſa, non ſit tempus omninò limitatum à lege, ſed ſolùm præceptum ſit, vt ea die miſſa audiatur, quacumque hora moraliter loquendo id fieri poſſit. Ex quo fit, vt ſicut miſſæ auditio differri poteſt vſque ad meridiem, eo quòd tali tempore miſſa ſoleat dici, & poſſit audiri: ita ſi ea tardiùs dici poſſet, etiam auditio miſſæ poſſet ampliùs differri; ſicut ſi ea non debet dici, niſi in principio diei, præceptum obligat ad illam tunc audiendam, vtpote obligans ſimpliciter, quòd eo die impleatur.

Vtrum verò peccet Religioſus contrà præceptum miſſæ, qui præuidens ſe futurum impotentem ad illam audiendam incurrendo excommunicationem maiorem, ſciens, & volens dat cauſam excommunicationi, aut poſtea non procurat ab ea abſolui, poſtquam illam incurrit.

65 ℞. Non peccare; cùm præceptum miſſæ non obliget ad tollenda impedimenta adeò remotè obſtantia, vt tradunt DD. communiter cum *Suarez ſup. ſect. 6. §. prima igitur*, benè monentes aliter dicendum eſſe de eo, qui exiſtens in excommunicatione non procuraret abſolui ad effectum implendi præceptum annuæ confeſſionis, & communionis: non enim vtrobique concurrunt eædem rationes; cum præceptum confeſſionis per ſe obliget ad mũdandam animam, & conſequenter ad omnem diſpoſitionem requiſitam ad remiſſionem peccatorum obtinendam; præceptum verò communionis item obliget ad præmittendam confeſſionem, ſi communicaturus habeat conſcientiam peccati mortalis. Quare conſtat hæc duo præcepta maiorem requirere diligentiam in procuranda abſolutione excommunicationis, quam requirat præceptum audiendi miſſam: vt proinde teſte *Suarez ſuprà* multi viri docti cum *Nauarro cap. 21. num. 34. &* 45. dicant, etſi excommunicatus ſit negligens in obtinẽda abſolutione, & in hoc fortaſſe peccet alio genere peccati, non tamen eum peccare in omiſſione miſſæ, quam ſuppoſita excommunicatione, iure omittit, neque contrà præceptum ipſum miſſæ, cùm non teneatur tam à longe ſe diſponere ad audiendam miſſam procurando abſolutionem excommunicationis.

66 Hinc patet, quid dicendum ſit de eo, qui ſciens fore, vt per vltimas 3. horas ante meridiem non poſſit audire miſſam ex iuſto impedimento (eo quòd v.gr. quartana febri corripietur) non præuenit; cùm aliàs poſſit ſine ſuo notabili incommodo; hic enim peccat m. contra præceptum miſſæ

ob

ob rationes *§.præcedenti* adductas. quidquid ſit de eo, qui non potens ex iuſto impedimento recitare horam aliquam canonicam debito tempore, non præuenit illius recitationem; ſcio namque non adeſſe inter hos duos caſus omnimodam puritatem, vt aduertit *Diana p. 4. tract. 4. reſol. 10.* & nos probabimus *c. 8. ſect. 2. q. 28. §. vtrũ.*

67 . Quòd autem dicunt aliqui recentiores nõ peccare contra præceptum miſſæ illum, qui voluntariè ſe facit impotentem ad illam audiendam (v. gr. ſe inebriando, vel nimis ſe fatigando ſine neceſſitate) ducti ea doctrina, quam tradit *Sancius in ſelectis D. 54. numer.* 14. excuſari ſcilicèt à ieiunio illum, qui in fraudem ipſius ieiunij labore non neceſſariò fatigatur, itaut verè nequeat ieiunare; cùm in hoc propriè non interueniat fraus, aut dolus, ſed potiùs quædam fuga obligationis præcepti; quæ fuga non eſt contra præceptum, nec mala, niſi fiat mala ratione finis, aut cauſæ, propter quam fit. hoc, inquam, mihi non placet, etſi *Diana p. 1. tract. 9. reſol. 52.* non omninò diſſentiunt à *Sancio*, citetque pro ſe *Sanchez l. 1. mor. cap. 12. numer. 35. & Suarez tom. 1. de relig. tract. 1. l. 2. cap. 13. numer. 6.* qui tamen mihi videntur loqui in caſu non ſimili; etſi ratio ab ipſis allata adaptari poſſit caſui præſenti; ſicque tandem ait *Diana* non eſſe recedendum à contraria ſententia, quæ eſt *Azorij to. 1. l. 7. cap. 18. qu. 9.* & aliorum eſtque in praxi ſequenda; ne aliàs facile deludatur obſeruatio præceptorum Eccleſiæ, & fidelibus laxioris conſcientiæ nimis facilis fiat morum relaxatio.

QVÆRES XVII. Quot peccata faciat Religioſus, qui culpabiliter omittit audire miſſam, ad quam tenetur ſub mortali tum ex præcepto Eccleſiæ, tum ex ſtatuto Regulæ in eo caſu obligantis ſub mortali.

68 ℞. Quod, cùm ſola multiplicatio præceptorum non inducat in eodem actu materiali multiplicationem tranſgreſſionis, niſi præceptorum multiplicatio fiat ſub motiuo diuerſæ virtutis (vt ſi quis teneatur ad miſſam ex præcepto Eccleſiæ, & ex pœnitentia impoſita à Confeſſario) vel certè ſub motiuo eiuſdem virtutis, ſed ſub diuerſo motiuo (vt ſi miſſam tenearis audire ratione feſti, & ratione voti, vel ratione, voti, & ratione iuramenti, quæ reſpiciunt eandem virtutem religionis, ſed ſub diuerſo motiuo) ex alia verò parte in præſenti caſu auditio miſſæ præcipiatur tum ab Eccleſia, tum à Regula ſub eadem virtute religionis, & ſub eodem motiuo cultus diuini; itaut multiplicitas præceptorum, ac præcipientium ſit merè materialis: ſequitur Religioſum in propoſito caſu non audientem miſſam peccare vnico tantùm peccato cùm ſic præceptum Eccleſiæ, & præceptum Regulæ ſint plura ſolùm materialiter, vnum verò, ac idem formaliter, ideoque vnicam inducant tranſgreſſionem: quod negant *Nauarrus, Lopez, & Rodr.* relati à *Sanch. l. 9. de matr. D. 15. n. 6.* ſuſtinentes in eo caſu duplicem tranſgreſſionem ſpecificam reperiri; qui *Sanch.* nobiſcum ſentit cum *Vaſquez, Sà, & Henriq. & Alexandro* addens ſecùs dicendum in caſu, quo actus ſit debitus ex eadem virtute, ſed ſub diuerſo motiuo (v. g. ex, voto, & ex iuramento, quæ ſunt actus virtutis religionis) cum enim voti obſeruatio præcipiatur, vt fides Deo debita ſeruetur, iuramentum verò, ne Deus in teſtem falſitatis inuocetur (quæ ſunt motiua ſpecie diuerſa) qui omittit actum debitum ſub voto, ac iuramento, duo peccata facit, vtpotè faciens velut contra duplex præceptum formaliter diuerſum ſicque violat duplicem obligationem ſpecie differentem. Vnde ſi Religioſus omittat miſſam debitam ex præcepto Eccleſiæ, & ex voto duplex facit peccatum; cum ſic violet præceptum Eccleſiæ, & votum, quæ reſpiciunt vnam, ac eandem virtutem religionis, ſed ſub diuerſo motiuo, ac proinde ſi violetur important difformitatem diuerſam, & conſequenter duplex peccatum.

QVÆRES XVIII. Ex quibus cauſis excuſentur Regulares à miſſa.

69 ℞. Excuſari ex omnibus ijs cauſis, quas Doctores generaliter dicunt excuſari fideles ab audiẽda miſſa, & latè explicant *Suar. D. 88. de Sacram. ſect. 6. Fagund. prac. 1. Eccl. l. 2. cap. 9. Bonac. ſup. D. 4. q. vlt. p. vlt.* & alij.

Addo obiter ex *Bonacina D. 2. de leg. q. 4. p. 6. num. 25.* non peccare Religioſum, qui carcere detentus, adeoque non valens audire miſſam de præcepto apprehendit ſe mortaliter peccare; cum miſſæ omiſſio ipſi non ſit libera, nec voluntaria. Quod non procedit de Religioſo ægrotante, & ratione ægritudinis excuſato à præcepto miſſæ audiendæ, & alioqui falso putante ſe peccare omittendo miſſam: is enim peccaret m. cum abſolutè loquendo libertatem audiendi miſſam habeat, etſi audire non poſſit ſine diſpendio ſanitatis.

70 Vnum placet hìc monere quod, ſicut Prælati Regulares poſſunt cum ſuis Religioſis diſpenſare ſuper obſeruantia feſtorum, vt indicaui *ſect. præcedenti q. 18.* ſic poſſint diſpenſare cum ijs quo ad præceptum audiendi miſſam, ſi occurrat cauſa: cùm in eos iuriſdictionem habeant quaſi Epiſcopalem, quæ ſufficit ad hunc effectum.

CAPVT V.

De Obligatione Regularium quoad Ieiuniorum obſeruantiam,

1 *Regulares tenentur ad ieiunia ex præcepto Eccleſiæ imò & ex Regula.*

2 *Ad ieiunia præſcripta de iure communi tenentur ſub mortali, non item ſemper ad præſcripta in Regula ſui Ordinis.*

3 *Lex obligat ſolum ſub veniali in dubio, an obliget ad mortale, aut veniale.*

4 *Idque procedit, etiam de Conſuetudine.*

5 *Ad ieiunium Aduentus tenentur iuxta eorum Regulam, Conſuetudinem, aut Statutum.*

6 *Tria requiruntur ad ieiunium, ſed duo tantùm ſunt de eius eſſentia.*

7 *Etſi comeſtio eſt de ſubſtantia ieiunij.*

8 *Etſi ſemel tantùm peccet, qui per plures comeſtiones ieiunium violat.*

9 *Iuxta aliquos comedens mala maſſilica, aut medica non violat ieiunium.*

10 *Licita eſt in die ieiunij refectiuncula veſpertina; eiuſque quantitas aſſignatur varia à varijs Doctoribus.*

11 *In ea vnciæ 10. cibi communis ſumi poſſunt ſine culpa mortali.*

12 *In Vigilia Natiuitatis D. ea poteſt eſſe vnciarum 16. & quidem etiam vigilia incidente in Sabbato.*

13 *Idque procedit, etiam de ieiunante ex voto; ac de eo, qui dilata cœna in veſperam, manè ſumit ientaculum; imo & in Vigilia Paſchatis, ac Pentecoſtes iuxta aliquos Doctores.*

14 *Statuitur qualitas ciborum ſumendorum in refectiuncula veſpertina.*

15 *Vnciæ 8. in ea conceſſæ non debent eſſe omnes panis, ſed ad ſummum quinque vnciæ.*

16 *In ea licet ſumere iuſcalum ſine peculiari indigentia & quidem etiam ex pane & aqua, etſi alij diſſentiant.*

17 *Comedens manè, eo quod ignoret ea die eſſe ieiunãdum adhuc tenetur ieiunare; etſi poſſit prandere, imo & ſumere refectiunculam veſpertinam, licèt non ſemper.*

18 *Non violat ieiunium, qui ex cauſa interrumpens prandium illud poſtea repetit.*

19 *Abſtinentia à carnibus, eſt de eſſentia ieiunij.*

20 *Non item abſtinentia à lacticinijs, loquendo etiam de ieiunio Quadrageſimæ, ſtando præciſè in iure communi & ſecluſa conſuetudine in contrarium.*

21 *Etſi non ita facilè ſtatuendum ſit, an ea conſuetudo obliget ſub mortali.*

22 *Quod ſi dicatur ſic obligare, adhuc non eſt certum ea adſtringi Regulares ſaltem iuxta Sanchez, & alios Doctores.*

23 *Si autem detur obligare, ea fortè non cadit ſupra ieiunia Regulæ, aut ex voto etſi alij diſſentiant; nec à noſtra ſententia diſſentit Caramuel.*

24 *Hora comeſtionis modo non eſt de eſſentia ieiunij.*

25 *Regulares ex priuilegio per ſeſquihoram anticipant prandium.*

26 *Hora prandij ſine peccato m. poteſt aliquantulum præueniri.*

27 *Hora prandij eſt modò meridiei hora moraliter ſumpta.*

28 *Et hæc ſumi poteſt ex pulſatione primi horologij.*

29 *Regulares ante 21. annum iuxta aliquos non tenentur, neque ad ieiunia Regulæ.*

30 *Et vt obligentur, annus 21. ætatis eſſe debet completus de momento in momentum, quod ſi detur eos ante 21. annum teneri ad ieiunia Regulæ, iuxta aliquos poſſunt ſuper ijs diſpenſari à Prælato regulari.*

31 *Regulares ſexagenarij eo ipſo eximuntur à ieiunijs Regulæ.*

32 *Imo & à ieiunijs communibus Eccleſiæ.*

33 *Sin minus ratione ætatis vt ſic, ſaltem ex imbecillitate corporis &c. non eſt autem opus vt annum ſexageſimũ expleuerint.*

34 *Regulares excuſantur à ieiunijs ex morbo, ac debilitate.*

35 *Diſpenſati ad eſum carnium eo ipſo eximuntur à ieiunio: ſecùs ſi ſolùm in lacticinijs.*

36 *In dubio, an poſſint ieiunare, non tenentur.*

37 *Diſpenſati ad carnes poſſunt ſimul veſci piſcibus, & carnibus noxijs.*

38 *Diſpenſati ad lacticinia licitè vtuntur caſeo, butyro, & lacte.*

39 *Diſpenſati ad carnes, ſi quo die ab ijs liberè abſtineant, tenentur ieiunare; quod alij negant.*

40 *Hoſpites non tenentur ad ieiunia propria monaſterij, per quod tranſeunt: imo Religioſus manè recedens à monaſterio in quo ieiunatur, ad aliud in quo non ieiunatur poteſt in priori loco ſumere ientaculum (idque etſi ea ipſa die ſit ſub noctem rediturus ad locum, à quo recedit) at non veſci carnibus.*

41 *Hoc tamen non procedit in caſu, quo in monaſterio, à quo receditur ieiunium non ſeruatur: ibi enim ante receſſum veſci poteſt carnibus; etſi veſpere rediturus ſit ad locum, in quo ieiunatur.*

42 *Regulares ſi peregrinentur pedites, & conficiant iter competens, non tenẽtur ad ieiunia Eccleſiæ, aut regulæ.*

43 *Imitia, ſi peregrinatio eſt neceſſaria: quod alij negant.*

44 *Iuxta Sancium non violat præceptum ieiunij, qui conſultò defatigatur, ne ieiunet, at reijcitur Sancius. poſſunt autem Regulares ex priuilegio ratione itineris transferre ieiunium in alium diem.*

45 *Regulares in locis Infidelium excuſantur à ieiunio, ſi aliàs immineat malum graue ex obſeruantia ieiunij; vel abſtinentia à carnibus.*

46 *Concionatores, Lectores, & Confeſſarij excuſantur à ieiunio, ſed non ſemper: etſi Concionatores faciliùs poſſint excuſari tum ante, tum poſt concionem.*

47 *Iuxta aliquos excuſantur Lectores ſcholarum inferiorum, ſi quotidie legant 4. lectiones.*

48 *Inſeruientes ad menſam communem, aut legentes ad illam poſſunt anticipare prandium.*

49 *Regulares laici, ſi multum laborant, eximuntur à ieiunio.*

50 *Regulares tenentur ad ieiunia monaſterij, aut Prouinciæ per legitimam conſuetudinem inducta.*

51 *Non item ad ieiunia indicta ab Ordinario loci, niſi adſit periculum ſcandali.*

52 *Iuxta aliquos tenentur ad ieiunia ex voto ſeruari ſolita in loco, vbi degunt, quod alij negant.*

53 *Tenentur ad ieiunia debita ex voto ſuorum prædeceſſorum, ſed non vi voti.*

54 *Tenentur ieiunare in die Natiuitatis Domini, ſi ex Regula tenentur ieiunare qualibet feria ſexta & incidat in feria ſexta Natiuitas Domini.*

55 *Etſi iuxta Bordonum cum ijs poſſit diſpenſari ſuper tali ieiunio.*

56 *Quod ſi ea die veſcantur carnibus, non peccant contra præceptum Eccleſiæ.*

57 *Priuilegium edendi carnes in Natiuitate D. Extenditur ad Sabbatum, in quo occurrat tale feſtum, non minus quam ad feriam ſextam.*

58 *Regulares Mediolani primis 4. diebus Quadrageſimæ nõ tenẽtur ieiunare niſi obſtet conſuetudo ab ipſis inducta vt obligatoria: etſi ibi ſint per tranſitum.*

59 *Etſi talis conſuetudo illos non obligaret extra ſua monaſteria. ſicut iuxta aliquos laici ipſi intra monaſteria Regularium non tenentur ad ieiunia ſui territorij propria.*

Imo

60 *Imò iuxta aliquos poſſunt Regulares Mediolani degentes, etiam alibi dicto priuilegio frui, ſi breui ſunt illuc redituri.*

61 *Licèt autem detur ijs vſus talis priuilegij, non ideo tenentur ad ieiunia Mediolani ſolita fieri in diebus Rogationum.*

62 *Concurrente in diuerſis diebus eiuſdem hebdomadæ vno ieiunio Eccleſiæ, & altero Regulæ obligantis ſub mortali; ſi vtrumque ſeruare nequeant, debent ſeruare illud, quod præcedit tempore.*

63 *Vnicum facit peccatum, qui violat ieiunium præſcriptum ab Eccleſia, & à Regula.*

64 *Regulares tenentur ad ieiunia per legitimam poteſtatem translata.*

65 *Prælati ijdem poſſunt diſpenſare cum ſubditis ſuper ieiunio, & abſtinentia à carnibus.*

66 *Imò & ipſi Religioſi diſpenſant cum Septentrionalibus, ne ieiunent tota Quadrageſima, ſi ad hoc difficilè poſſint adduci.*

67 *Si manifeſta ſit cauſa excuſans à ieiunio, aut ab abſtinentia à carnibus, non eſt opus diſpenſatione.*

68 *Prælati Regulares ad prædicta poſſunt ſecum ipſis diſpenſare.*

69 *Diſpenſati ad carnes in Quadrageſima, de rigore poſſunt veſci illis etiam in ferijs ſextis, Sabbatis, Vigilijs, & 4. temporibus tunc fortè occurrentibus.*

QVÆRES I. Quo iure teneantur Regulares ad ieiunium.

1 ℞. Teneri partim ex iure eccleſiaſtico communi omnibus fidelibus, partim ex conſuetudine inducta ferè apud omnes Religioſos, partim ex præſcripto Regulæ ſingulorum Ordinum. ex iure quidem eccleſiaſtico communi ad ieiunium Quadrageſimæ, & alia ieiunia, quæ à fidelibus per annum generaliter ſumantur; ex conſuetudine verò inducta ad ieiunium Aduentus; ad alia denique ieiunia, quæ varia cuſtodiuntur in qualibet Religione ex præſcripto Regulæ: vt proinde de ijs ſufficiens iudicium haberi non poſſit, niſi inſpiciantur, & examinentur Conſtitutiones, & ſtatuta ſingularem Religionum.

QVÆRES II. Ad quæ ieiunia Regulares teneantur ſub mortali.

2 ℞. Quod ſpectat ad ieiunia præſcripta de iure communi ab Eccleſia, ad ea teneri ſub mortali, non ſecùs, ac tenentur reliqui fideles: quippe qui ad ea æqualiter obligantur, aſſerente Clemente V. in *Clem. exiui de verb. ſignific.* Monachos propter ieiunia inſtituta Ordinis, & regulæ indicta liberos non eſſe à ieiunijs eccleſiaſticis, quæ Chriſtiani obſeruare debent: fideles autem laici ad ieiunia præcepta ab Eccleſia tenentur ſub mortali; vt patet ex graui pæna, cui ſubijciuntur violatores ieiunij quadrageſimalis, & quorumdam aliorum ieiuniorum, nimirum depoſitionis, ſi ſint Clerici, & excommunicationis, ſi ſint laici; vt expreſsè habetur in 6. *Synodo œcumenica can.* 56. quæ pæna confirmata fuit in *Concilio Gangrenſi can.* 19. his verbis; *Si quis ieiunia, quæ communiter ab Eccleſia cuſtodiuntur, diſſoluat, anathema ſit*: conſtat porrò quòd, cùm pæna proportionari debeat culpæ, Eccleſia non infligeret excommunicationem ipſo facto violantibus ieiunium (vt fit in *Concilio Gangrenſi*) niſi ſupponeret violationem ieiunij eſſe mortalem. Quod verò ſpectat ad alia ieiunia, quibus aſtringuntur Religioſi, ſiue ex conſuetudine, ſiue ex Regula, non tenentur ad ea, niſi ea obligatione, qua illa inducta ſunt per legitimam Conſuetudinem, aut præſcripta in Regula; mortali quidem, ſi ieiunia inducta ſunt quaſi obligantia ſub mortali; veniali verò, ſi ſub veniali; imò & ſub nullo peccato, ſi, ſpectata Conſuetudine, aut Regula, ea cenſentur non obligare ad vllam culpam. Quare, vt conſtet Religioſo, qualiter obligetur ad ieiunia ſui Ordinis, debet attentiùs inſpicere tum tenorem verborum Regulæ, tum Conſuetudinem Ordinis, tum communem ſenſum Religioſorum ſui Ordinis, maximè antiquiorum: ſiquidem vt notat *Sanch. l. 6. mor. c. 4. n.* 27. conſuetudo eſt optima legum interpres *cap. cùm dilectus de Conſuetud. & l. ſi de interpretat. ff. de legib.* nec lex aliter obligat, quàm communiter recepta ſit. quod confirmat *Valentia* 1.2. *D. 7. q. 5. p. 6. q.* 3. dicens hoc eſſe vnicum ſignum, ex quo ſufficienter colligatur legem, omnibus conſideratis, obligare ſub mortali, nempe communemq; populi receptionem pro maiori communitatis parte ſic acceptantem, & intelligentem legem; idque dignoſcendum eſſe ex communi iudicio, ac ſenſu bonorum, & peritorum.

3. Imò, quòd maius eſt, in dubio, an lex obliget ſub mortali, vel veniali, probabile eſt illam obligare ſolùm ſub veniali: cùm in obſcuris, quod minimum eſt, ſequendum ſit *reg.* 30. *de reg. iur. in* 6. & benignior pars debeat accipi non minùs in culpa, quàm in pæna, meliorque ſint conditio poſſidentis propriam libertatem. quamquam *Salas D.* 1. *de legib. q. 1. p. 7. §. 4. num.* 31. *cum Salas, Toleto, Medina, Clauiregia, Valentia,* & alijs putet illum, qui modo dicto dubitat de obligatione legis, teneri ad legem, ac ſi obligaret ſub mortali.

4 Quod autem diximus de obligatione legis, proportionaliter aſſeri debet de obligatione conſuetudinis; hanc ſcilicèt non obligare ſub mortali, ſi dubitetur, an ſit inducta ex deuotione, vel ex animo ſe obligandi. Ratio eſt, quoòd ad inducendam conſuetudinem, quæ habeat vim legis, & obliget, requiritur, vt id, quod inducitur per conſuetudinem, inducatur, & obſeruetur per modum præcepti, & tanquam obligatorium (idque à ſciente, & volente) non autem tanquam ex deuotione: vnde fit, vt quod frequenter fit ex ſola deuotione, vel conſilio, non inducat obligationem: (vt quando quis aliquid facit ex ignorantia, exiſtimans ſe ad illud teneri, cùm verè non teneatur) ex alia parte in dubio melior eſt conditio poſſidentis ſuam libertatē, ideoque quamdiu dubitatur, an conſuetudo obliget ſub mortali, nec ne, probabiliter iudicari poteſt obligare ſolùm ſub veniali, aut etiam ſub nulla culpa, ſi adhibita ſufficienti diligentia, ac ſeruatis præfatis regulis, adhuc dubitetur de obligationis grauitate; ſic enim libertas conſcientiæ poſſidet. ita *Diana p. 1. tr. 10. reſol.* 30 *ex Suarez, & Villalob.* contrà *Azorium, & Reginald.* oppoſitum docentes.

Hinc patet, quod dicendum ſit de obligatione Regularium quo ad ieiunium Aduentus; an ſcilicèt,

cèt, & ſub quali peccato teneantur illud ſeruare.

5 ℞. Enim quòd cùm Doctores communiter dicant eiuſmodi ieiunium manſiſſe apud monachos partim ex proprijs inſtitutis, partim ex vſu, ac more; vt ait *Azorius p.1.l.7.cap.17.quæſt.3.* obligatio ieiunij huius ſolùm colligi poteſt ex eorum regula, conſuetudine, ac ſtatutis: quæ, quantùm cognoſcere potui ex Religioſis variorum Ordinum, ſunt valdè diuerſa: alij enim ex regula tenentur ſub mortali ſeruare hoc ieiunium (Fratres Minores) alij ex ſola conſuetudine obligatoria (vt Carthuſiani, & fortè alij) alij ſolùm ex conſuetudine ſeruanda ad arbitrium Superiorum (vt varij alij Religioſi diuerſorum Ordinum) alij ex ſola deuotione; vt in Societate Ieſu, in qua vnicuique liberum eſt ſeruare, vel non ſeruare ieiunium Aduentus. Imo *Tamburinus tom. 2. de iure Abb. D. 12. quæſt. 2. numer. 3.* dicit Religioſos, ſecluſa obligatione regulæ non teneri ad ieiunium Aduentus ratione conſuetudinis; cum hæc non ſit inducta ab ipſis ex intentione ſe obligandi, ſed ſolùm ex deuotione.

QVÆRES III. Quot, & quæ requirantur ad ieiunium Eccleſiaſticum..

6 ℞. Requiri tria, nempe vnicam comeſtionem, abſtinentiam à certo genere ciborum, & horam certam refectionis. ita *Filliucius tract. 27. p.2.num.20.cum Syluestro Caiet.Gabriele Azorio, & Leſſio, Fagundez præc. 4. Eccl. l. 1. cap.2. numer. 1.* alijque communiter apud *Filliucium. qui num. 21.* monet quòd, cùm ieiunium Eccleſiaſticum ſit totum quoddam morale integratum ex ſupra dictis tanquam partibus; eę tamen non ſunt eodem modo neceſſariæ: ſiquidē aliæ ſunt ita neceſſarię, vt ſine ijs eſſentia ieiunij non ſubſiſtat (qualis eſt abſtinentia à carnibus, & vnica refectio) aliæ verò requiruntur quidem ex ſe; ita tamen, vt ex cauſa, aut cum diſpenſatione abſque ieiunij violatione omitti poſſint (qualis eſt abſtinentia ab ouis, & lacticinijs, & hora certa comeſtionis) Ratio horum eſt, quòd Eccleſia per ieiunium intendit, vt corpora fidelium caſtigentur, & concupiſcentia coerceatur; non autem vt natura lædatur notabiliter; ideòque prohibuit eſum carnium, & lacticiniorum vt corpus caſtigetur; permiſit verò vnicam comeſtionem, & conceſſit in cibum piſces, legumina, olera, & alia id genus; ne aliàs natura notabiliter læderetur.

QVÆRES IV. An vnica comeſtio ſit de ſubſtantia ieiunij Eccleſiaſtici.

7 ℞. Eſſe, non quidem quòd iure communi extet textus expreſsè prohibens multiplicem comeſtionem in die ieiunij; ſed quòd conſenſus omnium fidelium, ac vniuerſalis conſuetudo totius Eccleſiæ vim legis habens eo modo interpretata eſt de ratione ieiunij eſſe, vt in die ſemel tantùm comedatur. quamquam talis conſuetudo non ita rigorosè accipi debeat, vt vi illius prohibita cenſeatur quælibet alia leuis comeſtio: ſiquidem non ſolùm licita eſt veſpertina refectiuncula (quam vulgò vocant *collatione*) ſed etiam ſumptio paruæ quantitatis cibi, ſiue per modum medicinæ, ſiue ne potus noceat, ſiue ad prægustandos cibos, ſiue alia de cauſa: cum enim lex ieiunij ſit humana, & lex humana nunquam præſumatur obligare cum graui incommodo; mirum non eſt Doctores adeò benignè interpretari rationem vnicæ comeſtionis requiſitæ ad ſubſtantiam ieiunij Eccleſiaſtici, concedendo præter ordinariam refectionem etiam collationem veſpertinam. ita *Filliucius ſupra numer. 23. Fagundez cap. 5. per totum. Regin.l.4.nu.173. & ſeqq.Laym.l.4.tra.8.c.1.nu.7.* & alij.

Vtrum verò qui ieiunium violat ſecundò comedens (& quidem notabiliter toties peccet m. quoties eo die comedit.

8 ℞. Non peccare, niſi ſemel: & probatur tum quia, ſi tertia comeſtio, quarta, & quinta eſſet nouum peccatum mort. maximè eſt quia in ſingulis comeſtionibus frangitur ieiunium; at in tertia, & quarta comeſtione non frangitur ieiunium, cùm in ſecunda ſit fractum, ideòque non poſſit ampliùs ſeruari; ergò: tum quia quando Eccleſia in die ieiunij præcipit vnicam comeſtionem, præcipit ſolùm, ne bis comedamus: perinde ac ſi cui præciperetur, ne certum locum vno paſſu tranſiliret; peccaret quidem primo paſſu, non item ſecundo, ac tertio iterum tranſiliendo. ita *Suarez tom.2.de relig. l.4. de voto cap.7.numer.12.* ex *Durando, Azorio, Palud. Caiet. Ang. Sylu. Roſel. S. Antoni. Nauarr. Armilla*, & alijs relatis à *Fagundez ſup.num.5.* contrà *Maiorem, Medinam Couar. & Io.de Neapoli* adductis ab eodem *Fagundez num.4.* qui *num.11.* ſatis probabiliter docet illum, qui ex Papæ indulto in die ieiunij comedere poteſt plùs quàm ſemel, eo ipſo cenſeri ex toto ſolutum à lege ieiunij, ideoque poſſe comedere, quoties voluerit (idque ob rationes paulò ante adductas) non ideò tamen poſſe veſci carnibus, aut alijs cibis vetitis in die ieiunij: cùm ſit ſolutus à lege ieiunij tantùm quò ad numerum comeſtionum; non item quo ad qualitatem ciborum, in quibus Papa non cenſetur diſpenſare, niſi expreſsè ſe declaret.

Moneo hìc obiter *Paſqualigum deciſ.135. de ieiunio num.5.* docere mala maſſilica, vulgo *limoni*, & mala medica, vulgo *aranci* poſſe in die ieiunij abſque peccato ſumi à ieiunante ad ſedandam ſitim, quoties libuerit; idque procedere de alijs ſimilibus fructibus; qualis v.g. eſt vua. probat quia ſuprà dicta, eſtò videantur habere rationem cibi; dum tamen dentibus conteruntur, reſoluuntur in potum, ſicque per modum potus in ſtomachum tranſmittuntur. Verùm mihi non probatur hæc doctrina; tum quia eſt omninò ſingularis, & relaxatiua Eccleſiaſtici ieiunij; & alioqui rarò benè loquitur, qui contrà omnes loquitur: tum quia dicti fructus ſumi poſſunt per modum cibi, & per modum potus, multumque refert, ſub qua ratione ſumantur; ſi quidem ſumpti per modum cibi frangunt ieiunium, non item, ſi per modum potus: ſumuntur autem per modum cibi, quando ſumuntur non expreſſi, & paulatim dentibus conteruntur; per modum verò potus, quando expreſſi in vaſe aliquo epotantur.

QVÆ-

QVÆRES V. An, & quo modo licita ſit refectiuncula veſpertina in die ieiunij.

9 ℞. Quòd, licèt iuxtà dicta vnica comeſtio ſit de eſſentia ieiunij; conſuetudine tamen inductum eſt, vt in die ieiunij præter cœnam ſumi poſſit collatio ſerotina; quæ licitè ſumi poteſt, etiam per modum ſuſtentationis naturæ, ac nutrimenti: & hoc vi conſuetudinis ſic inductæ, quæ in talibus magnam vim habet, vt notant Doctores; inter quos *Azorius p. 1. lib. 7. cap. 8. q. 6.* cenſet, ſeruata lege ieiunij, refectiunculam, quæ de more ſumitur veſpere, aut noctu, poſſe transferri ad meridiem, vel ad tempus paulò ante meridiem (idque etiam citrà neceſſitatem) cùm ſic neque ex toto, neque ex parte ſoluatur ſubſtantia ieiunij eccleſiaſtici, quod iuxtà præſentem Eccleſiæ conſuetudinem vnum continet prandium cum vna refectiuncula; & ſolùm mutetur tempus ſine præuentione horæ ab Eccleſia præſcriptæ ad comedendum; & quidem omiſſis cibis vetitis, vt ſuppono. quod tamen non procederet in caſu, quo dicta refectiuncula ſumeretur longè antè meridiem; tunc enim ſolueretur ieiunium; cùm ſic non ſolùm mutetur tempus ieiunij, ſed etiam illius ſubſtantia; quæ requirit, vt ante horam debitam nihil cibi ſumatur. ita *Azorius*, & cum eo *Reginaldus ſup. numer. 186.* contrà *Philiarcum de offic. Sacerd. tom. 1. lib. 3. cap. 25. §. tertiò peccat*, & alios ſuſtinentes ſolùm ex cauſa poſſe præueniri horam refectiunculæ, illam ſumendo mane: idque ſub veniali, vt docet *Diana p. 2. tract. 9. reſolut. 33.* cum *Laym. Toleto, Filliuc. Leſſio, Villalobos*: cùm talis refectiuncula inducta ſit per conſuetudinem contrà ius; & talis conſuetudo non debeat extendi, ſed reſtringi, vt tradunt Doctores de conſuetudine inducta contrà ius. Imò *Paſqualigus ſup. deciſ. 103. numer. 7.* cenſet etiam ſine peccato ven. poſſe ſumi primo mane refectiunculam, dilata cæna in noctem: cùm ſic impleatur quidquid requiritur ad ieiunium, & ſequatur eius effectus, ideſt carnis maceratio; quæ maior eſſe poteſt ſumpta refectiuncula primo mane, quàm ſi ſumeretur circa meridiem; quod tamen negant *Sanchez lib. 5. conſil. cap. 1. d. 27. n. 2.* & *Fagund. ſup. cap. 4. n. 16.* alijque modò relati ex *Diana*.

Maius dubium eſt, quanta, & qualis debeat eſſe refectiuncula, quæ in die ieiunij permittitur fidelibus.

℞. Quòd, ſicut omnes Doctores conueniunt eiuſmodi refectiunculam quò ad quantitatem, & qualitatem ciborum debere eſſe talem, vt non poſſit dici tranſire in cœnam: ita diſcrepant in aſſignanda quantitate ciborum, qui in ea ſumantur: alij enim cum *Graffio 1. p. deciſ. lib. 2. cap. 37. numer. 29.* concedunt ſolùm 3. vncias: alij cum *Homobono in examine eccleſ. p. 1. tr. 6. c. 20. q. 90.* concedunt 4. vncias: alij cum *Villalobos to. 1. ſum. to. 23. d. 7. n. 4.* indulgent 6. vncias: alij cum *Fagundez ſup. cap. 4. numer. 13.* ex mente doctiſſimi *Suarez* permittunt 8. vncias: alij cum *Reginaldo, Layman, & Filliuccio* relatis à *Diana p. 1. tractat. 9. reſol. 1.* docent ieiunantem poſſe abſque violatione ieiunij ſumere quartam partem eorum, quæ ieiunanti aliàs ſufficerent in cęnam ordinariam. Quo modo *Azorius p. 1. lib. 7. cap. 8. qu. 8. Layman lib. 4. tractat. 8. cap. 1. numer. 9. Diana ſuprà, & Fagundez ſuprà numer. 21.* docent nobilioribus perſonis in ieiunio ampliorem refectiunculam debere concedi, tum ob conſuetudinem, quæ inualuit; tum quia ieiunium debet eſſe proportionatum vnicuique, ac proinde cum nobiliores ſint aſſueti cibis delicatioribus, ac pluribus ferculis, ideoque plùs patiantur, amplior collatio ipſis permittenda ad vitandam nimiam macerationem; Inter has autem ſententias mihi probatur ſententia *Fagundez*, quippe quæ eſt accommodata fragilitati humanæ, & aliàs non nimis laxat rigorem ieiunij eccleſiaſtici.

11 Concedo tamen, quòd ſi quis in collatione veſpertina ſumat vncias 10. cibi communis, peccat ſolùm venialiter. idque colligo ex eo, quòd iuxtà dicta probabile eſt poſſe licitè ſumi in veſpertina refectiuncula 8. vncias abſque vllo peccato: & aliàs probabile putant *Turrianus par. 1. ſum. cap. 256. d. 27. numer. 2. & Diana p. 5. tract. 5. reſolut. 11.* ad violationem ieiunij mortalem non ſufficere quantitatem 2. vnciarum cibi communis; & conſequenter cenſent comedentem dictas 2. vncias peccare ſolùm venialiter contrà legem ieiunij. Vnde fit, vt ſumens in collatione ieiunij 2. vncias vltra 8. quæ concedantur, peccet ſolùm venialiter. quod Confeſſarij benè notent ad ſubleuandam ſummam difficultatem, quam plures fideles ſentiunt in obſeruandis Eccleſiæ ieiunijs.

12 Addo, quod attinet ad refectiunculam ſumi ſolitam in Vigilia Natiuitatis Domini; Doctores communiter ampliare eius quantitatem, nixos communi fidelium vſui vbique inducto, vt duplò maior ſolito fiat refectiuncula. Quare *Fagundez ſuprà numero 19.* ait quòd, cùm iuxtà mentem *Suarez* ordinaria collatio 8. vncias habere poſſit ex fructibus, & pane, aut dulciaribus; in vigilia Natiuitatis licebit ſumere 16. vncias, plùs, minùs. *Sancius verò in ſelectis D. 52. numer. 10.* ait in præfata vigilia ex fructibus, ſiue conſeruis poſſe ſumi vſque ad ſaturitatem: idque etiam in caſu, quo vigilia incidat in Sabbato, & dies Natiuitatis in feria ſecunda, cùm etiam tunc vigilia in Sabbato celebretur, nec amplior refectiuncula negari debeat ex eo quòd inter vigiliam, & feſtum Natiuitatis mediet dies Dominica; quamuis tandem concedat *Sancius num. 11.* ſumentem in tali caſu refectiunculam adeò magnam violare ieiunium, vt pote exigens ex eſſentia ſua vnicam comeſtionem; ſine peccato tamen, excuſante conſuetudine: quam ipſemet *Sancius* addit *num. 10.* vigere in Hiſpania, etiam inter Religioſos, ſumendi ſcilicèt in vigilia Natiuitatis de fructibus, & conſeruis abſque menſura. ita *Sancius*, non diſſentiente *Sanchez*, qui *l. 5. conſ. c. 1. d. 26.* admittit in peruigilio Natiuitatis poſſe ſumi collationem duplò maiorem, imò & triplò: idque etſi feſtum Natiuitatis contingat in Feria 2. & eius

vigilia in Sabbato. idem ſentiunt *Diana p.1.tra.9.reſol.35.Azorius ſup.c.8.q.8.* alijque docti recentiores contra *Nauarrum c.21.num.15.Rodriq.Pedrazam,& Anglez*; qui ait conſuetudinem in contrarium allegatam non eſſe conſuetudinem populi Dei, ſed populi, cuius Deus venter eſt, & corruptelam à guloſis inuentam, & alios adductos à *Fagundez n.19.* aſſerentes collationi, quę fit in vigilia Natiuitatis, non debere concedi ampliorem menſuram, quàm ſoleat concedi in alijs ieiunijs Eccleſiæ. Verùm, vt dicam, quod ſentio, iuxtà dicta puto in hoc debere ſeruari conſuetudinem vniuſcuiuſque regionis, ac nationis: cenſeoque in vigilia Natiuitatis concedendam eſſe Religioſis collationem ſolitò maiorem: quippe qui ea nocte debent intereſſe diuinis Officijs ſolitò prolixioribus, & communiter ſolent prandere ſub meridiem: idq; ex conſuetudine inducta, etiam inter Religioſos obſeruantiores, ideòque permittenda; modò in ea non ſit nimius exceſſus, qui vtique vitioſus eſſet, ac illicitus, etiam inter viros ſæculares; quamuis *Reginaldus ſup.nu.185.* dicat ſæculares ſolere ſumere in præfata vigilia collationem maiorem, quàm ſumant Religioſi.

Dubitat hic *Sanchez l.4.mor.c.11.nu.65.* an ieiunans ex voto in vigilia Natiuit. ſumere poſſit refectiunculam adeò pinguem, vt diximus poſſe aliàs ſumi à fidelibus.

13 ℞. Poſſe, ſiue votum ſit ſpecialiter ieiunandi in vigilia Natiuit. ſiue generaliter ieiunandi certa die, in qua incidat vigilia Natiuit. patetque ex eo quod, licèt conſuetudo non poſſit derogare voto; votum tamen de aliqua materia non obligat aliter, quàm obligaret lex eccleſiaſtica de eadem materia; cùm ergò lex eccleſiaſtica in vigilia Natiuit. concedat per legitimam conſuetudinem fidelibus collationem longè maiorem ſolitò, ea licitè ſumi poterit, etiam à ieiunante ex voto. ita *Sanch.ſup.* contrà *Rodriquez tom.1.ſum.c.23.n.8.* aſſerentem oppoſitum, ideòque negantem Fratres Minores, qui ex voto tenentur ieiunare à feſto omnium Sanctorum vſq; ad vigiliam Natiuit. poſſe in hac vigilia vti collatione tam longa: cùm aliàs ex doctrina *Sanchez* modò allata ſequatur id ipſis omninò licitum eſſe & cuicumque alij ex voto ieiunanti ea die; modò vouens non intenderit ſe obligare ad ieiunandum inſtar aliorum dierum: quod vtique potuit facere.

Illud etiam hic moneo in vigilia Natiuitat. ſumi poſſe collationem pinguem modo ſup. dicto etiam in caſu, quo, dilata cæna in veſperam, ſub meridiem ſumat refectiunculam: & probo tum ex eo quòd Doctores ſuprà concedunt poſſe ſumi collationem tam copioſam, etiam in caſu, quo vigilia Natiuit. incidat in Sabbato, & feſtum Natiuit. in feria 2. (in quo caſu æque ceſſat ratio concedendi refectiunculam adeò magnam) labor ſcilicèt nocturni officij, ac in præſenti caſu, quo dilata cæna in veſperam, ſub meridiem ſumitur collatio: tum quia ratio inducendi conſuetudinem refectiunculæ adeo magnę in vigilia Natiuit. videtur eſſe excellentia feſti, non autem ſolus labor nocturni Officij; talis autem ratio æque procedit, ſiue collatio ſumatur meridie, ſiue veſpere, vt patet. ita in terminis, docti viri à me conſulti contrà *Sanch.l.5.conſil.c.1.d.26.numero 6.*

Quin etiam cenſent *Azorius p.1.l.7.cap.8.q.8.* & *Lublinus v.ieiunium num.4.* licitum eſſe in vigilia Paſchatis Reſurrectionis ſumere refectiunculam veſpertinam in ea quantitate, in qua diximus permitti in vigilia Natiuitatis: adduntque alij idem procedere & de vigilia Pentecoſtes, eo quod ieiunium illius ſit ieiunium lætitiæ: cuiuſmodi eſt etiam ipſa vigilia; cùm in ea quodammodo incipiat ſolemnitas feſti ſubſecuturi, celebrato officio cum paramentis rubris.

14 Quod vero attinet ad qualitatem ciborum ſumendorum in refectiuncula veſpertina: conueniunt Doctores communiter apud *Dianam ſup.reſolut.1.* in ea ſumi poſſe ea ſolùm, quæ vel ante, vel poſt prandium, aut cœnam ſumi ſolent; qualia ſunt electuaria, fructus arborum, ficus, vuæ paſſæ, nuces, poma, pira, herbæ; item panis, ſed in ea quantitate, quæ merito modica cenſeatur; non item cibi, qui valent potiſſimùm ad nutriendum, vt piſces, & legumina: quamuis *Azorius ſup.c.8.q.7.* concedat etiam piſciculum paruum, & alia ex ſaccharo, ac melle condita. Ratio eſt, quia refectiuncula, de qua hic, ſolùm eſt licita ratione conſuetudinis: conſuetudo autem ex communi Doctorum teſtimonio (vt videri poteſt apud *Dianam ſup.*) præſcripſit, & præſcribit tum quantitatem, tum qualitatem ciborum ſumendorum in dicta refectiuncula, nec vnquam permiſit in ea ſumi cibos communiter ordinatos ad ſuſtentationem, & apponi ſolitos inter fercula; vt proinde ſine ſufficienti fundamento dixerit *Bonacina D. vlt.de leg.q.1.p.3.nu.3.* in præfata refectiuncula non tam cibi qualitatem, quàm quantitatem attendendam eſſe; id enim nullo modo videtur admittendum, & communiter reijcitur: ſi excipias *Caietanum v.ieiunium n.4.Bizozerum p.4.ſum.de 3. præc. decal.c. vlt.memb.2.nu. 3.* & fortè aliquem alium aſſerentes in refectiuncula ieiunij poſſe ſumi quidquid non eſt vetitum in die ieiunij modo ſit in debita quantitate.

15 Illud etiam hic aduerto quod, quando Doctores concedunt quantitatem 8. vnciarum in collatione ſerotina; non eſt ſenſus comedentem, ſi velit, poſſe ſumere 8. vncias panis, ſi aliàs nolit ſumere quidquam de fructibus, aut herbis; ſed ſenſus eſt ieiunantem partim ex fructibus, aut herbis, partim ex pane poſſe ſumere quantitatem 8. vnciarum. Moueor tum ex communi modo loquendi, quo vtuntur Doctores communiter, dum loquuntur de quãtitate, & qualitate refectiunculæ veſpertinæ; ſiquidem communiter ſupponunt cum pane modico iungi fructus, aut herbas: tum quia panis maximè confert ad nutriendum, ideòque ſi concederentur 8. vnciæ panis, ieiunans nimiam caperet ſuſtentationem. puto autem, quod ſi ieiunans in refectiuncula vellet vti ſolo pane, poſſent ei concedi quinque panis vnciæ circiter.

Quærunt prætereà Doctores, an liceat in refectiuncula veſpertina ſumere iuſculum abſque peculiari indigentia, ac neceſſitate.

16 ℞. Videri licere; dummodò iuſculum non ſit coctum

coctum in aliquo cibo vetito, ſed tantum in pane vel cum fructibus, ac herbis, nec excedatut quantitas alioqui conceſſa; quamquam aliqui concedat iuſculum etiam ex leguminibus id colligentes ex *Fagundez præc.4. Eccl.l.1. cap.4. num.20.* dicente in refectiuncula ſerotina concedi iuſculum cum quouis cibo aliàs non vetito; addenſque *deciſ.111.* in dicta refectiuncula ſumi poſſe cremorem amygdalinum, aut triticeum. Nobiſcum ſentiunt *Azorius ſup. cap.8.q.8. Regin.l.4.num.185. Bonac.ſup. nu.3. Fagund.ſup. Boſſius ſect.4. de iubil.caſu 18.num.4. Bizozerus ſup. Ghetius in theſ.animæ v.ieiunium cap.1. nu.4.* & alij contrà *Filliucium tract.27.numer.31. Laym.l.4. tract.8. cap.1. num.9.* alioſque oppoſitum ſuſtinentes ex eo quòd iuſcula ſolent numerari inter cibos ordinatos ad alendam, & ſuſtentandam naturam, quos diximus arceri à refectiuncula veſpertina; & aliàs non eſt vſu receptum, vt iuſcula apponantur in præſata refectiuncula; quæ tamen à conſuetudine Eccleſiæ, per quam inducta eſt, ſumere debet modum, & menſuram.

Quamquam *Layman* concedat excuſari poſſe illum, qui ad conſulendum infirmitati ſtomachi, vel alia de cauſa in ſerotina collatione ſumeret iuſculum. Quod item approbat *Filliucius* monens non benè arguere illum, qui dicit: In collatione veſpertina poſſum licitè ſumere 4. vncias panis, 2. vncias amygdalarum, & quantum aquæ libuerit; ergò etiam ex aqua, pane illo, & amygdalis poſſum conficere iuſculum coctum, & illud totum ſumere loco collationis. nam agente igne per concoctionem, plurimùm mutatur materia ſubiecta, fitque ex ea alius cibus magis nutritiuus, maiuſque pondus acquirit; itaut iudicio peritorum ex illis 4. vncijs panis, amygdalis, & aqua haberi poſſint duo iuſcula pertingentia ad pondus 24. vnciarum; quæ vtique poſſent deſeruire in cœnam, pœnè dixerim competentem. Aliqui tamen docti Neoterici, & præſertim *P. Domicus Zanetus* in moralibus verſatiſſimus vltrò concedunt in refectiuncula veſpertina ſumi poſſe iuſculum ex pane, & aqua pertingens ad 12. vncias; cùm exceſſus ille ponderis proueniat ex aqua, quæ exigui eſt nutrimenti.

An vero, qui manè comedit ignorans ea die ieiunari teneatur reliquo tempore ſeruare ieiunium perinde ac ſi non comediſſet quidquam.

17 ℞. Teneri, ideòque poſſe prandere cum alijs, imò & ſumere collationem veſpertinam, niſi fortè nimis proximè ad horam refectionis nocturnæ ſumptus fuiſſet cibus, & in tanta quantitate, quantam aliàs ſumpturus erat in ipſa refectiuncula. ita *Sancius ſup. num.2.* alijs citatis, & patet, quia præceptum violatur ſolùm per actum voluntarium: comeſtio autem, de qua hìc, fuit inuoluntaria, ſicque ieiunium non fuit violatum, niſi materialiter, ac proinde adhuc poteſt ſeruari. Dixi *imò & ſumere collationem veſpertinam*; cum iuxtà dicta non obſtante ea comeſtione inuoluntaria, is perinde ſe habeat, ac ſi nihil cibi ſumpſiſſet: vnde, ſicut tunc potuiſſet ſumere collationem ſerotinam, ſic & poteſt modo. quod tamen, vt dixi, non procederet in caſu, quo cibus ille proximè ad horam refectiunculæ nocturnæ ſumptus fuiſſet; cùm ſic verè aſſumptus ſit ille cibus, quem alij ieiunantes ſumunt, & quem ille ſumpſiſſet, etſi meminiſſet illum ſumi loco collationis; itaut ſumptio illius dici poſſit interpretatiuè voluntaria; adeoque non omninò inuoluntaria quo ad ieiunium, ſicut inuoluntaria fuerat comeſtio in priori caſu.

QVÆRES VI. An violet ieiunium Religioſus, qui ex cauſa emergente interrumpit prandium & poſtea redit ad menſam, interruptum prandium perfecturus.

18 ℞. Non violare: ſiue recedēs à menſa animum habeat redeundi ad proſequendum prandium (quod concedunt *Fagundez Fernand. Tolet. Reginald. Azor. Bonac.* & alij apud *Dianam reſolut. 32.* inter quos *Sancius num.4.* putat id fore licitum, etſi intercedat ſpatium duarum horarum; & probant quia poſito animo redeundi, comeſtio interrumpitur ſolùm phyſicè, & moraliter cenſetur continuari) ſiue recedens non habeat animum redeundi, & peracto negotio, ad quod fuerat euocatus, rediens reperiat prandium durare, & intentione mutata, iterum accūbat menſæ, & comedat cum alijs conuiuis: tunc enim docet *Leſſius l.4. de iuſt. cap.2. num. 11. Laym. ſup. cap.1. num.6. & Diana ſup.* citans pro ſe *Villalobum* non violari ieiunium; cùm talis comeſtio moraliter vna reputetur, ſicur & vnum eſt prandium. Imò *Diana* cum *Filliucio num.41.* & *Molfeſio tract.10. ſummæ tom.1. cap.5. num.27.* addunt in caſu propoſito non violari ieiunium, neque in caſu, quo omnes conuiuæ receſſiſſent, & is, qui fuerat auocatus à menſa, ſe ſolo prandium inſtauraret intra breue tempus, v.g. intrà quadrantem horæ, aut paulò plus, & quidem fortè etiam intra ſemihoram, vt innuit *Portellus de dub. regul. v. ieiunium in addit. num. 10.* idque ob rationem paulò ante allegatam.

QVÆRES VII. Quorum ciborum abſtinentia ſit de eſſentia ieiunij Eccleſiaſtici.

19 ℞. Stando in iure communi generaliter loquendo eſſe ſolam abſtinentiam à carnibus, adeoque ſaluari poſſe ſubſtantiam ieiunij, ſiue quadrageſimalis, ſiue extrà quadrageſimam cum eſu ouorum, ac lacticiniorum, quæ à carnibus ſementinam trahunt originem, & quidem itaut, ſi oua, & lacticinia edantur etiam in ieiunio quadrageſimali, attento præcisè iure communi, peccet ſolùm venialiter. ita *Fagund. præc.4 Eccl.l.1. cap.2.* & in ſua *apologia*, in qua innumeros Doctores Academiæ Conimbricenſis, ac Eborenſis pro ſe citat cum pluribus alijs viris Luſitanis doctrina, ac dignitate conſpicuis, qui doctrinam ipſius non approbarunt ſolùm, ſed ſummopere commendarunt. Et quidem quòd abſtinentia à carnibus ſit generaliter de eſſentia ieiunij eccleſiaſtici, apertè colligitur (quod ſpectat ad ieiunium quadrageſimale) ex cap. *Statuimus d.4.* & *can. 56. ſextæ Synodi generalis*, & ex alijs iuribus: quod verò attinet ad alia ieiunia per annum ſeruari ſolita ex *cap. de eſu carnium d.3.* & *Concil. Gerundenſi cap.3.* vt proinde de hoc dubitari non poſſit cum rationabili fundamento.

20 Quod verò eſſentia ieiunij quadrageſimalis ſubſiſtat cum eſu lacticiniorum modo dicto, conſtat quia, eſtò in cap. *denique d. 4.* videatur vetari eſus

ouo-

ouorum, ac lacticiniorum in ieiunio quadrageſimali, dum ibi dicitur *Par eſt, vt nos, qui his diebus*(loquitur de Quadrageſima) *à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quæ ſementinam trahunt originem carnis, ieiunemus*, ideſt ab ouis, ac lacticinijs. Vbi eruditè notat *Fagundez præc. 4. Eccl. l. 1. c. 2. nu. 3.* verbum par non inducere æqualem obligationem peccati m. in abſtinentia carnium, & in abſtinentia ouorum, ac lacticiniorum in ieiunijs Quadrageſimæ, ſed congruentiam quandam: vt proinde *Gloſſa* exponens verbum *par* dicat *æquum eſt*; (quod eſt dicere id eſſe de æquo, & bono, non autem de ſtricta obligatione) ideoque concludat his verbis: *hæc etſi legibus conſtituta ſint, tamen, quia communi vſu approbata non ſunt, ſe non obſeruantes transgreſſionis reos non arguunt; tamen ſine cauſa erit veniale.* Certum eſt autem, quod comedens tempore ieiunij quadrageſimalis, oua, & lacticinia non peccat, niſi venialiter; abſtinentia ab ouis, ac lacticinijs non erit de eſſentia ieiunij quadrageſimalis: aliàs enim talis comeſtio eſſet peccatum mortale. Quod ſi de eſſentia ieiunij quadrageſimalis non eſt abſtinentia ab ouis, ac lacticinijs, multo minùs erit de eſſentia ieiunij occurrentis extrà Quadrageſimam (loquendo de iure communi) ſiquidem nullus in iure eſt textus in dicto ieiunio vetans eſum ouorum, ac lacticiniorum; vt tradunt communiter DD. cum *Syluestro v. ieiunium q. 5.* quare ait *Paludanus in 4. d. 15. q. 4. a. 4. concl. 2.* quod, quando cuiquam iniungitur ieiuniū ſimpliciter, is poteſt veſci ouis, ac lacticinijs: quamquam aliqui Doctores apud *Fagundez ſup. n. 10.* aſſerant in omnibus ieiunijs tam Quadrageſimæ, quā extrà Quadrageſimam iure communi, non ſolùm vetari carnes, ſed etiam oua, & lacticinia; quod conſtat ex dictis eſſe falſum.

Dixi *ſtando in iure communi*, vt indicarem, quod ſi legitima conſuetudine in aliqua regione, ac prouincia inductum eſt, vt in ieiunio tum Quadrageſimæ tum extrà, ieiunantes abſtineant etiam ab ouis, ac lacticinijs; tunc vtique abſtinendum eſt ab ijs, ſi conſtet eam conſuetudinem legitimè inductam fuiſſe, non tanquam ex deuotione, (quo modo obligaret ſolùm ex deuotione) ſed tanquam ex obligatione graui, quam fideles ſibi imponere voluerint; quo pacto vtique obligaret ſub mortali, vt patet.

21 Verum tamen eſt, quod, cum conſuetudo inducta etiam ex obligatione vim non habeat obligandi, niſi ſit approbata à Superiore eccleſiaſtico; vt, alijs citatis, benè aduertit *Fagund. præc. 1. Eccl. l. 1. c. 6. nu. 11.* & alioqui difficile planè ſit ſcire, quando Epiſcopus approbet conſuetudinem tanquam ex obligatione, vel ſolùm ex deuotione, vt notauit idem *Fagund. præc. 4. Eccl. l. 1. c. 2. nu. 14.* item in caſu propoſito valdè difficile eſt dignoſcere, an conſuetudo abſtinendi à lacticinijs extrà Quadrageſimam in pluribus locis inducta fuerit ex deuotione, vel ſub graui obligatione; fueritque ab Epiſcopis approbata vt procedens ex mera populorum deuotione, vel tanquam ſub præcepto; ideò non ita facilè ſtatuendum eſt hic, aut ibi talem conſuetudinem obligare ſub mortali; niſi Epiſcopus expreſſè declaret ſe dictam conſuetudinem approbare vt ortam ex vera obligatione; vel certè eiuſmodi voluntas Epiſcopi aliundè colligatur; vt ſi ille puniat tranſgreſſores, aut communis exiſtimatio populi, vrbis, aut diœceſis cenſeat ſe teneri illam ſeruare ex vera obligatione: ſi quidem talis exiſtimatio non ſit fundata in ignorantia iuris (ſicut fortè non improbabiliter præſumi poteſt eſſe fundata) nam tunc, inquit *Fagund. nu. 12.* melius eſſet pænitentibus auferre ſcrupulum, ne per conſcientiam erroneam peccent m. cùm talis ſcrupulus, licêt communis, non ſufficiat ad inducendam legem obligantem ſub mortali: maximè cùm dici poſſit Prælatos eccleſiaſticos punire eos, qui in ieiunijs extrà Quadrageſimam veſcuntur lacticinijs; ſiue quia ex errore, ac ignorantia iuris cenſent illa eſſe vetita; ſiue quia ſequuntur opinionem ſuſtinentem ea eſſe vetita. vt proinde adhuc dubitari poſſit, an conſuetudo abſtinendi à lacticinijs in aliquibus locis inducta, etiam quò ad ieiunia extrà Quadrageſimam ſit obligatoria ſub mortali, vel ſolùm ex deuotione: conſtat autem in dubio conſuetudinem præſumi debere inductam ſolùm ex deuotione.

Vtrùm verò Regulares ſub mortali teneantur ſeruare præfatam conſuetudinem, ſi detur illam fuiſſe inductam vt obligatoriam.

22 ℞. *Sanch. l. 5. conſ. c. 1. d. 21. n. 2.* quod, cùm Religioſi vt exempti non teneantur ad conſuetudines particulares ſæcularium, etiam Clericorum, & præfata conſuetudo non ſit generalis totius Eccleſiæ, ſed particularis huius, aut illius diœceſis: ei non ſubiacebunt Religioſi; quippe qui immediatè ſubſunt Papæ, & non ſubduntur iuriſdictioni Epiſcoporum, niſi in caſibus expreſſis (inter quos tamen non eſt is, de quo hic loquimur) ita *Sanchez* mouens P. N. Euerardum Generalem Societatis anno 1579. ex conſultatione diuerſorum Patrum eiuſdem Societatis declaraſſe, non obligari Religioſos Societatis ad conſuetudinem abſtinendi ab ouis, ac lacticinijs in die ieiunij extrà Quadrageſimam; & ſi dicta conſuetudo vigeat in loco, in quo ipſi degunt, & omninò adſtringat ſæculares. Quamquam aliqui viri admodum docti à me conſulti putent doctrinam hic datam non ſuffragari Regularibus in hiſce noſtris regionibus: eo quod conſtet ex ipſo facto dictam conſuetudinem fuiſſe ab ijs acceptatā, adeoque illos teneri illam ſeruare; non quatenùs eſt cōſuetudo particularis huius, aut illius Eccleſiæ, ſed quatenùs eſt conſuetudo propria ipſorum Regularium, qui vtique potuerunt illam inducere, vt patet. Verùm, cùm non conſtet, an Regulares dictam conſuetudinem acceptauerint tanquam obligatoriam, vel ſolùm ex deuotione; & iuxtà ſuperiùs dicta in obſcuris ſemper ſequendum ſit, quod minimum eſt: non ita facilè conuinci poteſt eam conſuetudinem inductam fuiſſe à Regularibus, vt obligatoriam: quin potiùs in dubio præſumendum videtur, quod eam intenderint acceptare ſolùm, vt obligantem ex deuotione, non autem ſub præcepto: præſertim cùm dubitari poſſit illam proceſſiſſe ex ignorantia; aut ſaltem ex inaduertentia iuris iuxtà dicta §. *præcedenti*: qua de re *Diana p. 5. tr. 14. reſol. 13.*

QVÆRES VIII. An dato, quòd præfata conſuetudo vigeat inter Regulares, ea ſeruari debeat,

bent, etiam in ieiunijs regulæ, ex voto, &c.

23 ℟. Reginaldus l.4.num.148.cum Azorio ſup. cap. 10.q.2.teneri eo quod præſumendum ſit dicta ieiunia præcipi, ac voueri iuxtà conſuetudinem loci, in quo degimus; cùm ieiunium ſeruari debeat eo ritu, ac modo, quò iuxta populi morem ieiunia Eccleſiaſtica extrà Quadrageſimam ſeruantur. cum Reginaldo ſentiunt Rodriq to.2.q.100.a.7. Corduba citatus ab ipſo Rodriquez, & alij: quamquam fortè poſſet quis non improbabiliter ſuſtinere oppoſitum ex eo quòd deſint Doctores apud Dianam ſup. reſol.5.& 6. aſſerentes ieiunia præſcripta ex pœnitentia, voto, aut pro iubileo poſſe ſeruari cum eſu lacticiniorum, niſi aliter præſcribatur; & aliàs ratio, quæ militat in his ieiunijs, procedat etiam quò ad ieiunia Regulæ. Doctores enim id aſſerunt de illis alijs ieiunijs, eo quòd ſubſtantia ieiunij ſaluetur cum eſu lacticiniorum, & alioqui in materia obligationis ſtricta ſemper fieri debeat interpretatio: quæ omnia locum habent in ieiunijs regulæ. Si ergò probabilis eſt ſententia illorum Doctorum quo ad illa alia ieiunia (ſicut verè videtur) erit item probabilis quò ad ieiunia Regulæ, niſi aliter declaretur in ipſa Regula, vt teſte Rodriquez ſup. declaratum fuit quo ad ieiunia Fratrum Minorum his verbis: *Ieiunia Regulæ in cibo quadrageſimali ſeruentur, niſi aliquando Miniſtro prouinciali quantùm ad alios conuentus, & loca aliud videatur conſilio diſcretorum*; quæ eſt conſtitutio Capituli generalis Barchinonenſis cap.4. Cæterùm puto in hoc ſtandum eſſe conſuetudini Religionum ac monaſteriorum, vt in ſimili tradunt paſſim Doctores.

Certè Caramuel D.t.28.in reg. S.Bened.num. 1613. dicit monachum vouentem ieiunare aliqua die, & non determinantem formam ieiunij intelligi vouiſſe ieiunium iuxta formam monaſticam: idemque ait de ieiunio faciendo à monacho ex pœnitentia Confeſſarij: idque licet DD. communiter aſſerant ieiunia ex voto, ac pœnitentia iniuncta à Confeſſario debere impleri iuxta morem Eccleſiaſticum: cum Caramuel dicere poſſit Doctores loqui de laicis habentibus ſola ieiunia Eccleſiaſtica, non autem de Regularibus habentibus etiam ieiunia monaſtica.

QVÆRES IX. An ſit de eſſentia ieiunij certa hora comeſtionis, itaut ſine culpa mortali ea nequeat notabiliter anticipari.

24 ℟. Quod, licet olim nodo dicto eſſet ſtatuta hora comeſtionis in die ieiunij; cùm Doctores fermè omnes petant ad eſſentiam ieiunij abſtinentiam à carnibus, vnicam refectionem, & abſtinentiam à refectione vſque ad horam definitam; itaut quo ad Chriſtianos olim idem eſſet prandere, ac non ieiunare; ſpectato tamen vſu hodierno Eccleſiæ, per quem cœna in prandium tranſlata eſt; iam hora competens comeſtionis non videtur requiri ad eſſentiam ieiunij: ſed potiùs eſſe circumſtantia illius accidentaria, vel ſaltem ſecundaria; vt proinde illius omiſſio, & conſequenter anticipatio temporis in comeſtione non excedat culpam venialem ita Laym.ſup num.11.ex Richardo, & Viualdo, aliique apud Dianam reſol. 27. contrà alios ab illo relatos, & probatur quia dicta anticipatio eſt mutatio ieiunij ſolùm accidentaria; vt patet ex magna varietate, quam ſucceſſu temporis habuit in Eccleſia (cùm aliàs eſſentialia nequeant variari abſque mutatione eius quod pet ea conſtituitur:) Quod autem dixi anticipantem notabiliter v. gr. per 2. horas comeſtionem peccare venialiter, debet intelligi de anticipante ſine cauſa, ſi enim id fiat ex cauſa nulla erit culpa; cùm in tali caſu lex ieiunij cenſeatur non obligare, neque ſub veniali.

25 Certè, quod ſpectat ad Regulares; dicit Leſſius ſup.num.13.in multis monaſterijs ex priuilegio, aut conſuetudine receptum eſſe, vt ſeſquihora, vel ampliùs ante meridiem prandeant in die ieiunij; nempe per vnam horam cum dimidia, & ampliùs ante meridiem: quod etiam confirmat Diana ſup teſtatur praxis Regularium ipſorum, & aduertit Filliuc. tract.27.num.73. monens id procedere etiamſi alicubi extet conſuetudo comedendi ante meridiem per tempus notabile; Religioſos ſcilicèt poſſe anticipare per horam cum dimidia ante meridiem vltra tempus, quo ibi ſolet anticipari comeſtio ante meridiem (cùm in priuilegio comedendi per ſeſquihoram ante meridiem ſumatur meridies materialiter pro hora determinata edendi in ieiunio, quam vocant meridiem: ſi quidem meridies eſſe ſolet hora deſtinata comeſtioni) idque conſtat ex fine priuilegij ſupradicti, qui eſt ſubleuare Religioſos præ ſecularibus. Imo exiſtimant aliqui ſtante anticipatione inducta per conſuetudinem, & ea, quæ habetur ex præfato priuilegio (quod teſte Portello de dub. regul. v. ieiunium num. 4. fuit Regularibus conceſſum a Leone X.) poſſe Regulares adhuc ſuperaddere anticipationem non notabilem; cùm reſpectu horæ præſcriptæ ad prandendum, quæ in præſenti caſu ſumitur ex priuilegio, & conſuetudine ſimul admitti poſſit anticipatio non notabilis.

Quòd ſi quæras, quantùm poſſit præueniri hora comeſtionis in die ieiunij abſque peccato mort. ſtante opinione aſſerentium anticipantem notabiliter horam refectionis peccare mortaliter.

26 ℟. Filliucius ſup.num.73.poſſe præueniri per mediam horam, eo quòd talis anticipatio iudicio prudentis viri non videatur notabilis: quod eſt contrà Molfeſium ſup.cap.5.num.15.concedentem in hoc caſu horam circiter, & contra Azorium ſup. cap. 11. q.4. concedentem vnum tantùm quadrantem, ſed nimis ſcrupuloſè, vt notauit Diana ſup. qui ſentit cum Filliucio; additque attenta noſtra ſententia non agnoſcente culpam mortalem in dicta anticipatione non peccaturum nec venialiter illum, qui media hora anticipat tempus comeſtionis, aliàs peccaturus venialiter, ſi vltra mediam horam anticiparet, & quidem tantò grauiùs (ſtando intra fines culpæ v.) quanto magis anticipat.

Supereſt modo vt videamus, quæ ſit hora ſumendæ refectionis in die ieiunij.

27 ℟. Olim fuiſſe horam nonam, quæ plùs, minùs eſt tertia poſt meridiem: idque tum in ieiunijs quadrageſimæ (vt tradunt Doctores ex cap. ſolent de conſecrat. d.1.) tum in alijs ieiunijs, vt docent communiter Doctores cum Fagundez ſup. cap. 3. num. 1. hodie tamen communi conſuetudine inductum videtur

detur, vt hora competens ad frangẽdum ieiunium, etiam Quadrageſimæ, ſit hora meridiei non quidem ſumpta mathematicè, ſed moraliter: ita vt dicat *Filliuc.tract.27. p.2.n.69.* probabile eſſe ſufficere, vt finis prandij attingat meridiem, quamuis longè ante meridiem inchoatum fuiſſet, etiam per mediam horam ante meridiem; vt in ſimili docet *Suarez de Sacram.D.*88.*ſect.*4.de Miſſa celebranda in aurora; & cum illo *Filliucius* addens *n.67.* hanc horam non requiri ad ieiunium poſitiuè (quaſi opus ſit tũc cibum ſumere) cùm poſſit quis laudabiliter per totam diem abſtinere, ſi velit) ſed negatiuè, ne ſcilicèt ante horam illam notabiliter ſumatur cibus.

28 Imò monet *Sancius D.53.ex ſelectis nu.3.* quod, ſi alicubi ſint diuerſa horologia, ad pulſationem primi horologij poteſt ieiunãs inchoare refectionem: probatq; quia, ſicut in odioſis appellari poteſt ad vltimum horologium (quo modo *Sanch. l.8. de matr.D.* 41.*nu.* 40. dicit comedentem poſt mediam noctem ab vno horologio deſignatam, poſſe communicare die ſequenti, ſi expleta comeſtione conſtet ſonuiſſe aliud horologium: ſic in fauorabilibus licitum eſt conſentire pulſationi primi horologij.

QVÆRES X. An Regulares profeſſi ante 21. annum expletum teneantur ad ieiunia tum communia Eccleſiæ, tum propria Regulæ.

29 ℞. Quod, licèt communiter dicant Doctores, *Portellus de dub.regul.v.ieiunium n.2.Rodriq. tom.2.q.* 100.*a.6.Fagund.ſup.c.8.n.6.* alijque apud ipſum *Fagundez* illos teneri ad ieiunia Regulæ, non item ad ieiunia communia Eccleſiæ: alij tamen, vt *Tamburin.tom.2.de iure Abb.D.12.q.4.n.4.& alij* apud *Sancium ſup.D.54. num.3.* non improbabiliter ſuſtinent Regulares non teneri neque ad ieiunia regulæ: probantque ex ea doctrina, quam tradit *Sanchez l.4. mor.c.11.num.54.* & ego pro hac ſententia retuli in mea *tract.de Monialibus cap.6.n.25.* videlicet ætatem ſexagenariam, ſicut excuſat viros à præcepto eccleſiaſtico ieiunij, ita & excuſare à voto ieiunij; cùm ſimilia vota non obligent aliter, quàm obliget præceptum eccleſiaſticum de re ſimili (ſi aliter non conſtet de intentione vouentis: quòd ſi hæc doctrina procedit de obligatione ieiunij ex voto; à fortiori procedet de obligatione ieiunij ex regula: quam doctrinam approbant *Medina l.1. inſtruct. pro Confeſſar. c.14.§.10.* & *Graffius p.1.deciſ.l.2.c.37.nu.42.* & alij docti Recentiores à me conſulti, eaque ducti ſuſtinent Regulares ante 21. annum ætatis expletum non teneri ad ieiunia propria Regulæ, nedum ad ieiunia communia Eccleſiæ.

30 Dixi *ante annum* 21. *ætatis expletum* quia præceptum ieiunij eccleſiaſtici non obligat in principio anni 21. ſed requiritur, vt ſit omninò completus de momento in momentum. Vnde fit, vt complens ipſa die ieiunij annum 21. hora diei prima poſt meridiem, ea die non teneatur ieiunare; eò quod annus ille completus eſſe debeat de momento in momentum, vt in terminis aduertit *Sanch.l.2. de matrim.D.* 24.*num.*23.addens *D.41.nu.*38.illum, qui facta diligentia dubitat, an expleuerit annum 21. non ligatur lege ieiunij; cùm ſic poſſeſſio ſtet pro libertate ieiunantis, non autem pro præcepto ieiunij obligante ſolùm poſt annum 21. completum.

Cæterùm Doctores, qui ſuſtinent Regulares ante 21.annum ætatis teneri ad ieiunia Regulæ, non item ad ieiunia communia eccleſiæ; probant quia ex vna parte Regula cuiuſcumque Ordinis obligat omnes Profeſſos, & conſequenter eos, qui nondum expleuerunt annum 21. quippequi ſicut ex voto ſpontè emiſſo poſſunt ſe obligare Deo ad ſeruanda ieiunia eccleſiæ; ſic & potuerunt ſe per profeſſionem obligare Religioni ad ſeruandas eius leges, & conſequenter ad implenda ieiunia Regulæ; imo de facto ſe obligarunt ad ea per profeſſionem: ex alia parte cùm Doctores ex *S.Tho.2.2.q.147.ar.4. ad* 2. communiter aſſerant adoleſcentes non teneri ad ieiunia communia Eccleſię ante 21.annum expletum; non eſt æquum, vt ab hac exceptione excludant adoleſcentes Religioſos profeſſos; aliàs ij eſſent deterioris conditionis, quàm ſi eſſent ſæculares: maximè cùm teneantur ad ieiunia Regulæ, vt ſupponunt hi Doctores.

Notant autem aliqui Doctores, dato quòd Regulares teneantur ad ieiunia Regulæ, etiam ante annum 21. expletum, poſſe Prælatos cum ijs diſpenſare in dictis ieiunijs, & benè facere, ſi diſpenſent: idque etſi aliàs non poſſint diſpenſare ſuper Conſtitutionibus Ordinis: talis enim facultas ijs competit vt Ordinarijs; qui ſicut ex cauſa poſſunt diſpenſare in lege pontificia ieiunij; eò quod lex ieiunij cenſeatur facta cum tali conditione; ſic poſſunt diſpenſare in lege ieiunij præſcripti in Conſtitutionibus: ſiquidem lex, vt non ſit nimis oneroſa, admittit hanc diſpenſationem ex cauſa rationabili.

QVÆRES XI. An Regulares ſexagenarij eò ipſà ſint exempti à ieiunijs regulæ.

31 ℞. Quòd, quamuis, teſte *Diana p.1.tr.9.reſol.16.* communiter dicant Doctores non eximi Religioſos ſexagenarios à ieiunijs Regulæ, ratione ætatis vt ſic, id probantes ex ratione *quæſt.præced.* adducta ad probandum Religioſos teneri ad ieiunia Regulæ, & ſi nondum expleuerint annum ætatis 21. (cum alioqui concedant religioſos ſexagenarios eo ipsò eximi à ieiunijs communibus Eccleſię ob rationem inferiùs proponendam) oppoſita tamen ſententia docens illos æqualiter eximi à ieiunijs Regulæ, ac à ieiunijs Eccleſiæ (quam ſuſtinent præter *Medinam & Graffium*, q.præcedenti citatos, *Rodriq.in comp.reſol.78.Sancius ſup.n.8.Tamburinus ſup.q.5.n.7.* alijque docti Neoterici à me conſulti) mihi non videtur improbabilis, & ſuaderi poteſt doctrina illa *Sanchez q.præcedenti* allegata pro Religioſis nondum habentibus annum 21.expletum ex *Sanchez l.4.mor.c.11. num.54.* quæ proportionaliter procedit in præſenti caſu.

32 Et quidem quod ſenes ſexagenarij eò ipsò eximantur à ieiunijs communibus eccleſiæ, docent *Angles in florib.p.2.in addit.q.6.difficult.6.Sà v. ieiun. n.9.Sanch.l.7.de matr. D.32.nu.17.* probantque tum ex viuæ vocis oraculo Pij V. hac de re edito: tum quia ad tollendos ſcrupulos neceſſe eſt aſſignare in ſenibus certam ætatem, vltrà quam eos non obliget lex ieiunij (ſicut etiam aſſignatur in iuuenibus ætas, infrà quam non obligantur ad ieiunia Eccleſiæ) in ſenibus autem nulla ætas videtur poſſe meliùs aſſignari ad præfatum effectum, quàm ætas ſe-

xage-

xagenarium cum in hac, natura hominis lāgueſcat, & ad interitum properet, ſeniſque ſexagenarij ſanitas, licèt robuſta, non ſit firma, ac conſtans, ſed fallax, incerta, & media inter morbum, ac perfectam ſanitatem, teſte *Galeno l.5. de ſanit. tuen. pag. 7.* ideòq; facilè deijciatur ab illo putato robore, niſi frequētiori cibo refocilletur: conſtat verò in ſexagenarijs Regularibus militare eaſdem rationes, quæ militant, in ſexagenarijs laicis, imò maiores; cum illi faciliùs, & citiùs extenuentur ob diſciplinam vitæ regularis multis incommodis expoſitæ; ideoq; Regulares ſexagenarij excludi non debeant à communi doctrina eximente ſenes ſexagenarios à ieiunijs Eccleſiæ.

33 Porrò cùm *Layman l.4. tr.8. c.3. num.2. §. ſed &*, alijque Doctores aſſerant voventem aliqua ieiunia in perpetuum non teneri ad ea, niſi quamdiu poteſt, ea ſeruare ſine notabili damno corporis: ita Regulares ſexagenarij, etſi dicantur adhuc teneri ad ieiunia Regulæ, ab ijs tamen cēſeri debent eximi hoc ipsò; quod prudentis viri iudicio, & maximè medici abſque notabili corporis damno ſeruare nequeunt: quod, poſita varietate complexionum, virium, occupationum, ſanitatis, ac regionis contingere poſſit citiùs, aut tardiùs: ita vt certa Regula aſſignari nequeat ſtatuens generaliter obligationē ieiuniorum Regulæ ceſſare ratione ætatis, niſi aſſignetur annus 60. vt nos ipſi aſſignamus cum citatis Doctoribus.

34 Vnum hìc benè aduertit *Sancius ſup. n. 10.* ad hoc, vt ſenes ſexagenarij modo dicto eximantur ab Eccleſiæ ieiunijs, non requiri, quod expleuerint annū 60. ſed ſufficere, quod illum inchoauerint; cum in fauorabilibus dies, & annus incæpti habeantur pro impletis *l. qua ætate ff. de teſtam.* quo modo ad contrahendum matrimonium ſufficit in fæmina, quod dies vltima 12. anni, & 14. in viro ſit incœpta, vt docet *Sanch. l.7. de matr. D.104. n.2.* & in *l. qua ætate* modò citata ſtatuitur diem vltimam incœptam anni 14. completi ſufficere ad teſtamentum condendum. Quare, ſicut ad matrimonium exigitur annus 14. in maſculo, & 12. in fæmina; & tamen, vt dicatur completus, ſufficit incœpiſſe diem vltimam complementi: ſic in ieiunio, vbi non exigitur, quod annus 60. ſit completus, ſufficiet illum eſſe inchoatum. Nec obſtat, quòd priuilegium exorbitans à iure communi (quale videtur exemptio ſenis ſexagenarij à ieiunio) ſit ſtrictiò intelligendum iuxtà regulam iuris 28. *Quæ à iure communi exorbitant, nequaquam ſunt in conſequentiam trahenda*: talis enim exemptio non eſt propriè priuilegium fauore legislatoris conceſſum, ſed potiùs fauor debitus ſenibus ob debilitatem naturæ; ita vt ſenes potiùs dici debeant non comprehendi ſub lege ieiunij, quàm eximi ab illa.

QVÆRES XII. Qualiter excuſentur Regulares à ieiunijs, tum Eccleſiæ, tum Regulæ ratione morbi, aut debilitatis.

35 ℞. Excuſari, ſi moraliter ſint certi ſe abſque notabili damno corporis non poſſe ieiunare: eſt communis DD. apud *Fagundez ſup. c.8 n. 13.* qui addit excuſari à ieiunio illum, qui ex ſtomachi inanitate ſtatim incideret in dolorem capitis, aut oculorum vertiginem, aut dormire, vel caleſieri nequiret.

QVÆRES XIII. An Regulares diſpenſati in eſu carnium, vel ouorum, ac lacticiniorum eo ipſo cenſeantur diſpenſati in ieiunio.

36 ℞. Eſſe, ſi ſint diſpenſati in eſu carnium; ſecus ſi ſolùm in eſu ouorum, & lacticiniorum. Prima pars (quam ſuſtinet *Diana ſup. reſol. 25.* pro ſe allegans *Caietanum, Gomez, Medinam, Filliucium, Toletum, Azorium, Henriq.* & alios contra *Reginaldum l.4. num. 168. Leſſium ſup. nume. 45. Bonacinam ſup. p.2. num. 3.* & alios docentes diſpenſatum in carnibus non teneri ieiunare, ſi diſpenſetur, eo quod ſit, quaſi actualiter infirmus, vel certè vt vires amiſſas recuperet; non item ſi præciſè diſpenſetur, eo, quòd piſces ei noceant) probatur quia iuxtà dicta, q.7. abſtinentia à carnibus eſt de eſſentia ieiunij; ergò diſpenſatus ad carnes eo ipſo eſt diſpenſatus in ieiunio; cum ſine abſtinentia à carnibus conſiſtere non poſſit ſubſtantia ieiunij: vnde ſi quis ieiunet veſcendo carnibus, non ſeruat ieiunium quod præcipit Eccleſia, ſed aliud diuerſum; cùm aliàs fideles teneantur ſolùm ad ieiunium, quod præcipit Eccleſia. Secunda pars reſponſionis (quæ agit de diſpenſatione ad oua, ac lacticinia) ſuſtinetur à *Filliucio ſup. num. 58. & 59.* patetque ex eo quod eſſentia ieiunij eſt compoſſibilis cum eſu ouorum, ac lacticiniorum; ideoque diſpenſatus ad hæc non eſt eo ipſo diſpenſatus in ieiunio: cum non obſtante ea diſpenſatione, adhuc poſſit ſeruari ieiunium Eccleſiæ, & iuxtà *cap. cum dilecti de dolo, & contumac.* præceptum Eccleſiæ, ſi ſeruari nequit in totum, ſeruari debeat in parte, quæ ſeruari poteſt: vnde fit, vt ſi quis ſine diſpenſatione, vel aliàs abſque cauſa in die ieiunij veſceretur ouis, aut lacticinijs, adhuc teneretur ieiunare, licèt aliàs peccaret eo modo, quo diximus ſuperiùs.

Refert autem *Sorbus in comp. v. ieiunium num. 3.* Sixtum IV. conceſſiſſe Fratribus Minoribus, vt non teneantur ieiunare, quando ob infirmitatem, aut debilitatem non poſſunt bono modo ieiunare; ſicque in dubio an ij teneantur ieiunare, non tenentur petere diſpenſationem à Superiore: cùm verba conceſſionis immediatè dirigantur ad Religioſos ſubditos, adeoque illi non egent diſpenſari, Papa ipſo illos diſpenſante in allegato priuilegio; quod tamen conceſſum fuit viuæ vocis oraculo, vt notat idem *Sorbus*.

An verò Religioſus diſpenſatus ad carnes poſſit ſimul edere piſces, imò & carnes noxias.

37 ℞. Poſſe, & quidem vna, ac eadem menſa. Moueor, quòd diſpenſatio eſt quoddam priuilegium: priuilegiatus autem non tenetur ſemper vti ſuo priuilegio, ſed poteſt ſe accommodare iuri communi: maximè cùm non ideo inanis dici poſſit cauſa diſpenſationis: nam contingere poteſt continuum eſum piſcium alicui nocere, & non nocere interruptum, ac comedentem aliquid modicum piſcis, aut alterius cibi minùs ſalubris magis excitare appetitum, & hoc ipſum conferre. præter quàm quod in tali caſu poſſet quis peccare contrà temperantiam, aut charitatem in ſe ipſum, ſed non contra legem ieiunij, à qua ex iuſta cauſa ille ſupponitur diſpenſatus. ita *Filliucius ſup. num. 55.* alijque

que communiter contrà *Graffium ſup.n.59.& Naua. tom.1.conſil.conſ.5.de obſeru.ieiun.nu.2.* docentes diſpenſatum ad carnes tempore ieiunij non poſſe edere piſces, & alios cibos noxios: eò quod aliàs diſpenſatio conceſſa fuiſſet ſine cauſa: quod tamen oſtendimus non eſſe verum.

38 Addo ex *Reginaldo l.4.n.170.* & *Azorio ſup. c.10. q.4.* illum, cui in Quadrageſima ſit poteſtas edendi oua, poſſe tuta conſcientia vti caſeo, butiro, & lacte: cùm ex talibus lacticinijs oua ſoleant apparari, & illa omnia ſint eiuſdem ordinis in hoc genere; quippeq; eadem de cauſa prohibentur in Quadrag. (quia ſcilicet ex carne trahunt originem) ideoque vno conceſſo, conceſſa cenſeri poſſint & cætera. Quamquam, vt benè notat *Abulenſis ad 6.Matth.q.171.* in hoc attendi debeat conſuetudo: quæ ſi habeat, vt vtamur ſolo lacte, aut caſeo ſolo, non licebit vti reliquis; cùm conſuetudo habeat vim legis. Imò ait *Filliucius nu.* 58. viros timoratos ad oua diſpenſatos ſolere vti tantùm ouis, & ad ſummum butiro ad ea preparanda, cæterùm abſtinentes à caſeo, & lacte veluti non neceſſarijs: at hoc ſimpliciter non eſt neceſſarium.

Dubium maius eſt, an Religioſus legitimè diſpenſatus ad carnes tempore ieiunij, ſi aliquo die eligat non edere carnes, poſſit abſque peccato eo die non ieiunare.

39 ℞. Non poſſe non ieiunare, ſi ad carnes fuit diſpenſatus ad vitandum aliquem morbum, cùm aliàs commodè poſſet ieiunare: tūc enim hoc ipsò quod aliquo die abſtinet à carnibus, ceſſat ratio ipſum excuſans à ieiunio; quippe quæ non erat alia, niſi quòd eſus carnium, ad quas ille fuit diſpenſatus, eſt incompoſſibilis cum ieiunio, & alioqui diſpenſatus non eſt excuſatus à ieiunio, vt ſuppono. Secus, ſi ſit diſpenſatus ratione debilitatis, ac infirmitatis præſentis: cùm ſic duret ratio diſpenſationis pro eo die, quo non vult edere carnes. ita *Sanch. l.5.conſ.c.1.d.30.n.2. Diana p.4.tr.4.reſol.189. Trullench.l.3.decal.c.2.d.2.nu.7. Megala tom.2.var.reſolut.153.nu.5.* alijque recentiores à *Sanchez* conſulti docentes diſpenſatum ad carnes in hoc poſteriori euentu poſſe non ieiunare, quo die liberè abſtinet a carnibus, & ſi aliàs ieiunium iuxtà leges medicinæ ipſi foret vtile; licet peccaret contra virtutem abſtinentiæ, cuius violatio communiter eſt ſolùm venialis. A nobis diſſentit *Paſqualigus de ieiunio deciſ.268.n.3.* docens abſolutè diſpenſatum ad carnes non teneri ieiunare eo die, quo liberè abſtinet a carnibus; non enim apparet, inquit ille, vnde conſurgat obligatio ieiunandi in tali caſu: cùm ea ſublata ſit per diſpenſationem abſolutam, non autem datam ſub hac conditione, ſi vtatur carnibus; & aliàs non reuiniſcat ex eo quod non vtatur carnibus. Nec obſtat (ſubdit *Paſqualigus*) quod illa die ieiunium poteſt fieri: nam hoc non ſufficit, vt quis teneatur ieiunare, ſed inſuper requiritur obligatio, quæ tamen in hoc caſu ſupponitur ſublata. ita *Paſqualigus*; quàm benè, ac probabiliter, viderit ipſe; mihi enim non probatur iſta doctrina.

QVÆRES XIV. An Regulares teneantur ad ieiunia propria alicuius monaſterij, per quod tranſeunt.

40 ℞. Non teneri ob dicta q. 13. in re non omninò diſſimili.

Aduerto ſolùm ex *Leſſio ſup.nu.58. Diana p.1.tr.9. reſol.3.* pro ſe citante *Sanchez, Filliucium, & Naldum*, Religioſum, qui manè recedit à proprio monaſterio, in quo ſeruatur aliquod ieiunium, non commune toti Ordinis, aut Eccleſiæ, perueníturus, eo die ad aliquod aliud monaſterium, in quo ieiunium non obligat; non poſſe quidem in priori monaſterio veſci carnibus (à quibus quamdiu ibi exiſtit, ex lege ieiunij tenetur abſtinere, æque ac alij Religioſi, qui inde non ſunt diſceſſuri) poſſe tamen ibi ſumere ientaculum, ſi ſit certus ſe veſpere illius diei perueníturum ad monaſterium, in quo non ieiunatur: non enim tenetur ad ieiunium quòad vnicam comeſtionem, qui poteſt intra illum diem bis comedere; quod euenit in caſu noſtro. Imò addit *Diana cum Sancio in ſelectis D.54.n.28.* hoc procedere, etiam in caſu, quo Religioſus ſupradictus eodem die ſub noctem rediturus ſit ad prius monaſterium, à quo mane recedit, & vbi ieiunium ſeruatur: ſiquidem, cum ille per totum diem fuerit in loco, vbi non ieiunabatur, licitè potuit pluries comedere; cum quo vtique ſeruari nequit ieiunium: etſi regreſſus ad prius monaſterium teneatur abſtinere a carnibus, eò quod obligatio abſtinendi a carnibus in die ieiunij ſit diuidua, ideoque ſeruari poſſit pro vna parte diei, dum ſumus in loco obligationis, & non ſeruari pro alia parte eiuſdem diei, dum ſumus in loco, in quo non vrget obligatio: quæ eſt ratio, cur Religioſus in caſu propoſito ante diſceſſum poſſit ſumere ientaculum, non autem edere carnes; eò quod ſcilicet obligatio abſtinendi a carnibus in die ieiunij ſit diuidua, adeoque ſemel violata adhuc poſſit ſeruari; obligatio verò ſemel comedendi ſit indiuidua, conſiſtens in vnica comeſtione, ac proinde ſemel violata ampliùs ſeruari non poſſit.

41 E contrà, ſi Religioſus recedat a monaſterio, in quo non ieiunatur, ideoque eduntur carnes: poteſt mane edere carnes, etſi veſpere illius diei perueníturus ſit ad monaſterium proprium, in quo ieiunatur, & conſequenter a carnibus abſtinetur; nemo enim extrà domicilium adſtringitur legibus ipſius domicilij. ſtatim ac autem Religioſus peruenit ad ſuum monaſterium, non poteſt ampliùs veſci carnibus; cùm iam incipiat obligari legibus domicilij; imò nec ibi poteſt cœnare, ſi ieiunium nondum fregerat: ſecùs, ſi iam fregerat: idque ob rationem ſupra allatam.

QVÆRES XV. An Regulares peregrinantes teneantur ad ieiunia tum communia Eccleſiæ, tum propria ſui Ordinis.

42 ℞. Non teneri, ſi peregrinentur pedites, & conficiant iter competens (v. g. 12. aut 15. milliariorum), aliaſque iter ſit neceſſarium (v.g. ex obedientia) talis enim labor ordinariè inducit defatigationem, & conſequenter neceſſitatem reſtaurationis. ſecùs, ſi peregrinentur equites, aut curru, aut lectica; & iter futurum ſit breue (puta 6. vel 8. dierum): ſic enim non excuſantur a ieiunio, cùm regulariter huiuſmodi iter commodè fieri poſſit, etiam a ieiunante: quod non procedit, ſi iter futurum ſit longum, & probabiliter dubitetur ex experientia aliàs

habi-

habita, vel alia ſufficienti coniectura, ſuperuenturam debilitatem, quę impediat progreſſum peregrinationis; ita *Filliuc. tr. 27. p. 2 n. 122.* etſi *Ortiz* relatus à *Diana ſup. reſol. 46.* abſolute dicat, non diſſentiente ipſo *Diana* peregrinantes non teneri ad ieiunia tunc occurrentia: à quibus non diſſentit *Paſqualigus ſup. deciſ. 316.* dicens equitantes equo conducto regulariter non teneri ieiunare: quippe qui communiter validè laſſantur: At diſſentit *Layman c. 3 n. 5.* ex *Gabriele, Caiet. & Nauarro* dicens voluntariam peregrinationem non eſſe ſemper ſufficientem cauſam ſoluendi ieiuniũ; cùm ieiuniũ fermè vtiliùs ſit animæ, quàm peregrinatio ſine ieiunio, & cõi Eccleſię præcepto ſatisfacere pertineat ad meritũ obedientiæ.

43 Dixi, *ſi iter neceſſarium, &c.* Doctores enim communiter ſentiunt peregrinantem non excuſari à ieiunio, quando peregrinatio non eſt neceſſaria; vt videre eſt apud *Dianam ſup. & Sancium ſup. n. 22.* oppoſitum docentem his verbis: *Generaliter cenſendum eſt diſpenſandum à ieiunio exequentem aliquod opus pium, etiam abſque neceſſitate, quod ſecum ieiunium non compatiatur; qua propter ſe flagellantes in hebdomada maiori exempti erunt, ſi ob debilitatem experiantur ieiunium ſeruari non poſſe; non enim Eccleſia præcipit abſtinere à flagellis ob ieiunium, ſed tantùm ieiunium ſeruari à potentibus.* hæc *Sancius*.

An autem peccet contrà præceptum ieiunij qui conſultò deſatigatur opus laborioſum faciendo, & quidem etiam ex malo fine, vt maneat de obligatus a lege ieiunij.

44 ℞. *Sancius ſup. D. 54. n. 20.* non peccare; vt probat, tum quia ſe defatigans in hoc caſu animo non ieiunandi non intẽdit violare ieiunium, quamdiu viget eius obligatio, ſed ſolùm quærit modum, quo ieiunium non obliget, ſeu (quod idem eſt) quærit fugam quamdam obligationis, quæ fuga non ſufficit ad inducendum peccatum. ita *Sancius* alijs citatis, & quidem probabiliter; ſi ſolùm intelligat illum, qui culpabiliter ſe defatigauit animo non ieiunãdi, nõ peccare frangendo poſteà ieiunium ob indigẽtiam repetitæ refectionis prouenientẽ ex defatigatione, at peccare dãdo cauſam iniuſtam fractioni ieiunij. hoc enim admittunt *Fagund. ſup. c. 8. n. 17. Azorius ſup. c. 28. q. 9. Filliuc. ſup. n. 123.* & nos item admittimus; cũ lex ieiunij verè non obliget ſtante illa neceſſitate. Verùm quia *Sancius* videtur etiam intendere illum nõ peccare reddendo ſe impotentem ad ieiunium, eo quod ſolum optet excuſationem præcepti, quã licèt intendat via illicita, non ideò agit contra præceptum ieiunij: propterea hæc eius doctrina mihi non probatur primò quia obligatus ad finem obligatur ad media, ſine quibus finis non obtinetur iuxtà illud, *Qui vult finẽ, vult conſequentia ad finem*: 2. quia contrà præceptum operatur, qui voluntariè ſe ponit in ſtatu, vt non poſſit illud implere; vt patet in eo qui habens vnicum breuiarium, illud alteri donat, vt ſic excuſetur à recitando diuino officio, ad quod aliàs tenetur: 3. quia fraus nulli debet patrocinari, in hoc autem caſu interuenit fraus, & tamen patrocinaretur: 4. quia doctrina *Suar.* qua maximè nititur *Sancius*, & quæ habetur *to. 1. de relig. tr. 1. l. 2. cap. 13. n. 4.* non probat intentum, cùm ſit de caſu valdè diuerſo, nempe de eo, qui ad effectum vitãdi aliquam obligationem recedit à loco, in quo viget talis obligatio, & tranſit ad locum, in quo ea non viget: qui vtiq; non dicitur operari in fraudem legis, cum vtatur iure ſuo, quod habet tranſeundi alio, ſicq; licitè eximitur ab obligatione, quæ ipſum non ligat extrà territorium, nec obligat illum ad manendum intrà territorium, vbi illa viget; hoc autem non procedit in caſu *Sancij*, in quo ſubditus ſecundùm ſe manet obligatus ad ieiunium, & tamen ſciens, ac volens apponit impedimentum, quo minùs illud ſeruet; cùm tamen iuxtà dicta teneatur non apponere impedimentum. Quare in caſu iſto puro diſtinguendum cũ *Rodriq. Io. de la Crux & Homobono* relatis à *Diana ſup. reſol. 40.* vel is, qui fatigatione nõ neceſſaria ſe facit impotentem ad ieiunandum, præuidet fore, vt poſteà non poſſit ieiunare; & ſic peccat contrà ieiuniũ ob rationes allatas contrà *Sancium*: vel non præuidet; & ſic non peccat, neque frangendo ieiunium, neque apponendo cauſam fractioni; cùm ſic bona fides & inaduertentia ipſum excuſent.

Cæterùm refert *Caſarub. in comp priuileg. v. itinerantes n. 6.* ex indulto Leonis X. viuæ vocis oraculo conceſſo poſſe Regulares ratione itineris transferre ieiunium in alium diem: & hoc indulto fruuntur etiam Religioſi aliorum ordinum communicantium de priuilegijs Fratrum Minorum Obſeruantium; & quidem etſi non itinerent pedeſtres; ſicut ſolent itinerare dicti Fratres, quibus in ſpecie conceſſum eſt hoc indultum: ſiquidem in communicatione generali priuilegiorum non apponuntur reſtrictiones, quæ in huius, aut illius priuilegij conceſſione appoſitę ſunt; ſicque non eſt opus, quod in communicante de priuilegijs alicuius certi Ordinis militet ratio, quæ militabat in Religioſis Ordinis, cui primò conceſſa ſunt priuilegia: communicatio enim priuilegiorum facit; vt ſingula priuilegia cenſeantur facta ei, cui fit communicatio.

QVÆRES XVI. An Regulares excuſentur à ieiunio, ſi peregrinantes per loca Infidelium veſcantur cibis vetitis in ieiunio.

45 ℞. Excuſati, ſi à talibus cibis abſtinere nequeãt abſq; periculo mortis, carceris, aut captiuitatis; & aliàs dicti cibi ipſis non offerantur ad explorandam fidem ipſorum authoritate publica, vel in contemptum chriſtianæ religionis. ita *Fagund. ſup c. 9. n. 11.* cum *Azor*, alijq; communiter: & probatur, tũ ex regula generali, quod præcepta Eccleſiæ non obligãt cum tanto periculo; tum quia fideles nulla lege tenentur abſtinere ab ijs ſignis; quæ de ſe ſunt indifferentia, & ſolùm ex accidenti aſſumuntur ab hæreticis ad ſignificandam ſuam ſectam, ac religionẽ: tale autem ſignum eſt comeſtio ciborum vetitorum in caſu propoſito: tum quia Regulares in his circũſtãtijs poſſunt prætendere infirmitatem, ſicq; non peccabunt occultando propriam fidem, & non profitẽdo alienam, vtpote habentes iuſtam cauſam id faciendi. Dixi *& aliàs dicti cibi non offerantur ad explorãdam illorum fidem, &c.* tunc enim ab ijs omninò abſtinendum eſſet etiam cũ periculo mortis, aut alterius grauis mali, vt oſtendit *Sanch. l. 2. mor. c. 4. n. 23.*

QVÆRES XVII. An, & quo modo eximantur Regulares à ieiunijs, tum Eccleſię, tum Regulæ, ſi exerceant munus Concionatoris, aut Lectoris, aut Conſeſſarij.

46 ℞. Eximi, aliàs proprium munus commodè ne-

nequeant obedire: & probatur, quia Eccleſia præcipiens ieiunium non intendit impedire maius bonum; cùm intentioni promouendi bonum repugnet, quod impediatur maius bonum: id autem eueniret in noſtro caſu. ita *Reginald. l.4.n.219. al·ſq;* communiter apud *Dianam ſup. reſol.10.* qui ad praxim Concionatorum hæc habet: *Prædicatores, qui in diebus quadrageſimalibus concionantur, puto omninò excuſandos eſſe à ieiunio, quia ſummopere laborant: de Prædicatoribus verò, qui Dominicis tantùm diebus concionantur, vt plurimùm non eſſe à ieiunio excuſandos, niſi eſſent debiles, & paruæ complexionis; & ideò puto hoc remittendum arbitrio boni viri.* De Lectoribus verò puto cum *Fagundez, qui maiorem* citat, non eſſe omnes excuſandos, ſed tantùm illos, quorum labor improbus eſt, vel qui ita debiles ſunt, vt ſufficienter ſtudere non poſſint, vt lectionem expliceut, & legant cum ſatisfactione. ſic *Diana*, & benè addens ex *Fagundez* etiam Confeſſarios excuſari à ieiunio, ſi ſint aſſidui in audiendis confeſſionibus, & id præſtare nõ poſſint cõmodè, ſi ſeruẽt ordinaria ieiunia.

Quin etiam *Sanchez l.5.conſ.c.1.d.13.n.6.* docet Concionatores eximi à ieiunio pridie ante concionem, & ipſa die concionis (idque etſi veſpere ſint concionaturi) ac proinde die cõcionis poſſe ſe reficere: additque idem *Sanchez* concionantem ter, aut quater in hebdomada eximi à ieiunio: & hoc ratione laboris, ac laſſitudinis.

47 Quod ſpectat ad Lectores ſcholarum inferiorũ, ſuſtinet *Sanchez n.7.* illos, ſi ſingulis diebus legant 4. lectiones non eſſe obligandos ad ieiunandum tota Quadrageſima; etſi putent ſe id poſſe facere: & ita, licet ſint valdè fortes, ac robuſti, ſufficit illos ieiunare dimidium Quadrageſimæ, tribus ſcilicet diebus in qualibet hebdomada; &, ſi aliquis fuerit debilior, minùs, aut nihil ieiunet. ita *Sanchez* monens Superiores ad tollendum omnem ſcrupulum debere facilè cùm talibus diſpenſare; cùm cauſa ſit ſufficientiſſima, etiam ad non ieiunandũ ſine diſpenſatione.

QVÆRES XVIII. An Regulares, qui tempore menſæ communis inſeruiunt alijs legendo ſuper menſa, aut deferendo cibos, excuſentur à ieiunio tunc occurrente.

48 ℞. Eximi, non quidem abſolutè, ſed ita, vt ante prandium ſumere poſſint aliquid modicum cibi, ſumendo poſteà plenam refectionem. ita in terminis *Reginald. ſup. n.175. ex S. Antonino, Roſella, & Caietano, Fagund. ſup. c.4. n.2. Azor. ſup. c.9. q.1. & Sanch. ſup. d.24. n.2.* monens inſeruientes menſæ poſſe aliquid cibi ſumere, non ſolùm per modum medicinæ, (quod communiter concedunt Doctores) ſed etiã per modum ſuſtentationis, & ad tollẽdam famem, etſi nullam habeant neceſſitatem, quippequi ex tũc cenſentur velut inchoare ſuum prandium, poſteà interrumpendum ex occaſione illius ſeruitij, &, peracto illo ſeruitio, reſumendum; quo pacto plures illæ comeſtiones moraliter reputantur ea ratione, qua quis à prandio euocatus in die ieiunij ob aliquod negotium, redire poteſt ad abſoluendum prãdium, etiò per 2. horas illud interruperit, vt oſtendimus q.6. eadem quippe ratio militat in caſu noſtro, vt conſideranti conſtabit.

Addo ex *Villalobo* legentes, ac inſeruientes in *mẽſa* communi, alioſque ſimiles Officiales in die ieiunij poſſe anticipare prandium, vt congruo tẽpore poſſint ſuo munere fungi: ieiunium enim non debet impedire, quæ ſunt alicuius cõmunitatis, ne fiant modo congruo; maximè, ſi ſolùm agatur de non ſeruanda hora comeſtionis; vt in præſenti caſu.

QVÆRES XIX. An Regulares laici eximantur à ieiunio ratione laborum, quos ſubeunt in ſuis miniſterijs.

49 ℞. Eximi, ſi labores ſunt tales, vt cum ijs ſine notabili incommodo ieiunia ſeruare nequeant: quod tamẽ puto raro contingere; cùm, teſte experientia, non pauci illorũ aliàs aſſueti grauiſſimis laboribus, vbi adſcripti ſunt inter Religioſos, quàm maximè refugiant laborem, & in laboribus paulò grauioribus vti ſoleãt opera famulorum ipſis ſubiectorum. Colligitur reſponſio ex communi doctrina, quam tradunt Theologi reponentes laborem inter cauſas excuſantes a ieiunio, quę vtique procedit & de Regularibus: & probatur, quia Eccleſia in ſuis præceptis nũquam intendit obligare cum tanto incõmodo; vnde infert *Bonacina D. vlt. de leg. q.1. p. vlt. n.9.* cum *Medina, Azor. Regin. & Abulenſi* operarios non ſolùm excuſari à ieiunio eo die, quo laborant, ſed etiã eo die, quo laborem intermittunt (v.g. occaſione feſti ſuperuenientis) ſi aliàs graue incommodum ſentirent ob laborem præcedentis diei, aut aliàs fierent inhabiles ad laborẽ diei ſequentis ſuſcipiendũ.

QVÆRES XX. An Regulares in ſuis monaſterijs teneantur ſeruare ieiunia per conſuetudinẽ inducta in ea prouincia, oppido, aut loco, in quo ipſi degunt per modum domicilij.

50 ℞. Teneri, ſi conſuetudo ſit generalis, ideſt communis, tã Clericis, ac Religioſis, quã laicis: ſic .n. illa ieiunia ſunt omnib. cõmunia, & moribus omniũ ibi habitantiũ cõprobata, ideoq; debent ab omnib. ſeruari, etiã a Regularibus; quippequi ſunt partes talis cõmunitatis, & vt tales debent concordare cũ ſuo toto iuxtà illud: *Turpis eſt pars, quæ non concordat ſuo toto.* Secùs, ſi conſuetudo ſit tantũ laicorũ, aut Clericorũ: tunc .n. Regulares non tenentur ad ieiunia taliter inducta; cùm illi plures habeant abſtinẽtias, ac ieiunia, quæ non habent laici, aut clerici, ideòque par ſit, vt illorum ieiunijs non ſupergrauentur, quorũ conſuetudinibus non liberãtur à ieiunijs proprij Ordinis iuxtà illud: *Quos non honoro, nec onero, & quos honoro, grauo.* ita *Fagund. ſup. c.7. n.2. & 3. Regin. l.4. num.135. Azor. ſup. cap.30. q.2.* & alij.

Vtrum verò Regulares obligentur ieiunijs publica auctoritate indictis ab Epiſcopo diæceſis, in qua degunt, ſiue per ſtatutum, ſiue per præceptum pro aliqua certa die.

51 ℞. Non obligari, niſi fortè ratione ſcãdali, ne alios offendant: idq; etſi aliàs ex *Conc. Trid. ſeſſ.25. de regul. c.12.* teneãtur ſeruare interdicta, ac feſta indicta ab Epõ loci in quo habitant. ita *Fag. ſup.* cũ *Azor. Suar. l.4. de leg. c.20. n.8. Diana p.1. tr.9. reſ.36.* contrà *Villalobũ*: & probatur, tũ quia Regulares ſunt exempti ab Ordinariorum iuriſdictione, præterquàm in caſibus exceptis, ſicque non ſubſunt illorum legibus, ac præceptis; cùm perſona exempta habeatur pro extranea: tum quia decretum Concilij Trid. ſuprà adductũ expreſsè loquitur ſolùm de interdictis, ac feſtis inductis à locorum Ordinarijs, &, cùm ſit odioſum, nõ debet extendi ad ieiunia, de quib. decre-

tum

tum non loquitur; à diuerſis enim non fiat illatio.

QVÆRES XXI. An Regulares teneantur ad ieiunia, quæ ex voto emiſſo à populis ſeruantur in loco, vbi ij degunt.

52 ℞. *Sanch.l.4.mor.cap.15.n.21.ex Vaſq.& Rodriq.* teneri: probatque tum quia Regulares ſunt vicini illius loci, & bona eius participant, adeoque ſicut fruuntur bonis illius, æquum eſt, vt ſuſtineant & onera illius iuxta illud. *Qui ſentit commodum, debet ſentire & onus*; maximè, cum ob communem vtilitatem ea vota emittantur: tum quia dicta ieiunia ſolent approbari ab Ordinariis; & aliàs Regulares etiam exempti tenentur obedire legibus ſynodalibus, ac Epiſcopis in omnibus actionibus, quæ lege ſynodali præcipiuntur, & non derogant regulari obſeruantiæ. Verùm contra *Sanchez* ſentiunt *Bordonus reſol.18.n.5.* aliique docti viri à me cõſulti: quorum opinio mihi videtur probabilis; & ſuaderi poteſt, tum quia non eſt ſemper verum ſentientē commodum debere ſentire & onus; ſed ſolùm in caſu, quo onus eſt inſeparabile à commodo (quod vtique non procedit in caſu noſtro,) ſicque Regulares fruuntur beneficijs, & commoditatibus ciuitatum, in quibus habitant, & tamen non ſubſunt oneribus, impoſitionibus, tallijs, ac vectigalibus. tum quia negari poteſt, ac debet Regulares exemptos teneri obedire Epiſcopis in omnibus, quæ lege ſynodali præcipiuntur, & non derogant regulari diſciplinæ; vt alibi commodiùs oſtendemus. tum quia ſi detur Regulares teneri ad dicta ieiunia approbata ab Epiſcopis, iam ipſi ſubiacebunt iuriſdictioni illorum etiam in caſibus non exceptis: quod eſt contrà immunitatem ipſorum perſonis competentem ex pluribus priuilegijs alibi referendis.

QVÆRES XXII. An Regulares teneantur ad ieiunia debita ex voto facto à prædeceſſoribus Conuentus, in quo degunt.

53 ℞. Teneri non ex vi voti; quod cùm inducat obligationem omninò perſonalem, afficere poteſt ſolùm perſonam vouentis; ſed ex vi ſtatuti, aut cõſuetudinis, aut pacti tranſeuntis ad ſucceſſores: ſi quidem votum ſit factum ex cauſa proportionata: (aliàs enim non obligaret ſucceſſores; ſicut nec obligant leges Principis latæ ſine cauſa graui) & fuerit approbatum à Superiore; quod requiritur, ad hoc vt votum vim habeat obligandi ſucceſſores, & eos; qui non vouerunt: vt in ſimili docet *Sanch.ſup. à nu. 19.* Colligitur reſponſio ex ipſo *Sanch.ſuprà à nu.16. vſque ad 20.* & patet tum ex dictis: tum quia certum eſt ſucceſſores teneri ſtare pactis à Superiore approbatis, ſin minùs expreſsè, ſaltem tacitè, & conſuetudinibus, ac ſtatutis legitimè inductis: quamuis vt benè notat *Laym.l.4.tr.4.c.3.n.6.* poſſit Superior abrogare dicta ſtatuta, & conſuetudines; quod licèt *Laym.* aſſerat in ſpecie de Epiſcopo, proportionaliter procedit etiam de Prælato regulari: hunc ſcilicèt poſſe in ſuo Conuentu abrogare votum ieiunij, quod approbatum fuit à ſuo Prædeceſſore: idq; ob facultatem à Doctoribus communiter attributam Prælatis regularibus, vt poſſint irritare vota Religioſorum ſubditorum, quę facultas vtique extenderetur etiam ad tale votum: quamquam æquum nõ ſit, vt talis irritatio, ſeu abrogatio fiat ſine iuſta cã.

QVÆRES XXIII. An Regulares teneantur ieiunare in die Natiuitatis Domini incidente in feria ſexta, ſi ex Regula ſub mortali teneantur ieiunare qualibet feria ſexta.

54 ℞. Teneri, & quidem etſi demus vouentem ieiunare in perpetuùm qualibet feria ſexta, non teneri ieiunare, concurrente feſto Natiuitatis Domini in tali die. Prima pars, quæ eſt *Sanch.ſup.c.11.n.19.* & aliorum communiter: probatur ex *cap.fin. de obſeru.ieiunij* vbi dicitur: *Qui nec voto, nec regulari obſeruantia ſunt aſtricti, in feria ſexta ſi feſtum Natiuitatis dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ generalis.* Vbi notandum, quod cum à generali indulto veſcendi carnibus excludantur ij, qui ſunt aſtricti regulari obſeruantia, ideſt ſunt Religioſi: conſequenter hi vigore dictæ conceſſionis non poſſunt veſci carnibus in feria ſexta, in qua incidat Natiuitas Domini, ſi ijs ex regulari obſeruantia carnium eſus die illo ſit prohibitus; ſicut verè eſt prohibitus illis regularibus, qui ex regula tenentur ieiunare qualibet feria ſexta: cùm eſus carnium ſit incompoſſibilis cum ſubſtantia ieiunij, vt iam vidimus. Vnde fit, vt quo ad tales Regulares dicta conceſſio perinde ſe habeat, ac ſi non fuiſſet facta: conſtat autem, quod ſecluſa ea conceſſione, tales Regulares eo die tenerentur ieiunare; ergò & tenentur, etiam facta illa conceſſione, cùm hæc ijs nihil ſuffragetur.

Secunda pars reſponſionis inde probatur quòd, licet in *cap.fin de obſeru. ieiun.* eodem modo videantur excludi ab vſu præfatæ conceſſionis, qui ſunt adſtricti voto, ac ij qui ſunt aſtricti regulari obſeruantiæ; ideoque non videatur eſſe maior ratio, cur dicantur frui dicta conceſſione perſonæ priuatæ habentes votum ieiunandi perpetuò qualibet feria ſexta (quos probabile eſt frui præfata conceſſione, vt tradunt plures Doctores, & conſtabit ex infrà dicendis) & ea non fruantur Regulares, qui ſimili voto tenentur ex Regula: verè tamen inter illos eſt magna diſparitas: ſiquidem *caput finale* non loquitur de quocumque vouente ieiunium perpetuum pro qualibet feria ſexta, ſed ſolùm de eo, qui vouit tale ieiunium, in eo expreſsè includendo Natiuitatem Domini tali die occurrentis (vt ſupponitur incluſiſſe Ordo religioſus faciens tale votum: non item de eo, qui faciens tale votum non cogitauit de tali die, quod præſumitur de quacumque perſona priuata vouente ieiunium perpetuum pro qualibet feria ſexta: quam proinde dicimus excuſari poſſe à ieiunio, occurrente Natiuitate Domini in feria ſexta, adeoque veſci poſſe carnibus, non obſtante quod in citato *cap.fin.* dicatur *Qui non voto, nec regulari obſeruantia aſtricti ſunt*; idque ex vi generalis indulti facti in *allegato capite*. Quare non immeritò probabile id iudicant *Molina tract.2.D.272. numer.3. Azorius tom.1.l.11.cap.20.quæſt.3. Fagund. ſup. cap. 6. Diana ſup. reſol. 22.* & alij contrà *Sanchez cap. 11. numer.61. Suar. l.4. de voto cap. 20. numer.7.* & alios plures à *Diana* relatos.

55 Notat autem *Bordonus reſolut. 18. numer. 9.* ex *Bartolucio, Beia, Tabiena, Sylu. Nauarro,*

Prælatos Religioſorum, quos diximus excludi ad vſu conceſſionis factæ in *cap.fin.de obſeru.ieiun.* poſſe cum ijs diſpenſare, vt in die Natiuitatis dominicæ incidente in feria ſexta non teneantur ieiunare, & poſſint veſci carnibus: idque ob lætitiam, ac exultationem illius ſanctiſſimi feſti. ſic ille; quàm probabiliter, viderit ipſe: mihi certè bona venia viri admodùm docti non probatur iſta doctrina, & puto illi aduerſari praxi communem Fratrum Minorum.

Dubium modò eſt, an Regulares in caſu propoſito obligati ad ieiunium in feria ſexta, in qua incidat Natiuitas dominica, peccent non ſolùm contrà Regulam, ſed etiam contrà præceptum Eccleſiæ de non edendis carnibus in feria ſexta, ſi fortè ea die veſcantur carnibus.

56 ℞. Solùm peccare contrà Regulam, non item contrà ius commune, quod pro tali caſu cenſetur abrogatum ab Eccleſia, quò ad prohibitionem carnium, & quidem quò ad omnes fideles, quantùm eſt ex parte ipſius. patet hoc ex ratione adducta in citato *cap.finali* ijs verbis: *Ob tanti feſti excellentiã, in qua lætari conuenit*: quæ ratio vtique eſt communis omnibus fidelibus, & conſequenter etiam Religioſis: qui tamen in caſu propoſito peccarent contrà propriam Regulam, eò quod obligatio illius adhuc duret, abrogato ſolùm pro tunc iure communi. ita *Sanchez ſuprà n.* 64. ex *Abbate, Cardinali, Ancharano, Tabiena, Armilla, Beia, & Lopez* contrà *Medinam l.1. ſummæ ca.*14. §.10. cenſentem in *dicto cap finali* non auferri prohibitionem iuris communis quò ad tales religioſos: ideoq; illos peccare con. dictũ ius, ſi in caſu poſito edãt carnes, &c.

57 Moneo hìc obiter vnum ex eodem *Sanchez n.*59. quòd, quamuis *caput finale de obſeru.ieiun.* loquatur tantùm de feria ſexta: à fortiori tamen conceſſio illa intelligitur facta in caſu, quo Natiuitas Domini incidat in Sabbato. id enim colligitur ex *cap. quia dies de conſecr. d.*5. vbi dicitur, non licere in Sabbato veſci carnib. niſi interueniẽte magna feſtiuitate:

QVÆRES XXIV. An Regulares degentes Mediolani teneantur ieiunare, & abſtinere à carnibus primis 4. diebus Quadrageſimæ iuxtà legitimam conſuetudinem ibi inductam.

58 ℞. Non teneri, niſi obſtet conſuetudo ab ipſis Regularibus in contrarium inducta tanquã ex obligatione: quam de facto fuiſſe inductã audio, & inuiolabiliter obſeruari ab omnibus Religioſis ibi degentibus; qui proinde à feria 4. cinerũ inchoant ieiuniũ Quadrageſimale. Colligitur reſponſio ex eo, quod DD. communiter tradunt priuilegiũ locale fauorabile (quale eſt illud, de quo hìc loquimur) eſſe eius naturę, vt illo frui poſſint quicumq; ſunt in eo loco: vnde infert *Sanch. l.1. mor. c.*12. *n.*30. non ſolùm alienigenas poſſe Mediolani veſci carnibus in primis 4. dieb. Quadrag. vbi ex recepto vſu comeduntur, etſi in ſuis locis vigeat ius commune abſtinendi ab illis; ſed etiã tranſeuntẽ, Quadrageſima adhuc durãte in ſuo oppido, ad locũ, in quo illa iam eſt finita, non teneri illam cõplere in hoc poſteriori loco, ſed poſſe veſci carnibus. vnde ſic arguo: priuilegiũ edendi cibos non quadrageſimales primis 4. diebus Quadrageſimæ, (quod peculiariter viget Mediolani, & in eius diœceſi) eſt fauorabile, & locale: ergò eo poſſunt frui quicumq; ibi degunt; ergò & Regulares ibi exiſtentes, ſiue per modum domicilij, ſiue per tranſitũ: aliàs Regulares eſſent deterioris conditionis; quod nullo pacto admitti debet. Dixi, *niſi obſtet conſuetudo, &c.* ſi enim Mediolani quò ad Regulares extat vſus in contrarium (ſicut verè extat) is debet ſeruari, vt conſtat ex dictis *q.*2.7. *&* 20.

59 Putat tamen *Bordonus reſol.*18. *n.*2. Religioſos degentes Mediolani poſſe extrà monaſteriũ veſci cibis non quadrageſimalibus, primis 4. diebus Quadrageſimæ: & probat, tum quia non ſolũ aduena, ſed etiã quilibet alius etiã in eadẽ ciuitate poteſt tranſire à ſua parochia, vbi ſeruatur ieiunium, aut feſtum, ad aliam parochiã eiuſdẽ ciuitatis, vbi non adeſt talis obligatio (vt docent non pauci cũ *Sanch. l.3. de mat. D.*18 *n.*21. *& l.1. mor. c.*12. *n.*31.) ergò multo magis hoc concedendũ in præſenti caſu; ſtante quod monaſterium Regulariũ magis differt à domicilio ſæculari, quàm paræcia à paræcia: tũ quia aduena ex cõmuni Theologorum doctrina non tenetur ſeruare leges, etiã iuris communis, ſi ſit in loco, vbi eæ nõ ſeruẽtur (quod in ſpecie aduertit *Naua. c.*23. *n.*120.) at Religioſus Mediolani degens æquiparatur aduenæ, quandocumq; reperitur extrà clauſtra; ergò extra clauſtra poterit non ſeruare Quadrageſimam primis 4. diebus, ſicut poſſunt illã non ſeruare aduenæ, & peregrini. ita *Bordonus* non improbabiliter; nec ab eo diſſentit *Paſqualigus dec.*212. *de ieiunio n.*1. ſuſtinens ex *Henriq. Azorio, & Bonacina* exiſtentẽ intrà monaſterium aliquod Regularium non teneri ad ieiunia propria territorij, cuius eſt incola: nam locus exemptus æquiparatur alieno territorio; & aliàs delictum commiſſum in loco exempto eſt extrà Ordinarij iuriſdictionem *c.*1. §. *numquid de priuil. in* 6. concurrit autem paritas rationis in præſenti caſu, vt conſideranti facilè conſtabit.

Quod ſi quæras an, dato quod Regulares Mediolani degentes frui poſſint priuilegio locali ſupradicto, ſi per illos primos 4. dies Quadrageſimę abeant extrà Mediolanenſe territorium, illuc breui redituri; eodem modo (ſecluſo ſcandalo) poſſint veſci cibis non quadrageſimalibus, & non ieiunare in eo loco, vbi ſeruatur ius commune Eccleſiæ quò ad ieiunium Quadrageſimale.

60 ℞. *Sanchez l.3. de matr. D.*18. *nu.*7. ex *Palacio, & Petro de Ledeſma* poſſe, eò quod priuilegium illud, licèt ſit locale, & ſolo cohærens, videtur eſſe tale, vt eo frui poſſint etiam abſentes, qui in iure habentur pro præſentibus; quales ſunt, qui breui tẽpore abſunt citò reuerſuri, eò quod illic domicilium habeant: quod eſt eſſe præſentem per fictionem iuris, vt notauit *Layman l.*1. *tr.*4. *c.*12. *n.*3. dicens opinionem hanc *Sanchez* non eſſe omninò improbabilem. Verùm ipſemet *Sanch. l.1. mor. c.*12. *n.*39. poſteà ſecutus eſt oppoſitam ſententiam contra *Henriqu. Rodriq. Medinam, Sayrum, & Suarez* ſentientes cum *Palacio, & Ledeſma*: probatque intentum, tum quia cõſuetudo abrogans ius commune eſt odioſa inſtar legis correctoriæ adeoque cùm ſit ſolùm in eo loco, ibiq; excuſet, ampliari nõ debet, vt ſit quaſi priuilegiũ perſonale ſequens perſonã, quocumq; ierit; imò reſtringi debet, vt ſit priuilegiũ locale, quod nõ prodeſt extrà locũ: tũ quia fictio iuris non extẽditur extrà

caſus

caſus iure expreſſos, vt communiter tradunt Doctores in *cap. in præſentia de probat.* tum quia fictio præſentiæ de qua hic non ſufficit, vt ij cenſeri poſſint præſentes in ſuo domicilio ad hoc vt teneatur legibus localibus illius, ideoq; nec ſufficit, vt fruantur illius priuilegijs: maximè cùm lex correctoria, quæ eſt valdè odioſa, fauorabilis reputetur, ideoque extendenda, quando per illam reditur ad ius commune: qualis eſt, quæ negat dictam fictionem præſentiæ ſufficere ad hoc, vt extrà locum priuilegiatum breui abſens gaudeat priuilegio locali.

Difficultas hic eſſe poſſet, an Regulares habitantes Mediolani, ſi detur illos poſſe vti dicto priuilegio veſcendi cibis paſchalibus in primis 4. diebus Quadrageſimæ, ſi poſteà diebus Rogationum ibi reperiantur, iuxta conſuetudinem illius diæceſis teneantur illis diebus ieiunare, quaſi compenſantes ieiunia omiſſa ſub initium Quadrageſimæ; vt de facto compenſant ſubditi diæceſis.

61 ℞. Non teneri, & probatur, tum quia vſus dicti priuilegij non competit Regularibus ſub onere faciendi illam compenſationem ieiuniorum, ſed abſolutè; ideoque non eſt, cur adſtringantur ad illa ieiunia, quæ iure particularis illius diæceſis præcipiuntur, ſicque non ligant Regulares exemptos: tum quia Religioſi ratione exemptionis ipſis competentis frui poſſunt priuilegijs locorum particularium, nec ideò ſubſunt illorum oneribus, vt conſtat ex dictis *q.21.*

QVÆRES XXV. An Regulares, concurrente in diuerſis diebus eiuſdem hebdomadæ vno ieiunio Eccleſiæ, & altero Regulæ obligantis ſub mortali, debeant, ſi vtrumque ieiunium ſeruare nequeant, præferre ieiunium Eccleſiæ ieiunio Regulæ, vel è contrà.

62 ℞. Quod, licet prima facie dicendum videatur illos debere pręferre ieiunium Regulæ, vt pote pręſcriptũ ex virtute Religionis, ieiunio Eccleſiæ præſcripto ex virtute Temperantiæ, quę eſt virtus inferior Religione; ſtante quod, concurrentibus duobus præceptis diuerſarum virtutum, ſemper debet præferri pręceptum virtutis ſuperioris: tamen, cùm illa duo ieiunia non concurrant eadem die, & conſequenter propriè dici non poſſint cõcurrere ſimul duo præcepta; in propoſito caſu ſeruari debet ieiunium illud, quod præcedit tempore, &, vt ita dicam, priùs poſſidet iuxtà regulam iuris, *melior eſt conditio poſſidentis*; ſiue ieiunium hoc ſit Regulæ, ſiue Eccleſiæ. Ducor, quod quælibet obligatio impleri debet eo tempore, quo vrget: in noſtro autem caſu ſi hodie verbi gratia vrget obligatio ieiunandi ex præcepto Eccleſiæ, & cras ieiunandum erit ex Regula: hodie non vrget ieiunium Regulæ, ſed Eccleſiæ; ergo ieiunium Eccleſiæ, ſi hodie poteſt ſeruari, ſeruandum eſt; &, ſi poſteà cras non poterit ſeruari ieiunium Regulæ, impotentia excuſabit; nec ad ſeruandum præceptum ieiunij nondum obligans, omitti debet pręceptum de pręſenti obligans, eſtò præceptũ nõdũ obligans ſit ex virtute ordinis ſuperioris.

QVÆRES XXVI. Quot peccata committat Religioſus, qui non ieiunat aliqua certa die, qua vrget obligatio ieiunandi tum ex pręcepto Eccleſię, tum ex Regula adſtringente ſub mortali.

63 ℞. Quod, licet peccata non multiplicentur numero ex ſola diuerſitate pręceptorum, ſi hęc pertineant ad vnam, ac eandem virtutem, vt conſtat ex dictis *cap.4.q.17.* multiplicantur tamen, ſi pręcepta pertineant ad diuerſas virtutes, aut etiam ad eandẽ virtutem, ſed ſub diuerſo motiuo. quare, cùm in caſu noſtro præceptum ieiunandi, quatenus fit ab Eccleſia, ſit ex virtute Temperantię, & quatenùs fit à Regula, ſit ex virtute Religionis, ac Obedientiæ (ſiquidem Religioſi ex virtute Religionis, ac Obediẽtiæ tenentur ſeruare ea, quę continentur in Regula) ſequitur Religioſum, qui omittit ieiunium debitum ex illo duplici pręcepto, committere duplex peccatum ſpecie diuerſum, vnum contra Temperantiam, & alterum contra Religionem, ac Obedientiam. ita *Diana p.1.tract.9. reſolut.16.*

QVÆRES XXVII. An Regulares teneantur ad ieiunia, quæ ex iuſta cauſa per legitimã poteſtatẽ transferantur in ea dięceſi, in qua ipſi cõmorantur.

64 ℞. *Nald.v.ieiun.n.7.* ex *Caie.v.ieiu.* teneri; vt ſic ſe conforment reliquę cõmunitati illius dięceſis: idq; quoties epiſcopi transferunt ieiuniũ aliquod; quod facere poſſunt tum in caſu, quo ieiunium incidat in feſto aliquo ſolẽni, ſiue toti Eccleſię (cuiuſmodi eſt feſtum S.Io: Baptiſtę immediatè ſubſequens feſtum Corporis Chriſti) in quo caſu Leo X. teſte *Nau.c.21. n.11.* mandauit ieiunium ſeruandum eſſe feria 4. & non 5. ob reuerentiam dicti feſti; ſiue feſtum ſit ſolẽne peculiariter in aliqua Ciuitate: tum etiam (quod notat *Laym.l.4.tr.8.c.3.n.9.* in caſu, quo vig. S. Matthię incidat in feria 2. aut 3. Quinquageſimę; tunc enim videtur congruum, vt epiſcopi poſſint transferre illud ieiunium in pręcedens ſabbatum: ſi animaduertãt ſuos ſubditos illis diebus eſſe ita procliues ad intemperantiam, vt plurimi, non translato illo ieiunio, illud violaturi ſint, etiam cum carnium eſu, & quidem non ſine ſcãdalo: ob ſpecialem quippe cauſa poteſt epiſcopus pro vna vice diſpenſare in lege vniuerſalis ieiunij, aut ſaltem commutare; cùm eius interſit inuigilare ſubditorum ſaluti, & auferre ſcandala puſillorum.

QVÆRES XXVIII. An, & quo modo Pręlati regulares diſpenſare poſſint cum religioſis ſubditis circa ieiunia, & abſtinentiam carnium.

65 ℞. Poſſe: idq; nõ ſolùm ex vi priuilegiorum ipſis ad hunc finem conceſſorum; ſed etiam ratione muneris, ac officij, quo fungũtur; quatenùs ſcilicet quò ad Religioſos ſubditos habent poteſtatem quaſi epiſcopalem; & aliàs epiſcopi ex poteſtate ſua ordinaria poſſunt in præfatis diſpenſare cum ſuis ſubditis, ſi occurrat iuſta cauſa: ſiquidem Doctores communiter aſſerunt, quod, licèt epiſcopus non poſſit abrogare ius commune, neq; in totum, neq; ex parte: ſi tamen occurrat iuſta cauſa diſpenſandi cum proprijs ſubditis ſuper aliqua lege, aut canone iuris cõmunis, id facere poſſunt & licitè, & validè; niſi lex, aut canon id expreſsè prohibeat: quare, cùm in lege ieiunij id expreſſè non ſit prohibitum, poterunt epiſcopi ſuper eo diſpenſare: quòd ſi poſſunt epiſcopi id facere cum ſuis ſubditis, poterunt & Prælati regulares idem facere cum Religioſis ſibi ſubiectis. ita *Fagund.ſup.c.9.n.1.* ex *S.Th.2.2.q.147.n.4.* alijq; communiter; quorum aliqui notant ex indulto Euge-

nij IV. conceſſo Fratribus S. Hieronymi poſſe Superiores Regularium diſpenſare cum ſuis ſubditis, etiam in ieiunijs Quadrageſimæ quò ad oua, & lacticinia; ſimileque priuilegiũ à Clemente VII. factum fuiſſe Fratribus Minoribus, reſfe *Rodriquez tom.2. quæſt.101. art.3.* Quæ priuilegia, vt aliquid operentur ſuprà ius commune, & non ſint omninò inutilia, explicari debent id efficere, vt Prælati poſſint modo dicto diſpenſare, etiam in caſibus, ad quos poteſtas illorum ordinaria non extenditur. Monet autem *Caietanus v. ieiunium*, & benè, Prælatos in eiuſmodi diſpenſationibus debere diſpenſationem, & cauſæ defectum ſupplere admiſcendo aliquam commutationem, v. gr. iniungendo eleemoſynam (ſi diſpenſatus ſit illius capax) vel aliquas preces, prout magis in Domino iudicauerint expedire: quod etiam docet *Fillucius ſup. nu.* 129. dicens præfatam commutationem non eſſe neceſſariam, quando cauſa diſpenſationis reputatur ſufficiens, ac legitima.

66 Addo hic obiter ex *Layman l.4. tract.8. cap.3. n.6.* Pium IV. conceſſiſſe Religioſis noſtræ Societatis, vt cum Septentrionalibus diſpenſare poſſint ne teneantur ieiunare tota Quadrageſima; ſi ij ad hoc difficilè adduci poſſint: & hoc priuilegium puto eſſe commune, etiam Religioſis aliorum Ordinum vacantibus ſaluti ſpirituali ipſorum Septentrionalium.

67 Illud etiam hìc moneo ex *Fillucio num.* 128. hac in re non eſſe opus vlla diſpenſatione, ſi cauſa excuſans à ieiunio, aut abſtinentia carnium ſit certa, patens, ac euidens; vel certè ſi e.. dubia, iudicio viri docti, theologi, Confeſſarij, aut medici iudicetur ſufficiens: ſecùs ſi his conſultis, adhuc dubitetur de ſufficientia cauſæ; tunc enim peti debet diſpenſatio: ita *Azorius p.1. l.7. cap.29. q.2.* alijque communiter, quorum aliqui cum *Caietano 2.2. qu.147. a.4.* notant Prælatos, ac Superiores, quando ſubditi proponunt cauſam dubiam ad obtinendam talem diſpenſationem, non debere eſſe nimis ſcrupuloſos, ac ambiguos, remittentes id conſcientiæ ſubditi petentis; cùm potiùs ad ipſos ſpectet tunc diſpenſare, cauſam dubiam per diſpenſationem efficiendo iuſtam.

Vtrùm verò Prælati regulares poſſint ſecum ipſis diſpenſare ſuper ieiunio, & abſtinentia à cibis prohibitis.

68 ℞. Poſſe; & patet ex eo quòd, quamuis nemo poſſit in ſe ipſum exercere iuriſdictionem; cùm iuriſdictio ſit ad alium; in huiuſmodi tamen caſibus ius commune permittit iuxtà communem Doctorum interpretationem, vt Superiores in ſe ipſos poſſint exercere iuriſdictionem, quam poſſunt exercere in proprios ſubditos: & hoc, ne alijs ipſi deterioris ſint conditionis; vt notauit *Sanchez l.8. de matr. D.7. n.9.*

Quæri hoc loco poſſet, an generalis diſpenſatio ad carnes pro tempore quadrageſimali extendatur ita, vt diſpenſatus ijs veſci poſſit etiam in ferijs ſextis, ſabbatis, vigilijs, ac ieiunijs 4. temporum tunc fortè occurrentibus.

69 ℞. Videri extendi: & probatur ex eo quòd, cùm abſtinentia à carnibus in ferijs ſextis, & ea, quæ præſcribitur in quadrageſima, ſint ex eodem obiecto formali; præceptum vtriuſque eſt eiuſdem rationis, ideòque non multiplicat malitias in eadem transgreſſione; ſicque non repugnat ſub generali diſpenſatione edendi carnes in quadrageſima, venire facultatem ijs veſcendi in ferijs ſextis, &c. niſi fortè obſtet conſuetudo, quæ proinde in præſenti caſu debet attendi: non enim negari poteſt grauiorem neceſſitatem requiri, vt quis diſpenſetur ad carnes pro ferijs ſextis, & ſabbatis quadrageſimæ; quam vt ſic diſpenſetur pro alijs diebus hebdomadæ: in cuius rei confirmationem facit praxis fidelium (vt puto) communis, qui quamuis in quadrageſima generaliter diſpenſentur ad carnes, non ideo tamen, ſecluſa ſpeciali indigentia, ac neceſſitate audent veſci carnibus in ferijs ſextis, ſabbatis; & alijs ſimilibus diebus.

CAPVT VI.

De obligatione Regularium quo ad Clauſuræ Obſeruantiam.

QVoniam obligatio Clauſuræ regularis, quæ à nobis explicari debet in hoc capite, in duas partes diſtribuitur, quarum vna eſt obſeruatio Clauſtri religioſi, non egrediendo extrà illud, alia eſt obſeruatio eiuſdem clauſtri, non admittendo intrà illud perſonas prohibitas, nempe fœminas; & hæ duæ partes clauſuræ minùs commodè explicari poſſunt ſine aliqua diſtinctione: caput diuidemus in 2. ſectiones in quarum priori agemus de obligatione Clauſuræ quo ad non egrediendum è clauſtro religioſo ſine licentia Superioris; in poſteriori verò de obligatione Clauſuræ quo ad non admittendas intra clauſtra fœminas.

SECTIO I.

De obligatione Regularium quo ad non egrediendum extra clauſtra Monaſterij ſine licentia.

1 *REgulares prohibentur egredi è monaſterio ſine licentia, non de iure naturali aut diuino, nec ex ſimplici ordinatione Regulæ, ſed ex iure poſitiuo ab initio proueniente ex Regula, & poſtea recepto communi vſu Religioſorum.*

2 *At hæc prohibitio non videtur merè poſitiua, ſed ſapit de naturali, ac diuina.*

3 *Religioſi viri obligari poſſunt ad clauſuram perpetuam.*

4 *Hæc prohibitio facit, ne Regulares exeant è monaſterio ſine licentia, & Socio.*

Lici-

5 *Licitus eſt egreſſus è monaſterio factus cum licentia ſine cauſa data.*

6 *Obligatio Clauſuræ eſt varia pro varietate Religionum.*

7 *Clauſura materialis monaſterij cuſtodienda iuxtà præſcriptum Clementis VIII.*

8 *Eius obligatio nullam de iure communi habet pœnam annexam.*

9. *Nec obſtat* cap. 2. ne clerici, vel monachi in 6. *quod explicatur.*

10 *Violatio huius obligationis eſſe poteſt mortalis præciſe ratione materiæ.*

11 *Contingere poteſt in varijs caſibus, qui recenſentur.*

12 *In aliquo caſu licitum eſt egredi è monaſterio ſine licentia.*

13 *Peccat mortaliter, qui ſine licentia egreditur prætextu adeundi Prælatum ſuperiorem.*

14 *Limita, niſi adſit iuſtus titulus propriæ defenſionis.*

15 *Etſi tunc regulariter peti debeat licentia à Prælato locali.*

16 *Quæ tamen non eſt abſolutè neceſſaria, etiam poſt Sixtum V.*

17 *Nec Religioſus in iſto caſu incurrit vllam pœnam ipſo iure latam.*

18. *Peccat m. Religioſus, qui peregrinatur ſine licentia, ac literis patentibus, nec excipi poteſt in monaſteria tanquam hoſpes.*

19 *Quod item procedit de eunte Romam ſine debita licentia; qui præterea remitti debet ad ſuos Superiores ſeuerius puniendus, & biennio caret voce.*

20 *Religioſi euntes ſine licentia ad partes vltramarinas excommunicantur.*

21 *Item excommunicantur indebitè adeuntes curias Principum.*

22. *Item excommunicantur indebitè accedentes ad ſtudia.*

23. *Excommunicantur item ſe conferentes ad audiendas Leges, & Medicinam.*

24. *Modo neque cum licentia Superioris poſſunt degere ad longum tempus extra monaſterium; cùm olim poſſent.*

QVÆRES I. An, & quo iure teneantur Regulares non egredi e monaſterij clauſura ſine legitima Superioris licentia.

1 . ℟. Teneri, non quidem iure naturali, ac diuino, propriè loquendo, neque ex ſimplici ordinatione Regulæ in conſcientia non obligantis; ſed ex iure poſitiuo, quod ab initio ortum traxit ex Regula, & poſteà communi Religioſorum vſu receptum eſt, tanquam de re graui, ac intrinſecè neceſſaria ad cuſtodiam, & conuenientem diſciplinam ſtatus religioſi; conferentibus ad id non parùm, tum Concilijs, tum Pontificum decretis, quorum aliqua referuntur à *Suarez tom. 4. de relig. tr. 8. l. 1. c. 6. num. 5.* qui totam hanc reſponſionem eruditè probat toto eo capite. Et quidem quod obligatio Clauſuræ non ſit de iure naturali, ac diuino, patet quia omne ius naturale, & diuinum eſt ex per ſe notis, ſeu de his, quæ per ſe notis inferuntur, vt colligitur ex *cap. ius naturale d. 1.* at nullo principio, aut præcepto per ſe noto, nec ex per ſe notis illato reperitur præcepta regularibus clauſura, ergò. præterquam quod ſi clauſura præciperetur iure naturali, ac diuino, omnes religioſi eſſent pares in eius obligatione, adeòq; æquales Carthuſianis; cùm omnibus communia ſint, quæ de iure naturali ſunt: quod tamen ex Ordinum religioſorum regulis, ac vſu conſtat, teſte experientia, eſſe falſum. Quòd vero obligatio Clauſuræ non afficiat Regulares ex ſimplici ordinatione regulæ obligantis ad pœnam, & non ad culpam, ſed ſit in conſcientia, & in rigore proprij præcepti obligantis iuxtà materiæ capacitatem, patet ex dictis in ipſa reſponſione, & ex communi ſenſu Religioſorum, conſuetudine, & quaſi traditione, vt loquitur *Suarez num.* 8. Quòd deniq; obligatio Clauſuræ adſtringat Religioſos ex iure poſitiuo eccleſiaſtico, conſtat ex dictis, & præſertim ex varijs decretis Conciliorum, ac Pontificum hac de re editis, quæ licèt propriè loquantur de monachis exeuntibus è monaſterio ad obeunda miniſteria ipſis prohibita, vel ad prauum finem; vt notat *Suarez num. 2. & 5.* ea tamen occaſione videtur ijs præcipi aliqua permanentia in clauſtro, vel ſaltem ipſo vſu in eo ſenſu recepta ſunt dicta decreta. & quidem in omnibus Religionibus (etſi præfata decreta loquantur ſolùm de Monachis; & iuxtà veterem inſtitutionem, quæ non ordinabatur ad actiones in proximas) vt colligitur, tum ex eo, quòd in omnibus Religionibus violatio Clauſuræ in caſibus non permiſſis reputatur delictum in conſcientia: tum quia in *cap. quanto de offic. iudic. ordin.* dicitur, *Ad audientiam noſtram noueris perueniſſe, quòd Monachi, Canonici, & alij Regulares tuæ prouinciæ, cùm deberent potiùs in Clauſtro iuxtà regularia Inſtituta diuinis obſequijs vigilare, clauſtrum abhorrentes per Curias Principum diſcurrere, &c.* Vbi, quamuis non præcipiatur directè clauſura, ſed prohibeatur vagatio, & diſcurſus ad Curias principum, maximè ſine licentia Prælatorum, & vſurpando bona Religionis; ibi tamen ſupponitur regularis obligatio clauſuræ, vt patet ex tenore textus.

2 Dixi ſub initium reſponſionis, *non quidem iure naturali, ac diuino propriè loquendo*; vt innuerem quod, cùm ex vna parte ſubditus debeat ita eſſe ſub poteſtate Superioris, vt ab eo poſſit gubernari, cuſtodiri, aut imperari; & ex alia parte à tali ſubiectione multùm ſubtrahatur per fugam, aut diſceſſum è monaſterio, inſcio, aut inuito Prælato, vt oſtendit *Suarez nu. 8.* obligatio clauſuræ regularis videri poteſt non merè poſitiua, ſed naturalis, & diuina, ſuppoſi. a Profeſſione religioſa in tali ſtatu, ac pertinere ſiue ad iuſtitiam legalem reſpectu totius communitatis, ſiue reduci ad votum Obedientiæ reſpectu Prælati; vt pote quod obligat non ſolùm ad obediendum actu, quando præcipitur, ſed etiam ad perſiſtendum quaſi in proxima ſubiectione, vt mandari quis poſſit: quæ ſubiectio licèt non diſtinctè præcipiatur ab Obedientia, ab hac tamen ex natura ſua importatur; ita vt furtiua diſceſſio è proprio clauſtro ſic ſpectata non tam ſit peccaminoſa ob materialem egreſſum à terminis localibus clauſtri, quàm ob ſubtractionem à poteſtate Prælati; quæ ſubtractio coniuncta eſt cum dicta diſceſſione.

Quòd ſi hìc obiter quæras, an viri Religioſi obligari poſſint ad clauſuram perpetuam, & à quo Superiore.

3 ℟. Poſſe obligari, non quidem à Superiore regulari, ſed à Papa; ſi tamen iuſta cauſa occurrat id faciendi,

faciendi, quæ vix videtur poſſe occurrere. ita *Bonacina D.1. de legib. qu.1. p.3. num.19. ex Nauarro, Sanchez l. 6. mor. cap.2. num.43.* & alij contra quoſdã recentiores id apud *Bonacinam* negantes, etiam de Papa. Et quidem quòd Superior regularis non poſſit indicere clauſuram perpetuam, patet quia is poteſt præcipere ea ſolùm in quibus Religioſi tenentur obedire; at hi tenentur obedire ſolùm in ijs, ad quæ ſe obligarunt per votum obedientiæ; qualia ſunt ea tantùm, quæ ſunt iuxtà Regulam, quam profeſſi ſunt; cuiuſmodi vtique non eſt obligatio perpetuæ clauſuræ, quæ eſt onus grauiſſimum, præſertim viris alioqui aſſuetis ad commercium humanum. Quòd verò Papa, ſimpliciter loquendo, poſſit indicere viris Religioſis clauſuram perpetuam, ſi occurreret iuſta cauſa, innuunt *Bannez, & Io. Andr.* apud *Bonacinam*, & probatur, quia Papa ſupra Regulares habet poteſtatem maiorem quàm in illos habeant ipſorum Prælati religioſi; cùm Papa à Chriſto acceperit poteſtatem gubernandi Eccleſiam, & iuuandi fideles ad ſeruandam legem Dei prout ei viſum fuerit conducere ad animarum ſalutem; Prælati verò regulares in Religioſos ſubditos habeant poteſtatem ſolùm iuxtà Regulam, ac Profeſſionem, ideòque ſolùm præſcribere poſſint media, quæ ſint iuxtà Regulam; quale non eſt perpetuæ clauſuræ obligatio. quod tamen non facit, quin etiam Prælati regulares ad tempus præcipere poſſint clauſuram ſtrictiorem proprijs ſubditis, ſi id profectui ipſorum ſpirituali expedire iudicent; cùm impoſitio clauſuræ ad tempus non ſit onus adeò graue, ideoque non cenſeatur eſſe ſuprà regulam, quam in profeſſione religioſa promiſerunt.

QVÆRES II. Ad quid obliget clauſura Regularium.

4 ℞. Quòd cùm hìc nomine Clauſuræ intelligatur permanentia in loco materiali monaſterij; ea ſolùm obligat ad non egrediendum è ſeptis monaſterij ſine licentia proprij Superioris ſiue generali, ſiue ſpeciali, ſiue expreſſa, ſiue interpretatiua: hæc enim ſi adeſt, licitus eſt egreſſus; vt ſupponunt omnes regulæ Religioſorum, iure communi non repugnante, & confirmat communis conſuetudo. Dixi. *ſine licentia generali, aut ſpeciali*, vt innuerem licentiam generalem ad id ſufficere: niſi fortè obſtet decretum Clementis VIII. hac de re editum in decretis factis ſuper reformatione Regularium, & poſteà iuſſu Vrbani VIII. à Sacra Congregatione approbatum, ac innouatum his verbis: *Nullus à conuentu egredi audeat, niſi ex cauſa, & cum ſocio, licentiaque ſingulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à Superiore, qui non aliter eam concedat, niſi cauſa probata ſociumque exituro adiungat non petentis rogatu, ſed arbitrio ſuo, neque eundem ſæpiùs; licentiæ verò generales exeundi nulli omninò concedantur.* Quod decretum, ſi eſt in vſu (de quo non parùm dubito) vtique debet obſeruari; & conſequenter in præſentia non ſufficit licentia generalis exeundi è monaſterio, etſi aliàs ſufficeret.

Non videtur autem violare dicta Decreta Prælatus, qui videns Religioſum ſubditum generaliter egredi è Conuentu ad ſua negotia abſque ſpeciali licentia, & quidem per aliquot hebdomadas, tacet, nec impedit, cum poſſet impedire: hóc enim non eſt dare licentiam generalem ad egrediendum, ſiue expreſſam, ſiue tacitam, ſed dare tot licentias tacitas, quot vicibus Religioſus egreditur Prælato ſciente, ac tacente, vt patet.

Et vtinam decreta hæc Clementis ſeruentur in Religionibus ſaltem quo ad eãpartẽ, in qua præſcribitur, ne Religioſi incedant per vias, & plateas ſoli, ſed cum ſocio ijs à Superiore aſſignato non petentis rogatu, ſed ipſius Superioris arbitrio.

Experientia enim conſtat, inquit *Cornelius à Lapide in Lucam cap.10. v.1. §. ſecundò vt alter*, Religioſos, & Prædicatores Euangelicos, qui bini incedunt, nunquam, vel rariſſimè in periculum Caſtitatis incidiſſe: eos verò, qui ſoli incedunt, non raro tentationi luxuriæ ſuccubuiſſe, aut eius calumniam ſuſtinuiſſe. Quo circa *S. Thomas* dicere ſolebat: *Monachus ſolus incedens eſt Dæmon ſolitarius*; S. verò *Auguſtinus in regula cap.7.* ſic ſtatuit *Quando ergò ſimul eſtis in Eccleſia, & vbicumque vbi fœminæ ſunt, inuicem veſtram pudicitiam cuſtodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam iſto modo cuſtodiet vos ex vobis.* Sic *Seneca Ep.11.* ait, *Magna pars peccatorum tolletur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat:* & *Ep.25.* dicit, *Omnia nobis mala ſolitudo perſuadet: prodeſt ſine dubio cuſtodem ſibi impoſuiſſe, & habere quem reſpicias, quem intereſſe cogitationibus tuis iudices:* additque ab Epicuro eſſe hanc vocem; *Sic fac omnia, tanquam ſpectet aliquis.* Sic *Iuſtinianus Imperat.* in *nouella de monachis* vult monachos eſſe aſſociatos, *ac inuicem teſtes eſſe mutuæ honeſtatis*. Sic *S. Gregorius l.10. Ep.22.* de Conſtantino Monacho hæc habet. *Cognoui quia ad monaſterium, quod in Piceni prouincia ſitum eſt, ſolus pergere ſine aliquo Fratrum ſuorum præſumpſit; ex qua eius actione cognoſcimus, quod qui ſine teſte ambulat, rectè non viuat.* Sic denique *Thomas Cantipratenſis l.2. apum cap.11. §.1.* ait, *Quàm vera ſit hæc ſententia, væ ſoli, ego noui, qui 30. annis, & eo amplius vices Epiſcopi in diuerſis prouincijs, & diæceſibus habui, qui in hoc articulo, quo Religioſi vel ſoli vadunt in vijs, vel ſoli manent in curijs, horrenda mala, horrenda ſcandala, horrendaque pericula frequenter audiui; quæ nunquam ſubiuiſſent adiuncto ſocio, vel feciſſent.* Vt proinde ex *regula 18.* Sacerdotum in Societate Ieſu cautum ſit quod, quando quis à Superiore mittitur ad confeſſiones fœminarum audiendas, vel alia de cauſa eas adierit; ſocius, quem Superior ipſi deſignabit, quamdiu cum fœminis Sacerdos loquetur, eo in loco ſit; vnde videre eos, ſed non quæ ſecreta eſſe oportet, audire poſſit, quantum loci diſpoſitio patietur; quod ſi non pateretur, curet omninò Sacerdos, ne oſtium ſit clauſum, nec locus obſcurus.

Maior difficultas eſt, an licitè egrediatur Religioſus è monaſterio, qui ſine iuſta cauſa obtinuit licentiam egrediendi.

5 ℞. Licitè egredi, & conſequenter non peccare contrà ius commune Clauſuræ; etſi aliàs peccare poſſit vel petendo licentiam, quæ nequit licitè dari, vel otioſè tempus conterendo, vel dando malum exemplum, vel alio modo: quæ peccata ſæpè erunt venialia, mortale verò aut nunquam, aut

ratò

raró, niſi intentio exeundi ſit mortalis, vel annexa graui ſcandalo; quæ tamen omnia ſunt accidentaria. ita *Suarez ſup. n. 12. & 13.* contrà *Nauar. com. 4. de Regular. n. 36.* & probatur tum quia licentia Prælati in illo caſu non eſt diſpenſatio in iure communi, vt ſupponi: *Nauarrus*, ſed potiùs eſt quaſi materia, & conditio præcepti Clauſuræ; vt pote quod non prohibet exitum ſimpliciter, ſed exitum ſine licentia: tum quia præceptum clauſuræ ex ſua ſpeciali ratione non petit, vt licentia prudenter detur (cum id potiùs ſupponatur ex officio Prælati) nec obligat ſubditum ad hoc examinandum, cùm id non conſtet, neque ex lege, neque ex conſuetudine, imò nec multùm rationi conſonet: tum denique quia finis clauſuræ magis eſt, vt Religioſus non diſcedat à Prælato, quàm vt non diſcedat a loco; diſcedens autem de voluntate Prælati, quæcumque illa ſit, verè non diſcedit a Prælato. Quæ rationes cùm æquè militent in Prælato monaſterij ibi non habente aliũ Superiorem; ſufficienter probant illum non violare clauſuram ſine cauſa egrediendo è monaſterio; quippequi non egreditur ſine licentia, cùm poſſit ſibi ſumere licentiam, quam alijs poteſt dare, nec habet ex vi ſui muneris ſpecialem obligationem, vt non exeat ſine cauſa; & ſi aliunde poſſit in hoc peccare, vti poteſt peccare & ſubditus exiens cum licentia data ſine cauſa.

QVÆRES III. An Clauſura regularis ſit eiuſdem rationis in omnibus Religionibus.

6 ℞. Non eſſe; nam reſpectu aliquarum Religionum eſt ſtrictior; vt patet in Carthuſianis, qui per ſtatuta Ordinis prohibentur egredi clauſtrum ſine licentia Prioris generalis, niſi in raris caſibus, qui in eorum Conſtitutionibus recenſentur, reſpectu verò aliarum non eſt ita ſtricta (etſi ſit ſtrictior quam in alijs); vt conſtat in Ordinibus Monachalibus, qui clauſuram maiorem communiter profitentur, quam Ordines mendicantes. Quin etiam non ſolùm inter Religiones Monachales aliquæ ſtrictiorem obſeruant Clauſuram: ſed etiam id ipſum intra eandem Religionem faciunt aliqua monaſteria ex peculiari Conſtitutione, aut conſuetudine; vt in Ordine S. Benedicti monaſterium Caſſinenſe in Italia. Vnde in ſingulis Religionibus, ac Monaſterijs attendi debet gradus, & modus obligationis Clauſuræ iuxta propria ſtatuta, & is ſeruari debet ſpectata in primis conſuetudine, quæ magnam vim habet in ſimilibus rebus.

QVÆRES IV. Quomodo cuſtodiri debeat in Monaſterijs Regularium Clauſura materialis de iure poſitiuo.

7 ℞. Ex decreto Clementis VIII. confirmato, & innouato per Vrbanum VIII. debere cuſtodiri hoc pacto: nimirùm vt Clauſura perpetuò, ac diligenter ſeruetur, ideoque à Superiore Ianitor conſtituatur, qui diligentia, ac morum integritate maximè commendetur: quòd is ianuæ cuſtodiendæ ſemper aſſiſtat, eamque nemini Fratrum aperiat, niſi ſocium, & exeundi licentiam obtinuerit: quæ omnia ſanctè, & laudabiliter inſtituta ſunt, ſed minùs obſeruantur, teſte experientia, præterquàm apud Religioſos Ordinum magis obſeruantium.

QVÆRES V. An obſeruatio Clauſuræ regularis obliget ſub pæna aliqua iure communi ſtatuta.

8 ℞. Non obligare, ideòque conſulendas eſſe quò ad hoc ſpeciales Pontificum, ac Religionum Conſtitutiones, & ex ijs colligendum, qua pæna puniri debeant Regulares violantes clauſuram. quo pacto ait *Lezana tom. 1. c. 16. nu. 11.* in Ordine Carmelitarum Religioſi recedentibus à Conuentu ſine licentia habentur pro excommunicatis, & vt tales puniuntur, & abſoluuntur iuxtà conſuetudinem Ordinis; fortè ex eo quod in eorum *Conſtitutionibus p. 3. c. 1. §. 1. 2. & 3.* ij dicuntur puniendi vt Apoſtatæ, & vt tales cenſendi.

9 Nec obſtat dictis, quod *cap. 2. ne Clerici, vel Monachi in 6.* excommunicantur Religioſi profeſſi accedentes ad quæuis ſtudia literarum, niſi à ſuo Prælato cum conſilio ſui Conuentus, vel maioris partis eiuſdem ſibi eundi ad ſtudium licentia penitus ſit conceſſa: hoc enim *capus* loquitur ſolùm de Religioſis dimittentibus habitum, aut accedentibus ad ſtudia ſine licentia, vt aduertit *Suar. ſup. l. 3. c. 1. n. 9.*

QVÆRES VI. An obligatio Clauſuræ ex genere ſuo ſit talis, vt contra illam poſſit peccari mortaliter ex eo præcisè quod materia in eo genere ſit grauis.

10 ℞. Eſſe; & probatur ex eo quòd, cùm iuxtà dicta q. 1. lex, aut traditio regularis Clauſuræ obliget in conſcientia, & per ſpecialem voluntatem legiſlatoris non limitetur, vt obliget ſolùm ſub veniali (quod nunquam præſumitur de lege, niſi exprimatur) & aliàs obligatio clauſuræ, vt eſt in conſcientia, nitatur præcipuè legibus canonicis, aut conſuetudine, & per has non explicetur, num obliget ſub mortali, vel ſub veniali; eam cenſenda eſt relinqui in ordinario, & quaſi naturali modo obligationis legis humanæ, ideoque cùm lex humana ex natura ſua obliget, quantùm poteſt iuxtà capacitatem materiæ, & conſequenter etiam ſub mortali, ſi materia ſit grauis; ſub mortali obligabit item lex Clauſuræ, niſi materiæ paruitas excuſet. ita *Suarez ſup. l. 1. c. 6. n. 6.* & cum eo *Lezana ſup. n. 2.* aſſerens Religioſum à monaſterio exeuntem ſine licentia Superioris grauiter peccare, & ſæpiùs mortaliter, niſi paruitas materiæ excuſet: quod non approbat *Miranda tom. 1. manual. q. 32. a. 2.* dicens violationem clauſuræ, regulariter loquendo, non eſſe peccatum. ſed tantùm veniale, niſi quando fit ex contemptu regulæ, & perfectionis, aut ex tranſgreſſione ſpecialis præcepti Superioris; & hoc iuxtà doctrinam *S. Tho. 2. 2. q. 186. a. 9.* aſſerentis contenta in regula non obligare ad mortale, niſi quò ad vota eſſentialia religionis, & quò ad formalia præcepta illius, aut Superioris: quo modo S. Doctor videtur ſupponere obligationem Clauſuræ niti ſola regula, quod nos negauimus *q. 1.*

QVÆRES VII. In quibus caſibus violatio clauſuræ regularis cenſeri debeat mortalis, & in quibus ſolùm venialis.

11 ℞. Cenſeri debere mortalem. primò ſi Religioſus abſque licentia egrediatur è clauſtro animo viuendi extrà illud diu, & quaſi ſtabiliter: ſecùndò, ſi fugiat occultè, vel quaſi violenter inuito Prælato, ad vagandum per aliquod tempus; idque etſi tempus

pus non ſit valdè diuturnum, & vagatio non ſit ad peccandum mortaliter; maximè ſi id fiat cum ſcandalo, ac infamia ſiue Religioſi, ſiue Religionis, quæ gigni ſolent ex tali fuga: tertiò ſi diſcedat prætextu adeundi maiorem Prælatum; id enim vetunt Sacri Canones, & nouiſſimè *Concilium Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 4.* his verbis; *Non liceat Regularibus à ſuis Conuentibus recedere, etiam prætextu ad Superiores ſuos accedendi, niſi ab eis miſſi, aut vocati fuerint.* quartò, ſi noctu furtiue exeat ſine licentia è monaſterio, & hoc licèt talis exitus ex fine non ſit ad peccandum mortaliter: eſt enim caſus reſeruabilis in decreto Clementis VIII. E contra violatio clauſuræ regularis eſt ſolùm venialis, quando in ea interuenit paruitas materiæ: qualis eſſet, ſi duo Religioſi per communem ianuam ſine licentia exirent modo ſolito, paulò poſt redituri; ſecluſa namque mortali intentione in tali egreſſu, & ſecluſo ſpeciali præcepto, quod fortè impoſitum ſit quo ad hoc, non eſt peccatum m. neque tale prudenti æſtimatione apprehenditur; cùm per talem egreſſum ſubtractio à ſubiectione Prælati non ſit notabilis, & propriè loquendo, attentis præſentibus circumſtantijs, dici nequeat fuga.

QVÆRES VIII. An detur caſus, in quo liceat Regularibus egredi è monaſterio ſine licentia Prælati, non obſtante obligatione Clauſuræ.

12 Dari, nimirùm ſi breue tempus neceſſe ſit egredi in bonum proximi ſpirituale, aut temporale, & vrgente neceſſitate, obtineri non poſſit licentia (quæ ſemper debet peti, quantùm fieri poteſt) eo quòd non reperiatur Superior, & ſit periculum in mora, quamquam, vt benè aduertit *Suarez ſup. num. 11.* in ſimilibus caſibus ſemper adſit licentia Prælati præſumpta, ſeu tacita; quæ tunc ſufficit, & rationabiliter ſupponitur, ſin minùs à Pręlato locali cōceſſa, ſaltē à Prælato ſuperiori; vt eueniret in caſu quo Prælatus localis licentiam illā iniuſtè negaret: tunc enim ſi certò conſtet de neceſſitate Proximi, & conſequenter de obligatione Charitatis, & Superior localis procedat ex falſa apprehenſione, aut ex prauo affectu, nullumque ſubſit periculum ſcandali, aut infamiæ Religionis; tunc non ſolùm licitus erit egreſſus, ſed etiam contingere poteſt, vt cadat ſub obligatione: quamuis ad hoc requirerentur tot circumſtantiæ, vt vix caſus ſit moralis, niſi in egreſſu quaſi momentaneo, qui moraliter quaſi pro nihilo reputatur.

QVÆRES IX. An peccet contrà præceptum clauſuræ Religioſus, qui ſine licentia egreditur ad longum iter agendum prætextu adeundi Prelatum Superiorem in propriam ſui defenſionem.

13 ℞. Peccare mortaliter, niſi aliunde excuſetur; vt ſi iniuſtè vexetur à Superiore immediato, qui cum manifeſta iniuria illum puniat vltrà modum, vel ſine cauſa affligat, vel ei auferat, quæ iure ordinario Religionis ei debentur. ita *Suarez ſup. l. 3. cap. 1. num. 2. & 4. Lezana ſup. num. 8. & 9.* alijque & probatur tum quia talis egreſſio expreſsè prohibetur in *Concilio Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 14.* vt vidimus qu. 7. quod tamen Concilium non loquitur de egreſſione è monaſterio ad breue tempus, cùm per talem egreſſionem non dicatur Religioſus propriè recedere à Conuentu, nec ob illam mereatur puniri tanquam deſertor ſui Inſtituti, vt ſubdit *Cōcilium*, tum quia Religioſus per talem egreſſionem pro tempore notabili ſe permanenter ſubtrahit à poteſtate proprij Prælati, ac Ordinis; cùm alioqui vi ſtatus, ac profeſſionis teneatur ſubeſſe poteſtati ſui Prælati, & eſſe vnitus corpori totius Religionis ſub tali capite: tum quia eiuſmodi egreſſio natura ſua eſt ſcandaloſa eſt Religioſis ipſis, & externis, gignitque de ſua magnam infamiam toti Religioni, vt patet.

14 Dixi, *niſi aliunde excuſetur, &c.* ſi enim Religioſus nimis à Superiore immediato vexetur, ideoque ſine eius licentia recedat, non animo vagandi, ſed adeundi Superiorem Prælatum: videtur excuſari à peccato, tum quia ius defenſionis eſt intrinſecum, ac naturale, ac proinde veroſimile eſt *Concilium Trid.* non intendiſſe illud impedire: tum quia in tali egreſſu adeſt voluntas interpretatiua primarij Superioris: tum quia Sixtus V. in declaratione ad quemdam ſuum motum proprium, de quo infrà q. 10. ait, *Quòd ſi dicerent* (loquitur de Religioſis peregrinantibus ſine licentia) *ſe ad Apoſtolicam Sedem confugere ob grauamina à ſuis Superioribus ſibi illata, & ideò ab ipſis Superioribus, licentiam, & literas obtineri non potuiſſe, non propterea vllo modo recipi debent, niſi fide dignorum teſtimonio de petita ab eis licentia, & per ſuos Superiores denegata conſtiterit.* Vbi notanda eſt hæc exceptio, quæ indicat non eſſe omninò, & ſemper malum egredi è monaſterio ſine licentia prætextu adeundi Superiorem, etiam regularem. Dico *etiam Regularem*, vt indicem quod licèt Sixtus V. hic loquatur ſolùm de prætextu confugiendi ad Sedem Apoſtolicam: eadem tamen ratio propoportionaliter militat de prætextu adeundi Prouincialem, aut Generalem; vt vel hinc patet, quòd eadē neceſſitas, & iuſta cauſa eſſe poteſt adeundi præſatos Superiores, imò & maior; cùm ſine cauſa tentetur profectio ad Papam, quandocumque ſufficit quærere propriam defenſionem à maiori Prælato intrà Religionem. ita *Nauar. com. 2. de Regular. num. 61. Lezana ſup. num. 9. Claues Regia l. 12. cap. 18. num. 10.* alijque penes ipſos contrà *Bannez 2. 2. q. 13. a. 1.* abſolutè negantem licere egredi è monaſterio, etiam prætextu adeundi Superiorem; quod ſuſtinent etiam alij Doctores.

Maius dubium eſt, an concurrente iuſta cauſa adeundi Superiorem Prælatum in propriam defenſionem, ſaltem neceſſariò peti debeat licentia à Superiore locali.

15 ℞. *Suar. ſup. num. 7. &* 8. quod licèt de rigore iuris, & in foro conſcientiæ non videatur ſimpliciter neceſſarium petere talem licentiam: cum in præſenti caſu ea nullo iure præcipiatur, ſi tamen nullum damnum ex petitione illius timeatur, & ſit ſpes eam obtinendi, aut ſaltem nulla ſit ratio ſufficiens eam deſperandi. ea omninò peti debet; cum Religioſus, per ſe loquendo, teneatur non ire abſque licentia, adeoque teneatur priùs eam procurare, niſi habeat iuſtam cauſam omittendi illam: qualem certè non habet in circumſtantijs modo

propo-

propoſitis. Imò, etiamſi non habeat ſpem eam obtinendi, nihilominus debet illam petere. 1. Ex quadam vrbanitate, ne aliàs videatur negligere ſuum Prælatum: 2. vt, quantum in ſe eſt, eò magis propriam cauſam iuſtificet: 3. quia ſic poteſt maximè ſedari ſcandalum; quod, ſi poſtea ſequatur, potius Superiori, quam ſubdito imputabitur: 4. quia raro, & difficilè, attentis concurrentibus circumſtantijs, accidere poteſt, vt Religioſus diſcedere poſſit ſine tali licentia, ſaltem petita; ideoque ſubditus, cum difficilè poſſit prudens iudicium ferre in propria cauſa, numquam deberet id facere ſine virorum prudentum conſilio, qui raro id fortè ſuadebunt, aut permittent. A Suarez diſſentit *Nauar.* ſup. dicens non eſſe in propoſito caſu petendam licentiam à Prælato, cuius grauamen per maiorem Prælatum tolli procuratur: quamquam, ſi loquatur, non abſolutè, ſed pro aliquo caſu ſpeciali, a nobis non diſſentiat, vt patet ex dictis.

16 Nec obſtat dictis declaratio Sixti V. relata §. *præcedent.* quæ explicitè præcipit, vt dicta licentia petatur: Sixtus enim non directè præcipit talem licentiam, ſed ſolùm ex quadam præſumptione non vult ab Ordinario admitti excuſationem Religioſi recedentis à monaſterio ſine licentia: quamquam præſumptio illa parùm oberit in foro conſcientiæ, ſi verè petita non ſit licentia, eò quod nullus eius fructus ſperaretur; nemo enim negabit, quod ſi ſubditus probabiliter timet fore, vt à Prælato immediatè non ſolùm non obtineat licentiam, quam petat, ſed ab illo omninò impediendum eſſe, quò minùs recurrat ad Superiorem, & ſe iuſtè defendat, vtique non tenetur petere dictam licentiam.

Verum verò Religioſus recedens à monaſterio ſine licentia prætextu adeundi Superiorem incurrat aliquam pœnam.

17 ℞. Non incurrere vllam, quæ ſit ipſo iure lata: & ſatis apertè colligitur, tum ex *Concilio Trident. loco ſup. citato*, vbi ponitur verbum *puniantur*, quod importat pœnam ferendam: tum ex *Extrauagante 1. de Regular.* vbi Religioſus ſine licentia recedens, & vagans non excommunicatur, niſi monitione præuia poſt 15. dies ad monaſterium non reuertatur. prçterquàm quòd hæc cenſura fertur in caſu diuerſo, ideoque non debet extendi ad alium caſum iure non expreſſum. Dixi *iure communi*, quia, quod attinet ad iura ſpecialia Religionum, conſuli debent earum Conſtitutiones, & ex ijs colligendum, quam pœnam ſtatuant contrà Religioſos indebitè egredientes è monaſterio.

QVÆRES X. Quas pœnas incurrant Regulares extrà monaſterium peregrinantes ſine licentia, ac literis patentibus ſuorum Superiorum, qualeque peccatum committant.

18 ℞. Peccare m. niſi aliunde excuſentur; vt patet ex q. 7. & 9. nullam verò pçnam incurrere, ſimpliciter loquendo, niſi quod Sixtus V. in bulla *Ad Romanum Pontificem* edita anno 1588. prohibet illos excipi, etiam tanquam hoſpites in monaſteria, per quæ tranſeunt; ait enim. *Dum interdicimus, ne quis regularis alterius prouinciæ intrà aliquod monaſterium, domum, vel locum alienæ prouinciæ, etiam tanquam hoſpes, & ad modicum tempus recipi poſſit, niſi à Superiore loci vbi reſidebat, & à quo diſceſſit, licentiam expreſſam in ſcriptis exhibuerit, vel niſi ſatis cognitus ſit: id obſeruari volumus non ſolùm in Religioſis itinerantibus de vna in aliam prouinciam, ſed in ijs quoque; qui proficiſcuntur de vno in aliud eiuſdem prouinciæ monaſterium, tam ſui, quàm alterius Ordinis &c.* quç omnia cùm ſint ſatis clara, non egent explicatione: moneo ſolùm bullam hanc Sixti editam ab eo fuiſſe in declarationem alterius bullæ ab ipſo editç anno 1587. cuius initium eſt *Cùm de omnibus*, in qua eadem ſtatuerat, quæ ſtatuit in prçſenti bulla, vt conſtat ex tenore illius.

19 Addo in prçfata bulla Sixti V. *Ad Romanum Pontificem* ſtatutum fuiſſe, vt Regulares euntes Romam ſine legitima facultate, aut literis Superioris, non admitterentur in monaſteria Ordinis, ſed remitterentur ad Congregationem Cardinalium, aut Dominum Protectorem, vt, ipſis auditis, ſtatueretur, quid agendum eſſet. Quamquam poſteà ſacra Congregatio anno 1587. decreuerit eos remitti debere ad ſuos Superiores ſeueriori pçna plectendos, vt refert *Lezana ſup. c. 10. num. 15.* ex *Quaranta in bullario v. monaſteria*, addens *nu.* 16. Clementem VIII. in decretis *pro Regularium reformatione* editis, & approbatis, ac innouatis ab Vrbano VIII. contrà Religioſos modo ſup. dicto delinquentes addidiſſe alias pœnas. Decretum autem Clementis ſic habet: *Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, niſi priùs à Generali, vel Protectore dumtaxat licentiam in ſcriptis impetrauerint: ſi quis autem ſine huiuſmodi facultate Romam venire præſumpſerit, voce actiua, & paſſiua biennio priuatus exiſtat, ſubiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas pænas; quæ item omnia aduerſus eos, qui ſupra dictos admiſerint, & receperint, ſine vlla exceptione locum habeant.* ita *Clemens*, qui poſteà ſibi reſeruauit dictam priuationem vocis actiuæ, & paſſiuç; extenditque facultatem concedendi licentiam eundi Romam, vt etiam Prouincialis illam dare poſſit, ex cauſa tamen totius prouinciç communi ſolùm.

QVÆRES XI. Quam pçnam incurrant Regulares ſine licentia Superiorum ſe transferentes ad partes vltramarinas.

20 ℞. Incurrere excommunicationem Papç reſeruatam, ſi in ijs partibus, ad quas eunt, ſint pauci fideles; ſecùs, ſi ibi adſit copia fidelium. ita *Filliuc. tr. 15. num. 192.* patetque ex *Extrauagante ad noſtrum de Regular.*

QVÆRES XII. An peccent contra Clauſuram, & quam pçnam incurrant Regulares, qui ſine legitima licentia Principum Curias adeunt ad effectum nocendi ſuis Prçlatis, aut proprijs monaſterijs.

21 ℞. Peccare mortaliter tum contrà clauſuram, tum ob prauum illum affectum nocendi, & incurrere excommunicationem ipſo facto, ſed non reſeruatam Papæ, latam in *Clem. 1. in agro de ſtatu monach.* §. *quia verò* in hæc verba: *Nos eorum in hac parte reprobis auſibus obuiare volentes hoc edicto perpetuo prohibemus, ne Monachi, aut Canonici regulares adminiſtrationem aliquam non habentes ad curias Principum abſq; ſpeciali Prælatorum ſuorum licentia ſe conferre præſumant: quod ſi, vt ſuis Prælatis, aut monaſterijs damnum*

ali-

aliquod inferant ad dictas Curias ſe conferre præſumpſerint, excommunicationis ſententiam eos incurrere ipſo facto volumus. Vbi notant Doctores non omnes Religioſos ſubiacere huic excommunicationi, ſed ſolùm monachos (& quidem iuxtà aliquos Doctores ſolum Monachos S. Benedicti) & Canonicos regulares, ſi tamen hi, & illi non habeant vllam adminiſtrationem (quo modo excluduntur Monachi, & Canonici regulares habentes adminiſtrationem) idque etſi nullum damnum de facto inferant. ita *Bonacina q. 2. de clauſ. p. 5.* & alij communiter patetque ex textu.

QVÆRES XIII. An peccent mortaliter contrà clauſuram, incurrantq; aliquam pœnam Regulares, qui ſine debita licentia Superioris accedunt ad ſtudia.

22 ℟. Peccare mortaliter ob grauitatem materiæ, in qua delinquunt, & incurrere excommunicationem, ſed non reſeruatam, ſtatutam in *cap. 2. vt periculoſa ne Clerici, vel Monachi in 6.* vbi hæc habentur: *Nec accedat ad quauis ſtudia literarum, niſi à ſuo Prælato cum conſilio ſui Conuentus, vel maioris partis eiuſdem ſibi eundi ad ſtudium licentia primitus ſit conceſſa: ſi quis autem horum temerarius violator extiterit excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto.*

QVÆRES XIV. An mortaliter peccent, & ſubiaceant alicui pœnæ Regulares, qui extrà monaſterium ſe conferunt ad audiendas leges, aut medicinam.

23 ℟. Peccare mortaliter, cum violent prohibitionem in re graui, & ſubiacere excommunicationi ab Alexandro III. latæ in *cap. non magnopere ne Clerici, vel Monachi.* vbi dicitur: *Ne occaſione ſcientiæ ſpirituales viri mundanis rurſus actionibus inuoluantur, ſtatuimus, vt nulli omninò poſt votum Religionis. & poſt factam in aliquo loco religioſo profeſſionem ad Phyſicam, Legeſue mundanas legendas permittantur exire; ſi verò exierint, & ad clauſtrum ſuum infrà 2. menſium ſpatium non redierint, excommunicati ab omnibus euitentur.* Ex quibus verbis colligitur, & hanc excommunicationem non eſſe reſeruatam, cùm de reſeruatione nulla fiat mentio, & illam non incurri à Religioſo, qui profectus ad audiendas leges, aut medicinam ſine licentia, redit intra bimeſtrem.

QVÆRES XV. An Regulares de licentia Prælati manere poſſint extrà monaſterium ad tempus longum.

24 ℟. Olim potuiſſe, non item in præſentia ex quodam decreto Sacræ Congregationis, quod nos afferemus in *tract. de priuil. cap. vlt. ſect. 1. ſubſ. 4. qu. 42.* interim conſulatur *Lezana tom. 1. cap. 16. n. 23.*

SECTIO II.

De obligatione Regularium quo ad non Admittendas intra Clauſuram Fœminas.

25 *Regulares prohibentur admittere Fœminas intra monaſterium, tum ex iure naturali, tum ex poſitiuo.*

26 *Indicatur, quid de hoc ſtatuerint Pius V. & Greg. XIII.*

27 *Hæc prohibitio eſt varia pro varietate Religionum.*

28 *Determinatio Clauſuræ arbitrariè videtur reſeruanda Prælatis Superioribus.*

29 *Et hæc ab iiſdem poteſt variari, & auferri; non item Clauſura neceſſaria.*

30 *Hæc prohibitio obligat ſub mortali, tum Regulares ipſos, tum Fœminas.*

31 *Hæ tamen vi dictæ prohibitionis non ſemper excluduntur à ſacrificijs Regularium: etſi regulariter deceat illas non admittere.*

32 *Excluduntur autem, ſi ſacriſtia oſtium habeant etiam in monaſterium, cùm alioqui Chorus non contineatur ſub lege Clauſuræ.*

33 *Eæ admitti poſſunt intra domos ruſticas Regularium, ac hortos eorum diſtinctos à monaſterijs.*

34 *Item intra monaſteria cœpta fabricari, & non finita, & intra infirmarias non conſtructas ad faciendum formalem Conuentum.*

35 *Item in reſidentijs Societatis Ieſu, intra quas non viuitur in forma Collegij &c.*

36 *Item in atrium ſcholarum eiuſdem Societatis, etſi non deceat.*

37 *Ex Pij V. bulla excluduntur à monaſterijs Regularium quæcumque fœminæ habentes vſum rationis, & puberes fatuæ.*

38 *Non poteſt certò ſtatui, quando puella præſumatur attigiſſe vſum rationis.*

39 *Eo ipſo tamen quod eſt ſeptennis, continetur ſub bulla Pij V.*

40 *Ex Gregorij XIII. bulla vt ſic excluduntur ſolum fœminæ, quæ prius habebant facultatem ingrediendi.*

41 *At hoc non procedit, attenta Pij V. bulla excludente omnes omninò famulas.*

42 *Hæc prohibitio non ligat Imperatrices, Reginas, earum filias etiam nuptas inferioribus.*

43 *Idque etiam ſtante declaratione Gregorij XIII. facta in fauorem Fratrum Minimorum excludente filias Imperatricum, ac Reginarum, quæ tamen videtur ligare ſolùm dictos Fratres.*

44 *Prohibitio hæc non ligat Fundatrices monaſteriorum; etiam ſecluſo ſpeciali indulto.*

45 *Fœminæ abſque ſpeciali priuilegio ingredi poſſunt monaſteria Regularium in varijs caſibus ex Pij V. conceſſione, qui referuntur.*

46 *Referuntur alij caſus, in quibus item poſſunt ingredi.*

47 *Iuxta Portellum poteſt fieri proceſſio extraordinaria intra clauſtra, ad hoc vt poſſint ingredi fœminæ: quod alij negant.*

48 *Eæ non peccant, ſi ingreſſæ in caſu licito, finitis diuinis officijs, non ſtatim exeant: ſecùs ſi intrent loca interiora Conuentus, aut diutius commorentur in loco conceſſo, etſi in iſto vltimo caſu non incurrant pœnas.*

49 *Conceſſo ingreſſu ex occaſione Proceſſionis, hac finita ingredi nequeunt fœminæ.*

50 *Ingredientes in caſu permiſſo, ſed ob malum finem, non peccant contra Clauſuram, nec incurrunt pœnas.*

51 *Idq; etſi non intendant intereſſe Proceſſioni &c. ob quam conceditur ingreſſus: quod alij negant probabilius.*

52 *Ingredientes bona fide in caſu non permiſſo, ſi depoſita bona fide ibi diu commorentur, non peccant contra Clauſuram, nec incurrunt pœnas.*

Ha-

53 *Habentes licentiam ſpecialem ingrediendi poſſunt ingredi eum decenti comitatu.*

54 *Et quidem ad ſuum comitatum aſſumendo perſonas extraneas, excluſis domeſticis.*

55 *Ingredi poſſunt vi inſtantis neceſſitatis, ſi ei aliter nequeat ſuccurri.*

56 *Vt ſi fæmina intret ad euadendas manus ſatellitum, & occultetur: vel etiam occultetur ingreſſa illicitè, ſed ad bonum finem.*

57 *Poſt Pij V. bullam vetantem ingreſſum ſub prætextu priuilegiorum, adhuc fæminæ ingredi poßunt de licentia Papæ concedentis ingreſſum; quod tamen limitandum eſt, niſi ex ſtatuto Ordinis vetetur ingreſſus, & ſi vetetur, derogetur tali ſtatuto.*

58 *Si monaſterium aſſignetur Militibus in hoſpitium, hique liberè detineant ibi pellices, Religioſis monaſterij ibidem degentibus, poſſunt fæminæ ingredi, ſi certa pars monaſterij Militibus aſſignetur.*

59 *Fæminæ indebitè ingredientes excommunicantur, ſicut & Religioſi illas admittentes, aut introducentes, qui etiam ſubſunt alijs pænis.*

60 *Bulla autem Pij V. & bulla Gregorij XIII. hac de re edita ſe habent vt excedens, & exceßum.*

61 *Laici modo dicto introducentes nullam pænam incurrunt ex ſup. relatis: hæ verò ſupponunt præſumptionem: explicatur, quæ ſint officia, quorum priuatio infligitur Regularibus.*

62 *Explicatur, quid ſit* ingredi facere, *aut* permittere, introducere, *&* admittere.

63 *Dictarum pænarum aliquæ incurruntur ante ſententiam Iudicis, aliæ non.*

64 *Fæminæ excommunicantur, ſi ingrediantur, quo tempore in monaſterio non reperitur vllus Religioſus.*

65 *Ceſſat obligatio Clauſuræ, ſi Monaſterium omninò deſeratur à Regularibus.*

66 *Ab excommunicatione hic relata abſoluunt Papa, & priuilegiati: quod negat Filliucius de priuilegiatis in caſu, quo ingreſſus fiat ad malum finem: ſuſpenſio, quæ hinc fertur non eſt reſeruata: ab alijs pænis item hic latis abſoluuntur Regulares à ſuis Prælatis: inhabilitas tamen ad officia &c. non ſolet tolli à ſacra Pænitētiaria, ſi ingreſſus fuit ad finē malū cōtra Caſtitatē.*

QVÆRES I. Quo iure teneantur Regulares ad obligationem clauſuræ regularis, quatenùs importat, ne intra ipſorū clauſtra admittantur fęminę.

25 ℞. Teneri tum ex iure naturali dictante curandum eſſe, vt non facilè intrà monaſterium, & pręcipuè ad interiora eius loca permittantur ingredi perſonę, quę quietem ſtatui religioſo conuenientem interturbent, & Religioſis ipſis anſam prębere poſſint peccandi, ſaltem occaſionaliter; quales ſunt fæminæ, & generaliter perſonæ ſæculares, quæ vel ipſis dare poſſunt ſcandalum, vel capere, etſi interdum abſque Religioſorum culpa: tum ex iure poſitiuo, non quidem communi (nam nullum extat in corpore iuris) ſed iure lato in quodam Motu proprio Pij V. & alio Gregorio XIII. afferendis *q. ſequenti.* præter quàm quod adſunt in varijs Ordinibus peculiares Conſtitutiones hac de re editæ, licèt diuerſæ. ita *Suar. tom. 4. de relig. tr. 8. l. 1. c. 7. num. 1.*

QVÆRES II. Quid ſtatuerit Pius V. & Gregorius XIII. quò ad non admittendas Fęminas intra monaſteria virorum Religioſorum.

26 ℞. Pium V. in ſua Conſtitutione edita an. 1566. quæ incipit *Regularium perſonarum*, & refertur in *bullario bulla Pij V.* 20. reuocaſſe omnes licentias ingrediendi monaſteria, ac domos Carthuſianorum, & aliorum quorumcumq; Regularium, etiam Mendicantium mulieribus cuiuſcumq; gradus, conditionis &c. ampliando hanc reuocationem omnibus vſitatis, ac maximè rigoroſis verbis; deinde prohibet ingreſſum ſub excommunicatione latæ ſententiæ ſibi reſeruata prædictis mulieribus præſatas facultates prætendentibus; denique Prælatis Monaſteriorum, ac Religioſis vetuit, ne eas admittant ſub pænis priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & ſuſpenſionis à diuinis ipſo facto incurrendis. Gregorius verò XIII. in ſua *Conſtitut.* 28. *in ordine*, quæ incipit *Vbi gratiæ*, non ſolùm confirmat, quæ hac de re ſtatuerat Pius V. ſed pænis à Pio latis contrà Prælatos monaſteriorum, & Religioſos admittentes fæminas intra monaſteria addit pęnam excommunicationis reſeruatæ Papæ.

QVÆRES III. An obligatio Clauſuræ quò ad non admittendas Fæminas intrà Clauſuram ſit eiuſdem rationis in omnibus Ordinibus.

27 ℞. Eſſe diuerſæ rationis: nam aliqui Religioſi (vt Carthuſiani) non admittunt fæminas, neq; intra ſuas eccleſias, ideoque ſolent habere ianuam eccleſiæ intra muros monaſterij: alij admittunt in ſuas eccleſias, ſed non intrà totum clauſtrum: alij denique eas admittunt tum intrà eccleſiam, tum intrà clauſtrum inferius, ſiue ſemper, ſiue certis quibuſdam diebus & ex occaſione quarundam ſolemnitatum. vt proinde ex peculiaribus Conſtitutionibus vniuſcuiuſque Ordinis colligendum ſit, ad quid vnuſquiſq; Religioſus quò ad hoc teneatur; cùm de iure communi nil certi ſtatutum reperiatur.

QVÆRES IV. Ad quem ſpectet indicere Clauſuram in Monaſterijs Regularium, & quis poſſit illam variare.

28 ℞. Quod, quamuis *Naldus v. clauſura n.* 1. ex *Confeßio* abſolutè dicat clauſuram clauſtralem determinandam eſſe, ac variandam per Prælatos regulares: cùm tamen actus ſtatuendi clauſuram ſtabiliter in hoc, vel illo loco monaſterij, ſit res magni momenti, id videtur reſeruandum poteſtati ſuperioris Prælati (v. g. Prouincialis) niſi fortè in aliquo Ordine extet conſuetudo in contrarium, de qua mihi non conſtat: idq; etiam loquendo de clauſura arbitraria. Dico *arbitraria:* alia enim eſt Clauſura neceſſaria, & (vt ſic loquar) quaſi de iure communi Religionum, quæ non videtur eſſe ab homine, ſed à iure, & non tam apponitur à Prælatis regularibus, quàm ſupponitur; qualis eſt, quæ competit dormitorio, refectorio, & alijs locis intimioribus Monaſterij: alia verò eſt arbitraria, quæ dici poteſt ab homine, & non à iure communi: qualis eſt Clauſura, quæ tribuitur atrio ſcholarum Societatis Ieſu.

An autem Prælati regulares poſſint variare, & auferre obligationem clauſuræ ab aliquo loco monaſterij, cui præſunt, ad effectum, vt Fæminæ admitti poſſint in talem locum.

29 ℞. Non poſſe, loquendo de clauſura neceſſaria, & quæ eſt quaſi à iure communi Religionum: cum

enim ij non poſſint directè ſœminis concedere ingreſſum in loca ſuppoſita Clauſuræ; ita nec poſſunt concedere per viam indirectam iuxtà *regulam* 84. *de reg. iur. in* 6. *Cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Secus, loquendo de clauſura arbitraria: ſic enim Prælatus, qui poteſt indicere talem clauſuram, poterit & illam auferre, ac variare; cùm res per quas cauſas naſcitur, per eas & diſſoluatur: quod non procedit de Superiore, cuius poteſtas non extenditur ad indicendam dictam Clauſuram, cum inferior non poſſit diſpenſare in lege Superioris, niſi id ei concedatur à Prælato ſuperiore, vel à iure ſcripto, vel à conſuetudine.

QVÆRES V. An prohibitio admittendi Fęminas intra clauſuram Regulariũ obliget ſub mortali tum ipſos Regulares, tum Fęminas.

30 ℞. Obligare vtroſq; ſi ea ſpectetur, pro vt eſt à iure pontificio; ſecus, ſi, pro vt eſt ex peculiaribus ſtatutis Ordinum: ſic enim obligat quidem Religioſos ſub mortali, cùm ſubſint dictis ſtatutis; non item fœminas, cum hæ prætatis ſtatutis non ſubijciantur, vt patet: licet ex aliunde poſſint in hoc mortaliter peccare, ſiue quia inducant alios ad peccandum, & cooperentur peccato illorum; ſiue quia per vim, aut furtiuè ingrediantur; quod videtur eſſe contrà iuſtitiam; & repugnat religioni ob loci ſanctitatem. ita *Suarez num.* 3. & conſtat ex dictis, ſi probetur dictam prohibitionem, pro vt manat à iure pontificio obligare tam Fœminas, quàm Religioſos ſub mortali: probatur autem ex eo quod prohibitio eſt in re grauis; & eſt à Superiore tum Religioſorum, tum Fęminarum, nempe à Papa; qui vtroſq; poteſt præcipere ſub mortali, & aperte oſtendit ſe intendere taliter obligare, imponendo pœnas adeò graues contra tranſgredientes talem prohibitionẽ.

QVÆRES VI. An ſtante dicta prohibitione, Fęminę admitti poſſint intra Sacriſtias Regular.

31 ℞. Poſſe de rigore iuris, ſi ſacriſtia in eo ſitu ſit poſita, vt illius oſtium exiſtat in ipſa eccleſia, adeoque Regulares ad eam accedere non poſſint niſi per eccleſiam tranſeuntes. ſecùs, ſi in eam non pateat ingreſſus, niſi per clauſtra monaſterij. ita *Bonacina q.* 5. *de clauſura p.* 1. *n.* 4. *Lezana tom.* 1. *c.* 10. *n.* 11. & *Suar. tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 2. patetque: quia Sacriſtia in priori caſu cenſetur pars eccleſiæ, ideòque ſicut Fęminæ ingredi poſſunt eccleſiam, ſic & poſſunt admitti in ſacriſtiam: in poſteriori autem caſu, cùm non poſſit quis accedere ad ſacriſtiam, niſi ingrediendo clauſtra Monaſterij, conſtat quod ſicut fęminę prohibentur ingredi Monaſterij clauſtra, ita & prohibentur ingredi ſacriſtiam. Dixi *de rigore iuris*: quia non expedit permittere eiuſmodi ingreſſum fęminarum intrà ſacriſtiam, etiam in caſu à nobis conceſſo, cùm inde poſſint oriri ſcandala, aut ſaltem admirationes in ſæcularibus videntibus Fęminas illuc introduci, magnæque perturbationes in ipſis Religioſis. vt proinde *Sorbus*, & *Rodriq.* apud *Sanch.* hac de re *n.* 16. agentes nil certi ſtatuant: quin potiùs *Sorbus* ait: Prælatos regulares debere eſſe circumſpectos, examinãdo, an ſcandalum, ac perturbatio Religioſi inde proueniat: quod et. & notat *Sanch. ſup.* aſſerens multò magis conſonum rationi eſſe fęminas nullatenus poſſe admitti in ſacriſtiam Regularium poſteriori modo ſpectatam, eò quod cenſeatur eſſe intrà clauſuram: etſi tandem dicat non eſſe damnandum monaſterium, in quo eſt vſus admittendi Fęminas in ſacriſtiam; cùm re vera non ſit certum ſacriſtiam in priori caſu à nobis cõſideratam eſſe intra clauſuram, exiſtentibus hinc inde opinionibus inter ſe contrarijs.

Verum verò, ſi ſacriſtia habeat duas portas, vnam poſitam in eccleſia, & alia in clauſtro monaſterij, licitè tunc poſſint ingredi fęminę.

32 ℞. *Bonac. ſup.* probabilius videri non poſſe; cùm ſic ſacriſtia veniat nomine monaſterij; quippe quæ non eſt pars eccleſiæ, & vergit ad monaſterium: additq; *nu.* 2. quòd, cùm Chorus Eccleſię Regularium ſit pars ipſius eccleſiæ, & non ſit intrà ſepta monaſterij, non comprehenditur ſub lege Clauſuræ.

QVÆRES VII. An mulieres hodie poſſint recipi intra domos ruſticas Regularium, ac eorum hortos diſiunctos à monaſterijs, quò cauſa recreationis interdum ſe transferunt.

33 ℞. Poſſe, non obſtante quod Pius V. in ſuo motu proprio ſuprà relato interdixerit fęminis ingreſſum in domus, & monaſteria, dicens, *ne dictas domos, & monaſteria ingredi*, & alias dictio copulatiua, *&* ponatur inter diuerſa, ideòq; ibi non prohibeatur ingreſſus ad monaſteria, ſed ad illa, vel ad domos: cũ alioqui horti. & domus ruſticæ Regularium verè ſint domus, nõ autem propriè monaſteria. ita *Sanch. ſup. n.* 10. ex *Nauar. Rodriq. & Elamar. Bonac. ſup. n.* 2. *&* 3. *Lezana ſup.* aliique communiter: & probatur tum quia eiuſmodi horti, ac domus ruſticæ verè nõ ſunt monaſteria (vt omnes concedunt) ſicq; non eſt, cur prohibitio facta quò ad monaſteria, extendatur ad illa; cùm potiùs vt odioſa reſtringi debeat: tum quia in Motu proprio Pij V. pro eodem ſumuntur domus & monaſteria; cùm dictio *&* non ſemper ponatur inter diuerſa; ſed aliquando vſurpetur etiam pro dictione *ſeu* imò aliquando ſolùm declaratiuè, vt aduertit *Bonac. vbi ſup.*

QVÆRES VIII. An peccent contrà clauſuram Regulares admittendo fęminas intra domos, & monaſteria cœpta fabricari, ſed nondum finita, in quibus ſolũ habitãt aliqui Relig. ad ſeruitiũ fabricę.

34 ℞. Non peccare; & probatur tum ex declaratione S. Congr. Cardinalium, quã refert *Sorbus in comp. priuileg. v. ingredi monaſteria in annotat. num.* 13. dicens idem declaratum fuiſſe & de domibus, ſeu infirmarijs, quas alicubi habent Religioſi, non ad faciẽdum ibi formalem Conuentum (vt loquuntur) ſed ad hoſpites excipiendos, aut valetudinarios detinendos, donec ad priſtinam redeant ſanitatem: tũ quia huiuſmodi domus, & monaſteria nondum cenſentur Conuentus, ideoque non debent in odioſis venire nomine monaſteriorum.

35 Hinc infert *Sanch. n.* 20. loquendo de reſidentiis, quas alicubi inhabitant Religioſi Soc. Ieſu, & quæ à P. N. Generali nondum acceptatæ ſunt tanquam Collegia, vel domus probationis, aut domus profeſſæ; in eas poſſe admitti fęminas, ſi Religioſi ſolùm ad tempus ibi commoraturi ſint, ideoq; ibi non viuatur in forma Collegij, nec adſit eccleſia cum Euchariſtia: ſecùs, ſi ſint reſidentię perpetuæ, in quibus omninò viuatur in forma Collegij, & adſit eccleſia

cum

cum Euchariſtia. ratio diſparitatis eſt, quod priores Reſidentiæ reputantur veluti priuatæ domus hoſpitij Religioſorum; poſteriores verò ſunt omnino inſtar aliarum domuum Societatis.

Vtrùm verò admitti poſſint Fæminæ intrà Atriũ ſcholarum Societatis Ieſu quando ſcholæ ſunt contiguæ cum Collegio (vt ſunt ferè ſemper.)

36 ℞. Quòd, cum dictum atrium non reputetur intrà Clauſuram (ſicut nec reputatur Atrium exterius Collegij, in quo eſt porta patens tota die ſæcularibus, & vbi non eſt ſedes ianitoris) incipiente clauſura ab ea porta, in qua manet Ianitor ad clauſuram ſeruandam; nulla apparet ratio, cur de rigore iuris Fæminæ illuc admitti nequeant, cùm tale atrium verè ſit extrà clauſuram. ita *Sanchez ſup. n.* 18. *Laym. l.* 4. *tr.* 5. *c.* 12. *n.* 5. alijque docti viri e Societate, quia tamen benè monent maximè dedecere, quod fæminæ in dictum atrium admittantur, ideoque non debere admitti, & ſic omninò in Societate ſeruari: quin etiam mihi conſtat in aliquibus Collegijs Prouinciales declaraſſe Atrium noſtrarum ſcholarum comprehendi ſub clauſura, adeoq; nullo modo permittendum fæminas in illud ingredi, cum antea ſolerent ingredi ad inuiſendas Congregationes ibi poſitas.

QVÆRES IX. An vi motus proprij Pij V. & ex Conſtitutione Gregorij XIII. prohibeantur ingredi monaſteria Regularium fæminæ omnes, etiã puellæ cuiuſcumq; ætatis, etiam mulieres fatuæ.

37 ℞. Quòd, licèt motus proprius Pij V. expreſsè loquatur de mulieribus, & nomine *mulierum* veniãt ſolùm fæminæ aptæ impudicitijs; quo pacto *Llamas in methodo curat. in append.* §. 3. putat requiri, vt ſaltem ſint 10. annorum: & *Sorbus ſup. n.* 2. cenſet eſſe opus, vt ſint aptæ ad conſummandum matrimonium; quod ſolet contingere in anno 12. niſi malitia ſuppleat ætatem: nihilominùs, quod ſpectat ad rem præſentem, dicendum eſt nomine mulierum venire fæminas quaſcumque ætatis aptæ ad vſum rationis, ſicut & fatuas puberes, quę ad peccandũ incitare poſſunt. vnde fit, vt puellæ, ſtatim, ac vſum rationis adeptæ ſunt, admitti ampliùs non poſſint intra monaſteria Religioſorum; &, ſi admittantur, mortaliter peccent, & ſubiaceant pœnis ſtatutis, tũ Religioſi, qui illas admittunt, tum puellæ, quæ admittuntur. ita *Sanch. n.* 4. *Bonac. n.* 2. alijq; apud ipſos; & probatur, quia ex vna parte puellæ, quæ nondum habent vſum rationis, non ſunt capaces præcepti, aut prohibitionis eccleſiaſticæ, ſicut nec pœnæ contrà tranſgreſſores ſtatutæ; ex alia parte puellæ, quę peruenerunt ad vſum rationis, ſunt capaces præcepti, & pœnæ, poſſuntque incitare ad libidinem, ac exponere Religioſos periculo incontinentiæ: cùm tamen Pontifices fæminis interdixerint ingreſſum in monaſteria Religioſorum, ne eorum pax perturbetur, & ipſi incitentur ad peccatum. quæ eſt ratio, cur fæminę puberes, quæ ſunt fatuæ, prohibeantur admitti intra monaſteria Religioſorum; etſi eæ non ſint capaces præcepti, nec pœnæ; cùm verè poſſint excitare ad impudicitiam, etſi excuſentur à peccato ob defectum rationis.

38 Quòd ſi quæras, quando præſumi poſſit puellas perueniſſe ad vsũ rationis, ita vt non poſſint admitti intrà clauſuram Religioſorum.

℞. Quãuis aliqui cũ *Rodriq.* in motu proprio Pij V. n. 12. & *Sorbus vbi ſup.* dicant non præſumi, niſi poſt 6. annos ætatis; alij verò cũ *Corduba in ſum. q.* 60. poſt 7. annos, & alij poſt 8. cũ *Llamas ſup.* §. 8. cũ tamẽ vſus rationis interdũ contingat ante ſeptenniũ, & interdum poſt; dari nequit in hoc certa regula, niſi quòd, vbi cõſtat puellas habere vſum rationis (quod prudentis viri iudicio ſtatuendum eſt) eò ipsò ligantur hac prohibitione non intrandi monaſteria Religioſorũ, & conſequenter in ea nõ poſſunt ampliùs admitti. ita *Rodriquez tom.* 1. *qu.* 64. *art.* 1. *Nauarrus, Zerola, Henriquez,* apud *Sanchez ſup. cap.* 16. *num.* 6.

39 Addo ex *Sanch. n.* 7. in dubio, an puella habeat vsũ rationis, nec ne, hòc ipsò quòd eſt ſeptennis, cõprehendi ſub dicta prohibitione: ſecùs, ſi nõdum ſit ſeptennis; cùm .n. vſus rationis cõmuniter accidat ſeptennio cõpleto, is in dubio ante illam ætatem non præſumitur. Nec obſtat, quòd Pius V. in allegato motu proprio loquitur expreſſe de mulieribus, nomine quarũ diximus venire ſolùm fæminas aptas impudicitijs, cuiuſmodi non ſunt omnes puellę habentes vſum rationis. nã idẽ Pius in declaratione dicti motus proprij explicat ſe in eo nomine *mulierum* voluiſſe cõprehendere omnes, & quaſcumq; mulieres tã in genere, quã in ſpecie, & cõſequenter puellas habentes vſum rationis, quamuis non aptas impudicitijs, prætcrquàm quòd in dubio intelligentia legis debet deſumi ex ratione legis, quæ ratio dicitur anima legis *l. cũ ratio ff. de portionibus*; vndè, cũ mẽs legis prohibentis ingreſſum mulierũ in monaſteria Religioſorũ ſit, vt occurratur periculo incontinentię, & tali periculo non eſſet ſufficienter prouiſum, ſi puellis habentibus vſum rationis liberè in ea liceret ingredi, hę omninò dici debent comprehendi in prę fata prohibitione, etſi aliàs non ita excitare poſſint ad libidinem, vt puellę grandiores.

QVÆRES X. An prohibitio ingrediendi clauſuram Religioſorum afficiat ſimpliciter omnes fęminas, vel eas tantum, quę priùs habebant facultatem ingrediendi.

40 ℞. Afficere ſolũ illas fęminas, quę priùs habebant facultatẽ ingrediendi; ſi ſpectetur pręſens prohibitio in terminis Greg. XIII. ita *Suar. ſup n.* 5. *Sanch. vbi ſup. c.* 16. *n.* 79. *Laym. ſup. n.* 4. & alij penes *Sanch. n.* 78; contrà plures relatos ab illo *n.* 77. & probatur, tum quia in citatis motibus proprijs expreſsè fit reſtrictio prohibendo mulieribus dictas facultates, & licentias prętendentibus; & Gregorius ait: *Inhibentes ijſdem, qui illas obtinuerunt*: quę verba ſunt reſtrictina, ideòq; non debent extendi, cùm legẽ pęnalẽ contineant, & talis extenſio ſit cõtrà proprietatẽ illorum verborũ: tũ quia ſimilitudo rationis, quàm hìc aliqui allegant, nõ admittitur in legibus, pręſertim pęnalibus; in quibus ratio ſine voluntate legislatoris non operatur (etſi facilè poſſet negari ſimilitudo rationis. eò quòd mulieres habentes dictas facultates ſoleant eſſe nobiliores, ac potentiores, adeoq; ob vſum ingrediendi difficiliùs per ſolum priuilegiorũ reuocationem poſſent contineri, niſi addita fuiſſet prohibitio,) tum deniq; quia non eſt nouum in iure delicta minora aliquibus pęnis ſubijci ob ſpecialem aliquam rationem in ijs concurrentem.

41 Dixi, *ſi ſpectetur præſens prohibitio in terminis Greg. XIII.* vt indicarem, quod ſi ea conſideretur in terminis Pij V. ea comprehẽdit omnes mulieres, etiam non ingredientes prætextu licentiarum. ratio diuerſitatis eſt, quòd Pius V. hanc eſſe ſuam mentem explicauit in quadam declaratione ſui Motus proprij relata q. 9. vbi ait; *Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium dicimus, & declaramus fuiſſe, & eſſe mentem, & intentionem noſtram, quòd dictæ literæ non ſolùm comprehenderent, & comprehendant mulieres habentes, & prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi monaſteria ſed etiam omnes, & quaſcumque mulieres alias tam in genere, quàm in ſpecie.* quæ verba ſunt adeo clara, vt iam dubitari non poſſit de mente Pij, vt notauit *Suar. n. 9.* ideoq; non poſſit ampliùs ſuſtinere opinio contraria: etſi *Layman* perſiſtere videatur in ſua ſententia dicens declarationẽ illã non fuiſſe authenticè publicatam; quod licet ſit verũ, vt colligitur ex bullario, in quo refertur; hoc ipſo tamẽ quod inſerta eſt in bullario, cenſeri debet ſufficienter promulgata ad effectum, vt fideles teneãtur illam obſeruare.

QVÆRES XI. An prohibitio ingrediendi monaſteria Relig. afficiat oẽs mulieres aliàs ad hoc priuilegiatas, etiã Reginas, Imperatrices, earũq; filias.

42 ℞. Non afficere; ſiue prohibitio conſideretur in terminis Pij V. ſiue in terminis Gregorij XIII. ita *Suar. n. 5. Sanch. c. 17. n. 5. Laym. n. 5. Bonac. n. 5.* alijque, & probatur quia, quod ſpectat ad Motum propriũ Pij, in eo dicitur, *mulieribus cuiuſcumq. ſtatus, gradus, ordinus, conditionis. & quacumq dignitate, ac præminentia præditis;* & ſtatim additur *etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis:* quare, cùm hi gradus aſſignentur, tanquam ſupremi illarum fæminarum, quę ibi comprehenduntur, ſequitur non comprehendi eas, quę ſunt illis Superiores, nempe Reginas, Imperatrices, & illarum filias, vtpote ſpeciali nota dignas. Quod verò ſpectat ad Conſtitutionẽ Gregorij XIII. conſtat ex eo quod, licet dicatur in ea *quibuſuis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, & alijs cuiuſcumq: ſtatus, & conditionis mulieribus,* & dictio *& alijs* poſita videatur non ad deſcendendum, ſed ad aſcendendum, vt patet ex progreſſu verborum præcedentium: nihilominùs non eſt veriſimile, quod, nominatis in ſpecie Comitiſſis, Marchioniſſis, & Duciſſis, voluerit Papa ſub generali clauſula comprehendere Reginas &c. præſertim, cùm paulò inferiùs volens comprehendere Reginas &c. illas expreſsè nominauerit; & meritò, cum iuxta ſuperiùs dicta ſub generali clauſula non veniant, quæ ſpecialiſſimam habent rationem; præſertim ſi in generali clauſula addatur ſpecificatio inferioris notæ. Vnde fit, vt Imperatrices, Reginæ, & earum filiæ, etiam hodie ingredi poſſint monaſteria Religioſorum, & in ea admitti, non obſtante prohibitione, de qua hic; idque quantumuis nullum habeant priuilegium ad ingrediendum; cùm nullibi extet ius prohibens ſub mortali ingreſſum mulierum in monaſteria Religioſorum, niſi Motus proprius Pij V. & Conſtitutio Gregorij XIII. in quibus diximus non comprehendi Imperatrices &c. vt ex *Rodriquez aduertit Sanchez ſupra* addens, etiam ſtante declaratione Gregorij mox afferenda, id eſſe verum de filiabus Imperatricum, ac Reginarum, eo quod eæ veniant nomine Reginarum, & aliàs non excludantur per verba generalia: quamquam in hoc ſeruari debeat conſuetudo, quæ eſt optimus legum interpres.

Et quidem, quod ſpectat ad filias Imperatricum, ac Reginarum, puto illas poſſe frui hoc priuilegio, etſi ſint nuptæ viris inferioribus: cum hæ etiam ſic nuptæ adhuc verè ſint, & dici poſſint filiæ Imperatricum, aut Reginarum, & aliàs ſimus in materia fauorabili, quæ non debet reſtringi.

43 Declaratio autem Gregorij, de qua paulò ante, in eo conſiſtit, quod, cùm Fratres Minimi in ſuis Conſtitutionibus habeant conceſſionem, vt mulieres de ſtirpe regia, & fundatrices monaſteriorum illius Ordinis volentes cum decenti comitatu ingredi domos Ordinis, tolerari poſſint: & dicti Fratres conſuluiſſent Gregorium XIII. an tali conceſſioni derogatum fuiſſet per motus proprios ſuprà relatos Pij V. & ipſius Gregorij reſpondit Pontifex ex ſententia Congregationis non fuiſſe derogatum quo ad Reginas, vel Fundatricẽs dumtaxat. Vbi notandum eſt declarationem hanc partim fauere noſtræ huic reſponſioni, quatenùs dicimus Reginas, & Imperatrices non comprehendi ſub dicta prohibitione; partim repugnare, quatenùs nominando præciſè Reginas videtur excludere filias, ac neptes Regum, quæ ingredi poſſunt monaſteria Religioſorum. quamquam, vt notat *Suarez num. 6.* dici poſſit Pontificem fortaſſe ſolùm propter ſpecialem Fratrum minimorum obſeruantiam voluiſſe illam regulam coarctare in eo Ordine; & fortè etiam ad petitionem ipſorum Fratrum, eo quod vi Regulæ prohibitus ſit fęminarum ingreſſus in eorum monaſteria; ſicque declarationem illam non adſtringere Religioſos aliorum Ordinum. præterquam quod potuit Pontif. mentẽ ſuã ita exponere; cùm Põtifices ſæpè in ſimilibus declarationibus aliquid ex ſua poteſtate de nouo addant, ideoq; ſi ſatis cõſtet de tali declaratione, ea omnino ſeruari debet.

QVÆRES XII. An, ſtante præſenti prohibitione mulieres, quæ fundant monaſteria Religioſorum, ea poſſint ingredi, & quo iure.

44 ℞. Videri poſſe, non quidem ex vi declarationis Gregorij XIII. modò relatæ (vt aliqui putant) ſed de iure communi, ideoque non egere ſpeciali facultate ad id conceſſa; cùm de iure communi id ipſis competere videatur. Colligitur ex *Suarez ſupra num. 6.* & probatur tum quia Fundatrices monaſteriorum peculiarem habent rationem, vt non debuerint comprehendi ſub generali prohibitione: tum quia ius patroni de iure eſt valdè priuilegiatum: tum quia Fundatrices ſunt quaſi dominę ſuorum monaſteriorum, ac proinde non debuerunt ab ijs excludi ea generalitate, qua excluduntur aliæ fęminę extraneę; ſi enim hoc fieret, ſaperet vitium ingratitudinis. Dixi *non quidem ex vi declarationis &c.* cùm n. Greg. in ea non indulgendo, ſed declarando, dixerit nõ cenſeri per pręfatos Motus proprios derogatum Regulę Minimorum cõcedenti Fundatricibus monaſteriorum, vt ea ingredi poſſint; nõ videtur talis declaratio ſuffragari Fundatricibus monaſteriorum aliorum Ordinum non habentium ſimilem regulam; ſicut notat *Sanchez num. 7.* ex *Rodriquez* aſſerente propterea Pium V. in illo ſuo Motu pro-

proprio expreſſiſſe Duciſſas, & ſimiles, vt oſtenderet, quod, cùm eæ ſoleant eſſe Fundatrices, titulus fundatricis vt ſic non dat facultatem ingrediendi monaſteria virorum Religioſorum. cum *Rodriquez*, *& Sanchez* ſentiunt *Bonacina n.3. Lezana ſup.c.10.n.10.* & alij abſolutè negantes poſſe Fundatrices monaſteriorum in ea ingredi abſque ſpeciali licentia; idque ob rationem paulò ante adductam ex *Sanch.* Verùm, niſi obſtet conſuetudo in contrarium, puto non eſſe improbabile, quod aſſerumus ex *Suarez.*

QVÆRES XIII. An & in quibus caſibus poſſint mulieres interdum ingredi monaſteria Religioſorum abſque ſpeciali licentia obtenta.

45 ℞. Poſſe in aliquibus caſibus, qui exprimuntur in declaratione Pij V. ſuperius allata, his verbis: *Significantes nihilominùs, quod propter hoc, & prædictas noſtras literas non intelleximus, nec intelligimus quod mulieribus precluderetur, nec precludatur aditus ad monaſteria, & loca regularia, & eorum clauſtra, quando in eis Miſſa, & alia diuina Officia celebrantur, ac dum proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt: ſed liberè perpetuò concedimus eiſdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, cum alijs catholicis, perſonis accedere liberè, & licitè poſſint, & valeant. Similiter quod, quando diuinum verbum in clauſtris monaſteriorum, & regularium locorum proponitur, vel per aliam quamcumque cauſam tantus concurſus populi fuerit, quod commodè ingredi non poſſint, & egredi per portam clauſtri monaſteriorum, & locorum regularium: dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur è monaſterio.* Circa quam conceſſionem notat *Lezana num.* 12. quod, licet ea fuerit facta fauore, & intuita Congregationis montis virginis, quæ proinde in ea nõ ſemel nominatur; per viã cõmunicationis cõpetit alijs Ordinibus, qui proinde in allatis caſibus poterũt ea vti, ęq; ac pręfata Cõgr.

46 Quod autem addit *Portellus de dub. regul. v. clauſura Monach. n.* 5. poſſe mulieres ingredi monaſteria Religioſorum, quando habetur ſermo prædicationis, fit officium lotionis pedum in die Iouis ſancti, datur habitus religioſus, aut fit profeſſio &c. non exprimitur quidem in allegata declaratione Pij V. fundatur tamen in eo, quod præfata declaratio ſic habet; *quando in eis* (id eſt in Clauſtris monaſterij) *Miſſæ, & alia diuina Officia celebrantur*: cùm, teſte *Bonacina D.1. de cenſur. in com. q.2. p.3. §.2. n.2.* nomine *diuinorum Officiorum* veniant non ſolum Miſſę, ſed etiam horæ canonicæ, quæ recitantur in Choro, oratio publica, benedictio ſolemnis candelarum, aut oliuarum, aliæque ſimiles ceremoniæ, quæ ſolemniter fiunt ex inſtitutione Chriſti, vel Ecclęſiæ, vel quæ ſunt propriæ alicuius ordinis clericalis, vt ęſt cantus ſolemnis epiſtolæ, aut euangelij; quare, cùm conceſſio Pij ſit fauorabilis, poteſt extendi ad caſus poſitos à *Portello*, alioſque ſimiles, qui modo dicto veniant nomine *diuinorum Officiorum*. Quo pacto *Rodriquez in expoſit. bulla* explicans Conſtitutionem Pij V. & Gregorio XIII. de clauſura *nu.16.* cenſet, quod, ſi fœmina nobilis petat ſibi dici Miſſam in ſacello poſito in clauſtro, ea ad hanc Miſſam audiendam ingredi poteſt cum alijs fęminis ipſam comitantibus: quod ait *Portellus ſup.* non videri condemnandum, ſi fiat; quamquam in praxi non viderit vnquam id fieri. nobiſcum ſentiunt *Sanch. n.* 25. *Sorbus n.7. Rodriq. to.1. q.48. a.3. Bonac. q.5. de Clauſ. p.4. n.10. Lezana nu.* 12. etſi hi duo negent mulieres poſſe ingredi, quoties quis intra clauſtra admittitur ad habitum regularem: ſed immeritò, cùm tunc ibi fieri ſoleat pia exhortatio, & recitentur preces, quæ veniunt nomine *diuinorum Officiorum.*

Difficultas modò eſt, an Prælatus regularis intra monaſterij clauſtra conſultò poſſit inſtituere proceſſionem extraordinariam, ad hoc vt fœminæ ingredi poſſint occaſione illius.

47 ℞. *Sanch. n.23.* ex *Rodriq.* & *Sorbo* non poſſe, aliàs contrauenire Motui proprio Pij V. qui in relata cõceſſione intendit quidem auferre ſcrupulos, & concedere ingreſſum rationi conſonum, non autem religioſam clauſuram nimis relaxare, ac præbere occaſionem ſcandalorum, & abuſuum cum *Sanch.* ſentiunt *Bona. n.* 14. negans tamen Pręlatum regularem in iſto caſu incurrere pęnas latas contra Religioſos admittentes fęminas intra monaſterium, & alij contra *Portellum nu.6.* qui valdè inclinat in oppoſitam ſententiam, quod ſcilicet Prælatus regularis nullo modo peccet inſtituendo proceſſionem illam extraordinariam, etſi non ſine formidine id dicat. Certè poſſet quis hoc probare ex eo quod Pius V. concedit fœminis, vt ingredi poſſint monaſteria, dum proceſſiones fiunt; nec limitat ad tot proceſſiones, & non ad plures; cùm ergo lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi, quare conceſſio ſup. dicta Pij reſtringitur ad proceſſiones ordinarias, ita vt non fieri poſſit aliqua extraordinaria? præſertim cùm ſic non videatur præberi vlla occaſio ſcandalorum, & abuſuum in tali caſu, ingredientibus viris vna cum mulieribus.

QVÆRES XIV. An mulieres in caſibus permiſſis ingredientes Religioſorum monaſteria peccent m. contrà clauſuram, & incurrant pœnas ſtatutas, ſi, finitis diuinis Officijs, ſtatim non exeant, imo ingrediantur interiora loca Conuentus.

48 ℞. Non peccare m. nec incurrere vllam cenſuram, ſi aliquantulum ibi modo dicto immorentur: cum enim præceptum clauſurę ſit morale, debet intelligi modo morali, non autem metaphyſico; vnde infert *Sanch ſup. c.16. n.69.* ingredientem monaſteria Monialium cum debita licentia non peccare, neque venialiter, ſi abſoluto negotio, ad quod ingreſſus eſt, ibi moretur breui. Secùs dicendum eſt, ſi fœminæ diutiùs ibi ſe detineant ingrediendo loca interiora Conuentus; nam tunc peccant, cùm violent mentem Papæ qui in pręfata conceſſione indulgẽs fœminis ingreſſum in monaſteria Religioſorum in caſibus aſſignatis, prohibuit ingreſſum ad officinas interiores; vt conſtat ex verbis illis, quæ habentur in dicta conceſſione. *dummodò recto tramite accedant ad portam, qua exitur à monaſterio.* quæ violatio, cùm ratione finis intenti à legiſlatore in præcepto clauſuræ regularis ſit grauis, nõ poteſt non eſſe mortalis, niſi bona fides, aut inaduertentia excuſet. ita *Sanch. ſu. c.17. n.29. Bona. n.16.* & alij: inter quos *Sãch.* contra *Rodriq.* notat quod, licet fœminæ in præſenti caſu peccent m. non tamen incurrunt pęnas contra violãtes clauſurã latas; quippe quæ ĩpoſitæ ſunt, nõ

morã trahenti, ſed ingredienti ſine licentia, ideoq; non poſſunt ligare fæminas cum debita licentia ingrediẽtes, & finito negotio, ad quod ingrediuntur, diutiùs ibi morantes ſine licentia: nam ingredi ſine licentia eſt quid diuerſum ab eo, quod eſt commorari ſine licentia; ac proinde, cùm pænæ latæ ſint ſolùm contrà ingredientes ſine licentia, extendi non debent ad commorantes abſque licentia: in pęnalibus enim non fit extenſio à caſu expreſſo ad nõ expreſſum, & ſi concurrat identitas, vel etiam maioritas rationis. præter quam quod Pius V. in illa ſua declaratione, in qua mulieribus alias licitè ingredientibus prohibuit accedere ad alia loca monaſterij non conceſſa, non appoſuit excommunicationem, ſed illam ſolùm appoſuit in illo ſuo motu proprio; in quo tamen loquitur ſolùm de mulieribus ingredientibus, non autem de mulieribus, quæ licitè ingreſſæ progrediuntur ad loca vlteriora non permiſſa.

49 Illud etiam hic bene monet *Portellus num. 6.* ex *Rodriquez*, quod ſi in aliquo monaſterio clauſtrum ornetur tapetis, & pictis imaginibus, ibique mane fiat proceſſio; non poſſunt mulieres veſpere ingredi ad videndum clauſtrum, niſi fiat tunc noua proceſſio; quam poſſe fieri ad illum finem, docet *Rodriquez in expoſit. motus proprij Pij V. num* 20. & patet, quia Papa non concedit ingreſſum, niſi ex occaſione proceſſionis, aut alterius diuini Officij; ergo, ſi non fiat proceſſio in caſu propoſito, nulla adeſt ratio ingrediendi, ſicque illicitus erit ingreſſus, vt pote factus abſque debita licentia.

QVÆRES XV. An peccent m. contra clauſuram, & incurrant pęnas mulieres, quæ in caſu permiſſo ingrediuntur monaſteria Religioſorum ad malum finem (v. g. ad fornicandum)

50 ℞. Non peccare, nec incurrere pænas; & ſi peccent ratione mali finis; quod tamen peccatum non eſt contra legem clauſuræ. ita *Rodriq. tom. 1. q. 48. a. 3. Sorbus ſup. n. 7. Sanch. num. 28. Bonac. ſup. p. 4. nu. 13.* & alij, patetque quia pænæ latæ ſunt contra ingredientes ſine licentia, & peccatum violationis clauſuræ in eo conſiſtit, quod fiat ingreſſus ſine licentia; in præſenti autem caſu fæmina non ingreditur ſine licentia, cùm ingrediatur in caſu permiſſo, vt ſuppono.

51 Hinc eſt, quod *Bonacina* ſup. putat eſſe probabile, quod fęmina in caſu permiſſo ingrediens v. g. tempore proceſſionis, non peccet contra clauſuram, nec incurrat pęnas, etſi non intendat intereſſe proceſſioni, aut alteri diuino Officio, ſolumque ingreſſa ſit cauſa fornicandi, ibique verè fornicetur: nam tunc temporis non adeſt prohibitio humana vetans fęminis ingredi monaſteria Religioſorum, imò ijs liberè conceditur ingreſſus, quando in ijs Miſſæ, & alia diuina Officia celebrantur: cùm ergo fæmina in iſto caſu intret tempore Proceſſionis, verè intrat in caſu permiſſo; & conſequenter licitè, ſecluſo prauo illo fine, qui non ſubeſt iudicio Eccleſiæ non iudicantis de occultis. Nec obſtat, quod mens Papæ concedentis ingreſſum non extenditur ad illum caſum, vt pote qui intendit ſolùm concedere ingreſſum ad pia opera præſtanda; non enim finis legis ingreditur legem, ideoque ſi ſit malus, nõ vitiat actum externum aliàs à lege humana permiſſum, in quantùm ſubſtat iudicio Eccleſiæ. ita *Bonacina*, & non improbabiliter: etſi oppoſitum ſuſtineat *Sanchez*, probabiliùs etiam iudicio *Bonacina* id probans a paritate illius, qui habens licentiam ingrediendi monaſteria Monialium ex cauſa neceſſitatis illuc intrat, non ex ea cauſa, ſed præciſè ad fornicandum; cùm alioqui par ratio militet in caſu noſtro, vt conſideranti conſtabit.

An verò peccet contra clauſuram, & incurrat pęnas mulier bona fide ingrediens locum ſubiectum Clauſuræ, v. g. ignorans illum contineri ſub clauſura, ſi, depoſita bona fide, ibi diutiùs ob malum finem commoretur.

52 ℞. Peccare ratione mali finis, ſed non contra Clauſuram, ac proinde non incurrere pænas. Colligitur ex dictis §. *præcedenti*, & confirmatur ex eo, quod, ſicut in caſu paulò ante propoſito diximus ex *Bonacina* non videri improbabile fęminam non peccare, nec incurrere pænas, eo quod ingreſſus ſit factus in caſu permiſſo; ſic & in præſenti caſu ingreſſus ſit in caſu permiſſo, ſupplente bona fide pro diſpenſatione in alio illo caſu conceſſa a Papa: vnde fit, fęminam ſic intrando non violare clauſuram, niſi materialiter; ideoque non eſt, cur dicamus illam ibi manendo modo ſupr. dicto peccare contra clauſuram, & incurrere pęnas; cùm ex vna parte hę pænæ latæ ſint contra ingredientes indebitè, non autem contra commorantes; ex alia parte violatio formalis clauſuræ, quæ eſt mortalis, conſiſtat in eo, quod quis illicitè intret, non autem quod illicitè commoretur. ita docti recentiores a me conſulti, & non improbabiliter, etſi oppoſitum ſit probabilius.

QVÆRES XVI. An mulier habens licentiam ingrediendi monaſteria Regularium, eo ipſo poſſit ſecum ducere alias fæminas ipſam comitantes.

53 ℞. *Sanchez ſup. num. 6.* poſſe, ita tamen, vt fęminæ comitantes ſint paucæ, ſeniores, ac bonę famę. probatur tum quia non eſt credibile mentem Papæ concedentis talem licentiam eſſe, vt mulier, quæ licentiam obtinuit, ingrediatur aliter, ac deceat ſtatum, & conditionem ipſius: tum quia in *cap. licet de priuil. in 6.* dicitur priuilegium conceſſum alicui ad audienda diuina tempore Interdicti, extendi ad perſonas illum comitari ſolitas; quod vtique proportionaliter militat in præſenti caſu. Dixi *ita tamen, vt fæminæ comitantes ſint paucæ &c.* quia non puto vniuerſaliter admittendum eſſe, quod in propoſito caſu mulier priuilegiata poſſit ſecum ducere totum ſuum comitatum; cùm prohibitio ingrediendi facta ſit in primis ratione decentiæ monaſteriorum, quæ proinde maximè debet attendi; & alias minùs decens foret, vt cum muliere priuilegiata intrarent etiam puellæ alias ipſam comitari ſolitę.

Dubium maius eſt, an mulier ex legitima licentia ingrediens monaſterium licitè poſſit ſecum ducere fęminas extraneas loco illarum, quę ſunt de eius familia, & eam ſolent aſſociare.

54 ℞. Videri poſſe, niſi in conceſſione exprimatur, vt non ducat ſecum, niſi perſonas de familia; ſi enim hoc exprimatur, vtique mulier priuilegiata non poſſet fęminas extraneas aſſumere in ſocias; cùm mens concedentis ſufficienter explicata ſeruari debeat

beat

beat inſtar legis. ratio autem reſponſionis eſt, quod mulier priuilegiata poteſt ſecum ducere aliquas fœminas pro conditione ſui ſtatus (vt iam probauimus) & ſecluſo præcepto concedentis priuilegium, non apparet, cur illud reſtringi debeat ad ducendas fœminas de familia; cùm id nullo iure præſcribatur.

QVÆRES XVII. An fœminæ ingredi ſine licentia poſſint Religioſorum monaſteria ratione inſtantis neceſſitatis, & quando.

55 ℞. Poſſe, ſi neceſſitas ſit talis, vt ei aliter ſuccurri non poſſit; qui caſus vix poteſt contingere, vt notauit *Sanchez num.* 30. ſi tamen eueniat, vtique poſſet mulier ingredi: cùm prohibitio humana nõ extendatur ad caſum neceſſitatis adeò vrgentis. caſus autem eſſe poſſet, ſi monaſterium eſſet in aliquo oppido, in quo non eſſet, qui crura, aut brachia confracta, aut oſſa inter ſe non cohærentia ad priſtinum locũ reuocare calleret, aut alij morbo mederi præter mulierem, & aliquis Religioſus illius opera egeret: caſus item eſſet, ſi quem Religioſum medici iudicarent valdè indigere lacte fœminæ, & ad id non poſſet Religioſus extrahi è monaſterio; verùm hi caſus ſunt metaphyſici, & moraliter loquendo vix poſſunt euenire.

56 Probabilior caſus neceſſitatis eſſe poſſet is, quem proponit *Portellus ſup. num. 4. ex Rodriquez* aſſerens Religioſum occultantem fœminas illicitè ingreſſas monaſterium non incurrere pœnas latas contrà Regulares admittentes fœminas intrà monaſteria: ſi occultet bono fine, v. g. ad tuendum honorem fœminæ, aut alterius Religioſi ſui Ordinis, vel alterius; ſic quippe adeſt neceſſitas excuſans; ſicut & eſſet in caſu, quo fœmina ingrederetur aliquod monaſterium ad euadendas manus ſatellitum; cùm hoc idem concedat *Sanchez. l. 6. mor. cap. 16. nu. 59.* de malefactore ingrediente monaſterium Monialiũ ad euadendas manus ſatellitum illum inſequentium.

QVÆRES XVIII. An mulieres licitè intrent monaſteria Religioſorum, ſi poſt motũ proprium Pij V. prohibentis talem ingreſſum ſub prætextu priuilegiorum, à Papa obtineant licentiam intrandi.

57 ℞. Licitè ingredi; cùm prohibitio ingrediendi ſit papalis, adeòque tolli poſſit à Papa iuxtà regulam iuris: *Par in parem non habet imperium*; & iuxtà illam aliam: *Eius eſt legem ſoluere, cuius eſt condere.* Verum quidem eſt, quòd ſolus Papa poteſt concedere talem licentiam; cùm inferior diſpenſare non poſſit in lege Superioris.

Quòd ſi quæras, an priuilegium ingrediendi monaſteria Regularium ſuffragetur, ſi Ordinis illius ſtatuto cautum ſit, ne fœminæ ingrediantur, & in tenore priuilegij nulla mentio fiat derogationis dicti ſtatuti.

℞. Non ſuffragari; cùm tale priuilegium ſupponatur ſubreptitium, vtpote in cuius impetratione tacitum eſt aliquid, quo expreſſo Papa fortè illud non conceſſiſſet: nam ſtatuta inferiorum præſumuntur ignota Principi ſupremo, qui proinde non præſumitur velle ijs derogare; niſi id exprimat *cap. 1. de conſtit. in 6.* ita *Bonacina ſup. p. 4. num. 2. ex Sanchez, Suarez, Regin.*

QVÆRES XIX. An fœminæ ingredi poſſint monaſteria Regularium in caſu, quo illa tradantur in hoſpitia militibus, & Religioſis remanentibus in ijs milites ibi liberè proprias pellices detineant, aut etiam vxores.

58 ℞. Poſſe, ſi militibus certa pars monaſterij aſſignetur in ipſorum hoſpitationem: ſic enim quo ad hanc partem cenſetur ſublata clauſura, eius obligatione reſtricta ad illam aliam partem monaſterij, quam inhabitant Religioſi: idque ſiue per talem factum, ſiue ex authoritate regularis Prælati. Secùs ſi milites promiſcuè habitent cum Religioſis in eodem dormitorio, aut clauſtro: ſic quippe cenſetur durare clauſura, ideòque nec pellices militum licitè ibi detinentur, nec aliæ fœminæ illuc ingredi poſſunt; niſi eæ excuſentur ignorantia, vel certè doctrina illa *Laymani l. 4. tract. 5. cap. 12. num. 4.* nimirum in pœnalibus nomine maſculino non comprehendi fœmininum; maximè ſi ratio diſparitatis aſſignari poſſit: ac proinde mulieres non comprehendi in bulla Gregorij XIII. *Vbi gratia*; quippequi extendens ſimilem bullam Pij V. etiam ad monaſteria monialium, & ſtatuens eandem excommunicationem in vtriuſque ſexus Regulares, ſi quemquam prætextu facultatum, ſeu priuilegiorum ingredi faciant, aut permittant, nullam facit mentionem de ſexu fœmineo, dicens *ſi quemquam*; ſic indicans, quod cum grauiùs ſemper prohibitus fuerit ingreſſus virorum in monaſteria monialium, quàm ingreſſus mulierum in monaſteria Monachorum (vt conſtat ex *Concilio Trid. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 5.*) ſub ſua prohibitione noluit comprehendere admiſſionem mulierum in monaſteria virorum, ſed ſolùm admiſſionem virorum in monaſteria Monialium. ita *Laym.* hanc ſuam doctrinam deſumens ex *Rodriq. Suarez, & Philiarco*: quàm probabiliter, aliorum ſit iudicium.

QVAERES XX. Quas pœnas incurrant fœminæ extrà caſus licitos ingredientes monaſteria Religioſorum, & Religioſi ipſi illas admittentes, aut introducentes.

59 ℞. Fœminas quidem incurrere excommunicationem ipſo facto, eamque reſeruatam Papæ, idque ex motu proprio, tum Pij V. tum Gregorij XIII. Religioſos verò incurrere excommunicationem Papæ reſeruatam, ac priuationem dignitatum, & beneficiorum, nec non inhabilitatem ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ſi fœminas faciant, vel permittant ingredi ſua monaſteria prætextu facultatum quomodocumque obtentatum; & hoc ex motu proprio Gregorij XIII. ex motu verò proprio Pij V. incurrere ipſo facto ſuſpenſionem à diuinis, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ſi in ſua monaſteria intromittant, vel admittant fœminas, quantumuis ſine prætextu facultatum ingredientes. ita Doctores communiter, & quod ſpectat ad fœminas, conſtat ex motu proprio tum Pij V. qui ſic habet *Diſtrictè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prætendentibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, à qua non poſſint niſi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore fue-*

rit, abſolui, prater quàm in mortis articulo ne dictas domos, & monaſteria ingredi audeant; tū Gregorij XIII. cuius hæc ſunt verba; *Inhibentes ijſdem* (intellige, mulieribus) *quæ illa obtinuerunt* (videlicè: licentias ingrediendi) *ſub excommunicationis pœna ipsò factò incurrenda, ſuper qua à nemine, niſi à Romano Pontifice, præter quàm in mortis articulo abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu monaſteria huiuſmodi quouis modo ingredi audeant*. Quòd verò attinet ad Religioſos facientes, aut permittẽtes ingredi fæminas prætextu facultatum, deducitur reſponſio ex motu proprio Gregorij XIII. vbi dicitur: *Abbatiſſis verò, necnon Abbatibus, conuentibus, ac alijs monaſteriorum vtriuſque ſexus Superioribus, & perſonis quocumque nomine vocentur, diſtrictè præcipimus ſub eadem excommunicationis pœna, nec non priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ne in monaſteria, domos, & loca ſua quemquam prætextu huiuſmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant, vel permittant*. Quod deniq; attinet ad eoſdem Religioſos intromittientes aut admittẽtes in monaſteria fęminas, ingredientes etiam ſine prætextu facultatū, colligitur ex motu proprio Pij V. citato, vbi hæc addit, *Ipſis verò monaſteriorum, & conuentuum Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & alijs Præſidentibus, quocumque nomine vocentur, & eorum Monacis, Canonicis, & Fratribus, ſiue Mendicantibus, ſiue non Mendicantibus, ſub priuationis officiorum, quæ in præſentia obtinent, & inhabilitatis in poſterum ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis à diuinis ipsò factò ſine alia declaratione incurrendis pœnis, ne eas introducere admittereue præſumant*.

60 Notant autem Doctores cum *Sanchez ſup. n.* 35. motum proprium Gregorij XIII. & motum proprium Pij V. de quibus hìc agimus, ſe habere, vt excedens, & exceſſum; motus enim Gregorij excedit motum Pij, quatenùs ille vltrà pœnam priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa à Pio ſtatutam contra Religioſos permittentes ingredi fæminas in monaſteria virorum, addit etiam priuationem beneficiorum, ac inhabilitatem ad illa, nec non excommunicationem Papæ reſeruatam, nullamque petit præſumptionem in admittentibus; & dictis pœnis afficit illos, qui viros, aut fæminas ingredi faciunt, aut permittunt in monaſteria monialium, aut fæminas in monaſteria virorum Religioſorum: motus autem Pij loquitur ſolùm de admittentibus, & imponit ſolùm pœnam priuationis officiorum, non item beneficiorum, nec inhabilitatis ad illa: E contra motus Gregorij exceditur à motu Pij, quòd ille comprehendit ſolùm Prælatos facientes, aut permittentes ingredi, eoſque ſolos includit, qui admittunt vi facultatum ingredientibus cõceſſarum, nec imponit ſuſpenſionem à diuinis contrà facientes, aut permittentes ingredi; motus verò Pij loquitur de facientibus, aut permittentibus ingredi fæminas in Religioſorum monaſteria, etſi non ingrediantur virtute alicuius facultatis; & vltrà pœnam priuationis officiorum & inhabilitatis ad illa fert ſuſpenſionem à diuinis contrà admittentes, vel facientes ingredi, ſiue hi ſint Prælati, ſiue quicumque alij Regulares.

61 Dixi, *ſiue quicumque alij Regulares*, vt indicarem, quòd, cùm in citatis motibus proprijs non fiat mẽtio vlla de perſonis laicis; hæ ſi fortè introducant fæminas intra Religioſorum monaſteria, etiam ad malum finem, non ſubiacent pœnis contentis in dictis motibus; nam in pœnis non fit extenſio ob rationis identitatem, & eæ quàm maximè reſtringi debent.

Addit *Sanchez ſup. num.* 36. & benè, quòd, cùm motus Pij V. in admittentibus, aut facientibus ingredi petat præſumptionem ad incurrendas dictas pœnas: ab ijs excuſabit ignorantia, etiam craſſa, modò non ſit ingens temeritas. quod item aduertit *Bonacina p.* 3. *num.* 1. addens *q.* 2. *p.* 9. *§.* 5. *diffic.* 1. *num.* 4. nomine officiorum, quorum priuatio Regularibus aliquando imponitur, intelligi quælibet officia, quæ in Religione officia appellantur; quale eſt officium Oeconomi, Cellerarij, Oſtiarij, Concionatoris, Lectoris Theologiæ, & Confeſſarij, nec improbabiliter.

Quòd ſi quæras, qualiter inter ſe differant *ingredi facere, aut permittere, & introducere, & admittere* in monaſteria, de quibus in motibus ſuperiùs allegatis.

62 ℞. Differre in eo, quòd per *ingredi facere*, aut *permittere*, intelligitur qualibet actio poſitiua (qualis eſt iubere, conſulere, intromittere) vel negatiua (qualis eſt non prohibere) per quam Prælatus ſit cauſa talis ingreſſus; quippequi ex officio tenetur impedire, & poteſt commodè prohibere (vt ſuppono) ſicque non prohibendo cenſetur cauſa indirecta ingreſſus: *per admittere* verò ſignificatur quęcumque cooperatio directa, aut indirecta ad ingreſſum: quare, ſi nõ ſpectet ad Religioſum ex officio impedire, aut admittere fœminas intrà monaſterium (quod eſt munus Prælati monaſterij, aut ianitoris) non peccat contrà clauſuram, ſi cùm poſſit, non obſtat, vel non reſiſtit ingredienti; cùm ſic nec directè, nec indirectè cooperetur ingreſſui: ſecùs, ſi inuitaret, aut aliquo modo poſitiuo faceret ingredi aliquam mulierem ſine licentia; ſic enim directè admitteret; ſicut etiam peccaret is, cui ex officio incumberet impedire, & cùm poſſet, non impediret; nam ſic indirectè cooperaretur admiſſioni. Colligitur ex *Sanchez ſup. c.* 16. *n.* 87. & 93. *Suar. D.* 22. *de cenſuris ſect.* 6. *n.* 14. *Portello ſup. n.* 2.

QVÆRES XXI. An ad incurrendas pęnas latas in motibus ſuprà dictis requiratur ſententia Iudicis.

63 ℞. Non requiri quidem ad incurrendas cenſuras excommunicationis, ac ſuſpenſionis à diuinis, cùm hę incurrantur ante omnem ſententiam; (vt cõſtat ex verbis, quibus eę proferuntur) requiri tamen ad incurrendas alias pęnas priuationis officiorum, beneficiorum, dignitatum, & inhabilitatis ad illa, ac proinde non teneri Religioſos admittentes fęminas intra clauſuram in foro conſcientiæ non vti ſuis officijs, & alia non admittere, niſi poſt ſententiam declaratiuam delicti, ita vt verba illa, quæ extant in citatis motibus *abſq; alia declaratione* intelligi debeãt de declaratione pęnę. ita *Sua. to.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 7. *n.* 10. *Sanch. ſup. c.* 17. *n.* 38. & alij patetque, quia hæ pęnę ſunt rigidiores, ideoque non videtur vſu receptum, vt incurrantur abſque ſententia Iudicis.

QVÆ-

QVÆRES XXII. An præfatam excommunicationem incurrant mulieres, ſi Religioſorum monaſteria intrent, quo tempore nullus Religioſorum ibi reperitur.

64 ℞. Incurrere: & probatur, quia adhuc verè faciunt contrà prohibitionem ipſis factam, ne intrent monaſteria Religioſorum, & per accidens eſt, quod finis dictæ prohibitionis tunc temporis ceſſet (nimirùm vt ex præfato ingreſſu nulla ſubſit occaſio delinquendi) nam lex repetit ea, quæ ſunt per ſe, non autem, quæ ſunt per accidens. ita *Bonacina ſup.p.2. num.7.* & alij: quamquam poſſet quis alligare in contrarium doctrinam *Diana p.5. tract. 14. reſol. 96.* quòd ceſſante fine legis in particulari, ceſſet lex; ſicque excuſari mulieres in caſu propoſito ingredientes, tum à peccato, tum ab excommunicatione; & fortè non omninò improbabiliter.

Quòd ſi hac occaſione obiter quæras, an hoc ipſo quòd Regulares deſinant habitare in aliquo monaſterio, ceſſet obligatio Clauſuræ.

65 ℞. Ceſſare, ſi deſinant habitare in perpetuum, animo non ampliùs illud inhabitandi: ſecùs ſi ſolùm ad tempus (v. gr. tempore peſtis, aut belli) moueor. quod in priori caſu omninò ceſſat finis clauſuræ (vt facilè conſideranti conſtabit) ceſſante autem fine legis, ceſſat lex: in poſteriori verò caſu non ceſſat finis legis, niſi per accidens; ſicque procedit doctrina *§. precedenti* tradita.

QVÆRES XXIII. Quis poſſit abſoluere ab excommunicatione, & ſuſpenſione latis in motibus Pii V. & Gregorij XIII. ſuperiùs explicatis.

66 ℞. Quod, cùm excommunicatio ſit reſeruata Papæ, ab ea poſſunt abſoluere ſolus Papa, & ij, qui habent priuilegium abſoluendi à reſeruatis Papæ; quamquam *Filliucius tract. 15. n. 19.* dicat, ſi ingreſſus ſit ad malum finem, incurri excommunicationem ita reſeruatam, vt ab ea abſoluere non poſſint priuilegiati, imò nec Pœnitentiarij S. Petri in Vrbe, loquendo de Regularibus fœminas modo dicto introducentibus in ſua monaſteria, talemque eſſe vſum Sacræ Pœnitentiariæ; quod negat *Sanchez l.6. mor. cap. 15. num. 76.* cum *Rodriquez*. Quod verò ſpectat ad ſuſpenſionem; cùm Pius V. qui illam tulit, ipſam non reſeruauerit, omnes ab ea poſſunt abſoluere. Quod denique attinet ad alias pœnas contentas in præfatis motibus, docet *Sanch. nu. 77.* ſuper ijs diſpenſare Prælatos regulares cum Religioſis ſubditis, & nos etiam oſtendemus in *tract. de gubern. cap. 3. ſect. 4. q. 19.*

Notat autem *Theſaurus p. 2. praxis v. clauſura c. 3.* iuxtà communiorem Doctorum ſenſum præfatam inhabilitatem ad officia, ac dignitates Ordinis incurri ante ſententiam delicti declaratoriam: additque Sacram Pœnitentiariam, quando concedit abſolutionem, aut diſpenſationem ſuper hoc delicto, ſi delictum fuit ad malum finem contra Caſtitatem ſolere decernere, vt Religioſi remaneant priuati officijs, ac dignitatibus, & inhabiles in futurùm ad ſimilia; ſicque ſolùm intendere diſpenſare ſuper irregularitate, ſi celebrarunt in dictis cenſuris.

CAPVT VII.

De obligatione Regularium, quo ad deferendum Habitum regularem, ac religioſam Tonſuram.

IN hoc cap. agendum nobis eſt de obligatione Regularium, quo ad geſtandum Habitum Religionis, ac deferendam Tonſuram: quæ duo ſunt ita propria viri Religioſi, vt in ijs conſiſtere videatur totum eſſe externum religioſum: quamuis aliàs dici ſoleat, approbante ipſo *Concilio Trid. ſeſſ. 14. c. 6. Habitus non facit Monachum.*

Et quidem cùm hæc obligatio non ſit vna ſed duplex, vtpote verſans circa diuerſa; ideo caput diuidemus in duas ſectiones, in quarum prima agemus de obligatione deferendi Habitum regularem, in ſecunda de obligatione geſtandi religioſam Tonſuram.

SECTIO I.

De Obligatione Regularium, quo ad deferendum Habitum regularem.

1 *DElatio Habitus regularis eſt de iure quaſi naturali, & de iure poſitiuo.*
2 *Triplex eſt habitus regularis: at hic agitur de habitu Profeſſorum.*
3 *Explicatur, quid importet obligatio deferendi Habitum regularem.*
4 *Dimiſſio Habitus regularis ex genere ſuo eſt mortalis.*
5 *At in hoc datur materiæ paruitas, & aſſignatur; etſi dimiſſio Habitus breuiſſima in aliquo caſu poſſit eſſe mortalis.*
6 *Hæc dimiſſio vetita ſub excommunicatione, ſi adſint 4. conditiones.*
7 *At hanc non incurrit dimittens ad longum tempus, ſi breui reſumat habitum.*
8 *Hæc obligatio non videtur afficere Religioſos Societ. Ieſu. quod alij negant.*
9 *Societas enim non habet habitum, qui ſit proprius illius.*
10 *Peccabunt tamen aliunde Religioſi Societatis, ſi abſque cauſa dimittant Habitum religioſum, at nullam incurrent pœnam.*

Obli-

11 Obligatio hæc afficit Religioſos Ordinum Militarium; etſi modo ſufficiat eos deferre Crucem, ſeu numiſma ſui Ordinis.

12 Non ligat Religioſos in omni loco, & pro omni tempore.

13 Excommunicantur dimittentes Habitum cum animo eum reſumendi.

14 Nec ad hoc eſt opus, vt dimiſſo Habitu, eant auditum leges, aut medicinam ſine debita licentia.

15 At requiritur, vt dimiſſio ſit temeraria.

16 Non excommunicantur dimittentes ad breue tempus, licèt ad malum finem.

17 Breue tempus reputari poteſt hora vna; longum vero duæ, aut tres horæ.

18 Ad incurrendam excommunicationem requiritur vt dimiſſo proprio Habitu aſſumatur alienus: quod alij negant.

19 Ea incurritur, ſi dimittens maneat intra Conuentum, & nulli ſe viſendum præbeat.

20 Etſi fortè oppoſitum ſuſtineri poſſet non improbabiliter.

21 Non excommunicatur Religioſus, qui retinens habitum Ordinis eum omninò occultat; etſi alij probabilius diſſentiant.

22 Secùs, ſi proprium habitum retinens illum occultet, alieno habitu aſſumpto.

23 Excommunicatur, qui dimiſſo proprio habitu, aſſumit habitum alterius Ordinis.

24 Non item ſi alterius Ordinis habitu aſſumpto, ad illum tranſeatur illegitimè.

25 Idque procedit, etſi Religioſus inductus veſte laica tranſeat.

26 Non excommunicatur, qui proprio habitu dimiſſo aſſumit habitum alterius Ordinis ad tempus ei inſeruiturus in aliquo munere, ac obſequio.

27 Etſi de rigore iuris is non teneatur aſſumere habitum Ordinis ad cuius obſequium tranſit, licèt ſupponatur iuſtè poſſe dimittere proprium habitum.

28 Excommunicatur, qui dimiſſo proprio habitu, aſſumit Habitum Nouitiorum eiuſdem ſui Ordinis diuerſum.

29 Non item, qui commiſſo aliquo delicto, habitum dimittit, ne cognitus patiatur, & puniatur.

30 Nec qui grauatus à proprio Prælato vult recurrere ad Prælatum Superiorem, & dimittit habitum, ne agnitus prohibeatur recurrere.

31 Nec qui perpetuò carceri addictus fugit, dimiſſo habitu, ne impediatur.

32 Nec qui dimittit, ne agnoſcatur deprehenſus in delicto, quod eſt commiſſurus.

33 Nec qui noctè ex cauſa exiturus è monaſterio dimittit ad vitandum ſcandalum.

34 Nec qui peragraturus loca Infidelium dimittit ad ſeruandam vitam.

35 Religioſi Societatis Ieſu facilius dimittere poſſunt habitum religioſum.

36 Non incurrit promotus ad Epiſcopatum excommunicationem, ſi dimittat habitum ſui Ordinis, etſi peccet; idque etiam attento iure communi antiquo.

37 At iure nouo poteſt mutare habitum quo ad formam, retento colore, imo & omninò dimittere aſſumpto habitu Clericali, ſi ſit Canonicus regularis.

38 Dicta procedunt de Religioſo facto Cardinali, &c.

39 Non item de Religioſo promoto ad quamcumque parochiam.

40 Religioſus legitimè eiectus non excommunicatur, ſi dimittat habitum.

41 Hæc excommunicatio nemini reſeruatur.

42 Super delatione habitus religioſi ſolus Papa diſpenſat in perpetuum: Prælatus verò regularis ſolum ad tempus.

43 Et iſta diſpenſatio non petit cauſam adeo ingentem, ac extraordinariam.

44 Regulares ab ordinario loci nequeunt puniri ob ſolam dimiſſionem habitus.

QVÆRES I. Quo iure inducta ſit òbligatio deferendi Habitum regularem.

1 ℞. Inductam fuiſſe tum iure quaſi naturali ſuppoſito tali voto, & ſtatu, ac inſtitutione, & fine talis Habitus; tum iure poſitiuo, quod non tam fundatur in Regula religioſa, quam ſupponitur (cùm proportione tamen) ad omnem regulam, & eſt velut generale quoddam ius Status religioſi, vt vnuſquiſque in ſua vocatione, & conſequenter in proprio Habitu ſuæ vocationis perſeueret: quo modo tale ius, quatenùs extenditur vltrà id, quod eſt merè naturale, poteſt dici non ſcriptum, ideſt communi ſenſu, ac traditione receptum: quamquam poſſet etiam dici ius commune canonicum, quatenùs confirmatum fuit authoritate Pontificum, & Conciliorum generalium, præſertim in *cap. vt periculoſa ne Clerici, vel Monachi in 6.* vbi dicitur *Diſtinctius inhibemus ne de cætero aliquis quamcumque religionem tacitè, vel expreſsè profeſſus in ſcholis, vel alibi temerè habitum Religionis ſuæ dimittat, nec accedat ad quæuis ſtudia literarum, niſi à ſuo Prælato cum conſilio ſui conuentus, vel maioris partis eiuſdem ſibi eundi ad ſtudia licentia primitus ſit conceſſa; ſi quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo factò.* ita *Suarez to.4. de relig. tract.8. l.1. cap.5. num.5. & 6.* pateṫque ex dictis, ſi probetur illam obligationem inductam fuiſſe, etiam iure quaſi naturali: probatur autem, quia habitus regularis datur non ſolum ad vſum humanum, ſed tanquam inſigne propriæ profeſſionis; at hoc ipſo quòd quis aſſumit aliquod munus, aut ſtatum cum perpetua obligatione ſuſtinendi illa conſequenter obligatur ad non deponendum proprium ſignum publicè inſtitutum, & datum ad indicandam talem profeſſionem: cùm depoſitio præfati ſigni ſit virtualis quædam defectio ab illa obligatione, vt patet.

Quòd ſi quæras, quid intelligatur nomine habitus regularis.

2 Quòd cùm in iure canonico habitus Religioſorum triplex aſſignetur, teſte *Gloſſa* communiter approbata *cap.1.27.q.1.v. apparuerint*; nimirùm probationis, qui datur Nouitijs, de quo in *cap. ex tranſmiſſo de renuntiat. & cap. ſtatuimus de Regul.* habitus conuerſionis, quo vtuntur ij Religioſi, qui vulgò appellantur Conuerſi, de quo in *cap. conſuluit qui Clerici, vel vouen.* & in *cap. ſuper eo de Regul.* & habitus profeſſionis, qui eſt proprius Profeſſorum, & iuxtà iura antiqua dicebatur habitus Religionis: quippequi olim dabatur ſolis Profeſſis (vtentibus Noui-

tijs

tijs pro toto tempore probationis habitu vulgari pruuno;) quo modo in iure canonico antiquo idem erat ſuſceptio habitus religioſi, ac profeſſio religionis. Cùm ergò triplex aſſignari poſſit Habitus religioſus; hic nomine habitus regularis intelligitur ſolum habitus profeſſionis, qui ſcilicet proprius eſt Profeſſorum. quod eſt adeò verum, vt Doctores communiter tradant cum *Sanchez l. 6. mor. cap. 8. num. 53.* Profeſſum induentem habitum Nouitiorum ſui Ordinis differentem ab habitu Profeſſorum (ſicut verè eſt differens in aliquibus Ordinibus) dimiſſo habitu Profeſſorum, eſſe tranſgreſſorem huius obligationis; ſed de hoc infra.

QVÆRES II. Quid importet obligatio deferendi habitum regularem.

3 ℞. Quòd cùm habitus regularis dimiſſio in iure ſit prohibita ad ſubtrahendam Religioſis anſam vagandi, vt conſtat ex *cap. 2. vt periculoſa* ſupracitato; conſequenter obligatio deferendi habitum regularem importat hoc, quòd Religioſus non deponat vnquam habitum Ordinis ſine iuſta cauſa, & animo ſe ſic occultandi, vt cognoſci non poſſit, hinc ſumens occaſionem liberiùs vagandi; quod eſſet temerè habitum dimittere iuxta verba illa *capitis 2.* ſuprà citati temerarius violator extiterit. Vnde fit Religioſum, qui habitum dimittit, vt illum purget, aut accommodet ad dormiendum, quieſcendum, ludendum, ſaltandum, imò & liberiùs fornicandum, non cenſeri tranſgreſſorem huius obligationis; cùm ſic non dicatur dimittere habitum ad ſe occultandum, aut liberiùs vagandum, vt communiter tradunt Doctores, *Sanch. de apoſtaſ. cap. 1. num. 6. & 7. Bonac. q. 2. de clauſ. p. 2. num. 3. & Sanch. ſup. num. 41.* qui benè monet ex *Suarez* ad excuſandum à culpa habitus dimiſſionem non requiri cauſam omninò iuſtam, & ſufficientem, ſed ſatis eſſe, vt cauſa ſit apparens, nec omninò excuſans à culpa ob ignorantiam culpabilem, aut imprudentem timorem; cùm ſic dimiſſio habitus ſit mala, ſed non temeraria, vtpote procedens ex cauſa apparenti.

QVÆRES III. An dimiſſio; ſeu mutatio habitus regularis ſit ſemper peccatum mortale.

4 ℞. Eſſe, niſi materiæ paruitas excuſet; ſiue hæc ſit ex parte temporis, ſiue ex parte habitus, qui mutetur; & hoc licèt in dicta dimiſſione non adſit vlla inordinatio ex contemptu. Ratio reſponſionis eſt, quòd dimiſſio habitus regularis dicit materiam ex genere ſuo grauem, & eſt ſtrictè prohibita non ſolum in dicto *cap. 2.* ſed etiam in alijs locis Sacrorum Canonum, & communis traditio, & conſenſus declarat illam eſſe rigoroſam, & potiſſimam legem prohibentem; ſicque vt eius violatio ſit mortalis, non requiritur formalis contemptus (vt intendit *Caietanus 2. 2. q. 53. a. 3.* dicens per temerariam dimiſſionem intelligi hic inordinationem ex contemptu, & ſpeciem præcipitationis addentem contemptum) ſed ſufficit virtualis contemptus, incluſus in libera voluntate faciendi actum legi contrarium, id eſt dimittendi habitum temerè; cùm teſte *Syluestro v. excommunicatio 9. nu. 51.* temerè dicatur dimitti habitus eo ipſo quòd dimittitur abſque cauſa rationabili.

5 Dixi, *niſi materiæ paruitas excuſet*; nam certum eſt dimiſſionem habitus regularis poſſe interdum eſſe ſolùm peccatum veniale ex parte materiæ; ſiue hæc attendatur ex parte temporis; vt ſi quis dimittat habitum ſtatim reſumendum, & ea intentione exuat; quo pacto parum pro nihilo in moralibus reputatur, & arg. *l. diuortium ff. de diuortijs* non dicitur quis ſimpliciter aſſumere habitum ſæcularem, eo quod illum ad breue tempus induat: ſiue leuitas materiæ attendatur ex parte ipſius habitus, quatenùs eius pars tantùm dimittitur; quamquam in hoc præcipuè obſeruandum eſt, ne habitus regularis ita ex parte minuatur, vt ex reliquo dignoſci non poſſit, an talis perſona ſit religioſa, nec ne: aliàs talis materia eſſet ſemper ſufficiens ad mortale; cùm in ea conſummetur tranſgreſſio legis & quò ad materiam, & quo ad finem illius. ita *Suarez ſup. num. 9. & 11.* addens *num. 9.* ex *Nauarro, & Roſella* dari poſſe caſum, in quo mutatio habitus regularis importet materiam grauem, et ſi fiat pro breuiſſimo tempore: nimirùm ſi mutatio fiat dolosè ad vtendum ſeriò habitu ſæculari, & ad effectum vt mutans reputetur ſæcularis; ſic enim materia illa habet intrinſecam malitiam ſtatui religioſo repugnantem: quare, vt dicta mutatio ſit leuis opus eſt, vt etiam ex intentione minuatur; vt ſi quis ad breue tempus habitum mutet, non vt ſeriò vtatur illo, aut incedat vt ſæcularis, ſed ludi cauſa ad repræſentandum &c. ſed de hoc infrà *q. ſequenti §. quòd ſi quæras.*

QVÆRES IV. Sub qua pœna Regulares prohibeantur dimittere habitum ſuæ religionis.

6 ℞. Prohiberi ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ſed non reſeruatæ; ſi concurrant 4. conditiones; nimirùm vt dimiſſio habitus fiat à Religioſo profeſſo in ſcholis, vel alibi: vt habitus, qui dimittitur, ſit habitus proprij Ordinis; vt dimiſſio ſit temeraria: vt ea ſit talis, quæ attentis circumſtantijs concurrentibus, apta ſit ad periculosè vagandum. ita *Sanchez num. 38.* alijque communiter, & patet ex *c. 2. vt periculoſa, ne Clerici, vel Monachi in 6.* relato *ſup. q. 1.* in quo hæc habentur. *Si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam ipſo facto.* Vbi noto ex *Caietano 2. 2. q. 53. a. 3.* colligi hanc cenſuram non incurri, niſi in dimiſſione habitus interueniat contemptus; cùm dimiſſio vi iuris adducti eſſe debeat temeraria, & temeritas importet inordinationem ex contemptu: quo modo cenſet *Caietanus* interpretandos eſſe Canones imponentes pœnas contra temerè delinquentes quod non omninò reprobat *Suarez num. 8.* imò videtur admittere, licèt ſub aliquo dubio, cùm dicat, licèt temeraria dimiſſio in illo rigore explicata à *Caietano* neceſſaria fortè ſit ad incurrendam cenſuram in dicto *cap. 2.*

Quòd ſi quæras, an Religioſus dimittens habitum animo diutiùs permanendi in tali dimiſſione incurrat hanc cenſuram ſtatim, etſi paulò poſt pœnitentia ductus, & mutata voluntate reſumat habitum.

7 ℞. Videri non incurrere; & probatur, quia quoties actio ex malitia externa non eſt grauis, ac mor-

mortalis, ſed ſolùm eſt talis per ordinem ad prauã intentionem agentis, non ſubiacet cenſuræ, quæ fortè lata eſt contrà talem actionem, vt fusè proba: *Sanchez l.2.mor. c.8. n.7.* & patet in percutiente clericum puerum percuſſione non mortali ex ſola actione externa, qui vtique non incurrit excommunicationem, etſi in percuſſione habuerit animũ occidendi illum; ſimile autem quid euenit in caſu noſtro; ſicque dimittens habitum non ſtatim incurrit hanc cenſuram (quouis prauo animo affectus ſit) ſed ſolùm, quando dimiſſio habitus eò peruenit, vt cenſeatur exteriùs grauis, ac ſufficiens ad mortale: ſicut percutiens Clericum in allato exemplo, tunc demum manet excommunicatus, quando perſiſtens in percuſſione eò peruenit, vt illa cenſeatur ſufficiens ad peccatum m. externum. ita *Sanch. l.6.mor. c.8. n.54.* ex *Sayro, Bonacina ſup.n.20.* & alij contrà *Suarez ſup. n. 31.* alioſque exiſtimantes cenſuram hanc incurri in puncto dimiſſionis; idque ob rationem allatam q. 3. quæ opinio etſi ſit probabilis, ac tutior, oppoſita tamen, quæ eſt noſtra, videtur probabilior.

QVÆRES V. An obligatio deferendi habitum religioſum afficiat omnes Religioſos, etiam Ordinum Militarium, ita vt, ſi hi illum dimittant ſine iuſta cauſa, eò ipsò incurrant excommunicationem.

8 ℟. Quod, quamuis *caput* 2. relatum q. 1. generaliter loquatur, cùm dicat, *ne de cætero aliquis quãcumque Religionem tacitè, vel expreſsè profeſſus*, & lex generaliter loquens, generaliter debeat intelligi; ideoque dictum *caput* 2. videatur comprehendere Religioſos omnium omninò Ordinum, & conſequenter etiam inſtitutorum poſt editionem dicti capitis; cùm lex generalis, & perpetua reſpiciat, & obliget non ſolùm tunc natos, ſed etiam naſcituros, quippe quæ eſt perpetua, ac proinde ſemper loquitur, & ſemper afficit: cùm tamen præfatum *caput* 2. loquatur de Profeſſis dimittentibus habitum ſuæ religionis, quaſi ſupponens religionem illam habere peculiarẽ habitum, per quem à reliquis diſcernatur; & Societas Ieſu non habeat proprium habitum, ſed vtatur habitu communi accommodato vſui patriæ, in qua exiſtit, vt conſtat ex eius *Conſtitutionibus p. 6. cap.2. §.15.* per conſequens Religioſi Societatis non videntur ſubijci dictæ cenſuræ, ſi dimiſſo habitu religioſo ſine iuſta cauſa induant ſæcularem; (quidquid ſit de peccato, quod committunt in tali dimiſſione) adeòque in *cap. illo* 2. non comprehenduntur omnes omninò Religioſi; cùm Profeſſi Societatis ſint verò Religioſi, & tamen in eo non comprehendantur. ita *Sanch.* in terminis *n. 70.* aliique docti viri è Societate contrà *Bonacinam ſup.num.24.* oppoſitum ſuſtinentem ex eo, quòd Religioſi Societatis, ſicut ratione ſtatus religioſi gaudent priuilegijs Regularium, ſic debent ſubiacere oneribus eorundem; quaſi verò non poſſit quis frui commodis alicuius communitatis, etſi non ſentiat omnia onera illius. præterquãquòd Religioſi Societatis ſubſunt alijs multis oneribus ſtatus religioſi, vt votis ſubſtantialibus Religionis, obſeruantiæ ſuæ Regulæ, &c. Ratio noſtræ reſponſionis eſt, quòd in pœnis non eſt facienda extenſio, neque ob identitatẽ, neq; ob maioritatẽ rationis; ideòque lex pœnalis debet explicari iuxtà proprietatem verborum, quibus exprimitur, illam non extendendo à caſu expreſſo ad non expreſſum: hinc, cùm in *caput* 2. citato excommunicatio feratur cõtrà temerè dimittentes habitum ſuæ Religionis, & ea, ſeruata verborum proprietate, non poſſit extendi ad dimittentes habitum, qui non ſit ſuæ Religionis; ſequitur illam non extendi ad Religioſos Societatis, vtpote non habentes peculiarem habitum, qui dici poſſit ſuæ Religionis.

9 Nec obſtat, quod ait *Bonacina* Societatem Ieſu in genere quidem non habere peculiarem habitum, habere tamen in ſingulis regionibus; ideoq; ſi Religioſi illius habitum temerè dimittant, ſubijci cenſuræ latæ contrà dimittentes habitum religioſum: nõ obſtat, inquam, cùm adhuc verificetur habitum, qui defertur à Religioſis Societatis in hac, vel illa regione, non eſſe habitum Religionis ſuæ; quippequi non eſt communis toti Societati; ſicque ſtando in proprietate verborum, non poteſt dici, quòd Religioſi illius dimittant habitum Religionis ſuæ: cùm aliàs ad incurrendam hanc cenſuram requiratur dimiſſio habitus Religionis ſuæ, & aliàs lex pœnalis debeat explicari iuxtà rigoroſam proprietatem verborum.

10 Dixi in reſponſione *quidquid ſit de peccato, quod committunt in dimiſſione habitus*, vt indicarem, quòd, licèt Religioſus Societatis dimittens habitum non incurrat dictam cenſuram; non ideò eſt immunis à peccato, & conſequenter peccat mortaliter, non quidem contrà prohibitionem, quæ continetur in *cap.2.* citato (ſub qua iam dixi Religioſos Societatis non comprehendi) ſed contrà ius quaſi naturale, & ius generale ſtatus religioſi iuxtà dicta qu. 1. obligans Religioſos, vt perſiſtant in ſua vocatione, & conſequenter in habitu ſuæ vocationis; quod ius cùm ſit de re graui, ſine culpa graui nequit violari.

11 Quòd autem obligatio deferendi habitum religioſum afficiat etiam Religioſos Ordinum Militarium, ita vt, ſi illum dimittant, ſubſint excommunicationi latæ in *cap.2.* ſæpiùs allegato; docet in terminis *Rodriq. tom.2.q.76.a.2.* & patet, quia illi ſunt verè Religioſi, & habent proprium habitum ſuæ Religionis; ſicque non eſt ratio, cur eximantur à communi pœna lata contra Religioſos non deferẽtes habitum ſuæ Religionis. Quamquam Sixtus V. anno 1588. in bulla *Cùm ſacroſanctam Dei Eccleſiam* in ordine 92. inter bullas Sixti declarans, quem habitum debeant portare Religioſi ordinum Militarium, indulgeat, vt poſſint vti veſtibus communibus cum inſignijs tamen Crucis, aut numiſmatis ſuæ Militiæ proprijs. Vnde fit ad euitandam hanc cenſuram ſufficere, quod Religioſi Ordinum militarium deferant Crucem, aut numiſma proprium ſuæ militiæ; quaſi in alterutro horum conſiſtat formalis habitus talium Religioſorum; non autem in veſtibus, quas tenentur deferre ſolùm in certis caſibus, ac locis: intellige, niſi obſtet vſus in contrarium communiter inter ipſos receptus, cui vtique ſtari poteſt, & debet. Puto autem doctrinam *Rodriquez* procedere de Religioſis quorumcumq;

Ordi-

Ordinum Militarium, & non ſolùm de ijs, qui emittunt ſimpliciter 3. vota ſubſtantialia Religionis, non minùs, quàm Religioſi clauſtrales, quales ſunt Equites S. Io: Ieroſolymitani.

QVÆRES VI. An regulares ita aſtringantur obligatione deferendi habitum religioſum, vt illum ſemper & vbique deferre debeant.

12 ℞. Non aſtringi, adeoque Regulares poſſe, etiam ſine peccato, ſaltem mortali, pro breui tempore deponere habitum, etiam in caſibus non neceſſarijs: idque non obſtante *cap. vidua* 20. *q.* 1. *& cap. ſanctimonialis d.* 23. in quibus videtur præcipi Religioſis, vt in omni loco, & quouis tempore habitum religioſum deferant, etiam in lecto; nam hęc iura loquuntur ſolùm de debito honeſtatis, ac decentiæ, non autem de debito rigoroſi præcepti, ea communi vſu, ac conſuetudine ſic interpretante. ita *Sanchez ſup. num.* 49. *Suarez num.* 18. *Bonac. nu.* 3. alijque penes ipſos, & probatur, quia *cap.* 2. non excommunicantur Religioſi habitu ſe ſpoliantes, ſed Religioſi illum temerè dimittentes. Nobiſcum ſentit *Lezana ſup. num.* 7. dicens Religioſos ſine habitu Religionis in lecto dormientes, ſi aliàs ſint induti tunica decenti, non peccare, niſi venialiter; imò nec venialiter, ſi iuſta de cauſa dormiant interiori tunica induti cum paruo habitu Religionis propriæ: ſic enim videtur vſu inductum, etiam inter Religioſos magis timoratos; quamquam meliùs ſit hac in re conſulere leges, ac conſuetudines vniuſcuiuſque Ordinis.

QVÆRES VII. An, vt incurratur iſta excommunicatio, requiratur, quod dimiſſio habitus ſit facta animo ampliùs eum non reſumendi.

13 ℞. Non requiri: & probatur, tum quia textus loquitur de dimiſſione habitus, quæ præbeat occaſionem vagandi; talem autem occaſionem præbere poteſt dimiſſio habitus facta ad tempus: tum quia in *cap.* 2. citato excommunicantur Religioſi dimittentes habitum in ſcholis, aut alibi; ſcholæ verò nō ſolent eſſe perpetuæ. ita *Bonacina nu.* 19. ex *Sanchez num.* 48. *Suarez D.* 23 *de cenſuris ſect.* 4. *n.* 30. *& Caiet. v. excommunicatio cap.* 61.

Quod ſi hìc obiter quæras, an ad incurrendam hanc excommunicationem præter 4. conditiones allatas qu. 4. opus ſit, vt dimittens habitum adeat auditum Phyſicam, aut Leges ſine licentia Superioris habita cū conſilio Cōuentus, vel maioris partis.

14 ℞. Non eſſe opus; quidquid aliqui tacito nomine relati ab *Anton. c. Deus qui nu.* 3. *de vita, & honeſt. cleric.* dicant ad contrahendam hanc cenſuram id omninò requiri; ea ducti ratione, quòd, cùm in *c.* 2. prohibeatur dimiſſio temeraria habitus, & aditus ad dicta ſtudia additur; *Si quis horum temerarius violator extiterit, excommunicationis incurrat ſententiam*; quare, cùm textus dicat in plurali *violator horū*, nec ſit violator horum, qui vnum tantùm ex dictis violat; videtur requiri violatio vtriuſque ad incurrendam hanc cenſuram. ita *Suarez ſup. n.* 26. *Sanch. n.* 39. *Bonac. num.* 30. alijque apud ipſos; & probatur, tum quia Doctores communiter indicant hanc fuiſſe mentem Papæ ferentis illam cenſuram, dum vtramque hanc excommunicationem referunt tanquam duplicem: tum quia ly *violator horum* debet ſumi diſiunctiuè, non collectiuè, vt explicat *Gloſſa eo c.* 2. *v. horum*: quo modo *Marci* 15. dicitur *qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei*, id eſt vnus latronum; & *Iacobi* 5. *Inducat præsbyteros Eccleſiæ*, id eſt vnum ex præsbyteris; & alibi in multis locis ſcripturæ ſacræ.

QVÆRES VIII. An, & qualiter ad incurrendam hanc excommunicationem requiratur, vt habitus dimiſſio ſit temeraria.

15 ℞. Ita requiri, vt [illegible] excommunicationem euitet, qui habitum dimittit, ſiue ex ignorantia culpabili, ſiue ex paſſione, ſiue ex animi leuitate cum aliqua apparenti ratione, aut excuſatione: in his enim caſibus non dicitur temerè dimitti habitus, vt diximus q. 3. & 4. probatque *Sanch. n.* 40. maximè ex eo, quòd in *cap.* 2. vbi fertur iſta cenſura, initio dicitur *temerè habitum dimittat*; & paulò inferiùs *ſi quis horum temerarius violator extiterit*; cùm alioqui repetitio eiuſdem verbi in eodem canone grande myſterium contineat, vt aduertit *Sanchez ſup. & n.* 10. quamuis *Nauarrus*, & alij apud *Sanctarellum ſup. n.* 2. ſuſtineant ſolam ignorantiam inculpabilem excuſare, ne Religioſus dimittens habitum ſubiaceat cenſuræ.

QVÆRES IX. An ſubiaceat huic excommunicationi dimiſſio habitus facta ex cauſa turpi (v. gr. ad fornicandum maiori cum voluptate) ſi dimiſſio fiat ad breue tempus, (vt ſpatio vnius horæ.)

16 ℞. Non ſubiacere; & probatur, tum quia ad incurrendam hanc cenſuram requiritur moralis dimiſſio habitus, nec ſufficit quæcumq; habitus ſpoliatio, vt dixi *qu.* 3. *&* 6. tum quia, etſi talis dimiſſio ſit grauis ratione malitiæ alterius ſpeciei ipſi annexæ, eſt tamen leuis in ratione dimiſſionis temerariæ, quæ ſola ſubijcitur huic cenſuræ, nec meretur, moraliter loquendo, nomen dimiſſionis, ſed potiùs ſpoliationis. ita *Sanchez n* 56. ex *Syluestro, Tabiena, Nauar. Azor. Paſſarello, Suar. Say. o, & Confeſſio*: qui *Sanch. n.* 57. ex *Suarez, Toleto, Sà, & Azorio* ſuſtinet idem dicendum eſſe in caſu, quo habitus dimittatur cauſa vagandi pro eo breui tempore (eundi v. g. ad lupanar) quod negant *Syluester, Tabiena, Nauar. Sayr.* & alij apud ipſum *Sanchez*, & quidem probabiliter illius iudicio.

17 Monet porrò *Bonacina n.* 21. quòd, licèt *Caietanus ſup. & Sayrus l.* 3. *de cenſur. c.* 33. *n.* 14. putent non affici hac cenſura Religioſum, qui ex leuitate habitū dimittit ad horam, vel etiam toto die; cùm tamen in præſenti caſu non habeatur ratio ad vnum diem (quo modo habetur in aſſignanda quantitate notabilis temporis ſufficienti ad peccandum mortaliter ob opus ſeruile in die feſto) ſed ſimpliciter ad dimiſſionem habitus notabilē; regulariter ſicut vna hora non ſufficit ad incurrendā hanc cenſurā, ſic duæ, vel tres horæ videntur conſtituere tempus notabile ſufficiens ad illam contrahendam: quod ſi admittatur, puto poſſe procedere tam in caſu, quo dimiſſio fiat ad malum finem, quàm quando fit ex leuitate; & hoc ob poſteriorem rationem adductam §. *præcedenti* in probatione reſponſionis.

QVÆRES X. An ad incurrendam hanc cenſuram neceſſaria ſit alterius habitus aſſumptio

vnà cum dimiſſione proprij.

28 ℞. Videri eſſe; & probatur tum quia etiam iuxtà *Suarez num.* 28. & alios à nobis in hoc diſſentientes habitus dimiſſio propriè non dicitur, niſi quando fit mutatio in alium habitum ad ſe occultandum, aut incedendum eo pacto; & alioqui verba textus *cap.* 2. vt pęnalis cum tota verborum proprietate debent interpretari: tum quia communiter, & morali modo loquendo non datur materia vagandi, dimiſſo proprio habitu, vel notabili eius parte, ſi alius non aſſumatur: non enim nudi, aut indecenter veſtiti ſolent homines vagari; & tamen ad ea, quæ ſunt rara, non ſolent leges adaptari *l. nam ad caſſ. de leg.* ita *Sanchez num.* 31. ex *Sylueſtro Nauar. Toleto, Bannez, Rodriq. Valen. Sà, Io. Andr. Franco, Roſella, Probo,* & alijs contrà *Suarez ſupra,* & *S. Antoninum p.* 3. *tit.* 24. *cap.* 53. *Bonacinam num.* 7. & alios.

QVÆRES XI. An contrahant hanc cenſuram Regulares, qui ſuæ religionis habitu dimiſſo, manent intrà clauſuram proprij monaſterij, nec ſe laicis viſendos vllo modo præbent.

19 ℞. Contrahere; quamuis non omninò improbabiliter *Angelus, Sayr. Tabiena, Probus, & Francus* apud *Sanctarellum num.* 18. oppoſitum ſuſtineant: quibus addo ego *Bonacinam num.* 12. aſſerentem ſolùm eſſe probabilius quòd Regulares in caſu propoſito incurrunt cenſuram; & alios tacito nomine relatos ab *Azorio p.* 1. *l.* 12. *cap.* 17. *q.* 15. putantes opinionem *Sayri,* & illorum aliorum procedere, ſiue Religioſus habitum dimittat in monaſterio, ſiue extra; modò perſonam ſuam occultet, ſeque aliorum aſpectui non obijciat. Noſtra autem reſponſio, quam tuentur *Sanchez num.* 17. & alij, probatur, tum quia *caput* 2. in quo fertur hæc cenſura, ſolum petit habitus dimiſſionem, & illa verba *In ſcholis, vel alibi,* quibus nituntur aduerſarij, ſunt generalia: & quamuis Religioſus modo dicto habitum dimittens actu non vagetur, ea tamen dimiſſio de ſe affert poteſtatem vagandi; quam poteſtatem *caput* 2. ſub pęna excommunicationis vetat.

20 Dixi, *quamuis non omninò improbabiliter &c.* vt innuerem, quod cùm in citato *cap.* 2. excommunicentur Religioſi dimittentes habitum in ſcholis, vel alibi; & ratio excommunicandi ſit, ne dimiſſio habitus afferat poteſtatem vagandi: hoc ipſo quòd talis ratio ceſſat in caſu propoſito, non eſt, cur dicamus Religioſum ſubijci excommunicationi, ſi dimiſſo habitu maneat domi occultus, & intendat ſe omninò ſubtrahere ab aſpectu laicorum: ab hac ſententia non prorſus abhorret *Sanch. ſup.* cùm ſolùm dicat oppoſitam ſibi plùs placere.

QVÆRES XII. An ſubijciatur huic excommunicationi Religioſus, qui retinens proprium habitum, illum ſine iuſta cauſa ſic occultat, vt exteriùs nullo modo appareat.

21 ℞. Videri probabile quòd non ſubijciatur: cùm lex pęnalis (qualis eſt hæc) non debeat extendi vltrà verborum proprietatem; & occultare omninò habitum non ſit idem, ac in rigore, & propriè illum dimittere: probabilius tamen eſt oppoſitum ob rationes inferiùs afferendas. ita *Sanch. ſup. n.* 63. *Rodriq. a.* 6. *Azor. c.* 13. *q.* 5. *Bonac. n.* 10. *Sanctarel. n.* 8. alijque plurimi apud ipſos contra *Suar. tom.* 4. *de relig. tr.* 8. *l.* 1. *c.* 5 *n.* 12. *Sayrum l.* 3. *de cenſur. c.* 23. *nu.* 9. & 10. alioſque apud *Sanch.* ſuſtinentes priorem partem noſtræ reſponſionis eſſe ſatis probabilem: Et quidem quòd ſit probabilius incurri excommunicationem in propoſito caſu probatur tum quia alioqui leges pęnales facile poſſent eludi; & aliàs interdum permittitur extenſio in pęnalibus, vt patet ex *cap. quam de vſur. in* 6. vbi conſtitutio pęnalis irritans teſtamentum vſurarij cōmuniter extenditur à Doctoribus ad codicillos, & ad donationem cauſa mortis; ne alioqui canon ille ad teſtamenta reſtrictus eludatur: tum quia *l. non dubium C. de leg.* qui ſolis verbis legis contentus eius mentem offendit, non euadit illius pęnas; at Religioſus habitum omninò operiens ſola verba canonis iubentis habitum geſtare amplectitur, & apertè eius mentem offendit, quæ eſt, vt Religioſus ex habitu cognitus vagari non poſſit; ergò ſubiacet pęnæ: tum denique quia quo ad effectum incurrendæ excommunicationis perinde ſe habet proprium habitum dimittere, ac illum ſic occultare, alium ſuperinduendo, vt non poſſit dimittens agnoſci tanquam Religioſus talis Ordinis; cùm ſic tegens, etſi non dimittat habitum materialiter, eum tamen dimittat moraliter, ideſt in ordine ad notitiam videntium; cùm aliàs talis modus dimiſſionis maximè prohibeatur ſub dicta excommunicatione; vt conſtat ex fine propoſito in *proæmio capitis* 2. toties hic allegati, vagandi occaſio Religioſis ſubtrahatur. Quamquam *Caiet. Armilla Nau. Rodr. Bannez. Azor.* & alij penes *Sanch. ſup.* hanc poſteriorem ſententiam doceat temperandam eſſe, vt intelligatur de Religioſo habitum proprium ita occultante, à circumſtantibus, vel prętereūtibus quantumuis proximè accedentibus nullo modo cognoſci poſſit, cuius Ordinis ſit; ſecùs ſi ita occultet, vt a familiaribus, aut domeſticis agnoſci poſſit, eſtò ab alijs minùs proximè accedentibus nullo modo cognoſci poſſit; cuius Ordinis ſit Religioſus, Secùs, ſi ita occultet, vt à familiaribus, aut domeſticis agnoſci poſſit; ſic enim habitum nec materialiter, nec moraliter cenſetur dimittere, ſed ſolùm ſecundùm quid.

Difficultas maior eſſe poſſet, an incurratur hæc cenſura, ſi Religioſus, dimiſſo habitu exteriori, retineat interiorem, hunc tamen occultet alio habitu aſſumpto.

22 ℞. Incurri; & probatur tum quia, teſte *Dominico c.* 2. *num.* 6. *ne Clerici, vel Monachi in* 6. hic non excommunicantur deponentes habitum interiorem, ſed exteriorem, per quem quis agnoſcitur eſſe Religioſus talis ordinis, & vitatur materia vagandi: tum quia eſtò detur per ſolam habitus occultationem non incurri hanc cenſuram, in præſenti tamen caſu eſt diuerſa ratio; cùm in eo non dimittatur habitus (quod requirit textus) ſed ſolùm occultetur; in hoc autem caſu, & dimittatur pars vna notabilis proprij habitus, & alia occultetur. ita *Bonac. ſup. n.* 8. *ex Suarez D.* 23. *de cenſur. ſect.* 4. *numer.* 28. *Filliuc. tract.* 14. *num.* 134. & alij, qui benè monent, quòd ſi ſola pars habitus dimittatur, & ex parte retenta adhuc poſſit agnoſci Religioſus ſui ordinis non incurretur cenſura iſta; modo per aliam veſtem aſſum-

aſſumptam pars retenta proprij habitus non ita oc cultetur, vt religioſus modo dicto agnoſci nequeat: ſic enim daretur dimiſſio habitus, ita vt impediret agnitionem Religioſi, ſicque incurreretur cenſura; cùm in priori caſu, quo adhuc agnoſci poteſt non adſit dimiſſio ſimpliciter, ſed ſolùm ſecundùm quid, nec inde ſequatur occaſio liberè vagandi, vt patet.

QVÆRES XIII. An incurrat hanc cenſuram Religioſus, qui dimiſſo habitu ſuæ religionis aſſumit habitum alterius Ordinis.

23 ℞. Incurrere; & probatur quia ex tali dimiſſione datur ſufficiens occaſio vagandi, quatenùs dimittens, etſi poſſit agnoſci Religioſus ratione habitus aſſumpti, facilè tamen poteſt euadere manus Iudicis probando ſe non eſſe Religioſum talis Ordinis, ſicque cogetur ſolùm deponere habitum aſſumptum, relicta ſibi occaſione, ac facultate vagandi per varias partes Orbis; quod tamen hìc prohibetur ſub pęna excommunicationis. ita *Rodriq. ſuprà Caietanus v. excommunicatio cap. 61. Bannez 2.2. q.12. a.1.* alijque apud *Sanctarellum num.* 14. inter quos *S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 53. Roſella v. excommunicatio 1. caſu. 16. nu. 5.* & alij notant id verum eſſe etſi Religioſus in caſu propoſito dimittat habitum ſui Ordinis, vt citiùs in alium admittatur; cum ſic vere detur occaſio vagandi, quamdiu non tranſit ad alium Ordinem.

Quod ſi in aliquo Ordine habitus Profeſſorum, & habitus Nouitiorum ſint idem, addito tamen aliquo ſigno ſecernente Nouitios à Profeſſis, & Religioſus profeſſus dimittat hoc ſuperadditum, putat *Sanch. ſup. numer.* 53. illum non ſubijci huic excommunicationi; cum ad hanc incurrendam ſupponat non ſufficere dimiſſionem proprij habitus abſque alterius aſſumptione, vt ipſe oſtendit *num.* 49. at diſſentit *Bonac. ſup.* ſi dimiſſo eo ſuperaddito ab externis cenſeatur non Profeſſus, ſed Nouitius; probatque ex eo quod ſic Religioſus dimittit habitum ſuæ Religionis, & anſam arripit vagandi; quæ requiruntur ad incurrendam hanc excommunicationem. ita *Bonacina* alioqui docens præfatam excommunicationem non incurri in caſu, quo Profeſſi, & Nouitij alicuius Ordinis vtantur eodem habitu, ſuperaddito ſolùm aliquo ſigno in veſtibus Nouitiorum illos diſtinguente à Profeſſis: & Profeſſus illud ſignum aſſumat: ſic enim Religioſus non dicitur dimittere habitum ſuæ religionis, ſed aliquid aliud aſſumere: & aliàs in pęnis mitior fieri debet interpretatio, in quo cenſet *Bonac.* conſentire illos Doctores, qui ſuſtinent Religioſum non dimittentem habitum ſui ordinis, ſed hunc tegentem alijs veſtibus, eſſe immunem ab hac excommunicatione.

Maius dubium eſt, an incurratur hæc excommunicatio, ſi depoſito habitu ſui ordinis, aſſumatur habitus alterius religionis, ad eum tranſeundo, non ſeruatis ſeruandis.

24 ℞. Non incurri: & probatur tum quia hic ea ſola dimiſſio habitus ſubijcitur cenſuræ, quæ attentis circumſtantijs, cenſetur periculoſa ad vagandum: at dimiſſio (de qua hìc) non eſt talis; vt inde patet, quòd tranſeundo ad alium Ordinem, eiuſque habitum aſſumendo non datur anſa vagandi: nec aſſumitur habitus extraneus ad vagandum; quare non tam cenſetur dimitti, quàm commutari habitus: tum quia in hoc caſu peccatur quidem contrà canones, eo modo tranſeundo ad alium Ordinem; at non ideò incurritur iſta cenſura, etſi incurratur alia excommunicatio iuxtà Religionum priuilegia ob indebitum tranſitum, vel, ſi tranſeat ex Ordine Mendicanti ad non Mendicantem, per extrauagantem *Viam de Regular.* ita *Sanchez num.* 68. ex *Sayro, Rodriquez, Azorio, Rebuffo, Leſſio, Bannez, Tabiena, Angelo,* & alij contrà *Suarez num.* 32. *Nauarrum cap.* 27. *nu.* 131. *Syluestrum v. excommunicatio* 9. *num.* 54. & alios cenſentes Religioſum in hoc caſu incurrere cenſuram iſtam, eò quòd in *cap. vt periculoſa* dicatur, *ne quis temerè habitum ſuæ Religionis dimittat*; ſuæ, inquam, non autem Religionis in communi: quæ ratio facilè ſolui poteſt aſſerendo in eo capite excommunicari Religioſum dimittentem habitum Religionis ſuæ, non ad quemcumque finem, ſed ad vagandum; quod non euenit in præſenti caſu. Quare puto ſententiam *Suarez* eſſe valdè probabilem in caſu, quo Religioſo diutiùs vagandum eſſet ad procurandum ingreſſum in alium Ordinem; cùm ſic dimiſſioni iuncta ſit anſa diutiùs vagandi.

25 Concedo quidem cum *Sanctarello ſup. numer.* 13. alijſque ab eo relatis Religioſum non incurrere hanc cenſuram, ſi dimiſſo habitu ſui Ordinis, indutus veſte laica tranſeat ad alium ordinem ſine debita licentia, illumque ſtatim ingrediatur: idque ob rationes §. *præcedenti* allatas, quæ facilè pręſenti caſui poſſunt adaptari.

QVÆRES XIV. An incurrat hanc excommunicationem Religioſus, qui, dimiſſo habitu proprio, alterius Ordinis habitum aſſumit ad tempus, & de licentia Prælati illius alterius Ordinis, ad effectum ei pro illo tempore exhibendi aliquod obſequium, (v. g. concionando, docendo, &c.)

26 ℞. Non incurrere, ſi grauis neceſſitas alterius Ordinis, & lex charitatis id ſuadeat, nec Religioſus obſequium illud commodè præſtare poſſit, retento habitu ſuæ Religionis; quod vix poteſt euenire. ita *Azorius ſup. cap.* 17. *q.* 14. & alij contrà *Bannez* 2.2. *q.* 12. *a.* 1. abſolutè docentem in præſenti caſu Religioſum non incurrere excommunicationem: & probatur, quia, concurrentibus dictis circumſtantijs, habitus dimiſſio non poteſt dici temeraria: quod tamen requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem: ſicut è contrà, ijs circumſtantijs ſeclußis, dimiſſio eſſet temeraria, cùm retentio proprij habitus præponderet ſubſidio illius neceſſitatis non adeò vrgentis, & incurritur excommunicatio.

27 Imò dato caſu, quòd in propoſito euentu Religioſus poſſet, dimiſſo proprio habitu, aſſumere habitum Ordinis, cui pro tunc inſeruiret; non video, cur iſte debeat aſtingi ad aſſumendū habitum illius alterius Ordinis, niſi ex quadam decentia: ſicque puto (niſi aliunde conſtaret id eſſe illicitum, v.g. ratione ſcandali) talem Religioſum non incurſurum iſtam excommunicationem, ſi indueret ha-

bitum clericalem, aut etiam laicalem, ſi Religioſus non eſſet ordinatus in ſacris, & obſequium, quod deberet præſtari, eſſet temporale) nullum enim extat ius, quo Religioſus loco proprij habitus, quem ex iuſta cauſa dimittit, teneatur aſſumere habitum alterius Ordinis, niſi ex decentia, vt iam dictum eſt.

QVÆRES XV. An incurrat hanc excommunicationem Religioſus, qui dimiſſo habitu Profeſſorum ſui Ordinis, aſſumit habitum Nouitiorum eiuſdem Ordinis.

28 ℞. Incurrere, ſi habitus Nouitiorum in eo Ordine ſit diſtinctus ab habitu Profeſſorum. ita *Sanctarellus ſup. num. 20. Sanchez num. 64. Bonac. n. 10.* alijq; communiter, & probatur, tum quia in *cap. vt periculoſa* excommunicantur Religioſi profeſſi deponentes habitum Religionis ſuæ, & alium aſſumentes: in hoc autem caſu Religioſus profeſſus deponit habitum Religionis ſuæ, & aſſumit habitum, qui non eſt Religionis ſuæ, ſed Nouitiorum, qui nõ ſunt Religioſi; ergò: tum quia in citato *cap. vt periculoſa* prohibetur Religioſis dimiſſio habitus Religionis, ne iis detur poteſtas liberè vagandi, qualem habent de facto Nouitij; quippe qui inuiti retineri non poſſunt in Religione, etſi alias cogi poſſint ad deponendum habitum Nouitiorum; ergò Profeſſi prohibiti ſunt dimittere habitum Profeſſorum, & aſſumere habitum Nouitiorum; alias ipſis daretur occaſio liberè vagandi.

QVÆRES XVI. An contrahatur hæc excõmunicatio in caſu, quo Religioſus, commiſſo aliquo delicto, occultat habitũ regulatẽ, ne a proprio Prælato capiatur, & debito ſupplicio puniatur.

29 ℞. *Sanctarellus n. 4.* non contrahi, probatq; tum ſoluendo rationes, quæ ab aliquibus afferuntur in contrarium; tum ex eo, quòd detentus iuſto carcere non poteſt fugere, licet inueniat oſtium carceris apertum: tum quia Prælatus iuſtè procedit contrà talem Religioſum, cùm Superiores *l. ſi ita vulneratus ff. ad leg. Aquil.* teneantur animaduertere aduerſus improbos, ne delicta maneant impunita ſicque non poteſt Religioſus, qui deliquit, dimittere habitum ad euadendum ſupplicium; cùm talis defenſio ſit illicita, ac iniuſta defenſio reprobetur *l. milites 13. de re milit.* Hæ quippe rationes non multum vrgent: non prior, cum longè probabilius ſit iuſtè detentum in carcere poſſe fugere, vt docent non pauci cum *S. Thoma 2. 2. q. 69. a. 4. Soto l. 5. de iuſt. q. 6. a. 4. ſub initium, & Leſſio l. 2. c. 31. n. 31.* & quidem etſi detentus ſit Religioſus, vt oſtendemus *in tra. de priuil. cap. vlt. ſect. 3. q. 5. n. 47.* non ratio poſterior, cùm nimis durum ſit cogere delinquentem, ne ſuæ indemnitati conſulat, quamuis reus alioqui teneatur patienter ferre pœnas inflictas. prætetquàmquòd in tali caſu dimiſſio habitus non videtur temeraria, ſaltem ea temeritate, quæ iuxtà dicta q. 4. requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem; cùm potiùs fiat ex iuſta cauſa, ſaltem ex ſuppoſitione, vt patet.

QVAERES XVII. An incurrat hanc excommunicationem Religioſus, qui videns ſe iniuſtè notabiliter grauari à Prælato locali, nec potens ſibi aliter conſulere, ſugit ad Prælatum ſuperiorem longè diſtantem, depoſito habitu ſuæ Religionis, ne aliàs agnoſcatur, & agnitus à cuſtodibus per ſuperiorem localem deputatis in via impediatur, quò minùs iter ſuum proſequatur, ſibique conſulat.

30 ℞. Non incurrere: & probatur, tum quia obligatio deferendi habitum religioſum eſt de iure humano, quod non obligat cum tanto damno: tum quia neceſſitas, quæ facit, vt Religioſus in iſto caſu licitè fugat ab immediato Superiore, facit etiam, vt licitè poſſit deponere habitum Religionis: tum quia talis dimiſſio non poteſt dici temeraria: tum quia concedunt Doctores cum *Sanchez l. 7. de matr. D. 37. num. 3.* reclamantem ob nullitatem profeſſionis, etſi dimiſerit habitum, antequàm audiatur, poſſe, ac debere audiri, quantumuis habitum dimiſerit, priuſquam audiatur: nam iuſtam dimittendi cauſam habuit: & hoc, non obſtante, quòd *Concilium Trid.* ſtatuerit, quòd ſi Religioſus, qui vult reclamare, dimiſerit habitum ſui Ordinis, non audiatur: eadem autem ratio militat in præſenti caſu. ita *Portellus de dub regul. v. habitus in addit. n. 3.* & cum eo *Diana p. 3. tr. 2. reſol. 115.*

QVÆRES XVIII. An afficiantur hac excommunicatione Religioſi, qui iuſta ſententia damnati carceri perpetuo, & exuti veſte religioſa è carcere fugiunt induti habitu ſæculari.

31 ℞. Non affici; cum ſic non dicantur dimittere habitum, vtpote qui illo iam iuſtè priuati ſunt, ſed pati priuationem illius; cùm alioqui iſta excommunicatio lata ſit contrà dimittentes habitum ſuę Religionis. ita *Bonacina ſup. n. 6. ex Sanchez n. 47. Rodriquez to. 2. q. 22. a. 6. & Nauarro comm. 4. de Regular. n. 64.*

QVÆRES XIX. An contrahat hanc excõmunicationem Religioſus, qui habitum dimittit, ne deprehenſus in delicto committendo agnoſcatur.

32 ℞. Non videri contrahere; maximè ſi habitus proprij dimiſſio, & alterius aſſumptio ſint ad tempus breue. ita *Sanchez num. 58.* contrà *S. Antoninum p. 3. tit. 16. c. 6. ſub initium, & Sylueſtrum v. habitus q. 2.* abſolutè aſſerentes Religioſum in iſto caſu non euadere excommunicationem: & probatur, tum quia dimiſſio iſta habitus non eſt temeraria, cùm ſit facta ex iuſta cauſa, nempe ad conſulendum propriæ indemnitati, & bono nomini Ordinis, cui nota aliqua inureretur, ſi Religioſus delinquens agnoſceretur eſſe ex tali Ordine: tum quia hæc dimiſſio nõ fit ad vagandum, & aliàs hæc excommunicatio lata eſt ſolùm contrà temerè dimittentes habitum ad vagandum.

QVÆRES XX. An ſit immunis ab hac excommunicatione Religioſus, qui, cùm nocte cogatur extrà monaſterium petere in aliquem locũ, dimittit proprium habitum cauſa vitandi ſcandalum.

33 ℞. Eſſe immunem; cùm talis dimiſſio non ſit temeraria, nec ordinetur ad vagandum; & alioqui iſta excommunicatio ſupponat temerariam dimiſſionẽ ad vagandum: prætetquàmquòd in caſu iſto poſſet excuſare breuitas temporis, quæ fortè interueniret.

QVÆRES XXI. An incurrat hanc excommunicationem Religioſus, qui peregrinans per

loca

loca Infidelium, aut alias regiones periculoſas dimittit habitum ad ſeruandam propriam vitam.

34 ℞. Non incurrere, etſi ſpontè, ac ſine neceſſitate talibus periculis ſe exponeret. ita *SanctareIlus ſup. num.* 1. alijque penes ipſum: & probatur tum ex dictis: tum maximè ex eo quòd talis dimiſſio non eſt temeraria, ſed prudens, ac iuſta, attentis circumſtantijs præſentibus. Quamquam Religioſus ſine neceſſitate ſe exponens dictis periculis peccet, ideoque dimiſſio habitus ex hoc capite dici poſſit mala; quod tamen non ſufficit ad incurrendam hanc cenſuram, quæ ſupponit temerariam habitus dimiſſionem. probatur id à pari ex doctrina *Soti l.* 5. *de iuſt. q.* 1. *a.* 9. §. 3. videlicèt non incurrere irregularitatem illum, qui occidit inuaſorem, ſeruatis regulis iuſtæ defenſionis, etſi aliàs dederit cauſam inuaſioni culpabilem (v. g. per adulterium) quippequi adhuc vtitur iure ſuo, quod habet ad tuendam propriam vitam, & non amittit dando cauſam inuaſionis; quæ doctrina applicata caſui pręſenti idem probat Religioſum culpabiliter ſe exponentem periculoſo itineri, non ideò incurrere excommunicationẽ, dimittendo habitum ad vitanda pericula prædicta, cùm adhuc habeat ius ſe ſeruandi indemnem.

Quòd ſi quis hic quærat an Religioſi Societ. Ieſu quo ad dimiſſionem habitus religioſi maiorem habeant libertatem, quàm alij Religioſi.

35 ℞. Quòd cùm Societas non habeat certum habitum (vt oſtendimus q. 5.) & ad ipſius Inſtitutum, ac miniſteria frequentiùs indigeat dimittere proprium habitum: fit vt quo ad hoc eius Religioſi ad hoc habeant maiorem libertatem, quàm habeant Religioſi aliorum Ordinum; quatenùs frequentiùs & ex cauſa minùs graui dimittere illum poſſunt abſque peccato. ita docti viri Societatis à me conſulti.

QVÆRES XXII. An Regulares promoti ad Epiſcopatum, aut Cardinalatum incurrant hanc excommunicationem, ſi dimittat habitum ſui Ordinis.

36 ℞. Non incurrere; etſi ſtando in iure communi antiquo, mortaliter peccent habitum monachalem dimittendo: cùm id ipſis expreſsè prohibeatur in *cap. penult. de vita, & honeſt. Cleric.* vbi aſſignatis veſtibus, quas Epiſcopus debet induere, dicitur *niſi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem.* ita *Sanch. ſup. cap.* 6. *num.* 23. *Sanctarell. ſup. n.* 15. *Bonac. n.* 26. alijque apud ipſos contra *Syluestrum*, *Maiolum*, *Surdum*, *Iaſonem*, *Riminal.* & alios relatos à *Sanchez*: patetque quia nullo iure extat excommunicatio lata contra Epiſcopum pretextu Epiſcopalis dignitatis dimittentem habitum ſuæ religionis, & aſſumentem habitum Epiſcopalem; textus verò *capitis* 2. ſæpiùs hic adducti apertè loquitur de Religioſo ſub Abbatis obedientia viuẽte, & ſub regula, intenditq; auferre monachis vagandi materiam: quæ non verificãtur de Religioſo Epõ; quippequi non eſt ſub regulæ obedientia, & induens habitum Epiſcopalem eſt minùs aptus ad vagandum, vbi autem non militat eadẽ ratio, nec militare debet eadem iuris diſpoſitio *l. non poſſunt ff. de legat.*

37 Dixi *ſtando in iure communi antiquo*, quia poſt reformationem Ritualis Romani factam à Clemente VIII. poſſunt Epiſcopi regulares retento colore habitus ſuæ religionis ſe conformare in forma, ſeu figura illius cum Epiſcopis ſæcularibus; & ita modo ſeruatur in praxi. Imò Canonici regulares creati Epiſcopi poſſunt vti habitu clericali, dimiſſo habitu proprij Ordinis; idq; ex conceſſione Leonis X. ipſis facta in *Conſt. ſua* 34. in ordine. Religioſi item Societatis Ieſu hoc ipſo quod aſſumuntur ad Epiſcopatum, aut Cardinalatum, depoſito habitu Societatis induunt habitum Ordinarium Epiſcoporum, & Cardinalium, etiam quò ad colorem.

Nec obſtat noſtræ reſponſioni, quòd Religioſus creatus Epiſcopus tenetur deferre habitum ſuæ religionis: ſiquidem, cùm hæc obligatio oriatur ex *cap. penult. de vita, & honeſt. Cleric.* in quo nulla fertur excommunicatio; non autem ex *cap.* 2. hic explicato, in quo additur excommunicatio (vt modo oſtẽdimus) non eſt, cur dicamus Regularem Epiſcopum incurrere excommunicationem dimittendo habitũ religionis; cùm verè nulla extet excommunicatio, quæ ipſos afficiat, & aliàs multiplicari non debeant cenſuræ ſine ſufficienti fundamento: qua de re *Gordonus l.* 6. *q.* 5. *n.* 141.

38 Quod autem diximus de Regularibus creatis Epiſcopis dicendum item eſt de Religioſis euectis ad Cardinalatum, aut Abbatiam habentem iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, aliamue dignitatem habentem propriam dięceſim nulli Epiſcopo ſubiectam: quippequi eximuntur à iugo regulæ, & à ſtatutis ſui Ordinis, ideoque non ligantur cenſuris latis contrà Religioſos ita *Gordonus vbi ſuprà*.

QVÆRES XXIII. An afficiuntur iſta excommunicatione Religioſi, qui promoti ad beneficium parochiale dimittunt habitum religionis ſuæ, & induunt alienum, nempe Clericalem.

39 ℞. Affici, ſiue beneficium parochiale ſit pleno iure ſubiectum Prælato regulari, ſiue ex parte, ſiue etiam nullo modo. ita in terminis *Sanch. n.* 36. ex *S. Antonino, Syluestro*, & alijs patetq; ex eo quod quantumuis beneficium parochiale ſit pleno iure ſubiectum Epiſcopo; non ideò Religioſus ad illud promotus eximitur ab obedientia Ordinis, & ab omnibus illius obſeruantijs regularibus, ſed ſolùm ab ijs, quæ impediunt munus Parochi, & ſubiacent pœnis regulæ: non enim in Religioſo Parocho adeſt ſufficiens ratio illum eximendi ab obligatione legali, & pęnis latis contrà Religioſos (ſicut diximus eximi Epiſcopum Religioſum) cùm Religioſus Parochus non ſit in ſtatu magiſtri perfectionis (ſicut eſt Religioſus Epiſcopus) ideòq; non ſit omninò liber à iugo monaſticæ diſciplinæ, ſicuti diximus eſſe Religioſum creatum Epiſcopum. Vnde fit, vt ſi Religioſus Parochus deponat officium Parochi, teneatur redire ad monaſterium, & obedire non minùs quã alij Religioſi; cùm eius exemptio non eſſet ratione dignitatis (quo modo eſt in Religioſo Epiſcopo, aut Cardinali) ſed ratione ſolius officij, quod tũc ceſſat.

QVÆRES XXIV. An incurrant hanc excommunicationem Religioſi legitimè eiecti ab ordine, ſi dimittant habitum clericalẽ ab ipſis in præſentia deferendum ex de decreto S. Congreg. edito iuſſu Vrbani VIII. *de Religioſis eiectis, & apoſtatis*.

40 ℞. Non incurrere: & patet, quia talis excommunicatio incurritur ſolùm à dimittentibus habitũ

ſuæ Religionis Religioſus autem eiectus dimittendo habitum Clericalem verè non dimittit habitum ſuæ religionis; ergò

QVÆRES XXV. Quis poſſit abſoluere Regulares ab hac excommunicatione.

41 ℞. Quod, cùm ea nullibi reſeruetur, ab ea poſſunt abſoluere omnes Confeſſarij legitimè approbati ad Regularium confeſſiones.

QVÆRES XXVI. An, & à quo poſſint Regulares diſpenſari circà delationem habitus regularis, itaut licitè poſſint illum dimittere, ſiue perpetuò, ſiue ad tempus,

42 ℞. Poſſe, directè quidem, & in perpetuum à ſolo Papa; cùm hic ſolus poſſit diſpenſare in iure canonico, ex quo oritur obligatio deferendi habitum regularem: indirectè verò, & ad aliquod tempus, etiam à Prælato regulari; quatenùs is dat Religioſo ſubdito facultatem faciendi aliquod opus, quod commodè nequit exerceri abſque dimiſſione proprij habitus, ceſſante pro tunc obligatione deferendi habitum; quod eſt diſpenſare ſuper delationem habitus indirectè, per accidens, & acceſſoriè, ſeu conſequenter. ita *Suarez tom. 4. de relig. tract. 8. l. 1. cap. 5. num. 16.* addens *num.* 17. quòd, quando Religioſus habens facultatem à Prælato ad aliquod iter, aut miniſterium peragendum, & dubitans, an liceat, vel expediat tunc mutare habitum, non audet propria auctoritate id facere, ſed adit Prælatum & de eius licentia ſecurus id facit: hinc non ſequitur Prælatum poſſe ſuper delatione habitus diſpenſare per ſe, & directè; cùm in hoc interueniat potiùs authentica interpretatio, quàm iuridica diſpenſatio; nam in rigore dubium illud poſſet determinari iudicio cuiuſcumque prudentis viri: quare, ſi aditur Prælatus, id fit, quia ad ipſum ſpectat declarare ex officio, an lex obliget in caſu dubio, practicam certitudinem ſua auctoritate adiungendo. Quæ omnia confirmari poſſunt ex *Concilio Trid. ſeſſ. 25. cap. 19.* vbi præcipitur, ne detur licentia cuicumque Regulari occultè ferendi habitum ſuæ Religionis: intellige, niſi iuxtà dicta occurrat cauſa ſufficiens ad dimittendum habitum; tunc enim dimitti poſſet, non obſtante hoc decreto Concilij, quod in tali caſu non obligat.

43 Monet autem *Suarez ſup. num.* 15. quòd cùm delatio habitus regularis non ſit de ſubſtantia religioſi Status, non ſolùm admittit diſpenſationem ex iuſta cauſa, ſed requirit cauſam minùs ingentem, ac extraordinariam ea, quæ requireretur ad diſpenſandum ſuper ſubſtantialibus Status religioſi; cùm minor effectus petat cauſam minorem: quare ad diſpenſandum ſuper delatione habitus non exigitur tanta cauſa, vt per ſe ſufficiat excuſare; aliàs non erit diſpenſatio, ſed interpretatio. Et eadem proportione, quò maior, aut diuturnior futura eſt mutatio habitus, eo maiorem petit cauſam; ſicut plus requiritur, vt mutetur habitus monachalis in laicalem, quàm vt mutetur in clericalem; & plùs, vt mutetur in clericalem, quàm vt mutetur in alium monachalem: cùm ſic magis recedatur à lege, ſeu à regula.

QVÆRES XXVII. An Regulares puniri poſſint ab Ordinario loci ex eo præcisè, quòd ſine habitu ſuæ Religionis incedant extrà monaſterium.

44 ℞. *Barboſa de offic. Epiſc. alleg. 105. numer. 61.* ex *Franeo, Cocbier,* & *Fuſco* poſſe; ſed non probat: videtur autem poſſe probari ex eo quòd Ordinarius vigore *Concilij Trid. ſeſſ. 6. cap. 3.* tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus poteſt corrigere, ac punire Religioſos extrà monaſterium delinquentes (ſeruatis tamen ſeruandis) Religioſus autem in præſenti caſu delinquit extrà monaſterium, cùm extrà illud incedat ſine habitu ſuæ Religionis.

SECTIO II.

De obligatione Regularium quo ad deferendam regularem Tonſuram.

45 *Explicatur, quid veniat nomine Tonſuræ regularis.*
46 *Ea eſt varia in Ordinibus religioſis.*
47 *Defertur ob plures fines, qui proponuntur.*
48 *Inducta iure ſpeciali Religionum, & conſuetudine communi Religioſorum.*
49 *Deferenda ab omnibus Religioſis, præter quam à Religioſis Ordinum militarium.*
50 *Et quidem ſub mortali; maximè, ſi ſint Sacerdotes, aut ſaltem ordinati in Sacris.*
51 *Secùs iuxta aliquos, ſi ſint ſolum conſtituti in minoribus Ordinibus: quod non eſt admittendum, ſi aliter ferat conſuetudo fundata in Profeſſione.*
52 *Faciliùs in hoc excuſari poſſunt Religioſi laici, ſi ſuam non deferant Tonſuram.*
53 *Hac in re datur materiæ paruitas, & aſſignatur.*
54 *Ea extendi poteſt ad aliquod tempus.*
55 *Eius omiſſio de iure communi non vetatur ſub vlla cenſura.*
56 *Super delatione Tonſuræ diſpenſat Prælatus regularis, in quantum eſt ex Regula; non item in quantum eſt ex communi Religionum conſuetudine.*
57 *Diſpenſat tamen ad tempus, etiam ſub iſta ratione.*
58 *Non ſecus, ac poſſet Epiſcopus cum ſuo ſubdito, cum ei æquiparetur.*
59 *Regulares excuſantur ab omiſſione Tonſuræ, ſi eant per loca Infidelium.*
60 *Item ſi detineantur in carcere ſeiuncti à conſortio hominum etiam Religioſorum.*
61 *Excuſantur, ſi ægrotent.*
62 *Tonſura deferenda à Religioſo electo, ſi ſit ordinatus in Sacris.*
63 *Non item à Religioſo damnato triremibus.*
64 *Regulares minoribus Ordinibus ſolum initiati, gaudent priuilegio canonis, ſi omittant Tonſuram, modo deferant habitum religioſum.*
65 *Admitti poteſt ad religionem incapax Tonſuræ ex defectu capillorum.*
66 *Iſque in miſſæ celebratione vti poſſet capillitio in medio referente Tonſuram.*

Et

67 Et quidem etiam tempore Conſecrationis, ac Communionis.

68 Sic Parochus vti poteſt pileolo in deferenda infirmis Euchariſtia, ne grauiter ei noceat cœli inclementia.

QVÆRES I. Quid hic intelligatur nomine regularis Tonſuræ.

45 ℞. Intelligi rotunditatem illam, ſeu ſpatium rotundum, quod Regulares deferunt in capite tanquam proprium caracterem ſtatus Eccleſiaſtici: ſiue talis rotunditas ſumatur, prout dicit raſuram capillorum factam in Superiori parte capitis in modum ſphœræ (quo modo defertur à Patribus Minimis, Clericis regularibus, & alijs Religioſis) & dicitur *clerica*, ſeu *corona*: ſiue ſumatur, prout dicit præcisè tonſuram, quæ propriè ſignificat abſciſſionem capillorum factam in parte inferiori capitis, itaut aures pateant (qualis deferri ſolet in Ordinibus non Clericalibus à Regularibus laicis, quos vocant Conuerſos) ſiue ſumatur, prout dicit tonſuram, & raſuram ſimul; qualis defertur in omnibus ferè Ordinibus Monachalibus, & alijs, qui non ſunt clericales; licèt cum aliqua varietate, vt dicemus *q. ſequenti*. Vnde fit, vt iura canonica diuerſimodè loquantur de Tonſura: alia enim appellant raſuram, alia coronam, alia tonſuram, & coronam ſimul; vt notat *Gloſſa in cap. quoniam de vita, & honeſt. Cleric. v. & tonſuram*.

QVÆRES II. An tonſura, quam deferunt Regulares, ſit in omnibus Religionibus eiuſdem rationis, ac formæ.

46 ℞. Non eſſe: nam in Ordinibus Monachalibus ita perficitur ex ratione, & tonſura, vt capilli, qui relinquuntur in forma coronæ, appareant breuiores: in Ordinibus verò non Monachalibus (quales ſunt Ordines Mendicantes exceptis Religionibus Clericorum) tonſuram ita fit ex raſura, ac tonſura, vt capilli relicti ad modum coronæ prolixiores, & copioſiores emineāt. in Ordinibus denique Clericalibus fit tōſura ex ſola raſura ſub quantitate vnius argentei circiter, nulla capillorū facta abſciſſione à parte inferiori capitis; quali tonſura vtuntur etiam Patres Minimi, & aliqui alij Religioſi: præter quàm quod Religioſi laici Ordinum, tam Monachalium, quàm non Monachalium, exceptis ijs, qui ſunt Ordinum Clericalium regulariter tonſuram deferunt ſolùm factam in parte inferiori capitis modo ſupradicto. Ex quibus patet omnes quidem Religioſos in hoc conuenire, vt deferant Tonſuram, in eo tamen differre, quòd eam non deferunt ſub eadem omninò forma: quare in vnoquoque Ordine ſeruari debet peculiaris conſuetudo illius quo ad hoc, nec non vſus regionum, ac locorum.

QVÆRES III. Ob quos fines deferatur Tonſura à Regularibus, & alijs eccleſiaſticis perſonis.

47 ℞. Deferri ob plures fines, quorum aliqui afferuntur à Doctoribus, & maximè à *Layman l. 5. tr. 9. cap. 12. num. 1.* nimirùm ad oſtendendum Religioſos teneri reſecare vitia, & crimina carnis, non minùs, quàm reſecentur capilli capitis: item in memoriam dominicæ paſſionis, ac coronæ ſpineæ D. N. I. C. item in ſignum regni, quod Religioſi expectant à Deo: denique ad ſignificandum ſe ad irriſiones, & opprobria pro Chriſto ſuſſerenda eſſe paratos, vt notauit *Beda l. 5. hiſt. angliæ. c. 22.* Quæ magna ex parte confirmantur à *Gloſſa in Clem. de vita, & honeſt. Cleric. cap. quoniam §. & tonſuram* his verbis; *Clericis deputatis ad diuina myſteria competit raſura, & Tonſura in modum coronæ ratione figuræ* (antiquitus enim teſte *Tiberio in inſtruct. ordinād. q. 83.* idē coronæ modus erat Clericis, & Monachis catholicis; vt ſcilicèt toto capite ſuperiùs detonſo inferiùs relinquerent ſolam figuram circuli capillorum) *quia corona eſt ſignum regni, & perfectionis, cùm ſit circularis, carens angulo in ſignum carentiæ ſordium, quia vbi angulus, ibi ſordes: ſe ergò, & alios virtutibus tegere, & ſordibus mundare debent, & ſic in Deo regnabunt: per raſuram autem ex parte ſuperiori capillorum ſubtrahuntur, ne mens ipſorum per occupationes temporales retardetur à contemplatione, myſteriorū diuinorū ſummitas .n. capitis eſt eminētia mentis; per ipſius ergò denudationē mentis reuelatio deſignatur. Et quia Conuerſi miniſterijs diuinis non occupantur, ſuperiùs non raduntur, licèt inferiùs tondeantur, quia temporalia deponunt: Tonſura verò ex parte inferiori capillos tondet vſque ad reuelationem ſenſuum, ſcilicèt viſus, & auditus, ne ſcilicèt oculos, vel aures impediant: & eſt ſignum, quòd præſcindenda ſunt vitia cordis, & corporis, ne intuitum diuinorum impediant; & ex his debetur corona cœleſtis.* ita *Gloſſa*.

QVÆRES IV. Quo iure teneantur Regulares deferre Tonſuram.

48 ℞. Teneri, non iure communi inducente Regularibus talem obligationem, ſed iure ſpeciali religionum, & conſuetudine inter Religioſos communiter inducta: idque tum ad imitationem Clericorum ſæcularium, qui ex varijs iuribus obligantur ad deferendam Tonſuram tanquam proprium ſignū, per quod à ſæcularibus perſonis diſcernantur; tum ob varios fines, ad quos *præcedenti q.* diximus geſtari Tonſuram, & maximè, vt Religioſi videntes ſe per delationem Tonſuræ contradiſtingui à viris laicis, & agnoſci tanquam perſonas Dei ſeruitio mancipatas cautiùs viuant, ſicque tantò magis abſtineant ab ijs exceſſibus, in quos alioqui facilè laberentur, facientes de neceſſitate virtutem. Et quidem quòd obligatio deferendi Tonſuram non fundetur in iure communi, conſtat, quia iura, quæ afferunt Doctores ad probandam talem obligationē, apertè loquuntur de Clericis: quale eſt, quod habetur *cap. 4. de vita, & honeſt. cleric. in 6. ſi quis ex Clericis comam relaxauerit* (id eſt tonſuram non detulerit) *anathema ſit*: & *cap. Io. de cleric. coniugat. & cap. quoniam Clem. de vita, & honeſt. cleric.* ideòq; extendi non debent ad Regulares, cùm ſint odioſa, & Regulares in odioſis non veniant nomine Clericorum, vt tradit *Albericus in diction. v. monachus*. Quòd autem dicta obligatio fundetur in regula, & conſuetudine Religionum communiter acceptata, colligitur tum ex Conſtitutionibus ſingulorum Ordinum, tum ex communi vſu earundem: cum omnes omninò Religioſi, ſecluſis Ordinibus militaribus Tonſuram aliquam inuiolabiliter deferant, quod ſufficit ad ſtabiliendam talem obligationem, itaut non poſſit rationabiliter negari. Si quidem, vt benè dicit *Canus l. 12. de locis theolog. cap. 9. ad 2.*

fallun-

ſalluntur multi exiſtimantes omnes Eccleſiæ leges à iuris voluminibus petendas eſſe : multæ ſunt Eccleſiæ leges , quas non ſcriptura, ſed vſus interpretatur, neque iuris volumen omnia Conciliorum, atque Pontificum amplectitur: talem autem puto eſſe obligationem Regularium quo ad deferendam Tonſuram; ſicque ea non eſt neganda, licet non extet in iure communi, cùm vſu induci potuerit, imò & inducta ſit.

QVÆRES V. An Regulares omnium Ordinum teneantur deferre Tonſuram.

49 ℞. Teneri, ſi excipias Religioſos Ordinum militarium: idque ſiue ij ſint Sacerdotes; ſiue Choriſtę, ſiue Conuerſi. patet tum ex vſu omnium Ordinum, qui Tonſuram aliquam deferunt (quamuis nō eiuſdem rationis): tum ex eo quod iſta obligatio afficit Regulares ratione ſtatus Religioſi, ideoque comprehendit omnes Regulares, qui ſtatum religioſum profitentur. Quod ita eſt verum, vt *Sylueſter v. clericus 2. nu. 2. ex Abbate* notet etiam Moniales teneri ad tonſuram capillorum inferiùs vſque ad aures. Excipiuntur tamen Religioſi Ordinum Militarium ratione peculiaris ſtatus, quem profitentur: is enim cum ſit valde differens à ſtatu, quem profitentur Religioſi Ordinum tam Monachalium, quàm non Monachalium, & Clericalium; non eſt mirum, quòd Religioſi dictorum Ordinum Militarium in multis non conueniunt cum alijs Religioſis, & conſequenter etiam eximantur ab obligatione deferendi Tonſuram.

QVÆRES VI. An Regulares ſub mortali teneantur deferre Tonſuram.

50 ℞. Teneri, & conſequenter peccare mortaliter, ſi tempore notabili, & ſine iuſta cauſa eam deferre omittant; maximè, ſi ſint Sacerdotes, vel alio ordine ſacro initiati. Hæc reſponſio in terminis non reperitur apud Doctores, quia hanc quæſtionem non tractant in ſpecie de Religioſis: colligitur tamen ex doctrina, quam Doctores tradunt de ſimili obligatione, quam habent Clerici ſæculares quò ad geſtandam Tonſuram, & præſertim *Granadus de Sacr. controu. 9. tr. 4. D. 3. num. 8.* qui ſic ait: *Vſus coronæ tanquam rei magni momenti eſt antiquiſſimus, & in ijs, qui ordinem ſacrum receperunt, vſu receptiſſimum geſtare Tonſuram, adeò vt vix ſine graui ſcandalo omitti poſſit: quæ ſanè indicant rem hanc non eſſe leuis momenti, nec ſolùm obligare ſub veniali*; ſic ille. quæ doctrina non ſolùm habet locum in Regularibus, ſed à fortiori intentum probat de illis: quippe qui potiori ratione teneantur deferre Tonſuram, quam teneantur Clerici ſæculares, vt infrà oſtendemus. Probatur ergò reſponſio, quia ex vna parte violans conſuetudinem de re graui legitimè inductam ſub graui obligatione peccat mortaliter, vt omnes concedunt: ex alia parte conſuetudo deferendi Tonſuram regularem apud perſonas eccleſiaſticas communiter reputatur grauis iuxtà modò dicta, & quò ad Religioſos videtur inducta tanquam obligans ſub mortali; vt conſtat tum ex magna ſollicitudine, qua Prælati regulares omnium Ordinum curant illam inuiolabiliter obſeruari, tum ex varijs finibus, ob quos Tonſura defertur à Religioſis; tum quia in eiuſmodi conſuetudine videntur concurrere omnes illæ conditiones, ex quibus *Suar. l. 7. de legib. c. 15. nu. 15.* docet dignoſci, an aliqua conſuetudo inducta ſit tanquam obligatoria, vel ſolùm ex deuotione. Illarum autem conditionum prima eſt, ſi conſuetudo ſit longi temporis, rei grauis, ac difficilis, & communiter ſeruetur à populo pro maiori parte: ſecunda eſt, ſi viri prudentes, ac timorati malè ſentiunt de ijs, qui non ſeruant talem conſuetudinem, vel communiter populus ſcandalizetur: tertia eſt, ſi Superiores acriter reprehendant, ac puniant tranſgreſſores dictæ conſuetudinis: quarta eſt, ſi materia conſuetudinis ex ſe multum conferat ad vtilitatem reipublicæ, ita vt illius obligatio prudenter credatur eſſe valdè expediens communi bono illius. quæ conditiones videntur vtique militare in caſu præſenti, adeoque probant conſuetudinem deferendi tonſuram obligare Religioſos ſub mortali.

51 Dixi ſub initium reſponſionis, *maximè ſi ſint Sacerdotes &c.* vt indicarem quod, ſicut Doctores apud *Bonac. D. 8. de Sacr. q. vn. 3. Tiberius q. 85.* & *Lay. ſup. n. 2.* putant faciliùs poſſe excuſari à mortali Clericos in minoribus conſtitutos, qui Tonſuram non deferunt, quàm Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos: ſic poſſet quis exiſtimare Religioſos Choriſtas ordine ſacro nondum inſignitos excuſari à culpa, ſaltem mortali, ſi non deferant Tonſuram; cùm par ratio videatur eſſe de his, ac de Clericis conſtitutis in minoribus. Quod tamen ego non puto admittendum eſſe, ſi Religioſi Choriſtæ arctiori vinculo teneantur deferre Tonſuram, quàm Clerici minores, videlicèt conſuetudine fundata in Profeſſione ſtatus religioſi: quæ ratio æquè procedit de Religioſo nondum initiato ordinibus ſacris, ac de Religioſo Sacerdote, ac proinde æqualiter obligat vtrumque quò ad deferendam Tonſuram; quamuis Religioſus Sacerdos ad id teneatur etiam titulo ordinis ſacri, ſicque ea obligatio reddatur, vt ita dicam, magis intenſa: cùm è contra Clerici minores teneantur deferre Tonſuram ſolùm vi ſtatus eccleſiaſtici, qui cum reſpectu illorum non ſit perpetuus, eſt multò minùs perfectus ſtatu religioſo, & conſequenter inducit etiam obligationem minùs intenſam, minùſque perfectè obligantem.

52 Puto quidem faciliùs poſſe excuſari à mortali Regulares laicos non deferentes Tōſuram proprio ſtatui competentem; cùm reſpectu horum omiſſio Tonſuræ non videatur adferre tantam indecētiam, quantam adfert quò ad Regulares Choriſtas: cùm illi ex conditione ſui ſtatus non miniſtrent ad altare, non aſſiſtant diuinis Officijs, & ſint perſonæ (vt ſic loquar) minùs ſacræ. præter quàm quòd illorum Tonſura in genere Tonſuræ videtur imperfectiſſima, ſicque dici poteſt non inducere obligationem ita grauem; qualis eſt ea, ad quam tenentur Regulares Choriſtæ: quamquam in hoc ſtari debeat conſuetudini ſingulorum Ordinum, & communi ſenſui, ac exiſtimationi, quam Religioſi eorum concipere ſolent circà talem obligationem.

QVÆRES VII. An obligatio deferendi cenſuram ita obliget, vt quælibet illius omiſſio ſit mortalis.

53 ℞. Quod ſicut Doctores cum *Sylueſtro ſup. Armilla v. clericus n. 11. Vgolino de offic. epiſc. c. 12. Graffio 1. p. deciſ. l. 3. c. 3. nu. 4. & 27. Barboſa de offic. epiſc.* allegat.

*zat.9.num.*11. concedunt Clericos ſæculares, etiam Sacerdotes, excuſari à mortali, ſi per 3. aut 4. dies coronam omittant; addente *Layman ſup.* tunc demum omiſſionem Tonſuræ in præfatis Clericis eſſe mortalem, quando, ſpectatis circumſtantijs perſonæ, loci, temporis &c. clericalis Tonſuræ neglectus repugnat notabiliter honeſtati, ac bono exemplo Clericorum: ſic Regularis videntur poſſe excuſari à mortali, etſi ſint in ſacris conſtituti, ſi per breue tempus incedant ſine Tonſura; idque ratione paruitatis materiæ, quæ quò ad hoc admitti debet tam in his, quàm in illis; cùm ſit par ratio de vtriſque; Quãquam de Religioſis Diaconis, & Subdiaconis non cenſeo concedendum, quod *Caietanus, Bannez, Rodriq. & Henriq.* admittunt apud *Tiberium q.84. §.non videtur*, nimirum non videri improbabile Diaconos, & Subdiaconos poſſe excuſari à mortali, ſi omittant Tonſuram, quando ſacris non inſeruiunt, non interueniente in tali omiſſione adeò graui indecentia: nam iuxtà dicta *q.præcedenti §.dixi ſub initium*, Regulares, Diaconi, & Subdiaconi ſtrictiùs tenentur deferre Tonſuram, quàm teneantur Clerici ſæculares iiſdem ordinibus ſacris initiati, & conſequenter reſpectu illorum omiſſio Tonſuræ importat maiorem indecentiam; vnde fit, vt in pari cauſa, nempe in omiſſione Tonſuræ illi difficiliùs excuſentur.

54 Addo Caietanum *v. Clerici peccata*. *Armillam ibi num.11. Vaſquez 3.p.D.250.num.22.* & *Sanch.l.7.conſil.c.1.d.49.num.*13. ſuſtinentes oppoſitam ſententiam ſolum eſſe certiorem dicere in hoc non peccari mortaliter, niſi concurrat temeritas, contumacia, & contemptus, & niſi notabilis exceſſus fiat vltrà modum conſuetum; quod probabile putat *Diana p.3.tra.4.reſol.*183. ex *Villalobos*. Hæc autem doctrina ſi admittatur vt probabilis (qualis nõ omninò improbabiliter viſa eſt viris valdè doctis à me conſultis) paruitas materiæ in præſenti materia poterit extendi vltrà 4. dies; cum intrà tale temporis ſpatium non adſit notabilis exceſſus vltrà modum conſuetum: maximè cùm leges iuris poſitiui benigniorem admittant interpretationem, & adſint non pauci tam ſæculares, quàm regulares, etiam Sacerdotes, qui, cum aliàs ſint timoratæ conſcientiæ, ſunt minùs ſoliciti in procuranda renouatione Tonſuræ, valdè leuem ſibi de hoc facientes ſcrupulum; quod non facerent, ſi crederent delationem tonſuræ præcipi cum rigore ſuprà dicto. quamquam cauendum eſt, ne in hoc nimis laxentur habenæ, præſertim quò ad Religioſos, qui iuxta dicta arctiori vinculo obligationis tenentur deferre tonſuram, adeoque difficiliùs excuſari poſſunt, ſi illam omittant.

QVÆRES VIII. An Regulares incurrant aliquam cenſuram, ſi notabiliter omittant deferre tonſuram.

55 ℞. Non incurrere, ſaltem de iure communi, nõ obſtante quod in *c.4.de vita, & honeſt.cleric.* dicatur, *Si quis ex Clericis comam relaxauerit* (ideſt tonſuram non detulerit) *anathema ſit*. Moueor tam ex eo quod talis cenſura non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ, vt notant communiter Doctores ex *Gloſſa* ibi; ita vt ly *anathema ſit* ſumatur pro *anathema fiat*: tum quia illa cenſura fertur contra Clericos, ideoq; non extenditur ad Religioſos, qui in odioſis, ac pœnis non veniunt nomine Clericorum; maximè attento priuilegio Fratribus Minoribus per Nicolaum V. conceſſo, quod refert *Rodriq.tom.1.q.49.a.7.* his verbis: *Nicolaus V. noluit Fratres ligari aliqua cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti iuris, vel hominis, niſi nominatim fiat mentio: nec ſufficit, ſi dicatur in ſententia generaliter, vt perinde valeat, ac ſi eſſent expreſsè nominati*: habetur hæc declaratio in *Ceremoniali*, ſeu Pontificali in bibliotheca Vaticana. ita *Rodriq.* hinc inferens, quòd ſi aliquæ Paulinæ ab aliquo Legato à latere publicentur pœnam excommunicationis imponentes, cenſuræ ibi appoſitæ nullatenùs comprehendent Religioſos, niſi de ipſis Religioſis in eis expreſſa fiat mentio. Priuilegium verè magnum, &, (vt puto) in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum non ſublatum; quippe quod non eſt ſimplex viuæ vocis oraculum, cùm in Ceremoniali referatur: eoque gaudent etiam Religioſi aliorum Ordinum per viam communicationis. Quod ſi detur, vtique etiam dandum eſt cenſuram latam in *cap.4.* citato non extendi ad Religioſos; cùm hi in ea ſpecialiter non exprimantur. præterquàm quod canon ille loquitur de iis, qui vi iuris communis tenentur deferre Tonſuram; cuiuſmodi non ſunt Regulares, qui tenentur ad tonſuram ſolùm ex conſuetudine inter eos communiter acceptata; quæ duæ res ſunt inter ſe valdè diuerſæ; à diuerſis autem non fit illatio.

QVÆRES IX. An Regulares à proprio Prælato diſpenſari poſſint ſuper obligatione deferendi tonſuram.

56 ℞. Poſſe, ſi loquamur de hac obligatione, pro vt eſt præſcripta in Regula vniuſcuiuſque Ordinis; & quidem eo modo, quo poteſt diſpenſare ſuper alijs regulis; cùm non ſit maior ratio, cur poſſit diſpenſare ſuper his, & non ſuper dicta obligatione: ſicq; adueniente caſu diſpenſandi, attendere debet Prælatus, quam poteſtatem habeat quò ad diſpenſandum ſuper Regula Ordinis. Secùs, ſi loquamur de hac obligatione, pro vt eſt inducta ex conſuetudine à Religionibus communiter acceptata: ſic enim Prælatus regularis non poteſt diſpenſare ſuper dicta obligatione perpetuò, ac vniuerſaliter, ſed ſolùm ad tempus, & in caſu occurrenti: quod ſic probatur. Ex vna parte conſuetudo eſt inſtar legis latæ à communitate aliqua perfecta, vt tradunt Doctores cum *Suárez l.7.de leg.c.9.num.6.* & colligitur ex *l.de quibus ff.de legibus* quæ ſic habet; *Inueterata conſuetudo pro lege non immeritò cuſtoditur*: & hoc eſt ius, quod dicitur moribus conſtitutum; nam cùm ipſæ leges nulla ex alia cauſa teneant, quàm quòd iudicio populi receptæ ſunt; meritò & ea, quæ ſine vllo ſcripto populus probauit, tenebũt omnes: nam quid intereſſe ſuffragio populus voluntatem declarat, an rebus ipſis, & factis? quare rectiſſimè illud etiam receptum eſt, vt leges non ſolo ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur. ex alia parte communitas perfecta (qualis in caſu noſtro eſt vniuerſitas Ordinum religioſorum) quò ad Prælatos ſingulorum Ordinum ſe habet velut Superior: inferior autem non poteſt diſpenſare in lege Superioris *Clem-*

ne

ne Romani de elect. cap. cùm inferior de maiorit. & obed. & *cap. inferior* 21. *diſt.* probatque *Suarez ſup. l.* 6. *cap.* 14. *num.* 4. maximè ex eo quòd rectitudo gubernationis petit, & voluntas Superioris præualeat contra voluntatem inferioris, niſi ipſemet Superior cedat tollendo priorem voluntatem, qua ſtatuit ius in præſentia diſpenſandum; quod ſolùm fit per poſitiuum conſenſum, aut conceſſionem.

57 Addo quod diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis, quam inferior, vt ſic non habet in legem Superioris nec in perſonas ei ſubditas, tali ſubiectione in ipſis formaliter ſpectata, vtpote quæ eſt altioris Ordinis, quare mirum non eſt, quòd cùm Prælatus huius aut illius Ordinis reſpectu cõmunitatis religioſę cõſideratæ in vniuerſali, à qua inducta eſt obligatio deferendi Tonſuram, ſit velut inferior reſpectu Superioris: mirum inquam, non eſt, quòd dictus Prælatus non poſſit diſpẽſare in tali obligatione, niſi ad tempus, & in caſu occurrenti, non autem perpetuò, ac vniuerſaliter.

58 Dixi *diſpenſare poſſit in tali obligatione, niſi ad tempus, &c.* ſicut enim Epiſcopi interdum poſſunt cum proprijs ſubditis diſpenſare hoc modo, etiam in iure communi; vt oſtendit *Suarez ſup. nume.* 8 *& ſeqq* conceduntque communiter Doctores ex recta ratione Superioris voluntatem interpretante: ſic Prælatus regularis, cùm ſit Ordinarius Religioſorum ſubditorum, & in eos habeat auctoritatem quaſi Epiſcopalem, ob eandem rationem poterit cum ijs in caſu occurrenti diſpenſare, etiam in iure communi, quod ſpecialiter non reſeruetur (nam in iure ſpecialiter reſeruato, neque ipſi Epiſcopi poſſunt diſpenſare,) & in conſuetudinibus etiam legitimè inductis; cuiuſmodi eſt obligatio Tonſuræ.

QVÆRES X. An Regulares excuſentur à deferenda Tonſura, ſi per loca Infidelium, aut aliàs periculoſa ſint tranſituri.

59 ℟. Excuſari etiam in caſu, quo delatio Tonſuræ præſcriberetur à Principe infideli, aut hæretico Eccleſiaſticis viris ad ſignificandam catholicam fidem, & talis lex eſſet in viridi obſeruantia. Colligitur ex *Sanchez l.* 2. *mor. cap.* 4. *num.* 28. *&* 29. *Valentia, Rodriq. Lopez. Bannez, & Aragona* citatis ab ipſo *Sanchez*: patetque tum quia ius humanum, & conſuetudo inter homines legitimè inducta non obligant cum tanto diſpendio; tum quia in propoſito caſu Tonſuræ omiſſio non poteſt attribui culpæ, eo quòd lex data de ea deferenda vim habeat interrogationis factæ publica auctoritate; ſicut putat *Caietanus* 2. 2. *q.* 3. *a.* 2. *d.* 1. à nobis diſſentiens: nam talis lex nihil interrogat, ſed ſolùm præſcribit modum Fidei illo ſigno profitendæ: cùm tamen ad hoc vt præceptum confeſſionis externæ fidei obliget, non ſufficiat, vt quis non confitendo Fidem exiſtimetur infidelis, ſed requiratur, vt iubeat neceſſitas Fidei confitendæ ob magnum Dei honorem, aut Proximi vtilitatem; quæ in hoc caſu non concurrunt. quare hæc reſponſio limitari debet, ſi omiſſio Tonſuræ fiat ſine magno ſcandalo, nec tunc occurrat tempus, quo obliget præceptum confitendi Fidem.

QVÆRES XI. An Regulares teneantur deferre Tonſuram, ſi coniecti in carcerem ibi per multum tempus commoraturi ſint ſeiuncti à conſortio tam ſæcularium, quàm Regularium ipſorum.

60 ℟. Non teneri deferre; cum reſpectu illorum in talibus circumſtantijs videatur ceſſare finis Tonſuræ (qui eſt, vt per eius delationem agnoſcantur tanquam Religioſi, ideoque cautiùs abſtineant à committendis exceſſibus, ac ijs ſubtrahatur occaſio vagandi) & alioqui ceſſante fine legis humanæ prohibentis, aut præcipientis, ceſſet item obligatio legis, vt tradunt plurimi Doctores apud *Dianam p.* 1. *tract.* 10. *reſol.* 20. Præter quam quod obligatio deferendæ Tonſuræ à viris doctis, ac timoratis non cenſetur vrgere cum tanto rigore; & aliàs in rebus moralibus magni æſtimari debet communis ſenſus virorum doctorum, ac timoratorum.

QVÆRES XII. An Regulares excuſentur à deferenda Tonſura, ſaltem quando per multos menſes ægrotantes iacent in lecto.

61 ℟. Excuſari; & probatur tum ex dictis q. præcedenti; quæ hic proportionaliter procedere; tum quia delatio Tonſuræ regulariter non poteſt non eſſe incommoda ægrotanti, & aliàs leges humanæ non obligant cum graui incommodo.

QVÆRES XIII. An Regulares legitimè eiecti ab Ordine teneantur deferre Tonſuram.

62 ℟. Teneri, ſi ſint ordine Sacro initiati; idque non vi Profeſſionis religioſæ, ſed Ordinis Sacri; quo modo ad hoc item obligantur omnes Clerici ſæculares conſtituti in Sacris: ſecùs, ſi ſint Religioſi laici, vel etiam Choriſtæ ſolùm in minoribus Ordinibus initiati: ſic enim non tenentur; quamquam poſt decretum Sacræ Congregationis relatum *ſect. præcedenti q.* 24. hi debeant incedere in habitu Clericali ex præſcripto eiuſdem Sacræ Congregationis. Probatur autem reſponſio quò ad priorem partem, quia Religioſi eiecti non tenentur ad ſpeciales ſui Ordinis obſeruantias (inter quas eſt delatio Tonſuræ) quippequæ ſolùm obligant pro tempore, quo Religioſus degit in Ordine; ex alia parte hoc ipſo quod Religioſi eiecti ſunt initiati Ordine Sacro ſubſunt cõmunibus obligationibus annexis ordini Sacro: inter quas eſt delatio Tõſuræ; nec adeſt vlla ratio, cur à tali obligatione vi eiectionis eximantur; aliàs commodum ex delicto referrent. Quo ad poſteriorem verò partem probatur reſponſio, quia Religioſus eiectus, ſi eſt laicus, non poteſt geſtare Tonſuram vt patet; cùm eius delatio ſit inſignè Clericatus, qui nullo modo competit Religioſo laico: ſi autem eſt Choriſta, & conſtitutus in Ordinibus tantùm minoribus; poteſt quidem deferre Tonſuram, ſi velit, cùm verè ſit Clericus; at non tenetur ſub culpa, nec vi Status religioſi, vt iam oſtendimus, nec vi Clericatus, cùm Clerici in minoribus conſtituti non teneantur deferre Tonſuram ſub culpa; vt ſatis probabiliter tradunt Doctores apud *Tiberium q.* 85.

63 Vnde ſequitur Religioſos triremibus damnatos non teneri interim deferre Tonſuram, imò nec poſſe, cùm in pœnam ſuorum delictorum ſint priuati habitu religioſo, & conſequenter etiam Tonſura,

quam

quam ſupra diximus eſſe veluti quid ſubſtantiale habitus religioſi: præterquàm quòd delatio tonſuræ quò ad præfatos Religioſos cederet in dedecus non leue Religionis, vt in ſimili aduertit *Lezana to. 1.c.23.num.17.*

QVÆRES XIV. An Regulares ſolùm initiati minoribus ordinibus gaudeant priuilegio fori, ſi incedant cum veſte religioſa, ſed non cum tonſura.

64 ℞. Gaudere non obſtante decreto *Concilij Trid. ſeſſ.23.c.6.* vbi videtur ſtatui oppoſitum his verbis: *Is etiam* (id eſt initiatus prima tonſura, aut etiam minoribus ordinibus initiatus) *fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut clericalē habitum, & tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat.* Cum enim Concilium ibi loquatur ſolùm de Clericis ſæcularibus, vt conſtat ex toto contextu illius capitis; & in odioſis (cuiuſmodi eſt priuatio priuilegij fori, de qua ibi) non veniant Regulares nomine Clericorum, decretum illud extendi non debet ad Religioſos initiatos minoribus ordinibus tantum: quippe qui eo priuilegio fruuntur non ſolùm ratione ordinum minorum, quibus inſigniti ſunt, ſed etiam vi ſtatus Religioſi; cui, ſecluſo quocumq; ordine, competit tale priuilegium. Vnde fit, quòd quamuis Religioſus in minoribus conſtitutus non deferat tonſuram, nihilominùs gaudeat priuilegio fori; non quidem ratione ordinum minorum (quo modo ad illius vſum requiritur delatio tam veſtis clericalis, quam tonſuræ ſimul iuxta citatum decretum Concilij, ſed vi religioſi ſtatus, vt iam dictum eſt.

QVÆRES XV. An poſſit admitti in Religione qui ratione caluitij caput habet ita capillis denudatum, vt ſit incapax geſtandi tonſuram.

65 ℞. Poſſe: cùm caluitium non adferat ſecum tantam deformitatem, ac horrorem, vt inde dici poſſit oriri aliqua irregularitas ex defectu corporis prohibens ingreſſum religionis (quod tamen requiritur ad inducendam irregularitatem ex defectu corporis; vt Doctores communiter colligunt ex *cap.2. de clerico ægrot.l.3.decretal.tit.6.& cap.vlt.de corpore vitiatis*) & alioqui delatio tonſuræ non ſit adeò eſſentialis ſtatui religioſo, vt incapacitas illius proueniens ex caluitio ſimpliciter impedire poſſit, quin aliquis admittatur ad religionē, ſi aliàs ſit idoneus.

Quod ſi quæras an religioſus ex caluitio habens caput omninò capillis denudatum poſſit deferre (& quidem etiam inter celebrandum (capillitium artificiale ita ex alienis capillis confectum, vt per foramen relictum in ſuperiori parte correſpōdens magnitudini tonſuræ ex ea parte denudatum præſeferat caluitium per modum tonſuræ, & à parte inferiori capitis verſus aures item denudatum caluitiū per modum tonſuræ; ita vt ex toto capillitio ſolùm emineat inferiùs circuli capillorum figura, ſicut eminet in ijs, qui non ſunt affecti caluitio.

66 ℞. Poſſe deferre tale capillitium, etiam inter celebrandum, & quidem ſine vlla diſpenſatione; non obſtante quod Sacra Congregatio, teſte *Gauanto p.2.in rubric.tit.2.lit.F.* non ſemel declarauerit nulli licitum eſſe celebrare tecto capite pileolo ſine diſpenſatione obtinenda ab ipſo Papa: non enim nomine pileoli venit capillitium, de quo hic, quod inducitur, non ad tegendum caput, ſed ad ſupplendum defectum capillorum, & tollendam deformitatem aliàs ex caluitio apparentem: ſicque puto Religioſum in tali caſu non ſolùm poſſe ſimpliciter celebrare cum capillitio artificiali, ſed eſſe commendabile, vt id faciat.

67 Quin puto, quod ſi dictum capillitium ſit ita cōcinne conſtructum, vt ſaltem à longe non appareat eſſe extraneum: non debet Religioſus eo vtens illud deponere tempore Canonis, aut Conſecrationis, aut etiam Communionis (ſicut faciunt, qui habent facultatem adhibendi pileolum inter celebrandum) nam aſtantes Miſſę non leuiter offenderentur ex tali depoſitione, ſicque maior conciperetur horror ex aſpectu caluitij. præter quàm quod capillitium illud ſtat loco capillorum, adeoque ſicut fœminæ eo vtentes in defectum propriorum capillorum, illud non deponunt, quando communicant; ſic nec Sacerdos, qui eo vteretur, in actu celebrandi, non teneretur illud deponere; cùm ſit par ratio de vtriſque vt patet.

Quod ſi hac occaſione obiter quęras, an Religioſus Parochus, vel alius in actu deferendi Euchariſtiam infirmis per publicas vias, poſſit vti modeſto pileolo, vt ſe ab inclementia aeris nocturni, nebula, vento, alijſque temporis iniurijs ſe tueatur, ex quibus certò ſit ſe damnum graue paſſurum certa experientia edoctus.

68 ℞. Poſſe; & probatur tum quia obligatio deferendi Euchariſtiam infirmis detecto capite prouenit ex ſola conſuetudine Eccleſiæ, quæ conſuetudo vtique non arctiùs obligat, quàm ipſa præcepta Eccleſiæ; ſicut ergò hæc non obligant cum graui diſpendio, ita nec obligabit dicta conſuetudo: tum quia prohibitio ſacræ Congregationis de non adhibendo pileolo inter celebrandum (de qua in præcedenti reſponſione) non debet extendi ad pręſentem caſum; cùm deferre Euchariſtiam infirmis, & celebrare Miſſam ſint res diuerſæ, & à diuerſis non fiat illatio: præter quàm quod illa ipſa prohibitio non poteſt obligare cum graui diſpendio, cùm ſit eccleſiaſtica; & alioqui vſus pileoli maiorem indecētiam importet in Miſſæ celebratione, quàm in præſata delatione Euchariſtiæ, ideoque maiorem rationem habuerit ſacra Congregatio prohibendi vſum pileoli Sacerdoti actu celebranti, quàm Sacerdoti Euchariſtiam modo dicto deferenti infirmis. ita ego reſolui Ferrarię in publica caſuum conferentia habita coram Eminentiſſimo Cardinali Machiauello Epiſcopo, & reſolutio fuit approbata tum ab illo, tum ab alijs communiter.

CAPVT VIII.

De Obligatione Regularium quò ad Recitationem Horarum canonicarum tum in Choro, tum extrà.

CVm obligatio recitandi horas canonicas, cuius explicationem in *hoc cap.* aggredimur, conſiderari poſſit tum in Or-

dine

dine ad Chorum, tum ſimpliciter, & abſolutè, tum quò ad onus faciendi reſtitutionem debitam ex omiſſione recitationis reſpectu Regularium habentium aliquod beneficium eccleſiaſticum, aut penſionem: caput præſens diuidemus in 4. ſectiones, in quarum prima agemus de obligatione recitandi horas in Choro; in ſecunda de obligatione eas recitandi extrà Chorum; in tertia de obligatione, quam habent Regulares beneficiarij ad aſſiſtendum Choro, & pœna, quam incurrunt non aſſiſtendo: in quarta de obligatione, quam habent Regulares beneficiarij quò ad recitandum priuatim, & pœna, quam incurrunt non recitando.

SECTIO I.

De Obligatione Regularium quò ad Horas recitandas in Choro.

1 *VSus recitandi Horas canonicas in Choro eſt commendabilis.*

2 *Et quidem etiam cum cantu (vt vocant) firmo.*

3 *Imò & cum inſtrumentis muſicis.*

4 *Regulares ex multiplici iure tenentur ad recitandas horas in Choro.*

5 *Etſi excipiantur Religioſi aliquorum Ordinum, maximè Societatis Ieſu.*

6 *Qui tamen ſunt verè Religioſi, æque ac ij qui Chorum profitentur.*

7 *Obligatio hæc eſt ſub mortali, ſed non afficit ſingulos Religioſos, vt ſingulos.*

8 *Prælati regulares ex* C.eni.1. de celebrat. Miſſ. *debent curare, vt recitatio horarum in Choro nunquam omittatur.*

9 *Alij verò Religioſi, ſecluſo Prælati præcepto perſonali, non tenentur ſub mortali ad frequentiam Chori.*

10 *Prælati regulares non poſſunt liberè diſpenſare ſuper frequentia Chori: idque ex Clementis VIII. decreto.*

11 *At poſſunt diſpenſare pro vna, aut altera vice.*

12 *Peccant m. Religioſi, ſi ſuis temporibus non recitent horas in Choro ſine cauſa.*

13 *Limita, ſi crebrò id faciant, aut cum graui ſcandalo.*

14 *Elapſo notabiliter tempore reſpondente horæ recitandæ in Choro, ea potius omittenda eſt.*

15 *Omittens ex conſuetudine frequentare Chorum non peccat m. quod alij negant.*

16 *Regulares in Choro recitant iuxta formam Breuiarij Romani, exceptis priuilegiatis.*

17 *Hi tamen potuerunt, de conſenſu Prælati, ac totius Capituli omiſſo proprio Breuiario recitare iuxta Breuiarium Romanum.*

18 *Recitantes in Choro iuxta proprium Breuiarium poſſunt priuatim recitare iuxta formam Breuiarij Romani, ſi ſtemus præciſè in bulla Pij V.*

19 *Secùs, ſi in aliquo Ordine adſit ſtatutum id prohibens.*

20 *Regulares habentes proprium Breuiarium, etiam hodie poſſent aſſumere Romanum, ſeruatis ſeruandis.*

21 *Religioſi epiſcopi debent vti Breuiario ſuæ Eccleſiæ, Cardinales vero eo, quo volunt.*

22 *Regulares habentes proprium Breuiarium, nec de licentia Prælati proprij regulariter poſſunt in Choro recitare vnum officium loco alterius; etſi cum dicta licentia videantur poſſe pro vna, aut altera vice.*

23 *Idque non obſtante quadam declaratione Sacræ Congregationis, quæ explicatur.*

24 *Hæc declaratio aſſeruari debet in Sacriſtijs Regularium.*

25 *Chori ſeruitium non explent, qui ſubmiſſa voce ibi canunt.*

26 *Etſi alioqui canente vno choro, Religioſi alterius Chori non teneantur canere, imò nec expediat.*

27 *Priuatim recitantes verſus alterius Chori, ſi poſtea voluntariè ſe diſtrahant, non ſatisfaciunt obligationi Chori.*

28 *Peccant m. ſi notabiliter mutilent in Choro diuinum Officium; & huius omiſſionis grauitas deſumenda ex qualitate partis mutilatæ.*

29 *Omiſſio publicæ recitationis horarum in Choro imputatur tum ei, cui incumbit cura illius, tum Religioſis, qui ei dant cauſam, aut ad illam concurrunt.*

30 *Peccant m. inuertentes ordinem horarum tum inter ſe, tum inter partes euſdem horæ, niſi excuſet paruitas materiæ.*

31 *Leuior tamen eſt inuerſio diuerſarum horarum inter ſe.*

32 *Ex nimia celeritate in canendis horis rarò peccatur mortaliter, per ſe loquendo.*

33 *Satisfaciunt obligationi Chori qui canunt abſque vlla attentione interna.*

34 *Quod tamen alij probabilius negant.*

35 *Addit Filliucius recitantem ſine vlla intentione interna, & ſi detur m. peccare, non teneri repetere horas ſic recitatas.*

36 *Non ſufficit autem attentio habitualis, nec requiritur actualis ad recitationem horarum; at ſufficit virtualis.*

37 *Ad illam item requiritur intentio implendi, quod præcipitur, & intentio orandi.*

38 *Non ſatisfaciunt Choro, qui ſuam partem recitant, ſed non attendunt ad partem alterius Chori.*

39 *Secùs, ſi attendant, ſed non poſſint percipere: quod alij negant.*

40 *Satisfaciunt, ſi ob neceſſarium ſeruitium Chori partem aliquam horarum omittant, imo & priuatæ obligationi diuini Officij iuxtà aliquos.*

41 *Verſus, qui per organum alternatim canuntur, altiori voce recitandi in Choro ab aliquo ibi aſſiſtente.*

42 *Si Officium muſico cantu dicatur in Choro, ad ſatisfaciendum obligationi Chori ſufficit aſſiſtentia perſonalis, etſi non attendatur ad ea, quæ canuntur.*

43 *Tardè accedentes ad Chorum non ſupplent poſtea partem omiſſam, niſi ſit notabilis, &, ſi tunc recitetur Tertia, ſufficit eos poſtea recitare Primam.*

44 *Non ſeruantes in Choro rubricas quo ad habitum, & ſitum corporis (v.g. aſſurgendo, aut genuflectendo) facilè poſſunt peccare venialiter.*

45 *Omiſſio chori de iure communi non eſt vetita ſub vlla pæna.*

Reci-

46 *Recitantes ex Breuiario Romano nec in Choro, nec extra tenentur recitare Officium B. Virginis, aut Defunctorum præſcripta in rubricis.*

47 *Niſi tale aliquod Officium expreſsè præcipiatur; vt Officium Defunctorum in die Cõmemorationis Defunct.*

48 *Etſi aliqui putent, neque hoc Officium ea die recitandum eſſe ſub mortali ob multas rationes, quæ adducuntur.*

49 *Seruitio Chori ſatisfit per ſolos Nouitios; etſi alij diſſentiant.*

50 *Si non ſint in monaſterio ſaltem 4. Religioſi Choriſtæ, ſuſpenditur Chori obligatio.*

51 *Horarum recitatio publica ex cauſa fieri põt in Sacriſtia.*

QVÆRES I. An ſit laudabilis vſus recitandi horas in Choro.

1 ℟. Eſſe, cùm Spiritus S. inſtinctu inductus ſit in Eccleſia, & communi eiuſdem Eccleſiæ, quæ in re graui nequit errare, conſenſu approbatus, ſicut antiquiſſima, ac vniuerſalis traditio fidelium oſtendit. ita *Suarez tom. 2. de relig. l. 4. de orat. cap. 1. num. 5.* & probatur tum ex varijs locis Sacræ Scripturæ, & Patrum teſtimonio ab ipſo *Suarez* ibi relatis: tum maximè quia Eccleſia eſt vnum corpus myſticum, in quo omnes ſumus vnum in Chriſto, ideòque per modum vnius debet Deum colere, ac venerari; quod fit in primis per recitationem horarum in Choro. præterquam quod talis oratio eſt magis accepta Deo, & Chriſto, vtpote facta ab Eccleſia eius Sponſa, quæ non poteſt non eſſe ſancta, & ei grata; etſi in ea ſint multi mali, ac indigni; fouetque multum charitatem totius Eccleſiæ, cũ ſic omnes diſcant communi ſpiritu pro omnibus eſſe orandum.

QVÆRES II. An commendabilis ſit conſuetudo recitandi horas in Choro cum cantu maximè organico, quem vulgò vocant *cantum firmum*.

2 ℟. Eſſe: & quidem quod Sanctiſſimus ſit vſus recitandi horas cum pſalmodia, eſt de fide; vt traditio, ac vſus Eccleſiæ ſatis oſtendit, & *Conciliũ Tridentinum ſeſſ. 23. c. 18.* declarauit: patetque tum ex multis locis Scripturæ, quos adducit *Suarez ſup. c. 7. num. 9.* tum ex vſu ab initio naſcentis Eccleſię inducto tam in Oriente, quàm in Occidente; tum quia hic modus orandi non habet per ſe, & ex natura ſua vllam circumſtantiam malam, aut à recta ratione alienam; nec eſt ſpeciali lege prohibitus, nec eſt otioſus, aut infructuoſus (vt oblatrãt hæretici) imò eſt valdè fructuoſus, ac vtilis; vt teſtatur etiam ex proprio experimento *S. Auguſtinus l. 9. confeſſ. cap. 7.* Quod verò ſit item commendabilis in Eccleſia vſus cantus figurati, conſtat, quia is in vniuerſali Eccleſia communiter retinetur, & in Romana Eccleſia in pontificio ſacello in diuinis Officijs non raró vſurpatur: & meritò, cùm in tali cantu per ſe ſpectato nulla adſit deformitas, quæ contrà decentiam perſonarum Eccleſiaſticarum, & Sanctitatem diuinorum Officiorum eſſe videatur. qua de re *Suar. c. 8.*

Vtrùm verò in dicto cantu licitum ſit vti muſicis inſtrumentis.

3 ℟. Eſſe, ſi illorũ grauis ſonus ac moderatus: & patet, quia talis vſus nec eſt per ſe indecens pro eccleſiaſtico Officio, nec eſt ab Eccleſia prohibitus; quin potiùs in ea eſt vſitatus (quamuis in capella papali non admittatur, quia fortaſſe non iudicatur adeò grauis, ac neceſſarius) iuuatque non parùm ad excitandam deuotionem in fidelibus paulò imperfectioribus, vt quotidiana docet experientia. Quòd ſi *S. Thomas 2. 2. q. 91. a. 2. ad 4.* dicit vſum muſicalium inſtrumentorum in templo veteri pertinuiſſe ad imperfectionem, & vmbram legis antiquæ, eò quòd ille populus eſſet magis durus, & carnalis, ac proinde egeret per ſimilia inſtrumenta ſenſibilia promoueri, ac inſtrui, ſicut per alia ſigna ſenſibilia; ſic loquitur S. Doctor, vt indicet vſum talium inſtrumentorum non eſſe neceſſarium, & in gratiam virorum perfectorum non adhiberi: interim tamen non negans, quin licitè poſſit vſurpari ad iuuandam infirmitatem fidelium minùs perfectorum.

QVÆRES III. An, & quo iure teneantur Regulares ad publicam horarum recitationem faciendam in Choro.

4 ℟. De rigore iuris teneri ex varijs iuribus, & præſertim ex *Clem. 1. de celebrat. miſſ.* quæ ſic habet, *In eccleſijs cathedralibus, & regularibus, & collegiatis deuotè pſallatur*: quæ verba ſunt præceptiua, cùm ſint per modum imperatiui, & de re graui; afficiuntque Regulares hòc ipsò, quód vnà cum eccleſijs obligatis ad aſſiſtentiam Chori enumerantur ipſorum eccleſiæ: aliàs enim fruſtrà hæ fuiſſent enumeratæ, ſi in ſubiecta materia non fuiſſent comprehenſi. quamquam Regulares, vniuerſim loquendo, nõ afficiantur tali obligatione, niſi iuxtà propriũ vniuſcuiuſque Ordinis Inſtitutum, ac conſuetudinẽ: quod dico, quia Regulares non tenentur dicere horas in Choro neque ratione beneficij, vt patet: neque ex eo, quòd alantur fidelium eleemoſynis, aut eccleſiaſticis bonis; cùm non alantur ſub hac conditione, nec ad hunc finem, ſed vt Deo inſeruiant iuxtà ſuum Inſtitutum: neq; ex aliquo iure canonico ſimponére omnibus Religioſis tale onus; cùm in *Clem. citata* talis obligatio potiùs aliunde ſupponatur, videlicet ex peculiari Religionum Inſtituto, aut conſuetudine, & præcipiatur, vt fiat debito modo.

5 Dixi *ex peculiari Religionum Inſtituto*: quia ſunt in Eccleſia aliquæ Religiones (qualis eſt Societas Ieſu) quæ non habent vſum Chori, & quidem etiam laudabiliter, vt oſtendit *Suar. to. 4. de relig tr. 10 l. 1. c. 8. n. 2. & ſeqq.* de ipſa Societate tum ex eo, quòd vſus chori alijs præſtantioribus bonis compenſatur, atteſtante Gregorio XIII. in bulla *Ex ſedis* relata in *bullario Societ. pag. 130.* his verbis: *Nos conſiderantes Religionem prædictam* (loquitur de Societate) *vberrimos fructus ad Dei laudem, & S. Catholicæ Fidei propagationem per vniuerſum Orbem dediſſe, meritòque in ſuis pijs inſtitutis confouendam eſſe: motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia ſocijs prædictis, vt horas canonicas ſinguli, & priuatim iuxtà vſum Romanæ Eccleſiæ, non autem communiter, ſeu in Choro recitare teneantur; quò acriùs ſtudijs, lectionibus, & prædicationibus intendere poſſint*: tum quia quandocumque ſpectato fine alicuius Religionis prudenter iudicatur aliquod exercitium, aliàs pium non eſſe admittendum in ea, vtpotè minùs accommodatum, ac expediens dicto fini: non ideò illa Reli-

gio iudicari debet imperfectior, aut inferior alijs Religionibus vtentibus præfato exercitio, ſi carentia talis boni alio meliori bono compenſetur; talis quippe carentia reſpectu illius Religionis non poteſt cenſeri neque imperfectio priuatiua (vt ſic loquar cum Philoſophis) cùm non ſit carentia perfectionis ipſi debitæ iuxtà ſuum finem, neque imperfectio negatiua ſimpliciter, ſi finis, ob quem omittitur illud bonum, perfectior ſit tali bono: ſicut ex *S. Anſelmo* dicunt Philoſophi, & Theologi non pertinere ad perfectionem ſimpliciter habere formaliter perfectionem illam, quæ aliam maiorem excluderet.

6 Ex quibus apparet, quàm malè dixerit *Sotus l. 10. de iuſt. q. 5. a. 3.* Religionem ſine obligatione recitandi diuinum officium in communi inſtitutam vix mereri nomen Religionis. nam præterquàm quòd dictum illius eſt præter Pontificum approbationem, nullo nititur fundamento: ſiquidem vſus Chori neq; eſt de ſubſtantia Religionis; cùm Societas Ieſu ſit vera Religio, licèt non habeat vſum chori: neque eſt medium neceſſarium ad Religionem ſuſtinendam, aut perfectionem comparandam; cùm Charitas multis alijs modis perfici poſſit: præſertim cùm poſſit contingere aliquam Religionem habere finem accommodatum perfectioni charitatis, ad quem vſus chori non ſit medium proportionatum, vt aduertit *Suarez ſup. n. 7.* addens *n. 9.* ex eo, quòd aliqua Religio non habeat Chorum inferri non poſſe illam eſſe imperfectiorem alijs Religionibus vſum Chori habentibus, ſed ad ſummum ſecundùm quid, cùm interim poſſit illas excedere in alijs perfectionibus maioribus, & per conſequens eſſe ſimpliciter perfectior; cùm illud dicatur ſimpliciter melius, quod in melioribus excedit.

QVÆRES IV. An, & quo iure teneantur Regulares recitare horas in Choro ſub peccato mortali.

7 ℟. Diſtinguendo: vel loquimur ſimpliciter de toto Conuentu, ſeu Eccleſia regularium, in qua extat conſuetudo recitandi horas in Choro: & ſic obligatio eſt ſub mortali: cùm tale onus, ſaltem per conſuetudinem videatur. ita receptum, & aliàs magnum eſſet ſcandalum, ſi omitteretur: vel loquimur de Religioſis in particulari; & ſic obligatio deſcendit ad ſingulos in communi: aliàs enim non poſſet impleri à tota communitate: vt ſic tamen non obligat ſingulos ſub mortali; niſi in aliqua Religione extet ſpecialis aliqua conſtitutio id expreſsè declarans, ac imponens (de quo mihi non conſtat) obligatio enim Chori in eo ſenſu tantùm inducta eſt in Religionibus, vt horæ omninò recitentur in Choro, & omnes Religioſi ijs intereſſe debeant iuxtà regulam, & quòd in hoc deficientes pœnæ debitæ ſubiaceant; non autem quòd mortaliter peccent ex eo præcisè, quòd non interſint choro. Ratio huius eſt, quòd quilibet Religioſus in particulari, non tenetur frequentare chorum, niſi ex vi regulæ, quæ ordinariè non obligat ſub peccato, ſed ſolum ad pœnam; quare, licet practicè, ac moraliter abſentia à Choro vix excuſetur à culpa veniali; ſi tamen aliqua moderata cauſa occurrat, excuſabit ab omni culpa, ſi aliàs horæ priuatim recitentur. quo pacto ait *Caietanus v. hora canonica; Vbi contemptus deeſt, & propter meam abſentiam non notabiliter læditur diuini cultus officij, & Prælati diſſimulant parùm de his, quæ Dei ſunt, curantes, non incurrunt in peccatum ex hoc, quòd deſunt horis canonicis in eccleſia mea, quia contrà præceptum iuris poſitiui propriè venio, nec notabile damnum infero diuino cultui.* ſic *Caietanus*, alijque Doctores communiter cum eo, & benè; niſi in aliqua Religione adſit peculiaris aliqua conſuetudo in contrarium, quæ vtique ſeruari deberet.

Grauior difficultas eſt, quo iure teneantur Regulares ſub mortali curare, vt recitatio horarum in Choro nunquam omittatur.

8 ℟. Teneri ex *Clem. 1. de celebrat. miſſ.* vbi ad euitandam Dei, & Apoſtolicæ Sedis indignationem præcipitur Prælatis hanc curam, ac ſollicitudinem habere: qui modus loquendi apertè indicat tale præceptum eſſe graue; vt benè aduertit *Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de orat. cap. 10. numer. 8.* monens id ipſum conſtare ex ipſa natura rei. nam quoties obligatio aliqua cadit in myſticum corpus alicuius communitatis, caput talis corporis ratione ſui muneris maximè debet curare, vt talis obligatio impleatur, quippe cui commiſſum eſt regimen talis communitatis. Quare, cùm Superior obligationem recitandi horas in Choro ſe ſolo implere nequeat, debet diligentiam adhibere, vt alij etiam Religioſi illam exequantur: Quamquam, vt notat *Caſtrus Palaus tractat. 7. D. 3. p. 1. num. 6. ex Suarez*, Superior vi illius obligationis non teneatur magis aſſiſtere Choro, quàm alij Religioſi ſubditi, niſi fortè ratione maioris exempli, aut ſcandali vitandi. quod idem docet *Diana p. 2. tr. 12. reſol. 38.*

9 Addit *Suarez ſup. n. 10.* & benè, quòd, licet cura prouidendi, vt chorus non deficiat, ſit penes Prælatum, & quòd is poſſit cogere ſubditos ad frequentandum chorum: quamdiu tamen ille non imponit ſpeciale, ac perſonale præceptum, non tenentur ſinguli ſubditi ad id ſub præcepto: imò Superior ſine cauſa non debet imponere tale præceptum, ſi ex vi regulæ publicæ obligationi ſatisfiat, & adſint, qui religioſè, ac voluntariè Chorum frequentent; ſecùs, ſi excedens eſſet in hoc ſubditorum negligentia; tunc enim imponendum eſſet præceptum, vt patet. Imò, ſi contingat etiam Prælatum eſſe in hoc nimis negligentem, vnuſquiſque Religioſus monaſterij debet curare, vt horarum recitatio non omittatur in Choro; nam deficiente Prælato, obligatio munerum, ac officiorum communitatis deſcendit ad particulares.

QVÆRES V. An Prælati regulares poſſint diſpenſare ſuper obligatione frequentandi Chorum, & cum quibus Religioſis.

10 ℟. Quòd, licèt de iure communi poſſint: cùm talis obligatio ſit ſolùm ex regula, & de re diſpenſabili ab ipſis Prælatis; attento tamen decreto Clementis Octaui relato in *bullario tom. 3. Conſtitut. 6. Clementis VIII.* & anno 1624. iuſſu Vrbani VIII. con-

confirmato à Sacra Congregatione videntur non poſſe abſolutè diſpenſare cum vllo ſubdito, ſed ſolùm cum ijs, qui ſpecialiter exprimuntur in decreto (ſi quidem hoc decretum ſupponatur eſſe in vſu) verba autem decreti hæc ſunt: *Nullus omninò prætextu cuiuſcumque priuilegij, vel ſuperioratus, etiam generalatus à ſeruitio Chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus: cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus Superiores ijs tantùm diebus, quib. eos legere, aut concionari cõtigerit, diſpenſare poſſint: idem quoque præſtare valeant cum ægrotis; & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pænitentia Superiores animaduertant ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit ſubtractione*. Vbi notat *Lezana to. 1. cap. 10. num. 20.* per ægrotos intelligi tam temporaneos, quàm perpetuos, & Religioſos valdè ſenes iuxtà *l. prætor ff. de vacat. & excuſat. mun. & l. ſemper ff. de iure immunit.* per eos verò, qui ſtudiorum cauſa ſunt impediti, venire etiam illos, qui imprimendis libris pro bono Religionis, ac Eccleſiæ occupantur.

Quòd ſi quæras, an Prælati regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, vt horas recitent in Choro extrà tempora conſtituta.

11 ℞. Poſſe pro vna, vel altera vice, ſed non in perpetuum: idque licèt occurreret iuſta cauſa taliter diſpenſandi. Colligitur ex *Sanchez l. 7. conſ. cap. 2. d. 42. num. 6.* id in terminis docente de Epiſcopo quoad proprios ſubditos: & probatur; quia obligatio recitandi horas in Choro temporibus præſcriptis eſt ex præcepto Concilij generalis Viennenſis; in præceptis autem Concilij generalis Epiſcopus nequit diſpenſare in perpetuum, ſed ſolùm ad tempus ex iuſta cauſa; vt docet idem *Sanchez* ex *Nauarro* concordantibus *Armilla v. hora n. 13. & Tabiena ibi nu. 16.* qui dicunt Epiſcopum non poſſe mutare aliquid circa Officium in perpetuum: quæ doctrina proportionaliter procedit de Prælatis regularibus quoad Religioſos ſubditos. Imò *Nauarrus* relatus à *Sanchez* putat Clericos vnius Eccleſiæ ſemel & iterum poſſe ob cauſam iuſtam mutare tempus horarum; quod negat *Angles*.

QVÆRES VI. An peccent m. Regulares non recitando horas in Choro præſcriptis temporibus, & quidem ſine iuſta cauſa.

12 ℞. Peccare m. ſi ſæpè id faciant; ſecùs ſi vna, vel altera vice: peccare inquam, tum Prælatos regulares, ex quorum negligentia omittitur publica horarum recitatio debito tempore; tum ſubditos, qui iuſſi dicere horas in choro præſcriptis temporibus omittunt id facere; & hoc ſæpiùs, & ita vt nec per alios horæ dicantur ſuo tempore. Ducor quod in *Clem. 1. de celebrat. miſſ.* iubentur Prælati efficere, vt horæ debitis horis publicè dicantur; ideòque cùm hoc præceptum ſit graue iuxtà inferius dicenda, eius violatio non poteſt non eſſe mortalis, ſi dictum præceptum ſæpiùs violetur: ex alia parte ſubditi, concurrentibus præfatis circumſtantijs delinquunt contrà præceptũ de re graui, & muneri ſuo notabiliter deſunt fraudando fideles commoda auditione diuinorũ officiorũ; cùm determinatio tẽporum pro publica horarum recitatione facta ſit in fauorem publicæ vtilitatis, vt populus, ſi velit, ad eã conuenire poſſit; ſitq; per accidens, quòd in aliquo loco priuato talis rō ceſſet. Dixi, *ſi dictũ præceptũ ſæpiùs violetur*; cùm enim ratio, ob quã Prælatus regularis in caſu propoſito iubet horas publicè recitari ſuis tẽporibus ſit ad vitandum ſcandalum; ſi Religioſi vna, vel altera vice tantùm deficiant circa hoc, non conſurget inde ſcandalum, adeòq; Religioſi vi talis defectus non peccabunt m. ita *Sanch. ſup. n. 1. 2. 3. 4. 5.* citans alios, *Suar. ſup. c. 15. n. 12. Lezana ſu. c. 12. n. 15.* alijq; penes ipſos, & patet ex dictis; ſi monuero cum *Suarez* obligationẽ recitandi horas publicè temporibus præſcriptas non eſſe nimis reſtringendam: cùm tempus horarum iuxtà communem praxim habeat magnã latitudinem, vt oſtendit vſus, & fatentur cõmuniter Doctores. Quare, ſicut horarum propria tempora reuocantur ad conſuetudinem; ita iudiciũ de grauitate antepoſitionis, aut poſtpoſitionis legitimi temporis valdè pendet ex conſuetudine, & cõmuni æſtimatione: ſicq; vnius horæ tẽporis præuentio, aut dilatio non cenſebitur grauis mutatio, niſi graue ſcãdalum ſequatur, vel totum eccleſiaſticum Officium ea de cauſa nimis perturbetur: quod tamen rariſſimè continget pro vna, vel alia ſimili negligentia, quæ in conſuetudinem non abeat: è contrà ſi matutinum differretur vſque ad horam miſſę, vel cõpletorium diceretur ante prandium, res grauis, & admodùm abſurda videretur; ſicut & videretur grauis tranſgreſſio in diebus Quadrageſimę differre in publico officio Veſperas poſt prandium, quæ tunc dici debent ante prandiũ; quamuis ſtandũ ſit in hoc cõſuetudini eccleſiarũ, regionũ, ac locorũ.

13 *Layman* tamen *l. 4. tr. 1. c. 3. nu. 6. Bonac. de hor. can. D. 1. q. 3. p. 3. n. 7. Diana p. 2. tr. 12. reſol. 14.* & alij putant ſecluſo ſcandalo rarò peccari mortaliter ex eo præcisè, quòd interdum mutetur tempus horarum in choro: probantq; quia circumſtãtia temporis nõ pertinet ad ſubſtantiam materiæ præceptæ. Et certè, quod ſpectat ad tempus recitandi Matutinum, vſus obtinuit, etiam apud Regulares, vt diuerſis tẽporibus recitetur; nempe vel proximè poſt mediã noctem (quo tempore recitandum eſſet iuxtà *ca. 1. de celeb. miſſ.*) vel ſummo mane, vel veſpere poſt recitationem Completorij, vel etiam ſub noctis initium; idq; ſcientibus, & non contradicentibus Prælatis: vt proinde in vnoquoque Ordine, Prouincia, aut Monaſterio quò ad hoc ſtandum ſit vſui legitimè inducto.

14 Monet autẽ *Sanch. ſup. d. 43. n. 6.* ex *Nauar.* elapſo notabiliter tẽpore reſpondente horæ canonicæ, quę debet recitari in choro, meliùs eſſe illã omittere, idque ad cauendũ ſcandalũ, quod aliàs inde ſequeretur.

QVÆRES VII. An peccent m. Regulares, qui ex conſuetudine non recitant horas in Choro.

15 ℞. Quòd, cùm obligatio recitandi horas in Choro non afficiat per ſe, & directè ſingillatim ſingulos Religioſos, ſed totã cõmmunitatem (vt oſtendimus q. 4.) & docet *Diana p. 3. tr. 2. reſol. 18.* ex *Suar. Fillιuc. Bonac.* & alijs: conſequenter ij non peccant m. non aſſiſtendo Choro: ſiue id faciant aliquando, ſiue etiam ex conſuetudine: vt enim benè notauit *Diana*, frangere regulam non obligantem ad culpam (qualis eſt obligatio frequentandi Chorum,

vt ſuppono) ſecluſo contemptu, non eſt peccatum m. iuxtà communem Doctorum ſententiam, & maximè *Sanchez lib. 6. mor. c. 4. n. 21.* quod tamen negat *Peregrinus p. 1. conſlit. c. 1. lit. B. §. 3.* ſuſtinentem Religioſos ex conſuetudine non recitantes horas in Choro m. peccare.

QVÆRES VIII. Iuxtà quam formam Breuiarij teneātur Regulares recitare horas in Choro.

16 ℞. Teneri recitare iuxtà formam Breuiarij Romani, exceptis ijs, qui ex inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, aut conſuetudine 200. annos antecedentibus eximantur; idque ex bulla Pij V. edita in confirmationem ſui Breuiarij, in qua, reuocatis prius omnibus alijs modis recitandi contentis in alijs Breuiarijs, præter quam ijs, qui ex inſtitutione à Sede Apoſtolica approbata, vel conſuetudine, quæ & ipſa inſtitutio 200. annos antecedat, retenti fuerint; deinde præcipit in hunc modum: *Omnes itaque alio vſu quibuslibet, vt dictum eſt, interdicto hoc noſtrum breuiarium, ac precandi, pſallendique formulam in omnibus vniuerſi Orbis eccleſijs, monaſterijs, Ordinibus, & locis, etiam exemptis, in quibus officium ex more, & ritu dictæ Romanæ Eccleſiæ dici debet, aut conſueuit, ſalua prædicta inſtitutione, vel conſuetudine prædictos 200. annos ſuperante præcipimus obſeruari*; ita Pius V. qui demum declarat in præfata Bulla; quocumque alio modo recitetur Officium diuinū, non ſatisfieri huic obligationi. Vnde patet in Choro pſallendum eſſe, vel iuxtà Breuiarium Pij V. (quo vti poſſumus, quamdiu libri prius impreſſi nō conſumuntur) vel iuxtà Breuiarium Clementis VIII. iuxtà cuius formam Breuiaria impoſterum imprimi debent, vt ipſemet Clemens ſtatuit, expurgans Romanum Breuiarium à mendis, paucis additis, aut immutatis. ex quibus infert *Suarez ſup. c. 13. n. 3.* peccatum graue eſſe, quacumque alia forma Breuiarij vti in eccleſijs tam ſæcularibus, quàm regularibus ſub ea exceptione non incluſis; cum præceptum ſit ſatis expreſſum; & materiam contineat grauem pertinentem ad ſubſtantiam diuini Officij. Dubitant hic Doctores, an Regulares excepti in bulla Pij V. omiſſo proprio Breuiario, potuerint admittere Romanum, pſallendo iuxtà formam illius in Choro, vel eo acceptato reſumere proprium Breuiarium:

17 ℞. Omninò potuiſſe (de conſenſu tamen Prælati, & totius Capituli idest maioris partis Conuentus) ita tamen vt, eo ſemel acceptato, non poſſent amplius illud relinquere, reſumendo propriū Breuiarium, niſi interueniret auctoritas Papæ; per illam enim acceptationem prius Breuiarium (cuius vſus per bullam Pij ipſis non vetatur) quaſi abolitum eſt, renuntiato priuilegio in exceptione illa contento; ſicque ad antiquam conſuetudinem rediri nequit propria auctoritate. ita in terminis *Suar. ſup. c. 11. n. 4. Rodriq. to. 1. q. 42. a. 13.* alijq; & apertè colligitur ex ipſa bulla Pij, quæ ſic habet: *Eiſdem* (loquitur de perſonis exceptis) *ſi fortè hoc noſtrum* (id eſt breuiarium) *quod modò promulgatū eſt, magis placeat, dummodò Epiſcopus, & vniuerſum capitulum in eo conſentiant, vt id in Choro dicere, & pſallere poſſint permittimus.* Vbi notandum, quòd licet Pius perſonis modo dicto exceptis non concedat vſum Romani Breuiarij, niſi dependenter à conſenſu Epiſcopi, & totius Capituli: ad hoc tamen vt Regulares eo vti poſſint, nō indigent conſenſu Ordinarij loci, totiuſque Capituli illius, ſed proprij Prælati regularis, & Capituli, monaſterij: ita vt verba illa *dummodò Epiſcopus, & vniuerſum Capitulum in eo conſentiant*, intelligi debeant cum diſtributione accommoda: nimirùm dictum Breuiarij mutationem nō poſſe fieri ſine conſenſu proprij Ordinarij, eiuſq; Capituli; Epiſcopi quidem, eiuſq; Capituli, ſi eccleſia mutans Breuiarium ſit ſæcularis; Prælati verò regularis, eiuſq; Capituli, ſi eccleſia ſit regularis. Colligo id ex *Rodriqu.* qui ſupra verba illa Pij V. dummodo Epiſcopus, & vniuerſum capitulum in eo conſentiant, adaptans Prælatis regularibus ait; *Conſentiente Prælato, & maiori parte illius Capituli, aut Conuentus*: & meritò, quia fortè minùs congruum foret Religioſos alias exemptos ab Epiſcopo, eiuſq; Capitulo, ijs ſubijci quo ad mutationem Breuiarij. Imò addit *Rodriq.* Pium V. per ly *vniuerſum capitulum* non requirere, quòd omnes de Capitulo conſentiant in mutationem Breuiarij, nemine prorſus diſcrepante (quod vix poteſt contingere) ſed quòd conſenſus præſtetur à Capitulo, vt Capitulum eſt, nempe per modum vnius corporis myſtici ad hoc adunati; quo modo vniuerſum dicitur conſentire hoc ipſo, quod maior pars vincit, ſaltem regulariter loquendo, vt benè notat *Suarez ſup. num. 4.*

Maius dubium eſt, an Regulares, qui non tenentur vti Romano Breuiario, poſſint eo vti extrà Chorum, etiam ſine conſenſu Superioris, & Capituli, ſi in Choro vtantur proprio Breuiario.

18 ℞. Non videri improbabile, quòd poſſint ſtando præcisè in bulla Pij V. ita in terminis *Nauarrus l. 3. conſil. de celebrat. miſſ. conſ. 16. n. 2. Bonac. ſup. p. 1. nu. 5. Reginald. l. 18. n. 173. Rodriq. to. 1. q. 42. a. 13. Portell. de dub. regul. v. hora canonica n. 5.* alijq; contrà plures alios apud *Bonacinam n. 3.* & probatur, quia ex vna parte Pius V. in illa ſua bulla non adſtringit habentes Breuiarium ante annos 200. receptum ad vtendum nouo Breuiario, ſed ſolùm permittit, vt non teneantur vti nouo Breuiario, datq; facultatem, vt, ſi velint vti nouo, id facere poſſint; etiam in Choro; modò ad id habeat conſenſum Epiſcopi, & vniuerſi Capituli: ex alia parte talis conſenſus Epiſcopi, & Capituli requiritur ſolùm ad ſeruandum Breuiarium nouum in Choro; non autem ad illud ſeruandum extrà chorum: & ſic, quando Pius V. loquens de vſu noui Breuiarij dicit, *vt id in choro dicere, & pſallere poſſint permittimus*, ſubintelligenda videtur dictio *etiam* præmittenda ante verba illa *in choro*; ita vt legatur, *vt id etiā in Choro dicere, &c.* quomodo cū dictio *etiam* ſit ampliatiua, ſenſus erit omnibus Eccleſiaſticis habentibus Breuiarium ante 200. annos receptum, tā ſæcularibus, quàm Regularibus permitti vſum Breuiarij noui non ſolùm extrà Chorū, ſed etiā in Choro, dummodo quo ad hoc poſterius adſit conſenſus Epiſcopi, & Capituli modo ſup. explicato. quę limitatio meritò requiritur ad vtendū nouo breuiario in choro, nō autē ad vtendum extra chorū in priuata recitatione: cū vſus breu. noui in publica recitatione facienda in choro ſit res longè maioris momenti, adeoq; non niſi cum magna conſide-

ſideratione (qualis ſupponi poteſt, interueniente conſenſu Epiſcopi, & Capituli) induci debet. Et certè quod ante verba illa *in Choro* ſubintelligi debeat dictio *etiam* inde conſtat, quod alioqui ſequitur Breuiarium nouum de conſenſu Epiſcopi, & Capituli *poſſe* quidem adhiberi in choro ab habentibus Breuiarium antiquum ante 200. annos receptum, non item extrà Chorum: cùm alioqui conſenſus ſufficiens ad recitandum in Choro iuxtà Breuiarium Romanum à fortiori ſufficere debeat ad recitandum extrà Chorum; quod vtique patet eſſe abſurdum. videbitur autem hoc abſurdum, ſi ante verba illa *in choro* ſubintelligamus dictionem *etiam*: quare ea omninò videtur ſubintelligenda ſtante doctrina *Felini* alios referentis in *cap. ſignificaſti num. 10. & ſeqq. de foro compet.* quod theorica Iuris habet ceſſare argumentum à contrario ſenſu, cum ex eo ſequitur abſurdum, ſeu contrarium Iuris quod euenit in præſenti caſu.

19 Dixi ſub initium reſponſionis *ſtando præciſè in bulla Pij V.* ſi enim in aliquo Ordine adſit ſtatutum obligans ſub peccato ad non vtendum alieno Breuiario; tunc vtique non procedit doctrina paulò ante tradita, ſed ſeruari deberet ſtatutum illud, vt in ſimili aduertit *Bonacina ſup. n. 6.*

20 Adde quòd, ſi in aliquo Ordine antiquo habente proprium Breuiarium nondum fuiſſet acceptatum Breuiarium nouum; etiam in præſentia, poſſet illud acceptari (ſeruatis tamen ſeruandis.) Et ratio eſt, quòd Pius V. abſolutè, & ſine vlla temporis limitatione dedit facultatem omnibus Eccleſiis tam ſæcularibus, quàm regularibus, vt omiſſo antiquo breuiario poſſint recipere nouum, & talis facultas non fuit reuocata: ergò qui illud non receperunt, adhuc poſſint recipere; cùm lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi; maximè ſi ſit de re fauorabili, quæ patitur ampliationem.

Vtrum verò Regulares promoti ad dignitates extrà Religionem (v.g. ad Epiſcopatum) teneantur vti Breuiario vſitato in proprio Ordine, vel aliquo alio.

21 ℟. Teneri vti Breuiario propriæ quidem Eccleſiæ, ſi ſint Epiſcopi, Abbates, aut Parochi; ſi verò ſint Cardinales, aut Epiſcopi titulares, poſſe vti eo Breuiario, quo maluerint. quamuis meo iudicio conſultum eſſet, vt vterentur Breuiariò Romano, ſe in hoc conformantes communi matri Eccleſiæ Romanæ. ita *Lezana ſup. cap. 17. nu. 11. Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. 25. Azorius p. 1. l. 12. c. 7. q. 4.* aliique, & patet, quia obligatio recitandi officium diuinum iuxtà ritum ſui Ordinis eſt vna ex regularibus obſeruantijs, à quibus eximuntur regulares eo ipſo quod promouentur ad dignitates extra Ordinem.

QVÆRES IX. An Regulares habentes proprium Breuiarium in recitatione publica, ſaltem de licentia Prælati regularis, commutare poſſint vnum Officium in aliud (v.g. officium de feria in officium de Sancto.)

22 ℟. Regulariter non poſſe, cùm iuxta præfatam Pij V. bullam obligati ad recitationem diuini Officij teneantur non ſolum dicere Officium quotidie, ſed etiam officium illud, quod in Breuiario applicatur ad ſingulos dies; idque maximè in publica recitatione, quæ fit in Choro. præterquàmquod talis mutatio publicè facta fieri nequit ſine nota, aut ſcandalo; cùm præſertim in publica recitatione attendi debeat conſuetudo Eccleſiæ, & ſit neceſſaria vniformitas: non videri tamen improbabile, quòd Prælatus regularis ex iuſta cauſa pro vna, vel altera vice poſſit in hoc diſpenſare. ſi tamen non obſtat quædam Sacræ Congregationis declaratio, quam aliqui tacito nomine relati à *Diana p. 2. tr. 12. reſ. 36.* aſſerunt fuiſſe factam in contrarium; quæ ſi eſt authentica, ſeruanda eſt. ita *Suarez ſup. c. 11. numer. 6.* & cum eo *Diana loco citato* pro ſe adducens *Portellum, S. Antoninum, Tabienam, Armillam, Nauarrum, & Raphaelem de la Torre*: pateique quia talis diſpenſatio non videtur excedere poteſtatem Prælati regularis, ſicque ei non debet denegari; etſi aliàs non poſſit facere mutationem totius Breuiarij.

23 Nec obſtat declaratio Sacræ Congregationis, quæ iuſſu Vrbani VIII. edita fuit 8. April. 1628. & apponitur in nouis Breuiarijs in hæc verba: *Sacra rituum Congregatio declarauit, & decreuit non potuiſſe poſt bullam Pij V. de Breuiario Romano, neque poſſe locorum Ordinarios tam ſæculares, quam regulares addere Calendarijs, etiam proprijs Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani, rubricis, vel Sacræ rituum Congregationi, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur: neque propria auctoritate quouis prætextu mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, ſeu rubricis Breuiarij in altiorem ritum, neque extendere conceſſa Officia de loco ad locum: item vetuit, & prohibuit celebrari per totam ciuitatem, vel diœceſim etiam de cuiuſcumque Ordinarij auctoritate feſtum cum Officio, eo quòd in loco adſit Eccleſia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua reliquia; ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia titulari, ſeu vbi aſſeruatur corpus, aut inſignis reliquia, & non alibi. Inſignes autem reliquias declarauit eſſe caput, brachium, crus, aut illam partem corporis, in qua paſſus eſt martyr, modo ſit integra, & non parua, & legitimè ab Ordinario approbata. De Sanctis Epiſcopis locorum, Martyribus ciuibus, & alijs feſtis, de quibus in Calendario Romano, ſeu rubricis Breuiarij nihil habetur, vti etiam de Beatis nondum canonizatis nihil propria auctoritate conſtituatur, ſed omninò conſulatur Sacra rituum Cōgregatio. Decretū quoque nuper editum ſuper electionem Sanctorum in patronos, & impreſſum omninò ſeruetur; & hæc omnia decreuit, ſtatuit, & mandauit innouando pœnas Conſtitutionis Pij V. reſpectiuè; quod ſcilicet alioqui non ſatisfiat obligationi recitandi diuinum Officium.* Non obſtat inquam talis declaratio, etſi ſit authentica, adeoque obſeruari debeat: per illam enim ſolùm prohibetur, ne Calendarijs, etiam proprijs addantur Officia Sanctorum à Sede Apoſtolica non conceſſa (intellige in perpetuum recitanda) neue mutetur ritus Officiorum (illum faciendo v.g. de ſemiduplici duplicem) non autem prohibetur, quo minùs ex cauſa mutari poſſit Officium in Officium pro vna, vel altera vice: cū hoc ſit diuerſum quid ab eo, quod in dicta declaratione prohibetur; & aliàs talis prohibitio vt odioſa reſtringi debeat iuxtà regulam iuris, *Fauores ampliari, odia reſtringi oportet.*

24 Monet autem *Lezana tom.1.cap.12.num.33.* ne præfatæ declarationis ignorantia vllo vnquam tempore poſſit ab aliquo prætendi, neque obliuio poſſit irrepere, Sacram Congregationem mandaſſe, vt ea in Sacriſtijs omnium Eccleſiarum, tam ſæcularium, quàm regularium affigeretur, ibique affixa perpetuò aſſeruetur vna cum illa alia declaratione, qua eadem Sacra Congregatio reiecit, damnauit, & reprobauit miſſas, quæ circumferuntur, à Sacra Congregatione non approbatas, S. Gregorij pro viuis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum, de Patre Æterno, & quaſcumque alias exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ Regularibus tantùm, veluti Roſarij, S. Mariæ de Carmelo, & alias, ſicut & Officia ab eadem non approbata.

QVÆRES X. An Regulares horas canentes in Choro ſubmiſſa voce expleant debitum ſeruitium Chori, & ſatisfaciant.

25 ℞. Non explere, etſi aliàs ſatisfaciant obligationi recitandi Officium. ita in terminis *Sanchez l.7.conſ.cap.2.d.8.num.3.* ex *S. Thoma*, & *Nauarro*, cum quibus ſentiunt *Suarez to.2. de relig.l.4. de orat. cap.12.num.8.* & alij. Moueor tum quia horæ recitantur publicè, vt aſtantes excitari poſſint ad deuotionem, ideoq; debent dici ea voce, qua poſſint audiri: tum quia in *cap.vlt.d.92.* dicitur, vt ad quotidianum pſallendi officium in Choro conueniant Clerici, qui tali Eccleſiæ deputati ſunt: conuenire autem ad officium non eſt ſolùm conuenire in loco, in quo pſallitur, aut ad audiendam pſalmodiam, ſed ad pſallendum cum pſallentibus; quod eſt conuenire formaliter, non autem ſolùm materialiter: tum quia illorum præſentia in Choro poſtulatur non propter ſe, ſed propter miniſterium; aliàs quantùm ex vi muneris, poſſent omnes Religioſi adeſſe in choro, & tacere, vel obmurmurare; cum obligatio canendi ſit in illis omnibus, & non magis in vno, quàm in alio; quod eſt omnes in ſolidum teneri cauere: aliàs non eſſet ſufficienter prouiſum diuino ſeruitio.

26 Verùm quidem eſt, quòd dum alius Chorus cantat, non tenentur Religioſi alterius Chori quippiam loqui, ſed debent audire, & quaſi per alios canere: imò non expedit, vt alijs canentibus, illi obmurmurando recitent non ſine perturbatione circumſtantium, qui vel diſtrahuntur verbis, & murmure orantis, vel aliquo modo commouentur contrà illum, vel tedio afficiuntur, vel etiam interdum illius exemplo ducuntur, & ſic Chori quies, ac ſilentium perturbatur. Quare notat *Suar. ſup.num.18.* in hoc ſæpè venialiter peccari, niſi excuſet ignorantia, & bona intentio: quod confirmat *Sanch.d.13.n.3.* ex *Nauarro* dicens non benè facere eos, qui ea, quæ ſecundùm communem Chori conſuetudinem aliquis ſolus dicit, priuatim ſubmiſſa voce recitant, quia melius eſſet attentè audire: cùm ij nec commodè ſic poſſint recitare ſecretè, dum alij canunt, nec poſſint attendere ad ea, quæ ab alijs canuntur. Quin etiam *Nauarrus de orat.c.15.n.5.* ſimpliciter ait eſſe peccatum recitare in choro, dum alij cantant ob perturbationem, & occaſionem diſtractionis, quæ alijs præbetur. Quæ benè notanda ſunt ijs, qui in choro priuatim recitant lectiones, verſus, orationes, &c. eò quòd timeant ſe aliàs non ſatisfacere ſuæ obligationi: cum tamen *Sylueſter v. hora q.7.* dicat ſtultum eſſe de hoc formare ſcrupulum.

Maius dubium eſt, an Regulares vnius chori, canente alio choro, propriæ ſatisfaciant obligationi, ſi priuatim recitent verſus alterius chori, & poſteà voluntariè diſtrahantur.

27 ℞. Ex *Suarez num.20.* ſatisfacere obligationi recitationis priuatæ, non item publicæ, ad quam etiam tenentur. Ducor, quòd regulares ex obligatione chori tenentur totum officium recitare in choro, ſiue totum dicendo, ſiue partim dicendo, & partim audiendo: ſi autem non attendant modo dicto, eò ipsò non concurrunt vlla ratione ad eam partem, ad quam non attendunt, ſicque illam omittunt, ac proinde non ſatisfaciunt propriæ obligationi integrè, & plenè. quamquam ex hoc capite, vt ſic non peccent grauiter, cùm nec grauiter peccent præcisè ex eo, quod non frequentent chorum, vt iam dictum eſt.

QVÆRES XI. An, & quo modo Regulares peccent omittendo, aut mutilando diuinum officium in choro.

28 ℞. Peccare mortaliter, ſiue per integrum diem naturalem omnes horæ canonicæ omittantur, ſiue etiam vnica hora, quæ ſimpliciter non dicatur. ita *Suarez ſup. cap.13.n.1.& 2.* probatque ex eo, quod cùm in recitatione priuata diuini officij omiſſio nō ſolùm omnium horarum ſimul, ſed etiam vnius horæ tantùm vno die facta communiter cenſeatur mortalis, vt videbimus *ſect. ſequenti q. 16.* multò magis talis omiſſio erit mortalis in publica recitatione, quæ fit in choro: maximè cùm reſpectu chori actio ipſa recitandi officium materialis, ſeu corporalis ſit grauior, difficilior, & laborioſior, cultus inde Deo proueniens ſit præſtantior, & grauius ſit damnum, quod inde patitur Eccleſia. Quæ ratio probat idem proportionaliter dicendū eſſe de parte notabili cuiuslibet horæ; illam ſcilicèt, quæ cenſetur grauis reſpectu omiſſionis priuatæ, a fortiori eſſe grauem reſpectu omiſſionis eiuſdem partis in choro. imo cùm publica recitatio officij, quæ fit in choro, ſit grauior reſpectu illius, pars minor omiſſa faciet omiſſionem grauem: qualis non cenſeretur par omiſſio facta in recitatione priuata: grauitas enim partis omiſſæ debet attendi, non ex quantitate reſpectiua, ideſt quod ſit tertia, vel 4. vel alia pars aliquota horæ, ſed ex quantitate, dignitate, aut grauitate ſua abſoluta, ex qua pendet magis grauitas culpæ: quo pacto Doctores dicunt grauius eſſe omittere in miſſa vnum verbum Canonis, quàm orationem integram extrà illum. Vnde fit, vt in publica recitatione eſſet grauior defectus omittere initium illud horæ, *Deus in adiutorium meum intende*, aut in Veſperis *Magnificat*, quàm omittere alium Pſalmum maiorem; cum ex ea omiſſione oriatur maior deformitas, quàm ex hac. ita *Suar. ſup. n.3.* hinc inferens omiſſionem Pſalmi integri voluntariè factam in publica recitatione videri ſufficientem ad peccandum mortaliter; quæ tamen in priuata recitatione non ſufficeret.

Vnde

Vnde quis benè inferat quod cum PP. Benedicti-ni iuxta formam proprij Breuiarij debeant in fine Matutini recitare Euangelium currentis diei in publica recitatione Chori, peccarent m. ſi illud voluntariè omitterent grauitate huius defectus deſumpta ex dignitate partis, quæ omittetetur.

Quod ſi quæras, cui debeat imputari peccatum, quod ſit in caſu, quo omittatur publica recitatio diuini Officij.

29 ℞. Imputari in primis quidem ei, cui Eccleſiæ cura incumbit; quippequi ex officio tenetur iuxtà *cap.1.de celebrat.miſſ.* curare, vt horæ dicantur in Choro, qualis in Ordinibus Monachalibus eſſe ſolet Prior) poſtea verò imputari ijs, qui tali omiſſioni præbent cauſam, aut ad illam cooperantur (ſi quidem id aduertant) ſi enim ij bona fide non adeant Chorum, eo quod putent alios interfuturos ad implendum ſeruitium Chori, non peccabunt cùm iuxtà dicta q.4. Regulates ad Chorum non teneantur in particulari; ſicque peccatum imputabitur ſolùm ei, qui præeſt Choro.

QVÆRES XII. Qualiter peccent Regulares in recitatione publica inuertendo ordinem horarum ſiue inter ipſas horas inter ſe, ſiue inter partes vniuſcuiuſque horæ.

30 ℞. Ex genere ſuo peccare mortaliter, niſi excuſet materiæ paruitas, aut inaduertentia; maximè ſi inuertatur ordo horarum quo ad partes ipſarum inter ſe (v. gr. dicendo hymnum in fine, & capitulum in principio.) Ducor, quòd talis inuerſio Ordinis aufert vniformitatem, quæ Eccleſiæ tribuit ſpecialem decorem, & dat occaſionem grauioris offenſionis, ac ſcandali. præter quàm quòd in his artefactis vnitas rei, & quaſi eſſe illius conſurgit ex ordine ſuarum partium; qui proinde dici poteſt de ſubſtantia illius, prout eſt tale artefactum. quare cùm talis ſit vnitas cuiuslibet horæ canonicæ, inuertere ordinem illius eſt ipſam deſtruere, aliumque ritum inducere: quod in recitatione publica non poteſt fieri ſine culpa graui ex genere ſuo. ita *Caſtrus Palaus tra. 2. D 3. p. 5. numer. 1. ex Suarez ſup. cap 11. num. 7. Fillucius tract. 23. num. 187. & 188.* alijque apud *Dianam p. 2. tract. 2. reſol. 16.* qui cum *Bonacina ſup. q. 3. p. 4. n. 5. & Gauanto ſup ſect. 1. c. 5 tit. 8. n. 3.* putat inuertentes ordinem horarum in Choro non peccare mortaliter, ſecluſo ſcandalo, & alijs circumſtantijs.

31 Dixi *maximè ſi inuertatur Ordo horarum ſingularum quo ad partes illarum inter ſe.* quia faciliùs excuſari poteſt à mortali inuerſio Ordinis diuerſarum horarum inter ſe (v. g. priùs recitando Sextam, & poſteà Tertiam) nam in tali ordine non adeſt connexio adeò intrinſeca; ſicut eſt inter partes cuiuslibet horæ inter ſe; ſicque non apparet tanta deformitas in mutatione illius. quamuis etiam ille ordo ſit per ſe intentus ex vi talis ritus, ac inſtitutionis: quatenus ex omnibus horis componitur vnum integrum Officium, quod ſuo modo vnum eſt. Vnde fit, vt ſi talis ordo ſine cauſa mutetur, talis mutatio non poſſit contingere abſque aliqua culpa ſed non graui, regulariter loquendo. quod fortaſſe intendunt Aduerſarij, dum negant peccare mortaliter illos, qui in publica recitatione horarum non ſeruant debitum ordinē ea ducti ratione, quòd Ordo horarum non eſt de ſubſtantia illarum: quæ ratio ipſis magis ſuffragatur in hoc poſteriori caſu, quàm in priori.

QVÆRES XIII. An, & qualiter peccent Regulares canendo horas in Choro nimia celeritate.

32 ℞. Raro videri peccare mortaliter, niſi accedat grauis contemptus, magnum ſcandalum, aut notabilis verborum deformatio; facilè tamen peccare venialiter, ſiue ex nimia velocitate aliquid ex verbis omittant, aut corrumpant contrà *Concilium Baſileenſe ſeſſ. 21. §. 2.* ſtatuens dicendum eſſe Officium in Choro *prolatione non præcipiti, ſed diſtinctà; non curſim, ac feſtinanter:* ſiue impediant attentionem audientium, ac recitantium: ſiue quòd illorum celeritas ſit nimia reſpectiuè, eo quod in feſtis ſolemnioribus ex decreto præfati Concilij pauſa maior in cantu debeat adhiberi. ita in terminis *Fillucius ſup. num. 210.* & cum eo *Diana ſup. reſol. 32.* pateteque ex eo quòd in hoc communiter interuenit paruitas materiæ, per quam excuſantur Regulares à mortali; etſi venialiter peccent ob aliqualem irreuerentiam, quæ committitur.

QVÆRES XIV. An Regulares ſatisfaciant Choro, ſi canant ſine vlla interiori attentione.

33 ℞. Videri ſatisfacere: & probatur, quia eſtò detur Eccleſiam poſſe præcipere actus internos concomitanter, & per conſequens internam attentionem in recitatione diuini Officij: non ideò tamen conſtat ſufficienter, quod illam de facto voluerit præcipere; cùm ei ſufficere videatur: ſi ſuo præcepto à ſuis miniſtris obtineat, vt in Choro; aut extrà publicas orationes decenter pſallant, aut pronuncient, de reliquo committens Deo iudicium de interna deuotione. Præterquàm quòd ad eſſentiam orationis, ſimpliciter loquendo, ſufficit attentio externa, in eo conſiſtens, vt orans exteriùs non occupetur in vllo negotio incompoſſibili cum attentione interna (v. g. in ſcribendo) quo modo in *cap. dolentes de celebrat. miſſ.* præcipitur, vt Officium diuinum celebretur ſtudiosè, & deuotè; non quidem requirendo attentionem internam, aut deuotionem interiorem (vt ſupponunt Aduerſatij) ſed ſolùm præcipiendo actum ſtudioſum externum: qui ſcilicet fiat cum ijs circumſtantijs, vt non peccetur exteriùs contrà virtutem Religionis: ſic enim actus orationis eſt verus actus externus Religionis: ſicut adoratio Idoli externa eſt verus actus Idolatriæ, etſi adorans non intendat interiùs adorare idolum. ita *Sylueſter, Medina, Angel. S. Antonin. Roſella Palud. Henriq. Leſſ. Vitorell. Coninch. Laym.* apud *Dianam ſup. reſol. 2. Bonacina ſup. p. 2. §. 2 num. 4. Fillluc. tract. 23. nu. 253. Tiberius in inſtruct. ordin. q. 92.* alios citans, alijque relati à *Sanchez ſup. d. 10. num. 2.* ſuſtinente opinionem oppoſitam ſolùm eſſe probabiliorem. Vnum autem hic moneo recitantem horas cum voluntaria mentis deuagatione, etiam in ſententiâ Doctorum ſuprà allegatorum peccare venialiter contrà virtutem religionis; licet non peccet contrà legem Eccleſiæ deuotam recitationē horarū præcipientis: dummodò externè non ſe occupet inter recitandum in actione contraria attentioni.

Conce-

34 Concedo tamen communem, ac probabiliorem Doctorum ſententiam habere recitantem horas ſine vlla attentione interna per partem notabilem ex genere ſuo peccare mortaliter, ſi aliunde non excuſetur ex inaduertentia; quæ vtique ſæpè excuſat: maximè cum *Suarez ſup.c.26.n.20.ex Caietano* dicat, ad hoc vt diſtractio cenſeatur voluntaria, ac peccaminoſa, non ſufficere, vt quis aduertat, quod cogitet, ſed requiri, vt aduertat ſe ſic diuerti ab oratione: quod approbat *Filliucius ſup.num. 255.* addens hanc doctrinam benè notandum eſſe à ſcrupuloſis, qui ſæpè repetunt horas, & ſemper committunt eoſdem defectus, aut etiam maiores: cum potius adnertentes ſe eſſe diſtractos deberent mentem applicare ad attendendum; ſibi perſuadentes, teſte *Caietano v.hora* vix accidere timorato, vt in hoc peccet mortaliter, ideoque conſulendum eſſe, imò ei præcipiendum, ne repetat. Ar quod facit doctrina *Maioris in 4.d. 12. q.7.* non oportere, vt recitans horas recordetur ſe dixiſſe omnia, ſed ſufficere, ſi nullo claro indicio conſtet aliquid omiſiſſe. Et quidem quod recitans horas cum diſtractione voluntaria notabili peccet m. docent *Suarez num.25.Bonac.num.4.* & alij apud *Dianam ſuprà*: probantque tum ex eo quod vocalis prolatio facta ſine vlla interiori attentione non eſt oratio, ſed materialis prolatio verborum; & aliàs præceptum recitandi horas obligat ad orandum: vt conſtat ex *c. dolentes*, vbi præcipitur oratio ſtudioſa, & deuota: tum quia Eccleſia poteſt præcipere actus internos concomitanter, & conſequenter attentionem aliquam interiorem in reci atione diuini Officij tum priuata, tum publica ſeruandam. Quæ rationes faciunt hanc opinionem probabilem; non ſunt tamen inſolubiles, nec conuincunt oppoſitam opinionem eſſe falſam; quam proinde *Diana ſup.* ſine metu aſſirmat eſſe probabilem.

35 Addit *Filliucius num. 261.* ex *Medina, Corduba,* & alijs probabilem eſſe opinionem, quæ aſſerit illum, qui ſine vlla interiori attentione recitat horas, non teneri iterum eas recitare, etſi detur, quod peccet m. Ratio eſt, quia in tali recitatione concurrunt duo præcepta Eccleſiæ, vnum recitandi horas voce, alterum attendendi: ideoque recitans ſine attentione peccat m. eò quod non impleat modum præcepti; at hoc ipsò quod voce horas profert, non tenetur repetere, cum ſic impleuerit ſubſtantiam præcepti. Oppoſitum ſuſtinent DD. communiter, & probabilius, teſte ipſo *Filliucio num.262.* ea ducti ratione, quod præceptum eccleſiaſticum orandi eſt vnum tantùm, nempe recitàdi vocaliter horas cum debita attentione: ac proinde, ſi obligatus recitare prima vice non attendit, præceptum non implet, adeoque ad illud implendum tenetur iterum recitare.

Quod ſi quæras, quæ attentio requiratur interior ad implendum præceptum recitandi diuinum officium.

36 ℟. Quod, cum triplex attentio interior ſpectari poſſit in recitatione horarum; nempe habitualis, actualis, & virtualis: habitualis non requiritur, nec ſufficit (aliàs poſſet quis dormiens horas recitare ex habitu, & implere præceptum; quod nemo dicet) actualis verò ſufficit, ſed non requiritur; quippe quæ fragilitati humanæ eſt valdè difficilis, ne dicam, moraliter impoſſibilis; ideoque non eſt probabile, quod præcipiatur ab Eccleſia: virtualis denique requiritur (cum iuxta dicta ſine ea, orationis ſubſtantia non ſaluetur) & ſufficit, cum, excluſa habituali vt omninò inſufficiente, & actuali tanquam non neceſſaria, ſola virtualis remaneat. Vnde, ſi detur aliquam attentionem internam peti ad recitationem horarum; fatendum eſt virtualem ad illam ſufficere: ſiue ea habeatur ad verba, vt ea integrè proferantur; ſiue ad ſenſum literalem verborum; ſiue ad præſentiam Dei, Beatæ Virginis, ac Sanctorum, ſiue ad aliquod pium myſterium (v.g. natiuitatis Chriſti) ita *Bonac. ſup.num.13. Tiberius ſup.q.92. Filliuc.num. 73. & 74.* alij apud ipſos; patetque ex dictis, ſi addidero nomine attentionis habitualis venire illam, qua quis ex habitu, vel vſu facit aliquid, non aduertens ad id, quod agit; idque nulla præcedente aduertentia in principio: actualis verò eſt ea, qua quis aliquid facit actu adnertens ad id, quod agit: virtualis denique eſt ea, qua quis incipit operari, & virtute illius proſequitur operationem, etſi in progreſſu diſtrahatur inuoluntariè.

QVÆRES XV. Quæ intentio requiratur ad hoc vt Regulares intereſſentes Choro ſatisfaciant propriæ obligationi.

37 ℟. Requiri non ſolum formalem, ſeu virtualem intentionem implendi id, quod præcipitur (vt in ſimili diximus *cap. 4. q. 5.*) ſed etiam intentionem orandi, non autem ſolum canendi materialiter, & aſſiſtendi Choro per meram præſentiam corporalem: aliàs non ſatisfacerent obligationi, niſi haberent propoſitum repetendi eaſdem horas, priuatim ſupplendo per priuatam recitationem defectum commiſſum in publica. ita *Suarez ſup.c.14. num.12. Filliuc.num.70.Nau.de orat.c.13.num. 14.* alijq; communiter; & patet, quia recitatio horarum eſt actus religionis, ſicq; debet procedere ex intentione pertinente ad Religionem: quod fieri nequit ſine intentione petendi aliquid à Deo: quare recitans horas ſtudij cauſa non ſatisfacit obligationi, cum non habeat intentionem orandi.

QVÆRES XVI. An Regulares canentes in Choro ſatisfaciant obligationi, ſi partem ſuam recitent, at non attendant ad partem alterius Chori.

38 ℟. Non ſatisfacere: & probatur, quia vi huius obligationis tenentur Regulares concurrere ad totum Officiū, & totam illam orationem aliquo modo facere ſuam: ſi autem non attendant ad partem alterius Chori, illam non faciunt ſuam, nec ad eam vllo modo concurrunt; cùm eam non recitent, nec debita attentione audiant. ita *Sanch.l.7. conſ.c. 2. d. 13.num.1.ex Nau.* cum quibus ſentit *Bonac. ſup. p.2. §.1. num.21.*

Maius dubium eſt, an ſatisfaciant Regulares, ſi partem ſuam recitent, at partem alterius Chori non poſſint percipere, quantumuis attendant.

39 ℟. Quod, licèt aliqui cum *Sà v.hora canonica nu. 9.* & *Suarez c.28. num. 15.* putent illos ſatisfacere (niſi forte ſint ſurdi) & quidem non omninò improbabiliter: quippequi faciunt, quod poſſunt nec debent aſtringi ad plus; cum præcepta eccleſiæ benignè

magnè debeʃit interpretari: probabilius tamen videtur, quod docet Bonac. num. 20. ex Regnaldo, & alijs, Religioſos ſcilicet in iſto caſu non ſatisfacere; non enim ſatisfacit obligationi diuini Officij, qui non recitat totum Officium: talis autem eſt, qui non communicat in parte Socij, cum quo recitat: quod euenit in hoc caſu, quo Religioſi alternatim recitantes in Choro, qua parte non audiunt Socios canentes, in eorum parte non magis communicant, quam communicet ſurdus in parte, quæ canitur à ſocio, cum quo recitat. Vnde, ſicut Sà, Suarez ſup. Sanch. num. alijque communiter dicunt ſurdum recitantem cum alio non ſatisfacere, eo quod non communicat cum ſocio, audiendo eius partem; item & debent diſtributiones iſto caſu, cum ſit par ratio, vt patet. Quanquam, vt notat Bonacina, ſi Religioſi ſint beneficiarij, & priuatim recitent partem non auditam, probabile ſit poſſe eos percipere fructus beneficij, ac diſtributiones: quippe qui verè aſſiſtunt Choro, ſuam partem alijs communicant, & faciunt, quod poſſunt, vt in recitatione communicent cum ſocijs; impleta enim cenſetur conditio, quando per eum, qui debet implere, non ſtat reg. 66. in 6. cum Bonacina ſentit Caſtrus Palaus ſup. p. 4. num. 6. Nauar. & Moncada pro ſe citans, & Diana p. 7. tr. 11. reſol. 6. ex Trullencho, & Paſqualigo; monens in tali caſu ſufficere, quod recitans audiat partem alterius Chori in confuſo, & percipiat, quod poteſt: idque intelligo etiam de obligatione recitandi ſimpliciter afficientes Religioſos Profeſſos.

QVÆRES XVII. An Regulares recitantes in Choro, deſtinati in ipſius Chori ſeruitium (v. g. in pulſandis organis, libris transferendis &c.) ſatisfaciant obligationi, ſi propterea aliquam partem Officij omittant, illam non canendo, nec audiendo.

40 ℞. Diana p. 1. tra. 12. reſol. 23. cum Layman. Arag. Regin. Azor. Molfeſ. Naldo, Villal. Ioſe de la Cruz, Raph. de la Torre ſatisfacere, eò quod, viu ſic permittente, Chorus, cuius miniſterio ſeruiunt, tam ſuo, quàm aliorum miniſtrantium nomine recitat, ſicque ipſi cenſentur recitare, moraliter loquendo, modis dictis cooperando diuino Officio: quod puto eſſe probabile tum ob rationem adductam: tum quia in hoc regulariter adeſt paruitas materiæ; cum actiones illæ, in quibus detinentur Religioſi, breui ſoleant expediri. Oppoſitum ſuſtinent Caſtrus Palaus num. 7. Suar. c. 14. num. 13. Bonac. p. 2. §. 1. num. 13. & alij penes ipſum aſſerentes in tali caſu ſatisfieri ſeruitio Chori, non item obligationi diuini Officij vt ſic: quorum opinio videtur ſequenda in caſu, quo Religioſi modis dictis miniſtrantes non attendunt ad ea, quæ interim canuntur, vel certè concurrit materiæ grauitas.

41 Placet hic addere, quod notant Suarez, Filliuc. Regin. Molfeſ. & alij apud Bonacinam ſup. quod, dum totus Chorus canit aliquem pſalmum alternatim cum organo, aliove muſico inſtrumento, opus eſt, vt verſus, qui per organum canuntur, alta voce ab aliquo proferantur in Choro: aliàs Officium non integrè recitatur; cum organum verba non proferat ideoque intereſſentes Choro debeant supplere id, quod omittitur. quod non procedit, ſi cum organo canant muſici cantores, modò hi voce clara verba proferant.

42 Addo non videri aliquibus Recentioribus improbabile, quod, dum muſico cantu Officium canitur in Choro, deputati ad ſeruitium Chori ſolum teneantur aſſiſtere, non autem recitare, adeoque ſatisfaciunt perſonaliter aſſiſtendo abſque eo quod attendant ad ea, quæ canuntur; modò aſſiſtentia ſit talis, vt aſtantes iudicent illos aſſiſtere orationi: ad quod ſufficit eos aſſiſtere in loco deſignato, habitu, & forma ad id deſtinatis; ſicque ſtent, quando ſtandum eſt, ſedeant, quando ſedendum eſt, & caput tegant, aut detegant, quando tegendum, aut detegendum eſt. Vnde inferre quis benè poſſet voluntariam diſtractionem, ac confabulationem non obſtare, quin ſatisfiat in hoc caſu obligationi Chori, niſi confabulatio ea ſit, vt tollat moralem aſſiſtentiam; qualis non eſſet, quæ fieret modeſtè, cum debita corporis diſpoſitione, & voce ſubmiſſa.

QVÆRES XVIII. An Regulares tardè ad Chorum accedentes, & horam iam inchoatam canere pergentes ſatisfaciant obligationi, ſi partem horæ omiſſæ priuatim non ſuppleant.

43 ℞. Laym. l. 4. tr. 1. c. 5. num. 7. ex Henrico, & Maiore ſatisfacere, ſi multum non ſit proceſſum in recitatione horæ; nam omiſſio modica in hac materia (quam ſuppono in hoc caſu) parui ſolet æſtimari; & ob ſocietatis vinculum alij cantantes defectum ſocij ſupplere cenſentur. Quo pacto Sanch. ſup. d. 15. num. 3. monet canentem in Choro non teneri ſupplere, quod alij dicunt dum tuſſit, vel cruor fluit è naribus, vel aliquid decens loquitur, vel tantiſper reſpirat, etſi è Choro exeat; modò breui ſe expediat: idque etſi dicatur interim pſalmus integer: nam ratione ſocietatis dictum ab vno cenſetur dictum ab alijs. Quod ſi omiſſa ſit pars notabilis, non debet ſuppleri, niſi expleto officio in choro, vt notat Bonacina p. 4. num. 9.

An verò Religioſus accedens ad recitandam Tertiam in choro, nondum recitata Prima, ſatisfaciat obligationi.

℞. Satisfacere, ſi poſtea intendat recitare Primam. ita Syluester v. hora q. 9. alijque apud Bonacin. ſup. num. 2. & probatur tum quia ordo horarum inter ſe cenſetur præſcriptus ab Eccleſia ſub conditione, niſi aliter exigat iuſta cauſa; qualis ſupponitur in præſenti caſu: tum quia, quod ſit ex cauſa, ſit rationabiliter, ac prudenter, ideoq; non debet imputari ad culpam: tum quia variatio ordinis horarum ex genere ſuo videtur leuis, ſaltem in recitatione priuata; nam de publica dictum eſt quaſt. 12.

QVÆRES XIX. An, & qualiter peccent Regulares in publica diuini Officij recitatione, ſi non ſeruent habitum, & ſitum corporis præſcriptum in rubricis (v. g. ſedendo, quando ſtandum eſt &c.)

44 ℞. Quod, licet hę rubricæ in priuata recitatione non videantur obligare ſub rigore præcepti, ſed ſolum cauſa maioris deuotionis, ideoque transgreſſio earum non importetur ad culpam; at in publica recita-

citatione facilè poteſt euenire tranſgreſſorem illarum peccare venialiter: cùm ſic non exhibeat Deo reuerentiam debitam, ingeratque ſuſpicionem aliquam exiguæ deuotionis in ipſum, adeoque eſſe poſſit occaſio aliqualis ſcandali. ita *Suar. ſup. cap. 27. num. 2. Filliuc num. 265. Nau. de orat. cap. 4. num. 6.* addens *num.* 15. orantem vno genu flexo, & altero recto non excuſari à culpa veniali, alijque apud *Bonacinam p. 6. num.* 1. inter quos *Suarez* monet dictas rubricas, etiam in priuata recitatione ſeruandas eſſe, ſi commodè poſſint ſeruari (idque iudicio prudentis viri, attentis circumſtantijs concurrentibus) etſi ſingulæ non obligent ſub vigore præcepti, ſecluſo contemptu, aut ſcandalo, quod ſemper pro viribus caueri debet.

QVÆRES XX. An Regulares incurrant aliquam pœnam, ſi omittant frequenter Chorum, nulla iuſta cauſa excuſati.

45 ℞. De iure communi nullam incurrere; cum in eo nulla extet; poſſe tamen aliquam incurrere ex ſtatuto proprij Ordinis: quo modo debent conſulere ſtatuta ſuæ Religionis. Certè *cap. vltimum d. 92.* quod poſſet adduci in contrarium, non facit ad rem: cum ſolum dicat Presbyterum, Diaconum, vel quemlibet alium Clericum Eccleſiæ deputatum, ſi intra Ciuitatem fuerit, vel in quolibet loco, vbi Eccleſia eſt, & ad quotidianum pſallendi officium matutinis, aut veſpertinis horis ad Eccleſiam non conuenerit, deponendum eſſe, ſi correctus ab Epiſcopo non emendetur: ideoque cum iſte textus loquatur de Clericis ratione beneficij, aut ſtipendij iuſti ad munus pſallendi certæ alicui Eccleſiæ deputatis, non debet extendi ad Regulares; de quibus verè non loquitur.

QVÆRES XXI. An Regulares vacantes choro teneantur recitare Officium B. Virginis, aut Defunctorum, & ſimilia iuxtà rubricas Breuiarij præfata Officia certis diebus præſcribentes.

46 ℞. Non teneri neque in Choro, neque extrà ſi vtantur alio Breuiario; idque ordinariè loquendo: ſecùs, ſi vtantur alio Breuiario, aut in Ordine ipſorum extet præceptum, aut conſuetudo recitandi dicta Officia. ita *Suar. cap. 25. numer. 2. Rodriq. tom. 1. quaeſt. 42. a. 14. Filliuc. tract. 23. numer. 243. 244. Lezana tom. 1. cap. 12. num. 22. Bonac. ſup. qu. 3. p. 1. numer. 12.* alijque communiter, & patet ex Pij Quinti bulla relata qu. 8. in qua cum eximantur vtentes Breuiario Romano à recitandis dictis Officijs tam in Choro, quam extrà (Papa tamen ibi eos hortante ad ea recitanda, conceſſis etiam ad id indulgentijs) ſequitur tali exemptione non frui Religioſos illos, qui modò vtuntur Breuiario nõ Romano, & aliàs ex præcepto, aut conſuetudine tenentur ad dicta Officia: cum non ſit æquum, vt fruantur beneficio talis exemptionis ij, qui non aſſumpſerunt onus recitandi Officium iuxtà Romanum Breuiarium. Quamquam hi ipſi Religioſi, qui tenentur recitare præfata Officia in Choro non teneantur ad illa extrà Chorum, ſi ei tunc non aſſiſtant; cùm talis obligatio non afficiat, niſi Religioſos Choro intereſſentes, vt benè aduertit *Fillincius num. 243.*

47 Dixi, *idque ordinariè loquendo*: quando enim in Breuiario expreſsè præcipitur, vt dicta Officia dicantur, etiam extrà chorum (vt in die Commemorat. defunctorum, & diebus Rogationum) tunc DD. communiter dicunt talia Officia debere recitari extrà Chorum, etiam ab vtentibus Romano Breuiario; cum ſic præſcribatur in rubricis ipſius Breuiarij, & communis Eccleſiæ praxis ita ferat. Etſi non deſint Doctores, qui putant in diebus Rogationum non peccare mortaliter eos, qui dictis diebus non interſunt proceſſioni, & poſteà priuatim non recitant Litanias; cum obligatio talis recitationis inducta videatur ſub conſilio, & ex deuotione, non autem ſub præcepto: vt docui in *tract. de Monial. cap. 6. nu. 19. §. addo* citans pro hac ſententia *Dianam, Macignum, Vaſq. Molſeſ.* & alios cum quibus ſentit *Homobonus*.

48 Imo aliqui tacito nomine relati à *Molfeſio tom. 1. tract. 5. cap. 1. numer. 57.* & alij docti Recentiores cenſent non eſſe improbabilem obligationem recitandi Officium Defunctorum die 2. Nouembr. poſt reformationem Breuiarij Romani factam à Pio Quinto non ampliùs aſtringere ſub mortali: idque probant 1. quia Pius Quintus eximit vtentes Breuiario Romano ab onere recitandi Officium Defunctorum in ijs diebus, in quibus rubricæ id præſcribunt, & loquitur abſolutè, non excipiendo ab hac communi regula Officium Defunctorum præſcriptum pro die 2. Nouembr. vbi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus *l. non diſtinguemus ff. de recept. arbitr.* maximè in materia obligationis, quæ eſt ſtrictæ interpretationis. probant 2. quia rubrica appoſita in Breuiario pro die 2. Nouembris, qua nititur obligatio recitandi Officium Defunctorum ea die ſolùm dicit, *dicto Benedicamus Domino dicuntur Veſperæ Defunctorum*, nullumque verbum præceptiuum ibi apponitur; non ſecus ac in feria 2. poſt Dominicam primam Quadrageſimæ dicit rubrica, *Poſt Veſperas dicuntur Veſperæ Defunctorum*: ſicut ergò iſta rubrica non obligat ſub mortali ad dicendas Veſperas Defunctorum; ſic nec obligabit ad dicendum Officium Defunctorum rubrica appoſita ſub die 2. Nouembr. cum eadem eſſe debeat iuris diſpoſitio vbi militat eadem ratio *l. illud ff. ad leg. Aquil.* probant 3. quia rubrica appoſita in Breuiario pro die S. Marci, & pro diebus Rogationum quo ad Litanias ijs diebus dicendas vtitur verbo præceptiuo *dicant*, & tamen aliqui Doctores iuxtà dicta §. *præcedenti* non improbabiliter putant talem rubricam non obligare ſub mortali, eò quod verba præceptiua non ſemper inducant obligationem ſub mortali; ergò multò minùs obligabit ſub mortali rubrica præſcribens Officium Defunctorum pro die 2. Nouembr. quæ nullo vtitur verbo præceptiuo, ſed ſolum ait, quod dicitur Officium Defunctorum. probant 4. quia conſuetudo recitandi Offi-

cium

ciam Defunctorum die 2. Nouembr. (quæ eſt communis in Eccleſia) videri poteſt orta ex errore orto ex mala intelligentia rubricarum; cùm alioqui conſuetudo inducta ex errore non obliget ſub mortali, teſte *Diana p. 4. tract. 4. reſol. 243.* pro ſe adducente *Sanchez, Salas, Sylu. Tabien. Gordon. & Villalobum*: vel certè dici poteſt inducta ſolum ex deuotione erga animas defunctorum: quo pacto plurimi, etiam laici die 2 Nouembr. dicere ſolent dictum Officium Defunctorum: & tamen nemo dicet eos ad hoc teneri ſub mortali; cum ergo de Eccleſiaſticis deputatis ad horas ſaltem dubitari poſſit, an ſub mortali dicta conſuetudo inducta ſit tanquam ſub mortali, nec ne; ea non debet præſumi inducta cum animo ſe obligandi, ſed potiùs ex deuotione: cum lex non præſumatur, niſi probetur; & nemo præſumatur ſibi velle imponere onus abſque ſufficienti fundamento.

Hæc ſunt præcipua fundamenta, quibus præfati Doctores cenſent ſufficienter probari non extare in Eccleſia obligationem ſub mortali de recitando Officio Defunctorum die 2. Nouembr. quo ad Eccleſiaſticos vtentes Romano Breuiario. Verùm etſi, ſpeculatiuè loquendo, videantur probare intentum, & temporis progreſſu non ſint fortè defuturi, qui vi dictorum fundamentorum hanc opinionem doceant eſſe, etiam practicè, probabilem (ſicut de facto aliqui cœperunt id docere de Litanijs pro diebus Rogationum.) imò *Diana ſup.* non parum propendere videatur in hanc ſententiam, etſi expreſſè non audeat id dicere; tamen in præſentia non audeo recedere à communi ſententia ſuſtinente Officium Defunctorum die 2. Nouembr. ſub mortali recitandum eſſe: cùm adhuc nullus Doctor ſe de hoc expreſsè declarare auſus fuerit; & aliàs non expediat eſſe authorem opinionis adeò ſingularis. Cenſeo quidem probabile, quod docui in *tract. de Monial. cap. 6. numer. 17. §. Addo hic in 2. editione* omittentes die 2. Nouembr. Officium Defunctorum, & ſimul Officium de Octaua vnicum committere peccatum; eum illa duo Officia die illa per modum vnius præcipi videantur.

QVÆRES XXII. An impleatur obligatio Chori, ſi ad illum concurrant ſoli Nouitij, qui probantur in monaſterio.

49 ℟. *Diana p. 7. tractat. 11. reſol. 5. ex Caramuele in regulam S. Benedicti D. 101. d. 6.* Doctores hac in re eſſe diuiſos: aliqui enim putant impleri, eo quod nouitij in fauorabilibus reputentur Religioſi, adeoque dici poſſit per Religioſos monaſterij in præſenti caſu impleri ſeruitium Chori: alij verò negant, eo quod Nouitij non ſint incorporati Ordini, & aliàs obligatio Chori afficiat communitatem Profeſſorum; non autem Nouitiorum; qui ſicut non ſunt profeſſi, ſic nec dici poſſunt pars communitatis religioſæ ad effectum vt per illos ſolos dicatur ſatisfactum ſeruitio Chori. Verùm pars affirmans non videtur improbabilis tum ob rationem iam allatam: tum quia Nouitij ſicut gaudent priuilegijs Profeſſorum, ita poſſunt concurrere ad implenda illorum onera: cùm per hoc non dici poſſint ſubeſſe oneribus Profeſſorum, ſed poſſe implere illa loco illorum: quippe qui, licèt non ſint incorporati Ordini, ſunt tamen pars Communitatis religioſæ, & fruuntur illius gratijs, ac priuilegijs.

QVÆRES XXIII. An, & qualis paucitas Religioſorum degentium in monaſterio excuſet ab obligatione Chori.

50 ℟. Excuſare; & requiri ad minimum 4. Religioſos, ad hoc vt teneantur ad publicam diuini Officij recitationem: impoſſibilium enim non eſt obligatio; & quod commodè fieri nequit, moraliter reputatur impoſſibile: conſtat autem nec 2. nec 3. tantùm Religioſos aſſiſtentes Choro poſſe commodè implere ſeruitium illius; vt notauit *Bordonus reſol. 30. numer. 8.* addens ſe vt plurimùm excuſaturum ab obligatione Chori Conuentum 4. aut 5. Religioſorum ibi reſidentium; cùm talis obligatio non adeò ſtrictè afficiat Religioſos, ac beneficiarios collegiatos. *Naldus* verò in *annotat. pract. ad diſt. 5. cap. non mediocriter* reſoluit 2. Choriſtas non ſufficere ad vſum chori, ſed requiri ad minùs tres.

QVÆRES XXIV. An Regulares ſatisfaciant ſeruitio chori, ſi diuinum officium recitent in Sacriſtia ex cauſa iuſta (v. gr. ratione frigoris.)

51 ℟. Satisfacere, ſi Sacriſtia ſolum communi muro diuidatur ab Eccleſia, in quam pateat aditus per eandem portam. ita *Bordonus ſup. numer. 21.* & patet tum ex praxi à Prælatis tolerata, etiam in Eccleſijs collegiatis: tum quia exiſtens in Sacriſtia reputatur eſſe in Eccleſia; ſicut exiſtens in hortis cenſetur eſſe in domo *l. 5. ff. de procurat.* maximè cum Sacriſtia ſit pars Eccleſiæ, & pars ſit in ſuo toto *reg. 80. in 6.*

SECTIO II.

De Obligatione Regularium quò ad recitandas priuatim Horas canonicas.

52 *Regulares profeſſi Ordinis profitentis chorum tenentur priuatim recitare Horas canonicas, non vi Profeſſionis,*

nis, aut Regulæ, nec ex iuſtitia, nec de iure communi, ſed ex Conſuetudine receptiſſima, ac obligatoria.

53 *Tenentur autem ſub mortali, etſi non ſint ordinati in Sacris.*

54 *Hæc obligatio afficit ſolum Religioſos profeſſos Ordinis profitentis Chorum.*

55 *Sicque profeſſi Societatis Ieſu, ſi non eſſent in Sacris, non tenerentur ad horas.*

56 *Ad eas non tenentur Religioſi laici, etiam Ordinis profitentis chorum: etſi ea poſſint recitare loco ſuarum precum, imo & variare.*

57 *Ad illas item non tenerentur profeſſi Clerici, ſi tranſirent ad ſtatum Conuerſorum.*

58 *Neque profeſſi diſpenſati ad manendum perpetuo extrà Ordinem, ſi non ſint in Sacris: ſecus ſi ſolum ad tempus; quod eſt contra* Caramuelem.

59 *Non tenentur legitimè eiecti in perpetuum, vel ad tempus, ſi non ſint in Sacris.*

60 *Item non tenentur damnati ad triremes (quod alij negant.)*

61 *Et hoc licet ſint in Sacris; in quo alij diſſentiunt.*

62 *At tenentur ad horas Religioſi fugitiui, etiam pro tempore fugæ.*

63 *Secùs ſi tranſeant ad Ordinem, in quo non ſit iſta obligatio, & non ſint in Sacris.*

64 *Tenentur excommunicati, ſuſpenſi, depoſiti, aut degradati.*

65 *Non item Religioſi Nouitij.*

66 *Religioſi vtentes proprio Breuiario poſſunt recitare iuxta Breuiarium Romanum; etſi id in praxi conſulendum non videatur.*

67 *Recitans cum habente indultum recitandi ex Breuiario breui, eo & ipſe poteſt vti.*

68 *Recitans iuxtà Breuiarium alienum m. peccat iuxta aliquos.*

69 *In hoc tamen diſpenſare poteſt Prælatus regularis.*

70 *Carens proprio Breuiario Ordinis recitare poteſt ex alieno.*

71 *Recitans horas ſolum mentaliter non ſatisfacit; quod alij negant ob indultum Leonis X.*

72 *Sed hoc indultum non extenditur ad recitationem totius Officij.*

73 *Recitans Officium pro Officio nón peccat mort. iuxta aliquos: quorum ſententia limitari debet contra* Caramuelem *docentem poſſe dici quotidie Officium Reſurrectionis.*

74 *Alij probabilius ſuſtinent ſine peccato mortali, non poſſe dici Officium pro Officio; & quidem horum opinio in praxi amplectenda, etſi oppoſita damnari nequeat.*

75 *Peruenturus Bononia Ferrariam die ſequenti, vbi ſit feſtum de Patrono, veſpere præcedenti ante receſſum poteſt Bononiæ recitare matutinum de dicto Patrono: qui recitauit Officium de aliquo Sancto non tenetur illud iterum recitare in alio loco, vbi Officium illud translatum eſt, & vbi ille tunc eſt; etſi poſſit iterum recitare, ſi velit.*

76 *Ritus Officij mutari poteſt ſine culpa mortali.*

77 *Religioſi ex indulto in itinere recitant horas ex Officio non proprio Ordinis.*

QVÆRES I. An, & quo iure teneantur Regulares recitare priuatim Horas Canonicas?

52 ℞. Teneri, ſi ſint Profeſſi Religionis profitentis Chorum: idque non quidem vi Profeſſionis religioſæ, vt ſic (ſicut aliqui exiſtimant apud *Suarez tom. 2. de relig. l. 4. cap. 17. numer. 3.*) neque ex naturali lege iuſtitiæ orta ex eo quod fideles Religioſis præbent neceſſaria alimenta, vt pro ipſis orent (quod docent alij cum *Nauarro de oratio. cap. 7. §. 4.*) neque ex vi iuris communis, cum in eo nullum peculiare ius reperiatur, in quo inducatur talis obligatio quo ad Regulares: ſed ex conſuetudine apud omnes Religioſos addictos choro receptiſſima, & habente vim obligationis. ita *Sanchez lib. 7. conſil. cap. 2. d. 3. numer. 6. Suarez ſuprà numero 6. Reginald. lib. 18. numero 140. Bonacin. de hor. canon. D. 1. quæſt. 2. p. 2. numer. 1. Lezana tomo 1. ſummæ cap. 12. numero 3.* alijque communiter apud ipſos docentes Religioſum hoc ipſo, quod profeſſionem emiſit in Religione Chorum profitente, eò ipsò teneri ad priuatam recitationem horarum canonicarum, etſi non ſit ordinibus ſacris initiatus. Ratio reſponſionis eſt, quod Regulares non tenentur ad dictam recitationem ratione Profeſſionis religioſæ, vt ſic; cum vi illius ſolùm ſe obligent ad ea, quæ expreſsè voueant, aut quæ in regula, vel à proprijs Prælatis præſcribuntur; non lege aliqua naturali iuſtitiæ; cum ſuppeditatio alimentorum ipſis non fiat à fidelibus, tanquam in ſtipendium recitationis horarum canonicarum (ita vt ij ad illam teneantur ex quaſi contractu, & ex iuſtitia) ſed potius in eleemoſynam, ac donationem abſolutam: vel certè (ſi quando datur cum aliqua conditione, aut pacto) non alligatam pacto recitandi horas canonicas: non vi iuris communis; cum nullum ius extet inducens eiuſmodi obligationem: quod eſt ſignum illam non fundari in iure communi. Cum ergò nullus alius titulus afferri poſſit, Ex quo Religioſi dicantur teneri ad priuatam recitationem horarum canonicarum, niſi Conſuetudo, (& hæc non ex ſola Regula, vt aliqui putant cum *Aragona 2. 2. quæſt. 83. a. 12. d. 4.*) omninò dicendum eſt Religioſos Choro deſtinatos teneri ad priuatam diuini Officij recitationem ex Conſuetudine vniuerſaliter acceptata apud ipſos Religioſos tanquam obligatoria ſub peccato mortali, & ita certa apud Doctores, vt teſte *Reginaldo, ſuprà* ſine aperta temeritatis nota negari non poſſit; quippe quæ nititur communi ſenſu Doctorum, qui in moralibus maximi debet æſtimari, cum rarò benè loquatur qui contrà omnes loquitur, vt ait *Baldus conſ. 112. l. 2.* Vnde fit, vt Religioſi Ordinis vacantis choro excu-

ſari

ſari non poſſint à mortali, ſi poſt emiſsã profeſſionẽ omittant recitare diuinũ Officiũ, vt dicemus *q. ſeq.*

Dixi, *& quidẽ ex ſola regula* ſi.n. obligatio recitãdi horas eſſet ex ſola regula, cũ regula multorũ Ordinũ nõ obliget ad culpã, ſequeretur Religioſos taliũ Ordinũ nõ peccaturos m. quãtũuis omitterẽt recitare diuinũ Officiũ: q tamen modo dicemus eſſe falsũ, & eſt cõtra communem Doctorum ſententiã; quidquid dicat *Bordonus reſ. 30.* relatus a *Diana p. 6. tr. 8. reſ. 12.*

QVÆRES II. Qualiter peccent Regulares, ſi omittãt diuinũ Officiũ poſt emiſſam profeſſionẽ.

53 ℞. Pec. m. & hoc etſi nõdũ ſint in Sacris Ordinib. cõſtituti. eſt cõis DD. apud *Bon. ſup. n. 1. Lay. l. 4. tr. 1. c. 4. n. 2. & Sãc. n. 6.* con. *Caiet. v. horæ c. 1. & Armill. v. eodẽ n. 4.* putãtes ꝑfatã cõſuetudinẽ nõ obligare ſub pec. m. con. *Caſt. l. 1. de lege pænali c. 8.* negãtẽ Fratres Prædicatores omittẽtes officiũ m. pec. ſi nõ ſint aliquo ordine Sacro inſigniti, aut certè, niſi alantur ex decimis, alijsve redditib. Eccleſiaſticis: & con. *Arag. & Ang.* indicãtes cũ *Richar.* Religioſũ bis, aut ter omittẽtẽ priuatĩ officiũ nõ pec. m. Ratio reſpõſionis noſtrę, eſt q cõſuetudo de re graui legitimè inducta obligat ſub m. vt tradunt cõiter DD. in tra. de leg. talis autẽ eſt cõſuetudo recitãdi diuinũ officiũ cum tanta obligatione acceptata in religionib. addictis choro, ſcientibus, & conſentientibus Prælatis Eccleſiaſticis, vt proinde dicat *Sanch. loco cit.* opinionem contrariam non eſſe probabilem.

QVÆRES III. An conſuetudo recitãdi diuinum officiũ adſtrigat Religioſos profeſſos omniũ ordinũ.

54 ℞. Nõ adſtrigere, niſi eos, q ꝓfitẽtur in ordine habẽte vsũ chori: ideoq; ſi dẽtur aliquæ religiones nõ habẽtes talẽ vsũ (quo modo reuera dãtur Religioſi Soc. Ieſu, Cõmẽdatores ordinũ militariũ, & alij, quĩ sũt verè Religioſi, & tñ nõ tenẽtur ad horas, niſi vi Ordinis Sacri, quẽ fortè aſsũpſerit) earũ Religioſos nõ teneri ad recitationẽ diuini Officij. ita *Sãc. ſup. n. 7. ex Med. Armil. Caie. Ledeſ. Palac. Bon. ſu. n. 7. Fill. ſup. n. 149. Sua. ſup. c. 17. n. 1. Lezan. ſup. n. 3.* alijq; cõiter; & probatur quia obligatio recitãdi Officiũ priuatĩ nõ afficit Regulares profeſſos, niſi ratione conſuetudinis iuxta dicta *q. 1.* ergo vbi nõ adeſt talis cõſuetudo nec aderit talis obligatio. præter quã q eiuſmodi obligatio nõ ligat, niſi Religioſos Ordinũ choro addictorũ; Soc. autẽ Ieſu alijq; ordines, qui profitẽtur ad militiã, aut vacãnt alijs pijs operib. (v. g. inſeruiẽtes hoſpitalib.) verè nõ sũt addicti, choro, ſicq; nõ eſt ratio, cur eorum Religioſi ad horas recitandas obligentur: quod notat *Suarez ſupra.*

55 Vnde inferũt *Sãc. n. 8. Sua. to. 4. de rel. tr. 10. l. 8. c. 2. n. 8. & 9. Bon. ſup.* & alij profeſſos Soc. Ieſu non initiatos ordine Sacro (q vix poteſt accidere, cũ iure ordinario in Profeſſis Soc. ſupponatur ordo ſacer, nõ teneri ad horas, probatur tũ ex bulla Pauli III. quæ dicit: *Socij omnes quicũq; in Sacris fuerĩ, teneãtur priuatĩ ad dicẽdũ Officiũ ſecũdũ Eccleſiæ ritũ*: q eſt dicere eos nõ teneri, ſi in Sacris nõ fuerint;) tũ quia iuxta dicta q. 1. Religioſi aliorũ ordinũ nõ tenẽtur recitare officiũ ex vi profeſſionis tantũ, ſed addũcta cõſuetudine, q ꝑcipuè videtur orta ex obligatione, quã habẽt recitãdi cõiter officiũ in choro: ergò cũ in Soc. nõ ſit talis cõſuetudo, nec eius fũdamẽtũ, non debẽt eius Religioſi adſtrĩgi ad talẽ obligationẽ, quo pacto reuera nõ adſtrigũtur, niſi poſt ſuſceptionẽ ordinis Sacri; vt patet in ijs, qui nõ ſunt Profeſſi: hi. n. nõ tenẽtur recitare horas canonicas, niſi ſuſcepto ordine Subdiaconatus: & hoc, vt liberiores ſint ad ſtudia, lectiones, & alia Soc. munera, ſicut innuit Greg. XIII. in ſua bulla *ex Sedis Apoſt.* quod ſi non cõſtat de tali cõſuetudine quo ad Profeſſos ipſiuſmet Soc. illud eſt in cauſa, quod nulli sũt Profeſſi 4. votorũ, qui nõ ſint Sacerdotes ſuntq; valdè rari, qui ante ordinẽ ſacrũ emittãt ꝓfeſſionẽ 3. votorũ, ideoq; minùs frequẽter cõſtare põt de tali conſuetudine, vt notauit *Sua. n. 9.*

QVÆRES IV. An Regulares profeſſi (quos vocant Conuerſos) ſi ſciant legere, teneantur priuatim recitare horas canonicas.

56 ℞. Nõ teneri; pateatq; ex eo, quod iſti nõ ſunt deputati ad Chorũ: quę deputatio eſt vnicũ fundamẽtũ Cõſuetudinis, ex qua Religioſi profeſſi dicũtur teneri ad horas. ita *Sua. to. 2. de relig. l. 4. c. 17. n. 2. Regi. l. 18 n. 137. Lez. ſup. n. 4. ex Rodr. Filliuc. ſu. n. 150.* alijq; cõmuniter; qui tñ cõcedũt ſup. dictos Cõuerſos teneri recitare aliquas preces loco horarũ, nõ quidẽ ex iure cõi, aut cõſuetudine obligante ſub m. (vt videtur innuere Palud. S. Anto. & Sylu. apud Suar. ſup.) ſed ex ſola Regula, & cõſequẽter iuxta modũ, ac exigẽtiã Regulę: vnde, ſi ea aliàs nõ obligat ſub culpa neque in hoc obligabit, niſi ſpecialiter id exprimat.

Concedo tñ quòd, ſi religioſus laicus loco dictarũ precũ ſponte eligat recitare horas canonicas, ſuę ſatisfacit obligationi: & moueor ex eo, quod Pẽſionarius recitãs loco Officij parui B. V. Off. magnũ, ſuam implet obligationẽ, & quidẽ abundãtius; cũ intẽtio Papæ præſcribẽtis pẽſionario recitationẽ parui off. fuerit illũ releuare ab onere recitãdi Offic. magnũ, imponendo ei minorẽ obligationẽ caſu, quo illam grauiorẽ nõ ſubiret; vt aduertit *Caſtr. Pal. tr. 7. D. 2. p. 1. §. 3. n. 6.* ex *Suar. Garcia, & Bonac.* quę doctrina probat intentum etiã in pręſenti caſu: in quo itẽ procedit, quod promiſſionem non infringit, qui illam cõmutat in melius *c. peruenit de iuramento*; & quæ ſunt facultatis non inducunt conſuetudinem reſtrictiuam liberæ poteſtatis *Abb. in cap. ex porta Aſtenſis numer. 7. in vlt. notab. de conceſſ. præben.*

Imò probabile puto quod, ſi Religioſus laicus, qui modo dicto elegit loco precum Laicis Ordinis præſcriptarum recitare Horas canonicas, & de facto per multum tempus recitauit, ſi poſtea velit, omiſſa recitatione horarum canonicarum, recitare præfatas preces, ſuæ ſatisfacit obligationi. Ducor tum quia etiam Penſionarius libere poteſt facere hanc variationem; ſtante doctrina tradita §. *praced.* ex *Caſtro Palao*, & iuncta Regula iuris 61. in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non eſt in eius diſpendium retorquendum*: tum quia, facta commutatione Voti, vouens poteſt liberè ſeruare prius votum; cum commutatio fiat in fauorem vouentis, cui ipſe poteſt cedere; vt notat *Bonacina D. 4. de leg. q. 2. p. 7. §. 3. nu. 20.* alijs pluribus citatis.

Verum verò Religioſus deputatus Choro, ſi poſt profeſſionem transferatur legitima Superiorũ poteſtate ad ſtatum Conuerſorum, tunc teneatur recitare diuinum officium ſub peccato mortali.

57 ℞. Non teneri; & probatur, quia iuxta dicta obligatio recitandi Officiũ non manat ex vi profeſſionis vt ſic, ſed ex conſuetudine, & ex eo, q Religioſus ex ſua voluntate, & Superiorũ conſenſu deputatur ad

Chorũ: vnde eò ipsò quod manet liber à tali deputatione, cenſetur etiã ſolutus ab onere diuini Officij annexo; eo proportionaliter modo, quo beneficiarius culpa ſua priuatus beneficio liberatur etiã oneribus annexis ipſi beneficio, & cõſequenter ab onere diuini Officij: quod ſolũ eſt reportare cõmodũ ex delicto, nõ per ſe, & ex vi delicti, ſed per accidens, & ex eo ꝙ, ceſſante principali, ceſſare debet & acceſſoriũ. ita *Sanch l.6. in decal.c.7.n.80. ex Soto, Arag. Azo. & P. Ledeſma*, mouens hinc ſequi Prelatũ regularem poſſe eximere ſuos ſubditos ab obligatione recitandi, nõ quidẽ directè, & per ſe, ſed per accidẽs; nimirũ remouẽdo illos à ſtatu Religioſorũ choro deputatorum: quod vtiq; non eſt ita magnum inconueniẽs.

QVÆR. V. An Regulares profeſſi ad chorũ, hoc ipſo ꝙ habent facultatẽ, & diſpenſationem viuendi extra monaſteriũ, eò ipsò manent liberi ab obligatione recitandi officiũ, ſi non ſint initiati ord. ſacro.

58 ℟. Non manere, ſi ea diſpenſatio ſit ſolum temporalis, ad manendum extra monaſterium ad tractandum aliquod negotium, ad inuiſcendos conſanguineos, &c: ſecùs, ſi diſpenſatio ſit perpetua: tunc enim manet liber à præfata obligatione. Ratio diſparitatis eſt, quod in priori caſu Regularis diſpenſatus manèt & Religioſus, & Regulis, adeoque tenetur ad regulas ſui Ordinis, in quo adeſt conſuetudo recitandi Officium: in poſteriori autem caſu manet quidem Religioſus, ſed non manet Regularis, ac proinde eximitur ab obligationibus Regularium, inter quas non eſt poſtrema recitatio diuini officij, vt iam non ſemel diximus. ita *Sotus l.10. de iuſt.q.5.a.3.* alijq; con. *Suar. ſup. num* 8. (quamuis ſolùm dicat ſuam opinionem eſſe ſecuriorem, & probabiliorem) & *Sanch. l.7. conſil. c.2. d.4. num.6.* abſolutè ſuſtinentem cum *Nau.* alijſque doctis Recentioribus Religioſum modo ſup. dicto diſpenſatum ad perpetuò manendum extra monaſterium teneri ad Horas, modò cum ipſo diſpenſatum non ſit in aliquo 3. votorum ſubſtantialium Religionis (vt ſi eſſet diſpenſatus ad ducendam vxorem); tunc namque concedit *Sanch. n. ſeq.* alijq; DD. communiter admittunt Religioſum non teneri amplius recitare officium: eò quod ſic mutet ſtatum, & deſinat eſſe choro deputatus; quamuis *Nau.* relatus a *Sanch. n.7.* id limitet, ſi diſpenſatio in voto eſſet talis, vt diſpenſatus deſineret eſſe Religioſus: cum per ſolam facultatem ducendi vxorem non deſinat eſſe Religioſus; quod tamen non approbat *Sanch. vbi ſup.*

Quod autem dicit *Caramuel D.117. in reg. S. Bened. nu.1443.* quoſcumq; Monachos non promotos ad ordines maiores, ſi degant extrà monaſterium ad tempus, aut perpetuo, cum licentia, aut ſine illa, excuſari à recitatione horarum; cum obligatio eas recitandi ſit ſolùm ex conſuetudine, quæ negari poteſt obligare extra clauſtra: quatenus de rarò contingentibus nulla ſit conſuetudo, & rariſſimus ſit exitus Monachi iunioris extra clauſtra cum licentia, aut ſine illa. hoc, inquam non videtur vllo modo admittendum, & expreſſè reijcit *Diana p.7. tract. 11. reſol.4. ex Herrea* maximè ex eo, quod iuxta Caramuelẽ dicendum eſt dictos monachos itinerantes non teneri ad horas, vtpote exiſtentes extrà monaſterium: quod non debet, nec poteſt concedi.

QVÆRES VI. An teneantur recitare officiũ Regulares profeſſi deputati choro, ſi legitimè eijciantur a Religione, ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum, & nondum ſint in ſacris conſtituti.

59 ℟. Videri probabile, quod non teneantur: & ratio eſt, quia ij per expulſionem, vel deſinunt eſſe regulares (ſicut diximus q. 5. in caſu non diſſimili) vel ſaltem conſtituuntur in ſtatu, in quo non adeſt conſuetudo recitandi Officium: cũ tamẽ quod Profeſſi non ordinati teneãtur ad Horas, ſolum oriatur ex conſuetudine in Religionibus inducta. ita *Bonac. ſup. n.6. ex Soto, & Ang. Lez. ſup. n.7. Suar. to.4. de relig. l.3. c.6. n.12. Leſſ. l.2. c.37. n.50.* alijq; contra *Rodriq. to.1. q.30. a.20. Nau. c.7. de orat n.20. & Sanch. ſup. d.4. n.3.* docentem hanc noſtrã reſponſionem ſolum habere verum in caſu, quo per Religionem eiectũ non ſtat, quò minùs iterum admittatur in Religionem: ſecùs, ſi per ipſum ſtat, quominùs iterum recipiatur: nulli enim ſua culpa ſuffragari debet; patet autem reſponſio ex dictis hìc, magiſq; patebit ex dicendis in *tract. de priuil. c. vlt. ſect.2. q.20.*

60 Certè (quod ſpectat ad Regulares dãnatos ad triremes) dicit *Laym. ſup. n.2.* in praxi probabile, & tutum eſſe, quod docent *Sanch. l.8. de matr. D.8. n.11.* & clariùs *l.7. conſil. c.2. d 4. n.5. Leſſ ſup & alij*, dictos Religioſos interim non teneri recitare officium, niſi ſint ordinibus ſacris initiati; idq; ob rationem adductam pro reſpõſione q. præcedentis; quamquam ipſe *Laym. cum Nau. Suar. Rodriq & Azor.* oppoſitum ſuſtineat ex eo, quod illi verè manent Religioſi, adeoque ſubiacent obligationibus Religionis, & cõſequenter eas implere debent, ſi commodè poſſint; quaſi verò obligatio recitãdi Horas oriatur ex profeſſione religioſa: quod nos negamus ſuſtinentes eã potiùs oriri ex conſuetudine; quam tamen q. 5. diximus non ligare Religioſos, niſi quamdiu manent ſub Regula; cũ alias Religioſi exiſtentes in triremib. hòc ipsò nõ maneãt ſub regula, & per cõſequens nõ dici poſſint Reg. eſtò ſint, & dicantur Religioſi: ꝙ non ſufficit ad hoc vt teneantur recitare Officium.

61 Dixi, *niſi ſint omnibus ſacris initiati* ad indicandum, quod ſi Religioſus in ſacris iam conſtitutus damnetur ad triremes tunc multi putant eũ teneri ad horas non vi Profeſſionis religioſæ, ſed ordinis ſacri; ſicut Beneficiarius, ſi ſit ordine ſacro inſignitus, reſignato beneficio adhuc tenetur recitare horas non vi beneficij, ſed Ordinis ſacri, quo eſt inſignitus. ita *Bonac. ſup. n 3. ex Azorio p.1. l.10. c.6. q.7. Laym. ſup.* alijq; contra *Sanch. Sot. Leſſ. & Homob.* apud Dianam *p.2. tr.12. reſol.40.* ſuſtinentes Clericos in ſacris conſtitutos, exiſtentes in triremibus non teneri ad horas, tum quia vſus eſt in contrarium: tum quia ij ſatis ſuperque affliguntur, dum vi detinentur in eo ſupplicio: tũ quia id potius cederet in dedecus ſtatus eccleſiaſtici, ſi in ea hominum colluuie per horarũ recitationẽ ſe oſtẽderent eccleſiaſticos; quæ rationes ſi intentũ probant de clericis (ſicut verè vidẽtur probare) ſine dubio probant & de Regularib. cũ de vtriſq; æqualiter procedãt, vt cõſideranti patebit.

Difficultas grauior eſt, an Regularis fugitiuus teneatur ad Horas, quamdiu manet extra monaſterium in ipſa fuga.

62 ℟. Teneri; & probatur tum quia non decet, vt ex propria iniquitate referat commodum: tum quia reſpectu illius nõ militat ratio, qua ſupra probauimus

bauimus Religioſum eiectum non teneri ad Horas, quod ſcilicet ſit in ſtatu, in quo non adeſt conſuetudo recitandi diuinum Officium; ſi quidem in poteſtate Religioſi eiecti non eſt recedere ab eo ſtatu, ac redire ad Religionem: quo modo eſt in poteſtate Religioſi fugitiui recedere; qui & poteſt, & debet ſe reſtituere in ſtatum, in quo adeſt conſuetudo recitandi Horas, redeundo ad Religionem; vnde de hoc magis verificaretur, quod reportaret commodum ex delicto, quam de Religioſo eiecto; cum fugitiuus maneat culpabiliter in prædicto ſtatu, non item eiectus, eſtò in eum ſe culpabiliter coniecerit. ita *Leſſ. ſup. num. 50. Laym. Suar. Malder. Filliuc. Villalob.* alijque communiter apud *Dianam ſup. reſol. 18.* contra *Bonac. ſup. p. 2. nu. 6.* oppoſitum ſuſtinentem, quamuis tandem dicat in praxi conculcandam eſſe noſtram ſententiam.

63 Addit Bonac *ſup. n. 2.* Religioſum, qui in priori ordine tenebatur recitare diuinum Officium, non teneri ampliùs recitare, ſi tranſeat ad alium Ordinem, in quo non extet talis conſuetudo recitandi: probatque ex eo, quod conſuetudo non obligat vbi non eſt recepta; idem docet *Trullench. l. 1. in decal. c. 7. d. 12. §. 1. n. 3.*

QVÆRES VII. An Regulares excommunicati: ſuſpenſi, depoſiti, aut degradati teneantur recitare diuinum Officium.

64 ℞. Teneri; patetque, tum quia alioqui ex proprio delicto hi meliorem facerent ſuam conditionem: tum quia talis obligatio eſt annexa non ſolum ordini Sacro, ſed etiam ſtatui religioſo, quamdiu Religioſus viuit ſub Regula ſui Ordinis adeoq; afficit Religioſum excommunicatum, ſuſpenſum, &c. cum is adhuc ſit Religioſus, & viuat ſub regula: tum quia Religioſus excommunicatus, ſuſpenſus, &c. priuatur quidem honoribus, non tamen oneribus; cuiuſmodi eſt obligatio recitandi horas. ita in terminis *Lez. ſup. n. 5. ex Nau. ſup. n. 17. Sanch. l. 7. conſil. c. 2. d. 54.* pluresque alij apud ipſum; qui benè monent excommunicatum recitantem non poſſe dicere *Dominus vobiſcum*, neque recitare Officium cum alio; cum eicere *Dominus vobiſcum* ſpectet ad Ordinem, & recitare Officium cum alio ſit communicare in diuinis; quod eſt vetitum excommunicato; vt ſuo loco oſtendemus.

QVÆRES VIII. An Regulares Nouitij teneantur recitare diuinum Officium.

65 ℞. Non teneri: cum ij reuera non ſint Religioſi, ideoque nomine Religioſorum non veniant in odioſis: neque vlla lex, aut conſuetudo extet, quæ ipſos ad id obliget: ita *Suar. ſup. c. 17. n. 2.* alijque communiter contra *Palud. in 4. d. 9. q. 5.* exiſtimantem Nouitios teneri ad Horas, eò quod gaudeant priuilegio Clericorum, & aliquibus priuilegijs Religioſorum, viuantque ex eorum redditibus, aut eleemoſynis: quæ certè ſunt nimis remota ad inferendam talem obligationem: cum ad ſupradictos effectus ſufficiat quod illi ſint in via ad profeſſionem, & voluntariè ſubijciuntur Ordini, & actionibus religioſis ſub diſciplina religioſa; ſicut notat *Suar. loco cit.*

QVÆRES IX. Iuxta quam formam Breuiarij teneantur Regulares recitare diuinum Officium in priuata recitatione.

66 ℞. Quod licèt iuxta dicta *ſect. præc. qu. 8. §. maius dubium* non ſit improbabile Religioſos, aliàs habentes proprium Officium, poſſe vti Breuiario Romano in priuata recitatione, & quidem etiam ſine cõſenſu Superioris, nihilominùs in praxi puto eos debere recitare iuxta Breuiarium pro ſuo Ordine approbatum: idque tum ad ſeruandam vniformitatem in orando, quæ in vnaquaq; Religione eſt valdè cõmendabilis: tum quia opinio contraria docens vnũquemque Religioſum teneri recitare iuxta formam proprij Breuiarij eſt communior, & probabilior, adeoque in praxi conſulenda: tum quia talis videtur eſſe cõmunis vſus Religioſorum, vt quilibet recitet iuxta formam proprij Breuiarij, à quo vſu non eſt facilè recedendum; maximè ſi de hac re editum fuiſſet aliquod ſpeciale ſtatutum in aliqua religione: quod ſine dubio, ſi extat, ſeruandum eſt; vt notat *Lezana ſup. n. 18.* addens *c. 17. n. 11.* Religioſum promotum ad Epiſcopatum, Cardinalatum, &c. non teneri recitare horas iuxtà Breuiarium ſui ordinis: & hoc ob rationem à nobis adductam *ſect. præc. q 8. §. vtrũ verò.* Quin etiam *Caramuel infra D. 109. n. 1394.* aſſerit Religioſos vtẽtes peculiari Breuiario, ſi recitent ex Breuiario alterius Ordinis, peccare ſolùm venialiter qu ppequi implent præceptũ recitandi quo ad ſubſtantiam, non item quo ad modũ: quatenus dictum præceptum reſpicit Officium diuinum tanquam obiectum eſſentiale, circumſtantiam verò officij talis, aut talis ordinis tanquam modum accidentalem quod minus approbat *Diana. p. 7. tra. 11. reſol. 8.* dicens ſe in hoc habere difficultatem.

67 Notat *Diana p. 2. tr. 12. reſol. 35.* ex *Henr. & Portel.* quod ſi quis habeat priuilegium recitãdi Breuiario breui (q vt puto eſt poſſe recitare officium Sanctæ Crucis breue aliàs permiſſum) poteſt & Socius cum eo recitare iuxta formam eiuſdem breuiarij: ſi quidem quod diſponitur in priuilegio de vno ex correlatiuis, diſponitur & de alio. Vnde fit, vt Epiſcopus regularis recitare poſſit iuxta Breuiarium propriç Eccleſię cũ ſocio aliàs vtente diuerſo Breuiario q in ſpecie aduertit *Diana ſup.* ex *Rodr. & Portelo.*

Verum verò Regularis recitans horas iuxta Breuiarium extraneum priuatim, ſatisfaciat obligationi, nec ne

68 ℞. Non ſatisfacere, imò peccare m. ſi ſequamur ſententiam DD. aſſerentiũ Religioſum omninò teneri recitare iuxtà formam proprij Breuiarij, quam diximus eſſe communiorem, & probabiliorẽ, ſecùs, ſi ſequimur ſententiam oppoſitam, quam diximus eſſe improbabilem. patet reſponſio ex dictis *q. præc.* qua de re *Sanch. ſup. d. 24. Filliuc. ſup. n. 224. Bonac. ſup. q. 3. p. 1. n. 1. Diana p. 2. tract. 12. reſol. 10.*

Cæterum, ſi quis quærat, an Prælatus regularis poſſit diſpenſare cũ ſuis ſubditis, vt recitẽt priuatim officium iuxta formã Breuiarij Romani, cũ interim vtantur Breuiario proprio iuxta indultum Pij V.

69 ℞. Videri poſſe, etiamſi demus Religioſum habentem vſum proprij Breuiarij non poſſe recitare iuxta formam alieni Breuiarij priuatim (quod tamẽ non admitto, vt patet ex dictis:) poſſe inquam, non quidem perpetuò, ſed in caſu occurrenti, & concurrente iuſta cauſa. Ducor ex eo quod, licèt lex recitandi officium iuxta hoc vel illud Breuiarium poſt publicationem Breuiarij Pij Quinti ſit Pontificia, adeoque indiſpenſabilis à Prælato inferiori,

hoc tamen non facit, quin hic & nunc poſſint Prælati regulares in ea diſpenſare quoad ſuos ſubditos; non ſecus ac DD. concedunt eos poſſe diſpenſare hic & nunc in alijs legibus Pontificijs eo modo proportionaliter, quo Epiſcopi talem habent facultatem quo ad proprios ſubditos. ita docti Neoterici, à quibus non puto diſſentire *Sanch. ſup. d.26.* etſi dicat Epiſcopum poſt publicationem Breuiarij Pij V. non poſſe hac in re diſpenſare, eo quod forma Breuiarij iam ſit de iure Pontificio: credo enim ipſum loqui iuxtà doctrinam à nobis hic traditam, & non aliter, & quidem conſentiente *Filliucio tr.23.n.229.* in caſu ſimili.

70 Addo ex *Lezana v. breuiarium n. 6.* quod, ſi Religioſus obligatus ad proprium Breuiariũ, eo careat, tenetur vti alio Breu. approbato; & ratio eſt, quod preceptum iuris communis de recitando diuino officio obligans Regulares addictos Choro, præualet cuicumq; præcepto recitandi ex hoc, aut illo Breuiario, ſicq; præceptum poſterius cedit priori.

QVÆRES X. An Regulares ſatisfaciant obligationi diuini Officij, ſi illud recitent ſolùm mentaliter.

71 ℟. Quod, quamuis *Tambur. tom. 2. de iure Abb. D.10.qu.9.num.2. & Io: de la Crux l.2. de ſtatu relig. cap.8. d.2.* ſuſtineant partem affirmantem ex indulto Leonis X. relato à *Caſarubio in comp. v. Offic. diu.1.numer.9.* his verbis, *Leo conceſſit, vt ne Fratres prædicti* (nempe Ordinis Minorum) *mutuò ſe impediant in Officio diuino, aut alijs ſint faſtidioſi, quod illa, quæ in Ordinario iubentur dici ſecretè ſub ſilentio tam in horis canonicis, quam etiam in miſſa, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo inter ſe per librum; quia aliqui deuotiùs ſic dicunt, & abſque impedimento, & faſtidio aliorum. & quod eodem modo poſſit facere, qui ſolus dicit Officium per ſe, cum prolatio verbalis ſit præcipuè, vt ab alijs intelligatur.* reuera tamen non videtur ſubſiſtere iſta doctrina, & quidem non ſolum ex eo quod indultum Leonis fuit viuæ vocis oraculo conceſſum, vt in ſpecie notauit idem *Caſarub.* ſed etiam ex eo quod verba illa, *& quod eodem modo poſſit facere, qui ſolus dicit Officium per ſe,* quibus nituntur allegati Doctores, non probant intentum: cum referantur non ad recitationem totius Officij priuatam, ſed tantùm ad recitationem eorum, quæ in ordinario iubentur dici ſecretè ſub ſilentio: de his enim ſolum actum fuerat in priori parte indulti, & ſuper his tantùm cadebat conceſſio communis Fratribus Minoribus, non autem ſuper toto Officio; Cum *Tamburino* ſentit aperte Santorus relatus à *Diana p.8.tract.7.reſol.58.* his verbis, *Cum ſoli recitamus, poſſumus totum Officium dicere mentaliter, cum prolatio verbalis ſit præcipuè vt ab alijs intelligatur:* nec expreſsè reijcitur à *Diana* ſolum dicente *huc vſque Santorius; cuius opinio an probabiliter in praxi admittenda ſit, iudicent* alij.

72 Cæterùm vt ſtudioſo Lectori tanto manifeſtius appareat germana intelligentia illorum verborum *cum prolatio verbalis ſit præcipuè, vt ab alijs intelligatur;* triplex prolatio verbalis diſtingui poteſt; prima eſt eorum, quæ iubentur dici ſecretè ſub ſilentio; ſecunda eſt illorum, quæ iubentur recitari elatiori voce; tertia eſt vtriuſque materiæ prædictæ, id eſt totius omninò Officij: non loquuntur ergo præfata verba de prima prolatione; cum aperte ſit falſum prolationem verbalem ſecretam ſub ſilentio præcipuè fieri, vt ab alijs intelligatur, ſiquidem ſilentium recitantium non eſt medium congruum ad faciendum auditum in alijs: non de tertia, cum hæc adæquatè ſumpta inuoluat primam ſecretam ſub ſilentio, adeoque ratione huius ſit medium incongruum ad faciendum auditum in alijs: ſed de ſecunda prolatione tantùm cum tacita excluſione primæ; ſicque ſenſus eſt; poſſit etiam Frater, qui ſolus recitat per ſe, dicere mentaliter ea, quæ ſecretè ſub ſilentio iubentur dici ſub ſilentio. Et certè, quod talis interpretatio ſit rationabilis, inde ſuadetur quod ſic ius commune minùs læditur, quam ſi dicamus per prælatum indultum concedi, vt mentaliter recitentur etiam ea, quæ aliàs dicenda ſunt altiori voce; cum tamen derogatio iuris communis interpretari ſemper debeat ſtrictè.

QVÆRES XI. An peccent m. Regulares mutando Officium (v. g. recitando de Sancto, quo die recitandum eſſet de feria.)

73 ℟ Non videri improbabilem ſententiam eorum qui dicunt Religioſi in propoſito caſu non peccare, niſi venialiter, ſi illud faciant ex quadam acedia animi, videlicet, vt tantò citiùs ſe expediant à recitatione diuini Officij: oppoſitam tamen ſententiam, quæ ſuſtinet eos peccare mortaliter, eſſe & communiorem, & probabiliorem, & in praxi ſequendam. Prima pars, quam ſequuntur *Caet. Sylu. Zerola, Sot. Medi. Armil. Rodriqu. Azor. Val. Leſſ. Vega, Laym. Binsfeld. & Filliuc. apud Dianam p.2. tra. 12. reſol. 3.* alijque non pauci; probatur, quia ſubſtantia præcepti recitandi diuinum officium eſt, vt 7. horæ canonicæ perſoluantur: quod autem officium ſit de Feria, aut de Sancto, non pertinet, niſi ad modum accidentalem: vnde per mutationem officiorum non cenſetur violari ſubſtantia præcepti, ſed ſolum modus, ritus, ac ceremonia, quorum tranſgreſſio non videtur ſufficiens ad peccatum m. Quæ ratio ita probat intentum iudicio *Dianæ p. 5. tr. 5. reſol. 26.* vt non ſolum concedat cum *Baldello l.5. D. 24. n. 5.* in mutatione officij pro officio dari leuitatẽ materiæ (vt ſi ſemel, aut iterum quis diceret officium de Sancto loco officij de Feria) ſed expreſsè dicat: ſed ego ſemper puto in tali caſu non adeſſe peccatum m. niſi dicatur officium Reſurrectionis (quam limitationem excludit *Caramuel D. 109. in regul. S. Benedicti n.1387.* ſuſtinente nõ peccare mortaliter illum, qui diceret quotidie officium Reſurrectionis: quam doctrinam ego reieci in *tra. de monial. c.6.n.17.§. moneo 2. in edit 2.* & non approbat *Diana p.7.tr 11.reſol.7.* Quo modo (vt ingenuè dicam quod ſentio) iſta opinio ſit probabilior: ſicut & viſa eſt *Bonacinæ*, qui proinde *ſup.p.1.n.18.ex Suar. & Filliuc.* ait hanc opinionem probabiliter ſuſtineri poſſe quando mutatio officij fiat in officium æquiualens quo ad longitudinem: cum ſic facilius præſumi poſſit de voluntate Eccleſiæ dictam mutationem indulgentis, ac remittentis. Quo ſpectat etiam, quod dicunt multi DD. apud *Bonac. ſup.* eum, qui ſpontè, aut inaduertenter recitauit officium breuius loco officij longioris, quod

tunc

tunc erat recitandum, deberé ſupplere ex omiſſis: vt, ſi dixiſti Matutinum de Sancto loco Dominicæ, addendi eſſent 9. Pſalmi ex Nocturnis Dominicæ, nec non ea, quæ ſunt propria illius diei; quæ ſunt benè notanda.

74 Quod autem probabiliùs ſit mutationem Officiorum communiter non excuſari à peccato m. (& eſt 2. pars huius reſponſionis) probatur, tum quia Eccleſia non pręcipit ſolùm recitationem Officij in genere, ſed etiam in particulari, nimirum vt tali die tale officium recitetur; tũ quia aliàs poſſet quis toto anno dicere Officiũ Reſurrectionis, omittere in Prima pſalmũ Confitemini, Symbolum Athanaſij, Preces, & ſimilia, quæ facilè excogitari poſſunt, & omninò videntur improbabilia vnde *Diana p. 5. tr. 5. reſ. 26.* moderatur priorẽ opinionem eo modo, quo paulo ante diximus, videlicet, niſi dicatur officium Reſurrectionis; tum deniq; quia praxis communis non ſolum Religioſorum, ſed & Eccleſiaſticorũ ſæcularium, etiam minùs timoratorum oſtendit priorem illam opinionem eſſe parum probabilem hoc ipſo, quod vix reperiatur vnus, qui nixus tali opinione audeat conſultò facere talem mutationem; quod eſt ſignum eos exiſtimare talem opinionem non eſſe tutam in conſcientia: aliàs vltrò illam non pauci amplecterentur, præſertim ex ijs, qui ſunt laxioris conſcientiæ.

Ex quibus inſero quod, licèt non audeam dãnare priorẽ ſententiam, quam vt probabilem ſequuntur tot DD. etiam Recentiores, qui ſcripſerunt poſt reformationem Breuiarij factam à Pio V. (maximè cũ moderatione addita à Diana) adeoque non improbabile videatur poſſe quem ſine peccato m. ſciẽter, ex ſola inertia recitare Officium de Sancto loco Officij Feriæ multò longioris: idq; non bis, aut ter ſolũ (quod concedunt etiam Auctores oppoſitæ opinionis) ſed frequenter; cum talis opinio non videatur carere omnimoda probabilitate, ſaltem ob authoritatem tot Doctorum, & quidem etiam Recẽtiorum; nihilominus in praxi videtur ſequenda poſterior ſententia, eaque conſulenda eſt, vt cõmunior, probabilior, tutior, & menti Eccleſiæ conformior, vt iam probatum eſt. Vnde fit vt, ſi mutatio Officij fiat in Officium longè breuius, ſiue conſultò, ſiue inaduertenter, ſecurius ſit facere aliquam compenſationem modo ſupradicto; non autem opus ſit intra eandem diem repetere Matutinum, v. gr. quod in ſpecie aduertit *Fillincc. ſup. nu. 228.* addens ex *Suarez* in tali caſu non eſſe neceſſariam talem compenſationem quo ad alias Horas: cum ſic materia ſemper ſit leuis, vt patet. quibus addo ego; quod, ſi fortè recitatum eſt ex errore Matutinum de Feria pro Matutino de Sancto: tunc Horæ diei ſequentis debent dici de Sancto abſque vlla compenſatione; cum ſic mutatio non fuerit in Officium notabiliter breuius, adeoque ſuffragetur regula communis Doctorum: Officium pro Officio: etſi *Diana p. 7. tr. 11. reſol. 11.* ex *Caramuele* dicat recitantem Matutinum v. g. de Sancto, & horas de feſto peccare m. eò quod non recitet diuinum Officium à Sede Apoſtolica approbatum, ſed duo ſemiofficia, quæ non poſſunt connecti, ita vt conſtituant vnum diuinum Officium. Etſi *Diana* ex eodem *Caramuele* indicet oppoſitum poſſe defendi in ſententia illorum, qui ſentiunt dari octo præcepta de diuino Officio, adeoque omiſſionem illius non eſſe vnum peccatum mortale, ſed octo, ſi totum Officium omittat.

Quod ſi quæras an, dato quod Religioſus Feria ſexta v. g. perueuturus ſit Ferrariam, vbi in Eccleſia ſui Ordinis ea die celebratur feſtum Sancti Patroni, poſſit veſpere præcedenti Bononiæ, vnde receſſurus eſt, recitare Matutinum de dicto Sancto Patrono, cum aliàs fiat ibi Officium de feria.

75 ℞. Poſſe Bononiæ recitari Matutinum de Sancto Patrono; & probatur, tum quia Religioſus in caſu propoſito exiſtens Bononiæ quo ad recitationem diuini Officij fictione iuris cenſetur eſſe Ferrariæ tum quia hic proportionaliter procedit doctrina, quam, alijs citatis, tradit *Sanch. l. 1. mor. c. 12. nu. 31.* nimirum recedentem à proprio domicilio, in quo eſt dies feſtiuus, in locum, vbi non eſt feſtiuus, non teneri mane audire Miſſam, ſi durante adhuc implendi præcepti commoditate, ſit futurus extra limites oppidi, in quo ſit feſtum: quæ doctrina ad præſentem caſum benè poteſt adaptari, vt facilè patebit conſideranti: tum quia *Tiberius inſtruc. ordin. q. 104. §. dico 4. ex Vgolino* docet Clericum peregrinantem teneri ſeruare in recitatione horarum, ritum ſuæ Eccleſiæ; cum in tali actione, quæ fit priuatim, non teneatur ſe conformare moribus eorum, per quos tranſit, vel inter quos ad tempus breue viuit: ſicque mirum non eſt Religioſum illa eadem die receſſurum Bononia ſub veſperam poſſe ibi ante diſceſſum recitare Matutinum de Sancto Patrono, cuius feſtum die ſequenti celebraturus eſt Ferrariæ, quo tendit, & peruenturus eſt.

Accedit quod, ſi Religioſus degens Bononię v. g. recitauit Officium de aliquo Sancto, & poſtea incipiat habitare Ferrariæ, vbi ex aliquo impedimento nondum eſt recitatum Officium de illo Sancto: ibi non tenetur iterum recitare tale Officium; vt clarè colligitur ex *Sanch. ſup. num. 22.* docente ex *Leſſio* eum, qui expleuit ieiunium Quadrageſimæ, aut Vigiliæ, vel ſeruauit Feſtum in ſuo oppido, non teneri ad hæc præcepta, ſi poſtea mutet domicilium in locum, vbi tale ieiunium non eſt peractum, vel Vigilia illa, & Feſtum nondum inciderunt: quod ſępè accidit ratione noui Calendarij non vbique recepti. Dixi *non teneri*: ſi enim is Religioſus velit iterum recitare Officium illud. poteſt ex doctrina *Tiberij ſup. §. dico 3.* docentis Scholares in loco ſtudij, & alios extra locum originis, domicilij, beneficij ad maiorem anni partem habitantes, poſſe eligere, aut ritum loci, in quo degunt, aut locum originis, beneficij, ac domicilij: quæ doctrina ſi benè applicetur, facit ad præſentem caſum.

76 Addit *Lezana to. 1. c. 12. n. 19. ex Barboſa, & Gauanto* dicta de mutatione Officij in Officium habere locum item in mutatione Ritus; vt ſi officium de Sancto conceſſum ſub ritu ſemiduplici, aut ſimplici fiat duplex; verùm, ſi Lezana per hæc intendit in tali mutatione ritus peccari mort. non videtur admittenda talis doctrina, niſi forte in ea mutatione interueniret contemptus, aut graue ſcandalum; ſi quidem aliàs in hac re ſaltem leuitas

materiæ excuſaret à mortali, & rationes adductæ ad probandum licitam eſſe mutationem Officij in Officium, idem probabunt & de mutatione ritus, cum in hac longè minor interueniat difformitas.

77 Vnum hìc moneo ex *Caſarub.in Comp.v.offic.nu.5.* Innoc. IV. (quod ſpectat ad ſupradictam mutationem Officij diuini per bullam authenticam conceſſiſſe Fratribus minoribus, & conſequenter alijs Regularibus per vim communicationis: *vt quando ratione itineris, vel alterius rei cauſa extra* Conuentus, ſeu loca ſua quemlibet, vel quoslibet eorum contigerit degere, poſſint diuinum Officium Fratres cum Fratribus, aut ſimul cum alijs Regularibus perſonis, vel quilibet ſeparatim facere alio, quam Romano ordine placuerit; & quod id ſufficiat ad perſoluendum debitum, ad quod ratione Regulæ, teneantur, *nec iterum proprium Officium dicere teneantur*. ita *Caſarub.* ex qua conceſſione (quam puto adhuc durare, cum non conſtet de ſufficienti reuocatione illius) poſſunt Regulares, ſiue itinerantes, ſiue extra monaſterium commorantes occaſione ſtudiorum, prædicationis, negotij, aut alterius ſimilis cauſæ, ſi aliàs ex vi Regulæ, aut ex conſuetudine Officium diuinum recitant iuxta formam Breuiarij Romani, illud recitare, etiam ex alio Breuiario, tum ſeparatim, tum vnà cum Religioſis eiuſdem, aut alterius Ordinis; imò & cum perſonis non Religioſis (ad has enim puto extendi iſtam conceſſionem tanquam fauorabilem, eſtò hę in ea non exprimantur, quo modo exprimuntur Religioſi diuerſi Ordinis: vt pote de quibus erat maior ratio dubitandi, num ad eos talis conceſſio extenderetur: cum alioqui eorum teneantur recitare iuxta proprium Breuiarium. Ex quibus patet iſtam conceſſionem non ſuffragari Religioſis non recitantibus iuxta formam Breuiarij Romani.

Quæ autem Officia in ſpecie vetita ſint Regularibus, conſtat ex dictis *ſect. præced. q.9.*

78 *Sine cauſa interrumpentes diuinum Officium peccant ſolùm venialiter.*
79 *Imo, ſi interruptio fiat ex cauſa, nullo modo peccant.*
80 *Matutinum diuidi poteſt à Laudibus.*
81 *Nec tunc recitari debet in fine matutini oratio officij currentis.*
82 *Ipſa item Nocturna in Officio 9. lectionum poſſunt ſeparari.*
83 *Inuertens ordinem horarum inter ſe, ſiue eiuſdem, ſiue alterius diei ſolum peccat venialiter.*
84 *Recitans abſque vlla attentione interiori ſatisfacit.*
85 *Peccat mortaliter, qui recitans horas voluntariè ſe detinet in operationibus externis moraliter incompatibilibus cum oratione.*
86 *Quod ſi id fiat ex cauſa, & operatio ſit compatibilis, neque venialiter peccatur.*
87 *Horæ recitari debent integrè.*
88 *Sicque ſyncopans verba, aut contrahens ſyllabas poteſt pertingere ad mortale; etſi recitans cum blæſo, & balbutienti ſemiproferente verba ſatisfaciat: quod procedit de famulo recitante cum Domino ex accidia eligente officium breuius.*
89 *Excuſaretur item recitans cum ſyncopante, ſi poſſet recitare mentaliter.*
90 *Ipſe item recitans ſyncopando excuſatur, ſi poſſit recitare mentaliter.*
91 *Horæ recitari poſſunt priuatim cum ſocio, imo & cum pluribus.*
92 *Omiſſio diuini Officij ex genere ſuo eſt mortalis.*
93 *At excuſat paruitas materiæ, & aſſignatur.*
94 *Totum diuinum Officium vnico præcepto præſcribitur.*
95 *Omittens partem notabilem Officij in confeſſione non aperit, quam partem omiſerit.*
96 *Religioſus Profeſſus, & Sacerdos ſimul, imo & Beneficiarius, ſi omittat recitare Officium, vnicum facit peccatum.*
97 *Recitans horas debet intentionem habere ſaltem virtualem orandi, & implendi id, quod præcipitur.*
98 *Non item debet habere intentionem implendi præceptum.*
99 *Dubius, an recitauerit pſalmum, aut aliquam horam non tenetur repetere.*
100 *Regulares, etiam vtentes proprio Breuiario, extra chorum non tenentur recitare Officium Defunctorum, aut B.Virginis, &c. quæ per rubricas præſcribuntur: quod non procedit, ſi ex ſtatuto, aut conſuetudine Ordinis ad hoc teneantur.*
101 *Religioſus emiſſa profeſſione tenetur ſtatim ad Horam reſpondentem tempori, quo Profeſſio emiſſa eſt.*
102 *Recitandum Officium à puncto mediæ noctis diei præcedentis ad punctum mediæ noctis diei ſequentis; & laudabilius eſt illud præuenire.*
103 *Matutinum, & Laudes toto anno recitari poſſunt poſt publicam recitationem veſperarum, & completorij; apponitur Tabella indicans exactè tempus recitandi Matutinum: hoc autem non inchoatur ante tempus taxatum, etſi finiatur ſub initium illius.*
104 *Officium recitandum voce ſenſibili, itaut recitans poſſit ſe audire, amoto impedimento; etſi non ſit opus. vt ſe audiat.*
105 *Non requiritur certus ſitus corporis ad priuatam recitationem Officij.*
106 *Ea fieri poteſt vbique.*
107 *Facienda iuxta ordinem præſcriptum in Romano Breuiario.*
108 *Ordo Horarum ex cauſa poteſt inuerti.*
109 *Excuſatus à recitando Officio non tenetur ad aliud.*
110 *Qui nequit recitare totum, debet recitare partem, quam poteſt, ſi ea eſt notabilis; id eſt ſaltem dimidia; quod alij negant præſertim* Caramuel.
111 *Cœcus non tenetur recitare memoriter, aut cum ſocio, etſi poſſit.*
112 *Nec tenetur recitare horas paruas B. Virginis, licet eas memoria teneat.*
113 *Surdus tenetur recitare per ſe ipſum.*
114 *Infirmitas grauis excuſat à recitatione Officij; etſi ea fieri poſſet ſine damno graui.*
115 *Morbi grauitas iudicio medici, aut Prælati æſtimanda; etſi in dubio iudicari debeat pro præcepto.*
116 *Morbus excuſat, quamuis non impediat confabulationem cum amicis, &c.*
117 *Per aliquot dies excuſatur febriens poſt totalem receſſum febris.*
118 *Laborans quartana non ſemper excuſatur.*

Non

119 *Non tenetur quis præponere, aut poſtponere tempus diuini Officij iuxta aliquos; ſed hoc limitatur.*
120 *Grauis, honeſta, ac neceſſaria occupatio item excuſat à recitatione Officij, etſi ea præuiſa, præueniri debeat recitatio, ſi commodò poſſit præueniri.*
121 *Regulares ex indulto poſſunt reſeruare Officia breuiora pro diebus quibus præuident ſe fore minùs occupatos; & indultum adhuc durat.*
122 *Excuſat & carentia Breuiarij inuoluntaria, imò & voluntaria in aliquo caſu.*
123 *Proijciens Breuiarium, ne recitet, ſi poſtea eum pœniteat, excuſatur à recitando.*
124 *Diſpenſant Prælati regulares ſuper recitatione Officij.*
125 *Patres Theatini quo ad hoc habent inſigne priuilegium Clementis VII.*
126 *Quod nimis reſtringitur à* Peyrino.
127 *Simile priuilegium conceſſit Eugenius IV. Benedictinis.*
128 *Explicantur aliqua clauſulæ præfati priuilegij Clementis VII.*
129 *Ex indulto Innocentij IV. Moniales S. Claræ choriſtæ, occaſione rationabili occurrente, loco horarum canonicarum poſſunt recitare Officium Sororum Laicarum; & hoc indulto gaudent Moniales aliorum; imo & viri Religioſi per viam communicationis.*

QVÆRES XII. An, & qualiter peccent Regulares, qui in priuata Horarum recitatione eas notabiliter interrumpunt, & ſine iuſta cauſa.

78 ℞. Non peccare, niſi v. adeoque non teneri repetere horam modo dicto interruptam (quantumuis longa, ac impertinens fuerit interruptio) ſed ſufficere, quod intra eundem diem ſuppleat partem omiſſam, & quod habuerit animum ſic ſupplendi, quando interrupit. ita *Sanch. l. 7. conſil. cap. 2. d. 19. num. 3. Laym. l. 4. tract. 1. cap. 5. num. 7. Fernand Arag. Vega Zanard. Barboſa Ledeſma, Leſſ. Villal.* apud *Dianam p. 2. tract. 12. reſol. 4.* alijque contra *Nauarrum Suar. Vaſq. Regin. Comitol. Homob.* & alios penes eundem *Dianam*; qui docent interrumpentem Officium diuinum ad longum tempus, & ſine cauſa peccare mor. niſi poſtea repetant Officium: ea ducti ratione quod ex vna parte vnitas vniuſcuiuſque horæ pertinet ad ſolemnem ritum, & formam præſcriptam in horarum recitatione; ex alia parte eiuſmodi vnitas tollitur, aut ſaltem valdè diminuitur per talem interruptionem. Verùm hæc ratio probat quidem in dicta interruptione interuenire culpam v. (eamque tanto grauiorem, quo diuturnior eſt intermiſſio, aut actio, quæ interponitur, inutilior, vel deformior:) cum ibi intercedat aliqua irreuerentia, ac indecentia cõtra Deum, & aliquo modo ſoluatur vnitas, & quaſi forma orationis inſtitutæ ab Eccleſia; non tamen talis ratio probat in præfata interruptione committi culpam mortalem; cum ea poſita, adhuc impleatur præceptum recitandi ſecundum ſubſtantiam, quatenus ſinguli pſalmi, imò ſinguli verſiculi per ſe habent ſuum pondus, & ſignificationem completam, ſuntque per ſe vel precatio, vel laudatio, vel ſententia non habens cum alijs neceſſariam connexionem, conſtat autem quod, quando præceptum Eccleſiæ impletur ſecundum ſubſtantiam, & ſolùm violatur in modo accidentali, violatio nõ eſt mortalis, ſed ven. vt paſſim tradũt DD. in ſimilibus caſibus præter quam quod in caſu propoſito ſi interrũpens horã intẽdat ſupplere intra eundẽ diẽ, hoc ipſo Hora ratione talis intentionis videtur moraliter cõtinuata, etſi phyſice ſit diſcontinuata, vt notat *Sanch. ſup. nu. 5.* Vnde fit, vt ſic interrumpens recitationem horæ non teneatur totam horam repetere, ſed ſufficiat eum implere partem omiſſam: cum præceptũ recitandi re vera impleatur ſecundùm ſubſtantiam, eſtò ſit aliqua deordinatio in modo accidentali, quæ tamen non excedit culpam v. quantumuis Hora interrumpatur ſine cauſa.

79 Dico *ſine cauſa*, ſi enim interrumpatur ex cauſa iuſta (v. g. occupationis tunc occurrentis, quæ differri nequeat) interruptio neque erit peccatum v. cum leges Eccleſiæ debeant ſemper interpretari ita, vt moralem facilitatem ſeruent; ſicut benè aduertit *Laym. ſup. n. 7.* imò notant DD. apud *Tiber. q. 97.* poſſe contingere, vt fiat ſup. dicta interruptio ſine cauſa graui, & tamen non committatur neque peccatum v. nimirum ſi interruptio ſit breuis, non autem notabilis iudicio prudentis: quod dico, quia in hora longiori poteſt eſſe maior interruptio, vt in Matutino, aut Laudibus, vel Veſperis: ſicut & maior eſſe poteſt inter vnum pſalmum, & alium, quam in medio pſalmi; quæ ſunt benè notanda pro praxi.

Quærunt hic DD. an liceat diuidere Matutinum à Laudibus, ita vt dicatur Matutinum Veſpere diei præcedentis, & Laudes aurora diei ſequentis.

80 ℞. Licere, imò & eſſe laudabile (vt inquit *Filliuc. ſup. n. 235.*) pateteque ex eo quod, licèt demus contra *Nauarrum* Matutinum, & Laudes non eſſe horas diſtinctas, ſed partes integrales eiuſdem horæ: at negari non poteſt quin longè aliter ſint partes, quam partes aliarum horarum; vnde & poterunt diuidi ob hanc magnam diuerſitatem; maximè cum in Eccleſia primitiua fieri ſoleret talis diuiſio, vt ſcilicet Matutinum caneretur in tribus vigilijs noctis, & Laudes in quarta vigilia. ita *Sanch l. 7. conſ. cap. 2. d. 20. ex Nau. Tol.* & alijs doctis iunioribus *Filliuc. loco cit. Lezana ſup. n. 16. Tiber. ſup. Bonac. ſup. p. 3. n. 11.* alijque penes ipſos: inter quos *Suar. ſup. c. 6. n. 9.* ait nullum doctum, & timoratum de hac diuiſione, & ſeparatione Laudum à nocturnis ſcrupulum formare.

An verò, quando Matutinum diuiditur à Laudibus, dici debeat oratio Officij currentis poſt Matutinum.

81 ℞. *Sanch. ſup. n. 2.* ex multis recentioribus viris doctis tacito nomine relatis non debere dici, niſi in nocte Natiuit. Domini, vbi id præcipit rubrica Breuiarij; probatque ex eo, quod nullo iure, aut authoritate, aut ratione probari poteſt oppoſitum; quod idem ſentit *Tiber. q. 88. ex Azor. p. 1. l. 10. c. 8. q. 4.* contra *Nau. Tol. Rodriq. Leſſ. Suar. Regin. & Filliuc.* apud ipſum Tiberium ſuſtinentes in tali caſu terminãdum eſſe Matutinum cum verſiculis *Dominus vobiſcum, &c.* oratione currenti, & *pater noſter*: Laudes autem inchoandas eſſe cum *Pater noſter*, & *Aue* more aliarum horarum; quod tamen negant alij cum *Gauanto in rubric. Breuiar. Rom. ſect. 4. c. 2. n. 4.* eò quod non conſtet, quo iure nitatur talis obligatio:

tio: cum potiùs oppoſitum videatur colligi ex officio Natiuit. Domini, in quo Laudes abſolutè inchoantur ſine *Pater*, & *Aue*.

82 Addit *Bonac. ſup. num. 13. ex Filliuc.* & alijs contra *Azor. Francol. Marign.* & alios Nocturna poſſe recitari ſeparatim, ſaltem intra ſpatium 3. horarum: præ ertim concurrente iuſta cauſa; probatque tum quia ſic fiebat antiquitus iuxta ſententiam aliquorum Doctorum: tum quia iuxta dicta interruptio diuini Officij facta ex iuſta cauſa excuſat à peccato: tum quia inter Nocturna diuini Officij non videtur eſſe tanta connexio, vt ex cauſa iuxta ſeiungi nequeant: cum de facto in recitatione Officij mortuorum tempore Quadrageſimæ in Eccleſia dici ſoleant ſingula Nocturna cum Laudibus ſeorſim ab alijs Nocturnis; cum *Bonac.* ſentit *Tiberius ſup. q. 97.* negans contra *Filliuc. ſup. num. 238.* in præſenti caſu terminandum eſſe primum Nocturnum cum oratione currenti, & ſequens inchoandum cum *Pater*, & *Aue*: id enim ſimpliciter non eſt neceſſarium, nec vllo iure ſufficienter probari poteſt.

QVÆRES XIII. An peccent mort. Regulares, ſi in priuata horarum recitatione earum Ordinem inuertant inter ſe (v.g. dicendo Veſperas ante Primam)

83 ℟. Non peccare, niſi v. etſi id faciant ſine cauſa, aduertenter, & ſæpè (remoto tamen contemptu) quamuis tale peccatum ſit grauius ſi peruertatur ordo eiuſdem horæ inter ſe, quam ſi diuerſarum, & ſi horarum eiuſdem diei inter ſe, quam diuerſi diei; vt ſi non recitato Completorio diei antecedentis, dicas Matutinum ſequentis. ita *Sanch. ſup. d. 41. ex Soto, Caie. Nau. Ledeſ. Pedraza Armil. Margarita Med. & Palac. Bon. ſup. p. 4. n. 2. Tibe. q. 98. Azor. Tol. Leſſ. & Suar.* penes ipſum *Tiberium* alijque communiter contra *Vaſq. de benef. cap. 4. §. 1. a. 2. d. 4. nu. 66.* ſuſtinentem hac in re m. peccari, ſi ſæpè, & ex more id fiat. Ratio noſtra eſt, quod ex vna parte ordo horarum non eſt de ſubſtantia, & conſequenter eius violatio non poteſt eſſe, niſi v. vtpote verſans circa aliquid accidentale; ex alia parte non poteſt negari, quin in tali inuerſione ordinis fiat contra decorem diuini Officij, ac inſtitutionem Eccleſiæ, adeoque peccetur v. Quamquam, ſi fiat talis inuerſio ordinis ex iuſta cauſa; nullum omnino committatur peccatum: vt ſi cępta hora poſteriori, recorderis non dixiſſe priorem, aut omiſiſſe aliquem pſalmum; ſi memoria teneas poſteriorem, & debito tempore ex Breuiarij defectu dicere non poſſis priorem, & differre ſit incommodum; ſi vir grauis te inuitet ad dicendas horas poſteriores, cum adhuc non dixeris priores, &c. qua de re *ſect. præced. q. 12.* vbi oſtendimus oppoſitum dicendum eſſe de peruerſione ordinis, quæ forte fiat in Choro in publica horarum recitatione.

QVÆRES XIV. An Regulares Horas priuatim recitantes ſatisfaciant obligationi, ſi id præſtent ſine vlla attentione interiori.

84 ℟. Satisfacere eo modo, quo diximus *ſect. præced. q. 14.* de recitantibus, in Choro: rationes enim ibi adductæ intentum probant tam de recitantibus priuatim, quam de ijs, qui publicè recitant, vt patebit eas conſideranti.

Poſſet hìc ſolum quæri, an m. peccet Religioſus, quis recitans Horas ex obligatione aduertenter occupatur in aliquibus operationibus externis.

85 ℟. Peccare m. ſi prædictæ occupationes ex natura ſua aduerſentur attentioni orationis, & ſint cum ea incompatibiles (vt ſi ſcribat, pingat, vel aliud tale faciat, quod totum animum ad ſe auocet) Secùs ſi eæ operationes non ſint incompatibiles cum attentione, nec requirat tantam animi aduertentiam (vt ſi quis recitet induens ſe, aut calceans, aut ambulans per hortum, herbas proſpiciens, &c.) ita in terminis *Sanch. ſup. d. 32. cum Nauarro Medi. & alijs* monens *num. 4. ex Nau.* aliquos dari actus corporales tam parum repugnantes attentioni, etiam horarum debitarum, vt ſi fiant, dum recitantur etiam abſque vlla cauſa, nullum ſit peccatum (vt lenis deambulatio, itineris factio pedeſtris, vel equeſtris, moderata proſpectio, vel collectio huius, vel illius herbæ) Ratio autem reſponſionis eſt, quod cum recitatio horarum requirat aliquam attentionem, ſaltem externam, vt oſtendimus *ſect. præced. q. 14.* debet recitans eam procurare; non procurat verò, ſi dedita opera exerceat actiones cum ea omninò incompatibiles, cum ſic in actu exercito indicet ſe nolle eam habere: vnde cum delinquat in re graui, ſi per tempus notabile modo dicto attentionem debitam impediat (vt ſuppono) vtique peccat mortaliter, aut certè ſolum venialiter ex leuitate materiæ; quo pacto dicit *Filliuc. ſup. num. 260.* ordinariè peccare eos, qui in recitatione priuata horarum ſine cauſa exercent operationes non ita magnam exigentes attentionem, & quæ fieri poſſunt quaſi ex habitu; quãquam dicat *Filliuc.* poſſe euenire, vt in tali caſu peccetur etiam m. vt ſi quis experientia didiciſſet ſe etiam ob eiuſmodi actiones impediri ab attentione debita: tunc enim deberet ab ijs abſtinere ob rationem iam allatam.

86 Dixi *ſine cauſa*, vt innuerem quod ſi fiant dictæ operationes ex cauſa, neque v. peccat recitans eas faciendo, imò meretur, vt ſi inchoata hora, accedat vir nobilis viſitaturus recitantem, & is finiat Horam ſe componens, aut cubiculum, vt illum excipiat. ita *Sanch. ſup. num. 4.*

QVÆRES XV. An, & quo modo Regulares teneantur recitare Horas integrè, qualiterque peccent; ſi earum integritatem non ſeruent.

87 ℟. Teneri recitare integrè (& quidem ſub peccato mortali niſi excuſet paruitas materiæ:) adeoque debere non ſolum intelligibiliter dicere omnia ita ut ſuapte natura, remoto omni impedimento, voces exaudiri poſſint, ſaltem ab ipſo recitante modo infrà dicendo, ſed etiam deberre proferre omnia diſtinctè non ſyncopando, aut corrumpendo verba, cum hæc expreſsè in iure ſint prohibita; quamuis regulariter talis defectus non ſit mortalis, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, excuſante vitio linguæ, & vſu quodam modo verſo in naturam, vt monet *Filliuc. ſup. num. 242. ex Azorio tom. 1. l. 10. cap. 7: q. 11.* quod item confirmat *Sanch. ſup. d. 17. num. 3. ex Medina* dicens, non oportere Clericos eſſe nimis ſcrupuloſos caſu, quo putent ſe vel non integrè pronunciaſſe, vel aliqualiter ſyncopaſſe,

vel

vel verba aliqua non voce, ſed gutture dixiſſe, dummodo defectus non ſit valde notabilis: quia tunc ſufficit de eiuſmodi defectibus pœnitere.

88 Dixi ſub initium reſponſionis, *Et quidem ſub peccato m. &c.* quia, vt aduertit *Sanch. ſup. numer. 1. ex Nau. Sylu. Palud. S. Anton. & Ang.* qui notabiliter malè recitat ſyncopando, & contrahendo ſæpè ſyllabas, deglutiendo dictiones, & incipiendo ſuos verſus, antequam ſocius abſoluat ſuos, ſine dubio peccat mortaliter, vtpote grauiter lædens integritatem diuini Officij: quod tamen communiter non euenit (vt iam dixi) excuſante paruitate materiæ.

Docet autem *Caramuel D. 107. in regul. S. Bened. num. 1366.* non ſolum recitantem cum blæſo, & balbutienti ſemiproferente verba ſatisfacere obligationi diuini Officij (quod puto eſſe verum, cum blæſus di penſationem habeat à natura, & ab Eccleſia omittendi magnam Officij partem, illum excuſante impotentia) ſed etiam ſatisfacere Clericum ſecularem recitantem (v. g. cum Carmelita recitante ex proprio Breuiario, nec non Carmelitam recitantem cum Dominicano iuxtà breuiarium Dominicanum) idque ob rationem paulò ante allatam: quod licèt expreſsè non approbet *Diana p. 7 tract. 11. reſol 9.* neque expreſsè reprobat, ſolum dicens, *Sed tu cogita*: quamuis expreſsè concedat recitantem ex breuiario extraneo, vno, aut altero die non peccare mortaliter iuxta *Nauarr. Vaſqu. & Raphael. de la Torre.*

Addit *Diana reſol. 10.* quod ſi Prælatus dicat cum famulo ex negligentia Officium de Sancto loco Officij de Feria, famulus ſic recitans excuſatur à veniali, cùm habeat cauſam rationabilem taliter mutandi Officium hoc ipſo quod tenetur recitare cum ſuo Domino; vt aduertit *Caramuel citatus ab ipſo Diana* pro ſua ſententia.

Quod ſi hìc obiter quæras, an excuſetur à peccato m. Regularis, qui habens priuilegium recitandi Officium mentaliter iuxta dicta qu. 10. recitat priuatim cum Socio ita illum præueniente in incipiendo ſuos verſus, antequam ipſe ſuos finierit, & verſus ſibi contingentes ita notabiliter ſyncopante, vt iudicio boni viri non cenſeatur ſatisfacere.

89 ℞ Excuſari; ratio eſt, quia ex vna parte Religioſus habens priuilegium recitandi Officium mentaliter non minùs poteſt recitare mentaliter verſus contingentes Socio recitanti cum ipſo dictos verſus ab eo audiendo, quam illos oculis percurrendo in Breuiario: ex alia parte cum mens longè velociùs operetur, quam lingua, poteſt præfatus Religioſus priuilegiatus non ſolum mentaliter abſoluere integros verſus à ſocio ſyncopatos, ſed etiam mentaliter finire verſus ſibi contingentes, ante quam ſocius, præueniendo finem eorum, vocalem, inchoet verſus, qui ipſi contingunt; vnde ſupradictus Religioſus priuilegiatus Officium recitat cum omnimoda integritate, pleneque ſatisfacit obligationi; cum ſic mentaliter dicat, & totos verſus, & debito tempore: quod ſufficit ad integritatem recitationis mentalis, quæ vi præfati priuilegij conceditur dicto Religioſo.

90 Hinc patet Religioſum habentem priuilegium recitandi mentaliter Officium, non debere multum angi ex eo quod in priuata horarum recitatione ſæpè ſæpius non ſine aliqua ſua negligentia ſyncopet verba diuini Officij, adeoque timeat ſe non ſatisfacere obligationi: ſi quidem attento præfato priuilegio reuera implet ſupradictam obligationem; quatenus per mentalem recitationem (quam hic ſuppono) poteſt ſupplere defectui plenæ recitationis vocalis commiſſo per ſyncopationem.

91 Nec obſtat integritati diuini Officij, ad quam tenentur Regulares, quod etiam priuatim illud recitent cum ſocio: idque etſi is non ſit obligatus, non attendat, non audiat: ad implendam quippe obligationem ſufficit, vt Religioſus obligatus ipſum audiat: cum ſic ſatisfaciat partim, dicendo, partim audiendo. quin etiam poſſunt plures ſimul alternatim recitare, ita tamen vt duos tantùm conſtituant Choros, ſcilicet bini, & bini, terni, & terni, in quo caſu poteſt quidem vnus dicere antiphonas, lectiones omnes, orationes, & capitula alijs interim audientibus: æquum tamen videtur (quod attinet ad lectiones) vt ſinguli ſuas dicant, & vt reſponſoria, verſiculi, & antiphonæ ſucceſſiuè decantur alternatim, non ſecùs ac dicuntur verſus pſalmorum, non autem ab omnibus ſimul; quod non habet locum in ijs, quæ ſecretò dici debent, qualia ſunt *Pater, Aue, Credo, Salue*, quæ ita debent dici à ſingulis, vt tamen aliquo non dicente, alij ſatisfaciant. ita *Fillluc. ſup. numer. 240. Regin ſup. num. 158. Tiber. qu. 100.* aliique penes ipſos inter quos *Bonac. ſup. p. 2. §. 1. num. 7.* cum alijs Doctoribus notat hunc modum alternatim orandi ſeruari poſſe non ſolum in oratione debita ex præcepto Eccleſiæ, ſed etiam in ea, quæ eſt debita ex voto, pœnitentia Sacramentali, vel alia ratione, v. gr. ad lucrandas indulgentias; cum rationabiliter iudicari poſſit hanc eſſe intentionem vouentis, Confeſſarij, & Prælati concedentis Indulgentias, & alioqui non occurrat ratio, quæ oppoſitum efficaciter ſuadeat.

Addo ſatisfacere obligationi diuini Officij Religioſum, qui per ſe ſolum recitat omnes pſalmos Officij 9. lectionum & poſtea ab alio ad hunc finem euocato audit omnes 9. lectiones. Ducor quod quo ad partem Matutini conſiſtentem in lectionibus dici poteſt Religioſus communicare cum Socio, audiendo lectiones ab eo, & alias non eſt opus quod talis communicatio fiat in toto Matutino: præter quam quod dici poſſet non requiri vt in præſenti materia communicatio ſit mutua ſtante doctrina *Dianæ p. 2. tr. 12. reſol. 6.*

Secùs dicendum puto in caſu, quo duo Religioſi ſimul recitent pſalmos Matutini alternatim, & poſtea 9. omnes lectiones illius audiant à tertio vocato ad hunc effectum; hoc enim eſſet recitare Officium in tertium (vt dicunt) ac ſi tres Religioſi ſimul Officium recitantes tres veluti choros efficerent, quolibet illorum proprium verſiculum ſingillatim dicente alternatim; quod DD. communiter negant poſſe fieri, vt colligitur ex *Azorio p. 1. l. 10. cap. 7. q. 9.*) & alioqui 9. lectiones ſunt materia grauis.

Puto

Puto item ſatisfacere Religioſum, ſi recitans Officium cum alio in decurſu recitationis pſalmos aliquos ſolus recitet, ſicut & omnes Lectiones, hymnos, ac reſponſoria alias cum ſocio recitans maiorē partem pſalmorum: nam ſinguli pſalmi ſunt ſingulæ orationes, & non repugnat Officium eiuſdem diei partim recitari cum Socio alternatim, partim ſeorſùm, vt patet.

Quod ſi in Choro recitentur omnes 9. lectiones, Matutini ab ijs, qui alioqui nullo modo canunt pſalmos: reliqui intereſſentes choro, qui recitant pſalmos, dici poſſent non ſatisfacere ſuæ obligationi; cum, data hypotheſi, recitantes matutini lectiones non poſſint dici communicare cum alijs choriſtis: quamquam admiſſa doctrina *Dianæ* ſuperiùs data, contrarium non improbabiliter poſſit ſuſtineri, vt conſideranti patebit. Si autem ipſi Lectionarij in propoſito caſu ſubmiſſa voce recitent pſalmos; tunc ſatisfaciunt quidem obligationi diuini Officij recitandi, ita vt non teneantur illud repetere: at non ſatisfaciunt debito ſeruitio chori: vt docet in terminis *Bonac. D. 1. p. de hor. can. q. 8. p. 2. §. 1. num. 17.*

QVÆRES XVI. An, & quando peccent m. Regulares ob culpabilem diuini Officij omiſſionem.

92 ℞. Peccare m. quotieſcumque per vnam diem omittunt vel totum officium, vel partem eius notabilem. eſt communis DD. apud *Filliuc. tr. 23. n. 245.* & probatur tum ex dictis *ſup. q. 2.* tum quia violans præceptum in re graui peccat m. qui autem modo dicto omittit recitare, vel totum officium, vel partem eius notabilem, violat præceptum in re graui pertinente ad virtutem Religionis, & cultum Dei: vt vel hinc patet quod omittens diuinum officium poteſt ſuſpendi *cap. dolentes de celebrat. Miſſar.* imò & excommunicari *Clem. 1. eodem tit.* quod vtique eſt ſignum omiſſionem officij eſſe culpam grauem, vt pote verſantem circa præceptum graue.

Sed difficultas eſt in ſtatuendo, quænam ſit pars notabilis diuini officij, cuius omiſſio ſit peccatum mortale.

93 ℞. *Filliuc. ſup. n. 246. ex Suar. ſup. c. 25. num. 16.* in præſentia grauitatem materiæ non eſſe deſumendam ex eo quod ſit tertia, vel quarta pars (vt putant aliqui cum *Nau. de orat. c. 10. nu. 42.*) ſed ex eo quod ſit magna in ſe, ſpectata dignitate iſtius, ac deformitate reſpectu totius officij, idq; ſecundum prudentem æſtimationem. Vnde in Matutino cum Laudibus vnum Nocturnum eſt quarta pars tantùm, & tamen eius omiſſio a Doctoribus æſtimatur communiter materia grauis: è contra in tertia, vel ſexta hymnus cum primo pſalmo eſt tertia pars, & tamen Doctores nō iudicant eſſe materiam grauem, quare vniuerſaliter dici poteſt omiſſionem partis, quæ æquiualeat minimæ Horæ, vel dimidiæ parti eius eſſe peccatum m. ſi verò non attingat ad dimidiam partem, eſſe ſolum veniale, ita *Filliuc. vbi ſup.* alijque plures apud *Bonac. ſup. num. 2.* quamuis alij (& meo iudicio probabiliter) cum *Bonac. vbi ſup. Caſtro Palao tom. 2. D. 2. p. 5. num. 1. & Diana p. 5. tr. 5. reſol. 26.* putent medietatem horæ paruæ non ſufficere ad hoc vt eius omiſſio ſit peccatum m. probāt tum quia non eſt veroſimile eccleſiam velle perpetuis gehennæ incendijs ſubijcere ſuos filios ob omiſſionem adeo leuem: tum quia (& eſt ratio *Caſtri Palai*) communior ſententia Doctorum habet vnicum eſſe præceptum de 7. horis canonicis recitandis (vt infra videbimus) at poſita vnitate præcepti, leuis materia debet iudicari ea, quæ quantitatem horæ paruæ non attingit. imo *Marchinus* penes *Dianam p. 6. tract. 6 reſ. 6.* ait omiſſionem vnius horæ paruæ non eſſe mortalem, & *Sotus l. 10. de iuſt. q. 5. a. 7.* de hoc dubitat.

Vnde quis benè inferat omittentem Veſperas Sabbati ſancti non peccari mortaliter: cum talis omiſſio non æquiualeat omiſſioni vnius ex 4. horis paruis, imò vix dimidiæ, quæ proinde cenſetur leuitas materiæ excuſans à mortali.

94 Et quidem, quod vnico præcepto totum officiū præcipiatur, docent *Nau. Vaſq. Suar. Bonac. & Garcia* apud *Caſtrum Palaum ſup. Sanch. ſup. d. 12.* cum *Palac. Sylu. Viguer.* alijſque recentioribus magiſtris valdè doctis, *Filliuc. ſup. num. 248. Tiber. q. 89.* alijq; & probant tum ex *cap. dolentes de celebrat. miſſar.* vbi officium diurnum pariter, & nocturnum præcipitur: tum ex Bulla Pij V. & ex ipſa inſtitutione horarum, quæ continet vnicum officium comitans ex horis tanquam ex ſuis partibus: tum quia pręcepta non debent multiplicari abſque manifeſta ratione. ex quo fit: omittentem vno die omnes 7. horas vnum peccatum committere, & non plura, loquendo de ſola exteriori omiſſione conſummata; grauius tamen, quam ſi vnam tantùm horam omitteret: non ſecùs ac grauiùs peccaret, qui omitteret audire Miſſam integram, quam ſi omitteret ſolum partem illius notabilem. dixi, *loquendo de ſola exteriori omiſſione*; ſi enim loquamur de omiſſione interna, vtique tot ſunt peccata, quot repetitæ voluntates cum moral. interruptione eliciuntur de omittendo vnam horam, aut plures: cum actus interni multiplicentur hoc ipsò quod moraliter interrumpūtur; quamuis (quod eſt valdè notādum) aliqui DD. cum *Lopez & Garcia* citatis à *Bonac. ſup. q. 5. p. 1. num. 9.* ſuſtineant peccata interna non multiplicari, niſi interruptio fiat per pęnitentiam, ſeu actum contrarium.

Vtrum verò omittens aliquo die diuinum officium, vel aliquas Horas, vel partem illius notabilem, teneatur in confeſſione aperire id, quod omiſit vel ſatisfaciat dicendo ſe peccaſſe mortaliter in omiſſione diuini officij.

95 ℞. Quod, quamuis communior DD. ſententia ſuſtineat aperiendum eſſe in confeſſione id, quod omiſſum eſt de officio, eò quod putent circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem eſſe cōfitendas; cum teſte *Laym.* probabilis ſit, etiam opinio id negans, vt ipſe probat *l. 1. tra. 2. c. 10. nu. 2.* ex *S. Tho. Dur. Palud. Rich. Nau. Couar. Val.* & alijs: ſequitur non eſſe improbabile, quod in caſu propoſito ſufficiat dicere: Peccaui m. in omiſſione diuini officij: maximè cum ſuſtineamus omittentem plures horas non committere, niſi vnicum peccatum, qua de re *Bonacina ſup. Tiber. q. 89.* & alij.

Grauior difficultas eſt, an Religioſus, qui ſimul eſt Profeſſus, & Sacerdos, aut etiam beneficiarius, tria peccata committat, ſi non recitet diuinum officium, aut vnum tantùm ſimplex peccatum faciat.

96 ℞. Committere vnum ſolum peccatum: & probatur

batur tum quia talis Religioſus obligatur quidem ad horas ex triplici illo titulo, at tenetur ex eadem virtute Religionis, & ex ſolo præcepto eccleſiæ; qui autem violat vnam tantùm virtutem, & vnum ſolum præceptum, non facit, niſi vnum peccatum; tum quia ordo clericalis, religio, & beneficium ex ſe non obligant ad recitationem horarum, ſed ad ſummum obligant ad ſpeciales orationes fundendas pro populo; ergo omiſſio horarum non erit in propoſito caſu contra iuſtitiam; cum beneficium detur quidem propter officium, i. ſub obligatione officij, non tamen ſub obligatione iuſtitiæ (vt aliqui putant) ſed religionis; ita vt beneficiarius teneatur ad Horas, non ex beneficio, propriè loquendo, ſed ex præcepto impoſito ratione beneficij. ita *Caſt. Palau. tr. 2. D. 2. p 5. num. 3. Diana p. 2. tr. 12. reſol. 22. Garc. Henriq. Salas, & Homob.* apud ipſum *Dianam* con. *Fagund Sanch. Suar. Azor. Marign. & Squill.* ab eodem *Diana* relatos.

QVÆRES XVII. Quam intentionem debeant habere Regulares ad implendum præceptum diuini officij in priuata recitatione.

97 ℞. Debere habere intentionem, ſaltem virtualem orandi, Deum colendi, aut ſatisfaciendi ſuo muneri; non tamen opus eſſe, vt habeât explicitam voluntatem implendi præceptum, ſed ſufficere virtualem, videlicet recitando horas ex conſuetudine ad implendam ſuam obligationem. ita *Filliuc. ſup. n. 251. Suar. ſup. c. 26. num 8. Tiber. q. 90.* alijq; communiter; & patet ex dictis *ſect. præced. q. 15.* ſi ſolum aduertero cum *Diana ſup. reſol. 37. Leſſ. Sanch. Henriq. Vaſq. Garc. Val. Filliuc. Portel. Nald.* & alijs allegatis ab ipſo *Diana*, Religioſum qui incipit recitare horas animo non ſatisfaciendi pro tunc, ſed eaſdem poſtea repetendi; ſi deinde pertæſus mutet voluntatem, & intendat implere præceptum per priorem recitationem, poſſe id licitè facere, & non teneri ad nouam recitationem. Ratio huius reſolutionis eſt, quod per leges ſolum præcipitur libera, & humana executio operis externi, non autem, vt fiat tali intentione, adeoque ad implendam legis obligationem ſufficit, vt quis faciat id, quod lex præcipit, etſi non habeat intentionem eam implendi; vnde, cum in caſu noſtro Religioſus ille actu libero, & humano re vera officium recitet, verè præcepto ſatisfacit, licèt alias non intendat ſatisfacere: ſi quidem, vt notat *Sanch. l. 1. in decal. c. 13. num. 13.* non eſt in poteſtate operantis non ſatisfacere præceptis, poſito quod velit exequi opus iniunctum, & de facto illud exequatur; quod ita verum eſt, vt putet *Sanch num. 14.* in præſenti caſu non eſſe opus, vt ſup. dictus Religioſus intra tempus habile obligationis præcepti retractet voluntatem, qua velit ſatisfeciſſe obligationi horarum per priorem illam recitationem, ſed ſufficere, ſi ſciat ſe, non obſtante illa priori voluntate contraria, re vera ſatisfeciſſe, & ad aliud non teneri. Quamquam hæc doctrina locum non habeat in caſu, quo recitans ſine animo implendi obligationem item habet animum non repetendi, & per cõſequens intendit violare obligationem; tunc enim debet retractare priorem illum animum, quo noluit ſatisfacere per priorem recitationem; non quidem ad effectum implendi præceptum recitando (quod de facto impleuit) ſed ad implendum præceptum naturale diuinum, quo quilibet tenetur ſubijci legi, ac legiſlatori: con. quod peccauit recitando officium ſine intentione ſatisfaciendi, & cum animo illud non repetendi, ſicut egregiè notauit *Sanch. ſup. num. 15.*

Quod ſi obijcias cum *Leſſ. l. 2. c. 37. num. 59.* Is, qui mihi debet 100., non liberatur obligatione ex eo quod donet mihi 100. gratis, & ſine animo ſoluendi debitum: ergò etiam qui debet aliquod opus ex præcepto, non liberatur obligatione, ſi illud præſtet animo non implendi præceptum.

98 ℞. Negando paritatem, quando enim aliquid eſt debitum ex iuſtitia, Creditor habet ius aliquid exigendi in ſuum commodum, quod ius non extinguitur per gratuitam donationem; at, quando aliquid eſt debitum ſolum ex præcepto, non in bonum præcipientis, ſed ſubditi (ſicut euenit in caſu noſtro) tali debito ſatisfactum cenſetur hòc ipſo, quod opus abſolutè fit cum ſic obtineatur id, quod per præceptum intenditur, nempe bonum ſubditi.

QVÆRES XVIII. An Regularis, qui non recordatur ſe dixiſſe aliquem pſalmum, aut Horam, teneatur ea repetere.

99 ℞. Non teneri, ſi habeat aliquam rationem, aut coniecturam, ſe ea dixiſſe, etſi in particulari non recordetur ſe ea dixiſſe; quod eſt dicere, non teneri quempiam repetere, quod non meminit ſe dixiſſe; modò non meminerit ſe non dixiſſe, & iuſtam habeat coniecturam credendi, quod dixerit: qualem videtur habere, qui ſcit ſe communiter non errare in recitatione talis horæ. ita *Sanch. l. 7. conſil. c. 2. d. 24.* ex *Nau. Angle. Sandoual*, & alijs addens eum, qui recordatur ſe talem pſalmum, lectionem, aut horam incæpiſſe, & poſtea non conſultò diſtractus inuenit ſe abſoluiſſe pſalmum, lectionem &c. ſiue legendo per librum, ſiue memoriter recitando ea, in quibus communiter non ſolet errare, poſſe iuſtè credere ſe dixiſſe totum, & vlterius progredi: imò teneri, & male facere, ſi repetat: cum hoc ſit dare locum ſcrupulis, & perplexitatibus; ita in terminis *Sanch. ex Nau. & Angle.*

QVÆRES XIX. An Regulares priuatim recitantes teneantur dicere officium B. V. Defunctorum, ſeptem pſalmos, & alias appendices, quæ in rubricis ſuis locis ordinantur.

100 ℞. Non teneri, niſi eo modo, quo diximus *ſect. præced. q. 21.* non teneri, inquam, ſiue vtatur Breuiario Romano, ſiue etiam proprio iuxta conceſſionem factam a Pio V. in bulla reformationis Breuiarij: idque ob rationes ibi adductas, quas in præſentia non vacat iterum repetere. Addo hic ſolum ex *Sanch ſup. d. 27. num. 5. & Lezana tom. 1. c. 12. num. 21.* Religioſos, qui recitant iuxta formam Breuiarij Romani, modo non teneri dicere officium B. V. extra chorum: teneri tamen dicere in Choro, ſi apud ipſos antea aderat conſuetudo illud dicendi, & quidem eo modo, quo erat conſuetudo, & ſecundum quod talis conſuetudo obligabat: id enim expreſſè habetur in bulla Pij V. citata; in qua etiam conceduntur indulgentiæ dictum officium recitantibus è contra Religioſi, qui habent proprium Breuiariũ, tenentur recitare officium B. V. aut defunctorum,

&

& ſimilia : ſi quidem ante Breuiarij reformationem factam à Pio V. in eorum Ordine aderat præceptum, aut conſuetudo illud recitandi; hos enim Religioſos bulla Pij V. neque ligat, neque eximit à tali obligatione; ideoque quo ad recitationem talis officij ij non aliter modo obligantur, nec alio genere obligationis, quam obligarentur ante dictam bullam; nimirum ſub culpa mortali, ſi antea obligabantur ſub mortali, ſub veniali verò, ſi tunc ſub veniali imò & ſub nulla culpa, ſi tunc ſub nulla culpa obligabantur.

QVÆRES XX. A quo tempore Regulares incipiant obligari ad recitationem diuini officij ex vi Profeſſionis religioſæ.

101 ℞. Quod cum Regulares iuxta dicta *hic q. 1.* teneantur ad Horas ex vi conſuetudinis vniuerſaliter acceptatæ apud omnes Religiones Chorum profitentes, & talis conſuetudo fundetur in religioſa Profeſſione, vbi quis emiſit profeſſionem, ſtatim incipit obligari ad horas illius diei, non quidem omnes ſed tantùm ad eas, quæ reſpondent tempori, in quo facta eſt Profeſſio. ea proportionaliter ratione, qua *Filliuc. ſup. num. 285. Tiber. q. 93. & alij DD.* dicunt eum, qui recipit ordinem Subdiaconatus, non teneri ad totum officium illius diei, ſed ſolum ad horas, correſpondentes tempori, in quo ordinatus eſt (v.g. ad Sextam, Nonam, & Veſperas, cum ordinatio ſoleat fieri circa meridiem;) & quidem itaut ſi ante ordinationem recitaſſet dictas horas præfato tempori reſpondentes, adhuc poſt ordinationem teneretur eas repetere, vtpote quas non recitauit, vt publicus miniſter Eccleſiæ (etſi *Caſtrus Palaus tr. 7. D. 2. p. 4. num. 3. & 6. Trullench.* apud *Dianam p. 6. tract. 7. reſol 38.* oppoſitum doceant non improbabiliter:) quæ vtique proportionaliter verificantur etiam in caſu noſtro; cum par ratio vtrobique concurrat, vt conſideranti facilè conſtabit. Probatur autem hæc reſponſio tum ex paritate iam allata inter ordinationem, & profeſſionem: tum quia poſita cauſa ponitur effectus, & ſic, cum profeſſio religioſa ſit modo dicto velut cauſa obligationis horarum per legitimam conſuetudinem inductæ, ea poſita; ſtatim ſequetur ea obligatio tanquam effectus ex ea proueniens. ita docti viri à me de hoc conſulti cum *Sanch. l. 7. de conſil. c. 2. d. 7.* ſic decidens in terminis.

QVÆRES XXI. Quo tempore debeant Regulares priuatim recitare Horas, itaut ſatisfaciant propriæ obligationi.

102 ℞. Abſolutè loquendo, debere recitare à puncto mediæ noctis antecedentis ad punctum mediæ noctis ſequentis; hoc enim eſt legitimum tempus, intra quod recitari poteſt diuinum officium: & quidem itaut (excepto Matutino) neque præueniendo recitationem impleatur obligatio, neque amplius recitare teneatur, qui intra dictum tempus non recitauit: cum talis obligatio ſit onus diei, quod cum ipſa die extinguitur, non ſecùs ac ieiunium: quamquam qui recitat toto eo tempore intermedio, ſatisfaciat obligationi quo ad ſubſtantiam, quantumuis anteuertat, vel poſtponat tempus ſingulis horis aſſignatum (vt ſi Primam recitet poſt occaſum Solis, vel Veſperas ante prandium;) adhuc enim non peccat niſi ſolò id faciat ſine cauſa: imò nec venialiter, ſi ex cauſa, licèt minus graui, vt itineris commodioris ſtudij, præuiſæ occupationis, amicorum interpellationis, maioris quietis, deuotionis, &c. imò qui tempus horarum moderatè anteuertit, vel poſtponit, etiam ſine cauſa (vt qui dicit Primam per horam ante ſolis ortum, vel Primam, Tertiam, Sextam poſt 2. vel 3. horas ab ortu ſolis, nullum facit peccatum: cum conſuetudo in neceſſitatibus communiter cōtingentibus fundata, ita præceptum horarum interpretetur, & verba illa *Iam lucis orto ſydere*, & ſimilia referantur ad tempus habile. ita *Suar. ſup. cap. 15. & 27. à num. 8. Filliuc. à num. 266. Bonac. ſup. D. 1. q. 3. p. 3. nu. 2. & 4. Tol. l. 2. cap. 13. nu. 3.* aliique communiter, qui benè monent ſēper laudabilius eſſe horas præuenire, quam poſtponere; cum illud ſit prouidentiæ, & hoc negligentiæ; vt aduertit *Sanch. ſup. d. 36. n. 4.* addens *n. 5.* recitantem Horas priuatim poſſe quidem tempore quadrageſimę dicere Veſperas ante prandium, non tamen teneri: cum *cap. ſolent de conſecr. d. 1.* vbi id pręcipitur, loquatur de Veſperis, quæ dicuntur in communi.

103 Dixi, *excepto Matutino*: quia quod attinet ad recitationem Matutini, & Laudum, ex Romana conſuetudine vbique recepta, ea poſſunt recitari tam æſtate, quam hyeme poſt Veſperas, & Completorium diei præcedentis publicè recitatas, quod eſt dicere, ab hora quarta poſt meridiem, qua ea ſolent eſſe recitata, etiam æſtate, & vbique. ita *Tiber. q. 95. ex S. Tho. Bellarm. Suar. Filliuc. Regin. Vaſq. Leſſ. & Comitolo qui l. 1. c. 50. num. 4.* dicit horam congruam recitandi Matutinum cum Laudibus eſſe, cùm ſol magis diſtat à meridie, quam ab occaſu; vnde Vere, & Autumno (id eſt Martio, & Aprili in Vere: Septembri, & Octobri in Autumno tempus recitandi matutinum coincidit cum hora 21. horologij ſolaris; Æſtate autem i. Maio, Iunio, Iulio, & Auguſto, cum hora 20. & dimidia plus minus; Hyeme denique i. Nouembri, Decembri, Ianuario, & Februario, cum hora 21. & dimidia circiter. ita *Filliuc. tract. 23. num. 274.* addens ad anticipandum Matutinum modo ſupradicto quamlibet cauſam ſufficere: qualis eſt maior commoditas ſtudij, lux diei, & maior ſecuritas anticipandi: quod confirmat *Sanch. ſup. d. 37. nu. 2.* dicens ad id ſufficere non ſolum neceſſitatem, ſed etiam commoditatem. Addit *Sanch. num. 4.* ex quodam recentiore magiſtro (& non reprobat) quod ſi quis poſt medium diem hodiernum recitet Matutinum diei craſtinæ, ſaltem in Quadrageſima, vbi Veſpere dicuntur ante prandium, in rigore non peccat mortaliter, nec obligandus eſt ad iterum recitandum, cum ſic iam videatur incępiſſe dies ſequens, hoc ipſo quod iam dictæ ſunt Veſperæ.

Imò *Caramuel D. 101. in reg. S. Bened. numer. 1328.* ſupponens nullum horologium eſſe infallibilem, adeoque nulli neceſſariò ſtandum eſſe; omnia verò horologia habere rationem opinionis probabilis, niſi clarè exorbitent; & quodlibet horologium quamuis exquiſitum deuiare à veritate per horæ quadrantem: infert non fore temerarium illum, qui cenſeat horologia Vrbis exorbitare per qua-

dran-

drantē horę,ideoq; ſuſtineat per quadrantē horæ, antequā ſonet 12.hora,incipere probabiliter diē ſequentē, & probabiliter diē antecedentē finire quadrāte, poſtquā ſonuerit hora: putatq; tēpus mediæ noctis in præceptis eccl. nō debere ſumi mathematice, ſed moraliter, ac ciuiliter; ſiue præceptū ſit de diuino officio recitando,ſiue de ieiunio tā eccl. quā naturali,ſiue de obſeruantia Feſtorum:cū *Caramuele* ſentit *Paſqualigus dec.338 n.6.& ſeqq.* at diſſentiunt communiter alij DD. apud *Dian.p.7.tr.11. reſ.13.*

Porro,vt facilius,& exactius cōſtet Regularibus, à quo temporis puncto recitare poſſint Matutinū diei ſequentis,præſentē ſubijcio Tabellā ad hunc effectū exactiſſimè confectam a P.Io.Baptiſta Rizzolio Soc. Ieſu viro in omni ſcientiarum genere præſtantiſſimo, & in Mathematicis verſatiſſimo, vnà cū monitis ad vſum Tabellę ab eodem Patre traditis.

Ortus Solis hora ciuili	Meridies hora ciuili	Media nox hora ciuili	Matutinum hora ciuili	Matutinum hora Solis	Dies	MENS.
Horę min	Horæ min.	Horæ min	Horæ min.	Horæ min		
14 28	18 59	6 59	21 16	21 46	10	IAN.
14 20	18 57	6 57	21 15	21 45	21	
13 52	18 41	6 41	21 6	21 36	31	
13 24	18 27	6 27	20 59	21 29	10	FEBR.
12 58	18 14	6 14	20 54	21 24	20	
12 42	18 2	6 2	20 46	21 16	28	
12 4	17 47	5 47	20 39	21 9	10	MART.
11 30	17 30	5 30	20 30	21 0	21	
10 58	17 14	5 14	20 22	20 52	31	
10 28	16 59	4 59	20 15	20 45	10	APRIL.
10 0	16 45	4 45	20 8	20 38	20	
9 34	16 32	4 32	20 1	20 31	30	
9 6	16 18	4 18	19 54	20 24	10	MAII.
8 42	16 6	4 6	19 48	20 18	21	
8 28	15 59	3 59	19 45	20 15	31	
8 14	15 52	3 52	19 41	20 11	10	IVN.
8 10	15 50	3 50	19 40	20 10	21	
8 14	15 52	3 52	19 4	20 11	30	
8 28	15 59	3 59	19 45	20 15	10	IVLII.
8 44	16 7	4 7	19 49	20 19	21	
9 8	16 19	4 19	19 55	20 25	31	
9 36	16 33	4 33	20 2	20 32	10	AVG.
10 4	16 47	4 47	20 9	20 39	21	
10 26	16 58	4 58	20 14	20 44	31	
10 56	17 13	5 13	20 22	20 52	10	SEPT.
11 30	17 30	5 30	20 30	21 0	22	
11 56	17 43	5 43	20 37	21 7	30	
12 28	17 59	5 59	20 45	21 15	10	OCT.
12 56	18 13	6 13	20 52	21 22	21	
13 22	18 26	6 26	20 58	21 28	31	
13 57	18 41	6 41	21 6	21 36	10	NOV.
14 16	18 53	6 53	21 12	21 42	20	
14 38	19 4	7 4	21 17	21 47	30	
14 52	19 11	7 11	21 21	21 51	10	DEC.
14 58	19 14	7 14	21 22	21 52	21	
14 44	19 10	7 10	21 23	21 53	31	

MONITA PRO VSV TABELLAE SEQ.

Hora diuiditur in 60.minuta,ciuiles horę dimidia hora tardius ab horologijs ciuilibus pulſantur, quā requirerent horologia Solis, nā cū pulſatur 24.iam Solis occaſus verus per ſemihorā præceſſit.quare qui horas ciuiles in horas Solaris horologij velit vertere, addat ciuilib 30.minuta,vt factum videt in vltima colūna.

Seruit hæc tabella exactè Bononiæ,& alijs locis,quorū altitudo Poli Borealis eſt graduum 44 minu.14.ſed abſq; ſcrupulo, & differentia moraliter aſtimabili ſeruit alijs locis intra gradū 43.& 45.ſitis,vt eſt ille Ital.tractus,qui hinc Mediolano,& Mantua inde autē Ancona,& Piſa terminatur . maxima enim differentia, quæ in tempore euenire poteſt, in extremis prædicti tractus, diebus ſolſtitialibus eſt . 5. minutorum in ortu Solis; 3 in meridie,& media nocte; & 2. in hora matutini .

Matutinum extra chorum inchoari poteſt,cum Sol vergit potius ad occaſum,quam ad meridiē ſpectet. Miſſa verò celebrari poteſt dimidia hora , immò ex priuilegio, aut vrgenti cauſa vna hora , & aliquantò amplius poſt meridiem;ante aurorā verò dimidia hora,& ex priuilegio aliquibus Religioſis, ac Prælans , aut itineris cauſa conceſſo,vna hora ante auroram.Aurora autē in prędicto Italiæ tractu,iuxta demōſtrationes Petri Nonnij de crepuſculis;Hyeme incipit horis circiter 2.ante ortū Solis. AEſtate horis 2. & dimidia Vere , & Autumno 1. & dimidia .

Si horis ortus Solis addas 30. minuta, habebis noctis longitudinem,cuius complementum ad 24. horas eſt longitudo diei naturalis,exempli gratia die 10 Ianuarij ortus Solis ciuiliter eſt hora 14.& minut.28 hoc eſt iuxta horologium verum Solis,hora 14 & minuto 58.additis ſcilicet 30.minutis.Ergo,cum horæ Italicæ incipiant ab occaſu Solis, tempus inter verum occaſum & ortum , hoc eſt, tempus nocturnum,erit horarum 14. & minutorum 58 cui ad implendum numerum 24. horarum diei ciuilis,deſunt horæ 9 & minuta 2. Ergo quantitas diei naturalis, hoc eſt mora Solis ſupra horizontem erit horarum 9. & minut.2.

Quod ſi quæras cur in recitatione diuini Officij non admittatur à Doctoribus id quod admittit *Suarez D.80. de Sacram. ſect.4. §. ſecundò inquiri poteſt ex Paludano,& Victoria* , videlicet licitum eſſe miſſam inchoare dimidia hora ante crepuſculum,itaut finis Miſſæ ſit ſub initium crepuſculi plus minuſue ; ſiquidem videri poſſet eadem ratio procedere de recitatione Officij itaut quo tempore matutinum poteſt recitari hora 20. eius recitatio ante horam 20. inchoari poſſit itaut finis illius aliquantulum tangat de hora 20.plus minuſue .

℞. Non admitti,eo quòd in vtroq;caſu propoſito obſeruandū eſt,quod obtinuit cōſuetudo: & alioqui cōſuetudo,quo ad Matutini recitationem obtinuit, vt matutinū diei ſequentis recitari poſſit in veſpere diei præcedentis iuxta tabellam hìc poſitā, quando centrum aſtri Solis magis diſtat à meridie , quam à ſuo occaſu: cum aliàs conſuetudo quo ad miſſæ celebrationem obtinuerit,vt ea dici poſſit duas horas ante Solis ortum,& tres horas ab habēte priuilegiū illam inchoandi per horā ante Auroram : ſicq; DD. paulò ante relati explicari debent,dum dicunt miſſam poſſe modo dicto anticipari;ita ſcilicet , vt nihilominus ea dicatur intra tempus inductum à cōſuetudine vnanimi Doctorum ſenſu approbata.

QVÆRES XXIV. In quo loco debeant Regulares priuatim recitare Horas.

106 ℞. Poſſe recitare,vbicumq;voluerint,dummodo locus non impediat debitam attentionem,aut cum religione debita diuino officio non pugnet,nec alijs præbeat offenſionem. patet ex communi conſuetudine , qua viri , etiam timorata conſcientiæ , & docti non reformidant vbilibet dicere Officium

Nnn nisi

niſi fortè videant adeſſe periculum offenſionis aliorum, aut impedimentum ad attentè, ac deuotè recitandum; quale eſſet recitare in via, platea, alijſue locis publicis, & prophanis, in quibus ſunt frequentes hominum conueutus, clamores, ac ſtrepitus forenſes, & prophani. ita *Regin. l.* 18. *n.* 178. alijque communiter.

QVÆRES XXV. Quo ordine debeant Regulares recitare horas priuatim, & qualiter peccent eum peruertentes.

107 ℞. Debere recitare iuxta ordinem præſcriptum in Breuiario, ita vt ſeruetur, tum quo ad horas inter ſe reſpectu eiuſdem diei; tum quo ad partes eiuſdem horæ inter ſe: &, ſi conſultò ſine iuſta cauſa dictum ordinem inuertant, peccare v. (nunquã tñ, niſi adſit contemptus. eſt cõmunis DD. apud *Filliuc. ſup. num* 231. 232. *& Suar. ſup. c.* 24. *n.* 3. patetque tum ex dictis *ſect. præced. q.* 12. tum quia talis inuerſio eſt contra inſtitutionem Eccleſiæ, ac communem conſuetudinem, adeoque importat aliquã indecentiam, quamuis non mortalem, vt ibidem oſtendimus. Dixi, *ſi conſultò ſine iuſta cauſa*: ſi enim id fiat ex iuſta cauſa, nullum eſt peccatum, neque veniale; cum prudenter, & rationabiliter fieri dicatur, quod fit ex cauſa; & aliàs impleatur præceptum recitãdi quo ad ſubſtantiã, vt conſtat ex dictis alibi.

108 Hinc ſequitur non teneri repetere primo eum, qui inter recitandum aduertit ſe aliquid ex Horis omiſiſſe: poteſt enim proſequi vſque ad finem, & poſtea recitare omiſſum, abſque eo quod horam, vel pſalmum omiſſum dicat ſuo loco, & ordine; 2. qui dixit Officium de feria pro Officio de Sancto, non tenetur repetere ea, in quibus vtrumque Officium conuenit, ſed ſufficit, quod dicat omiſſa: 3. qui inter recitandum Tertiam recordatur ſe non dixiſſe Primam, poteſt Tertiam perficere, & poſtea recitare Primam: 4. qui nondum recitauit Matutinum, poteſt inuitatus ab amico recitare horas par uas animo dicendi poſtea Matutinum, & ſatisfacit; 5. qui nõ recitauit Veſperas diei præſentis, ſi rogetur ab amico, poteſt cum eo recitare Matutinum diei ſequentis, ſolumque tenetur poſtea recitare Veſperas omiſſas. ita *Bonac. ſup. q.* 3. *p.* 4. *n.* 5. alijque plures apud ipſum, patetque ex dictis tum hìc, tum *ſect. præced. quæſt. modò citata*.

QVÆRES XXVI. Ad quid teneantur Regulares, qui ex iuſta cauſa non poſſunt recitare diuinum officium.

109 ℞. Non teneri, neque ad recitandas alias preces, aut ſubſtituẽdum aliud opus pium loco Officij (cum tale quid non præcipiatur ab Eccleſia, nec imponenda ſit noua obligatio ſine ſufficienti fundamento) neque ad audiendum alium recitantem; niſi fortè id expreſsè præſcribatur in Regula alicuius Ordinis: ſicut de facto præcipitur in *Conſtit. Carmelitarum p.* 1. *c.* 20. *§.* 1. vt notauit *Lezana* to. 1. *c.* 12. *num.* 26. addens tamen huiuſmodi obligationem nõ adſtringere, niſi eo modo, quo adſtringant reliquæ Conſtitutiones. ita *Bonac. ſup. q.* 6. *p.* 1. *n* 8. *Filliuc. ſup. n.* 288. *Suar. ſup. c.* 28. *num.* 11. *Nau. de orat. c.* 11. *n.* 6. alijque communiter; inter quos Tiber. *q.* 107. ex *Leſſ. Garc.* & alijs monet eum, qui non poteſt recitare ſolus, ſi poſſit cum Socio, & eum habeat ſine magno incommodo, teneri cum eo recitare: cum Eccleſiæ præcepta requirant ordinariam diligentiam ad ſui obſeruantiam, & alioqui non poſſit dici impotens, qui facilè poteſt recitare cum ſocio.

Dubium maius eſt, an Regularis, qui non poteſt recitare totum Officium, teneatur ſaltem ad partem, quam poteſt.

110 ℞. *Filliuc. ſup. num.* 294. cum *Nau. Azor.* alijque citatis à *Bonac. ſup. n.* 8. teneri, ſi pars, quam poteſt dicere, ſit notabilis; nimirum ſaltem dimidia, aut etiam plus quam dimidia. probant, tum quia regulariter maior pars trahit ad ſe minorem: tum quia aliàs non poſſet ferri iudicium moraliter certum, quando quis excuſetur à toto, cum plerumque impotens ad recitandum totum Officium, aliquam illius partem recitare poſſit: tum quia etiam qui debet 100. & non poteſt ſoluere, niſi 10. tenetur ſoluere 10. & qui non poteſt ieiunare tota Quadrageſima, tenetur ieiunare ijs diebus, quibus poteſt. Verùm alij DD. oppoſitum ſuſtinent, & non improbabiliter, teſte Tiber. *qu.* 108. ex eo maximè, quod præceptum diuini Officij non eſt diuiduum (quale eſt præceptum ieiunij quadrageſimalis) ſed indiuiduum, ideſt per modum vnius indiuidui, cum ſit vnicum iuxta dicta *q.* 16. vnde vel totum implendum eſt, vel quo ad nullam partem, ſi totum impleri nequit. Quod ita putat verum *Sancius in ſelectis D.* 15. *n.* 2. *vt contrà Sanch. l.* 1. *in decal. c.* 19. *n.* 8. aſſerat cum *Garcia* obligatum recitare Matutinum de feria ex pœnitentia, aut voto, ſi non poſſet recitare lectiones (v.g. ex defectu Breuiarij) non teneri dicere pſalmos, eò quod lectiones, & reſponſoria ſint quidem minor pars reſpectu pſalmorum, ſint tamen pars maximè principalis, & ſubſtantialis Officij diuini, quòd ſine illis non ſubſiſtit: ſi quidem interdum aliqua minora alijs in quantitate non cedunt illis in qualitate.

Quod autem dicit *Diana p.* 2. *tr.* 12. *reſol.* 29. ægrotum, qui non poteſt recitare maiorem partem diuini Officij, non teneri illud recitare; ſic indicans illum teneri, ſi poſſit recitare maiorem partem; ampliat *Caramuel D.* 115. *in reg. S. Benedicti nu.* 1435. dicens (ſtando in ſua ſententia, quod vnicum præceptum detur de diuino Officio) non potentem recitare totum Officium, ad nihil teneri: cùm præceptum ſit de recitando toto Officio, nõ autem parte illius. ſic ille, nec ipſum expreſsè reijcit *Diana p.* 7. *tr.* 11. *reſol.* 13. pro ſua ſententia adducens *Trullencum, Caſtrum Palaum, & Candidum.*

QVÆRES XXVII. An Regulares cæci, aut oculis ita caligantes, vt legere nequeant, deobligentur à recitatione diuini Officij.

111 ℞. Quod, quamuis DD. communiter dicant eos non deobligari, ſi memoriter ſciant horas, aut cum ſocio poſſint pſalmos alternatim recitare, aut etiam antea ſoliti eſſent recitare cum alijs, idque cõmodè etiam modò præſtare poſſint: & hoc ex regula generali, quod qui tenetur ad aliquid, tenetur etiã ad media ordinaria, ſine quibus illud impleri non poteſt; nihilominus, abſolutè loquendo, non videtur improbabile, quod docent *Sancius ſup. n.* 2. *Sanch. l.* 7. *conſil. c.* 2. *d.* 46. *n.* 5. (quamquam dicat oppoſitũ eſſe probabilius) *Sotus l.* 10. *de iuſt. q.* 5. *a.* 3. alijq; docti

docti Magiſtri apud *Sanch.num.3.* cęcum obligatum ad horas ex Profeſſione, aut Ordine Sacro, non teneri eas recitare, etiamſi memoriter ſciat pſalmos: cum adhuc lectiones legere non poſſit, & alioqui non teneatur admittere Socium quantumuis ſe offerentem ad recitandum: cum facultas recitandi cum ſocio ſit priuilegium, & fauor, quo quilibet poteſt liberè non vti: idque etſi ſolitus fuiſſet eo vti; ſemper enim priuilegiatus poteſt renunciare priuilegio, vt patet.

Quod ſi quæras, an Religioſus in hoc caſu teneatur ſaltem recitare memoriter horas paruas, ſi eas ſciat, neſciens tamen orationem currentem, aut capitula, reſponſoria &c. quidque dicendum ſit de ſurdis, & ſurdaſtris.

112 ℞. *Sotus loco cit.* ſe non eſſe certum, quod teneatur: cum tenacitas illa memoriæ ſit accidentaria: quamuis inquit, tutius ſit, vt ſe obligatum cenſeat: idem indicat *Sanch.* hoc ipſo quod *ſup. num.5.* abſolutè dicit: *Si memoriter ſcit Officium* (non diſtinguendo inter Matutinum, & horas paruas) *multò probabilius eſt teneri memoriter dicere*; hoc modo loquendi innuens etiam oppoſitum eſſe probabile, & quidem non ſolum quo ad matutinum, ſed etiam quo ad alias horas paruas; idem ſentiunt *Tol.l.2. cap.14.num.1.* ſimpliciter excuſans cęcum à recitatione, & *Diana p.5. tract.6. reſol. 16.* qui referens opinionem *Soti*, eam non reijcit, adeoque videtur eam implicitè eam approbare; ſic iſti DD. & alij non indocti Neoterici; quam probabiliter, aliorum eſto iudicium.

113 Certè (quod ſpectat ad ſurdos) omninò dicendum eſt eos teneri recitare per ſe ipſos: cum non obſtante ſurditate, poſſint legere pſalmos, & alias diuini Officij preces, nec ſit opus, vt ſe ipſos audiãt modo mente attendant, & cognoſcant, quid dicant; quamquam, ſi aliunde non poſſint ſoli recitare, non teneantur adhibere ſocium, cum ſint ſurdi. ita *Filliuc.ſup.num.291. Suar.ſup.cap.28. num.17. Diana ſup. reſol.15.* alijque communiter addentes idem proportionaliter dicendum de ſurdaſtris, eos ſcilicet, ſi ſoli non poſſint recitare, non teneri vti ſocio; quia alioqui id eſſet valde oneroſum ſocio, qui teneretur vociferari; cum tamen præcepta humana mitiùs obligent.

QVÆRES XXVIII. An, & quando Regulares excuſentur à recitatione Horarum ratione Infirmitatis.

114 ℞. Excuſari, ſi infirmitas ſit grauis, itaut ſine graui damno ſalutis corporis, aut nimio dolore, ac vexatione recitare non poſſint (idque etiam non requiſito iudicio Medici, aut Superioris, aut Confeſſarij; quamuis tutius ſit illud petere;) ſecùs ſi infirmitas ſit leuis, itaut non impediat alias actiones ordinarias, quæ fiunt auxilio capitis, & linguæ, neque ob id notabiliter augeatur morbus. ita *Suar.ſup.cap. 28.num.21. Filliuc.ſup.num.292.293. Bonac.ſup.qu.6. p.1.num.1. Sanch.l.7.conſil.cap.2.d.45.* alijque penes ipſos; inter quos tamen paulò mitiùs loquitur *Sanch.num.3.* dicens quod, cum damna, quæ in corpore valido ſunt leuia, grauia reputentur in ægroto, & omnia præcepta Eccleſiæ ordinentur ad charitatem, quæ erga infirmos eſt admodum benigna; non eſt veroſimile Eccleſiam, quę eſt pijſſima mater, velle hominibus morbo affectis addere moleſtiam orandi, etſi ab ea non multum lędantur; vnde infert *Sanch.* nec modicum damnum, quod proueniat ex horarum recitatione, excuſare ſemper ab illa, nec ſemper eſſe neceſſarium graue damnum, ſed in hoc tenendam eſſe mediam viam, ſuſtinendo tunc demum excuſari infirmum à præfata recitatione, quãdo veriſimiliter credit ſibi inde prouenturam vel aliquam ſtomachi cruditatem, vel capitis grauedinem, vel virium laſſitudinem, aut etiam credit febrem tardiùs remittendam. Ratio autem principalis reſponſionis eſt, quod infirmitas grauis ægrotum reddit moraliter impotentem ad recitationem Horarum, adeoque pro tunc ſuſpendit obligationem pręcepti, cum impoſſibilium non ſit obligatio: infirmitas autem leuis non reddit moraliter impotentem, ac proinde, cum obligatio horarum ſit ſtrictiſſima, non præſumitur ſuſpendi, niſi vrgente graui cauſa, qualis tamen non eſt morbus leuis.

115 Notant hic DD. cum *Soto ſup.q.5.a.3. Sylu.v.hora qu.4. Armil.ibi num.16.* & *Sanch. vbi ſupra numer.2.* quod ſi res ſit dubia, an morbus ſit grauis, vel leuis, tunc ſtandum eſt iudicio Medici, vel Superioris: illius quidem, quia ratione officij, ac peritiæ in arte ad eum ſpectat tale iudicium: huius verò, quia ob iuriſdictionem poteſt per modum diſpenſationis aliquid remittere; quod ſi nec Medicus, nec Superior haberi poſſit, tunc infirmus debet vti arbitrio prudentis viri, ſibi perſuadens, quoties hac in re proceditur bona fide cum probabili iudicio excuſationis, nullam committi culpam, ſi ſemel aut iterum horæ omittantur; imo etiamſi omittantur ad longum tempus, dummodo à Superiore obtenta ſit diſpenſatio. Quamquam, vt notat *Suar.ſup.* in dubio ſemper inclinandum ſit in fauorem pręcepti: cum hic non ſit dubium de præcepto, ſed de excuſatione, adeoque ſicut Religioſus infirmus poſſidet ius tuendi ſalutem corporis, ſic & Eccleſia poſſideat ius exigendi recitationem horarum; quod ius cum ſit grauius, vtpote magis reſpiciens commune bonum, propterea cæteris paribus præferri debet. Addit *Suarez* dubium in illo caſu poſſe deponi, ſi vel dubium non ſit æquale, ſed occurrant plura, quæ faueant excuſationi: vel non ſit tam purum dubium, quin admittat probabile iudicium, quod cauſa illa ſufficiat ad excuſandum.

Quod ſi quæras, an excuſetur à recitatione Officij Religioſus, qui ita laborat febri, aut alio morbo, vt tamen per notabilem diei partem vacet confabulationibus familiaribus, aut etiam ad relaxandum animum legat aliquem librum.

116 ℞. Excuſari: cum illa confabulatio, ac lectio librorum non augeat, ſed potius alleuiet morbum, vt pote quæ affert voluptatem, & non requirit attentionem; qualem requirit recitatio Horarum, vtpote quæ eſt res ſeria, & ex natura ſua infert mœrorem, ac moleſtiam. ita *Sancius D.15.n.2. Sanch.l.7. conſil. c.2.d.45.n.4:* alijque iuniores docti magiſtri contra *Nau.ſup.n.11.* & alios communiter.

117 Addit *Sanch.n.5.* cum prædictis iunioribus magiſtris, poſtquam febris infirmum deſeruit, quamdiu vires manẽt imbecilles, poſſe illum per aliquot dies

non recitare; cum illa imbecillitas adhuc reputetur infirmitas, & valdè veriſimile ſit Eccleſiam ægris poſt tot labores velle concedere aliquam requiem vnde poteſt contingere, quod quis tempore conualeſcentiæ poſſit celebrare, & tamen adhuc non teneatur recitare officium ratione infirmitatis.

118 Quod verò ſpectat ad Religioſum laborantem febri quartana, aut alia leui; non poteſt dari certa regula, verum teneatur ad Horas, nec ne; ſed hoc iuxta dicta iudicandum eſt arbitrio medici, Superioris, aut boni viri: quippe cum dari poſſit caſus, in quo quartana ſit adeò grauis, & ſecum ferat effectus ita noxios, vt meritò videatur grauis infirmitas, & conſequenter excuſet à recitatione Officij, vt notat *Sanch ſup num. 6.*

Verum verò Religioſus, qui non poteſt tempore debito recitare Horas teneatur illas dicere intra eundem diem, præponendo, aut poſtponendo: quod eſt quærere, an laborans quartana, v.g. mane vſque ad veſperam, & pro eo tempore non potens recitare horas, ſi veſpere ſit bona valetudine, tunc teneatur recitare omnes horas; vel certè teneatur eas omnes recitare manè, ſi præuidet febrim ſuperuenturam ſub meridiem, & quidem duraturam vltra mediam noctem ſequentem.

119 ℟. *Dian. p. 4. tract. 4. reſol. 10.* cum *Henriq. Cano, Oliuer. & Sanch.* non teneri Religioſum præponere, aut poſtponere tempus horarum, neque in caſu propoſito, neque in alio, in quo impedimentum ſuperueniens eſt à natura, vel violentia, non autem voluntarium. Ratio eſt, quia facultas, quæ conceditur ab Eccleſia præponendi, aut poſtponendi horas intra diem naturalem, eſt priuilegium fauoris, non vinculum neceſſitatis: vnde poſſumus quidem præuenire, non tamen tenemur, cum nemo cogendus ſit vti proprio priuilegio. Dixi, *non autem voluntarium*: quia ſi impedimentum futurum eſt voluntarium, tunc vtique tenemur præuenire recitationem horarum eas integrè ſoluendo manè; cum ſic impedimentum reliqui temporis, quamuis legitimum, ac neceſſarium liberè ponatur, adeóq; non habeat, vnde excuſetur: quo modo habet in caſu, quo impedimentum non eſt voluntarium. cũ Diana ſentit *Nald. v. offic. diu. n. 3.* nec diſſentit *Leſſ. l. 2. c. 37. n. 43.* diſſentiunt tamen alij DD. communiter, & probabilius, vt fatentur *Sanch. & Leſſ. locis citatis*, cum quibus ego ſentio.

Imò *Caramuel D. 116. in Reg. S. Bened. n. 1442.* putat, abſolutè loquendo, laborantem quartana, iter agentē, & valde impeditos ob negotia occurrentia ſtatis horis diuini officij non teneri præuenire legendo hanc, aut illam horam alio tempore ab eo, quo legi deberent: hincque infert ægrotantem vſque ad meridiem non teneri poſtea recitare matutinum, & laudes: addens potentem in morbo, aut dubio diſpenſationem à Prælato ſupra recitationem diuini Officij, ac obtinentem, ſi poſtea à meridie conualeſcat, & liberetur à febri, non teneri recitare; cum pro ea die à Papa legitimè ſit diſpenſatus; & aliàs Prælati authoritas, & gratia Papæ ipſi forent inutiles; vt notat *Caramuel ſup. D. 115. num. 1429.* citatus à *Diana p. 7. tract. 11. reſol. 14.* & non reiectus.

QVÆRES XXIX. An, & quando Regulares excuſentur à recitatione Horarum ratione occupationis occurrentis.

120 ℟. Occupari, ſi occupatio ſit grauis, honeſta, neceſſaria, & quæ differri non poſſit commodè in aliud tempus ſine ſcandalo, peccato, aut notabili damno ſui, vel proximi; ita *Bonac. ſup. q. 6. p. 2. nu. 1.* alijque communiter; & probatur, tum quia præcepta Eccleſiæ non præſumuntur velle obligare cum tanto onere: tum quia quod pro charitate inſtitutum eſt, non debet contra charitatem militare: tum quia præcepta poſitiua humana moraliter debent intelligi, & benignam admittunt interpretationem. Verum tamen eſt, quod, ſi prævideatur occupatio, & recitatio horarum ſine notabili incommodo poſſit, aut præponi, aut poſtponi; id debet fieri (recitando v. gr. ſummo mane: cum enim tunc etiam vigeat obligatio, & commodè poſſit impleri (vt ſuppono) nulla eſt ratio, cur non impleatur. ita *Fillius. ſup. num. 302.* alijque penes *Bonac. vbi ſup.* qui benè monent obligatum ad Horas non poſſe voluntariè ſuſcipere munus, ac officium, cuius executio ſit incompoſſibilis cum ipſa recitatione Officij: quippe volens tale munus eo ipſo implicitè cenſetur velle omiſſionem horarum, ſponte ſe conijciendo in eas anguſtias; quod vtique ipſi imputabitur ad peccatum, niſi fortè concurrat aliqua ratio maioris boni ſuadens ſuſceptionem talis muneris, aut occurrat grauis aliqua neceſſitas, cui aliter conſuli nequeat; aut, ſi iam dictum munus non potuit admitti ſine peccato, & iam nec poteſt retineri, ſi ſuſceptum eſt, ſine diſpenſatione.

Hinc patet poſſe excuſari à recitatione diuini Officij Concionatores, Confeſſarios, Scholares publicam diſputationem per integram diem habituros, Doctores in concurſu Cathedræ publicam prælectionem facturos, & alios ſimiles; qui commodè non poſſint ſimul horas recitare, & munus ſuum pro dignitate obire: idque ob rationes ſupra adductas, quæ facilè poſſunt applicari his caſibus; quamquam *Filliuc. n. 299. cum Suar.* in tali euentu dicat ſemper eligendum eſſe id, quod iudicio prudentis viri, hic, & nunc cenſetur maius bonum.

121 Priuilegium autem, quod conceſſit Leo X. Fratribus Minoribus, & refert *Rodriquez tom. 1. q. 42. art. 5. vt poſſint Officia feriarum, quæ ſunt prolixiora, anticipare diebus, quibus ſunt otioſi, & officia feſtiua, quæ ſunt breuiora, reſeruare in eos dies, quibus credunt ſe eſſe occupatos concionibus, & confeſſionibus, modò id non faciant in fraudem, ſed ad melius ſtudendum, & prædicandum, & confeſſiones audiendas*: hoc, inquam, priuilegium, non puto eſſe ſuperfluum, ac inutile: ſicut videtur innuere *Rodriq. ſup. ex Nau. de orat. cap. 19. nu. 88.* ea ratione ductus, quod tantundem concedatur iure communi, ſicuti conſtat ex dictis hac quæſt. ſi quidem ad vſum huius priuilegij non requiritur tanta neceſſitas, & cauſa adeò grauis, qualis ſupponitur in iure communi ad omittendas Horas ratione occupationis ſuperuenientis, ſed ſufficit ſola maior commoditas, facilitas,

cilitas,

cilitas, & vtilitas ſtudij, prædicationis, & cuiuſuis miniſterij: præter quam quod in vſu indulti iure communi conceſſi plerumque ſubeſſe poreſt ratio dubitandi, an re vera hic, & nunc interueniat iuſta cauſa omittendi Officium: cum aliàs vtens præfato priuilegio Leonis X. liberetur omni ſcrupulo, ſupplente diſpenſatione concedentis minorem ſufficientiam cauſæ, quæ fortè intercederet. Quod autem ait *Lezana to. 1. c. 12. n. 30.* hoc priuilegium in præſentia nihil valere, eò quod non conſtet, num fuerit viuæ vocis oraculo conceſſum, nec ne, adeoque præſumendùm ſit reuocatum in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum; mihi non placet: cum DD. communiter tradant priuilegium in dubio, an fuerit reuocatum, nec ne, præſumendum eſſe non reuocatum, & poſſe eodem modo deſeruire; cum hac ratione poſſeſſio ſtet pro priuilegio, & in dubio ſemper ſit melior conditio poſſidentis.

QVÆRES XXX. An, & quando Regulares excuſentur à recitatione diuini officij ob carentiam Breuiarij.

122 ℞. Excuſari, ſi carentia ſit abſque culpa: vt ſi Breuiarium ſublatum eſt à iure, aut amiſſum in nauigatione, aut relictum domi ex obliuione: ſecùs, ſi carentia ſit cum culpa: vt ſi quis Breuiarium proijciat in mare, aut ignem, certus ſe non habiturum copiam alterius Breuiarij; tunc enim omiſſiones futuræ, quatenus ſunt præuiſæ moraliter, cenſentur voluntariæ, & per conſequens peccaminoſæ quo ad malitiam internam, eſtò poſtea in vnaquaque omiſſione nouum peccatum non fiat excuſante impotentia; quamquam, ſi poſt proiectum Breuiarium proijciens doleat de cauſa omiſſionis data, non ampliùs peccet omittendo horas, niſi fortè ratione negligentiæ, quam adhibeat in comparando alio Breuiario, vt mox dicemus. ita *Suar. ſup. cap. 28. numer. 8. 9. Filliuc. ſup. numer. 284. 286. Sanchez ſup. d. 51.* alijque penes ipſos: & probatur ex eo, quod carens breuiario inculpabiliter eſt impotens ad recitandum, adeoque excuſatur ob impotentiam: qui verò caret culpabiliter, ſe voluntariè fecit impotentem, ac proinde non excuſatur, cum non debuerit apponere impedimentum obſtans recitationi; & præuidens futuras omiſſiones, eas omnes cenſeatur tacitè, ac interpretatiuè voluiſſe: quod vtique eſt peccatum, vt dictum eſt.

123 Dixi, *quamquam, ſi poſt proiectum breuiarium proijciens doleat de cauſa omiſſionis, &c.* ſi enim agnoſcens ſuum errorem doleat de eo, non ampliùs peccabit omittendo Officium: cum omiſſio ipſa horarum non ſit peccatum, ſi tunc temporis, quo ea contingit, non ſit in poteſtate committentis, neque voluntaria in ſua cauſa: ſiue quia ante tempus executionis præcepti hominem pænitet de cauſa data (vt in caſu noſtro,) ſiue quia non debuit, aut non potuit cauere omiſſionem ſecuturam. ita *Diana p. 2. tr. de circum. reſ. 63. cum Becano, Tannero, & Villalob.* quibus addo ego *Sanchez ſup. n. 2. Nauarum, Maiorem, Sandoual.* citatos ab eodem *Sanch.*

An verò proijciens breuiarium in propoſito caſu teneatur recitare Horas, ſi fortè eas ſcit memoriter, conſtat ſufficienter ex dictis *quæſt. 27.* vbi in ſimili præſentem quæſtionem fuſiuſculè tractauimus.

QVÆRES XXXI. An, & quo iure poſſint Prælati regulares diſpenſare cum Religioſis ſubditis ſuper recitatione Horarum, ita vt poſſint ſine culpa eas omittere.

124 ℞. Quod, cum ex dictis obligatio recitandi diuinum Officium quo ad Religioſos Profeſſos nondum ordine ſacro initiatos fundetur in ſola conſuetudine, & talis conſuetudo eo rigore inducta videatur, vt Prælati regulares in ea nec ſoleant, nec audeant diſpenſare, (quod præcipuè colligitur ex ſenſu communi Doctorum, & ex eo, quod multa priuilegia conceſſa ſunt Religionibus, vt earum prælati diſpenſare poſſint cum proprijs ſubditis in Officio diuino, non ſimpliciter, ſed cùm debilibus, vel quo ad alias circumſtantia, vt conſtabit ex priuilegio Clem. 7. mox afferendo;) conſequenter negandum videtur, quod Prælati regulares diſpenſare poſſint in recitatione horarum cum Religioſis ſubditis, niſi fortè in caſu occurrenti, in quo ſine dubio poſſunt diſpenſare, ſicut & diſpenſant in alijs præceptis de iure communi: quamuis id faciant potiùs per modum interpretationis, quam diſpenſationis. ita *Suarez ſup. cap. 28. numer. 41. Filliuccius nu. 304.* alijque & patet ex eo quod, ſicut conſuetudo ſolet dare iuriſdictionem, ſic & poteſt eam auferre: vnde vnaquæque Religio debet in hoc ſeruare ſuam conſuetudinem, & vti tantùm priuilegijs ſibi ad talem effectum conceſſis. Ex quo fit, vt, ſi aliqua Religio ex vi ſuæ inſtitutionis circa hoc aliquid peculiare habeat (quo modo habet Ordo Minorum, videlicet vt iuuenes profeſſi ad chorum, teneantur ad Horas non ſolum ex conſuetudine, ſed ex præcepto Regulæ) & ei per contrariam conſuetudinem derogatum non ſit, omninò ſeruari poſſit: & ſic, ſi aliàs Prælati talis Religionis habeant ex eadem Regula, aut inſtitutione generalem poteſtatem diſpenſandi in præceptis Regulæ, poterunt diſpenſare & in hoc, niſi ſpecialiter excipiatur ſtatuto ſcripto, aut conſuetudine; tum hoc ſit diſpenſare, non in iure communi, ſed proprio.

125 Priuilegium autem Clem. VII. de quo ſupra, extat in Bullario *tom. 1. conſt. Clem. 7. in ordine* 18 & ita habet: *Nos, vt ſuperiores veſtri* (loquitur de PP. Theatinis) *cum Clericis, & ſocijs ſuis, qui vi ſupradictis pietatis operibus* (intellige de prædicatione verbi Dei, audientia confeſſionum, & ſacræ Theologiæ, ac ſacrorum Canonum ſtudijs, de quibus ſuperius mentionem fecerat) *in ſtudio literarum ſacrarum occuparentur, ſeu infirmitate, aut infirmorum, vt ratione, & miniſterio pro tempore præpedirentur, ſuper recitatione diuinorum officiorum, ad hoc vt ipſi occupati, vel impediti certum Pſalmorum per ipſos Superiores eis aſſignandorum numerum, non minùs 7. aut 6. cum diuiſione, ac Orationem dominicam ſepties, Symbolum Apoſtolicum bis; grauiter autem ægrotantes Orationem dominicam ſemel, & Salutationem Angelicam ſepties in die recitando 7. horis canonicis, & toti diuino*

Officio ſatisfeciſſe cenſerentur: & cum quibuſuis Clericis, ac ſocijs veſtris in præueniendo, vel poſtponendo, vniendo, vel decidendo in communi, vel ſpeciali horas canonicas ac in breuiandis, & protelandis lectionibus. hæc *Clemens.*

126 Vbi noto hoc indultum quoad occupatos in ſtudijs, & pijs operibus nõ debere reſtringi, ſicuti reſtringit *Peyrin. tom. 1. priuileg. Conſt. 28. Leonis X. n. 9.* ideſt ad caſum particularem, in quo, iudicio Superioris agatur de bono, iurè præferendo recitationi diuini Officij, & quo alias ſimpliciter, aut vix poteſt aliter aptè conſuli bono prop. 10, vel Proximi; quãuis enim priuilegium datum contra ius cõmune (quale eſt hoc indultum Clementis) regulariter reputandum ſit odioſum in ordine ad interpretationem, adeoque potius reſtringi debeat, quam ampliari, vt fuſiùs oſtendit *Suar. lib. 8. de leg. c. 27. num. 5.* & eiuſmodi indulta concedantur Regularibus, non ad laxamen, ſed ad ſolamen, & tollendos ſcrupulos (vt loquitur *Peyrin.* & ſic iuxta *cap. porro de priuilegijs* videantur ſtrictè interpretanda, nihilominus præſens priuilegium Clementis paulò latiorem videtur admittere interpretationem, ita vt deſeruire poſſit, non ſolùm in caſu grauiſſimæ neceſſitatis, cui aliter vix occurri poſſit (quod videtur innuere *Peyrin.*) ſed etiam in neceſſitate graui, quæ iudicio prudentis cenſeatur ſufficiens ad diſpenſandum (quamquam Prælati non debeant hac in re eſſe nimis faciles, ne alioqui poteſtas conceſſa in ædificationem cedat in deſtructionem). Ducor, quod, vrgente neceſſitate grauiſſima, in qua ſolum videtur *Peyrin.* concedere vſum huius priuilegij, licita eſt omiſſio diuini Officij, etiam ſecluſo quocumque priuilegio; cum tamen priuilegia quantumuis derogantia iuri communi ita ſemper debeant interpretari, vt admittant aliquem fauorem, adeoque non ſint inutilia; præterquam quod priuilegium derogans iuri communi, ſi ſit conceſſum in fauorem Religionis (quo pacto conceſſum eſt hoc indultum Clementis VII.) latè patet, & debet interpretari; vt concedit ipſemet *Peyrin. ſup. Conſt. 10. Clem. VII. num. 12.* ex *Suar. loco ſup. cit.* & colligitur ex *l. ſunt perſonæ ff. de Religioſ. & ſumpt. funer.* vbi dicitur *Summa ratio eſt, quæ pro Religione facit.*

127 Extat & aliud ſimile priuilegium, quod Eugenius IV. conceſſit Monachis S. Benedicti exiſtentibus in partibus Hiſpaniarum, & à Miranda *p. 1. manu. q. 37. a. 16.* refertur his verbis: *vt ſcilicet quilibet pro tempore Abbas, Prior, ſiue Prælatus quorumlibet præfatorum Monaſteriorum huiuſmodi, qui ſine tædio non poſſunt dicere horas canonicas: & quod tempore infirmitatis, vel poſtquam conualuerint, loco horarum, ac Officiorum, ad quæ aliàs tenebantur, dicant aliquid certum ad arbitrium ipſorum miniſtrorum, & non teneantur ad illud officium canonicum, ac cum Prælatis ipſis ſimili modo quilibet presbyter monachus per quemuis eorum eligendus etiam diſpenſare poſſit.* Quæ conceſſio vtique eſt ampla, & longe maior præcedenti, competitque etiam Religioſis ſenibus ex indulto Martini V. facto in gratiam Fratrum S. Hieronymi, pro vt refertur in *Comp. Mendicant. v. infirmi fratres nu. 11. 12.* quamquam, cum fuerit facta viuæ vocis oraculo (vt colligitur ex *dicto Comp. loco cit. num. 8.*) iam ſit reuocata, niſi quis iuxta dicta *q. 10.* velit ſuſtinere eam non fuiſſe comprehenſam in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum, vt factam ab Eugenio IV. & extenſam à Martino V. præterquam quod *Bordonus reſolut. 30. num. 33.* expreſſè docet ſimilia priuilegia non fuiſſe ſublata per dictam reuocationem, quippe per quam ſolum extincta ſunt viuæ vocis oracula, quæ alteri erant præiudicialia; quod idem *Bordonus* poſtea probat *reſol. 31. num. 2.*

128 Porro cum in conceſſione Clem. VII. ſuperiùs relata extent aliquæ clauſulæ, quæ eius intelligentiam paulò difficiliorem reddere poſſunt, placet eas hoc loco explicare: talis eſt illa *certum pſalmorum per ipſos Superiores eis aſſignandorum numerum non minus 7. aut 6. cum diuiſione:* verbum enim hoc *cum diuiſione* videtur ſignificare 7. aut 6. illos pſalmos aſſignatos debere eſſe numero inter ſe diſtinctos; non autem eundem pſalmum ſeptieſ, aut ſexies repetitum: talis eſt illa, *vniendo, vel decidendo,* & indicat horas vi talis priuilegij poſſe recitari tam coniunctim (quod eſt illas vnire) quam diuiſim, (quod eſt eas decidere, ſeu diuidere) talis eſt illa *In communi, vel ſpeciali;* & importat idem ac *In publico, aut priuatim;* talis denique eſt illa *Ac in breuiandis, & protelandis lectionibus;* & innuit vigore iſtius conceſſionis poſſe lectiones Matutini currentis reddi breuiores, aut longiores, aliquid earum omittendo, aut certè aliquid illis addendo.

129 Demum extat ad rem præſentem indultum Innocentij IV. Monialibus S. Claræ conceſſum in eius *bulla in ordine* 10. ſub his verbis: *Et quæ* (loquitur de Monialibus choriſtis) *occaſione rationabili non poſſunt aliquando legendo dicere Horas ſuas, liceat eis, ſicut aliæ Sorores* (quæ ſcilicet non ſunt deſtinatæ Choro) *dicere Pater noſter.* Quod indultum explicauimus paulò latius in *tract. de Monialibus cap. 6. num. 16. in 2. edit.* *docentes* per viam communicationis priuilegiorum, illud eſſe commune non ſolum Monialibus aliorum Ordinum, ſed etiam Religioſis viris quarumcumque Religionum, eoſque poſſe illo vti ſine licentia ſui Prælati (vt colligitur ex ijs verbis *liceat eis*, nulla limitatione appoſita) & quidem etiam in caſu, quo aliàs recitatio diuini Officij fieri poſſet abſque graui damno (vt colligitur ex illis verbis) *occaſione rationabili.*

Addo hic, quod ſi Religioſus Ordinis, in quo non ſit taxatum Officium Religioſorum laicorum (vt in Societate Ieſu) velit vti hoc indulto, debet loco horarum canonicarum dicere preces præſcriptas Monialibus Conuerſis S. Claræ (quæ ſunt 24. Pater noſter pro Matutino, pro Laudibus 5. pro Prima verò Tertia, Sexta, & Nona, pro qualibet iſtarum 7. pro Defunctis etiam in Veſperis 7. Pater noſter, & requiem æternam pro Matutino 12.): cum iſtis Monialibus primariò ſit facta conceſſio talis indulti, & aliundè non poſſit ſtatui in propoſito caſu, quæ preces recitari debeant loco horarum canonicarum. Suppono autem communicationem priuilegiorum factam Religioſis viris eſſe adeo amplam, vt ſub ea contineatur hoc indultum, vt aduerti in *tr. de monial. loco cit.*

SECTIO III.

De Obligatione, quam habent Regulares Beneficiarij quo ad aſſiſtendum in Choro, & Pęna, quam incurrunt non aſſiſtendo.

130 *Regulares beneficiarij tenentur aſſiſtere Choro, ſed regulariter ſolum ſub veniali, & iuxtà conſuetudinem cuiuſque Eccleſiæ.*

131 *Explicatur, quid veniat nomine Diſtributionum, & Fructuum.*

132 *Abſentes à Choro priuantur diſtributionibus.*

133 *Non peccant mortaliter etſi frequenter abſint à Choro.*

134 *In hoc enim danda paruitas materiæ.*

135 *Satisfaciunt per ſolam aſſiſtentiam perſonalem, ſi ſint Canonici; non item ſi præbendam habeant inferiorem.*

136 *Nec obſtat iura, quæ in contrarium adducuntur.*

137 *Si ſint Canonici, retinent diſtributiones, etſi nullibi recitent Officium.*

138 *Item beneficiarij recitent diſtributiones, ſi Choro aſſiſtant ſine vlla attentione.*

139 *Eas non recipiunt, ſi obligati canere canant voce ſubmiſſa ſuam partem, & non attendunt ad partem alterius chori.*

140 *Quod ſi attendant ad partem alterius Chori, & ſuam non cantent, recipiunt dimidium diſtributionum: idque non obſtante Pij V. bulla hac de re edita.*

141 *Indicatur, quid in ea bulla ſtatuerit Pius V.*

142 *Canens ſuam partem integras capit diſtributiones, etſi non percipiat partem alterius chori.*

143 *Recipit diſtributiones præbendatus, ſi fiat cæcus, aut ſurdus; & non aſſiſtat Choro: quod alij negant probabiliter.*

144 *Recipit item, ſi ægrotet, & ægritudo ſit vera cauſa abſentiæ.*

145 *Siquidem ægritudo ſit grauis, imò interdum, etſi ſit leuis.*

146 *Recipit, ſi abſit ex graui neceſſitate corporali.*

147 *Beneficiarij in varijs caſibus, qui referuntur, recipiunt diſtributiones licèt abſint a choro.*

148 *Recipiant coniecti in carcerem, aut pulſi in exilium abſque eorum culpa.*

149 *Recipiunt iniuſtè cenſurati, ſi Choro aſſiſtant, & curent abſolui, nec abſoluantur.*

150 *Imò hoc procedit, etiam de iuſtè excommunicato vitando quod negat* Bonacina.

151 *Procedit & de Beneficiato ſuſpenſo iniuſtè.*

152 *Item procedit de Beneficiario interdicto.*

153 *Tempore ceſſationis à diuinis non acquirantur diſtributiones, etſi à Prælato poſſent poſtea applicari præbendato innocenti.*

154 *Acquiruntur verò pro tempore, quo Eccleſia eſt polluta ſi aſſiſtatur Choro.*

155 *Acquiruntur à præbendato abſente in euidentem vtilitatem ſuæ Eccleſiæ.*

156 *Idque etſi non exiſtat in loco beneficij.*

157 *Item etſi extra tempus diuinorum Officiorum poſſet expedire negotia propria Eccleſiæ, in cuius vtilitatem abeſt.*

158 *Item, etſi negotia ſua tractet: tempore præfixo pro negotijs Eccleſiæ, hac alio tempore tractaturus.*

159 *Non acquiruntur diſtributiones in abſentia trimeſtri cōceſſa à Concilio Tridentino, niſi præbenda pro fructibus ſolum habeat diſtributiones.*

160 *Indicatur modus computandi trimeſtre prædictæ abſentiæ.*

161 *Hac conceſſione frui poteſt aſſuetus toto anno abeſſe à Choro.*

162 *Per conſuetudinem conceſſio iſta poſſet extendi vltra 3. menſes.*

163 *Vi huius poſſet beneficiarius abeſſe vltimis 3. menſibus anni præſentis, & primis 3. menſibus anni ſequentis immediatè coniunctis.*

163 *Non acquiruntur diſtributiones abſenti ad aſſiſtendum Capitulo, niſi in caſu extraordinario: ſieque Capitula non debent fieri tempore diuinorum Officiorum.*

164 *Acquiruntur, ſi præbendati tunc celebrent, aut audiant confeſſiones, & faueat conſuetudo, eaque faciant iuſſu Superioris.*

165 *Non acquiruntur obeunti peregrinationem voluntariam ſecùs ſi ex voto.*

166 *Et in hoc caſu poſteriori conceduntur duo, aut tres dies abſentiæ tum ante diſceſſum, tum poſt reditum.*

167 *Non acquiruntur diſtributiones abſenti ratione ſtudij, aut monaſterij.*

168 *Etſi in tali caſu acquirantur fructus beneficij.*

169 *Et quidem iuxta aliquos ſolum ad quinquennium, iuxtà alios verò ad ſeptennium.*

170 *Quamuis quo ad docentes nullum tempus in iure ſit limitatum.*

171 *Parochus abſens ratione ſtudij hodie non acquirit fructus: etſi alij probabiliter diſſentiant.*

172 *Non acquiruntur diſtributiones aſſiſtenti per alium.*

173 *Acquirunt fructus beneficij, ſed non diſtributiones, qui abſunt ad viſitandam diœceſim nomine Epiſcopi.*

174 *Canonicus Pœnitentiarius acquirit diſtributiones, ſi abſit ad obeundum ſuum munus: & hoc procedit de ſuffecto in locum illius.*

175 *Item acquirit Canonicus Theologus, ſi abſit ratione ſui muneris.*

176 *At, ſi aſſiſtat Choro quibus diebus poteſt abeſſe, totidem diebus non poteſt abeſſe, ſi aliàs et tunc non conceditur abſentia.*

177 *Si faciat lectiones per alium, non poteſt abeſſe; etſi poſſit abeſſe ſubrogatus.*

178 *Acquirit diſtributiones, qui tempore diuinorum Officiorum pulſat organum, aut canit extra Chorum.*

179 *Diſtributiones non acquiruntur per ſolam remiſſionem aliorum beneficiariorum; etſi acquirantur per ipſorum donationem factam poſt diſtributionum diuiſionem.*

180 *Tranſigi poteſt ſuper diſtributionibus ſub dubio debitis.*

Ab-

181 *Abſentes à Choro ante ſententiam priuantur diſtributionibus, etiam acceptis.*

182 *Diſtributiones quotidianæ beneficiarij abſentis accreſcunt intereſſentibus.*

183 *Non item accreſcunt abſentibus legitimè excuſatis.*

184 *Præbendatis omnibus culpabiliter abſentibus diſtributiones debentur Eccleſiæ præbendatorum.*

QVÆRES I. An, & qualiter Regulares beneficiarij obligentur ad aſſiſtendum Choro.

130 ℞. Obligari, ſi ſint præbendati Eccleſiarum cathedralium, aut Collegiatarum: idque ex iure eccleſiaſtico, quod maximè fundatur in *cap. fin. d. 92.* in quo pœna depoſitionis imponitur deficientibus ab hac obligatione: teneri, inquam, & regulariter ſub peccato v. (iuxta tamen conſuetudinem cuiuslibet Eccleſiæ præſcriptam); imò & interdum ſub mortali, nimirum in caſu, quo quis deficiat ab hac obligatione per contemptum, aut con. præceptum proprij Prælati; aut certè ex ipſius defectu diuinum Officium vel ſimpliciter omittatur in Eccleſia, aut non dicatur debita ſolemnitate: quæ vtique contingere non poſſunt ſine culpa graui. ita in terminis *Regin. l. 18 num. 176. Sylu. Caiet. Nau. Val. Barboſ. & Macign.* apud *Caſtr. Pal. tract. 7. D. 3. p. 2. num. 2.* qui tamen cum *Suar. Vaſq. Val.* & alijs ait oppoſitum eſſe probabilius. Et quidem, quod regulariter hac in re peccetur v. patet tum ex pęna depoſitionis impoſita deficientibus, quæ ſupponit culpam ſaltem v. tum quia obligatio aſſiſtendi Choro non videtur naſci ſolũ ex receptione diſtributionum, ſed ex ipſa collatione beneficij eccleſiaſtici, quod datur etiam ad hoc, vt in vtilitatem populi, ac deuotionem fidelium diuina Officia celebrentur: vnde qui violat dictam obligationem, peccat, ſed non m. eo quod non interueniat materia grauis.

Dixi *Iuxta tamen conſuetudinem cuiuslibet Eccleſiæ*: vt innuerem variam eſſe hac in re Eccleſiarum conſuetudinem, tam in modo dicendi officium, quam in diebus, quibus dicendum eſt, ideoq; variam item eſſe Beneficiariorum obligationem. Nam in aliquibus Eccleſijs (quales ſunt regulariter cathedrales, & aliquæ Collegiatæ pinguiores) ſingulis diebus totum officium publicè canitur: in alijs verò, vbi redditus ſunt tenuiores, ſingulis diebus recitatur officium, ſed ſine cantu: in alijs nec totum officium recitatur in alijs denique ſolis diebus feſtiuis, vel Dominicis; vnde in quacumque eccleſia ſeruari debet conſuetudo legitimè inducta, vt benè aduertit *Caſt. Pal. tr. 2. D. 3. p. 1 num. 13.*

Quod ſi quæras, quid intelligatur nomine diſtributionum, & fructuum, quibus infra dicemus Beneficiatum priuari propter abſentiam à Choro.

131 ℞. Nomine Diſtributionum intelligi prouentus, quos Beneficiatus acquirit ob continuam Chori intereſſentiam: nomine verò fructuum comprehendi annuos redditus conceſſos beneficiato ob titulum beneficij; ad quorum acquiſitionem requiritur quidem aliqua aſſiſtentia, non tamen habetur ad illam reſpectus, vt ex *Garc. Bonac. Monet. Tucſh.* notat *Caſtr. Pal. ſup. p. 6. num. 5.* & conſtabit infra ex *Conc. Trid. ſeſſ. 24 c. 12. de reformat.*

QVÆRES II. Sub qua pęna Regulares pręhendati teneantur aſſiſtere Choro.

132 ℞. Teneri ſub pęna priuationis diſtributionum: quippe quæ iuxta *cap. vn. de Cler. non reſid. in 6.* dantur ſolum Chorum intereſſentibus, ſeu pręſentibus, adeoque ſubtrahendæ ſunt illegitimè abſentibus, vt pote ijs omninò indebitæ. Quin etiam, ſi Beneficiati vltra tempus à Trid. permiſſum loco ſup. cit. abſuerint à Choro, pro primo quidem anno, & prima vice priuandi ſunt dimidia parte fructuum, quos reſidendo, & intereſſendo diuinis, fuerint lucrati: quod ſi iterum ea fuerint vſi negligentia, priuandi ſunt omnibus fructibus: creſcente verò contumacia, non ſolum fructibus, ſed beneficio ſunt ſpoliandi. Quamquam talis priuatio non ſit ipſo iure lata, ſed ferenda per Iudicem, vt colligitur ex verbis ipſius Concilij, & obſeruat *Garc. de benef. p. 2. c. 2. num. 152.* quod tamen non habet locum quo ad priuationem diſtributionum, quam infra dicemus incurri ante omnem Iudicis ſententiam.

QVÆRES III. An Regulares præbendati m. peccent ob abſentiam à Choro, ſi aliàs cedant diſtributionibus, & adhuc diuinum officium debita cum ſolemnitate celebretur, non obſtante illorum abſentia.

133 ℞. Videri non peccare m. etiamſi frequenter, ac ſine iuſta cauſa abſint. ita *Caſt. Pal. ſup. p. 2. num. 2.* ex *Barboſa, Syl. Nau. Caiet. Val. Regin. & Macigno*; qui tamẽ *Caſtrus Palaus* cum *Vaſq. Garc. Bonac. Suar.* & alijs ſuſtinet oppoſitum eſt probabilius. probatur autem noſtra reſponſio, tum quia tota obligatio aſſiſtendi Choro in præbendatis oritur ex diſtributionibus acceptis, quæ in hunc finem conceduntur, adeoque ſi cedant diſtributionibus, videntur manere immunes à tali obligatione: ſi enim ex titulo beneficij talis obligatio naſceretur, vt quid eccleſia concedit diſtributiones; tum quia alioqui ſi per vnum diem tantùm abeſſent à choro ſine graui cauſa, peccarent m; quo modo m. peccant per vnum diem tantùm priuatim omittẽdo officium ſine graui cauſa: quod tamen eſſet valdè durum; tum quia in *Clem. 1. de celebrat. Miſſ.* ſolum obligantur addicti alicui Eccleſiæ Cathedrali, vel Collegiatæ, vt per ſe, vel ſubſtitutos officium diuinum dicatur: & ſic, ſi diuinum officium non omittatur ex abſentia alicuius præbendati, & is cedat ſolitis diſtributionibus, poterit tuta conſcientia abeſſe à choro; tum denique quia Beneficiarij, etiam timorati, & docti non videntur ſibi facere magnum ſcrupulum de hoc: quod eſt ſignum ipſos iudicare, ſe non teneri ad aſſiſtentiam chori ſub graui obligatione, quo modo tenentur ad recitationem diuini officij; quæ recitatio ſine dubio arctius adſtringit beneficiarios, quam obligatio aſſiſtendi choro. nobiſcum ſentit *Diana p. 4. tract. 4. reſol. 217.*

134 Quod ita eſt verum, vt etiam illi, qui ſuſtinent præbendatos teneri ad Chorum ſub peccato mortali etiam in præſenti caſu; nihilominus concedant eos m. non peccaturos, ſi ſolum 3. aut 4. diebus abſint, & quidem merito, cum id colligatur tum ex vſu recepto apud timoratos; tum ex eo quod, cum in iure concedatur præbendatis abſentia à choro per 3. menſes in anno, & pro nullo die relaxetur obligatio recitandi horas priuatim: ex tam lata re-

miſſio

miſſio in abſentia, & tam ſtricta obligatione in priuata recitatione, inferri poteſt 3. aut 4. dies in anno abſentiæ à choro non conſtituere culpam grauem, eſto vnius diei recitationis omiſſio illam conſtituat ita *Caſtrus Palaus n.4.*

QVÆRES IV. An Regulares beneficiarij ſatisfaciant obligationi Chori per ſolam aſſiſtentiam perſonalem, abſque eo quod ibi recitent, aut canant.

135 ℞. Videri ſatisfacere, ſi habeant beneficium canonicale, & aliàs non adſit conſuetudo in contrarium. ita *Sanch. l.2. conſil. c.2. d.100. num. 2.* cum *Henriq.* alijſque plurimis doctis magiſtris, quos refert, & ſequitur *Diana p.4. tract.4. reſol.149.* alijque non pauci ab eodem *Diana* allegati *p.2. tract.12. reſol.6.* contra plures alios ibi ab eo citatos: & probatur, tum quia ſic vſu videtur multis in locis receptum eſſe (citant decretum *C. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12.* quod iubet omnes diuina per ſe, & non per ſubſtitutos compelli obire officia, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis, & canticis Dei nomen deuotè laudare; dicendum ſit fuiſſe directum ad Epiſcopos, & Prælatos, non autem ad Canonicos, vt dicit *Leſſ. l.2. cap. 34. nu. 186.* vel certè non fuiſſe receptum quoad Canonicos non curantibus Prælatis illud obſeruari teſte *Diana p.4. tract.12. reſol.6.* tum quia diſtributiones dantur canonicis, vt Chorum ſua præſentia authorizent; ijs enim inprimis videtur competere, quod ait *Trid. ſupra Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interſunt, recipiant;* vbi fit mentio de ſola intereſſentia, non autem de cantu, aut recitatione; tum denique quia ad effectum canendi, & recitandi deſtinantur Capellani, adeoque per ipſos dicuntur Canonici canere, & recitare iuxta regulam; *qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur.* Dixi *ſi habeant beneficium canonicale:* ſi enim habeant præbendam inferiorem, tunc utique tenentur, & recitare, & canere; cum ſic non militent rationes, quas diximus militare reſpectu habentis beneficium canonicale; quod puto eſſe indubitatum; aliàs, ſi non ſolum Canonici, ſed etiam alij Beneficiarij inferiores non tenerentur canere, & recitare, poſſent omnes ſe ſubtrahere, & conſequenter diuinum officium omitteretur.

136 Nec obſtat ſupradictæ reſponſioni, quod Sacra Congregatio oppoſitum declarauit etiam quoad Canonicos, teſte *Comitolo l.1. q.62. num.3.* & contrarium ſtatutum eſt in aliquibus Concilijs, & præſertim in Aquiſgranenſi *cap. 131.* his verbis *Canonicis religioſiſſimè in Choro ſtandum, & pſallendum eſt;* Declaratio ſi quidem Sacræ Congr. non eſt authentica, adeoque non obligat per modum legis vniuerſalis: Conc. verò Aquiſgranenſe non videtur importare præceptum, ſed conſilium, vel certè legitima conſuetudine derogatum eſt.

Vtrum verò tuta conſcientia poſſint Canonici retinere diſtributiones, ſi Choro aſſiſtant, alioqui horas non recitantes, neque in choro, neque extra.

137 ℞. *Diana p.4. tract.4. reſol.149. ex Sanch.* & alijs doctis Recentioribus poſſe, probatque: tum quia diſtributiones dantur Canonicis in ſtipendium aſſiſtentiæ in Choro: tum quia in Conc. Lateran. non recitantes ſolùm obligantur ad reſtituendos fructus beneficiorum, cum tamen diſtributiones non veniant nomine fructuum.

QVÆRES V. An Regulares prebendati poſſint recipere diſtributiones, & eas retinere, ſi Choro aſſiſtant, ſed ſine vlla omninò attentione.

138 ℞. Poſſe, & probatur tum quia diſtributiones competunt aſſiſtentibus Choro; ij autem Choro aſſiſtunt, licèt modo indebito; tum quia ij non poſſunt dici abeſſe à Choro, adeoque nec debent priuari diſtributionibus vt abſentes. ita *Suar. to.3. de Rel. l.4. de orat. cap. 14. num. 12. Garc. de benef. p.3. num. 514. Caſtr. Pala. ſup. p.4. num.2.* alijque penes ipſos contra *Azor. Lopez. Barboſ. Bonac.* & alios apud ipſum Caſtrum Palaum ſuſtinentes Canonicum corporaliter aſſiſtentem Choro, nec diuinis Officijs attendentem, ſed voluntariè diſtractum, maximè ſcribendo, confabulando, vel dormiendo, nullo modo diſtributiones lucrari, eò quod diſtributiones dentur ob præſentiam, & aſſiſtentiam humanam, ac honorariam, cedentem in Dei cultum, & authoritatem diuinorum Officiorum; cum tamen ex *l. coram Titio ff. de verb. ſignific.* non poſſit dici præſens moraliter, & humano modo, qui nullatenus attendit ad diuina Officia: quam opinionem puto eſſe valdè probabilem, imò & in praxi ſequendam; cum noſtra, quæ aliàs videtur contraria, intelligi debeat de aſſiſtentibus ſine vlla attentione interiori, non autem de ijs, qui nec interiorem, nec exteriorem vllam habent attentionem; quidquid dicat *Garcias ſup.* in contrarium eſſe conſuetudinem, & praxim Eccleſiarum; talis enim conſuetudo non videtur adeſſe in Italia, vbi Beneficiarij non ſunt ita parum timorati, vt in Choro non ſeruent ſaltem attentionem exteriorem communiter loquendo.

QVÆRES VI. An Regulares præbendati, qui ratione beneficij teneatur canere in Choro, poſſint recipere diſtributiones, ſi ſolum canant ſubmiſſa voce, & non attendant ſufficienter ad ea, quæ alius Chorus canit.

139 ℞. Non poſſe: cum ex vna parte diſtributiones non debeantur, niſi ijs, qui publicè perſoluunt diuinum Officium alternatim & ex alia parte ad hoc requiratur, vt beneficiarius, & voce alta canat, quæ ipſi contingunt, & attendat ad ea, quæ alius Chorus canit: aliàs enim non communicat cum illo, vt patet ex dictis. ita *Suar. ſup. cap. 12. numer. 9. quaſt. 10. Leſſ. l.2. cap. 34. num. 184. Bonac. D.1. de hor. can. qu.3. p.2. §.1. num. 17.* alijque plures penes ipſum.

Vtrum verò ſupradictus præbendatus ſubmiſſa voce recitans ſuam partem, aut non recitans, recipere poſſit mediam partem diſtributionum, ſi attendat ad partem, quam alternatim canit alius Chorus.

140 ℞. *Suar. ſup. num. 18. P. Nau. l.1. de reſt. cap. 2. num. 222. Cenedo collect. 15. ad 6. numer. 17. Bonac. vbi ſup.* alijque ab ipſo relati, poſſe recipere; & probatur; tum quia ſupradictus præbendatus dimidiatè ſuum Officium perſoluit; ac exequitur attendendo ad partem alterius Chori, adeoque meretur dimidiatum

diatum ſtipendium: tum quia diſtributiones non dantur ſolùm pro cantu, ſed etiam pro aſſiſtentia, ac proinde qui aſſiſtit, iam exequitur munus, cui aliqua pars ſtipendij correſpondet, & conſequenter eam lucratur; tum quia bulla Pij V. in qua ſtatuitur non lucrari fructus, ac diſtributiones eum, qui cum alijs aſſiſtit Choro, ſed non recitat: benignè interpretari poteſt, quod ille non lucretur integrè, ſed dimidiatè, aut certè quod non lucretur neque dimidiatè, ſi non recitet in choro, vel extra; ſiquidem per Conſtit. Pij V. mox referendam beneficiario non recitanti Horas, neque publicè, neque priuatim imponitur pęna amiſſionis omnium fructuum, imò & diſtributionum.

141 Conſtitutio autem Pij V. quæ extat in *Bullar. tom. 2. bulla* 135. *Pij V.* & refertur à Quaranta *v. hora canonica pag.* 373. ita habet: *Tametſi aliquis choro addictus non recitans omnibus horis canonicis cum alijs præſens adſit, fructuſque & diſtributiones fortè aliter aſſignatas ſola præſentia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel aliàs ſibi lucri feciſſe prætendat; is præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem, item ille, qui primis 6. menſibus Officium non dixerit &c. graue peccatum intelligat admiſiſſe.* Ex quibus patet non poſſe in præſentia ſuſtineri vt probabile, quod admiſit *Diana cum Sanch.* & alijs *q. præced.* relatis præbendatum ſcilicet non obligatum ad recitandum in Choro poſſe recipere, ac retinere diſtributiones, etiamſi neque ibi, neque extra chorum recitet diuinum officium; ſiquidem expreſsè deciditur contrarium in hac Conſtit. Pij V., vt colligitur ex illis verbis *præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem*: quod vtiq; non aduertit *Diana*, ideoq; eam doctrinam admiſit eſſe probabilem, cum tamen ſtante præfata Pij V. Conſtitut. nullam habeat probabilitatem; niſi dicamus cum *Sanch. d.* 101. bullam illam non eſſe receptam cum tanto rigore.

An autem poſſit accipere integras diſtributiones qui in Choro canit ſuam partem, ſed percipere non poteſt partem, quam canit alius Chorus.

142 ℞. Poſſe, dummodò priuatim ſuppleat extra Chorum quæ non percepit. ita *Nau. de orat. c.* 11. *nu.* 41. *Bonac. num.* 20. & alij con. *Sà v. hora num.* 9. affirmantem non teneri in hoc caſu Beneficiarium ſupplere, quæ non percepit; cum adimpleta cenſeatur conditio, quando non ſtat per eum, qui eam debet adimplere *reg.* 66. *de regul. iur. in* 6. Ratio autem noſtræ reſponſionis eſt, quod ex vna parte in propoſito caſu per beneficiarium non ſtat, quo minus percipiat, & cum alijs communicet in recitatione; ex alia parte, is non poteſt dici recitare partem, quam non percipit, vt pote quam ſola auditione ſuam facere poteſt: cum tamen, attenta ſup. dicta Conſtit. Pij V, non recitans diuinum Officium hòc ipsò priuetur omnibus diſtributionibus, quantumuis choro interſit; quæ ratio verè probat intentum; niſi quis pro Sà malit negare præfatam Pij bullam vt odioſam debere extendi ad hunc caſum, in quo Beneficiarius facit quod in ſe eſt, ſed potius benignè interpretandam eſſe, vt extendatur ſolùm ad caſum, in quo ille omnimodo omittit recitare; quod, quam probabiliter dicatur, alijs iudicandum relinquo. Illud ſolum moneo beneficiarium poſſe facilè occurrere huic incommodo, ſi alta voce recitans partem ſui Chori, voce ſubmiſſa alternatim recitet partem alterius Chori: ſic namque ſatisfaciet præcepto recitandi priuatim, & fiet capax diſtributionum, vt patet.

QVÆRES VI. An Regularis præbendatus recipere poſſit diſtributiones, ſi obtento beneficio fiat cæcus, aut ſurdus.

143 ℞. Poſſe; & quidem, etiamſi abſint à Choro. ita *Diana p.* 5 *tra.* 6. *reſol.* 14. cum *Moneta, Cenedo, Barboſa*, & probatur tum ex *l.* 1. *C. qui morbo ſe excuſ. lib.* 10. vbi qui vtriuſque oculi aciem amiſit, leuamen ſentit munerum perſonalium, eorum ſcilicet, quæ corpore impleantur, vt ibi exponit *Gloſſa*; tum quia ſacra Congreg. ſub *die* 20. *Iulij* 1629. declarauit Canonicum, qui lumen oculorum amiſit, ideoque celebrare nequit Miſſas, & diuina Officia, lucrari diſtributiones, & alia emolumenta, perinde ac ſi diuinis intereſſet; quin etiam eadem ſacra Congreg. ſub *die* 11. *Aug.* 1618. reſoluit prouiſum de Canonicatu, ſi capta poſſeſſione viſu priuetur, adeoque promoueri non poſſit ad ordinem debitum, quo ad fructus reputari præſentem, non tamen teneri aſſiſtere in Choro. Con. *Dianam*, & alios præcitatos ſentit *Sanch. ſup. d.* 99. *num.* 7. negans cum *Nau.* cæcitatem, & ſurditatem eſſe morbum ſufficientem, vt Canonicus deficiens à Choro lucretur diſtributiones: cum tali morbo non noceat intereſſentia Chori, & per talem intereſſentiam ipſe Chorus authorizetur, quod idem ſentit *Suar. ſup. c.* 28. *num.* 18. ſatis apertè ſuſtinens cęcum, vel ſurdum non excuſari à reſidentia Chori, vt pote qui tenentur ad eam ratione beneficij, & illam facilè poſſunt exhibere, ſiu minus canendo (ad quod etiam teneantur ex vi præbendę) ſaltem aſſiſtendo; ſic enim ſi non poſſunt exhibere totum, quod debeſt, exhibebunt quod poſſunt, authorizando Chorum ſua præſentia, & cum alijs ſocijs ad orationem concurrendo eo meliori modo, quo poſsunt; ita *Suar. loco cit.* alijque, & meo iudicio ſatis probabiliter: quamuis etiam opinio contraria ſit probabilis, maximè attenta duplici illa declaratione Sacræ Congregat. Concilij, quam refert *Diana vbi ſupra.*

QVÆRES VII. An Regulares præbendati lucrentur diſtributiones, ſi ratione morbi corporalis intereſse non poſſint Choro.

144 ℞. Lucrari: ſi tamen morbus ſit vera cauſa abſentiæ. ita *Sanch. ſup. d.* 90. *num.* 2. ex *Gloſſa, Sylu. Nau. Couar. S. Anton. Panorm. Ang. Armil. Gabr.* & alijs, patetque tum ex communi Eccleſiarum vſu: tum quia in *cap. vn. de Cler. non reſid. in* 6. ſtatuitur diſtributiones non debere dari abſentibus, exceptis tamē ijs, qui cauſa morbi non adſunt. Dixi, *ſi tamen morbus ſit vera cauſa abſentiæ*, vt indicarem, quod, ſi is, qui modò ægrotat, non conuenerat intereſse Choro, dum eſset ſanus, nullatenus debet percipere diſtributiones durante morbo: cum caſus ſuperueniens interpretationem recipiat ſecundùm ſtatum præcedentem; vt colligitur ex *cap. maiores de baptiſmo*: quamuis *Nau. l.* 2. *de reſt. c.* 2. *num.* 208. & 209. reprobet hanc limitationem, ea ductus ratione, quod mala intentio nihil faciat ad reſtitutionem; nobiſcum tamen ſentiunt *Panorm. Couar. Gabr. Syl. Ang. Armil.*

Nau.

Nau.Graſſ.Azor.Rodriq. alijque apud *Sanch. num.3.* qui noſtram ſequitur ſententiam ex dictis *numer.4.* inferens cum *Nauarro*, & probabiliter Canonicum ægrotantem, qui ad aliquas tantùm horas conuenire ſolebat, non lucrari, niſi diſtributiones dictis horis correſpondentes; illum verò, qui pro ſuis negotijs peragendis aliò abit, ibique infirmatur, nullas diſtributiones comparare, eò quod morbus non ſit vera cauſa abſentiæ; vt patet & expreſſè docent *Honcala, & Sandoual* allegati à *Sanch. ſup. nu.5.* quod tamen reijciunt *Barboſa, Bonac. & Moneta* apud *Caſtr. Pal. ſup. p.9. §.1. num.6.* cenſentes hunc vltimum caſum non habere verum, niſi quando præbendatus ſine legitima cauſa abeſt à loco beneficij, adeoque, ſi contingat Canonicum tempore conceſſo vacationis aliò ſe transferre, ibique infirmari, ac proinde non poſſe debito tempore redire ad reſidendum, lucrari diſtributiones, ac ſi eſſet præſens: cum re vera per ipſum non ſtet, quo minùs aſſiſtat, & conſequenter infirmitas ſit vera cauſa abſentiæ.

145 Illud quidem eſt certum, non ſufficere quęcumque morbum, ad hoc vt abſens lucretur diſtributiones, ſed requiri morbum grauem iudicio prudentis viri, ſeu Medici periti, ſi res agatur extraiudicialiter; vel certè Prælati ex Medicorum iudicio ſtatuentis, ſi res agatur iudicialiter; quamquam euenire poſſit, vt etiam morbus leuis ſufficiat, ſi ex acceſſu ad chorum probabiliter timeat fore augendum: ſic enim morbus leuis ob periculum incrementi reputatur grauis; vt notauit *Caſtr. Pal. ſup. num.2.* addens *num. 3.* quo ad hoc nihil referre, quod quis ex ſua culpa morbum contraxerit: cum ius concedens tale priuilegium non diſtinxerit de infirmis, qui cauſam dederunt infirmitatis culpabilem, aut inculpabilem, adeoque nec nos diſtinguere debeamus iuxta *c.1. d.19.* præter quam quod alioqui daretur occaſio magna litibus, ſi ſemper inueſtigandum eſſet, an infirmi dederint cauſam infirmitati, nec ne, ſicq; adderetur afflictio afflicto, vt patet.

QVÆRES VIII. An, & quando Regulares præbendati lucrari poſſint diſtributiones etiamſi ratione corporalis neceſſitatis non aſſiſtant Choro.

146 ℞. Lucrari, quandocumque ex aſſiſtentia chori ipſis imminet graue damnum vitæ, honoris, aut ſuarum rerum. ita *Caſtrus Pal. ſup. p.9. §.2 nu.2.* probatque quia ex vna parte quodlibet graue damnum in quocumque horum bonorum genere cenſetur iuſta, ac rationabilis neceſſitas: ex alia parte eccleſia, quæ eſt pia mater, piè præſumi poteſt nolle obligare ſuos miniſtros ad Officium ſuum peragendum cum tam graui ipſorum damno, neq; eos priuare ordinario emolumento, cum ex cauſa tam iuſta Officium diuinum omittant.

147 Ex quo fit, vt diſtributiones debeantur Beneficiarijs, etiam non intereſſentibus Choro: primo ſi iudicio Medici notabile damnum paſſuri ſint in valetudine egrediendo è domo (vt ſi ſint valetudinarij, aut ſumant medicinam corpus expurgantem; ſecundo ſi ex Medici conſilio aliò ſe conferant acquirendæ ſanitatis cauſa (puta ad balnea, ad celebrem aliquem Medicum, ad euitandam præſentis cæli inclementiam; tertiò ſi ad recuperandas vires in ægritudine deperditas aliò petant, quartò ſi commodè nequeant aſſiſtere choro ratione ætatis grauioris (qualis regulariter ſolet eſſe ſeptuagenaria, teſte *Bonac. ſup. D.2. q.5. p.2. num.6.* aut octogenaria iuxta alios: quintò ſi abeant à loco beneficij ob timorem peſtis graſſantis ibi (intellige, ſi beneficium non ſit parochiale: tunc enim, ſi non adſit alius, tenentur reſidere); ſexto ſi habeant inimicum, cuius reconciliationem facilè obtinere non poſſint, & à quo timeant graue malum, ſi aſſiſtant; ſeptimo ſi per vim compellantur abeſſe, ne alios peſte inficiãt, vt pote qui è loco non ſano veniunt. ita *Caſt. Pal. ſup. num.2.* alijque apud ipſum, & patet ex eo quod Beneficiarius in his omnibus caſibus abeſt à Choro ob iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem, quam aliter vincere nequit, ac proinde gaudet priuilegio Bonifacij VIII. in *cap. vn. de Cleric. non reſid. 6.* concedentis Beneficiato, etiam abſenti diſtributiones in triplici caſu; videlicet infirmitatis, iuſtæ, & rationabilis neceſſitatis corporis, & euidentis Eccleſiæ vtilitatis.

Maius dubium eſt, an poſſit recipere diſtributiones Beneficiarius, qui in carcerem coniectus eſt, aut in exilium pulſus.

148 ℞. Poſſe, ſi cauſam huic impedimento non dedit: & hoc eſtò Iudex legitimè eum condemnet motus falſis teſtibus, ac probationibus; ſecùs, ſi cauſam dedit condemnationi: idque licèt Iudex abſque indicijs ſufficientibus eum capi fecerit, aut condemnauerit. ita *Bonac. ſup. §.1. à num.1. Garc. de benefic. p.2. c.2. num.362. Couar. 3. var. c.13. num.8. v.11.* alijq; & probatur, quia in priori caſu Beneficiatus impeditur ab aſſiſtentia ob corporalem neceſſitatem, ſeu (quod perinde eſt, teſte *Sanch. ſup. d.92. num.1.*) ob legitimum impedimentum ipſi tunc moraliter ineuitabile, adeoq; comprehenditur in priuilegio Bonifacij: in poſteriori autem caſu ipſemet Beneficiatus eſt cauſa abſentiæ, nec poteſt dici abeſſe ob corporalem neceſſitatem, ſed ob ſuam malitiam.

Vtrum verò Beneficiarius excommunicatus acquirat diſtributiones, non aſſiſtens choro ob hanc cauſam.

149 ℞. Acquirere, ſi iniuſtè eſt excommunicatus, & aliàs erat ſolitus aſſiſtere diuinis officijs; non item, ſi iuſtè ſit excommunicatus; quamuis *Nau. l.2. de reſt. c.2. num.238. & 239.* & cum eo *Sanch. ſup. d.92. nu.4.* dicant etiam in hoc caſu beneficiarium lucrari diſtributiones, ſi per ipſum non ſtet, quo minùs abſoluatur ab excommunicatione iuſtè cõtracta: cum ſic per ipſum non ſtet, quin aſſiſtat, ac impedimentum tollat; quod tamen abſolutè negat *Caſtr. Pal. ſup. num.4.* cum *Suar. Garc. & Bonac.* ea ductus ratione, quod excommunicatus iuſtè pro eo tempore priuatur aſſiſtentia chori, & per conſequens diſtributionibus dictæ aſſiſtentiæ reſpondentibus, ſibique debet imputare eiuſmodi priuationem, cum per ipſum ſtet quo minus diuinis aſſiſtere nequeat, eſtò per ipſum non eſt, quo minùs impedimentum tollatur. Patet reſponſio principalis ex dictis *§. præc.* eamque tradunt *Vaſq. Garc. Gutier. Sà, Henriq. P. Nau. Barboſ. & Bonac.* apud *Caſtrum Pal. ſup. nu. 4.*; qui benè notat ex *Moneta, Nau. Gar. Bonac. & P. Nau.* beneficiatum iniuſtè excommunicatum, vt acquirat diſtributiones, teneri, ſi commodè poſſit, procurare

abſo-

abſolutionem: quia aliàs diceretur ſua culpa abeſſe, non autem neceſſitate adſtrictus, ſicque ceſſaret ratio acquirendi diſtributiones: quod tamen non requirunt alij DD. fortè quia putant non eſſe neceſſarium.

150 Imo *Coninch. D. 14. de Cenſur. nu. 80. & ſeqq. Sanch. l. 3. de matr. D. 51. num. 12. P. Nau. ſup. num. 229.* & alij non improbabiliter putant. quod ſi iuſtè excommunicatus aſſiſtat Choro, lucratur fructus, ac diſtributiones Officio reſpondentes (& hoc, etiamſi ſit vitandus) probantque ex eo quod, etſi in tali aſſiſtentia peccet, ideoque meritò priuari debeat fructibus, ac diſtributionibus iuxta *cap. paſtoralis §. verum de appellat.* ipſo tamen iure non eſt priuatus, cum nullibi conſtet inductam eſſe talem priuationem. Dixi *& hoc etiamſi ſit vitandus*, quia non placet limitatio, quam apponit *Bonac. ſup. §. 2. num. 2.* dicens hanc doctrinam locum habere in excommunicato tolerato, non autem in vitando, vtpote qui non præſtat officium nomine Eccleſiæ, quæ eum repellit ab officio; ſi quidem tam toleratus, quam vitandus ratione excommunicationis expelluntur ab aſſiſtentia Chori, neque quo ad hoc Eccleſia intendit fauere excommunicato occulto, ac proinde de vtroque idem dici debet; præterquam quod in iure non reperitur excommunicatum vitandum eſſe priuatum ipſo iure diſtributionibus, & fructibus beneficij potiùs, quam excommunicatum toleratum.

151 Hinc patet, quid dicendum de Beneficiato ſuſpenſo; ſi enim iniuſtè ſit ſuſpenſus ab officio ordinis, & iuriſdictionis, à beneficio, à diuinis Officijs, diſtributiones recuperat ab ijs, quibus fuerunt applicatæ, aut certè à Iudice iniuſtè ſuſpendente, etiamſi diuinis non interſit; ſecùs ſi iuſtè ſit ſuſpenſus, & ſuſpenſio ſit à beneficio: tunc enim priuatur fructibus, ac diſtributionibus, quæ intuitu beneficij conferantur beneficiarijs; quales ſunt diſtributiones quotidianæ, quæ dantur Canonicis Choro intereſſentibus: ſuſpenſio quippe à beneficio importat priuationem omnium emolumentorum, ac redditu um, qui intuitu beneficiorum percipiuntur, non item diſtributionum, ſeu eleemoſynarum, quæ ob mortuaria, aliaque ſimilia conferuntur: hæc enim non conferuntur intuitu beneficij, ſed perſonalis miniſterij, adeoque non tolluntur per ſuſpenſionem à beneficio. Dixi, *& ſuſpenſio ſit à beneficio*: vt indicarem quod, ſi ſit à diuinis Officijs, & ſic ſuſpenſus nihilominus illis aſſiſtat, probabilius eſt eum lucrari fructus, & diſtributiones eodem modo, ac §. *præcedenti* diximus de excommunicato; cum nullibi reperiatur eum priuatum eſſe ipſo iure fructibus correſpondentibus officio malè exercito. ita *Caſtr. Pal. ſup. n. 9.* alijque penes ipſum.

152 Adde idem, proportione ſeruata, dicendum eſſe de Beneficiato interdicto: eum ſcilicet lucrari diſtributiones, ſi ob iniuſtum interdictum impediatur ab aſſiſtentia diuinorum (idque ob rationem non ſemel allatam:) imò etiamſi iuſtè interdictus ſit ab ingreſſu Eccleſiæ, & conſequenter priuatus ſit aſſiſtere diuinis: cum ſic peccet quidem aſſiſtendo diuinis verè tamen præſtet officium, ob quod conceduntur diſtributiones. ita *Caſtr. Pal. ſup. numer. 10.* monens quod, ſi Eccleſia ſit ſpecialiter interdicta, Beneficiarius, ſi cauſam non dedit interdicto, adhuc lucratur diſtributiones: cum per eum non ſtet, quo minùs ibi aſſiſtat diuinis; quod vtique multò magis habet locum in caſu, quo Eccleſia generaliter ſit interdicta, & Beneficiarius cauſam non dederit tali interdicto: cum tunc liceat ibi celebrare diuina, ſeruata tamen ſolemnitate præſcripta in *cap. Alma Mater de ſent. excommunic. in 6.* de qua re ſuo loco.

153 Quod autem ſpectat ad tempus Ceſſationis à diuinis: Beneficiarius diſtributiones non acquirit, ſiue cauſam dederit ceſſationi (cum illæ correſpondeant officio, quod culpa ipſius non exercetur;) ſiue non dederit cauſam: quod colligitur ex *cap. ſi Canonici §. ſcituri de offic. ordinar. in 6.* vbi cum caueatur eum, qui cauſam dedit Ceſſationi, debere reſtituere Canonicis omne intereſſe, quod amittunt ex eo quod non aſſiſtunt diuinis Officijs: ſequitur eos diſtributiones non lucrari, cum eæ ſe habeant vt intereſſe deperditum. Quamquam ſi is, qui dedit cauſam ceſſationi, non eſſet ſoluendo, probabile eſt poſſe Prælatū tūc applicare diſtributiones, & alia emolumenta modo dicto amiſſa: cum non ſit iuſtum beneficiarios ſine propria culpa priuari illis. ita *Bonac. ſup. §. 5.* ex *Couar. Suar. Sayr. Coninc. Moneta*, quos refert, & ſequitur *Caſtr. Pal. ſup. num. 11.* docens *num. 12.* quod ſicut priuatus beneficio abſolutè non lucratur diſtributiones, eò quod nullum habeat fundamentum ad eas acquirendas: ſic qui priuatus eſt beneficio, ita tamen vt illud retinere poſſit vſque ad ſententiam declaratoriam criminis, lucratur omnes fructus, ac diſtributiones medio illo tempore contingentes; ſi tunc diuinis aſſiſtat: quamuis, prolata præfata ſententia declaratoria criminis, teneatur reſtituere omnes fructus, ac diſtributiones perceptas à die criminis commiſſi.

Quærunt hìc etiam DD. an Beneficiarij comparent diſtributiones pro tempore, quo Eccleſia manet polluta, ideoque ibi diuina non celebrantur.

154 ℞. Comparare; & patet, quia per ipſos non ſtat, ne diuina officia ibi ſoluantur. ita *Bonac. ſup. §. 6.* alijque communiter.

QVÆRES IX. An, & quando Regulares præbendati lucrentur diſtributiones ob euidentem Eccleſiæ vtilitatem, etiamſi non aſſiſtant diuinis Officijs.

155 ℞. Lucrari, ſi cogantur abeſſe à diuinis Officijs ob euidentem vtilitatem Eccleſiæ, ſiue propriæ (qualis eſt Eccleſia Cathedralis, in qua quis habet beneficium, aut etiam præbenda ipſa, vel canonicatus; ſicut explicat *Bonac. ſup. p. 3. num. 7.*) ſiue etiam Eccleſiæ vniuerſalis (qualis eſt Romana;) & hoc, etiamſi non exiſtat in loco beneficij. Colligitur ex *cap. conſuetud. de Cleric. non reſid. in 6.* vbi id expreſsè deciditur; patetque ex eo quod non eſt æquum, vt beneficiarius damnum reportet ex ſeruitio, quod præſtat propriæ Eccleſiæ; dico *propriæ* ſi enim abſentia Beneficiarij cedat in vtilitatem Eccleſiæ alienæ, ab hac peti debet ſtipendium, non à propria.

quæ ex eius abſentia nullum ſentit commodum. Quod tamen non videtur habere locum in caſu, quo abſentia beneficiarij ſit in euidentem vtilitatem Eccleſiæ vniuerſalis: cum ſic abſentia abſolutè cenſeatur eſſe in euidentem propriæ Eccleſiæ vtilitatem, quatenus vtilitas communis eſt propria vniuſcuiuſque: quo modo in dicto *cap. conſuetudinem* abſolutè dicitur in euidentem Eccleſiæ vtilitatem abſque vlla limitatione.

156 Dixi, *& hoc, etiamſi non exiſtat in loco beneficij*; quamuis enim DD. communiter apud *Couar. 3. var. cap. 13. numer.* 8. v. octauo aſſerant ad lucrandas diſtributiones in propoſito caſu requiri, vt beneficiarius exiſtat in eodem loco beneficij, ducti ex eo, quod in *cap. cum non deceat de elect. in 6.* Clerici accedentis ad Sedem Apoſtolicam pro negotijs ſuarum Eccleſiarum cenſentur vtilitatem earum proſequi, adeoque poſſe recipere fructus, & alia emolumenta, quæ ibi obtinerent, ſi perſonaliter reſiderent (exceptis tamen diſtributionibus quotidianis:) cum alioqui in *cap. conſuetudinem de Cleric. non reſid.* diſtributiones concedantur abſenti ob euidentem Eccleſiæ vtilitatem; vnde, ne hi textus ſint inter ſe contrarij, dicendum videtur *cap.* quidem, *cum non deceat* loqui de abſente à loco beneficij, *cap.* verò *conſuetudinem* loqui de reſidente in loco beneficij; quamuis, inquam DD. communiter id aſſerant; probabiliùs tamen exiſtimo ad lucrandas diſtributiones non requiri, vt beneficiarius exiſtat in loco beneficij, quandocumque abſentia ab eo cedit in vtilitatem euidentem Eccleſiæ; moueor, quod vtilitas propriæ Eccleſiæ non raro hanc abſentiam requirit, adeoque, cum *cap. conſuetudinem* nullam apponat limitationem, non debet priuilegium in eo contentum limitari, vt putant aduerſarij; prǽterquam quod *caput cum non deceat* contra nos allegatum, & *caput conſuetudinem* explicari poſſunt, quod illud loquatur de caſu illo ſpeciali abſentiæ ob inſtructionem electionis, in quo abſens lucratur fructus præbendæ, exceptis diſtributionibus: *caput* verò *conſuetudinem* generaliter loquatur de quouis alio caſu cedente in vtilitatem propriæ Eccleſiæ: ita vt *cap. non deceat* aliquo modo limitet generalem conceſſionem *capitis conſuetudinem*, vt notauit *Caſtr. Pal. vbi ſup.* §. 3. *numer.* 2. hinc inſerens multa corollaria ad rem præſentem ſpectantia, quæ videri poſſunt penes ipſum.

Difficultas eſſe poſſet, an debeantur fructus, ac diſtributiones Beneficiario occupato in negotijs concernentibus euidentem Eccleſiæ vtilitatem, ſi is ea rectè poſſit expedire extra tempus diuini Officij, & tamen expediat tempore diuinorum officiorum.

157 ℞. Deberi; & probatur, tum quia beneficiarius re vera tempore diuinorum officiorum eſt occupatus in euidenti vtilitate Eccleſiæ, ac proinde ei debentur diſtributiones iuxta priuilegium contentum in *cap. vnico*: quod priuilegium eſſet ſine dubio nullum, aut minimum, ſi occupati in euidenti vtilitate Eccleſiæ tenerentur præuenire, aut poſtponere, vt poſſent ſe ſeruare indemnes: quin potiùs præ ceteris grauarentur, vtpote, qui, alijs vacantibus, tenerentur laborare in vtilitatem Eccleſiæ, & prǽterea choro aſſiſtere, æque ac alij. ita *Bonac. ſup. q. 5. p. 3. n. 16.* alijque contra *Monetam p. 2. de diſtribut. q. 5. n. 43.* & alios oppoſitum ſuſtinentes.

Dices, quid ſi Beneficiario commiſſa ſint negotia Eccleſiæ expedienda tempore matutino, & is tunc propria expediat, negotia Eccleſiæ veſpere expediturus; lucrabitur ne iſte diſtributiones correſpondentes tempori matutino? an correſpondentes veſpere? an nullas?

158 ℞. Eum lucraturum diſtributiones correſpondentes tempori, in quo Eccleſiæ negotia expedit; cum enim ei permiſſum fuerit abeſſe à Choro, & diſtributiones matutinales acquirere ob expeditionem negotiorum Eccleſiæ, & reuera tempore diuinorum Officiorum illa negotia expediat (vt ſuppono) vtique legitimam habet cauſam non intereſſendi aliquibus Officijs diuinis, adeoque poteſt acquirere diſtributiones illis correſpondentes; correſpondentes inquam tempori, in quo expedit Eccleſiæ negotia: cum tunc verum ſit ipſum in vtilitatem Eccleſiæ fuiſſe occupatum. ita *Caſtr. Pal. ſup. n. 15.* contrà *Bonacinam n. 21.* à nobis diſſentientem.

QVÆRES X. An Regulares præbendati abſentes à loco beneficij per 3. menſes diſtributiones recipere poſſint ex indulto *Concilij Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de reform.*

159 ℞. Quod, cum in *cap. vn.* ſæpè citato caueatur diſtributiones quotidianas non acquiri ab abſentibus, niſi interueniente infirmitate, neceſſitate corporali, aut euidenti vtilitate Eccleſiæ: dicendum eſt hoc priuilegium iure communi non extendi, niſi ad fructus beneficij, non item ad diſtributiones quotidianas lucrandas, prǽterquam in caſu, quo præbenda eſſet talis, vt nullos daret fructus, niſi quotidianas diſtributiones: tunc enim, cum diſtributiones imitentur naturam fructuum, poſſet præbendatus vi dicti priuilegij lucrari diſtributiones; ne aliàs priuilegium dicatur omninò inutile (quod tamen negat *Garc. de benef. p. 3. cap. 2. num. 252.*) ita *Caſtrus Pal. ſup. par. 9.* §. 10. *nu.* 5. *&* 6. *Barboſa de off. epiſc. allegat.* 53. *numer.* 124. alijque apud ipſos: inter quos notat *Caſtrus Pal.* §. 10. *n.* 10. ad hoc vt Canonici poſſint frui hoc priuilegio, ſolum requiri, quod teneantur per integrum annum diuinis intereſſe, & poſſint diſtributiones lucrari: quippe Concilium concedit priuilegium hoc Eccleſijs, quæ integro anno reſidentiam petunt, ſeu obligant reſidere integro anno. Vnde fit, vt, ſi Canonicus Canonicatus poſſeſſionem capiat in medio anni, pro illo anno non poſſit vacare tribus menſibus, ſed ſolum per vnum menſem cum dimidio: vtpote qui ſolum per medietatem anni fuit obligatus reſidere;

Ooo ſicque

ſicque ſolum debet frui medietate priuilegij conceſſi, obligatis reſidere toto anno: nam priuilegij vſus debet computari pro rata temporis obligationis, vt notat *Bonacina quæſt. 5. p. 4. numero 9.* monens ad fruendum dicto priuilegio non ſufficere, quod Canonicus vno anno poſſideat Canonicatum, ſed peti, vt per annum ſit admiſsus ad participationem diſtributionum quotidianarum; cum tale priuilegium concedatur ijs tantum, qui aſſiſtendo eo tempore diſtributiones perciperent. Immò addit *Caſtrus Palaus* cum *Bonacina* beneficiarium, qui non reſidet toto anno, aut maiori parte anni ſine cauſa, non ideo ipſo iure præfato priuilegio priuari; quippe quod non datur reſidentibus actu, ſed obligatis reſidere: alias præbendatus eo frui non poſſet, quo vſque reſideret per 9. menſes; quod non eſt ita; cum in quolibet parte anni excipi poſſint 3. menſes vacationis, niſi aliter ſtatuant epiſcopi, aut alioqui cultus diuinus notabiliter patiatur. Quo pacto *Zerola in praxi p. 1. v. priuatio* obſeruat Canonicos ex decreto Sacræ Congregationis non debere abeſſe tempore Paſchatis, & maximarum ſolemnitatum; idque procurandum eſſe ab Ordinario, non tamen ex obligatione ſtricta.

Quod ſi quæras, qualiter computari debeant 3. menſes Vacationis præſentis.

160 ℞. Debere computari, non quidem ex horis, quibus Canonici reſidentes abſint à choro, ſed ex diebus reſidentiæ, ac ſeruitij, ſiue continuis, ſiue interpellatis, ita vt faciant 90. dies: tot enim dies continentur in 3. menſibus abſolutè prolatis; vt in caſu præſenti, in quo datur priuilegium abſentiæ tres menſium abſque vlla determinatione. ita *Caſtrus Palaus numero 9. ex Garcia, Barboſa*, & alijs: inter quos *Garcias numero 313.* notat ad abſentiam 3. menſium, quæ non petit aliam ſpecialem cauſam, niſi leuamen ab obligatione reſidentiæ, non requiri facultatem Ordinarij; quamuis, ſi is videat ob multitudinem abſentium diminui cultum diuinum, poſſit cogere, ne abſint iuxta *capit. cum ad hoc de Cleric. non reſid.* probabile enim non eſt Papam velle concedere priuilegium hoc cum notabili diminutione diuini cultus.

Vrgentior difficultas eſt, an Beneficiarius toto anno aſſuetus non aſſiſtere choro, frui poſſit hoc priuilegio.

161 ℞. Quod, licèt is non mereatur tale priuilegium conceſſum ad requiem, ac leuamen reſidentium: tamen videtur eo poſſe frui. Ducor, quod priuilegium illud conceſſum eſt in fauorem communem totius Capituli: lex autem facta in bonum commune non ceſſat, ceſſante fine in aliquo particulari; vt patet in lege ieiunij, & tradunt Doctores cum *Soto l. 4. de iuſt. q. 5. art. 3.* fine: cum alioqui hic ceſſet finis non in communi, ſed in aliquo particulari. Præterquam quod nec in hoc particulari ceſſat omninò finis; cum finis horum dierum vacationis ſit non ſolum ad requiem Capitularium, ſed etiam, ne ſint adeò alligati, ac conſtricti, vt non poſſint abeſſe vel vno temporis puncto, quin mulctentur, & ſoluere cogantur. ita *Sanchez libro 2. conſil. cap. 2. d. 104.* cum alijs viris doctis ab eo conſultis addens *dict. 103.* quod, cum dicti tres menſes abſolutè concedantur, vt præbendati toto anno aſſiſtentes horis aliquam requiem ſentiant, & æquum ſit talem requiem concedere: parum referr, quod ij malè expendant illos menſes, & vanè: quod eſt contra *Nauarrum* relatum à *Sanchez* docentem eos, qui principaliter accipiunt illos tres menſes ad ludos, & alias res vanas, peccare & teneri reſtituere diſtributiones, ſeu fructus.

Vtrum autem induci poſſit conſuetudo, vt Vacatio hæc extendatur vltra 3. menſes, & Beneficiarij abſentes tempore permiſſo recipere poſſint non ſolum fructus beneficiorum, ſed etiam quotidianas diſtributiones.

162 ℞. Poſſe, non obſtante quod in *Concilio Trident. loco citato* dicatur, *non liceat vigore cuiuslibet Statuti, aut conſuetudinis*: & probatur, quia ſuprà dicta fieri licitè poſſunt ex priuilegio; quidquid autem licitum eſſe poteſt ex priuilegio, poteſt eſſe licitum etiam ex conſuetudine legitimè inducta, id eſt ex cauſa honeſta, ac rationabili cum reliquis conditionibus ad præſcriptionem requiſitis: qualis regulariter præſumi poteſt conſuetudo, quæ obſeruatur, Prælatis videntibus, & non contradicentibus. ita *Caſtrus Palaus ſupra §. 12. numero 2.* ex *Couarruuia, Garcia, Riccio, Vaſquez, Bonacina, & Marigno* monens *Concilium Tridentinum loco citato* non excludere, niſi conſuetudinem antecedentem ipſi Concilio, & ſine cauſa rationabili inductam, non autem conſuetudinem inductam poſt ipſum Concilium, quo modo item debet intelligi ea declaratio Sacræ Congregationis, quam adducit *Garcias numero 248.* quod ſcilicet Canonici non poſſint vi cuiuſuis conſuetudinis immemorabilis frui quotidianis diſtributionibus illis tribus menſibus, quibus à Concilio permittuntur abeſſe: loquitur enim Sacra Congregatio ſolum de conſuetudine antecedente Concilio, non item de quadragenaria inducta poſt ipſum Concilium, & ex cauſa iuſta.

Illud præterea hic controuerti poteſt, an Beneficiarius, qui verbi gratia anno 1645. abfuit à reſidentia per trimeſtre conceſſum in *Concilio Tridentino*, nimirum menſe Octobris, Nouembris, ac Decembris; vigore dicti Concilij poſſit anno 1646. item abeſſe toto Ianuario, Februario, & Martio ad rationem trimeſtris abſentiæ poſterioris huius anni, ita vt abſit à reſidentia 6. menſibus continuatis: idque ad expediendum negotium inchoatum in trimeſtri anni 1645.

℞. Videri poſſe abeſſe totis ſex illis menſibus continuatis: & probatur tum quia *Conc. Trid.* con-

concedit, vt beneficiarius quoliber anno per tres menſes abeſſe poſſit à reſidentia; nec vetat immediatam continuationem trimeſtris anni præcedentis cum trimeſtri anni ſequentis: non ergo apparet, cur in præſenti caſu abſentia trimeſtris ſequentis non poſſit continuari cum abſentia trimeſtris præcedentis: cum lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi: & vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus: tum quia *Sanch. l.8. de matr. D. 34. n. 36. fine* admirrit diſpenſatum à Sacra Pęnitentiaria cum onere confeſſionis menſtruæ in perpetuum faciendæ ſatisfacere, & ſi ab vltima confeſſione pluſquam menſis elabatur; vt ſi præcedens confeſſio ſir ſacta die 1. Nouembris, ſatisfaciet aliam confeſſionem faciendo vltima die Decembris: cum præſcribatur confeſſio ſingulis menſibus, & in præſenti caſu verificetur confeſſionē factam fuiſſe quolibet menſe, quacumque die dictorum menſium ſit facta: quæ doctrina benè poteſt adaptari præſenti caſui, cum *Concilium* dicat *quolibet anno*, & aliàs cuilibet anno coreſpondear vnicum tantùm trimeſtre abſentiæ. ſic ego reſpondi in facti contingentia, & reſponſionem approbarunt viri valdè docti.

Puto autem hos tres menſes abſentiæ debere computari 28. aut 30. aut 31. dierum, pro vt ij in Kalendario occurrerint eo tempore, quo Beneficiarius vult abeſſe, & quod ex eo menſe deficit, accipiendum eſſe de ſequenti v. g. incipit Beneficiarius abeſſe à die 10. Iulij. poterir abeſſe roto Iulio, Auguſto, Seprembri, & prærerea primis 10. diebus Octobris ſubſtitutis loco 10. dierum, qui deerant menſi Iulio (& quidem non computatis terminis iuxta illud, *dies termini non computantur in termino*) idque ob doctrinam in ſimili datam *à Sanch. l. 2. de matrim. D. 24. num. 15.*

QVÆRES XI. An Regulares præbendati poſſint percipere diſtributiones, ſi abſint à choro, eo quod tunc aſſiſtant Capitulo.

163 ℞. Regulariter non poſſe: cum hæc aſſiſtentia non cedat in vtilitatem eccleſiæ, ſed potius in damnum, quatenus per eam diminuitur diuinus cultus, ac intereſſentia chori: quamquam aliàs dari poſſit caſus extraordinarius, ac eccleſiæ admodum vtilis, qui nequit præueniri, aut poſtponi ad horas: & tunc ſicut aſſiſtentia in Capitulo eſſet in vtilitatem proprię eccleſię; ita par eſt, vt aſſiſtens fruatur priuilegio concedente diſtributiones abſentibus in vtilitatem euidentem eccleſię. ita *Caſtrus Palaus ſupra* §. 4. *numer.* 5. paretque ex dictis, & ex multis declarationibus Sacræ Congregationis, pręſertim ex deciſione Clementis VIII. relata à *Garcia vbi ſupra numer.* 557. Capitula non poſſunt celebrari, quo tempore diuina Officia, pręcipue Miſſa maior celebrantur, niſi fortè in aliquo caſu neceſſitatis valdè vrgente, qui tamen raro euenire poteſt: vnde, ſi eo tempore celebretur Capitulum extra caſum neceſſitatis, & prębendati illi aſſiſtant, non recipient diſtributiones, vt pote qui tunc non ſunt ſufficienter excuſati ab aſſiſtentia chori.

QVÆRES XII. An Regulares prębendati recipere poſſint diſtributiones, ſi tempore diuinorum Officiorum in ſeruitium proprię eccleſię celebrent Miſſas, aut etiam adiuuent Pęnitentiarium in audiendis confeſſionibus in eadem eccleſia.

164 ℞. Poſſe, ſi adſit conſuetudo: quę vtique induci poteſt, & quidem ſatis rationabiliter, tam quo ad Miſſas tunc temporis dicendas ſiue ex mandato Superioris, ſiue ex propria deuotione (cum hoc ipſum cedat in ſpecialem honorem, ac ſplendorem Eccleſię, cui maior populi concurſus fit ob commoditatem Miſſarum) quam quo ad confeſſiones audiendas: cum etiam quo adhoc militet ratio modò allata, & alioqui eccleſia non fraudetur debito ſeruitio, vt ſuppono; hoc enim ſemper prę oculis habendum eſt, nec vlla conſuetudo tali ſeruitio derogans vllo modo permitti debet. Dixi, *ſi adſit conſuetudo*: quia hac ſecluſa, diſtributiones non acquiruntur à ſupra dictis prębendatis ob pręfatas occupationes choro non aſſiſtentibus. ita *Bonac. ſupra q. 5. p. 3. ſ. 4. num. 1. Garc. ſupra num.* 401. & cum illis *Caſtrus Palaus ſupra* §. 12. *numer.* 6. 7. alijque penes ipſos; & patet tum ex dictis; tum quia ſecluſa conſuetudine Beneficiarius tempore diuinorum Officiorum celebrans, aut audiens confeſſiones non aſſiſtit re vera diuinis Officijs, neque abeſt in euidentem vtilitatem ſuę eccleſię, adeoque non adeſt ratio, cur percipiat diſtributiones: tum quia ita in terminis ſtatuit ſacra Congregatio teſte *Bonacina ſupra numer.* 4. nimirum quod Canonici, qui extra chorum celebrant in eadem Eccleſia, etiam ex cauſa deuotionis, non cenſeantur pręſentes: ſi autem celebrent iuſſu Superioris habeantur pro pręſentibus: quę declaratio, licèt expreſsè loquatur de Canonicis celebrantibus tempore diuinorum Officiorum, locum tamen habet proportionaliter etiam in Canonicis, qui tunc temporis occupantur in audiendis confeſſionibus intra propriam eccleſiam: cum ſit par ratio de vtriſque, ac proinde de vtriſque pari modo philoſophandum ſit iuxta regulam, *Vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio*; vnde fit, vt, ſicut iuxta hanc declarationem ſacrę Congregationis Canonici iuſſu Superioris celebrantes in propria eccleſia tempore diuinorum Officiorum lucrantur diſtributiones: ſic eas etiam lucrentur, ſi iuſſu Superioris in eadem Eccleſia eo tempore vacent confeſſionibus audiendis; pręſertim cum diſpoſitio ſit fauorabilis, & in bonum animarum, ideoque debeat ampliari; ſecùs, ſi eo tempore ſpontaneè audiant confeſſiones; tunc enim non acquirent diſtributiones, ſicut nec eas acquirunt eo tempore ibi ſpontaneè celebrando; ſic *Caſtrus Palaus* §. 5. *num.* 4.

QVÆRES XIII. An Regulares prębendati lucrentur diſtributiones, ſi pias obeant peregrinationes, ſiue ex deuotione, ſiue ex voto.

165 ℞. Cum diſtinctione; vel peregrinatio eſt voluntaria, ideſt ex deuotione; & ſic, ſecluſa conſuetudine, videtur certum eos non poſſe tunc acquirere diſtributiones; cum ſic neque aſſiſtant diuinis Officijs, nec ſint occupati in euidentem Eccleſiæ vti-

vtilitatem; idq; in terminis declarauerit ſacra Congregatio, teſte *Garc. ſup. n. 394.* vel peregrinatio eſt neceſſaria (v.g. ex voto) & ſic puto non improbabile eos poſſe lucrari diſtributiones toto tempore abſentiæ, ducor ex eo quod in *cap. vnic. de Cleric. non reſid. in 6.* dicuntur lucrari diſtributiones quotidianas ij, qui non aſſi ſunt propter aliquam corporalem neceſſitatem, ſeu aliquod iuſtum impedimentum (ſi quidem ibi nomine corporalis neceſſitatis intelligitur omne iuſtum impedimentum, vt diximus q. 8. & docent *Franc. dicto cap vn. §. qui verò n. 1. & Dominic. eodem §. Nau. l. 2. de reſt. c. 2. n. 201. Anchar.* alijque apud *Sanch. l. 2. conſil. c. 2. d. 92. n. 1.*) iuſtum autem impedimentum videtur habere Beneficiarius quo ad aſſiſtendum Choro, hoc ipsò quod habet neceſſitatem peregrinandi ex voto; vtpote qui ſtrictè vrgetur ad implendam promiſſionem Deo factam; quamquam aliquis dicere poſſet iſtum poſſe conſulere huic neceſſitati petendo commutationem voti, ſicque ſe eximendo ab obligatione peregrinandi; cum obligatio aſſiſtendi Choro, qua aliàs adſtringitur, iuſtam, ac ſufficientem præbeat cauſam faciendi talem commutationem; quod, licèt ego non negem, non puto tamen eſſe intentum ab Eccleſia, quæ, cum ſit piiſſima Mater, præſumi poteſt concedere Beneficiario facultatem peragendi peregrinationem debitam ex voto tam ſtrictè obligante, eique condonare diſtributiones, vtpote abſenti ex cauſa adeo iuſta, ac rationabili. ita ego ſentio, & alij docti viri à me conſulti, non enim reperi caſum in terminis apud Doctores.

166 Hoc autem ſi concedatur (vti re vera videtur concedendum:) tunc Beneficiario peregrinanti concedi poſſunt duo, vel tres dies, tum ante diſceſſum pro itineris præparatione (ſi quidem, dum quis ſe ad viam præparat, dicitur eſſe in illa iuxta *l. qui mittuntur §. ſimiliter, ff. ex quibus cauſis maior*) tum poſt reditum ad quieſcendum ex itinere, ad componendas ſarcinulas, ac recuperandas vires; cum pro eo tempore cenſeatur abſens iuxta *l. ab hoſtibus § vlt ff. ex quibus cauſis maior.* ita *Caſtr. Pal. p. 9. §. 12. n. 10.* in caſu ſimili, alijque apud ipſum, & non improbabiliter: niſi fortè adſit conſuetudo in contrarium: nam tunc arbitrio prudentis viri penſandum eſſet, quot dies abſentiæ deberent concedi tam profecturo, quam redeunti, habita ratione tẽporis, perſonæ, peregrinationis, &c. quod verò attinet ad tempus conſumendum in peregrinatione, illud vnum certò dici poteſt hac in re apponendam eſſe illã diligentiã, quã quilibet vir bonus, ac timoratus in ſimilibus haberet: aliàs, ſi peregrinatio nimis produceretur, non eſſet peregrinans tutus in conſcientia, neque ei diſtributiones deberentur, eò quod non ratio peregrinationis, ſed remiſſio, ac ſocordia peregrinantis eſſet cauſa longioris abſentiæ, ſicut notauit *Caſtr. Pal. ſup. p. 9. §. 3. n. 16.*

QVÆRES XIV. An, & quo modo Regulares præbendati poſſint fructus, ac diſtributiones recipere ſi abſint à Choro ex eo, quod occupentur in docendo, aut ſtudendo.

167 ℞. Poſſe recipere, nõ quidẽ diſtributiones quotidianas, ſed fructus annuos prębendæ; modo doceant, aut ſtudeant in aliquo ſtudio generali, ſeu celebri Vniuerſitate ad hunc effectum erecta à Papa, Rege, aut alio Principe ſupremo: idque ex *c. 2. de priuil. in 6. & c. tua de Cler. non reſid.* doceant, inquã, Theologiã aut Ius canonicũ (imò & Grammaticã ex *c. quia nonnullis de Magiſtris*:) & quidem ex licentia Vniuerſitatis, ſeu Collegij Doctorũ, etiamſi ſine ſtipendio, & cathedra legant (quãuis *c. fin. de magiſtris* ſolum requiratur, vt publicè legant; ſtudeant verò Iuri canonico, ſeu Theologiæ maiori parte anni cõmorantes in Vniuerſitate, ibiq; diligenter ſtudẽtes: idq; de licentia Ordinarij, cũ id expreſsè requiratur in Bulla Pij V. quæ incipit *Ad aures* edita 24. *Nou.* 1564. imo & in Conc. Trid. *ſeſſ. 23. c. 1. de refor.* (ꝙ ſpectat ad Parochos:) quidquid ſit de iure antiquo. ita *Bonac. ſup. p. 3. §. 9. Barb. de pot. Epiſc. alleg. 56. n. 20. Caſtr. Pal. ſup. §. 9.* & alij qui benè notant quod, licèt in *c. fin. de magiſtris* ſit ſermo ſolum de Theologia, nihilominus, cũ Eccleſiæ æq; proſit canonicũ, de eo idem intelligendum eſt; adduntq; probabile eſſe Beneficiarium dantẽ operam Iuri ciuili lucrari fructus (niſi fortè ſit Sacerdos, Archidiaconus, Decanus, Præpoſitus, Cantor, vel perſonatum habens: his enim ſub pæna excommunicationis eſt prohibitum ſtudium medicinæ, & Iuris ciuilis *c. fin. ne Cler. vel mon.*) id colligentes ex *c. tua fraternit. de cler. non reſid.* in quo nulla apponitur limitatio.

168 Dixi Beneficiarios modo ſupradicto docentes, aut ſtudentes lucrari fructus, non autem diſtributiones: quia id habetur expreſsè in *cap. licet de præbendis*, alijſque pluribus declarationibus à *Garc.* relatis *ſup. nu. 113.* Quamquam, ſi præbenda conſtet ſolum ex diſtributionibus quotidianis probabile ſit abſentem ratione ſtudij eas acquirere: idque tum ob rationes adductas q. 10. tum ob declarationem Sacræ Congregat. hac de re editam teſte *Quar. in bull. v. reſidentia §. additio.*

169 Quod autem ſpectat ad tempus conceſſum à iure ſtudentibus; putant aliqui DD. cum *Garc. ſup. n. 101.* limitandum eſſe ad quinquennium à die, quo incipiunt ſtudere, nec vltrà eſſe extendendum ex *c. fin. de magiſtr.* alij verò cum *Zerola p. 2. v. ſtudium §. 3.* concedunt ſeptennium, & probabiliter; cum in *cap. cum ex eo de elect. in 6.* (quod poſterius eſt) concedatur ſeptennium; conciliantque hos duos textus inter ſe contrarios, ꝙ *c. fin. de magiſt.* concedens quinquennium loquatur de ſtudentibus Ius canonico, *c. verò cum ex eo*, de ſtudentibus Theologiæ: quippe qui ſolent per 3. annos vacare Philoſophiæ, & per 4. Theologiæ; quamquam dici poſſit (& fortè meliùs) *cap. cum ex eo*, cum ſit poſterius, derogaſſe *capiti finali de magiſtris*, quod eſt prius: maximè cum etiam ij, qui ſtudent Iuri canonico ſoleant prius vacare ſtudio Logicæ, imò & totius Philoſophiæ, & quidem cum magna vtilitate.

170 Certè, quod ſpectat ad docentes, nullum tempus in iure eſt limitatum, adeoq; pro toto illo tempore, quo occupantur in docendo modo ſupradicto, fructus percipiunt in abſentia, iuxta *cap fin. de magiſt. & C. Trid. ſeſſ. 5. c. 1.* ita *Caſtr. Pal. ſup. num. 11.* addens *n. 12.* licentiam ſtudendi ſemel conceſſam ab ordinario non poſſe reuocari, niſi ex rationabili, & iuſta cauſa, eaque manifeſta, vt tradit Gloſſ. *cap. cum ex eo de elect. in 6. v. ſeptennium.*

An

An verò poſt C. Trid. obtinens Eccleſiam parochialem ex cauſa ſtudij abeſſe poſſit à propria Eccleſia, & nihilominus lucrari fructus.

171 ℞. Quod, licèt plures DD. cum *Garc. ſup n. 82.* & *Barboſa de Offic. epiſc. alleg. 56. nu. 30.* probabiliter putent Parochum non poſſe in propoſito caſu lucrari fructus; id ſibi ſuadentes ex quadam declaratione ſacræ Congregationis id expreſsè ſtatuentis, & ex decreto *C. Trid. ſeſſ. 23. c. 1. de reform.* vbi non permittitur Epiſcopo dare licentiam Parochis, vt à propria parœcia abſint vltra bimeſtre, niſi ex cauſa graui; cum tamen ſacra Congregatio ipſius Concilij non reputauerit cauſam grauem ſtudium reſpectu Parochi, teſte *Caſtro Palao ſup. num. 8.*; probabile tamen eſt Ordinarium, etiam in præſentia, poſſe Parocho volenti ſtudere dare hanc facultatem. patet tum ex authoritate Doctorum, quos magno numero congerit. *Caſtr. Pal. nu. 9.* tum quia re vera *C. Trid. ſeſſ. 1. c. 1. de reform.* non reuocauit priuilegium conceſſum in *c. fin. de magiſt.* & *c. cum ex eo de elect. in 6.* vt conſtat ex ijs verbis: *Docentes verò ipſam ſacram Scripturam* (adde tu, & Ius canonicum) *dum publicè in ſcholis docuerint, & Scholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, priuilegijs omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum ſuorum in abſentia à iure communi conceſſis, plenè gaudeant, & fruantur*: ſed omninò illud firmauit, adeoque non eſt ratio, cur Ordinarijs denegemus talem facultatem; tum quia declarationes ſacræ Congregat., quæ in contrarium producuntur, vel non ſunt authenticæ, vel non faciunt legem vniuerſaliter obligantem, & ſi aliàs ſint magnæ auctoritatis) vel loquuntur de licentijs petitis in curia Romana à Pœnitentiario, non autem de licentijs petitis ab Ordinario. ita *Caſtr. Pal. ſup. n. 9.* qui putat hanc opinionem eſſe probabilem; licèt dicat appoſitam in iudicando, & conſulendo ſeruandam eſſe.

QVÆRES XV. An Regulares præbendari poſſint recipere diſtributiones, ſi p alios aſſiſtãt choro.

172 ℞. Non poſſe, cum aſſiſtentia chori ſufficiens ad lucrandas diſtributiones debeat eſſe perſonalis ex cap. *vn. de Cler. non reſid. in 6.* & *C. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* poſſe tamen induci legitimam conſuetudinem in contrarium: vt patet, tum quia obligatio aſſiſtendi perſonaliter eſt ex iure poſitiuo, quod poteſt abrogari per legitimam conſuetudinem iuxta *cap. fin. de conſuetud.*; tum quia priuilegio concedi poteſt, vt Choro ſatisfiat, inſeruiendo per alium (vt videre eſt in Coadiutorijs, quæ quotidiè conceduntur) quidquid autem conceditur priuilegio, regulariter poteſt etiam obtineri conſuetudine vim priuilegij habente; tum quia ſic nullum damnum infertur Eccleſiæ, cum non priuetur debito miniſtro: tum denique; quia *cap. vn. de Cler. non reſid. in 6.* & *C. Trid. ſup.* oppoſitum ſtatuentia, quacumque conſuetudine in contrarium reprobata excludunt ſolum cõſuetudines inductas ante Concilium, non item quæ poſt. ita *Bonac. ſup. q. 5. p. 6. num. 17. ex Azor. Ber. Moneta, & Macigno.*

QVÆRES XVI. An Regulares præbendati lucrentur & fructus præbendæ, & diſtributiones quotidianas, ſi abſint à Choro, eò quod ab Epiſcopo ſint conſtituti Viſitatores hoſpitalium, & Eccleſiarum Diœceſis, Vicarij foranei, Adminiſtratores locorum, ac Examinatores Synodales.

173 ℞. Lucrari quidem fructus præbendæ (cum habeant legitimam cauſam abſentiæ) non tamen lucrari diſtributiones, niſi priuilegio Papæ, conſuetudine legitimè præſcripta, aut ſtatuto à Papa confirmato eis concedantur: cum ij verè non ſint occupati in ſeruitio propriæ Eccleſiæ, ſed Epiſcopi, vel Eccleſiæ in communi: quod non ſufficit ad lucrandas diſtributiones, vt iam dictum eſt. ita *Bonac. ſup. p. 3. §. 8. num. 1. ex Garcia.*

QVÆRES XVII. An Regularis factus Canonicus Pœnitentiarius etiam abſens à Choro lucretur fructus, & diſtributiones.

174 ℞. Lucrari, ſi tunc in propria Eccleſia aſſiſtat paratus confeſſiones audire, ibi pœnitentes expectet, aut cum ijs loquatur de rebus ad confeſſionem pertinentibus ita *Bonac. p. 3. §. 5. n. 1.* & alij, patetque ex *C. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. de reform.* ſtatuente, vt Pœnitentiarius audiens confeſſiones in Eccleſia cenſeatur præſens in Choro, adeoque diſtributiones debitas intereſſentibus choro lucrari poſſit; & quidem meritò, cum ſic Pœnitentiarius vtilitati Eccleſiæ prouideat exequens onera ſui officij, idque cedat in ſpecialem decorem, ac honorem ipſius Eccleſiæ: ſiue actu audiat confeſſiones, ſiue diſponat pœnitentes ad confeſſiones, ſiue conſilia præbeat circa confeſſiones iam auditas: hæc enim omnia ſpectant ad munus Confeſſarij, ac proinde, moraliter loquendo, dici poteſt occupatus in confeſſionibus audiendis, qui in ſup. dictis rebus occupatur: quod confirmatur ex declaratione Sacræ Congregat. relata à *Barboſ. ſup. alleg. 55. nu. 28.* in qua mandatur Pœnitentiario aſſiſtere in ſede confeſſionali, ne pœnitentes eum perquirere cogantur, & ob verecundiam huius inquiſitionis confeſſiones omittant. Verum tamen eſt, Pœnitentiarium non excuſari ab aſſiſtentia horarum ob confeſſiones auditas extra tempus horarũ; cum verè tunc temporis non ſit occupatus in vtilitatem propriæ Eccleſiæ, ſed fuerit, & aliàs hac in re non admittatur compenſatio, vt iam dicam. Colligitur ex *Caſt. Pal. ſup p. 9. §. 3. nu. 16.* qui benè monet §. 5. *nu. 3.* ſubrogatum loco Pœnitentiarij ſiue abſentis, ſiue defuncti eodem modo haberi tamquã choro præſentem, ac lucrari diſtributiones, ſi tempore diuinorum Officiorum vacet confeſſionibus audiendis: ſi quidem ſubrogatus ſapit naturam illius, in cuius locum ſubrogatur cum omnibus ſuis qualitatibus primordialibus, & accidentalibus *l. ſi cum §. minorarum ff. ſi quis cautionibus.*

QVÆRES XVIII. An, & quando Regularis obtinens præbendam theologalem percipere poſſit diſtributiones, etiamſi abſit à Choro.

175 ℞. Poſſe, quotieſcumq; concionatur, aut legit in propria Eccleſia: idq; ex *c. vn. de cler non reſid. in 6.*; & quidem non ſolum pro hora, in qua cõcionatur, aut legit, ſed pro tota ea die; vt pote qui exercet actionem magis laborioſam, quam alij præbẽdati, & quæ ſpecialem requirit præparationem; quod, teſte *Garc. ſup. n. 119.* cõceſſit Greg. XIII. & declarauit S. Cong. referente *Moneta p. 2. de diſtribut. q. 11. n. 75.* & *Bonac. ſup. p. 3. §. 6. n. 2.* qui tñ monet ex alia declarat. euiſdẽ S. Cong. ſup. dictã conceſ. Greg. XIII. non extẽdi ad

Matutinũ diei ſequẽtis,quod alicubi ex recepta cõſuetudine dici ſolet in veſp.diei antecedẽtis;quippe quod non eſt hora illius diei, quo concionatur, aut legit, ſed diei ſequentis; quamquam in aliquibus Eccleſijs extet conſuetudo, ſeu ſtatutum, quod obtinens præbendam theologalem, quotieſcumque prædicaturus eſt in propria Eccleſia, habeatur pro præſenti, ac intereſſente in omnibus horis, ac officijs per 8. dies ante, vt ſic abſque graui defatigatione munus ſuum pro dignitate exercere poſſit; quæ tamen ait *Garc.ſup.num.* 123. difficilè ſuſtineri poſſe; putatq; *Caſtr.Pal.ſup.* §.6.*nu.*2. extendi poſſe ad lucrandos fructus præbendæ, non autem ad quotidianas diſtributiones, niſi fortè tota præbenda in ijs conſiſteret iuxta dicta *q.*10.

Dubium grauius eſt, an obtinens præbendam Theologalem, ſicubi ei concedantur 6. dies præcedentes concionem, aut poſſit abeſſe, & tamen lucretur diſtributiones; an, inquam, ſi illis diebus aſſiſtat Choro, poſſit alijs diebus poſteà abeſſe, & nihilominus lucrari diſtributiones talibus diebus reſpondentes.

176 ℞. *Sanch.l.2.conſil.c.2.d.* 107.*num.*1. non poſſe: cum indulgentia illa vacandi à Choro ſit alligata illis diebus antecedentibus concionem, adeoq; transferri non poſſit ad alios dies; quo modo habens priuilegium non audiendi Miſſam primis 4. diebus feſtis, non poteſt commutare eos in alios 4. dies feſtos ſubſequentes, idque ob rationem allatam.

An autem Canonicus Theologus in caſu, quo alterum ſubſtituat ad faciendas lectiones, ad quas ipſe tenetur ratione præbendæ, nihilominus poſſit Theologus vacare à choro ea die, qua poſſet, ſi ipſe lectiones illas faceret.

177 ℞. Videri nõ poſſe; cum ſic ceſſet finis, ob quem conceditur Theologo vacantia à Choro: & aliàs hæc conceſſio ſtrictè interpretari debeat, vt pote oneroſa alijs Canonicis, quibus alioqui diſtributiones accreſcerent: & hoc puto procedere, & ſi Theologus illi alij Canonico ex ſuæ præbendæ fructibus ſoluat ſtipendium lectionum: cum adhuc militent rationes allatæ, & ſoluendo ſtipendium faciat id, quod debet.

Puto tamen Canonicum ſubſtitutum ad dictas lectiones faciendas poſſe frui priuilegio vacantiæ iuxta dicta *q. præcedenti* à *Caſtro Palao* de Canonico ſubſtituto loco Pœnitentiarij. quamuis poſſet quis exiſtimare oppoſitum dicendum eſſe ex eo quod conceſſio illa vacantiæ eſt odioſa iuxta modò dicta, & in nullo Auctore illorum, qui hunc punctum tractant de Canonico Theologo, extenſio iſtam reperitur: ex alia parte regula *Subrogatum ſapit naturã illius &c.* intelligi debet de primordialibus natura, non autem de accidentalibus: & fallit quo ad priuilegia perſonalia eius, in cuius locum ſubrogatur, vt aduertit *Nald.v.ſubrogatum nu.*2. quale priuilegium videtur eſſe conceſſio Vacantiæ facta Canonico Theologo: cum, teſte *Sanch.l.6.mor.c.*16.*nu.*19. priuilegium perſonale dicatur non ſolum, quod alicui perſonæ priuatæ conceditur, ſed etiam quod certo perſonarum generi; vt conſtat ex *l.quia tale*, iuncta *l.præcedenti ff ſolut. matrimonio.*

QVÆRES IX. An Regularis præbendatus recipere poſſit diſtributiones cõreſpondentes intereſſentiæ Veſperarum, aut Miſſæ maioris, ſi Choro non interſit, eò quod in eadem Eccleſia cantu organico cum alijs Cantoribus canat.

178 ℞. Secluſa conſuetudine in contrariũ, quæ alicubi viget, mihi videri ſatis rationabile, ac iuſtũ, quod poſſit: etiamſi alias habeat debitum ſtipendium ad hunc effectum. Ducor quod in *c. conſuetudinem de Cler.non reſid.in* 6. abſens à diuinis Officijs in euidentem Eccleſiæ propriæ vtilitatem lucratur diſtributiones, ac ſi eſſet præſens; in noſtro autem caſu præbendatus verè abeſt in euidentem vtilitatem Eccleſiæ: cum cedat in decorem, ac ſplendorem ipſius Eccleſiæ, vt diuina Officia cum magna ſolemnitate peragantur, & occaſione cantus organici magnus populi concurſus ad eam fiat nec obſtat, quod præbendatus habet aſſignatum ſtipendium pro munere canendi: ſi quidem adhuc verificatur eum abeſſe in euidentem Eccleſiæ vtilitatem; quod ſufficit ad acquirendas diſtributiones, etiam tempore abſentiæ: præter quam quod videtur etiã aliquo modo præſens, moraliter loquendo, eſto phyſicè, & materialiter ſit abſens.

QVÆRES XX. An Regulares præbendati abſentes à choro poſſint lucrari quotidianas diſtributiones, ſi alij Præbendati eas ipſis donent, remittant, aut tranſigant.

179 ℞. Poſſe, non quidem per remiſſionem ipſarum diſtributionum, ſed per donationem, quæ fiat ab alijs præbendatis, poſtquam eas poſſederint. Et certè, quod non poſſint illas lucrari per remiſſionem patet ex eo quod remiſſio in hac materia eſt illicita, vt pote prohibita in *C.Trid.ſeſſ.*24.*c.*12. *de refor.* imò & inualida, vt, teſte *Garc.ſup.num.*431. declarauit Sacra Congreg.Concilij his verbis: *Non licet Capitulo, aliquo prætextu diſtributiones donare, relinquere, aut quauis colluſione remittere alicui, qui vel à ſeruitio Eccleſiæ abfuerit, vel alio quouis modo diſtributiones legitimè debeat amittere. nec fas ſit cuipiam eas accipere, ſi acceperit, ſuas non faciat, ſed reſtituere cogatur illicò reſtituendas fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi.* e contra vero, quod præbendati in propoſito caſu poſſint lucrari diſtributiones per donationem, conſtat, quia quilibet eſt ſuorum bonorum moderator, & arbiter *l. in re mandata C. mandati*; quod tamen non haberet locum in caſu, quo donarent ante poſſeſſionem: cum ante poſſeſſionem non habeant, quod donent, niſi ius ad habendas diſtributiones, cuius donatio propriè eſt remiſſio ipſarum diſtributionum, quæ à Concilio vetatur: & hoc, etiamſi Capitulum ante diuiſionem diſtributionum mandaret donari præbendato, qui illas amiſit: nam Capitulum nõ eſt dominus talium bonorum, ſed adminiſtrator, ac proinde non poteſt ea diſpenſare, niſi iuxta ſacros Canones, qui cum eas ſolum concedant intereſſentibus Choro, eò ipsò excludunt indebitè abſentes; & ſi diſpenſet per modum diſtributionum, inualidè ea diſpenſat, vt patet. ita *Caſtr.Pal.ſup.*§.13. docens *num.*6. ex *Garc.Barb. Menoch & Bonacina* prohibitam eſſe non ſolum remiſſionem, quæ antecedat amiſſionem diſtributionum, ſed etiam eam, quæ illam ſubſequatur; cum *Concilium Trid.* excludat quamlibet remiſſionem, ſeu

collu-

colluſionem diſtributionum: quod eſt non excludere tantùm remiſſionem diſtributionum amittendarum, ſed etiam amiſſarum. Id tamen negant *Rod. Vega. Monet. Nald. Sandoual, & Bon.* apud ipſum *Caſtr. Pal.* (& non ſine probabilitate) ex eo quod præſatum decretum *Concilij Trid.* videtur nimis rigoroſum, vtpote priuans præbendatos poteſtate cedendi iuri proprio, & annullans actum aliàs validum; adeoque ſtrictè interpretandum; vt loquatur ſolum de remiſſione diſtributionum amittendarum, quæ obſtare poteſt diuino cultui, & præbet anſam non intereſſendi diuinis: quod non facit remiſſio diſtributionum iam amiſſarum; quæ ſupponit abſentiam iam ſecutam, non autem incitat ad illam, vt patet; quamquam negari poteſt ſupradictum decretum ſtrictè interpretandum eſſe: cum potius latè explicari debeat tanquam fauorabile Eccleſiæ, vtpote fouens diuinum cultum, & arcens præbendatos ab abſentia diuinorum officiorum.

180 Quod denique ſpectat ad Tranſactionem faciendam ſuper diſtributiones: certum videtur quemlibet prębendatum poſſe tranſigere, ſuper eas ſub dubio ſibi debitas: nullibi namque prohibita eſt talis tranſactio, imò vtilis eſt ad lites vitandas, & pacem ſeruandam; ſiue tranſactio fiat ſuper diſtributiones acquiſitas, ſiue ſuper acquirendas. dixi *ſub dubio ſibi debitas*: nam in diſtributionibus certò debitis non habet locum tranſactio, ſed amicabilis compoſitio, ſeu remiſſio, quæ ſi fiat à Capitulo, licita eſt: ſi verò fiat à Canonicis choro abſentibus, eſt prohibita ex *C. Trid. ſeſſ. 24. c. 12.* ita *Bonac. ſup. D. 2. q. 5. p. 7. n. 2.*

QVÆRES XXII. An Regulares præbendati, illegitimè abſentes à Choro priuentur diſtributionibus ante Iudicis ſententiam, ſi fortè illas iam receperunt.

181 ℞. Priuari; & probatur quia nemo poteſt retinere rem cuius dominium acquirere non poteſt, neque ſuam facere: at abſens illegitimè à Choro non poteſt acquirere dominium diſtributionum, neque ſuas facere (vt expreſsè definiuit Bonifac. VIII. in *cap. vn.* ſæpiùs relato his verbis: *Qui aliter de diſtributionibus ipſis receperint quam intereſſendo diuinis Officijs in eiſdem Eccleſijs, earum ſic receptarum dominium non acquirant, nec faciant eas ſuas, imò ad omnium reſtitutionem, quæ contra huiuſmodi Conſtitutionem receperint teneantur*) quod idem confirmauit *C. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat.* ergò de facto abſens ante omnem ſententiam manet priuatus diſtributionibus; quamquam talis priuatio propriè non habeat rationem pęnæ: cum prębendatus per eam non priuetur iure aliquo acquiſito cõtra eius voluntatem, ſed potiùs ipſemet ſe priuet diſtributionibus non reſidendo, quas alioqui reſidendo lucraretur. ita *Bonac. ſup q. 7 p. 2 num. 2.*

QVÆRES XXIII. An diſtributiones Beneficiariorum abſentium accreſcant alijs intereſſentibus, & quando

182 ℞. Diſtinguendo: vel loquimur de diſtributionibus quotidianis propriè ſumptis: & hæ, ſecluſa conſuetudine contraria debentur alijs præbendatis, qui diuinis Officijs interſunt; ſic enim ſtatuitur in *cap. vn. de cler. non reſid.* & in *Concilio Trid. ſeſſ. 21. cap. 3*, patetque ex eo, quod æquitas petit, vt, ſicut præbendati intereſſentes, dum alij abſunt, plus laborant, maiorem etiam recipiant mercedem: quod præſtatur, ſi illis abſentium diſtributiones accreſcant. Vel loquimur de diſtributionibus extraordinarijs, de quibus agit *Conciliũ Trid. ſeſſ. 22. c. 3.* & hæ debent applicari fabricæ Eccleſiæ, ſi indigeat, aut alteri loco pio ad arbitrium Ordinarij: ſic enim ſtatuitur in ipſo Concilio (quod etiam procedit in caſu, quo cuilibet præbendato intereſſenti aſſignata ſit certa portio: hæc namq; ſi abeſt præbendatus, non cedit alijs præbendatis, ſed Eccleſiæ: cum par ſit, vt quæ debito cultu fraudata eſt ob præbendati abſentiam, ſaltem ſentiat commodum, acquirendo portionem aliàs debitam prębendato. Quamquam *Garcias ſup. num. 447.* putet hanc doctrinam ſolum procedere, quando non eſt facta diuiſio patrimonij eccleſiaſtici inter Eccleſiã, ac eius Miniſtros, ſicque facta hac diuiſione, portionem præbendati abſentis manere in menſa Capitulari, & maſſa communi cedereque in commune patrimonium ipſorum Miniſtrorum inter eos diuidendum. ita *Bonac. ſup. q. 7. p. 1.* alijque apud ipſum, qui monet ex *Couarruuia, Diaz. & Moneta* aliter iudicandum eſſe de diſtributionibus, quæ fortè præbendatis ſubtrahantur per Iudicis ſententiam condemnatoriam, aut in pęnam criminis, cui ipſo facto pęna priuationis diſtributionum adiecta ſit: hæ ſiquidem debentur non alijs beneficiarijs intereſſentibus, ſed fiſco Eccleſiæ, ſeu pio loco ſuccedenti in locum fiſci: cum hæc ſit natura priuationis, & confiſcationis bonorum, vt fiſco applicata cenſeantur, & alioqui Eccleſia, ſeu locus pius habeatur loco fiſci; quod tamen negant aliqui docẽtes in hoc caſu diſtributiones accreſcere alijs Prębendatis vtpote quæ acquiruntur Capitulo, & conſequenter præbendatis tunc exiſtentibus.

Difficultas maior eſt, an infirmi, & impediti, & in vtilitate Eccleſiæ occupati lucrentur diſtributiones amiſſas à præbendatis abſentibus, non ſecùs ac ſi illi perſonaliter reſiderent.

183 ℞. Videri probabilius non lucrari. ita *Bonac. p. 1. num. 6. & Caſtrus Pal p. 8. num. 7.* probantque quia ex vna parte nullum priuilegium cedens in diminutionem cultus diuini admittendum eſt, niſi expreſsè probetur: cum tamen tale eſſet priuilegium ſupradictos lucrari diſtributiones aliorum abſentium ex alia parte in nullo textu extat expreſſum Præbendatos abſentes ex cauſa infirmitatis, vtilitatis Eccleſiæ, aut neceſſitatis corporalis lucrari diſtributiones aliorum abſentium; vt vel hinc patet, quod in *Concilio Trid. ſeſſ. 21. cap. 3. & ſeſſ. 22. cap. 3. & ſeſſ. 24. cap. 12.* vbi ſermo eſt de lucrandis diſtributionibus, ſolum dicitur diſtributiones concedendas eſſe intereſſentibus, ac deſeruientibus, nulla mentione facta de infirmis, ac impeditis; quod eſt ex vi illius textus nullas diſtributiones donandas eſſe abſentibus ob infirmitatem; in *cap. verò conſuetudinem de Cler. non reſid. in 6.* vbi de præbendatis legitimè impeditis fit mentio ſolum permittitur, ne amittant diſtributiones ſibi obuenturas, ſi reſiderent: inquit enim textus: *qui verò aliter, quam per præſentiam diuinis officijs de diſtributionibus ipſis quidquam receperit,*

exce-

exceptis illis, quos infirmitas, ſeu iuſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret rerum ſic acceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas.

Quod ſi quæras, cui debeantur diſtributiones, ſi præbendati omnes culpabiliter abſint, ob negligentiam, aut Interdictum latum contra ipſum Capitulum, aut ob aliam ſimilem cauſam.

184 ℞. Deberi Eccleſiæ; & patet, quia eæ debentur alicui non debentur autem Præbendatis, ne alioqui commodum ex iniquitate referant; ergò debentur Eccleſiæ, quæ debito cultu fraudata eſt; quod non eueniret, ſi Præbendati inculpabiliter abeſſent (eo quod v.g. Eccleſia diruta ſit, aut polluta, vel quia omnes lapſi ſunt in morbum) nam tunc diſtributiones non cedunt Eccleſiæ, ſed Præbendatis; vt patet ex dictis *ſup. q. 7.* vbi oſtendimus, in quibus caſibus Præbendati ægrotantes gaudeant diſtributionibus, & in quibus non.

SECTIO IV.

De Obligatione, quam habeant Regulares Beneficiati quo ad recitandum priuatim diuinum Officium, & Pęna quam incurrunt non recitando.

185 *Religioſi beneficiarij iure Eccleſiaſtico tenentur ad Horas.*

186 *Idque ſub mortali, & pæna reſtitutionis fructuum.*

187 *At excuſat tenuitas beneficij, itaut obligatio hæc vrgeat ſolum aliquibus diebus: idque licet beneficiarius aliunde ſuſtentetur ex bonis Eccleſiaſticis.*

188 *Indicatur, quæ beneficia cenſeri debeant tenuia.*

189 *Tenuitas beneficij non excuſat prouiſum pluribus beneficijs tenuibus facientibus vnum pingue.*

190 *Non excuſatur beneficiarius, ſi ex ſua culpa non acquirat fructus beneficij: quod Sanchez putat non procedere de beneficiario per Iudicem priuato fructibus beneficij ad annum.*

191 *Non excuſatur habens ſolum titulum beneficij, ſi adminiſtrationem habeat in Eccleſia, aut lucretur diſtributiones: ſecùs ſi titulum ſolum habeat, Papa fructus reſeruante.*

192 *Excuſatur beneficiarius, ſi Papa reſeruet fructus, & ipſum ſeruitium.*

193 *Excuſatur, ſi primo anno nullos percipiat fructus ex conſuetudine Eccleſiæ.*

194 *At non excuſatur habens titulum beneficij cum ſpe fructuum, & poſſeſſionis.*

195 *Item non excuſatur is, cui fructus ſequeſtrantur poſt beneficij poſſeſſionem.*

196 *Habens Capellaniam collatiuam tenetur ad Horas.*

197 *Secùs ſi ea ex voluntate teſtatoris non ſit collatiua, etſi conferatur à Papa, aut ordinario.*

198 *Tenuitas Capellaniæ excuſat à recitandis Horis.*

199 *Non tenetur ad horas Coadiutor in beneficio vi Coadiutoriæ vt ſic; etſi aliunde teneri poſſit.*

200 *Non tenetur Penſionarius vi penſionis: etſi teneatur ad Officium B. Virginis.*

201 *Habens ſimul aeneficium, & penſionem ſatisfacit vnica recitatione horarum.*

202 *Tenetur ad horas habens beneficium in commendam.*

203 *Item tenetur habens vicariam perpetuam.*

204 *Onus reſtituendi fructus (de qua hìc) eſt ſolum ex iure eccleſiaſtico.*

205 *Et ſolum adſtringit poſt ſex menſes à beneficio obtento.*

206 *Omittens horas poſt dictos 6. menſes non reſtituit fructus habitos primis illis ſex menſibus.*

207 *In hac reſtitutione deducenda portio reſpondens oneribus annexis beneficio.*

208 *Oſtenditur, ad quam ratam ea fieri debeat iuxta Pij V. bullam.*

209 *Si obligatus reſtituere plura habeat beneficia, reſtituit ad ratam illorum omnium.*

210 *Reſtitutio hæc facienda ante ſententiam.*

211 *Reſtitutio facienda à beneficiario non ligat, ſi omiſſio ſit minor, quam vnius horæ.*

212 *Item non ligat, ſi pars reſtituenda eſſet leuis in materia furti.*

213 *Non ligat, ſi in ſingulis horis pars leuis omittatur, cuius omiſſio eſſet grauis reſpectu totius officij.*

214 *Ligat omittentem pluries partem notabilem, etſi vnicuique omiſſioni non reſpondeant fructus notabiles.*

215 *Secus in caſu, quo beneficiarius pro ſingulis omiſſionibus non teneatur reſtituere, & in alijs ſimilibus.*

216 *Iuxta aliquos non tenetur reſtituere, qui intra annum omittit horas 8. aut 10. diebus.*

217 *Obligatio reſtituendi ceſſat, ſi omiſſio ſit inculpabilis.*

218 *Non ligat recitantem ſine vlla attentione interiori.*

219 *Etſi alij oppoſitum ſuſtineant.*

220 *Non ligat recitantem cum alio, & non attendentem ad partem ſocij.*

221 *Ligat ſupplentem die ſequenti Officium omiſſum die præcedenti.*

222 *Iuxta Suarez reſtitutio hæc fieri poteſt in bonis ſpiritualibus omiſſis; at hoc procedit ſolum attento præcisè iure naturali.*

223 *Omittens recitare primis 6. menſibus ab obtento beneficio non tenetur reſtituere, nec de iure naturali.*

224 *Non tenetur reſtituere recitans Officium pro Officio iuxta aliquos.*

225 *Non tenetur iuxta aliquos, qui omittit Officium poſt groſſam præbendæ abſolutè acquiſitam; at hoc debet limitari.*

226 *Reſtitutio hæc facienda fabricæ beneficij, aut pauperibus.*

227 *Imò applicari poteſt beneficiario reſtituenti, ſi verè ſit pauper.*

228 *Is item retinere poteſt fructus ab eo reſtituendos, ſi pauperes, quibus applicati ſunt, illos ei retrodonent.*

229 *Non tenetur reſtituere, qui immemor talis obligationis iam contracta fecit antea æquiualentes eleemoſynas.*

230 *Penſionarius hodie reſtituit, ſi omittat Officium B. Virginis: imò exiſtimant aliqui beneficiarium poſſe penſionem negare penſionario omittenti Officium.*

Bene-

231 *Beneficiarius ex ſe non reſtituit pauperibus penſionem à ſuo penſionario reſtituendam.*

232 *Et, ſi id faciat peccat, & tenetur ad aliquam recitationem.*

233 *Reſtitutio debita ex omiſſione Officij facienda ex fructibus temporalibus beneficij.*

234 *Contra beneficiarium Officium diuinum omittẽtem poſt primum ſemeſtre poſſunt ferri pœnæ Eccleſiaſticæ.*

QVÆRES I. An, & quo iure Regulares beneficiati teneantur ad priuatam recitationem Horarum, etiam ratione prębendæ.

185 ℟. Teneri ex iure Eccleſiaſtico, quod licet non ſit expreſſum, ſufficienter tamen colligitur tum ex *cap.fin.d.92.* vbi habetur, quod Præsbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clericus Eccleſiæ deputatus ad quotidianum Officium tenetur (vbi DD. per *ly deputatus* intelligunt deputationem factam titulo beneficij Eccleſiaſtici, vt ſic Præsbyter, & Diaconus ab alijs membris diſtinguatur:) tum ex *c.fin. de reſcript.in 6.* vbi dicitur *Beneficium datur propter officium:* tum denique ex decreto Concilij Lateran. & Conſt. Pij V. relatis à *Nau.cap.25.num.122.* & à nobis infra allegandis.

QVÆRES II. An Regulares beneficiati teneantur ad priuatam horarum recitationem ſub peccato m. & ſub qua pęna.

186 ℟. Teneri ſub peccato mor. & ſub pęna reſtitutionis fructuum perceptorum. eſt communis Doctorum: & quidem, quod teneantur ſub peccato m. patet tum ex eo, quod in *cap. dolentes de celebrat. miſſar.* omittens diuinum Officium dicitur poſſe ſuſpendi, imò & excommunicari iuxta *Clem. 1. eodem tit.* (cum tamen illæ cenſurę ſupponant culpam grauem iuxta communiorem, ac probabiliorem ſententiam, & ibi ſit ſermo de beneficiatis;) tum quia omittens recitare violat præceptum in re graui pertinente ad virtutem Religionis, quod non poteſt contingere abſque peccato m. Quod verò teneantur ſub pęna reſtitutionis fructuum perceptorum, apertè colligitur ex decreto Concilij Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ. 9. §. ſtatuimus*: quod poſtea declaratum, innouatum, & auctum fuit à Pio V. in Conſt. edita 12. *Cal. Oct.* 1571. in hæc verba: *Ex proximo Lateran Conc. ſalubris ſanctio emanauit, & quicumque habens beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura, ſi poſt 6. menſes, quam illud obtinuerit, diuinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis Officij, & temporis ſuos non faciat, ſed eos tanquam iniuſtè perceptos in fabricam ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Verum tamen animi ſuſpenſione teneatur cuiuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expreſſius prouidere volentes ſtatuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit omnes beneficij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur. qui verò Matutinum tantùm, dimidiam: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum eius diei amittant; tametſi aliquis Choro addictus non recitans, omnibus horis canonicis cum alijs præſens adſit fructuſque, & diſtributiones fortè aliter aſſignatas ſola præſentia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, vel aliàs ſibi lucrifeciſſe prætendat, is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem graue peccatum intelligat ſe admiſiſſe: item ille qui primis ſex menſibus Officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſauerit, graue peccatum intelligat ſe admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales penſiones, & qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omninò ſeruitium habentia obtinentes cum prædictis pariter conueniri; at quicumque penſiones, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium paruum B. Mariæ V. decernimus obligatum, & penſionum fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.* ita Pius V. quæ benè conſideranda ſunt: faciunt enim ad ſolutionem multarum difficultatum, quæ infra proponentur.

QVÆRES III. An omnes Regulares beneficiati teneantur recitare horas priuatim, etiamſi habeant beneficium valde tenue.

187 ℟. Quod licèt nõ improbabilis videatur ſẽtẽtia, quã ſuſtinet *Sanc. l. 2. conſil. c. 2. d. 66.* cũ *Soto, Palac.* & alijs Neotericis valdè doctis magiſtris dicens eam in præſentia eſſe communem Recentiorum ſupra dictos Beneficiarios non teneri ad horas, nec ad partem illarum; cum obligatio recitandi in Beneficiario oriatur ex accepto ſtipendio, ac mercede (cuius ſignum eſt, quod quando beneficiarius nullos fructus capit, aut capere poteſt ex beneficio, ad horas non tenetur, vt dicemus *infra q. ſeq.*) & beneficium tenue in iure reputetur non beneficium iuxta illud *Parum pro nihilo reputatur*: vnde plura huiuſmodi beneficia ſunt compatibilia; nihilominus probabiliorem puto eſſe ſententiam *Leſsij l. 2. c. 34. n. 169.* docentis habentem tenue beneficium non teneri quidem ad quotidie recitandum, ſi beneficium ſit adeo tenue, vt non ſuppeditet bonam partem tenuis ſuſtentationis (v.g. 15. vel. 16. aureos) teneri tamen recitare aliquoties per annum: v.g. feſtis, & Dominicis, prout ratio dictauerit; non enim par eſt, vt fructus aliquos percipiat, & nunquam Officium recitet; ſicut nec æquum eſt, vt ob tam tenues fructus obligetur ad quotidie recitandum. ita *Leſſ.* & talis videtur praxis: adeoque probabiliter quidquid contradicant plurimi DD. relati à *Sanch. ſup. n. 1.* docentes beneficium, quantumuis tenue, ſimpliciter obligare ad horas canonicas: idque maximè probantes ex *cap. Clericus 1. d. 91.* vbi dicitur *Clericus, qui ali non poteſt, quærat victum ſuo artificio abſque detrimento ſui Officij*; cum tamen hic ſermo ſit, non de Officio canonico, ſed de ea parte Officij, quę reſpicit curam animarum, quæque ſine Proximi damno prætermitti nequit, niſi quis malit dicere ibi ſermonem eſſe de beneficio ad bonam partem ſuſtentationis, quod vtique obligat ad horas abſolutè, vt mox dicemus. Imò addit *Diana p. 2. tr. 12. reſol. 9.* cum *Maldero* habẽtem beneficium tenue modo ſupradicto non teneri ad vllam reſtitutionem, etiamſi omittat recitare ijs diebus, quibus diximus eum obligari ad recitandum: probatque quia is non facit contra præceptum Eccleſiæ, quæ non præſumitur velle obligare talem beneficiarium, ſed potiùs contra legem naturalem; quam tamen beneficiarius impleret recitando alias preces, aut faciendo aliquid aliud in cultum Dei: quod ait *Diana*

val-

valdè notandum eſſe ad tollendos ſcrupulos.

Et reſponſionem hanc puto procedere etiam in caſu, quo beneficiarius habens beneficium tenuem aliunde ex bonis Eccleſiæ ſuſtentetur (v.g. ex redditibus Seminarij Clericorum) id enim eſt per accidens, & aliàs Doctores indefinitè dicunt habentem beneficium tenue non teneri ad quotidianam recitationem horarum canonicarum; ſiue habeat, vnde ſuſtentetur ex proprijs bonis, ſiue ex alienis. Quo modo item concedunt Doctores, Sacerdotes poſſe recipere ſtipendium miſſæ tanquam in propriam ſuſtentationem: & tamen non negant hanc receptionem Sacerdoti aliunde habenti congruam ſuſtentationem.

Quod ſi quæras, quæ tenuitas redditaum beneficij excuſet ab obligatione recitandi Horas canonicas.

188 ℟. *Sanch. ſup. d. 67. nu. 1.* cum *Soto, Palu. Suar.* & alijs doctis Neotericis non excuſare quotieſcumque redditus ſufficiunt ad bonam partem ſuſtentationis: qualis eſt tertia pars, aut certè quæ magis inclinat in tertiam; intelligendo nomine ſuſtentationis non ſolum alimenta ad corpus, ſed etiam moderatum victum, veſtitum, habitationem, & alia omnia, quæ requiruntur ad moderatam vitam, perinde ac ſi beneficiarius nihil aliud haberet ad ſuſtentationem: quia id eſſet per accidens; & hoc ſpectata diuerſitate temporum, & locorum, decentia veſtitus, quæ in diuerſis locis diuerſimodè conſideratur, alijſque talibus circumſtantijs benè conſideratis. Vnde infert *Sanch. ſup. nu. 5.* quod quando fructus beneficij ſunt 16. aurei, non cenſetur bona pars ſuſtentationis, nec tenetur beneficiarius ad recitandum (intellige eo modo, quo diximus ſupra cum *Leſſio*:) ſecùs ſi excedant 16. aureos, cum ſic cenſeatur bona pars ſuſtentationis; quamquam teſte ipſo *Sanch. Sotus*, conſultus de beneficio, cuius redditus erant 16. aurei, reſpondit non obligare ad recitandum. A *Sanch.* non diſſentit *Caſtr. Pal. tr. 7. D. 2. p. 1. §. 2. num. 8.* aſſerens hoc tempore beneficium, quod non attingit 30. vel 40. aureos, non poſſe dici attingere bonam partem ſuſtentationis moderatę (quod etiam notat *Suar. to. 2. de Relig. l. 4. de orat. c. 21 nu. 2.*) ſi quidem modò non ſufficiunt 30. ijs, quibus aliàs ſufficiebant 10. cum in præſentia res multò chariori pretio vendantur; vt aduertit etiam *Sanch. ſup. n. 5.* non diſſentiēte *Filliuc. tr. 23. nu. 182.* qui ait habentem 20. vel 25. ex beneficio, tantùm eſſe obligatum ad horas, non autem infrà.

189 Cęterum monet *Suarez loco ſupra relato n. 12.* eum qui habet plura beneficia tenuiora, teneri ad horas, ſi omnia ſimul pertingant ad quantitatem redditaum ſufficientem ad obligandum. & ratio eſt, quod ſic beneficiarius recipit ſtipendium Eccleſiaſticum ex titulo Eccleſiaſtico beneficij, & tale ſtipendium ſufficit ad obligandum, eſtque impertinens, quod recipiat ex vno, aut pluribus beneficijs.

QVÆRES IV. An, & quando Regulares beneficiarij eximantur ab obligatione Horarum, ex eo quod non percipiant fructus beneficij alioqui ſufficientis ad obligandum.

190 ℟. Diſtinguendo; vel non percipiunt fructus eo quod hi non dantur niſi reſidentibus, & illi non reſident: & tunc, ſi quidem non reſideant contra Ordinem iuris, nihilominùs tenentur ad horas, cum per ipſos ſtet, quo minus fructus percipiant, & culpa ipſorum ſit abeſſe: ſi verò non reſideant ex cauſa legitima, & ſecundum ordinem iuris (v.g. cauſa ſtudij) tunc non tenentur recitare, cum beneficiarius non teneatur recitare, niſi propter ſuſtentationem ipſi ab Eccleſia ſuppeditatam, adeoque cum ipſa Eccleſia in præſenti caſu beneficiarium priuet iure proximo recipiendi ſuſtentationem (& quidem ſine culpa beneficiarij, qui abeſt cum debita licentia, & cauſa iure expreſſa) non eſt, cur eum obligemùs ad horas: ſtante quod, ceſſante cauſa ceſſat &, effectus: vel ſupradicti Regulares beneficiarij non percipiūt fructus beneficij, eo quod ex culpa ipſorum facti ſint illorum incapaces, nimirum ratione excommunicationis, ſuſpenſionis, aut irregularitatis: & ſic tenentur recitare; cum vi ſuſpenſionis, ac irregularitatis ante Iudicis ſententiam non amittant beneficium, nec fructus illius, vt tradunt DD. ſuo loco: & ſi ſint excommunicati poſſint conſequi fructus beneficij, procurando abſolutionem excommunicationis; ſiue illam obtineant, adhibita debita diligentia, ſiue non: cum ſic per ipſos non ſtet, quo minùs abſoluantur: quod in terminis docet *Sanch. ſup. d. 11. n. 5.* cum *S. Antonin. Palud. Sylu. Henri. Arm. Caiet. Tol.* & alijs ſuſtinens excommunicatum procurantem excommunicationis abſolutionem, nec obtinentem lucrari fructus beneficij, non ſecus, ac ſi abſolutus fuiſſet; cum fructuum priuatio ſit pęna contumaciæ, quæ ceſſat eo ipſo quod non ſtat per excommunicatum, quin abſoluatur. Imò putat *Sanch. ſup. d. 74.* cum Henriq. & alijs; quod ſi Beneficiarius per Iudicem damnetur, vt per annum non acquirat fructus benefici (quod eſt ſuſpendi à beneficio ad tempus) pro eo tempore non tenetur recitare; probatque ex eo quod licèt ſua culpa fuerit damnatus, iam per ipſum non ſtat, quo minùs recipiat fructus, ideoque pro eo tempore non videtur obligandus ad horas, ſicut non obligaretur in perpetuum, ſi in perpetuum priuaretur fructibus, vti bene argumentatur *Sanch. vbi ſup.* quod tamen negant *Palud. & Turrecrem.* apud ipſum *Sanch.* abſolutè docentes beneficiarium teneri ad horas, etiam pro eo tempore, quo priuatur fructibus beneficij.

Dubium grauius eſt an, quando authoritate Papæ datur alicui ſolum titulus benficij, reſeruatis alteri fructibus, ille, qui habet titulum ſine fructibus obligetur ad priuatam horarum recitationem.

191 ℟. Teneri, ſi beneficium annexam habeat aliquam adminiſtrationem in Eccleſia, (quale eſt beneficium curatum v. gr.) & ſolum reſeruentur fructus, qui dicuntur groſſa beneficij, non autem diſtributiones correſpondentes ſeruitio; ſic enim habens titulum poteſt exercere adminiſtrationem in Eccleſia, & habere ſtipendium illi reſpondens: cum Papa abſolutè reſeruans fructus intelligat tantùm de fructibus, qui ſuperſunt, deductis oneribus *l. fructus ff. ſolut. matrim.* Secùs, ſi authoritate Papæ reſeruentur etiam diſtributiones reſpondentes ſeruitio, & omnes fructus; nam tunc habens titulum non tenetur recitare; cum is nec habeat, nec habere poſſit vllos fructus, & aliàs iniuſtum videatur

impo-

imponere onus, cui merces negatur *cap. cum ſecundùm Apoſtolum ; de præbend.* Vnde colligunt DD. apud *Sanch. ſup. d.71. nu. 4.* habentem ſolum titulum beneficij, & ex eo nullos fructus colligentem non teneri ad horas canonicas iuxta *regul. 55. iuris in 6. Qui ſentit onus, debet ſentire commodum,* & è contra. ita *Sanch. ſup. d.77.* alijque penes ipſum; qui benè infert ex dictis quod, ſi fortè Papa alicui reſeruet fructus pro penſione, & alioqui habens ſolum titulum beneficij ſit inhabilis ad inſeruiendum tali beneficio, eò quod nondum ſit Sacerdos, nec poſſit eſſe pro eo tempore ex defectu ætatis denegante Papa diſpenſationem ; pro tunc habens ſolum titulum beneficij non tenetur recitare : vtpote qui non poteſt acquirere fructus principales, nec fructus ſeruitij, & alioqui per ipſum non ſtet quo minùs eos acquirat, vt ſuppono.

192 Addit *Sanch. d.78.* ſibi videri probabilius quod, quando Papa modo ſupradicto reſeruat & fructus omnes, & etiam ipſum ſeruitium; tunc non tenetur recitare, neque qui habet merum titulum, neque eius penſionarius, neque ille, qui habet ſeruitium beneficij ſiue ſit penſionarius, ſiue alter, qui habet ſeruitium, ſine titulo beneficij. & quidem quod non teneatur habens merum titulum, conſtat ex dictis §. *præced.* quod verò non teneatur penſionarius, probatur, quia obligatio recitandi, cum ſit de iure poſitiuo, non debet imponi alicui, niſi in caſibus, in quibus ipſum ius illam imponit; ius autem non imponit talem obligationem, niſi illi, qui aut eſt Religioſus, aut habet ordinem ſacrum, aut beneficium: cum tamen in præſenti caſu penſionarius verè non habeat beneficium, eſtò habeat adminiſtrationem. præter quam quod Papa eò ipsò quod ſeparat omnes fructus à beneficio, videtur diſpenſare, vt nullus recitet pro eo beneficio, niſi det expreſsè titulum, vel fructus, exprimens ſe velle alterum obligari ad recitandum : quod ſine dubio poteſt facere, cum obligatio recitandi ſit de iure poſitiuo; maximè, cum Papa voluerit eſſe contentus alio ſeruitio, quod præſtat, vel præſtitit penſionarius æquiualens recitationi horarum, ob quod talis penſio illi conceſſa eſt.

Dices, quid ſi in aliqua Eccleſia, ſtatuto, conſuetudine, aut priuilegio inductum ſit, vt Beneficiarij primo anno nullos omninò fructus percipiant, quantumuis Eccleſiæ inſeruiant: tenentur ne beneficiarij eo primo anno recitare ?

193 ℟. Probabile eſſe non teneri; & probatur, tum quia, cũ nullos fructus pro eo anno percipiãt, aut percepturi ſint, perinde ſe habent, ac ſi non eſſent beneficiarij: tum quia qui ſeruit altari debet viuere & ſuſtentari ex altari : tum quia licet habeant titulum, & ius beneficij, quod aliàs videtur pretio æſtimabile, nullos tamen fructus pro tunc percipiũt, nec per ipſos ſtat, quo minùs percipiant. ita *Leſſ. l.2. c.34. n.170. Suar to.2. de Relig. l.4. de orat c.20. nu. 6. & 14. Azor p.1. l.10. c.4. q.4. Nau. c.7. de orat. n.30. Bonac. de hor can D.1. q.2. p.4. n.23. Caſtr. Pal. loco citato nu. 19.* & alij, qui tamen probabiliorem cenſent eſſe oppoſitam ſententiam ob varias rationes, quæ videri poſſunt apud ipſos; & maximè ex eo quod ſcientes, & volentes acceptant talem obligationem acceptando beneficium habens illam annexam; cum tamen volenti, & conſentienti non fiat iniuria; præter quam quod alioqui dicendum eſſet præfatos beneficiarios eximi pro eo tempore ab aſſiſtentia Chori, alijſque oneribus beneficij: quod non eſt in vſu, nec debet admitti : eſt autem par ratio omnium onerum beneficij, vt benè probat *Suar. ſup. nu. 11.* quamquam dici poſſet quod cum beneficiarius, etiam pro illo tempore gaudeat iure ad fructus annorum ſubſequentium, & hoc ius ſit pretio æſtimabile, par eſt vt etiam tunc beneficiarius, ſi non poteſt præſtare totum ſeruitium, ſaltem aliquod exhibere debeat.

QVÆRES V. An ſolus titulus beneficij cum ſpe poſſeſſionis, & fructus ſufficiat ad obligandum beneficiarium, vt recitet vel certe requiratur poſſeſſio, non qualiſcumque, ſed pacifica.

194 ℟. Beneficiarium habentem titulum beneficij teneri ad horas, ſiue habeat poſſeſſionem litigioſam (ſiquidem interim lite non obſtante beneficium miniſtret, & morali certitudine ſperet ſibi applicandos eſſe fructus, ſaltem ſeruitio debitos; cum æquum ſit, vt qui ſenſurus eſt commodum, ſentiat & onus;) ſiue non habeat : non enim iuſtum eſt beneficium culpa illius priuari debito obſequio. Secùs ſi Beneficiarius habens titulum beneficij, ex lite, aut alia cauſa ipſi inuoluntaria impediatur ab eius poſſeſſione capienda: tunc quippe non tenetur recitare, cum ſic fructus non ſint omninò certi, ſed contingentes ob contingentiam poſſeſſionis, & non ſit iuſtum ſubire onus certum pro ſtipendio incerto; quod ita eſt verum, vt ſi duo litigent ſuper aliquo beneficio, & neuter illorum ſit in poſſeſſione, neuter teneatur ad horas: cum neuter propriè, & in rigore habeat beneficium, & vtriq; ſit dubium de victoria litis: aliàs omnes litigantes tenerentur recitare ratione vnius beneficij; quod non eſt dicendum. ita *Caſt. Pal. ſup. n.20. ex Suar. Ledeſm. Garcia Bonac.* & alijs ; quibus adde *Sanch. ſup. d.77.* magna ex parte ſentiẽtem nobiſcum, prꝫter quam in eo quod putat cum *Nau. Cord. & Caiet.* beneficiarium non habentem pacificam poſſeſſionem beneficij teneri ad horas, ſi magnam ſpem, & probabilitatem habeat illud obtinendi, vtpote qui ſuo tempore obtenturus eſt fructus interim ſequeſtratos; quod tamen non approbant *Suarez. ſup. c.19. num.10. Bonac. ſup. nu. 26.* & alij.

195 Illud quidem puto admittendum eſſe, quod aduertit idem *Sanch. ſup. num.9. ex Palat.* ſi adueniat lis poſt poſſeſſionem beneficij adeptam, teneri beneficiarium recitare, eſto Iudicis authoritate fructus ſequeſtrentur vſque ad litis finitionem : quippe tũc obuentiones, aut manualia ſunt beneficiarij, ſi beneficio inſeruiat, adeoque poteſt reportare ſtipendium non incongruum oneri recitationis; non item ſi lis adueniat poſt poſſeſſionem adeptam ; & beneficium nullum habeat ſeruitium: ſic enim cum nullos recipiat fructus, non eſt æquum illum cogere ad ſubeundum onus recitandi horas, vt iam dictum eſt.

QVÆRES VI. An Regulares habentes Capellaniam teneantur ad priuatam horarum recitationem.

196 ℞. Teneri, ſi habeant Capellaniam collatiuam, ſeu Eccleſiaſticam (quæ ſcilicet auctoritate Epiſcopi ſit erecta, ſiue ex bonis laicorum, ſiue Eccleſiaſticorum, vel quę ab ipſo Epiſcopo conferatur, & ſit cõſtituta inter bona Eccleſiaſtica;) ſecus ſi habeant Capellaniam non collatiuam (quæ videlicet nondũ eſt inſtituta auctoritate Epiſcopi modo ſupradicto: idque eſtò conferatur ab Epiſcopo. ita *Bonac. ſup. q. 2. p. 4. n. 6. ex Medi. Nau. Regin. Suar. Garcia* alijſque pluribus tum ab ipſo, tum à *Sanch. ſup. d. 60.* relatis: & patet ex eo quod quicumque habet beneficium Eccleſiaſticũ, tenetur ad horas; talis autẽ eſt is, qui habet Capellaniam collatiuam, quæ reuera eſt beneficium; vnde cum Capellania non collatiua non ſit propriè beneficium, neque obligat ad horas.

197 Ex quo infert *Sanch. ſup. n. 4.* quod ſi Papa, aut ordinarius alicui conferat Capellaniam, quæ ex voluntate teſtatoris non ſit collatiua; non ideo qui illam ſic obtinet, tenetur ad horas: cum illæ collationes non mutent naturam horum bonorum, vtpote quæ ab illis fieri potuerunt vel ex falſa relatione, vel de facto, & ad maiorem ſecuritatem, non autem quod opus eſſet eas facere; intellige, niſi fortè Prælati Eccleſiaſtici præſcripſerint ius conferendi eiuſmodi Capellaniam: in quo caſu vtique collatiua cenſenda eſſet Capellania, & per conſequens beneficium Eccleſiaſticum, adeoque obligaret ad horas.

Porro ſi quæras, an Capellanus excuſari poſſit à recitatione horarum ob tenuitatem Capellaniæ, & vnde deſumi debeat hæc tenuitas.

198 ℞. Poſſe excuſari, non ſecus, ac beneficiarius excuſatur ob tenuitatem beneficij; cum rationes allatæ q. 3. pro beneficiario proportionaliter militent in Capellano; vt conſtabit eas conſideranti; tenuitatem verò Capellaniæ ad hunc effectum deſumendam eſſe ex fructibus illius, qui ſuperſunt, dempto competenti ſtipendio, quod debetur pro miſſis, ad quas obligat Capellania. ita *Sanch. ſup. d. 68.* & probatur tum quia obligatio recitandi horas oritur ex ſtipendio accepto, vt oſtendemus, ſtipendium autẽ quod datur pro Miſſis vtique non eſt ſtipendium, quod datur pro beneficio, ac recitatione horarum; vt vel hinc patet, quod etiam Clericus non beneficiarius illud lucraretur, ſi diceret miſſas, idque eſtò horas non recitaret. tum quia licèt Capellanus non recitet, non tenetur reſtituere fructus correſpõdentes miſſis, ad quas tenetur; quod eſt ſignum eos nõ dari pro beneficio, ac recitatione horarum; ſicut aduertit *Sãc. vbi ſup.* monens pro ſtipẽdio miſſarum in præſenti caſu non debere deduci, niſi illud ſtipendium, quod communiter hic, aut ibi ſoluitur alijs Clericis pro miſſis. nã auctius, quod tribuitur pro miſſa Capellaniæ, competit Capellano ratione beneficij.

QVÆRES VII. An Regulares teneantur ad horas, ſi aſſumantur in Coadiutores aliorum Beneficiariorum; videlicet ad effectum eos coadiuuandi, ſiue ob ſenectutem, ſiue ob infirmitatem, ſiue ob aliam cauſam, ideoque aliquam fructuum beneficij portionem percipiant habentes ius futuræ ſucceſſionis.

199 ℞. Non teneri ratione Coadiutoriæ præciſè: ſiue dictam fructuum portionem percipiat per modum propriè dictæ penſionis (hæc enim obligat ad recitandum Officium B. Virg. paruum, non autem ad horas canonicas, de quibus hìc loquimur) ſiue per modum ſtipendij: quo caſu certum eſt huiuſmodi Coadiutorem non teneri ad horas canonicas vi Coadiutorię præciſè; cum ordinariè loquendo Coadiutoria non ſit beneficium Eccleſiaſticum (ex quo ſolo ſequitur talis obligatio) ſed aliquid adiunctum beneficio: pręter quam quod eiuſmodi obligatio reſidet penes proprietariũ, adeoq; non afficit Coadiutorem; aliàs duo ex eodem beneficio obligarentur ad horas: quod tamen non videtur admittendum; ſicut nec admittimus Beneficiatium principalem, & eius Coadiutorem teneri ad alia onera beneficij duplicata (v. g. ad miſſas) cum potiùs vno ſatisfaciẽte, alter non teneatur. Dixi *vi Coadiutoriæ præciſè*, vt indicarem ſupradictum Coadiutorem teneri poſſe ad horas non ſolum ex alio titulo (v. g. ex profeſſione religioſa, ex ordine Sacro, ex alio beneficio) ſed etiam in caſu, quo ex fructibus beneficij aſſignentur certi prouentus, ad quorum titulum Coadiutor promoueatur (quo pacto reputantur duo beneficia:) nec non in caſu, quo Coadiutor aſſumitur in totum ad onera beneficij, aut ſaltem ad horas recitandas: quæ ſunt valdè notanda. ita *Suar. ſup. cap. 22. num. 19. & ſeqq. Sanch. ſup. d. 64. Bonac. ſup. p. 4. nu. 13.* alijque penes ipſos.

QVÆRES VIII. An Regulares habentes penſionem teneantur ad horas canonicas, vel ad aliquid aliud, ſi illam habeant titulo Clericali.

200 ℞. Quod, cum penſio non ſit beneficium *cap. quoniam de præben. in 6.* ſed quoddam onus impoſitũ beneficiato, & ius, quod habet penſionarius petendi penſionem ab illo, qui habet titulum, & beneficium; non tenetur Penſionarius vi penſionis, vt ſic recitare horas canonicas, ſed tantùm B. V. Officium paruum: & hoc ex motu proprio Pij V. à nobis adducto q. 2. qui non obligaſſet ad Officium B. Virginis, ſi vidiſſet eos teneri ad Horas canonicas, quamquam ij, ſi velint recitare poſſint loco Officij parui B. V. horas canonicas, ſicque meliùs ſatisfaciant huic obligationi; cum Pius V. intenderit releuare Penſionarios ab onere recitandi Officium canonicum, imponendo ipſis minorem obligationem caſu, quo illam grauiorem renuant ſubire. ita *Sanch. ſup. d. 61. Suar. ſup. c. 22. nu. 6. Bonac. ſup. p. 4. n. 8. Caſtr. Pal. ſup. num. 6.* alijque apud ipſos; inter quos *Garc. de benef. p. 3. ca. 1. nu. 117.* notat Penſionarium, qui non habet Ordinem Sacrum; ſi fiat miles Ordinis militaris cum indulto retinendi penſionem, ſatisfacere obligationi recitandi ſi ſolùm recitet orationes dominicas, & ſalutationes angelicas ab Ordine præſcriptas: cum Pius V. eos ſolum penſionarios voluerit obligare ad recitandum Officium paruum B. V. qui alias ad nullas preces adſtringebantur.

201 Addo cum *Suar. Nau. & Garc.* relatis à *Caſtro Pal. ſup. n. 28.* quod ſi quis ſimul habeat & penſionem, & beneficium, ſatisfacit obligationi recitando ſemel ſingulis diebus Officium canonicum. Ratio eſt, quia obligatio ad dicendum officium paruum B. V. quã habet penſionarius, eſt ſub conditione, quod non recitet officium canonicum, non enim voluit Papa magis augere obligationem penſionario, quam alijs beneficiarijs, ſed potiùs obligationem beneficiato-

ciatorum diminuere. quod idem aſſerit *Bonac. ſup. n.* 10. putans *n.* 11. penſionatium eximi ab onere recitandi, ſi cedat penſioni, ſiue liberaliter, ſiue ex contractu oneroſo (v. gr. ob anticipatam ſolutionem trium, aut quinque annorum) cum enim is non habeat amplius penſionem, non debet grauari onere penſionarij; & hoc, non obſtante quod receperit anticipatas illas ſolutiones, quæ videntur habere rationem ſtipendij Clericis conſtituti pro onere diuini officij: ſi quidem hoc non ſufficit, vt quis obliget ad recitandum, ſed requiritur, vt is habeat titulum penſionis, & dici poſſit penſionatius: quo modo etiam beneficiatius, cuius beneficij bona alternis ſolum annis fructificant, ſi ſtatim elapſo anno, ex quo pcepit fructus, beneficiũ alteri reſignet, nõ ampliùs obligatur ad officiũ canonicum, cũ non dicatur ampliùs habere beneficiũ, ex quo oritur ea obligatio.

QVÆRES IX. An Regulares teneantur ad horas canonicas, ſi beneficium aliquod eccleſiaſticum habeant in commendam.

202 ℟. Teneri, ſi habeant in commendam perpetuã, ſiue titularem: cum hæc conſtituatur in vtilitatem Commendatarij, adeoq; æquiparetur beneficio, vtpote habenti vim, & effectum tituli, ſicut colligitur ex *C. Trid. ſeſſ. 7. de reform. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 17.* Secùs, ſi habeant in cõmendã tẽporalẽ: cũ hæc fermè fiat in vtilitatẽ Eccleſiæ, & ſolũ tribuat cuſtodiã, ſeu adminiſtrationem beneficij, nõ autem plenum ius diſponendi de fructibus. ita Garc. *ſup. n.* 106. *Laym. l. 4. tr. 2. c. 5. n. 7. Caſtr. Pal. ſup. nu.* 4. & alij apud ipſos.

QV. X. An Regulares habentes Vicariã alicuius benefici teneãtur ad priuatã diuini of. recitationẽ.

203 ℟. Teneri, ſi Vicaria ſit perpetua: hæc enim habet rationem beneficij ex *cap. poſtulaſti de reſcript.* & participat de omnibus effectibus, ac proprietatibus beneficij, adeoq; habebit annexã & obligationẽ recitandi; nõ itẽ, ſi Vicaria ſit temporalis; cum hæc nullũ ius, ſeu titulũ beneficij præbeat, ſed ſolã adminiſtrationẽ, & cuſtodiã ad tẽpus. Quod tamen locũ non haberet in caſu, quo quis ſpeciatim deputaretur ad canendũ officium in Choro vice alterius: vel certè ei traderetur tota adminiſtratio beneficij cum conſenſu, & auctoritate Epi, licèt ad tẽpus, aut cũ poteſtate amouẽdi; tunc .n. cẽſetur cõmitti ea tacita cõditione, vt omnia officia prẹſtet caſu, quo principalis, cuius Vicariũ agit, offic. non perſoluat; vt ſi commendetur Eccleſia, dum beneficiatus puer, qui per ſe orare nõ põt, adoleſcat. ita *Lay. ſu. n.* 8. & alij.

QVÆRES XI. An obligatio reſtituendi fructus ex beneficio perceptos, ad quam diximus *q.* 2. obligari Beneficiatos, oriatur ſolum ex iure eccleſiaſtico, nimirum ex motu proprio Pij V. dicto q. 2. relato, an etiam ex iure naturali.

204 ℟. Oriri ſolũ ex iure eccleſiaſtico, adeoq; ſtando in iure naturali, & ſecluſo decreto C. Lateran. confirmato, ac innouato in motu proprio Pij V. non teneri Beneficiariũ ad vllã reſtitutionẽ, quantũuis omittat diuinũ officiũ. Ducor, quia nulla ratio affertur, quæ id conuincat: quod enim in *c. fin. de reſcrip. in 6.* dicitur, beneficiũ dari propter officiũ, nõ debet intelligi illic importari cõditionẽ, qua nõ adipleta reſtituẽdi ſint fructus beneficij: cũ potiùs importetur modus, & cõſequẽter etiã eo non ĩpleto, nulla maneat obligatio reſtituẽdi, ſtãdo prẹcisè in iure naturali. Præterea, ſi beneficiarius iure naturæ teneretur ad ſup. dictã reſtitutionẽ, eodẽ iure teneretur etiam pro primis 6. mẽſib. à capta poſſeſſione; quo pacto mercenarius diurnus nõ minùs obligatur primis 6. mẽſib. quã poſtea; cũ tñ *Cõc. Lat.* & bulla Pij V. ſatis apertè indicent beneficiarios non obligari ad reſtitutionem primis 6. menſibus, eccleſia cum ipſis indulgentiùs agente pro tempore, quo incipiũt: quod eſt ſignum eos iure naturæ non obligari, niſi ipſa eccleſia velit; præter quam quod, ſi talis reſtitụtio iure naturæ eſſet debita, deberetur etiam in caſu, quo officium inculpabiliter omitteretur: non ſecus ac operarius tenetur reſtituere mercedem, ſi per morbum, aut ſimile impedimentum ex parte ſua proueniens opus non præſtiterit: & tamen eccleſia nũquam obligat beneficiatum inculpabiliter omittentem officium. ita *Leſſ. l. 2. c. 34. d. 32. Sanch. ſup. d.* 81. *Laym. ſup. n. 1. Filliuc. tr. 23. n.* 308. inter quos *Sanch. d.* 82. *n.* 8. benè aduertit, quod, quamuis aliqui DD. dicant præfatum decretum Concilij Lateran. non eſſe vſu receptum, aut certè dubitari poſſe probabiliter, an obliget omninò in foro conſcientię (quod in ſpecie ait *Simanc. lib. de inſtit. cathol. tit. 9. num.* 208.); poſt bullam tamen Pij V. ſup. relatam, indubitatum eſt, dictum decretum obligare in conſcientia, vtpote confirmatum, innouatum, & auctum ab ipſo Pio V.

QVÆRES XII. A quo tempore incipiat obligatio reſtituendi quo ad Beneficiatos omittentes recitare officium diuinum.

205 ℟. Incipere ſolum poſt primos 6. menſes ab obtento beneficio: patetque manifeſtè ex motu proprio Pij V. qui cum in eo dixiſſet beneficiatum non recitantem poſt 6. menſes teneri fructus reſtituere, ſubdit: *Ille verò qui primis 6. menſibus non recitauerit, niſi legitimum imped. mentum excuſet, graue peccatum intelligat admiſiſſe.* Vbi notant DD. quod, cum Pius mentionem faciat tantùm de peccato mortali non autem de vlla obligatione reſtitutionis: ſignum eſt beneficiarium omittentem recitare primis 6. menſibus peccare quidem m. non tamen teneri ad vllam reſtitutionem; maximè, cum non debeant multiplicari obligationes abſq; manifeſta ratione. ita *Sanchez ſup. d. 82. n. 9. Caſtr. Pal. ſup. p. 7. n. 2. Bonac. q. 5. p. 2. n. 9.* alijq; penes ipſum: qui benè notant, hanc doctrinam eſſe veram, etiam ſi detur beneficiarium omittentem recitare primis 6. menſibus teneri reſtituere, ſtãdo in iure naturæ; quippe eccleſia, quæ eſt creditor, & obligat ad hoc onus, põt cedere iuri ſuo quo ad reſtitutionẽ per primos 6. mẽſes, imò de facto cedit, vt oſtẽdat erga nouũ beneficiatũ ſuã benignitatẽ, ſicq; illũ magis alliciat ad recitandũ poſt illos 6. menſes, quo tẽpore illũ obligat ad reſtituendũ fructus correſpondentes illi, vel illis diebus, quib. recitare omittit, vt conſtat ex præfatis Conſtitutionib.

206 Dico *fructus correſpondentes illi, vel illis diebus &c.* vt indicem omittentem recitare aliquo, vel aliquibus diebus poſt primum illud ſemeſtre, nullatenus obligari ad reſtituendos fructus primo illo ſemeſtri perceptos, ſed ſolum eos, qui correſpondent illi, vel illis dieb. quib. omittit recitare; aliàs, ſi Papa voluiſſet obligare beneficiatũ ad reſtituẽdos fructus, etiã primis illius ſemeſtris debuiſſet ſe explicare: cũ pœnę imponi, ac extẽdi nõ debeãt ſine manifeſta rõne.

QVÆRES XIII. An ſupradicta obligatio

reſtituendi extendatur ad omnes omninò fructus correſpondentes illis, vel illis diebus, quibus beneficiatus non recitat: idque etiamſi beneficium alia onera habeat annexa (*vt ſi ſit curatum.*)

207 ℞. Quod, licet decretum Concilij Lateran. & Conſt. Pij V. promiſcuè loquantur de omnibus beneficijs, tam curatis, quam non curatis, ideoq; *Val. Azor. Suar. Garc. P. Nau. Malder. Vaſq. Regin.* & alij apud *Caſtr. Pal. ſup. n.* 8. exiſtiment habentem beneficium curatum, ſi omittat aliquo die recitare officium, teneri reſtituere omnes fructus correſpondentes illi diei oppoſitam tamen ſententiam negātem cenſent eſſe probabilem *Leſſ. ſup. num.* 177. *Tol. Henriq. Sà, Lopez, Rodriq. Medina, Vaſq.* ſibi contrarius, & Bonac. penes eundem Caſtr. Pal. (quibus addo ego *Laym. ſup. Sanch. ſup. d.* 83. *n.* 3. & *Zecch. de benef. penſ. c.* 3.) adeoque Parochum omittentem aliquo die officium non teneri omnes fructus reſpōdentes illi diei, ſed ex ijs poſſe deducere illam partē, quæ iudicio prudentis correſpondet alijs miniſterijs (v.g. reſidentiæ, obligationi ſacrificiorum, curæ animarum) probant 1. quia durum eſt beneficiatū Parochum, & Capellanum eadem obligatione teneri, ac tenetur ſimplex beneficiatus, cui nullum onus eſt annexū beneficio pręter recitationē horarū: 2. quia cū beneficiū nō ſimplex detur nō propter ſolū officiū, ſed etiā ob alia miniſteria, rō poſtulat, vt beneficiatus omittens recitare nō teneatur reſtituere, niſi eos fructus, qui correſpondent recitationi, ſicque videtur intelligendum decretum Concilij Lateranen. pręſertim, cum Concilium ad obligandum beneficiatum non recitantem, vt reſtituat, eam rationem afferat quod beneficium datur propter officium, ideoque quando adeſt aliud officium, deduci debeat, quod ei correſpondet: 3. quia Conſtitutio Pij V. decernens beneficiatum omittentem recitare teneri pro rata reſtituere omnes fructus beneficij, ſeu beneficiorum, qui correſpōdent illis diebus omiſſionis: limitari poteſt, vt intelligatur de fructibus, qui correſpondent recitationi, non autem de ijs, qui correſpondent alijs muneribus à beneficiario exhibitis: ſicq; videtur exponenda; 4. quia talis obligatio eſt pænalis, ac proinde reſtingi debet, præſertim, cum talis reſtrictio ſit valdè conformis iuri naturali: 5. quia teſte *Sanch. ſup.* Conſtitut. Pii V. non eſt recepta cum tanto rigore, vt fatentur multi viri docti, & praxis timoratorum.

Maius dubium eſt, ad quam ratam fructuum debeat fieri reſtitutio debita ex omiſſione diuini offic.

208 ℞. Attenta Conſtitutione Pii V. relata q. 2. debere fieri hoc modo; nimirum vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermittit omnes beneficii, ſeu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie diuiderentur, reſtituat: qui verò matutinum, tantùm dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harū ſingulas, ſextam partem fructuum eiuſdem diei. Quamquam talis Conſtitutio iuxta dicta §. *præcedenti* moderanda videatur, & teſte *Henriq. l.* 13. *c.* 13. *n.* 2. cum tali moderatione ſolum recepta ſit: quo modo *Henriq. in gloſſa* ait, quod ſpectat ad præſentem obligationem reſtitutionis, ſufficere, quod curatus, aut Epiſcopus omittens officium reſtituat quintam partem, Canonicus quartam, & alii habētes beneficia ſimplicia tertiam partem; Medina verò *l.* 1. *inſtruct. Confeſſ. c* 14. §. 11. dicit Capellanum non recitantem teneri reſtituere tertiam partem fructuum, habentem curatum quartam partem (idemque conſuluit de habente canonicatum, referente *Sanch. ſup. d.* 84. *n.* 5.) habentem autem præſtimonium omnes fructus, vel ferè omnes; quod arbitrium approbat *Sanch. vbi ſup.* præterquam quo ad habentem præſtimonium, aut penſionem, qui non videtur obligandus plus quam ad tertiam partem fructuum, vtpote quæ reſpondet obligationi diuini officii, quod acceſſoriè coniunctū eſt titulo.

209 Addo cum *Bonac. ſup. q.* 5. *p.* 2. *n.* 16. habentem plura beneficia teneri reſtituere fructus omnium beneficiorum pro rata officij culpabiliter omiſſi. patet tum ex bulla Pii V. in qua id apertè exprimitur ijs verbis: *omnes beneficij ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi; vel illis diebus reſponderent, amittat*; tum quia, ſicut beneficiatus tenetur ratione omnium beneficiorū recitare, ita ſi omittat, tenetur reſtituere fructus omnium pro rata officij omiſſi, ſicut iam dictum eſt.

QVÆRES XIV. An Regulares beneficiati omittentes recitare officium teneantur ad reſtitutionem fructuum ante Iudicis ſententiam.

210 ℞. Teneri; & patet tum ex dictis hìc *ſect.* 3. *q.* 22. tum quia beneficium confertur ſub hac tacita conditione, vt beneficiatus percipiat fructus, ſi officiū recitauerit: vnde ſi non impleatur conditio, non acquiritur dominium fructuum iuxta illud: *datum ob cauſam, cauſa non ſecuta non poteſt retineri*: tū quia teſte *Filli. ſup. n.* 311. talis eſt conſuetudo, & praxis ſacræ pęnitentiariæ, cui ſine dubio ſtandū eſt. ita cōmuniter DD. *Suar. ſup. c.* 30. *n.* 3. *Bonac. ſup. n.* 7. & alij.

QVÆRES XV. Quę pars Officij omiſſi cenſeri debeat leuis, vt nō obliget beneficiarium omittentem ad reſtitutionem fructuum.

211 ℞. *Diana p.* 2. *tr.* 12. *reſol.* 26. cum *Filliuc. ſup. n.* 319. & ſatis probabiliter, pro omiſſione minori, quam vnius horæ integræ non teneri Beneficiariū ad vllā reſtitutionem, adeoq; poſſe contingere, vt quis in. peccet in omiſſione officij, & tamen nō teneatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia obligatio reſtituendi oritur ex lege Eccleſiaſtica: lex autē rigoroſa debet reſtringi ad ſuos terminos, non extendi; ac proinde, cū lex imponens obligationem reſtituendi definitè taxet pro omiſſione ſingularū horarum, ea vtique non eſt extendenda ad minorem omiſſionem. Vnde infert *Diana p.* 5. *tr.* 14. *reſol.* 46. quod cum bulla Pij V. obligans ad reſtitutionem omittentes horas canonicas, loquatur ſolum de horis integris, vt cōſtat ex eius tenore: eius obligatio extendi non debet ad omiſſionem Laudum, quę non ſunt hora integra diſtincta, ſed pars Matutini; vt tradunt Canoniſtæ in *cap.* 1. *de celebrat. Miſſ.* & *Clem.* 1. *eod. tit.* quod tamen negant alij cum *Suar. ſup. c.* 30. *n.* 12.

212 Addit *Diana p.* 2. *tra.* 12. *reſol.* 26. omiſſa parte notabili officij, ſi pars fructuum ei reſpondens ſit ea, vt in furto non pertingeret ad mortale, non tenetur beneficiarius ſub mortali reſtituere: imò neque ſub veniali, vt docent *Tol.* & *Suar.* apud *Caſt. Pal. ſup. p.* 7. *n.* 5. ea ducti ratione ꝙ Eccleſia, quæ eſt piiſſi-

ma

ma mater non preſumitur velle obligare ſuos miniſtros cum tanto rigore; quod negat *Bon.ſup.n.*13. aſſerens beneficiarium in hoc caſu teneri reſtituere ſub veniali, imo & *Caſt.Pal.* dicēs id eſſe probabilius.

Difficultas maior eſt, an teneatur ad reſtitutionem, qui partem leuem omittit in ſingulis horis, cuius omiſſio comparatione totius officij diei cenſeatur grauis quantitas.

213 ℞. Probabile eſſe non teneri; & probatur tum quia lex definit obligationem reſtituendi pro omiſſione ſingularum horarum, ideoque cum ſit rigoroſa, non debet extendi ad hunc caſum, vt diximus §. præc. tum quia quod omittitur in vna hora, non debet computari cum eo, quod omittitur in altera ad conſtituendam partem notabilem: cum quælibet hora ſeorſim per ſe faciat vnum totum integrum, ac perfectum. ita *Caſtr.Pal.ſup.n.6.* ex *Moneta,* & *Filli.* quos ſequitur *Diana reſ.cit.* contra *Bonac.ſup.nu.*15. oppoſitum ſuſtinentem.

QVÆRES XVI. An teneatur ad ſupradictam reſtitutionem Religioſus beneficiarius, qui ſæpius notabilem Officij partem omittit, ita tamen, vt ſingulis omiſſionibus nō reſpondeat notabilis pars fructuū, ſed ſolū omnib. omiſſionibus ſimul sūptis.

214 ℞. Teneri, & quidem ſub pecca.m. vbi peruenerit ad quantitatē, quæ iudicio prudentis in præſenti materia cenſeatur notabilis; quod tamen non habet locū in caſu, quo iuxta dicta *q. præc.* beneficiarius in ſingulis omiſſionibus non obligatur ad reſtitutionē aut certè per tēporis interualla valdè magna illę omiſſiones fierent. ita *Sua.ſup.n.*13. *Filli.ſup.n.*320. *Bona.ſu.n.*14. & alij; patetq; ex eo quod etiā in materia furti tradūt cōmuniter DD. furantē minima, ſi paulatim perueniat ad quantitatē notabilē teneri ſub m. ad reſtitutionē, eo quod illa furta minima moraliter vniantur ratione rei alienæ in notabili quantitate retentæ inuitu domino, & coaleſcāt in vnū furtū magnū: conſtat autē in noſtro caſu idem proportionaliter euenire; ſi quidē ex vna parte fructus reſpondentes diebus, quibus beneficiarius non recitat officiū, ſiue in totū, ſiue ex parte, prorata omiſſionis nō ſunt beneficiarij (vtpote quos nō facit ſuos, niſi recitando officiū) ſed alieni, i. Eccleſiæ: ex alia verò parte tales fructus, licèt quoad ſingulas omiſſiones ſint modici, paulatim tamen perueniunt ad quantitatē notabilem, & modo dicto vniuntur in vnam portionem magnam, quæ proinde ſub m. debet reſtitui, non excuſante amplius paruitate materiæ,

215 Dixi, *quod tamen non habet locum in caſu, quo beneficiarius in ſingulis omiſſionibus non obligatur ad reſtitutionē*; ſicut. n. (ſtando in exemplo allato de furtis minimis) DD. non obligant ad reſtitutionē famulos ſurripientes, ad propriū vſū eſculenta, & poculēta vulgaria à ſuis dominis, etſi ſenſim perueniant ad quātitatē notabilē. eo quod ipſi domini nō ſint omninò inuiti quo ad illa, eiſq; diſpliceat ſolū modus, nec ita rigidè intendant illa ijs prohibere (vt benè aduertit *Sanch.l.7.in dec.c.*21.*n.*31. cū *Caiet. Nau. Sayr. Bann.* & *Leſſ.* idē aſſerēs de talibus furtis Religioſorū: adeoq; dicta furta non cenſeantur moraliter cōtinuari: ita & in præſenti caſu, cum ſingulæ omiſſiones Officij non obligēt ad reſtitutionē, nec ſub veniali, vt iā diximus, & aliàs Eccleſia nō præſumatur cū tanto rigore præfatas omiſſiones prohibere nō adeſt ratio aſſerendi eas ſimul coaleſcere, ac obligare ſub m. ad reſtitutionē: præſertim cū Eccleſia ſit pijſſima Mater, & beneficiarij reſpectu illius ſe habeāt tanquā filij, non autē, vt famuli. Quæ doctrina proportionaliter dici poteſt militare etiā in caſu, quo omiſſiones officij notabiles, ſingulæ ſeorſim non obligantes ſub m. ad reſtitutionē ratione tenuitatis fructuū beneficij, fiant rarò, & per maiora tēporis interualla. ducor, quod *Nau.c.*17.*n.*139. *Graff.p.1.dec.l.2.c.93.n.19. Rebell.p.1.l.3.q.15.ſect.4.n.37.* & *Sanch.ſup.n.*10. notāt, quādo furta ſunt minima, & valdè notabiliter interpolata, maiorē requiri quantitatem, vt tā acceptio quam retentio ſint lethalia: idq; eſto aduertantur furta minima præterita: ſic. n. moraliter loquendo, non videntur coniungi eiuſmodi furta; conſtat autē, quod ſi talis interpolatio tēporis non ſinit moraliter coniungi furta minima neque quo ad reatū culpæ, neq; quo ad obligationem reſtituendi; neque ſinet moraliter vniri ſupradictas omiſſiones Officij quo ad obligationem reſtituendi; cum ſit par ratio in vtroque caſu, imò etiam maior in noſtro.

QVÆRES XVII. An Regulares beneficiati ſtāte bulla Pij V. teneātur ad reſtitutionē fructuū, ſi intra annum, ſolum omittant recitare per 8. aut 10. dies.

216 ℞. *Io. de la Cruz in direct.p.1.præc.3.a.3.d.6.* cum *Medi.* & *Lopez* non teneri, eo quod Beneficiati ſint ſerui Domini liberaliſſimi, qui quo ad hæc multò minus rigidè exigit, quam domini temporales: cū tamen hi ipſi interdū ſoleāt hæc modica negligere, ac promptè remittere debitoribus *Sotus* vero, *Garc. Vega, Ang. Arag.* & *Fillu.* apud *Caſt.Pal.ſup.p.7.n.4.* hanc doctrinā non admittūt, niſi per vnū, aut alterū diē; id ſibi ſuadētes ex eo, q pius, & clemēs dominus de ſalario famuli, non detrahit ob vnius, vel alterius diei ſeruitium neglectum, ſi reliquo toto benè illud præſtet. Reliqui denique Doctores communiter aſſerunt beneficiatum teneri reſtituere non ſolum ſi omittat recitare, etiam pro vno tantùm die, ſed & ſi omittat vnicam horam paruam; cum Pius V. clarè expreſſerit in illa ſua Conſt. reſtitutionem pro rata faciendam eſſe propter culpabilem omiſſionem nō modo vnius diei, ſed etiam vnicæ horæ; quo pacto non valet exemplum famuli pro vno, vel altero die in anno omittentis debitum ſeruitium; cum non relinquatur locus præſumptioni quoad voluntatē alterius, niſi quādiu de ea non conſtat expreſſè; quod vtique non euenit in caſu noſtro, vt patet. ita *Caſtr. Pal. vbi ſup. Laym.l.4.tr.2 c.5.n.1. Bonac.ſup.p.2.nu.8.* alijque apud ipſos & ſatis probabiliter; quamuis nō omninò improbabilis videatur ſententia *Soti*, & illorum aliorum Doctorum, tum ob auctoritatem tot Doctorum; tum quia, licèt de rigore iuris reſtitutio fieri debeat in propoſito caſu; praxi tamen eſt temperatus talis rigor; vt in ſpecie ait *Filliuc.tr.23. n.*317. nec diſſentit *Paſqualig. deciſ.* 454. citans pro ſe *Medinam,* & *Ludouicum Lopez*.

QVÆRES XVIII. An Regulares beneficiati teneantur ad dictam reſtitutionem, ſi inculpabiliter omittant recitare Officium.

217 ℞. Non teneri: & probatur, tum ex ipſa Conſt. Pij V. quæ dicit *diuinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, &c.* quod eſt dicere, qui diuinū

Officium culpabiliter omiſerit; tũ quia in foro conſcientiæ non debetur pœna, vbi non adeſt culpa; carentia autem fructuum inducta eſt in pœnam culpę commiſſæ in recitatione officij; vnde fit, vt ad nullã teneatur reſtitutionẽ, qui omittit recitare ex obliuione, infirmitate, ignorãtia inculpabili, aut alio iuſto impedimento. ita *Regin. l.30.tr.3.n.44.* Nald. *v. diuin. offic. n.15. Garc. ſup. c.1. n.26.* alijq; apud *Bonac. ſup. p.2. n.4.* qui *q.6. p.2 n.3.* ait non obſtate huic doctrinæ, quod aliqui cõtra illum objiciunt; datum ob cauſam, retineri non poſſe, cauſa non ſubſecuta: ſi quidem hoc axioma non habet locum in caſu, quo aliud de voluntate dantis rationabiliter præſumi poteſt, vt in præſentia præſumi poteſt de Eccleſia, quod ſcilicer ea non intendat obligare ad reſtitutionem beneficiarium, qui ſine ſua culpa modo ſupradicto omittit recitare.

QVÆRES XIX. An Regulares beneficiati obligentur ad præſatam reſtitutionem, ſi recitent officium abſque vlla attentione interiori.

218 ℟. Quod cum hìc *ſect. 1. q. 14. & ſect. 2. q. 14.* dixerimus non eſſe improbabile recitantem officium ſine vlla attentione interiori ſatisfacere obligationi, ſiue ad illud teneatur ratione ordinis ſacri, ſiue ratione profeſſionis religioſæ, ſiue ratione beneficij eccleſiaſtici; conſequenter in præſentia dicendũ eſt Beneficiarium ſine attentione interiori recitantem non teneri ad vllam reſtitutionẽ; quamuis oppoſitum ſit probabilius. 1. pars, quã ſequitur *Sanch. l.2. conſil. c.2. d.85. tum Corduba*; alijſq; viris doctis ab ipſo conſultis, *Tol. l.2. c.12. Henr. Medi. Leſs. & Azor.* relati à *Caſtro Pal. ſup. n.7.* probatur, tum quia eatenus Beneficiatus tenetur ad reſtitutionem, quatenus non ſatisfacit obligationi recitandi: at recitans ſine interiori attentione verè ſatisfacit obligationi, vt oſtendimus ſup. ergò; tum quia lex pęnalis debet reſtringi, adeoq; cum pœna reſtitutionis imponatur ijs, qui diuinum officium recitare omittunt, nõ autem ijs, qui ſine attentione interiori recitant, vt colligitur ex decreto Conc. Lateranenſi & bulla Pij V. ea non debet ampliari ad recitantes diſtractè; tũ quia eccleſia non ſolet imponere pœnã propter actum, qui ſolũ ſit malus ob relationem ad actum interiorẽ, vt benè aduertit *Nau. c.27. n.269.* in noſtro autẽ caſu recitatio officij eſt tantùm mala ob euagationem interiorem, ac proinde non debet præſumi Eccleſiam imponere pœnã reſtitutionis ob illã.

219 Secunda pars, quam ſuſtinẽt *Azor. Leſſ. Nau. Suar. Garc. P. Nauar. Bonac.* apud *Caſtr. Pal. ſup.* alijq; penes *Sanch. loco cit. n.1.* probatur, quia paria ſunt non recitare, ac recitare abſque vlla attentione interiori; cum fructus beneficij acquirantur ob recitationẽ pręceptam, & omittantur ob illius omiſſionem; vnde, cum recitatio ſine interiori attentione non ſit recitatio præcepta, vtpote, quæ nõ eſt oratio, neq; ex ea fructus acquirentur; quæ ratio facit quidem hanc partem poſteriorem valdè probabilẽ, non tamen deſtruit omnimodã probabilitatem oppoſitæ opinionis; cũ iuxta dicta *cit. ſect. 1. q.14.* rationabiliter negari poſſit recitationem horatũ factã ſine attentione nõ eſſe eam recitationem, quæ pręcipitur ab eccleſia, imò & præcipi põt ab illa: quo mõ probatio partis poſterioris nõ parũ eleuatur, vt patet.

Vtrum verò Beneficiarius teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſi recitans priuatim cum alio non attendat ad partem, quam ille alius recitat.

220 ℟. Ex modò dictis non teneri, ſi ſaltem ſeruet attentionẽ exteriorẽ eo modo, quo diximus *ſup. ſect. illa 1. q. 14.* Ducot, quod recitans officiũ cũ alio eatenus debet attendere ad partẽ, quam dicit ſocius, quatenus debet cum eo communicare in recitatione, vt illã per auditionem faciat ſuam: ad hoc autẽ ſufficere videtur attentio exterior, ſicut & ſufficit ad recitationẽ partis ipſi contingentis: cum hæc ſola præcipi poſſit ab Eccleſia, vt probauimus ea q.14. paulo antè citata, & aliàs quò ad forum externum ipſius Eccleſiæ ſic dicatur ſufficienter attendere, & per conſequens communicare cum ſocio in recitatione officij. ita viri docti à me de hoc conſulti.

QVÆRES XX. An Regulares beneficiati maneant deobligati à ſupradicta reſtitutione, ſi alio die officium prætermiſſum recitent.

221 ℟. Non manere deobligatos: quamuis *Bonac. ſup. q.5. p.2. n.5.* cum Maiore, Palud. Ledeſma, & alijs oppoſitum dicat eſſe probabile non diſſentiente *Diana p.2. tr. 12. reſol. 24.* qui pro hac ſententia adducit Molfeſium. Probatur autem noſtra reſponſio tum ex Concilio Lateran. & bulla Pi V. in quibus habetur eum, qui non recitat ſuo tempore officium non facere fructus ſuos: tum quia obligatio recitandi eſt alligata diei, & tranſit cum ipſa die, adeoq; non poteſt ſuppleri alio die; ita vt ex tali ſuppletione immunitas reſtitutionis obtineatur; tum quia beneficiarius hòc ipsò, quòd non recitat, ſtatim abſq; alia Iudicis declaratione (vt iam ſemel, ac iterum oſtendimus) incurrit pœnam reſtitutionis Fructuum: nemo autem poteſt ſe eximere à pœna modo dicto contracta per legem Superioris. ita *Bonac. ſup. cum Henriq. Aragon. & P. Nauarra.*

222 Nec diſſentit Suar. *ſup. c.29. n.11.* dum ait huiuſmodi reſtitutionem ex natura rei nõ eſſe neceſſariò faciendam in bonis, ſeu fructibus temporalibus beneficij, ſed poſſe fieri in bonis ſpiritualibus, quæ fuerunt omiſſa, nimirum tempore ſequenti recitando quotidie duplicatum officium, donec priores omiſſiones reſarciat: imò & dicendo alias preces prudẽti arbitrio æquiualentes; ſi quidem loquitur, non abſolutè, ſed attento præcisè iure naturali (quo modo veriſſimum eſt, quod ait) vnde ſic concludit *Quapropter non dubito, quin, ſi quis velit hoc modo reſtituere, ſatisfaciat in toto rigore iuris naturalis, & ſecluſo iure poſitiuo,* videlicet decreto Conc. Lateran. & bulla Pij V. ſtatuentibus præfatam reſtitutionem debere fieri ex fructibus ipſorum beneficiorum. Et in hoc ſenſu videtur intelligendus *Filliuc. n. 307.* quamuis verè loquatur abſolutè dicens: *Non eſt neceſſe fieri* (loquitur de dicta reſtitutione) *in fructibus temporalibus beneficij, ſed poteſt fieri, etiam in ſpiritualibus, vt in recitatione per idem tempus omiſſum per recitationem aliorum officiorũ, & ſimiliũ*; quẽ proinde, vt & Suar. dicit Dian. ſup. malè citari à Molſeſio pro parte affirmatiua, cum ambo loquantur de reſtitutione fructuum facienda à beneficiario pro omiſſione horatum in primis 6. menſibus, de quibus non loquitur Pius V. in bulla.

223 Pro cuius rei explicatione ſupponendum eſt

non

non deeſſe plures DD. qui ſuſtinent beneficiarium omittentem recitare, & in primo ſemeſtri, attento iure naturali teneri ad aliquam reſtitutionem, quantumuis ad eam non teneatur ex iure poſitiuo: probautque ex eo, quod omiſſio diuini Officij, etiã pro dicto ſemeſtri, eſt contra iuſtitiam commutatiuam; cum ſic adſit receptio mercedis abſque redditione laboris, & hoc iuxta illud *beneficium datur propter Officium*: quamquam alioqui concedant cũ *Suar. ſup. num.* 11. non videri neceſſarium ex natura rei, vt talis reſtitutio fiat in bonis temporalibus, ſeu fructibus beneficij; ſed poſſit fieri, etiam in bonis ſpiritualibus, eo modo, quo diximus in reſponſione præſentis quæſtionis.

QVÆRES XXI. An teneantur Regulares beneficiati ad reſtitutionem, ſi recitent Officium pro Officio (v. g. de Sancto loco officij de Feria.)

224 ℞. Quod, cum iuxta dicta *hic ſect.* 2. *q.* 11. non improbabile ſit eiuſmodi mutationem non obſtare, quin recitans ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, & conſequenter ſuæ obligationi, ſi mutatio fiat eo modo, quo illam ibi conceſſimus; eadem ratione dicendum eſt non eſſe improbabile beneficiarium recitantem Officium pro Officio modo ſupradicto non teneri ad vllam reſtitutionem. Ratio eſt, quia tunc ſolùm tenetur beneficiarius ad reſtitutionem, quando non ſatisfacit obligationi; at qui mutat officium pro officio, ſatisfacit obligationi; ergò.

QVÆRES XXII. An Regulares beneficiarij teneantur ad reſtitutionem, ſi omittant recitare Officium, poſt quam groſſam præbendæ verè, & abſolutè lucrati fuerint.

225 ℞. *Salas de leg. D.* 15. *ſect* 2. *num.* 27. & cum eo *Diana p.* 2. *tr.* 12. *reſol.* 8. non teneri: probantq; ex eo quod obligatio reſtituendi impoſita beneficiario non recitanti Officium, eſt pæna inducta iure poſitiuo, adeoque non debet ampliari vltra terminos, ad quos ipſum Ius illam extendit; vnde, cum Ius ſtatuerit ſolum, vt beneficiarius omittens recitare non faciat fructus ſuos (vt expreſsè dicitur in *Conc. Lateran.* & in bulla Pij V.) non autem, vt reſtituat fructus iam ſuos: ſequitur quod, cum Beneficiarius recepta groſſa beneficij ſuos iam fecerit fructus præbendæ, non tenebitur reſtituere fructus correſpondentes omiſſionibus Officij, quas fortè faciet in reſiduo illius anni: aliàs nimis ampliaretur ſup. dicta pæna, extendendo illam à caſu in iure expreſſo ad non expreſſum; quod in pænis, ac odijs dicunt DD. communiter non eſſe admittendum. ita *Salas*, & quidem ſatis ingenioſè; quam verò probabiliter, iudicent alij: dici enim poteſt beneficiarius recipiendo groſſam præbendæ facere ſuos fructus, non abſolutè, ſed cum onere, vt, ſi poſtea omiſerit recitare tempore correſpondente illis fructibus, teneatur eos reſtituere ad ratam, idque in pænam talis omiſſionis; quod vtique poteſt habere locum, etiamſi detur beneficiarium recipiendo groſſam beneficij ſuos facere illos fructus; cum iuxta dicta *qu.* 14. illos faciat ſuos ſub conditione Officij recitandi, adeoque hac non purificata ex defectu culpabili beneficij fructus illi ad ratam deſinant eſſe ſui ideſt beneficiarij. Illud certè puto omninò requiri ad hoc vt dicatur probabile, quod ait *Salas*: nimirum, vt beneficiarius bona fide recipiat groſſam beneficij, hoc eſt intendens recitare officium tempore ſubſequenti correſpondente fructibus groſſæ: alioqui non videtur poſſe illos fructus facere ſuos; cum reuera beneficium detur propter officium modo ſupra explicato.

QVÆRES XXIII. Cui debeat fieri reſtitutio impoſita Beneficiarijs in pęnã omiſſionis officij diuini.

226 ℞. Ex Conc. Later. & Conſt. Pij V. eam poſſe fieri, ſiue fabricæ Beneficij, ſiue pauperibus; adeoque liberum eſſe beneficiario eligere ex his. quod maluerit. ita *Suar. ſup. c.* 30. *n.* 18. *Sanch. ſup. d.* 87. *Bon. ſup. q.* 5. *p.* 4. *n.* 1. qui monent Beneficiariũ, ſi eligat fructus beneficij reſtitutioni obnoxios erogare pauperibus, poſſe erogare quibuſcumque panperibus, non autẽ ſolum pauperibus loci beneficij: cum Pius V. dicat abſolutè *ad eleemoſynas pauperum*, & non addat *pauperum huiuſmodi beneficiorum*; ſicut addit, quando loquitur de reſtitutione facienda in bonum fabricarum dicens, *in fabricas huiuſmodi beneficiorum* (v. g. ad coledos agros, & ſimilia facienda in vtilitatem beneficij) vt notauit *Suar. n.* 20. Imo reſtitutio hæc fieri poteſt & ipſis animabus Purgatorij, curando pro ijs Sacrificia, nec nõ alijs Eccleſijs, monaſterijs, ac locis pijs: cum hæc omnia veniant nomine pauperum, & iura præcipientia talem reſtitutionem, non limitent ad hos, vel illos pauperes; vnde quod diximus eiuſmodi reſtitutionem non poſſe expendi in vtilitatem alterius Eccleſiæ ab ea, quam habet beneficiarius, non excludit, quo minùs ea poſſit illi applicari tanquam habenti rationem pauperis, qualis in iure præſumitur quælibet Eccleſia.

227 Addunt *Leſſ. l.* 2. *c.* 34. *n.* 177. *Nau. c.* 25. *n.* 123. *Tol. l.* 2. *c.* 12. *n.* 5. & alij Beneficiarium, ſi verè ſit pauper, poſſe ſibi ipſi applicare dictam reſtitutionem: idque non obſtante quod iura clament beneficiarium non recitantem non facere fructus ſuos, ſed eos tãquam iniuſtè perceptos teneri reſtituere; nam hoc intelligitur, dum ipſe ſibi ratione paupertatis non applicauerit. Patet autem reſponſio ex eo quod non tam Beneficiarius ipſe ſibi àpplicat eos fructus, quã Papa ipſi; & alioqui Beneficiarius eſſet deterioris conditionis alijs Pauperibus; intellige, niſi aliud conſtet, aut rationabiliter pręſumatur velle Papam, vel certè ex conſuetudine, aut ſpeciali ſtatuto, ac lege alicui operi pio certo applicati ſint fructus amiſſi ob non recitatum Officium; vt aduertit *Caſtr. Pal. ſup. nu.* 13. aſſerens ſe credere nolle Papam beneficiato pauperi applicare fructus, quoties is fiſus hac ſibi applicatione facienda titulo paupertatis omittit recitare: cũ non ſit credendum, quod Papa velit occaſionem peccandi ſuppeditare: quo pacto in bulla compoſitionis à priuilegio compoſitionis excluduntur, qui ſub ſpe compoſitionis furãtur; quod idem tradit *Bonac. ſup. n.* 9. innuens fortè ſecùs dicendum in caſu, quo ſupradictus beneficiarius ſit in graui neceſſitàte, vel pęnitentia ductus ſtatuat in futurum recitare, vt debet.

Difficultas maior eſt an Beneficiarius, qui omiſit recitare, poſſit retinere ſibi fructus, quos titulo donationis accipit a pauperib. aut pijs locis, quib. eos tradidit, vel certè tradere intẽdebat, aut promiſerat.

228 ℞. Poſſe, ſi iam fructus traditi ſunt, & pauperes

quibus dati fuerunt, liberam habeant facultatem de ijs diſponẽdi; quilibet enim eſt rei ſuæ moderator, & arbiter, nec extat vllum ius id prohibens, neq; vllũ inde ſequitur incõmodum. Secus, ſi fructus nondũ traditi ſunt à beneficiario; nã ſic non dicitur feciſſe reſtitutionem iuxta intentionem Papæ, cum tamen ad id omninò teneatur: præterquam quod pauperes quibus nondum traditi ſunt fructus, non habẽt ius ad illos certum, & firmum, ſed vagum, ac incertum, pendens à voluntate beneficiarij, cuius eſt eligere, ac ſtatuere, cuinam velit reſtitutionem facere; adeoque non poſſunt pauperes talem remiſſionem concedere, cum remiſſio fieri non poſſit, niſi ab eo, qui ius verum, ac proprium habet. ita *Bonac. ſup. num.* 10. & valdè probabiliter, pateṭque ex dictis, ſi tamen addidero ad præſentem effectum requiri, vt ſup. dictum fructus tradantur pauperibus actu, non autem ſolum virtualiter, idest per oblationem eorum factam à beneficiario, & ab ipſis pauperibus acceptatam; quæ eſt donatio imperfecta, ac inſufficiens ad transferendum dominium; vt colligitur ex *l. traditionibus C. de pactis*, vbi dicitur *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*.

QVÆRES XXIV. An Regularis beneficiarius liberetur ab obligatione reſtitutionis debitæ ex omiſſione Officij ob eleemoſynas pauperibus iam datas, non tamen cum intentione ſatisfaciendi huic obligationi.

229 ℞. Videri probabile, quod liberetur, ſi iam talis obligatio re vera contracta eſt. ita *Laym. l. 3. tract. 2. ſect. 5. c. 3. n. 10.* & cum eo *Diana p. 3. tr. 6. reſol. 57.* puterque tum quia hæc videtur eſſe virtualis intentio omnium facientium eleemoſynas, vt per eas ſatisfaciant omnibus obligationibus, quas ſuis peccatis, aut negligentijs contraxerunt: tum quia leges Eccleſiæ ſemper debent benignè explicari, quod etiam habet locum in debitis ex furto, vſuris &c. quæ fortè ſoluenda ſunt pauperibus ob incertitudinem creditorum: cum enim eleemoſynæ non repugnet velle ſatisfacere pro eleemoſyna alias debita (vt ſi quis eleemoſynam iniunctam à Confeſſario det extremè indigenti, cui ex iuſtitia tenetur ſubuenire iuxta probabilem Doctorum ſententiam); qui dat eleemoſynam cenſetur habere hanc virtualem intentionem ſatisfaciendi, etiam alteri debito, quod non ſit ex ſpeciali aliqua lege iuſtitiæ, (v. g. ratione mutui, venditionis) quo modo debens 100. aureos certo creditori ex contractu emptionis, non ſatisfacit debito, ſi immemor illius ei donet 100. ſi quidem donatio, cum ſit merè gratuita, non ſit animo compenſandi cum debito adeoque donans habet intentionem expreſſam dandi gratis, & abſq; omni debito, quod vtique repugnat intentioni virtualis ſatisfaciendi pro debito; vt benè aduertit *Sanch. l. 2. conſil. c. 3. d. 121. num. 3.* quod tamen negant aliqui docti iuniores apud ipſum *Sanch.* ſuſtinentes debitorem certo creditori donantem aliquam pecuniæ ſummam, ſatisfacere obligationi, quam habet dandi illi tantundem ex iuſtitia; & hoc, etiamſi immemor talis obligationis ei donauerit; dummodo expreſſè non habuerit intentionem contrarium: ſic enim ſemper intelligitur virtualiter ſoluiſſe, cum præſumatur velle ſe à debito liberare, quam primũ poteſt, & eſſe tali diſpoſitione animi, vt, ſi illi occurriſſet in mentem debitum, donare noluiſſet; imo potius intendiſſet ſatisfacere debito. idem ſentiunt *Diana p. 5. tr. 13. reſolut. 93. Baldellus l. 5. D. 25. nu. 18.* contra communem Doctorum ſententiam oppoſitum in hoc ſuſtinentem eo quod in contractibus attendi debeat actualis diſpoſitio voluntatis, non autem conditionalis à *Sanchez* non diſſentit *Paſqualigus deciſ. 455.*

QVÆRES XXV. An etiam Penſionarij teneantur reſtituere, ſi non recitant officium paruum Beatæ Virginis.

230 ℞. Teneri, tranſacto ſemeſtri à penſione obtenta, & quidem debere reſtituere integros fructus perceptos correſpondentes omiſſioni; quippe qui ad id expreſſè obligantur in citata bulla Pij V. &, cum non obligentur ad vllum aliud Officium præter recitationem, non habent, vnde excuſentur ab integra reſtitutione. ita *Caſtr. Pal. vbi ſup. nu. 16.* ex *P. Nau. Suar. & Bonac.* qui benè monent huiuſmodi reſtitutionem faciendam eſſe fabricæ beneficij, aut pauperibus ea proportionaliter ratione, qua diximus teneri ipſos Beneficiatos. Vnde fit, vt, quamuis penſionarius omittens recitare ſit incapax penſionis ad ratam recitationis omiſſæ, non ideo poſſit Beneficiatus ſibi retinere penſionem: cum penſionarius ex præcepto Eccleſiæ teneatur eam reſtituere, non Beneficiato, à quo illam accipit, ſed pauperibus, aut fabricæ beneficij, quibus eſt applicata. ita *Suar. ſup. num. 22.* qui tamen, cum dicat id eſſe probabilius, videtur innuere etiam oppoſitũ eſſe probabile, Beneficiatum ſcilicet poſſe denegare penſionem ſuo Penſionario officium non recitanti, vtpote qui ex omiſſione officij redditur incapax illius; cum alioqui penſio non debeat ſolui, niſi perſonæ capaci.

Vtrum verò, ſtando in ſententia *Caſtri Palai*, & illorum aliorum, poſſit Beneficiarius ex ſe tradere penſionem pauperibus, quaſi præueniendo obligationem, ad quam tenetur Penſionarius omittens officium.

231 ℞. Videri non poſſe: cum Penſionarius in præſenti caſu poſſit petere à Papa aliquam compoſitionem, eamque ſine magna difficultate obtinere tanquam de reſtitutione non debita certæ perſonę, & quæ propterea concedi poteſt ſine præiudicio tertij; præter quam quod non ita faciliè conſtare poteſt Beneficiato, quod Penſionarius culpabiliter omiſerit officium; quo caſu ſolum tenetur ad reſtitutionem; colligitur ex *Suar. vbi ſup.* & probabile exiſtimant docti Recentiores à me conſulti; maximè, cum ius talem reſtitutionem præſcribat faciendam non Beneficiario, ſed Penſionario, vt patet ex bulla Pij V.

Quod ſi quæras, an Beneficiarius in propoſito caſu diſtribuens pauperibus fructus penſionis, aliàs debitæ penſionario, peccet con. iuſtitiam, adeoque teneatur ad reſtitutionem.

232 ℞. Videri peccare, niſi bona fides eum excuſet; & teneri ad reſtituendum illud lucrum, quod Penſionarius acquiſiuiſſet petendo, & obtinendo compoſitionem de fructibus amiſſis ob omiſſionem officij, dictum lucrum æſtimando cum circumſtantijs con-

concurrentibus; & maximè ſpectata incertitudine, an talis compoſitio de facto fuiſſet obtenta, necne: eo modo, quo DD. in ſimili ſolent dicere æſtimandam eſſe quantitatem reſtitutionis alteri faciendæ ratione damnificationis. Et quidem, quod Beneficiarius peccet, & teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſecluſa bona fide illum excuſante, conſtat ex eo quod diſtribuendo penſionem amiſſam pauperibus priuat penſionarium fructibus illis temporalibus, quę comparaſſet obtinendo compoſitionem ſupradictam, & per conſequens illum iniuſtè damnificat; cum ille habeat ius petendi compoſitionem, & probabiliter illam fuiſſet conſecuturus: qui autem alterum damnificat iniuſtè, tenetur ad reſtitutionem, vt patet. Dixi, *ſecluſa bona fide eum excuſante*: cum enim obligatio reſtituendi in præſenti caſu procedat ex actione iniurioſa; & actio non cenſeatur talis, niſi quando interuenit culpa mi (vt probabiliter tradunt non pauci DD.) cum *Leſſ. l. 2. cap. 7. d. 6. num. 27.* ſequitur quod, ſicut bona fides excuſat à peccato ita & excuſat ab obligatione reſtituendi.

QVÆRES XXVI. An reſtitutio, quæ debetur ex omiſſione Officij, fieri poſſit ex alijs bonis, quam ex fructibus temporalibus beneficij, aut penſionis.

233 ℞. Cum diſtinctione: vel loquimur de reſtitutione facienda poſt primos 6. menſes; & ea debet neceſſariò fieri ex fructibus beneficij, aut penſionis; cum id expreſsè ſtatuatur in Bulla Pij V. his verbis: *beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis, & temporis ſuos non faciat*: quibus ſtatuitur reſtituendos tanquam non ſuos; vel loquimur de reſtitutione facienda in primo ſemeſtri; & tunc ſuſtentor faciendam eſſe reſtitutionem ab omittente Officium (quod tamen multi negant) & probabilius etiam ſecluſo iure poſitiuo, vt indicat *Leſſ. l. 2. cap. 34. d. 32.* & tunc reſtitutio fieri poteſt etiam in bonis ſpiritualibus, vt oſtendimus *ſup. cap. 20.* ex *Suar.* qui *loco citato cap. 29. num. 6.* benè probat beneficiarium in primo ſemeſtri omittentem recitare non teneri iure naturæ ad reſtitutionem, eo quod obligatio reſtituendi ſolum naſcitur ex violatione iuſtitiæ commutatiuæ: cum tamen beneficiarius in hoc caſu non violet iuſtitiam commutatiuam, ſed obedientiam Eccleſiæ, aut Religionem, ad quam ſpectat actus orandi præceptus; quod idem ſentiunt plures alij DD. ab ipſo *Suar.* relati.

234 Addo cum *Bonac. q. 2. p. 5. num. 23.* in Conc. Lateran. ſtatui, quod beneficiatus omittens recitare poſt ſemeſtre, poteſt excommunicari, ſuſpendi, ac beneficio priuari, ſi intra 15. dies, poſtquam monitus eſt bis ſaltem non recitauerit.

CAPVT IX.

De Obligatione, quam habent Regulares quo ad celebrandum Miſſæ Sacrificium.

INter præcipuas Regularium obligationes meritò recenſetur obligatio celebrandi Miſſæ Sacrificium: quæ obligatio cum ſpectari poſſit non ſolum quo ad Celebrationem Miſſæ tum priuatam, tum ſolemnem, ſed etiam quo ad implenda miſſarum onera tam perpetua, quam temporalia, quæ ipſi Regulares ſuſcipiunt ex Legato, aut ſtipendio manuenſi; hinc eſt quod caput præſens (in quo de tali obligatione nobis diſſerendum eſt) in 5. ſectiones diuidemus, in quarum 1. agemus De obligatione celebrandi miſſam priuatim: in 2. De obligatione celebrandi ſolemniter: in 3. De Obligatione ſatisfaciendi oneribus Miſſarum temporalibus ex ſtipendio manuenſi ſuſceptis: in 4. de obligatione implendi onera miſſarum perpetua debita ex legato, fundatione, aut alio quouis titulo: in 5. De reſtitutione debita ex non impletione iſtius Obligationis.

SECTIO I.

De Obligatione, quam habent Regulares quo ad priuatim celebrandum miſſæ Sacrificium.

1 *Sacerdos nunquam celebrans in anno iuxtà aliquos non peccat mortaliter: quod alij negant probabilius, etiam ſecluſo ſcandalo, & contemptu.*

2 *Imò etiam iuxta Doctores ſuſtinentes partem negantem peccat venialiter.*

3 *Sacerdos verò Regularis nunquam celebrans in anno vix poteſt excuſari à mortali.*

4 *Religioſi nullo iure adſtringuntur celebrare quotidie; etſi deceat, vt id faciant.*

5 *Licèt per accidens melius ſit, vt interdum abſtineant.*

6 *Ex iuſtitia tenentur celebrare ad implenda onera Miſſarum ſuſcepta à Conuentu.*

Item

7 *Item ad implenda onera annexa beneficio, quod forte habeant.*

8 *Item tenentur celebrare ad implendum præceptum de Miſſa audienda, ſi aliàs implere nequeant.*

9 *Non item, vt alij in die feſto miſſam audire poſſint (ſaltem ſub mortali)*

10 *Cum ſic proximus non cenſeatur eſſe in graui neceſſitate boni ſpiritualis.*

11 *Non tenentur regulariter, ad hoc vt conſecrent Hoſtiam dandam morienti in Viaticum.*

12 *Item regulariter non tenentur ſub mortali, ad hoc vt ſoluant ſuffragia pro Defunctis Ordinis: imò Religioſi Soc. Ieſu abſq; peccato omittunt miſſas iniunctas à Superiore pro Fundatoribus, ac Benefactoribus.*

13 *Religioſi eiuſdem Societatis, ſi miſſas pro certo tempore præſcriptas non dicunt, eas poſtea dicunt.*

14 *At ſatisfaciunt, ſi tales miſsas anticipent.*

15 *Regulares tenentur celebrare ad abſoluendum ſacrificium miſsæ, quod ab alio inchoatum abſolui aliàs non poſſit.*

16 *Item, ſi Prælatus id eis præſcribat per modum præcepti.*

17 *Miſsa applicata contra voluntatem Superioris prodeſt ei, cui applicatur; quod negant alij.*

18 *Regulares ſub certa pœna iuſſi celebrare, eam effugiunt in duobus caſibus hic propoſitis.*

19 *Non peccat mortaliter, qui omittit celebrare miſsam liberaliter promiſsam.*

20 *Imò nec peccat, qui omittit miſsam vnam debitam ex ſtipendio.*

21 *In die Commemorationis Defunctorum iuxtà aliquos miſsa applicanda pro omnibus defunctis; quod alij negant probabilius.*

22 *Cum Eccleſia ea die non præcipiat, ſed conſulat dictam applicationem.*

23 *In die Natiuitatis Domini Regulares tenentur celebrare vnicam miſsam.*

24 *Inſcio Superiore poſsunt ſe obligare ad aliquas miſsas.*

25 *Poſsunt & vouere certum numerum miſsarum.*

QVÆRES I. An Regulares Sacerdotes ratione muneris Sacerdotalis teneantur ſub peccato m. celebrare aliquoties in anno, & ſi aliunde ad id non obligentur (eo quod v.g. ſint Parochi, aut habeant Capellaniam)

1 ℞. Quod, licèt multi, & graues DD. apud *Fagund. præc. 1. l. 3. c. 15. num. 1.* non improbabiliter exiſtiment ſimplicem Sacerdotem non peccare m. & ſi nunquam celebret in anno (modò abſit periculum ſcandali, & contemptus, & in Paſchate communicent cum laicis): id ſibi ſuadentes ex eo, quod nullum extet præceptum diuinum, aut humanũ, quod clarè adſtringat ſimplices Sacerdotes ad aliquoties celebrandum in anno: & aliàs non defuerint viri Sancti, qui ob humilitatem abſtinuerunt à ſacrificando; probabilius tamen eſt Sacerdotem, etiam ſimplicem m. peccare, niſi aliquoties in anno ſacrificium celebret, puta ter, aut quater, maximè in feſtis ſolemnioribus, videlicet in Natiu. Domini, in Paſchate, in feſto Pentecoſtes, & in die Aſſumptionis B.V. ita *Fagund. ſup. num. 3.* cum *S.Tho. p. 3. q. 82. a. 10. Suar. Henriq. Azor. Dur. Soto, Palud. Nau. Sylueſt. Ang. Tab. Armil. Maior. Archid.* & alijs addens contrariam opinionem iuſſu Pij V. expunctam fuiſſe ab operibus *Caietani* in ſecunda editione. Et quidem quod ſimplex Sacerdos peccet m., ſi numquam celebret in anno, probatur tum ex *Lucæ 22.* vbi Chriſtus dixit Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: quod teſte *Conc. Trid.* perinde fuit, ac præcipere Apoſtolis, *eorumq; Sacerdotibus ſucceſſoribus, vt offerrent*; tum quia hoc eſt diſcrimen inter Sacramenta, & Sacrificium; quod Sacramenta referuntur ad fidelium vſum: vnde ad eorum adminiſtrationem ij ſolum obligantur, qui fidelium curam gerunt: Sacrificium verò pertinet ad offerendũ Deo, ad quod quilibet Sacerdos obligatur ex vi ordinationis: cum in ea non tantùm poteſtatem recipiant, ſed etiam officium, ſeu munus ſacrificandi iuxta illud *Hebr. 5. Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia*; tum ex *cap. dolentes de celebratione Miſſar.*, vbi Innocent. III. inter abuſus aliquorum Sacerdotum, quos recenſet, hunc etiam enumerat, quod reperiantur *qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant quater in anno*: tum deniq; quia *C. Trid. ſeſſ. 23. c. 14. de reform.* hæc habet: *Curet Epiſcopus, vt Sacerdotes, ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus celebrent Miſſas*: quibus verbis, inquit *Fagund. ſup.* non imponit Concilium Sacerdotibus nouam obligationem, ſed ſolum Epiſcopos monet, vt curent, quod Sacerdotes obligationem ſuam impleant aliunde inductam, nimirum ex ipſa ordinatione.

2 Notat autem *Suar. de Sacram. D. 80. ſect. 1.* pleroſque Doctores ex ijs, qui ſuſtinent Sacerdotem ſimplicem non teneri vnquam celebrare ſub peccato mortali, concedere Sacerdotes ſimplices peccare venialiter ſi aliquoties in anno non celebrent: cum ſic in vacuum gratiam Dei, & Sacerdotium recipiant, otioſam habeant poteſtatem conſecrandi, & præter rationem, & charitatem priuent eccleſiam magno illo fructu, quem ex ſacrificio miſſæ participat.

3 Dixi ſub initium reſponſionis, *modò abſit periculum ſcandali*: vt indicarem tali periculo interueniente (quo modo regulariter interueniret, ſi conſtaret Regularem Sacerdotem nunquam celebrare in anno) tunc ſub peccato m. teneri Sacerdotem aliquoties celebrare, vrgente præcepto vitandi ſcandali, quod ſine dubio obligat ſub mortali; ſi enim *2. Machab. 4.* adeo deploratur, quod tunc *Sacerdotes iam non circa altaris officia dediti eſsent, ſed contempto templo, & ſacrificijs neglectis feſtinarent participes fieri palæſtræ*: non poſſet inter fideles non eſſe magno ſcandalo, quòd Regularis Sacerdos, qui ratione ſtatus Religioſi debet niti ad perfectionem, plurimaque opera ſuperogationis exercere, numquam celebraret; cum alioqui Miſſæ ſacrificium ſit medium valdè opportunum ad Religioſæ perfectionis conſecutionem, & aliàs Sacerdotes, etiam laici ſoleant frequentiùs celebrare. Quare puto vix poſſe contingere, quod Regularis Sacerdos omninò abſtineat à celebrando, & non peccet m. ratione ſcandali, quod in tali caſu, moraliter loquendo, non videtur poſſe vitari: præſertim cum ij, qui modo ſup. dicto abſtinent à ſacrificando plerumque & exiſtimentur, & ſint

ſint vitæ licentioris, ac perditioris: & valdè rarò in Sacerdote, maximè Religioſo admittenda ſit communis illa excuſatio, qua eiuſmodi Sacerdotes ſolent dicere ſe abſtinere a celebrando humilitatis cauſa, & ob maiorem reuerentiam: vnde ait *Azor. p.1.l.10.cap.24.q.1. Non abſoluerem ego eum, qui nunquam totum anni curſum Miſſæ Sacrificium faceret. nec etiam excuſarem eum, qui nunquam ſacrificat per annum ob impedimentum, quod ipſe tollere poteſt, & ex illius voluntate pendet, nec item eum, qui ideo nunquam per annum ſacrificat, quia frequenter peccare ſolet: peccatum enim eſt voluntarium, ac proinde diuina gratia cauere, & vitare debet.* ita *Azor.* & cum illo *Fagund. ſup. nu.* 5.

QVÆRES II. An Regulares Sacerdotes teneantur celebrare quotidie, aut ſaltem id ipſis expediat, adeoque conſulendum ſit.

4 ℞. Non teneri, neque iure communi Eccleſiæ, neque iure ſpeciali Ordinum Religioſorum (ſaltem quod ego ſciam;) quamquam Religioſi Ordinum magis obſeruantium regulariter ſoleant quotidie celebrare; non quidem ex debito, ſed ex propria deuotione, & vſu valdè laudabiliter inducto: qui certè in Societate noſtra ita viget, & ſine cauſa graui, ac extraordinaria vix poſſint noſtri Sacerdotes abſtinere à celebrando ſine aliqua nota: quod tamen ipſi liberè præſtant; cum in *6.p. Conſtit. cap.3.* §.2. ſolùm dicatur; ne Miſſæ Sacrificium vltra 8. dies differatur ſine cauſis iudicio Superioris legitimis; & in *regula Sacerdotum tertia* ſolum per modum conſilij dicatur *ita viuere ſtudeant, vt meritò quotidie celebrare poſſint.* Conſultum certè, & valdè decens eſt Sacerdoti precipuè Religioſo, vt quotidie ſacrificet (ſaltem per ſe loquendo:) cum id cedat in cultum Dei, in bonum fidelium, tum viuorum, tum defunctorum. in ſingulare ipſius Sacerdotis bonum ſpirituale iuxta illud *Beda* allegatum à *Gabriele lect. 87. in Canon. Sacerdos non legitimè impeditus celebrare omittens, quantum in eo eſt, priuat SS. Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iuſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes venia, Eccleſiam ſpeciali Chriſti beneficio, & ſe ipſum medicina, ac remedio.*

5 Quamquam interdum per accidens melius ſit Sacerdotem abſtinere à celebrando; ſi videlicet aliquando ſe ſentiat minùs diſpoſitum ad celebrandum; ita namque exigit reuerentia Sacramenti, & fert diuerſarum perſonarum conditio, variaque gratiarum Spiritus S. diuiſio, vt inter alios aduertit *Suar. ſup. ſect.* 2. & vel ſuadetur ex eo, quod Sacerdos obligatus ad celebrandum quotidie, (titulo Capellaniæ v.g.) poteſt ex cauſa maioris honeſtatis, ac deuotionis iuxta communem Doctorum ſententiam fundatam in *cap. ſignificatum de præbend.* vnam miſſam omittere in hebdomada: imò & duas ſecundum *Nauar. conſ.6. de præbend.* quod non admittunt alij DD. communiter, vt infra dicemus, quæ ratio probat non decere, vt Religioſi obligentur ad celebrandum quotidie ex regula, vel ſtatuto.

QVÆRES III. An, & qualiter teneantur Regulares Sacerdotes ad ſupplenda onera Miſſarum, ſiue perpetua, ſiue temporalia, ad quæ ſe obligauit monaſterium, in quo ij degunt.

6 ℞. Teneri ex iuſtitia, & quidem ſub peccato mort. non minus, ac tenentur Sacerdotes laici, qui ſimilia onera ſuſcipiunt. Ratio autem reſponſionis eſt, quod inter dantes ſtipendium pro Miſſis celebrandis, & monaſterium ex eius receptione ſe obligans ad illas celebrandas interuenit contractus oneroſus, *do vt facias:* itaut ſicut qui promittit ſtipendium, tenetur ſoluere, ita & monaſterium, quod illud recipit, & promittit celebrare teneatur ſatisfacere; nomine verò monaſterij certum eſt venire Religioſos pro tempore in eo degentes; qui proinde ex iuſtitia tenentur offerre Sacrificia, ad quæ monaſterium modo dicto ſe adſtrinxit: cum æquum ſit, vt qui viuit de altari, miniſtret ad altare: præterquam quod monaſterium eſt corpus morale conſtans ex Religioſis ibi pro tempore inhabitantibus, tanquam membris, adeoque ſicut ſentiunt commoda illius, ita & ſuſtineant onera, & conſequenter impleant obligationes Miſſarum ab ipſo ſuſceptas. Colligitur ex *Filliucio tra.* 5. *num.* 175. qui benè monet *num. ſeq.* in hoc contractu non committi ſimoniam, cum ſtipendium detur non pro ſacrificio, & fructus ſpirituali, ſed pro occupatione, & debito celebrandi, ſeu (vt rectius loquar) ob ſuſtentationem neceſſariam Sacerdotis, quæ lege naturali ipſi debetur vt miniſtro Eccleſiæ.

QVÆRES IV. An, & qualiter Regulares Sacerdotes teneantur celebrare ratione beneficij, ſiue ſimplicis, ſiue curati.

7 ℞. Teneri ex iuſtitia; & quidem, ſi beneficium ſit ſimplex, toties, quoties requirit inſtitutio ipſius beneficij, quæ omninò ſeruanda eſt: idque ratione contractus oneroſi, qui intercedit inter beneficiarium, ac inſtitutorem beneficij, & eſt innominatus *do vt facias:* videlicet do fructus beneficij, vt facias ſacrificia; ſi autem beneficium ſit curatum, tenentur per ſe, vel per alios ſacrificare ſingulis diebus dominicis, & feſtis, quibus eorum Parochiani tenentur audire Miſſam; quod notant communiter DD. apud *Fagund. ſup. num.* 8. quamuis aliqui cum *Suar. ſup. ſect. 2. Soto in 4. d. 13. q. 2. a. 2. §. 3. & Azor. ſup. cap. 24. qu. 2.* addant Parochos teneri frequentius celebrare, etiam in diebus non feſtiuis, quam alij Sacerdotes ſimplices: quod non admittit *Fagund.* niſi fortè in aliquo loco ſcandalum eſſet, ſi non ita frequenter celebraretur, populo piè, ac religiosè id deſiderante, ac petente.

QVÆRES V. An Regulares Sacerdotes teneantur celebrare ad effectum implendi præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa in diebus feſtis.

8 ℞. Teneri ſub peccato mort. ſi non adſit alius Sacerdos, cuius Miſſam audiant; & ipſi ſine notabili incommodo celebrare poſſint. patet ex eo quod qui vult finem, debet velle, & media conſequentia ad finē non extraordinaria; non eſt autem medium extraordinarium, quod quis ad implendum præceptum audiendę Miſſæ celebret; ac proinde Sacerdos, qui tenetur obſeruare tale præceptum, debet adhibere eiuſmodi medium, & ſe diſponere ad celebrandum; licet aliàs non eſſet celebraturus; maximè cum non deſint plures, & grauiſſimi DD. qui ſuſtinent cum *Rodriq.*

Hen-

Henriq. Tol. Sylu. Adrian. & Vegha relatis à *Diana p.2.tr.14.reſol.63.* ſimplicem Sacerdotem, deficiente copia Confeſsarij, poſse cum ſola Contritione celebrare, non præmiſsa ſacramentali confeſſione peccati m. commiſſi, pręcisè ad ſatisfaciendum pręcepto audiendę Miſsæ: quod eſt ſignum ad obſeruantiam huius præcepti adhibendum eſse aliquem conatum, & conſequenter Sacerdotem aliàs non habentem copiam alterius Sacerdotis celebrantis, teneri in die feſto celebrare, vt ſic ſup. dictum præceptum impleat.

Dubium maius eſt, an Regularis Sacerdos ſub peccato m. teneatur celebrare in die feſto, vt frequens populus, aliàs Miſſam non auditurus ex defectu Sacerdotis celebrantis, poſſit eam audire, ſicque Eccleſiæ præceptum implere.

9 ℟. Videri ſatis probabile non teneri, ſi iam ipſe ſatisfecit præcepto, audiendo Miſſam alterius Sacerdotis: idque etiamſi abſque notabili ſuo incommodo poſſet celebrare. Ducor, quod Sacerdos in hoc caſu non poteſt dici obligatus ad celebrãdum, niſi ex chatitate, vt ſuppono; charitas autem non obligat ſub mortali ad ſubueniendum neceſſitati ſpirituali Proximorum, niſi ea ſit magna, & grauis: cum tamen neceſſitas, qua in præſenti caſu laborat Proximus non poſſit dici grauis: vt vel hinc patet, quod, ſi ille non habet copiam Sacerdotis in die feſto celebrantis, eò ipſo ceſſat obligatio præcepti de audienda Miſſa, & conſequenter omiſſio Miſſæ ipſi non imputabitur ad peccatum, cum impoſſibilium non ſit obligatio: fructus verò ſpiritualis, quo priuatur Proximus ob Miſſę omiſſionem, non eſt talis, vt ad eum procurandum obligari debeat ſub mortali ſimplex Sacerdos: alioqui ad idem eſſet obligãdus ſub mortali etiã in diebus ferialibus, in quibus ex auditione Miſſæ, vel æqualis, vel paulò minor fructus percipi poteſt: quod tamen nemo dicet.

10 Et hæc confirmari poſſunt ex eo quod iuxta dicta q. præced. *Conc. Trid. ſeſ. 13. c. 7. de Euchar.* concedit Sacerdotem exiſtentem in peccato m. poſſe, non præmiſſa confeſſione, celebrare, ſi vrgeat neceſſitas, & non adſit copia confeſſarij: cum alias *Corduba, Soth. Coninch. Villal. Filliuc. Peſant. Fernand.* & *Suar.* apud *Dianam vbi ſup.* probabiliter doceant ſimplicem Sacerdotem, deficiente copia Confeſſarij, non poſſe in propoſito caſu celebrare cum ſola contritione, præcisè ad effectum implendi præceptum de audienda Miſſa, & ſi non adſit alius Sacerdos, à quo poſſit eam audire; quod eſt ſignum ipſos exiſtimare neceſſitatem audiendi Miſſam de præcepto non reputari vrgentem, ideſt grauem: alioqui enim inhærentes præfatę conceſſioni Conc. Tridentini concederent Sacerdotem in allato caſu poſſe celebrare cum ſola contritione ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ, vti pręfatum Concilium re vera indulget in caſu vrgentis neceſſitatis: ſicuti de facto concedunt DD. qu. præcedenti à nobis relati ex eodem *Diana reſol. cit.* vt pote qui cenſent in pręſenti caſu interuenire vrgentem neceſſitatem, adeoque ſuffragari indultum ſup. dictum Concilij; vnde & in caſu præſentis quęſtionis concederent Sacerdotem Regularem ſub peccato m. obligari ad celebrandum, vt frequens populus Miſſam de pręcepto audire poſſit: cum ſic ex vna parte vrgeat ſpiritualis neceſſitas Proximi; & ex alia Sacerdos ſine notabili incommodo poſſit ſubuenire, (vt ſuppono) ac proinde virtus charitatis vrgeat iuxta communem Theologorum doctrinam in tractatu de charitate.

QVÆRES VI. An Regulares ſub peccato m. teneantur celebrare ad conſecrandam particulam per modum viatici prębendam infirmo, aliàs morituro abſque communione euchariſtica.

11 ℟. Regulariter non teneri, etiamſi poſſint id pręſtare abſque ſuo notabili incommodo. ratio reſponſionis eſt, quod Sacerdos in hoc caſu non poteſt obligari ad celebrandum, niſi ex charitate: cum non ſit Parochus, nec alio titulo ad id teneatur (vt ſuppono) charitas autem non obligat ſub mortali niſi in caſu grauis neceſſitatis Proximi, ſiue ſpiritualis, ſiue temporalis: qualis vtique non ſolet regulariter interuenire in præſenti euentu: cum Sacramentum Euchariſtiæ nõ ſit adeo neceſſarium, & præceptum ſumendi Viaticum in articulo mortis non obliget, quando deeſt Miniſter, qui poſſit, & velit illud prębere; quo pacto *Molfeſ. & Maior, cum Diana p. 3. tra. 4. reſol. 174.* docent Parochum tempore peſtis teneri quidem adminiſtrare ſuis ouibus Sacramentum Pænitentiæ, vt pote quod eſt valdè neceſſarium, non item Sacramentum Euchariſtiæ, & conſequenter neque Viaticum, ſi id præſtare nequeat abſq; proprię vitæ periculo, cum hoc non ſit ita neceſſarium: quod concedunt etiam alij DD., & non improbabiliter. Dixi *regulariter*; ſi enim contingat Proximum habere grauem neceſſitatem communicandi in articulo mortis (quod poteſt euenire, licèt raro) tunc ſine dubio & Parochus teneretur ei miniſtrare Euchariſtiam, etiam cum periculo ſuæ vitæ, (idque ex iuſtitia, videlicet ratione Officij, quo fungitur) & ſimplex Sacerdos in præſenti caſu teneretur celebrare ad miniſtrandum illi Viaticum, ſi id ſine incommodo notabili facere poſset; idque vrgente charitate, quæ obligat ad ſubueniendum Proximo grauiter indigenti, etiam cum aliquo noſtro incommodo non ita graui.

QVÆRES VII. An Regularis Sacerdos ſub mortali teneatur celebrare ad ſoluenda ſuffragia, quæ pro defunctis proprij Ordinis præſcribi ſolent ſiue ex ſtatuto Religionis, aut regula, ſiue de mandato Superioris.

12 ℟. Non teneri, niſi aliter exprimatur in ſtatuto, aut regula alicuius Ordinis talia ſuffragia pręſcribentibus, vel certè Superior ea indicens ſufficienter declaret ſe intẽdere obligare ad ea ſub mortali probatur, quia pręſcriptio dictorum ſuffragiorum communiter non tranſcendit obligationem ſimplicis regulæ, aut obedientiæ, & conſequenter habet rationem ſimplicis ordinationis: vnde fit, vt, ſi Regula non obliget ſub mortali, nec ſub mortali obligent eiuſmodi ſuffragia: quod puto euenire regulariter in Ordinibus religioſis; quamquam aliàs magna reprehenſione dignus foret Religioſus, qui talia ſuffragia defunctis ſui Ordinis non perſolueret, ſe indignum reddens, cui ſuffragia exhiberentur, ſic Deo permittente in pœnam negligentiæ hac in re erga alios præſtitæ. Colligitur ex *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 10. l. 8. c. 2. num. 5.* ex dictis inferens obligationem

tionem Miſsarum, & orationum, quæ in Societ. Ieſu pręſcribuntur pro Fundatoribus, aut Benefactoribus Collegiorum, ac domorum, alijſque intentionibus non adſtringere ſub peccato: cum in Conſtitutionibus nullum extet verbum indicans talem obligationem, & aliàs fundatio Collegiorum, ac eleemoſynæ, & legata benefactorum in Societ. recipiantur iuxta illius Conſtitutiones, adeoque cum oneribus, quæ imponunt eędem Conſtitutiones, & ſub tanta obligatione, quanta ab eis imponitur, & non maiori, quod etiam iuxta communem ſenſum Societ. intelligitur, quoties Superior ſimpliciter præcipit hoc, vel illud opus pium facere pro tali cauſa, vel intentione: numquam enim cenſetur imponere rigoroſam pręcepti obligationem, ſed tantùm ſimplicem ordinationem, niſi pręcipiat in virtute ſanctę Obedientię, aut vtatur alia forma præcipiendi pręſcripta in Cōſtitutionibus eiuſdem Societ. *p. 6. c. 5.*

Quod ſi quęras, an Religioſi Societ. omittentes offerre Miſsas, & alias preces certo tempore præſcriptas (v.g. hebdomada, aut menſe) teneantur poſtea eas implere.

13 ℞. Teneri, ſi eas voluntariè omiſerunt, & aliàs in caſu aliquo particulari non omninò ceſsauerit finis pręcepti. ita *Suar. ſup. nu. 7.* & probat, quia illa Miſſa, aut oratio non pręcipitur vt onus alicuius temporis, ſed per ſe ob fructum illius: ita vt deſignatio certæ hebdomadę, aut diei, quæ fit, non ſit ad extinguendam obligationem, ſed ne vlteriùs protrahatur eius ſolutio; vnde, ſi tunc non impletur, non ideò extinguitur obligatio, ſed deinceps continuè, ac vehementer vrget. Dixi, *voluntariè:* vt innuerem, quod, ſi eo menſe, aut hebdomada Religioſus morbo, nauigatione, aut alio impedimento legitimo nequeat ſoluere præfata ſuffragia, ceſsat obligatio; cum, vertente menſe, aut hebdomada, recurrat alia obligatio, & prior ſuo tempore expleri non potuerit: quod eſt eam tranſire cum ſuo onere, vt benè aduertit *Suar. vbi ſupra.*

14 Addit *Laym. l. 5. tra. 5. c. 2. num.* 14. quod, ſi Sacerdos Societ. per anticipationem Deo offerat ſacrificia pro Fundatoribus, quorum nomina tanquam defunctorum poſtea promulgabuntur, verè ſatisfacit, ſi tunc eorum mors contigit; & hoc eſtò ea illi non innotuerit; ſecùs, ſi quo tempore illi prędicta ſacrificia obtulerunt, nondum mors contigerat: quod tamen non omnes admittunt, vt infra videbimus. Illud quidem puto eſse valdè probabile, Religioſum Societatis ſatisfacere, ſi Miſsas, quæ menſibus ſequentibus de more eiuſdem Societ. dici debent pro ipſa Societate, Conuerſione infidelium, aliaque ſimili intentione, dicat menſe præſenti; cum anticipata ſolutio debiti ſit laudabilis, niſi inde aliquid damni obueniat Creditori: quo modo obuenire poteſt in caſu, quo quis hodie celebraret pro illo, qui primò oblaturus eſt ſtipendium: cum accidere poſſit, vt quo tempore dicitur Miſsa pro eo, nondum ab ipſo petita, ille ſit in peccato mortali, adeoque non gaudeat fructu ſacrificij, quo gauderet, ſi offerretur poſt datum ſtipendium vt pote in gratiam Dei per contritionem, aut confeſſionem tunc temporis reſtitutus.

QVÆRES VIII. An Regularis Sacerdos teneatur celebrare ſub mortali ad effectum ſupplendi ſacrificium Miſsę inchoatum, & ex morbo, aut morte ſuperueniente celebrãtis relictum imperfectum, & non abſolutum.

15 ℞. Sicut, teſte *Azorio p. 1. l. 10. c. 33. q. 1.* ferè omnes DD. conueniunt cum *S. Tho. p. 3. q. 83. a. 6.* in propoſito caſu Miſſę ſacrificium abſoluendum eſſe per alium Sacerdotem, etiam non ieiunum, ſi aliàs ieiunus non reperiatur, imò etiam per excommunicatum, aut irregularem iuxta *Sotum in 4. d. 13. q. 2. a. 6. §. 4.* & quidem etiam poſt meridiem, (vt colligitur ex *Conınco de Sacr. q. 83. a. 2. num. 219.*) ſic & conſequenter dicent Sacerdotem in præſenti caſu teneri ſub mortali ad celebrandum ſacrificium eo modo, quo pręſcribunt rubricę Miſſalis, & per conſequens obligari ad celebrandum: & hoc ex pręcepto iuris diuini in tali caſu adſtringentis ad explendum ſacrificium; vt videtur innuere *S. Thom. loc. cit.* quamquã non deſint alij, qui dicant (& non improbabiliter, teſte ipſo *Azorio,* qui ſolum ait oppoſitum eſſe probabilius) pręfatum pręceptum non obligare, niſi quando adeſſet populus alioqui inde recepturus cauſam offenſionis; ſi quidem in *Conc. Tolet. 7.* relato in *cap. nihil 7. q. 1.* dicitur: *Cenſuımus conuenire, vt in eo caſu ſit liberum alteri Epiſcopo, vel Presbytero conſecrationem exequi officij cœpti;* loquitur autem Concilium de pręſenti caſu, ſicque videtur indicare Sacerdotem quidem poſſe, ſi velit, explere ſacrificium modo ſup. dicto relictum imperfectum, non tamen teneri: quod ſentit *Sot. loc cit.* hinc colligens Sacerdotem non teneri explere ſacrificiũ ab alio inchoatum, niſi ex accidente ad vitandum ſcandalum; quam interpretationem reijcit *Suar. D. 85. ſect. 1. §. vlt.* dicens ly *liberum* nihil aliud ſignificare, quam quod eſt in poteſtate Sacerdotis perficere in propoſito caſu ſacrificium, vt pote qui cum illo alio Sacerdote reputatur veluti vnus, ac idem Miniſter. Quare non improbabile videtur Regularem Sacerdotem in caſu propoſito non teneri celebrare ſub mortali ad explendum ſacrificium, niſi fortè ratione ſcandali, quod alioqui in populo aſtante ſuboriri poſſet: & hoc, etiam ſecundùm *Suar.* qui ait tantùm oppoſitum videri magis rationi conſentaneum.

QVÆRES IX. An Regulares Sacerdotes teneantur celebrare, & quidem ſecundùm hanc, vel illam intentionem, prout ipſis præcipitur à Superiore.

16 ℞. Teneri, ſi id ipſis pręſcribatur per modum veri pręcepti, non autem ſimplicis ordinationis. ita in terminis Fraxinell. *de obligat. Sacerd. ſect. 7. §. 6.* ex *Armil. Rodriq. & Corduba,* alijque, & probatur ex generali iuriſdictione, quam Pręlati Regulares habent in Religioſos ſubditos; quæ vtique videtur extendi ad hanc caſum; cum non occurrat ratio ſufficiens illum excipiendi; quidquid ſit, vtrum Prælatus regularis poſſit validè irritare intentionem Sacerdotis ſubditi Miſſę ſacrificium applicantis contra pręſcriptum Superioris; de qua re mox.

Eſt ergò quæſtio inter DD., vtrum, ſi Regularis Sacerdos contra poſitiuam voluntatem proprij Pręlati applicet Miſſã alicui intentione, talis applicatio, an verò Miſs. proſit ei, pro quo applicauit Pręlatus.

17 ℞.

17 ℞. *Diana p.2.tract.14.reſol.72.*cum *Sylu. Henriq. Ang. Fagund. Villal.* & Theologis Salmanticenſibus Miſſam in præſenti caſu prodeſſe ei, cui Religioſus Sacerdos eam applicat: quippe cum Chriſtus D. liberum inſtituerit actum celebrationis, & conſecrationis, itaut tota applicatio illius pendeat ex libera intentione Sacerdotis; quod ita eſt verum, inquit *Villal.* vt ſi Sacerdos regularis non applicet Miſſam, eam tamen applicet eius Superior: talis applicatio nullum ſortiatur effectum, eò quod non Prælatus, ſed Sacerdos celebrans ſit miniſter ſacrificij, cuius eſt applicare ipſum ſacrificium. Verum tamen eſt Religioſum in hoc caſu contra Superioris voluntatem applicando ſacrificium, peccare mortaliter non ſolum contra obedientiam, vtpote tranſgredientem mandatum Superioris, ſed etiam contra iuſtitiam, quatenus violat contractum virtualem initum inter monaſterium, in quo degit, ac eos, qui ex ſtipendio manuali, aut legato perpetuo petunt Miſſas pro ſe ipſis: vnde fit, vt Religioſus non applicans Miſſam iuxta intentionem præſcriptam à Superiore, teneatur reſtituere ſupplendo ſacrificia omiſſa, eaque applicando ſecundum debitam intentionem; quod rectè adnotauit *Fagund.cap.10.num.5.* dicens religioſum in hoc caſu peccare formaliter contra obedientiam, & virtualiter contra iuſtitiam. Oppoſitum tamen ſuſtinent *Fraxinel.Gauant.Scot.Cordub.Ledeſ.* relati ſupra à *Diana*, alijque quos citat *Fagund. ſup. num.3.* dicentes applicationem miſſæ factam contra voluntatem Superioris non tenere (loquendo de Religioſis ſubditis: vtpote non habentibus diuerſam voluntatem à Superioribus ſuis, ſed idem velle, ac nolle cum ipſis) adeoque miſſam prodeſſe ijs, quibus applicatur à Superiore, non autem illis, quibus eam applicat Sacerdos celebrans: quæ opinio ſine dubio eſt probabilis. vt fatentur etiam *Fagund.& Diana* locis allegatis.

Vtrum verò admittendum ſit, quod ait *Fraxinel. ſup.§.7.num.6.ex Graff conſil.10.2.l.3.de patronat.conſ. vn.* Sacriſtiam regularem modo ſupradicto poſſe irritare applicationem Miſſarum factam à Religioſis ſui Monaſterij contra voluntatem Superiorum; conſtat ex dictis §.*præcedenti*; ſi enim talem poteſtatem negemus Superiori, multo magis deneganda eſt Sacriſtæ; ſicut ſi ea conceditur Superiori, & poteſt, & debet concedi Sacriſtiæ in tali munere gerenti vicem ipſius Superioris iuxta illud. *Qui facit per alium, per ſe ipſum facere videtur.* (intellige, ſi Superior dat talem facultatem Sacriſtæ, quod hìc omninò ſupponendum eſt, vt habeat locum præſens doctrina.

Quod ſi hac occaſione quæras, an Regularis à ſuo Prælato iuſſus celebrare ſub his verbis: *Celebrent maximè diebus feſtis, per ſe ipſos, nec alibi Sacrum faciant ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis*, incurrat hanc pęnam, ſi die feſto omninò omittat celebrare.

18 ℞. Non incurrere: cum talis pęna coniunctim & non diuiſim reſpiciat illa duo; nimirum celebrare in loco debito, & non celebrare alibi: & alias pęnæ ſtrictè debeant explicari; ſicque Regularis omittens celebrare in loco debito, ſi alibi non celebret, non contrahet dictam ſuſpenſionem à diuinis. ſic ego reſpondi in contingentia facti.

Imò puto, quod ſi Regularis ex titulo Capellaniæ obligantis ad quotidianam celebrationem à ſuo Superiore iubeatur ſub præfata pęna ſuſpenſionis à diuinis celebrare diebus feſtis in loco debito: non incurret dictam pœnam ſi iuxta *cap. ſignificatum de præbendis in 6.* aliquo die feſto omittat celebrare in loco debito, aliàs ibi celebraturus tota reliqua hebdomada. Et ratio eſt, quod tale præceptum Superioris debet intelligi de ijs; qui intra hebdomadam iam vſi non ſunt dicto priuilegio iuris, nec ampliùs vſuri ſunt: & alioqui non poteſt Superior regularis limitare iuris priuilegium abſolutum, ac illimitatum (videlicet prohibendo, ne Capellani ſubditi vtantur priuilegio contento in citato *cap. ſignificatum* diebus feſtis; cum ipſe ſit inferior iuri communi, & inferior poteſtatem non habeat in Superiorem. Nec Capellanus regularis in iſto caſu dicitur fraudem committere; cum vtatur iure ſuo: vt benè probat *Sanch. l.3. de matr. D.18.num.29.& l.1.moral.c.12.n.35.*

QVÆRES X. An Regulares Sacerdotes liberaliter, & gratis promittentes alteri ſacrificium miſſæ, ſub peccato m. teneantur celebrare ad ſeruandam promiſſionem.

19 ℞. Non teneri, & hoc ob leuitatem materiæ excuſantem à mortali non ſolum in rebus temporalibus, ſed etiam in ſpiritualibus; non enim damnum ſpirituale conferri debet cum temporali: aliàs promittens vnam ſalutationem angelicam, & omittens peccaret mor. cum damnum illatum ex omiſſione talis orationis, vt ſpirituale anteferendum ſit cuicumque damno temporali, vnde ad iudicandum, an damnum, quod in re ſpirituali infertur, ſit graue, nec ne, conferendum eſt cum damno ſpirituali, non cum temporali: cum tamen in genere damni ſpiritualis omiſſio vnius miſſæ liberaliter permiſſæ non ſit tanti momenti, vt cenſenda ſit mortalis. ita *Sanch.l.1. de matr. D.5. num. 25.Fagund.ſup.cap.8.num.11.Portel. de dub. Regul. v. miſſa num.10.Peyrin.to.3.priuil. cap.1. num.28. Diana p.3.tract.17.reſol.9.* alijque penes ipſos contra *Nau. Ledeſm.Cord.& P Nau.* allegatos à *Fagund. ſup.* affirmantes Sacerdotem in hoc caſu peccare m. ſi non ſeruet promiſſum: quibus adhæret *Trimarch.* relatus à *Peyrino ſup.* aſſerens Sacerdotem in propoſito caſu teneri ſeruare promiſſum, ſi miſſam promittat ad ſoluendum gratitudinis debitum: cum ſic promiſſio, non ſit liberalis ſimpliciter, ſed iuſtitiæ, ac naturalis debiti. Nobiſcum ſentit *Perſicus l.2. de præc.Sacerdotis offic.cap 6.num.63.* monens ex *Rodriq.* in præſenti caſu non excuſare metum reuerentialem ſi is, qui Miſſam promiſit abſque animo ſe obligandi, ſciebat illum, qui miſſam petijs teneri celebrare, aut procurare, vt celebretur: tunc enim tenetur implere promiſſionem; ſiquidem petens miſſam credit illum promiſiſſe ſerio, ſicque non curabit ampliùs celebrare dictam miſſam.

Quod ſi hìc obiter quæras, an peccet m. Sacerdos, qui promiſit vnam miſſam ex recepto ſtipendio, & poſtea illam non dicit.

20 ℞. Non videri peccare mor. & probatur ex eo quod ille peccat, vel ratione damni tẽporalis; & hoc

non

non, cum ſtipendium vnius miſſæ regulariter iuxta communiſſimam DD. ſententiam non conſtituat materiam grauem; vel ratione damni ſpiritualis, quod oritur ex omiſſione vnius ſacri promiſſi; & neque hoc, cum *§. præcedenti* oſtenderimus in genere damni ſpiritualis omiſſionem vnius miſſæ non reputari grauem, itaut ſit mortalis; quod, licèt DD. ibi citati in ſpecie dicant de miſſa liberaliter promiſſa, adhuc tamen videtur dici poſſe, etiam de miſſa debita ex ſtipendio: cum hæc quo ad bonum ſpirituale ſit eadem, ac illa, quæ dicenda eſſet ex liberali promiſſione: & ſupradictum bonum ſpirituale nihil aliud addat, quam ſtipendium, quod, vt dixi non conſtituit materiam notabilem, quæ ſufficiat ad peccatum m. contrahendum in caſu, quo omittatur; ita viri docti à me de hoc conſulti.

QVÆRES XI. An Regulares Sacerdotes in die Commemorationis defunctorum teneantur ex præcepto Eccleſiæ applicare miſſam pro omnibus defunctis.

21 ℞. Quod, quamuis *Fraxinel. ſup. ſect. 4. concl. 4. §. 22. & Gauant. p. 4. in rubr. miſſal. tit. 15. n. 18.* affirmẽt eos teneri applicare: & hoc, licet aliàs ſint obligati ad quotidie celebrandum pro aliqua peculiari intentione; cum lex tacita rationabilis Eccleſiæ debeat præualere priuatæ legi Teſtatorum. probabilius tamen videtur eſſe, quod Sacerdotes ſiue regulares, ſiue ſæculares non teneantur in die Commemorat. defunctorum applicare miſſam pro omnib. defunctis (eſtò poſſint ob rationem modò allatam, & ob præſumptam eorundem Teſtatorum voluntatem.) Ducor, quod ex vna parte ſine expreſſo iure, ac fundamento non debent multiplicari obligationes: vnde aiunt Doctores communiter quòd, vbi agitur de inducenda noua obligatione ſtricta ſemper debet fieri interpretatio: ex alia parte nullum extat ius imponens talẽ obligationem; conſuetudo verò, quam quis allegare poſſet in contrarium, nõ eſt inducta tanquam ex obligatione (ſaltem quod certò conſtet) ſed præſumi poteſt inducta tantùm ex deuotione, adeoq; nõ adſtringit ſub mortali: ita in terminis *Alphonſ. de Leone de off. & pot. Confeſſ. temp. Iubi. p. 3. n. 21.* alijq; docti Neoterici à me cõſulti; patetq; ex dictis; ſi ſolùm monuero rationem, quam *Fraxinell. ſup. n. 5.* deſumit ex miſſali (quod ſcilicet titulus primæ miſſæ, quæ ponitur inter miſſas *pro defunctis*, habet *miſſa in commemoratione omnium fidelium defunctorum*; non autem dicit *in Commemoratione fidelium defunctorum*) non conuincere, imò poſſe facilè eludi: ſi dicamus ibi ſolùm præſcribi, vt in die cõmemorationis omnium fidelium defunctorum dicatur ea Miſſa in ſpecie, & non alia, non autem, vt Miſſa applicetur pro omnibus fidelibus defunctis: cum ea Miſſa adhuc applicari poſſit pro particulari defuncto, non obſtante, quod oratio illius ſit generalis; quod nemo negabit.

Nec obſtat, quod Eccleſia, quæ commemorationem omnium defunctorum inſtituit, vt generalibus aliquando ſuffragijs adiuuẽtur, qui ſpecialia habere non poſſunt, poſita hac noſtra aſſertione fruſtraretur ſuo fine, nec aſſequeretur intentum.

22 ℞. Enim hinc, non ſequi, quod Eccleſia per modum præcepti præſcribat, vt quicumq; celebrant eo die, Miſſam pro omnibus defunctis celebrent; cum potius præſumenda ſit id proponere per modum conſilij: preter quam quod ea intendit excitare ſingulos fideles ad ſuffragandum proprijs defunctis, imò & extraneis; quod eo die multi faciunt, aliàs non facturi, ſi ab Eccleſia eo pacto nõ excitarẽtur.

QVÆRES XII. An Regulares Sacerdotes in die Nat. Domini teneantur ſinguli dicere 3. miſſas.

23 ℞. Non teneri, niſi fortè ſint Parochi, & alioqui eorum ſubditi nequeãt audire ea die miſſam. eſt cõmunis DD. ac certiſſima, & probatur ex eo, quod Eccleſia in die Nat. concedit omnibus Sacerdotib. vt poſſint eo die propter ſingulare feſtum 3. miſſas celebrare, idq; ex priuilegio; nemo autem cogendus eſt vti ſuo priuilegio; alioqui non eſſet priuilegium, ſed obligatio. Dixi *niſi fortè ſint Parochi, & alioqui, &c.* quamuis enim *Nau. conſ. 8. de celebr. miſſar. Nald. v. miſſa n. 15. Fraxinell. ſup. §. 21. n. 2.* alijque penes ipſos conſtanter aſſerant Parochos, ſecluſo ſcandalo, & contemptu, non teneri dicere 3. miſſas in die Nat. D. ego tamen puto id intelligendum eſſe cum limitatione; nimirum, ſi aliàs eorum ſubditi commodè poſſint omnes audire miſsam eo die; vnde, ſicut Parochus, ſi ſufficientes habeat redditus, tenetur ex officio quærere Capellanum, aut alium Sacerdotẽ, qui celebret in eius Eccleſia, vt ſic omnes ſubditi parreciæ miſsam de præcepto audire poſſint, alioqui cã omiſsuri; quo pacto plures omittunt in diebus feſtis, vbi non eſt, niſi vnicus Sacerdos, qui toti populo celebret;) ita in die Nat. D. Sacerdos Parochus ratione officij, ſi non habeat alium, qui in eius Eccleſia celebret, tenebitur ſaltem bis celebrare, vt ſic commodiùs omnes eius Parochiani miſsam audire poſſint, quam aliàs non pauci eorum cogerentur omittere, vt patet.

QVÆRES XIII. An Regulares Sacerdotes poſſint ſe obligare abſque licentia proprij Prælati ad celebrandum pro hac, vel illa intentione.

24 ℞. Poſse, ſi habeant ſacrificia non obligata, & id faciant gratis, ac liberaliter: non item, ſi obligata habeant ſacrificia de mandato Superioris, & ex accepto ſtipendio celebrent. Ratio reſponſionis eſt, quod in priori caſu Religioſus non facit, neque cõtra votum Paupertatis, cũ non det ſine licentia aliquid, quod ſit pretio æſtimabile, neque aliquid tale recipiat, cũ celebret gratis; neq; facit con. votũ Obedientiæ, cum Religioſus ſit dominus ſuarum operationũ, & de ijs poſſit diſponere, quotieſcumq; non officiunt debitę ſubiectioni, & Superior nõ præcipit in contrariũ (quo pacto *Diana p. 2. tr. de paup. rel. reſ. 25.* cum *Valero* ait Regulares poſse liberè diſponere de ſuis concionibus, prælectionibus, alijſq; manuſcriptis:) vnde non apparet, cur dicendus ſit Religioſus peccare in priori caſu. Secùs in poſteriori, tũc .n. & peccat con. Obedientiã applicando ſacrificia con. voluntatẽ Superioris, & con. votũ Paupertatis recipiendo ſtipendia miſsarum (quæ ſine dubio ſunt materia talis voti) abſque Superioris licentia: quo pacto manet probata tota reſponſio.

QVÆRES XIV. An Regulares Sacerdotes poſſint ſe ex voto obligare ad certum numerum miſsarum abſque licentia proprij Prælati.

25 ℞. Poſse & valide, & licitè; dummodo iuxta

dicta *q. praeced.* ex miſſæ alio titulo non ſunt obligatæ. Colligitur ex *Sanch. l. 4. in dec. c. 25. n. 6.* & probatur ex doctrina generali, quã ibi tradit idem *Sanch.* Religioſos ſcilicet, & quoſuis alios ſubditos dominatiuæ poteſtati alterius poſſe licitè, & meritoriè ea omnia bona opera vouere, q̃ nec regula, nec Superiorum præcepto eis ſunt prohibita, nec eos à debito illorum obſequio retrahũt; idq; nullo expectato Superiorum conſenſu, donec ipſi Superiores cõtradicant; vnde in eiuſmodi votis non includitur conditio affirmatiua, *ſi Superior conſenſerit*, ſed negatiua, *dum Superior non contradixerit*; talia autem ſunt ſacrificia Miſſę, quę poſſunt celebrari à Religioſo (vt conſideranti patebit) adeoq; ſi aliàs non ſint obligatę, erunt reſpectu eiuſdem Religioſi materia capax voti: quippe quæ eſt de meliori bono, nullo modo interdicta à Superiore, & ſita in libera poteſtate Religioſi vouentis, quamdiu eius Superior non contradixerit. Quod tamen non facit, quin Superior, ſi vellit, irritare poſſit eiuſmodi vota; quo ſenſu in *cap. monacho 20. q. 4.* dicitur *monacho non licet vouere ſine conſenſu Abbatis, ſi autem vouerit, frangendum erit*, hoc eſt, irritandum ait *Sanch. loco cit.* innumeros DD. afferens pro hac ſua doctrina.

SECTIO II.

De obligatione, quam habent Regulares Chorum profitentès quo ad Celebrationém Miſſæ ſolemnis, & Conuentualis.

26 *Regulares tenentur dicere Miſſam Conuentualem.*
27 *At in Eccleſia parochiali non neceſſariò dicendæ duæ Miſſæ.*
28 *Miſſa Conuentualis debet reſpondere officio currenti.*
29 *Et varijs nominibus vocatur.*
30 *In Eccleſijs Regularium, ſecluſo ſcandalo, omitti poteſt miſſa ſolemnis diebus etiam feſtis.*
31 *Ea dicenda hora diei tertia, ſexta, aut nona iuxta locorum conſuetudinem.*
32 *Idque non ſine myſterio, quod indicatur.*
33 *Regulares non tenentur dicere duas miſſas, occurrente feſto 9. lectionum in Vigilia. &c.*
34 *Loco Miſſæ Conuentualis etiam in feſto, quod non ſit de præcepto, dici poteſt Miſſa defunctorum.*
35 *Canens Miſſam ſolemnem non tenetur recitare priuatim Epiſtolam, ac Euangelium.*
36 *Nec peccat, ſi ſecretò non recitet* Gloria in excelſis, Credo, *aut prophetias.*
37 *Miſſa ſolemnis debet reſpondere Officio currenti.*
38 *Etſi interdum canatur miſſa de Sancto, cuius Officium transfertur.*
39 *In Miſſis votiuis ſolemnibus dicitur* Gloria in Excelſis & Credo.
40 *Celebrans ſolemniter interdum tenetur confiteri Diacono aſſiſtenti peccatum, cuius de nouo recordatur.*
41 *Et quidem aliquando etiam poſt conſecrationem.*
42 *Et ſi in tali caſu omittat tunc confiteri, non tenetur poſtea confiteri quam primùm.*
43 *Quod ſi peccet dum cantur* Credo, *& intendat confiteri antequam finiatur* Credo, *non committit peccatum nouum.*
44 *Celebrans præmiſſa confeſſione, ſi in miſſa recordetur peccati obliti, non tenetur conteri de nouo ante Communionem.*
45 *Miſſa Conuentualis liberè applicatur.*
46 *Pro miſſa ſolemni dicenda maius ſtipendiũ poteſt exigi.*
47 *In miſſa ſumi poteſt hoſtia ab alio præconſecrata, relicta hoſtia à ſe conſecrata.*
48 *In Miſſa populo exhibenda Hoſtia conſecrata à Sacerdote tunc celebrante.*
49 *Non decet exponi populo Hoſtiam non conſecratam, ei à tergo adiunctis particulis conſecratis.*
50 *Conuenienter in miſſa intermiſcentur moteta, & ſymphoniæ.*
51 *Non peccat m. Diaconus canens ſolemniter Euangelium in peccato mortali.*

QVÆRES I. An, & quo iure Prælati regulares, curare teneantur, vt ſingulis diebus in propria Eccleſia dicatur Miſſa Conuentualis.

26 ℞. Teneri, ſi adſit mediocris Sacerdotũ numerus: idq; ſub peccato m. niſi fortè omittatur ob vrgentem, ac rationabilem cauſam, quæ vtique etiam quo ad hoc interuenire poteſt aliquando; ſicut in alijs obligationibus poſitiuis. eſt cõmunis DD. apud *Suar. de Sacr. D. 80. ſect. 1. aſſert. 2.* & inſinuatur in *cap. cũ creatura de celebrat. miſſar.* patetq; ex Eccleſię conſuetudine habente vim legis; vt vel hinc conſtat, quod ſi abſq; iuſta cauſa omittatur modo dicto miſſa in templis Regularium, talis omiſſio non fiet ſine magno fidelium ſcandalo *idq; ſub peccato m.* quia quod quotidie celebretur, etiam in Eccleſijs Regularium, ſpectat ad bonum commune fidelium, ideoque non poteſt non importare obligationem grauem, cuius violatio proinde ſit mortalis, vt notauit *Suar. ſup. ex Soto.*

27 Quod autem adduuit aliqui in parochialibus Eccleſijs habentibus ſufficientem numerum Sacerdotum dicendas eſſe duas miſſas, vnam pro viuis, & aliam pro defunctis: non admittit *Sua. ſup.* vtpote q̃ ſine ſufficienti iure dicitur, cum tamen obligationes non debeant multiplicari abſq; fundamẽto, & *cap. cũ creatura de celebr. miſſ.* ſup. relatũ (quo ij nituntur) ſolùm habeat ob miſſam defunctorũ non eſſe omittẽdam miſſam Conuentualem de Feria, nec è contra; ſed vtramq; ſi commodè fieri poſſit dicendam eſſe: quod vtiq; non eſt obligare ad quotidie ſacrificandũ pro defunctis; vt rectè aduertit idẽ *Suar.* & cũ eo *Fagũd. præc. 1. l. 3. c. 15. nu. 9.* monens, q̃ ſi aliàs viguit vſus dicẽdi quotidie miſſã pro defunctis in Eccleſijs Cathedralibus, parochialib. & conuentualib. modò abijt in diſſuetudinem; & meritò, cum non deceret in diebus ſolemnioribus dici miſſam pro defunctis.

28 Addit *Peyrin. to. 3. priuileg. cap. 1. num. 20.* Miſſam Conuentualem, quam diximus celebrandam eſſe in vnaquaque Eccleſia Regularium, ſi adſit numerus Sacerdotum mediocris (qualis adeſt vbi degunt ſaltem 3. Sacerdotes, inquit *Peyrin. ex Gloſſa in cap. nullus de elect.* vbi ait duos facere congregationem

tionem tres collegium) debere eſſe correſpondentem Officio currenti, ſed non eſſe neceſſarium, vt dicta miſſa canterur: quod innuit etiam *Gauant. in rubr. Miſſal. p. 1. tit. 11. n. 4.* Imò dicit *Rodriq. to. 3. q. 6. a. 7.* (quod nos quoque notauimus ſupra) præfatam miſſam Conuentualem omitti poſſe ſine peccato, quoties occurrit aliqua iuſta cauſa id faciendi: vt ſi non adeſſet, niſi vnica Miſſa pro feſto, & pro defuncto tunc celebranda eſſet miſſa *de requiem*.

29 Miſſam verò, quam hìc vocauimus Conuentualem, eo quod Conuentus ideſt Religioſi collegialiter ſoleant ei intereſſe, quantum patitur eorum numerus: alij vocant miſſam Tertiæ, alij maiorem, alij publicam, alij principalem, alij canonicam, & alij ſolemnem: qualis tamen eſt ea tantùm, quæ canitur in feſtis ſolemnioribus, nihil omittendo eorum, quæ ſpectant ad indicandam ſolemnitatem; non item quę cantatur in diebus profeſtis cum miniſtris quidem, ſed aliquando ſine incenſatione Altaris, & Chori ſine oſculo pacis, alijſque ſimilibus ritibus maiorem ſolemnitatem importantibus; quæ inquit *Gauant. ſup. p. 2. tit. 2. ad numer. 5.* tolerantur potius, quam conceduntur in Collegiatis, vt inter feſta, & profeſta appareat aliqua differẽtia.

QVÆRES II. An Regulares teneantur ſub mortali canere in proprijs Eccleſijs Miſſam ſolemnem in diebus feſtis.

30 ℟. Non teneri, ſecluſo ſcandalo, adeoq; ſi quando eam omittant ex negligentia, aut alia cauſa minùs ſufficienti non peccare mortaliter neque Superiorem, neque vllum alium, qui eſſet cauſa principalis talis omiſſionis: niſi fortè ex ſpeciali ſtatuto, aut conſuetudine obligante ſub peccato mor. ad id teneantur. ita *Diana p. 3. tract. 2. reſol. 8. Peyr. ſup. num. 20.* alijque contra *Peregr.* relatum à *Diana loco cit.* & probatur ex eo quod Regulares tenentur canere miſſam ſolemnem diebus feſtis, non ex vi alicuius Canonis (vt putat *Peregr.*) aut ex conſuetudine vniuerſali Eccleſiæ, ſed ex propria regula, aut vi conſuetudinis præſcriptæ interpretantis regulam: cum tamen Religioſi ſaltem communiter talem conſuetudinem nõ admiſerint vt obligantem ſub mortali, ſed ſolùm vt obligantem eo modo, quo obligat regula; vnde ſi hæc non obligat ſub mortali, neque ſub mortali obligabit præfata conſuetudo, vtpote quæ non habet maiorem vim, quam habeat Regula. dixi *ſaltem communiter*: ſi qua enim Religio habet quo ad hoc ſtatututum, vel conſuetudinem obligantem ſub mortali vtiq; ad id tenebuntur ſub mortali; quare ſinguli Religioſi debent inſpicere propriam Regulam, ſtatuta, & conſuetudinem legitimè inductam, & ex ijs conijcere, an teneantur ſub mortali canere miſſam ſolemnem in diebus feſtis, nec ne: quamquam vt notat *Diana reſolut. cit.* ex *Suar. l. 7. de leg. ca. 15. nu. 13.* in dubio, num aliqua conſuetudo inducta fuerit cum intentione obligandi, vel non, ea non obliget; cum in dubio nemo pręſumatur velle ſe obligare, nec expediat multiplicari præcepta, quæ non ſint moraliter certa. Nobiſcum ſentit *Gauant. ſup. p. 3. tit. 11. nu. 4.* vbi hæc habet *Collegiatæ regulares* (quæ tamen minùs Collegiatę dicuntur) *tenentur ad Miſsam in Choro ex vi Regulæ tantùm, & conſuetudinis interpretantis Regulam*.

QVÆRES III. Quota hora diei teneantur Regulares canere Miſsã ſolemnẽ, ſeu Conuentualẽ.

31 ℟. Teneri canere, in diebus quidem feſtis hora tertia, ideſt ab hora nona vſuali diei vſque ad meridiẽ (ea namque hora crucifixus eſt Chriſtus Dominus) vnde & canitur poſt recitationem Tertiæ, quæ eſt hora eccleſiaſtica; in diebus verò profeſtis (cuiuſmodi ſunt feſti ſimplices, & Feriæ) hora ſexta (non vſuali, ideſt in meridie, vt fiebat antiquitus) ſed eccleſiaſtica, videlicet poſt recitatam Sextam: ſi quidem quo ad tempus diurnum eodem tempore dicitur Miſſa ſolemnis in diebus profeſtis, quo in feſtis; quin & maturiùs in profeſtis, eò quod minor populi concurſus ſoleat eſſe, adeoque illud tempus cenſeatur vſibus humanis magis accommodatum; in diebus denique ieiunij Miſſa ſolemnis dici ſolet hora nona, non quidem vſuali (quæ eſt hora tertia pomeridiana, & antiquis temporibus ſeruabatur in diebus ieiunii) ſed eccleſiaſtica, nimirum poſtquam in Choro recitata eſt Nona; cum enim in præſentia tempus prandii dierum ieiunii anticipetur ad meridiem, & adhuc ampliùs, conſequens eſt, vt etiam anticipetur tempus celebrandi Miſſam. ita *Azor. p. 1. l. 10. cap. 25. q. 1. & Suar. de Sacr. D. 80. ſect. 4. §. vlt.* alijque, inter quos *Suar.* benè monet quo ad ſupradicta iam nihil videri eſſe ſub præcepto, niſi quod Miſſa ſolemnis fiat tempore conſueto pro commoditate populi (quamuis ex cauſa rationabili poſſit aliquantulum anticipari, aut poſt poni) additq; per Miſſam ſolemnem hic intelligi non eam, quæ cum cantu dicitur, ſed eam, quæ appellatur Miſſa diei: hęc quippe iuxta varias conſuetudines, & deuotiones ferè indifferenter toto matutino tempore dici poteſt, non minùs quam Miſſa priuata; cum ſic habeat conſuetudo, nec obſtet vlla conſtitutio Eccleſiaſtica; ita *Suar.* & benè, niſi in hiſce noſtris regionibus extet conſuetudo in contrarium, cui omninò ſtandum eſt.

32 Notant porrò DD. apud eundem *Suar.* vbi ſup. horam Tertiam, Sextam, & Nonam deſignatas fuiſſe ad dicendam Miſſam ſolemnem, eo quod Miſſa ſolemnis celebrari debeat ea hora, qua Chriſtus paſſus eſt pro nobis, & Euangeliſtæ vario modo enarrent horam paſſionis (dicente Marco eum crucifixum fuiſſe hora tertia, Ioanne hora ſexta, & omnibus referentibus illum expiraſſe hora nona) Ad hunc ergò effectum conſuetudo Eccleſiæ habet, vt Miſsa ſolemnis, ſeu Cõuentualis dicatur modò hora tertia, modò hora ſexta, modò hora nona, ſin minus vſuali, ſaltem eccleſiaſtica iuxta ſupradicta, nẽpe poſt Tertiam, Sextam, aut Nonam dictam in Choro, præterquã quod, vt notat *Gauant. ſup. p. 1. tit. 15. ad nu. 2.* ipſę horæ canonicæ ſunt quædam quaſi præparatio ad Miſsam: vnde plures, aut pauciores horæ in Choro recitantur ante Miſsam ſolemnem, vt pro varietate Miſsarum, ſeu dierum maior, minorue præparatio fiat.

QVÆRES IV. An Regulares in propriis eccleſiis teneantur canere duas Miſsas in caſu, quo occurrat Feſtum 9. lectionum in feriis Quadrageſimæ, quatuor Temporum, Rogationũ, & Vigiliarũ.

33 ℟. Non teneri, ſed ſufficere, quod dictis diebus celebrent vnam Miſsam, ſiue de Sancto, ſiue de Fe-

ria: quamquam, ſi in monaſterio degant ſaltem 10. Sacerdotes, & ibi extet conſuetudo dicendi duas miſſas, eæ dici debeant; cum talis conſuetudo ſit laudabilis, vtpote conformis miſſali reformato à Piu V. præcipiente, quod in Eccleſijs Collegiatis duæ Miſſæ dicantur in Quadrageſima, Aduentu, & in Vigilijs; ſcilicèt vna de Feria, & alia de Sancto tunc occurrente. ita *Peirinus to.3.priuil. c.1 n.20. cũ Alex.Gauanto.& Rodriq.* qui non loquitur cum limitatione appoſita à *Peirino*, ſed abſolutè aſſerit Regulares non teneri dicere 2. Miſſas in præfatis diebus. Ratio autem reſponſionis eſt, quod obligatio dicendi duas Miſſas in illis diebus eſt de iure poſitiuo lato in *Miſſali* per Pium V. reformato, adeoque non debet extendi vltra perſonas in eo comprehenſas: vnde, cum ibi non ſit ſermo, niſi de Eccleſijs Cathedralibus, & collegiatis; & monaſteria Regulariũ propriè non veniant nomine Eccleſiarum Collegiatarum (vt colligitur ex *Clem.1.de celebrat.miſſar. §. ne igitur*, in qua velut membra diſtincta recenſentur Eccleſiæ Cathedrales, Regulares, & Collegiatæ) non debet talis obligatio extendi ad Eccleſias regulares; cum ſit odioſa, & in odioſis non rectè fiat illatio à diſparatis *l. Papinian. ff. de minor.* præſertim cum ipſa ratio ſuadeat ſupradictam obligationem magis vrgere Eccleſias Cathedrales, & Collegiatas, quam Regulares; cum eæ teneantur ratione beneficij, ac ſtipendij, hæ verò ſolum ratione conſuetudinis cauſa deuotionis inductæ; vt rectè obſeruauit *Peirin.ſup.num.19.* addens ex *Rodriq.* extare priuilegium Martini V. concedens Regularibus, *quod in 4. temporibus, vel in diebus Quadrageſimæ, aut Litanijs ſufficiat celebrare Miſsam de Feria, ſi hoc velint, cum commemoratione Feſti, quod in ipſa die celebratur, niſi eadem die ſit duplex, aut ſemiduplex*; quod tamen priuilegium, cum, teſte ipſo *Rodriq.* fuerit viuæ vocis oraculum, non amplius viget, vtpote abrogatum in generali reuocatione viuæ vocis oraculorum facta ab Vrb. VIII. de qua alibi.

34 Addit *Peirin.n.20.* ex *cap.cum creatura* ſup. relato loco Miſſæ Conuentualis, etiam in Feſto duplici, quod tamen non ſit de præcepto, ſufficere canere Miſſam defunctorum: præſertim ſi voluntas teſtatoris implenda ſit, & ita conſuetudo obtinuit, aut pietas benefactorum id efflagitat.

QVÆRES V. An, & quo modo peccet Sacerdos ſolemniter celebrans, ſi Epiſtolam, aut Euangelium ſubmiſſa voce non recitat, dum ea ſolemniter canuntur à Subdiacono, aut Diacono.

35 ℞. Videri non peccare vllo modo: idque non ſolum ratione leuitatis materiæ: (quo pacto *Io: de Lugo de Euchar. D.20.n.107. cum Vegha*, & alijs docet Sacerdotem in caſu propoſito excuſari poſſe à peccato graui) ſed etiam, quia nullus canon, aut ius extat, in quo imponatur Sacerdori ſolemniter celebranti obligatio recitandi ſubmiſſa voce Epiſtolam, & Euangelium, eſtò aliqui id faciant ex ſua priuata deuotione; multa quippe ſunt conſueta, quæ non ſunt præcepta. Imò affirmat *Sanch.l.7.conſi.c.2. d.13.n.3.* ex *Nauarro*, & probabiliter Sacerdotem celebrantem cum Diacono, & Subdiacono melius facere, ſi dum ipſi dicunt Epiſtolam, & Euangeliũ, attentè audiant, quam ſi ſecretè dicant. ita *Diana p.2.tr.14.reſol.42. cum Vegha, Rodriq. & Villal. & p.5.tract.13.reſol.95.* cum *Ledeſma, Lud. à S. Iuan, & Barthol. à S. Fauſto*, qui omnes nobiſcum ſentiunt contra *Sà, & Fernand.* allegatos à *Diana* priori loco cit. qui *Diana* loco poſteriori cit. ex *Trimarcho, Nigro*, & alijs monet noſtram hanc reſponſionem ſubſiſtere, non obſtante, quod in rubricis Miſſæ ſolemnis expreſsè præſcribatur, vt Sacerdos ſolemniter celebrans ſecretè recitet Epiſtolam, & Euangeliũ; ſi quidem re vera id ibi præſcribitur, non per modum præcepti, ſed ſolùm per modum rubricæ directiuæ, quæ non obligat ſub peccato.

Vtrum verò eodem modo excuſari poſſit à peccato Sacerdos ſolemniter celebrans, qui ſecretè nõ recitat *Gloria*, aut *Credo*, aut Prophetias, quæ in hebdomada maiori leguntur inter ipſa Miſſarum ſolemnia, dum ea ab alijs recitantur, aut canuntur.

36 ℞. Poſſe excuſari tum ob rationes allatas *§.præced.* tum quia non apparet ratio, cur dicendi ſint ſatisfacere obligationi diuini officij ij, qui recitant in Choro ſolum audiendo lectiones, capitula, orationes, &c. & non ſatisfaciat Sacerdos ſolemniter celebrans, ſolum audiendo *Gloria, Credo*, & Prophetias; cum videatur militare par ratio in vtroque caſu; vnde, ſicut *cap.præced.ſect.1.q.10. §. verum quidem eſt* aſſeruimus recitantes in Choro modo ſupra dicto ſatisfacere propriæ obligationi, ſolum audiẽdo: ita & idem aſſerendum eſt in præſenti caſu de Sacerdote ſolemniter celebrante: cum *Gloria, Credo*, & Prophetię in Miſſa ſolemni dici poſſint pars, non Sacerdotis celebrantis, ſed Chori, & aliorum Miniſtrorum. Illud quidem certò aſſeri poteſt, quod, ſi Sacerdos in Miſſa priuata non recordetur ſuo loco dicere *Gloria*, aut *Credo*, & poſt aliquod tempus, id ei veniat in mentem: non tenetur poſtea ſupplere (niſi fortè mora ſit adeò parua, vt ſine incommodo, ac populi perturbatione ſuppleri poſſit.) ita *Suar.ſup.D.85.ſect.2.* probatque quia ſupradicta nõ ſunt de ſubſtantia ſacrificij, & conſequenter non requiruntur ad illius perfectionem, imò, ſi dicantur loco, ac tempore indebito, non conferunt, neque ad decorem, ac ſplendorem Sacrificij, neque ad ſignificationem, ob quam inſtituta ſunt, quin potiùs magis perturbant, & poſſunt non leue ſcandalum generare; quæ doctrina locum habet proportionaliter, etiam in Miſſa ſolemni, vt patet.

QVÆRES VI. An Miſſa ſolemnis, quæ iuxta dicta cani debet in Eccleſijs Cathedralibus, Collegiatis, & Conuentualibus, debeat eſſe Miſſa diei, quæ ſcilicet concordat cum Officio recitato.

37 ℞. Debere eſſe Miſſam diei, quæ ſcilicet præſcribitur iuxta ordinem Miſſalis: patetque tum ex *cap. quidam*, & *cap. cum creatura de celebr. miſſ.* tum ex dictis ſup. q.1. tum quia bulla Pij V. præcipiens in virtute S. Obedientiæ, vt rubricæ Miſſalis ſeruentur, ſtrictius obligat, teſte praxi, & conſuetudine in Miſſis ſolemnibus, quam in priuatis; ſicut notat *Bonac.de Sacr. D.4.q.vlt.p.7.§.3.n.3.*

QVÆRES VII. An caſu, quo in Eccleſia Regularium celebretur Feſtum aliquod peculiare ordinis (v.g. Sancti Fundatoris, cuius officium ratione alterius feſti transfertur) poſſit ibi cantari Miſſa ſolemnis de dicto Sancto, & quando.

℞. Poſſe

38 ℞. Poſſe, ſi ratione talis feſti fiat concurſus populi ad celebrandum feſtum in ea Eccleſia: & quidem in tali miſſa dici poſſe *Credo*, ſi feſtum tranſlatum ſit capax illius; vnde patet leges Miſſæ eſſe paulò ſolutiores, quam regulas diuini Officij, quod in tali caſu nullatenus poteſt celebrari, cum tamen miſſa dici poſſit (quod item habet locum in Eccleſijs, vbi titulus eſt Eccleſiæ.) Ratio huius diuerſitatis eſt, quod titus eccleſiaſtici ordinantut ad excitandam, ac fouēdam populorum pietatem: populi autem potiùs concurrunt ad audiendam miſſam, quam ad recitationem Veſperarum, & aliarum horarum. Colligitur hæc reſponſio ex rubricis Miſſalis *de tranſlatione feſtorum*, vt benè notauit *Gauant.ibi.p.1.tit.6.* monens in caſu, quo dicatur Miſſa de feſto tranſlato, modo ſupradicto in fine illius dicendum eſſe Euangelium S. Ioannis, non autem aliud Euangelium, ſiue Feriæ ſiue Feſti occurrentis.

39 Addo ex *Lezana to.1.c.21.n.27.* in miſſis votiuis ſolemnibus, quæ etiam in Dominicis cani poſſunt pro re graui, aut publica neceſſitate, dici *Gloria*, & *Credo*: dici autem rem grauem illam, pro qua conuenit Epiſcopus cum Clero; ad publicam verò Eccleſiæ cauſam reuocari Comitia generalia, ſeu prouincialia Regularium, nec non orationem ſolemnē 40. horarum per gyrū; quibus ego etiam adderem ſolemnem Euchariſtiæ expoſitionem, quæ quotannis in tēplis Soc. Ieſu fieri ſolet in vltimo triduo bacchanalium ad coercendam nimiam fidelium licentiam, ac diſſolutionē, iramq; Dei tunc hominū peccatis magis, & magis prouocatam placandā: (quāquam, ſi in ſup. dictis caſibus adhibeantur paramenta violacea, tunc in miſſa ſolemni omitti debeat *Gloria*, & *Credo*, vt notat idem *Leza. ſup.* ex *Gauanto*:) quę cōfirmari poſſunt ex eo quod docet *Rodr. to. 1.q.43.a.15.* tunc miſſam dici pro re graui, quando fit aliqua proceſſio generalis, quæ nunquam fit, niſi pro re graui; quando miſſa dicitur pro ſalute vniuerſali alicuius Principis, vel aliqua intentione temporali bonum commune immediatè concernente: quando dicitur in gratiarum actionem pro aliqua re graui petita, & obtenta; quin etiam *Gauan.p.2. in rubric. Miſſal.tit.14.n.3.* notat Miſſam, quæ dicitur pro exponēda Euchariſtia in initio 40. horarum poſſe adnumerari intet miſſas, quæ dicuntur pro publica cauſa, adeoque debere dici cū *Gloria*, & *Credo*, nō itē miſſas priuatas, quæ eadē occaſione in eodem loco dicuntur; hæ enim dici debent ſine *Gloria*, & *Credo*.

QVÆRES VIII. An Sacerdos ſolemniter celebrans, ſi recordetur in ipſo actu celebrandi alicuius pec. m. non confeſſi, teneatur tunc illud confiteri Diacono ſibi aſſiſtenti, qui fortè ſit Sacerdos.

40 ℞. Diſtingnendo, vel enim Sacerdos recordatur peccati m. non confeſſi, ante Conſecrationē; & tunc ſi habeat Diaconum Sacerdotem proximum, eiq; cōmodè, & ſine nota poſſit confiteri (quo modo reuera poterit dum v.g. canitur in choro, vel à muſicis *Gloria*, aut *Credo*, & quidem etiam abſq; eo quod Subdiaconus aſſiſtens id aduertat, ſi abſolutio impertiatur ſubmiſſa voce, & ſine vllo ſigno externo aliàs ſolito adhiberi in actu abſolutionis) vtiq; tenetur Sacerdos cōfiteri; cū præceptū confitendi ante cōmunionem, quod eſt de iure diuino, vrgeat, nec ſic extet vlla ratio excuſans ab eo, vt patet; vel Sacerdos recordatur peccati non confeſſi poſt Conſecrationē; & tunc probabile eſt eum excuſari à Confeſſione; idq; non ſolum ob rationem, quam afferunt DD. nobiſcum ſentientes, eo quod ſcilicet non deceat tunc interrumpi ſacrificium, niſi fortè crederet ſe non eſſe contritum; ſed etiam quia vix ſine nota, ac periculo ſcandali practicè loquendo, poteſt Sacerdos tunc temporis confiteri Diacono, ſaltem quod Subdiaconus non aduertat; vnde in hoc caſu ſufficiet, quod Sacerdos eliciat actum Contritionis, eoque elicito poterit proſequi Sacrificium.

41 Dixi, *niſi crederet ſe non eſſe contritum* (quod vix accidet facienti, quod in ſe eſt,) quia tunc non poſſet communicare, niſi prius confiteretur, aut ſaltē probabiliter crederet ſe eſſe contritū. ita *Coninch. de Sacr. q.80.a.4.d.2.n.16. Regin. l.29. num.106. Poſſeu. de offic. Cur. c.2. nu.15.* alijque apud ipſos (quamuis non loquantur de Sacerdote ſolemniter celebrante in peccato, ſed abſolutè de Sacerdote celebrante) patetq; ex dictis; ſi tantùm monuero cum *Bonac. de Sacr. D.4.q.6.p.1.nu.15.* minùs ſubſiſtere rationem, qua aliqui probant Sacerdotē celebrantē non teneri confiteri peccatum m. non confeſū ipſi in memoriā occurrens poſt Conſecrationē; ſi poſſit id facere cōmodè, & ſine ſcandalo; nimirū quod non deceat Sacrificiū tunc interrūpi; ſiquidē non cenſetur moraliter interrūpi Sacrificiū, cū ſic fiat aliquid, quod dirigitur ad illud dignè cōficiendū; ita *Bonac*, & ſatis probabiliter, admittens tñ etiam oppoſitā ſententiā eſſe probabilē, cū ſolū dicat ſuam eſſe probabiliorē.

Dubium maius eſt, an Sacerdos in caſu propoſito communicans cū ſolo actu contritionis, eò quod verè in ipſo actu celebrandi non potuerit confiteri, teneatur poſtea quam primum confiteri exui decreti in *Conc. Trid.* relati *ſeſſ. 13.c.7.* & a nobis explicati in *tract. de priuilegijs*.

42 ℞. *Diana p.2.tr.14.reſol.61. cum Vaſq. Sayr. & Sylu.* non teneri; probatq; ex eo, quod Concilium obligat Sacerdotem ad confitendum quamprimum ſolū in caſu, quo ipſe non habet copiam Confeſſarii, &, vrgente neceſſitate coactus celebrat non præmiſſa confeſſione, cū tamen antequam celebret, ſciat, & aduertat ſe eſſe in peccato m. hoc autē non euenit in præſenti caſu, quo Sacerdos omittit confiteri, non quia careat confeſſario, ſed vt euitet notam infamię vnde ſupradictum præceptum Concilij cum ſit odioſum non debet extendi ad hunc poſteriorem caſum; quia alioqui nimis ampliaretur; ita *Diana* addens ſecùs dicendum de Sacerdote, qui ex malitia celebrat non confeſſus, aut certè in ipſo actu celebrandi m. peccat ante communionem: licèt & hoc ipſum negent aliqui cum *Nugno in 3.p.to.1 qu.80.a.4.diffic.4.* & probabilius inquit *Diana*.

Quod ſi hic obiter quæras, an Sacerdos peccans m. in actu celebrandi, (v. g. dum à Cantoribus canitur *Credo*, aut *Gloria*) teneatur confiteri tale peccatum ſe commiſiſſe in ipſa miſſæ Celebratione, ſi in actu peccandi habeat animum confitendi Sacerdoti ſibi vt Diacono aſſiſtenti, antequam proſequatur Sacrificium, videlicet prius quam Cantores abſoluant *Credo*, aut *Gloria*.

43 ℞. Non teneri id exprimere in confeſſione;

pateтque ex eo quod in præſenti caſu vltra peccatum, in quod Sacerdos conſenſit (v.g. odij) neutiquã committit ſacrilegium (ſicut aliqui prima facie putant, ducti ex eo quod peccat in ipſa actione ſacra celebrandi) & hoc, excuſante leuitate materiæ: quæ in hac materia omninò admittenda eſt, & in propoſito caſu ſpectari poteſt tum reſpectu partis Miſſæ, intra quam peccatur, quæ eſt accidentalis (vt ſuppono) non autem ſubſtantialis (qualis eſſet conſecratio) tum reſpectu temporis, quo dictus Sacerdos peccat, & perſiſtit in peccato: quod tempus eſt breue, & minùs proprium Miſſæ, ne dicam ipſi extraneum; vt pote quod inſumebatur in canendo *Gloria*, aut *Credo*, quæ iam ſupponimus Sacerdotem ſecretè recitaſſe, quando conſentit in peccatum, ita vt cantatio illa Symboli v. g. quod vocamus *Credo*, ſimpliciter non ſpectaret ad Miſſam neque quo ad integritatem, adeoque cenſeri poſſet ipſi quaſi extranea; ita vt Sacerdos ſup. dictus aliquo modo dici poſſit non peccaſse intra miſſam, ſed extra illam.

Vtrum verò Sacerdos, qui poſt confeſſionem ſacramentalem accedit ad altare, ibique poſt miſſam inchoatam recordatur alicuius peccati m. obliti, teneatur de illo confiteri, priuſquam communicet.

44 ℞. Non teneri, niſi fortè iuxta dicta q. 8. eſset in ſtatu, quo intra ipſam miſsam deberet illud tunc confiteri. ita *Diana p. 5. tr. 14. reſol. 5.* cum *Granado*, & *Præpoſito* con. *Reg. n. l. 5. n. 55.* pro ſe referentem *Medinam, Suarez, & Graſſium*; patetque quia contritio eſt neceſſaria ad culpæ remiſſionem, peccatum autem illud oblitum, iam fuit in confeſſione virtualiter remiſsum, & quidem ſine ea obligatione, quam Aduerſarij effingũt, quod ſcilicet, vbi tale peccatum venerit in mentem, pœnitens, qui illius oblitus eſt, teneatur formaliter conteri iterum de illo; talis enim obligatio nullo iure nititur, neque diuino, neque humano, vt oſtendit *Diana p. 2. tract. 14. reſol. 48.* ideoque omninò debet reijci.

QVÆRES IX. An Regulares, qui canunt Miſsam Conuentualem, poſſint illam applicare ad eam intentionem, quam maluerint.

45 ℞. Videri poſse, niſi extet conſuetudo in contrarium legitimè inducta. ita *Diana p. 5. tract. 13. reſol. 51. ex Peyrino, Corduba, Trimarchi, Nigro, ac Leone* contra *Bonacinam, & Fraxinellum* oppoſitum ſuſtinentes; probatur autem aſsentio tum quia vbi agitur de obligatione inducenda ſtricta fieri debet interpretatio: tum quia nulla apparet lex ſiue diuina, ſiue humana obligans in contrarium, ſicque verificatur cenſeri conceſsum quidquid non reperitur eſse prohibitum.

QVÆRES X. An Sacerdos poſſit exigere, ac recipere maius ſtipendium pro miſsa ſolemni, quam pro miſsa priuata.

46 ℞. Poſse; cum Sacerdos, quo magis detinetur in miniſterio miſsæ, eò maius ſtipendium pro ſua ſuſtentatione recipere poſſit; vt pote quod ei ſoluitur, non abſolutè pro ſacrificio, ſed pro labore, opere, miniſterio, & ſuſtentatione. ita *Fraxinel. de Sacerd. obligat. ſect. 4. concl. 1. §. 1. num. 9.* qui tamen minus bene negat *concl. 4. §. 16.* cum Bonac. *de Sacram. D. 4. q. vlt. p. 7. §. 2. n. 7.* & alijs miſsam conuentualem poſſe applicari pro quocumque voluerit Superior; ſi quidem non conſtat, quod vllo præcepto diuino, aut humano talis applicatio prohibeatur, vt proinde locum habeat regula illa generalis: *Omnia ſunt conceſsa, quæ non inueniuntur prohibita.* ita *Diana vbi ſupra cum Peyrino, Cordu. Rodriq. Trimarchi, Nigro, & Leone*, addens tamen id eſse intelligendum, modò non adſit conſuetudo in contrarium.

QVÆRES XI. An Sacerdos miſsam ſolemnem celebrans ad effectum faciendi proceſſionem Sacramenti (vt vocant) ſi obliuiſcatur conſecrare hoſtiam deferendam in proceſſione, poſſit ad hunc finem reſeruare ſuam, ſumẽdo hoſtiam ab alio præconſecratam ex Tabernaculo, eamque pro ſe conſumendo.

47 ℞. Non videri improbabile, quod poſſit, ſi aliter præſenti neceſſitati conſuli nõ poſſit. ratio eſt, quia eſsentia ſacrificij conſiſtit in noua conſecratione, & conſumptione hoſtiæ, ac vini in eodem ſacrificio facta, non tamen ab eodem Sacerdote; vnde, ſi Sacerdos poſt Conſecrationem ſtatim moriatur, & alter perficiat miſsam illius; cum ſic ex vtroque celebrante fiat vnus miniſter, & vnum ſacrificium eſsentia. e, qui ei aſſiſteret, ſatisfaceret præcepto audiendi Miſsam. ita *Fagund. p. 1. l. 3. c. 4. num. 26.* ex *Henriq.* quos refert *Diana tra. ſup. cit. reſ. 96.* con. *Præpoſ. Barbol. à S. Fauſto, Gamacha, Io: de Lugo, & alios* ibidem relatos ab ipſo *Diana*; quorum opinio eſt communis, probabilior, & in praxi ſequenda, niſi fortè in caſu aliquo neceſſitatis, cui aliter conſuli nequeat.

An verò prudenter egerit quidam Sacerdos, quia non habens hoſtiam maiorem conſecrandam in ſacrificio Miſsæ, minorem conſecrauit, eleuando tamen aliam maiorem ab alio præconſecratam, quæ ſeruabatur in pyxide, idque ad vitandum populi ſcandalum.

48 ℞. *Diana ſup.* ex *Marchantio*, quod, cum in ſacrificio Miſsæ oſtendi debeat populo aſſiſtenti adoranda hoſtia illa, quæ in eo offertur, & conſecratur, talis cautela abſolutè non eſt approbanda; quin potiùs talis Sacerdos melius feciſset, ſi maiori illi hoſtiæ alteram paruam a ſe in eo ſacrificio conſecratam à retro adiunxiſset, ſimulq; exhibuiſset vtranque adorandam.

49 Addetu nec videri approbandam cautelam, quã adhibuerunt quidam Regulares, qui cum à prandio in eccleſia expoſituri eſsent Sacramentum, & Sacerdos in vltima Miſsa oblitus fuiſset conſecrare hoſtiam grandiorem exponendam, hoſtiæ maiori non conſecratæ leuiter madefactæ tres hoſtias paruas conſecratas à parte ante adiunxerunt, eamq; populo adorandam expoſuerunt; non, inquam, videtur approbanda talis cautela: cum ſit indecens hoſtias conſecratas modo dicto adiungere hoſtiæ non conſecratæ, idque non leuiter offendere poſſit populos, qui fortè id aduerterent. Ego certè in tali caſu expoſuiſsem ſacram pyxidem continentem formulas conſecratas eo modo, quo ſeruatur in Tabernaculo; ſicque puto in tali euentu & conſulendum, & faciendum.

QVÆRES XII. An conuenienter in Miſsa ſolemni intermiſceantur non ſolum ſonus organorum ſine vllo cantu, ſed etiam ſymphoniæ, & moteta (vt vocant.)

50 ℞.

50 ℞. Conuenienter intermiſceri, ſi ſonus, & cantus ſit grauis, deuotus, & prouocans ad pietatem, & ea ipſa, quæ canũtur, nõ ſint prophana, ac impura. ita *Suar. to. 2. de Rel. l. 4. de orat. cap. 13. numer. 17.* aliíque communiter, & probatur quia hoc nullibi reperitur prohibitum, nec eſt per ſe malum, nec alienum à conſuetudine Eccleſiæ primitiuæ, in qua ſinguli fideles hymnos à ſe compoſitos canere ſolebant in templis; præter quam quod ſonus, & cantus ſupradicti ſpectant ad maiorem ſolemnitatem diuinorum Officiorum, ac leuandos Fidelium animos, vt faciliùs ad deuotionem aſſurgant; vt proinde *C. Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſeru. & cuit. in celebrat. Miſſ.* dicat *Ab Eccleſijs verò muſicas eas, vbi ſiue organo, ſiue cantu laſciuum, aut impurum aliquid miſcetur, arceant*; hinc ſignificans cantum, & ſonum, ſi debita grauitate illis vtamur, retinendos eſſe in diuinis officiis.

QVÆRES XIII. An peccent m. Subdiaconus, & Diaconus, ſi in miſſa ſolemni Epiſtolam, aut Euangelium ſolemniter canant exiſtentes in peccato mortali.

51 ℞. Non peccare, idque etiamſi ſæpiùs eiuſmodi actus exerceant in peccato m. ita *Coninch. de Sacram. q. 64. a. 6. n. 39. Suar. de Sacr. D. 16. ſect. 3. Val, Villal. Vaſq. Fernand. & Sotus* apud *Dianam p. 3. tr. 4. reſ. 195.* contra plures alios ab eodem *Diana* adductos. Ratio eſt, quia talis actio neque eſt diſpenſatio meritorum Chriſti, vt ſunt Sacramenta; neque ſunt opus in ſe adeo ſanctum, vt adſit obligatio tam grauis illud exercendi in gratia. dixi *idque etiamſi ſæpius eiuſmodi actus exerceant, &c.* quia velle ſæpiùs peccare venialiter; quod euenit in caſu noſtro) non facit peccatum m. cum tales actus veniales ſint omnino inter ſe diſiuncti, nec relinquant poſt ſe effectum, ratione cuius prior dicatur coaleſcere cum poſteriori; & aliàs falſum ſit in frequentatione talium actuum includi virtualem contemptum; quo modo nec includitur in frequentatione mendacii iocoſi, aut negligentiæ in abigendis diſtractionibus orationis.

SECTIO III.

De Obligatione celebrandi, quam habent Regulares ad implenda Miſſarum onera debita ex ſtipendio manuali.

52 *Celebrari poſſunt miſſæ ex ſtipendio accepto.*

53 *Niſi aliunde id prohibeatur; vt in Societate Ieſu, in qua nec Generalis quo ad hoc poteſt diſpenſare.*

54 *Etſi aliàs Religioſi Societatis in ſuis miniſterijs poſſint ſe ſeruare indemnes.*

55 *Non eſt ſimoniacus celebrans ex ſtipendio, aliàs non celebraturus.*

56 *Stipendium miſſæ iuſtum eſt, quod taxatur ab Ordinario.*

57 *Fructus miſſæ eſt triplex.*

58 *Refutantur aſſerentes Sacerdotem in miſſa poſſe applicare fructum ſpecialem illius.*

59 *Ad validam miſſæ applicationem ſufficit intentio habitualis: ſufficit item quod celebrans applicet miſſam, etſi id ignoret qui aliàs eam petierat.*

60 *In miſſa ex ſtipendio applicandus ſolùm fructus ex opere operato.*

61 *Applicatio facienda ante miſſam, vel in miſſa vſq; ad conſecrationem, & non vltra; & ſi iuxtà aliquos fortè dici poſſit miſſam applicari poſſe, etiam poſt conſecrationem.*

62 *Fructus miſſæ nulli applicatus, aut incapaci, fit de theſauro Eccleſiæ.*

63 *Vt obicis reperti in eo, cui applicatur, impediri nequit quo ad collationem gratiæ præuenientis.*

64 *Ex miſſa plura proueniunt bona, quæ referuntur.*

65 *Expedit curare vt miſſa celebrentur à Sacerdote meliori, & magis deuoto.*

66 *Item expedit procurare miſſas in vita, ſed non de requiem.*

67 *Sacerdos iuxta aliquos applicare poteſt ex ſtipendio miſſam, quam dicit in ipſa ordinatione; quod tamen indiget limitatione: item Sacerdos perficiens miſſam ab alio inchoatam, ſi incipiat à conſecratione vini, poteſt illam applicare ex ſtipendio.*

68 *Iuxta aliquos miſſa poteſt applicari pro eo, qui primò daturus eſt ſtipendium; etſi in praxi pars negans amplectenda ſit.*

69 *Probatur aſſertio quo ad priorem partem affirmantem.*

70 *Quæ tamen eget moderatione, vt ſit non omninò improbabilis.*

71 *Notabiliter differens miſſas debitas ex ſtipendio peccat mortaliter.*

72 *Dilatio autem cenſetur notabilis, ſi excedat 50. vel 60. dies.*

73 *Et tunc reſtitutio aliqua fieri debet, quæ aſſignatur.*

74 *Reducta miſſa quotidiana perpetua ad 200. miſſas annuas per legitimam poteſtatem ſufficit illas omnes celebraſſe in fine anni.*

75 *Habens plures miſſas iam obligatas aliunde noua onera poteſt aſſumere.*

76 *Oſtenditur, quo ordine debeat miſſas celebrare, qui plures habet obligatas ad diuerſas intentiones.*

77 *Obligatus celebrare pro varijs defunctis non debet miſſas celebrare pro defunctis illis in communi.*

78 *Vna miſſa interdum licitè dicitur pro alia petita, & promiſſa in ſpecie (etſi oppoſitum in praxi ſuſtinendum videatur.)*

79 *Idque etſi iuxta rubricas tunc poſſet dici miſſa illa in ſpecie debita.*

80 *Obligatus celebrare in Altari priuilegiato iuxta aliquos ſatisfacit, ſi ad aliud altare celebret, applicando indulgentiam; quod negant alij probabilius.*

81 *Non tenetur dicere miſſam* de Requiem; *etſi alij diſſentiant.*

82 *Miſſæ propria S. Gregorij dicenda ſine interruptione, ſed non* de Requiem.

83 *Ad celeriorem liberationem defuncti è Purgatorio plus proſunt 30. miſſæ ſimul dictæ, quam 30. celebratæ diuerſis diebus.*

84 *Celebrans miſſas ex ſtipendio, dum eſt excommunicatus vitandus, ſatisfacit.*

Item

85 *Item ſatisfacit, qui celebrat miſsas ex ſtipendio debitas excommunicato vitando ante incurſam excommunicationem.*

86 *Licitè celebrantur miſsæ pro hæreticis.*

87 *Poſsent differri miſsæ debitæ excommunicato, vſque dum abſoluatur.*

QVÆRES I. An, & quo modo Regulares poſſint recipere ſtipendium ad effectum celebrandi miſſas pro fidelibus, tam viuis, quam deſunctis.

52 ℞. Poſſe recipere, non quidem vt pretium ſacrificij (quod eſſet ſimoniacum) ſed in propriam ſuſtentationem: dummodo aliunde id ipſis non prohibeatur. eſt communis Doctorum, & certa apud Catholicos, imò definita in *Concilio Agathenſi cap.36.*& alibi ſępè colligiturque tum ex 1.*Cor.9.* vbi dicitur *Quis militat ſuis ſtipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* tum ex verbis Chriſti Matth. 10. *dignus eſt operarius cibo ſuo;* vt proinde hæc reſponſio non egeat vlla probatione; ſi ſolum expoſuerimus, in quo differant dare vt ſtipendium ad ſuſtentationem Sacerdotis celebrantis ſiue totalem, ſiue partialem, & dare vt pretium Sacrificij. hoc autem ſufficienter explicabitur exemplo Pictoris, qui fortè nollet vendere ſuas operas, aut picturas, ſed vouiſſet gratis pingere pro aliqua Eccleſia: is enim ſine dubio non faceret contra tale votum, ſi ab Eccleſia illa peteret ſumptus neceſſarios ad colores, ad tabulam, & alia omnia, vtpote qui adhuc diceretur gratis pingere: & hoc, licet peteret cibum, aut potum peculiarem, quo indigeret ad pingendum; cum talis cibus, & potus computandus eſſet inter expenſas neceſſarias ad picturam, adeoque pictor dici poſſet pingere gratis. Sic ergò Sacerdos non facit contra præceptum Chriſti gratis dandi, quod gratis accepit, ſi ab ijs, pro quibus celebrat, recipiat neceſſaria ad tale miniſterium exequendum, panem ſcilicet, vinum, ceram, & alia neceſſaria ad Sacrificium; inter quæ computanda eſt, & ſuſtentatio ipſius Sacerdotis; quippe qui, ſicut non poteſt celebrare abſque miniſtro, pane, vino, cera, &c. ita nec poteſt ſine ſe ipſo ſuſtentato, ac benè diſpoſito; vnde etiamſi Sacerdos hęc omnia accipiat à petente miſſam, nihilominus gratis dicitur offerre Sacrificium pro ipſo, cum non petat, niſi quæ ſunt neceſſaria ad ipſum Sacrificium; & hæc ipſa illi debeantur ex iuſtitia, non vt pretium, ſed vt neceſſaria ad Sacrificium, quod petitur. ita *Io. de Lugo de Euchar. D.21.n.13.14.*

53 Dixi, *dummodo aliunde id ipſis non probibeatur;* ſi enim Religioſis alicuius Ordinis ex ſpeciali regula, aut Conſtitutione interdictum ſit recipere ſtipendium pro Miſſis, aut alijs miniſterijs ſpiritualibus, prædicatione, confeſſionum auditione &c. (vti de facto ſpecialiter interdictum eſt Religioſis Soc. Ieſu in *exam. generali c.1.§.3.* his verbis: *Nec etiam (quamuis alijs ſit licitum) pro Miſſarum Sacrificijs, vel prædicationibus, vel lectionibus, vel vllius Sacramenti adminiſtratione, vel quouis alio pio Officio ex ijs, quæ iuxta ſuum Inſtitutum Societatis poteſt exercere, ſtipendium vllum, vel eleemoſynam, quæ ad compenſationem huiuſmodi miniſteriorum dari ſolent, ab alio, quam à Deo (ob cuius obſequium purè facere debent) poſſunt admittere;* tunc vtique licitum non eſt recipere ſtipendium pro Miſſis: quod ita eſt verum, vt *Sanch l.7. in decal. c.28. num.5.* cum *Nau. l.3. de reſt. c.1. p.3. d.2. num.170. & Rodriq. 3. p. q.29 a.13.* alijſque doctiſſimis viris einſdem Societatis Ieſu dicat veriùs eſſe Religioſum Societ. recipientem ſtipendium pro Miſſis, alijſue miniſterijs ſpiritualibus peccare m., & quidem con. votum Paupertatis, niſi paruitas materiæ excuſet; quod etiam docet *Laym. l.4. tract.10. c. vlt. §.2. num. 17.* addens ex *can.1. Congreg. generai. V.* neque ipſum Generalem Societatis poſſe diſpenſare hac in re. Ducuntur, quod præfata Conſtitutio prohibens receptionem ſtipendij pro miſſis non eſt ſimplex regula (ſic enim eius violatio non eſſet peccaminoſa, cum Societatis Conſtitutiones non obligent ad culpam, niſi quatenus concernunt vota) ſed eſt declaratio quædam voti Paupertatis, quod emittitur in Societate, ac proinde concernit materiam voti, cuius tranſgreſſio ſine dubio eſt mortalis; ſed de hoc alibi: nam non omnes DD. Societ. id concedunt; vt videre eſt apud *Molin. tract.2. D.687. num.3.* ſuſtinentem violationem ſup. dictæ Conſtitutionis eſſe trãſgreſſionem ſimplicis regulæ, adeoque de ſe non eſſe mortalem: quod ſcio ſuſtineri etiam ab alijs viris doctis Societatis, & probabiliter meo iudicio: vnde & ipſe *Sanch.* oppoſitam ſententiam ait ſolum eſſe veriorem, quaſi ſupponens etiam Molinæ opinionem dici poſſe veram, ideſt probabilem.

54 Addo cum *Io. de Lugo ſup. num.* 17. ex vi ſup. dictæ Conſtitutionis hominibus Societatis interdictum eſſe accipere pro miniſterijs ſpiritualibus, non omninò, ſed illud, quo videntur compenſari eiuſmodi miniſteria; vnde fit, vt, quamuis ratione eorum non poſſimus recipere neceſſaria ad competentem ſuſtentationem (ſicut poſſunt alij Religioſi) licitè tamen poſſimus nos ſeruare indemnes, recipiendo v. g. pro viatico, victu ſubminiſtrando in alio loco, in quo aliàs non eſſemus alendi, alijſque ſimilibus: hoc enim non affert lucrum, ſed auſert nouos ſumptus, ac expenſas extraordinarias; facitque non vt accipiamus, ſed ne expendamus ex noſtro in gratiam alterius id, quod alioqui non eſſet expendendum; quod certè non eſt recipere ſtipendium, ſed tantùm non donare de noſtro: cum quo ſtat, vt tota opera, & actio conferatur gratis, abſque eo quod occaſione illius Societas aliquid lucretur.

Vtrum verò Religioſus celebrans ob ſtipendium aliàs non celebraturus, ſimoniam committat.

55 ℞. Non committere, ſi celebret ob ſtipendium, non tanquam ob cauſam finalem, vltimam, & principalem; ſed tantùm in propriam ſuſtentationem ſibi debitam iure diuino, ac humano, nec non legitima Superioris lege, aut conſuetudine. ita Fraxinell. *de Sacerd. oblig. ſect.3. prænot.* 1.§.6.

QVÆRES II. Quodnam cenſeatur iuſtum ſtipendium miſſæ debitæ ex ſtipendio voluntariè præſtito à Fidelibus.

56 ℞. Quod, cum ſtipendium miſſæ ſeruet proportionem pretij, quatenùs in eo etiam ſeruanda eſt ratio iuſtitiæ (licèt verè non ſit pretium) ſicut iuſtum præſumitur illud pretium, quod eſt legitimè

taxa-

taxatum à Superiore; ita & ſtipendium Miſſæ iuſtum cenſebitur illud, quod fuerit ritè taxatum à Prælato Eccleſiaſtico; quamquam id non facit, quin fideles poſſint dare maius, & Sacerdotes recipere minus, ſi velint; taxatio ſi quidem ſtipendij efficit, vt fideles non poſſint dare minus, nec Sacerdos plus exigere ex iuſtitia. quod ſi fortè nulla talis taxatio facta ſit, ſtipendiũ iuſtum Miſſæ cenſebitur illud, quod communiter receptum eſt conſuetudine, darique ſolet à viris timoratis: nam ſecluſa lege, conſuetudo ſicut indicat iuſtum pretium, ita & indicat iuſtum ſtipendium, quod cum pretio iuxta dicta non paruam habet proportionem, ita *Filliuc. tra.5. num. 178.179. ex Suar. Soto, & Nau. Fraxinel. ſup. prænot. 5. §. 2. nu. 3.* citans plurimos alios *Io: de Lugo ſup. n. 25.* alijque communiter: qui benè monent, quod licèt Sacerdos paciſci poſſit de ſtipendio iuſto pro miſſis ſoluendo, non eſt tamen conueniens, vt contendat exigere ſummum, ac rigoroſum inſtar ſæcularium negotiatorum; cum potius debeat eſſe contentus mediocri ſtipendio, & talis exactio ſapiat quamdam auaritiam: quo modo *Conc. Trid. ſeſſ. 22. in decr. de obſeru. & euit. in celebr. Miſſar.* ſtatuit, vt Epiſcopi omninò prohibeant cuiuſuis generis mercedum conditiones, pacta, & illiberales, & importunas eleemoſynarum exactiones potiùs, quam poſtulationes.

QVÆRES III. Quem fructum Miſſæ teneantur Sacerdotes Regulares applicare ei, pro quo illam offerunt ex recepto ſtipendio.

57 ℞. Quod, cum fructus Miſſæ ſit triplex; generalis, quem Eccleſia vult, vt Sacerdos applicet omnibus fidelibus; ſpecialis, qui eſt perſonalis, ac proprius ipſius Sacerdotis; & medius, qui relinquitur offerenti applicandus ad arbitrium illius; Regularis Sacerdos celebrans pro alio ex ſtipendio tenetur ſolùm applicare fructum medium, non autem ſpecialem. qui ſecundum communem ſententiam Doctorum non poteſt applicari; neque generalem, qui item non poteſt ſpecialiter applicari, cum ex lege Eccleſiæ omnibus, ac ſingulis fidelibus debeatur. eſt communis DD. teſte *Fraxinel. ſup. prænot. 3. §. 2. num. 1.* patetque ex dictis: ſi ſolùm probauero Sacerdotem celebrantem ex ſtipendio teneri applicare fructum medium; ratio autem huius deſumitur tum ex vſu Eccleſiæ expreſſo, quæ miſſas inſtituit pro viuis, & defunctis, imò & pro hoc, vel illo defuncto, pro hoc, vel illo viuo, pro ſalute, pro itinere, alijſque particularibus neceſſitatibus: tum ex conſuetudine Sacerdotum miſſas applicantium pro hac, aut illa neceſſitate, tum ex intentione petentium Miſſas ex ſtipendio, qui in particulari volũt ſibi offerri ſacrificiũ iuxta ipſorũ arbitrium: quæ omnia probant Sacerdotem ex ſtipendio celebrantem pro alio teneri ipſi applicare fructum Miſſæ, quem vocauimus medium.

58 Quod autem *Sotus in 4. d. 11. q. 2. a. 5. Nau. cap. 25. num. 92.* alijque docent Sacerdotem poſſe alteri applicare etiam fructum Miſſæ ſpecialem; adeoque poſſe ab vno recipere ſtipendium pro valore medio vnius miſſæ applicando, & aliud ab alio pro valore ſpeciali ipſi applicando; benè reijciunt *Suar. Rodriq. Mirand. Lxbet. Bonac.* & alij penes *Fraxin. ſup. num. 8.* ſuſtinentes Sacerdotem neque licitè, neque validè poſſe alteri applicare fructum ſpecialem miſſæ; & quidem meritò, cum dans ſtipendium certum pro miſſa intendat habere certum fructum ipſius miſſæ; & alias Sacerdos certò ſcire non poſſit, an ſit capax dicti fructus ſpecialis, qui pendet à ſtatu gratiæ, de quo cum non poſſit conſtare Sacerdoti iuxta illud *Eccl. 9. nemo ſcit, vtrum amore, an odio dignus ſit*, neque ſupradictus fructus poterit alteri exhiberi, tanquam ex contractu, vt patet; præterquam quod ex alijs Sacramentis conſtat non poſſe ſuſcipientem ſe priuare gratia, ac ſatisfactione, quam recipit ex vſu ipſorummet Sacramentorum; vt videre eſt in Baptiſmo, in quo datur gratia, ac remiſſio tam culpæ, quam pœnæ, ſi ſuſcipiens ſit ſufficienter diſpoſitus: & tamen neutra illarum poteſt alteri applicari: vnde hoc idem dicendum eſt de Sacrificio miſſæ quo ad fructum illius ſpecialem, cum in vtroque videatur adeſſe par ratio.

QVÆRES IV. An Sacerdos celebrans ex ſtipendio, tempore miſſæ teneatur habere intentionem ſaltem virtualem applicandi Sacrificium pro eo, qui ſtipendium dedit, aut ſufficiat, quod habitualiter illud applicet, per intentionem ſcilicet aliàs actu habitam, & poſtea non retractatam.

59 ℞. Sufficere, quod applicet habitualiter; ſi quidem Sacerdos antea abſolutè applicauit Sacrificium poſtea offerendum, non autem ſolum habuit propoſitum applicandi; quæ duo ſine dubio differunt inter ſe. Et quidem quod ſufficiat applicatio habitualis, conſtat ex eo quod quamuis intentio habitualis non ſufficiat ad faciendum Sacramentum, ac Sacrificium: cum ad hæc requiratur intentio operatiua, qualis vtique non eſt intentio, quæ non perſeuerat, neque actualiter in ſe, neque virtualiter in aliquo effectu ſui; intentio tamen habitualis ſufficit ad applicandum fructum Sacrificij; cum ad hoc præſtandum non requiratur intentio operatiua ipſius Sacrificij, ſed ſufficiat intentio applicatiua reſpiciens Sacrificij fructum, non vt effectum, ſed vt purum obiectum; vnde applicatio, qua offertur Sacrificium pro alio, fieri poteſt per voluntatem ſimplicem, quæ antecedat ipſum Sacrificium, & poſtea nihil aliud operetur circa ipſum Sacrificium: ita *Suar. de Sacr. D. 13. ſect. 3. §. dico 2. Diana p. 5. tract. 14. reſ. 65.* cum *Coninco, Hurtado, & Io: de Lugo Bonac. de Sacr. D. 1. q. 3. p. 2. §. 3. nu. 11.* & alij contra *Vaſq. Beian. Fraxinel. Berarducium* relatos à *Diana p. 2. tr. 14. reſ. 47.*

Quod ſi hac occaſione quæras, an caſu, quo Titio Sacerdoti offerantur 30. miſſæ celebrandæ pro Caio, & Titius neget ſe poſſe eas tunc celebrare; eas tamen poſtea celebret, id ignorante eo, qui eas obtulerat celebrandas, & quidem ad intentionem ſibi antea propoſitam, nempe pro Caio: an inquam hæ miſſæ verè ſuffragentur Caio, etſi is, qui illas obtulerat celebrandas, eas Caio non applicauerit, ignorans eas celebrari à Titio.

℞. Suffragari: & probatur, quia miſſa prodeſt ei, pro quo applicatur à Sacerdote: Titius autem applicauit miſſas prædictas pro Caio; cum illas

appli-

applicauerit ad intẽtionem ipſi antea propoſitam: quæ erat, vt dicerentur pro Caio. nec obſtat quod is qui miſſas illas obtulerat celebrandas, eas non applicauerit pro Caio, poſitiuè credens illas non dici à Titio: cum ad hoc ſufficiat applicatio Sacerdotis celebrantis, quæ in præſenti caſu vtique interuenit. & hoc eſt ita verum, vt, quamuis præſcribens miſſas celebrandas Sacerdoti pro certa perſona, dum eæ dicuntur, poſitiuè intendat eas non prodeſſe illi certæ perſonæ, hoc tamen non ſignificato Sacerdoti, ſi is de facto illas applicat illi perſonæ, ei proſint; vt pote dictæ ad intentionem antea propoſitam à præſcribente miſſas, non autem ad intentionem illius præſentem diuerſam ab ea, quę antea fuit Sacerdoti propoſita; id ignorante ipſo Sacerdote, vt ſuppono.

QVÆRES V. An Sacerdos celebrans ex ſtipendio teneatur applicare Sacrificium non ſolum quo ad fructum ex opere operato, ſed etiam quoad fructum ex opere operantis, orationes, & alia, quæ peraguntur in miſſa.

60 ℟. Probabile eſſe non teneri applicare, niſi fructum ex opere operato, adeoque celebrantem liberè poſſe applicare, etiam alijs ab eo, qui dedit ſtipendium, fructum illum, qui illi reſpondet tanquam perſonę priuatę: ſiue is percipiatur per modum impetrationis, ſiue ex opere operantis per modum meriti, aut ſatisfactionis; vnde fit, vt celebrans ex ſtipendio in *memento* miſſæ poſſit Deo commendare quoſcumq; voluerit, offerendo pro ijs priuatum ipſum Sacrificium. Ratio eſt, quia ex vna parte per huiuſmodi oblationes nihil detrahitur fructui, qui reſpondet oblationi ſacrificij, pro vt fit in perſona Chriſti, & conſiſtit in opere operato; ex alia parte petens miſſam ex ſtipendio non videtur intendere, niſi hunc ipſum fructum, non autem illum, qui ſe tenet ex opere operantis: alioqui Sacerdos celebrans ex malo fine non ſatisfaceret ſuæ obligationi, vt pote defraudans dantem ſtipendium fructu reſpondente operi operantis: quod tamen non admittitur communiter. ita *Diana p.5. tract. 14. reſ.* 80. cum *Coninco, Hurtado*, alijque docti Recentiores.

QVÆRES VI. In qua parte miſſæ applicari debeat fructus Sacrificij ei, pro quo offertur, ſiue ex ſtipendio, ſiue ex alio quouis titulo.

61 ℟. Debere applicari, ſiue ante miſſam eo modo, quo diximus ſup. q. 4. (quod eſt applicare per intentionem habitualem), ſiue in ipſa miſſa, ſaltem in ipſa Conſecratione; & hoc eſſe ita verum, vt, ſi applicatio fiat poſt Cõſecrationem, ſit nulla. ita *Suar. ſup. D. 75. ſect. 5. § dices*, & probatur quia effectus Sacrificij, qui conſumatur in Conſecratione vtriuſq; ſpeciei (vt benè probat idem *Suarez ſect. ſeq.*) non debet eſſe quaſi ſuſpenſus, ſed ſtatim dari, ac Sacrificium conſumatur, ideoque debet tunc adeſſe intentio applicantis, vt ſtatim fiat applicatio: hoc autem non eueniret, ſi applicatio fieret ſolum poſt Conſecrationem. quę doctrina locum habet, ſiue Sacrificium offeratur pro viuis, ſiue pro defunctis: idque non obſtante quod eccleſia differat in miſſa commemorationem, & oblationem pro defunctis ad tempus poſt Conſecrationem; hinc enim non colligitur poſt Conſecrationem applicandum eſſe fructum Sacrificij, quando offertur pro defunctis: quin potius deducitur oppoſitum, cum peracta Conſecratione Celebrans ſtatim incipiat orare pro ſumentibus, & participantibus victimam oblatam, vt eis proficiat ad ſalutem: quod eſt ſupponere Sacrificium iam fuiſſe oblatum, & conſequenter applicatum. Nec obſtat, quod Sacerdos, etiam poſt Conſecrationem orat, vt Deus acceptum habeat ſacrificium: id enim fit, non quia eſſentialis oblatio Sacrificij nondum ſit perfecta, ſed quia adhuc habemus præſentem rem oblatam, & per eam poſſumus plura, ac varia beneficia impetrare, & vt effectus ſacrificij ob noſtra demerita non impediatur, vnde concludit *Suar.* poſt Conſecrationem orari pro defunctis, non de nouo pro eis offerendo ſacrificium, ſed impetrando ratione ſacrificij oblati, & Deo iterum repræſentando hoſtiam oblatam, quæ adeſt præſens: ita *Suar.*, & valdè probabiliter: quamuis in ſententia eorũ DD. qui cum *Fagund. p. 1. l. 3. c. 4. nu.* 25. docent conſumptionem ſpecierum ſacramentalium eſſe partem eſſentialem ſacrificij miſſæ, adeoque adæquatam illius eſſentiam conſiſtere in Conſecratione, & Conſumptione Sacerdotis: oppoſitum ſuſtineri poſſet non eſſe improbabile, applicationem ſcilicet Miſſæ fieri poſſe, etiam poſt Conſecrationem. moueor quod *Coninc. ſup. n.* 167. ait Sacerdotem vt validè applicet ſacrificium miſſæ, debere habere intentionem virtualem aut interpretatiuam (adde tu, aut ſaltem habitualem) applicandi illud, dum celebrat: alioqui enim poſtea fruſtra conatur illum applicare: cum ipſe talem fructum diſpenſare nequeat, niſi quatenus ſuſtinet perſonam Chriſti eum nomine illius diſpenſans, & aliàs Sacerdos perſonam Chriſti non ſuſtineat, niſi dum celebrat. Vnde ſic poſſet quis argumentari: tamdiu poteſt Sacerdos applicare ſacrificium miſſæ, quamdiu verum eſt dicere quod celebrat; tamdiu autem dici poteſt celebrare, quamdiu non abſoluit Sacrificium, quo ad ſua ſubſtantialia; ergò, cum data ea doctrina *Fagundez*, non dicatur abſolutum ſacrificium quo ad ſuã eſſentiam, niſi poſt Conſumptionem, vſq; ad Conſumptionem poterit Sacerdos applicare illud; cum vſque ad Conſumptionem re vera ſit in actu celebrandi, & dici poſſit, quod celebrat.

62 Illud quidem certò aſſeri poteſt, ſi Sacerdos fructum miſſæ, aut nulli applicet aut perſonæ incapaci, eum nulli conferri, ſed remanere in theſauro Eccleſiæ: quamquam hoc ipſo quod Sacerdos eum nulli alteri applicat, cenſeatur illum ſibimetipſi applicare per generalem voluntatem, qua vnuſquiſq; ſemper intendit ſibi prodeſſe, quantum poteſt: maximè cum ad applicationem talis fructus ſufficiat voluntas virtualis, interpretatiua, imò & habitualis; qualis abſque dubio continetur in generali illa voluntate, dummodò ſacerdos non intendat contrarium. ita *Coninc. ſup. q. 83. n.* 166. monens conſultum eſſe quod quoties celebramus pro alio, ſimul habeamus conditionatam voluntatem applicandi illum fructum, vel in totum, vel ex parte alicui alteri, ſi forte is, pro quo celebramus, ſit illius incapax, aut eo non indigeat; quod idem ſentit *Io: de Lugo de Euchar. D. 19. nu.* 226. licèt cum aliqua limitatione, quæ videri poteſt penes ipſum.

Quod

Quod ſi quis obiter hìc quærat, an effectus ſacrificij miſsæ impediri poſſit ratione obicis reperti in eo, pro quo applicatur.

63 ℞. Cum diſtinctione: vel loquimur de collatione gratiæ præuenientis, quæ ex vi ſacrificij conceditur, & hæc non impeditur per vllum peccatum m. quod abſolutè tranſactum ſit; ſi quidem talis gratię eſt capax quilibet peccator, vt patet: vel loquimur de remiſſione pœnæ temporalis, quæ item obtinetur ex Miſsæ ſacrificio; & huic effectui obſtat quodlibet peccatum m. cum talis pœna nunquam remittatur exiſtenti in peccato m. quamuis *Henriq. l. 9. c. 13. num. 1.* putet eiuſmodi effectum reuiuiſcere per ipſius peccatoris iuſtificationem: quod tamen *Coninc. ſup. num. 145.* dicit eſse incertum, addens videri probabile vehementem alicuius malitiam, ac obſtinationem in peccatis poſse impedire, ne is, cui miſsa applicatur, gratiam obtineat præuenientem, quam diximus vi illius ſolere conferri: quippe qui poteſt ſe facere ineptum, vt per media ordinaria conuertatur; & alioqui Deus non ſolet communiter dare media extraordinaria; quod eſt benè notandum.

QVÆRES VII. Quæ bona conſequatur ex ſacrificio miſsæ is, pro quo ipſum ſacrificium applicatur tanquam debitum ex ſtipendio, alioue titulo.

64 ℞. Quod, cum ſacrificium miſsæ ſit propitiatorium, impetratorium, & ſatisfactorium; per conſequens cauſat in eo, pro quo applicatur non ſolum remiſſionem peccatorum ſiue mortalium, ſiue venialium, ac remiſſionem pœnæ temporalis ipſis debitæ, ſed etiam per modum impetrationis obtinet bona, quæ à Deo petimus tam temporalia, quam ſpiritualia. Cauſat, inquam, remiſſionem peccatorum, non immediatè, ſed mediatè, ideſt per auxilia, quæ intuitu ſacrificij applicati præſtantur ad actum contritionis eliciendum, per quem poſtea remittantur peccata, tum mortalia, tum venialia: remiſſionem verò pœnæ cauſat, quatenus eſt ex ſe maximè ſatisfactorium, vt cõſtat tum ex ſacrificio Crucis cruento; tum ex eo quod remiſſio ſup. dicta pœnę eſt effectus primarius ſacrificij vt ſic, iuxta illud *2. Machab. 12. Sancta ergò, & ſalubris eſt cogitatio offerre ſacrificium pro defunctis, & exorare vt à peccatis ſoluantur:* ideſt vt ſoluãtur à pęnis peccatorum: ſi quidem defunctis non remittitur culpa, ſaltem mortalis ſed pęna; Obtinet denique per modum impetrationis quælibet bona aliqua ratione pertinentia ad ſalutem animæ; quatenus ſacrificium eſt genus orationis efficaciſſimum, à Chriſto inſtitutum, vt per illud à Deo Patre facilè impetremus per gratiſſimæ illius hoſtię oblationem, & ſacrificij cruenti repræſentationem: ſiue poſtea talis impetratio fiat immediatè, ſiue mediatè. ita *Suar. ſup. D. 79. ſect. 3. Regin. l. 29. num. 151. Azor. p. 1. l. 10. c. 20.* alijq; plures apud *Bonac. de Sacr. D. 4. q. vlt. p. 3.* inter quos *Coninch. de Sacr. q. 83. nu. 144.* benè aduertit effectum impetrationis, quem diximus haberi ex miſsę ſacrificio, non eſse infallibilem, ſi ſpectetur, quatenùs eſt actio propria offerentis (ſi quidem poteſt impediri ob indignitatem ipſius miniſtri, cum Deus non exaudiat peccatores; imò etiam aliunde, ob iuſta Dei iudicia aliquando non exaudientis ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem); quin etiam nec infallibilis eſt ſup. dictus effectus, ſaltem quo ad obtinendum in particulari, quod petitur, quantumuis ſacrificiũ conſideretur vt ſacrificium pendens à miniſtro, pro vt ſuſtinente perſonam Chriſti, ac Eccleſiæ: quamquam, inquit *Coninc.* probabile ſit ſacrificium miſſę, non obſtante malitia miniſtri, numquam ita fruſtrari ſuo effectu, quin Deus ſaltem Eccleſiæ in genere aliquid largiatur, prout ipſius prouidentiæ viſum fuerit: imò, quatenus miniſter orat in perſona Chriſti, credibile eſt ſemper obtinere aliquid ei, pro quo orat; modò hic non ponat obicem tali effectui; intellige, ſi pro alio offerat: non enim decet, vt Sacerdos per eam orationem aliquid ſibi impetret, qua adeò enormiter peccat.

QVÆRES VIII. An expediat, vt ij, qui volunt ſibi applicari miſſas, eas petant à Sacerdotibus melioribus.

65 ℞. Expedire; & probatur tum quia ex meliori Sacerdote offerente accidentaliter creſcit valor, & fructus ſacrificij miſſæ, vt benè oſtendit *Henriq. l. 9. c. 17. num. 1. & 3.* quo modo, licèt, abſolutè loquendo, bonus, vel malus Sacerdos non poteſt impedire fructum, ac valorem ex ópere operato reſpondentem eccleſiæ offerenti; poteſt tamen malus, & minùs bonus impedire aliquãtulam illius portionem, quæ accreſceret ex bonitate illius, quatenus eſt non ſolùm pars Eccleſię, ſéd pars pręcipua, & miniſter ab Eccleſia deputatus, & conſecratus ad offerendum: tum quia preces, quas Sacerdos bonus nomine proprio fundit ad Deum in miſſa, ex opere operantis ſunt maioris meriti, fructus, ac virtutis, vt pote procedentes ab homine grato, & amico Dei, adeoque plus valent ad impetrandos effectus ſacrificij ijs, quibus applicatur ſacrificium: vnde dicitur in *cap. ipſi Sacerdotes 1. q. 1. Quanto digniores fuerint ipſi Sacerdotes, tanto faciliùs in neceſſitatibus, pro quibus clamant, exandiuntur.* Vnde, ait *Fagund. ſup. c. 6. num. 22.* expedit dare pitantias optimis Sacerdotibus, & quærere probatos Religioſos Sacerdotes, qui ſancta ſanctè tractent, vt ijs deuotiùs, & digniùs offerentibus, accreſcat fructus ſacrificij ijs, pro quibus ſacrificant non ſolùm ex opere operato (vt diximus) ſed etiam ex opere operantis; ſic ille.

QVÆRES IX. An expediat miſſas ſibi procurare in vita, & quidem etiam *de requiem.*

66 ℞. Expedire ob varias rationes adductas à *Fraxinello ſup. ſect. 3. p. 4. §. 3.* ſed non *de Requiem*; cum hoc aduerſetur eccleſię inſtitutioni, quę deſtinata ſuffragia, ac officia pro viuis, & pro defunctis aſſignauit; & orationes, quę dicuntur in miſſa *de requiẽ*, proferantur non pro viuis, ſed pro defunctis; quippe quę in tempore prętèrito dicuntur; aliàſque fictum, ac ridiculum ſit dicere aliquem viuentem eſſe iam mortuum, & pro eo vt iam mortuo campanas pulſare pro officio mortuorum; vt aduertit idẽ *Fraxinellus ſup. num. 4.* pro ſe referens Nauarrum.

QVÆRES X. An Regulares, quo die ordinantur Sacerdotes, poſſint applicare ex ſtipendio illud ſacrificium, quod celebrant cum Epiſcopo ordinante, non ſecus ac poterunt applicare ſacrificia impoſterum celebranda.

67 ℞. *Diana p. 5. tract. 14. reſ. 112. ex Maratio tom. 3. D. 38.*

D.38.ſect.8. poſſe probatque ex eo quod ſacrificium, quod facit Epiſcopus ordinans vnà cum Sacerdotibus ordinandis nõ minus pertinet ad hos, quam ad Epiſcopum, & perinde ſe habet ac ſi vnus eorum tantùm illud offerret; cum quilibet illorum indepẽdenter ab alio ſit per vera cauſa illius, adeoque independenter ab alterius voluntate poſſit integrè illud applicare, cui voluerit: quo modo cum tale ſacrificium debeat prodeſſe alicui, & nulla adſit ratio, cur potius proſit vni, quam alteri, ſi à ſingulis Sacerdotibus nouellis, & ab Epiſcopo diuerſis perſonis applicetur, proderit omnibus quibus de facto fuerit applicatum; ità *Diana*, & probabiliter ſi detur Sacerdotes nouellos reuera conſecraſſe abſoluendo verba Conſecrationis ſimul cum Epiſcopo ordinante; quod quia in praxi vix contingit (ſaltem vt certò de hoc ipſis conſtet) ideo in praxi non puto hanc doctrinã poſſe habere locũ; cum petens miſſam certum det ſtipendium, vt certum habeat ſacrificium, quale tamen vix poteſt præſtare nouellus Sacerdos ob rationem modò allegatam.

Addit *Maratius* in caſu, quo Sacerdos qui conſecrauit panem in Chriſti corpus, nequat conſecrare vinum in ſanguinem, eo quod morte, aut aliunde impediatur; Sacerdotem, qui poſtea ſufficitur ad perficiendum Sacrificium, poſſe applicare dictum ſacrificium cui maluerit nulla habita ratione applicationis factæ ab illo alio Sacerdote; & ratio eſt, quod ante Calicis Conſecrationem Miſſa non eſt eſſentialiter ſacrificium, ſed perficitur eius conſecratione; ſicque ille ſolus ſacrificat qui Calicem conſecrat, & conſequenter ſolum ad ipſum ſpectat ſacrificij applicatio.

QVÆRES XI. An Regulatis Sacerdos, ſi habeat ſacrificia non obligata, poſſit ea applicare pro ijs, qui primò ea petituri ſunt ex ſtipendio, & quos Deus præuidet primo illud daturos.

68 ℞. Quod licet *Henriq. P. Nau. Vega, Rodriq. & Aragona* relati à *Fagund. ſup. cap. 9. num. 9. Regin. Praxinel.* & alij, quos non reijcit *Bonac. de Sacr. D. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. num. 3.* ſuſtineant partem affirmantem, docentes (& non improbabiliter, ſi loquantur iuxta moderationem à nobis infra addendam cum *Io: de Lugo de Pænit. D. 13. num. 138.*) licitum eſſe miſſas anticipatè celebrare pro eo, qui primo ſtipem dederit, & quem Deus videt primo daturum; idque non obſtante quadam declaratione Sacræ Congregat. Concilij, per quam *Riccius in praxi p. 3. reſ. 361. num. 3.* de mandato Clement. VIII. ſub die 15. *Nou.* 1605. teſtatur hanc opinionem fuiſſe improbatam, & damnatam, tanquam pluribus nominibus periculoſam, fidelium ſcandalis, ac offenſioni obnoxiam, & à vetuſto Eccleſiæ more nimis abhorrentem; in praxi tũ ſequenda videtur pars negans, quæ eſt cõis DD. æquitati conformior, & omni ex parte probabilior: maximè ſi declaratio illa S. Congregationis ſit authentica (de quo valdè dubitant DD. cum aliqui dicant eam fuiſſe editam iuſſu Clem. VIII. *die* 15. *Nou.* 1605. quo tempore Clem. VIII. verè erat mortuus, vtpote qui ex hac vita deceſſit 3. Mart. 1605. nec vllibi ea reperiatur in nouo bullario, eiuſue compendio.)

69 Prima p. videtur poſſe probari, tum quia hinc non ſequitur Sacerdotem celebrare pro intentione incerta, & vaga; ſiquidem celebrat pro intentione eorum, quos Deus præuidet primò porrecturos ſtipem, quæ viſio eſt infallibilis, ac certa, vnde & certa erit illorum intentio, non autem vaga: tum quia talis anticipatio miſſarum non videtur fieri contra voluntatem eorum, qui daturi ſunt ſtipem: quippe cum id potiùs debeat ipſis eſſe gratum (quo modo gratum eſſe ſolet cuilibet creditori, quod debitum anticipatè ſoluatur) ideoque cenſeantur virtualiter conſentire in eam anticipatam Miſſarum celebrationem, tanquam in rem ſibi vtilem. 2. p. reſponſionis, quam ſequuntur *Corduba Ricc. Barboſ. Fagund. Comme. Filliuc. Regin. Suar. Cenedo,* & alij apud *Dianam p. 2. tra. 14. reſ. 15.* probatur tum quia Sacerdos modo dicto miſſas anticipatè celebrans non poteſt prædiuinare intentionem, altare, locum, & ſpeciem Miſſæ, quam intendet, qui primò daturus eſt ſtipem; cum tamen celebrans ex ſtipendio de iuſtitia teneatur ſeruare hæc omnia, niſi aliquod iuſtum impedimentũ ſuperueniat: tũ quia vel fructus miſſæ modo dicto anticipatæ (v. g. remiſſio pęnę temporalis) ſtatim ac ſacrificium oblatũ eſt, incipit habere effectum, vel ſolũ quando ſoluitur ſtipendiũ, & petitur ſacrificiũ: neutrum autem dici poteſt; ſiquidẽ dato primo ſequitur Petro v. g. remiſſã eſſe aliquã pęnã temporalem dependenter ab actu per eum libere eliciendo, & ſic poſt vnũ mẽſem adhuc fore in ipſius poteſtate, vt dictus effectus fuerit iam antepoſitus, vel non poſitus; ſi verò detur ſecũdum ſequitur Sacerdotem in caſu propoſito poſſe applicare præfatũ effectum miſſę ei, qui iam illo nõ eget, vt incipiat ipſi valere tunc cùm lapſus fuerit in peccatum, & ab eo reſurget; quod eſt virtute remittere pęnam peccati nondum commiſſi.

70 Moderatio autem, cũ qua diximus ſuſtineri poſſe priorem opinionem affirmatiuam, vt non omninò improbabilẽ; cõſiſtit in eo quod Sacerdos applicet ſacrificium miſſæ hodiernũ, non pro quocũque primo venturo, & oblaturo ſtipendiũ, ſed pro primo quẽ iam videt Deus oblaturum ſtipendiũ ad dicẽdã miſſam pro neceſſitate iam nunc exiſtente (v. g. pro aliquo iam nunc defuncto) non autẽ pro neceſſitate poſtea futura (v. g. pro morituro poſt aliquod tempus, pro ſalute illius, qui nondum ægrotat, & ſimilibus) quamquã vix poſſit euenire, quod iam præſens ſit tota neceſſitas, cui poſtea petẽs miſſam vult ſubueniri, niſi quando petitur pro mortuo, qui iam tũc ſit mortuus: ſi. n. pro viuo offeratur miſſa anticipatè modo ſupradicto, ſæpè poteſt contingere illum priùs nõ fuiſſe capacẽ percipiendi fructũ illius, ſiue quia erat in pec. m. ſiue quia tunc non egebat ſatiſfactione, ſiue quia, ſi egebat pro aliquibus culpis venialibus, nondum de ijs dolebat, & conſequenter non poterat liberari à reatu pęnæ per ſacrificium, quamdiu per pęnitentiam non liberabatur à reatu culpæ; ita *Io: de Lugo vbi ſup.* & benè.

QVÆRES XII. An Sacerdos Regularis obligatus dicere miſſas ex ſtipendio peccet mor. & teneatur ad reſtitutionem, ſi notabiliter differat.

71 ℞. Peccare m. niſi dans ſtipendium ſciens, &

volens

volens conſentiat in talem dilationem; imò & poſſe contingere, quod teneatur ad reſtitutionem ſtipendij recepti: vt ſi ſtipendium accepit ad celebrandum pro impetranda infirmi valetudine, & Sacerdos diſtulit celebrationem Miſſæ in tempus, quo infirmus obierat; ſic enim dans ſtipendium fruſtratur ſuo fine, qui erat impetrare ſanitatem infirmi, vt patet. ita in terminis *Bonac. de Sacr. D. 4. q. vlt. p. 7. §. 5. nu. 2.* cum *Nau. Rodriq. Henriq. Sylu. Fraxinell. Regin. Naldo,* & alijs quibus addo ego *Laym. l. 5. tr. 5. cap. 1. nu. 15. Io. de Lugo ſup. D. 21. num. 34.* & Dianam *ſup. reſol. 25.* & quidem, quod Sacerdos in caſu propoſito peccet m. probatur ex eo, quod ſupradicta Miſſarum dilatio poteſt vergere in damnum eorum, quibus ſacrificiũ applicandũ eſt; cum fieri poſſit, vt elapsũ ſit tẽpus ad obtinendum, quod intendebatur ab eo, qui dedit ſtipendium, aut certè tardiùs illud conſequatur: vt ſi quis petat Miſſam ad impetrandam ſanitatem infirmi iuxtam caſum modò propoſitum, aut in ſatisfactionem animarum Purgatorij, quæ atrociſſimas patiuntur pænas, quamdiu differtur oblatio ſacrificij. Quin etiam addit *Laym. ſup.* Sacerdotem, qui ſine ſtipe intendit ſe obligare ex iuſtitia ad celebrandum pro aliqua graui cauſa, & valdè diù differt ſine iuſta accuſatione, poſſe timere, ne mortaliter peccet; cum interim priuentur magno fructu ſpirituali ij, quorum eſt debitor.

Quod ſi quæras, quandonam dilatio Miſſarum cenſeatur notabilis, & mortalis.

72 ℞. *Io. de Lugo ſup.* ex *Ledeſma, & Villal.* quos ſequitur *Diana reſol. cit.* eam cenſeri, quæ excedit 50. vel 60. dies: aiunt enim Sacerdotes poſſe plura ſtipendia ſimul recipere, modò per modicum tempus poſſint ſatisfacere, per modicum tempus intelligentes illud, quo 50. aut 60. Miſſæ poſſunt dici: vnde, cum 50. aut 60. Miſſæ ab vno, ac eodem Sacerdote dici non poſſint, niſi interuallo 50. aut 60. dierum, iudicio ſup. dictorum Authorum modicum tempus cenſebitur ſpatium 50. aut 60. dierum, notabile autem tempus erit, quod excedit tale ſpatium. Verùm hæc doctrina, licet ſit valdè rationabilis in caſu, quo ſup. dictus numerus Miſſarum vni ac eidem promittatur ex ſtipendio, cum ſic præſumatur cedere iuri ſuo, & eſſe contentus tali dilatione, vtpote ſciens ab vno Sacerdote non poſſe dici tot Miſſas, niſi tanto temporis interuallo: in caſu tamen, quo illæ plures Miſſæ petantur à diuerſis, & quidem non ſcientibus illum Sacerdotem eſſe alijs multis Miſſis oneratum, non videtur talis doctrina ita facilè admittenda (idque ob rationes adductas §. *præcedenti*) niſi Sacerdos præmoneat petentes ſe iam eſſe obligatum ad tot, vel tot Miſſas, & nihilominus petentes alias Miſſas ab eo exigant: nam ſic præſumuntur cedere iuri ſuo, & conſequenter non poterunt conqueri de dilatione. Quamquam, niſi miſſa petatur pro aliqua inſtanti neceſſitate, iudicio prudentis non patiente moram; probabile ſit Sacerdotem ſine dicta præmonitione poſſe ſe ſimul obligare ad 15. aut 20. miſſas, & à diuerſis petitas ex ſtipendio; & hoc ex interpretatiua voluntate ipſorum petentium.

Aliqui tamen doctrinam *Cardinalis de Lugo* hìc propoſitam putant procedere etiam in caſu quo Sacerdoti iniungantur ſolùm 6. aut 7. miſſæ celebrandæ: cum ratio dictæ doctrinæ non nitatur præſumpta voluntate mandantis (quæ in præſenti caſu difficilius præſumi poſſet) ſed paruitate materiæ, quæ arbitrio prudentum virorum talis fuit iudicata, vt vidimus: vbi verò eadem eſt ratio, eadem eſt iuris diſpoſitio *cap. tranſlato de Conſtitut.*

73 Quod autem addit *Fraxinell. ſup. ſect. 4. concluſ. 5. §. 1. numer. 4.* in caſu, quo Sacerdos poſt notabilem dilationem celebrat miſſas ex ſtipendio debitas, reſtituendum non eſſe ipſum ſtipendium, ſed damnum ex tali dilatione ſecutum iudicio prudentis viri reparandum eſſe; indiget aliqua maiori expoſitione: vtrum ſcilicet hæc reparatio fieri debeat in bonis temporalibus, an ſpiritualibus; dantibus ſtipendium, an ijs, pro quibus petitæ erant miſſæ, &c. cum ergo id non explicet *Fraxinell.* dicendum videtur præfatam reparationem damni fieri poſſe, ac debere in bonis ſpiritualibus, & illis ipſis, pro quibus petitæ erant miſſæ; adeoque, ſi miſsæ erant applicandæ pro defunctis præter debita ſacrificia offerenda eſse illis alia ſuffragia precum, indulgentiarum, & ſimilium: ſi verò pro viuis (v. g. pro ſalute infirmi, pro fælici expeditione alicuius negotij, &c.) reſarciendam eſse iacturam alijs orationibus ordinatis ad eum finem, qui rationabiliter videtur intentus ab ijs, quibus debebantur miſsæ dilatæ. ita *Peirin. to. 1. priuil. Conſt. 5. Leonis X. num. 3.* magna ex parte.

Quod ſi quæras, an caſu, quo Ordinarius de licentia Sedis Apoſtolicæ reducat Miſſam quotidianam perpetuam ad 200. Miſſas quotannis celebrandas; Cappellanus teneatur eas celebrare ſine vlla interpollatione, illarum celebrationem inchoando in principio anni, & illas proſequendo, vſque dum omnes abſoluantur.

74 ℞. Quod, quamuis pars affirmans videri poſſit probabilis ex eo quod ita reductio Miſſarum verſatur circa legatum pium, & legata pia debentur initio anni, vt notant *Tiraquellus, Riccius, & alij apud Dianam p. 3. tract. 6. reſol. 29.* ex *l. ſi ita fuerit libertas relicta ff. de manum. teſt.* idque ſubdet ſumma indigentia, quam habent talis ſuffragij Animæ exiſtentes in atrociſſimis pęnis Purgatorij. nihilominus probabilis videtur pars negans; cenſeoque in caſu propoſito ſufficere Miſsas reductas abſolui in fine cuiuslibet anni: talis enim eſt vſus, & contrarium in noſtro caſu non fuit expreſsum. nec obſtat ſumma illa indigentia: cum teſtatores ad talia ſuffragia habenda plures, ac plures annos ſoleant aſſignare, ideoque in alijs ſimilibus ſimiles moras tacitè concedere cenſeantur.

QVÆRES XIII. An Sacerdos habens plures miſsas ex ſtipendio, aut alio titulo obligatas poſſit recipere plura onera Miſsarum, & quo modo.

75 ℞. Non poſſe,niſi eo modo,quo diximus *q.præc.* addo hìc ſolùm ad dicta reſpexiſſe S.Congr.in decr. *de Celebrat.miſ.* iuſſu Vrb.VIII.edito,dum prohibet, ne accipiantur eleemoſynæ pro miſſis,niſi oneribus antè ſuſceptis ſatisfecerint,vel(vt in declarationibus eiuſdem decreti explicatum fuit) niſi infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere, vel qui dat eleemoſynam ſciat, & conſentiat, vt differatur celebratio toto illo tempore, donec alijs ſatisfiat.

QVÆRES XIV. Quo ordine Regularis Sacerdos,qui ſe obligauit ad celebrandum pro diuerſis perſonis ex ſtipendio, debeat celebrare miſſas vtrum ſcilicet debeat celebrare 10.Miſſas,v.g.pro eo qui primò petijt, & poſt has, alias 10. pro eo, qui poſtea petijt, an alternatim,i. vno die pro vno, & alio die pro altero.

76 ℞. *Fraxi.ſup concl.4.§.7.n.2.* melius eſſe,vt priùs celebret 10. miſſas pro primò petente, & poſtea alias 10.pro ſecundò petente, probatque tum quia alioqui retardatur impetratio rei, quæ intenditur à primo petente miſſas,vel certè ſuffragium, & ſatisfactio pro eo,qui prius exquiſiuit miſſas; cum tamē hìc valere videatur regula iuris: *Prior in tempore potior in iure* cum *Fraxi.* ſentiunt *Sot.Leo,Bonac.*ab eodē *Fraxi.* relati, & valdè probabiliter: quamuis non ita facilè damnandus eſſet Sacerdos,qui in caſu propoſito non ſemper ſeruaret illum ordinem in celebrando: quod innuit ipſe *Fraxin.* dum ait eſſe melius ſeruare ordinem ab eo propoſitum;quaſi indicans bonum eſſe aliquando etiam oppoſitum facere; ſi videlicet hìc, & nunc eueniat caſus, in quo charitas, ac prudentia, perpenſis omnibus circumſtantijs, contrarium ſuadeat.

QVÆRES XV. An Regularis Sacerdos; qui ex recepto ſtipendio ſe obligat ad dicendas 6. miſſas, v.g.pro vno defuncto, & poſtea iterum ſe obligat ad alias 6.pro alio defuncto, ſatisfaciat ſuæ obligationi,celebrando 12. miſſ. in communi pro illis duobus defunctis, an verò debeat pro ſingulis eorum dicere 6. miſſas ſeorſim.

77 ℞. Debere celebrare ſeorſim 6. miſſas pro ſingulis: aliàs enim minus tribuit vnicuiq; eorum quā debeat,facitque deteriorem conditionem illius,cui Miſſæ primò petitæ fuit: cum in Purgatorio poſſit quis eſſe ita diſpoſitus, vt vna integra miſſa liberari poſſit: cum tamen,dato quod etiam ille alius, cui poſteriùs petitę fuit aliæ ſex miſſę, ſit in eadem diſpoſitione per vnam miſſam, quę modo ſup. dicto in communi dicatur pro vtroq; nullus eorum liberetur è pœnis,& cōſequenter is,cui primò petitę ſunt miſſæ, diutius in Purgatorio detineatur, quam detentus fuiſſet, ſi illa miſſa pro eo ſolo dicta fuiſſet. ita Fraxinel.*ſup.num.1.ex Palud.in 4.d.45.q.2.a.2.* & Honcala *de valore Miſ. art.* 12. totum hoc explicans exemplo trium,qui eſſent in carcere detinendi,vſq; dum ſinguli eorum ſoluerent 10.aureos.ſi enim primo die ſoluantur ſolum 10. aurei pro omnibus tribus in communi, nullus illorum carcere liberabitur eo die:cū tamē,ſi primo die ſoluti fuiſſēt 10.pro eo, cui primo debebāt,is eo primo die fuiſſet liberatus.

QVÆRES XVI. An Sacerdos Regularis, qui ex ſtipendio ſe obligauit ad dicendam miſſam de B. V.aut Spiritu S.,aut de requiem,ſatisfaciat obligationi, ſi dicat miſſam eo die occurrentem (verbi gratia de Sancto, vel de Feria.)

78 ℞. Quod quamuis in rigore iuris admitti poſſit, vt non improbabilis pars affirmans,quam ſequūtur P.N.*l.2.de reſt.c.2 n.248.Suar.Io.de la Cruz,Villal.& Diana*,quos refert *Io:de Lugo ſup.n.35.* & non reijcit; in praxi tamen videtur ſequenda pars negās,& quidem non ſolū in caſu, quo ad habendam miſſam in tali ſpecie notabiliter augetur ſtipendium(quo caſu etiam Aduerſarij hanc partem cōcedunt) ſed etiam quandocumq; rubricę Miſſalis permittunt dici miſſas votiuas; quando ſcilicet non occurrit officiū duplex, dies dominicus, aut alius dies priuilegiatus; quales ſunt vigilia Nat.Dñi,& Pent. Fer.4.Cinerū, maiori hebd.inf.oct.Epiph.Paſch.& Pent. in quibus diebus cum eę miſſę dici nequeant iuxta rub.Miſſalis,neceſſe eſt,vt qui Miſſas petunt,rubricis Miſſalis ſe accommodent. Prima pars probatur tum quia, teſte *Syl.v.miſ.q.*8.nulla Miſſa eſt ſalubrior, etiā ipſis defunctis,quam diei currentis: tum quia quo ad valorem eſſētialem Miſſę ex opere operato omnes miſſę,ſiue de Fer.ſiue de ſancto, ſiue de requiē ſunt æquales:quo ad valorem verò accidētalem ex opere operantis,ſi qua eſt inæqualitas, compenſatur & interceſſione Sancti,de quo dicitur miſſa,& maiori deuotione Sacerdotis,qui plerumq; libētius,ideoq; maiori cum affectu, & attentione dicit miſſ.de ſancto,aut de feria,quam votiuam, vel de requiem; cū tamen ex maiori attentione,ac deuotione Sacerdotis pendeat augmentum valoris accidentalis miſſę: tum denique quia,quando Superior taxat laborem miſſę, taxat ſimpliciter, non autem cum ijs limitationibus:vnde Sacerdos non tenetur eas admittere, niſi ſpecialiter promittat, &, ſi ſic admittat, adhuc ad illas non obligatur,niſi ex vi promiſſionis, ac veracitatis,& conſequenter ſolùm ſub peccato veniali,quo modo obligat quęlibet alia promiſſio,quę nō impleta Proximum nō notabiliter damnificet. Pars 2.quę eſt cōmunior DD. vt videre eſt apud *Fagund. p.1 l.3.c.9 n.6.& Bonac.ſup.p.7.§.3.n.4.* probatur tū quia infideliter agit,qui non ſtat promiſſis,& fidem datam violat *c.qualiter de pactis*: tum quia voluntas porrigentis eleemoſynam ſine legitima cauſa mutari non poteſt in pręſenti caſu, maximè cum valor miſſę creſcat ex ritibus,precibus,ac orationibus ab eccleſia inſtitutis pro hac, & illa miſſa:quo modo nō pauci. DD.dicunt miſſam de requiem plus prodeſſe defunctis, quam aliam; tum quia qui petunt miſſam ex ſtipendio,non leuiter offenduntur,ſi ſciāt aliam miſſam dici ab ea, quam petierunt, & fortè etiam dubitant,non dici miſſam pro intentione ab ipſis propoſita; tū quia talis videtur vſus Sacerdotum timoratorum, vt diebus non impeditis dicant miſſam,quā ē promiſerūt,votiuā videlicèt,ſi votiuā promiſerunt,vel de requiē, ſi promiſerūt de requiē.

An verò Sacerdos ſatisfaciat obligationi,ſi aliam miſſam dicat ab ea,quam promiſit ex ſtipendio accepto, & quidem in die, qua rubricę non prohibebant dicere illam miſſam in ſpecie.

79 ℞.Videri ſatisfacere ob rationem allatam *§.præc.* ad probandum Sacerdotem in tali caſu non peccare m. etiamſi maius ſtipendium receperit ad effectum dicendi talem Miſſam in ſpecie, & non aliam. ita in terminis *Diana p.3.tra.6 reſ.62.* ex *P.N.ſup.con.Peirinum to.1.priuil.Conſt.5.Leon.X num.3.* qui concedit

Sacer-

Sacerdotem in hoc caſu ſatisfacere quidem ſuæ obligationi, peccare tamen m. con. virtutem fidelitatis in re graui, adeoque teneri ad aliquam compenſationem iuxta dicta *ſup.q.12.§.quod autem addit Fraxinel.* quod etiam docet *Bordon.inf.q.17.*

QVÆRES XVII. An Regularis Sacerdos, qui ex ſtipendio obligauit ad celebrandum pro defunctis in altari priuilegiato, ſatisfaciat celebrando in altari non priuilegiato, animo tamen applicandi indulgentiam calculi benedicti ad liberandam è Purgatorio animam illius, pro quo celebrat.

80 ℞. Non videri improbabile, quod ſatisfaciat, ſi moraliter certus ſit illi calculo benedicto conceſſam fuiſſe facultatem liberandi animam è Purgatorio: id enim docent non pauci recentiores cum *Fraxinell. ſup.§.9.num.2.* ex *Alph. de Leone*, cum quibus ſentit *Diana p.6.tr.6.reſol.12.* ex *Marchino*, ac *Rubeo*: & ſuadet ratio, quod nullum videtur inferri præiudicium defuncto, pro quo celebratur; quamquam in praxi regulariter oppoſita ſententia ſuſtinenda videatur, quam amplectuntur DD. communiter *Bonac.ſup.§.4.nu.5. Io de Lugo num.39.* & alij, ea ducti ratione, quod Indulgentia applicata Altari priuilegiato, ſolet eſſe magis authentica, & ſecura, quam quæ applicatur alicui calculo benedicto, & fortaſſe minùs dependet à ſtatu gratiæ ipſius Celebrantis, vt habeat effectum (quod in ſpecie aduertit *Io: de Lugo loco cit.*): cum *Fraxinello* ſentit *Paſqualig. dec. 427.*

Quod ſi quæras, an ſatisfaciat Sacerdos obligatus ad celebrandum in altari priuilegiato pro defunctis, ſi dicat miſſam, quæ non ſit de requiem.

81 ℞. *Diana p.4.tr.4.reſ.233.* non ſatisfacere ex quadam declaratione Sacræ Congregat. Rituum, quæ ſic habet: *Miſſa celebrata in Altari priuilegiato pro defunctis non ſuffragatur, nec indulto ſatisfit, niſi ſit de requiem, licèt in indulto non exprimatur;* Oppoſitum tamen ſuſtinet *Fagund.ſup.c.9.nu.7.* ex *Nau.* ac *Zerola* aſſerens ad liberandam animam è Purgatorio ſufficere, quod quælibet miſſa dicatur in altari priuilegiato; & non improbabiliter, etiam ſtante ſup. dicta declaratione; cum ea non faciat legem vniuerſalem (vt pote quæ non habet requiſita ad obligandum inſtar legis communis) adeoq; faciat ſolùm opinionem probabilem, non ablata probabilitate opinionis oppoſitæ; vt notant DD. apud *Fagund.p.2.l.8.c.8.nu.35. Laym.l.1.tr.4.c.7.§.7.* & *Granad.2.2.contro.1.tr.15.D.14.ſect.2.nu.8.* Præter quam quod eadem ſacra Congreg. teſte *Diana loc.cit.* declarauit in Altari priuilegiato non poſſe dici Miſſam de requiem, quotieſcumque in die aſſignato pro ſup. dicto Altari occurrit dies feſtus duplex, vel de præcepto: ſicque non raro contingeret priuilegium præfati Altaris non ſuffragari, & conſequenter animas defunctorum interim priuari eo ſuffragio: quod non videtur ita facile præſumendum eſſe de pia matre eccleſia, aliàs ita propitia animabus Purgatorij; maximè cum in contrarium non afferatur niſi illa declaratio ſacræ Congregationis, quæ (vt dixi) non tollit probabilitatem oppoſitæ opinionis.

Dubitant hìc DD. an obligatus dicere Miſſas, quas vocant *S. Gregorij*, teneatur eas dicere ſine interruptione, & omnes de requiem.

82 ℞. Diſtinguendo, vel enim loquimur de miſſis S. Gregorij propriè dictis, quæ ſcilicet inſtitutæ ſunt à S. Gregorio Papa: & hæ dicendę ſunt abſque interruptione, nec eſt neceſſe, quod omnes dicantur ritu proprio de defunctis, qui certis diebus vetatur. ſic enim eas inſtituit S. Gregorius (vt videre eſt *lib.4.dial.c.55.*) his verbis, *Vade* (alloquitur Abbatem Pretioſum) *ab hodierna die diebus 30. continuis offerre pro eo* (i. pro Monacho Iuſto) *ſacrificium ſtude, vt nullus prætermittatur dies, quo pro abſolutione illius hoſtia ſalutaris non offeratur;* vbi notat *Gauãtus de rub. Miſſal. p.1.tit.5.ad n.3.* Miſſas, quæ propriè dicuntur S. Gregorij, dicendas quidem eſſe 30. diebus continuis, ita vt nullus omnino omittatur dies ſine ſacrificio, non tamen requiri, vt vel dictæ Miſſæ omnes dicantur ab vno, ac eodem Sacerdote (quod innuitur per ly *ſtude offerre* abſque limitatione *per te*) vel omnes dicantur *de requiem* (quod colligitur ex verbis illis *offerre pro eo ſacrificium ſtude*, nullam continentibus reſtrictionem quo ad genus miſſarum dicendarum) Vel loquimur de Miſſis S. Gregorij impropriè dictis, i. de 30. miſſis, quæ pro aliquo defuncto celebrentur; & hæ non ſolùm poſſunt dici de feria, aut de feſto tunc occurrẽtibus, ſed etiam cum interruptione: cum talis interruptio non minuat valorem ſacrificij, ſed ſolùm vlteriùs protrahat liberationem animæ defuncti è purgatorio, quæ citiùs ab illis pœnis abſolueretur, ſi citiùs ſine interruptione offerentur 30. illæ Miſſæ. ita docti Recentiores à me conſulti ex *Gauanto* ſup. addente 30. miſſas S. Gregorij propriè dictas moraliter non diſcontinuari, ſi per triduum maioris hebdomadæ intermittantur: cum illis diebus partim non liceat, partim non ſoleat celebrari; vnde fit, vt, ſi ſecluſa hac interruptione neceſſaria, dictæ miſſæ continuis diebus celebrẽtur, moraliter cenſeantur continuatę etiam iuxta inſtitutionem S. Gregorij, eſtò phyſicè fuerint interruptæ; oppoſitum ſuſtinent *Beia, Bonac. & Homob.* apud *Dianam p.2.tr.14.reſ.32.* abſolutè docentes 30. miſſas S. Gregorij non neceſſariò debere eſſe *de requiem*, & poſſe dici cum interruptione, non ſolùm phyſica, ſed etiam morali; quod item admittit *Nald. v.miſ.n.21.* addens *n.37.* Miſſas vulgò dictas S. Gregorij, quæ omnes, referente *Beia p.1.reſponſ. caſ.conſc. caſu 23.* erant diuerſi generis, à Sacra Congreg. rituum fuiſſe prohibitas anno 1629. vnà cum alijs Miſſis ab eadem Sacra Congregatione non approbatis (vt 15. Auxiliatorum &c.)

83 Ad illud autem, quod aliqui quærunt, an tantundem valeant 30 miſſæ 30. diebus celebratæ pro defuncto, quantum proſunt 30. miſ. vno, ac eodẽ die à diuerſis Sacerdotibus celebratę: reſpondet *Frax.ſup.§.6.* quo ad celeriorem liberationem è purgatorio non valere tantundem: cum ſacrificiũ miſſæ ex opere operato quo ad pęnę remiſſionem plus proſit, quatenus eſt in actu (vt ita dicã) exercito, & in executione, quam quatenus eſt in ſola intentione, aut propoſito celebrantis; valere tamen (quod ſpectat ad meritum inſtituentis) plus miſſarum continuatã plurium dierum ſucceſſionem, quam ſi eæ dicantur eodem die; cum ex ea continuata ſucceſſione magis honoretur Deus, quatenùs ea ratione populus plurib. diebus commodè ſacrum audire poteſt, & conſequenter Deum colere.

QVÆRES XVIII. An Sacerdos obligatus ex ſtipendio ad Miſſas celebrandas ſatisfaciat, ſi eas dicat poſtquam contraxit excommunicationem, & eſt vitandus.

84 ℞. Satisfacere, & conſequenter non teneri ad reſtitutionem ſtipendij recepti. ratio eſt, quia ex vna parte excommunicatus, etiam vitandus, validè offert ſacrificium Miſſæ; vt benè oſtendit *Coninc. de Sacr. q.83. num.104.* remiſſiuè ex alia parte per talem celebrationē verè ſoluit quidquid debet, adeoque non deſraudat in vlla re eum, qui dedit ſtipendium; ſi qua enim in re illum deſraudat, vel deſraudat quo ad valorem miſſæ ſe tenentem ex parte Christi, ſeu (quod idem eſt) quo ad opus operatum & hoc non, cum talis valor proueniat à Chriſto, ac proinde impediri non poſſit ob indignitatem Miniſtri (ſicut in terminis docent de excommunicato vitando *Sot. Aul. Azor.* & alij apud *Bonac. de Sacr. D.4. q.vlt.p.6.num.7.*) vel deſraudat quoad valorem manantem ex parte Eccleſiæ, cuius nomine offertur ſacrificium Miſſæ; & hoc non, cum probabile ſit Sacerdotem ex vi ſuæ ordinationis ita conſtitui miniſtrum Eccleſiæ, vt ipſi quidem prohiberi poſſit, ne illud munus exequatur, non tamen poſſit ab eo ſeparari, vt ſi illud facere attentet, factum non teneat quamuis malè faciat; quod concedit *Suar. de cenſur. D.11. ſect.2 num.11.* ex *Gabr. lect.27. in Canon.* dicens oppoſitum cenſeri verius; vel deſraudat quo ad valorem pendentem ex meritis ipſius Sacerdotis; & hoc non, cum iuxta dicta *ſup. q.5.* Sacerdos ex ſtipēdio celebrans non teneatur applicare fructum ex opere operantis, id eſt prouenientem ex ipſo Sacerdote, tanquam miniſtro ſacrificij, ſicque per ſuam indignitatem non faciat deterioris cōditionis, eum pro quo celebrat, eam illi portionem fructus ſubtrahendo, quæ aliàs ex bonitate, ac dignitate ipſius illi accreſcere potuiſſet; ſiquidem etiamſi dignè celebraret, adhuc poſſet ſubtrahere dictam portionē fructus, vtpote quā non tenetur illi applicare; vnde fit, vt Sacerdos indignè celebrans pro alio, & conſequenter non conferens ei opus operantis pendens ex dignitate ipſius, non poſſit dici deſraudare eum, cum verè ei non ſubtrahatur quidquam, quod in rigore ſit debitum: alioqui talis Sacerdos celebrans ex ſtipendio non impleret ſuam obligationē; quod nemo dicet. ita docti viri à me conſulti, & colligitur ex *Coninco de Cenſur. D.14. num.35.* vbi hæc habet: *Excommunicatus etiam non toleratus validè offert ſacrificium, ſi Sacerdos ſit, eiuſque fructum ex opere operato validè cui voluerit applicat, modò hic eius ſit capax: quia has actiones facit immediatè in perſona Chriſti, & poteſtate ab eo accepta, nec in ijs pendet ab Eccleſia;* ſic ille, & cum eo *Diana p.5. tr.9. reſ.81.*

QVÆRES XIX. An Sacerdos poſſit celebrare pro excommunicatis, etiam vitandis, ſi antequā incurrerent excommunicationem, ad eum effectum illi dederunt ſtipendium, & quo modo.

85 ℞. Poſſe, & quidem non ſolum offerendo ſacrificium in perſona Chriſti & quatenus Sacerdos eſt miniſter ab ipſo ad id deputatus: quo modo ſacrificium miſſæ prodeſt cuicumq; excommunicato, ſi ei applicetur, & is aliàs per contritionem redierit in gratiam; ſed etiam illud offerendo, quatenus eſt opus proprium Sacerdotis, tanquam perſonæ priuatæ, & particularis. 1. pars patet ex eo, quod indignitas miniſtri operantis in nomine alterius (qualis interuenit in caſu noſtro, Sacerdote contra prohibitionem S. Matris Eccleſiæ celebrante pro excommunicato) non impedit valorem, ac effectum actionis; & alioqui ſacrificiū operatur, quoties adeſt capacitas in ſubiecto, & non obſtat impedimentum ex parte illius, cui applicatur. Pars 2. probatur, quia ex vna parte Eccleſia ſolum prohibet applicari excommunicatis ſuffragia communia, & generalia, non autem priuata, & particularia: ex alia parte Sacerdos in actu celebrandi ita operatur, vt publicus miniſter Eccleſiæ, eiuſque perſonam ſuſtinet, vt non exuat priuatam perſonam: vnde vt talis poteſt ex ſua priuata intentione, ac proprio nomine tunc orare pro quocumque voluerit, & quidem etiam communes orationes, & ſuffragia, quæ nomine Eccleſiæ offert pro non excommunicatis, offerēdo ſimul nomine ſuo pro aliquo excommunicato particulari; quod eſt offerre Miſſam, quatenus eſt opus proprium Sacerdotis, tam quo ad meritum, & ſatisfactionem, quam quo ad impetrationem; vt rectè adnotauit *Diana ſup. reſ.77.* ex *Hurtado, Gordono, & Corneio*, id probans ex eo, quod ſic ſacrificium miſſæ, quod aliàs eſt opus publicum, fit priuatum, adeoq; non cadit ſub prohibitionem Eccleſiæ, quę, vt iam diximus, ſolum vetat, ne pro excommunicatis offerantur publica ſuffragia, non autem quæ ſunt priuata, cuiuſmodi eſt miſſa ſumpta modo paulò ante explicato, vt patet, & aduertit *Hurtád. D.3. de excommunic. diff.6. n.16.* quæ doctrina locum habet, etiam quo ad excommunicatos vitandos, dummodo ij non exprimantur nominatim in Canone miſſæ, aut alijs illius orationibus, & pro iis ſolum mēte, & ſecretò oretur in miſſa: quæ enim exprimuntur, videntur fieri nomine Eccleſiæ, inquit *Bonac. de Cenſur. in comm. q.2. p.2. § 1. n.7.*

86 Certè viri pij, quando offerunt miſſas pro prouincijs hæreſi infectis, non directè orant, aut offerunt pro hæreticis, inquit *Io. de Lugo n.188.* ſed pro conſeruatione, ac propagatione Fidei in illis prouincijs; cum dubium non ſit, quin indirectè celebrari poſſint ſacrificia pro paganis, ac excommunicatis vitandis, quatenùs eorum bonum cedit in vtilitatem Eccleſiæ.

Dubitari poſſet hoc loco, an Sacerdos ex ſtipendio obligatus ad celebrandas aliquot miſſas pro eo, qui poſtea incurrit excommunicationem poſſit, & teneatur eas differre vſque ad tempus, quo ille abſoluatur ab excommunicatione.

87 ℞. Videri poſſe, cum ſic vtiliter gerat negotium illius, pro quo tenetur celebrare differendo miſſarum celebrationem ad tempus, quo eæ ipſi erunt vtiliores, ac fructuoſiores; imò teneri ex charitate differre, ſi abſque ſuo notabili incommodo id facere poſſit; cum quiſque teneantur Proximi bonum procurare, quantum commodè poteſt, iuxta illud *Eccleſ. 17. mandauit illis vnicuique de Proximo ſuo*; ſimpliciter tamen poſſe celebrare dictas miſſas, non obſtante quod ſciat illum, pro quo celebraturus eſt, eſſe in peccato m. excommunicatū, & conſequenter minùs capacē fructus prouenīētis

ex

ex miſſis pro ipſo applicatis. Ducor, quod debitor, cui non eſt ex pacto præfixum certum tempus ad ſoluendum, poteſt ſimpliciter ſoluere, quandocumque voluerit, nec tenetur expectare tempus, quo ſolutio creditori foret vtilior: hoc autem ſi detur, concedendum eſt & idem in caſu præſenti, cum quo ad hoc eadem ſit ratio de debito ſpirituali, ac debito temporali; maximè cum creditor excommunicatus per actum contritionis, ſi velit, poſſit ſe diſponere ad comparãdum fructum ſpiritualem illorum ſacrificiorum, ſtante doctrina, quam tuentur *Henriq. Aula, Sayr. Conar. Nau. Faber, Megala*, & alij apud *Dianam ſup. reſ. 75.*, & non improbabiliter omninò: nimirum, quod liceat offerre ſuffragia Eccleſiæ pro excommunicatis non toleratis, ſi per actum contritionis iuſtificentur; & quidem etiam, antequam obtineant abſolutionem excommunicationis. dixi *non improbabiliter omninò*: cum enim excommunicatio ſit pœna ordinata con. contumaces, ac inobedientes Eccleſiæ, hoc ipſo quod tollitur contumacia (tollitur autem per contritionem) quo ad forum internum debet tolli & excommunicatio, ſicque debent ceſſare effectus illius, inter quos eſt priuatio communium ſuffragiorum.

SECTIO IV.

De Obligatione celebrandi, quam habent Regulares ad implenda onera Miſſarum perpetua ab ipſis ſuſcepta ex Fundatione, Legato, aliove Titulo.

88 *Regulares licitè ſuſcipiunt onera perpetua miſſarum.*

89 *De licentia tamen Generalis, aut Prouincialis.*

90 *Nec in hoc videtur dari materiæ paruitas.*

91 *Onera miſſarum perpetua, etiam poſt Concilium Tridentinum reduci poſſunt, ſed non omnia.*

92 *Contra ea poſſunt præſcribere Regulares, ſeruatis ſeruandis.*

93 *Poteſt & præſcribi contra ipſos quò ad dicta onera 30. annis.*

94 *Regulares nequeunt alienare bona ijs relicta cum talibus oneribus; idque procedit etiam quo ad bona mobilia.*

95 *Debent implere ea onera, ſtatim ac ea acceptarunt, & ſi bona non inueſtiuerint.*

96 *Satisfaciunt applicando generaliter miſſas pro ijs, quibus illas debent.*

97 *Peccant & ij, & eorum Prælati, ſi non impleantur præfata onera.*

98 *Obligati celebrare in tali Eccleſia, aut tali Altari non hoc ipſo tenentur applicare ſacrificium: idque etiam ſtante quadam declaratione Sacræ Congregationis.*

99 *Obligati celebrare in tali eccleſia titulo Capellaniæ non eò ipsò applicant miſſam.*

100 *Obligati dicere miſſas ex legato perpetuo eas tenentur dicere, & ſi pro aliquo tempore ſolutio legati differatur; ſi ſint moraliter certi illud fore ſoluendum.*

101 *Taliter obligati debent dicere miſſas ante primam ſolutionem legati.*

102 *Et, ſi per aliquot annos non ſoluatur legatum, poſtea verò iterum hæredes velint illud ſoluere, non poſſunt regulares illud recuſare ad vitandum onus miſſarum.*

103 *Si longo morbo detineantur, per alios implere debent onera miſſarum; ſecùs, ſi breui.*

104 *Morbus breuis reputatur, qui non protrahitur vltra 2. menſes.*

105 *Et hoc procedit proportionaliter, ſi pro breui tempore in monaſterio deſint Religioſi, qui impleant omnia dicta onera, & breui venturi ſint, qui ſuppleant.*

106 *Et in tali caſu miſſæ debent omitti ad ratam ſingulorum onerum.*

107 *Obligati celebrare quotidie ex Capellania ſemel in hebdomada vacare poſſunt, niſi aliter præſcribatur in fundatione.*

108 *Et, ſi ſic velint vacare, nequeunt alibi celebrare ad aliam intentionem.*

109 *Item modo dicto vacare poteſt obligatus celebrare quotidie ad vnum annum, aut menſem.*

110 *Vacantia hæc non datur præcisè cauſa voluptatis, curioſitatis &c.*

111 *Obligati celebrare in certo loco ad commoditatem populi concurrentis, ceſſante concurſu, deſinunt obligari.*

112 *Obligati celebrare quotidie pro certa intentione aliquoties celebrant pro ſe.*

113 *Item celebrant pro omnibus Defunctis in die Commemorationis Defunctorum.*

114 *Applicat Miſſam, qui habet Capellaniam fundatam his verbis* Quotidie celebret in remiſſionem omnium peccatorum.

115 *Secus, ſi in fundatione dicatur,* Quotidie celebret orans pro anima mea.

116 *Obligatus celebrare pro Fundatore in certo loco ſatisfacit, ſi alibi applicet miſſam pro Fundatore, & curet celebrari ab alio Sacerdote in eo loco; niſi locus ille ſpecialiter electus fuiſſet ad certum finem.*

117 *Applicanda miſſa pro Fundatore, ſi in fundatione dicatur* Qui dictæ capellæ Rector pro anima Fundatoris exorare teneatur: *cum ante hæc verba dicatur*, Miſſas celebrando, & hoc pro ſalute animæ Fundatoris.

118 *Si fundetur Capellania ſub his verbis* Celebret pro anima mea iuxta conſuetudinem eccleſiæ Ferrarienſis vſque modo vſitatam; *numerus miſſarum dicendarum colligendus ex fundatione ſimilium Capellaniarum aliàs fundatarum, aut ex quantitate redituum inde prouenientium.*

119 *Applicanda miſſa, ſi in fundatione dicatur,* Quodlibet die celebret pro anima mea faciendo ſemper commemorationem animæ meæ.

120 *Non obligat ad quotidie celebrandum ſi in fundatione Capellaniæ dicatur*, teneatur celebrare aſſiduè.

121 *Legatum ſub his verbis relictum*, perche mi diciate tanto bene, *obligat ad miſſas, vel ad alia ſuffragia, prout verba illa ſumi ſolent à perſonis conditionis ſimilis perſonæ legantis.*

122 *Miſſæ præſcripta per modum anniuerſarij in certo numero, ſi ſtata die non poſſint dici, ſupplendæ alia die.*

123 *Miſſa à Teſtatore relicta, non expreſſo loco, in quo dicatur, dicenda in loco ſepulturæ illius.*

124 *Obligatus celebrare pro aliquo per annum integrum, applicat pro eo miſſam quotidie.*

125 *Obligatus celebrare in certo loco ob cultum loci, aut commoditatem populi, alibi non poteſt celebrare.*

126 *Etſi ex cauſa poſſit celebrare in alio altari eiuſdem loci; imò & alibi, ſi epiſcopus diſpenſet, aut etiam conſentiat Rector loci, in quo Miſſa dici debent.*

127 *Impedito Altari præſcripto ad celebrandum Capellanus interdum vacat.*

128 *Obligatus celebrare certis diebus, celebrare poteſt alijs diebus, ſi deſignatio dierum ſit facta ſine myſterio.*

129 *Obligatus dicere Miſſas 15. ſingulis menſibus eas regulariter poteſt anticipare; licita autem eſt poſtpoſitio miſſarum, ſi licita ſit earum anticipatio.*

130 *Obligatus celebrare ſingulis ſabbatis, die Sabbati ſancti non tenetur celebrare, imò nec anticipare, ſeu poſtponere, &. ſi eo die celebrat, aut Feria quinta hebdomadæ ſanctæ, liberè applicat miſſam.*

131 *Obligatus celebrare ter, aut quater in hebdomada, per ſe loquendo non tenetur celebrare diebus feſtis.*

132 *Obligatus celebrare diebus feſtis, debet celebrare ſolum diebus feſtis ex præcepto.*

133 *Anniuerſarum defuncti, ſi nequit fieri die præſcripta, anticipatur.*

134 *Obligatus celebrare certis diebus pro fundatore in tali loco, poteſt diſiunctim ſatisfacere his duobus oneribus.*

QVÆRES I. An, & quo modo laudabile ſit, quod Regulares ſuſcipiant onera Miſſarum perpetua ex legato, alioue contractu oneroſo.

88 ℞. Eſſe; cum ex vna parte iuxta dicta *ſect. præc. q.* 1. licitum ſit celebrare ex ſtipendio; ex alia expediat Fidelibus, vt quas Miſſas volunt pro ſe, ac ſuis celebrari, regulariter eas petant à Religioſis Sacerdotibus, vt oſtenſum eſt eadem *ſect. præced. q.* 8. laudabile tamen etiam eſſe, quod talia onera non ſuſcipiant (quo modo non ſuſcipiunt de facto Religioſi Societ. Ieſu, vt conſtat ex dictis *q.* 1. *eiuſdem ſectionis præced.* & patet quotidiana experientia) Ratio huius eſt, quod ſic tollitur omnis auaritiæ ſpecies, diminuitur temporalis lucri cupiditas, & ex hoc ipſo capite augetur aliquo modo paupertas: præterquam quod hoc pacto augetur fiducia in Deum, qui ſuis miniſtris non deficit in neceſſarijs, ſi fideliter, & merè liberaliter Deo, & Proximis inſeruiant; cum aliàs ſit valdè periculoſum, vt ratio viuendi Religioſorum ſit potius quæſtus, quam pietas; ad quod facit quod *Corduba q.* 15. *ad c.* 4. *ſuæ regulæ* refert ex *lib. plagarum tit.* 10. *plaga* 1. his verbis: *maxima Ordinis* (loquitur de Ordine Minorum) *& puritatis regulæ iactura ſub prætextu miſſarum, & eleemoſynarum diabolo procurante, & hominum fragilitate, cupiditate, & ignorantia introducta eſt;* facit etiam quod habet Apoſtolus Paulus 1. *Cor.* 9. vbi, cum dixiſſet, *Non alligabis os boui trituranti ſi nos vobis ſpiritualium ſeminauimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra petamus?* poſtea ſubiungit, *ſed non vſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio Chriſti:* & infra, *ego autem nullo horum vſus ſum.* Qua de re plura *Suar. tom.* 4. *de Rel tr.* 10. *l.* 4. *c.* 7. *num.* 8. *& ſequentibus.*

QVÆRES II. An Regulares liberè poſſint ſuſcipere onera miſſarum perpetua, ex legato, aut alio titulo oneroſo.

89 ℞. In præſentia non poſſe, niſi de Generalis, aut Prouincialis licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: idque ex decreto ſacræ Congregat. iuſſu Vrbano VIII. edito 21. *Iun.* 1625. *de celebrat. miſſarum:* in quo ſup. dictorum onerum ſuſceptio Regularibus vetatur ſub pœna priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, & paſſiuæ, abſque alia declaratione.

90 Vbi noto obiter in hac re non videri concedendam leuitatem materiæ, ideoque Prælatum Regularem acceptantem onus perpetuum dicendi quotannis vnam, aut duas miſſas peccare m. & incurrere pœnas ſup. poſitas: cum quodlibet onus perpetuum de re etiam non magna cenſeatur graue, vt patet ex communi hominum æſtimatione. Secùs, ſi Prælatus ſuſciperet onus perpetuum dicendi in miſſa vnam collectam ſemel in quouis anno: in hoc enim caſu videtur poſſe concedi leuitas materiæ excuſans à culpa, & à pœnis. ita docti viri à me conſulti.

QVÆRES XXX. An, & quo modo Regulares Prælati poſſint moderari onera miſſarum perpetua ſuſcepta à Religioſis ſubditis.

91 ℞. Cum diſtinctione: vel huiuſmodi onera ſunt annexa fundationi, ſeu dotationi alicuius beneficij eccleſiaſtici, capellaniæ, ſeu capellæ, aut altaris, & ſunt impoſita poſt C. Tridentinum; & hæc non poſſunt Prælati regulares moderari, reducendo miſſas ad minorem numerum: idque, quantumuis legatum relictum modo dicto poſt Côcilium ſit valde tenue (tunc enim recurrendum eſt ad ſedem Apoſtolicam pro remedio): vel ea onera impoſita ſunt ex vltimis defunctorum voluntatibus, etiam per modum teſtamenti factis (ſine titulo tamen beneficij) & ante Concilium qualia ſunt etiam Anniuerſaria, ſi ob eorum numerum, aut tenuitatem ſtipendij obiri nequeant, vt declarauit S. Congreg. Concilij, teſte *Quaranta v. miſſa*); & hæc onera poſſunt Regulares Prælati reducere, ac moderari reſtringendo numerum Miſſarum iuxta vires legati; quamquam hoc ſit potiùs reducere ſtipendia, quam miſſas, vt ſcilicet ex multis paruis eleemoſynis fiat iuſtum ſtipendium. Patet hæc reſponſio tum ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 4. *de reform.* vbi Abbatibus, & Generalibus Ordinum conceditur talis poteſtas; nimirum, *vt in ſuis Capitulis generalibus, re diligenter perſpecta poſſint pro ſua conſcientia in prædictis Eccleſiis* (i. ſui Ordinis) *quas hac prouiſione indigere cognouerint, ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atq. Eccleſiarum vtilitatem viderint expedire; ita tamen, vt eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios vſus reliquerunt:* tum ex Decreto S. Congreg. Concilij relato q. præced. in quo hæc habentur. *Primò prohibet, & interdicit ne Epiſcopi in diœceſana Synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium* (i. Tridenti-

dentium) *impoſita, aut in limine fundationis. ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perſpecta, id ſtatuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur.* Quæ omnia ſunt ſatis clara, ſi ſolum aduertero cum *Fraxinello de Sacerd. oblig. ſect. 7. §. 5. num. 17.* commemorationem defunctorum, de qua loquitur *C. Trid. loco cit.* fieri poſſe, ſiue in vnaquaque hebdomada, generalem miſſam pro iis celebrando, ſiue ſingulis ferijs ſecundis recitando, aut canendo primum Nocturnum defunctorum, ſiue aliquid aliud tale faciendo, per quod conſulatur animabus benefactorum; quod verò ſpectat ad Miſſas reductas præfata commemoratio defunctorum, ex declaratione eiuſdem Congreg. adducta ab eodem *Fraxi.* fieri debet per intentionem applicandi Miſſas, & per preces in *memento* defunctorum nec non per Collectas in ipſis Miſſis legendas. Addit *Marchinus*, quem citat & non reijcit *Diana p. 6. tract. 6. reſol.* 10. præfato decreto Sacræ Congregat. non videri derogatum Epiſcopis (adde tu & Prælatis regularibus) quin poſſint moderari miſſas Eccleſiæ relictas nondum tamen acceptatas ob tenuitatem ſtipendij; ſiquidem decretum loquitur de oneribus miſſarum impoſitis: non cenſetur autem impoſita, niſi poſt acceptationem.

QVÆRES IV. An, & quo modo Regulares poſſint præſcribere contra onera Miſſarum perpetua ab ipſis ſuſcepta in ſuffragium defunctorum.

92 ℟. Poſſe, ſi concurrant omnes conditiones requiſitæ in iure ad præſcribendum contra abſentes; nimirum poſſeſſio, titulus probabiliter præſumptus, bona fides, continuatio poſſeſſionis cum bona fide, & tempus lege præſcriptum: & quidem non ſecus, ac præſcribi poteſt contra iura hominum viuentium, ideoque poſſe contingere, vt temporis progreſſu onus celebrandi pro defuncto quotidie annexum Capellaniæ exiſtenti in Eccleſia Regularium reducatur ad celebrandum ter, aut quater ſolum in vnaquaque hebdomada. ita docti Recentiores à me de hoc conſulti; & probatur, quia ex vna parte præſcribi poteſt contra iura alterius; quale eſt ius, quod habent defuncti, vt pro ipſis celebrentur tot, vel tot miſſæ; ex alia parte nullo iure prohibetur, ne præſcriptio currere poſſit contra defunctos; ſi quidem, quod aliqui in contrarium obijciunt mortuos non poſſe reclamare contra præſcribentes iura ipſorum, ac proinde non videri æquum, vt contra ipſos concedatur præſcriptio; nihil facit, cum pro defunctis reclamare poſſint hæredes eorum, aut Prælati ſuperintendentes pijs fidelium diſpoſitionibus; prçter quam quod præſcriptio currit etiam contrà ignorantes; & tamen ij non poſſunt reclamare: quod eſt ſignum præſcriptionem locum habere, etiam contra non potentes reclamare, & conſequenter etiam contra defunctos, qui ſunt plùs quàm ignorantes: vnde diximus ad præſcribendum contra illos requiri omnes illas conditiones, quæ in iure petuntur ad præſcribendum contra abſentes.

QVÆRES V. An prçſcriptio decennalis vim habeat obligandi Regulares quoad onera Miſſarum perpetua.

93 ℟. Non habere, ſed requiri præſcriptionem 30. annorum; idque eſtò detur Capellanum titulo Capellaniæ per 10. annos ſemel, aut bis in hebdomada celebrantem, & poſtea aduertentem tale onus de facto non fuiſſe impoſitum à Fundatore, ſaltem expreſsè, eodem modo teneri etiam in futurum celebrare ſemel, aut bis in hebdomada; ſicut oſtendit *Fraxinel. ſup. ſect. 4. concl. 4. §. 17. num 1.* Et ratio noſtræ reſponſionis eſt quod legata aduerſus legatarium præſcribuntur ſpatio 30. annorum, teſte *Leſſio l. 2. cap. 6. num. 39.* onus autem celebrandi, de quo hìc reuera eſt legatum, non autem capellania ac proinde de eo non eſt Philoſophandum, ac de capellania. Nec obſtat, quod contra Regulares non currit præſcriptio minor ſexagenaria ex indulto ſpeciali ipſis conceſſo, ac relato in *Comp. Societ. præſcriptio §. vn.* cum enim ibi dicatur. *Nulla præſcriptio minor, quam ſexaginta annorum valet contra bona, perſonas, & loca Societatis*; & in talibus dictionibus non comprehendantur actiones incorporales, ideſt iura (cuiuſmodi eſt præfatum onus celebrandi,) vt colligitur ex eodem *Leſſio ſup. in titulo dubij* 8. & 11. in præſenti caſu non requiretur præſcriptio 60. annorum ſed ſufficiet, ſi ſit annorum 30. vt dictum eſt.

QVÆRES VI. An Regulares poſſint alienare bona ipſis relicta cum oneribus perpetuis Miſſarum celebrandarum.

94 ℟. Non poſſe; idque ex decreto ſupradicto eiuſdem Sacræ Congregat. in quo hæc habentur. *Præterea ne in Eccleſijs, in quibus onera miſſarum in perpetuum impoſita ſunt Sacerdotes in ijs, vt par eſt adimplendis eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quod onera huiuſmodi cum nulla, aut parua vtilitate ſint coniuncta; ſtatuit, ac decernit, vt pecunia, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tam ſæcularibus, quam regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum ab ijs, ad quos pertinet ſub pæna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant penes ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, ſeu illorum pretium quam primum inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienare contigerit, eorundem pretium ſub eadem pæna vt ſupra deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus ibidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.* Ex quibus patet bona immobilia, quæ conferuntur Regularibus pro perpetuis Miſſarum oneribus, non poſſe ab illis alienari; imò ſi ea ſint mobilia, debere inueſtiri in bonis immobilibus fructiferis, &, ſi interim non adſit opportunas. ea inueſtiendi, debere deponi penes ædem Sacram, aut perſonam fide, & facultatibus idoneam: idque ſub pçna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis; & quidem meritò, vt ſic poſteri degentes in monaſterijs tantò fidelius, & alacrius præfatis oneribus ſatisfaciant, quæ alioqui ſi non ſentirent tale commodum

modum, ea vel non implerent, vel minùs libenter, ac fideliter.

Vtrum verò in caſu, quo Regulares recipiant pro perpetuis miſſarum oneribus pecunias, aut alia bona mobilia modo ſupradicto inueſtienda in bonis immobilibus frugiferis, teneantur inchoare celebrationem miſſarum, etiamſi nondum ea inueſtierint, adeoque nullum adhuc lucrum inde acquirant.

95 ℟. Probabile eſſe, quod teneantur; moueor, tũ quia plerumque ſolent quam citiſſimè ſe ſe offerre opportunitates faciendi tales inueſtituras, & conſequenter tempore valde breui ipſis infructuoſa manent ea bona (cum tamen de minimis non curet Prætor) tum quia redditus, qui ex eiuſmodi oneribus perpetuis miſſarum colliguntur, ſolẽt eſſe pinguiores, quam regulariter ferret ordinarium ſtipendium, quod aliàs reſpõderet illi numero miſſarum, ſi eæ dicerentur ex ſtipendio manuali: vnde Regulares, qui paulo poſt ſenſuri ſunt maius illud commodum, non debent detrectare hoc tantillum oneris, quod per aliquot hebdomadas cogantur dicere miſſas, nullum adhuc commodum inde referentes:

QVÆRES VII. An Regulares ſatisfaciant perpetuis miſſarum oneribus, ſi quo tempore tenentur celebrare ex varijs intentionibus, ſacrificia debita applicent, non diſtinctè (v. g. hanc miſſam pro Petro defuncto, & illam pro Paulo item defuncto) ſed indiſtinctè, & in confuſo, nimirum generaliter pro ijs, quibus eo die debentur illa ſacrificia, quæ ab ipſis celebrantur.

96 ℟. Satisfacere; cum re vera ſic exhibeant ſuffragia debita, eorum applicationem committentes Deo, qui, ſicut optimè nouit, quibus debeantur ea ſacrificia, ita & pium eſt credere, quod de facto ea illis fideliter applicet; quamuis alioqui melius, & tutius ſit ſacrificia miſſæ diſtinctè applicare ijs, quibus debentur; cum vel hinc Sacerdos regulariter ſoleat excitari ad offerendum cum maiori deuotione, & per conſequens cum maiori fructu, ac lucro ſpirituali illius, pro quo offertur ſacrificium. ita *Fraxinel. ſup. ſect.7. §.7.n.7.*

QVÆRES VIII. An, & quinam Regularium peccent, ſi fideliter non impleant onera Miſſarum perpetua, quibus tenetur monaſterium, in quo ipſi degunt.

97 ℟. Peccare mortaliter, & quidem non ſolum Prælatum Conuentus, ſiue mediatum (ideſt Prouincialem, aut etiam Generalem) ſiue immediatum (ideſt Superiorem localem) ſi pro munere ſui officij non curent opportunis medijs, vt præfatis oneribus ſatisfiat à Religioſis ſubditis (cum executio dictorum onerum maximè pendeat ab ipſis, & ij teneantur ratione officij eam procurare:) ſed etiam Religioſos ſubditos, ſi fortè ſacrificia ipſis ad debitas intentiones præſcripta à Superioribus renuant offerre, & miſſas proprias applicent alijs intentionibus ab ijs, quas præcipiunt Superiores: in quo ſine dubio ipſi ſubditi peccant m. non ſolum contra obedientiam, ſed etiam contra iuſtitiam, vt oſtendimus *ſup. ſect.1. q.9.*

QVÆRES IX. An Regulares ex legato, aut titulo Capellaniæ obligati ad celebrandum in aliqua certa Eccleſia, aut Altari, hoc ipsò teneantur applicare ſacrificium illi, qui reliquit legatum, aut inſtituit Capellaniam.

98 ℟. Diſtinguendo: vel enim ex inſtitutione legati, aut capellaniæ probabiliter colligitur mentem inſtituentis eſſe ſolummodo, vt cultus ille exhibeatur illi Eccleſiæ, aut Altari, vel certè vt populus habeat maiorem commoditatem audiendi miſſam; & tunc non eſt opus applicare ſacrificium ad intentionem inſtituentis, ſed poteſt applicari ad eam intentionem, ad quam maluerit celebrans; vel ex inſtitutione legati, aut capellaniæ probabiliter colligitur mentem inſtituentis eſſe, vt ad ipſius intentionem applicetur ſacrificium; & tunc ſine dubio applicari debet iuxta mentem illius. ita *Alph. de Leone, Fraxinell. & Homob.* quos *Diana p.2. tr.14. reſ. 80.* refert, ſed non ſequitur, motus quadam declaratione S. Congregationis, quam refert ex *Gauanto* in hæc verba: *Congregatio reſpondit Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſsas celebrare ratione beneficij, ſeu capellæ, legati, aut ſalarij, ſi eleemoſynas etiam pro alijs Miſſis celebrandas ſuſceperint, non poſse eadem Miſsa vtrique obligationi ſatisfacere*; cum tamen, teſte *Io. de Lugo de Euchar. D.21. n.22.* plures Auctores, qui ſcripſerunt poſt dictam declarationem, dicant eam loqui de Sacerdote, qui ratione beneficij, capellæ, legati, aut ſalarij certis diebus obligatur ad celebrandum pro aliquo; hi enim nequeunt recepta eleemoſyna ab alio, eadem miſſa ſatisfacere vtrique videlicet debito celebrandi pro vtroque. Ratio autem noſtræ reſponſionis eſt quod, cum ex vna parte petens miſſam ex ſtipendio, poſſit illam intendere, tum quo ad cultum Eccleſiæ, aut Altaris ſolum, tum quo ad ſolam appplicationem ſacrificij, tum quo ad vtrumque ſimul; ex alia parte ſtipendium miſsæ deberi poſſit Sacerdoti non tantùm in ſuſtẽtationem, ſed etiam tanquam pretium obligationis, qua ille obligatur, vt tali tempore, & loco ſit paratus ad celebrandum; hinc fit, quod in priori caſu hìc propoſito, quo conſtat petentem miſſam non intendere niſi cultum, ac venerationem loci, Sacerdos propriæ ſatisfacit obligationi, præcisè celebrando in loco deſignato, adeoque recipere poteſt ſtipendium abſque eo, quod dicto petenti applicet ſacrificium; non item in caſu poſteriori, in quo, cum petens miſsam. illam intendat & quo ad cultum loci, & quo ad applicationem ſacrificij; nõ poteſt Sacerdos recipere duplex ſtipendium ex duplici illo titulo debitum: quamuis aliàs exigere poſſit à petente miſsam ſtipendium maius, quod ſcilicet iudicio prudentis correſpondeat vtrique illi obligationi.

Vtrum verò Sacerdos obligatus ad celebrandum in tali Eccleſia titulo capellaniæ teneatur applicare ſacrificium pro Fundatore, ſi non conſtet de tali obligatione, neque ex vlla ſcriptura, neque ex conſuetudine, de ea tamen dubitetur.

99 ℟. *Bonac. de Sacr. D.4. q.vlt. p.7. §.2. num.13.* cum *Poſseu. Fraxinell. Naldo, Sylu.* alijſque communiter teneri; probatque, tum quia Capellaniæ regulariter ſolẽt inſtitui cum onere applicandi ſacrificium pro Fundatore; cum tamen fortiſſima præſumptio deſumatur ex conſuetis, & communiter accidentibus,

teſte

teſte *Menoch.l.1.de præſumpt.q.18.num.1.* tum quia Fundator præſumitur voluiſſe ſibi conſulere omni meliori modo, quippe quando dubitatur de voluntate teſtatoris, præſumi debet, quod eſt veroſimilius, quodque ipſemet teſtator interrogatus reſpóderet: teſtator autem in præſentia ſi hac de re interrogaretur, reſponderet ſibi valòrem Miſſæ applicari, cum agatur de ſalute animæ, de qua vnuſquiſque cenſendus eſt habere curam. Verùm quamuis iſta doctrina ſit valdè probabilis, & pia; nihilominus non eſt irrefragabilis, adeoque puto non eſſe improbabile Capellanum in dubio ſupradicto non teneri applicare valorem ſacrificij. ducor, quod valdè rationabilis eſt doctrina, quam affert *Suar.tom.4. de Rel tract.8.l.2.cap.17.num.7.* his verbis; *Hæc regula in oneribus maximè imponendis ſeruanda eſt, ſi voluiſſet expreſſiſset;* quam confirmat *Sà v.interpretatio num.2.* dicens: *Cum agatur de obligatione, ſtrictè interpretandum;* vnde cum fundator Capellaniæ in fundatione non exprimat (vt ſuppono) quod velit applicationem ſacrificij, cenſetur illam noluiſſe; ſi enim voluiſſet, expreſſiſſet; adeoque cum non expreſſerit, præſumitur noluiſſe. colligitur apertè ex *Diana p.6.tr.6.reſol.13.*

QVÆRES X. An Regulares teneantur celebrare miſſas ex legato perpetuo, aut alio titulo oneroſo debitas, etiam pro illo tempore, quo notabiliter differtur annua ſolutio ipſius legati.

100 ℟. Teneri ſi moraliter ſint certi ſe illud exacturos, etſi poſt tempus debitum, & cum difficultate. probatur tum quia in alijs contractibus oneroſis tales exactiones eſſe ſolent difficiles; & tamen alter contrahens explet ſuam partem: tum quia minus conforme pietati chriſtianæ eſt defunctos id eſſet, & ſaperet auaritiam, ſi hoc ipſo quod non ſtatim obtinentur annua legata relicta pro miſſis defunctos defraudaremus debitis ſuffragijs: tum quia ſtipendium, quod acquiritur pro miſſis ex legato annuo celebrandis, ſolet eſſe auctius eo, quod ſolueretur per modum ſtipendij manualis; ſicque maiori illo lucro compenſatur dilatio ſolutionis, ac moleſtia exigendi: tum denique quia præfata legata tandem ſoluuntur, ac proinde non eſt æquum, vt ſacrificia ex ipſis debita vel omittantur vel certè differantur cum graui præiudicio defunctorum. Dixi *ſi moraliter ſint certi* ſe illud exacturos &c. ad indicandum, quod ſi non adeſſet ſpes probabilis ea legata annua exigendi, niſi poſt longum tempus, & inde Regulares aliquid damni paterentur, eo quod Miſſas quas offerunt pro ſupdictis Legatis offerre poſſent pro alijs ſtatim ſoluentibus ordinarium ſtipendium; ſicque conſulere proprijs neceſſitatibus; tunc credo eos poſſe miſſarum celebrationem differre, vſque dum ſoluantur legata; cum ſit æquum, vt qui miniſtrat ad altare, viuat de altari.

Quod ſi quæras, an Regulares, quando acceptãt de nouo perpetuum aliquod onus Miſſarum ex legato, aut inſtitutione alicuius Capellaniæ, illud non recepturi niſi poſt annum teneantur à die acceptationis dicere Miſſas præſcriptas, vel poſſint earum celebrationem differre, vſque dum primam legati ſolutionem obtinuerint,

101 ℟. Probabile eſſe eos teneri à die acceptationis; patetque, tum ex rationibus *§.præced.* quæ etiam ad rem præſentem poſſunt proportionaliter applicari: tum ex communi vſu quo ad hoc inducto: tum quia etiam in alijs contractibus oneroſis plerumque ſolent contrahentes operari ſuam partem antequam recipiant ſtipendium, de quo conuenerunt; vt videre eſt, in artificibus, alijſque talibus quoquo modo ſuam operam locantibus, quibus communiter non ſolet ſolui ſtipendium antequam debitum ſeruitium ſaltem ex parte compleuerint.

102 Addo quòd ſi hæredes alicuius teſtatoris per aliquot annos intermittant ſoluere monaſterio legatum pro certo numero miſſarum celebrandarum debitum; ideoque Religioſi omittant celebrare dictas miſſas iuxta dicta hic in reſponſione principali, ſi poſtea hæredes incipiant iterum ſoluere legatum, non poſſunt Religioſi illud recuſare ad effectum euitandi celebrationem dictarum Miſſarum quas nollent celebrare, eo quòd ſtipendium inde percipiendum ſit tenue, vtpote deſignatum ante decreta *de celebrat.Miſſ.* non poſſunt, inquam, recuſare, niſi fortè interceſſerint 30. anni, ſicque facta ſit legitima præſcriptio contrà hæredes. Ducor, quod in tali caſu non poſſunt Religioſi renunciare obligationem dicendi præfatas Miſſas, niſi hæredes admittant renunciationem: hi autem dici nequeunt tacitè acceptaſſe eò ipſo quòd per aliquot annos non ſoluerunt legatum; cum talis renunciatio ipſis ſit odioſa, ideoque præſumi non debeat, niſi exprimatur: præſertim cùm ſit in fauorem cauſæ piæ, vt patet.

QVÆRES XI. An caſu quo Regulares per ſe ipſos ſatisfacere nequeant oneribus miſſarum acceptatis, eo quòd aliqui eorum ægrotent, teneantur illa per alios implere.

103 ℟. Quod, ſicut teſte *Io de Lugo ſup.num.48.* DD. communiter tradunt Capellanum ægrotantem teneri per alium ſupplere Miſſas, ad quas obligatur titulo Capellaniæ, ſi infirmitas ſit longa; non item ſi breuis, niſi Fundator expreſsè, vel tacitè ſignificauerit mentem ſuam, quod nunquam deſit miſſa in tali loco, aut capella eo modo, quo dicemus *infra q.12.* & docet *Bonac.de Sacr.D.4.q.vlt.p.7.§.2.nu.17.* ita proportionaliter dicere poſſumus de Religioſis habentibus ſimiles Capellanias in proprijs Eccleſijs, eos ſcilicet teneri ſupplere onera Miſſarum per alium, ſi longa infirmitate detineantur, ſecùs ſi breui; ſi tamen in monaſterio præter Sacerdotes infirmos ſuperſint tot Sacerdotes, qui ſufficiant ad implenda ſupradicta onera. Moueor quod, ſicut DD. de Capellano non religioſo dicunt eum non teneri ſupplere miſſas per alium ſi infirmitas ſit breuis, eo quod non ſit credibile teſtatorem voluiſſe adeo ſtrictè obligare, & cum tanto rigore; teneri verò, ſi infirmitas ſit longior, eo quod non ſit æquum defunctorum animas tanto tempore defraudari debitis ſuffragijs; ſic & hæ eædem rationes æquè militant quoad Capellanias commendatas Regularibus: ſiquidem præter Religioſos infirmos in monaſterio non ſuperſint tot Sacerdotes valentes, quot requiruntur ad ſatisfaciendum ſupradictis oneribus cum de fidelibus præſumi non poſſit

ratio-

rationabiliter, quod maiori cum rigore velint exigere à Religioſis præfata onera Miſſarum, quam exigant à laicis Sacerdotibus; cum potius quoad hoc debeant ſe remiſſiores, ac indulgentiores oſtendere erga Religioſos, quam erga Laicos, vt patet.

Dixi, *ſi quidem præter Religioſos infirmos in monaſterio non ſuperſint tot Sacerdotes, &c.* ſi enim non obſtantibus infirmis, adhuc ſint in monaſterio tot Sacerdotes, quot ſufficiunt, & requiruntur ad ſupradicta onera Miſſarum implenda, tunc puto præfata onera omnia, ac ſingula implenda eſſe æque ac ſi nullus eorum eſſet infirmus; moueor quod, cum totum Monaſterium teneatur ad illa onera, conſequenter omnes, & ſinguli Religioſi, qui in eo degunt tanquam membra illius ad illa eadem in ſolidum tenentur, adeoque quamdiu ex ijs ſuperſunt, qui poſſint ea implere, ab eorum impletione non excuſantur; cum adhuc non deſint qui & poſſunt, & debent ea implere; quod non habet locum in Capellano laico ægrotante, qui cum ſit vnus, hoc ipſo quod eſt impotens ad celebrandum, ex interpretatiua voluntate Fundatoris cenſetur excuſari pro tunc à celebrando per alios, quandocumque infirmitas non longa ſit, ſed breuior.

Quod ſi quæras, quæ infirmitas ad præſens propoſitum iudicanda ſit breuis, & quæ longa.

104 ℞. *Io: de Lugo ſup. num. 49.* cum *P. Nau. Vega. Rodriq. & Auila* breuem iudicandam eſſe infirmitatem quæ non protrahitur vltra duos menſes; & hoc ex præſumpta Fundatorum voluntate, qui non cenſentur velle obligare ſuos Capellanos cum tanto rigore, ne alioqui nimis emungentes eliciant ſanguinem. Alij tamen cum *Ricc. Graff. Fraxin. Barboſ. Molfeſ. & Homob.* relatis à *Diana p. 2. tract. 14. reſ. 27.* non extendunt niſi ad 8. vel. 10. dies: alij verò cum *Bonac. ſup. D. 4. q. vlt. p. 8. num. 17.* & *Diana reſol. cit.* protrahunt etiam ad dies 15. alij denique ad vnum menſem; quæ opiniones videntur ſatis probabiles, & quidem etiam prima quam ſequitur *Nald. v. miſſa nu. 11.* maximè ex auctoritate Doctorum, qui eam ſuſtinent.

Hinc patet, quid dicendum ſit ad caſum non omninò diſſimilem: an 5. Regulares habentes Capellanias in proprijs Eccleſijs, aut alias obligationes perpetuas Miſſarum teneantur per alios ſupplere, ſi ex caſu fortuito eueniat in monaſterio deficere numerum Sacerdotum ſufficientem ad implendas dictas obligationes, ſicque pro aliquo tempore illas omnes implere non poſſint. Superior monaſterij interim pro viribus curet, vt aliunde aduenìant in ſubſidium alij Sacerdotes Ordinis ſufficiendi in locum illorum aliorum, qui defecerunt vt ſic impleri poſſint omnes, & ſingulæ præfatæ obligationes.

105 ℞. Enim, quòd ſi ſpatium illud temporis futurum ſit breue iuxtà dicta §. *præced.* non improbabile videtur Regulares in tali caſu non teneri per Sacerdotes extraneos ſupplere onera Miſſarum: & hoc ex præſumpta Fundatorum voluntate, qui in talibus circumſtantijs non cenſentur velle obligare cum tanto rigore, vti paulò ante diximus in caſu ſimili. Secùs ſi ſpatium illud temporis futurum eſſet longius; aut certe in fundatione Capellaniæ caueretur, ne vnquam omitteretur miſſam in tali altari; aut capella; tunc enim per alios impleri deberent illa onera, vti innuimus ſupra, & iterum dicemus infra. Ratio huius eſt quod alioqui piæ fidelium voluntates defraudarentur, & animæ defunctorum debitis ſuffragijs priuarentur. ita docti viri à mè de hoc conſulti.

Difficultas eſſe poſſet, quæ Miſſæ in caſu propoſito, alioue ſimili omitti debeant dato quod Regulares ex varijs Capellanijs, & legatis diuerſarum perſonarum teneantur celebrare, & non ſit maior ratio, cur potius omittantur Miſſæ debitæ ex hac intentione, quam quæ debentur ex illa alia.

106 ℞. In talibus caſibus omittendas eſſe Miſſas ad ratam ſingularum obligationum; itaut toto decurſu temporis, quo eæ omnes adæquatè impleri non poſſint, non magis damnificetur vna intentio, quam alia, imò damnum æquali proportione diuidatur; & hoc iudicio diſcreti Superioris, aut Sacriſtæ, qui habita ratione omnium, & ſingularum obligationum, quibus tenetur monaſterium, & Sacerdotum in eo tunc degentium coram Deo ſtatuant, qualiter hac in re procedi debeat. Ratio huius eſt, quod remiſſio Miſſarum, quas dicimus in præfatis caſibus poſſe omitti, non fundatur, niſi in præſūpta volūtate eorū, quib. debētur dictæ miſſæ: hi autem non præſumuntur remittere, niſi eo modo, quo diximus, vt ſcilicet talis omiſſio Miſſarum fiat cum damno ipſorum quam minimo; quod tamen non euenit, niſi Miſſę omittantur ea ratione, qua diximus; præter quam quod hoc idem poſtulat lex æquitatis, vt facilè conſideranti patebit.

QVÆRES XII. An, & quo modo Regulares obligati ad quotidie celebrandum poſſint aliquando vacare à celebratione iuxta *cap. ſignificatum de præbend.* in quo iuxta communem DD. ſenſum Sacerdoti obligato ad miſſam quotidianam indulgetur, vt ex cauſa maioris honeſtatis, ac deuotionis ſemel in hebdomada poſſit miſſæ ſacrificium omittere.

107 ℞. Diſtinguendo: vel Regulares obligantur ad miſſam quotidianam ex titulo Capellaniæ ipſis perpetuò, ac immobiliter collatæ; & ſic poſſunt ſemel in hebdomada vacare, non ſecùs ac poſſunt Capellani ſæculares: alias enim Religioſi Capellani eſſent deterioris conditionis; quod non eſt admittendum; vel obligantur ex præſcripto Prælati regularis eos ad quotidie celebrandum adſtringentis, vt ſic ſatisfaciant oneribus Miſſarum ad quas tenetur monaſterium ex titulo variarum Capellaniarum, quæ fundatæ ſunt in ipſorum Eccleſia; & tunc probabile eſt; quod ſi in eo non adſint, niſi tot Sacerdotes, quot ſimpliciter requiruntur ad dicta onera implenda, poteſt vnuſquiſque illorum modo ſupradicto ſemel in hebdomada vacare à celebratione; ita tamen vt talis vacantia non plus præiudicet vni obligationi, quam alteri: quod fiet omiſſionem dictarum Miſſarum diuidendo ad ratam ſingularum obligationum iuxta ea, quæ diximus

mus

mus q. præced. Ratio huius eſt, quod vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio, ac proinde, cum ratio maioris honeſtatis, ac deuotionis, ob quam conceditur præfata vacantia, militet etiam reſpectu Sacerdotum regularium; par eſt vt ipſis concedatur dicta vacantia; idque ex præſumpto conſenſu illorum ipſorum, qui Capellanias inſtituerunt; intellige, niſi aliud colligatur ex verbis fundationis: vt ſi dicant, Miſſam in tali capella, aut altari quotidie celebrandam eſſe: tunc namque locum ſine dubio non haberet vacantia, ſed teneretur Capellanus, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis quotidie celebrare, ſaltem per alium: ſiquidem vbi verba ſunt clara non eſt recedendum ab eis *l. non aliter ff. de legatis 3.* & in claris non eſt locus coniecturis. Dixi *ſi in eo non adſit niſi tot Religioſi, quot ſimpliciter requiruntur ad præfata onera implenda*: ſi enim adſint in maiori numero, quam ad talem effectum requirantur, puto non habere locum ſupradictam vacantiam ob rationem adductam ſupra.

Maius dubium eſt, an Capellanus obligatus celebrare quotidie, cum poſſit ex maiori honeſtate, ac deuotione ſemel in hebdomada omittere ſacrificium Miſſæ: ſi nihilominus eo die, quo poſſet vacare, celebret, miſſam applicare poſſit alij intentioni ab ea, ad quam tenetur ratione Capellaniæ, ſin minùs ex ſtipendio, ſaltem ex deuotione.

108 ℞. Non poſſe; & probatur ex eo quod Conſuetudo omittendi miſsam ſemel in hebdomada orta eſt ex *cap. ſignificatum de præbend.* vbi id conceditur ex cauſa maioris honeſtatis, ac deuotionis, & quidem his verbis. *Salua honeſtate ſua, ac debita deuotione* vnde cum hoc ipſo quod Sacerdos eſt diſpoſitus ad celebrandum ſimpliciter, poſſit celebrare ſalua honeſtate ſua, ac debita deuotione conſequenter ceſſat ratio vacandi iuxta regulam, *Ceſſante cauſa, ceßat & effectus*: ex quo fit, vt ſi Sacerdos velit celebrare eo die, quo poſſet vacare, teneatur applicare ſacrificium iuxta inſtitutionem Capellaniæ. ita *Nald. v. miſſa num. 7. Fraxinel. ſup. ſect. 4. concl. 4. §. 3. num. 1.* cum *Nauarro, Campan. Bonac. Alph. de Leone*, & alij communiter contra *Peyrin. to. 3. priuil. cap. 1. num. 20.* & *Dianam p. 5. tract. 13. reſ. 51*; qui ſuſtinent Capellanum in caſu propoſito, ſi celebret, poſſe applicare ſacrificium alteri intentioni ab ea, quæ præſcribitur in fundatione: non quidem ex ſtipendio, ſed ex charitate, videlicet pro ſe ipſo, ſuis parētib. amicis, &c. id autē colligunt maximè ex eo quod in *cap. ſignificatum* allegato dicitur *Salua honeſtate ſua*, ideſt æquitate (cum tamen æquitas petere videatur, vt Capellani ſaltem ſemel in hebdomada liberè poſſint diſponere de ſuo ſacrificio: alioqui nimis dura eſſet captiuitas adſtringere Sacerdotem, vt nunquam pro ſe, aut ſuis dicere poſſet vnam Miſſam. Verùm hæc ratio corruit ex eo quod ly *ſalua honeſtate*, teſte *Gloſſa ibi* nihil aliud ſignificat, quam quod Sacerdos celebrare poſſit abſque conſcientia peccati m. ſiquidem ait *Gloſſa ſalua honeſtate*, ideſt *ſine peccato m. quod eſſet inhoneſtum*; quod eſt ſumere nomen *honeſtatis* non pro *æquitate* (ſicut ſumunt citati Doctores) ſed pro diſpoſitione interna neceſſaria ad celebrandum.

109 Addo quod, cum *Nald. v. Miſſa n. 6. Bonac. D. 4. de Sacr. q. vlt. p. 7. §. 2. n. 16.* & alij de quolibet Sacerdote obligato ad quotidie celebrandum dicant ipſum poſſe ex cauſa maioris honeſtatis vacare ſemel in hebdomada iuxta *cap. ſignificatum* ſuperiùs relatum, & facultatem taliter vacandi, non reſtringant ad obligatum in perpetuum ex titulo capellaniæ; probabile videtur Sacerdotem obligatum ad celebrandum quotidie per vnum annum, aut etiam vnū menſem ex ſtipendio manuenſi, poſſe vacare ſemel in qualibet hebdomada modo dicto: cum reſpectu illius militet eadem ratio, ſicque currat regula, vbi militat eadem ratio. Nec obſtat, quod in *cap. ſignificatum* fit mentio ſolum de obligato ex capellania: cum ibi vacantia illa non concedatur per modum priuilegij, quod proinde non debeat extendi in præiudicium tertij ad caſum non expreſſum; ſed ſolum declaretur æquitas naturalis, quæ vtique procedit etiam in præſenti caſu; ſed de hoc in *tract. 6. c. 3. n. 37.*

110 Vnum hic addo ex Fraxinell. *ſup §. 3.* vacantiam à celebratione nō ita eſſe interpretandam, vt liceat Sacerdoti obligato ad quotidie celebrandum vacare ſemel in hebdomada cauſa voluptatis, curioſitatis, aut itineris, ſed ſolùm ad euitandum peccatū, quod ex mala Sacerdotis diſpoſitione committi poſſet in ſacrificio, & cauſa maioris honeſtatis, ac deuotionis, à diuerſis quippe non fit illatio, adeoq; ceſſatio celebrandi conceſſa in citato *cap. ſignificatū*, ex cauſa honeſtatis non debet extendi ad cauſam voluptatis, itineris, &c. quo modo etiam in dicto *cap.* ſubditur non licere Sacerdoti in propoſito caſu ſe trāsferre ad aliam Eccleſiam, vt aduertit *Nald.* addens *n. præced.* extenſionem vacantiæ ſupradictæ ad duos dies in hebdomada, quam facit *Nau. conſ. 7. de præbend.* communiter reijci ab alijs Doctoribus; & quidem meritò, cum per eam concedatur Sacerdoti facultas ſubtrahendi quotannis 100. miſſas Fundatori Capellaniæ, quæ ſubtractio ſine dubio eſt nimis excedens; vt nemo non videt.

QVÆRES XIII. An Regularis obligatus ad celebrandum in tali Oratorio, Altari, aut Eccleſia, vt populus illuc magna frequentia confluens maiorem habeat commoditatem audiendi miſſam, teneatur ibi celebrare, ſi contingat ceſſare frequentiam populi, ita vt vel nulli, vel valdè pauci illuc conueniant ad audiendam miſſam, & alia diuina officia.

111 ℞. Probabile eſſe non teneri, ſi inſtitutio illius Capellaniæ verè facta fuit ſolùm ad commoditatem populi, vt ibi commodius poſſet audire Miſſam, & non etiam in cultum, ac conſecrationem illius Oratorij, Altaris, &c. (vti puto fieri communiter) probatur tum quia ceſſante cauſa, ceſſat effectus: tum quia ita poteſt interpretari voluntas Fundatoris, qui ſi de tali caſu interrogatus fuiſſet, veroſimiliter ita reſpondiſset. Quæ tamen rationes locum non haberent in caſu, quo Capellania inſtituta fuiſſet etiam in venerationem loci, & non in ſolam commoditatem populi: ſiquidem tunc non ceſsaret finis inſtitutionis, niſi ex parte, & quidem quoad intentionem minùs principalem, ac proinde impleri debet mens inſtituentis, vtpote quæ ad huc ſubſiſtit, & eſt ſufficienter expreſsa in verbis

verbis ipſius inſtitutionis; quin imò puto regulariter in inſtitutione ſimilium Capellaniarum intendi vtrumque; nimirum & venerationem loci, & commoditatem populi, adeoque rarò poſſe contingere, vt Capellanus maneat deobligatus à celebrando in loco deſignato ex eo præcisè quod ceſſet populi frequentia.

QVÆRES XIV. An Regularis obligatus ad quotidie celebrandum pro aliqua certa intentione, poſſit occurrente neceſſitate, aliquando celebrare etiam pro ſe ipſo, aut etiam pro aliquo ſibi coniuncto.

112 ℟. Poſſe, & quidem non ſemel, aut bis tantùm, ſed etiam ſexies; patetque ex dictis *ſup. q. 12. §. maius dubium eſt, in fine*. addo hìc Sacerdotem obligatum ad quotidie celebrandum ex titulo Capellaniæ ſi in die Natiu. D. 3. Miſſas celebret (vti fit communiter) non teneri applicare niſi vnam ex illis Fundatori, & conſequenter poſſe liberè alias duas applicare, ſiue pro ſe, ſiue pro aliquo alio, ſicut ipſi libuerit. ita *Fraxinel. ſup. ſect. 4. concl. 4. §. 21. n. 3.* & probat tum quia Sacerdos ex inſtitutione Capellaniæ ſolum tenetur celebrare quotidie v.g. aut ſingulis diebus feſtis, quod vtique facit, ſi in die Natiuit. vnam Miſſam applicet Inſtitutori. tum quia nullus Sacerdos (ſaltem qui non ſit Parochus) tenetur ex præcepto dicere 3. Miſſas in die Natiu. cũ ad id nullũ ius extans obliget: ꝙ ſi ſimpliciter nõ tenetur dicere 3. Miſſas nec 3. tenebitur applicare: tum quia decet, vt Sacerdos, qui toto anno celebrat pro alio, poſſit in die tantæ ſolemnitatis vnam Miſſam ſibi applicare ſibi, parentibus, aut amicis.

Quod ſi quæras, an Regulares obligati ad quotidie celebrandum pro aliqua certa intentione, in die Commemorationis omnium defunctorum poſſint applicare Miſſam illius diei pro omnibus defunctis in communi. imò & debeant.

113 ℟. Poſſe, non tamen teneri in rigore. idque ob rationes, quas adduximus *ſup. ſect. 1. q. 11.*

QVÆRES XV. An Regulares habentes Capellaniam inſtitutam his verbis: *eligatur Sacerdos, qui quotidie celebret in remiſſionem omnium peccatorum*, teneantur applicare Sacrificium.

114 ℟. Teneri, & quidem iuxta mentem, quam tunc habuit Fundator Capellaniæ, quæcumque demum illa fuerit; cum enim ea non ſit verbis expreſſa ſufficienter, recurrendum eſt ad probabiles coniecturas deſumptas ex circumſtantijs concurrentibus; quo modo in contingentia facti interrogatus in cuius peccatorum remiſſionem deberet Miſſas applicare quidam Capellanus, cuius Capellania ab Epiſcopo cum debita licentia inſtituta fuerat ex bonis menſæ Epiſcopalis ſub prædicta forma (vt ſ. quotidiana Miſſa diceretur in remiſſionem omnium peccatorum) conſului quod, cum bona menſæ Epiſcopalis probabiliter eſſent de relictis a fidelibus illius loci; probabile erat Epiſcopum eo modo loquendi voluiſſe ſacrificium obligare in commune bonum Fidelium dicti loci, adeoque applicandum in remiſſionem omnium peccatorum ab ipſis commiſſorum, vt qui fuerant liberales in Eccleſiam elargiendo illa bona, hoc ſpirituale beneficium pro ſuis animabus ſentirent.

An verò Regulares teneantur applicare Sacrificium præſcriptum in inſtitutione Capellaniæ facta his verbis: *eligatur Sacerdos, qui quotidie celebret orans pro anima mea (id eſt Fundatoris)*

115 ℟. Probabile videri, quod non teneantur, maximè attenta doctrina, quam pro caſu non diſſimili attulimus *ſup. q. 9. §. vtrum verò*; Cum enim aliud ſit applicare Miſſam pro Fundatore; & aliud orare in Miſſa pro Fundatore; hoc ipſo quod is in fundatione vnum expreſſit, & non aliud; ſignum eſt vnum voluiſſe (quod ſ. expreſſit) non autem aliud; alioqui, ſi hoc etiam voluiſſet, & expreſſiſſet; vnde inferri poteſt, non expreſſit, ergo noluit.

QVÆRES XVI. An Regularis obligatus ad celebrandum quotidie pro anima Fundatoris in tali Eccleſia, ſuæ ſatisfaciat obligationi, ſi alibi celebret applicando Miſſam ad ſupradictam intentionem, ſimul curans, vt alius Sacerdos loco ipſius celebret in dicta Eccleſia, applicato tamen ſacrificio ad aliam intentionem.

116 ℟. Videri ſatisfacere, niſi fortè Eccleſia illa electa eſſet ſpecialiter à Fundatore ad effectum obtinendi Indulgentiam aliquam ibi peculiariter conceſſam pro defunctis, quam conſequi non poſſet ex vi miſſæ celebratę in illa alia Eccleſia pro anima illius. Ratio reſponſionis eſt, quod Sacerdos Regularis in propoſito caſu facit illud totum, quod debet ex inſtitutione Capellaniæ; partim per ſe, quatenus celebrat applicando ſacrificium pro anima fundatoris; partim per alium exhibendo Eccleſiæ ipſi deputatę ad celebrandum per celebrationẽ illius alterius Sacerdotis ibi factam illum cultum, quẽ vi fundationis tenebatur ei præſtare, ibi perſonaliter celebrando; cum tamen in ijs, in quibus non eligitur peculiaris induſtria perſonę (quo modo reuera nõ exigitur in præſenti caſu) operari per alium perinde ſit ac operari per ſe ipſum, iuxta regulam *Qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur*. Quare cùm Sacerdos in caſu hìc propoſito ex vi fundationis ſolùm teneatur celebrare pro anima Fundatoris in Eccleſia deſignata, idque ad cultum, ac venerationem ipſius Eccleſiæ, aut etiam ad commoditatem populi, & hoc totum præſtet abſq; vllo præiudicio Fundatoris vt ſuppono: non video, quo modo dici poſſit eũ non implere ſuam obligationẽ ex eo præcisè quod partes talis obligationis in ordine ad executionem ſeparet, vnam partem per ſe ipſum exequendo, & aliam per alium. Dixi, *niſi fortè Eccleſia illa ſpecialiter electa eſſet, &c.* ſi.n. Fundator elegiſſet peculiarem illã Eccleſiam, in qua inſtituit Capellaniam, eo quod celebrantes ibi pro defunctis, illis lucrẽtur aliquam ſpecialem indulgentiam non conceſſam alijs Eccleſijs; tunc ſine dubio Sacerdos in caſu propoſito alibi celebrans non ſatisfaceret ſuæ obligationi, vtpote defraudans animam Fundatoris ſuffragio illius Indulgentiæ ab ipſo petito, ac intento; quamquam huic damno facilè conſuli poſſet, ſi Sacerdos celebrans in alia Eccleſia non gaudente dicta indulgentia, animæ Fundatoris applicaret indulgentiam calculi benedicti, vt diximus *ſup. ſect. præced. qu. 17.* ita conſultus in contingentia facti reſpondi,

di, &c, vt puto; ſatis probabiliter.

QVÆRES XVII. An Regularis Capellanus teneatur applicare pro Fundatore ſacrificium, ſi habeat Capellaniam ſunda am his verbis: *Cappellam erigit, cui inſerniat Rector præſentandus, &c. Miſſas, & diuina Officia celebrando iuxta morem, ac conſuetudinem Cathedralis Eccleſiæ; & hoc pro ſalute animæ Fundatoris*: & paulo poſt, *Qui prædictæ Cappellæ Rector pro anima Fundatoris exorare teneatur*. ratio dubitandi pro parte negante eſt, quod verba illa *& hoc pro ſalute animæ Fundatoris* videntur poſſe commodè referri ad ea verba *Cappellam erigit*, non autem ad illa alia *Miſſas, & diuina Officia celebrando*: maximè, cum poſtea ſubdatur, *qui prædictæ Cappellæ Rector pro anima Fundatoris exorare teneatur*, nulla mentione facta de Miſſis celebrandis pro Fundatore.

117 ℟. Talem Cappellanum teneri vigore inſtitutionis Cappellaniæ applicare pro Fundatore ſacrificium: & probatur, tum quia clauſula poſita in vna parte diſpoſitionis, ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, cenſetur referri ad omnia in ea contenta *c. 2. requiris de appellat l. talis reſcriptura §. fi. ff. de leg. 1.* vt benè notauit *Sanch. lib. 3. de matrim. D. 7. n. 17. l. 8. D. 16. numer. 11. lib. 10. D. 17. numer. 15.* ſicque verba illa *& hoc pro ſalute animæ Fundatoris* cenſeri debent referri tam ad erectionem capellæ, quam ad celebrationem miſſarum: tum quia quandocumque in diſpoſitione fit mentio generis, ac ſpeciei (vt in præſenti caſu per verba *celebrare*, & *exorare*) genus reſtringitur per ſpeciem, ac illius ſenſum recipit *l. generali 32. §. vxori, ff. de vſu, & vſufruct. l. ſed etſi adijciant ff. pro ſocio*; ſicque *exorare* hìc ſumitur pro *celebrare*, ac proinde ſicut ad verbum *celebrare* refertur ea clauſula *& hoc pro ſalute animæ Fundatoris*, ſic & ea referetur ad verbum *exorare*; adeoque eius ſignificatio, ac diſpoſitio cenſeri non debet reuocata per clauſulam ſequentem *qui prædictæ Cappellæ Rector pro anima Fundatoris exorare teneatur*, ſed potius aucta, vel magis confirmata per geminationem: ſi quidem verborum geminatio quoddam myſterium, & vim ſpecialem in ſe continet, teſte *Gloſſa Clem. 1. v. diœceſani de iure patron.* ita *Bordonus, Zanettus*, & alij viri doctiſſimi à me conſulti, & ſatis probabiliter.

Quod ſi quæras, ad quem numerum Miſſarum cenſeri debeat obligare Cappellania inſtituta ſub his verbis *Celebret pro anima mea iuxta ritum, ac conſuetudinem Eccleſiæ Ferrarienſis* v. g. *vſque modo vſitatum*.

118 ℟. Miſſarum numerum in tali caſu indagandum eſſe ex fundationibus ſimilium Cappellaniarum eo tempore fundatarum, quo fundata fuit ea, de qua hìc agitur. quod ſi nulla illius temporis ſcriptura fundationis Capellæ reperiatur; arbitrium regulandum erit iuxta pinguem, aut tenuem, aut mediocrem talis Cappellæ fundationem, ſpectato tempore, quo ea fundata fuit, & valore prouentuum tunc temporis obuenientium, & facta comparatione cum tempore præſenti.

QVÆRES XVIII. An Regularis Cappellanus vi inſtitutionis Capellæ teneatur applicare ſacrificium pro Fundatore, inſtitutione facta in hæc verba: *Cappellanus quolibet die, iuſto impedimento ceſſante, celebret pro anima mea, hoc modo videlicet, quod diebus non ſolemnibus Miſſam mortuorum ſemper debeat celebrare, Dominicis verò diebus, & alijs ſolemnioribus celebrare de Beata Virgine, vel diei tunc imminentis feſti, faciendo ſemper commemorationem animæ meæ.*

119 ℟. Teneri: & probatur ex illis verbis *celebret pro anima mea*, quæ indubitatam obligationem applicandi Sacrificium pro Fundatore inducunt; quam obligationem non videntur tollere illa alia verba *faciendo ſemper commemorationem animæ meæ*: nam vna pars legis explicat aliam; nec eſt probabile Fundatorem in breui periodo voluiſſe, & non voluiſſe applicationem ſacrificij; quod tamen ſequeretur in præſenti caſu, attentis verbis illis *celebret pro anima mea*, & illis aliis, *faciendo ſemper commemorationem animæ meæ*, quæ nullam important obligationem applicandi ſacrificium. Quare per hæc vltima verba puto Fundatorem per ly *commemorationem* intelligere *collectam*, ac intendere, vt in miſſa pro anima illius quotidie celebranda dicatur pro ipſo collecta, idest ora io ipſi accommodata. quod ſi in feſtis ſolemnioribus iuxta rubricas dici nequit talis Collecta; fortè id ignorauit, aut non aduertit Fundator; niſi malis dicere eiuſmodi rubricam fortaſſe non fuiſſe in vſu, quo tempore fundata fuit talis Cappella: hæc enim fuit fundata anno 1295. ſic ego reſpondi in contingentia facti, addens ea verba *iuſto impedimento ceſſante* intelligi de impedimento ſe tenente, tum ex parte ipſius Cappellæ, tum ex parte Cappellani.

QVÆRES XIX. An Regularis Capellanus teneatur celebrare quotidie vi fundatoris Cappellæ his verbis inſtitutæ: *teneatur celebrare aſſiduè*.

120 ℟. Videri probabile non teneri celebrare quotidie; & colligitur ex *cap. 11. de præbend* vbi in narratiua adeſt clauſula *quotidie celebrare*; & tamen Papa in diſpoſitiua vtitur verbo *aſſiduè*, quæ ſignificat *frequenter*; vnde ſubditur, *& quantò frequentius poteſt*: ita vt *aſſiduè celebrare* idem ſit, ac *celebrare frequenter*, non autem importet obligationem celebrandi quotidie. & hoc argumento eorum, quæ tradit *Cenedo ſingul. 12.* vbi *aſſiduè* interpretatur pro *frequenter* hoc eſt non omnibus diebus, neque continue, ſed interpolatis. ita *Bordonus* vir admodum doctus, & Orbi ob ſuas eruditas reſolutiones, & alia opera edita, imo & edenda notiſſimus, aliique docti viri à me conſulti contra alios oppoſitum ſuſtinentes tum ex eo, quod in *citato cap. 11.* verbum *aſſiduè* ſumitur pro verbo *quotidie*; tum quia alioqui daretur nimis ampla licentia diuinandi, ſeu errandi, & cuilibet dicendi, quod libere: quæ tamen ta-

tiones videntur corruere ex dictis: & ex eo quod arbitrio prudentis viri definienda eſt in caſu propoſito celebrandi frequentia, ſpectatis concurrentibus circumſtantijs, ideoque falſum eſt nimis amplam dati licentiam errandi hac in re.

QVÆRES XX. Ad quid teneantur Regulares, quibus legatum annuum relinquitur ſub his verbis, *acciò mi dicano tanto bene*; an ſcilicet ſatisfaciant orando pro Teſtatore in Miſſis, recitando coronas, aut alias preces, vel certè teneantur celebrare Miſſas.

121 ℟. *Bordonus* à me per literas conſultus quod, cum verba illa, *acciò mi dicano tanto bene* faciant ſenſum communem Miſſis, & alijs ſuffragijs (cum vtrumque ſit bonum, & veniat nomine boni,) habeantque rationem generis, quod in ſpecie ſua verificatur, & locum habet *l. de pretio ff. de public. l. 1. §. generaliter ff. de legat. præſtan.* & quidem licèt in vna ſpecie ſit maior ratio, quam in alia *l. 1. §. quod autem ff. de alea luſu, & aleat. 1* à Regularibus in caſu propoſito ſatisfit partim Miſſis, & partim collectis, quæ dicantur pro Teſtatore. præterquam quod aliqui expreſsè petunt Miſſas, alij poſtulant orationes, & alij dant eleemoſynas ſub his verbis *Ditemi tanto bene*; cum ergò hæ locutiones inter ſe differant, & hæc tertia ſit generalis, ac communis alijs duabus, illas vtique comprehendet, & conſequenter ſatisfiet voluntati relinquentis legatum ſub præfatis verbis, dicendo pro eo partim Miſſas, partim Collectas, & alias preces. Verùm puto in hoc caſu interrogandas eſſe perſonas conditionis ſimilis conditioni Teſtatoris, quid intelligant per ea verba *Ditemi tanto bene*, num ſcilicet intelligant Miſſas, aut orationes, vel vtraſque ſimul; vt colligitur ex *Mantica l. 3. de coniectur. vltim. volunt. tit. 8. numer. 7.* dicente obſeruandum eſſe communem vſum loquendi illius loci, vnde teſtator originem ducit, aut in quo verſari conſueuit ex *l. ſi ſeruus plurium §. vlt. de leg. 1.* iuncta doctrina, quam tradit idem *Mantica l. 11. tit. 14. num. 21.* aſſerens ex arbitrio viuentium deſideria morientium non ſine iuſta ratione colligi *l. quoniam de natur. liber.* & ſi perſonæ ſimilis conditionis interrogatæ reſpondeant per ea verba *Ditemi tanto bene*, intelligi Miſſas, vt impleatur in præſenti caſu mens Teſtatoris, dicendæ ſunt tot Miſſæ, & quidem eo numero, quo fert quantitas pecuniæ legatæ iuxta taxationem ſtipendij Miſſarum ibi ab Ordinario præſcriptam, aut legitima conſuetudine inductam. ſic ego pluries in ſimili caſu interrogatus reſpondi, & reſponſionem approbarunt viri docti; & inter hos *Bordonus* dicens optimum eſſe conſilium in propoſito caſu interrogare perſonas ſimilis conditionis.

Moneo hic ego, quod ſi Religioſo Sacerdoti detur pecunia ſub ijs verbis, *ditemi tanto bene*, ſi dubitet, quid intelligatur per dicta verba, teneri interrogare de hoc dantem: alioqui, ſi id negligat ſcire, videtur effugere onus Miſſarum, quas fortè dans expoſuiſſet, ſi de eo opportunè fuiſſet interrogatus.

QVÆRES XXI. An, iubente Teſtatore, vt ſingulis annis in quodam templo Regularium certa die certi menſis fiat vnum Officium Miſſarum 50. dato pingui ſtipendio, ac vno intortitio cuilibet celebranti, poſſint dicti Regulares in caſu, quo die illa ſtatuta ex penuria Sacerdotum non poſſint celebrari omnes dictæ Miſſæ, eas diebus ſequentibus per ſe ipſos celebrare, ſibimet applicando ſtipendia illa pinguiora vna cum præfatis intortitijs, & hæc præſtari debeant ab hæredibus Teſtatoris.

122 ℟. Quod, licet prima facie pars negans videri poſſet probabilis eò quod obligatio annua illius Officij ſit quaſi affixa certo diei, ideoque tranſeat cum eo, oppoſitum tamen ſuſtinendum eſt. Ducor tum quia deſignatio diei eſt ad ſollicitandam obligationem, quæ proinde ſi die deſignata non impletur, impleri debet diebus ſubſequentibus; tum quia, teſte *Sanch. l. 4. conſil. c. 2. d. 4. n. 4.* referente pro ſe plures alios DD. legatum pium nunquam ſit caducum, ſed ſi non poſſit impleri in vſum præſcriptum, debet conuerti in aliū vſum honeſtum, ac licitum; cum Teſtator in conſtitutione talis legati principaliter intendat conſulere animæ ſuæ, expendendo legatum in opere pio, & ſecundariò in eo, quod ſignauit; vt habetur in *cap. nos de teſtam.* & *l. legatum ff. de vſu, & vſufructu legati*: ergò tanto magis legatum non fiet caducum, ſi totum non poſſit impleri die deſignata a Teſtatore (vt in præſenti caſu;) quod ſi non ſit caducum, ergo debet poſtea impleri, & quidem in eadem cauſa pia; cum DD. apud *Sanch. ſup. d. 6. numer. 2.* ex *Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 8. de reform.* & *l. legatum ff. de vſu, & vſufr. legati* aſſerant legatum, quod non poteſt impleri, neceſſariò commutandum eſſe in aliam cauſam ſimilem piam: cum de iure naturæ ſit, vt voluntas Teſtatoris impleatur eo modo, quo poteſt impleri, ideoque, ſi non poteſt impleri in ſpecie, impleatur in cauſa ſimiliori, ac proximiori menti Teſtatoris; vnde inſero ego, quod, ſi in eadem cauſa poſſit impleri alio tempore ab eo, quod deſignauit Teſtator, vtique tunc debet impleri: quod omninò euenit in caſu noſtro, in quo proinde dicendum eſt hæredes teneri præſtare ſupradicta emolumenta Regularibus reſiduum illatum Miſſarum celebrantibus pro anima illius Teſtatoris. ita interrogatus in contingentia facti reſpondi, & fuit approbata reſponſio à viris doctiſſimis.

QVÆRES XXII. Vtrum in caſu, quo quis eligens ſepulturam in quadam Eccleſia Regularium iubet 200. Miſſas quotannis celebrari pro anima ſua in perpetuum, non deſignato tamen loco, in quo velit dictas Miſſas celebrari; vtrum, inquam, eæ dicendæ ſint in eccleſia illa Regularium, in qua elegit ſepulturam, an in aliqua alia.

℟. Di-

123 ℞. Dicendas eſſe in Eccleſia Regularium in qua elegit ſepulturam, idque ob rationes à nobis adducendas in *tract. de priuileg. c. 5. ſect. 3. ſubſ. 2. qu. 21.* ita *Portel. de dub. Regul. v. miſſa n. 13. in reſp. mor. p. 2. caſu* 19. alijque.

QVÆRES XXIII. An Regulares, quibus relictum eſt legatum cum onere, vt pro anima illius celebrent per annum integrum, teneantur ex vi talis legati applicare Miſſam quolibet die illius anni, eſtò non facta fuerit mentio in teſtamento de ſingulis diebus, ſed ſolum per vnum annum.

124 ℞. *Fraxinell. ſup.* §. 18. teneri, & probat, tum quia legatum in Dei honorem, & ad pias cauſas largè debet interpretari, ac extendi ad id, quod maius eſt; vt docent *Bartol. & alij DD. in l. Titia §. Seia ff. de auro, & arg. legat.* tum quia Teſtator in dicto legato locutus eſt indefinitè, videlicet vt per vnum annum dicatur Miſſa pro anima ſua: locutio autem indefinita æquiualet vniuerſali, vt inter alios aduertit *Fraxinellus ex cap. vt circa de elect.* quamquam ſi quis mallet ſuſtinere oppoſitam ſententiam negantem, non ita facile poſſet conuinci falſitatis, tum ex dictis *ſup. quæſt. 9.* tum ex doctrina, quam tradunt *Mol. tract. 2. D. 198. §. ſi res Sanch. l. 4. in decal. cap. 13. num. 8.* alijque apud *Mantica de coniect. vlt. vol. l. 7. tit. 13. num. 13.* legatum pium in dubio explicandum eſſe ſecundùm minus, niſi ex circumſtantijs concurrentibus aliud colligatur de mente Teſtatoris: quæ doctrina ſi admittatur, vtique oſtendit non eſſe improbabile Regulares in præſenti caſu nō teneri celebrare ex vi præfati legati ſingulis diebus vnius anni, ſed ſolum tot diebus, quot iudicio prudentis ſufficere iudicabuntur habita præſertim ratione ſtipendij ad talem effectum relicti.

QVÆRES XXIV. An Regulares obligati ex inſtitutione Capellaniæ, aut legati ad celebrandum in aliqua certa Eccleſia, vel Altari, ſatisfaciant, ſi celebrent in alia Eccleſia, vel Altari.

125 ℞. Cum diſtinctione: vel deſignatio Eccleſiæ, aut Altaris facta eſt ob peculiarem cultum illius loci, vel commodum populi, vt ibi Miſſam faciliùs audire poſſit, aut propter memoriam ſuæ familiæ ad quam pertineat illa Eccleſia, aut Altare; & ſic non poſſunt Regulares alibi celebrare ſine auctoritate illius, qui poteſt commutare vltimas voluntates (niſi id rarò fiat, v. gr. bis, aut ter in anno, ait *Diana p. 2. tract. 14. reſ. 29.*) & ſi alibi celebrant abſque iuſta cauſa, peccant & quidem mot. vtpote defraudantes in re graui mentem Fundatoris, ac violantes virtutem fidelitatis, & promiſſionem; vel deſignatio illa Eccleſiæ, aut Altaris facta eſt ſine vllo ex dictis reſpectibus; & ſic faciliùs poteſt permitti vt Regulares celebrent in alio Altari ab eo quod fuit deſignatum (dummodo tamen id faciant intra eandem Eccleſiam: aliàs enim ſi in alia Eccleſia celebrarent, hoc cederet in præiudicium alterius Eccleſiæ, cui ex inſtitutione, aut legato illud ius fuerat acquiſitum) cum ſic non graue præiudicium inferatur neque Eccleſiæ, neque Fundatori, vt patet: quamuis, ſi ſæpiùs id facerent, & ſine iuſta cauſa, non poſſent excuſari à peccato v. ita *Io. de Lugo de Euch. D. 21. nu. 36. Fraxinel. ſup. §. 9. Bon. de Sacr. D. 4. q. vlt. p. 7. §. 4. num. 2.* alijque plures apud ipſos idem ſuſtinentes quo ad 1. partem, & ſatis probabiliter.

126 Dixi, *&, ſi alibi celebrant abſque iuſta cauſa, &c.* ad ſignificandum quod ſi occurrat iuſta cauſa celebrandi in alio Altari eiuſdem Eccleſiæ, tunc Sacerdos non peccat mor. celebrando in alio Altari, ſi rarò id faciat, idque excuſante paruitate materiæ: imò neque venialiter, cum non cenſeatur Fundator velle obligare ſuum Capellanum tanto cum rigore. Sic excuſabitur Sacerdos celebrans extra Altare ſibi deſignatum, ſi id faciat, eo quod Altare, in quo ipſe debet celebrare ſit occupatum ab alio ibi celebrante, vel alia de cauſa, & ipſe Sacerdos expectare non poſſit ob negotium vrgens, quod debet expedire. ita *Io. de Lugo ſup. num. 38.* addens *num. 40.* Sacerdotem obligatum ad celebrandum in certa Eccleſia, ſi inueniat alios Sacerdotes in Sacriſtia paratos, ideoque cogatur diutius expectare, vel propter Miſſam ſolemnem, aut concionem, vel quid ſimile; poſſe in alia Eccleſia pro tunc celebrare ſine peccato mor. imò & interdum ſine veniali; quamquam expediat, vt quando Sacerdos præuidet fore tale impedimentum, aliquantulum præueniat, ne id frequentiùs contingat.

Addit *Nald. v. Miſſa num. 34.* Epiſcopum ex iuſta cauſa poſſe diſpenſare, vt Miſſa à Teſtatore celebrari iuſſa celebretur alibi; probatque ex quod, cum Ordinarius poſſit vnire, diuidere, de nouo creare, ac extinguere beneficia inferiora ſeu Epiſcopatus, *cap. ſicut vnire de exceſſ. Prælat. & c. 7. de reb. eccl. alien. vel non alien.* & alia maiora præſtare, de quibus *Nau. conſ. 2. de reb. eccl. alien. vel non*; poterit & facere id, de quo hìc quæritur, iuxta illud *Cui conceditur, quod eſt plus conceditur, & quod minus eſt*; cuiuſmodi eſt translatio miſſæ de vno in alium locum. ſic *Nald. n. 34.* monens celebrantem alibi, quàm à Teſtatore ſtatutum ſit, non teneri ad vllam reſtitutionem; cum omittat ſolum circunſtantiam operis, non autem ſubſtantiam; quamuis aliquis aliter ſentiat ſine vlla ſufficienti ratione, ſubdit *Nal.* conſentit *Barboſa alleg. 29. num. 8. ex Henriq. Graff. & Bonacina*.

Immò *Paſqualigus decif. 429.* Rectores templorum ex iuſta cauſa poſſe concedere Sacerdoti obligato celebrare in ipſius templo, vt alibi celebret: probatque quia dicti Rectores non cenſentur acceptare cultum illum præſtandum per celebrationem dictarum miſſarum, niſi ſaluo iure proprio de ordinando tali cultu (non enim præſumitur quis velle ſe priuare ſuo iure, niſi de hoc conſtet;) & hęc ſupponitur fuiſſe voluntas inſtituentium præfatum cultum miſſarum; ne aliàs præſumantur ſibi velle vſurpare ius alterius. ſic ille monens in hoc caſu Rectores non commutare vltimas voluntates, aut relaxare onera miſſarum, ſed ſolùm diſponere de cultu exhibendo in ſua eccleſia iuxta mentem tacitam Teſtatoris.

Grauius dubium eſt, an quando Eccleſia, aut Altare deſignatum à Fundatore caſu aliquo ſunt omninò impedita (ſiue quia Eccleſia violata eſt, ſiue quia non inuenitur clauis Capellæ,

vel quid aliud ſimile,) an tunc Sacerdos pro illa die maneat ſimpliciter liber ab obligatione celebrandi.

127 ℟. Manere, ſi Fundator intendit principaliter ſolum, quod celebraretur in tali Eccleſia, aut Altari ob cultum talis Sancti, qui inde reſultabat: ſic enim obligatio celebrandi alligatur illi loco, adeoq; ceſſat hòc ipſo, quod nequit in eo celebrari: quo pacto vouens ieiunare in vigilia talis Sancti, ſi eo die non poſſit, non tenetur ieiunare alio die. Secùs, ſi Fundator intendit fructum ſacrificij, vel cultum Dei: nam ſic non ceſſat obligatio celebrandi, ſed debet Sacerdos celebrare in alia Eccleſia, aut Altari. ita *Io. de Lugo ſup. num.* 42. monens in dubio intentionem Fundatoris præſumi fuiſſe, potius hoc poſteriori modo, quam priori: cum maiorem vtilitatem percipiat ex miſſa alicubi celebrata, quam nullibi, & rationabiliter cenſeatur voluiſſe obligare ad id, quod ſibi vtilius eſt; præſertim cum in *cap. Nos quidem de teſtam.* præſcribatur, ſi non poſſit monaſterium conſtrui in loco à Teſtatore deſignato, debere in alio loco ædificari; quæ deciſio vtique oſtendit etiam in caſu præſenti idem proportionaliter præſumendum eſſe; quod etiam notauit *Bonac. ſup. ex Sà, Azor. & Nauo.*

QVÆRES XXV. An Regulares ex inſtitutione Capellaniæ, aut Legato obligati ad celebrandum ter in hebdomada, ideſt feria 2. 6. & Sabbato, poſſint dictas Miſſas celebrare alijs diebus intra eandem hebdomadam.

128 ℟. Iuxtà diſtinctionem traditam *q. præced.* poſſe, ſi illi dies fuerunt deſignati ſine myſterio, ſed ſolum, vt ibi celebraretur in vnaquaque hebdomada: non item, ſi fuerunt deſignati ob rationem aliquam peculiarem (v. g. vt Sabbato diceretur miſſa de B. V. feria 6. de Paſſione D. &c.) etſi hac in re difficilè peccari poſſit mortaliter, cum materia ex ſe ſit parua; maximè ſi illud cum cauſa, aut non multum frequenter fiat. ita *Io. de Lugo ſup. n* 43. patetque ex eo, quod in priori caſu circumſtantia celebrandi talibus diebus ſit merè accidentalis, in poſteriori verò ſit ſubſtantialis, adeoque eius violatio ſit grauis, niſi aliunde excuſetur iuxta ſupra dicta.

QVÆRES XXVI. An Regulares titulo Capellaniæ, aut alio obligati ad celebrandas 15. Miſſas ſingulis menſibus, poſſint hoc menſe offerre 30. ſicque ſatisfacere obligationi tam menſis præſentis, quam ſequentis.

129 ℟. Quod, licèt regulariter id fieri poſſe videatur, cum anticipata ſolutio non præiudicet creditori, ſed proſit; quando tamen præſcribens miſſas pro tali tempore reſpicit ad illud certum tempus ob aliquam ſpecialem cauſam (v. g. ad honorem, ac decorem ſuæ Capellæ, ob quem nolit vllum menſem præteriri abſque miſſa, & memoria Fundatoris; tunc vtique non eſt licita anticipatio illa miſſarum; ſicut neque in caſu, quo illa redundare poſſit in alterius præiudicium: vt ſi Sacerdos teneatur celebrare ſingulis menſibus, aut hebdomadis pro defunctis huius populi, vel communitatis; ſiquidem ex præfata anticipatione fit, vt qui moriuntur hoc menſe, aut hebdomada poſt miſſam anticipatè celebratam fraudentur eo ſubſidio, menſe, vel hebdomada ſequenti; cum tamen Fundator intenderit ſubuenire omnibus ſucceſſiuè. ita *Io. de Lugo ſup. numer.* 44. & colligitur ex ſimili doctrina, quam tradunt *Sanch. lib. 4. in decal. cap. 14. numer. 26.* & in caſu noſtro *P. Nau. l. 2. de reſtit. c. 2. q. 9. numer.* 366. & Rodriq. *tom. 1. ſummæ cap. 51. num. 8.*

Addit *Io. de Lugo num.* 45. in iiſdem circumſtantijs, in quibus licita eſt miſſarum anticipatio, poſſe item excuſari à mortali Sacerdotem, qui differt eas celebrare ad hebdomadam, aut menſem ſequentem; dummodò talis dilatio, ſeu poſtpoſitio non ſit magna; qualis de facto non videtur eſſe, ſi menſe ſequenti celebrentur miſſæ correſpondentes vtrique menſi; quamquam hac in re peccetur venialiter, niſi concurrat iuſta cauſa differendi, quæ poterit excuſare etiam à veniali.

QVÆRES XXVII. An Regulares ex contractu oneroſo obligati ad celebrandum ſingulis Sabbatis, aut Ferijs quintis, aut ſextis, teneantur celebrare illis diebus in hebdomada ſancta, vel certè debeant anticipare, aut poſtponere celebrando tribus alijs diebus loco illorum.

130 ℟. *Io. de Lugo num.* 46. Feria quidem ſexta hebdomadæ ſanctæ eos nec poſſe licitè celebrare, (vt patet) nec teneri ſubrogare alium diem; cùm Teſtator alligauerit obligationem celebrandi ad illam diem, vt ſuppono; feria verò quinta, aut Sabbato præfatæ hebdomadæ, ſi ij velint celebrare, teneri celebrare pro debito fundationis (a quo ſolùm excuſarentur, ſi celebrare non poſſent commodè:) ſi autem celebrare nolint illis diebus, poſſe abſtinere, & non teneri ſubrogare alium diem pro illo; cùm ijs diebus liceat quidem celebrare priuatim (vt oſtendemus ſuo loco) non tamen ſit in vſu, ac conſuetudine; cui conſuetudini non præſumitur Fundator in præſenti caſu voluiſſe ſe opponere, cùm ſit laudabilis, nec voluiſſe obligare Sacerdotem, vt ab ea omnium ferè conſuetudine diſcederet, atq; adeo cenſetur excluſiue illos dies, dato quod Sacerdos aliàs nolit celebrare. ita *Io. de Lugo.*

Imò puto probabile quod, ſi Sacerdos Capellanus de facto celebret die Iouis ſancti, & Sabbati ſancti, non tenetur applicare hæc ſacrificia pro Fundatore: quippe quæ ſunt valdè extraordinaria, idcoque non cenſentur comprehenſa ſub generali obligatione celebrandi quotidie pro Fundatore; nam lex generaliter loquens ſolùm comprehendit caſus ordinarios.

QVÆRES XXVIII. An Regulares ex inſtitutione Capellaniæ obligati celebrare ter, aut quater in hebdomada ſatisfaciant celebrando diebus tantùm ferialibus, vel certè teneantur celebrare etiam diebus dominicis, ac feſtis.

131 ℟. Cum diſtinctione: vel Capellania erecta eſt in eccleſia loci, vbi nulla alia dicitur miſſa, & non conſtat de mente fundatoris, & ſic præſumi poteſt Sacerdotem teneri celebrare diebus feſtis; cum probabile ſit Fundatorem intendiſſe non ſolum inſtituere Capellaniam, ſed etiam præbere habitatoribus loci commoditatem audiendi Miſſam in diebus feſtis; vel fundatio Capellaniæ eſt in eccleſia,

cleſia, & loco, vbi ſunt alij Sacerdotes, & ſic Sacerdos ſatisfaciet celebrando diebus ſolum ſerialibus; ſi quidem hoc pacto præſtat totum illud, quod exigit Fundator, nimirum tres, aut quatuor miſſas in hebdomada, nec ad aliud tenetur. ita *Bonacina ſup. p.7. §.5. num.5.* & cum eo *Fraxinel. ſup. §.19.*

QVÆRES XXIX. An Regulares habentes Capellaniam obligantem ad celebrandum ſingulis diebus, & bis in hebdomada, ſed præcipuè diebus feſtis, ſatisfaciant, ſi, occurrente die feſto in hebdomada, celebrent ſolum illis diebus, in quibus officium eſt duplex, aut ſemiduplex.

132 ℟. Non ſatisfacere, ſed teneri celebrare illis diebus feſtis, qui ex præcepto Eccleſiæ, aut conſuetudine obſeruantur. ita *Bonac. ſup. num. 6.* probatque tum quia verba accipi debent iuxta communem vſum loquendi, adeoque cum communiter loquendo illi cenſeantur dies feſti, qui modo dicto obſeruantur, de his cenſendus eſt loqui Fundator, non autem de ijs, in quibus fit Officium duplex, aut ſemiduplex; tum quia probabile eſt Fundatorem voluiſſe conſulere vtilitati Fidelium, vt commodiùs ſatisfacere poſſent præcepto Eccleſiæ de audienda miſſa in die feſto.

QVÆRES XXX. Vtrum in caſu, quo Anniuerſarium alicuius defuncti faciendum in Eccleſia Regularium occurrat in die dominico, aut alio feſto ſolemni, transferri debeat in diem ſequentem, prout fit de feſtis Sanctorum.

133 ℟. Non debere transferri, ſed faciendum eſſe in die præcedenti, vt ſic citius liberetur defunctus à pœnis Purgatorij; defunctorum enim miſſæ præueniri poſſunt, non autem poſtponi, cum per miſſarum anticipationem ipſorum negotium vtiliter geratur, vt patet. ita Fraxinell. *ſect. 3. ſprænot. 5. §.6. n.3. ex Durando*, addens tamen dari caſum, in quo neque miſſæ defunctorum præueniri poſſunt; nimirum ſi eæ ita præſcribantur, vt nulla relinqui debeat hebdomada, in qua non dicatur Miſſa; aliàs quippe non ſatisfieret menti Fundatoris.

QVÆRES XXXI. An ſatisfaciat ſuæ obligationi Regularis, quæ cum titulo capellaniæ teneatur celebrare pro anima Fundatoris ter in vnaquaque hebdomada ad tale Altare, non deſignatis tamen diebus, in quibus debeat celebrare; celebrat pro Fundatore ad aliud Altare ter, & in eadem hebdomada item celebrat ter ad Altare deſignatum applicando ſacrificium pro alia intentione.

134 ℟. Satisfacere; cum re vera præſtet totum id, quod debet, licèt non ſimul; nimirum applicando ſacrificium pro fundatore, & exhibendo deſignato Altari cultum ab ipſo Fundatore intentum in deſignatione illa Altaris: quod autem hæc duo præſtentur ſeorſim, nihil refert: niſi fortè adeſſet ratio peculiaris celebrandi miſſas applicatas pro anima Fundatoris ad deſignatum Altare, eò quod v. g. ſit priuilegiatum.

SECTIO V.

De Obligatione Reſtitutionis ex occaſione Miſſarum Celebrandarum debitæ.

135 *Omittens celebrare Miſſas debitas ex Capellania tenetur poſtea ſupplere.*

136 *Recipiens duo ſtipendia pro eadem Miſſa, vnum reſtituit.*

137 *Celebrans per alium Miſſas à ſe dicendas ex ſtipendio manuenſi reſtituit, quod retinet de ſtipendio accepto.*

138 *Differens nimis Miſſas celebrandas interdum reſtituit ſtipendium.*

139 *Celebrans pro eo, qui primò daturus eſt ſtipendium, aliquando reſtituit ſtipendium.*

140 *Obligatus celebrare in certo loco ob cultum loci, ſi alibi celebret, tenetur ſupplere cultum ibi celebrando tot miſſas, quot omiſit; etſi id forte poſſet negari.*

141 *Obligatus celebrare in certo loco, & applicare ſacrificium pro Fundatore, ſi alibi celebret applicando ſacrificium, ſatisfacit, niſi fundator aliũde damnificatus ſit.*

142 *Obligatus celebrare in tali Altari, ſi celebret alibi, ad nihil tenetur, niſi ſit damnificatus is, pro quo celebratum fuit.*

143 *Si relinquantur Miſſæ dicendæ in omnibus Altaribus priuilegiatis alicuius loci, legatum extenditur ad Altare poſtea erectum: obtento vno Altari priuilegiato, ſed non acceptato aliud poſtea validè obtinetur etiam tacita priori conceſſione.*

144 *Ad nihil tenetur, qui omiſſa Miſſa in ſpecie promiſſa, ſine neceſſitate dicit aliam.*

145 *Item qui per alios celebrat Miſſas, quas per ſe ipſum promiſerat celebrare.*

146 *Item qui promiſerat celebrare pro defuncto cum applicatione Indulgentiarum, & poſtea celebrauit, non applicata Indulgentia at hoc fallit aliquando.*

147 *Item qui tempore belli per aliquos menſes omiſit dicere Miſſas debitas ex Capellania, eo quod non eſſet accepturus ſolitos redditus apellaniæ.*

148 *Obligatus celebrare pro infirmo, ſi is moriatur, antequam celebrentur Miſſæ petitæ pro eius ſanitate, tenetur reſtituere ſtipendium, etſi celebrauerit Miſſas; ſed non ſemper.*

149 *Ad nihil tenetur iuxta aliquos, qui pecuniam datam ad Miſſas celebrandas in cultum alicuius Altaris, expendit in eo ornando.*

150 *Item ad nihil tenetur, qui exigit, ac recipit pro Miſſis ſtipendium maius taxato.*

151 *Prælatus monaſterij tenetur ſupplere Miſſas à ſuo Prædeceſſore omiſſas.*

152 *Si Religioſi iuſſi celebrare Miſſas à monaſterio ſuſceptas ex ſtipendio, tenentur de damno, & in eorum defectum tenetur Prælatus monaſterij.*

QVÆRES I. Ad quam reſtitutionẽ teneatur regularis Cappellanus, q omiſit celebrare miſſas debitas ex inſtitutione Capellaniæ ipſi collatæ.

135 ℟. Teneri celebrare Miſſas, quas omi-

ſit; idqne ex iuſtitia commutatiua quam violauit non celebrando dictas miſſas; vt pote debitas ex contractu innominato *do, vt facias*, inito inter ipſum Cappellanum, & Fundatorem Cappellæ: conſtat autem quod, quandocumque violatur iuſtitia commutatiua, conſurgit obligatio reſtituendi id, in quo illa fuit violata; ac proinde, cum in præſenti caſu fuerit violata per omiſſionem miſſarum, reſtitutio fieri debet celebrando tot miſſas, quot antea omiſſæ ſunt.

QVÆRES II. Ad quam reſtitutionem teneatur Regularis, qui pro vna, ac eadem miſſa plura accepit ſtipendia.

136 ℟. Teneri reſtituere ſtipendia accepta, vnico tantùm retento: idque ex præcepto Sacræ Congregationis in decretis *de celebrat. Miſſarum* editis anno 1625. in §. *deinde*, vbi dicitur; *S. Congregatio ſub obteſtatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint: ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; quin imò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur*. Puto tamen in hoc dari poſſe paruitatem materiæ excuſantem à reſtitutione: vt, ſi quis pro vnica miſſa duplex accipiat ſtipêdium: & hoc ob dicenda *tract. 6. cap. 3. q. 2. §. vtrum verò*.

QVÆRES III. Ad quam reſtitutionem teneatur Regularis, qui, accepto pinguiori ſtipendio pro miſſis celebrandis has facit celebrari ab alijs Sacerdotibus, iuſto ſtipendio ijs ſoluto, & ſibi retento reſiduo ſtipendij illius pinguioris.

137 ℟. Teneri dare Sacerdotibus miſſas illas celebrantibus reſiduum illud ſtipendij, quod ſibi retinuit: idque ex decreto S. Congregationis, quæ in declarationibus Decretorum *de celebrat. miſſ. §. ad nonum* ſtatuit Sacerdotem in propoſito caſu *debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe*. quod tamen intelligi debet cum limitationibus à nobis relatis *tract. 5. c. 3. nu. 22.* ex *Cardinali de Lugo, ac Fraxinello:* vbi etiam dicimus *Bordonum reſolut* 25. *n.* 28. cenſeri in iſto caſu non peccari m. nec adeſſe vllam obligationem reſtituendi, non obſtantibus præfatis decretis *de celebrat. miſſ.*

QVÆRES IV. Ad quam reſtitutionem teneatur Regularis, qui nimis differt celebrationem miſſarum.

138 ℟. Teneri in aliquo caſu reſtituere ſtipendium miſſæ acceptum: vt ſi celebrandum erat pro infirmi alicuius valetudine, & celebratio miſſarum dilata eſt in tempus, quo infirmus iam obierat; quod norant *Cardinalis de Lugo D. 21. de Euchar. num.* 34. alijq; plures DD. à nobis relati in hoc ipſo *cap. nu.* 71. in alijs verò caſibus teneri reſtituere in bonis ſpiritualibus, & quidem illis ipſis, pro quibus miſſæ petitæ. fuerant: vt ſi miſsæ celebrandæ erant pro defunctis, præter debita ſacrificia offerri debent alia ſuffragia precum, indulgentiarum, ac ſimilium; vt aduertimus hic *num.* 73. ex *Fraxinello, ac Petrino*. Quod ſi petens miſſas præciſè intendebat valorem ſacrificij, & eas Sacerdos Regularis nimis diſtulit, hoc ipsò quod illas celebrat, ſatisfacit ſuæ obligationi, nec tenetur ad aliud; vt colligitur ex *Bona, loco inf. citãdo*.

QVÆRES V. An, & ad quam reſtitutionem teneatur Regularis, qui anticipatè celebrat miſsas pro eo, qui primò petiturus eſt miſsas ex ſtipêdio.

139 ℟. Teneri in aliquo caſu reſtituere: vt ſi miſsæ celebratæ ſint pro mortuo, & ijs, pro quo primò petuntur miſsæ, tunc non erat mortuus, &, cum eſſet tunc temporis in peccato m. non obtinuit fructum miſsarum; teneri inquam reſtituere, ſiue iterum pro eo totidem miſsas celebrando, ſiue ſtipendium acceptum reddendo danti. Moueor, quod Sacerdos Regularis in tali caſu perinde habet, ac ſi re vera non celebraſset miſsas, pro quibus accepit ſtipendium; cum is, pro quo celebratæ ſunt, ſine ſua culpa non obtinuerit fructum earum; quatenus ignotans miſsas pro ſe celebrari non curauit per actum contritionis, aut confeſſionem ſacramentalem ſe diſponere ad dictum fructum lucrandum; conſtat autem, quod ſi Sacerdos verè non celebraſſet præfatas miſsas teneretur reſtituere ſtipendium pro iis ſolutum, cum nullum haberet titulum illud retinendi: præterquam quod hic facit regula Iuriſtarum, *Datum ob cauſam, cauſa non ſecuta, poteſt retractari l. ea lege C. de cond. ob cauſ. dat.* quamuis in tali caſu excuſari poſſit Sacerdos à reſtitutione ratione bonæ fidei, eò quod ignoret eum, pro quo miſsæ ab eo celebrantur modo dicto, priuari earum fructu. quę rationes facere poſsunt etiam ad probationem reſponſionis præcedentis.

QVÆRES VI. An, & quid reſtituere teneatur Regularis Cappellanus, qui omiſit celebrare in loco præſcripto à Fundatore Cappellaniæ, cum aliàs habeat libertatem applicandi ſacrificium ad intentionem, quam maluerit.

140 ℟. Teneri ſupplere cultum ſine iuſta cauſa ſubtractum loco, in quo tenebatur celebrare; idq; dicendo ibi totidem miſsas, quot omiſit, non autem alios actus religionis ibi exercendo; nam alterum pro altero, inuito creditore, ſolui non poteſt. ratio autem reſponſionis eſt, quod, cum reſtitutio ordinetur ad reponendam ęqualitatem ablatam per violationem iuſtitiæ, fieri debet reſtitutio in eo, in quo facta eſt inæqualitas: cum ergò in præſenti caſu inęqualitas facta ſit in diminutione cultus diuini præſtandi in loco præſcripto à Fundatore, vt fiat debita reſtitutio, ſuppleri debet cultus modo dicto ſubtractus, & quidem per miſsarum celebrationem, vt iam diximus. Quamquam poſset aliqui dicere, & fortè non improbabiliter, quod, cum in iſto caſu diuinus cultus dici poſſit compenſatus per æqualem diuinum cultum alibi factum, & facta ſit ſolutio per æquipollens (cum Deo ſit æquè gratum vtrunque) nulla alia ſolutio neceſsariò facienda videtur; vel certæ læſio modica cenſeri debet.

QVÆRES VII. An teneatur ad aliquam reſtitutionem Regularis Cappellanus, qui miſsas debitas celebrauit in alio loco, eas tamen applicauit pro Fundatore iuxta præſcriptum fundationis.

141 ℟. *Bonacina D. 4. de Sacra. q. vlt. p. 7. §. 4. n. 5.* quod quamuis *Azorius, Graff. Riccius*, & alij cenſeant talem Cappellanum peccare m. ſi ſepè id faciat, & ſine iuſta cauſa; non videtur tamen improbabile, quod aiunt *Poſſeuinus de off. Curati c. 2. num.* 25. *Fraxinell. de obligat. Sacerd. ſect. 4. concl. 5. §. 3.* & alij tacito nomine

relati

relati ab *Azorio p.2.l.6.c.34.q.7.* videlicet Cappellanum hunc non teneri ad vllam reſtitutionem, niſi fortè quatenus intereſt Fundatoris Miſſam alibi fuiſſe celebratam; vt ſi omiſit celebrare in Altari priuilegiato, in quo tenebatur celebrare, probatur reſponſio tum quia fundator in hoc euentu non priuatur fructu ſacrificij: tum quia etiam debitor pecuniarius, qui non ſoluit in loco debito, non tenetur ad reſtitutionem, niſi quatenus intereſt creditoris ſibi ſatisfactum fuiſſe in loco debito, cum ſic ſoluat ad æqualitatem; idem autem procedit in iſto caſu, quo ad Cappellanum, proportionaliter loquendo, vt patet. Dixi *niſi fortè quatenus intereſt Fundatoris Miſſam alibi fuiſſe celebratam, &c.* vt indicarem in tali caſu reparandum eſſe damnum inde illatum Fundatori (non quidem iterum celebrando totidem Miſſas in Altari priuilegiato, ſed applicando indulgentias, & offerendo alia ſuffragia pro Fundatore iuxta dicta *q.4.*) reparandum inquam, & quidem ſub mortali, niſi paruitas materiæ excuſet: nam in hac re cenſeo poſſe dari grauitatem materiæ, ſicut & in caſu præcedentis reſponſionis; quo modo ſuppletio diuini cultus, de qua ibi, facienda eſſet ſub m. peccato, niſi diminutio illius, attentis concurrentibus circumſtantijs, iudicio viri prudentis cenſeatur leuis.

QVÆRES VIII. An Regularis Capellanus teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſi omittat celebrare in altari præſcripto à Fundatore.

142 ℞. non teneri, niſi quatenus intereſt Fundatoris Miſſam alibi celebratam fuiſſe; ſicuti diximus *q. præcedenti ex Bonacina:* quamuis iuxta dicta in hoc ipſo *cap. num.*80. non deſint Doctores, qui ſuſtineant obligatum celebrare in Altari priuilegiato ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi alibi celebret, adhibita calculo benedicto concedente liberationem animæ è Purgatorio.

143 Qua occaſione moneo, quod ſi Teſtamento relinquatur certa ſumma pecuniæ implicanda in celebrandis Miſſis ad omnia Altaria priuilegiata illius loci; ſi poſtea ibi erigatur nouum Altare Priuilegiatum: probabile eſt etiam hoc Altare comprehendi ſub tali legato; cum ſic Teſtator facilius ſit conſecuturus finem à ſe intentum, nempe liberationem animæ, ſiue ſuæ, ſiue aliorum à Purgatorij pœnis; & alias in eodem ſenſu ſumi ſoleant legata facta pauperibus, itaut in ijs comprehendantur etiam futuri.

Addo, quod ſi altari alicuius Eccleſiæ Regularium obtineatur conceſſio Altaris priuilegiati, inſcijs ipſis Regularibus iiſque illam poſtea renuentibus acceptare, vtpote applicatam Altari ipſis minùs commodo: ij poſtea ſimilem conceſſionem alij altari applicatam validè poſſunt obtinere, etſi nulla mentionem prioris conceſſionis faciant in petitione. Ducor quòd diſpenſatio, donatio, & quodcumque priuilegium non prodeſt, antequam acceptetur ab eo, cui ſuit impetratum à tertia perſona, vt oſtendit *Sanch.l.7.de matr. D.26. num.5. & l.3.D.16. num.6.7. & 8.* cùm ergo prior conceſſio Altaris priuilegiati fuerit nulla, vtpote nondum acceptata, relinquitur locus poſteriori conceſſioni; hacque acceptata à Regularibus præfatis prior conceſſio non eſt amplius acceptabilis ab ipſis; ne alioqui in eadem Eccleſia ſint duo Altaria priuilegiata. ſic ego reſpondi in contingentia facti, & reſponſio fuit approbata à viris doctiſſimis, & maximè à P.Zanetto.

QVÆRES IX. An teneatur ad aliquam reſtitutionem Regularis Cappellanus, ſi dicat alias Miſſas in ſpecie ab ijs, quæ præſcribuntur à Fundatore, & quidem ijs diebus, quibus per rubricas non vetatur celebratio illarum Miſſarum in ſpecie.

144 ℞. Non teneri; cum ſic debitum ſoluatur ad æqualitatem, & conſequenter nulla fiat inæqualitas, quæ debeat reparari per aliquam reſtitutionem; quamuis alioqui *Diana p.3. tract.6. reſol. 62.* dicat Sacerdotem, ſi ſpecialiter promittat dictas Miſſas in ſpecie, teneri ſub veniali promiſſionem implere; addens quod ait *Syluester v. Miſſa 1.nu.11.* Sacerdotem in caſu propoſito peccare m.cum infideliter agat, & non ſatisfacere; tunc ſolum videri admittendum; quando ſtipendium Miſſæ notabiliter augeretur ad effectum vt Miſſæ illæ in ſpecie dicerentur; quod puto non eſſe improbabile, & à fortiori admitteret *Peyrinus*, cum dicat *tom.1. priuil.Conſt.5.Leonis X.num.3.* Sacerdotem dicentem alias Miſſas à præſcriptis peccare in re graui contra fidelitatem, adeoque teneri ad aliquam compenſationem; & ſi alias *Peyrinus* non meminerit de ea limitatione *Dianæ*, ſed abſolutè loquatur, vt vidimus hic *n.79.*

QVÆRES X. An teneatur ad aliquam reſtitutionem Religioſus Sacerdos, qui per alios celebrat Miſſas, quas per ſe ipſum celebrare promiſerat danti ſtipendium pro ipſis, ac multum confidenti de eius probitate.

145 ℞. Non teneri; cum in tali caſu opus operantis non cadat ſub pacto, ſed tantum ſub ſpe; vt hinc patet, quod ſi ille Sacerdos Miſſas per ſe celebraſſet, ſed in peccato mor. nihilominus ſatisfeciſſet ſuæ obligationi ergà petentem præfatas Miſſas, nec ad vllam teneretur reſtitutionem: ſi quidem reſtitutio ſupponit inæqualitatem factam in re alias debita ex iuſtitia; cuiuſmodi tamen inæqualitas in noſtro caſu nulla eſt. Concedo quidem, quod ſi petens Miſſas auctus ſtipendium dediſſet ad illum effectum, ſperans ex opere operantis maius lucrum ſpirituale ſe acquiſiturum, quod non comparaſſet, Miſſis per alios celebratis; tunc facienda eſſet aliqua compenſatio (cum ſic opus operantis eſſet debitum ex contractu oneroſo) hancque alijs precibus, aut operibus bonis; quippequæ in genere ſatiſfactionis, ſeu impetrationis concenſentur eiuſdem rationis.

QVÆRES XI. An teneatur ad aliquam reſtitutionem Religioſus Sacerdos, qui danti ſtipendium pro miſſis celebrandis in ſuffragium defunctorum promittit eas celebrare cum applicatione Indulgentiarum, & eas celebrat abſque tali applicatione.

146 ℞. Quod, cum ad talem applicationem Sacerdos teneatur ſolum ex fidelitate, non autem ex iuſtitia, miſſa ſimplici correſpondente ſtipendio, ex quo ori-

tur

tur obligatio iuſtitiæ: probabile eſt talem infidelitatem fore ſolum culpam venialem & tali obligationi ſatisfieri per applicationem alterius Indulgentiæ plenariæ applicabilis defunctis per modum ſuffragij. Quod ſi Sacerdos tenebatur ex pacto celebrare Miſſas in Altari priuilegiato, & de licentia petentis illas, ne teneretur eas dicere in dicto altari, acceptauit eas celebrare cum applicatione indulgentiæ modo dicto: tunc teneretur ad eiuſmodi applicationem ex iuſtitia, & contractu oneroſo, adeoque peccaret m. omittendo dictam applicationem, vt pote violans iuſtitiam in re graui; & teneretur ad debitam compenſationem faciendam iuxta dicta q. 4 ad quam nō teneretur in priori caſu, cum violatio fidelitatis, quæ ſola ibi interuenit, non inducat obligationem reſtitutionis.

QVÆRES XII. An Religioſus Cappellanus teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſi per plures menſes omittat celebrare miſſas præſcriptas in fundatione, eò quod ex occaſione belli v.g. ipſi non ſoluantur conſueti redditus Cappellaniæ.

147 ℟. Non teneri: & probatur ex doctrina, quam tradit *Garc. p. 3. de benefic. c. 2. nu. 45.* ex 16. grauibus Doctoribus, videlicet beneficiarium non teneri ad horas canonicas, ſi non percipiat vllos fructus, ſaltem diſtributiones, nec per ipſum ſtet quo minus eos percipiat, nec impoſterum percepturus ſit, ſeu ſperet percipere pro eo tempore, ratione fortè belli, vel alia cauſa; cum ſic ceſſet ratio obligationis recitandi diuinum Officium iuxta illud: *Beneficium datur propter officium*; eſt autem eadem ratio de miſſis debitis ex Cappellania, vt patet; ideoque etiam quo ad has pariter philoſophandum eſt.

Quod ſi fortè Religioſus Cappellanus in caſu propoſito celebrauit plures miſſas, durante bello, & poſtea finito bello ei incipiunt ſolui redditus annui Cappellaniæ pro annis ſequētibus poterit omittere Miſſas in compenſationem earum, quas celebrauit tempore belli: quippequi per harum celebrationem ſuæ ſatisfecit obligationi per anticipatam ſolutionem, & anticipata ſolutio non nocet creditori, ſed multum prodeſt.

QVÆRES XIII. An Religioſus Cappellanus teneatur ad reſtitutionem, ſi Miſſas pro infirmo celebrandas ita differat, vt ante earum celebrationem infirmus moriatur, & poſtea pro eo mortuo illas celebret.

148 ℟. *Fraxinellus ſup. concl. 5. §. 1. num. 4.* abſolutè teneri; cum ſic Miſſæ proſint quidem quo ad ſatisfactionem, non autem quò ad impetrationem principaliter intentam à petente Miſſas. At ego puto ſic diſtinguendum eſſe: vel Cappellanus dictas miſſas celebrat per ſe; & ſic admitto reſponſionem *Fraxinelli*; tum ob rationem ab ipſo adductam, tum quia Cappellanus in tali caſu, ſin minus ratione iniuſtę acceptionis, excuſante ipſum bona fide, ratione rei acceptę tenetur, videlicet ratione ſtipendij pro miſſis illis ſoluti, quod ſtante ratione adducta à *Fraxinello* cenſeretur retinere inuito domino iuxta illud, *Datum pro cauſa, cauſa non ſecuta poteſt retractari l. ea lege C. de cond. ob cau. dat.* vel Cappellanus pręfatas miſſas celebrat per alium, bona fide credens id fore gratum petenti illas; & ſic puto non teneri ad vllam reſtitutionem; cum non teneatur, neque ratione iniuſtę acceptionis, excuſante ipſum bona fide; nec ratione rei acceptę, cum rem alienam non habeat apud ſe, vt patet.

QVÆRES XIV. An Religioſus Cappellanus teneatur ad reſtitutionem, ſi ſtipendia tradita pro miſſis celebrandis in cultum, ac venerationem ſuę Capellę, omiſſa celebratione miſſarum, expendat in ornanda, ſeu reparanda ipſa Cappella.

149 ℟. *Fraxin. ſup. §. 5.* non teneri; ſed non probat: videtur autem poſſe probari ex eo quod nihil refert, quid ex ęquipollentibus fiat *C. de inſtit. & ſubſti. l. ſi modo, & C. de donat. quæ ſub modo l. fin.* cedit autem in cultum Cappellę eius ornatus, ac reparatio.

QVÆRES XV. An Religioſus qui pro Miſſis exigit ſtipendium maius eo, quod eſt taxatum ab Ordinatio prohibente, ne maius ſtipendium exigatur ſub pœna reſtituendi exceſſum illius, teneatur ad talem reſtitutionem.

150 ℟. Non teneri, modò petentes miſſas voluntariè dictum ſtipendium, etiam cum eo exceſſu ſoluerint. & ratio eſt, quod lex ſiue pręcipiens, ſiue prohibens nequit ferri in nō ſubditum, vt tradunt DD. communiter: Religioſi autem, cum ſint regulariter exempti ab Ordinario loci, in quo degunt, non ſunt eius ſubditi, ſicque non ſubſunt eius legibus.

QVÆRES XVI. An Pręlatus monaſterij teneatur ad reſtitutionem, ſi eius Prędeceſſor non curauit celebrari miſſas, ad quas monaſterium tenebatur ex legato, ſtipendio &c.

151 ℟. Teneri, ſiue ſupplendo Miſſas antea omiſſas, ſiue reſtituendo ſtipendium acceptum. ratio eſt, quod Pręlatus monaſterij tenetur ſoluere debita contracta à ſuo Prędeceſſore, & non ſoluta (vt probabimus *tract. 9. cap. 5. num. 19.*) obligatio autem celebrandi Miſſas acceptata à Prędeceſſore, & non impleta eſt quoddam debitum contractum, & non ſolutum; ideoque ſoluendum eſt à Succeſſore.

QVÆRES XVII. A quo facienda ſit reſtitutio in caſu, quo Religioſi alicuius monaſterij, iuſſi à Pręlato celebrare miſſas ex ſtipendio debitas, illas de facto non celebrent: num à Pręlato ex bonis monaſterij communibus, vel ab ipſis Religioſis, qui Miſſas omiſerunt, & quidem ex bonis illorum vſibus conceſſis, aut celebrando miſſas iam omiſſas.

152 ℟. *Fagundez prac. 1. Eccl. l. 3. c. 10. num. 5.* loquendo de miſſis, quas Prælati regulares imponunt Religioſis ſubditis pro Fundatoribus Ordinis, ac benefactoribus quod, cum obligatio earum reducatur ad contractum virtualem initum inter Fundatores, & benefactores, ac inter Ordinem; ea erit ex iuſtitia: ideoque Religioſi illam pro parte ſua non implentes tenentur ad reſtitutionem ex violato cōtractu; quippequi hac in re formaliter peccant contra obediētiam, & virtualiter contra iuſtitiam; quatenus Superior potuit obligare eorum voluntates, vt poſe in ipſius voluntate virtualiter contentas: quæ ratiò à fortiori procedit in caſu præſenti, in quo monaſterium obligatur ad miſſas ex contractu oneroſo expreſſè, ac formaliter inito, vt patet. Religioſi ergò ſubditi in hoc caſu tenentur ipſi reſtituere modo ſupra dicto: ſi verò ij non poſſint reſtituere, reſtitutio facienda eſt à Prælato monaſterij

quip-

quippe qnod acquiſiuit ſtipendium Miſſarum illarum, & ratione illius ſe conſtituit quoad eas principalem debitorem.

CAPVT X.

De Obligatione Regularium quoad faciendam Fidei Profeſſionem.

1 *REgulares ex Concilio Trid. & Pij V. bulla tenentur facere Profeſſionem Fidei.*
2 *Et quidem ſub mortali.*
3 *Ea fieri poteſt per Procuratorem.*
4 *Facienda in 4. caſibus, qui referuntur.*
5 *Facienda à prouiſis beneficio parochiali, canonicatu, dignitate, aut Epiſcopatu, & quidem ſub certa pæna, quæ proponitur.*
6 *Promoti ad Epiſcopatum aliàs ad id non tenebantur; at modo tenentur.*
7 *Pæna, ſub qua præcipitur fidei Profeſſio, non incurritur ante ſententiam.*
8 *Parochi amouibiles non tenentur facere fidei Profeſſionem.*
9 *At tenentur electi in Prælatos regulares; idque ex conſuetudine communi; etſi alij id negent, loquentes prout de iure, & ſecluſa conſuetudine.*
10 *Et hoc procedit de Prælatis tum mediatis, tum immediatis; etſi de mediatis ſuſtineri poſſit oppoſitum.*
11 *Facienda Profeſſio fidei iuxta formam præſcriptam à Pio IV.*
12 *Secluſa contraria conſuetudine, tenentur Lectores facere Profeſſionem fidei ſub pæna priuationis gradus obtenti.*
13 *Ea fit quotannis in Societate Ieſu à Lectoribus, & Scholaribus, ſed ex deuotione.*
14 *Facienda à Concionatoribus, ſi iubeantur ab Epiſcopis.*
15 *Semel facienda ab eo, qui ſimul promouetur ad prælaturam, ac doctoratum.*
16 *Bis vero ab eo, qui promotus ad doctoratum poſt aliquot menſes fit Parochus.*
17 *Facienda ab eo, qui prouidetur beneficio aliàs à ſe reſignato.*
18 *Obligatus eam facere debet ſe offerre ad illam faciendam.*
19 *Etſi ſatisfaciat facienda illam merè materialiter.*
20 *Tuncque peccaret ſolum venialiter.*
21 *At non ſatisfacit, ſi in fine Profeſſionis fidei non addat* Ego N. voueo, & iuro, &c.
22 *Quæ verba important Votum, & Iuramentum.*
23 *Datur paruitas materiæ tum quoad tempus faciendi Profeſſionem fidei, tum quoad ipſam Profeſſionem.*
24 *Violat fidei Profeſſionem, qui ea facta voluntariè dubitat de articulis fidei.*
25 *Votum, & Iuramentum, quæ fiunt in fidei Profeſſione non poſſunt cõmutari, aut diſpenſari a priuilegiatis.*
26 *Oſtenditur ad quid obligent verba illa Profeſſionis fidei,* Atque à meis ſubditis, &c.

QVÆRES I. Quo iure teneantur Regulares facere fidei Profeſſionem.

1 ℞. Teneri iure Eccleſiaſtico lato tum in *Concilio Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* vbi ſtatuitur, vt faciant fidei profeſſionem, qui curam animarum ſuſcipiunt habent canonicatus, & dignitates, aut promouentur in Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos: tum à Pio IV. in bulla *Iniunctum* data idib. Ianu. 1564. extendente decretum Concilij ad Prælatos monaſteriorum, & aliorum quorumcumque locorum ſiue regularium ordinum ſint, ſiue militarium: tum à Pio V. in bulla *In Sacroſancta* relata à *Rodriq. tom. 2. q. 72. a. 2.* iubente fidei Profeſſionem fieri ab omnibus Doctoribus, Magiſtris, Regentibus, & alijs cuiuſcumque artis, & facultatis Profeſſoribus, ſiue laici ſint, ſiue regulares, qui docere, aut promoueri voluerint.

QVÆRES II. An hæc obligatio ſit ſub mortali.

2 ℞. Eſſe; cum ſit de re graui, ac ordinata ad finem grauiſſimum, & præſcribatur ſub grauibus pœnis. ita *Sanch. l. 2. mor. cap. 5. num. 1. ex Rodriq. & Ledeſma, Bonac. D. 3. de leg. q. 2. p. 3. num. 14. & 15. Caſtrus Pal. tract. 4. D. 1. p. 19. num. 2.* & alij: quorum aliqui notant apud *Caſtrum Palaum* quod, ſi obligatus facere fidei Profeſſionem, eam omittat intra bimeſtre, tenetur poſtea illam facere quam primum; cum bimeſtre aſſignetur, non ad finiendam, ſed ad ſolicitandam obligationem *c. cum dilectus de dolo, & contumac. & l. celſus ff. de recept. arbitr.* quamquam, teſte *Sanch. nu. 5.* fidei Profeſſio facta poſt bimeſtre non proſit ad fructus ob eius omiſſionem amiſſos, ſed ſolùm ne impoſterum amittantur.

QVÆRES III. An Regularis obligatus facere Profeſſionem fidei poſſit eam facere per Procuratorem, ſi ſit abſens, &c.

3 ℞. Regulariter videri poſſe, niſi obſtet declaratio quædam Sacræ Congregationis (quæ teſte *Naldo v. profeſſio fidei num. 5.* eſt dubia) & probatur, quia communiter quæ quis poteſt facere per ſe ipſum, facere poteſt & per procuratorem, niſi à canone, ac lege prohibeatur *l. 1. ff. de procurat. & reg. 72. de regul. iuris in 6.* ita *Azorius p. 2. l. 7. cap. 2. qu. 6. Zerola p. 2. praxis v. profeſſio fidei, Barboſa de offic. Ep. alleg. 61. num. 20. Nald. ſup.* alijque penes *Sanch. nu. 7.* qui tamen putat ſecus dicendum quo ad eos, qui eliguntur in Epiſcopos, aut transferuntur ad alium Epiſcopatum: hos enim putat teneri per ſe ipſos facere profeſſionem in manu Epiſcopi deſignati à Papa ad talem effectum: idque arguit (& quidem valdè probabiliter) ex verbis bullæ pontificiæ committentis certo Epiſcopo, vt prædictam fidei profeſſionem nomine ipſius Papæ acceptet; quæ ita habent: *Ne propter hoc ad Sedem Apoſtolicam accedendo perſonaliter laborare cogatur: volentes parcere laboribus, & expenſis, fraternitati veſtræ committimus;* vnde ſic differit *Sanchez* ſi fidei profeſſio poſſet fieri per procuratorem ab Epiſcopo electo, non eſſet opus labori, neque expenſis parcere, nec eſſet neceſſe, vt Papa alteri vices ſuas com-

mit-

mitteret ad effectum illam acceptandi nomine ipſius, ſed poſſet epiſcopus Procuratori Romano poteſtatem dare, vt nomine ipſius in manibus Papæ fidei profeſſionem emitteret; ergo, cum Papa in bulla citata illi epiſcopo demandet facultatem acceptandi profeſſionem fidei alterius epiſcopi nomine ipſius, ne accedendo perſonaliter ad Sedem Apoſtolicam cogatur laborare, ac facere magnas expenſas: ſignum eſt præfatam fidei profeſſionem non poſſe fieri ab Epiſcopo electo. Quæ ratio ſine dubio probabilem facit opinionem *Sanchez*; quamuis *Caſt. Pal. ſup. num.* 11. dicat ex verbis ſup. dictæ bullæ minùs ſufficienter colligi Epiſcopum illum electum debuiſſe coram illo alio Epiſcopo deputato facere profeſſionem per ſe ipſum, adeoq; factam per Procuratorem eſſe nullam: cum Papa ibi ſolum præſupponat Epiſcopum ex conuenientia teneri per ſe ipſum facere profeſſionem, ſicque eum diſpenſet in tali obligatione ex ſola decentia proueniente, nullum aliàs verbum ponens, ex quo colligi poſſit dictam profeſſionem non poſſe fieri validè per Procuratorem.

QVÆRES IV. In quibus caſibus teneantur Regulares facere profeſſionem fidei.

4 ℞. Teneri in 4. caſibus; & 1. quidem, ſi ipſis conferatur beneficium parochiale, Canonicatus, aut alia dignitas Eccleſiæ Cathedralis, aut etiam epiſcopatus; idque ex *C. Trid. ſeſ. 24. c. 12. de reform.* 2. ſi eligantur in Prælatos regulares; & hoc ex motu proprio Pij IV. relato *ſup. q.* 1. 3. ſi publicè doceant artes liberales, quomodocumque id faciant; idque ex Conſtit. Pij IV. item relata *ſup. q.* 1. quæ Conſtitutio comprehendit etiam promouendos ad doctoratũ, vel alium gradum: 4. ſi ſint prædicaturum, & de hoc exigantur ab epiſcopo, cui tenentur ſe præſentare; & hoc ex declaratione Sacræ Congregationis relata à *Sorbo in Comp. v. profeſſio fidei §. tertiò notandum.* patet ex dictis tum hic, tum *ſup. q.* 1. magiſque patebit ex dicendis in *qq. ſequentibus.*

QVÆRES V. Sub quibus pęnis, & quo tempore teneantur Regulares facere profeſſionem fidei, eò quod ſint prouiſi beneficio parochiali, Canonicatu, dignitate, aut etiam epiſcopatu.

5 ℞. Si quidem prouideantur beneficio parochiali, teneri à die adeptæ poſſeſſionis ad minùs intra duos menſes profeſſionem fidei facere in manibus epiſcopi, vel certè, eo impedito, coram illius Vicario generali: ſi verò prouideantur de canonicatibus, ac dignitatibus in eccleſia Cathedrali, teneri intra tempus eam facere non ſolum coram epiſcopo, ſed etiam in Capitulo; alioqui prædicti omnes prouiſi fructus non faciunt ſuos, neque ijs poſſeſſio ſuffragatur. Colligitur ex *Conc. Trid. ſeß. 24. c. 12. de refor.* vbi rectè notat *Sanch. ſup. num.* 8. ex *Ledeſma, & Azorio*, non ideo Beneficiarium, qui debito tempore non facit profeſſionem fidei, amittere titulum beneficij: ſi quidem id non exprimitur in Concilio, ſed ſolum ibi ſtatuitur poſſeſſionem beneficij in hoc caſu non ſuffragari quo ad acquirendos beneficij fructus, quamdiu præfata fidei profeſſio non fiat. Vnde infert *Sanch. num.* 9. poſſidentem triennio beneficium titulo colorato, & ſi profeſſionem fidei non emiſerit, iuuari ea poſſeſſione, vt titulus reddatur legitimus, illudque deinceps pacificè poſſit poſſidere iuxta regulam Cancellariæ *de triennali poſſeſſore* cum hic re vera poſſeſſio ſuffragetur quo ad titulum beneficij, vt iam diximus: quod ſolum requiritur ad vſum ſup. dictæ regulæ Cancellariæ.

Maior difficultas eſt, vtrum in ſup. citato decreto *Conc. Tridentini* comprehendantur Epiſcopi, vtpote prouiſi de beneficijs curam animarum habentibus.

6 ℞. *Caſtr. Pal. ſup. num.* 3. non comprehendi; idque colligit tum ex eo quod idem Concilium *ſeß.* 25. *c.* 2. præcipit Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & Patriarchis, vt in prima Synodo prouinciali fidei profeſſionem faciant; quaſi ſic iudicans eos non teneri illam facere dum prouidentur, tum quia iuxta ſup. dictum decretum Concilij, prouiſi de beneficio parochiali debent facere profeſſionem in manu Epiſcopi: quod eſt ſignum ibi ſub nomine prouiſi non comprehendi Epiſcopos; quamquam attenta Conſtit. Greg. XIV. quæ incipit *Onus Apoſtolicæ ſeruitutis*, & indicatur ab Vgol. *de poteſt. Epiſc. c.* 1. §. 3. iam omnes Epiſcopi teneantur facere præfatam fidei profeſſionem, quando promouentur ad epiſcopatum: & quidem iuxta formam traditam in Pontificali Romano auctoritate Clem. VIII. edito *fol.* 79. ſicut inter alios aduertit *Barboſa de off. epiſc. alleg.* 61. *num.* 4.

Vtrum verò Beneficiarius non faciens fidei profeſſionem, intra tempus debitum teneatur ad reſtitutionem fructuum, etiam ante Iudicis ſententiam.

7 ℞. Quod, licet ſententia affirmans ſit ſatis probabilis, eamque ſequantur *Azor. Ledeſma, & Vgol.* allegati à *Caſtro Pal. ſup. nu.* 16. probabilior tamen videtur ſententia negans Beneficiarium in præſenti caſu teneri reſtituere fructus perceptos poſt primum bimeſtre ab adepta poſſeſſione ante ſententiam declaratoriam criminis. Ducor tum quia decretum ſup. dictum Concilij Trid. eſt pænale, adeoq; debet interpretari benignius quo ad fieri poſſit: vt ſcilicet beneficiarius non faciat fructus ſuos, nec poſſeſſio ei ſuffragetur data ſententia declaratoria; ſecùs ante illam (quo modo ſoluuntur rationes in contrarium adductæ ab Aduerſarijs), tum quia quãdo *Concil. Trid.* vult obligare ad reſtituendum in foro conſcientię, non expectata Iudicis ſententia, non ſolum dicit, *fructus non faciat ſuos*, ſed vlterius ſe declarat, vt in *ſeß. 23. c. 1. de reform.* vbi volens obligare non reſidentem ad fructus ſtatim reſtituendos ait: *Statuit S. Synodus eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, detinere poſſe, ſed teneri fabricæ Eccleſiæ, aut pauperibus erogare*; vnde cum in præſentia *Concilium* id non fecerit, mitiùs voluit ſe habere, ac perinde intendit fructus ſolùm eſſe reſtituendos poſt Iudicis ſententiam. ita *Sanch. ſup. num.* 10. cum *Rodriq. & Nauar. Barboſa ſup. num.* 28. *Caſtr. Pal.* ſupra alijque, inter quos *Sanch.* ait in caſu, quo facienda ſit reſtitutio fructuum, eam debere fieri pauperibus aut fabricæ (adde tu cum *Caſtr. Pal. nu.* 19., aut alteri pio loco) & tantùm extendi ad fructus perceptos poſt primum bimeſtre ab adepta poſſeſſione: cũ fructus illius prioris bimeſtris legitimè acquiſiti fuerit, eoſq; beneficiarius iã fecerit ſuos: vnde non eſt, cur dica-

dicamus eos ſubiacere obligationi reſtitutionis, ſub quam non cadunt niſi ij fructus, quos beneficiarius non fecit ſuos: vt clarè colligitur ex Concilio & aduertit *Sanch.loco ſup. cit.* monens dictam obligationem reſtituendi non extendi ad anniuerſaria, aut diſtributiones quotidianas(niſi fortè in ijs ſolis conſiſtant fructus beneficij); hæc enim non ſunt fructus beneficij, ſed miniſterij perſonalis, vt patet: cum tamen *Concilium Trid.* loquatur ſolum de fructibus beneficiis, & aliàs pœnæ debeant reſtringi.

Dubium hic eſſe poſſet, an Regulares, qui eliguntur in Parochos amouibiles, teneantur facere profeſſionem fidei ex vi ſup.dicti decreti *Conc. Trident.* & ratio dubitandi eſt, quod vbi militat eadem ratio, militat & eadem iuris diſpoſitio; ratio autem, ſeu finis, ob quem *Concilium* ſtatuit vt prouiſi de beneficijs quibuſcumq; curam animarum habentibus faciant fidei profeſſionem videtur militare etiam in Parochis amouibilibus, cũ & hi ad tempus habeant ſubditos, in quibus debent conſeruare veram catholicam fidem &c.

8 Verùm quamuis hæc ratio probet Concilium potuiſſe rationabiliter comprehendere ſub præfato decreto, etiam Parochos amouibiles: non probat tamen quod de facto comprehenderit: ideoq; puto, ſecluſa conſuetudine in contrarium legitimè inducta, eos non teneri facere profeſſionem fidei. Moueor, quod Concilium loquitur de habentibus beneficium parochiale faciens fructus, quos proinde iubet reſtitui in caſu, quo omittant culpabiliter fidei profeſſionem: Regulares autem, qui ſunt Parochi amouibiles, non habent beneficium faciens fructus, nec propriè dici poſſunt beneficiarij (vnde nec ſolent vocari Parochi, ſed Cappellani): vt quid ergo debent obligari ad omnia onera Parochorum, cum non ſentiant omnia commoda Parochorum? ita docti Recentiores à me conſulti, & ſatis apertè videtur innuere *Sanch.ſup. num.* 1. dum ait decretum Concilium Trid.non extendi, neque ad prouiſos de canonicatibus, aut dignitatibus in Eccleſia Collegiali(ſi quidem *Concil.* loquitur de Eccleſijs Cathedralibus)neque ad prouiſos de portionibus, aut alijs Cappellanijs in Eccleſijs Cathedralibus (cum in *Concilio* tantùm ſit ſermo de Canonicatibus, ac dignitatibus Eccleſiarum Cathedralium) neque ad eos, qui de beneficijs parochialibus non prouidentur, ſed Epiſcopus eos Parochos conſtituit; vt contingit in diœceſibus, in quibus nulla ſunt parochialia beneficia(eiuſmodi autem videntur eſſe Regulares, qui eliguntur in Parochos amouibiles, vt conſtat ex dictis.)

QVÆRES VI. Vtrum Regulares omnium Ordinum teneantur in præſentia facere profeſſionem fidei, quando eliguntur in Prælatos Regulares.

9 ℞. Quod, quamuis, attenta *Conſt. Pij IV.* relata *ſup.q.*1. extendente decretum *Conc.Trid.ſeſſ.*24.*c.*12. etiam ad Prælatos regulares, teneantur facere profeſſionem fidei, quando conſtituuntur Prælati, ſiue immediati, ſiue mediati, ſiue proprij Ordinis, ſiue alieni; re vera tamen in præſentia non videntur ad id teneri, ſaltem in his noſtris regionibus, eò quod Conſtitutioni Pij IV. legitima conſuetudine fuerit derogatum, aut etiam ea non ſit acceptata, in multis ſaltem Religionibus. ita *Sanch.ſup.num.* 5. *Nald.v. profeſſio fidei num.*3. *Peir.de Rel.Præl.q.*2.*c.*6.*num.*14. *Lezana tom.*2.*cap.*13.*num.*55. *Portel.de dub. Regul.v. profeſſio fidei nu.*1.(quamuis oppoſitum cenſeat probabilius) *Diana p.*3 *tract.*2.*reſ.*78. *Sorbus in Comp.ver. profeſſio fidei* dicens Cardinales, & alios doctiſſimos viros ita conſuluiſſe, alijq; apud ipſos con. vtrunq; *Rodriq. Ricc. Ricciul. Barboſ.* & alios relatos à *Diana, Peirino ſup.nu.*2.& *Caſt.Pal.*abſolutè aſſerentes Prælatos Regulares quorumcumque Ordinum, etiam militarium, teneri facere profeſſionem fidei: tum quia ratio motiua dictæ profeſſionis faciendæ militat etiam in Prælatis regularibus, adeoq; decretum ſup.allatum *Concilij*, cum ſit in fauorem Religionis, potuit ad eos extendi ſecundùm iura communia: tum quia Pius IV. illud expreſsè ad eos extendit, vt iam vidimus; quæ rationes ſine dubio probarent intentum, niſi adeſſet legitima conſuetudo in contrarium: vnde fit, vt, ſi qua in Religione præfata Conſtitutio Pij IV. fuit acceptata, & poſtea non abolita, in ea vtique debeant Prælati Regulares facere profeſſionem fidei; vt in terminis notat *Peirin. loco cit.* dicens tamen ſe credere, quod in nulla ferè Religione ea Conſtitutio nunc ſit in vſu.

10 Dixi ſub principium reſponſionis *quando conſtituuntur Prælati ſiue immediati, ſiue mediati, ſiue proprij Ordinis, ſiue alieni*; vt indicarem, dato quod, Prælati regulares teneantur facere profeſſionem fidei, videri valdè probabile, quod Generales, Prouinciales, & Viſitatores Religionum teneri facere profeſſionem fidei (non autem ſolos Prælatos locales, ac immediatos, qualem *Peirin.ſup.num.*6. putat eſſe etiam Vicarium parui monaſterij): vt pote qui animarum curam habent, adeoque videntur includi in decreto *Conc.Trid.* ſup.adducto. Quamquam non ſine fundamento poſſet aliquis dicere Superiores Religionum mediatos non teneri facere profeſſionem fidei; quippequi ad id non adſtringuntur, neq; ex vi *Conc.Trid.* hic allegati, quod loquitur ſolum de habentibus beneficium curam habens animarum (quale non habent dicti Superiores, propriè loquẽdo, licèt habeant curam animarum); neque ex vi Conſtit.Pij IV. item ſup.relatæ, cum hęc non videatur loqui, niſi de Superioribus immediatis, ac localibus, vt pote quæ ita habet: *Nos volentes, etiam per quoſcumque, quibus de monaſterijs, Conuentibus, domibus, & alijs quibuſcumque locis Regularium quorumcũq; Ordinum, etiam Militiarum quocumque nomine, vel titulo prouidebitur, idem ſeruari* (quod ſcilicet fidei profeſſionem faciant). Vbi noto, quod, cum Prælati monaſteriorum, Conuentuum, domorum, & aliorum quorumcumque locorum propriè ſint, & dicantur ij, qui ſunt Superiores immediati, ac locales, & de his ſolùm loquatur *Conſtit.Pij IV.* , vt conſtat ex verbis illius modò relatis: ſequitur illos tantùm in ea comprehendi, non autem Superiores mediatos, qui propriè non dicuntur Superiores monaſteriorum, Conuentuum &c. ſed vel totius Religionis, ſi ſint Generales, vel totius Prouinciæ, ſi ſint Prouinciales, aut Viſitatores: & hæc, ſtando in rigore iuris, & attenta doctrina, quam tradidimus *c.præce. ſect.*4.*q.*9. quod vbi agitur de obligatione indu-

da,

da, ſtricta debet fieri interpretatio: aliàs enim hac in re puto ſtandum eſſe conſuetudini vniuſcuiuſque Religionis, ſicut in ſimilibus caſibus alibi diximus.

11 Dato autem quod Prælati Regulares teneantur facere profeſſionem fidei, dicit *Peyrin.ſup.num.2.* ex *Nau.Ledeſm.Sà,Rodriq.Barboſ. Portel.* & alijs eos teneri illam facere iuxta formam præſcriptam à Pio IV. intra duos menſes computandos à die electionis: ſi quidē dicti Prælati ſint præſentes in ſuis monaſterijs, ac Prouincijs; ſi verò ſint abſentes, dictos duos menſes computandos eſſe à die obtentæ poſſeſſionis prælaturæ collatæ; teneri inquam, facere dictam profeſſionem fidei coram Capitulo in manibus Superioris præteriti, vel alterius deputandi à Prælato Superiore: & hoc iuxta decretum *Concilij Trid.ſeſſ.24.c.12.* quod ſeruata proportione, ſeruandum eſt etiam inter Regulares Prælatos, dato quod ij teneantur facere profeſſionem fidei, quando eliguntur ad prælaturam.

QVÆRES VII. An, & quando, & ſub qua pęna teneantur Regulares facere profeſſionem fidei, ſi inſtituantur Lectores, Regentes, Magiſtri, Doctores, &c.

12 ℟. Secluſa conſuetudine in contrarium legitimè inducta, teneri ex Conſtitut. Pij IV. quæ incipit *In ſacroſancta*, & quidem omnes, incipiendo à Lectoribus, & Magiſtris Grammaticæ, Arithmeticæ, Muſicæ, & aliarum Artium liberalium vſque ad Lectores Theologiæ: ſiue legant in publicis Vniuerſitatibus, ſiue in priuatis domibus, ac etiam in Monaſterijs ipſorummet Regularium, ſiue cum mercede, ſiue gratis; teneri inquam facere profeſſionem fidei, prius quam ipſis conferatur gradus Lectoris, Regentis, Magiſtri, &c. vel ſaltem antequam illius poſſeſſionem capiant, & hoc ſub pæna priuationis ipſo facto graduum obtentorum contra ipſos lata in præfata Conſtit. Pij IV. non autem ſub pęna excommunicationis maioris latæ ſententiæ (quæ tamen nulli eſt reſeruata) priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, lata item in Conſtit. Pij IV. non quidem contra promotos (vt putat *Rodriq.to.2.q.72.a.2.*) ſed ſolum contra promouentes. ita *Sanch. ſup.num.4. Peyr.n.11.12.14. Caſtr.Pal ſup.n.13. Sorb. loco ſup.cit. Diana p.3.tr.2.reſ.78.* alijque penes ipſos, patetque ex dictis.

Dixi, *ſecluſa conſuetudine in contrarium*; non enim eſt ita certum, quod talis conſuetudo de facto ſit inducta, ſiue quia illa Conſt. Pij IV. non fuerit vſu recepta, ſiue quia iam ſit abolita; imò ita eſſe teſtantur *Sanch. Peyrinus Caſtr.Pal. locis citatis, Garc. de benef.p.3.cap.3. num.4.* & alij dicentes ſaltem in aliquibus Religionibus præfatam Conſt. Pij V. non eſſe in vſu, neque quoad Lectores, Magiſtros &c. quod etiam docet *Suar. de fide D.14. ſect.5.num.2.* ex quo fit, vt inſpiciendum ſit, qui ſit vſus vniuſcuiuſque Ordinis hac in re, & is ſeruandus.

13 Certè in Societ. Ieſu ſingulis annis certo die ſolent ſimul conuenire omnes Sacerdotes, Magiſtri literarum humaniorum, alijſque Scholares, qui ſtudijs vacant, ad effectum faciendi profeſſionem fidei vnà cum Superiore, ſicque in vnum collecti eam faciunt genuflexi in aula publica iuxta formam Pij IV. Superiore eam paulatim ſenſibiliter proferente, & ſubditis idem poſtea paulatim repetentibus voce intelligibili, vſque dum peruenitur ad iuramentum, quod, tacto Euangelio, fit ab vnoquoque illorum ſingillatim coram Superiore ſedente, illud acceptante. Eiuſmodi autem profeſſio, quæ emittitur modo ſupradicto in Societate, eſt mera deuotio: adeoque ſi detur Conſtit. Pij IV. ſupra relatam eſſe vſu receptam in ipſa Societ. non eximit ab obligatione illam iterum emittendi in caſu, quo occurrat nouus titulus eam faciendi; vt ſi quis poſtea eligatur Pręlatus, aut inſtituatur Lector aut Magiſter; is enim tenetur iterum facere fidei profeſsionem æque ac ſi eam non feciſſet modo ſupradicto: idque ob rationes, quas *infra q.9.* aſſeremus in *§. at maior difficultas eſt*.

QVÆRES VIII. Quandonam Regulares teneantur facere profeſſionem fidei ex eo, quod ſunt prædicaturi.

14 ℟. Teneri quandocumque Epiſcopi, quibus tenentur ſe præſentare ſiue ſolum ad petendam benedictionem, ſiue etiam ad obtinendam facultatem prædicandi, prout ſtatuitur in *C. Trid.ſeſſ.5.c.2.* ab illis exigunt vt ſupradictam profeſſionem faciant: idque ex declaratione Sacræ Congr. facta tempore Pij V. & relata à *Sorbo ſup. §. tertio notandum*; quamquam *Peyr. vbi ſup.* cum *Portelo* dicat hoc non eſſe in vſu: vnde & quo ad hoc ſtandum eſt conſuetudini regionum, prouinciarum, ac locorum.

QVÆRES IX. Vtrum ad multiplicationem titulorum, ex quibus fieri debet profeſſio fidei, debeat multiplicari etiam ipſa profeſſio, itaut ſi Regularis eodem tempore obtineat, & beneficium parochiale, & gradum Doctoris, non ſemel, ſed bis teneatur facere profeſſionem fidei iuxta formam Pij V.

15 ℟. Non debere multiplicari, ſed ſufficere vnicam fidei profeſſionem: patetque tum ex eo quod diuerſi illi tituli obligant ad rem omninò eandem, ideſt ad profeſſionem fidei eodem tempore faciendam, ideoque facta fidei profeſſione duplici illo titulo, ſatisfit eiuſmodi obligationi: tum quia profeſſio fidei tunc temporis emiſſa vtique ſatiſfacit alicui titulo, ac proinde, cum non ſit maior ratio, quare potiùs ſatisfaciat vni, quam alteri, dicenda eſt ſatisfacere vtrique: quo modo in caſu, quo præfata profeſſio debet fieri coram Epiſcopo, & Capitulo, ſi ſemel fiat in Capitulo, pſente Epiſcopo non eſt neceſſe, q illa iterum fiat extra Capitulū coram Epiſcopo; cum iam vtrique obligationi ſufficienter ſatisfactum ſit per vnicam profeſſionem modo ſupradicto factam. ita *Caſtr.Pal.ſup.numer.8.* cum *Nau. Rodriq. & Sanch.* contra *Barboſam ſup. alleg.61.num.9.* huic noſtræ ſententię contradicentem.

At maior difficultas eſt, an Regularis, qui modò profeſſionem fidei fecit titulo doctoratus, eam iterare debeat, ſi poſt aliquot menſes eligatur in Parochum, aut Prælatum regularem.

16 ℟. Debere; & probatur, tum quia iura præſcribentia profeſſionem fidei loquuntur generaliter, vt patebit ea legenti; lex autem generaliter

lo-

loquens generaliter debet intelligi, *cap. ſi proponente de reſcript.* & *l. 1. §. generaliter, ff. de legatis præſtan.* tum quia, vbi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus *l. de pretio ff. de publica in rem actione*: adeoq; cũ iura ſup. dicta abſolutè dicant, vt in præfatis caſibus fiat ꝓfeſſio fidei, non diſtinguendo, an facta fuerit ante, aliquo alio titulo, nec ne, neq; nos diſtinguere debemus; tum quia ratio, qua DD. cõmuniter aſſerunt Subdiaconum recens ordinatum teneri incipere recitare Officium ab hora reſpondente tempori, in quo fuit ordinatus, idque, etiamſi ante ordinationem, illam recitauerit (vtpote, qui ante ordinationem non recitauit tanquam publicus Eccleſiæ miniſter) videtur proportionaliter militare in præſenti caſu, quatenus profeſſio fidei facta titulo doctoratus poteſt dici non fuiſſe facta tanquam à prouiſo de beneficio parochiali; cum tamen prouiſus de beneficio parochiali teneatur eam facere. ita *Barboſ. ſup. num. 8. Peirin. ſup. num. 5. Vgol. Azor. & Campan.* apud ipſum *Barboſ.* à quibus non puto ſimpliciter diſſentire *Sanch. ſup. n. 6* vt exiſtimat *Peirin.* ſi quidem *Sanch.* potiùs loquitur in caſu relato *§. praeced.* quo ſimul concurrit duplex titulus faciendi ſupradictam profeſſionem, non autem in quo præfatus duplex titulus diuerſo tempore concurrit, vt in caſu præſenti.

17 Imò *Barboſa ſup. nu. 9.* docet eum, qui eccleſiam parochialem, dignitatem, aut præbendam aliàs ipſi collatam, ac legitimè reſignatam, iterum obtinet teneri iterare profeſſionem fidei: probatque, tum quia approbatus ad parochiam iterum examinari debet, ſi petat admitti ad aliam: tum quia, ſicut profeſſio fidei facta antea ex alio diuerſo titulo nõ prodeſt ad prouiſionem poſtea ſequentem, nec facit, quo minùs debeat iterari, vt iam dictum eſt; ita & profeſſio fidei ſubſecuta in ſimili prouiſione non ſupplet defectum profeſſionis aliàs faciendæ. quo modo etiam *Peirin. ſup.* ait Prælatum regularem teneri facere profeſſionem fidei toties, quoties ad eandem, vel ſimilem, aut aliam prælaturam aſſumitur, quantumuis prima vice eam fecerit; idque ob rationes iam allegatas; quibus accedit declaratio Sacræ Congreg. hoc ipſum expreſsè ſtatuens, quam refert *Garc. de benefic. p. 3. c. 3. n. 18.*

QVÆRES X. An Regulares in caſibus, quibus tenentur facere fidei profeſſionem, debeant illam facere ſpontaneè abſque eo, quod ad id ab vllo impellantur, aut moneantur.

18 ℞. Debere; patetque, tum ex declaratione Sacræ Congreg. quam adducit *Garc. ſup. num. 20.* tum quia *Conc. Trid. ſeſſ. illa 24. c. 12.* vtitur verbo *teneantur*, quod indicat obligationem ſponte adimplendam; vt notauit *Peirin. ſup. n. 9.* addens *n. 10.* Religioſum electum ad prælaturam regularem in abſentia non teneri facere profeſſionem fidei, niſi poſt duos menſes à die poſſeſſionis acceptæ; & hoc, eſtò per ipſum ſtet, quo minùs poſſeſſionem recipiat: id .n. expreſsè habetur in *C. Trid. ſeſſ. 24. c. 12. de refor.*

QVÆRES XI. An Regulares ſatisfaciant præſenti obligationi, ita vt non incurrant pænas latas contra tranſgreſſores illius, ſi profeſſionem fidei debito tempore faciant merè materialiter, nimirum abſque intentione ſe obligandi ad ea, quæ iuxta formam Pij IV. in profeſſione illa promittunt.

19 ℞. Videri ſatis probabile, quod ſatisfaciant, quantum opus eſt ad euitandas pænas latas contra non implentes dictam obligationem. Colligo ex doctrina, quam tradunt *Sà, Sylu. Vict. Alenſ. Gabr. Palud. Can. & Ledeſ.* allegati à Fagund. *p. 2. l. 1. c. 4. n. 4.* illum ſcilicet, qui culpa ſua in Quadrageſima inualidè confitetur, ſatisfacere pręcepto annuæ cõfeſſionis, & euadere cenſuras ſynodales, quæ fortè latæ ſunt contra omittentes cõfeſſionem annuam; quæ doctrina ſi admittatur in eo caſu, vt probabilis (quo modo verè videtur poſſe admitti, & de facto admittitur etiam à *Fagund. n. 5.* aſſerente ſolum oppoſitam, quam ipſe amplectitur, eſſe veriorem, & communiorem) vtiq; admittenda eſt, vt probabilis, etiam in præſenti caſu; cum in hoc locum habeant omnes illæ rationes, quæ pro illo caſu ſolent afferri; quod ſcilicet Eccleſia tantùm poſſit præcipere actum externum; quod Eccleſia præcipiat cõfeſſionem, & non abſolutionem, ita vt abſolutio ſit finis, non materia præcepti annuæ confeſſionis (cũ tamen finis legis non ingrediatur legem;) ſi quidẽ eodem modo dicere poſſumus Eccleſiam in præſenti caſu non poſſe præcipere, niſi actum externum profeſſionis fidei, & intentionem promittendi ea, quæ continentur in forma profeſſionis fidei, nõ eſſe materiam præcepti exigẽtis profeſſionem fidei, ſed finem, qui tamen non ingreditur legem. vnde, cum tunc ſolùm incurrantur pænę latæ contra trãſgreſſores legis eccleſiaſticæ, quando ea non impletur quo ad materiam præceptam (quidquid ſit de impletione finis intenti ab ipſa lege) ſequitur Regulares merè materialiter facientes profeſſionem fidei euitare pænas latas contra non facientes illam, vtpote qui ſic implent legem Eccleſię quo ad materiam, quæ in præſenti caſu importat tantùm recitationem profeſſionis fidei factam coram legitimo Superiore: eſtò non impleant quo ad finem intentum, qui eſt, vt ſic profitens eò magis confirmetur in vera fide catholica, & ſine dubio non impletur hòc ipsò, quod quis fidei profeſſionem facit merè materialiter modo dicto.

20 Imò puto Regularem in dictis caſibus facientem fidei profeſſionem merè materialiter peccare ſolũ venialiter: etſi aliàs fictio in hoc commiſſa ſit de re graui. Ducor, quod non apparet, vnde talis fictio dãnari debeat de mortali: cũ in ea non adſit vlla ratio contractus, aut pręcepti, ſiue poſitiui, ſiue naturalis; eaq; nõ fiat in iudicio, aut materia præiudiciali; vt in ſimili notat *Sanchez l. 3. mor. c. 6. n. 22.* & patet, quia profitẽs fidẽ merè materialiter facit illud totũ, quod ei poteſt præcipi ab Eccleſia; actum ſcilicet externũ iurandi, &c. quamquam poſſet quis dicere præfatã fictionẽ eſſe in materia præiudiciali, ideoq; mortalẽ; quatenus gradus doctoratus, & titulus beneficij cõfertur, ad hoc vt recipiens verã faciat fidei profeſſionẽ; ſicq; violatur pactũ in re graui, ac pręiudiciali: vt ſenſit vir doctiſſimus è Societate; ſuſtinens tamen in tali caſu non incurri pænas latas contrà omittentes fidei profeſſionem.

QVÆRES XII. An Regulares ſatisfaciant præſenti obligationi, ſi in caſibus ſuprà propoſitis fidei profeſſionem facientes in fine formulæ

non addant iuramentum, & votum in ea contenta his verbis *Ego N. voueo, & iuro, ſic me Deus adiuuet*, & hæc ſancta Dei Euangelia, vel certè ſi ea addant, addant ſine intentione vouendi, ac iurandi.

21 ℞. Non ſatisfacere, imò peccare m. ſi profeſſionem faciant in caſu, quo verè ad eam obligentur, & illa ſcienter omittant, nec non incurrere pęnas latas contra omittentes profeſſionem: patet ex eo quod faciens profeſſionem fidei, ſine iuramento, & voto, perinde ſe habet, ac ſi illam nõ faceret; cum votum & iuramentum ſint maximè de ſubſtantia illius; vnde, ſicur omittens profeſſionem in caſu debito peccat m. vtpote violans pręceptum Eccleſię in re graui, & incurrit pęnas inflictas contra omittentes illam: ita & peccabit m. & incurret dictas pęnas, qui facit profeſſionem, omiſſo iuramento, ac voto in fine illius appoſito. Secus, ſi Regulares in caſu debito facientes profeſſionem fidei proferant verba illa *voueo, ac iuro* ſaltem materialiter: ſic enim quamuis peccent ea proferendo ſine intentione ſe obligandi per modum voti, ac iuramenti (vt conſtat ex ratione paulò ante allata) effugiunt tamen pęnas latas contra non facientes profeſſionem fidei in caſu debito, cum reuera faciant profeſſionem in quantum præcipi poteſt ab Eccleſia eo modo, quo diximus *q. præced.*

Vtrum verò verba illa *voueo, & iuro* appoſita in formula profeſſionis fidei habeant vim non ſolùm iuramenti, ſed etiam voti.

22 ℞. Habere; & probatur tum quia verba debent ſemper intelligi ſecũdùm propriam ſignificationẽ, niſi inde ſequatur graue aliquod abſurdum: verba autem *voueo, & iuro* propriè ſumpta important, & votum, & iuramentum, nullumque ſequitur abſurdũ, ergò: tũ quia non eſt credendum in re tanti momenti (cuiuſmodi eſt formula profeſſionis fidei) apposuiſſe verba ſuperflua: quod tamen ſequitur ſi dicatur verba illa, *voueo, & iuro* non importare, niſi iuramentum: tum quia finis intentus ab Eccleſia in præſcribenda profeſſione fidei (qui eſt magis, & magis confirmare fideles in bona fide) oſtendit verba illa debere ſumi vt importantia tam votum, quam iuramentum: cum ſic fideles videntes ſe duplici vinculo adſtrictos, voto ſcilicet, & iuramento, tanto magis vrgeantur ad perſiſtendum in vera fide. ita docti recentiores.

Quod ſi quis hic quærat, an dari poſſit paruitas materiæ in profeſſione fidei facienda, tum quo ad tempus, intra quod facienda eſt: tum quo ad ipſam profeſſionem.

23 ℞. Poſſe dari, & quidẽ etiam quo ad ipſam profeſſionem; ideoque facientem fidei profeſſionem, ſi conſulto omittat exprimere aliquem fidei articulũ (niſi id faciat animo hæretico) implere hanc obligationem: cum talis articulus omiſſus in ipſa fidei profeſſione ſuppleatur per clauſulam illam generalem, quæ extat in formula profeſſionis his verbis: *Cætera item omnia, quæ à Sacris Canonibus, & oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor: ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumq; ab Eccleſia damnatas, reiectas, & anathematizatas ego pariter dãno, &c.* ſic enim omiſſio expreſſionis vnius articuli in particulari videtur leuis materia.

QVÆRES XIII. An dici poſſit violator profeſſionis fidei, qui ea emiſſa voluntariè dubitat de rebus fidei.

24 ℞. Poſſe, dato etiam quod voluntariè dubitans de rebus fidei non debeat cenſeri hæreticus. ducor, quod faciẽs profeſſionem fidei iuxta formã Pij IV. *omnia à Sacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Trid. Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter* recipit, atq; profitetur, ſimulque promittit ſe fidẽ cahtholicam integram, inuiolatãque vſque ad extremum vitæ ſpiritum *conſtantiſſimè* retenturum, & confeſſurum; cum tamen dubitans voluntariè de rebus fidei non poſſit dici, quod indubitanter profiteatur myſteria Fidei, & conſtantiſſimè illa retineat, ac confiteatur, cum dubium hæc duo tollat, vt patet, Dixi *dato etiam quod voluntariè dubitans de rebus fidei, &c.* non enim deſunt DD. qui non improbabiliter ſuſtinent dubitantem voluntariè de myſterijs fidei, nec eſſe, nec poſſe dici hæreticũ; vt videre eſt apud *Sanch. l. 2. in decal. c. 7. nu. 12. Sà v. hæreſis n. 1. Caſtr. Pal. tr. 4. D. 3. p. 2. nu. 8.* & alios; ſed non vacat in hoc immorari.

QVÆRES XIV. An votum, & iuramentũ, quæ iuxta ſupradicta fiunt in profeſſione fidei, commutari, aut diſpenſari poſſint ab habente priuilegium commutandi, & diſpenſandi vota non reſeruata; quale habent Regulares, & ſolet concedi tempore Iubilei omnibus Confeſſarijs approbatis.

25 ℞. Quod licèt tale votum, & iuramentum non ſint ex reſeruatis; nihilominus non videntur poſſe cõmutari, aut diſpenſari à ſup. dictis vi priuilegiorũ, aut Iubilei. Moueor tum quia non apparet, ꝙ poſſit occurrere iuſta cauſa faciendi talẽ commutationẽ, aut diſpenſationem; cum tamen ad has requiratur iuſta cauſa, vt patet; tum quia priuilegia Regularũ, teſte *Sanch. l. 4. mor. cap. 41. n. 13.* non extenduntur ad vota, & iuramenta facta in commodum tertij, & ab eo acceptata; quale eſt votum, ac iuramentum, de quo hic loquimur; quippequod fit in bonum Eccleſiæ, ac fidei catholicæ, quibus proinde præiudicium inferret commutatio, ac diſpenſatio illorum (quod idem dicendum eſt de ſimilibus indultis, quæ ſolent concedi in Iubileis, regulariter ſaltem loquendo:) tum deniq; quia ſub generali conceſſione commutandi, & diſpenſandi vota non videntur venire vota ac iuramenta, quæ veroſimiliter non cõcederentur, ſi in ſpecie peterentur; tale autem videtur eſſe votum, & iuramentum, quæ fiunt in profeſſione fidei: & hoc ex varijs, & grauibus circumſtantijs, quæ in ijs concurrunt, facileque poſſunt occurrere conſideranti. ita ego ſentio, non diſſentientibus viris valdè doctis à me de hoc in ſpecie conſultis.

QVÆRES XV. Ad quid obliget promiſſio illa, quæ fit in profeſſione fidei, ijs verbis *atque à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum.*

26 ℞. Obligare ad hoc, quod profitens fidẽ ex voto, & iuramento tenetur curare, vt eius ſubditi, aut alij, quorum cura ipſi incumbat (quales ſunt Diſcipuli reſpectu Magiſtri, penitentes reſpectu Confeſſarij, auditores reſpectu Concionatoris, &c.

veram

veram fidẽ catholicã integrã, & inuiolatam vſq;ad extremũ vitę ſpiritum conſtantiſſimè retineãnt, doceant, ac prędicent; & hoc docendo, monendo, hortando, arguendo, aliiſque opportunis medijs vtendo; non quidem leuiter, ac ſuperficialiter, tantùm: neque cum ſumma, adeoque extraordinaria diligentia, (non enim præſumendum eſt, quod Eccleſia in hoc velit obligare cum tanto rigore) ſed ea diligentia, quam iudicio viri prudentis, tantæ rei grauitas expoſcit; id quippe videtur iudicari per illa verba *quantum in me erit*: intellige moraliter, & adhibita ordinaria diligentia, qualis tamen in re tanti momenti exigitur; alioqui facientes profeſſionem implicarentur plurimis ſcrupulis, num obligationi contractæ ex voto, & iuramento ſatisfaciant ſufficiente, nec ne, ſicque illaquearentur conſcientiæ timoratæ.

CAP. XI.

De Obligatione, quam habent Regulares, quo ad intereſſendum Proceſſionibus.

1 *REgulares iure eccleſiaſtico tenentur intereſſe Proceſſionibus publicis.*

2 *Et quidem ſub mortali.*

3 *Etſi non peccent ſinguli mortaliter.*

4 *Non tenentur intereſſe de rigore iuris, niſi inuitentur.*

5 *Religioſi aliquorum Ordinum ſunt exempti à Proceſſionibus.*

6 *Qui verò tenentur ad illas, cogi poſſunt ad eas, ſed non cenſuris.*

7 *Parochi tamen, etiam regulares cogi poſſunt, etiam cenſuris.*

8 *Religioſi obligati ad Proceſſiones tenentur ad omnes Proceſſiones publicas.*

9 *Ad illas cogi poſſunt, etſi per aliquod tempus ad eas non conuenerint.*

10 *Publicæ Proceſſiones indici poſſunt ab Ordinario.*

11 *Religioſi interuenturi ad proceſſiones debent ſe transferre ad Cathedralem.*

12 *Sed non ad eam redire agminatim cum Clero, ſecluſa conſuetudine.*

13 *Exempti à proceſſionibus, ſi velint, poſſunt ad eas conuenire.*

14 *In proceſſionibus ſeruandæ ſolitæ præcedentiæ.*

15 *Et, ſi quæ differentiæ in hoc exoriantur, componendæ ab Ordinario.*

16 *Regulares excuſantur à proceſſionibus ratione diſtantiæ, & ex caſu fortuito.*

17 *Item ex paucitate Religioſorum in Conuentu exiſtentium.*

18 *Idque etſi ſint in Conuentu hoſpites, qui ſufficerent.*

19 *Item excuſantur, ſi tot Religioſi tunc ægrotent, vt reliqui non ſufficiant.*

20 *Religioſi excommunicati tolerati poſſunt conuenire ad proceſſiones.*

21 *Quo die conueniendum eſt ad proceſſionem, omitti poteſt miſſa ſolemnis.*

22 *Religioſi non conuenientes ad proceſſiones Rogationum, non tenentur iuxta aliquos dicere litanias; etſi alij oppoſitum ſuſtineant probabilius.*

23 *Et in horum ſententia litaniæ dicendæ ab ijs Religioſis, qui conueniunt ad proceſſionem Rogationum, ſed in ijs non canunt litanias, aut ad eas non attendunt; etſi oppoſitum cenſeri poſſit non improbabile.*

24 *Regulares extrà monaſterium nequeunt facere proceſſiones extraordinarias, quod non admittit Graſſius, ſed minùs benè.*

25 *Conceſſio faciendi proceſſionem certa die non extenditur ad aliam diem.*

26 *Regulares per vias publicas deferre non poſſunt proceſſionaliter cadauer Religioſi defuncti propria auctorit.*

27 *In proceſſionibus deferre debent Crucem cum velo pendente, ſeu pallio.*

QVÆRES I. An, & quo iure teneantur Regulares intereſſe proceſſionibus.

1 ℞. Teneri ex iure Eccleſiaſtico; nimirum ex decreto *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 13.* quod ita habet: *Exempti autem omnes tam ſæculares, quam Regulares quicumque etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, ijs tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt.* Vbi notat *Barboſa de Offic. Epiſc. alleg. 78. nu. 2.* nomine publicarum proceſſionum venire eas, quę fiunt in litanijs maioribus, ac minoribus, in feſto Corporis Chriſti, & (vt loquitur Pius V. in ſua *Conſtit. etſi Mendicantium ordines* edita *17. Cal. Iun. 1567. §. 3.*) vniuerſaliter eas omnes, *ad quas ſecundum conſuetudinem antiquam locorum* Religioſi *ſoliti ſunt accedere, vel pro quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra infideles*, indicuntur; talem autem putat *Barb. ſup.* eſſe etiam proceſſionem, quæ fit imminente peſte, aliove Dei flagello; quæ fit in aduentu noui Antiſtitis, tempore iubilei, aut alia ſimili occaſione: prout expediens iudicauerit Epiſcopus, & poſtulat ratio boni communis; imò *Rodriq. to. 3. q. 36. a. 1.* ex *Cambara* talem cenſet eſſe proceſſionem, quæ fit occaſione aduentus Legati à latere; quæ omnia benè recolenda ſunt Regularibus, vt ſciant ad quas proceſſiones iure teneantur accedere.

QVÆRES II. An Regulares ſub peccato m. teneantur intereſſe proceſſionibus, & quinam eorum cenſeantur peccare in caſu, quo culpabiliter omittant intereſſe proçeſſioni ad quã aliàs tenẽtur.

2 ℞. Peccare m. & quidem non ſolum Prælatos, ſi ſint in cauſa culpabili talis omiſſionis (vndecumque id contingat:) ſed etiam Religioſos ſubditos, qui item culpabiliter ſint in cauſa eiuſdem omiſſionis. Et quidem quod peccet m. Superior, patet ex eo quod deficit in re graui ſpectante ad ſuum munus: cum ſpectet ad ipſum ex officio curare, vt ſubditi impleant omnes illas obligationes, ad quas tenentur, ſiue ex iure, ſiue ex conſuetudine legitimè inducta. Quod verò peccent etiam Religioſi ſubditi, conſtat ex eo, quod culpabiliter omittentes intereſſe proceſſionibus; violant decretum *Conc. Trid.* relatum *ſup. q. 1.* quod vtique eſt de re graui, & conſequenter reddit violationem grauem; præterquam quod, ſi conſtet de tali violatione, (quo modo facilè poteſt conſtare) ea non poteſt non gignere ſcandalum in populis, & offenſionem in Ordinarijs indicentibus proceſſiones: quæ

tamen debent Religioſi cauere, quantum poſſunt.

Vtrum verò peccent ſinguli Religioſi non euntes ad publicas proceſſiones.

3 ℞. Non peccare ſingulos, ſed eos ſolùm, qui aduertunt fore, vt, ſi ipſi omittant ire ad proceſſionē, Conuentus ſimpliciter non ſit interſuturus proceſſioni, eò quod in eo non adſint alij, qui commodè poſſint ire ad eam, vel certè, quod in eo pauci degant Religioſi, vel quia plures eorum ægrotent, &c. & hoc eo modo, quo diximus *cap.8. ſect.1. q.4.* Religioſos non aſſiſtentes Choro non peccare m. niſi quando præuident ex ipſorum defectu recitationē horarum in Choro omninò omittendam eſſe. Vnde, ſi aliqui Religioſi non conueniant ad proceſſionem culpabiliter, & nihilominus Cōuentus illam adeat, illi non peccant: cum obligatio intereſſendi proceſſionibus propriè afficiat Conuentum, non autē ſingulos Religioſos in particulari, niſi quatenus opus eſt, vt iſti tamquam membra Conuentus ad illius impletionem concurrāt; ad quod tamen non requiritur, vt omnes, & ſinguli concurrant, vt patet; ex quo fit, vt, ſi ad proceſſionem conueniant quot iudicio prudentis requiruntur ad verificandum, quod Conuentus inteſt proceſſioni, eò ipsò reſpectu aliorum ceſſet obligatio: qui proinde non peccabunt contra dictam obligationem, etiamſi culpabiliter tunc non eant ad proceſſionem.

QVÆRES III. An Regulares teneantur ire ad proceſſiones, etiāſi ab Ordinario non inuitentur.

4 ℞. In rigore iuris probabile eſſe non teneri: cum in *Conc. Trid. loco cit.* dicatur *Ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur*: quod eſt dicere Regulares non teneri conuenire ad proceſſiones, niſi vocentur ab Ordinario; vt in terminis notauit *Rodriq. to.3. q.36. a.1.* abſolutè dicens Regulares exemptos, ſi non vocentur, nō teneri comparere in proceſſionibus. Verùm, loquendo de proceſſionibus ordinarijs, ad quas Religioſi de iure, aut de conſuetudine tenentur, non videtur neceſſarium, quod ij ab Ordinario ad illas vocentur, niſi vt fiant certiores horæ, qua inchoanda eſt proceſſio: alias enim ſufficit, ꝙ virtualiter vocentur, quatenus ſciunt illam proceſſionem eſſe ordinariam, & ipſos teneri illā adire. ita in terminis *Zerola in praxi epiſ. p.1. v. proceſſiones §. ad tertiū*, vbi hæc habet: *Conciliū dicit, quod debent vocari, & hoc rationabiliter primò non ſolum, vt ſi ire nollent, non excuſarentur, ſed ad hoc vt ſciant horam, qua proceſſio fieri debeat; vel vocari virtualiter, vt quia ſciunt idē eſſe conſuetum, & ſic non opus eſt vocari actu ſemper.* quę doctrina maximè probabilis eſt, & in praxi ſequenda: præſertim, ſi ita ferat loci conſuetudo; cui omninò ſtandum eſt. quamquam, cum communiter Ordinarij ſoleant monere Regulares de certa hora, qua debent conuenire ad proceſſionem, regulariter dici poteſt, quod non eunt ad proceſſiones, niſi vocati, qua de re *Bordonus reſol.7. num.142.*

QVÆRES IV. An Religioſi omnium, & ſingulorū Ordinū teneantur ire ad proceſſiones, exceptis ijs, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo viuunt.

5 ℞. Teneri, niſi ſpeciali priuilegio à tali obligatione fuerint exempti; quale de facto habent communiter Clerici omnes Regulares, Patres ſcholarū Piarum, & Fratres Ioannis Dei, teſte *Gauanto in Enchirid. Epiſc. v. proceſſio n.12.* quod priuilegium non puto cadere ſub generalem communicationem priuilegiorum, adeoque illo non gaudent Religioſi aliorum Ordinūm de priuilegijs Clericorum regularium participantes; vt patet communi experientia, & conſtat ex communi ſenſu omnium Religionum: quæ ſi non ſint ex ſpecialiter exceptis ſine dubio non attentarent vſum talis priuilegij, nec auderent illud ſibi arrogare excipe eos, qui ſunt ex illis Cōuentibus, qui Collegia vocantur, & sūt inſtituti in aliquibus Ordinibus ad alendos Religioſos Scholaſticos, qui in Ordine certis functionū literariarū experimentis ſe in ſtudijs præſtantiores oſtēdunt, maioréq; progreſſū in ijs facturi cenſentur; hi n. à Pio V. in *Conſt.* relata q.1. eximūtur in ſpecie ab onere intereſſendi proceſſionib. vtpote degētes ſub arctiori clauſura, ita ut nec in Choro cātent, nec ad mortuos accedant, ſed tātùm ſtudijs, ac lectionibus vacent, ſicut loquitur ipſemet Pius in dicta *Conſtitutione*.

Addo, quod ſi Regulares modo dicto immunes ab obligatione intereſſēdi proceſſionibus interdum ad eas conueniant, non ideo amittunt priuilegium talis exemptionis, neq; cenſentur cedere iuri ſuo, vt oſtendemus *infra in tract. de priuileg. c.6. ſect.1. qu.17.*

QVÆRES V. An Religioſi non exempti ab obligatione proceſſionum poſſint compelli ad illas, & quidem etiam per cenſuras Eccleſiaſticas.

6 ℞. Poſſe, non tamen per cenſuras Eccleſiaſticas vt infra probabimus in *tract. de priu. loco ſup. cit. §. maius dubium*, & oſtendit *Diana p.3 tr.2. reſol.76. & Portell. ſup. v. proceſſio n.1. in addit.* Addo hìc ſolum quod, ſicut Epiſcopi poſſunt compellere Regulares ad intereſſendum proceſſionibus etiam per pęnas modo ſupradicto. ita & poterunt eos punire, ſi de facto non interſint culpabiliter: alias quippe inutilis, ac iriſoria eſſet comminatio pęnarum, quæ hac in re Epiſcopis conceditur erga Religioſos, ſi ea per ipſos non poſſet mādari executioni, & hoc ſatis clare innuit *Rodr. ſup. a. cit.* ex *Henriquez*.

7 Imò, ſi loquamur de Regularibus habentibus curam animarum: ſicut hi tenentur ire ad omnes proceſſiones, ad quas conueniunt Parochi ſæculares (idque licèt alioqui eſſent ordinis ſpecialiter exempti a proceſſionibus;) ita & poſſunt puniri ab Ordinario, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas æque ac poſſunt alij Parochi ſæculares; patet ex eo quod Regulares, prout ſunt Parochi, in omnibus rebus concernentibus munus Parochiale eadem ratione ſubſunt Ordinario, ac ſubſunt Parochi ſæculares, ac proinde, ſicut hi poſſunt per cenſuras adſtringi ad proceſſiones, ita & per eas adſtringi Regulares curam animarum habentes; vt oſtendemus *infra in tract. de priuil. c.4. ſect.3.*

QVÆRES VI. An Regulares non exempti ab obligatione proceſſionum teneantur abſolutè conuenire ad omnes publicas proceſſiones.

8 ℞. In rigore teneri, niſi conſuetudo legitimè inducta oppoſitum ſuadeat; id enim expreſsè ſtatuitur in *Conc. Trid. loco allegato* per ea verba *ad publicas proceſſiones vocati*: quæ locutio cum ſit indefinita, videtur æquiualere vniuerſali; Dixi, niſi conſuetudo legitimè inducta

oppo-

oppoſitum ſuadeat; quia quo ad hoc non eſt vna, ac eadem omnium locorum conſuetudo, vt patet experientia; ſiquidem alicubi ad proceſſiones, quæ fiunt in litanijs maioribus, aut minoribus non ſolent conuenire Regulares aliàs obligati (vt hic Ferrariæ, vbi hæc ſcribimus) alibi verò etiam Regulares, ſaltem mendicantes conueniunt: quare hac in re ſeruari debet vniuſcuiuſque diæceſis conſuetudo, quæ eſt optima legũ interpres; quò fortè reſpexit *C. Trid.* ideoque non dixit ad omnes publicas proceſſiones vocati, ſed indefinitè ad publicas proceſſiones vocati; quaſi indicans quod, cum propoſitio indefinita in materia contingenti (qualis eſt pręſens obligatio intereſſendi proceſſionibus) non æquiualeat vniuerſali: Regulares obligati ad proceſſiones non tenentur conuenire ad illas, niſi eo modo, quo inualuit vſus illius dięceſis, in qua degunt; qui iuxta dicta poteſt eſſe, imò eſt varius pro diæceſum, ac regionum varietate; quò facit illud: *Cum fueris Romæ, romano viuito more &c.* qua de re *Petrin. tom. 3. priuil. c. 2. num. 29.*

Addit *Moronus reſp. 12. n. 16. ex Villalobos & Fuſco,* Regulares teneri intereſſe ijs ſolùm proceſſionibus, quæ fiunt pro graui cauſa (idq; ex *cap. nimis praua de exceſſ. Prælat.*) & quibus ipſum epiſcopũ adeſſe contigerit; hinc inferens cum eodem *Villalobos*, & *Rodr.* ab Archipresbyteris eccleſiarum Collegiatarũ, aut parochialium in oppidis, vbi non reſident epiſcopi, Regulares non poſſe cõpelli ad dictas proceſſiones.

Difficultas eſſe poſſet, an Ordinarij poſſint compellere Regulares alias obligatos ad intereſſendum alicui illarum proceſſionum, quibus per aliquod tempus conſueuerunt non intereſſe, & quidem ſciẽtibus, & non conſentientibus ipſis Ordinarijs.

9 ℟. Poſſe, niſi fortè Regulares legitimè præſcripſerint contra obligationem conueniendi ad dictas proceſſiones; patet ex eo, quod, ſecluſa præſcriptione (quæ requireret ſpatium 10. annorum) poſſunt Ordinarij vti poteſtate ipſis quò ad hoc conceſſa in *Cõc. Tridentini*, quamuis per aliquid tempus illa noluerint vti, dignas ob cauſas tunc cedentes iuri ſuo; vel certè, ſi quis ſuſtineat eos non poſſe ampliùs vti dicta poteſtate, cauſam debet afferre, cur non poſſint; quæ tamen non videtur poſſe aſſignari, ſaltem quæ ſit firma, & ſubſiſtat.

QVÆRES VII. Quinam poſſint indicere publicas proceſſiones, ita vt etiam Regulares teneantur conuenire ad illas.

10 ℟. Poſſe nõ ſolùm Ordinarios vniuſcuiuſq; dięceſis, ſed etiam, ipſis abſentibus, eorum Vicarios generales; qui etiam debent ſtatuere eccleſias, ad quas dirigenda eſt proceſſio; cum conſilio tamen Capituli, & nõ aliter; pro vt inter alios notat *Barboſ. de offic. epiſc. alleg. 78. n. 4.* cum alijs DD. dicens ita deciſum fuiſſe. Quanquam (vt hic obiter id moneam cũ *Portelo de dub. Regul. v. proceſſiones nu. 10.*) non poſſit epiſcopus conuocare proceſſiones ad eccleſias ipſorũ Regularium inuitis omnium Prælatis: idque ob varias conceſſiones quo ad hoc factas Regularibus, & allegatas ab *Henriq. l. 7. c. 26. n. 5. in comm. lit. g.*

QVÆRES VIII. An Regulares obligati ad proceſſiones teneantur ſe transferre ad Eccleſiam Cathedralem hora ſtatuta, vt inde vnà cum alijs ſuo tempore inſtitui poſſit proceſſio.

11 ℟. Teneri: patetq; tum ex communi praxi: tum quia alioqui magna identidem oriretur confuſio, ſi, ordinata iam proceſſione, modò ſubintrarẽt in eam Religioſi vnius Ordinis, modò alterius: quod tamen neceſſariò eueniret, ſi Regulares non conuenirent ad aliquem locum certum, & omnes in vnum colligerentur: talem autem locum ſine dubio decet eſſe Eccleſiam Cathedralem, aut certè aliam, quæ fortè ab Ordinario deſignetur.

An verò Regulares teneantur eodem modo agminatim redire cum Clero ad Eccleſiam Cathedralem, vnde diſceſſit proceſſio.

12 ℟. Standum in hoc eſſe conſuetudini vniuſcuiuſq; loci, ac diæceſis, quæ non eſt eadem, ſed varia: cum alicubi ſit in vſu, quod vbi proceſſio peruenit ad eccleſiam, ad quam illa ordinata eſt, abſolutis conſuetis precibus ſinguli Ordines Regularium inde ſeparatim ad propria redeant monaſteria: alibi verò tota proceſſio agminatim à loco, ad quem directa eſt, reuertatur ad locum, à quo diſceſſit; vnde fit, vt hac in re certior regula ſtatui non poſſit, quam quod ſtari debet conſuetudini locorum, ac diæceſum, vt iam dictum eſt.

QVÆRES IX. An Regulares aliàs exempti ab obligatione intereſſendi proceſſionibus, poſſint ad eas conuenire, ſi velint.

13 ℟. Poſſe, cum quilibet poſſit cedere iuri ſuo, & nemo inuitus cogatur vti proprio priuilegio, niſi fortè id cedat in præiudicium alterius; non expedire tamen, quod Regulares cedant tali exemptioni, conueniendo ad proceſſiones, niſi fortè occurrente aliquo caſu extraordinario: quo modo Religioſi Soc. Ieſu occaſione ſolemnitatis factæ pro canonizatione SS. Ignatij, & Franciſci Xauerij Romæ, & in multis alijs locis proceſſiones vnà cum Confraternitatibus, & alijs etiam Religioſis inſtituerunt publicas per vias, & plateas: & quidem non ſine laude, ac ædificatione populorum; in caſu quippe extraordinario fieri etiam poſſunt res extraordinariæ. Dixi *non expedire quod Regulares cedant tali exemptioni*, & ita omninò dicendum eſt, quia alioqui ſe exponerent periculo, vel amittendi eiuſmodi priuilegium, vel certè reddendi illius vſum difficiliorẽ, obſtante præſcriptione, quam fortè Ordinarij inciperent prætendere contra ipſos non ſine præiudicio Status Religioſi; quamuis, vt benè aduertit *Portel. ſup. n. 6.*, cum præfata exemptio ſit conceſſa non illi Prælato, aut Monaſterio particulari, ſed toti Ordini, non poſſint dici Regulares renunciare tali exemptioni, etſi ſemel, ac iterum eant ad proceſſiones: ſiquidem nemo poteſt renunciare priuilegio alterius, vt patet.

Addo, loquendo de Regularibus obligatis ad proceſſiones, eos poſſe inducere conſuetudinem non accedendi ad illas: & probatur quia conſuetudine poteſt induci quidquid priuilegio poteſt concedi *Anchar. conſ. 50. Bald. conſ. 49. lib. 1.* & conſuetudine inducitur quidquid ſtatutò poteſt induci *Lapus allegat. 43.* ſicut ergo per priuilegium, & ſtatutum poteſt concedi Regularibus exemptio à proceſſionibus; ſic & hæc concedi poterit per conſuetudinem. ita *Moron. ſup. nu. 34.* addens *num. 35.* ad indu-

cendam talem conſuetudinem peti, vt Regulares debitè vocentur ad proceſſiones, & vocati non accedant, adeoque non ſufficere, quod ij ſimpliciter non accedant, vt colligitur ex *Concil. Trid.ſeſſ.25.c. 13.de Regular.*

QVÆRES X. An Regulares debeant in proceſſionibus ſeruare debitas præcedentias, & quo modo.

14 ℞. Quod, cum præcedentiæ, etiam inter Ordines religioſos ſint licitę(vt mox oſtendemus)eę omninò debent ſeruari in proceſſionibus; & quidem eo modo, quo tradit *Rodriq.ſup.q.37.a.1.* relatis ad id varijs iuribus, quæ videri poſſunt apud ipſum. Et quidem quod licitæ ſint præcedentiæ, etiam inter Ordines Religioſos, probat idem *Rodriq.ſup.a.2.* tū ex eo quod ideo Religiones appellantur Ordines, quia in ijs omnia debent eſſe ordinata; tum quia in quacumque communitate benè ordinata dantur eiuſmodi maioritates, ac præcedentiæ; & quidem etiam in Cælo, vbi ſunt ſedes digniores, & aliæ minùs dignæ.

Quod ſi quæras, ad quem ſpectet componere differentias, quæ occaſione proceſſionum ſuboriuntur inter Clericos, aut Religioſos, vel etiam inter ipſoſmet Regulares diuerſorum Ordinum quo ad præcedentiam.

15 ℞. Spectare ad Epiſcopum ex decreto *Conc.Trident.ſeſſ.25.de regul.c.13.* quod ita habet: *Controuerſias omnes de præcedentia, quæ perſæpè cum ſcandalo oriuntur inter eccleſiaſticas perſonas tam ſæculares, quam Regulares, cum in proceſſionibus publicis, tum in ijs, quæ ſiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda vmbella, & alijs ſimilibus, epiſcopus, amota omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque componat.* ita *Concilium* ſatis clarè, maximè attentis ijs, quæ dicemus infra *tract.de priuileg.cap.6.ſect.4.ſubſect.2. q.2.* & quæ docent *Rodriq.ſup.a.3. Portel.ſup.n.9. Peirin.tom.1.priuileg.Conſtit.2.Sixti IV.nu.58. & Barboſ. ſup.à num.26.* addens *num.27.* in eiuſmodi præcedentijs attendendam eſſe loci conſuetudinem, & quidem etiam obſtante iuris diſpoſitione in contrarium ſtatuentis.

QVÆRES XI. An Regulares aliàs obligati ad proceſſiones excuſari poſſint à tali obligatione ratione diſtantiæ monaſterij, aut alio caſu fortuito ſuperueniente (v.g. ob pluuiam.)

16 ℞. Excuſari: & quidem, quod attinet ad rationem diſtantiæ, patet ex quadam declaratione Sacræ Congreg. relata à *Barboſa ſup. num. 21.* in qua ſtatutum eſt Regulares diſtantes à Ciuitate per dimidiū milliare non teneri, nec poſſe compelli ab Epiſcopo ad intereſſendum proceſsionibus; quod verò ſpectat ad caſum fortuitum pluuię, aut alterius ſimilis, conſtat ex eo quod in tali euentu datur locus Epijchiæ; poteſtque rationabiliter pręſumi Ordinarium non ægrè laturum eorum abſentiam, imò tacitam diſpenſationem quo ad illud pro tunc concedere: cum præcepta humana, maximè Eccleſiæ, cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue, non ſoleant obligare cum tanto incommodo ſubditorum.

QVÆRES XII. An Regulares non exempti ab onere proceſſionum excuſari poſſint ab illis, ex eo quod monaſterium illorum ſit paruum, paucíq; Religioſi in eo ordinariè degant, & quo modo.

17 ℞. Poſſe excuſari, ſi adeo pauci Religioſi degāt in Conuentu, vt decenti numero accedere non poſſint ad proceſſiones: ſic enim declarauit Sacra Congregatio 30. Auguſti 1602. teſte *Barboſa l. 1. de tripl. iur.eccl.c.43.num.165.* *Bordonus* quidem *reſol.7.num. 147.* putat ad talem effectum requiri 12. ſaltem Religioſos.

Dubium eſt, vtrum degentibus in aliquo paruo monaſterio ita paucis Religioſis, vt eorum numerus iudicetur iuxta modo dicta inſufficiens ad obligandum proceſſionibus, teneantur Religioſi dicti Monaſterij intereſſe proceſſioni occurrenti, ſi eo die in Monaſterio adſint plures Religioſi hoſpites, qui conſtituerent numerum ſufficientem ad intereſſendum proceſſioni.

18 ℞. Non teneri: cum ex vna parte Religioſi habitantes in eo Monaſterio excuſentur ob paucitatē eorum; ex alia parte non ſit æquum, vt Religioſi hoſpites, qui non ſunt ſubditi illius Monaſterij, & aliàs ex labore itineris ſunt defeſsi, obligētur ad ſubeundum onus intereſſendi proceſſioni; ex quo ſit, vt illorum præſentia quo ad implendam obligationem proceſsionis ſiet materialiter, adeoque eodem modo Monaſterium excuſetur ab illa, ac ſi non ſuperueniſſent illi hoſpites. ita docti Recentiores à me conſulti, pateťque tum ex dictis; tum quia, ſuperuenientibus hoſpitibus Religioſis non ideo tenentur recitare horas in choro Religioſi habitantes in paruo Monaſterio, ſi aliàs ob paucitatem Religioſorum excuſantur à chori frequentatione; cum tamē par ratio militet in caſu noſtro.

19 Addo quod, ſi fortè in aliquo Monaſterio, vbi degit numerus competens Religioſorum, & conſequenter vrget obligatio conueniendi ad proceſſiones, tot dictorum Religioſorum infirmentur, vt reliqui non expleant numerum ſufficientem ad intereſſendum proceſſionibus: tunc quidem ij excuſautur ab obligatione adeundi proceſſionem, vt conſtat ex dictis hic: debent tamen ſignificare Ordinario cauſam ſuæ abſentiæ, ne alioqui contra ipſos tanquam inobedientes procedat inſcius cauſæ ipſorum abſentiæ; quo modo re vera poſſet procedere, vt iam ſup. dictum eſt.

QVÆRES XIII. An Regularis poſsit, & debeat cum alijs Religioſis ſui Ordinis conuenire ad proceſſionem, ſi fortè eſt excommunicatus toleratus.

20 ℞. Et poſſe, & debere: poſſe quidem ex vi Concilij Conſtantienſis concedentis fidelibus non excommunicatis, vt poſsint communicare cum excōmunicatis toleratis, etiam in diuinis, vt habetur in *Extrauag. Ad euitanda ſcandala, & pericula*; debere verò eo modo, quo *ſup. q. 2.* diximus Regulares teneri conuenire ad proceſſiones. Et certè, quod Regularis excommunicatus toleratus poſſit conuenire ad proceſſiones, probatur, quia ſtante indulto Concilij Conſtantienſis excōmunicati tolerati poſſunt cum alijs fidelibus communicare etiam in diuinis (inter quæ vtique computari debent proceſſiones ratione precum, quę in ijs recitantur, & finis, ad quem inſtituuntur) quotieſcumque ab alijs fidelibus prouocantur, & exiguntur; at Regularis excom-

communicatus toleratus hoc ipſo, quod occurrit dies proceſſionis, & Religioſi ſui Conuentus ad eam vocantur modo ſupradicto, cenſetur & ille ad eam prouocatus, ſaltem interpretatiuè; ergò poteſt ad eam conuenire, cum ſimus in caſu, quo illi fauet indultũ, *Cõcilij* Cõſtantienſ. præſertim cum intereſſe proceſſionibus non concernat fauorem, ſed odium, cum ſit obligatio oneroſa, & quæ ſolet eſſe incommodo Religioſis; vnde ſi ſupradictum Concilium in præfato indulto non intendit vlla ratione fauere ipſis excommunicatis, ſed ſolùm fidelibus non excommunicatis, in præſenti caſu, quo ad hoc habet intentum, vt patet. Quod ſi excommunicatus toleratus poteſt conuenire ad proceſſiones, ergò & debet, eo tamen modo, quo diximus qu. 2.

QVÆRES XIV. An Regulares occaſione proceſſionis occurrẽtis poſſint pro eo die omittere Miſſam ſolemnem in propria Eccleſia, vt ſint expeditiores ad ipſam proceſſionem.

21 ℞. Poſſe, ſi verè occurreret caſus, quo non poſſent æque benè vtrumque præſtare, videlicet canere Miſſam ſolemnem, & eſſe expediti ad proceſſionem; qui tamen caſus vix videtur poſſe contingere, moraliter loquendo: cum Miſſa ſolemnis ea die poſſit anticipari (ſicuti de facto communiter ſolet fieri) ſicque commodè poſſit ſatisfieri obligationi tum Miſſæ ſolemnis, tum proceſſionis. Et quidem quod in caſu propoſito omitti poſſit Miſſa ſolemnis, patet ex eo quod, concurrentibus ſimul duabus obligationibus, ſi vtraque impleri non poſſit, impleri debet illa quæ ſpectatis omnibus circumſtantijs, iudicio prudentis viri cenſetur grauior; at in præſenti caſu grauior eſt obligatio conueniendi ad proceſſionem debita hora, quam celebratio Miſſæ ſolemnis; cum ex negligentia præſtita in adeunda proceſſione maior oriri poſſit offenſio in fidelibus, quam ex ſola omiſſione Miſſæ ſolemnis; ergò ſi qua dictarum obligationum omittenda eſt, hæc potius omitti debet quam illa.

QVÆRES XV. An Regulares, qui in diebus Rogationum non interſunt publicæ proceſſioni, teneantur ſub peccato m. recitare priuatim litanias.

22 ℞. Videri non omninò improbabilem ſententiam illorum recentiorũ, qui exiſtimant cum *Vaſq. Molfeſ. & Macigno* relatis, & non reiectis à *Diana p. 2. tr. 12. reſ. 42.* nõ teneri; id ſibi ſuadentes ex eo quod non debent multiplicari obligationes abſque ſufficienti fundamento: cũ tamen hæc obligatio recitandi litanias in diebus Rogationũ tã maiorum, quam minorum, non videatur niti firmo fundamento; ſi quidem quod afferunt Aduerſarij (quod ſcilicet de tali obligatione fiat mentio in rubricis, & breuiario aſſignantibus recitationem litaniarum tanquam partem Officij illis diebus correſpondentis) non eſt ita certum, ac firmum; eum in ijdem rubricis breuiarij identidem aſſignentur tanquam pars Officij currentis modò pſalmi graduales, modò 7. pſalmi pænitentiales, modò aliæ preces: ad quas tamen non tenentur Regulares poſt reformationem Breuiarij factam à Pio V. (vt concedunt etiam ipſimet Aduerſarij.) Non nego tamen, quin communior, & probabilior ſit ſententia, quam ſequuntur *Suar. Tanner. Bonac. & Gauantus* relati à Diana *reſol. cit.* alijque communiter; probantque tum ex communi ſenſu Eccleſiaſticorum qui tenentur ad recitationem horarum: tum quia in rubrica breuiarij reſpondente diebus Rogationum dicitur præceptiuè; *Hoc triduo qui non interſunt proceſſionibus, dicant litanias cum ſuis precibus, & orationibus*; cum aliàs rubricæ loquentes de recitandis veſperis defunctorum, 7. pſalmis pęnitentialibus, &c. non loquantur præceptiuè, ſed præcisè proponant dicendo, *deinde in choro dicuntur veſperæ defunctorum: hodie dicuntur pſalmi pænitentiales: hodie dicuntur pſalmi graduales.* (quo modo ſatisfit rationi contrariæ opinionis:) tum quia in Conſtitutione Pij V. facta occaſione reformationis Breuiarij excipiuntur quidem 7. pſalmi pęnitentiales, & graduales, aliæque preces aliàs præſcriptæ; non item excipiuntur litaniæ; cum tamen exceptio firmet regulam in contrarium quoad caſus non exceptos.

Difficultas maior eſt, an Regulares, qui interſunt proceſſioni in præfatis diebus Rogationum, ſed non recitant cum alijs Litanias, vel certè ad eas non attendunt; teneantur illas priuatim recitare, ac ſi verè non interfuiſſent proceſſioni.

23 ℞. (Stando in ſententia ſuſtinente litanias debere priuatim recitari à non intereſſente proceſſionibus Rogationum) teneri recitare: & probatur; quia intereſſens proceſſioni, & non canens litanias moraliter non intereſt proceſſioni, cum ad hoc non ſufficiat aſsiſtentia materialis, ſed requiratur aſsiſtentia moralis, qualis in præſenti caſu non præſumitur de eo, qui intereſſens proceſſioni Rogationum non dicit litanias; ſtante quod mens Eccleſiæ obligantis ad proceſſionem eſt, vt qui debent intereſſe, dicant litanias:) ergo tenetur eas priuatim recitare, perinde ac ſi non interfuiſſet: ſiquidem non dicitur præſens, qui ad aliud attendit *l. coram Titio ff. de verb. ſignificat.* Secùs dicendum de eo, qui & intereſt proceſſioni, & ibi dicit litanias, non tamen ad eas attendens; cum enim is iuxta dicta *cap. 8. ſect. 2. q. 19.* dici poſſit ſatisfacere ſuæ obligationi, recitando illis diebus ſine vlla attentione interna: eodem modo dicendus eſt ſatisfacere in præſenti caſu; cum quoad hoc nihil referat, quod eas recitet priuatim, aut in publica proceſſione.

24 Ita docti viri cõſulti, & ſatis probabiliter; quamquam aliquis poſſet ſibi ſuadere etiam oppoſitum eſſe probabile: quia ex vna parte vbi agitur de obligatione imponenda, ſtricta ſemper debet fieri interpretatio, vt non ſemel diximus; ex alia parte ad hoc vt obligati ad recitandum Officium eximantur ab onere recitandi priuatim litanias in diebus Rogationum, nihil aliud requirit Eccleſia, niſi quod interſint proceſſioni; vnde, cum de ijs, qui conueniunt ad proceſſiones, ſed non dicunt litanias, verũ ſit dicere, quod interſunt proceſſioni (quo modò ſecundùm moralem æſtimationem dicuntur intereſſe laici, qui eunt ad proceſſiones, etiamſi non canant; & ad effectum recipiendi diſtributiones dicuntur intereſſe Choro Canonici, licèt non canant, vt oſtenſum eſt *ſup. cap. 8. ſect. 4. qu. 19.*) non video cur ij debeant obligari ad priuatam recitationem lita-

litaniarum, ad quam tenentur ſolùm illi, qui non intereſſunt proceſſioni; præter quam quod intereſſe proceſſioni, & canere litanias in ipſa proceſſione, ſunt res valde diverſæ; vt vel hinc patet, quod laici dicuntur verè intereſſe proceſſioni,& tamen non canunt: adeoque cum Eccleſia vnum exprimat, & non aliud, non debemus præſumere, quod intenderit obligare etiam ad illud aliud, quod non expreſſit; imò iuxta regulam à nobis ſup. allatam ex *Suarez* dicendum, quod ſi etiam intendiſſet illud aliud,expreſſiſſet,& per conſequens hoc ipſo,quod non expreſſit, ſignum eſt, quod illud noluit.

QVÆRES XVI. An, & quo modo poſſint Regulares facere proceſſiones extraordinarias extra proprium monaſterium.

25 ℞. Non poſſe, niſi de licentia Epiſcopi; idque ex declaratione Sacræ Congregationis facta 2. *Iulij* 1620. ita *Barboſ. ſup.n.7. Petr.to.2.priuil. Conſt.7. Pij V.* §.12. *Gau.in enchir. Epiſc.v.proceſſiones num.*48.alijque communiter; quibus addi poteſt *Portel.ſup.n.*8. hac in re dicēs ſtandum eſſe conſuetudini locorum, ac regionum, eſtò aſſerat contrarium ſeruari in Regno Portugalliæ. probatur autem hæc reſponſio, tum ex declaratione Sacræ Congregationis allegata; tum ex communi vſu, ſaltem Italiæ: tum quia non poteſt inſtitui proceſſio, niſi ab habente iuriſdictionem in territorio, Regulares autem non habent iuriſdictionem extra proprium monaſterium, vt patet (intellige, niſi fortè eorum Eccleſia ſit parochialis: in quo caſu ſine dubio poſſunt ordinare proceſſiones intra fines propriæ parœciæ, cum ſic re vera habeant proprium territorium), quamuis *Graſſ.l.*3. *conſ.*10. *de regul. num.*29. dicat Religioſos poſſe proceſſiones facere per 30. paſſus extra ambitum proprij monaſterij; ſed minùs probabiliter, & contra communem vſum: vnde & communiter reijcitur; & hæc de iure communi: ſi quæ enim Regulares habent priuilegia quo ad hoc, ijs poterunt vti, modò non fuerint reuocata, vt aduertit Sacra Congregat. rituum 26. *Febr.*1628. apud *Gauantum ſup. n.*47. addens Regulares poſſe facere proceſſiones, tum intra clauſtra, ſi eorum Eccleſiæ habeant clauſtra, tum prope muros Eccleſiæ, aut etiam exeundo ab vna porta,& intrando per aliam,ſeu per eandem, ſi Eccleſiæ non habeant clauſtra; quæ ſunt valdè notanda pro praxi.

26 Addo, quod ſi Regulares alicuius Ordinis, aut monaſterij peculiare habeant indultum faciendi publicam proceſſionem per vrbem, aut oppidum pro certo aliquo die, aut ſolemnitate: ſi fortè eo die non poſſint ex aliquo caſu fortuito eam facere, non poſſunt propria auctoritate illam protrahere in aliam diem: ſiquidem illa conceſſio eſt alligata certo diei, & limitata; cauſa autem limitata non poteſt producere, niſi effectum limitatum: vnde & talis eſt praxis ferè communis.

Quod ſi quæras an Regulares poſſint per vias publicas proceſſionaliter deferre corpus defuncti Religioſi ſui Ordinis (vt fit aliquando) ſine licentia Epiſcopi.

27 ℞. Non poſſe, ſecluſa conſuetudine in contrarium: de qua mihi non conſtat: & hoc ob rationes ſupra allatas, quę non minùs militant in præſenti caſu, quam quo ad alias proceſſiones, vt patet. excipe,niſi Eccleſia Regularium ſit parochialis: tunc namque per propriam parœciam poſſent inſtituere eiuſmodi proceſſiones, quo pacto inſtituunt occaſione funeris aliorum Parochianorum laicorum.

An verò Prælati regulares poſſint inſtituere proceſſiones extraordinarias intra clauſtra proprij monaſterij præcisè ad effectum, vt fœminæ ingredi poſſint illius clauſtra;patet ex dictis *ſup.c.6.ſect.2.q.*13.§.*difficultas*, ideoque non eſt, cur iterum hic eadem inutiliter repetamus.

28 Addit Gauantus in *rubric.Miſſal.p.*1.*tit.*19. ex decreto Sacræ Congreg. Rituum edito 14.*Ianu.*1617. Regulares in proceſſionibus teneri ferre Crucem cum velo pendente, ſeu pallio: & huc ad indicandam ſubiectionem, ac inferioritatem reſpectu Cleri ſæcularis: non ſecùs ac baculo abbatiali appenditur velum, ſeu ſudarium modo eiuſdem ad differentiam baculi Epiſcopalis: & mulieri datur velamen ſupra caput tanquam indicium ſubiectionis viro.1.*Cor.*10.

CAPVT XII.

De obligatione, quam habent Regulares quo ad procurandam ſpiritualem Proximorum Salutem.

1 *Regulares tenentur vacare ſaluti ſpirituali Proximorum.*
2 *Sed non ſub mortali,neque ex iuſtitia.*
3 *Hæc obligatio non afficit Religioſos Ordinum Monachalium.*
4 *Religioſi Societatis Ieſu ad hoc peculiari ratione tenentur.*
5 *Hæc obligatio confert ad ſpiritualem profectum ipſorum Religioſorum.*
6 *Sicque ſtatus religioſos dici poteſt ſtatus tum perficiendorum,tum perficientium.*
7 *Religio vacans ſaluti Proximorum eſt perfectior ea,quæ vacat ſibi ſoli.*
8 *Religioſi non tenentur gratis vacare ſaluti Proximorum.*
9 *Nec eum periculo vitæ, aut graui incommodo,niſi in extrema neceſſitate.*
10 *Obeunt munus Parochi in extrema neceſſitate, etiam cum graui incommodo.*
11 *Baptiſmum eum periculo vitæ non tenentur miniſtrare, niſi in dicta neceſſitate.*
12 *Tuncque baptiſmum conferre poſſunt,etiam in materia dubia.*
13 *Et quidem in varijs caſibus, qui proponuntur.*
14 *Sacramentum Pænitentiæ cum periculo vitæ miniſtrant ſolum in extrema neceſſitate.*
15 *Audire poſſunt confeſſiones cum periculo pollutionis, ſeclu-*

ſecluſo periculo conſenſus in delectationem.

16 Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare tenentur ex charitate, ſi poſſint.

17 Et quidem ſine ſuo graui incommodo.

18 Sacerdos mutus in graui neceſſitate tenetur miniſtrare Euchariſtiam.

19 Extremam vnctionem item tenentur Regulares miniſtrare in graui neceſſitate, ſi poſſint ſine magna difficultate.

20 Plures Sacerdotes ſimul in aliquo caſu poſſunt miniſtrare morienti Extremam vnctionem.

21 Regulares tenentur aſſiſtere morientibus, ſed non ſub mortali extra neceſſitatem extremam.

22 Non tenentur inſtruere rudiores in rebus Fidei, niſi ad id peculiariter obligentur ex proprio Inſtituto (vt Religioſi Societatis Ieſu)

23 At tenerentur in defectum aliorum.

24 Infideles ſine longiori inſtructione interdum poſſunt baptizari.

25 Regulares non tenentur adire Indias ad diuulgandam Fidem, niſi obligentur ex ſpeciali ſuo Inſtituto (vt Religioſi Societatis Ieſu)

26 Per ſe loquendo, non tenentur adiuuare Parochos.

27 Tempore peſtis tenentur baptizare infantes aliàs morituros ſine baptiſmo, etiam cum periculo vitæ, non item miniſtrare adultis alia Sacramenta.

28 Per ſe loquendo, non tenentur audire confeſſiones Monialium Ordinis non ſui.

29 Confeſſarij Monialium ſui Ordinis cum periculo vitæ regulariter non tenentur ijs dare Sacramenta.

30 Religioſi Mendicantes, ſi iubeantur à proprio Prælato, tenentur cum periculo vitæ miniſtrare fidelibus Sacramenta.

31 Etſi in hoc præcipiendo, aut etiam permittendo cautè, ac prudenter procedi debeat.

32 Religioſi tenentur agere cum excommunicatis, etiam vitandis in bonum ipſorum.

33 Tenentur corripere Proximos, ſeruatis ſeruandis.

34 Correptio non facienda de venialibus; & inter æquales rara eſſe poteſt obligatio corripiendi detrahentem.

35 Omiſſio Correptionis non ita facilè reputari debet mortalis.

36 Non monendus pœnitens in bona fide exiſtens, ſi non ſperetur emendatio.

37 Secùs, ſi ex admonitione ſperetur emendatio.

38 Indicatur modus procedendi cum coniuge, qui contraxit cum impedimento dirimente, & eſt in mala fide.

39 Indicantur item varia remedia, quibus ille vitet redditionem debiti coniugalis.

40 Item oſtenditur, qualiter obtenta diſpenſatione renouari debeat conſenſus coniugum ad validandum matrimonium.

41 Cautè exploranda in hoc caſu bona, aut mala fides coniugum.

42 Laborans ignorantia inuincibili, quæcumque hæc ſit, interdum relinquendus in bona fide.

43 Conſulendum Proximo minus malum ad vitandum maius.

44 Et probatur aſſertio varijs, ac firmis rationibus.

45 Limitatur, niſi maius malum, & minus malum inferri debeant diuerſis perſonis.

46 Etſi limitatio non procedat, ſi conſulendus facturus ſit & maius, & minus malum.

47 Limitanda item aſſertio, niſi conſulendus ſit indeterminatus, an inferat maius malum Titio, & minus malum Caio.

48 Etſi alteri conſuli poſſit minus malum ad vitandum maius; non tamen poteſt conſulens ipſe amplecti, ac exequi tale conſilium.

49 Interdum cum periculo vitæ impedienda mors morituri in peccato mortali.

50 Religioſus iniuſtè inuaſus titulo iuſtæ defenſionis poteſt occidere inuaſorem, etſi ſciat illum eſſe in peccato mortali.

51 Saluo tamen moderamine inculpatæ tutelæ.

52 Regulares tenentur vti regulariter priuilegijs datis ad bonum ſpirituale Proximorum.

53 Tenentur ex charitate plerumque petere facultatem reſeruatorum pro Pœnitente.

54 Non item ſemper abſoluere cum periculo vitæ morientem, qui ſit peccator conſuetudinarius.

55 Non tenentur cum vitæ periculo auferre ignorantiam vincibilem ab eo, qui aliàs eſt in ea perſeueraturus.

56 Ex charitate tenentur operari iuxta opinionem minùs probabilem ab ipſis iudicatam falſam; nec non iuxta opinionem pœnitentis omiſſa propria: tenetur item exponere conſulenti opinionem benigniorem, ſi ipſe oſtendat, ſe id intendere: at non poſſunt mittere conſulentem ad Doctorem ſequentem inuincibiliter falſam opinionem.

57 Interdum tenentur interrumpere Miſſam ad miniſtranda Sacramenta Proximo.

58 Tenentur item ex charitate procurare dotem puellæ periclitantis in pudicitia.

59 Emendare tenentur interdum, etiam ex iuſtitia, quem induxerunt ad peccatum; & in caſu, quo ad id teneantur ſolum ex charitate, tenentur eum emendare in aliquo euentu, in quo alij non tenerentur.

60 Tenentur abſtinere à licitè permiſſis, ſi inde oriturum ſit ſcandalum paſſiuum, ijque ſine graui incommodo poſſint abſtinere.

61 Impedire tenentur peccata Proximorum, ſi commodè poſſint.

62 Tenentur retractare doctrinam falſam ab ipſis traditam, interdum etiam ex iuſtitia.

63 Oſtenditur, qualiter ſe gerat Lector, qui in ſcriptis dictatis inſeruit falſitates aliquas in materia morali, ſiue culpabiliter ſiue inculpabiliter.

64 Tenentur præferre bonum ſpirituale Proximi graue bono temporali proprio leui.

65 Indicatur, quo modo debeant ſe gerere cum pœnitente, in cuius confeſſione audienda commiſerunt aliquem defectum.

66 Tenentur orare pro ſalute ſpirituali vniuerſorum hominum, etiam reproborum.

67 Item tenentur ſuffragari animabus Purgatorij.

QVÆRES I. An, & quo modo Regulares teneantur vacare ſpirituali Proximorum ſaluti.

1 ℟. Teneri, non quidem per ſe, & ex officio, ſeu principaliter, ſed ſolum quaſi miniſterialiter, & in ſubſidium Epiſcoporum; vnde fit, vt poteſtas exercendi miniſteria ordinata ad ſpirituale bonum proximorum iure ordinario ſit in Epiſcopis, in Regularibus verò ſolùm per delegationem, ſiue ab ipſis

Epi-

Epiſcopis, ſiue à Papa vniuerſalis eccleſiæ epiſcopo; in epiſcopis quidem plenariè (vt ita dicam) tum quo ad poteſtatem Ordinis abſolutè, & ſimpliciter, tum quo ad poteſtatem iuriſdictionis, quantum ſufficit ad ordinatiam gubernationem (videlicet cum dependentia à capite, à quo illa iuriſdictio poteſt limitari, pro vt expedit ad ipſammet gubernationẽ); in Regularibus autem ſolùm per participationem: vnde eorum poteſtas non extẽditur ad omnes actus ſpirituali aliorum perſectioni ordinatos; vt vel hinc patet, quod non poſſunt fideles perficere per ſacramentum Confirmationis, nec Sacerdotes conſecrare per ordinationem. ita *Suar. tom. 4. de rel. tr. 10. l. 1. c. 2. num. 8. ex S. Tho. 2. 2. q. 188. a. 4. & Caiet. ibi.*

QVÆRES II. An Regulares teneantur ſub peccato m. procurare ſpiritualem proximorum ſalutem, & ex quo titulo.

2 ℟. Quod, licèt aliqui tacito nomine relati à *Suar. ſup. tr. 8. l. 1. c. 11. num. 9.* putent Religioſos eò ipsò, quod ex vi ſui ſtatus, ac profeſſionis deputantur ad ſpiritualia miniſteria erga proximos, teneri ex iuſtitia ad illa exercenda, & non ex ſola gratitudine, ideoq; per ſe, ac directè peccare m. illa omittendo: ea ratione ducti, quod inter Religionem, & Religioſum intercedat pactum implicitum, vt Religio miniſtret omnia neceſſaria ad vitam; Religioſus verò munus ſuum exequatur: abſolutè tamen, per ſe loquendo, oppoſitum ſuſtinendum eſt, Regulares ſcilicet non teneri ſub mortali vacare ſpirituali proximorum ſaluti, niſi vel in regula extet præceptum ita diſtrictè id præſcribens, vel ſuperueniat pręceptum Prælati regularis ſub virtute Obedientiæ illud imperans. Ratio eſt, quod nullum adeſt fundamentum ſufficiens obligationis adeò grauis; ſi quod enim adeſt, maximè eſt profeſſio religioſa: cum tamen ex vi huius ad nullos actus immediatè ſe obliget Religioſus, niſi ad vota, & ad ea quæ ipſi præcipiuntur ſecundum regulam (quo pacto non obligabitur ad procurãdam proximorum ſalutem vi profeſſionis, niſi quando interueniet præceptum, ſiue Regulæ, ſiue Superioris, vt iam diximus); quod ſi ad illud non obligatur ex vi profeſſionis, nec obligabitur ex iuſtitia, niſi quando Superior rigoroſè præcipiat, ius ſuum exigendo: tunc enim Religioſus peccaret m. non exercendo miniſteria ad proximorum ſalutem ordinata, & quidem con. iuſtitiã ratione traditionis; & pacti, nec non con. virtutem Religionis ratione voti Obedientiæ. ita *Suar. ſup.* monens Religioſum in propoſito caſu poſſe peccare m. ex alijs capitibus nimirum ratione ſcandali, aut propter alia grauia damna, quæ fortè inde ſequantur. Dixi, *& quidem con. iuſtitiam*: intellige, non quidem reſpectu Fundatorum, aut benefactorum Regularibus ſuppeditantium neceſſaria (niſi vbi pactum tale interuenerit) ſed reſpectu Prælati, ſeu religionis, cui religioſus modo dicto ſe tradidit: quãuis, vt benè notat *Suar. loc. cit.* nunquam præſumatur religioſum obligari ex iuſtitia ad exercenda ſupdicta miniſteria, niſi modo dicto interueniat præceptum Superioris; quod tamen regulariter nõ adeſt.

QVÆRES III. An obligatio procurandi ſpiritualem proximorum ſalutem afficiat indifferẽter omnes regulares, & quorumcumque Ordinum.

3 ℟. Non afficere; patetque ex eo quod, cum in Eccleſia ſint Ordines Religioſi, alij Monachales, alij non Monachales: Monachales quidem ſecundum ſuam primariam inſtitutionem per ſe non ordinantur ad ſalutem proximorum procurandam (vt videre eſt, etiam modò in ijs Religionibus, quæ veluti per antonomaſiam dicuntur Monachales, quales ſunt Religio Carthuſienſium, Præmonſtratenſium, & aliæ id genus; quamuis aliquæ earum id non obſeruent omni ex parte); non Monachales verò, ſeu Mendicantes, aut ex prima intentione ſuorum Fundatorum fuerunt inſtitutæ ad procurãdam ſalutem proximorum (maximè Ordo S. Dominici): vel certè ipſo vſu, ac Pontificum approbatione ad idem præſtandum fuerunt aſſumptæ aut extenſæ; cum tamen ex primaria ipſorum inſtitutione non eſſent ad talem finem ordinati (quales ſunt ordo Carmelitarum, ac Eremitarum S. Auguſtini). Vnde fit, vt non omnes Regulares ex ipſorum inſtitutione teneantur vacare ſaluti proximorum; ſed ij ſolum, qui vel ex prima eorum inſtitutione ad id ordinati ſunt (inter quos videntur peculiariter comprehendi Religioſi Societ. Ieſu) vel poſtea temporis progreſſu ad idem ſunt aſſumpti.

4 Cæterùm quod vi proprij inſtituti religioſi Soc. peculiari ratione teneantur ad procurandam proximorum ſalutem, patet tum ex *p. 4. Conſtitut.* dictæ Soc. in proœmio vbi dicitur: *Cum ſcopus, ad quem Societas rectà tendit, ſit ſuas, ac proximorum animas ad finem vltimum conſequendum, ad quem creata fuerunt, iuuare*: tum quia Societas huic muneri ſe peculiariter conſecrat voto ſpeciali, quod emittunt ſolemniter profeſſi 4. votorum, ſe obligantes ad obediendum Papæ in miſſionibus ad ſalutem proximorum, fidei defenſionem, eiuſq; dilatationem ordinatis (quod non facit vlla alia religio): tum denique quia aliæ religiones, etiam mendicantes ita reſpiciunt proximorum ſalutem, vt totum religionis pondus non principaliter eam reſpiciat, ſed valdè ſecũdariò, & quaſi ex abundanti (vt ita dicam) cum in Societate totum Religionis põdus ad eum finem ordinetur ita vt neque illius Prælati ſatisfaciant ſuo muneri, niſi res ad Religionem ſpectantes ita moderentur, vt omnes, quo ad fieri poſſit, ſaluti proximorum incumbant, neque ſinguli Religioſi illius ſuas partes expleant, niſi ſe diſponant ita, vt ſint & apti, & parati ad eandem proximorum ſalutẽ procurandam.

QVÆRES IV. An obligatio vacandi proximorum ſaluti ſit accommodata Statui religioſo, vel aliena, ac parum vtilis.

5 ℟. Eſſe accommodatam, imò & vtilem; probatur tum quia poteſt inſtitui Religio, quæ præcipuè intendat profectum animarum, & fidei propagationem; vt patet in Societ. Ieſu, quam Paulus III. in bulla, quę incipit *Regimini*, ait ad hoc potiſſimum fuiſſe inſtitutam, *vt ad perfectum animarum in vita, & doctrina chriſtiana ad fidei propagationem &c. præcipuè intendat*: cum tamen certum ſit, quod Sedes Apoſtolica non approbaſſet in religionem eam, quæ haberet Inſtitutum à religioſo ſtatu alienum): tũ quia ipſemet Chriſtus Apoſtolos, quos in religioſo ſtatu priùs inſtituit, ad hoc principaliter vocauit, vt eſſent

piſca-

piſcatores hominum; vnde & Chriſtus D. *Luc. 9.* cũ quemdam vocaſſet ad perfectionem dicens *Sequere me*; & ille reſpondiſſet: *Domine, permitte mihi primum ire, & ſepelire Patrem meum*: reſpondit Dominus, *Sine, vt mortui ſepeliant mortuos ſuos; tu autem vade, & annuncia regnum Dei*: indicans propter hoc munus principaliter illum vocaſſe ad ſtatum perfectionis, vt ſcilicet annunciaret regnum Dei: tum quia dato etiam quod de eſſentia ſtatus religioſi ſit eſſe viam, & ſcholam perfectionis acquirendæ, ita vt à tali ſtatu hoc nequeat ſeparari; non tamen ei repugnat, quod ſimul ſit ſtatus perfectionis exercendæ, & cõmunicandæ; præſertim cum ipſa operatio perficiendi alios adeo perfici poſſit, vt multùm perficiat ipſum perfectorem, ſeu cooperatorem alienæ perfectionis. quod probat, obligationem procurandi ſalutem proximorum non eſſe alienam à ſtatu religioſo, neque ipſi pernicioſam; idque, etiamſi interdum de ſubſtantia, ſeu materiali vſu (vt ſic dicam) operum ad propriam perfectionem inſtitutorum aliquid remitti videatur: ſi quidem ex coniunctione ad finem ſalutis animarum, & ex mirabili concentu, ac proportione, quæ ex omnibus illis operibus tali fini commenſuratis conſurgit, nõ ſolum ſuppletur, verum etiam mirè augetur; tantùm abeſt, vt ex fine ſalutis animarum, qui perfectiſſimus eſt, diminuatur fructus, aut perfectio aliorum operum Religionis.

Nec obſtat quod incumbere aliorum ſaluti pertinet ad ſtatum perficientium (qualis eſt ſtatus epiſcopalis) adeoque non videtur finis accommodatus ſtatui religioſo, qui, teſte *S. Dioniſ. cap. 6. de eccl. hier.* eſt ſtatus perficiendorum, non perficientium; cum tamen hoc ipſo quod quis excedit limites operandi vltra menſuram proprio ſtatui accommodatam, eò ipsò deficiat à perfectione ſui ſtatus, vt pote ſe exponens grauioribus periculis, & quidem etiam amittendi vitam ſpiritualem.

6 ℞. Enim quod, licèt ſtatus religioſus ſit ſtatus perficiendorum, cum ſit perfectionis ſchola: hoc tamen non facit, quin ſimul etiam poſſit eſſe ſtatus perficientium; cum re vera in Religione eſſe poſſint, imò frequenter adſint multi iam perfecti: qui perinde principaliter, & quaſi vltimatè intendere poterunt ea opera, quæ virum perfectum requirũt: qualia vtique ſunt, etiam illa, quæ circa proximorum ſalutem exercentur: maximè cum hoc ipſum non parum iuuare poſſit ad acquirendam perfectionem propriam; vt dictum eſt §. *præcedenti.*

QVÆRES V. Quæ Religio ſit perfectior; illa ne, quæ vacat ſibi ſoli, an ea, quæ vacat & ſibi, & Proximorum ſaluti.

7 ℞. Eſſe perfectiorem eam, quæ vacat & ſibi, & proximorum ſaluti. ita *S. Tho. 2. 2. q. 188. a. 6.* & *Caiet.* ibi alijq; plures apud *Suar. ſup. tr. 9. l. 1. c. 6. num. 8.* & probatur tum ex *cap. licet §. ſi verò de Regularibus*, vbi hæc habentur; *Illa regula obſeruata, vt nullus ſine licentia Rom. Pont. præſumat occaſione quacumq; deſerere præſulatum, quoniam, ſicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas ſpeciali vtilitati præfertur, & in hoc caſu rectè præponitur doctrina ſilentio, ſollicitudo contemplationi, & labor quieti*; tum quia Religio profitens vitam mixtam (qualis eſt quæ vacat & propriæ, & proximorum ſaluti) includit totam perfectionem vitæ contemplatiuæ, & in nullo eam diminuit, ſed potius auget, vt iam oſtendimus, *tract. 1. cap. 3. num. 69.*

QVÆRES VI. An Regulares teneantur vacare Proximorum ſaluti gratis, & abſque vlla mercede.

8 ℞. Non teneri; quamuis glorioſum valdè, ac dignum eſſet id facere, vti de facto obſeruatur in Soc. Ieſu, ſicut diximus *ſup. cap. 9. ſect. 5. q. 1.* vbi oſtendimus Regulares poſſe licitè recipere ſtipendium debitum non ſolùm pro ſacrificio Miſſę, ſed etiam pro prædicatione, auditione confeſſionum, alijſq; miniſterijs, quæ in bonum ſpirituale proximorum exerceant.

QVÆRES VII. An, & quando Regulares teneantur vacare proximorũ ſaluti, etiã cum graui eorum incommodo, imò & periculo propriæ vitæ.

9 ℞. Non teneri, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. ita *S. Tho. ſup. q. 26. a. 5. ad 3. Nau. c. 24. n. 12. Coninch. de fide ſpe, & charitate D. 25. d. 7. num. 96. Val. Suar. Sà. & Bonac. apud Caſtr. Pal. tr. 6. D. 1. p. 9. num. 9.* & patet tum quia non decet ſuauitati legis euangelicæ ob neceſſitatem proximi, à qua ille poteſt ſe ipſum liberare (quo modo ſemper poteſt extra caſum extremæ neceſſitatis) re eſſe adſtringendum ad ei ſubueniendum cum periculo propriæ vitæ: tum quia iuxta dicta *q. 2.* Regulares non tenentur procurare ſalutem proximi ex iuſtitia: (quo pacto tenentur Parochi reſpectu ſuorum ſubditorum) ſed ſolùm ex charitate: charitas autem non obligat ad ſuccurrendum proximo in ſpiritualibus cum periculo propriæ vitæ, niſi in caſu extremæ neceſſitatis; vt iam dictum eſt, magiſque conſtabit ex dicendis infra in qq. ſequentibus.

QVÆRES VIII. An Regulares poſſint cogi ad ſuſcipiendum munus parochiale, illudque teneantur ſuſcipere, & quando.

10 ℞. Iuxta dicta *q. præced.* nõ teneri ſuſcipere cum periculo propriæ vitæ, aut alio graui damno, niſi in caſu extremæ neceſſitatis ſpiritualis: & hoc ob rationes adductas *q. præced.* ſi verò tale munus obire poſſint abſq; incommodo ſuo notabili, teneri ex charitate illud ſuſcipere, etiam in graui neceſſitate; patet ex eo, quod quilibet Chriſtianus in tali caſu tenetur ex lege charitatis ſuccurrere proximo ſpiritualiter laboranti, vt benè probant DD. apud *Caſtr. Pal. ſup. nu. 11.* ergò multò magis ad id tenentur Regulares, maximè Ordinum Mendicantium, qui inſtituti ſunt in Eccleſia, vt ſuppetias ferant epiſcopis, & Parochis. vt diximus *ſup q. 1.* & alias tenentur ad maiorem perfectionem charitatis.

QVÆRES IX. An, & quando teneantur regulares miniſtrare Sacramentum Baptiſmi, etiam cum periculo propriæ vitæ.

11 ℞. Teneri in caſu extremæ neceſſitatis: vt ſi contingat filium infantem parentis chriſtiani morti proximum eſſe, & non adeſſe alium, qui velit, & poſſit illum baptizare; ſic enim eſt in extrema neceſſitate ſalutis ſpiritualis, à qua ille non poteſt ſuis viribus ſe liberare: adeoque vrget præceptum charitatis, vt patet; quamquam *Sanctus in ſelectis D. 10. num. 9. Sotus*, & alij relati à *Diana p. 5. tr. 3. reſ. 16.* cum

Sà

Sà v. charitas num. 4. reputent probabile non teneri, quemquam in hoc caſu conferre baptiſmum cum periculo propriæ vitæ (intellige, niſi ſit Parochus infantis baptizandi) ea ducti ratione, quod alioqui etiam mater grauida teneretur permittere ſe ſecari, vt filius in vtero exiſtens baptizaretur, ne aliàs ſine baptiſmo moreretur: quod tamen omnes negant, & benè. Contra *Sà* communiter ſentiunt alij DD. *Nau. Suar. Coninc. Val. Lorca, & Bonac.* quos refert, & ſequitur *Caſtr. Pal. ſup. n.* 5. addens, quod licèt non conſtet inter DD. an filius ethnici, inuitis parentibus, poſſit baptizari in caſu propoſito, communior tamen ſententia habet, quod poſſit, dum modo abſque vi illata parentibus, & graui ipſorum perturbatione id fieri queat: idque ob rationes à nobis afferendas infra in *tract. de priuil. cap.* 3. *ſect.* 1. quas afferunt DD. relati à *Diana p.* 5. *tr.* 3. *reſol.* 10.

Difficultas grauior eſt, an deficiente aqua naturali in caſu propoſito poſſit, & debeat conferri baptiſmus cum aqua roſacea, ſeu ex alijs herbis, aut floribus expreſſa, appoſita tamen conditione, *ſi hæc materia eſt idonea.*

12 ℞. *Io. Præpoſitus in* 3. *p. q.* 66. *a.* 4. *n.* 22. quod, cum Baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, ſi occurrat extrema neceſſitas baptiſmi alicui conferendi, vtpote aliàs ſine eo morituro (qualis euenit in caſu noſtro) poſſet baptiſmus ei conferri in materia dubia, deficiente indubitata: cum ſic nulla irreuerentia cenſeatur irrogari Sacramento, quod Proximo alioquin morituro per medium etiam dubium ſuccurratur, & de cætero charitas in tali circumſtantia obliget, vt adhibeamus omne medium, quo Proximo extremè laboranti ſubueniatur: vnde fit, quod etſi aliqua ſecundùm communiorem DD. ſententiam non ſint materia conueniens baptiſmi: quia tamen de quibuſdam aliqui dubitant, vt de aqua roſacea &c. in extrema neceſſitate, deficiente materia certa, licitum eſt vti illis in baptiſmo; quamquam, ſublato periculo, baptiſmus eſſet poſtea repetendus, ſaltem ſub conditione, ita *Præpoſitus*, & cum illo *Putcanus, Tanner. & Chamerota* relati à *Diana p.* 5. *tract.* 3 *reſ.* 1. quam probabiliter, alij iudicent; Vnum tantum hinc ego infero, quod ſi detur licitum eſſe in caſu extremæ neceſſitatis baptizare in aqua dubia modo ſupradicto; vtique & dandum eſt fideles in dicto caſu teneri conferre baptiſmum in dicta aqua; idque ex præcepto charitatis, vt innuit *Præpoſ. vbi ſupra.*

Hinc patet, quid dicendum ſit quo ad varias quæſtiones, quæ inter DD. fieri ſolent de collatione baptiſmi; v. gr. an deficiente aqua naturali in extrema neceſſitate conferri poſſit baptiſmus cum glacie, rore, ac niue nondum reſolutis: an poſſit conferri in qualibet minima parte corporis, vt in capillis, vnguibus, aut etiam ſecundinis, quibus infans inuoluitur in vtero matris; an ſufficiat ad validè baptizandum vnica aquæ gutta; an validè poſſit infans baptizari, adhuc exiſtens in aluo materna, & quidem etiam in vmbilico: an liceat infantem proijcere in puteum, aut flumen ad effectum illam baptizandi, ſi iam agat animam, & alioqui ſine baptiſmo deceſſurus ſit, an conferri poſſit baptiſmus per ſolam aquæ aſperſionem; an validus eſſet baptiſmus in caſu, quo vnus proferret formam de longinquo, & alius propinquus infanti, eum aqua ablueret, ignorans formam, &c.

13 ℞. Enim quod, ſi in ſupradictis caſibus ſuſtineamus validè conferri baptiſmum, quoties vrget extrema neceſſitas, & ad cautelam apponitur conditio, ſiue exteriùs ſiue mentaliter; quo modo reuera ſuſtinent quo ad ſingulos caſus propoſitos non pauci DD. & quidem valdè docti (vt videre eſt apud *Dianam p.* 5. *tract.* 3. *reſol.* 3. 4. 5. 12. 14. 15. 19. & 26.) ſine dubio dicendum eſt ex præcepto Charitatis in præfatis caſibus non ſolum poſſe, ſed etiam debere conferri baptiſmum, illum poſtea reiterando ſub conditione eo modo, quo diximus *§. præcedenti.*

QVÆRES X. An, Regulares teneantur miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ etiam cum periculo propriæ vitæ, extra caſum extremæ neceſſitatis.

14 ℞. Non teneri: & probatur tum ex dictis *q. præc.* tum quia, ſi cuilibet petenti abſolutionem, ea cum periculo deberet impendi, ne ob defectum contritionis pereat in æternum; quilibet Sacerdos tempore peſtis, & inuaſionis hoſtilis, deficientibus Parochis, teneretur cum periculo propriæ vitæ ſic oppreſſis conferre Sacramenta, neque poſſet fugere, etſi non eſſet Parochus: quod tamen communiter negant Doctores, & omninò negandum eſt: ſed de hoc *infra q.* 25.

Addo obiter ex *Auerſa q.* 16. *de pænit. ſect.* 11. & *Diana p.* 8. *tr.* 7. *reſol.* 90. Regularem approbatum ad confeſſiones non peccare mortaliter, etſi nunquam excipiat confeſſiones (intellige ſecluſo debito obedientiæ, aut charitatis) quod eſt contra *Bordonum reſol.* 34. *q.* 21. *nu.* 60. ſuſtinentem Religioſum in tali caſu peccare mort. eo quod videatur negligere munus audiendi confeſſiones, & negligentia teſte *gloſſa in cap.* 3. *de offic. Archidiac.* ſit peccatum mortale in ijs, quæ quis ex officio tenetur facere.

Dubitari hic poſſet, an Regulares teneantur audire confeſſiones eo genere obligationis, quo diximus: etſi ex earum auditione præuideant ſe non leuem paſſuros eſſe pollutionem.

15 ℞. Quod, cum in propoſito caſu poſſint audire confeſſiones (vt eruditè probat *Sanch. l.* 9. *de matr. D.* 45. *num.* 4. ex eo quod ſic potiùs patiantur pollutionem, quam agant, & ius ſuum proſequenti imputari non debeat effectus ſubſecutus per accidens, ac præter intentionem; qualis eſt pollutio proueniens ex cauſa licita (cuiuſmodi eſt auditio confeſſionum) ſequitur quod etiam teneantur audire, non obſtante dicto periculo pollutionis: dummodo tamen non adſit periculum conſenſus in delectationem pollutionis: quo caſu, quantumuis licita ſit cauſa, ab ea ſub culpa m. abſtinendum eſt, vt rectè monet idem *Sanch. num.* 6. quamquam de Religioſo timoratæ conſcientiæ vix timeri poſſit tale periculum; quippe qui non ſponte, ſed ex obedientia ſe exponit audiendis confeſſionibus, ideoque probabiliter ſperare poteſt diuinum auxilium ipſi non defuturum, & conſequenter ſe

in

in præfatam pollutionis delectationem non conſenſurum.

QVÆRES XI. An, & quando teneantur Regulares adminiſtrare Sacramentum Euchariſtiæ.

16 ℞. Teneri ex lege charitatis in ijs caſibus, in quibus poſſunt; adeoque cum iuxta dicenda infra in *tract. de priuileg. cap 3. ſect. 3. q. 9.* poſſint in aliquo caſu Euchariſtiam miniſtrare etiam per modum viatici laicis exiſtentibus in probabili periculo mortis, teneri tunc maximè illam adminiſtrare, ſi abſque notabili incommodo id præſtare poſſint; quamuis valdè rarò euenire poſſit, vt illi peccent mort. ex eo quod omittant miniſtrare etiam exiſtentibus in periculo mortis. Ratio reſponſionis eſt, quod lex charitatis obligat ad ſubueniendum proximo indigenti, quotieſcumque poſſumus id præſtare ſine noſtro incommodo; imò & cum leui aliquo incommodo, ſi Proximus grauem patiatur neceſſitatem: cum vnicuique de proximo ſuo mandauerit Deus; & quidem maximè, ſi neceſſitas grauis, quam patitur Proximus, ſit ſpiritualis, quæ cum ſit bonum Superioris Ordinis, præferri debet cuilibet iacturæ temporali leui; talis autem eſt neceſſitas, quam fortè pateretur is, de cuius ſalute ſpirituali valdè dubitaretur, ſi contingeret eum mori ſine Viatico. Quod tamen, cum valdè rarò videatur poſſe contingere, ideo diximus etiam rarò poſſe contingere, quod Religioſus peccet m. ex eo præcisè quod non miniſtrat Euchariſtiam habenti grauem neceſſitatem illius, cum poſſit id facere ſine notabili ſuo incommodo.

17 Dixi *ſine notabili ſuo incommodo*, vt indicarem, quod ſi præſtare non poſſet, niſi cum graui ſuo periculo, ad id non teneretur ſub peccato mor. (niſi eſſet Parochus, qui ſuis Parochianis magnam neceſſitatem habentibus Euchariſtiæ tenetur eam miniſtrare, etiam cum periculo propriæ vitæ, vt videre eſt apud *Dianam p.3.tract.4.reſ.174.*) Et quidem, quod Religioſus non Parochus ſine ſuo graui incommodo non potens miniſtrare Euchariſtiam grauem illius neceſſitatem patienti, ad id non teneatur ſub mort. patet ex eo quod ex ſola charitate ad id tenetur, non autem ex contractu (quo modo tenetur Parochus:) charitas autem in talibus circumſtantijs non obligat ſub mortali; cum magnum homini à natura tributum ſit ius conſeruandi ſe ipſum, & ſua, ac proinde non ſit credibile ipſum cum tanto grauamine obligari erga Proximum extrema neceſſitate non laborantem, vt aduertit *Bonac. de leg. D.3. q.3.p.4.n.4.*

Quod ſi quis obiter quærat, an Sacerdos mutus tempore grauis neceſſitatis poſſit, & teneatur miniſtrare Euchariſtiam indigentibus.

18 ℞. *Diana p.5.tract.6.reſ.18.ex Gratiano* poſſe; ſed non probat: videtur tamen poſſe probari ex eo quod Sacerdos, etiam mutus Miniſter proprius Euchariſtiæ. cum ei ſolùm obſtare poſſit, quod non poteſt proferre preces, quæ in ipſa adminiſtratione Euchariſtiæ ex Eccleſiæ inſtituto ſolent vſurpari: cum tamen prolatio illarum precum ſit valdè accidentalis, adeoque graui neceſſitate occurrente, facilè omitti poſſit. Quod ſi Sacerdos mutus poteſt miniſtrare Euchariſtiam, ergo & tenetur eo modo, quo diximus teneri alios Sacerdotes non mutos in caſu grauioris neceſſitatis: cum par ratio ſit de illis, ac de his.

QVÆRES XII. An, & quando Regulares teneantur laicis infirmis miniſtrare Sacramentum Extremæ Vnctionis.

19 ℞. Quod, cum iuxta dicenda infra in *tract. de priuileg. c.3. ſect.4.* Regulares poſſint in aliquibus caſibus miniſtrare laicis infirmis Extremam Vnctionem, in ijs caſibus tenentur eam miniſtrare, ſi id poſſint ſine notabili incommodo; & quidem ſub culpa m. ſi infirmi grauem habeant neceſſitatem huius Sacramenti, & aliàs ipſi Regulares illud abſque ſuo graui periculo miniſtrare poſſint. patet reſponſio ex dictis *q. præced.* quæ proportionaliter ad præſentem caſum applicari poſſunt: & confirmatur ex eo quod DD. apud *Dianam p.3.tract.4.reſol. 174.* concedunt Sacerdotem Parochum teneri etiam cum periculo propriæ vitæ miniſtrare Extremam Vnctionem proprijs ſubditis ea grauiter indigentibus (vt ſi v. gr. infirmus alioqui deceſſurus eſſet abſque vllo Sacramento, vtpote qui nec poteſt confiteri, & abſolui, nec communicare) cum tamen citra caſum grauis neceſſitatis Parochus ad id non teneatur cum tanto periculo, eo quod tale Sacramentum non ſit tantæ neceſſitatis, regulariter loquendo; quod ſi Parochus in caſu grauis neceſſitatis tenetur conferre Extremam Vnctionem, etiam cum periculo propriæ vitæ, vtique ad id tenebuntur & alij Sacerdotes, ſi id præſtare poſſint cum nullo, aut leui tantùm incommodo: & quidem ſub peccato m. iuxta dicta *q. præc.* cum proportionali paſſu procedere debeat obligatio, quam ex lege charitatis habent Sacerdotes non Parochi quo ad huius Sacramenti adminiſtrationem, cum ea, quam habent Parochi ex virtute iuſtitiæ, ſicque probabile ſit in eo caſu, quo Parochi tenentur dictum Sacramentum conferre cum periculo propriæ vitæ, ad idem teneantur & Sacerdotes non Parochi, ſi id præſtare poſſint ſine ſuo graui damno. ita docti Neoterici à me conſulti.

An verò in aliquo caſu poſſint plures Sacerdotes ſimul miniſtrare Extremam Vnctionem alicui moribundo tum validè, tum licitè.

20 ℞. Poſſe: & quidem non ſolum in caſu, quo Miniſter inungens infirmum deficeret, antequã abſoluiſſet omnes vnctiones (quẽ caſum admittunt *Molfeſius, Turrian. Tamer. Ochagau. Præpoſit.* & alij apud *Dia. p.5.tr.3.reſ.87.* negat tamen *Maratus* ab eodem *Diana* relatus, docens in hoc caſu licitum eſſe, ꝙ Sacerdos accurens ad perficiẽdũ Sacramentũ vnctiones repetat à principio, perinde ac ſi prior miniſter nullam feciſſet;) ſed etiã in caſu, quo periculũ eſſet, ne hoc Sacramentum relinqueretur imperfectũ eo ꝙ infirmus agat animam. ita *Diana ſup. reſ. 88.* cum *Præpoſ. Suar. Filliuc. Barboſ. Villal. & Victorel.* patetq; ex eo quod, licèt in alijs Sacramentis Sacramentum

inchoatum ab vno miniſtro, non poſſit conſumari ab alio (vt videre eſt in baptiſmo) eo quod illa non conſiſtant in pluribus materijs, & formis partialibus, ſed in vna tantum materia, & forma; hoc non habet locum in Sacramento Extremæ Vnctiones; quod habet plures materias, & formas partiales adeoque inchoatum ab vno Miniſtro poteſt perfici ab alio: validè quidem, & licitè, ſi occurrat ca[illegible] neceſſitatis; validè verò, ſed illicitè, ſi id fiat ſine neceſſitate; ſicut aduertit ipſemet *Diana reſol. citata.*

QVÆRES XIII. An Regulares teneantur aſſiſtere moribundis ad effectum illos adiuuandi in eo periculo.

21 ℞. Teneri ex virtute charitatis; eo tamen genere obligationis; vt ſub mor. culpa ad tale munus non adſtringantur, niſi in extrema neceſſitate Proximi morientis (in quo caſu tenetur aſſiſtere, etiam cum graui ſuo damno: quamuis talis caſus vix poſſit contingere moraliter loquendo:) aut etiam in graui neceſſitate; ſi quidem id præſtare poſſint abſque ſuo graui incommodo. patet quia ex vna parte munus aſſiſtendi morientibus eſt valdè conſentaneum ſtatui religioſo, vtpote conſentaneum charitati, & non continens quidquam repugnans dicto ſtatui: præſertim cum non poſſit vnus Parochus pluribus infirmis ſatisfacere, aut interdum non ſit in tali munere adeò facilis, & ſolicitus, aut etiam idoneus; ex alia parte lex charitatis, etiam in hoc caſu obligat proportionaliter, vt diximus *q.11.& 12.* obligare quo ad Euchariſtiæ, ac Extremæ Vnctionis adminiſtrationem; cum etiam in præſenti caſu indigentia ſpiritualis Proximi ſit grauis, adeoque detur locus obligationi charitatis, vt facilè patebit conſideranti. Vnde in *4.p. Conſtit. Soc. Ieſu cap.8.§.7.* hæc habentur. *Vt in ſuperiùs dictis proximi ad benè viuendum iuuantur, ita curandum eſt, vt ea, quæ ad benè moriendum illis conferunt, percipiantur: quique modus in eo tempore, in quo tantum eſt momenti ad finem vltimum æternæ ſalutis conſequendum, vel ab eo excidendum, teneri debeat, intelligatur*; ex quibus quis non videt, quam laudabile ſit, quod Religioſi in hoc munere ſedulo ſe exerceant quo modo reuera non pauci eorum ſe exercent non minori cum fructu ſpirituali fidelium morientium, quam laude Status religioſi.

QVÆRES XIV. An Regulares teneantur inſtruere fideles rudiores in rebus fidei, & quo genere obligationis.

22 ℞. Non teneri, niſi fortè ex peculiari ipſorum Inſtituto ad id obligentur: (quo pacto obligantur Religioſi Societ. Ieſu, vt patet ex *decreto 58. Congregationis generalis ſecundæ* ſtatuente, vt *quiuis Profeſſus poſt editam ſuam profeſſionem intra annum per 40. dies continuos, vel interpolatos doctrinam Chriſtianam pueros rudes perſonas docere teneantur.*) aut certè deſint alij, qui hoc munus expleant: quod tamen in regionibus fidelium catholicorum vix poteſt contingere: cum in his regulariter adſint Parochi, qui ex Officio Fidei Chriſtianæ rudimenta edocent iuxta decretum *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap.4. de reform.* patet reſponſio tum ex communi praxi Religioſorum, qui exceptis Patribus Societat. non ſolent vacare ſupradictæ inſtructioni fidelium per modum tradendi doctrinam Chriſtianam (vt vocant) tale munus relinquentes locorum Parochis: tum ex eo quod nullo iure fundatur talis obligatio: cum tamen induci non debeant obligationes abſque ſufficienti fundamento. Quin etiam de ipſiſmet Religioſis Societ. dicit *Suar. tom.4. de Rel. tract. 10. l.6. cap.3. num.12.* decretum illud II. Congregat. generalis modò adductum non obligare ſub peccato: additque vi præſati decreti Profeſſos neque ex conſilio abſolutè teneri ad tale munus exercendum per 40. dies, niſi id ipſis per Superiorem iniungatur, aut ſaltem licentia præbeatur; ſi quidem Profeſſi non voueant docere doctrinam Chriſtianam, ſed *obedientiam, & ſecundum eam, peculiarem curam circa puerorum eruditionem*, adeoque non tenentur ex voto eam docere, niſi id ipſis præcipiatur in virtute ſanctæ Obedientiæ. Sic etiam Rectores Societatis primò creati tenentur per 40. dies docere doctrinam Chriſtianam: poſſunt tamen id facere per alios, ſi adſit cauſa, eaque communicetur cum Prouinciali; vt habetur *decreto 54. Congregat. II. generalis*; imo poſſunt id facere per conciones, vt habetur *declarat. 10. cap. 4. p. 4. Conſtit.* & quidem id debent facere intra annum poſt munus Rectoris ſuſceptum, continetur 40. diebus, aut interpolatis.

23 Dixi, *aut certè non deſint alij, qui hoc munus expleant*; ſi enim deeſſent (quomodocumque; & vndecumque id contingat) tunc tenerentur Religioſi vacare huic muneri: vtpote qui inſtituti ſunt in Eccleſia in ſubſidium Epiſcoporum, ac Parochorum, vt iam diximus q. 1. tenerentur, inquam, non quidem ex iuſtitia, ſed ex charitate, & quidem ſub mortali, ſi proximus eſſet quo ad hoc conſtitutus in graui neceſſitate, & ipſi id præſtare poſſent ſine graui ſuo incommodo; idque ob rationes in talibus caſibus non ſemel ſuperius allegatas.

24 Addo hic obiter quod, licet Infideles regulariter non debeant baptizari, niſi prius per aliquot menſes inſtruantur de rebus Fidei, & probentur *cap. ante baptiſmum de conſecr. d.4.* ſi tamen vrgeat neceſſitas (obſidionis v.gr. naufragij), aut periculi alterius mortis) tunc, expoſita fide pro temporis anguſtijs, ſi petens baptiſmum aſſentiatur, eſt baptizandus. ita *Diana p.5. tract.3. reſol.20.* cum *Zambrano, Toleto, & Sancio*; qui in *ſelectis D.44. numer. 40.* ex *Henriq.* addit quod, ſi aliquando adultus petijt baptiſmum, nec conſtet ipſum cum rationis vſu reuocaſſe petitionem, eſſe baptizandum, licèt in furia reſiſtat: cum ſic præſumi poſſit retinere virtualem intentionem ſuſcipiendi baptiſmum.

QVÆRES XV. An Regulares teneantur adire Indias, aliaſque Infidelium regiones ad effectum ibi diuulgandi Fidem Chriſtianam.

25 ℞. Regulariter non teneri, niſi ad id ſe peculiariter adſtringant ex ſpeciali ipſorum Inſtituto: ſicut de facto adſtringuntur Profeſſi 4. votorum

Socie-

Societatis Ieſu ex voto ſolemni, quod præter 3. vota ſubſtantialia Religionis ſolemnia emittunt in hæc verba: *Inſuper promitto ſpecialem obedientiam circa Miſſiones*, intellige (vt dicitur in Bulla Pauli III. quæ incipit *Regimini* edita in confirmationem ipſius Societ. & eſt prima in Bullario illius:) *ſiue ad Turcas, ſiue ad quoſcumque alios Infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, exiſtentes, ſiue ad quoſcumque hæreticos, ſeu Schiſmaticos, ſeu etiam ad quoſuis fideles*. Et quidem, quod Religioſi regulariter non teneantur adire Indias, &c. conſtat tum ex eo quod in præſentia, Deo dante, non deſunt, qui huic muneri vacant, & quidem etiam ex obligatione; tum quia Infideles communiter non cenſentur laborare extrema neceſſitate; cum habeant alios, qui ipſis hac in re ſuccurrant, vt diximus, præter quam quod Regulares non ſunt moraliter certi ſe poſſe ſuccurrere, ideoque ad talem effectum non tenentur ſubire periculum nauigationis, & pati exilium adeo graue (ad quæ tamen tenerentur, ſi præfati Infideles eſſent in extrema neceſſitate ſalutis, vt patet ex dictis.) ita *Bonacin. de leg. D.3.q.4.p.4.num.2.*& cum eo *Caſtr.Pal.tract.6. D.1. p.9.num.9.*

QVÆRES XVI. An Regulares teneantur coadiuuare Parochos in regimine Animarum, & in quibus caſibus.

26 ℞. Non teneri, niſi eo modo, & in ijs caſibus in quibus *q.1.& 2.*diximus eos teneri ad procurandam Proximorum ſalutem; nimirum, ſi Parochi ſuum munus debitè non expleant, & ipſi Regulares abſque notabili ſuo incommodo poſſint id præſtare; & hoc, ſecluſo caſu neceſſitatis extremæ, in quo non ſolùm Regulares, ſed etiam alij omnes fideles ex lege charitatis ſub mortali tenentur ſubuenire proximo laboranti; vt patet ex dictis ſupra maximè q.9.

27 Vnde facilis eſt reſolutio illius quæſtionis, quæ hìc excitari poſſet; videlicet, an Regulares, maximè Mendicantes, teneantur tempore peſtis inſeruire infectis adminiſtrando Sacramenta, & alijs opportunis medijs opitulando ad benè, & ſanctè moriendum. ſi quidem conſtat ex dictis quod, cum ſoli infantes non baptizati ſint in extrema neceſſitate ſalutis, ſi non adſit alius, qui teneatur poſſit, & velit eos baptizare; id tenentur facere Regulares ſub mort. peccato, imò & quicumque alij Fideles (vti diximus *q.9.*) è contra verò, cum Sacramentum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, ac Extremæ Vnctionis non ſint fidelibus ita neceſſaria, vt ijs denegatis, illi dici poſſint in extrema neceſſitate ſalutis, ſicut oſtendimus *ſup.q.*10.11.& 12. non tenentur Regulares ea fidelibus adminiſtrare cum graui periculo vitæ: idque etſi hi grauem habeant illorum neceſſitatem; & hoc ob rationes allatas in dictis qq. (intellige, niſi id ipſis expreſsè præcipiatur à proprio Superiore, vt dicemus q.ſeq. §.*quod ſi quis*.

QVÆRES XVII. An Regulares teneantur exercere munus Confeſſarij tam ordinarij, quam extraordinarij in Monaſterijs Monialium, & quo modo.

28 ℞. Non teneri, niſi eo modo, quo diximus q.10. eos teneri excipere confeſſiones aliorum Fidelium: ſiquidem rationes allegatæ quo ad hos proportionaliter habent locum, etiam quo ad Moniales. Quamquam hæc reſponſio non debet intelligi de Regularibus, qui habent Moniales ſub ipſorum regula viuentes, eorumque regimini actu ſubiectas; hi quippe ſi deputentur à Prælatis in Confeſſarios Monialium ſupradictarum, ſine dubio tenentur ijs miniſtrare Sacramenta eo genere obligationis, & in ijs omnibus caſibus, in quibus aiunt DD. teneri Parochos ea adminiſtrare proprijs parochianis (& quidem etiam cum periculo propriæ vitæ, ſi id ipſis præcipiatur à Prælato regulari) cum Regulares aſſignati Monialibus in Confeſſarios ordinarios ſint quaſi Parochi illarum, adeoque erga illas teneantur præſtare illa omnia, quæ alij Parochi ratione officij præſtant erga ſuos parochianos.

29 Dixi, *ſi id ipſis præcipiatur à Prælato regulari*; vt innuerem, ſecluſo tali præcepto, Regulares deputatos Confeſſarios monialium ſui Ordinis, ratione officij vt ſic, non teneri miniſtrare monialibus ſibi commiſſis Sacramenta cum periculo propriæ vitæ in ijs omnibus caſibus, in quibus Parochi propriè dicti tenentur ea conferre ſuis parochianis. & ratio eſt, quod eiuſmodi Regulares reſpectu monialium ſibi commiſſarum non ſunt propriè, & ſimpliciter Parochi (vt vel hinc patet, quod non habent beneficium parochiale, nec appellantur Parochi) ac proinde nec debent adſtringi omnibus oneribus Parochorum: inter quæ grauiſſimum illud eſt, quod etiam cum periculo propriæ vitæ teneantur miniſtrare Sacramenta ſuis ſubditis; quin potius, quod ſpectat ad obligationem miniſtrandi Sacramenta monialibus cum periculo propriæ vitæ; puto ea teneri Prælatum regularem monaſterij, cui ſubſunt immediatè moniales: vtpote qui verè eſt illarum Parochus; non ſecùs ac eſt virorum Religioſorum monaſterij, cui præeſt: cum tamen Prælatus regularis tempore peſtis teneatur ex officio conferre Sacramenta Regularibus ſibi ſubditis eadem ratione, ac tenentur Parochi conferre ſuis parochianis: vt benè aduertit *Sanch. lib.6. in decal. cap.2. n.55.* ex communi DD. ſententia addens *n. 56.* Religioſum iuſſum à Prælato Religionis inſeruire Religioſis domeſticis peſte infectis, etiam in temporalibus, teneri obedire cum mortis periculo cum ſic exigat ratio boni cõmunis, & cõſeruatio boni ſtatus religioſi, quæ debent præferri bono huius, aut illius particularis; quæ doctrina vtique probat etiam Religioſum iuſſum à ſuo Prælato miniſtrare Sacramenta Religioſis domeſticis tempore peſtis, teneri obedire; cum ſit maior ratio quo ad hoc, quam quo ad meram temporalium adminiſtrationem, quæ facilè obiri poteſt per laicos mercede conductos, vt patet: quod ſi Religioſus, accedente Superioris præcepto; tenetur conferre Sacramenta cum periculo vitæ viris Religioſis ſui ordinis; ſine dubio & tenebitur ea adminiſtrare monialibus eiuſdem ſui Ordinis, ſi id ipſi præcipiatur à Superiore: cum ratio, quæ

militat qua ad illos, milite t etiam quo ad moniales, patet.

Quod ſi quis quærat, an Religioſi Mendicantes, & alij ex proprio Inſtituto ſaluti ſpirituali proximorum incumbentes teneantur obedire proprio Superiori præcipienti, vt miniſtrent tempore peſtis Sacramenta, etiam infectis.

30 ℟. Teneri, ſi Parochi non ſufficiant illi muneri obeundo, nec adſint alij Sacerdotes laici, qui expenſis Epiſcopi velint ipſos Parochos adiuuare. dicor, ꝙ ſupradicti Religioſi non tenentur, niſi in ſubſidium, quando ſcilicet deeſt copia miniſtrorum; quamdiu autem adſunt Parochi, quibus per ſe primo id munus incumbit, & alij, qui ex mercede in ſubſidium ipſorum Parochorum conduci poſſint ab Epiſcopis, quorum primariò eſt hæc cura; non poteſt dici, quod deſit copia miniſtrorum; & conſequenter non tenentur Religioſi ſuppetias ferre: quippequi, vt diximus, tenentur ſolum in ſubſidium: quatenus eorum munus eſt eſſe Epiſcoporum, & Parochorum Coadiutores in ſalute ſpirituali proximorum procuranda, & eleemoſynis fidelium ſuſtentantur. ita *S. Tho. 2.2. q. 187. a. 1. ad 3. & qu. 188. a. 4. ad 2. & 5. Rutil. & Rodriq.* relati à *Sanch. ſup. num. 60.* qui benè monent quod, ſicut Religioſi ſubditi in propoſito caſu tenentur obedire proprio Superiori præcipienti, cum materia talis præcepti non ſit ſupra, ſed ſecundum regulam; ita & ipſi Superiores tenentur mittere Religioſos ad loca diæceſis vicina peſte infecta, ſi adſit penuria Parochorũ ſufficientiũ ad Sacramēta infirmis miniſtranda; ſecùs ſi adſit copia Parochorũ, aut aliorum Sacerdotum, qui ea miniſtrare poſſint: tunc enim non tenentur Prælati regulares exponere ſuos Religioſos, ſiue in Ciuitate, in qua degunt, ſiue in eius diæceſi; cũ cura miniſtrandi Sacramenta in primis incumbat Epiſcopo, vt medijs Parochis & alijs Sacerdotibus neceſſarijs mercede conductis ei ſpirituali animarum neceſſitati conſulat. nobiſcum ſentit *Barthol. à S. Fauſto l. 6. theſauri q. 106. & 107.*

31 Vnum hìc placet monere obiter, quod, ſicut tempore peſtis Prælati regulares iuxta ſupradicta tenentur exponere aliquos Religioſos ex ſuis ſubditis ad inſeruiendum infectis, id exigente & lege charitatis, & virtute gratitudinis, & obligatione proprij ſtatus; ita ſedulò cauere debent, ne hac in re ſint nimis faciles, ac prodigi (vti plus æquo aliqui fuerunt tempore peſtis, quæ vltimò graſſata eſt in hiſce noſtris regionibus;) non enim ſunt domini vitæ ſuorum ſubditorum, adeoq; non poſſunt, nec debent eam prodigere abſque neceſſitate, memores ſanguinem eorum de manibus ipſorum exquiſitum iri; Quæ enim quæſò neceſſitas adeſt exponendi Religioſos adoleſcentes egregiæ indolis, ac ingenij ad miniſtranda infectis temporalia, quæ æque benè poſſunt ſuppeditari per laicos mercede conductos? quæ neceſſitas exponendi vno, ac eodem tempore ad miniſtranda Sacramenta 8. aut 10. Religioſos Sacerdotes eiuſdem monaſterij, ſi 3. aut 4. æque benè ad tale munus cenſeri poterant ſufficientes? quę neceſſitas exponendi primarios viros Religionis, adeoque non ſolùm perutiles, ſed etiam valdè neceſſarios & ipſi Religioni, & toti Eccleſiæ, ſi non deerant alij Religioſi Sacerdotes eiuſdem Ordinis non adeò vtiles, nec ita neceſſarij, quorum opera ſatis ſuperque ſufficiebat ad proſpiciendum præſenti Proximorum neceſſitati? At, inquies, ij enixè efflagitabant exponi, id quam maximè exoptabant, id importunis, penè dixerim, precibus, ac ſuaſionibus expoſcebant; benè; ſed Superiorum erat coercere nimium illum feruorem, ijs denegando, quod petebant, ſicq; conſulendo bono Religionis, cuius ratio habenda erat in primis; & hęc dicta ſint ad communem poſterorum doctrinam, vt hinc alieno malo docti diſcant, quo pacto in ſimili euentu ſe gerere debeant, media via incedentes, & vtrumque extremum tanquam vitioſum hac in re euitantes.

QVÆRES XVIII. An Regulares lege charitatis teneantur agere, etiam cum excommunicatis vitandis ad effectum eos reuocandi ad meliorem frugem.

32 ℟. Quod, cum Fideles licitè poſſint communicare cum excommunicatis, etiam vitandis in bonũ tũ ſpirituale, tum temporale ipſorummet excōmunicatorũ, vt tradunt cōmuniter DD. apud *Suar. de Cenſur. D. 15. ſect. 3. n. 9.* ex *Gloſſa in c. cum deſideres de ſent. excommunic.* monentes tamen ad hoc vt agi poſſit cum excommunicato vitando in bonum ipſius temporale, opus eſſe, vt tunc non tam agatur de lucro temporali augendo, quam de damno vitando, & ſuſtentatione vitæ, ac ſtatus; cum, inquã, Fideles poſſint communicare in ciuilibus cum excommunicato, etiam vitando: ſequitur Regulares teneri id facere (maximè in bonum ſpirituale ipſorum, videlicet vt reſipiſcant, & auertantur à vijs ſuis peſſimis) & quidem etiam ſub peccato mor. ſi Proximus excommunicatus cenſeatur eſſe in graui neceſſitate illius auxilij, & aliàs Religioſi poſſint illud facere ſine notabili incommodo; idque ob rationes in ſimili allatas *ſup q. 7. & ſeqq.* maximeq; ex eo, quod fideles lege charitatis tenentur ſubuenire proximo grauiter indigenti, quotieſcumq; id poſſunt facere licitè, & ſine graui incommodo: in præſenti autem caſu Religioſi licitè poſſunt iuuare excommunicatum vitandum, cum id concedatur in iure, & id præſtare poſſunt abſq; ſuo graui incommodo, vt ſuppono; ergo tenentur, & quidem ſub peccato mortali.

QVÆRES XIX. An, & quo iure teneantur Regulares implere cum Proximis præceptum Correptionis fraternæ.

33 ℟. Teneri ex præcepto Chriſti lato *Matth. 18.* in hæc verba: *ſi peccauerit in te frater tuus, corripe eum*: & quidem ſub peccato mor. ſi delictum, ſupra ꝙ debet cadere correptio, ſit graue, & cōcurrant oẽs circũſtantiæ requiſitæ ad effectũ faciendi correptionẽ: nimirum vt tibi certò conſtet de peccato Proximi, vt credas illum non reſipuiſſe; vt non adſit alius æquè idoneus, qui emendaturus exiſtimetur, vt ſubſit ſpes fructus ex ipſa correptione; vt locus, tempus, & aliæ ſimiles circumſtantiæ iudicio prudentis viri opportunę cenſeantur. eſt communis DD. cum *S. Tho. 2.2. q. 33. art. 2.* & apud Catholicos indubitata; vt latè probat *Val. tom. 3. D. 3. q. 10. p. 2.* pateтq; tum ex *cap.*

tam

tam Sacerdotes 24.q.3. tum ex eo quod, cum homo debeat diligere proximum ſuum, ſicut ſe ipſum, ſicut ille, ſi ſe rectè diligit, debet velle non committere peccatum, ne animam occidat: ſic & hoc ipſum debet velle, & procurare proximo ſuo: tum quia quicumque poteſt commodè ſubleuare miſeriam proximi, tenetur id facere ex præcepto charitatis, ſeu miſericordiæ; nulla autem maior miſeria eſſe poteſt, quam peccatum, & regulariter ad illud auertendum præſentiſſimum medium eſt correptio, vt patet, ergò. Quod ſi poſitis debitis circumſtantijs præceptum fraternæ correptionis modo ſup. dicto obligat omnes, (cum ſit pręceptum naturale, & diuinum, omnes adſtringens iuxta illud *Eccleſ. 17. Mandauit illis vnicuiq; de proximo ſuo*) vtique obligabit etiam Religioſos, & quidem maiori aliqua ratione; vt pote qui ratione ſtatus tenentur ad charitatem perfectiorem, quam cæteri: & ob authoritatem, qua pollent apud alios, tum ex probitate morum in ipſis ſaltem præſumpta, tum ex præſtantia doctrinæ, ac dexteritate, quæ in ijs regulariter ſolet reperiri maior, poſſunt vtiliùs, ac fructuoſiùs exequi præceptum Correptionis; vt proinde dici poſſit religioſos obligari ad præceptum fraternę correptionis etiã aliquo maiori titulo, quã alij, vt iã dictũ eſt.

34 Dixi, *& quidem ſub peccato m. ſi delictum, ſup. quod debet cadere correptio, ſit graue:* quia non placet quod docent *Caiet. Sot. Val. Suar. Villal. & Lorca* relati à *Caſtro Pal. tract. 6. D. 3. p. 3. numer. 1.* vnumquemque teneri corripere proximum, etiam de peccatis venialibus, &, ſi non corripiat potens commodè id facere, peccare venialiter; ſi enim hoc admittatur, grauiſſimum iugum imponitur hominibus: cum omnes frequenter ſint in periculo peccandi venialiter, oſtiumq; aperitur multis ſcrupulis; quare illa doctrina non videtur admittenda, niſi quo ad eos, qui aliorum peculiarem curam gerunt: quales ſunt Superiores Regulares, qui non ſolùm ſub peccato ven. ſed etiam ſub m. fieri poteſt, vt teneantur veniales ſubditorum culpas impedire, ac tollere media correptione: ſi ſcilicet exinde religioſæ diſciplinæ vigor minuatur, & impuritas venialiter peccãdi paſſim inualeſcere incipiat cum magno Religionis damno; quod inter alios notauit *Laym. l. 2. tra. 3. c. 7. §. cæterum* addens aliàs quod, cum plerumq; occurrat impedimentum, ſiue ex parte perſonæ corripiendæ, ne iniquo animo accipiens correptionem fiat deterior: ſiue ex parte corripientis, quem ſæpè naturalis verecundia coarctat, ac retrahit à facienda correptione, niſi corripiendus ſit valdè familiaris; ideo rarior eſt obligatio emendandi peccata venialia proximorum, quibus cũ viuimus; quod idem docent *Palud. Alenſ. Bann. Azor. Torres, Regin. Sà,* & *Bonac.* apud *Caſtr. Pal. ſup. num. 2.* abſolutè aſſerentes præceptum correptionis fraternę in peccatis venialibus non poſſe locum habere.

Addo *Io. de Lugo D. 14. de iuſt. nu. 128.* loquens in ſpecie de obligatione impediendi detractionem talem obligationem raram eſſe inter æquales, rariſſimã in inferiori reſpectu perſonæ Superioris; 1. quia plerumq; qui audit neſcit, an id, quod dicit detrahens, ſit publicum; in dubio autem, an ſit publicum, non debet damnari detrahens (in quo ſæpè falluntur ſcrupuloſi) 2. quia aliquando id, quod dicitur, facilè reparari poteſt poſtea ab ipſo audiente oſtendendo eius falſitatem; 3. quia aliquando, inchoata ſemel detractione, meliùs cõſulitur Proximo permittendo detractionem progredi, quam illam ſtatim impediendo: manent enim Auditores cum illa notitia confuſa de grauitate rei quæ dici cęperat, & fortè cõcipiunt in genere aliquid grauius; quod ſi rem totam audiſſent diſtinctè, aduerterent rem non eſſe adeo grauem; 4. quia ſępè non potes te opponere detrahenti ſine graui eius offenſione; 5. quia ſæpè non graue damnum infertur proximo, de quo detrahitur ex eo quod tibi vni eius delictũ reueletur; 6. quia plerumq; eueniet detrahentem habere iuſtam cauſam rem manifeſtandi, v. g. ad petendum conſilium: ad te monendum vtiliter, ad leniendum ſuum dolorem &c.

35 Imò (quod maius eſt, & erit magnæ conſolationi conſcientijs timoratis) dicit *Diana p. 4. tractat. 4. reſol. 228.* cum *Granado in 2. 2. tr. 12. D. 1. contr. 3. num. 6.* quod ſi correptio omittatur ex quadam tepiditate, aut ſimili affectu, non autem ex intentione, & ex propoſito: talis omiſſio non eſt mortalis, niſi aliàs damnum ſpirituale proximi eſſet tale, ac tantum, vt grauiter imputaretur omittenti correptionem; vnde *Val. tom. 3. D. 3. q. 10. p. 2.* ait raró concurrere omnes circumſtantias, quæ requiruntur, vt pręceptum correptionis obliget, pręſertim homines vulgares, & minoris auctoritatis; quod item confirmat *Sà v. correptio n. 2.* dicens omittere correptionẽ ferè ſemper venialiter peccatum eſſe: confirmat & *Granadus ſup.* monens præceptum correptionis fraternæ amplè accipiendum eſſe, nec facilè credendum timoratos præſertim viros peccare mortaliter illud violando, præſertim ſi Prælati non ſint: non ſolùm quia ita ſentiunt graues Doctores: ſed etiam quia præcepta charitatis minus rigoroſam afferre ſolent obligationem; confirmat etiam *Sanch. l. 6. conſ. c. 2. d. 2. n. 5. ex Ang. & Nau.* vbi hæc habet: Quando peccatũ procedit ex ignorantia probabili, quæ peccatũ excuſauit, non teneor corrigere, quia nulla interfuit culpa: v. g. ſi videam Petrum omittere ſacrum in die feſto putantem non eſſe feſtum, vel edere carnes in die Veneris ex obliuione: ſic *Sanch.* addens me non teneri admonere eſſe feſtum, vel diem Veneris, niſi ſim eius Paſtor, quia ignorantia hæc nõ eſt iuris, ſed facti, cuius liberatione nec extremè, nec grauitèr eget. qua de re *Diana p. 5. tr. 13. reſol. 42. & Caſtrus Pal. ſup. p. 4.*

QVÆRES XX. An Regularis detegens ex confeſſione pænitentis illum ignoranter contraxiſſe matrimonium cum impedimento dirimente, teneatur illum monere, qualiterque debeat ſe gerere cum eo.

36 ℞. Cum diſtinctione: vel pænitens ignorat impedimentum inuincibiliter; & tunc, ſi quidem ſpes adſit probabilis fructus ex admonitione, debet illum monere, cum Confeſſarius tanquam Doctor teneatur inſtruere pænitentem de rebus neceſſarijs ad vitandum peccatum, etiam materiale: ſi verò nõ adſit ſpes probabilis fructus ex admonitione, non tenetur Confeſſarius admonere, cum correctio nõ obliget, niſi ſit ſpes fructus iuxta *cap. ſi quis autem de pænit. d. 7. ſi ſcirem non tibi prodeſſe, non te admonerem;* vel pænitens ignorat impedimentum vincibiliter; &

tunc fieri debet admonitio, etiamſi non ſit ſpes fructus: cum ſic pænitens ſit in peccato m. ac indignè confiteatur, ideoque peccet etiam Confeſſarius miniſtrando Sacramentum indigno: vel denique pænitens eſt dubius, ac interrogat Confeſſarium: & tunc tenetur Confeſſarius aperire veritatem, ſiue ſperetur fructus, ſiue non; cum ſic pænitens non ſit in bona fide, & aliàs Confeſſarius teneatur docere ſuum pęnitentem in rebus ſpectantibus ad confeſſionem. ita *Sanch.l.2. D.38. Filluc. tr.10. p.1. c.3. q.10.* alijque penes ipſos; patetque ex dictis.

37 Moneo autem Confeſſarium in primo, & vltimo caſu debere iniungere pænitenti, vt petat diſpenſationem vel à Papa, vel etiam ab Epiſcopo, ſi periculum ſit in mora, eaque obtenta cum eo diſpenſare modo infra dicendo: in tertio caſu teneri ipſummet Confeſſarium petere diſpenſationem, ſiue à Papa, ſiue ab Epiſcopo (vt modo diximus) eamq; obtentam poſtea expedire modo infra explicando: ſi tamen id præſtare poſſit abſque ſuo graui incommodo; id namque petit lex charitatis, & obligatio Confeſſarij, vt liberet pænitentem ab illo ſtatu materialiter malo. quod eſt valde notandum Confeſſarijs; & tamen mihi conſtat per plures id non aduertere, exiſtimantes ſe ſatisfeciſſe proprio muneri hoc ipſo, quod pænitentem in primo caſu conſideratum relinquunt in bona fide: cum tamen vlteriùs teneantur modo ſupradicto procurare diſpenſationem ſiue à Papa, ſiue ab Epiſcopo in caſu neceſſitatis (Epiſcopi ſi quidem in caſu magnæ neceſſitatis diſpenſare poſſunt ſuper impedimento dirimente, ſi matrimonium ſit publicum, impedimentum occultum, & ſecuturum ſit ſcandalum ex ſeparatione, nec facilè adiri poſſit Papa ob diſtantiam, aut aliam cauſam; quod notauit *Filluc.c.9. q. 12.)* non enim relinquendus eſt pęnitens in eo malo ſtatu materiali: præſertim, cum facilè poſſit contingere, vt tandem deueniat in malam fidem, ſicque exponatur periculo tranſeundi ad ſtatum malum formaliter, in eoque diutius perſiſtendi: quod non eueniret, ſi Confeſſarius cum primò detexit impedimentum, illud per ſedulam diſpenſationis procurationem auferre ſategiſſet.

Quod ſi quæras, quid agendum ſit Confeſſario in propoſito caſu, quando inuenit coniugem eo impedimento irretitum eſſe in mala fide.

38 ℞. Quod, cum coniux eo modo impeditus re vera non ſit coniux, ideoque alteri coniugi inſcio præfati impedimenti non poſſit neque reddere, neque petere debitum: debet Confeſſarius eum edocere, quibus medijs cum minori ſuo diſpendio ſubterfugere poſſit redditionem debiti; quæ ſine dubio tum diuino, tum humano iure eſt ipſi interdicta, quantumuis alter coniux ignoret impedimentum, & ſit in bona fide: ſi quidem talis redditio eſſet fornicaria, & conſequenter peccaminoſa, vtpote facta inter non coniuges; quidquid dicant *Molfeſ. to.1. tr. 4.d.13.n.90.* & alij apud *Sanch.l.2. de matr.D.39.n.2.* putantes coniugem conſcium impedimenti dirimentis poſſe licitè permittere, vt alter coniux inſcius impedimenti vtatur ipſius corpore, ſi adſit periculum vitæ, aut infamiæ; quod ego non puto vllo modo admittendum, & de facto reijcitur à *Sanchez ſup.n.5.* tanquam falſiſſimum, & valdè periculoſum in fide: niſi fortè in caſu, quo vir vim abſolutam inferret propriæ vxori, ita vt ea ſe haberet merè paſſiuè: tūc.n. admitti poſſet doctrina Molfeſij, & illorū aliorū, quos omnino puto hoc pacto ītelligi debere.

39 Poſſet autem vxor in hoc caſu vitare redditionē debiti, ſiue fugiendo in locum, vbi ſcandalum ceſſaret (ſi enim adſit periculum ſcandali ex ſeparatione debent cohabitare, modò ceſſet periculum incontinentiæ:) ſiue petendo diſpenſationem, vel, ſi matrimonium adhuc non eſt conſummatum, ingrediendo Religionem: ſiue petendo diuortium ob ſæuitiam, aut adulterium, ſi eiuſmodi cauſæ re vera extarent: ſiue habitando cum coniuge inſcio tanquam frater, & ſoror, modò non ſit periculum congreſſus: ſiue petendo diſpenſationem ab Epiſcopo modo ſupradicto; quod in praxi cenſeo eſſe mediū magis expediens, facilè, & de facto practicandum; cum alia, quæ retulimus ex *Filluccio vbi ſup.* ſint implexa varijs tricis, ac difficultatibus, vt facilè patebit conſideranti.

Tota difficultas eſt, quo pacto, obtenta diſpenſatione impedimenti dirimentis, ſiue à Papa, ſiue ab Epiſcopo in caſu magnæ neceſſitatis, renouari debeat conſenſus vtriuſque coniugis ad effectum ratificandi matrimonium iam inualidè contractum ex vi præfati impedimenti; & ratio difficultatis eſt, quod ex vna parte requiritur nouus conſenſus vtriuſque coniugis, cum prior ex parte vtriuſq; fuerit nullus, nec poſſit dici durare, qui omninò fuit nullus, vtpote qui cecidit ſuper materiam inhabilem: requiritur, inquam nouus conſenſus vtriuſque Coniugis, & quidem externus, qualis numquā adfuit, cum prior fuerit inualidus; ex alia parte, cū iſte conſenſus debeat extorqueri à coniuge inſcio impedimenti, valde periculoſum eſt, ne ille hac occaſione incipiat malè ſuſpicari de altero ſuo coniuge, & quod his exponatur periculo infamiæ; aut alterius mali, ideoque non ita facilè is poterit adduci ad petendum nouum illum conſenſum.

40 ℞. Autem *Sanch.ſup.D.36.* poſſe præfatum conſenſum renouari, vel detegendo coniugi inſcio impedimenti nullitatem matrimonij, occultata tamen cauſa, ideoque petendo nouum conſenſum (ſed hoc medium in praxi puto eſſe valdè periculoſum;) vel petendo diſſimulanter renouationem matrimonij: v.g. dicendo, *me ne ita diligis, vt ſi non eſſet inter nos matrimonium, denuò contraheres, & ex nunc vis me in coniugem?* & altero affirmante, ipſe dicat, *& ego te volo*: vel *quæſo te: pro mea conſolatione habeas me in tuum coniugem*: &, eo affirmante, ipſe ſubdat, *& ego te habeo* (verum & hoc medium non caret periculis, maximè ſi coniux ignarus impedimenti ſit ſagacis ingenij, & doctus præcipuè in ſimili materia): vnde, vt tale medium facilius prodeſſet, & tutiùs; puto huiuſmodi petitiones non eſſe faciendas, niſi opportuno tempore(v.g. in feruore amoris, aut alia ſimili opportunitate: quod eſt valdè notandum; quod ſi nullo ex ſup.dictis modis extorqueri poſſet ſup.dictus conſenſus, & alter coniux inſcius impedimenti petit debitum, ita vt coniux conſcius ſine ſcandalo non poſſit ſubterfugere; tunc poteſt renouari conſenſus per ſolam copulam habitam affectu maritali tum ex parte coniugis, cui notum eſt impedimentum, accedendo ad copulam ex tali affectu,

tum

tum ex parte alterius coniugis ignari, qui poteſt præſumi accedere ex eodem affectu, hoc ipſo quod accedit, & bona fide putat matrimonium eſſe validum; ita *Sanch.ſup.num.9.Pilluc.c.4.q.9.* aliique, & ſatis probabiliter, ſtante magna neceſſitate Proximi & doctrina, quam afferemus in *tract. de priuileg.c.3. ſect.2.ſubſ.2.q.15.§.confirmatur.*

41 Vnum hic moneo ex eodem *Sanch.ſup.D.38.n.3.* quod in propoſito caſu valdè obſeruandum eſt, Confeſſarium debere procedere magna cum cautela in exploranda bona, vel mala fide pœnitentis: idque, ne aliàs eum faciat à bona in dubia fidem tranſire, ſicque ei iniiciat laqueos peccandi; hoc autem præſtabit, à longe interrogando penitentem, & faciendo interrogationes generales: v.g. an credat ſe eſſe in bono ſtatu, ant dubiam habeat conſcientiam: an habeat aliquid aliud, quod ipſius conſcientiam inquietet: an vexetur aliquo ſcrupulo &c.

42 Addo doctrinam ſupr. traditam (quod penitens laborans ignorantia inuincibili relinqui debeat in bona fide, ſi non ſit ſpes probabilis fructus ex admonitione) admittendam eſſe vt probabilem, ſiue ignorantia ſit iuris, ſiue facti: ſiue iuris diuini, & naturalis, ſiue humani: ſiue in materia iuſtitiæ, etiam commutatiuæ, ſiue cuiuſuis alterius virtutis; dummodò tamen penitens ipſe dubius de illa re non interroget, aut certè ex ea ignorantia non timeatur malum boni communis, qnod præferendum eſt cuicumque bono priuato (vt ſi inde ſecuturum eſſet ſcandalum aliquod). ita *Sanch. ſup.num. 14. & 15.* docens ex *Adriano, Med.Cano,* & aliis, quod ſi Confeſſarius in propoſito caſu ſperaret breui ſubſequendum eſſe fructum admonitionis, licèt non ſtatim, tenetur admonere, cum ſic non adſit iuſta cauſa omittendi admonitionem, vt patet.

QVÆRES XXI. An, & quo modo Regulares lege charitatis teneantur conſulere Proximis minus malũ, eoſq; ad id inducere, vt ſic euitẽt maius.

43 ℞. Quod cum, reſte *Sanch.l.7. de matrim. D. 11. numer. 15.* ſatis probabile ſit licitum eſſe conſulere minus malum ei, qui iam apud ſe conſtituit patrare maius, & alia via à malo propoſito nequit reuocari (vt ſi quis decreuit occidere Titium, & nulla ratione poſſum eum auertere ab illo malo animo, poſſum conſulere, vt potius ipſum percutiat, aut ab eo furetur). Regulares vtique tenentur ex charitate conſulere minus malum proximo parato ad faciendum maius, ſi abſque ſuo notabili incommodo tale conſilium dare poſſunt. Colligitur ex *Sanch.vbi ſup.* & patet ex eo quod lex charitatis obligat ad procurandum bonum ſpirituale proximi quotieſcumque id licitè præſtare poſſumus, & ſine notabili noſtro incommodo, vt iam non ſemel diximus, ac oſtendimus: hoc autem euenit in caſu noſtro, vt patet.

44 Et quidem, quod in propoſito caſu liceat conſulere minus malum parato facere maius: probatur tum ex *S. Auguſt.l.2. de adulterinis coniugiis c. 15.* qui ait: *Si facturus eſt quod non licet, iam faciat adulterium, & non homicidium, vt viuente vxore ſua alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat;* tum quia conſulens minus malum fieri, quando aliter à maiori malo non poteſt reuocare, verè non conſulit, nec petit, vt minus id malum exequatur, ſed ſolam minoris mali præelectionem; quæ ſine dubio eſt obiectum bonum iuxta regulam: *Ex duobus malis minus eſt eligendum;* tum denique quia Proximus per hoc conſilium non inducitur ad peccatum, ſed ſolùm vt peccatum minuat, & deſiſtat ſaltem à parte culpæ, quã firmiter apud ſe ſtatuit patrare; quod vtique eſt conſilium laudabile, ac bonum (quale etiam eſſet, ſi volenti furari, & occidere conſuleres, ne occideret; is enim ſi nollet conſilio acquieſcere, niſi patrato minori malo, commiſſio hæc minoris mali non conſulenti, ſed ipſi committenti imputanda eſſet. ita *Sanch. ſup.num. 15.* addens *num.16.* in hoc euentu non licere ſolùm conſulere, ſed etiam inducere ad minus malum perpetrãdum: cum ipſum conſilium ſit quædam inductio, & talis inductio verè non ſit ad malum, ſed ad electionem minoris mali, quæ, vt diximus, eſt bona.

45 Verum eſt tamen, quod ſi maius, & minus malũ non erant inferenda vni, ac eidem perſonæ, ſed diuerſis; tunc non licet conſulere minus damnum inferri vni ad vitandum, ne maius inferatur alteri: idque eſtò aliter vtrumq; malum caueri non poſſit (intellige, ſi tale minus damnum, ſecluſo eiuſmodi cõſilio, inferendum non erat illi alii). ita *Sanch.ſup.nu. 24.* & probat tum quia ſic conſulens directè eſt cauſa illius damni tertiæ perſonæ; vt pote quod nõ erat inferendum, niſi ipſe conſuluiſſet; tum quia illa tertia perſona aſſignata habet ius, ne ipſius damnum conſulatur ad cauendum maius damnum alienum; vt hinc patet, quod iniquum eſt volenti occidere Caium gratia iniuriæ vlciſcendæ, conſulere vt potius ſecet brachium Titio: quid enim debet in hoc Titius Caio? tum deniq; quia media ad auertendum quempiam à malo propoſito nocendi debent eſſe proportionata fini iuxta leges iuſtitiæ, quæ nulli ſinit inferri damnum, nec permittit conſulere commodo vnius cum alterius præiudicio (v.g. furari ad faciendam eleemoſynam) eò vel maximè quod illa tertia perſona non tenetur ſubire id minus damnũ, vt alienum grauius euitetur, ideoque meritò poteſt conqueri de conſulente, & iuſtè eſt inuitus: vnde fit, vt qui ſic conſulit, peccet con. ius alterius, ac proinde teneatur de damno.

46 Dixi, *Si tale minus damnum, ſecluſo eiuſmodi conſilio, inferendum non erat illi alii:* ſi enim damnificans decreuerat inferre vtrumq; illud dãnum, & maius, & minus, tunc vtiq; licitum eſſet conſulere, vt alterũ ſolũ inferret, ſi aliàs vtrumq; nõ poſſet auerti. Ratio diſparitatis eſt, quod ſic non conſulitur vllum malum, ſed tantùm ſuadetur minus malum; cum minus ſit lædere vnum, quam lædere duos, & nullum horum iure poteſt offendi, cum ille iam ſtatuiſſet inferre vtrumque damnum, adeoque ex eo quod liberetur, ſiue maius, ſiue minus malum paſſurus alter non poteſt conqueri. quamquam in propoſito caſu violari poſſet charitas, ſi quis potens impedire vtrumuis dictorum malorum, auerteret à minori damno, poſtpoſito alterius damno maiori; lex ſi quidem charitatis petit maius damnum præferri minori, niſi præponderet aliqua alia ratio cohoneſtans antepoſitionem minoris damni (qualis eſſet maior coniunctio cum conſulente, & grauior paupertas): vnde, ſi quis poſſet impedire vtrumuis illorum (non tamen vtrumque) cæteris paribus

paribus debet potiùs impedire maius, quam minus. ita *Sanchez ſupra num.* 24. addens, quod ſi malefactor nolit nocere certæ, ac determinatæ perſonæ, ſed in communi, licitum eſt tunc conſulere minus damnum, nimirum vt noceat illi, cui minus damnum illaturus eſt: verbi gratia ſtatuit quis furari, licet conſulere, vt potius furetur à diuite, quam à paupere; imo in caſu, quo quis velit nocere certæ alicui perſonæ, licitum eſt conſulere in generali, vt noceat alteri non nominata tamen perſona; in his quippe caſibus non determinatur voluntas nocentis ad vllius damnum, ſed ſolum reuocatur, ne huic perſonę numero noceat, cui nocumentum eſſet maius, & grauius: quod eſt non conſulere malum alterius, ſed auertere damnum alterius, cui tale damnum cederet in malum longè maius.

Dubium hìc eſſe poſſet, vtrum in caſu, quo nocens eſt indeterminatus, an inferat maius illud damnum Titio, an minus Caio; tunc liceat conſulere minus malum ad cauendum maius.

47 ℞. Non licere: cum ſic conſulens ſit iniurius Titio, determinando dubiam alterius voluntatem ad illud damnum, quod fortè abſque eius conſilio non ſubſequeretur, ita *Nau.l.3. de reſtit.c.4. num.* 29. ſubdens aliter dicendum eſſe in caſu, quo nocens vtrique ſtatuiſſet inferre damnum: idque ob rationem ſup. allatam.

48 Illud demum benè monent *Sot. Salon. Mol.* & alij apud *Sanch.ſup.num.*27. quod, quamuis liceat conſulere alteri minus malum ad cauendum maius: non ideo tamen poteſt quis eligere ſibi tale conſilium; & ratio eſt, quod in alio non poſſumus vitare vtrumque malum, adeoque tutò conſuli poteſt, quod minus eſt: in nobis autem ipſis vtrumque poſſumus, & debemus cauere, vt patet.

QVÆRES XXII. An Regulares cum periculo propriæ vitæ teneantur impedire mortem illius, quem ſciunt moriturum eſſe in peccato m. ſi tunc temporis ipſi v.g. dormienti, mors ſuperueniat ſiue à ſe, ſiue ab alio.

49 ℞. Teneri, ſi poſſunt impedire, & alioqui moraliter ſint certi illum poſteà à peccato liberandum. ita *Caſtr.Pal.tract.6.D.1 p.9.num.*4. ex *Suar.*& *Conin.* patetque ex eo quod Proximus in illis circumſtantijs eſt in extrema neceſſitate ſalutis ſpiritualis: conſtat autem ex dictis *ſup.q.9.* vnumquemq; teneri cũ periculo ꝓpriæ vitæ corporalis ſubuenire proximo conſtituto in neceſſitate extrema ſalutis ſpiritualis.

Vtrum verò Religioſus iniuſtè inuaſus, ad iuſtam ſui defenſionem poſſit, ſaluo moderamine inculpatæ tutelę, occidere inuaſorem, etiam ſi ſciat illum tunc temporis eſſe in peccato m., adeoq; moriturum reum æternę mortis.

50 ℞. Poſſe, non tamen teneri, ſi ipſemet Religioſus ſit moraliter certus ſe tunc eſſe in gratia, nec habeat conſcientiam peccati m. Pars 1. quæ eſt Leſſij *l.2.c.9.num.*51.*Bonac.de leg.D.3.q.3.p.4.num.*3. & aliorum: probatur ex eo quod non tenentur lege charitatis exponere ſalutem corporis pro ſalute animæ alterius, niſi quando ea eſt in extrema neceſſitate, ex qua non poſſit ſe eripere, niſi noſtra ope: vt ſi infans moriturus ſit abſque baptiſmo; in præſenti autem caſu Proximus non eſt in extrema neceſſitate; cum ſponte, & libere ſe coniiciat in diſcrimen ſalutis, ſeque liberrimè poſſit eximere; prę ter quam quod ex vna parte qui inuaditur, non eſt certus de ſua ſalute, eſtò non habeat conſcientiam peccati m. ex alia parte inuaſor etiam vulneratus poteſt conuerti, & ſaluari, vt patet 2. pars, quæ colligitur item ex *Leſſ.l.4.c.3. num.* 12. & eſt communis DD. conſtat ex eo quod, cum bonum virtutis ſit præſtantius ipſa vita hominis, propter illud poteſt vitam deſerere, ac exponere propriam vitam corporalem pro ſalute ſpirituali Proximi maximè exiſtentis in graui neceſſitate illius (vt euenit in caſu noſtro) ſit actus inſignis charitatis: neceſſariò dicendum eſt Religioſum in caſu propoſito poſſe permittere ſe occidi corporaliter, ne alioqui occidens manifeſto ſalutis ſpiritualis diſcrimini obiiciatur; intellige, niſi talis Religioſus eſſet valdè neceſſarius bono communi: nam tunc teneretur ſe tueri con. inuaſorem, vt conſuleret communi bono, quod ſine dubio præferendum eſt bono priuato inuaſoris: quod non accideret, ſi inuaſor bono cõi eſſet longè vtilior, quam ipſe Religioſus.

51 Dixi, *ſaluo moderamine inculpatæ tutelæ*: vt indicarem, quod, ſi Religioſus in caſu ſup. poſito poteſt ſibi conſulere fugiendo, & nolit fugere, ſed occidat inuaſorem, tunc ſine dubio peccat m. contra charitatem: vt pote qui ſine ſuo graui incommodo poteſt ſuccurrere proximo conſtituto in graui neceſſitate ſalutis ſpiritualis, & negligit ſuccurrere, malens potius eum occidere, quam fugere: cum tamen fuga Religioſo viro non ſit ignominioſa; vt benè inter alios aduertit Leſſ.*l.2.c.9.nu.*85. addens ex Iul. Claro Religioſum non peccaturum in hoc caſu con. iuſtitiam; cum ſit communis opinio Iuriſtarum inuaſum non teneri fugere, etiamſi poſſit, ſiue fuga ſit dedecori, ſiue non; quod item diſertiſſimis verbis tradit *Diana p.5.tr.4.reſ.49.* cum ipſo *Leſſ.Bec. & Hurtado* abſolutè, ac generaliter docentibus hac in re lege iuſtitiæ non teneri magis Eccleſiaſticos, quam ſæculares. Quamquam, etiam admiſſa hac doctrina quo ad Eccleſiaſticos ſæculares, non puto eſſe ita certum, quod illa eodem modo admitti debeat quo ad Religioſos: ſi quidem Religioſi ex vi ſui ſtatus tenentur ad maiorem perfectionem, quam Eccleſiaſtici ſæculares, etſi ſint initiati Ordinibus Sacris, ſicque debent negligere mundanum honorem, ignominiam Crucis quam libentiſſimè complectentes cum Apoſtolo Paulo *Gal.6.* dicente: *mihi abſit gloriari, niſi in Cruce D.N.I.C.* & conſequenter non debent exiſtimare dedecoroſam ſibi eſſe fugam: ſi aliàs inuaſoris vim effugere non poſſint, niſi illum occidendo, aut grauiter vulnerando; vnde fit, quod, cum iuxta dicta Religioſus poſſit ſine notabili incommodo per fugam ſe ſeruare ab inuaſore; ſi illum occidat prætextu vitæ defenſionis, dici poteſt occidere, non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ; & per conſequens iniuſtè; vt in terminis notat *Bonac.de Cenſur.in comm.D.7.q.4.p.6.n.2.* ex *Mol. Suar.& Vgolino.*

QVÆRES XXIII. An Regulares teneantur vti priuilegijs ſuo Ordini conceſſis in Ordine ad ſpiritualem Proximorum ſalutem; abſoluendo v.gr. à reſeruatis iuxta facultatem ipſis conceſſã.

52 ℞. Teneri, niſi habeant iuſtam cauſam ijs non vtendi. ita *Rodriq.tom.1.q.61.a.15.* dicens eum, qui poteſt diſpenſare, & ſine cauſa non vult, peccate ad minùs venialiter (quod etiam ducet *Nauarrus* alios allegans in *Manuali prælud.9.numer.12.*) & probatur, quia, licet in conceſſione priuilegiorum Regularibus non præcipiatur, vt ijs vtantur: ſi tamen pœnitentem renuant abſoluere à reſeruatis iam manifeſtatis in confeſſione abſque iuſta cauſa, renunciarent priuilegio abſoluendi in præiudicium pœnitentis iuſtiſſimè petentis abſolutionem à reſeruatis, ne bis cogatur idem peccatum fateri; cum aliàs non liceat renunciare proprio priuilegio, ſi tangat ius Superioris, aut tertij, teſte *Panormitano in cap. ſi de terra de priuileg. & exceſſibus priuilegiatorum numer.5.* Dixi, *& ſine cauſa non vult*, vt innuerem, occurrente iuſta cauſa (v.gr. vt pœnitens magis impoſterum deterreatur à ſimilibus exceſſibus committendis) licitè poſſunt Regulares nolle abſoluere pœnitentem ab illis, etſi poſſint vi ſuorum priuilegiorum, vt notauit *Rodr. ſup.*

QVÆRES XXIV. An interdum teneantur Regulares adire Superiorem ad petendam facultatem abſoluendi à reſeruatis pœnitentem ipſis confeſſum, & quando.

53 ℞. Teneri ſaltem ex lege charitatis; ſi putent non expedire, aut pœnitentem adduci non poſſe, vt ſe ipſum ſiſtat Superiori ad obtinendam abſolutionem reſeruatorum; & aliàs ipſi ſine graui incommodo adire poſſint Superiorem ad dictum effectum. ita in terminis *Layman l.5.tract.6.cap.12. numer.7.* & probatur, quia charitas obligat, vt ſuccurratur Proximo exiſtenti in graui neceſſitate iuxta illud *Eccleſ.17. mandauit illis vnicuiq. de proximo ſuo*: Proximus autẽ in præſẽti caſu eſt in graui neceſſitate ſalutis ſpiritualis, vt patet; & aliàs ei poteſt ſubueniri ſine graui incõmodo Cõfeſſarij, vt ſuppono.

QVÆRES XXV. An Regulares teneantur, etiam cum periculo propriæ vitæ concedere abſolutionẽ Sacramẽtalẽ ei, qui vixit diu in cõſuetudine peccãdi, & morti ꝓximus petit Cõfeſſariũ, à quo abſoluatur, Parocho, neq; alio ipſi in hoc ſuccurrente.

54 ℞. Quod, quamuis *Bannes Suar; & Valentia* apud *Caſtrum Palaum tract.6.D.1.p.9. numer.6.* affirmantem partem ſequantur ex eo quod tali homini difficillimum ſit habere contritionem, ideoque cenſeatur eſſe in extrema neceſſitate ſpiritualis ſalutis (in quo caſu tenemur ſubuenire Proximo, etiam cum periculo propriæ vitæ:) id tamen videtur ſolum procedere reſpectu hominis ruſtici, aut prorſus ignari ad iuſtificationem extra Sacramentum requiri contritionem; cum eius menti non occurrat obligatio habendi contritionem. ita *Caſtrus Palaus ex Coninco D.25. de charit. numer.90. Nauarro cap.24.numer 9.* & *Bonac.D.3.de Legib.q.4.p.4.numer.2.* id indicante: & probatur, quia alioqui tempore peſtis, ac inuaſionis hoſtilis, deficientibus Parochis tenerentur Regulares cum periculo propriæ vitæ ſic oppreſſis miniſtrare Sacramenta, nec poſſent fugere, ne illi alij ob defectum contritionis in æternum perirent: quod tamen Doctores communiter negant cum *S.Thoma 2.2.q.26. a.5. ad 3.* & meritò, cum non deceat ſuauitati Legis Euangelicæ ob neceſſitatem Proximi, à qua ipſe poteſt ſe liberare, te eſſe arctandum ad amiſſionem propriæ vitæ, ac bonorum fortunæ in præiudicium iuris maximè naturalis, quod homo habet conſeruandi vitam, & vitæ neceſſaria.

QVÆRES XXVI. An Regulares, ſi videant aliquos celebrare contractũ vſurariũ ex ignorantia vincibili, aut aliquod aliud peccatũ, teneãtur etiam cum periculo vitæ ijs aperire veritatem, aliàs in ea ignorantia perſeueraturis, niſi ipſi ſuccurrant.

55 ℞. Non teneri; cum ſic non cenſeantur eſſe in extrema neceſſitate, quippe qui præſumi non poſſunt ſemper in peccato perſeueraturi, nec aliquando eſſe à Deo illuminandi; vt notauit *Caſtrus Palaus ſup. numer.8.* ex *Coninco* contra *Valentiam 2.2. D.3.p.3. verſic. quartus caſus* opinantem in illo caſu dari extremam neceſſitatem.

QVÆRES XXVII. An Regulares aliquando teneantur operari iuxta opinionem minùs probabilem, imò à pluribus iudicatam falsã.

56 ℞. Teneri ex charitate, ſi immineat Proximo graue periculum, & opinio apparentem habeat probabilitatem, vt loquitur *Nauarrus c. inter verba coroll.53.numer.135. in 2.edit.* dicens periculum graue facere, vt in moralibus formido præponderet opinioni. Ratio reſponſionis eſt, quod lege charitatis tenemur ſubuenire Proximo grauiter indigenti quocumque modo licito non cedente in graue noſtrum præiudicium; vt notant *Suar. D.9. de charitate ſect.2.numer.5.concl.4. Sà v.charitas nume.5. & alij* apud *Caſtrum Palaum ſup. numer.11.* monentem à fortiori id procedere, quando Proximus grauiter indiget in ſpiritualibus: cum ergò Proximus in præſenti caſu grauiter indigeat in ſpiritualibus, vt ſuppono; & Religioſus tali indigentiæ ſine vllo ſuo incommodo ſuccurrere poſſit ſequendo opinionem minus probabilem modo dicto, idque licitè poſſit facere; vt benè oſtendit *Baldell l.4. D.11. num. 15. ex Soto, Sanch. ac Reginaldo*; vtique tenetur id facere, & quidem, vt puto, ſub mortali peccato, attẽta grauitate mali imminentis Proximo, & facilitate, qua ſuccurri põt eius neceſſitati.

Et hoc puto procedere; etſi Religioſus eſſet operaturus contra propriam opinionem, imò & ſpeculatiuè exiſtimaret illam aliam opinionem eſſe improbabilem, ac falſam; quippe cui occurrit ratio contra illam, quam ipſe putat inſolubilem: adhuc enim poteſt, & debet iudicare practicè illam eſſe probabilem; cum ſolo ſuo iudicio non debeat alienam opinionem exiſtimare improbabilem; eò vel maximè, quod ſibi perſuadere debet quotidie contingere ſubitò inueniri ſolutionem rationum, quas quis putabat inſolubiles, aut ab alijs facilè ſolui, vt aduertit *Sanch.l.1.mor. cap.9.nu.6.* Quamquam, ſi Religioſus tenaciter inhæreat propriæ opinioni, certus illius rationes non poſſe ſolui; tunc non poſſet ſequi alienam opinionem, neque in conſilio, neq; in opere; vt notauit idẽ *Sanch. vbi ſu.*

Addo Regulares poſſe, imò & teneri ſequi opinionem probabilem pœnitentis, ſua omiſſa. ita *Suar. D.32. de pœnit. ſect.5. num. 4.* alijs citatis; & probat, quia in tali caſu pœnitens integrè confeſſus eſt, & eſt benè diſpoſitus, nihilque facit contra conſcientiam; & hoc totum manifeſtum eſt Confeſſario; nullum ergò habet ius, nec vllam ratio-

rationem dimittendi illum ſine abſolutione. Quamuis *Sanch. ſup. num.* 29. putet obligationem abſoluendi pœnitentem in præſenti caſu, quæ ex genere ſuo eſt mortalis, poſſe excuſari à mortali ex paruitate materiæ; vt ſi confeſſio ſit breuis, vel de ſolis venialibus; ita vt eius repetitio cenſeri non poſſit multùm oneroſa pęnitenti, quod etiam indicat *Suar. ſup. numer.* 2. dicens hanc obligationem eſſe grauem, non tamen ſemper ſub mortali monens contra *Polancum in direct. cap.* 1. *§. de prudentia Confeſſ.* illam adſtringere non ſolùm proprium Parochum, ſed etiam Confeſſarium quemcumque & conſequenter etiam Regularem; cum audita confeſſione, vterque teneatur ex inſtitutione Sacramenti, ac Officio Confeſſarii abſoluere pęnitentem benè diſpoſitum: quod docet etiam *Sanch. loco ſup. citato* addens *numer.* 30. dicta in hoc §. procedere etiam in caſu, quo Confeſſarius opinionem pęnitentis falſam putaret; ſi hæc probabilis reputetur inter probatos DD.

Placet autem quod notat *Sanch. n.* 21. ex *Salas*, nempe, ſi conſulens expreſsè roget, an aliqua ratione excuſari poſſit à reſtitutione, teneri conſultum declarare opinionem aliorum probabilem excuſantem, aut abſtinere à conſilio dando: alioqui ipſum deciperet. Quod non procedit, ſi conſulens abſolutè roget; tunc enim conſilium dare poteſt iuxtà ſuam opinionem probabiliorem, reticendo alienam opinionem minùs probabilem; vt colligitur ex *Salas* 1. 2. *q.* 21. *tr.* 8. *D. vn. ſect.* 9. *n.* 85.

Monet præterea *Sanch. numer.* 23. ex *Salas*, & *Vaſq.* non licere Doctori petentem conſilium remittere ad alium Doctorem, quem ſcit eſſe in contraria opinione, eò quod ignoret inuincibiliter ius aliquod aduerſans ſuæ opinioni; licèt enim is ſine culpa conſilium præberet ob ignorantiam inuincibilem; non ideo tamen à culpa liberatur remittens conſcius veritatis. At poſſet remittere, quamuis eam opinionem cenſeret eſſe improbabilem; ſi alius Doctor aliis rationibus, quæ ipſi, & aliis viris doctis probabiles videntur, opinionem, quam ipſe reputat falſam, ſequeretur: nam conſilium petens Doctoris illius, ad quem remittitur, opinionem ſequi poteſt, eaque verè eſt probabilis, etſi Doctori remittenti videatur improbabilis.

QVÆRES XXVIII. An Regulares in aliquo caſu teneantur interrumpere ſacrificium Miſſæ ad audiendam confeſſionem infirmi, ſiue miniſtrandum aliquod aliud Sacramentum.

57 ℟. Teneri; & quidem etiam poſt Conſecrationem, ſi alioqui infirmus ſit moriturus abſque abſolutione Sacramentali, niſi Sacerdos ſtatim ad illum accedat ad eius confeſſionem audiendam. Moneor, quod, teſte *Layman lib.* 5. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. pro ſe adducente *Zambranum*, ſi infirmo morituro miniſtrandum ſit Sacramentum Pœnitentiæ, poteſt Sacerdos Miſſam inchoatam, etiam poſt Conſecrationem relinquere, ſeruante interim aliquo S. Euchariſtiam, ſecum deferre formam conſecratam, & Extremam vnctionem ad infirmum; &, audita eius confeſſione, & data Euchariſtia, & Extrema vnctione (remiſſis tamen Pſalmis Pęnitentialibus ad Eccleſiam poſt Miſſam) reuerti ad abſoluendam Miſſam: idemque dicendum, ſi infirmo morti propinquo ob phreneſim v.g. nullum aliud Sacramentum præter Extremam vnctionem conferri poſſit. quamuis in his caſibus Sacerdos debeat ſemper curare, vt quam citiſſimè ſe expediat, & ad abſoluendum Sacrificium redeat; conſiderans tum periculi magnitudinem, ſeu quã neceſſariũ ſit Sacramẽtũ infirmo, tũ quouſque in ſacrificio progreſſus ſit, tum quamdiu ipſum abeſſe, & num ſacris etiam veſtibus exui opus ſit: quod ſi hoc totum facere poſſunt Regulares, vtique & tenentur ex charitate illud facere: qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media, ſine quibus obtineri nequit finis; cum ergo Regulares teneantur vacare ſaluti Proximorum, & in caſib. propoſitis neceſſaria ſit interruptio Miſſæ ad eorum ſaluté, tenentur omninò illã interrũpere.

QVÆRES XXIX. An Regulares teneantur conſulere bono temporali Proximorum (v. gr. procurare dotem puellæ, quam pater ob paupertatem lęſioni traditurus eſt contra eius voluntatem,) ſi id moraliter neceſſarium iudicetur ad bonum ſpirituale ipſorum.

58 ℟. Teneri ex charitate, ſi abſque graui incommodo facere id poſſint; & hoc ob rationem allatam §. *præcedenti*: non tamen cum graui incommodo, dato quod puella non laboret extrema neceſſitate, vt benè putat *Caſtrus Palaus ſup. numer.* 8. ex *Comnco*; id inde probans, quod puella liberè conſentit peccato, etſi aliquo modo coacta ob reuerentiam patris; & poteſt ſuſtinendo irã illius peccatũ vitare. Colligitur ex *Suar. to.* 3. *de rel. l.* 5. *c.* 5. *n* 8.

QVÆRES XXX. An, & qualiter teneantur Regulares inducere ad pęnitentiam illum, quem fortè induxerunt ad peccandum ſiue conſilio, ſiue malo exemplo.

59 ℟. Teneri non ſolum ex charitate (qua tenerentur, etſi non induxiſſent ad peccandum) ſed etiam ex iuſtitia, ſi induxerunt per vim, vel fraudem: & probatur, quia quando interuenit vis, aut fraus, læditur ius alterius, quod habet ne per vim, aut fraudem aliquod malum ei inferatur; ac proinde, quantum fieri poteſt, reſtituendus eſt Proximus in eum ſtatum, à quo deiectus eſt. Secus, ſi inductio ad peccandum facta eſt ſine vi, aut fraude; nam vbi non eſt vis, aut fraus, non adeſt iniuria, quæ ſcienti, & volenti nequit fieri, ſicque non adeſt obligatio reſtituendi ex iuſtitia: niſi fortè peccatum, ad quod facta eſt inductio, eſſet in materia iuſtitiæ (v.gr. ad furandum) tunc enim peccatum eſſet, etiam contra iuſtitiam, adeoque adeſſet obligatio reſtituendi. ita *Sanch. l.* 1. *conſil. cap.* 3. *d.* 1. & *l.* 1. *mor. cap.* 6. *numer.* 5. *Leſſ. l.* 2. *cap.* 8. *d.* 2. *Cardin. de Lugo D.* 9. *de iuſt. nume.* 9. contra *Scotum*, & plures alios adductos ab ipſo *Cardinali* vniuerſaliter aſſerentes obligari nos ex iuſtitia inducere ad pęnitentiam illum, quem induximus ad peccandum, nec non ad orandum pro eo; & curandum, vt etiam alij pro eo orent.

An autem in caſu, quo quis ex ſola charitate tenetur inducere ad pęnitentiam illum, quem induxit ad peccandum non ſolùm magis teneatur (quod certum videtur) ſed etiam ad plus, itaut in aliquo euentu in quo alij non tenerentur ipſe teneatur ex charitate.

℟. Car-

℞. *Cardinalis de Lugo ſup. numer.* 15. quod, licet de poſſibili non repugnet inducentem ad peccatum grauiter teneri in aliquo gradu neceſſitatis ſpiritualis ex charitate ſubuenire ei, quem induxit, vel cum aliquo ſuo incommodo, eum quo, & quo caſu alij non tenerentur: communiter tamen videtur non teneri; cum vix occurrere poſſit caſus, quo adſit vera neceſſitas in hac materia, & alij etiam grauiter non tenerentur. Quo modo *Leſſius ſup. numer.* 10. ex *Nauarro* ait inducentem ad peccatum non teneri ſub mortali ad plus, quam alius: nam charitas non obligat ſub mortali, niſi ob neceſſitatẽ Proximi, quo caſu etiam cæteri tenẽtur; ſi verò abſit neceſſitas, inducẽs tenetur ſolũ ſub ven.

QVÆRES XXXI. An Regulares ex charitate teneantur abſtinere ab ijs, quæ aliàs eis licitè permittuntur, ſi inde videant imminere Proximo periculum ruinæ ſpiritualis.

60 ℞. Teneri, ſi commodè poſſint; commodè autem poſſunt, ſi ijs inde nullius rei vtilis, aut neceſſariæ iactura immineat. ita *Caſtrus Palaus tract. 6. D. 6. p. 7. numer. 4. Sanch. l. 1. mor. cap. 6 numer.* 17. alijque & probatur, quia ex charitate tenetur quilibet ruinam Proximi vitare, ſi poteſt commodè modo ſupra explicato. Quod verò puella ex ſola curioſitate non poſſit ſe præſentare aſpectui hominis eam turpiter adamantis præcisè ne priuetur libertate ſua, & iure, quod habet diſcurrendi hac, & illac; admitti non debet, niſi in tali diſcurſu adſit honeſtus finis, qui vtiq; non eſt ſolum exercitium libertatis; cum hoc ſit commune actibus bonis, ac malis, vt rectè aduertit *Caſtrus Pal. ſup. n.* 5.

QVÆRES XXXII. An, & qualiter teneantur Regulares impedire peccata Proximorũ.

61 ℞. Teneri ex charitate, ſi poſſint abſque graui incommodo. Colligitur ex *Bonacina D. 3. de Legibus q. 4. p. 7. numer.* 4. & probatur tum ex dictis *hic q.* 19. tum quia Proximus conſtitutus in proximo periculo peccandi mortaliter eſt in neceſſitate graui, & laborat magna miſeria; ex charitate autem tenemur ſuccurrere graui indigentiæ Proximi ſiue temporali, ſiue ſpirituali; & quidem etiam de iure naturali iuxtà illud, *Quod tibi fieri vis, alteri feceris.*

QVÆRES XXXIII. An, & qualiter Regulares teneantur dedocere, ſeu retractare doctrinam falſam, quam fortè tradunt, ſiue in obiectis practicis, ſiue in merè ſpeculatiuis.

62 ℞. Teneri, ex charitate quidem, ſi bona fide, ac inculpabiliter doctrinam illam tradiderunt, & aliàs ſine graui incommodo eam poſſint retractare; ex iuſtitia verò, & cum grauiori incommodo, ſi eam doctrinam tradiderunt ex officio (v. gr. vt Lectores, caſuũ conſcientiæ Reſponſores, aut Confeſſarij) aut mala fide, ac culpabiliter. Ratio reſponſionis eſt, quod ſtrictior eſt obligatio manans ex iuſtitia, aut ex culpa graui, quam quæ oritur ex ſola charitate, aut ex violatione iuſtitiæ inculpabili, (vt tradunt DD. communiter,) ac proinde mirum non eſt tradentem doctrinas falſas (& maximè in rebus moralibus, ac practicis) teneri illas retractare etiam cum grauiori ſuo incommodo, ſi eas docuerunt ex officio, & mala fide; non item, ſi eas tradiderunt tanquam priuati homines & bona fide; tunc enim ſolum tenentur ſe retractare, ſi commodè poſſint, cum ſic ſolùm teneantur ex charitate. quod etiam procedit in caſu, quo doctrinam falſam tradant ex officio, ſed bona fide; cum ſic violetur iuſtitia ſolum materialiter, ideſt abſque culpa, quæ ſtrictiorem inducit obligationem eam violanti; vt colligitur ex communi illa doctrina; videlicet eum, qui bona fide accipit rem alienam, & illam non habet amplius, nec vi illius factus eſt ditior, non teneri ad vllam reſtitutionem: cum non teneatur, neque ratione rei acceptæ, quam ampliùs non habet, nec ex iniuſta acceptione, quæ non interceſſit, excuſante bona fide.

Dixi, *& maximè in rebus moralibus, ac practicis*; vt indicarem ex *Sanch. ſup. D. 4. nu. 10. & ſeqq.* in traditione doctrinæ falſę de obiecto merè ſpeculatiuo, cõiter loquendo nõ reperiri iniuriã grauẽ, & conſequẽter nec peccat. m. cũ error poſitiuus de obiecto ſpeculatiuo ſit malũ intellectuale parui mom̃eti; vt benè notat *Card. de Lugo ſup. n.* 4. addẽs *n.* 5. in hac materia poſſe aliquãdo reperiri materiã grauẽ, & grauẽ nocumẽtũ; idq; in aliquibus caſib. ab ipſo allatis.

Quod ſi quæras, ad quid teneatur Regularis, qui in prælectionibus publicè dictatis deprehendit eſſe aliquos errores in materia morali.

63 ℞. Si quidẽ illi errores abſq; culpa morali ipſius irrepſerũt; ſi cõmodè poteſt, teneri eos corrigere, curãdo, vt de ijs moneãtur diſcipuli in præſẽtia ipſius ſcholã frequẽtãtes (ꝙ poſſet facere in publico gymnaſio nõ tñ tenetur monere hac de re ſeorſim ſingulos ſuos Diſcipulos tã præſentes, quã pteritos: cũ id nõ poſſit fieri ſine eius incõmodo graui, & aliqua ipſius erubeſcentia, ac moleſtia; quæ ſubire non tenetur; cũ nullã in ea re cõmiſerit culpã, ex qua oriatur ſtrictior obligatio iuxta dicta ſuperius. Quod ſi culpabiliter dictos errores inſeruit ſuis prælectionibus; tũc ſtrictius obligatur eos corrigere, etiã cũ grauiori ſuo incõmodo, ac moleſtia, eos retractãdo pro viribus, vt de ijs moneãtur ſui diſcipuli tũ preſentes, tum præteriti; cũ ratione officij acceptati ex quaſi cõtractu, & cõſequenter ex iuſtitia cõmutatiua teneatur tradere doctrinã (quare & tenetur, ſi vires ei ſuppetant, reſarcire damna in defectum principalis huc vſque ſecuta ex illa ſua falſa doctrina culpabiliter ab eo tradita) & ſi ſciens, & volens falſam tradat, ratione culpę in hoc commiſſę, tenetur ſe retractare eo meliori modo, quo poteſt.

QVÆRES XXXIV. An Regulares teneãtur preferre bonũ ſpirituale Proximi ꝓprio bono tẽporali.

64 ℞. Teneri ex charitate, ſi neceſſitas Proximi ſit grauis; & dãnum tẽporale ijs inde imminẽs ſit leue. ita *Suar. D. 9. de charit. ſect. 2. n. 5. Sã v. charitas n. 5. Valent. to. 3. D. 3. q. 4. p. 3.* alijq; & ꝓbatur, quia grauis neceſſitas ſpiritualis Proximi eſt bonũ ſuperioris ordinis, ꝙ debet præferri cuilibet iacturæ tẽporali leui: ſi .n. inimico grauẽ neceſſitatẽ tẽporalem patienti teneris ſuccurrere, ſi potes ſine tuo detrimento iuxta illud *Exodi 23. Si occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum ſi videris aſinũ odientis te, nõ pertrãſibis, ſed ſubleuabis cũ eo*: à fortiori teneberis ſubuenire proximo in ſpiritualibus grauiter indigenti.

QVÆRES XXXV. An Regulares teneantur corrigere defectum, quem fortè committant in audienda confeſſione pænitentium, & quo modo, vt ſic conſulant illorum ſaluti.

℞. Te-

65 ℞. Teneri, ſi defectus ſit circa ſubſtantiam,ac validitatem Sacramenti (eò quod v. g. defuit debita intentio,ac iuriſdictio) tunc .n. ſi id ſine notabili incōmodo fieri poteſt, petere debent facultatē à pænitente, ipſum monendi de re ſpectante ad confeſſionem alias ipſis factam; ſiue curando,vt pænitens ipſis iterum confiteatur peccata poſt vltimam confeſſionē facta, illum poſtea in cōfeſſione generatim interrogando, an de omnibus præteritis culpis doleat, eaq; in quantum poteſt,confiteatur; quo modo abſolutio cadet etiam in peccata cōfeſſa in præcedenti confeſſione. Quod ſi defectus in eo ſit,quod non eſt explicata circumſtantia neceſſaria, aut numerus peccatorū; regulariter tenentur Regulares ſolum pœnitere,ſi in hoc volūtariè deliquerunt. limita niſi defectus eſſet coniunctus cū dãno tertij,eò quod pænitens non ſit monitus de reſtitutione facienda;vel cū damno ipſius pænitentis, eò quod nō ſit monitus de occaſione proxima peccati vitanda: in quo caſu monendus eſſet pænitens: quamquã ꝙ ſpectat ad reſtitutionē præcipiendam non teneatur Confeſſarius monere pænitentem, niſi quãdo poſitiuè dixit illam non eſſe faciendã, non autē, quando ſolū tacuit. ita *Filliuc.tr.3.c.12.q.7.* & *Dian p.2.tr.35.reſol.7.* pro ſe adducens *Nugnum,ac Reginaldū*: & quidē quod attinet ad poſteriorē partē huius reſponſionis,inde probatur,quod ipſe pęnitens,qui omiſit circumſtantiã neceſſariam, aut numerū peccatorū, non tenetur repetere confeſſionem,ſed vbi reſcierit defectum,tenetur ſolum confiteri circumſtantiam, ſpeciem, aut numerum peccari omiſſum.

QVÆRES XXXVI. An Regulares teneantur orare pro ſalute ſpirituali vniuerſorum hominum, etiam infidelium, etiam reproborum.

66 ℞. Teneri ex lege charitatis: & probatur tum ex *1.Timoth.2.* vbi dicitur *Obſecro primū omnium fieri obſecrationes,orationes,poſtulationes,gratiarū actiones pro omnibus hominibus*: tū quia omnes homines, quãdiu ſunt in hac vita,capaces ſunt ſalutis: tū quia ob nullã infidelitatē, ac peccatorū obſtinationem tollitur peccatori capacitas, & poſſibilitas ſe conuertendi, ac proinde, nec poſſibilitas pro ijs orandi: imò quo maior peccator eſt,magiſq; remot⁹ à ſalute,eo magis oratione indiget,qua Deus moueatur ad eū diuertendū à malo. ita *Caſt.Pal.tr.7.D.1.p.6.n.3.* addēs *n.5.* pro beatitudine omniū viarorū collectiuè, imò & illius, quē quis ex reuelatione ſciat condemnandū, orari poſſe affectu ſimplici,ac cōditionato diuinæ voluntati ſubordinato: cū nulla ſit repugnantia, quod velis, quantū eſt ex te, reprobo ſalutē; imò in tali voluntate charitatem in illum oſtendas, ac diuinæ voluntati te conformes, quæ, quantum eſt ex ſe, vult omnes homines ſaluos fieri. nobiſcum ſentiunt *Suar.tom.2.de relig.l.1.de orat.c.15.n.6. & ſeqq. Leſſius l.2.c.37.d.7. Valentia 2.2.D.6.p.8.*

Quod autem dicimus pro omnibus orandum eſſe,nec vllū debere excludi ab oratione: nō facit quin aliquando poſſimus orare ſolùm pro nobis, aut pro amico,vel inimico in graui neceſſitate conſtituto; id enim licite fieri poteſt. hinc ſolùm ſequitur te non poſſe orationem communem, quam Eccleſia pro omnibus offert,coarctare; ſiue ores, vt miniſter Eccleſiæ deputatus, ſiue per alios miniſtros Eccleſiæ. prærerea ſi priuatim ores pro aliqua communitate ex obligatione, non potes ab ea excludere vllum, qui ſit pars dictæ communitatis: quod item procedit in caſu,quo priuatim voluntariè ores pro aliqua communitate,eiuſq; partibus. ita *Caſtr.Pal.u.6.* dicens in hoc vltimo caſu ſe non definire, an excluſio alicuius à communi oratione ſit mortalis, aut venialis,ſecluſo ſcandalo,ac expreſſo affectu vindictæ; monenſque eſſe certum, te obligari pro quolibet Proximo,etiam inimico orare,ſi tua oratione extremè,aut grauiter egeat, & probabiliter ſperetur illam ipſi eſſe profuturam.

QVÆRES XXXVII. An, & qualiter teneantur Regulares ſuffragari animabus fidelium in Purgatorio exiſtentibus.

67 ℞. Teneri ex charitate; ſi id facere poſſint abſq; notabili incommodo: & probatur quia quilibet tenetur lege charitatis ſuccurrere Proximo grauiter indigenti,vt conſtat ex ſuprà dictis: conſtat autem animas defunctorum in purgatorio exiſtentes grauiter indigere tum ob atrocitatem pænarum, quibus cruciantur,tum quia ſunt in ſtatu merè ſatis patiendi, nec valent pro ſuis peccatis ex ſe ipſis ſatisfacere. Præterea *Exodi 23.* iubemur bouem odiētis nos non pertranſire,ſed ſubleuare cum eo; ergò multò magis ex charitate tenemur ſubleuare animas defunctorum in profundam Purgatorij foueã dilapſas: denique tenemur ex charitate naturali facere alteri, quod vellemus fieri nobis iuxta illud, *Quod tibi vis fieri, & tu alteri feceris*: ſicut ergo exiſtentes in pœnis Purgatorij vellemus adiuuari fidelium ſuffragijs, ſic & debemus adiuuare eos, qui ibi de facto detinentur.

Concedo tamen, quod,cum grauitas indigentiæ animarū in Purgatorio detentarū multū diminuatur ex eo, quod per ſatiſpaſſionem poſſunt pro ſuis peccatis ſatisfacere, & alias adiuuantur pluribus ſuffragijs tū cōmunibus,quæ ipſis exhibētur ab Eccleſia in decurſu anni iuxta rubricas Breuiarij, ac Miſſalis,tum proprijs, quæ ipſis exhibentur à ſuis parentibus,& amicis tam voluntariè,quam ex obligatione ijs iniūcta ab ipſis defunctis: propterea Regulares,& alij fideles non ita facilè damnari debent de peccato; ex eo quod omittant opitulari animabus Purgatorij (maximè ſi ſint Sacerdotes:) nam obligatio illis ſuffragandi multum diminuitur ex eò, quod aliunde ijs multa ſuffragia perſoluuntur modo dicto: quo pacto aſſerunt Doctores præceptum eleemoſynæ diminui,aut etiam hìc, & nunc ſuſpendi, eo quod ſint alij, qui illam faciant indigenti. Dixi, *maximè ſi ſint Sacerdotes*; vt indicarem quod,cum Sacerdotes iuxtà rubricas Breuiarij, ac Miſſalis in recitatione horarum canonicarum, & in miſſæ celebratione pluries orent quotidie pro Animabus defunctorum, ij hòc ipsò videntur ſatisfacere obligationi, quam habent fideles ijs ſuffragandi.

F I N I S.

Ad maiorem Dei Gloriam, ac Honorem B.V. Mariæ, & Sanctorum P.N. Ignatij Loiolæ, ac Franciſci Xauerij.

INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM,

Quæ continentur in hoc Tomo

MANVALIS REGVLARIVM.

Primus numerus deſignat Tractatum, Secundus Caput, & Tertius numerum Capitis.

A

Abbas.

Religioſus promotus ad abbatiam ſæcularem eximitur ab obedientia Ordinis IV. 4. 179.

Abbatiſſa.

Illegitima eligi non poteſt in Abbatiſſam. III. 4. 38.
Irritat vota Monialium ſubditarum. III. 4. 64.
Recipit ad profeſſionem Nouitias ſubditas. III. 3. 3.
Item iuxta aliquos recipit profeſſionem virorum, quibus præeſt, ibidem
De potentia Papæ abſoluta eſt capax iuriſdictionis ſpiritualis. IV. 4. 143.
Imo de facto aliquæ Abbatiſſæ illam habent. ibidem.

Abſentia.

Ex abſentia Prælati vltra diem vnum naturalem Subprior acquirit iuriſdictionem ſpiritualem. IV. 4. 117.
Idque de iure communi. IV. 4. 118.
Non dicitur moraliter eſſe in loco, qui tranſit, aut breui commoraturus eſt. V. 2. 46.
Beneficiatij frequenter abſentes a Choro non peccant m. V. 8. 1 3.
Beneficiatij à Choro abſentes in varijs caſibus lucrantur diſtributiones. V. 8. 147.
Illas acquirunt relegati in exilium ſine ſua culpa. V. 8. 148.
Beneficiarij abſentes in propriæ eccleſię euidentem vtilitatem percipiunt diſtributiones. V. 8. 185.
Idque &ſi non ſint in loco beneficij. V. 8. 156.
Item, licet æque benè poſſent aſſiſtere Choro, ac expedire negotia Eccleſiæ. V. 8. 157.
Item etſi tempore diuinorum Officiorum tractent ſua negotia, alio tempore vacantes negotijs eccleſię. V. 8. 158.
Concilium Trid. concedit beneficiatijs abſentiam 3. menſium à loco beneficij. V. 8. 160.
Tali indulto fruitur abſens ordinariè toto anno. V. 8. 161.
Abſens ratione ſtudiorum, aut ex munere docẽdi acquirit fructus beneficij, non itẽ diſtributiones. V. 8. 167. & 168.
Elector abſens eligit per alium ſtando in iure communi. II. 2. 15.
Idque etiam poſt Concilium Trid. ſtatuens non licere ſupplere ſuffragia abſentium. ibid.

Abſolutio.

Dari poteſt confitenti ex ſcripto, ſi abſoluendus ſit præſens. V. 2. 25.
Data excommunicato vt ſic non eſt irrita. V. 3. 28.
Abſolui poteſt confitens ſolum mortalia, aut venialia in genere. V. 3. 59.
Abſolui non poteſt Sacerdos, qui celebrans facta generali confeſſione perdit loquelam. V. 3. 60.
Abſoluitur, qui inchoatam confeſſionem die præcedenti repetitur die ſequenti à Confeſſario ſenſibus omninò deſtitutus. V. 3. 61.
Item qui ſub prætextu confeſſionis generalis confitetur peccatum recens factum Confeſſario aliàs putante id fuiſſe iam confeſſum. V. 3. 62.
Cum limitatione tamen. V. 3. 63.
Actus contritionis heri elicitus, & non reuocatus, ſufficit vt pęnitens hodiè abſoluatur. V. 3. 65.
Abſoluendus interdum cum periculo vitæ peccator habitualis V. 12. 54.
Vide *v. caſus reſeruatus.*

Actus.

Ad inducendum conſuetudinem contra pauperiatem religinſam requiritur actuum frequentia. IV. 2. 384.
Hi actus debent eſſe voluntarij, extremi, ac manifeſti. IV. 2. 385.
Violatio Caſtitatis interdum multiplicatur per actus internos. IV. 3. 68.
Actus voluntatis 2 modis interrumpitur. ibidem.
Ad eliciendum actum voti obedientiæ per ſe petitur pręceptum Prælati. IV. 4. 12.
Actus præſcriptus à Prælato ſine formali præcepto ex 2. titulis eſt actus Obedientiæ. IV. 4. 14.
Agere ex affectu, & agere cum affectu ad rem præceptam differunt. IV. 4. 20.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

Ad actum Obedientiæ eliciendum propriè ac preſſè ſubditus fertur in actum vt cadentem ſub voluntatem Prælati. IV. 4. 35.
Non poſſunt præcipi actus merè interni. IV. 4. 93.
Alij id negant, ſed refutantur. IV. 4. 94.
Actus contra prohibitionem prælati geſtus non ſemper eſt nullus. IV. 4. 9..
Conditio ſuſpendit actum. IV. 4. 64.
Actus geſtus tempore inhabili relatus in tempus habile tenet ſaltem pro tempore habili. IV. 5. 276.
Actus in dubio interpretandus, vt valeat. IV. 5. 330.
Actus agentium non operantur vltra intentionem ipſorum. IV. 5. 345.
Binus actus inducit conſuetudinem. V. 2. 59.
Ad præſcribendum cont. regulam non ſufficiunt quicumque actus ibidem.
Actus leuis externè, etſi ex affectu interno ſit grauis, non ſufficit ad incurrendam cenſuram. V. 7. 7.
Licentia petita ad valorem actus debet præcedere. II. 9. 36.
Actus, ſi non valet, quo modo ſit, valet, quo modo poteſt. III. 1. 74.
Acceſſorium ſequitur naturam actus ſuper quem cadit. IV. 2. 59.
In eodem actu materiali inſunt variæ malitiæ ſpecie. IV. 5. 169.
Actus ſub cenſura vetitus, ad iſtam incurrendam debet eſſe mortalis externę. V. 8. 7.

Admiſſio.

Vide *v. nouitij quo ad poteſtatem admittendi, & v. nouitij quo ad admiſſionem.*

Aetas.

Ad faciendam bonorum renuntiationem in religione petitur ætas annorum 15. & 10. menſium. II. 9. 50.
Ad validè profitendum in religione requiruntur anni 16. completi. III. 1. 36
Fratres Minimi validè profitentur anno 18. non expleto. III. 1. 37.
Tenet profeſſio facta poſt annum 16. expletum, etiam in Ordine requirente maiorem ætatem. III. 1. 39.
Nouitij laici ex decreto Clemen. VIII. non profitentur ante 23. annum. III. 1. 40.
Religioſi profeſſi minores 21. annis tenentur ad ieiunia regulæ, non item Eccleſiæ. V. 5. 29.
Eccleſia non obligat ad ſua ieiunia ante 21. annum expletum V. 5. 30.
Nec vltra 60. annum. V. 5. 31.

Alienare.

Ordines incapaces componunt ſuper relicta abſq; ſolemnitate petita ad alienationem. IV. 2. 66. & 167.
Fratres Minores per Syndicum alienant bona ipſis competentia. IV. 2. 82.
Non item per ſe ipſos. IV. 2. 83.
Regulares non alienant bona ipſis relicta cum perpetuis oneribus Miſſarum. V. 2. 94.
Et hoc, etſi dicta bona ſint mobilia. ibid.
Locatio rei immobilis eccleſiasticæ, eiuſq; fructuum venditio æquipollet alienationi. IV. 2. 42.

Alimenta.

Religioſis ſuppeditat Deus neceſſaria alimenta. I. 6. 5.
Pater filio religioſo eiecto præſtat neceſſaria, ſi aliunde ea non habeat. III. 6. 19.
Non item Prælatus eijciens. III. 6. 20.
Secùs, ſi iniuſtè eijciat. III. 6. 21.
Alimenta non debentur Religioſo apoſtatæ, aut fugitiuo, licèt ſeni ac infirmo. III. 6. 22. & 23.
Item non ſemper debentur Religioſo in aliud monaſterium relegato ad agendam pænitentiam. III. 6. 25.
Item nec Religioſo tranſeunti ad arctiorem Ordinem niſi fortè pro tempore nouitiatus. III. 6. 26.
In aliquo tamen caſu deberentur etiam extra tale tempus. III. 6. 28.
Item non debentur Religioſo epiſcopo qui abdicato epiſcopatu, non habet vnde viuat. III. 6. 29.
Item nec Religioſo aliunde prouiſo. III. 6. 30.
Alimenta congrua Religioſo ſtatui ſuppeditanda. IV. 2. 15.
Mendicantes incapaces non recipiunt alimenta perpetua relicta ex legato. IV. 2. 37.
Recipiunt tamen eleemoſynas annuas perpetuas à miniſtris Principum aut ab alijs. IV. 2. 38.

Altare priuilegiatum.

Obligatus celebrare in eo ſatisfacit, ſi alibi celebret applicando indulgentiam. V. 9. 142.
Pecunia applicanda in Miſſis dicendis ad omnia altaria priuilegiata diſtribuitur Altari priuilegiato poſtea erecto. V. 9. 143.
Conceſſo indulto Altaris priuilegiati certæ eccleſiæ, ſi hæc non acceptauit illud, obtinere poteſt aliud ſimile indultum. ibidem.

Ambire.

Explicatur, quid ſit ambire directè, ac indirectè. IV. 5. 148.
Non omnis ambitus dicitur contra votum non ambiendi. IV. 5. 151.
Non omnis manifeſtatio ambitioſæ intentionis repugnat voto ambiendi. IV. 5. 151. & 158.

Ambitio.

Releganda ab Ordinibus reformandis. I. 5. 18.

Amentes.

Reijciendi à religioſa Profeſſione. III. 2. 24.
Non item amentes ad tempus. III. 2. 25.
Hi non recipiuntur in Societatem Ieſu. III. 2. 26.
Religioſo amentium datur Euchariſtia, ſi lucida habeat interualla. V. 3. 96.
Immò in articulo mortis datur perpetuò amenti, ac phrenetico, licèt non in omni caſu. V. 3. 97.
Feminę puberes fatuæ non poſſunt recipi intra clauſuram virorum Religioſorum. V. 6. 37.

Annus.

Ad annum probationis propriè inchoandum requiritur 14. annus. II. 1. 5.
Integer annus nouitiatus præmittendus etiam in caſu, quo coniux religionem ingrediatur intra primum bimeſtre. II. 2. 40.
In anno biſſextili duo dies pro vno computantur. II. 2. 36.
Vide v. Aetas.

Apoſtata à fide.

Frater Minor apoſtatans à fide facit con. votum ſpeciale, quod emittit de obediendo eccleſiæ. IV. 5. 10.

Apoſtata à religione.

Apoſtata eſt, qui reclamat con. profeſſionem validam. III. 5. 59.
Indebitè tranſiens ad Ordinem arctiorem non eſt apoſtata. III. 5. 141.

Sicque non incurrit pęnas Apoſtatarum. III. 5. 142.
Apoſtata, vel fugitiuus in remotiſſimis regionibus tranſit ſine alia licentia ad Ordinem laxiorem. III. 5. 145.
Prælatus non præbet alimenta Apoſtatæ, aut Fugitiuo Religioſo, licèt ſeni, aut infirmo. III. 6. 22. & 24.
Apoſtatæ, ac Fugitiui reuocari poſſunt ab extraneo, etiam ſumptibus Monaſterij. III. 6. 23.
Religioſus apoſtata non eſt liber à voto paupertatis. IV. 2. 374.
Religioſo apoſtatæ negatur communio, ſed non ſemper. V. 3. 93.

Apoſtoli.

Fuerunt verè Religioſi. I. 2. 7.
Nulla indigebant regula. I. 2. 8.
Profitebantur vitam mixtam. ibidem.
In ijs adumbrati profeſſi 4. votorum Soc. Ieſu. I. 3. 8.
Non fuit ijs præſcripta ratio viuendi auſtera. I. 3. 18.

Appellare.

Appellant Nouitij à Prælatis. II. 8. 23.
Appellatione pendente, obediendum Prælato. IV. 4. 131. & 168.
Religioſus Societ. appellans ad ſuperius tribunal, eò quod illi iniungatur gradus minùs gratus, eſt ſacrilegus. IV. 5. 318.

Applicatio Miſſæ.

Facta à celebrante con. voluntatem Prælati tenet. V. 9. 17.
Negat hoc tamen Fraxinellus. V. 9 18.
Ad eius valorem ſufficit intentio habitualis. V. 9. 59.
Celebrans ex ſtipendio applicat ſacrificium ſolum quo ad fructum ex opere operato. V. 9. 60.
Miſſa applicanda, ſin minùs ante, in Conſecratione. V. 9. 61.
Aliqui putant poſſe applicari poſt Conſecrationem. ibid.
Sacerdos nulli applicans Miſſam, eò ipsò cenſetur ſibi applicare. V. 9. 62.
Miſſa nulli applicata reponitur in theſauro eccleſiæ. ibid.
Fructus Miſſæ ratione obicis reperti in eo, pro quo applicatur, impediri nequit quo ad collationem gratiæ præuenientis. V. 9. 63.
Impediri tamen poteſt quo ad remiſſionem peccatorum. ibidem.
Applicari poteſt Miſſa pro primò daturis ſtipendium. V. 9. 68.
Limitanda tamen aſſertio. V. 9 70.
Sacerdos ſatisfacit applicando Miſſas generaliter pro ijs, quibus eas detinet obligatas. V. 9. 96.
Obligatus celebrare pro aliquo per annum integrum Miſſam quotidie applicat pro illo. V. 9. 119.
Oppoſitum non arguitur falſitatis. ibidem.

Approbatio ad confeſſiones.

Ordinarius approbare poteſt Sacerdotem Ordinis, etiam pro Nouitijs. II. 6. 36.
Confeſſarius Nouitiorum approbatur à Pręlato regulari. II. 6. 37.

Approbatio religionum.

Fit ab Eccleſia. I. 1. 9. & 10.
Modò reſeruatur Papæ. I. 1. 11.
Olim fiebat ab epiſcopo. I. 1. 9.
Eſt omninò neceſſaria ad rationem ſtatus religioſi. I. 1. 10.

Aſpectus.

Aſpectus venerei ſunt mortales IV. 3. 99.
Si tamen ex ſe ſint venerei. IV. 3 100.
In eorum confeſſione exprimenda conditio vtriuſq; complicis. ibidem.
Non ſunt mortales aſpectus turpes facti ex neceſſitate, loco, aut curioſitate IV. 3. 101.
Non peccat ſinens ſe aſpici ab aſpiciente ex malo fine, ſi ſe commodè nequeat ſubtrahere. IV. 3. 102.
Aſpectus turpes, & ſimilia facta in eccleſia ſecluſo periculo pollutionis non ſunt ſacrilega. V. 3. 40.

Attentio.

Ad implendum præceptum Miſſę requiritur ſaltem attentio virtualis externa V. 4. 48.
Attentio non eſt de ſubſtantia orationis vt ſic. ibidem.
Attentio interna, & intentio externa differunt. ibidem.
Attentio eſt triplex. V. 8 36.
Recitans horas abſque attentione interiori non repetit. V. 8. 35.
In recitatione horarum ſufficit attentio exterior. V. 8. 33.
Canonicus aſſiſtens Choro nullo modo attendens ad horas lucratur diſtributiones V. 8. 138.
Mediam partem illarum lucratur aſſiſtens choro, ſi obligatus ad canendum, ſubmiſſè canat attendens ad partem alterius Chori. V. 8. 140.

Auguſtiniani.

Vide *v. Fratres Auguſtiniani.*

Auſteritates corporis.

Nouitij in ijs exercendi. II. 5. 16.
Moderatè tamen. II. 5. 17.
Religioſi nimia auſteritate vitam ſibi abbreuiare nequeunt. III. 6. 64.
In Religionibus induci poſſunt nouæ auſteritates in regula non præſcriptæ, ſed non in omni caſu. IV. 4. 63.
Eæ imponi poſſunt ad tempus ob publicam neceſſitatem. IV. 4. 64.
Et, ſi inducantur, ſeruandæ etiam ab ijs, qui in illas non conſenſerunt. IV. 4. 65.
Non tamen induci poſſunt ſupra regulam IV. 4. 66.
Faciliùs induci poſſunt quo ad Religioſos impoſterum profeſſuros. IV. 4. 67.

B

Baptiſmus.

Religioſi non tenentur baptizare cum periculo vitæ, niſi in neceſſitate extrema. V. 12. 11. & 27.
Baptiſmus in extrema neceſſitate confertur etiam in materia dubia V. 12. 12.
Immo & debet conferri. V. 12. 13.
Interdum baptizari poſſunt infideles ſine diuturniori inſtructione. V. 12. 24.

Barnabitæ.

Vide *v. Clerici Barnabitæ.*

Benefactores Regularium.

Protecti ab Eccleſia. I. 6. 33.
Varijs gratijs fruuntur. I. 6. 37.

Qui dicantur tales. I. 6. 38.
Pro iis ſoluenda conſueta ſuffragia. III. 6. 52.

Beneficia Eccleſiaſtica.

Nouitij ea retinent vſque ad profeſſionem. II. 7. 23.
Sicque interim conuocandi ad electionem, ſi aliàs habuiſſent ius eligendi. II. 7. 24.
Obtinent noua beneficia. II. 8. 5.
Obtinent & penſiones; etſi alij id negent. II. 8. 6. & 7. & 8.
Sunt capaces beneficij regularis. II. 8. 9.
Non tamen duplicis beneficij. II. 8. 10.
Idque ſeruatis aliquibus. II. 8. 11.
In renuntiatione beneficiorum ſeruant ſolemnitatem præſcriptam in Concilio Tridentino. II. 9. 19. & 20.
Et tunc fructus manent renuntiantis, vſque dum renuntiatio legitimè acceptetur. II. 9. 21.
Illegitimus per profeſſionem fit capax beneficij regularis ſimplicis III. 4. 37.
Per profeſſionem vacant beneficia eccleſiaſtica, ac penſiones, ſed non omnes III. 4. 49. & 50.
Beneficia autem vacant ipſo iure. III. 4. 51.
Non item in Societ. per vota biennij; etſi iure ipſius Societ. ea reſignari debeant. III. 4. 52.
Tranſiens ad alium Ordinem fit incapax beneficij ſecularis. III. 5. 147.
Votum ſolemne paupertatis non tollit adminiſtrationem fructuum beneficialium. III. 2. 201.
Religioſus beneficiarius eximitur à voto paupertatis. IV. 2. 372.
Religioſus non poteſt cogi à Prælato ſuo recipere beneficium eccleſiaſticum. IV. 4 86.
Religioſi beneficiarij tenentur aſſiſtere choro. V. 8. 129.
Si abſint, priuantur diſtributionibus. V. 8. 131.
Excipiuntur tamen aliqui caſus. V. 8. 147.
Eas lucrantur iniuſtè incarcerati, aut relegati. V. 8. 148
Item iniuſtè cenſurati. V. 8. 149.
Item excommunicati, etiam vitandi ſi aſſiſtant. V. 8. 150.
Item ſuſpenſi. V. 8. 151.
Item interdicti. V. 8. 152.
Non item aſſiſtentes, durante Ceſſatione à diuinis. V. 8. 153.
Eas lucrantur aſſiſtentes, Eccleſia exiſtente polluta. V. 8. 1 4.
Item abſentes in euidentem vtilitatem Eccleſiæ. V. 8. 155.
Non lucrantur intereſſentes capitulari conuentui. V. 8. 163.
Lucrantur, qui tunc celebrant, aut audiunt confeſſiones; niſi obſtet conſuetudo. V. 8. 164.
Non lucrantur abſentes ratione ſtudij. V 8. 167.
Religioſi beneficiarij iure eccleſiaſtico tenentur ad priuatam horarum recitationem. V. 8. 185.
Et quidem ſub mortali. V. 8. 186.
Immò & ſub pœna reſtitutionis fructuum. ibid.
Tenuitas beneficij interdum excuſat. V. 8. 187.
Aſſignatur qualis eſſe debeat eiuſmodi tenuitas. V. 8. 188.
Beneficiarij tenentur ad horas, etſi ex propria culpa non percipiant fructus. V. 8. 190.
Habens beneficium in commendam tenetur ad horas. V. 8. 202.
Tenetur celebrare, qui habet beneficium ad id obligans. V. 9. 7.
Electus iterum ad beneficium reſignatum iterum facit fidei Profeſſionem. V. 10. 17.
Beneficiarius omittens Profeſſionem fidei reſtituit fructus perceptos poſt primum bimeſtre. V. 10. 14.
Non tamen ante ſententiam. V. 10. 7.
Beneficium à Nouitio renunciatum ante profeſſionem ab epiſcopo confertur poſt profeſſionem illius, & non ante. II. 9. 19.
Filius genitus à coniugibus poſt profeſſionem religioſam ab vtroque factam iure canonico illegitimus reputatur quo ad beneficium. IV. 3. 66.
Vide *v. hora canonica quo ad beneficiarium.*

Bona.

Plura proueniunt è ſtatu religioſo. I. 4. 1.
Bona Regularium magnis priuilegijs munita. I. 6. 49.
Bona Nouitij recedentis ei reſtituuntur, detractis alimentorum expenſis. II. 6. 22.
Nouitij non dant de ſuis bonis Conuentui, in quo probantur, immò nec toti Ordini. II. 8. 28. & 29.
Et quidem nec titulo mutui; etſi alij id negent. II. 8. 30. & ſeqq.
Liberè diſponunt de ſuis bonis. II. 8. 34.
Non ſic in Soc. Ieſu. II. 8. 35.
Renunciant bonis tempore præſcripto à Concilio Trident. II. 8. 36.
Monaſterium ſuccedit in bona Nouitij profitentis in articulo mortis, probatione non finita. III. 2. 9.
Vi profeſſionis illegitimus non ſuccedit in bona patris. III. 4. 39.
Tranſiens ad alium Ordinem ſecum non defert bona aliàs ipſi ad vſum conceſſa. III. 5. 153. & 167.
Defert veſtes actu neceſſarias ob decentiam. III. 5. 155.
Tranſiens ad faciendam pœnitentiam defert ſua bona quo ad vſumfructum. III. 5. 157.
Et, ſi quid interim acquirunt, acquirunt poſteriori Ordini. III. 5. 158.
Religioſus non prouiſus competenter de neceſſarijs ſibi conſulit ex bonis Conuentus. III. 6. 17.
Quidquid acquirit Religioſus, acquirit monaſterio. III. 6. 54.
Et quidem Conuentui, in quo tunc degit. ibidem.
Bona Ordinis conſeruanda à Religioſis. III. 6. 56.
Etiam communia conſeruanda. III. 6. 57.
Bona ſuperflua Religioſis nociua. I. 5. 19.
Bonum ſpirituale Proximi præferendum bono proprio temporali, ſed non ſemper V. 12. 64.
Subueniendum Proximo in temporalibus ob bonum ſpirituale. V. 12. 58.

Breuiarium.

Non ſeruans in Choro rubricas breuiarij quo ad ſitum, & habitum corporis peccat. V. 8. 44.
Secùs in priuata recitatione. ibid.
Breuiarij carentia excuſat à recitando diuino Officio. V. 8. 122. & 123.
Vide *v. hora quo ad recitationem in choro.*

Bulla Cruciatæ.

Ea vtuntur Nouitij, etſi aliàs ſit prohibita Religioſis. II. 7. 51.

C

Canonici.

Satisfaciunt obligationi Chori per ſimplicem aſſiſtētiam. V. 8. 135.

Aſſi-

Aſſiſtentes Choro retinent diſtributiones iuxta aliquos; etſi non recitent vllo modo horas. V. 8. 137
Oppoſitum tamen ſtatuit Pius V. in bulla ſua 135. in ordine. V. 8. 141
Retinent diſtributiones, etiamſi nullo modo attendant. V. 8. 138.
Canonicus Pœnitentiarius acquirit diſtributiones audiens confeſſiones tempore diuinorum Officiorum. V. 8 174.
Idem iuris eſt de ſuffecto in eius locum. ibidem.
Acquirit item Canonicus Theologus abſens à Choro ratione ſui muneris. V. 8. 175.
Is aſſiſtens Choro diebus conceſſis in vacationem non poteſt abeſſe poſtea totidem diebus, & acquirere diſtributiones. V. 8. 176.

Canonici regulares.

Ordo clericalis diuiditur in Canonicos regulares, ac Presbyteros ſimplices I. 3. 19.
Nomen Canonici eſt nomen excellentiæ, ac dignitatis. ibidem.
Non competit Clericis regularibus propriè loquendo. ibidem.
Conuerſi Canonicorum regularium non poſſunt dici Canonici. I. 3. 21.
Canonici regulares modò tranſeunt ad monachos. III. 5. 127.
Aſſignatur eorum paupertas. IV. 2. 23.
Vide *v. religio.*

Canonizatio.

Plures Religioſi canonizati in Eccleſia. I. 6. 26.

Cappellanus.

Habens cappellam collatiuam tenetur ad horas. V. 8. 196.
Secùs, ſi non ſit collatiua. ibidem.
Tenuitas cappellæ excuſat ab horis. V. 8. 198.
Obligatus celebrare in certa eccleſia titulo cappellaniæ non tenetur eò ipsò applicare Miſſam. V. 9. 99.
Obligatus celebrare quotidie titulo cappellaniæ ſemel vacat in hebdomada, niſi aliter ſtatuatur in fundatione. V. 9. 107.
Taliter vacans non celebrat alibi, nec pro alia intentione. V. 9. 108.
Aliqui diſſentiunt, ſed reijciuntur. V. 9. 109.
Vacantia hæc non conceditur præcisè ob voluptatem, aut curioſitatem. V. 9. 110.
Applicat Miſſam, qui habet cappellaniam fundatam his verbis *Quotidie celebret in remiſſionem peccatorum.* V. 9. 114.
Secùs, ſi in fundatione dicatur *Qui quotidie celebret orans pro anima mea.* V. 9. 115.
Si Eccleſia, aut altare deſignata ad celebrandum ſint impedita, vacat Cappellanus; ſi deſignatio ſit in cultum loci. V. 9. 122.

Capitulum regulare.

Concurrit ad receptionem Nouitiorum. II. 2. 3.
Non tamen in omni caſu, & in omni Ordine. II. 2. 4.
Aliqua quo ad hoc à Sixto Quinto ſtatuta. II. 2. 5.
Ex varijs iuribus requiritur Capituli conſenſus ad dictam receptionem. II. 2. 10.
Capitulo iniustè conſenſum negante admittit Prælatus. II 2. 13.
Capitulum non admittit ſine Prælato eiuſue ſubſtituto. II. 2. 17.
Capitulariter excluſus poſtea recipitur, & è contra. II 2, 21.
Admiſſus capitulariter non ingreditur ſine nouo Capitulo, ſi ingreſſum poſt admiſſionem nimis differat. II. 2. 22.
Iuxta Sixti Quinti bullam inter quodlibet 3. Capitulorum requiſitorum ad Nouitij receptionem requiritur diſtantia. 10. dierum. II. 2. 2:.
Capituli conſenſus item potitur ad receptionem profeſſionis III. 3. 7. & 9.
Sufficit tamen conſenſus maioris partis. III. 3. 10.
Capitulum non recipit ad profeſſionem, repugnante Prælato. III. 3. 12
Item non recipit, mortuo Prælato, niſi eius loco alter ſit ſubſtitutus. III. 3. 13.
Tenet receptio facta, etſi maior pars Vocalium careat voce actiua. III. 3 26.
Tenet profeſſio, ſi dato conſenſu Conuentus ſtatuat nouum ſcrutinium faciendum eſſe, & Prælatus ſine nouo ſcrutinio recipiat. III. 3 28.
Tunc tamen Superior non poteſt impedire tale ſcrutinium. III 3. 29.
Conſenſus Capituli non iteratur caſu, quo validanda ſit per Prælati ratihabitionem profeſſio facta nulla ex defectu recipientis. III. 3. 31
De conſenſu Conuentus Religioſus laicus non admittitur ad profeſſionem Clericorum. III. 3 33.
Prælatus cum Conuentu non reijcit à profeſſione admiſſum à Prouinciali. III. 3. 34.
Conſenſus Capituli requiritur, vt quis tranſeat ad Ordinem laxiorem. III. 5 65.
Item, vt tranſeat ad arctiorem. III. 5. 96.
Tranſiens ad :lium Ordinem priuatur voce actiua in Capitulo. III 5. 148.
Item & loco in Capitulo ibidem.

Capitulum.

Capitulum non debet fieri ordinariè tempore diuinorum Officiorum. V. 8. 63.
Beneficiarij tunc ei intereſſentes non lucrantur diſtributiones. V. 8. 163.

Carmelitæ.

Vide *v. Fratres Carmelitæ.*

Carcer.

Religioſus in pœnam addictus perpetuo carceri poteſt fugere. V. 7. 29.
Detentus in carcere deferre non debet Tonſuram. V. 7. 60
Beneficiarius abſque ſua culpa incarceratus lucratur diſtributiones. V. 8. 148.

Cardinales.

Ex ijs inſtituta Congregatio pro Regularibus. I. 6. 19.
Aſſumpti ex Ordine religioſo manent Religioſi. III. 5. 15.

Si poſtea renunciant Cardinalatui, non redeunt ad Religionem. III. 5. 16.
Immò, ſi redeunt, non ſubduntur regulari Prælato. III. 5. 17.
Aſſumpti ex Religione hòc ipſò in voto paupertatis diſpenſantur. IV. 2. 371.
Sed non abſolutè. IV. 2. 183.
Acquirunt Eccleſiæ, cuius adminiſtrationem habent. IV. 2. 184.
Donant inter viuos, ſed non cauſa mortis. 186.
Imò in infirmitate poſſunt donare dubitantes de morte ratihabituri ſi ſuperuiuant. ibidem.
Cardinalium Collegio, Sede vacante non parent Religioſi ex voto Obedientiæ. IV. 4. 111.
Religioſus Cardinalis obedit Papæ ex voto. IV. 4. 138.
Eximitur ab obedientia Ordinis. IV. 4. 178.
Collegium Cardinalium, Sede vacante, præcipere nequit religioſo Soc. Ieſu vt acceptet dignitatem extra religionem. IV. 2. 256.
Religioſus Societ. factus Cardinalis non tenetur audire conſilia Generalis ex voto. IV. 5. 319.
Religioſus Cardinalis dimittens habitum Ordinis non incurrit excommunicationem. V. 7. 38.
Vtitur breuiario, quo maluerit. V. 8. 21.
Ex Ordinibus Religioſis plurimi Cardinales creati. I. 6. 26.

Carnes.

Diſpenſatus in Quadrag. ad carnes cum iis edit piſces, & carnes noxias IV. 5. 98.
Fratres Minimi ex voto ſolemni non edunt carnes, nec lacticinia extra infirmitatem. IV. 5. 60.
Vide v. *Fratres minimi.*
In extrema neceſſitate licitus eſt eſus carnis humanæ. IV. 5. 79.
Iudæi in neceſſitate edebant carnes immundas. ibid.
Carthuſiani licitè abſtinent à carnibus, etiam cum periculo vitæ IV. 5. 85.
Diſpenſatus ad carnes in Quadrag. vt ſic, ſaltem in aliquibus locis, iis non veſcitur in feriis ſextis, ſabbatis, ac vigiliis. IV. 5. 85
Diſpenſatus ad carnes hoc ipſo diſpenſatur in ieiunio. IV. 5. 9
Obligatio abſtinendi à carnibus eſt ſimpliciter negatiua. IV 5. 105.
Vide v. *Carthuſienſes.*

Carthuſienſes.

Ad illos religioſi olim liberè tranſibant. III. 5. 74. & 89.
Non item hodie. III. 5. 75. & 76. & 129.
Aſſertur ratio, cur omnibus concedatur tranſitus ad Carthuſiam. III. 5. 89.
Carthuſiani non tranſeunt ad alium Ordinem. III. 5. 13.
Ad eos non tranſeunt Fratres Minores. III. 5. 131.
Non Caſſinenſes abſque licentia proprij Prælati obtenta. II. 5 132.
In extrema neceſſitate abſtinent Carthuſiani à carnibus. IV. 5. 81. & 539.
Speciali ſtatuto iis interdictus eſus carnium, etiam in periculo mortis. IV. 5. 538.
Explicatur materia huius ſtatuti. IV. 5. 540.
Non obligat inſtar Voti. IV. 5. 541.
Editum fuit anno 1254. ad rigorem monaſticæ diſciplinæ conſeruandum. IV. 5. 542.
Iuxta aliquos non obligat ſub culpa mortali. IV. 5. 543.
Idque probabiliter; niſi obſtet conſuetudo Ordinis. IV. 5 544.
Communius ſenſus Ordinis agnoſcit grauem obligationem. IV. 5. 545.
Non obligat hoc Statutum in caſu extremæ neceſſitatis cibi. IV. 5. 546.
Diſſentiunt alij quo ad hoc, ſed reiiciuntur. IV. 5. 547.
Seruari poteſt in grauiſſimo morbo. IV. 5. 548.
Secus, ſi ægrotus ſolis carnibus veſci poſſit. IV. 5. 549.
Idem iuris eſt, ſi talis Religioſus ſit valdè vtilis, ac neceſſarius bono communi Ordinis. IV. 5. 550.
Non obligat exiſtentem apud Infideles illum alias malè tractaturos IV. 5. 551.
In periculo vitæ non obligat, ſecluſo ſcandalo. IV. 5. 552.
Non vetat delectationem de imaginario eſu carnium. IV. 5. 554.
Non peccat extraneus præbens carnes Carthuſiano ægrotanti. V. 5. 555.
Peccat verò Religioſus Ordinis, ſi id faciat. IV. 5. 556.
Violat hoc ſtatutum Carthuſianus dans carnes laicis intra monaſterium. IV. 5. 557.
Secùs, ſi eas miniſtret in domibus ruſticis Ordinis, quæ non ſint grangiæ. IV. 5. 557.
Non peccat, ſi eas miniſtret laicis ægrotantibus intra monaſterium. IV. 5. 558.
Violat hoc ſtatutum, ſi ſinat laicos miniſtrare carnes aliis laicis intra Conuentum. IV. 5. 559.
Violat, qui poteſt impedire violationem huius Statuti, & non impedit. IV. 5. 560.
Si tamen commodè poteſt impedire. IV. 5. 561.
Indicatur praxis Ordinis quo ad hoc. IV. 5 562.
Carthuſianus tenetur impedire externus, & quidem etiam poſitiuè, nè à Religioſis Ordinis ſtatutum hoc violetur. IV. 5. 563.
Non tamen vi huius ſtatuti tenetur curare, vt Prælatus impediat eius violationem. IV. 5. 564.
Sub variis pœnis vetita talis violatio. IV. 5. 565.
Carthuſiani loco regulæ habent conſtitutiones. IV. 2. 3.
In profeſſione promittunt ſtabilitatem, obedientiam, & conuerſionem morum. III. 1. 8.

Caſtitas religioſa quo ad eius naturam.

Eſt de eſſentia ſtatus religioſi. I. 2. 15.
Caſtitas coniugalis facit Religioſos ordinum Militarium verè Religioſos. I. 3. 28.
Hæc obligat ad plura. I. 3. 31.
Votum illius eſt aliquo modo ſolemne. I. 3. 32.
Caſtitas vtilis Religioſis. I. 4. 4.
Coniux relictus in ſæculo altero tranſeunte ad religionem vouet Caſtitatem. I. 4. 17. & 18. & 19. & 20.
Ad Caſtitatem non tenentur Nouitij vt ſic. I. 6. 10.
Is, cui commutatum eſt votum Caſtitatis in votum religionis, debet ingredi animo perſeuerandi, non tamen tenetur perſeuerare. IV. 1. 87.
Vouens ſimul Caſtitatem, ac religionem, ſi repellatur à religione ad Caſtitatem interdum tenetur. 4. 1. 91.
Definitur Caſtitas. IV. 3. 1.

Eſt multiplex. IV. 3. 2.
Differunt inter ſe votum ſolemne Caſtitatis, & votum ſimplex illius. IV. 3. 3.
Explicatur ſolemnitas voti Caſtitatis. IV. 3. 4.
Votum ſolemne Caſtitatis non eſt de eſſentia ſtatus religioſi. IV. 3. 5.
Votum Caſtitatis, quod fit in Ordinibus Militaribus, eſt aliquo modo ſolemne. IV. 3. 6.
Materia Caſtitatis religioſæ alia neceſſaria, alia voluntaria. IV. 3. 7.
Requiritur Caſtitas ad ſtatum religioſum, eique confert. IV. 3. 8.
De eſſentia ſtatus religioſi eſt, vt perpetua Caſtitas voto promittatur. IV. 3. 9.
Caſtitas ſedulò cuſtodienda. IV. 5. 10.
Varijs medijs iuuatur. IV. 3. 11.
Ad eam confert Oratio. IV. 3. 12.
Confert manifeſtatio tentationum facta Superiori. IV. 3. 13.
Confert carnis caſtigatio. IV. 3. 14.
Confert fuga Otij. IV. 3. 15.
Confert vitatio conuerſationis fœminarum. IV. 3. 16.
Confert item vitatio commercij quorumcumque iuuenum. IV. 3. 17.
Confert frequentia Sacramentorum. IV. 3. 18.
Exiſtente profeſſione irrita, in aliquo caſu tenet votum Caſtitatis in ea emiſſum. IV. 3. 32.

Caſtitas religioſa quo ad eius effectus.

Irritat ſponſalia de futuro. IV. 3. 21.
Diſſoluit matrimonium ratum. IV 3. 22.
Non item conſummatum. IV 3 23 & 24.
Inhabilitat ad ſubſequens matrimonium. IV. 3. 25.
Idque ſaltem ab Innocentij 2. tempore. IV. 3. 26.
In Soc. Ieſu votum ſimplex Caſtitatis dirimit matrimonium ſubſequens. IV. 3. 27. & 28.
Et hoc ex Gregorij XIII. decreto, quod extenditur ad præteritum. IV. 3. 30.
Matrimonium ratum antecedens non dirimitur per vota Coadiutorum formatorum eiuſdem Societat. IV 3. 29
Per vota biennij eiuſdem Soc ſoluuntur Sponſalia de futuro. IV 3 31
Votum Caſtitatis religioſæ facit, vt coniux, conſummato matrimonio, profitens, inſcio altero coniuge, poſtea nequeat petere debitum, nec iterum contrahere mortuo altero coniuge IV. 3. 32.
Quod ſi de licentia alterius coniugis profitetur, & poſtea repetatur ab altero coniuge non habente votum Caſtitatis, aut Religionis, tenetur reddere, ſed non petit: ſecùs, ſi alter coniux vouit perpetuam Caſtitatem, aut religionem. IV. 2. 33.
Coniux relictus, quamdiu non nouet Caſtitatem perpetuam, aut Religionem, ius habet repetendi ſuum coniugem, licèt profeſſum. IV. 3. 34
Caſtitas Ordinum Militarium facit ſolum vt eius Religioſi non accedant ad alienam. IV. 3. 35. & 50.
Religioſus ſine cauſa diſpenſatus ad matrimonium nequit petere debitum. IV. 3. 36.
Violatio Caſtitatis religioſæ eſt ſacrilega. IV. 3. 37.
Profeſſus ſimul & ſacro Ordine initiatus violans Caſtitatem facit vnicum ſacrilegium. IV. 3. 38.
In confeſſione talis violationis ſufficit, ſi dicat ſe eſſe adſtrictum voto Caſtitatis IV. 3. 39.
Habens votum Caſtitatis tum ſolemne, tum ſimplex, in confeſſione id non exprimit. IV. 3. 40.
Religioſus fornicans cum Religioſa vtrumque confitetur. IV. 3. 41.
Fornicatio habita intra monaſterium vt ſic non eſt ſacrilega. IV. 3. 42
Malitia ſacrilegij in hac materia non incurritur, ſi non aduertatur. IV. 3. 43.

Caſtitas religioſa quo ad eius Obligationem.

Obligat ad plura. IV. 3. 45.
Obligat ſub mortali. IV. 3. 46.
Obligat etiam profeſſum profeſſione tacita. IV. 3. 47.
Iuxta intentionem tamen ipſius de facto habitam. IV. 3. 48.
Religioſus diſpenſatus ad matrimonium ſeruat Caſtitatem coniugalem. IV. 3. 49
Profitens inualidè obligatur voto Caſtitatis vt ſimplici, ſi id intendit. IV 3 51.
Taliter profitens licitè contrahit matrimonium, ſi intendat non conſummare, & ſit certus ſe ad id non adſtrictum iri. IV. 3. 52.
Votum Caſtitatis obligat ſub varijs pœnis. IV. 3. 53.

Caſtitas religioſa quo ad eius Violationem.

Violatio Caſtitatis religioſæ eſt ſacrilega. IV. 3. 37.
Ex genere ſuo eſt mortalis. IV. 3. 54.
Non admittit leuitatem materiæ. IV. 3. 55.
Nec oppoſitum defendi poteſt in Soc. Ieſu. IV. 3. 56. & 57.
Violatio Caſtitatis cęteris paribus eſt grauior in Religioſo profeſſo, quam in Sacerdote laico. IV. 3. 63.
Grauior item in epiſcopo Religioſo, quam in Religioſo ſimplici. IV. 3. 63.
Aduerſatur bono publico religionis, ſed non ſemper. IV. 3. 64.
Specificatur ex opere externo. IV. 3. 65.
Profitens poſt matrimonij conſummationem, ſi poſtea ſuam vxorem cognoſcat, non eſt adulter. IV. 3. 66.
Violatio Caſtitatis dicitur opere conſummata per quamlibet pollutionem voluntariam; eſtò non perueniatur ad copulam IV. 3 67.
Varijs modis multiplicatur per actus internos. IV. 3. 68.
Vt cenſeatur reſeruata, debet eſſe mortalis, etiam ratione operis externi vt ſic. IV 3 69.
Plures malitiæ poſſunt in ea conuenire IV. 3. 70.
Violatur per delectationem moroſam. IV. 2. 71.
Non item qui ſe habet negatiuè circa delectationem. IV 3. 72.
Limitatur, niſi hinc ſubſit, & præuideatur periculum pollutionis. IV. 3. 73.
Violat, qui dicit *ſatisfacerem libidini, ſi hæc, aut illa talis conditio* extaret, ſed non ſemper. IV. 3. 74.
Violat qui delectatur de copula cogitata cum fœmina, ſi eſſet ſua. IV. 3. 75.
Non item qui habet voluntatem conditionatam cognoſcendi fœminam, ſi eſſet vxor. ibidem.
Violat, qui cupit fornicari, ſi fornicatio eſſet licita. IV. 3. 76.
Quod tamen alij negant. IV. 3. 77.
Violat qui ex bono fine cupit fornicationem eſſe licitam. IV. 3. 78.

Non violat, qui præciſè delectatur de cogitatione fornicationis. IV. 3. 79.

Violat, qui venereè delectatur de copula aliàs habita. IV. 3. 82.

Violat, qui dat cauſam pollutioni, non tamen in omni caſu IV. 3. 83.

Violat, qui non impedit pollutionem præuiſam cum periculo conſenſus. IV. 3. 84.

Non violat mortaliter dans pollutioni cauſam venialiter culpabilem. IV. 3. 85.

Secùs, ſi abſque neceſſitate faciat actum ex ſe turpem, & per ſe tendentem ad pollutionem, idque præuideat. IV. 3. 86.

Violat, qui ſe exponit probabili periculo violandi Caſtitatem. IV. 3. 88.

Violat, qui gloriatur de fornicatione aliàs habita. IV. 3. 90.

Non tamen mortaliter, ſi ſolum glorietur de dexteritate &c. ibidem.

Non violat, qui inducit alium ad violandam Caſtitatem. IV. 3. 91.

Violat, qui exercet tactus, oſcula, & amplexus ex ſe turpes, & factos libidinosè. IV. 3. 94.

Violat, qui turpiter aſpicit. IV. 3. 99.

Limita, niſi id fiat ex neceſſitate, ioco, aut curioſitate. IV. 3. 101.

Non violat, qui permittit ſe aſpici ab aſpiciente ex prauo fine, ſi commodè nequeat ſe ſubtrahere. IV. 3. 102.

Violat, qui turpia loquitur, canit, audit; non tamen ſemper. IV. 3. 103.

Violat, qui pingit obſcæna, libros edit turpes &c. IV. 3. 104.

Non ſemper violat m. qui intereſt Comędijs turpibus. IV. 3. 105.

Non violat, per ſe loquendo, qui detinet in cubiculo picturas impudicas. IV. 3. 107.

Caſtitas religioſa quo ad Diſpenſationem.

Votum ſolemne Caſtitatis eſt diſpenſabile, immò ſępiùs diſpenſatum. IV. 3. 108.

Eſt diſpenſabile iure tum naturali, tum poſitiuo. IV. 3. 109.

Papa in eo diſpenſat. IV. 3. 110.

Non item epiſcopi in vllo caſu. IV. 3. 111.

Generalis Soc. Ieſu non diſpenſat cum Scholaribus approbatis, vt nubant. IV. 3. 112.

Votum Caſtitatis Ordinum Militarium non diſpenſatur vi iubilei aliàs concedentis diſpenſationem Votorum reſeruatorum. IV. 3. 113

Diſpenſatio voti Caſtitatis fieri poteſt 6. modis. IV. 3. 114.

Papa diſpenſat in vſu voti Caſtitatis, relicto ipſo voto, & ſtatu religioſo. IV. 3. 115.

Diſpenſatus ſuper profeſſione hoc ipsò eſt diſpenſatus ſuper voto Caſtitatis. IV. 3. 116.

Facta diſpenſatione ſuper profeſſione ſimpliciter, cogitur Papa diſpenſaſſe etiam ſuper voto Caſtitatis. IV. 3. 117.

Diſpenſat Papa, vt coniuges iam profeſſi vtantur matrimonio. IV. 3. 118.

Item diſpenſat interdum non abſolutè, ſed ſolum ad matrimonium, & hoc vnicum, ac retento religionis vinculo. IV. 3. 119.

Diſpenſat ad matrimonium contrahendum, ſed non conſummandum. IV. 3. 120. & 121. & 122.

Non diſpenſat ad eum præcisè effectum, vt diſpenſatus violans Caſtitatem non ſit reus voti. IV. 3. 123.

Non diſpenſat ſuper voto Caſtitatis abſolutè, perſona diſpenſata adhuc manente religioſa. IV. 3. 124.

Interdum diſpenſat cum onere, vt diſpenſatus, habita prole, redeat ad Ordinem. IV. 3. 125. III. 5. 9.

Aſſignantur cauſæ pentæ ad diſpenſandum ſuper voto religioſæ Caſtitatis. IV. 3. 126.

Non ſufficit ad hoc vtilitas Religioſi diſpenſandi. IV. 3. 127.

Diſpenſatus ſine cauſa licitè contrahit, ſed non conſummat matrimonium. IV. 3. 128. & 129.

In petitione talis diſpenſationis aliqua exprimenda. IV. 3. 130.

In ea tamen non exprimitur votum non nubendi, nec votum ſimplex Caſtitatis ſępè repetitum. IV. 3. 131.

Petens taliter diſpenſari, ſi alia habeat impedimenta, non ea omnia ſimul aperit IV. 3. 132.

Hæc diſpenſatio non finitur vnico actu. IV. 3. 134.

Diſpenſatus ad matrimonium eximitur ab alijs votis, ac regularibus obſeruantijs. IV. 3. 135.

Caſus reſeruati.

Nouitij non ſubſunt caſibus reſeruatis Ordinis; etſi alij id negent. II. 6. 30.

Secùs eſt in Soc. Ieſu. II. 6. 31.

Non poſſunt reſeruari caſus pro ſolis Nouitijs. II. 6. 32.

Nouitij per regulares Prælatos poſſunt à reſeruatis abſolui æq; ac Profeſſi. II. 7. 32.

Idque etſi nondum ingreſſi ſint, ſi ingreſſuri ſunt breui. II. 7. 33.

Ingreſſuri modo dicto pluries abſoluuntur à reſeruatis. II. 7. 33.

Abſoluuntur Nouitij vigore bullæ Cruciatæ, licet aliàs religioſis prohibitæ. II 7. 51.

Violatio voti Caſtitatis in ſe venialis non fit mortalis, adeoque reſeruata, ob ſcandalum IV. 5. 62.

Inter Religioſos non reſeruatur violatio Caſtitatis, niſi ſit mortalis, etiam ratione operis externi. IV. 3. 69.

Si reſeruetur inobedientia, non omnis Inobedientia reputari debet reſeruata. IV. 4. 155.

Non incurrit caſum reſeruatum qui dicit ſe nolle obedire, interim paratus obedire. IV. 4. 156.

In Soc. Ieſu caſus reſeruatus eſt dicere miniſtro *nolo parere*. IV. 4 155.

Admiſſio fęminarum intra Regularium ſepta ſic reſeruatur Papæ iuxta Filliucium, vt neque Pęnitentiarij Papę ab ea abſoluant. V 6. 64.

Regulares non tenentur petere facultatem reſeruatorum pro pęnitentibus. V. 6. 15

Interdum tenentur petere facultatem reſeruatorum. V. 12. 53.

Etſi interdum id fallat. V. 12. 51.

Peregrinus in aliena diœceſi committens reſeruata. II. 7. 45.

Cauſa.

Requiritur ad diſpenſandum in voto Caſtitatis religioſæ. IV. 3. 126.

Ad id non ſufficit priuata vtilitas Religioſi diſpenſandi. IV. 3. 127.

Diſpenſatus ſine cauſa licitè contrahit matrimonium, ſed non conſummat. IV. 3. 128. & 129

Cauſa eiuſdem rationis eoſdem effectus facit, niſi impediatur. III. 4. 2.

Aſſignantur cauſæ ad dimittendum è Soc. Ieſu ſufficientes. III. 5. 5.

Ad diſpenſandum in voto caſtitatis religioſæ requiritur cauſa publica. IV. 3. 123.

Cenſura.

Nouitij poſſunt iuberi ſub cenſuris. II. 6. 5. & 17.

Abſo-

Abſoluti à Cenſuris reſeruatis eas non reincidunt recedentes; quod negat Suarez. II. 7. 34.
Cenſura lata con.facientes non ligat regulariter mandantes aut conſulentes. IV. 5. 146.
Actus externè leuis etſi grauis ſit ex affectu interiori, non ſufficit ad incurrendam Cenſuram. IV. 7. 7.
Regulares non ſubſunt cenſuris latis à Superiore non regulari, niſi exprimantur. V. 7. 55.
Nullam Cenſuram incurrant ipſo facto, ſi omittant deferre Tonſuram. V. 7. 55.
Beneficiarius iniuſtè cenſuratus ſi aſſiſtit Choro, recipit diſtributiones. V 8. 149.
Item, ſi iuſtè ſit cenſuratus, ſed per eum non ſtat, quo minùs abſoluatur. ibidem.
Religioſi ab Ordinario cogi poſſunt ad Proceſſiones, ſed non per Ceuſuras. V. 2. 6.
Limita, niſi ſint Parochi. V. 2. 7.

Ceſſatio à diuinis.

Ea lata præbendati aſſiſtentes Choro non lucrantur diſtributiones. V. 8. 153.

Charitas.

Eius conſeruatio confert ad Religionum reformationem. I. 5. 20.

Chorus.

Eius vſus non facit Religionem perfectiorem. I. 3. 66.
Ob varias cauſas non eſt inductus in Societ. Ieſu. I. 3. 67.
Religio carens Choro non ideo eſt imperfectior. V. 8. 5. & 6.
Eius vſus laudabilis. V. 8. 1.
Præſcriptus à varijs Iuribus. V. 8. 4.
Non tamen omnibus Ordinibus. V. 8. 5.
Procurandus à Prælatis. V. 8. 8.
In eo Prælati abſolutè non diſpenſant. V. 8. 9.
Fæminæ ingrediuntur Chorum Regularium. V. 6. 33.
Omiſſio Chori iure communi non eſt prohibita ſub pęna V 8. 45.
Regulares beneficiarij tenentur aſſiſtere Choro. V. 8. 129.

Chriſtus.

Eſt Auctor ſtatus religioſi. I. 2. 5. & 6.
Inſtituit religionem Apoſtolorum. I. 2. 7. & 8.
Inſtituit ſtatum religioſum, etiam poteſtatiuè. I. 2. 9.

Circumſtantia peccatorum.

Omiſſa inculpabiliter in confeſſione exprimitur in alia confeſſione, non expreſſo peccato, cui eſt annexa. V. 3. 57.
Limita, ſi ea aliàs ſufficienter explicari poſſint. V. 3. 58.

Circumſtantia perſonæ.

Profeſſus ſimul ſacro Ordine initiatus non exprimit in confeſſione ſe eſſe profeſſum. V. 3. 43.
In confeſſione delectationis moroſæ non exprimenda perſona, circa quam: quod alij probabilius reijciunt. V. 3. 53.
Religioſus fornicans cum Religioſa duplex facit ſacrilegium. IV. 2. 41.

Circumſtantia loci.

Non ſemper confitenda. V. 3. 44.
Fornicatio habita in monaſterio Regularium, aut ſacriſtia non eſt ſacrilega. IV. 2. 42.
Deſiderium libidinoſum, & contactus obſcænus habita in loco ſacro vt ſic non ſunt ſacrilega. ibidem.
Idem procedit de aſpectibus, colloquijs, & ſimilibus habitis in Eccleſia. ibidem.

Ciuitas.

Ius illius acquiritur per Profeſſionem. III. 4. 44.

Clauis.

Clauis nouitiatus retinenda à Nouitiorum Magiſtro. II. 5. 21.
Clauis non eſt ſemper ſignum proprietatis. IV. 2, 197.

Clauſula.

In quauis parte diſpoſitionis poſita refertur ad omnia contenta in diſpoſitione. II. 9. 10.

Clauſura regularium quo ad non exeundum.

Tranſiens ad alium Ordinem tenetur ad ſtrictiorem clauſuram. III. 5. 150.
Clauſuræ obligatio reducitur ad Obedientiæ votum. IV. 4. 28.
Inducta iure poſito. V. 6. 1.
Aliquo modo dici poteſt de iure naturali, ac diuino. 5. 6. 2.
Papa poteſt obligare Regulares ad Clauſuram perpetuã. V. 6. 3.
Non item Prælatus Ordinis. ibidem.
Obligatio Clauſuræ facit quod Regulares ſine licentia Prælati exire nequeant è Conuentu. V. 6. 4.
Sufficit tamen licentia iniuſtè data. V. 6. 5.
Ita obligatio non eſt eadem reſpectu omnium Ordinum. V. 6. 6.
Clauſuræ cuſtodia materialis præſcripta à Clem. VIII. & Vrbano VIII. V. 6 7.
Iure communi nulla pæna extat contra indebitè egredientes è monaſterio. V. 6. 8. & 9.
Obligatio hæc ex genere ſuo eſt grauis. V. 6. 10.
Eius violatio in pluribus caſibus eſt mortalis. V. 6. 11.
In aliquo caſu ſolum venialis. V. 6. 12.
Non licet exire ſub prætextu adeundi Superiorem in propriam defenſionem. V. 6. 13.
Exiens tamen in iſto caſu excuſari aliunde poſſet. V. 6. 14.
Aditurus Prælatum ſuperiorem in ſui defenſionem regulariter petit licentiam à Prælato locali. V. 6. 15. & 16.
Adiens Superiorem in caſu propoſito nullam pœnam incurrit. V. 6. 17.
Religioſus peregrinans ſine licentia nec excipi poteſt hoſpitio in Conuentibus Ordinis. V. 6. 18.
Punitur Religioſus Romam indebitè petens. V. 6. 19.
Tranſiens abſque licentia ad partes vltramarinas afficitur excommunicatione reſeruata. V. 6. 20.
Adiens indebitè Principum Curias animo nocendi proprijs Prælatis eſt excommunicatus. V. 6. 21.
Accedens ad ſtudia ſine licentia ſubiacet excommunicationi non reſeruatæ. V. 6. 22.
Similem excommunicationem incurrit qui ſe transfert ad audiendas leges, aut Medicinam. V. 6. 23.

Regu-

Regulares nec de licentia Prælati diutiùs commorantur extra Clauſtra. V. 6. 24.

Clauſura regularium quo ad non introducendas Feminas.

Obligatio non admittendi fęminas intra clauſtra virorum Regularium eſt de iure & naturali, & poſitiuo. V. 6. 25.
Extant ſpecialis bulla Pij V. & alia Gregorij XIII. de hoc. V. 6. 26.
Obligatio hæc eſt varia pro varietate Ordinum. V. 6. 27.
Ea inducenda à Prælato regulari iuxta vſum Ordinis. V. 6. 28.
Poteſt variari, & auferri, ſi liberè inducta ſit. V. 6. 29.
Ligat ſub mortali tum Religioſos, tum Fęminas. V. 6. 30.
Mulieres admitti poſſunt in ſacriſtijs Regularium. V. 6. 31.
Sed non ſemper. V. 6. 32.
Item admitti poſſunt intra domos ruſticas Religioſorum. V. 6. 33.
Item intra Conuentus cœptos ædificari, ſed non finitos. V. 6. 34.
Item intra Reſidentias Societ. Ieſu, ſi non ſint admiſſæ in Collegium, aut Domum probationis. V. 6. 35.
Item in atrium Scholarum Soc. Ieſu de rigore loquendo. V. 6. 36.
Intra clauſtra Regularium admitti poſſunt puellæ carentes vſu rationes; non item puberes, aut fatuæ. V. 6. 37.
Indicatur, quando puella poſſit cenſeri adepta vſum rationis. V. 6. 38.
Si ea ſit ſeptennis, & dubitetur, an habeat vſum rationis, nequit admitti intra clauſtra. V. 6. 39.
Prohibitio ingrediendi clauſtra Regularium, pro vt eſt à Pio V. ſolùm afficit mulieres ingredientes prætextu priuilegiorum. V. 6. 40.
Pro vt vero prohibitio eſt à Gregorio XIII. ligat fęminas abſolutè ſecluſo quocumque prætextu priuilegiorum. V. 6. 41.
Non extenditur ad Imperatrices, Reginas, earumque filias, ac Fundatrices Monaſteriorum. V. 6. 42.
Fratres Minimi quo ad hoc habent à Gregorio XIII. ſpeciale indultum in contrarium. V. 6. 43.
Eo tamen non obſtante, introducere poſſunt Fundatrices V. 6. 44.
Non recipitur puella ſeptennis in dubio an habeat vſum rationis V. 6. 39.
Fęminæ recipi poſſunt intra Regularium clauſtra in aliquibus caſibus à Pio V. expoſitis. V. 6. 45.
Referuntur aliqui caſus, in quibus eæ recipi poſſunt. V. 6. 46.
Ad talem effectum non inſtituendæ extraordinariæ Proceſſiones. V. 6. 47.
Id tamen alij negant. ibid.
Mulier in dictis caſibus ingrediens non peccat, ſi finitis diuinis Officijs, non ſtatim exeat. V. 6. 48.
Peccaret tamen tunc ingrediendo officinas interiores monaſterij V. 6. 47.
Non incurreret autem pęnas latas con. violantes Clauſuram ibidem.
Finita proceſſione non ingreditur ad videndum apparatum V. 6. 49.
Ingrediens ad malum finem in caſu permiſſo non violat Clauſuram, nec incurrit pœnas. V. 6. 50.
Idque etſi intraret animo non intereſſendi Proceſſioni. V. 6. 51.
Ingrediens bona fide non violat Clauſuram, ſi, depoſita bona fide, diutius ibi commoretur. V. 6. 52.
Ingrediens cum licentia adduxit ſecum ſuas famulas. V. 6. 53.
Ingrediens cum licentia adducit ſecum ſuas famulas. V. 6. 53.
Immò, per ſe loquendo, loco earum aſſumere poteſt alias fęminas ei non famulantes. V. 6. 54.
In caſu neceſſario ingreditur fęmina etiam ſine licentia. V. 6. 55. & 56.
Licitè ingreditur fęmina habens licentiam à Papa poſt Pij V. bullam prohibentem ingreſſum prætextu priuilegiorum. V. 6. 57.
Indultum ingrediendi non prodeſt, ſi Ordinis ſtatuta obſtent, & non derogentur. V. 6. 58.
Fęmina indebitè ingrediens ſubeſt excommunicationi reſeruatæ. V. 6. 59.
Religioſi indebitè recipientes vltra excommunicationem reſeruatam priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ incurrunt. V. 6. 59.
Idque etſi receptio non fiat prætextu priuilegiorum. ibidem.
In aliquibus differunt Conſtitutiones Pij V. & Gregorij XIII. hac de re editæ. V. 6. 60.
Laici introducentes fęminam in monaſteria Regularium, non ſubduntur dictis pęnis. V. 6. 61.
Explicatur, quid ſit *ingredi facere, aut permittere*. V. 6. 62.
Ante ſententiam incurruntur in præſenti materia excommunicatio, ac ſuſpenſio, non item aliæ pęnæ. V. 6. 63.
A tali excommunicatione abſoluunt Papa, alijque priuilegiati. V. 6. 64.
Prælati Regulares diſpenſant cum ſuis ſubditis ſuper priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ. V. 6. 65.
Mulier ingrediens ſine licentia quo tempore nullus Religioſorum adeſt in Conuentu, incurrit pœnas. V. 6. 66.

Clauſtra Monialium.

Moniales S. Claræ vouent clauſuram. vide v. *Moniales S. Claræ.*

Clerici ſæculares.

In odioſis nomine Clericorum non veniunt Regulares. V. 7. 55.

Clerici regulares.

Per quid propriè conſtituantur. I. 3. 19.
Non veniunt in odioſis nomine Monachorum, neque Fratrum, immò nec Canonicorum regularium. I. 3. 20.
Religioſi laici Ordinum Clericalium in odioſis non veniunt nomine Clericorum. I. 3. 21.
Religioſi Soc. Ieſu nondum tonſurati veniũt nomine Clericorum. I. 3. 22.

Clerici Theatini.

Clement. VII. ijs ſpeciale conceſſit indultum quo ad recitationem horarum. V. 8. 125.
Tale indultum explicatur. V. 8. 126. & 128.
Faciunt veluti triplicem nouitiatum. II. 1. 2.
Eorum paupertas. IV. 2. 2.

Clerici Barnabitæ.

Iurant ſe non ambituros dignitates intra aut extra Ordinem, immò nec acceptaturos dignitates extra Ordinem ſine præcepto Papæ. IV. 5. 139.
Tale iuramentum faciunt poſt profeſſionem in Choro, & in manu eius, qui ipſã profeſſionẽ acceptauit. IV. 5. 140.
Fit ſolum à Clericis. IV. 5. 141.
Obligat ad prædicta. IV. 5. 142.

Expli-

Explicatur quo ad particulam *Officium*. IV. §. 143.
Item quid ibi ſignificetur nomine dignitatis IV. §. 144.
Aſſignantur actiones vi illius prohibitæ. IV. §. 145.
De rigore vi illius prohibetur ſolum procuratio dignitatum directa, & per ſe. IV. §. 146 & 147.
At ſecùs eſt ex intentione iurantis. IV. §. 147.
Barnabita non violat hoc Iuramentum, ſi potens impedire non impediat procurantes illi ipſi dignitatem. IV. §. 149.
Non violat ſe iuſtificans de exceſſibus obiectis animo ſe ſeruandi habilem ad prælaturas. IV. §. 150.
Non violat ſe reddendo doctum ad eumdem effectum. IV. §. 151.
Non violat voluntatem Prælati ſuperioris ad eundem effectum ſibi promerendo varijs obſequijs. IV. §. 152.
Non violat curans diſpenſari ſuper inhabilitate contracta quo ad prælaturas. IV. §. 154
Non violat abſtinens ad talem finem à delicto prohibito ſub pœna inhabilitatis. IV. §. 155.
Non violat curans promoueri amicum ad prælaturam Ordinis, vt & ipſe poſtea promoueatur. IV. §. 156.
Non violat curans ſibi demãdari aliquod monaſterij munus, ad quod regulariter ſequitur conſecutio prælaturæ. IV. §. 157.
Violat verò, qui acceptat promiſſionem prælaturæ oblatæ à potente conferre IV. §. 160. & 161. & 162.
Iuramentum non acceptandæ dignitatis extra religionem ſine præcepto Papæ eſt laudabile. IV. §. 163.
Non eſt diſpenſabile per facultatem ordinariam diſpenſandi iuramenta. IV. §. 164.
Eo non obſtante, Barnabita licitè acceptat dignitatem, ſi Papa id ei ſine cauſa præcipiat. IV. §. 165.
Obligatio iſtius Iuramenti non ceſſat per tranſitum ad alium Ordinem. IV. §. 166.
Et hoc ex Vrb. VIII. decreto. IV. §. 166.
Hoc tamen decretum loquitur ſolum de dignitatibus extra Religionem. IV. § 167.
Nec afficit Religioſum iam promotum ad epiſcopatũ &c. IV. §. 168.
Eius violatio includit malitiam periurij & fractionem voti. IV. §. 169. & 170.

Clerici Soc. Ieſu.

Vide *v. Soc. Ieſu.*

Clerici Minores.

Faciunt votum non prætendendi dignitates extra Ordinẽ, & eas non admittẽdi, ſecluſo præcepto Papæ. IV. § 383.
Faciunt item Iuramentum non ambiendi dignitates intra Ordinem. IV §. 383.
Votum tamen hoc, & Iuramentum fiunt ſolum à Clericis. IV. §. 384.
Votum eſt ſolemne, non item iuramentum. IV. §. 385.
Fiunt ad tollendum ambitionem IV §. 386.
Non benè conſtat, cur iſta promiſſio fiat per modum tam voti, quam iuramenti. IV. § 387.
Aſſignatur materia tum Voti, tum Iuramenti. IV. §. 388.
Vi eorum prohibetur ſolum ambitus directus. IV. §. 389.
Vi huius Iuramenti vetita receptio dignitatis collatę etiam alia via, quam per electionem. IV. §. 390.
Violatur hoc votum tam admittendo electionem, quam confirmationem. IV. §. 391.
Vt tamen licitè accipiatur dignitas, non petitur præceptum formale. IV. §. 392.

Clerici Miniſtri infirmorum.

Habent ſpeciale priuilegium quo ad recipiendos Nouitios II. 2. 9.

Quo ad votum ſeruiendi infirmis.

Faciunt votum ſeruiendi infirmis, etiam peſte infectis IV. §. 393.
Hoc votum eſt ſolemne. IV. §. 394.
Fit ad facilius ſuperandas difficultates in tali ſeruitio occurrentes. IV. §. 395.
Aſſignatur eius materia. IV. §. 396.
Recenſentur miniſteria, ad quę obligat. IV. §. 397.
Plura de eo à Clemente VIII ſtatuta referuntur. IV §. 398.
Hoc votum eſt licitum. IV. §. 399.
Obligat ad ſeruiendum infirmis ſemper, ſed non pro ſemper. IV. §. 400.
De rigore reſpicit infirmos pauperes. IV. §. 401.
Praxis Ordinis extendit ad omnes. IV. §. 402.
Non extenditur ad Amentes. IV. §. 403.
Obligat ad ſeruiendum vbique eſtò praxis regulariter ſit, vt ſolum ſeruiatur in locis, in quibus habent Conuentum IV. §. 404
Excipiuntur caſus inſoliti. IV. §. 405.
Non obligat ad quærendos infirmos, quibus ſeruiant. IV. §. 406.
Obligat ad ſeruiendum gratis. IV. §. 407.
Et quidem etiam in caſu, quo infirmi non dent alimenta. IV. §. 408.
Non ſeruiunt inuito Prælato. IV. §. 409.
Modò non ſit inuitus irrationabiliter. IV. §. 410.
Obligat, etſi adſint alij, qui æq; benè inſeruiant. IV. §. 411.
Si aliunde infirmis conſulatur, Superior Ordinis non deputat ſuos. IV. . 412.
Religioſus, ſi ægrotet, aut debilis ſit, interim non tenetur ſeruire. IV. §. 413.
Inſeruit infirmis etiam excommunicatis vitãdis IV. §. 414.
Inſeruit, etſi ipſe ſit excommunicatus vitandus. IV. §. 415.
Vi voti aſſiſtit agonizanti. IV. §. 416.
Seruit infirmis noſocomiorum, etſi intra ea non concedatur habitatio. IV. §. 417.
Prælati Ordinis tenentur deputare ſuos ad ſeruitium infirmorum, ſed non vi voti. IV. §. 418.
Iſta deputatio prudenter, ac diſcretè facienda. IV. §. 419.
Violat hoc votum qui deputatus ſuffugit ſeruitium, vel timens deputari amouet Superiorem à conſilio IV. §. 420
Intellige, ſi Superior efficaciter velit illum inſeruire, aut deputare. IV. §. 420.
Obligat hoc votum ad ſeruiendum cum mediocri diligentia. IV. §. 421.
Eius obligatio explicanda iuxta Ordinis Conſtitutiones. IV. §. 422.
Si quæ de nouo quo ad hoc edantur, extenduntur ad pręteritum. IV. §. 423.

Quo ad votum non conſentiendi in alterationem ſeruitij &c.

Vouent Religioſi huius Ordinis non agere, nec conſentire, vt mutetur aut alteretur modus ſeruiendi ægrotis in hoſpitalibus. IV. §. 424.
Hoc votum eſt ſimplex. IV. §. 425.
Fit ad conſeruandum magis Inſtitutum Ordinis. IV §. 426
Aſſignatur eius materia. IV. § 427.
Modus ſeruiendi, de quo hic agitur, eſt is, qui à Clem. VIII. eſt præſcriptus. IV. §. 428.
Mutari, & alterare diuerſam important ſignificationem. IV. §. 429.
Hoc votum non obſtat quin poſſit procurari mutatio modi ſeruiendi infirmis extra noſocomia. IV. §. 430.
Impedit ne religioſus ſuffragium det pro mutatione, etſi iam ſufficiens ſuffragiorum numerus adſit. IV §. 431.
Si talis mutatio inducatur, licitè ſeruari poteſt IV. . 432.
Prohibetur conſenſus præſtitus etiam verbis. IV. § 433.
Hoc votum non obligat ad reſiſtendum procurantibus talem mutationem IV. §. 434.
Non obſtat quin ea procurari poſſit à Papa. IV. §. 435.

Si ea ſponte offeratur à Papa ſimpliciter indulgendo, admitti licitè poteſt. IV. § 436.
In Capitulo examinari poteſt, an illa expediat abſq; animo tamen eam perſuadendi IV. § 437.
Non repugnat huic voto proponere Papæ, aut alij Superiori incommoda conſequentia ex tali modo ſeruiendi vt ille mittetur, exterius tamen non indicata iſta intentione. IV. § 438.
Violat hoc votum qui curat hanc mutationem animo eam non acceptandi. IV. § 439.
Non violat qui in eā conſentit non auctoritatiuè. IV. § 440
Violat qui conſulit, aut ſuadet talem mutationem. IV. § 441
Non item qui curat magis reſtringi modum ſeruiendi infirmis. IV. § 442.

Quo ad votum non adminiſtrandi redditus hoſpitalium.

Vouent religioſi huius Ordinis non admittere adminiſtrationem redditũum noſocomiorum, nec eorum dominium. IV. § 443.
Hoc votum eſt ſimplex. IV. § 444.
Fit ad hoc vt maiori animi puritate vacetur ſeruitio infirmorum. IV. § 445.
Aſſignatur eius materia. IV. § 446.
Eſt licitum. IV. § 447.
In eo faciendo dicitur ſpondeo, aut promitto ad enixiorem voluntatem indicandam. IV. § 448.
Hic nomine redduũ veniunt etiā eleemoſynæ. IV. § 449.
Votum hoc excludit adminiſtrationem redditũum etiam per alios faciendam. IV. § 450.
Non tollit quin ea indirectè poſſit procurari. IV. § 451.
Si ea præſcribatur à Papa, aut alio Superiore, admitti poteſt. IV. § 452.
Sub pœna excommunicationis latę ſententiæ reſeruata Papæ prohibetur violatio huius voti. IV. § 453.

Quo ad votum non ambiendi.

Vouent religioſi huius Ordinis non ambire prælationem, aut dignitatem neque intra, neq; extra religionē, immò nec eam acceptare extra ſine præcepto Papæ. IV. § 454.
Hoc votum eſt ſimplex. IV. § 455.
Fit ad vitandam ambitionem. IV. § 456.
Explicatur eius materia. IV. § 457.
Prohibet ambitum tam directum, quam indirectum, tam per ſe, quam per alium, aut aliàs factum. IV. § 458.
Prælatio, & dignitas hic ſumũtur vt res diuerſæ. IV. § 459.

Quo ad votum denunciandi ambientes.

Vouent item denunciare ambientes. IV. § 460.
Eſt votum ſimplex. IV. § 461.
Fit ad magis relegandum ambitum. IV. § 462.
Aſſignatur eius materia. IV. § 463.
Denuntiatio hæc eſſe poteſt ſiue paterna, ſiue iudicialis. IV. § 464.
Declaratur quid ibi veniat nomine religionis, a conſultæ generalis. IV. § 465.
Sufficit denuntiationem fieri alterutri illarum. IV. § 466.
Conceditur aliquod tempus ad eam faciendam maius, aut minus iuxta occurrentes circumſtantias. IV. § 467.
Ad eam ſupponitur moralis certitudo de ambitu. IV. § 468
Vi huius voti non denuntiatur qui admiſit dignitatem ab ipſo non procuratam. IV. § 469.
Denuntiatio non fit religioni, ſi iam prouidit conſulta generalis. IV. § 470.
Secus ſi facta denuntiationem conſultæ generali ea non prouidit. IV. § 471.

Clerici ſcholarum piarum.

Olim per ſimplex votum paupertatis erant incapaces dominij. IV. 2. 3.
Faciunt 4. alia vota vltra 3. ſubſtantialia. IV. § 524.
Vouent gratis docere pueros rudimenta grammaticæ. IV. § 525.
Hoc votum eſt ſolemne. IV. § 526.
Modò fit ſolum à religioſis Ordinis clericis. IV. § 526.
Aſſignatur eius materia. IV. § 527.
Non interdicit receptionem munerum ex gratitudine. IV. § 528.
Obſtat ne religioſi Ordinis paciſcantur de alimentis ſub onere docendi pueros. IV. § 529.
Interdicit acceptionem ſtipendij pro munere docendi etiā ſponte oblati. IV. § 530.
Declaratur quid veniat nomine honorarij in formula huius voti. IV. § 531.
Impedit receptionem ſtipendij etiam pro traditione philoſophię. IV. § 532.
Item ne admittatur fundatio monaſterij cum redditibus annuis, & obligatione docendi. IV. § 533.
Conceſſio capiendi, & apprehendendi corporalem, realem, & actualem poſſeſſionem bonorum factam à Paulo V. religioſis huius Ordinis non prodeſt, vt talia bona inſumantur in vſibus religioſorum. IV. § 534.
Vouent item non conſentire in relaxationem ſuæ paupertatis. IV. § 535.
Vouent non ambire nec indirectè quidem dignitates Ordinis. IV. § 536.
Vouent non ambire prælaturas extra Ordinem, nec eas acceptare ſine præcepto Papæ. IV. § 537.
Olim faciebant 3. vota religionis ſimplicia, & tamen non erant verè religioſi. I. 3. 44.
Approbati fuerunt in religioſos à Gregorio XV. ibidem.

Coadiutor in beneficio.

Non tenetur ad horas vi coadiutoriæ vt ſic. V. 8. 199.
Poteſt tamen teneri aliunde. ibidem.

Coadiutor Soc. Ieſu.

Vide *v. Soc. Ieſu.*

Cœcus.

Admittitur in religionem etſi ſit item mutus, ac ſurdus. III. 2. 33.
Non tenetur recitare horas. V. 8. 111. & 112.
Acquirit diſtributiones ſi ſit beneficiarius, etſi abſit à choro. V. 8. 145.
Cœca debet eſſe obedientia. IV. 4. 21. & 22.

Comœdia.

Nō ſemper peccat m. intereſſens comœdię turpi. IV. 3. 105.
Indicatur vnde talis intereſſentia reputetur ſcandaloſa. IV. 3. 106.

Commutatio votorum.

Vide *v. votum quo ad commutationem.*

Compromiſſum.

Receptio nouitiorum fieri poteſt per compromiſſum. II. 2. 26.

Conditio.

Alia eſt reſolutiua, & alia ſuſpenſiua. II. 9. 56.
Profeſſio facta ſub conditione indifferenti de futuro non impedit quin profitens nubat. III. 1. 12.
Taliter profitens adſtringi poteſt ad iterum profitendum abſolutè. III. 1. 13.
Voti obligatio ceſſat deficiente conditione ei appoſita. IV. 1. 102.

Vouens

Vouens religionem ſub conditione, ſi poſtea impediat impletionem conditionis, peccat. IV. 1. 103.
Non ampliùs tamen ligatur voto. IV. 1. 104.
Condino appoſita legato interdum habetur pro non appoſita. IV. 2. 195.
Condino ſuſpendit actum. IV. 5. 362.
Conditiones caſuales retrotrahuntur, non item poteſtatiuæ. III. 5. 169.

Confeſſarius quo ad ſaculares.

Nouitij audiunt ſæcularium confeſſiones, eoſq; abſoluunt vigore priuilegiorum Ordinis. II. 7. 52.
Excuſatur ab Officio diuino Confeſſarius, ſi aliàs muneri ſuo ſatisfacere nequit. V. 8. 120.
Regulares cum vitæ periculo audiunt confeſſiones ſolum in extrema neceſſitate. V. 12. 14.

Confeſſarius quo ad regulares.

Nouitij confitentur proprio magiſtro. II. 6. 34.
Non confitentur religioſo Ordinis approbato ad confeſſiones laicorum, ſi Prælatus contradicat. II. 6. 35.
Secùs ſi religioſus Ordinis approbetur ab Ordinario ſpecialiter pro nouitijs. II. 6. 36.
Confeſſarius nouitiorum approbatur à prælato regulari. II. 6. 37.

Confeſſio Sacramentalis.

Nouitij in ingreſſu religionis faciunt confeſſionem generalem. II. 5. 14.
Regulariter confitentur proprio magiſtro. II. 6. 34.
Religioſus Sacerdos ſimul ac profeſſus in confeſſione fornicationis non exprimit vtrumque. IV. 3. 39.
Idem procedit quo ad habentem votum caſtitatis tum ſolemne, tum ſimplex. IV. 3. 40.
Religioſus fornicans cum religioſa vtrumque confitetur. IV. 3. 41.
In confeſſione exprimendæ ſolum malitiæ in actu peccandi debitè cognitæ. IV. 3. 44.
Confeſſus cauſam culpabilem pollutionis, non confitetur diſtinctè pollutionem poſtea ſubſequentem. IV. 3. 87.
Inductio ad peccatum non ſemper exprimenda in confeſſione. IV. 3. 91.
In confeſſione tactuum venereorum exprimitur circumſtantia vtriuſque complicis. IV. 3. 97.
Non item in ea exprimendi tactus copulam præcedentia, ac ſubſequentia. IV. 3. 98.
Idque procedit etiam quoad aſpectus factos vnà cum tactu turpi. ibidem.
In confeſſione aſpectus venerei exprimenda conditio vtriuſque complicis. IV. 3. 100.
Idem ſeruandum in confeſſione locutionis turpis. IV. 3. 103.
Regulares tenentur ad confeſſionem multiplici iure. V. 3. 1.
Iure diuino tenentur ad eam in articulo mortis. V. 3. 2.
Item tenentur in caſu, quo neceſſaria iudicetur confeſſio ad vitandum peccatum. V. 3. 3.
Item ſi ſint in peccato m. & velint celebrare. V. 3. 4.
Non confitentes in articulo mortis non tenentur poſtea confiteri. V. 3. 5.
Tenentur ſemel confiteri in anno ſi conſcientiam habeât peccati m. V. 3. 6.
Non item ſi ſolum habeant venialia. V. 3. 7.
Confeſſio venialium non præcipitur ab Eccleſia. V. 3. 7.
Non confeſſi in quadrageſima, vt pote non habentes conſcientiam peccati m. ſi poſtea m. peccant, tenentur tunc confiteri. V. 3. 8.
Secùs, ſi in Quadrageſima confeſſi ſunt non habentes conſcientiam peccati m. V. 3. 9.
Tenentur confiteri item in infirmitate. V. 3. 10.
Idque ex Pij V. decreto loquente ſolum de morbo pericu-loſo. V. 3. 11.
Confeſſio menſtrua præſcripta in Clem. non in agro obligat ſolum monachos Benedictinos. V. 3. 12.
Regula poteſt obligare etiam ad confeſſionem venialium. V. 3. 13. & 14.
Item obligat ad generalem confeſſionem peccatorum ritè confeſſorum. V. 3. 15.
Confitens vi talis regulæ non reticet vllum mortale. V. 3. 16.
Etſi quod culpabiliter reticet, repetere debet illam confeſſionem. V. 3. 17.
Regulares modò cogi non poſſunt confiteri ſuo Superiori. V. 3. 18.
Regula poteſt præcipere vt confitens Sacerdoti non ſuo eadem peccata repetat poſtea ſuo. V. 3. 19.
Poteſt item obligare, vt abſolutus à reſeruatis ex poteſtate tunc conceſſa cuilibet Confeſſario poſtea ſe præſentet Superiori. V. 3. 20.
Non obligat tamen ad confitendum per interpretem. V. 3. 21. & 22.
In articulo mortis iure diuino tenetur quis taliter confiteri, ſi conſcientiam habeat peccati m. V. 3. 21.
In aliquo caſu tenentur Religioſi confiteri ex ſcripto. V. 3. 23.
Id tamen alij negant. V. 3. 24.
Confitentes ex ſcripto abſolui poſſunt, ſi ſint præſentes. V. 3. 25.
Regulæ præcipienti confeſſionem ſatisfit per confeſſionem informem, aut inualidam V 3. 26.
Id tamen alij negant quo ad confeſſionem inualidum. V. 3. 27.
Implent præceptum qui cum ſint excommunicati, priùs abſoluuntur à peccatis, quam ab excommunicatione. V. 3. 28.
Confitentes ex præcepto regulæ ſi quod mortale obliuiſcuntur, non tenentur poſtea illud confiteri. V. 3. 29.
Et hoc, licèt dimidient confeſſionem ex cauſa. V. 3. 30.
Satisfaciunt, qui ex præcepto regulæ confitentes ſolum indirectè abſoluuntur à reſeruatis. V. 3. 31.
Confitentes ſolum venialia, ſi poſtea peccent m. non iterum confitentur, niſi regula præſcribat confeſſionem mortalium V. 3. 32.
Confeſſi aliquid mortale dubium cum venialibus iterum non confitentur, etſi regula præſcribat confeſſionem mortalium. V. 3. 32.
Confeſſionis tempus præueniendum, ſi præuideatur fore vt tempore præfixo ea fieri nequeat. V. 3. 33. & 34.
Non confeſſi intra tempus ſtatutum à regula non confitentur poſtea. V. 3. 35.
Obligati ad menſtruam confeſſionem ſi emittant confiteri vno menſe, & confiteantur menſe ſequenti, non ſemper bis confitentur. V. 3. 36.
Confeſſio præſcripta ex regula iuxta aliquos parum differtur. V. 3. 37.
Intellige, niſi alligata ſit diei. ibidem.
Oſtenditur, qualiter computandum tempus, intra quod facienda eſt confeſſio ex regula. V. 3. 38.
Vnicum facit peccatum omittens confeſſionem debitam ex præcepto Eccleſiæ, & ex regula. V. 3. 39.
Sicque per vnicam confeſſionem ſatisfit vtriq; obligationi. V. 3. 40.
Obligatus ad confeſſionem menſtruam ſatisfacit confitendo quouis die menſis. V. 3. 41.
Religioſi in confeſſionibus licitè ſe accuſant de minimis defectibus quotidianis. V. 3. 42.
Non exprimunt in confeſſione circumſtantiam Religioſi, ſi ſint Sacerdotes, modò dicant ſe eſſe Sacerdotes. V. 3. 43.
Circumſtantia loci non ſemper confitenda. V. 3. 44.

Peccans ex conſcientia erronea non tenetur id exprimere in confeſſione. V. 3. 48.
Excipiuntur tamen aliqui caſus. V. 3. 49.
Iactans ſe de peccato aliàs commiſſo non confitetur ſpeciem dicti peccati. V. 3. 51.
Conſulens alteri peccatum confitetur ſpeciem peccati conſulti. V. 3 52.
In confeſſione delectationis moroſæ non neceſſariò exprimenda perſona, circa quam; etſi oppoſitum ſit probabilius V. 3. 53.
Peccatum verè dubium non eſt confitendum: quod alij negant. V. 3. 54.
Non eſt neceſſariò confitendum peccatum, quod probabiliter creditur non eſſe mortale. V. 3. 55.
Peccatum confeſſum vt dubium, non iterum confitendũ, etſi poſtea conſtet eſſe certum. V 3. 56.
Omiſſa inculpabiliter circumſtantia peccati aliàs confitenda, ſufficit eam poſtea confiteri non expreſſo ipſo peccato. V 3 57.
Limita, ſi peccatum, eiuſque circumſtantia ſeorſim explicari poſſint. V. 3. 58.
Abſolui poteſt confitens ſolum in genere mortalia, aut venialia. V. 3. 59
Abſolui nequit Sacerdos, qui inter celebrandum facta generali confeſſione loquelam amittit. V. 3. 60.
Secùs, ſi inchoans hodie confeſſionem, & non abſolutus, cras reperiatur à Confeſſario ſenſibus omninò deſtitutus. V. 3. 61.
Licitè abſoluitur confitens peccatum recens factum prætextu generalis confeſſionis; etſi Confeſſarius apprehendat illud alias eſſe confeſſum. V 3. 62.
Cum aliqua tamen limitatione V. 3. 63.
Dimidiatur confeſſio ad vitandum ſcandalum. V. 3. 64.
Non tenetur iterum conteri Sacerdos, qui præmiſſa confeſſione celebrans recordatur peccati m V. 3. 104.
Tenetur tamen confiteri, ſi poſſit. V. 3. 105.
Iuxta aliquos poteſt quis confiteri tempore Miſſæ ſub præcepto. V. 4 50.
Alij id probabiliùs negant. ibidem.
Sacerdos dicens Miſſam ſolemnem interdum confiteri debet Diacono aſſiſtenti, ſi ſit Sacerdos. V. 9. 40.
Non tamen poſt Conſecrationem, ſi probabiliter putet ſe eſſe contritum. V. 9. 41.
Sacerdos in tali caſu non tenetur poſtea confiteri quamprimum iuxta decretum Concilij Trid. V. 9. 42.
Accedens ad celebrandum præmiſſa confeſſione, ſi in Miſſa recordetur peccati m. non confeſſi, ante communionem non iterum confitetur. V. 9. 44.
Corrigendus defectus commiſſus in audienda confeſſione, ſed non ſemper. V. 12. 65.

Confirmare.

Confirmari dicitur id, quod validum eſt, III. 1. 37.

Congreg. Cardinalium.

Erecta ſpecialiter in bonum Regularium. I. 6. 19.
Non recipit ad profeſſionem. III. 3. 5.
Ei non parent Religioſi ex voto Obedientiæ. IV. 4. 107.
Eius declarationes non habent vim legis. IV. 4. 108.
Vide *v. declarationes Sacræ Congregationis.*

Conſcientia.

Sincere aperienda Prælato. II. 5. 4.
Contra conſcientiam propriam inuincibiliter errantem non obediendum. IV. 4. 47.
Quod ſi Religioſus putet vtramque partem contradictionis eſſe peccatum, eligendum, quod minus malum apparet. IV. 4. 48.
Putans probabiliter rem imperatã eſſe illicitã poteſt parere depoſita practicè conſcientia erronea. IV. 4. 49. & 50.
Immò & tenetur parere ibidem.
Conſcientia erronea debitè deponenda. IV. 4. 49.
Peccans ex conſcientia erronea non tenetur regulariter id confiteri. V. 3. 49.
Peccans ex conſcientia erronea, non diſtinguendo peccetne mortaliter, an venialiter, non ſemper peccat m. V. 3. 50.

Conſenſus.

Votum non conſentiendi in aliquid benignè interpretatur de conſenſu, cooperatiuo. IV. 5. 496.
Conſenſus Parochi debitus, ſed negatus ſuppletur ab Eccleſia. IV. 5. 410.
Conſenſus alius eſt cooperatiuus, alius merè receptiuus. IV. 5. 436.
Vltimus conſenſus confirmat præcedentes. III. 2. 22.
Conſenſus datus reuocari poteſt, ſed non ſemper. III. 2. 27.
Conſenſus Prælati inferiori debitus, ac negatus ſuppletur à ſuperiore. IV. 2. 412.

Conſilium.

Obligatus agere de conſilio alterius, interdum debet illud ſequi. IV. 5. 65.
Nouitij debent ſequi conſilia ſui Magiſtri. II. 5. 3.
Conſilia aliorum libenter audienda. IV. 5. 316.
In Soc. Ieſu promoti ad aliquam Eccleſiam ex voto audiũt conſilia Generalis IV. 5. 312.
Conſilia poſſunt eſſe meliora duobus modis. IV. 5. 323.
Conſulens alteri peccatum confitetur ſpeciem peccati conſulti. V 3. 52.
Conſulendum Proximo minus malum ad vitandum maius. V. 12 43. & 44.
Si tamen maius, ac minus malum eidem inferri debeant. V. 12. 45.
Item, ſi conſulendus non ſtatuit nocere certæ perſonæ, ſed in communi. V 12. 46. & 47.
Conſuli item poteſt indeterminatus ad nocendum huic potiùs, quam alij, vt potius noceat vni, quam alij. V. 12. 47.

Conſilia euangelica.

Seruanda à Religioſis. I. 1. 4.
Non tamen omnia. I. 1. 24.
Perfectio religioſa conſiſtit in obſeruantia tam conſiliorũ, quam præceptorum. V. 1. 3.
Differunt inter ſe Conſilia, & ſtatuta Religionum non obligantia ad culpam. V. 2. 17.

Conſtitutiones.

Differunt à Regula. V. 2. 2.
Extant in quolibet Ordine approbato. V. 2. 3.
Poſſunt fieri de nouo V. 2. 4.
Immò & abrogari. V. 2. 5.
Diſpenſans in iis ſine cauſa interdum peccat m, etſi eę non obligent ad culpam. IV. 2. 34.

Conſuetudo.

Explicatur quid ſit. IV. 2. 378.
Induci poteſt vt Mendicantes incapaces poſſideant in cõmuni bona immobilia. IV. 2. 68.
Item induci poteſt in relaxationem paupertatis religioſæ. IV. 2. 379.
Colligenda ex vſu cuiuſcumq; Ordinis, prouinciæ, ac monaſterij. V. 2. 380.
Induci poteſt item quod Religioſus teſtetur de bonis. IV. 2. 382.
Inducitur decennio. IV. 2. 383.
Per frequentiam tamen actuum. IV. 2. 384.

Iſti

ſti actus eſſe debent voluntarij externi, ac manifeſti. IV. 2. 3͏̄5.
Talis conſuetudo abrogari poteſt. IV. 2. 386.
Non permittenda à Prælato. IV. 2. 387.
Indicatur, quando præſumi probabiliter poſſit. IV. 2. 389.
Peccant, qui illam inducunt. IV. 2. 389
Non præualet contra materiam 3. votorum religioſorum. IV. 4. 61. & 62.
Eſt optima legum interpres. IV. 5. 349.
In dubio præſumitur inducta potius ex deuotione, quam ex obligatione IV. 5. 516. & 544.
Eſt in malo ſtatu habens conſuetudinem violãdi regulam non obligantem ad culpam. V. 2. 41.
Conſuetudo inducta con. regulam excuſat, non tamen in materia votorum. V. 2. 54.
Intellige, quæ concernat ſubſtantiam votorum. ibid.
Ad inducendum conſuetudinem ſufficit binus actus. V. 2. 58.
Conſuetudo in dubio obligat ſolum ad veniale. V. 5. 4.
Vt obliget, plura petit. V. 5. 22. V. 7. 50.
Conſuetudo abſtinendi à lacticinijs in Quadrag. iuxta aliquos non afficit Religioſos; quod alij negant. V. 5 23.
Conſuetudo tamen hæc, vbi eſt inducta, obligat, etiam quo ad ieiunia regulæ, & alia. V. 5. 24.
Religioſi tenentur ad ieiunia per generalem conſuetudinem inducta. V. 5. 50.
Degentes Mediolani primis 4. diebus Quadrageſimę eam non ſeruant, ſecluſa conſuetudine contraria. V. 5. 58.
Immò data tali conſuetudine adhuc extra ſua monaſteria non ſeruant Quadrageſimam. V. 5. 59.
Conſuetudo abrogans Ius commune eſt odioſa inſtar legis correctoriæ. V. 5. 62.
Prælatus inferior non diſpenſat ſuper conſuetudine inducta à Communitate perfecta. V. 7. 56.
Leges aliquæ eccleſiaſticæ fundantur in conſuetudine. V. 7. 48.
Religioſi ex conſuetudine omittentes chorum non facilè damnandi de peccato m. V. 8. 15.
Conſuetudo inducta ex errore non obligat ad mortale. V. 8 48.
Religioſi profeſſi tenentur ad horas ſolum ex conſuetudine. V. 8. 51.
Conſuetudo confert, & aufert iuriſdictionem. V. 8. 124.
Trimeſtre vacationis à loco beneficij conceſſum in Tridentino extendi poteſt ex conſuetudine. V. 8 162.
Ex conſuetudine beneficiarij tempore diuinorum Officiorum celebrantes, aut audientes confeſſiones cenſeri poſſunt præſentes. V. 8. 164.
Conſuetudo cum æquiparetur legi, debet habere eandem æquitatem cum lege. IV. 2. 381.
Exiſtente conſuetudine prohibita, aut reprobata à lege, præſumendum eſt pro ipſa lege. IV. 2. 388.

Contemptus.

Declaratur quid ſit propriè. V. 1. 11.
Quando quis dicatur peccare ex contemptu. ibid.
Iuxta aliquos requiritur contemptus ad incurrendum excõmunicationem ex dimiſſione religioſi habitus. V. 7. 6.
Contemptus ſubuertit totum fundamentum Obedientiæ. IV 4. 34.
Requiritur contemptus ad Inobedientiam formalem. IV. 4. 151.

Contractus.

Fiunt à Nouitijs valide abſque ſolemnitate Iuris ciuilis. II. 7. 31.
Plures tamen ab iiſdem Nouitijs non fiunt ſine ſolemnitate præſcripta a Conc. Trid. II. 9 17.
Religio non tenetur ex contractu indebitè facto à Religioſis. III. 6. 39.
In tali caſu contractus dicitur claudicare. ibidem.
Prælatus ſi promittat de bonis Religioſi ſubditi, tenetur etiam ciuiliter. IV. 2. 208.
Profeſſus recipit titulo conductionis prædium Conuentus cum onere ei ſoluendi certam ſummam. IV. 2. 237.
Ex contractu conditionali oritur obligatio conditionalis. II. 9. 52.
Contractus naturalis factus ab excommunicato tenet. III. 2. 15.
Prælatus ſucceſſor ſtat contractu Prædeceſſoris. III 4 69.
Contractus claudicatio inducta fauore minorum non diuidit contractum. III. 6. 39
Contrahens cum Religioſo non habente ad id licentiam, ſi vult, poteſt reſilire. ibidem.

Contritio.

Elicita heri, & non reuocata ſufficit ad hoc vt pęnitens hodie abſoluatur. V. 3. 65.
Non tenetur iterum conteri, qui præmiſſa confeſſione celebrans recordatur alicuius peccati m. V. 3. 104.
Si tamen poteſt tunc confiteri, tenetur. V. 3. 105.

Conuerſatio.

Sæcularium conuerſatio vitanda à Nouitijs. II. 5. 21.
Nouitij non conuerſantur cum profeſſis. II. 8. 24.
Mulierum conuerſatio cauenda. IV. 3. 16.
Item & quorumcumque Iuuenum. IV. 3. 17.

Conuerſi.

Vide *v. Religioſi laici.*

Correctio fraterna.

Prælati regulares debent corripere ſubditos. III. 6. 6.
Et quidem interdum etiam de leuioribus ſecundum aliquos. V. 2. 61.
Religioſi debent corripere Proximum. V. 12. 33.
Non tamen de leuioribus. V. 12. 34.
Omiſſio correptionis non ita facilè cenſenda mortalis. V. 12. 35.
Maximè, ſi non ſubſit ſpes emendationis. V. 12. 38.
Titulo ſpeciali corripiendus is, quem induximus ad peccatum. V. 12. 59.
Et quidem ſtrictiori vinculo, quam alij, ſed rarò. ibidem.

Criminoſi.

Varij à ſtatu religioſo excluduntur ex Sixti V. Conſtitutione. II. 3. 9.
Qui dicantur criminoſi. II. 3. 10
Admiſſi iure communi gaudent priuilegio fori, non item ex Sixti V. Conſtitutione. II. 7 8. & 9.
Criminoſi non admittendi ad profeſſionem. III. 2. 20.

Credo.

Dicitur in Miſſa votiua ſolemnis. V. 9. 39.
Miſſam ſolemnem celebrans non tenetur dicere *Credo*, dum canitur. V. 9. 36.
Dum canitur *Credo*, poteſt celebrans dicere horas. V. 9. 45.
Si tunc peccet m & intendat confiteri, priuſquam finiatur *Credo*, non eſt ſacrilegus. V. 9. 43.

Crux.

In Proceſſionibus deferenda à Regularibus cum velo pendente. V. 11. 28.

D

Debitores.

Admittantur ad Religionem, ſed non in omni euentu. II. 4. 46. & 47. & 48. & 49. & 50. & 52.
Item recipiuntur ad Profeſſionem, ſed nō ſemper. III 2. 50.
Indebitè recepti non tenentur poſtea laborare ad ſoluenda debita. III. 2. 51.
Nec Prælati tenentur in id conſentire. ibid.
Expedit Prælatis, vt faciant debita, ſi hæc ſint neceſſaria ad congruam Religioſorum ſuſtentationem. III. 6. 18.
Monaſterium ſoluit debita contracta à Religioſo, ſed non ſemper. III. 6. 36. & 37. & 38.
Debitor donans creditori immemor debiti præſumitur velle ſatisfacere debito. V. 8 229.
A debitore excōmunicato exigi poteſt debitum. IV. 5. 415.

Debitum coniugale.

Profitens in religione ſine licentia coniugis relicti, iſto poſtea fornicante, non poteſt, nec debet reddere debitum. III. 2. 41.
Quod ſi reconcilietur coniugi adultero, peccat, tenetur tamen reddere debitum. ibidem.

Declarare.

Declarans propriè nihil noui agit. III. 4. 57. III. 5. 23. IV. 5. 482.
Fruſtra exprimitur, quod tacitè ſubintelligitur. II. 9. 13.
Taciti, ac expreſſi idem eſt iudicium. ibidem.

Declarationes ſacræ Congregationis.

Non habent vim legis vniuerſalis, etſi ſint magnæ auctoritatis. IV. 4. 108.
Ex decreto Vrbano VIII nulla fides ijs danda, neque in iudicio, neque extra, niſi fiant cum certis conditionibus. ibidem.
Non tollunt probabilitatem oppoſitæ opinionis. II. 9. 6.

Defuncti.

Illis vtiles Religioſi. I. 4. 13.
In die defunctorum recitandum ex præcepto Officium defunctorum; etſi alij id negent. V. 7. 48.
Recitans iuxta formam Breuiarij Romani non tenetur diebus deſignatis dicere Officium defunctorum, aliaſq; ſimiles preces. V. 8. 46. V. 8 100.
In die defunctorum Sacerdos non tenetur applicare Miſſam pro omnibus defunctis. V. 8. 21. & 22.
Religioſi ad ſuffragia defunctorum Ordinis regulariter non tenentur ſub mortali. V. 9. 12.
Loco Miſſæ conuentualis, etiam in feſto duplici, quod non ſit de præcepto, cani poteſt Miſſa defunctorum. V. 9 34.
Obligatus celebrare pro pluribus defunctis non ſufficit, quod celebret pro ijs in communi. V. 9. 76.
Obligatus celebrare pro defuncto ad Altare priuilegiatū ſatisfacit ad aliud altare celebrando, & applicando indulgentiam. V. 9. 80.
Celebrans ad altare priuilegiatum pro defuncto non cogitur dicere Miſſam *de requiem*. V. 9. 81.
Alij tamen in hoc diſſentiunt. ibidem.
Quo ad celebriorem liberationem defuncti plus proſunt 30. Miſſæ celebratæ eodem die, quam ſi celebrentur 30. diebus, non item quo ad meritum inſtituentis tale legatum. V. 9. 83.
Obligatus celebrare quotidie pro Fundatore in die defunctorum celebrat pro defunctis. V. 9. 113.
Anniuerſarium defuncti ſi non fit die præfixa, anticipatur. V. 9. 133.
Religioſi defuncti cadauer deferri non poteſt proceſſionaliter extra Conuentum. V. 11. 27.
Orandum pro defunctis. V. 12. 67.

Delectatio.

Non violat votum paupertatis qui moroſè delectatur de dominio, ac vſu libero bonorum. IV. 2. 264.
Delectatio venerea quid ſit. IV. 3. 58.
Decretum prohibens, ne ſuſtineatur, ac doceatur paruitas materiæ in re venerea, loquitur de delectatione proximè ſequente ex venereis. IV. 3. 61.
Violat Caſtitatem Religioſus deliberatè ſe delectando de venereis. IV. 3. 71.
Non violat negatiuè ſe habens circa dictam delectationem. IV. 3. 72.
Limita, niſi præuideat periculum pollutionis, quamuis etiā quo ad hoc aliqui caſus excipiantur. IV. 3. 73.
Violat ſe delectando de copula cogitata cum fœmina, ſi eſſet ſua. IV. 3. 78.
Non violat ſe delectando de cogitatione fornicationis. IV. 3. 79.
Indicatur, vnde dignoſci poſſit, ſit ne delectatio de re mala cogitata, vel de arte, ac induſtria in ea adhibitis. IV. 3. 80
Violat ſe delectando venereè de copula licitè habita alias. IV. 3. 81.
Non item de copula habita in ſomnis illicita ſe delectando. IV. 3. 82.
Differunt inter ſe delectatio venerea, & delectatio ſenſitiua. IV. 3. 95.
Frater Minimus non violat votum vitæ quadrageſimalis ſe delectando ſenſibiliter de eſu carnium. IV. 5. 103.
In confeſſione delectationis moroſæ iuxta aliquos non exprimitur circumſtantia perſonæ, circa quam. V. 3. 53.
Id alij probabiliùs negant. ibidem.
Delectatio moroſa de obiecto malo non ſemper participat malitiam eiuſdem ſpeciei. IV. 2. 264.
Eiuſdem bonitatis, aut malitiæ ſunt actus, ac eius conſenſus in delectationem. IV. 2. 71.

Delicta.

Etiam occulta interdum poſſunt reuelari. II. 3. 27.

Denuntiatio.

Alia eſt iudicialis, & alia paterna. IV. 5. 285.
Supponit moralem certitudinem de delicto. IV. 5. 286.
Indicatur, quæ dici poſſit certitudo moralis. ibidem.
Ad denunciandum paternè non eſt opus, vt delictum probari poſſit. IV. 5. 287.
Fit denuntiatio interdum de delicto cognito ſub ſecreto naturali. IV. 5. 285.
Secùs, ſi ſit notum ex conſultatione ordinata ad confeſſionem ſacramentalem. IV. 5. 289. & 290.
Fit ex notitia habita ex literis miſſis ad ſubditum, ac lectis. IV. 5. 292.
Si denuntiandus ſit plenè emendatus, ceſſat obligatio denuntiandi. IV. 5. 293.
Limita, niſi delictum ſit publicum. IV. 5. 294.
Non denuntiatur paternè qui iā denūtiatus eſt. IV. 5. 302.
Item non fit denuntiatio, ſi conſtet eam fore inutilem. IV. 5. 303.
Ante denuntiationem præmittenda correptio. IV. 5. 306.
Non tamen ſemper IV. 5. 307.
Vide *v. S c. Ieſu quo ad votum denuntiandi ambientes, v. Clerici minist. infirmis quo ad votum denuntiandi &c.*

Depoſitum.

Religioſus ſine licentia recipit in depoſitum pecuniam alienam. IV. 2. 232.

Deus

Deus.

Conſiderandus in Prælato præcipiente. IV. 4. 22.
Ei non parent Religioſi ex voto Obedientiæ. IV. 4. 99. & 100.
Mira eius prouidentia in Ordines religioſos. I. 6. 5.

Diabolus.

Infenſiſſimus viris religioſis. I. 6. 11.

Diaconus.

Non communicat ſeipſum in Paſchate, etſi non habeat copiam Sacerdotis. V. 3. 87.
Non peccat canens euangelium ſolemniter in m.peccato. V. 9. 51.

Dictio.

Dictio taxatiua non excludit caſus ſimiles. IV. 5. 22.
Dictio *cum primum* ſumitur varijs modis. IV. 5. 467.
Dictio *&* ſumitur interdum pro *ſeu*. IV. 5. 470.
Vide *v. verba*.

.V *Differre.*

Differens notabiliter Miſſas debitas ex ſtipendio m. peccat V. 9. 71.
Dilatio hæc notabilis cenſetur, ſi excedat 50. aut 60. dies. V. 9. 72.
Et tunc facienda interdum aliqua reſtitutio. V. 9. 73.
Non tamen in re temporali. ibidem.
Proceſſio conceſſa extra Conuentum pro certo die non differtur. V. 11. 26.
Sponte differens nimis ingreſſum Religionis non ingreditur poſtea abſque noua receptione. II. 2. 21.
Differendus Religionis ingreſſus in dubio, an expectato biennio debitor facilè poſſit parare, vnde ſatisfaciat Creditoribus. II. 4. 48.
Differens implere votum interdum m.peccat, ſed non ſemper. IV. 1. 96.

Dignitates.

Eligi non poſſunt Nouitij ad dignitates regulares II. 8. 12.
Profeſſus tranſiens ab vno ad alium Ordinem pro tempore nouitiatus eligi nequit in Prælatum alterius Ordinis. II. 8. 10.
Poſſet tamen eligi in Prælatum prioris Ordinis. II. 8. 14.
Illegitimi per profeſſionem non fiunt capaces dignitatum. III. 4. 36.
Alij id negant. ibidem.
Fiunt capaces beneficij regularis ſimplicis; III. 4. 37.
Tranſiens ad alium Ordinem eſt inhabilis ad quaſcumq; prælaturas III. 5. 148.
Spurius nõ tenetur ingredi religionem promiſſum ex voto, ſi vouit ignorans ſe fore incapacem dignitatum regularium. IV. 1. 55.
Apud Barnabitas aliqua officia dicuntur præferri dignitati Præpoſiti. IV. 5. 143.
Quid ſit procurare dignitates directè, aut indirectè. IV. 5. 148.
Dignitas, & prælatio propriè quid ſint. IV. 5. 251.
Vrbanus VIII. declarauit incapaces cuiuſuis dignitatis eccleſiaſticæ quoſcumque Religioſos adſtrictos voto non ambiendi. IV. 5. 266. & 267.
Infamibus non datur aditus ad dignitates. III. 2. 21.
Vide *v. Barnabita v. Soc. Ieſu quo ad votum non ambiendi, v. Clerici Miniſtrantes infirmis quo ad votum non ambiendi, v. Clerici ſcholarum piarum, v. Fratres Carmelitæ diſcalceati, v Fratres Auguſtiniani diſcalceati, v. Fratres diſcalceati S. Triuit. redempt.*

Dimiſſoriæ.

Si Nouitij ordinandi ſint, recipiunt dimiſſorias à Prælato regulari. II. 7. 48.
Tranſiens ad alium Ordinem non recipitur ſine dimiſſorijs prioris Superioris. III. 5. 103.

Diſpenſatio.

Diſpenſari poteſt ſuper ſtatu religioſo. I. 1. 35.
Item in præceptis eccleſiæ II. 7. 43.
Diſpenſari poteſt cum Nouitijs, non tamen ad effectus perpetuas, ſi recedant. II. 7. 44.
Diſpenſatus ad profitendum ante finem nouitiatus renunciat bonis ſolum intra vltimum bimeſtre ante profeſſionem. II. 9. 43.
Papa diſpenſat in profeſſione religioſa ex cauſa. III. 5. 8.
Diſpenſat cum profeſſo, vt nubat, & interdum cum onere redeundi habita prole. III. 5. 9
Epiſcopus numquam diſpenſat ſuper religioſa profeſſione. III. 5. 4. & 25.
Papa diſpenſat cum Religioſo ad matrimonium, etiam durante in eo ſtatu religioſo. III. 5. 26.
Abſolutè loquendo, diſpenſatur in ſubſtantia profeſſionis, diſpenſatione nulla facta in 3 votis. III. 5. 27.
Diſpenſat Papa cum profeſſo ad Ordinem laxiorem, etiam ſine cauſa. III. 5. 65.
Diſpenſatus ad certum Ordinem, auctoritate propria tranſit ad arctiorem. III. 5. 109
Solus Papa diſpenſat in votis religioſis IV. 1. 25.
Impotens ad implendum votum religionis ex impedimento ſuperueniente facile diſpenſabili, debet petere diſpenſationem IV. 1. 75.
Deflorans poſt votum Religionis puellam cum promiſſione matrimonij eam ducit ſine diſpenſatione. IV. 1. 25.
Papa diſpenſat cum profeſſo ad faciendum teſtamentum. IV. 2. 205.
Per diſpenſationem tollitur obligatio religioſæ Paupertatis. IV. 2. 248.
Aliqua exprimenda in petenda diſpenſatione voti Caſtitatis religioſæ. IV. 3. 130.
Diſpenſandus, ſi habeat votum non nubendi, aut ſæpiùs repetit votum Caſtitatis ſimplex, non tenetur id exprimere in diſpenſationis petitione. IV. 3. 132.
Item nec tenetur exprimere diſpenſationem, quæ modò petitur, aliàs fuiſſe denegatam. IV. 3. 133.
Diſpenſatio voti Caſtitatis non finitur vnico actu. IV. 3. 134.
Diſpenſatus ad carnes ijs veſcitur, etiam extra territorium diſpenſantis. IV. 5. 96.
Diſpenſatus ad carnes in Quadrageſima edit & piſces, ac carnes noxias. IV. 5. 9. V. 5. 37.
In diſpenſando Superior non ſit ſcrupuloſus. IV. 5. 89.
Vouens non petere diſpenſationem voti emiſſi, adhuc illam petit iuſta occurrente cauſa. IV. 5. 435.
Diſpenſatio legitima excuſat à regulæ obſeruantia. V. 2. 50.
Talis diſpenſatio concedi nequit ſine cauſa. V. 2. 53.
Diſpenſatus ad carnes in die ieiunij eò ipsò non ieiunat. V. 5. 36.
Secùs, ſi ſolum diſpenſetur ad lacticinia. ibidem.
Diſpenſatus ad lacticinia edit lac, caſeum &c. V. 5. 38.
Diſpenſatus ad carnes in Quadrageſima ratione morbi non ieiunat etiam quo die abſtinet à carnibus. V. 5. 39.
Idque etſi ieiunium ei aliàs foret vtile. ibid.
Prælati regulares cum ſuis ſubditis diſpenſant in ieiunio, & abſtinentia à carnibus. V. 5. 66.
Talis diſpenſatio non eſt neceſſaria, ſi certò conſtet de neceſſitate. V. 5. 67.
Diſpenſant item ſecum ipſis. V. 5. 68.
Diſpenſatus generaliter ad carnes in Quadrageſima ijs veſcitur, etiam in ferijs ſextis &c. V. 5. 70.

Prælati regulares diſpenſant cũ ſuis ſubditis ſuper priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ cõtracta ob admiſſionem fœminarum intra monaſterium. V. 6. 65.
Diſpenſari poteſt ſuper delatione religioſi habitus. V. 7. 42.
Solum tamen à Papa directè, & abſolutè. V. 7. 42.
Indirectè verò, & ad tempus a Prælato regulari. ibidem.
Poteſt diſpenſari ad tempus ſuper delatione Tonſuræ clericalis. V. 7. 56.
Diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis. V. 7. 57.
Prælati regulares abſolutè non diſpenſant cum ſubditis quo ad frequentiam Chori. V. 8. 10.
Diſpenſant ſuper recitatione diuini Officij. V. 8. 124.
Diſpenſatio nõ extẽditur ad acceſſoria ſeparabilia. II 9. 43.
Epiſcopi quamdiu potuerunt approbare Religiones, potuerunt item diſpenſare ſuper profeſſione. III. 5. 24.
Prælati regulares peccare poſſunt m. diſpenſando ſine cauſa in Conſtitutione non obligante ad vllum peccatum. IV. 2. 134.
Indigens diſpenſari ſuper pluribus impedimentis non ſimul ea omnia proponit diſpenſanti. IV. 2. 414.
In omni diſpenſatione ſubintelligitur conditio, *modo cauſa perſeueret*. IV. 3. 134.

Diſpenſatio in Paupertate.

Vide *v. paupertas religioſa quo ad diſpenſationem.*

Diſpenſatio in Caſtitate.

Vide *v. Caſtitas religioſa quo ad diſpenſationem.*

Diſpenſatio in Obedientia.

Vide *v. Obedientia religioſa quo ad diſpenſationem.*

Diſpenſatio in Irregularitatibus.

Nouitij diſpenſari poſſunt in irregularitatibus. IV. 7. 36. & 37.

Diſtributiones.

Quid ſint. V. 8. 131.
Illis priuantur beneficiarij abſentes à Choro. V. 8. 132.
Acquiruntur a Canonicis etiam non canentibus, modò aſſiſtant Choro. V. 8. 135.
Immò iuxta aliquos etſi horas non recitent, nec in Choro, nec extra. 5. 8. 137.
Item etſi non attendant. V. 8. 138.
Illas verò non acquirunt, ſi obligati canere canant ſubmiſſè, & non attendant ad partem alterius chori. V. 8. 139.
Acquirunt tamen dimidiam partem, ſi attendant ad partem alterius chori. V. 8. 140.
Canentes ſuam partem, lucrantur diſtributiones, etſi non percipiant quæ canit alter chorus. V. 8. 142.
Ex Pij V. decreto non retinet Canonicus diſtributiones Chori, ſi non recitet horas, nec in choro, nec extra, etſi Choro aſſiſtat. V. 8. 141.
Beneficiarij abſentes à Choro in varijs caſibus lucrantur diſtributiones. 5. 8. 147.
Recipiunt illas, ſi abſq; ſua culpa ſint detruſi in carcerem, aut relegati in exilium. V. 8. 148.
Item, ſi iniuſtè ſint cenſurati, nec per ipſos ſtet, quominùs abſoluantur. V. 8. 149.
Item, ſi excommunicati vitandi aſſiſtant Choro. V. 8. 150.
Item, ſi ſint ſuſpenſi. V. 8. 151.
Item, ſi interdicti. V. 8 152.
Non item pro tempore Ceſſationis à diuinis. V. 8. 153.
Item acquirent, Eccleſia exiſtente polluta. V. 8. 154.
Item, ſi abſint in euidentem vtilitatem propriæ Eccleſiæ. V. 8. 135.
Non acquirunt, ſi abſint trimeſtri vacantiæ conceſſo à Concilio Trid. regulariter loquendo. V. 8. 159.
Acquirunt, ſi tempore diuinorum Officiorum celebrent, aut audiant confeſſiones. V. 8. 164.
Limita, niſi obſtet contrarius vſus. ibidem.
Non acquirunt, ſi Choro aſſiſtant per alium. V. 8. 172.
Tranſigi poteſt ſuper diſtributionibus in dubio debitis. V. 8. 179.
Abſentes à choro priuantur diſtributionibus ante ſententiam. V. 8. 181.
Diſtributiones quotidianæ beneficiariorum abſentium accreſcunt intereſſentibus. V. 8. 182.
Non item legitimè excuſatis a choro. V. 8 183.
Debentur Eccleſiæ, in qua inſtitutæ ſunt præbendæ, ſi præbendati omnes inculpabiliter abſint. V. 8. 184.

Doctoratus.

Promotus eodem tempore ad doctoratum ac prælaturam regularem vnicam facit fidei profeſſionẽ. V. 1. 15.
Promotus ad doctoratum, & poſt paucos menſes electus in Parochum iterat fidei profeſſionem. V. 10. 16.

Doctrina.

Doctrina falſa data in moralibus retractanda. V. 12. 62.
Idque procedit etiam de Lectoribus falſa docentibus. V. 12. 63.

Dominium.

Quid ſit. IV. 2. 16.
Profeſſio religioſa inducit incapacitatẽ dominij. III. 4. 54.
Vi profeſſionis tranſit Religioſus in dominium Religionis. III. 4. 60
Paupertas religioſa abdicat dominium rerum temporalium, non tamen eodem modo in vnoquoque Ordine. IV. 2. 2.
In Soc. Ieſu Coadiutores formati ſunt incapaces dominij. IV. 2. 3.
Paupertas religioſa ſemper in eccleſia excluſit dominium rerum temporalium ſaltem quo ad vſum. IV. 2. 8.
Carentia dominij moraliter, & practicè non ſpectat ad maiorem perfectionem Religionis. IV. 2. 14.
Dominium bonorum in communi non impedit perfectionem religioſam. ibidem.
Incapacitas dominij per ſe non ſequitur ad incapacitatem bonorum immobilium. IV. 2. 56.
Dominium bonorum, quibus vtuntur Minores de Obſer. & Capuccini, eſt penes eccleſiam Romanam. IV. 2 71.
Scholares approbati Societ. Ieſu ſunt capaces dominij. IV. 2. 150.
Retinent dominium ſuorum bonorum arbitrio Superioris IV. 2 151.
Non acquirunt licitè ſine Superioris conſenſu. IV. 2. 152.
Sunt verè Religioſi, licèt capaces dominij. IV. 2. 154.
Votum ſolemne paupertatis facit incapacem dominij: non item votum ſimplex. IV. 2. 187.
Intellige, ſecluſa lege ſpeciali in contrarium. ibidem.
Religioſus profeſſus eſt incapax dominij etiam pro breui tempore. IV. 2. 188.
Religioſus non accipit ſine licentia, etſi interim dominium rei acceptæ relinquat penes dantem. IV. 2. 214.
Non violat votum paupertatis religioſæ capiens delectationem moroſam de dominio. IV. 2. 264.
Parui momenti eſt dominium, cuius vſus eſt impeditus, ac dependens. IV. 2. 17.

Donatio.

Religioſus donat, etiam cauſa mortis de licentia Prælati. IV. 2. 206
Non donat verò ſine licentia nec ex bonis aliàs conceſſis. IV. 2. 218.
Donat ſub conditione licentiæ poſtea obtinendæ. IV. 2. 219.

Non donat, neque de his, quæ ſibi ſubtrahit parciùs viuendo. IV. 2. 220.
Donatio directa, & indirecta quid ſint. V. 5. 148.
Quæ donatio veniat nomine *honorarij*. IV. 5. 531.
Beneficiarij choro aſſiſtentes donant abſentibus diſtributiones ex abſentia amiſſas poſt earum poſſeſſionem, ſed non illas remittunt. V. 8. 178.
Donatio reuocari poteſt ab hærede ex cauſa Ingratitudinis. II 9 62.
Alij tamen id negant ibid.
Donata Fratribus Minoribus repetuntur à dantibus, quãdiu non ſunt conſumpta. IV. 2. 71.
Religioſi in donationibus, quas faciunt, duò maximè debent attendere. IV. 2. 279.
Donatio remuneratoria à Clemente VIII. non fuit prohibita. IV. 2. 329.

Dubium.

Profeſſio religioſa in dubio præſumitur valida. III 1. 76.
Dubitans an vouerit Religionem in genere, vel aliquam certam, ad quid teneatur. IV. 1. 5.
Licentia dubia non excuſat. IV. 2. 418.
In dubio, an res præcepta ſit licita, obediri poteſt. IV. 4 24.
In dubio obediendum, ſed non ſemper. IV. 4. 46.
In dubio, an res præcepta aduerſetur Regulæ, parendum. IV. 4 72.
Parẽdum itẽ in dubio, an res præcepta ſit illicita. IV. 4 77.
In dubio, an ſubſit cauſa diſpenſandi ſuper voto, tenet diſpenſatio. IV. 5. 90.
Votum audiendi conſilia Generalis, quod fit in Soc Ieſu, non obligat in dubio, an ea ſint meliora proprijs conſilijs. IV. 5 324.
Dubitare quid ſit. ibid.
In dubio actus interpretandus potiùs vt valeat. IV 5. 330.
In dubio, an conſuetudo inducta ſit ex deuotione, aut ex obligatione, præſumitur inducta ex deuotione. IV. 5. 516 & 5 4.
In dubijs, ac obſcuris amplectendum quod minus eſt. V. 2. 19.
In dubio, an Regula obliget ſub m. ſeruanda ſub m V. 2. 37.
Lex, quæ poteſt intelligi de pæna maiori, ac minori, in dubio interpretanda de minori. V. 2. 37.
Peccatum verè dubium non confitendum iuxta aliquos; quod alij negant V. 3. 54.
Peccatum confeſſum vt dubium non iterum confitẽdum, ſi poſtea conſtet fuiſſe certum. V. 3. 56.
In dubio, an lex obliget ad mortale, vel ad veniale, obligat ſolum ad veniale. V. 5. 3.
Idem eſt de conſuetudine. V. 5. 4.
Dubitans, an recitauerit aliquem pſalmum, aut aliquam horam, non repetit. V 8. 99.
In dubio, an priuilegium fuerit reuocatum, cenſendum eſt non reuocatum. V. 8 121. II. 4. 59.
Tranſigi poteſt ſuper diſtributionibus in dubio debitis. V. 8. 179.
Dubitãs volũtariè de fide fidei profeſſionẽ violat. V. 10 24.
Baptiſmus in extrema neceſſitate conferri poteſt in materia dubia. V 12. 12.
Immò & debet. V. 12 13.
In dubio, an debitor expectato biennio poſſit facilè creditoribus ſatisfacere, differt ingreſſum Religionis. II. 4. 48.
In dubio textus intelligi debet iuxta rubricam, ſub qua ponitur. II. 9 4.
Renuntiatio facta in Soc. Ieſu non iuxta eius Conſtitutiones in dubio cenſetur conditionata. II 9. 15.
In dubio iudicandum pro Religione. III. 1. 75.
In dubio potius eſt Prælati ius, ſed non ſemper. III. 2. 57.
In dubio recurrendum ad coniecturas. III. 5 52.
In dubio verba generaliter prolata intelligenda iuxta cõditionem perſonæ, ad quam diriguntur. IV. 2. 46.
Superior in dubio præſumitur inuitus IV. 2 418.
Votum in dubio obligat ad id, quod minus eſt. IV. 5. 6.

E

Eccleſia.

Eius approbatio modò requiritur ad eſſentiam Status religioſi, ſaltem perfecti. I. 1. 9. & 10.
Inſtituit Religiones. I. 2. 1. I. 6. 17.
In ea ſemper durauit Status religioſus. I. 2. 11.
Ad eius bonum confert varietas Ordinum religioſorum. I. 3. 1. & 2. & 3.
Ei vtiliſſimus Status religioſus. I. 4. 1.
Debet protegere Religioſos I. 6. 15.
Eos de facto protegit I. 6. 16.
Eos mirificè honorat. I. 6 26.
Protegit eorum perſonas. I 6. 27.
Protegit eorum Protectores, Conſeruatores, Syndicos, & Procuratores. I. 6. 28. & 29 & 30. & 31.
Protegit eorum Nouitios, Oblatos, ſeu Donatos, ac Tertiarios I 6. 32.
Protegit eorum Fundatores, ac Benefactores. I. 6. 33.
Protegit illorum Famulos. I. 6. 39. & 40. & 41.
Inuigilat ſpirituali Religioſorum profectui. I. 6. 42.
Protegit illorum templa, ac monaſteria. I. 6. 43.
Eos protegit quo ad miniſteria ſpiritualia. I. 6. 44.
Protegit eorum priuilegia. I 6. 45.
Protegit eorum regimen. I 6. 46. & 47.
Protegit eorum ſtudia. I. 6. 48.
Protegit bona eorum. I. 6 49.
Eccleſia non poteſt facere, vt matrimonium conſummatum irritetur per votum Caſtitatis religioſæ. IV. 3. 24.
Religioſi non parent Eccleſiæ ex voto Obedientiæ. IV. 4. 101.
Fratres Minores ei vouent ſpecialem obedientiam, ac reuerentiam. IV. 5. 1. & 11.
Eccleſia obligat ad confeſſionem annuam quoſcumque adſtrictos peccato m. V. 3. 6.
Non item habentes ſolum venialia. V. 3. 7.
Non obligat ad confitendum per interpretem neque in articulo mortis. V 3. 21.
Præcipit communionem in paſchate. *vide v. Paſcha.*
Præcipit auditionem Miſſæ in die feſto. *vide v. Miſſæ auditio.*
Obligat ad ieiunium. *vide v. ieiunium.*
Non præcipit actus internos, niſi concomitanter. V. 8. 33.
Supplet interdum iuriſdictionem. II. 2. 19.

Eccleſia pro templo.

Vide templum.

Effectus.

Plures, & varij effectus oriuntur ex religioſa profeſſione. III. 4. 1.
Non omnes tamen, qui oriuntur ex profeſſione expreſſa, oriuntur item ex tacita. III. 4 2. & 3. & 4.
Profeſſio inualida per accidens aliquos gignit effectus III. 4 5. & 6.
Idque etiam in caſu, quo illa ſit nulla iure eccleſiaſtico. III. 4. 7.
Referuntur effectus, quos gignit talis profeſſio. III. 4. 8.
Aliqui tamen horum abolití. ibid.
Ius ſuum proſequenti non imputantur effectus præter intentionem, & per accidens ſecuti. III. 6. 8.

Eijci, & Eiecti.

Nouitij non poſſunt eijci ſine cauſa. II 7. 60.
Profeſſus cum impedimento accidentali non manifeſtato hodie eijci nequit a Religione. III 1. 67.
Eiecti perpetuò a Religione licitè, & validè profitentur in alio. III. 2. 22. III 5 111.
Eijci poteſt inualidè profeſſus, qui non vult, nec reclamare,

nec profeſſionem ratificare. III. 5. 50. & 53.
Religioſus Soc. Ieſu dans cauſam culpabilem ſuæ dimiſſioni non eſt tutus in conſcientia. III. 5. 25.
Hodie non poſſunt eijci Religioſi à religione niſi ob incorrigibilitatem. III. 6. 11.
Legitimè eiecti non neceſſario iterum recipiuntur, licèt emendati. III. 6. 14.
Debent tamen reuocari. III. 6. 15.
Pater filio religioſo eiecto debet miniſtrare alimenta, ſi ea non habeat aliunde. III. 6. 19.
Profeſſus proprietarius hodie non eijcitur è monaſterio. IV. 2. 246.
Religioſus eiectus tenetur voto paupertatis. IV. 2. 373.
In aliquibus obedit Papæ ex voto obedientiæ IV. 4. 181.
Non incurrit excommunicationem dimittendo habitum clericalem ex Vrb. Oct. decreto hodie ab eiectis deferendo. V. 7. 40.
Non defert Tonſuram, niſi ſit in ſacris. V. 7. 62.
Item non tenetur ad horas, niſi ſit in ſacris. V. 8. 59.
Recipiens à Religioſo eiecto ob fines illicitos non reſtituit. IV. 2. 379.

Electio.

Electio bonorum prælatorum confert ad reformationem Religionum. I. 5. 14.
Ad electionem conuocandus Nouitius beneficiarius, ſi habeat ius eligendi. II. 2. 24.
Nouitius eligi non poteſt ad prælaturas regulares. II. 8. 12.
Item eligi non poteſt profeſſus tranſiens ad alium Ordinē durante eius nouitiatu. II. 8. 13.
Is tamē tūc eligi poſſet in Prælatū prioris Ordinis. II. 8. 14.
Nouitij non habent ius eligendi intra Religionem. II. 8. 15.
Profeſſio dat ius eligendi. III. 4. 75.
Non peccat Religioſus procurans ſibi committi electionem cauſæ piæ, in quam implicanda eſt certa pecunia, ſic intendens illam ſibi ipſi applicare. IV. 2. 300.
Peccat ſed non contra paupertatem, ſi prohibitus facere electionem præfatam, illam adhuc faciat. IV. 2. 301.
Superior dictam electionem ei poteſt interdicere, non tamen transferre in alium ius eligendi. IV. 2. 302.
Elector abſens iure communi eligit per alium. IV. 2. 15.
Electio non vitiatur præciſè ob ſuffragium alicuius inhabilis. II. 2. 19.

Eleemoſyna.

Quid ſit propriè loquendo. IV. 5. 119.
Oblata monaſterio non recuſanda ſine cauſa. III. 6. 58.
Mendicantes incapaces recipiunt eleemoſynas perpetuas à miniſtris principum. IV. 2. 38
Profeſſus non facit eleemoſynas ſine licentia. IV. 2. 227.
Acceptat munus diſtribuendi eleemoſynas pauperibus à ſe eligendis, & quidem inſcio Prælato. IV. 2. 236.
Peccat Religioſus ſibi abſque licentia applicando eleemoſynam pro paupere petitam. IV. 2. 307.
Et quidem etiam peccato furti, ſi ea petita ſit pro certo paupere. IV. 2. 308.
Secus ſi pro pauperibus in genere. IV. 2. 309 & 311.
Idque eſtò in ipſa petitione non intenderit eam retinere. IV. 2. 310.
Non peccat conſentiens reuocationi eleemoſynæ alias applicatę pauperibus, eſtò eius conſenſus petatur ad talem reuocationem. IV. 2. 311.
Item non peccat ex ſe applicando eleemoſynam pauperi, ipſi verè non applicandam. IV. 2. 311.
Fratres Mercenarij tenentur quęrere eleemoſynas ex voto ad captiuorum redemptionem. IV. 5. 41.
Fratres laici Minimi promittunt ſe fideliter expoſituros Ordini eleemoſynas monaſterio oblatas. IV. 5. 115.
Vxor inuito viro aliquas facit eleemoſynas IV. 5. 134.
Non tenemur facere eleemoſynam ei, cui aliunde ſcimus ſubuentum iri. IV. 5. 412.
Si plures diuites norunt ſimul indigentiam pauperis, omnes tenentur ei ſubuenire, vno autem eorum ſubueniente, alij non tenentur. IV. 5. 411. & 412.
Beneficiarius non reſtituit ad ratam omiſſionis diuini Officij, ſi immemor talis obligationis fecit eleemoſynas æquiualentes. V. 8. 229.
Eleemoſynæ parcè quærendæ pro Religioſis. IV. 2. 12.
Non expedit Religioſos viuere ex eleemoſynis dietim paratis. IV. 2. 13.
Contra impedientem Religioſos ab eleemoſynis quærendis procedunt Inquiſitores tanquam contra hæreticum. IV. 2. 34.

Emphyteuſis.

Religioſus non eſt incapax emphyteuſis, ſi ſit Ordinis capacis. IV. 2. 199.
Secus, ſi Ordinis incapacis. IV. 2. 200.

Epicheia.

Quid ſit. IV. 2. 390.
Ad eam duo requiruntur. IV. 2. 391.
Admittitur in voto religioſæ paupertatis. IV. 2. 392.
Recipiens ex epicheia id poſtea aperit Prælato. IV. 2. 216. & 399.
In triplici caſu eſt licita in materia religioſæ paupertatis. IV. 2. 393.
In dubio non admittitur ſemper. IV. 2. 394.
Non æque facilè permittitur ad dandum, ac ad recipiendum. IV. 2. 395.
In minimis faciliùs ſupponitur. IV. 2. 396.
Admittitur in caſu, quo Prælatus ſit inuitus irrationabiliter. IV. 2. 397.
Vtēs epicheia excuſatur etiam pro foro externo. IV 2. 398.
Quæ requirantur, & ſufficiant, vt concedatur epicheia. IV. 2. 400.
Voluntas Prælati præſumpta ſufficit ad tollendum proprietatis vitium a Religioſo. IV. 2. 401.
Epicheia excuſat ab obſeruantia Regulæ. V. 2. 51.
Eſt quaſi interpretatio legis. ibid.
In dubio non admittitur ſi adiri poſſit Prælatus. V. 2. 53.
Ad vtendum illa non ſufficit ſcire quod ſi licentia peteretur daretur. V. 2. 53.

Epiſcopus.

Eſt in ſtatu perfectiori, quam ſint Religioſi. I. 3. 76. & 77.
Non ingreditur religionem ſine licentia Papæ. II. 4. 30.
Adſtrictus voto religionis nō admittit Epiſcopatū. II. 4. 31.
Religioſus factus Epiſcopus non recuperat bona abſolutè renuntiata. II. 9. 24.
Epiſcopus validè profitetur in religione, ſed non licitè. III. 2. 61.
Eius profeſſio tamen non tenet quoad vſum. III. 2. 62.
Prohibetur ingredi religionem etſi nondum conſecratus. III. 2. 63.
Secùs, ſi ſolum ſit electus. III. 2. 64.
Item, ſi renuntiauit Epiſcopatui. ibid.
Non ingreditur religionem Epiſcopus titularis. III. 2. 65.
Religioſus factus Epiſcopus adhuc eſt verè Religioſus. III. 5. 15.
Et, ſi renuntiat Epiſcopatum, non tenetur redire ad religionem. III. 5. 16.
Item non tenetur, ſi degradetur in pœnam. ibid.
Eximitur a regulari obſeruantia eo ipſo quod confirmatur a Papa, ibid.
Item à votis ſpecialibus Ordinis, quæ potius ſuſpenduntur, quam extinguantur. III. 5. 17.
Immò ſi redeat, non ſubeſt regulari Prælato. III. 5. 17.
Non tranſit ad Ordinē laxiorē, quod alij negant III 5. 120.
Vt tamen tranſeat ad Ordinem laxiorem licentia Papæ eget. III. 5. 121.
Epiſcopo regulari non ſoluit religio alimenta, eſtò poſt Epiſcopatus renuntiationem illis indigeat. III. 6. 29.

Epiſco-

Epiſcopus Religioſus tenetur votis ſubſtantialibus religionis. IV 1 23.
Non item alijs votis, quæ in aliquibus Ordinibus prætereà fiunt. ibid.
Acceptans Epiſcopatum poſt votum religionis illum renunciat, & ingreditur religionem. IV. 1. 86.
Religioſus factus Epiſcopus cenſetur diſpenſatus in voto paupertatis IV 2. 366.
Sicque teſtatur de ſuis bonis. IV. 2. 367.
Sed non abſolutè IV. 2 183
Acquirit (ſed non vt dominus) & quidem ſuæ Eccleſiæ à die confirmationis. IV. 2 184.
Iuſtè poſſidet, quidquid acquirit, & quocumque titulo. IV. 2. 185.
Si tranſeat ad aliam Eccleſiam acquiſita in priori Eccleſia ipſi relinquit, ibid.
Iuxta aliquos liberè expendit etiam in vſibus vanis, & nō tenetur reſtituere. IV. 2. 186.
Donat inter viuos, non item cauſa mortis. ibid.
In aliquo caſu donat in infirmitate dubitans de morte. ibidem.
Recuperat ius ſuccedendi parentibus, ac agnatis. IV. 2. 369.
Vnde & ius ſuccedendi tranſit à religione ad Eccleſiam, cui Religioſus præficitur in Prælatum. IV. 2. 370.
Epiſcopatum non acceptat Religioſus ſine conſenſu Prælati. IV 4 82.
Non poteſt cogi acceptare Epiſcopatum. IV. 4. 84.
Cogi poteſt à Papa. IV 4 85.
Religioſus Epiſcopus paret Papæ ex voto obedientiæ. IV. 4. 138.
Non eximitur voto obedientiæ niſi quo ad Prælatos regulares. IV. 4. 171. & 172.
Ab obedientia Prælati regularis eximitur à die confirmationis. IV. 4. 173.
Manet autem ſic exemptus etſi abdicato epiſcopatu redeat ad religionem. IV. 4. 174.
Excipe, niſi degradetur ex ſua culpa. IV. 4. 175.
Hac exemptione gaudet etiam Epiſcopus titularis. IV. 4. 176.
Immo ea gaudet & depoſitus, ſi item non ſit degradatus. IV. 4 177
Epiſcopatus illicitè appetitur. IV. 5. 247. & 364.
Votum tamen illum non acceptandi, licitum eſt IV. 5. 247.
Illicitum verò, ſi ſit de non acceptando illo in vllo caſu. IV. 5 248.
In multis enim caſibus vrgere poteſt obligatio illum acceptandi. IV. 5. 252.
Epiſcopatus Indici cadunt ſub votum non acceptandi dignitates: quod alij negant. IV. 5 263.
Religioſus Epiſcopus non tenetur ad Regulam Ordinis. V. 2 43.
Non incurrit excommunicationem dimittendo habitum religionis. V. 7. 37.
Vtitur breuiario proprio ſuæ Eccleſiæ. V. 8. 21.
Electus in Epiſcopum, aut translatus ad alium Epiſcopatum non poteſt facere fidei profeſſionem per Procuratorem V. 10. 3.
Alij tamen id negant. ibid.
Promotus ad Epiſcopatum facit fidei profeſſionem. V. 10 6
Status Epiſcopalis importat immobilitatem. I. 1. 29.
Religioſus, qui non renuntiauit paternis bonis, ſi fiat Epiſcopus, eius patre adhuc viuente, ſecum defert ius hæreditatis. II. 9. 23.
Ex religioſis Ordinibus innumeri ad Epiſcopatum euecti, I. 6. 26.

Eremita.

Hodie non poſſunt eſſe Religioſi propriè. I. 1. 19.
Abſolutè tamen eſſe poſſent. I. 1. 20.
Eorum ſtatus non eſt opus, quod approbetur à Papa. I. 2. 17.
Vita ſolitaria eſt perfectior cęnobitica, non tamen reſpectu cuiuſcumque Religioſi. I. 3. 71. & 72.
Idque facta comparatione ad vitam contemplatiuam. I. 3 73.
Perfectio religioſa perfectius acquiritur intra monaſteria, quam in ſolitudine. V. 1. 23.

Error.

Profeſſio facta ex errore non ſemper tenet. III. 1. 51.
Error quando cenſeatur contra ſubſtantialia religionis, & quando contra accidentalia. III. 1. 52.
Error circa ſubſtantialia irritat profeſſionem. III. 1. 53. III. 3. 32.

Eucharistia.

Regulares tenentur illam ſumere multiplici iure. V. 3. 67.
Communio Euchariſtica non eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij. V. 3. 68.
Iure diuino ſumenda in mortis articulo. V. 3. 69.
Non item, ſi paucis diebus ante Religioſus communicauit. V. .70.
Qui communicauit in paſchate, communicat iterum in articulo mortis. V. 3. 71.
Omnes fideles iure diuino aliquoties communicare tenentur in vita: quod tamen alij negant. V. 3. 73.
Omnes etiam Religioſi ex præcepto Eccleſiæ communicant in paſchate. V 3. 74
Qualiter hic ſumatur Paſchatis nomen. V. 3. 75.
Implent hoc præceptum communicantes de licentia proprij Prælati extra ſuam Eccleſiam. V. 3 76.
Idque de licentia eius ſaltem tacita. V 3. 7 .
Religioſi indebitè miniſtrantes Euchariſtiam in paſchate Religioſis alterius Ordinis nō excōmunicantur V. 3. 77.
Non communicans in paſchate tenetur adhuc commmunicare ante finem anni. V 3. 78.
Præuidens fore vt non poſſit communicare in paſchate, prǫuenit. V. 3. 80.
Non communicans in paſchate, debet poſtea communicare quam primùm; etſi alij id negent. V. 3. 79.
Præueniens communionem paſchatis ob impedimentum impendens, ſi poſtea in ipſo paſchate hoc ceſſet, iterum communicat. V. 3. 81.
Communicans in peccato m. implet præceptum. V. 3 82.
Implent item excommunicatus, ac interdictus, ſi communicent. V. 3 83.
Ad implendum hoc præceptum Sacerdos ſeipſum communicat. V. 3. 84. & 85.
Immò debet ſeipſum communicare. V. 3. 86.
Non item Diaconus, qui nec poteſt. ibid.
Communicans per modum viatici fer 2. hebdomadæ ſanctæ, ſi iudicio medicorum moriturus intra tempus paſchale ſuperuiuat plures dies, iterum communicat ad implendum hoc præceptum. V. 3. 87.
Non communicans in paſchate non incurrit vllam pænā ipſo facto. V. 3. 88.
Religioſi iure communi ſemel tantum in anno communicant. V. 3. 89.
Item & moniales. ibid.
Iure verò regulari proprij ordinis, ſæpius communicant. V 3. 90
In pænam prohiberi poteſt communio. V. 3 91.
Prælati regulares ſubditis miniſtrant Euchariſtiam etiam cum periculo vitę. V 3. 92.
Limita, niſi id faciant per alium. ibid.
Religioſo Apoſtatę non ſemper denegatur communio. V. 3. 93.
Idemque iuris eſt de quouis peccatore petente Euchariſtiam. ibid.
Communio datur Religioſis amentibus lucida habentibus interualla. V. 3. 96.

In articulo mortis datur etiam perpetuò amentibus, phreneticiſque ſi non ſit periculum irreuerentię. V. 3. 97.
Religioſi ſicut celebrant in mari, ita & ibi communicant. V. 3. 98.
Sacerdos partem hoſtię in Miſſa a ſe conſecratę dat alteri. V. 3. 99.
Nocte Natiuitatis D. celebrans, ſi mane ſequenti nequeat celebrare, nec communicat more laico. V. 3. 100.
Religioſi infirmi frequentius communicant quam laici. V. 3. 101.
Infirmo patienti vomitum in articulo mortis interdum datur communio. V. 3. 102.
Communicaturus debet eſſe in ſtatu gratiæ. V. 3. 103.
In aliquo caſu raro poteſt quis communicare cum conſcientia m. peccati. ibid.
Non tenetur iterum confiteri Sacerdos, quæ præmiſſa confeſſione celebràs recordatur alicuius noui peccati mortalis. V. 3. 104.
Si tamen tunc poſſet confiteri, teneretur. V. 3 105.
Fructus communionis obtinetur etiam ſine actuali deuotione communicantis. V. 3. 106 & 107.
Obtinetur item in amentia, ſi antea communicans habuit intentionem percipiendi fructum ſpiritualem etiá ex caſuali comeſtione Euchariſtiæ facta in amentia. V. 3. 97.
Interdum communicans non recipit gratiam, & tamen non peccat V. 3. 108.
Peccata venialia, etiam facta in ipſa communione nõ impediunt fructum illius. V. 3. 109.
Accedens ad communionem cum peccato v. iuxta aliquos venialiter peccat. V. 3. 110.
Sacerdos communicans ſub vtraque ſpecie, vt ſic non recipit maiorem gratiam V. 3. 111.
Secùs, ſi poſt ſumptionem alterius ſpeciei meliùs ſe diſponat. V 3. 112. & 113. & 114.
Sumens plures hoſtias, aut grandiores, vel diutius hærens in illis ſumendis per ſe non recipit maiorem gratiam. V. 3. 114.
Laicus communicans maiori cum deuotione, quam Sacerdos, recipit etiam plus gratiæ. V. 3. 115.
Communicans obtinet remiſſionem venialium tum mediatè, tum immediatè. V. 3. 116.
Euchariſtia interdum dat primam gratiam. V. 3. 117.
Alijd negant. ibid.
Sacerdos non tenetur celebrare, vt conſecret hoſtiam ad communicandum infirmũ per modum Viatici. V. 9. 11.
In aliquo tamen caſu teneretur. ibid.
Sacerdos loco hoſtiæ à ſe conſecratæ in Miſſa ſumere poteſt aliam ab alio præconſecratam, ſuam ad alium finem reſeruando. V. 9 47.
In Miſſa exhibenda populo hoſtia conſecrata à Sacerdote tunc celebrante, & non alia. V. 9. 48.
Exponi non debet populo hoſtia grandior non conſecrata paruas formulas conſecratas illi adiungendo. V. 9 49.
Regulares tenentur miniſtrare Euchariſtiam, ſed ex charitate. V. 12. 16.
Cum ſuo graui damno non tenentur. V. 12. 17.
Ad hoc idem tenetur Sacerdos mutus in graui neceſſitate. V. 12. 18.

Examen conſcientiæ.

Frequentandum à Religioſis, maximè à Nouitijs II 5. 9.
Examen particulare qualiter inſtituendum. II. 5. 10.
Quæ regulæ faciunt ad vtiliorem illius vſum. II. 5. 11.

Excommunicatio.

Incurritur à Religioſis reſiſtentibus Reformationi. I. 5. 28.
Lata contra impugnantes Inſtituta Ordinum religioſorum. I. 6. 20.
Contra facientes libellos famoſos aduerſus Religioſos. ibidem.
Contra damnificantem illos in bonis temporalibus. ibid.
Contra impedientes ingreſſum Religionis. I. 6. 22. & 23. & 24.
Contra recipiẽtes Religioſum Apoſtatam, aut fugitiuum, ac ijs fauentes. I. 6. 25.
Contra percutientes Religioſum ſuadente diabolo, ac non impedientes percuſſionem, cum teneantur ex officio. IV. 5. 226.
Excommunicatio non liberat à ſoluendo debita creditori vitando. IV. 5. 414.
Si ſit latæ ſententiæ, arguit obligationem grauem. V. 2 32.
Non incurritur à Religioſo indebitè Euchariſtiam præbente Religioſo alterius Ordinis. V. 3. 87.
Incurritur verò à Religioſo ſine licentia tranſeunte ad partes vltramarinas. V. 6. 20.
Incurritur ab adeunte Principum Curias ad nocendum ſuis Prælatis. V. 6. 21.
Item ab adeunte ſtudia ſine licentia. V. 6. 22.
Item ab adeunte ſtudia Legum aut medicinæ. V. 6. 23.
Item à fęminis indebitè ingredientibus monaſteria Regularium. V. 6. 59.
Item à Regularibus fœminas in caſu propoſito recipientibus. ibid.
Item è Religioſis habitum temerè dimittentibus. V. 7. 6. & 41.
Non eximit à recitatione priuata diuini Officij. V. 8. 64.
Ligatus multiplici excommunicatione petit abſolui ab vna alijs tacitis. IV 3. 132.
Interdum leuiora præcipiuntur ſub excommunicatione, aut etiam prohibentur. IV. 4. 32.

Excommunicatus.

Si ſit occultus, validè concurrit ad receptionem nouitij. II. 2 19.
Validè recipitur ad profeſſionem, licèt ſit vitandus. III. 2. 15. & 16.
Validè item recipit ad profeſſionem III. 3. 25.
Prælato excommunicato vitando Religioſi non obediunt. IV. 4 122.
Excommunicatus confitens, ſi prius abſoluatur à peccatis, quam ab excommunicatione, implet præceptum annuę confeſſionis. V. 3. 28.
Excommunicatus, etiam vitandus, ſi ſit beneficiarius, & aſſiſtat Choro, acquirit diſtributiones. V. 8. 150.
Sacerdos excommunicatus celebrans miſſas ex ſtipendio ſuſceptas ante excommunicationem ſatisfacit. V. 9 84.
Item ſatisfacit celebrans pro excommunicato miſſas ab eo iniunctas ex ſtipẽdio ante excõmunicationem. V 9. 85.
Religioſus excommunicatus toleratus poteſt conuenire cum alijs ad proceſſiones. V. 11 20.
Religioſi tenentur agere cum excommunicatis vitandis in bonum ſpirituale ipſorum. V 12 32.
Contractus naturales initi ab excommunicato tenent III. 2. 15.
A debitore excommunicato vitando peti poteſt creditum IV. 5. 415.

Excuſatio.

Lex prohibens excuſationem excludit ſolum friuolam, aut falſam IV. 5. 181.
Religioſi excuſari poſſunt à proceſſionibus ex diſtantia loci, & à caſu fortuito. V. 11. 16.
Item ex paucitate Religioſorum degentium in Cõuentu. V. 11. 17.
Idque etſi ibi adſint alij Religioſi hoſpites in numero ſufficienti. V. 11. 18.
Item ex ægritudine eorundem Religioſorum. V. 11. 19.

Exemplum.

Non arctat regulam, ſeu diſpoſitionem. IV. 5. 22.

exem-

Exemplum bonum.

Efficaciter perſuadet. I 5.14.

Exemptiones.

Vitandæ à Religioſis. I 5.19.
Omninò relegatæ à Societate Ieſu I. 5. 20.
Moderatæ non damnandæ. I. 5. 19.

Exercitia ſpiritualia.

In ijs exercendi Nouitij. II. 5. 22. II. 6. 38.

Extrema Vnctio.

In graui neceſſitate per Regulares conferenda ſecularibus. V. 12 19.
In aliquo caſu ſimul miniſtratur per plures Sacerdotes. V. 12. 20.

F

Fama.

Ei conſulendum à Religioſis. III. 6. 65.
Eius reſtitutio ab ijs ex ſe non remittenda. III. 6. 66.
Nemo habet ius tuendæ famæ cum damno graui alterius iniuſtè conſequente. II. 3 27.

Familiares.

Aliqua requiruntur, vt quis dici poſſit familiaris regularium I 6.40.

Famuli.

Famuli Regularium gaudent varijs priuilegijs. I. 6. 39.
Qui ſint tales famuli. I. 6. 40.
Quid de ijs diſpoſuerit Concilium Tridentinum. I. 6 41.
Fœmina ingrediens Monaſteria Regularium cum licentia ſecum ducit ſuas famulas. V. 6. 53.
Loco illarum, per ſe loquendo, poteſt & ſecum ducere alias. V. 6. 54.

Feſtum.

Obſeruantia feſtorum eſt partim ex iure naturali, ac diuino partim ex iure humano. V. 4. 1.
Non eſt æqualis quò ad omnia feſta in Ordine ad diſpenſationem. V. 4 2.
Extenditur ad omnia feſta inducta ſub præcepto. V. 4. 3.
Eius inceptio, ac deſitio pendet quo ad durationem ex vſu locorum. V. 4 4
Inſtitui poteſt feſtum durans ſolum vſq; ad meridiē ibid.
Obſeruantia feſti obligat ad miſſam, & ad ceſſandum ab operibus ſeruilibus. V 4 5.
Obligat ex genere ſuo ſub mortali. V. 4. 6.
At excuſat materiæ paruitas, quæ variè aſſignatur. V. 4. 7.
Laborans ſeruiliter modico tempore in varijs feſtis, itaut pertingat ad notabilem exceſſum, non peccat m. V 4. 8.
Item non peccat m. qui eodem die feſto opus notabile iubet fieri a pluribus, ſed itaut ſinguli ſolum modicè laborent ibid.
Exceſſus violationis feſti in iudicialibus pendet ex qualitate operis, ibid.
Feſta inſtitui poſſunt in ordine ad Regulares a Papa, ab Ordinario, & a Regularibus Prælatis. V 4. 9.
Regulares non obligantur feſtis votiuis populi, etſi approbatis ab Ordinario. V. 4. 10.
Item nec feſtis proprijs parœciæ, in qua degunt. ibid.
Pro ipſis ſolis indici nequeunt feſta ab ordinario. V. 4. 11.
At ab eo eximi poſsūt, ne teneātur feſtis diæceſanis. V. 4. 12.
Religioſi hoſpites non obligantur feſtis proprijs loci, per quem tranſeunt. V 4. 13
Item nec feſtis ex conſuetudine. V. 4. 14.
Item nec inſtitutis a Principe. V. 4. 15.
Vt tamen teneantur ad feſta diæceſana, ſufficit conſtitutio quaſi domicilij. V. 4. 16.
Recedens à loco, in quo eſt feſtum, ad alium, in quo non eſt, ſeruiliter laborat. V. 4 17
Explicatur ratio operis ſeruilis. V. 4 18.
Die feſto non omninò licitè templa mundantur, purgantur candelabra, &c. V. 4. 19.
Si comœdia habenda ſit, tabulata neceſſaria conſtrui poſſunt. V. 4. 20.
Corrigi poſſunt libri hæreticorum, etiam à conglutinando ipſis pagellas, ſed non omnes libri indifferēter V. 4 21.
Non poteſt recognoſci regiſtrum librorum conglutinandorum. V. 4. 22.
Licitum eſt ſcribere, & tranſcribere, imò & caracteres ordinare ad imprimendum. V 4. 23.
Non item imprimere ſcripturam ſingulos caracteres ſeorſim manu comprimendo. V. 4. 24.
Licet pingere ad artem diſcendam, & cauſa recreationis. V. 4 25.
Item venari, piſcari, & aucupari, ſi piſcatio fiat in flumine, & reliqua fiant recreationis cauſa. V 4. 26.
Obligatio feſti transfertur ſolùm quo ad diuinum officium, non item quo ad alia, nec quo ad indulgentiam. V. 4 27.
Poteſt abrogari per conſuetudinem 40 annorum. V. 4 28.
Conſuetudo autem poteſt in eodem loco eſſe reſpectu mechanicorum vnius generis, & non alterius. V. 4. 29.
Super obſeruantia feſtorum diſpenſat Prælatus regularis cum ſuis ſubditis V. 4. 30.
At diſpenſatio non requiritur, ſi euidenter conſtet de cauſa. V 4. 31.
Ea concedi poteſt, quoties occurrit cauſa iuſta etſi occurrat frequentiùs. V. 4. 32.
Ordinarius ſuper feſto diæceſano diſpenſans ſine cauſa validè diſpenſat; ſecùs, ſi ſuper feſto iuris communis. V 4. 33.
At hoc non procedit, ſi ſuper dicto feſto diſpenſet ſine cognitione cauſæ, quæ tamen adſit V 4. 34.
A feſtorum obſeruantia excuſant plures cauſæ, quæ referuntur. V 4. 35.
In Oratorio priuato miſſa non celebratur in certis feſtis. V. 4 81.
Miſſæ præceptum obligat omnibus dominicis, & alijs feſtis ex præcepto. V 4. 4.
Item in feſtis proprijs diæceſis V. 4. 5.
Item in feſto occurrenti die iouis ſancti, aut ſabbati ſancti, non item in fer. 6. paraſceue V. 4. 6.
Diebus feſtis omitti poteſt Miſſa ſolemnis in templis Regularium, ſecluſo periculo ſcandali. V. 9. 30.
Obligatus celebrare quater in hebdomada non tenetur celebrare diebus feſtis per ſe loquendo. V 9. 127.
Obligatus celebrare diebus dominicis, & bis in hebdomada, ſed præcipuè diebus feſtis, non ſatisfacit celebrando illis diebus feſtis, in quibus fit Officium duplex. V. 9. 128.
Degens in loco, vbi celebratur feſtum aliquod proprium, licitè recedit aliò ad operandum ſeruiliter. IV. 5. 327.

Feudum.

Votum ſolemne paupertatis facit incapacem ſucceſſionis in feudum. IV. 2. 198.

Fideicommiſſum.

Incapax hæreditatis eſt incapax fideicommiſſi vniuerſalis. IV. 2. 126.

Fides Chriſtiana.

Regulares non tenentur inſtruere fideles de rebus fidei, niſi ad id aſtringantur ex peculiari ipſorum inſtituto. V. 12. 22.

Te-

Tenentur tamen, ſi deſint alij, qui id faciant. V. 12. 23.
Non tenentur adire Indos cauſa propagandæ Fidei, niſi ad id obligentur vi ſui Inſtituti. V. 12. 25.
Non tenentur cum periculo vitæ ſubuenire rudioribus ſeductis ab hæreticis. V. 12. 25.
Fides opera Regularium diſſeminata. I. 4. 12.

Fidei profeſſio.

Vide *v. profeſſio fidei.*

Fidelitas.

Fratres laici Ordinis Minimorum promittunt fidelitatem circa bona monaſterij. V. 5. 115.
Quid intelligant nomine fidelitatis. V. 5. 117.
Vide *v. Fratres Minimi, quo ad promiſſionem fidelitatis.*
Violatio fidelitatis etiam in re graui iuxta aliquos eſt venialis. IV. 5. 120.

Filij.

Ad Religionem non admittuntur, ſi habeant parentes indigentes grauiter. II. 4. 39. & 40.
Idque etſi illi eſſent adſtricti voto Religionis. II. 4. 42.
Religio ſubuenit filiis egenis Religioſi, niſi malit dimittere patrem ad eorum ſubſidium. III. 6. 41.
Filii neglecti à parentibus hoc ipſo, quod fiunt Religioſi. II. 9. 2.
Illegitimi per matrimonium contractum in articulo mortis euadunt legitimi. III. 2. 8.
Liberantur per profeſſionem à poteſtate patris. III. 4 42.
Propriè loquendo illegitimi non ſunt filii geniti à coniugibus poſt religioſam profeſſionem ab vtroque emiſſam. IV. 3. 66.
Hi tamen iure communi reputantur illegitimi quo ad Ordines, & beneficia. ibid.

Finis.

Subiiciens ſe alteri ad aliquem finem ſe illi ſubiicit in iis, quæ ſunt valdè neceſſaria ad eum finem. IV. 5. 442.
Ceſſante fine legis in particolari, ceſſat lex. IV. 5 450. V. 2. 59.
Ex fine res morales ſortiuntur media. I. 1. 27.
In moralibus diuerſitas deſumitur à fine. I. 3. 4.
Votum factum ex fine malo, aut indifferenti non ſemper tenet. IV. 1. 22.

Fœmina.

Profitens inter moniales, ſi poſtea fiat vir, non tranſit ad Religionem virorum III 2. 28.
Profitens inter viros animo profitendi ſolum inter viros non tenetur tranſire ad Moniales. III. 2. 29.
Recipit ad profeſſionem ex facultate delegata. III. 3. 3.
Eius conuerſatio vitanda IV. 3 16.
Iure naturali, ac poſitiuo excluditur à monaſteriis virorum. V. 6. 25.
Quinquagenaria communiter reputatur ſenex. II. 4. 19.
Vide *v. clauſura quo ad nõ recipiendas fœminas intra monaſt.*

Fornicatio.

Habita intra monaſteria Regularium, vt ſic non eſt ſacrilega. IV. 3. 42.

Fratres Carmelitæ.

Habent ſub ſe Ordinem militarem de monte Carmeli. I 2 110.
Propriè loquendo non deriuant ab Helia in eſſe religionis verè, ac propriè dictæ. I. 2. 4.
Iuxta aliquos primò profeſſi ſunt vitam merè contemplatiuam. I. 3. 15.

Fratres Carmelitæ Diſcalceati.

Faciunt votum humilitatis. IV. 5. 369.
Et quidem etiam Fratres laici. IV. 5 370.
Votum eſt ſolemne. IV. 5. 371.
Fit ad relegandum ambitionem. IV. 5. 372.
Eius materia multiplex, & varia. IV. 5. 373.
Quid ibi veniat per *prætendere*. IV. 5. 374.
Quæ prælationes, & officia cadant ſub hoc votum IV. 5. 374.
Vi illius prohibita admiſſio tam officiorum, quam prælationum extra Ordinem IV. 5. 375.
Eas non acceptant ſine præcepto Papæ. IV. 5. 376.
Vi huius voti Fratres laici prohibentur prætendere mutationem Habitus, & aſcenſum ad gradum clericalem. IV. 5. 37.
Hoc votum eſt licitum. IV. 5. 378.
Vi illius Fratres laici non prohibentur ambire, aut admittere officium ſpecioſum extra Ordinem. IV. 5. 379.
Hoc votum non petit præceptum formale ad recipiendam dignitatem extra ordinem. IV. 5. 380.
Obligatio illius durat etiam extra Ordinem. IV. 5. 381.
Vi illius Fratres laici non prohibentur procurare per alium, ac indirectè Habitus mutationem, & aſcenſum ad gradum clericalem. IV. 5. 382.

Fratres S. Dominici.

Illorum regula non obligat, nec ad pœnam, niſi in caſu, quo ea taxetur in regula. V. 2. 17.
Clem. Octauus conceſſit ſpeciale indultum, quo ad Nouitiorum receptionem, moderatiuum bullæ Sixti V. hac de re editæ. II. 2. 8.
In admiſſione Nouitiorũ ferunt ſuffragia publica. II. 2 24.
In profeſſione ſolum promittunt Obedientiam iuxta regulam S. Auguſtini, ac Conſtitutiones Ordinis. III. 1. 8.
Eorum Monialibus indultum eſt, vt in articulo mortis profiteri poſſint, nouitiatu non expleto. III. 2. 7.

Fratres Minores.

Si ſint Conuentuales, cogi nequeunt tranſire ad Obſeruantes. I. 5. 32.
Suſcepti ſub ſpeciali Dei patrocinio. I. 6. 1.
Magna inter illos adeſt varietas. I. 2. 112. & 113. & 114. & 115. & 116. & 117.
Qualis eorum paupertas. IV 2. 70.
Regula eorum rigidiſſima. III. 5. 131.
Non tranſeunt ad Carthuſiam. III. 5. 131.
Tenentur obedire in omnibus, quæ non ſunt contra regulam, vel animam. IV. 4. 10.
Vouent ſpecialem Obedientiam Papæ. IV. 5. 1.
Et hoc votum eſt implicitum in profeſſione, quam faciunt. IV. 5. 2.
Obligat autem ad ea, ad quæ obligat votum generalis Obedientiæ, & ad aliquid aliud. IV. 5. 3. & 6.
Eſt laudabile. IV. 5. 4.
Vi illius non parent Papæ ſub mortali, ſecluſo formali præcepto illius. IV. 5. 5.
Interdum addit nouam malitiam violationi Obedientiæ generalis. IV. 5. 7.
Vi illius non obediunt ſpecialiter delegatis à Papa. IV. 5. 8.
Vi illius violatio mandatorum Eccleſiæ eſt ſacrilega, ſed non ſemper. V. 5. 9.
Violant item, ſi apoſtatent à fide chriſtiana. IV. 5. 10.
Vi huius voti præſtant reuerentiam Papæ, ac Eccleſiæ. IV. 5. 11.
Hoc votum eſt ſolemne. IV 5. 12.
Fratres Minores non ſubiacent cenſuris latis à Superiore, non regulati, niſi expreſsè, ac in ſpecie nominentur. V. 2. 55.
Conceſſum iis, vt horas recitare poſſint mentaliter. V. 8. 71.
Item vt itinerantes vti poſſint breuiario extraneo. V. 8. 77.
Illorum Fratres laici ad ſtatum clericalem non aſcendunt ſine Generalis licentia. III. 2. 33.

Non

Non ſeruant eandem rationem paupertatis in ſingulis Congregationibus. IV. 2. 70.

Fratres Minores de Obſeruantia.

Eorum paupertas. IV. 2. 70.
Sunt incapaces cuiuſuis hæreditariæ ſucceſſionis. IV. 2. 35.
Retinent hortum, ac vineam ad recreationem. IV. 2. 39.
Admittunt anniuerſaria perpetua. IV. 2. 43.
Etſi facta in fraudem mendicitatis. IV. 2. 44.
Admittunt legata & in communi, & in particulari. IV. 2. 45.
Non interſunt venditioni immobilium ipſis relictorum. IV. 2. 49.
Non recipiunt legatum pecuniarium perpetuum. IV. 2. 51.
Recipiunt diurnas, ac hebdomadarias prouiſiones carnes &c. ex legato relictas perpetuò. IV. 2. 51.
Non item legata relicta in fraudem mendicitatis. IV. 2. 57.
Alunt iumentum ad vſus neceſſarios. IV. 2. 58.
Non exigunt iudicialiter hæreditates, ac legata relicta. IV. 2. 59.
Retinent ad vſum Eccleſiæ annuos redditus. IV. 2. 61.
Non componunt ſuper relicta. IV. 2. 64.
Induci poſſet conſuetudo, vt poſſiderent ſtabilia in communi. IV. 2. 69.
Eccleſia Romana habet dominium bonorum, quibus ij vtuntur. IV. 2. 71.
Sicque in ijs ſolùm habent nudum vſum facti. IV. 2. 72.
Idque procedit etiam in extrema neceſſitate, ibidem.
Item ſi Frater minor maneret ſolus in mundo. ibid.
Item, ſi ille occupet, vel apprehendat aliquid ex ijs, quę fiunt primò occupantis. ibidem.
Non retinent domos, aut templa ſeparata a propria domo, aut Eccleſia. IV. 2. 73.
Habent granaria, & cellaria. IV. 2. 74.
Accipiunt triticum ſupra indigentiam, & permutant in neceſſaria. IV. 2. 75.
Recipiunt pecuniam per tertiam perſonam abſque ſeruatis. IV. 2. 76.
Non tamen mutuo. IV. 2. 76.
Non recipiunt quidquam mutuo. IV. 2. 77.
Non emunt pecunia credita, itaut teneantur ex iuſtitia; IV. 2. 78.
Hinc tamen aliquam contrahunt obligationem. IV. 2. 99.
Non recipiunt pecunias ad cambium, nec cum pacto ſoluendi lucrum ceſſans. IV. 2. 80.
Non contrahunt æs alienum. IV. 2. 81.
Alienant bona ipſis conceſſa per Syndicos. IV. 2. 82.
Non item per ſe ipſos. IV. 2. 83.
Non dant mutuum commodant tamen. IV. 2. 84.
Non emunt ſe ipſis. IV. 2. 85.
Retinent paucas oues, ac gallinas. IV. 2. 86.
Non ſuccedunt ab inteſtato, neque ex teſtamento. IV. 2. 87.
Neque per modum fideicommiſſi vniuerſalis. IV. 2. 88.
Illis non datur æſtimatio hæreditatis a ſuccedente in ipſorum defectum. IV. 2. 89.
Illis ſuccedunt hæredes ab inteſtato a tempore profeſſionis, ſi non diſpoſuerunt de ſuis bonis. IV. 2. 90.
Non tenet inſtitutio facta cum clauſula, vt hæreditas vendatur pretio Fratribus dato. IV. 2. 91.
Secùs, ſi alius inſtituatur cum onere vendendi modo dicto. IV. 2. 92.
Non ſuccedunt nomine ſui Religioſi, nec ſunt capaces vſusfructus ad longum tempus. IV. 2. 93.
Admittunt annos redditus legatos ad breue tempus. IV. 2. 94.
Retinent redditus annuos ſponte ſolutos ab hærede, etſi ſint incapaces talis legati. IV. 2. 95.
Recipiunt legata pinguia non relicta in fraudem. IV. 2. 96.
Non item immoderata. IV. 2. 97.
Admittunt legatum rei immobilis relictum ſub modo licito IV. 2. 98.
Tenet legatum illis relictum ad certum tempus, etſi de facto ijs non ſit neceſſarium IV. 2. 99.
Tenet legatum relictum alicui eorum ad vſum ipſi minùs conuenientem, ſi conueniat Ordini. IV. 2. 100.
Admittunt anniuerſaria Miſſarum perpetua recepto annuo ſtipendio ex eorum impletione. IV. 2. 101.
Sed titulo eleemoſynæ. IV. 2. 102
Retinent redditus annuos pro fabrica, ac Eccleſia. IV. 2. 10.
Si tamen ſuperabundent, non conuertuntur in vſus monaſterij. IV. 2. 104.
Conuertuntur tamen in alios vſus pios. ibid.
Tales redditus repetunt etiam iudicialiter. IV. 2. 105.
Admittunt annos redditus pro libris. IV 2. 106.
Non item pro infirmaria, etſi alij diſſentiant. IV. 2. 107.
Non pro hoſpitio Fratrum. IV. 2. 108.
Accipiunt pro hoſpitio externorum ibid.
Habent iura, & actiones in communi. IV 2. 109.
Non exigunt iudicialiter legata ipſis relicta. IV. 2. 110.
Alijs tamen modis coguntur hæredes ea ſoluere. IV. 2. 111.
Et quidem etiam implorato iudicis officio. IV. 2. 112.
Legata ijs in conſcientia ſolui debent etſi ſint illorum incapaces. IV. 2. 113.
Ea non remittunt, nec componunt ſuper ijs. IV. 2. 114.

Fratres Capuccini.

Sunt incapaces cuiuſcumque hæreditariæ ſucceſſionis. IV. 2. 35.
Admittunt prouiſiones diurnas, ac hebdomadarias panis, &c. relictas ex legato perpetuo. IV 2. 53.
Renunciarunt omnibus declarationibus relaxatiuis paupertatis. IV. 2. 70.
Non habent granaria, neque cellaria. IV. 2. 74.

Fratres Mercennarij.

Faciunt votum ſpeciale de captiuis redimendis. IV. 5. 25.
Duplex eſt materia talis voti IV. 5. 26.
Hoc votum eſt ſolemne. IV. 5. 27.
Indicatur illius praxis. IV. 5. 28.
In quolibet Capitulo prouinciali eliguntur deputandi ad tale munus. IV. 5. 29.
Laudabile eſt hoc votum. IV 5. 30.
Eius finis principalis eſt ſpiritualis ſalus redimendorum. IV. 5. 31.
Deputatio, de qua ſupra non fit vi huius voti. IV. 5. 32. & 33.
Hoc votum afficit Religioſos Ordinis etiam laicos. IV. 5. 34.
Religioſus iuridicè deputatus ad hoc munus ſe transfert ad Saracenos ſine formali præcepto. IV. 5. 35.
Peccat m. ſi indirectè ſe ſubtrahit a tali munere. IV. 5. 36.
Item, ſi curet conſultò non deputari. IV. 5. 37.
Deputatus it ad Saracenos, etſi non extet paratus theſaurus ad captiuorum redemptionem. IV. 5. 38.
Obligatio huius voti eſt perſonalis. IV. 5. 39. & 40.
Obligat ad quærendas eleemoſynas ob redemptionem captiuorum. IV. 5. 41.

In redimendis captiuis ſeruatur ordo, quem præſcribit charitas. IV. ſ. 42.
Hoc votum non obligat ad redimendum infidelem promittentem ſui conuerſionem. IV. ſ. 43.
Non ad redimendum captiuum detentum apud hæreticos. IV ſ. 44.
Obligat ad redimendum captiuum etiam non periclitantem in fide. IV. ſ. 45.
Non tamen tradendo ſe in pignus. IV. ſ. 46.
Quin nec poteſt Religioſus ſe oppignorare abſque vrgenti neceſſitate. IV. ſ. 47.
Quod ſi ſe oppignoret, manet oppignoratus, vſque dum ſoluatur pretium redemptionis. IV. ſ. 48.
Sicque facit contra hoc votum, ſi fugiat ante hoc tempus. IV. ſ. 49.
Non eſt deſignatum certus tempus, quo deputatus vacet captiuorum redemptioni. IV. ſ. 50.
Euenire tamen poteſt, quod ille redeat, nullo redempto, & quidem ſine voti violatione. IV ſ. 51.
Ex vi voti poteſt Religioſus pluries deputari in redemptorem. IV ſ. 52.
In qualibet prouincia vnicus redemptor cum vno ſocio: at redimuntur modo plures, modo pauciores. IV. ſ. 53.
Deputatus facit contra votum, ſi ſit valdè negligens in procuranda redemptione. IV. ſ. 54.
Votum hoc obligat cum periculo vitæ, non item ſalutis ſpiritualis. IV. ſ. 55.
Deputatus apud Saracenos incedit abſque habitu Ordinis. IV. ſ. 56.
Poteſt veſci cibis vetitis ad cauendum ibi graue periculum. IV. ſ. 57.
Eſt martyr, ſi oppignoratus occidatur, eo quod nimis differatur ſolutio pecuniæ promiſſæ. IV. ſ. 58.

Fratres Minimi.

Valide profitentur, etiam non expleto 18. ætatis anno, etſi illicitè. II ſ. 39. III ſ. 37.
Vouent vitam quadrageſimalem perpetuam. IV. ſ. 59.
Aſſignatur materia, & obligatio huius voti. IV. ſ. 60.
Hoc votum eſt ſolemne. IV ſ. 61.
Non obligat pro tempore infirmitatis. IV. ſ. 62.
Cum moderationibus tamen appoſitis in Regula. IV. ſ. 63.
Hæ moderationes non omnes obligant ſub mortali. IV. ſ. 64.
In tali caſu diſpenſat Prælatus de conſilio Medici. IV. ſ. 65.
Immò, ſi Prælatus iniuſtè renuat diſpenſare, ſufficit ſolum conſilium Medici. IV. ſ. 66.
E contra interdum poteſt ſufficere ſola diſpenſatio Prælati. IV. ſ. 68.
Prælato, ac Medico iniuſtè repugnantibus Religioſus licitè veſcitur carnibus, ſi ei certò conſtet de neceſſitate. IV. ſ. 69
Idque etiam in caſu, quo Religioſus ægrotet extra Conuentum. IV. ſ. 70.
In tali caſu tamen conſulendus Medicus, ſi adeſſet. ibidem.
Carnibus licitè veſcitur etiam in voluntaria purgatione. IV ſ. 71
Item ſi non habeat alios cibos, ſeruatis tamen ſeruandis. IV ſ. 72.
Item, ſi alioqui iudicio Medicorum ſit victurus in continua ægritudine. IV. ſ. 73.
Non item præciſè ratione ſenectutis. IV. ſ 74.
Diſpenſatur ſuper hoc voto, ſi æquè benè non poſſit proſequi conciones Quadrageſimæ, aut munus Lectoris. IV. ſ. 76.
Diſſentit tamen Peyrinus. IV. ſ. 77.
Item diſpenſatur, ſi alioqui exercere nequeat generalatum, aut prouincialatum. IV. ſ. 75.
Impotens ad ſeruandum hoc votum nequit eligi ad prælaturas Ordinis. ibidem IV. ſ. 111.
Sed non ſemper. IV. ſ. 112. & 113.
Item ſi non habeat alios cibos, & eſuriat. IV. ſ. 79.
Idque interdum etſi habeat panem, ac vinum abundè. IV. ſ. 80.
Item, ſi cogatur cibis vetitis veſci ad vitandam mortem alias ſibi comminatam. IV. ſ. 81.
In hoc tamen caſu non tenetur iis veſci, in quo diſſentit Peyrinus. IV. ſ. 82.
Obligatio huius voti voti non afficit promotum ad Epiſcopatum. IV. ſ. 83.
Immò nec Religioſum perpetuò eiectum ab Ordine. IV. ſ. 84
Diſpenſatus ſuper hoc voto cibis vetitis veſcitur etiam in Quadrageſima, non item in ferijs ſextis, ac Sabbatis. IV. ſ. 85.
Diſpenſatio hæc gradatim concedenda. IV. ſ. 86.
Niſi aliud ſuadeat neceſſitas. IV. ſ. 87.
Conſilium hic petitum requirendum a medico ordinario Conuentus, & de licentia Prælati. IV. ſ. 88.
Prælatus in tali diſpenſatione non ſit ſcrupuloſus. IV. ſ. 189.
Diſpenſat etiam in dubio. IV. ſ. 90.
Si diſpenſandus ſit Prælatus inferior, requiritur licentia Prælati ſuperioris, ſed non ſemper. IV. ſ. 92.
Diſpenſatus de rigore Regulæ capit cibos de manu laicorum, & in loco ſeparato. IV. ſ. 93.
Vtitur diſpenſatione, durante neceſſitate etiam extra Conuentum diſpenſantis. IV. ſ. 94 & 96.
Tenet diſpenſatio, inſcio Prælato, obtenta a Medico. IV. ſ. 95.
Diſpenſatus ad carnes eſt diſpenſatus in ieiunio. IV. ſ. 97.
Sumit abſque voti violatione carnes noxias, aut piſces. IV. ſ. 98. & 99 & 100.
Violat hoc votum, qui dat cauſam morbi, vt in eo diſpenſetur. IV. ſ. 101.
Secus, ſi ad talem finem cupiat infirmari. IV. ſ. 102.
Item non violat ſe delectando de vſu carnium. IV. ſ. 103.
Non violat ſi dicat *ederem carnes ſi votum non vetaret*. IV. ſ. 104.
Pluries peccat contra votum, qui abſque diſpenſatione pluries edit carnes, aut ſtatuit pluries edere. IV. ſ. 105.
In violatione huius voti datur paruitas materiæ. IV. ſ. 106.
Non violat votum diſpenſatus, ſi in eſu carnium excedat. IV ſ. 107.
Violatio huius voti de facto non reſeruatur in Ordine, etſi poſſit reſeruari. IV ſ. 108. & 109.
E a varijs pœnis punitur. IV ſ. 110.
Diſpenſatus in hoc voto exit è Conuentu, non obſtante Clementis VIII. decreto, quod non ligat Prælatos. IV. ſ. 114.
Fundatrices Conuentuum Ordinis Minimorum eos ingrediuntur IV. ſ. 43.
Fratres laici Ordinis promittunt fidelitatem circa bona Conuentus, ac eleemoſynas. IV. ſ. 115.
Hæc promiſſio ex ſenſu communi Ordinis non eſt votum. IV. ſ. 116.
Quid veniat hic nomine fidelitatis. IV. ſ. 117.
Quid ſit fideliter exponere eleemoſynas. IV. ſ. 118.
Quid veniat nomine eleemoſynæ. IV ſ. 119.
Violatio huius promiſſionis ex obiecto eſt mortalis. IV. ſ. 120.
Admittit leuitatem materiæ. IV. ſ. 121.
Violat hanc promiſſionē Religioſus in quærendis eleemoſynis

ſynis notabiliter negligens. IV. ſ. 122.
Non item, ſi ſibi applicet de licentia dantis eleemoſynam primò oblatam pro Conuentu. ibid.
In hoc enim non adeſt infidelitas propriè dicta I V. ſ. 123.
Violat deputatus ad quæſtuandum, ſi abſque cauſa recuſet eleemoſynam oblatam pro Conuentu. IV. ſ. 124.
Item ſi deſtinatus ad emenda neceſſaria pro victu, ac veſtitu Fratrum in hoc ſit negligentior. IV. ſ. 125.
Item, ſi ſit negligentior in cuſtodiendis rebus Conuentus ſibi commiſſis. IV. ſ. 126.
Item, ſi bona Conuentus diſtribuat independenter à Prælato. IV ſ. 127.
Et maximè, ſi de illis det externis. IV. ſ. 128.
Item, ſi de iis ſibi indebitè applicet. IV. ſ. 129.
E contra non peccat, ſi de iis applicet ſibi aliquid a Prælato iniuſtè negatum IV. ſ. 130
Item nō peccat non manifeſtans Prælato immediato eleemoſynas Conuentus, eas poſtea manifeſtaturus Prouinciali, idque ex cauſa. IV. ſ. 131.
Non delinquit contra vltimam partem huius promiſſionis, qui notabilem portionem redditIuum Conuentus a ſe perceptorum non exponit. IV. ſ. 132.
Delinquit verò regulariter, qui notabilem ſummam eleemoſynæ Prælato occultat animo expendendi eam in bonum Conuentus. IV. ſ. 133. & 134.
Non peccat, qui omittit ex erubeſcentia aperire Prælato eleemoſynas amiſſas. IV. ſ. 135.
Peccat, ſi Officiali Conuentus non aperiat eleemoſynas. IV ſ. 136.
Hæc promiſſio obligat Religioſum etiam actu non deputatum ad quæſtuandum. IV ſ. 137.
Non violat hanc promiſſionem, qui non habet debitam curam de bonis proprio vſui permiſſis. IV. ſ. 136.

Fratres Auguſtiniani.

Prius profeſſi ſunt Monachalem vitam. I. 1. 36.
Reformati à S. Guilelmo. II. 4. 7.

Fratres Diſcalceati S. Auguſtini.

Eorum paupertas. IV. 2. 2
Faciunt votum humilitatis IV. ſ. 472.
Hoc votum eſt ſolemne. IV. ſ. 473.
Fit ad cauendam ambitionem. IV. ſ. 474.
Aſſignatur eius materia. IV. ſ. 475.
Quid in hoc voto ſignificetur nomine *offi. ij*, & per *prætendere*. IV. ſ. 476.
Hoc voto prohibetur ambitus tum directus, tum indirectus. IV. ſ. 477.
Item ambitus tum per ſe, quam per alium & acceptatio dignitatis extra Ordinem facta abſque præcepto Papæ. IV. ſ. 478. & 479.
Hoc votum intelligi debet iuxta S. Auguſtini regulam. IV. ſ. 480.
Non facit, quin admitti poſſit dignitas ſecularis ſtatui religioſo non repugnans. IV. ſ. 481.
Si modò declararetur aliquod aliud officium cadere ſub hoc voto, declaratio extenderetur ad præterita. IV. ſ. 482.
Vi huius voti non abdicatur dignitas indebitè admiſſa. IV ſ. 483.
Hoc votum non obligat ad internam humilitatem. IV. ſ. 484.
Vi illius præceptum formale non petitur ad dignitatem recipiendam. IV. ſ. 485.

Quo ad votum humilitatis Fratrum laicorum.

Faciunt votum non ambiendi ſtatum clericalem, aut ius vocis actiuæ, & paſſiuæ IV. ſ. 486.
Hoc votum eſt ſolemne. IV ſ. 487.
Aperitur eius materia. IV. ſ. 488.
Fit ad quietius viuendum in propria vocatione. IV. ſ. 489
Vetat ſolùm ambitum directum, & per ſe, ſtando in rigore. IV. ſ. 490.
Vetat procurationem etiam vocis actiuæ, ac paſſiuæ. IV. ſ. 491.
Et quidem etiam pro Fratribus laicis in genere IV ſ. 492.
Non item pro Fratribus laicis impoſterum recipiendis. IV. ſ. 493.
Ceſſat per tranſitum ad alium Ordinem. IV. ſ. 494.
Declarantur verba illa *promitto votum non ambiendi*. IV. ſ. 495.
Obligat hoc votum ad renunciandam vocem indebitè obtentam. IV ſ. 496.
Vetat, ne admittatur ius vocis oblatam ſponte IV. ſ. 497.
Fit etiam à Commiſſis Ordinis. IV. ſ. 498.

Fratres Diſcalceati Trinitatis redempt. Captiuorum.

Faciunt votum non ambiendi dignitates intra Ordinem, nec extra. IV. ſ. 499.
Hoc votum inſtitutum a tempore S. D. N. Pauli V. IV. ſ. 500.
Recenſentur officia Ordinis, quæ cadunt ſub hoc votum. IV. ſ. 501.
Hoc votum eſt ſolemne. IV ſ. 502.
Aſſignatur eius materia. IV. ſ. 503.
Vetat ambitum directum, ac indirectum; per ſe, & per alium, nec non admiſſionem cuiuſuis dignitatis extra Ordinem ſine præcepto Papæ. IV. ſ. 504. & 505.
Obligatio faciendi hoc votum non extenditur ad præterita. IV ſ. 506
Hoc votum fit ſolùm à Religioſis Clericis. IV. ſ. 507.

Fratres B. Ioannis de Deo.

Faciunt votum ſeruiendi infirmis. IV. ſ. 508.
Votum hoc eſt ſolemne. IV. ſ. 509.
Fit ad obeundum tale miniſterium maiori claritate. IV. ſ. 510.
Aſſignatur eius materia. IV. ſ. 511.
Fit etiam à Religioſis laicis. IV. ſ. 512.
Quid ſignificetur in eo nomine *hoſpitalitatis*. IV. ſ. 513.
Obligat ad ſeruiendum ſemper, ſed non pro ſemper. IV. ſ. 514.
Ex praxi Ordinis extenditur ad ſeruitium etiam incolarum. IV. ſ. 515.
Non tamen ad ſeruiendum extra hoſpitalia de rigore iuris. IV. ſ. 516.
Non ad ſeruiendum infirmis diuitibus, loquendo de rigore. IV. ſ. 517.
Non ad ſeruiendum amentibus, ſenibus & alijs ſimilibus. IV. ſ. 518.
Non obligat cum vitæ periculo. IV. ſ. 519.
Obligat ad miniſtranda Sacramenta infirmis. IV. ſ. 520
Item ad quæſtuandum pro eorum indigentijs illorum. IV. ſ. 521.
Non tamen pro infirmis degentibus extra ipſorum hoſpitalia. IV. ſ. 522.
Eius obligatio ſuſpenditur ex morbo, aut ſenectute. IV. ſ. 523.

Fratres.

Admittitur ad religionem habens fratres, aut ſorores egenos, ſed non ſemper. II. 4. 44.

Admittitur & ad religioſam profeſſionem. III. 2. 60.
Religio non tenetur ſubuenire fratribus, aut ſororibus indigentibus ſuorum Religioſorum. III. 6. 42.

Fructus.

Fructus beneficij reſignati à Nouitio ſunt Nouitij, vſque dum Prælatus admittat reſignationem. II 9. 21,
Fructus medij temporis à die reſignationis vſque ad profeſſionem ſunt reſignantis. II. 9. 53.
Si qui extant poſt profeſſionem, pertinent ad hæredem reſignatis. II 9. 54.
Fructus hæreditatis renunciatæ in Soc. Ieſu ſub conditione ſuſpenſiua perſeuerantiæ ſunt renunciantis vſq; ad profeſſionem. II. 9 56.
Fructus beneficiorum quid ſint. V. 8. 131.
Ex fructibus beneficij, ac penſionis reſtituit omittens culpabiliter horas canonicas. V. 8 233.
Beneficiarius omittens fidei profeſſionem amittit fructus præceptos poſt primum bimeſtrem. V. 10. 7.
Sed poſt ſententiam. ibid.
Res quælibet fructificat ſuo domino. II. 9. 53.

Fructus Euchariſtiæ.

Vide v. *euchariſtia*.

Fructus Miſsæ.

Eſt triplex. V. 9 57.
Celebrans ex ſtipendio ſolùm applicat fructum medium. V. 9 57.
Applicat item ſolùm quo ad fructum ex opere operato. V. 9. 60.
Applicat Miſſam ſolùm quo ad fructum ex opere operato. V. 9. 60.
Fructus Miſſæ nulli applicatus, aut incapaci reponitur in theſauro Eccleſiæ. V. 9 62.
Impeditur ratione obicis reperti in eo, cui applicatur, quo ad remiſſionem peccatorum; non item quo ad collationem gratiæ præuenientis. V. 9. 63.
Multi ſunt fructus Miſſæ V 9 64.
Miſſa boni Sacerdotis eſt aliqua ratione fructuoſior. V. 9. 65.

Fugere.

Fratres mercenarij vbi ſe oppignorarunt, nequeunt fugere. IV. 5. 49.
Etſi poſſent attento iure naturali præciſè. ibidem.

Fundatores, & Fundatrices.

Protecti ab Eccleſia. I 6. 33.
Fundatrices Conuentuum illos liberè ingrediuntur. V. 6. 42. & 43. & 44.
Vide v. *monaſteria*.

Furtum.

In violatione paupertatis religioſæ interdum adeſt duplex materia furti. IV. 2. 253.
Furta Religioſorum æquiparantur furtis filiorum, IV. 2. 255.
Quantitas furti mortalis aſſignatur quo ad religioſos, IV. 2. 2. 6.
Quid de hoc ſtatutum ſit in Soc. Ieſu. ibid.
Religioſus regulariter non peccat mortaliter furando minima comeſtibilia intentione diutiùs proſequendi talia furta IV. 2. 258.
Secùs, ſi ea furripiunt ad vendendum, aut donandum. IV. 2. 258. & 259.
Hæc furta non continuantur moraliter. IV. 2. 261.
Idque procedit etiam quò ad furta minima pecuniaria. ibidem.
Vt violatio paupertatis ſit mortalis, maior quantitas petitur in caſu, quo ſine licentia acquiratur toti Monaſterio. IV. 2. 212.
Peccat Religioſus contra paupertatem furando ab externis. IV. 2. 266
Peccat peccato furti, ſi ſibi applicet eleemoſynam petitam pro paupere certo. IV. 2. 308.
Secùs, ſi ea ſit petita pro pauperibus in genere. I V. 2. 309.
Idque etſi in receptione non intenderit eam ſibi applicare. IV. 2.
Furans in Eccleſia crumenam viri diuitis non eſt ſacrilegus. V. 3. 47.

G

Gabella.

Nouitij exempti à gabellis. II. 7. 12.

Gratia Sacramentalis.

Communicans in aliquo caſu gratiam non recipit, & tamen non peccat. V. 3. 108.
Peccata venialia facta in ipſa Communione non impediunt gratiam. V. 3. 109.
Communicans ſub vtraque ſpecie, vt ſic non recipit plus gratiæ. V. 3 111. & 112. & 113.
Sumens plures hoſtias, aut grandiores, aut diutiùs hærens in illis ſumendis non recipit plus gratiæ. V. 3. 115.
Plus gratię recipit interdum laicus ex communione, quam Sacerdos, ſi ſit magis diſpoſitus. V. 3. 116.
Euchariſtia aliquando confert primam gratiam; quod alij negant. V. 3. 118.

Gratia, i. beneficium.

Non confertur in inuitum. IV. 5. 352.
Cui conceditur, quod eſt plus, conceditur & quod eſt minus. III. 4. 34.
Conceſſum alicui ob gratiam non debet retorqueri in eius diſpendium. III 5. 49.
Papa in generali conceſſione non præſumitur derogare iuri communi. I V. 2. 361.

Gubernatio regularis.

Ad illam vtiliùs obeundam plura conceſſa priuilegia. I. 6. 46. & 47.

H

Habitatio.

Quæ requiratur, vt quis ſubſit legibus loci, in quo eſt. V. 4. 26.

Habitus regularis.

Non eſt de eſſentia ſtatus religioſi. I. 1. 38.
Eius varietas non arguit varietatem Religionum. ibidem.
In eo faciendus eſt nouitiatus. II. 1. 9.
Non tamen in Soc. Ieſu. II. 1. 9.
Deponens Nouitius habitum ad breue tempus mox rediturus non interrumpit probationem. II. 1 10.
Tranſiens ad alium Ordinem inchoat nouitiatum in habitu prioris Ordinis. II. 1. 21.
Per dimiſſionem habitus perfectam interrumpitur probatio. II. 1. 38.

Habitus non redditur Nouitio recedenti, ſed eius pretium. II. 6, 28.
Immo nec pretium, ſi habitus emptus fuit ex eleemoſyna. II 6. 29.
Nouitij in receptione habitus acquirunt indulgentiam plenariã. II. 7. 6.
In profeſſione non requiritur mutatio habitus de iure communi III. 1. 28.
Non admittitur in Societ. Ieſu, qui alterius Ordinis habitum induit. III 2. 23.
In habitu religioſo reclamandum contra nullitatem profeſſionis. III. 5 40.
Tranſiens ad alium Ordinem fert ſecum ſolùm veſtes neceſſarias actualiter. III. 5. 155.
Fratres laici Carmelitæ diſcalceati vouent non prætendere mutationem habitus. IV. 5, 377.
Regulares iure poſitiuo tenentur deferre habitum religioſum. V. 7 1.
Triplex eſt habitus religioſus. V 7. 2.
Vetita ſolùm temeraria illius dimiſſio. V. 7. 3.
Ea ex obiecto eſt mortalis. V. 7 4.
Admittit paruitatem materiæ. V. 7 5. & 12.
Tacita etiam pro breuiſſimo tempore eſſe poteſt mortalis. ibid.
Eſt vetita ſub excommunicatione non reſeruata. V. 7. 6. & 42.
Aliqui putant eam non incurri abſque contemptu. ibid.
Hæc pena non incurritur, ſi dimittens habitum animo non reſumendi per multum tempus paulo poſt reſumat. V. 7. 7.
Obligatio deferendi habitum non afficit Religioſos cuiuſuis Ordinis. V. 7. 8.
In ſpecie non afficit religioſos Soc. Ieſu, etſi alij diſſentiant. V. 7. 9.
Illi tamen peccant dimittendo habitum ſine cauſa. V. 7. 10.
Item non afficit Religioſos Ordinum militarium. V. 7. 11.
Præfata excommunicatio incurritur à dimittente habitum animo illum reſumendi. V. 7. 13.
Ad hoc non requiritur, vt dimittens eat auditum Phyſicam, a Leges. V. 7. 14.
Debet tamen dimiſſio eſſe omninò temeraria. V. 7. 15.
Nec ſufficit dimiſſio facta ad tempus breue, etſi ob malum finem V. 7. 16.
Quod tempus cenſeri poſſit breue in hac materia V 7. 17.
Ad incurrendam dictam pœnam cum dimiſſione proprij habitus iungenda aſſumptio alieni. V. 7. 18.
Ea incurritur, etſi dimittens ſe videndum laicis non exhibeat. V. 7. 19.
Quod alij negant non improbabiliter. V. 7. 20
Non incurritur, ſi habitus religioſus ſolùm occultetur alio habitu ſuperinduto; quod alij negant. V. 7. 21.
Incurritur, ſi dimittatur habitus exterior, retento interiori, ſed occultato. V. 7. 22.
Secùs, ſi retenta parte proprij habitus, retineatur reliquus habitus Ordinis. ibid.
Incurritur, ſi dimiſſo proprio habitu aſſumatur habitus alterius Ordinis, eum ingrediendo. V. 7. 24.
Alij tamen id negant; ibid.
Non incurritur, ſi proprio habitu dimiſſo, induatur ſæcularis, ſicque dimittens ſtatim alium Ordinem intret ſine licentia. V. 7. 25.
Non incurritur, ſi dimiſſo habitu proprio aſſumatur habitus alterius Ordinis ad ſeruiendum illi, exigente neceſſitate. V. 7. 26.
Etſi talis aſſumptio alieni habitus ſit regulariter illicita, vt pote non neceſſaria. V. 7. 27.
Incurritur, ſi dimiſſo habitu Profeſſorum induatur habitus Nouitiorum Ordinis. V. 7. 28.
Non incurritur, ſi occultetur habitus ad declinandam punitionem Prælati. V. 7. 29.
Item non incurritur, ſi diminatur habitus, ne Prælatus inferior indebitè grauans ſubditum impediat ipſum, ne adeat Superiorem. V. 7 30.
Non incurritur, ſi fugiens è carcere, cui perpetuo adiudicatus eſt, habitum dimittat. V. 7 31.
Nec qui dimittit, ne in ſcelere repertus agnoſcatur. V. 7. 32.
Nec qui dimittit ad ſcandalum vitandum. V. 7. 33.
Nec qui dimittit peregrinans per loca infidelium, vt ſibi conſulat. V. 34.
Religioſi Societ. Ieſu ex leuiori cauſa habitum dimittat. V 7. 35.
Religioſus Epiſcopus non ſubeſt dictæ pænæ, ſi dimittat habitum Ordinis. V 7. 36.
Immò nec peccat mutando formam habitus. V. 7. 37. & 38.
Idem ius eſt de Religioſo Cardinali. V 7. 39.
Non item de Religioſo Parocho. V. 7. 40.
Non ſubeſt dictæ pænæ Religioſus eiectus, ſi dimittat habitum clericalem ab eo geſtandum ex Vrbani Octaui decreto. V. 7. 41.
In delatione religioſi habitus diſpenſari poteſt ex cauſa minùs graui. V. 7. 43.
Religioſus ſine habitu incedens extra clauſtra punitur ab Ordinario. V. 7. 44.

Hæreditas.

Illegitimus vi profeſſionis religioſæ non ſuccedit in paternam hæreditatem III 4. 39.
Hæreditas delata Religioſo in Ordine capaci ex morte teſtatoris Religioſo tranſeunti ad alium Ordinem ante eius aditionem acquiritur Ordini priori. III. 5. 159.
Delata Religioſo degenti in Ordine incapaci, ſi is tranſeat ad capacem, non ſemper acquiritur priori Ordini. III. 5 160.
Religioſus tranſiens ab Ordine incapaci ad capacem acquirit hæreditatem ſibi dilatam in ſæculo, & nondum aditam per hæredes ab inteſtato. III 5 161.
Inſtitutus hæres in Ordine incapaci, ſi tranſeat ad capacem, non acquirit hæreditatem, ſi inſtitutus eſt ab extraneo. III. 5. 162.
Religioſus tranſiens ex Ordine incapaci ad capacem non ſemper rumpit patris teſtamentum, in quo præteritus fuit. III 5. 163.
Subſtitutus pupillo, ſi tranſeat ab Ordine incapaci ad capacem, recuperat ius ſuccedendi aliàs amiſſum. III. 5. 164.
Hæreditas ſub conditione Religioſo tranſeunti ab vno Ordine ad alium acquiritur Ordini, in quo ille eſt tempore impletæ conditionis III 5. 165.
Tranſiens ab Ordine incapaci ad capacem recuperat bona ſibi reſeruata ſub conditione talis tranſitus. III. 5. 166.
Tranſeunti ab Ordine capaci ad incapacem, ſi quæ bona relinquuntur poſtea, acquiruntur ei, qui illi ſuccederet ab inteſtato. III. 5 168
Res promiſſa Religioſo ſub conditione debetur Ordini, in quo eſt tempore contractus; eſtò ad alium Ordinem tranſierit, ſed non ſemper. III. 5. 169.
Hæreditas relicta cum onere, vt deuoluatur ſi hæres delinquat, eo delinquente poſt religioſam profeſſionem deuoluitur, etſi iam acquiſita Ordini. III. 6. 55.
Mendicantes incapaces ſuccedunt in hæreditates, non vt retineant, ſed vendant. IV. 2. 35.
Fratres Minores non ſuccedunt ab inteſtato, nec ex teſtamento. IV. 2. 87.
Nec per modum fideicommiſſi vniuerſalis. IV. 2. 83.
Succedens loco eorum non dat ipſis æſtimationem hæreditatis. IV. 89.
Illis ſuccedunt hæredes ab inteſtato à die profeſſionis, ſi ij aliàs non diſpoſuerunt de bonis ſuis. IV. 2. 90.

Non tenet inſtitutio ijs facta cum clauſula, & hæreditas vendatur pretio ijs tradito IV. 2. 91.
Secùs, ſi alius inſtituatur hæres cum onere vendendi modo dicto. IV 2 92.
Minores non ſuccedunt pro Religioſo. IV. 2. 93.
Societas Ieſu non ſuccedit nomine ſuorum neque quo ad Collegia, ac Domos probationis. IV. 2. 123.
Poteſt tamen inſtitui hæres etiam quo ad domos profeſſas. IV. 2. 125
Eius Profeſſi, & Coadiutores formati ſunt incapaces cuiuſuis hæreditariæ ſucceſſionis. IV. 2 126.
Votum ſolemne Paupertatis facit incapacem ſucceſſionis, ſi Ordo ſit incapax IV. 2. 193.
Papa diſpenſare poteſt cum Religioſo, vt poſſit ſuccedere. IV 2. 364.
Religioſus Epiſcopus recuperat ius ſuccedendi parentibus, & agnatis. IV. 2. 369.
Ius ſuccedendi tranſit à Religione ad Eccleſiam, cui præficitur Religioſus in Prælatum. IV 2. 370.
Non eſt ſemper incapax legati, qui nequit inſtitui hæres. IV. 2. 46.

Hæretici.

Religioſi cum vitæ periculo non tenentur ſubuenire viris rudioribus ab hæretico ſeductis. V. 12. 25.
Contra hæreticos acriter pugnant Religioſi. I. 4. 37.
Contra impedientem Religioſos à quærendis eleemoſynis procedunt Inquiſitores tanquam contra hæreticos. IV. 2. 34.
Hæretici malè ſentiunt, & loquuntur de Religioſis. I. 5. 34.

Hermaphroditus.

Qualiter admitti poſſit ad Religioſam profeſſionem. III. 2. 27.
Si ſit ordinatus Sacerdos factus fœmina non poteſt validè conſecrare ibid.
Si profiteatur inter viros, & poſtea erumpat in fœminam, diſſoluitur eius profeſſio. III. 2. 28.

Homicidium.

Eſt impedimentum dirimens ad ingreſſum Societatis Ieſu. III. 2 20.
Et quidem etiam quò ad mandantem, non quò ad conſulentem. ibid.
Religioſus iniuſtè inuaſus ab inimico exiſtente in peccato mortali poteſt illum occidere in iuſtam ſui defenſionem.
Non tamen tenetur occidere, ſi ipſi moraliter conſtet ſe eſſe in gratia. V. 12. 51.
Occiſio hæc non poteſt fieri ſine moderamine inculpatæ tutelæ. V. 12. 52.

Horæ Canonicæ quo ad Chorum.

Laudabilis eſt vſus recitandi horas in choro. V. 8. 1.
Et quidem cum cantu organico. V. 8. 2.
Item cum muſicis inſtrumentis. V. 8. 3.
Religioſi tenentur choro ex varijs iuribus, ſed non omnes. V. 8. 4.
Non item Religioſi Soc. Ieſu, & tamen ſunt perfectè Religioſi. V. 8. 5.
Hæc obligatio afficit omnes Religioſos Ordinis vacantis Choro, ſed non ſingulos. V. 8. 7. & 9.
Afficit Prælatos, vt procurent Chori frequentiam. V. 8 8.
Prælati regulares ex decreto Clementis Oct. non diſpenſant abſolutè ſuper hac obligatione. V. 8. 10.
Diſpenſant, ſed rarò, quo ad tempus Chori præſcriptum. V 8. 11.
Peccant mort. Prælatus. & Religioſi illius ſubditi, ſi ſint in cauſa, vt Horæ debito tempore non recitentur in Choro. V. 8. 12.
In hoc tamen datur latitudo. ibid.
Sicque rarò erit mortalis dicta immutatio temporis. V. 8. 13.
Elapſo notabiliter tempore horarum, meliùs eſt eas omittere quo ad Chorum. V. 8. 14.
Religioſus ex conſuetudine abſens à Choro non ita facilè damnandus de peccato. V. 8. 15.
Horę in Choro recitandę iuxta formam breuiarij Romani. V. 8 16.
Idque ſub pęna non implendi propriam obligationem. ibidem.
Excepti in decreto Pij V. ſi velint recitare iuxta formam breuiarij Romani, poſſunt; eo tamen admiſſo, proprium reſumere non poſſunt. V. 8. 17.
Regulares habentes proprium breuiarium vti poſſunt romano de licentia ſui Pręlati. ibid.
Vtentes proprio breuiario in Choro, extra vti poſſunt romano. V. 8. 18.
Niſi id ex ſpeciali ſtatuto Ordinis prohibeatur. V. 8. 19.
Romanum breuiarium etiam modò admitti poteſt ab vtentibus proprio breuiario. V. 8. 20.
Promoti ad dignitates extra Ordinem vtuntur breuiario ſuę Eccleſiæ. V 8. 21.
Vtentes proprio breuiario regulariter non commutant Officium in Officium, neque de Prælati licentia. V. 8. 22.
Excipe, pro vna, aut altera vice; idque ex iuſta cauſa. ibidem.
Refertur decretum Vrbani Octaui hac de re editum. V. 8. 23.
Illud in publicis ſacriſtijs affigendum eſt. V. 8. 24.
Recitans in Choro voce ſubmiſſa non ſatisfacit Choro. V. 8. 25.
Vno Choro recitante ſuam partem alter Chorus non tenetur illam recitare priuatim. V. 8. 26.
Recitans partem alterius Chori priuatim, ſi poſtea voluntariè diſtrahatur, non ſatisfacit Choro. V. 8. 27.
Omiſſio recitandi horas in Choro ſiue ſit omnium horarum vnius diei, ſiue vnius horæ tantùm mortalis eſt. V. 8. 28.
Aſſignatur, vnde ſumatur quantitas notabilis in tali omiſſione. ibid.
Talis omiſſio imputatur tum Superiori Chori, tum Religioſi dantibus cauſam. V. 8. 29.
Inuerſio ordinis horarum in Choro eſt mortalis. V. 8. 30.
Præſertim ſi inuertatur ordo ſingularum horarum quo ad partes illarum inter ſe. V. 8. 31.
Recitans in Choro cum aliqua verborum corruptione ex feſtinatione rarò m. peccat. V 8. 32.
Recitans abſque interiori attentione ſatisfacit Choro. V. 8. 33.
Peccat tamen contra religionem. ibid.
Oppoſitum alij ſuſtinent probabiliùs. V. 8. 34.
Recitans abſque interiori attentione non repetit horas. V. 8. 35.
Triplex attentio haberi poteſt in oratione. V. 8. 36.
Recitans horas debet habere intentionem orandi, & implendi id, quod præcipitur. V. 8. 37.
Recitans in Choro debet attendere alteri parti recitanti. V. 8. 38.
Non eſt tamen opus, quod eam benè percipiat. V. 8. 39.
Satisfacit, etſi in ſeruitium Chori aliquoties inde recedat. V. 8 40.
Canente Choro alternatim cum Organo verſus, qui canuntur in organo, in Choro ab aliquo voce altiori cani debent. V. 8. 41.
Dum Officium Muſici cantu dicitur, obligatus Choro ſatisfacit merè aſſiſtendo Choro iuxta Paſqualigum. ibid.
Recitans in Choro ſi omittat partem non notabilem non ſupplet. V. 8. 42.
Satisfacit ibi recitans Sextam, Tertia nondum recitata. V. 8. 43.

Pec-

Peccat v. non ſeruans ibi rubricas breuiarij quo ad ſitum, & habitum corporis. V. 8 44.
Omittens frequentare Chorum iure communi nulli ſubeſt pęnę. V. 8. 45
Vtentes breuiario romano non recitant Officium B. Virg. defunctorum, & ſimilia neque in Choro, neque extra. V. 8. 46.
Communiter tamen excipitur Officium defunctorum pro die Commemora. defunctorum, & recitatio litaniarum in diebus Rogationum. V. 8. 47.
Oppoſitum ſuſtinent aliqui etiam de Officio defunctorum. V 8 48.
Solis Nouitijs Choro aſſiſtentibus, ſatisfit Choro. V. 8. 49.
Paucitas Religioſorum excuſat a Choro. V. 8. 50.
Recitantes in ſacriſtia ſatisfaciunt Choro. V. 8. 51.

Horæ Canonicæ, quo ad Recitationem priuatam.

Nouitij non tenentur ad priuatam recitationem illarum. II. 6. 13.
Ex profeſſione religioſa vt ſic non oritur obligatio recitandi horas priuatim. II. 4. 72.
Idque procedit in Profeſſis Societ. Ieſu. ibid.
Profeſſus diſpenſatus ad matrimonium non tenetur ad horas. IV. 3. 136.
Præuidens impedimentum quo ad horarum recitationem ſuo tempore faciendam iuxta aliquos non præuenit. V 3. 34.
Audiens Miſſã ex præcepto ſi eas recitet, ſatisfacit. V. 4 15.
Regulares tenentur ad horas ſolũ ex cõſuetudine. V. 8. 52.
Non autem ex ſola Regula. ibid.
Omiſſio horarum eſt mortalis. V. 8. 53.
Obligatio horarum afficit ſolùm Religioſos Ordinis vacantis Choro. V. 8. 54.
Sicque non afficit Religioſos Soc. Ieſu ſi non ſint in ſacris. V. 8. 55.
Nec Religioſos laicos aliorum Ordinum, etſi ſciant legere. V. 8. 56.
Hi tamen loco precum ipſis præſcriptarum poſſunt dicere Horas canonicas, imò & variare. ibid.
Neque Religioſos Clericos tranſeuntes ad ſtatum laicalem. V. 8. 57.
Afficit Profeſſos diſpenſatos ad degendum extra clauſtra. V. 8 58.
Non item eiectos, qui non ſunt in ſacris. V. 8. 59.
Non damnatos triremibus. V. 8 60.
Idq; etſi ſint in ſacris quod alij negant. V. 8. 61.
Afficit Religioſos fugitiuos etiam pro tempore fugæ. V. 8. 62.
Non item legitimè tranſeuntes ad Ordinem non vacantem Choro. V. 8 63.
Afficit Religioſum excommunicatum ſuſpenſum, depoſitum, ac degradatum. V. 8. 64.
Non item Religioſos Nouitios. V. 8. 65.
Recitans priuatim ex alieno breuiario poteſt recitare iuxta breuiarium Romanum. V. 8. 66.
Indultum recitandi ex breuiario breui extenditur ad ſocium. V. 8. 67.
Recitãs ex breuiario alieno iuxta aliquos ſatisfacit. V. 8. 68.
Prælati ſuper hoc diſpenſant. V. 8. 69.
Carens proprio breuiario debet recitare ex alieno V. 8 70.
Recitans ſolùm mentaliter non ſatisfacit. V. 8. 71.
Recitans Officium pro Officio ded ta opera iuxta aliquos mortaliter non peccat. V 8. 73.
Limita, niſi Officium ſit notabiliter breuius. ibid.
Pars tamen affirmans eſt probabilior V. 8. 74.
Immo & ſequenda in praxi, etſi oppoſita non poſſit damnari. ibidem.
Perueniturus Bononia Ferrariam die ſequenti, vbi ſit feſtum de Patrono, veſpere præcedenti Bononiæ ante receſſum recitat Matutinum de dicto Patrono. V. 8. 75.
Qui recitauit Officium de aliquo Sancto, non tenetur (etſi poſſit) illud poſtea iterum recitare in alio loco, vbi Officium tranſlatum eſt. ibid.
Ritus Officij diuini immutatur ſine m. peccato. V. 8. 76.
Religioſus itinerans recitat etiam ex alieno breuiario. V. 8. 77.
Interrumpens horas notabiliter ſine cauſa, non peccat m. V. 8. 78.
Immò nec venialiter, ſi ex cauſa. V. 8. 79.
Matutinum diuidi poteſt licitè à Laudibus. V. 8. 80.
Facta tali diuiſione in fine Matutini non recitatur oratio Officij currentis. V. 8. 81.
Ipſa Nocturna in Officio 9. lectionum poſſunt ſeparari. V. 8. 82.
Inuertens ſine cauſa ordinem horarum inter ſe peccat venialiter ſolùm. V. 8. 83.
Recitans abſq; attentione interiori ſatisfacit V. 8. 84.
Secùs, ſi inter recitandum ſe occupet in actibus orationi incompoſſibilibus. V. 8. 85.
Si id fiat ex cauſa, & occupatio ſit compoſſibilis orationi, recitans nec venialiter peccat. V. 8. 86.
Horæ recitandæ integrè. V. 8. 87.
Syncopans verba, contrahens ſyllabas &c. poteſt pertingere ad mortale, niſi excuſet materiæ paruitas. V 8 88.
Recitans cum blæſo, aut balbutiente ſemiproferente verba ſatisfacit. ibid.
Satisfacit famulus recitans cum Domino ex accidia eligente Officium breuius. ibidem.
Excuſari poteſt habens indultum recitandi mentaliter, ſi recitaret cum ſyncopante &c. V. 8. 89. & 90. & 91.
Omiſſio horarum ex genere ſuo eſt mortalis. V. 8. 92.
Aſsignatur, quæ pars in hoc poſsit dici notabilis. V. 8. 93.
Totum diurnum Officium vnico præcepto præcipitur. V. 8. 94.
Omittens partem notabilem illius non aperit in confeſſione quam partem omiſerit. V. 8. 95.
Religioſus Sacerdos, profeſſus, ac beneficiarius, ſi Officiũ omittat, vnicum facit peccatum. V. 8. 96.
Recitans priuatim habere debet intentionem orandi, ac implendi id, quod præcipitur. V. 8. 97. & 98.
Dubitans, an recitauerit pſalmum aliquem, aut horam, non repetit. V. 8. 99.
Extra chorum Regulares non recitant 7. pſalmos, & ſimiles preces præſcriptas in breuiario. V. 8. 100.
Secùs, ſi non recitẽt iuxta breuiarium Romanum, & aliàs ad id teneantur. ibid.
Obligatio recitandi incipit à puncto profeſsionis quo ad horas tempori illi reſpondentes. V. 8. 101.
Idem eſt & de ſuſcipiente Ordinem ſacrum. ibid.
Recitandum Officium a puncto mediæ noctis antecedentis vſque ad punctum mediæ noctis ſequentis V. 8. 102.
Laudabilius eſt Officium potius peruenire, quam poſtponere. ibidem
Matutinum, & Laudes recitari poſſunt toto anno poſt publicam recitationem Veſperarum, & Completorij. V. 8 103.
Idque ex cauſa non graui. ibidem.
At non ante tempus præfixum, etſi finiatur ſub initium illius. ibidem.
Horæ recitandæ voce ſenſibili, ita vt recitans priuatim poſsit ſe audire amoto impedimento. V 8. 104.
Non requiritur tamen, vt ſe de facto audiat. ibid.
In horarum recitatione priuata non petitur certus ſitus, & habitus corporis. V. 8. 105.
Eæ recitari poſſunt vbiq. V. 8. 106.
Recitandæ iuxta breuiarij Romani formam. V. 8. 107.
Ex cauſa inuerti poteſt ordo illarum. V 8. 108.
Excuſatus ab earum recitatione non tenetur ad aliud. V. 8. 109.
Non valens recitare totum Officium recitat partem, quam poteſt, ſi hæc ſit notabilis, nempe ad minùs dimidia. V. 8. 110.
Alij id negant. ibidem.

Cœcus non tenetur recitare memoriter, nec cum Socio, etſi poſſit. V. 8. 111.
Item nec tenetur ad horas paruas, licèt eas teneat memoria V. 8. 112.
Surdus recitare debet per ſe ipſum. V. 8. 113.
Infirmitas grauis excuſat à recitatione; etſi abſque graui damno ea poſſet fieri. V. 8 114.
Grauitas morbi dijudicanda arbitrio Medici, aut Prælati. V. 8. 115.
Excuſat morbus, etſi nõ impediat confabulationẽ. V. 8. 116.
Febriens excuſatur per aliquot dies a totali receſſu febris. V. 8. 117.
Febris quartana non ſemper excuſat. V. 8. 118.
Non tenemur præponere, aut poſtponere tempus horarum. V. 8. 119.
Excuſat occupatio grauis, ac honeſta. V. 8. 120.
Si ea præuideatur, præuenienda recitatio. ibid.
Religioſi poſſunt retinere Officia breuiora pro diebus, quibus præuident ſe fore magis occupatos. V. 8. 121.
Excuſat carentia breuiarij. V. 8. 122.
Niſi fortè ſit voluntaria, quamuis, ſi carens tunc doleat de culpa, non ampliùs peccet omittendo recitare. V. 8. 123.
Prælati Regulares diſpenſant ſuper recitatione horarum. V. 8. 124.
Refertur indultum Theatinis factum ſuper horarum recitatione. V. 8. 125.
Explicatur quo ad aliqua. V. 8. 126. & 128.
Ex indulto Innocentij IV. poſſunt Religioſi choriſtæ ex cauſa rationabili recitare loco horarum canonicarum Officium Conuerſorum. ibidem.

Horæ Canonicæ quo ad Beneficiarios.

Regulares beneficiarij iure eccleſiaſtico tenentur ad Chorum. V. 8. 130.
Et quidem regulariter ſub veniali. ibid.
Iuxta vſum tamen cuiuſuis Eccleſiæ, qui eſt varius. ibid.
Omittentes Chorum priuantur diſtributionibus. V. 8. 132.
Non peccant m etſi ſæpè abſint à Choro. V. 8. 133.
Saltem in hoc datur materiæ paruitas. V 8 134.
Satisfaciunt per meram aſſiſtentiam perſonalem, ſi ſint Canonici. V. 8. 135.
Secùs, ſi habeant præbendam inferiorem. ibidem.
Si ſint Canonici, iuxta aliquos retinere diſtributiones, etſi horas non recitent vllo modo. V. 8. 137.
Item, ſi aſſiſtant Choro abſq; vlla attentione. V. 8. 138.
Obligati canere vi præbendæ non recipiunt diſtributiones, ſi canunt voce ſubmiſſa voce, aut non attendant ad partem alterius Chori. V. 8. 139.
Recipiunt tamen dimidium diſtributionum, ſi attendant ad ea, quæ canit alius Chorus. V. 8 140.
Canens ſuam partem in Choro recipit integras diſtributiones, etſi non percipiat ea, quæ canit alius Chorus. V. 8. 142.
Recipit diſtributiones præbendatus, ſi fiat cœcus, aut ſurdus, & non aſſiſtat Choro; quod alij non admittunt. V. 8. 143.
Recipit præbendatus ægrotus, ſi ægritudo ſit vera cauſa abſentiæ à choro. V 8. 144
Siquidem ægritudo ſit grauis. V. 8. 145.
Recipit, ſi abſit à Choro ex graui neceſſitate corporali. V 8. 146.
Beneficiarij in varijs caſibus acquirunt diſtributiones, etſi abſint à choro. V. 8 147.
Acquirunt coniecti in carcerem, aut pulſi in exilium abſq; propria culpa. V. 8. 148.
Item iniuſtè cenſurati, ſi per ipſos non ſtet, quo minus abſoluantur, & hoc, etſi abſint à choro. V. 8. 149.
Item excommunicati vitandi, ſi Choro aſſiſtant. V. 8. 150.
Item interdicti. V. 8. 151.
Non item aſſiſtentes Choro tempore Ceſſationis à diuinis. V. 8. 152.
Acquirunt pro tempore, quo Eccleſia eſt polluta, etſi non aſſiſtant. V. 8. 154.
Item ſi abſint in euidentem vtilitatem propriæ eccleſiæ. V. 8. 155.
Idque etſi non ſint in loco beneficij. V. 8. 156.
Immò etſi extra tempus diuinorum Officiorum poſſent ſe expedire à negotijs ſuæ Eccleſiæ, in cuius bonum dicuntur abeſſe. V. 8. 157.
Acquirunt, ſi ſua negotia expediant eo tempore, quod ijs aſſignatur pro negotijs Eccleſiæ, hæc expediendo alio tempore. V. 8. 158.
Secùs, ſi iuxta Concilium Trid. à loco beneficij abſint per 3. menſes, niſi præbenda pro fructibus ſolus habeat diſtributiones. V. 8. 159.
Declaratur, qualiter explicari debeat trimeſtriæ vacationis conceſſæ à Conc. Trid. V. 8. 160.
Hoc indulto fruitur præbendatus ordinariè abſens à Choro toto anno. V. 8. 161.
Tempus dictæ vacationis ex conſuetudine extenditur vltra trimeſtrem. ibid.
Continuari poteſt vacantia anni præcedentis cum vacantia anni ſequentis. ibidem.
Oſtenditur ratio computandi hoc trimeſtre. ibid.
Beneficiarij non lucrãtur diſtributiones, ſi abſint, eò quod aſſiſtant Capitulo. V. 8. 163.
Lucrantur vero ſi tempore Officiorum celebrent, aut audiunt confeſſiones in ſua eccleſia. V. 8. 164.
Si tamen extat de hoc conſuetudo. ibid.
Affertur decretum Sacræ Congregat. de hoc editum. ibid.
Lucrantur, ſi volũtarias obeant peregrinationes. V. 8. 165.
Peregrinaturis neceſſariò dantur a aut 3. dies vacationis ante diſceſſum, & item poſt reditum. V. 8. 165.
Non lucrantur, ſi abſint ratione ſtudij, aut muneris docendi. V. 8 167.
Acquirunt tamen fructus beneficij. V. 8. 168.
Certum enim tempus iure communi quo ad hoc datum eſt ſtudentibus. V. 8 169
Item quo ad docentes, ſed ſine limitatione. V. 8. 170.
Parochus ratione ſtudij abſens hodie nõ acquirit fructus; etſi alij id negent. V. 8. 171.
Non acquirunt diſtributiones aſſiſtẽtes Choro per alium. V. 8. 172.
Acquirunt fructus beneficij, non item diſtributiones qui abſunt, eò quod viſitent diœceſim &c. V. 8. 173.
Canonicus Pœnitentiarius acquirit fructus, ac diſtributiones, ſi abſit, eò quod audiat confeſſiones. V. 8. 174.
Idem procedit de ſuffecto in locum Pœnitentiarij. ibid.
Canonicus Theologus abſens ratione ſui muneris acquirit diſtributiones. V. 8. 175.
Is aſſiſtens Choro diebus ſibi conceſſis in vacationem nequit abeſſe poſtea totidem diebus, & ijs acquirere diſtributiones. V. 8. 176.
Si faciat Lectiones per alium non vacat à Choro. V. 8. 177.
Vacat tamen is ſubrogatus, qui facit lectiones. ibid.
Acquirit diſtributiones qui tempore Officiorum pulſat organum, aut canit extra Chorum. V. 8. 178
Abſens à Choro non acquirit diſtributiones per remiſſionem aliorum beneficiariorum; acquirit verò per donationem illorum factam poſt poſſeſſionem diſtributionum. V. 8. 179.
Transigi poteſt ſuper diſtributiones ſub dubio debitas. V. 8. 180.
Abſens à Choro ante ſententiam priuatur diſtributionibus iam receptis. V. 8. 181.
Diſtributiones quotidianæ abſentium accreſcunt præſentibus. V. 8. 182.
Legitimè excuſatis à Choro non item V 8. 183.
Diſtributiones debentur eccleſiæ, in qua inſtitutę ſunt prębendæ, ſi præbẽdati omnes culpabiliter abſint. V. 8 174.

Horæ canonicæ quo ad priuatam recitationem beneficiariorũ.

Regulares beneficiarij ad illam iure eccleſiaſtico tenentur. V. 8. 185.

Et

Et quidem ſub mortali. V. 8. 186.
Immò & ſub pœna reſtitutionis fructum perceptorũ. ibid.
Excuſat tamen beneficij tenuitas. V. 8. 187.
Idq; etſi beneficiarius aliunde habeat alimenta. ibid.
Hæc enim reſtringit iuxta aliquos obligationem recitandi ſolùm ad aliquot dies per annum. ibid.
Hæc non excuſat, ſi quis habeat plura beneficia tenuia habeat vnum pingue facientia. V. 8. 189.
Beneficiarij tenentur ad horas, etſi ex propria culpa non percipiant fructus. V. 8. 190.
Excommunicatus, ſuſpenſus &c. ſi curent abſolui, & non obtineant, percipiunt fructus beneficij. ibid.
Tenetur ad horas habens ſolùm titulum beneficij, ſi aliàs habeat Eccleſiæ adminiſtrationem, aut percipiat diſtributiones V. 8. 191.
Reſeruante Papa fructus pro penſione, ſi habens merum titulum beneficij ſit inhabilis ad ſeruiendum beneficio non tenetur ad horas. ibidem.
Si Papa reſeruet fructus beneficij, & ipſum ſeruitium, nec habens merum titulum, nec penſionarius, nec habens ſeruitium beneficij tunc tenentur ad horas. V. 8. 192.
Beneficiarius non tenetur ad horas, ſi primo anno non percipiat fructus vllos ex conſuetudine. V. 8. 19[3].
Habens titulum beneficij cum ſpe poſſeſſionis, & fructuũ tenetur ad horas. V. 8. 194.
Item tenetur in caſu, quo poſt beneficij poſſeſſionem ſequeſtrentur fructus. V. 8. 195.
Item tenetur habens Capellaniam collatiuam. V. 8 196.
Secùs, ſi non habeat collatiuam. V. 8. 197.
Tenuitas capellaniæ excuſat à recitatione. V. 8. 198.
Non tenetur ad horas Coadiutor in beneficio vi Coadiutoriæ. V. 8. 199.
Poteſt tamen teneri ex alijs titulis. ibid.
Non tenetur penſionarius, & tenetur ad Officium B. Virginis V. 8. 200.
Habens beneficium ſimul, & penſionem ſatisfacit vnica recitatione. V. 8. 201.
Tenetur habens beneficium in commendam. V. 8. 202.
Item habens vicariam perpetuam. V. 8. 203.
Obligatio reſtituendi fructus perceptos ex omiſſione horarum eſt ſolum de iure eccleſiaſtico. V. 8. 204.
Ea non vrget, niſi poſt primum ſemeſtre ab adepto beneficio. V. 8. 205.
Omittens horas dicto primo ſemeſtri non reſtituit fructus tunc perceptos. V. 8. 206.
In hac reſtitutione deducitur pars reſpondens alijs muneribus beneficio annexis. V. 8. 207.
Aſſignatur, ad quam ratam fieri debeat talis reſtitutio. V. 8. 20[8].
Si reſtituens plura habeat beneficia, reſtituit ad ratam de fructibus ſingulorum beneficiorum. V. 8. 209.
Reſtitutio hæc facienda ante ſententiam. V. 8. 210.
Non oritur ex omiſſione minori, quã vnius horę. V. 8. 211.
Alij tamen id negant. ibid.
Beneficiarius non reſtituit partem aliàs reſtituendam, ſi in materia furti ea nõ pertingeret ad mortale. V. 8. 212.
Non reſtituit, qui omittit partem leuem in ſingulis horis, cuius omiſſio reſpectu totius Officij diei ſit quãtitas grauis. V. 8. 213.
Reſtituit omittens partem Officij notabilem; ita tamen, vt ſingulis omiſſionibus non reſpondeat pars fructuum notabilis. V. 8. 214.
Fallit in caſu, quo beneficiarius in ſingulis omiſſionibus non teneatur reſtituere. V. 8. 215.
Idque procedit etiam in caſu, quo omiſſiones notabiles ſingulæ ſeorſim non obligent ad reſtitutionem ob beneficij tenuitatem, & fiant rarò, & per maiora temporis ſpatia. ibidem.
Non reſtituit iuxta aliquos, qui intra annum omittit horas per 8. aut 10 dies; quod alij negant. V. 8. 216.
Obligatio reſtituendi ceſſat, ſi omiſſio ſit inculpabilis. V. 8. 217.
Non reſtituit recitans abſque vlla attentione. V. 8. 218.
Alij tamen id negant. V. 8. 219.
Non reſtituit recitans cum alio, & non attendens ad eius partem. V. 8. 220.
Reſtituit, qui die ſequenti ſupplet Officium diei præcedentis. V. 8. 221.
Explicatur Suarez aſſerens reſtitutionem hanc fieri poſſe in bonis ſpiritualibus. V. 8. 222.
Omittens recitare in priori ſemeſtri non tenetur reſtituere, nec de iure naturali. V. 8. 223.
Non reſtituit recitans Officium pro Officio. V. 8. 224.
Nec qui omittit horas poſt groſſam præbendæ abſolutè acquiſitam; quod non eſt admittendum ſine limitatione. V. 8. 225.
Reſtitutio hæc facienda fabricæ beneficij, aut pauperibus. V. 8. 226.
Qui veniant nomine pauperum. ibid.
Applicari poteſt ipſi beneficiario, ſi ſit pauper. V. 8. 227.
Poteſt beneficiarius retinere fructus obnoxios reſtitutioni, ſi ij à pauperibus, quibus applicati ſunt, ipſi retrodonentur. V. 8. 228.
Non reſtituit, qui antea fecit eleemoſynas proportionatas immemor talis obligationis. V. 8. 229.
Penſionarius omittens Officium B. V. reſtituere tenetur. V. 8. 230.
Non eſt improbabile beneficiarium poſſe non dare penſionem penſionario omittenti horas. ibid.
Beneficiarius non poteſt ex ſe dare pauperibus penſionem amiſſam ex horarum amiſſione. V. 8. 231.
Immò ſi beneficiarius id faciat, & peccat, & tenetur ad aliquam reſtitutionem. V. 8. 232.
Reſtitutio hæc facienda ex fructibus temporalibus beneficij, aut penſionis. V. 8. 233.
Contra beneficiarium omittentem recitare horas poſt primum ſemeſtre ferri poſſunt pęnę eccleſiaſticæ. V. 8. 234.

Horologium.

Habet rationem opinionis probabilis. V. 8. 103.
Nulli neceſſariò ſtandum. ibid.
Quodlibet præſumi poteſt exorbitare per quadrantẽ. ibid.

Hortationes.

Habendæ frequenter Nouitijs. II. 5. 12.

Hoſpitalarij Ordines.

Per quid propriè conſtituantur. I. 3. 33.
Plura de ijs ſtatuuntur in Concilio Vienneuſi. I. 3. 334.
Quid ſit hoſpitalitas. IV. 5. 513.

Hoſtia Conſecrata.

Vide v. *Euchariſtia.*

I

Iactare.

Iactans ſe de peccato aliàs facto non tenetur confiteri ſpeciem talis peccati. V. 3. 51.

Ieiunium.

Diſpenſatus ad carnes in die ieiunij non tenetur eò ipſò ieiunare. IV. 5. 97. V. 5. 36.
Pluries edens in die ieiunij vnicum facit peccatum. IV. 5. 105. V. 5. 6.
Regulares tenentur ad ieiunia communia eccleſiæ. V. 5. 1.
Et quidem ſub mortali. V. 5. 2.
Ad ieiunia verò præſcripta ex conſuetudine, aut regula eo genere obligationis, quo inducta ſunt. ibid.

Iure communi non tenentur ad ieiunium Aduent. V. 5. 5.
Tria ad illud requiruntur. V. 5. 6.
Requiritur vnica comeſtio. V. 5. 7.
Non violatur ieiunium per eſum malorum punicorum, vuæ. V. 5. 8.
Permittitur tamen refectiuncula veſpertina. V. 5. 9.
Et hæc ſumi poſſet etiam in meridie. ibid.
Aſſignatur eius quantitas, & qualitas. V. 5. 10. & 11. & 14.
In Vigilia Natiuit. Domini eſſe poteſt vnciarum 16. plùs minùs. V. 5. 12.
Idque etſi feſtum incidat in feria 2. & ideo præueniatur ieiunium. V. 5. 13.
Immò etſi quis ieiunet ex voto. ibid.
Item in caſu, quo, dilata cœna in veſperam ſub meridiem ſumatur refectiuncula. ibid.
Item in Vigilia Paſchatis. ibidem.
Vnciæ 8. permiſſæ communiter, ſed non omnes ex pane. V. 5. 15.
In ea conceditur iuſculum ſine ſpeciali neceſſitate, ſed cum limitatione aliqua. V. 5. 16.
Mane edens inaduertenter reliquo die ieiunium ſeruat. V. 5. 17.
Non violat ieiunium qui ex cauſa ſæpè interrumpit prandium. V. 5. 18.
De eſſentia ieiunij eſt ſola abſtinentia à carnibus, attento iure communi, etiam in Quadrageſima. V. 5. 19.
Sicque ſtando in iure communi in ea licitus eſt eſus lacticiniorum. V. 5. 20.
Quod procedit à fortiori in alijs ieiunijs infra annum. ibid.
Obſtat tamen conſuetudo in multis locis. V. 5. 21.
Iuxta aliquos ea non afficit Regulares. V. 5. 22.
Vbi ea viget, ſeruanda eſt in ieiunijs Regulæ, & alijs. V. 5. 23.
Ieiunium faciendum ex voto, aut pœnitentia à monacho iuxta formam monaſticam fit, niſi aliud explicetur. ibid.
Hora competens comeſtionis modò non cenſetur de eſſentia ieiunij. V. 5. 24.
Regulares per ſeſquihoram ante meridiem, & amplius prandent in die ieiunij. V. 5. 25.
Dato quod hora competens eſſet de ieiunij eſſentia, ſine mortali anticipatur per ſemihoram. V. 5. 26.
Hora competens modò eſt meridies. V. 5. 27.
Ea metiri poteſt iuxta varia horologia. V. 5. 28.
Religioſi profeſſi ante annum 21. non ſeruant ieiunia Regulæ, ſicut nec Eccleſiæ. V. 5. 29.
Eccleſia obligat ad ſua ieiunia ſolùm poſt 21. annum. V. 5. 30.
Religioſi ſexagenarij non ſeruant ieiunia Regulæ, nec eccleſiæ. V. 5. 31.
Et quidem meritò. V. 5. 32.
Ieiunia Regulæ non obligant ſenes cum graui damno. V. 5. 33.
Sexagenarij exempti à ieiunijs Eccleſiæ, etſi 60. annum nondum expleuerint. V. 5. 34.
Morbus excuſat a ieiunio, immò interdum & debilitas. V. 5. 35.
Diſpenſatus ſolùm ad lacticinia tenetur ieiunare. V. 5. 36.
Diſpenſatus ad carnes edit piſces, & carnes noxias. V. .37.
Diſpenſatus ad lacticinia edit lac, caſeum &c. V. 5. 38.
Diſpenſatus ad carnes in Quadrageſima ratione morbi, non ieiunat, etiam quo die abſtinet à carnibus. V. 5. 39.
Idque etſi ieiunium prodeſſet. ibid.
Religioſus hoſpes non ſeruat ieiunium loci, per quem trãſit. V. 5. 40.
Recedens à loco, vbi ieiunatur, ibi liberè edit, non tamen carnes, ſi eodem die peruenturus ſit ad locum, vbi non ieiunatur. ibid.
Recedens à loco, in quo non ieiunatur, ibi edit carnes, etſi nocte peruenturus ſit ad locũ, in quo ieiunatur. V. 5. 41.
Peregrinans interdum eximitur à ieiunio ratione laboris. V. 5. 42. & 44.
Excuſant aliqui à ieiunio exercẽtem opus bonum incompatibile cum illo, etſi non neceſſarium. V. 5. 43.
Conſultò ſe reddens impotentem ad ieiunium in fraudem iuxta aliquos non peccat m. contra ieiunium. V. 5. 44.
Probabile periculum mali grauis excuſat à ieiunio. V. 5. 45.
Concionatores, & Lectores excuſantur à ieiunio, ſi aliàs commodè nequeunt obire ſuum munus. V. 5. 46.
Item Lectores ſcholarum inferiorum 4. lectiones quotidiè legentes, & quidem abſolutè excuſantur. V. 5. 47.
Seruientes menſæ Regularium capere poſſunt aliquid cibi ante prandium, ſaluo ieiunio, & ſecluſa ſpeciali neceſſitate. V. 5. 48.
Regulares laici, ſi aliàs Conuentui ſeruire nequeant, excuſantur à ieiunio. V. 5. 49.
Regulares tenentur ad ieiunia inducta ex generali conſuetudine. V. 5. 50.
Nõ item ad ieiunia legitimè indicta ab Ordinario. V. 5. 51.
Non ad ieiunia inducta à populo ex voto. V. 5. 52.
Item ad ieiunia promiſſa ex voto à prędeceſſoribus monaſterij, in quo ſunt emiſſo. V. 5. 53.
Ieiunant in die Natiuitatis Domini contingente in feria 6. ſi ex regula ieiunent ferijs ſextis. V. 5. 54.
Non item viri laici, qui habent votum ieiunandi ferijs ſextis. ibidem.
In tali tamen caſu iuxta aliquos poſſet Prælatus diſpenſare ad eſum carnium &c. V. 5. 55.
Præſati Religioſi, ſi non ieiunent in caſu propoſito, non peccant con. præceptũ Eccleſiæ, ſi edant carnes. V. 5. 56.
Occurrente Natiuitate Domini in Sabbato eduntur carnes. V. 5. 57.
Regulares degentes Mediolani primis 4 diebus Quadrageſimæ non ieiunant; ſecluſa conſuetudine in contrarium. V. 5. 58.
Quin ſtante tali conſuetudine aliqui putant eos poſſe non ieiunare, ſi ſint extra monaſterium. V. 5. 59.
Dato quod Regulares frui poſſint tali indulto, eo vti poſſunt etiam extra territorium Mediolanenſe, ſi inde abeant breui regreſſuri. V. 5. 60.
Religioſi vtentes hoc indulto non ideo Mediolani tenentur ieiunare in diebus Rogationum. V. 5. 61.
Concurrentibus eodem die ieiunio eccleſiæ, ac ieiunio regulæ. ſi vtrumque ſeruari nequeat, ſeruari debet, quod priùs occurrit. V. 5. 62.
Omittens ieiunium debitum ex præcepto Eccleſiæ, & ex Regula vnicum facit peccatum. V. 5. 63.
Regulares ſeruant ieiunia auctoritate epiſcopi tranſlata. V. 5. 64.
Diſpenſantur à ſuis Prælatis ſuper ieiunio, & abſtinentia à carnibus. V. 5. 65.
Religioſi item cum Septentrionalibus diſpenſant ſuper ieiunio. V. 5. 66.
Diſpenſatio non eſt neceſſaria, ſi certò conſtet de neceſſitate ſubditorum. V. 5. 67.
Prælati diſpenſant quo ad præfata etiam ſecũ ipſis. V. 5. 68.
Diſpenſatus ad carnes in Quadrageſima eas non edit eo ipſo in ferijs ſextis, ſabbatis &c. V. 5. 69.
Religioſi interdum exempti à ieiunio ſine diſpenſatione. V. 5. 36.

Ignorantia.

Excuſat ab obſeruantia regulæ. V. 2. 47.
Alia dicitur vincibilis, & alia inuincibilis. ibid.
Ignorantia pœnę latæ contra legis violatores non excuſat à culpa. V. 2. 48.
Profitens in religione, ſi inuincibiliter ignoret Regulam ibi ſtrictiùs obligare, quam tunc obſeruetur, ad alium Ordinem poſſet tranſire, alioqui obſeruaturus Regulam in primæuo rigore. V. 2. 57.
Ignorantia, etiam craſſa interdum excuſat à pœnis eccleſiaſticis. V. 6. 61.
Laborans ignorantia inuincibili relinquendus in bona fide, ſi nõ ſperetur fructus ex admonitione. V. 12. 36. & 42.

In caſu ignorantiæ probabi'is datur bellum vtrinque iuſtum II. 3.-25.
Ignorantia alia eſt poſitiua, alia negatiua. IV. 1. 5.
Cum vitæ periculo ignorantia vincibilis non auferenda. V. 12. 55.

Illegitimi.

Admittuntur ad religionem. II. 4. 54. & 55.
Deſinunt eſſe tales per ingreſſum religionis vt ſic. II. 7. 15. & ſeqq.
Alij id negant probabiliùs. II. 7. 16.
De iure communi validè, ac licitè admittuntur ad profeſſionem religioſam. III. 2 22. & 23.
Per profeſſionem tollitur irregularitas ex natalium defectu quo ad Ordines III. 4 33.
Item quo ad vſum Ordinum antea ſuſceptorum. III. 4.34.
Non item quo ad dignitates; etſi alij id negent. III. 4. 36.
Tollitur quo ad beneficium regulare ſimplex. III. 4. ·7.
Illegitimi vigore profeſſionis, non fiunt capaces ſuccedendi in paternam hæreditatem, III. 4. 39.
Per vota biennij in Soc. Ieſu tollitur irregularitas ex defectu natalium quo ad Ordines, III 4. 35.
Illegitimi propriè non dicuntur filij geniti à coniugibus poſt profeſſionem legitimè factam ab vtroque in religione. IV. 2. 66.
Tales tamen cenſentur iure canonico quo ad Ordines. ibid.

Impedimentum.

Ingreſſus in religionem reticentis impedimentum non dirimens tenet. II 2 32.
Si tamen is admittatur à potente diſpenſare in illo, II. 2. 33.
Id non procedit in Soc. Ieſu. II 2. 34.
Præterquam in impedimento ætatis. II, 2 35.
Impedimentum religionis ſubſtantiale reticens inualidè profitetur III, 1. 66. III, 2. 31 & 32.
Non item reticens impedimentum accidentale, ſicq; non poteſt eijci III 1. 67.
Nouitius certè poſſet eijci in tali caſu, ſicut & religioſus Societatis Ieſu poſt vota biennii III 1. 68.
Non reclamans intra quinquennium contra profeſſionē ex ignorantia, aut impedimento reclamat poſt quinquennium iuxta aliquos computandum à die ſcientiæ, aut ablationis impedimenti. III. 5. 45.
Adſtrictus impedimento perpetuo, ne reclamet, reclamat poſt quinquennium, III. 5. 47.
Immò & in caſu, quo impedimentum ſit ad tempus. III. 2. 48.
Impedimentum ſuperueniens excuſat à voto religionis. IV. 1. 74.
Si tamen impedimentum ſit facilè diſpenſabile, peti debet diſpenſatio IV. 1. 75.
Vouens religionem iuuenis ſi impediatur, ne illud poſſit implere niſi ſenex, non tenetur. IV. 1. 76.
Petens diſpenſari ſuper voto Caſtitatis religioſæ ad matrimonium, ſi habeat alia impedimenta, non debet ea ſimul aperire. IV. 3. 132. IV. 2. 413.
Non poteſt Religioſus cogi acceptare prælaturam Ordinis ſi habeat impedimentum tali acceptationi non parum obſtans, & ipſi non voluntarium. IV. 4. 89.
Præuidens impedimentum obſtans impletioni voti interdum anticipare debet eius impletionem. IV. 5. 467.
Præuidens impedimentum quo ad recitandas horas ſuo tempore, iuxta aliquos non anticipat. V. 3. 34.
Præuidens impedimentum quo ad confeſſionem certo tempore faciendam anticipat. ibidem
Præuidens ſe fore impedimentum ab audiendā Miſſa præuenit. V 4 64.
Impedito non currit tempus; ſed hoc cum aliqua limitatione. III. 5. 45.

Impotentia.

Excuſat à Regula. V. 2. 49.
Impotēs ad impletionem totius præcepti implet in quantum poteſt. ibid.
Impotens ab obſeruantiam Regulæ validè profitetur. V. 2. 50
Iuxta aliquos non peccat contra præceptum Miſſæ, qui ſe voluntariè facit impotentem ad illud implendum. V. 4. 67.
Conſultò ſe reddens impotentem ad ieiunium iuxta aliquos non peccat, etſi id agat in fraudem. V 5. 14.

Imperator Imperatrix.

Imperatores plures facti ſunt religioſi. I. 6. 7. & 8.
Imperatrices, & earum filiæ liberè ingrediuntur monaſteria regularium. V. 6. 42.

Impuberes.

Aliquo modo admitti poſſunt ad religionem. II. 1. 5. & 7.
Admiſſi fruuntur priuilegijs Ordinis. II. 7. 4.
Puellæ, etiam impuberes, ſi habeant vſum rationis, non poſſunt recipi intra Conuentus Regularium. V. 6 37.
Impuberum vota irritari poſſunt etiam poſt pubertatem, niſi puberes ea confirment IV. 1. 106.
Impubes percutiens Clericum abſolui poteſt ab Epiſcopo, etiam poſt pubertatem. ibidem.

Incorrigibiles.

Hodie ſoli incorrigibiles eijci poſſuntq; è religione. III. 6. 11.

Indiæ.

Eas adire non tenentur Regulares. V. 12. 25.

Indulgentia.

Nouitij fruuntur indulgentijs Ordinis. II. 7. 5.
In receptione habitus lucrantur indulgentiam plenariam. II 7. 6.
Eandem lucrantur profitentes in articulo mortis ante finē nouitiatus ex Pij V. indulto. III. 2. 10.
Applicans indulgentiam cum Miſſa pro petente Miſſam ad Altare priuilegiatum pro defuncto ſatisfacit, etſi celebret alibi. V. 9. 80.

Infames.

Admittuntur ad religioſam profeſſionem. III. 2 21.
Illis non debet concedi aditus ad dignitates. ibidem.

Infirmi.

In fine nouitiatus validè profitentur etſi ſemper ægrotauerint. II. 1. 12. III. 14 71.
Admittuntur ad nouitiatum. II 4 56. & 57.
Fratres Minimi tempore infirmitatis à voto quadrageſimalis Vitæ excuſantur. IV. 5. 62.
Interdum nihil agere cum infirmo eſt optima medela. IV. 5 72.
Dicitur infirmus qui habet corpus neutrum. IV 5. 73.
Quis propriè dicatur valetudinarius, non autem infirmus. IV. 5. 77.
Infirmi Religioſi frequētiùs cōmunicāt quā laici. V. 3. 101.
Infirmo patienti vomitum datur in articulo mortis communio, præmiſſa aliqua diligentia. V 3. 102.
Infirmi excuſantur à ieiunio, ſed non ſemper. V. 5. 35.
Non tenentur deferre Tonſutam lecto decūbentes V. 7. 61.
Nomine infirmorum aliquando veniunt ſenes. V . 10.
Infirmi excuſantur ab horis, ſi morbus ſit grauis, V. 8. 114.
Et hoc, licèt inde paſſuri non ſint damnum notabile. ibid.
Grauitas morbi iudicanda arbitrio medici, aut Prælati. V 8. 115.
Morbus excuſat, etſi aliàs non obſit confabulatio V 8. 116.
Febriens aliquot diebus excuſatur etiam per aliquot dies à totali receſſu febris. V. 8. 117.
Laborans quartana non ſemper excuſatur. V. 8. 118.

Infirmi

Infirmi ſatisfaciunt præcepto diuini Officij, ſi loco illius aliquid aliud recitent arbitrio Prælati. V. 8. 127.
Beneficiarius infirmus recipit diſtributiones. V. 8. 144.
Si quidem morbus verè ſit grauis. V. 8. 145.
Morbus leuis interdum grauis reputatur. ibid.
Religioſi non tenétur implere per alios onera Miſſarum perpetua, ſi tot ex iis ægrotent, vt per ſe ipſos implere ea non valeant, & morbus ſit breuis. V. 9. 102.
Secùs, ſi præter Religioſos infirmos ſuperſint tot Sacerdotes, quot ſufficiunt ad impléda præfata onera. V. 9. 103.
Morbus breuis hic cenſetur, qui non protrahitur vltra bimeſtre. V. 9. 104.
Morbus excuſat Religioſos à proceſſionibus, ſi ex benè valentibus non adſit numerus competens. V. 11. 19.

Ingratitudo.

Sufficit ad reuocandam renunciationem bonorum factam à Religioſo ante profeſſionem. II. 9. 60.
Profeſſio tollit maculam ingratitudinis. III. 4. 41.

Inobedientia.

In quo conſiſtat. IV. 4. 145. & 154.
Reſpectu Religioſi continet duplicem malitiam. IV. 4. 146.
Non item tertiam reſpondentem promiſſioni factæ de obediendo Superiori. IV. 4. 147.
Inobedientia facta ſimul contra legem Eccleſiæ, & legem Prælati vt ſic vnicam habet malitiam. IV. 4. 150.
Quæ dicatur formalis inobedientia. IV. 4. 151.
Inobedientia materialis non ſemper eſt mortalis. IV. 4. 152
Inobedientia formalis interdum mortalis, interdum venialis. ibidem.
Si inobedientia reſeruetur, quæ debent cenſeri talis. IV. 4. 155. & 156. & 157.
Inobedientia circa rem præceptam à duobus Superioribus vnicam continet malitiam. IV. 4. 158.
Inobedientia circa rem ex obiecto leuem fit grauis ob cócurrentes circumſtantias. IV. 4. 159.
Ex grauitate materiæ, & præcipiendi modo colligitur grauitas inobedientiæ. IV. 4. 160.

Intellectus.

Obediétia debet eſſe perfecta ex parte intellectus. IV. 4. 21.

Intentio.

Ad implendum Miſſæ præceptum requiritur intentio, ſaltem virtualis implendi, quod præcipitur. V. 4. 46.
Non item intentio ſatisfaciendi præcepto ibid. V. 4. 47.
Intentio formalis, ac virtualis inter ſe differunt. ibid.
Recitans horas priuatim debet habere intentionem orandi, & implendi quod præcipitur. V. 8. 97.

Interdictum.

Nouitij non ſubſunt Interdictis generalibus latis contra laicos. II. 7. 61.
Interdictus tenetur audire Miſſam, ſi ad id ſit priuilegiatus, & ſit Religioſus. V. 4. 61.
Non item, ſi ſit laicus. ibid.
Non peccat contra præceptum Miſſæ qui dat cauſam culpabilem Interdicto, & non procurat eius relaxationem, etſi videat ſe hinc impeditum iri ab audienda Miſſa V. 4. 61.
Beneficiarius interdictus Choro aſſiſtens acquirit diſtributiones. V. 8. 125.

Interpres.

Regula non obligat ad confitendum per interpretem. V. 3. 21.
In articulo mortis iure diuino tenemur confiteri per interpretem. ibidem.
Non item extra iſtum caſum. V. 3. 22.

Interpretatio.

Votum paupertatis religioſæ qualiter interpretandum. V. 2. 250.

Irregularitas.

Irregularitas ex defectu natalium iuxta aliquos ceſſat per ingreſſum religionis vt ſic. II. 7. 15. & 16. & 17. & 18. & 19.
Nouitij diſpenſari poſſunt in irregularitatibus. II. 6. 36. & 37.
Irregularitas ex defectu natalium tollitur per profeſſioné quo ad Ordines. III. 4. 33.
Item quo ad vſum Ordinis antea ſuſceptam. III. 4. 34.
Non item quo ad dignitates; quod alij negant. III. 4. 36.
Tollitur quo ad beneficium regulare ſimplex. III. 4. 37.
In Soc. Ieſu per vota biennij ceſſat irregularitas ex defectu natalium. III. 4. 35.
Occidens inuaſorem in ſui defenſam cum debito moderamine non fit irregularis etſi dederit cauſam culpabilem inuaſioni. V. 7. 34.

Irritatio.

Profeſſio de ſe valida poteſt irritari aliquo modo à Papa. III. 5. 73.
Votum religionis irritari poteſt à parentibus. IV. 1. 105.
Et quidem etiam poſt pubertatem, ſi factum ſit ab impubere. IV. 1. 106.
Irritari item poteſt à Tutore, non autem à matre, niſi patre demortuo. IV. 1. 107.
Si fiat à pubere, non poteſt irritari. IV. 1. 108.
Prælatus regularis non irritat votum ſtrictioris Religionis factum à Religioſo ſubdito. IV. 1. 109.
Irritat tamen votum factum ab extraneo de ingrediendo eius religionem ipſum excludendo abſolutè. IV. 1. 110.
Et, ſi ſic irritet poſt obtentam commutationem dicti voti, vouens liber manet ab operibus, in quæ facta fuerat commutatio. IV. 1. 111.
Niſi fortè redire malit ad prius votum. IV. 1. 112.
Vota Religioſorum irritari poſſunt.
Vide *v. votum in communi.*

Iudex.

Iudicis ſententia non requiritur ad incurrendam excommunicationem, ac ſuſpenſionem, requiritur tamen ad incurrendam priuationem vocis, & alias ſimiles pœnas. V. 6. 63.
Abſentes à Choro priuantur diſtributionibus ante ſententiam. V. 8. 181.
Beneficiarius omittens horas reſtituit fructus ad ratam ante Iudicis ſententiam. V. 8. 210.
Item, ſi omittat fidei profeſſionem reſtituit fructus perceptos poſt primum ſemeſtre, ſed poſt Iudicis ſententiam. V. 10. 7.

Iudicium.

Nouitij liberè ſtant in iudicio. II. 8. 19.
Cauſa tranſeundi ad alium Ordinem non cognoſcenda in iudicio. III. 5. 140.
Mendicantes incapaces petunt in iudicio hæreditates, & legata relicta, niſi prohibeantur. IV. 2. 59.
Non item Fratres Minores. IV. 2. 110.
Ad talem tamen effectum hi Iudicis officiũ implorant. IV. 2. 112.
Prælato legitimè accuſato in iudicio parendum, quamdiù lis pendet. IV. 4. 123.
Idem ex diuerſitate rationis diuerſo iure iudicatur. V. 2. 61.
Vbi cœptum eſt iudicium, ibi debet terminari. II. 6. 2.

Idem eſt iudicium fori interni, ac iudicium fori externi, quando externum non nititur præſumptionibus. IV. 2. 89.

Iuramentum.

Sponſalia iurata non impediunt ingreſſum religionis. II. 4. 24.
Alumni Collegij Anglicani Romæ iurant non ingredi religionem, ſed cum limitatione. II. 4. 32. & 33. & 34.
Renunciatio bonorum facta à Nouitio abſque debita ſolemnitate, nulla eſt, licèt iurata. II. 9. 29.
Per Profeſſionem religioſam extinguuntur omnia iuramenta realia, ac perſonalia facta ſoli Deo. III. 4. 31.
Iuramenta Religioſorum irritari poſſunt æque ac vota. III. 4. 68.
Barnabitæ iurant non ambire dignitates &c. IV. 5. 139. & ſeqq.
Hoc autem iuramētum eſt velut votum iuratum. IV. 5. 170.
Iuramenta pia regulariter fiunt cum voto. ibid.
Iuramentum poteſt eſſe de ijs, quæ quis indubitanter credit. IV. 5. 2.8.
Iuramentum promiſſorium habet vim voti. IV. 5. 386.
Non peccat peccato ſcandali qui inducit ad iurandum de re, quam iurans inculpatè putat verum, cum ſit falſa. IV. 5. 555.
Iuramentum, quod faciunt Medici de non proſequenda curatione infirmi non confitentis interpretandum eſt ſano modo. V. 3. 11.
Iuramentum, & votum annexa profeſſioni fidei non poſſunt commutari, nec diſpenſari à priuilegiatis. V. 10. 25.
Dans informationem de Nouitio recipiendo iurat ſe illum agnoſcere. II. 2. 22.
Iurat item Nouitius recipiendus ex præcepto Prælati recipientis. II. 2. 24.
Non infringit iuramentum, qui illud commutat in melius. II. 4. 24.
Iuramentum factum in materia iuris recipit omnes interpretationes ac limitationes iuris. II. 6. 23.
Ius canonicum annullat iuramentum, non item ius ciuile. II. 9. 29.
Iuramentum promiſſorium de re leui nō obligat ſub mortali. IV. 4. 32.

Iuriſdictio ſpiritualis.

Non requiritur ad ſtatum religioſum ſimpliciter conſtituendum. I. 1. 12.
Nouitij ſubſunt iuriſdictioni, etiam externæ Religionis. II. 6. 1.
Magiſter Nouitiorum non habet in eos iuriſdictionem externam. II. 6. 4.
Iuriſdictio non competit Subprioribus, Vicarijs, aut Miniſtris. IV. 4. 116.
Niſi ſint Superiores in capite. IV. 4. 117.
Idq; ex abſentia Prælati vltra vnum diem naturalem. ibid.
Et hoc de iure communi. IV. 4. 118.
Solus Superior habens iuriſdictionem ſpiritualem præcipit in virtute obedientiæ. IV. 4. 143.
Prælatus potens præcipere ex duplici poteſtate diuerſa, regulariter vtitur ſolùm alterutra ex illis. IV. 4. 148.
Etſi vtraq; vtatur, inobedientia duplicem habet malitiam. ibidem.
Superior carens iuriſdictione ſpirituali hòc ipsò quod dicit ſe præcipere in virtute obedientiæ, etſi id nequeat facere, obligat ſub mortali. IV. 4. 155.
Conſuetudo dat, & aufert iuriſdictionem. V. 8. 124.
Iuriſdictio voluntaria exercetur vbiq; non item contentioſa. III. 3. 17.

Ius.

Standum iuri antiquo vbi nihil ſtatuitur iure nouo. II. 2. 20
Vbi militat eadem ratio, militat eadem iuris diſpoſitio. II. 9. 7.
Nemo trāſfert in aliū plus iuris, quā ſibi competat. II. 9. 26.
Ius ciuile, etiam pœnale procedit in foro canonico, quando oppoſitum nō diſponitur ipſo iure canonico. II 9 6 ;
Caſus omiſſus permanet in diſpoſitione iuris antiqui. III. 1. 5.
Fictio iuris non procedit in profeſſione religioſa. III 2. 39.
Papa generaliter aliquid concedens numquam cenſetur derogare iuri communi. IV. 2. 361.
Non recedendum à iure antiquo, niſi quatenus in nouo expreſſum eſt. IV. 3. 27.

Iuuentus.

Ad bonam eius educationem vtiles Religioſi. I. 4. 36.
Bona Religioſorum Iuuenum educatio vtilis eſt Religionibus. I. 5. 13.
S. Benedictus iuxta aliquos vacauit inſtructioni Iuuentutis. I. 3. 18.

L

Labor.

Exercens opus laborioſum bonum cum ieiunio incompoſſibile excuſatur à ieiunio, etſi opus non ſit neceſſarium. V. 5. 43.
Seruientes menſæ regularium ante prandium aliquid cibi capiunt ieiunio ſaluo. V. 5. 48.
Religioſi laici non ieiunant, ſi alias ſuſtinere nequeant labores monaſterij ordinarios. V. 5. 49.

Lectores.

Excuſantur à ieiunio, ſi alioqui ſuum munus benè obire nequeant. V. 5. 46.
Item Lectores inferiores, qui quotidiè legunt 4 lectiones. V. 5. 47.
Secluſa conſuetudine in contrarium Lectores tenentur facere profeſſionem fidei. V. 19. 12.
Idque ſub pœna priuationis gradus obtenti. ibid.
Tenentur reuocare doctrinam falſam in moralibus datā. V. 12. 61.

Legatum.

Nouitius legatum relictum ſub conditione ingrediendi religionem acquirit, ſi iam ingreſſus recedat. II. 7. 26.
Secùs, ſi fictè ingrediatur. II. 7. 27.
Mendicantes incapaces non recipiunt alimenta ipſis relicta ex legato. IV. 2. 37.
Non acquirunt annuos redditus perpetuos ex legato, etſi poſſint admittere totum legatum ſimul. IV. 2. 41.
Acquirunt legata relicta ad modicum tempus. IV. 2. 42.
Legatum relictum ad vitam Religioſi incapacis non cenſetur perpetuum. ibid.
Acquirunt legatum factū in fraudē mendicitatis. IV. 2. 44.
Recipiunt legata in communi, & in particulari. IV. 2. 45.
Acquirunt legatum rei immobilis factum ſub modo licito. IV. 2. 46.
Interſunt venditioni rei immobilis legatæ, ſi eius dominiū acquirant cum onere vendendi. IV. 2. 49.
Non recipiunt legatum pecuniarium perpetuum. IV. 2. 51.
Recipiunt tamen ad vendendum ius illius. IV. 2. 52.
Recipiunt prouiſiones panis &c. quotidianas perpetuò relictas ex legato. IV 2. 53.
Item annuos redditus ex legato relictos, niſi aliàs prohibeantur. IV. 2. 54.
Acquirunt in particulari legata, & ſuccedūt eo modo, quo Ordo eorum ſuccedit in communi. V. 2. 57.
Fratres Minores admittunt redditus annuos legatos ad breue tempus. IV. 2. 94.
Retinent annuos redditus ſpontè ſolutos ab hærede, etſi aliàs ſint illorum incapaces. IV. 2. 95.
Recipiunt legata, etiam magna, niſi relinquantur in fraudem. IV. 2. 96.

Peccant contra paupertatem admittendo legata immoderata. IV. 2. 97.
Recipiunt legatum rei immobilis relictum ſub modo licito. IV. 2. 98.
Tenet legatum ipſis relictum ad vnum vſum, etſi tunc eo non egeant ad illum vſum. IV. 2 99.
Tenet legatum relictum Fratri minori ad vſum ipſi non congruum, ſi Ordini ſit congruus. IV. 2. 100.
Recipiunt legatum annuum pro fabrica, aut eccleſia. IV. 2 103.
Item pro libris IV 2. 105.
Non item pro infirmaria IV. 2. 107.
Nec pro hoſpitio Fratrum Ordinis, eſtò recipiant pro hoſpitio externorum. IV. 2 108.
Non exigunt in iudicio legata ipſis relicta. IV. 2. 110.
Ad talem tamen effectum Iudicis officium implorant IV. 2. 112.
Legata ijs ſoluenda in conſcientia, etſi ſint eorum incapaces. IV 2 113.
Non remittunt legata, nec componunt ſuper ijs. IV. 2 114.
Societas Ieſu quo ad domos profeſſas recipit ſtabilia ex legato, ſed vendit IV. 2. 127
Legatum rei immobilis dictis domibus relictum ſub conditione repugnante eius paupertati tenet. IV. 2. 128.
Votum ſolemne paupertatis non facit incapacem legati. IV. 2 194 & 195.
Legatum Religioſo relictum ad vitam retinetur de licentia Prælati, niſi Succeſſor illam reuocet IV. 2. 425.
Legatum pium non fit caducum. V. 9. 122.
Tenet legatum Religioſo relictum ſub conditione, vt ei nõ auferatur à Prælato, alias transferendum in tertiam perſonam. IV. 2 194.
Quid ſi legatum relinquatur ſub conditione, vt ſpectet ad Religioſum etiam quo ad dominium? ibid.
Legata ſunt duplicis rationis. IV 2 230.
Non omnia poſſunt repudiari à Religioſo Ordinis capacis. IV. 2 231.

Legatus à latere.

Ei non parent Religioſi ex voto Obedientiæ. IV. 4. 109.

Lex.

Interdum extenditur ad præterita. IV. 5. 3n.
Ex ſimilitudine vel identitate rationis non extenditur ad caſum non comprehenſum ſub lata verborum forma. IV 5 44.
Finis legis non cadit ſub legem IV 5. 45.
Non effugit pœnam legis, qui in fraudem legis committit. IV 5 101.
Lex fundata in præſumptione non ſemper obligat. IV. 5. 87.
Interpretatio illius maximè ſumenda ex intentione Legiſlatoris. IV. 5. 14 .
Lex prohibens actum prohibet omnem viam ad illum. IV. 5. 41. & 391.
Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi. IV. 5. 38. & 357.
In lege explicanda verba impropriantur ad vitandum abſurdum. IV. 5. 180. & 331.
Item ſenſus ille verborum eligendus, per quem ſortiamur legis effectum. IV. 5. 390.
Seruãda item regulariter verborum proprietas. IV. 5. 331.
Lex fit de communiter contingentibus. IV. 5. 379. II. 9. 42. III. 2. 7.
Lex pœnalis ſiue mixta, ſiue purè pœnalis non obligat in conſcientia IV. 5 543.
Debet eſſe accommodata fragilitati humanæ. IV. 5. 421.
Ceſſante ſine legis in particulari, ceſſat lex in particulari. IV. 5. 4 0. V 2. 60.
Regula, quæ non obligat ad culpam, propriè dici nequit lex. V. 2. 23.
Lex in re graui interdum obligat ſolùm ſub veniali. V. 2. 34
Non item ſub mortali in re abſolutè leui. V. 2. 35.
Lex, quæ poteſt intelligi de pœna maiori, aut minori, in dubio interpretatur de minori. V. 2. 37.
Lex natura ſua habet vim obligandi ſub culpa, ſi aliàs non conſtet de mente Legiſlatoris. ibid.
Lex modernior trahenda ad ſenſum legis antiquioris, quando diſponit de eadem re, & non abrogat legem antiquam V. 4 37.
Quæ habitatio requiratur, vt quis ſubſit legibus loci, in quo eſt. V 4 26.
Lex obligat ſub veniali in dubio, an obliget ad mortale, vel ad veniale. V. 5. 3.
Lex odioſa correctoria, per quam reditur ad ius commune, cenſetur fauorabilis V. . 60.
Lex pœnalis non amplianda ab identitate, aut à maioritate rationis V. 7. 8.
Aliquando tamen ampliatur. V 7. 21.
Inferior non diſpenſat in lege Superioris. V. 7. 57.
Diſpoſitum in vno correlatiuorum cenſetur à lege diſpoſitum & in altero. III. . 69.
Authentica legis interpretatio fit à ſolo Legiſlatore. IV. 5. 376
Lex dicitur eſſe in viridi obſeruantia, quando eius violatores puniuntur. I. 3. 3.

Libri.

Librorum piorum lectio commendanda Nouitijs. II. 5. 7.
Qualis ea debeat eſſe. II. 5. 8
Nouitij imprimunt ſuos libros ſine approbatione Ordinis. II. 8 22.
Tranſiens ad alium Ordinem ſecum non defert ſuos libros. III. 5. 1 4.
Defert tamen manuſcripta. III. 5. 5. 1 6
Emens libros ex pecunia accepta ſine licentia ſui Prælati regularis, eoſque palàm exponens non peccat iuxta aliquos IV 2 277.
Non peccat contra paupertatem religioſus, qui curat ſibi emi libros, relicto illorum dominio penes dantem. IV. 2. 303.
Et tunc religioſus cogi nequit cedere alij vſum dictorum librorum, ſi eos reddere velit domino. IV. 2. 304
Secùs, ſi vſus librorum ſit permiſſum ad certum tempus adhuc durans. IV. 2 305.
Peccat Religioſus, ſi renuat alijs commodare libros ei conceſſos, ſi tunc ijs non egeat. IV. 2. 306.

Licentia.

Requiritur vt Nouitius validè renunciet bonis. Vide *v. renunciatio.*
Abſolutè conceſſa, vt tranſeas ad alium Ordinem non intelligitur de Ordine laxiori. III. 5. 68.
Modò requiritur communiter, vt Religioſi cuiuſuis Ordinis tranſeant ad Carthuſiam III. 5. 71. & 76.
Prælatus regularis tranſit ad Ordinem ſtrictiorem petita, & non obtenta licentia. III. 5. 79.
Licentia neceſſaria ad talem tranſitum debet peti, vt non eſt neceſſe, quod obtineatur. III. 5. 125.
Petenda ante tranſitum. III. 5. 91.
Et quidem à proprio Prælato, etiam immediato. ibid.
In eius petitione exprimi debet cauſa tranſitus. III. 5. 52.
Expectanda reſponſio tempore debito. III. 5. 93.
Si negetur, adhuc aliquantulum debet expectari III. 5. 94.
Petitur etiam per literas, ac per nuntium III. 5. 95.
Concedi poteſt à Prælato Ordinis habentis indultum, ne tranſeatur ad quemcumque Ordinẽ ſtrictiorẽ. III. 5. 97.
Eam Prælati Soc. Ieſu nõ tenentur dare ſuis religioſis. ibid.
Poſſunt tamen, ſi velint. ibid.
Religioſi Soc. Ieſu, neque cum licentia Prælati tranſeunt ad alium Ordinem ſtrictiorem, quam ad Carthuſiam, etiam ſtando in iure communi. III. 5. 98.

Immò

Immò nec ad aliquos Ordines Mendicantes ex ſpeciali indulto. ibidem.

Licentiatus ad tranſeundum non recedit, niſi conſtet alium Ordinem eſſe paratum ipſum recipere. III. 5. 102.

Licentiatus ad ſtrictiorem tranſit ad alium Ordinem ſtrictiorem, non item ad æq; ſtrictum III. 5. 112.

Licentiatus ad tranſitum alicuius Ordinis indefinitè tranſit ad æqualem, non item ad laxiorem. III. 5. 114.

Licentia tranſeundi ad alium Ordinem non finitur primo actu. III. 5. 117.

Secùs eſt in Soc. Ieſu. ibid.

Religioſus Soc. Ieſu licentiatus ad tranſitum alterius Ordinis, ſi ſtatim non tranſeat, & non redeat, excommunicatur. III. 5. 118.

Licentiatus ad tranſeundum ſi inconſtans tranſeat ad varios Ordines, cogi poteſt, vt profiteatur in aliquo Ordine. III. 5. 119.

De licentia Papę religioſus Epiſcopus tranſit ad laxiorem. III. 5. 121.

Papa Regularis, abdicato Papatu, tranſire poſſet ad quẽcumque Ordinem. III. 5. 122.

Religioſi Ordinis Mendicantis ſolum de licentia Papæ tranſit ad Ordinem Monachalem. III. 2. 123.

Licentia tranſeundi ad arctiorem negari nequit ſine cauſa. III. 5. 139.

Sine licentia Religioſus non acquirit Religioni. IV. 2. 210.

Cum licentia donat cauſa mortis. IV. 2. 206.

Acceptum ſine licentia qualiter dicatur acquiri Ordini. IV. 2. 213.

Religioſus non acquirit ſine licentia, relicto rei dominio apud dantem. IV. 2. 214

Retinens rem acceptam cum licentia iniuſtè data eſt tutus in conſcientia. IV. 2. 217.

Dat ſub conditione licentiæ obtinendæ. IV. 2. 219.

Soluens meretrici ex pecunia cum licentia ſurrepta plura facit peccata. IV. 2. 222.

Religioſus recipit ſine licentia Prælati immediati, non vſurus re accepta abſq; licentia Superioris mediati. IV. 2. 235.

Petit ſine licentia non accepturus ſine illa. ibid.

Licentia ad dandum vni extenditur ad dandum alij, ſed non ſemper. IV. 2. 274.

Licentia emendi rem aliquam non extenditur ad emendam aliam IV. 2. 278. & 427.

Violat paupertatem Religioſus, qui cum licentia petit pecuniam ab eo, à quo Superior nullo modo vellet eam peti. IV. 2 296

Violat recipiendo ſine licentia ſyngraphum campſoriam non exacturus pecuniam ſine licentia; ſed non ſemper. IV. 2. 297.

Pecunia debita ex tali ſyngrapha paulatim exigitur præhabita licentia toties, quoties. IV. 2. 298.

Religioſus obligatus reſtituere extraneo non parat pecuniam abſque licentia Prælati. IV. 2. 339.

Epicheia procedit, ſi Prælatus licentiam iniuſtè neget. IV. 2 397.

Obligatio voti paupertatis ceſſat per legitimam licentiam Prælati. IV. 2. 402.

Licentia eſſe poteſt in quadruplici differentia. IV. 2. 204.

Requiritur licentia expreſſa, ſi haberi poſſit. IV. 2. 405.

Tacita interdum ſufficit. IV. 2. 406

Licentia accipiendi quaſi retrotrahitur ad retinendum, quod fuit acceptum ſine licentia. IV. 2. 403.

Licentia tacita duobus modis præſumi poteſt ob periculum in mora IV. 2. 4 7.

Idque in pluribus caſibus IV 2. 408.

Sufficit licentia tacita, etſi haberi poſſit expreſſa. IV. 2. 409. & 410.

Et ad hoc ſufficit probabilis cognitio voluntatis Prælati. IV. 2. 411.

In aliquo caſu licentia petita, ac iniuſtè negata excuſat. IV. 2. 412.

Non item extorta dolo, metu, aut precibus importunis. IV. 2. 413.

Ex licentia plurium Superiorum acquiritur maior ſumma pecuniæ, quàm poſſet acquiri ex licentia habita ſolùm ab vno. IV. 2. 414.

Non excuſatur recipiens ex licentia petita ſine manifeſtatione eorum, quibus cognitis fuiſſet negata. IV 2. 415.

Prodeſt licentia conceſſa ab vno Superiore, etſi contra Regulam petita ſit non aperiendo illam ab alio fuiſſe negatam. IV. 2. 416.

Excuſat licentia præſumpta ex taciturnitate Prælati. IV. 2. 417.

Non item licentia delicta vt ſic. IV. 5. 418.

Iuuat iniuſtè conceſſa, ſed non in omni caſu. IV. 2. 419.

Non iuuat, ſi ſit iniuſta ex parte cauſæ. IV. 2. 420.

Licentia datur à proprio Prælato reſpectiuè, ſiue mediato, ſiue immediato. IV. 2. 421.

Datur Religioſo peregrino à proprio Prælato abſente. IV. 2. 422.

Iuuat licentia petita per literas & ſperata à Prouinciali abſente, etſi ea haberi poſſet à Superiore præſente. IV. 2. 423. & 424.

Legatum ad vitam retinetur de licentia Superioris tunc præſentis, niſi cõceſſio reuocetur à ſucceſſore IV. 2 425.

Licentia habendi res ſolitas diſtribui alijs extenditur ad recipientes IV. 2. 428.

Recipiens ab habente licentiam dandi non eget noua licentia. IV. 2. 429.

Item habens licentiam accipiendi vi illius habet, vt alter poſſit dare illi. ibid.

Licentia peregrinandi extenditur ad paranda neceſſaria peregrinationi IV 2. 430.

Petens Romam deuotionis cauſa ibi ſine licentia Prælati emit coronas, imagines &c. IV. 2. 431.

Licentia expendendi pro libito extenditur iuxtà aliquos ad vſus illicitos. IV. 2. 432.

Licentia habita à Superiore Conuentus ibi iuuat etiam ſub alio ſuperiore. IV. 2. 433.

At non extrà illum Conuentum. IV. 2. 434.

Limita, niſi ſit data à Prælato ſuperiore. IV. 2. 435.

Licentia validè datur à Prælato inferiori prohibito illam dare, ſed non ſemper. IV. 2. 436. & 444.

Data ſupra poteſtatem concedentis iuuat iuxta menſuram poteſtatis danti competentis. IV. 2. 442.

Licentia retinendi ſuperflua non excuſat abſolutè à violatione paupertatis. IV. 2. 437.

Licita eſt datio, & acceptio ſub conditione licentiæ habendæ. IV. 2. 438.

Aſſignatur ſumma, ad quam extendi poteſt licentia Prælati quò ad dandum. IV. 2. 439.

Superior negans ſubdito licentiam accipiendi rem ei oblatam interdum illam acceptat ad vſum communem ſed non ſemper. IV. 2. 440.

Licentia obtenta ad acquirendum aliquid in ſpecie finitur primo actu IV. 2. 441.

Habens licentiam emendi aliquid vi illius illud accipit mutato poſtea domicilio. IV. 2. 443.

Secùs, ſi nondum miſit alio pecuniam in ea emptione implicandam quando mutat domicilium. ibidem.

Quod ſi pecunia miſſa eſt, quando mutatur domicilium, etſi non peruenerit ad locum, vbi debet expendi, iuuat licentia prioris Prælati. ibid.

Prælatus prohibitus ex ſtatuto dare licentiam accipiendi pecuniam interdum dat directè, interdum indirectè. IV. 2. 444.

Superior in capite ad 15. dies, imò ad 3. ſibi dat licentiam dandi, & accipiendi, quam poſſet recipere à Prælato ordinario (ſecùs, ſi ad 3. horas) & quidem pro tempore, quo non erit Superior. IV. 2. 445.

Violans Regulam ex ſe non obligantem ad culpam per ſe non peccat, ſi petijt licentiam faciendi rem vetitam ex Regula, & non obtinuit. V. 2. 27.

Licitus eſt egreſſus Regularium è clauſura, ſi fiat cum licentia inuitè data. V. 6. 5.
Licentia ingrediendi monaſteria regularium non prodeſt fœminis, ſi Ordinum ſtatuta obſtent, & non derogentur. V. 6. 57.
Vt Regulares hodie ſuſcipiant onera Miſſarum perpetua, requiritur licentia Generalis, aut Prouincialis. V 9. 89.
Quando licentia petitur ad valorem actus, ea debet præcedere. II 9 36.
Licentia Prælati facilius præſumitur quo ad recipiendum, quam quo ad dandum de bonis Conuentus. IV. 2. 260.

Literæ.

Literæ alienæ interdum licitè legi poſſunt. IV 5. 292.
Per literas concurri poteſt ad receptionem Nouitij ſi concurrens abſit; non tamen attenta Sixti V. bulla. II. 2. 18.

Locare.

Locari poſſunt bona Conuentus ex cauſa etiam Religioſo particulari illius. IV. 2. 237.

Loca.

Religioſi vtiles locis, in quibus degunt. I. 4. 32.

Loqui.

Nouitij aſſueſcant colloquijs ſpiritualibus. II. 5. 18.
Turpiloquia maximè vitanda a Religioſis. IV. 3. 103.
In horum confeſſione exprimendæ debitæ circumſtantiæ. ibid.

Ludus.

Religioſus violat paupertatem ludendo quantitatem notabilem IV. 2 223.
Quæ ſit talis quantitas. IV. 2. 226.

M

Magiſter nouitiorum.

Nullam habet iuriſdictionem externam in illos. II. 6 4.
Ei confitentur Nouitij ex Clementis VIII. decreto. II. 6. 34.

Manuſcripta.

Secum defert religioſus tranſiens ad alium Ordinem. III. 5. 156.
Cogi nequit à Prælato, vt ea det alteri IV. 2. 306.
Contra votum paupertatis peccat Religioſus furans aliena manuſcripta. IV. 2. 316.
De ſuis manuſcriptis diſponit Religioſus liberè. IV. 2 318.
Non cadunt ſub bullam Clem. VIII. *ae la gitimun* ibid.
Nec ſub votum paupertatis. ibid.

Materia.

Quæ notabilis ad peccandum mortali contra votum paupertatis. IV. 2. 255. & 256.
Quæ ſit notabilis quo ad ludum. IV. 2. 226.
In qua quantitate Religioſus dare poſſit alicui ſine violatione voti paupertatis. IV 2. 275.
In venereis non datur paruitas materiæ. IV. 3. 55. & 56. & 60.
In qua materia admitti poſſit materiæ paruitas. IV. 5. 106.
Aliqua materiæ paruitas excuſat etiam à veniali. V. 4. 3.
Quæ pars Miſſæ dicatur notabilis. V. 4. 53.
In dimiſſione habitus datur materiæ paruitas. V. 7. 5.
Item in dimiſſione delationis Tonſuræ. V. 7. 53 & 54.
Item in omiſſione frequentandi Chorum. V. 8. 28.
Quæ pars diuini Officij cenſeri debeat notabilis in priuata recitatione V. 8 93.
In omiſſione Chori reſpectu beneficiariorum datur paruitas materiæ. V. 8 134.
In ſuſcipiendis oneribus perpetuis Miſſarum non admittitur materiæ paruitas. V. 9. 90.
Datur materiæ paruitas quo ad tempus faciendi profeſſionem fidei, & quo ad ipſam profeſſionem. V. 10. 23.

Matrimonium.

Oblati Religionum non profitentes ſunt capaces illius. I. 3. 44.
Sponſus de præſenti ingrediens Religionem, matrimonio non conſummato ante profeſſionem, præmittit integrũ annum probationis. II. 1 41
Iuncti matrimonio nondum conſummato admittuntur ad Religionem. II. 4. 11.
Immò & iuncti matrimonio conſummato, ſi primo bimeſtri conſummetur per vim, aut metum. II 4 12.
Item ſi ſit conſummatum vxore non ſeminante. II. 4. 13.
Coniuges poſt matrimonij conſummationem admitti poſſunt, aliquibus ſeruatis. II. 4 14.
Sufficit alterum coniugem poſtea conſentire ante profeſſionem coniugis admitti. II. 4. 15.
Conſenſus datus poteſt reuocari II. 4. 16.
Tria in re præſenti ſeruari debent. II 4. 17.
Coniux relictus, ſi eſt iuuenis, vouet Caſtitatem. II. 4. 18.
Idque etſi ſit quinquagenaria II. 4 19.
Vxore admiſſa ad Religionem coniux ſi ſit ſenex, manet in ſeculo, ſed vouet Caſtitatem. II 4. 20.
Videtur autem ſufficere, vt ingrediatur Ordinem Militarem. II. 4 21.
Altero coniuge adulterante notoriè, coniux innocens admittitur ad Religionem. II 4. 22.
Sponſus de futuro non admittitur, ſi puellam deflorauit ſub ſpe matrimonij. II 4. 25.
Idque eſtò priùs illam ducat ingrediendo ante conſummationem matrimonij, aut poſt deflorationem voueat religionem. ibid.
Sponſo de futuro Religionem ingrediente, alter ſponſus relictus liberè nubit. II. 7. 21.
Nouitij validè, non licitè contrahunt matrimonium. II. 8. 16.
Bimeſtri conceditur coniugibus ad deliberandum de ingreſſu Religionis. II 8 17.
Profitens ſub conditione indifferenti de futuro validè nubit. III. 1. 12.
Coniuges conſummato matrimonio validè profitentur, aliquibus ſeruatis. III 2. 36.
Non tamen in Soc. Ieſu, & quidem nec ante conſummationem. III 2. 37. & 38.
Coniugati, facto diuortio legitimo profitentur III. 2. 39.
Non tamen coniux nocens, & caſu quo adulterium ſit notorium III. 2. 40.
Coniuge profitente ſine conſenſu coniugis relicti non poteſt relictus etiam ipſe ingredi. III 2. 41.
Quod ſi coniux relictus poſtea fornicetur, non poteſt ampliùs repetere virum indebitè profeſſum. ibid.
Quin recedens taliter profeſſus non poteſt petere debitum à coniuge relicto. ibid.
Item nec poteſt licitè ei reconciliari. ibid.
Taliter profeſſus præcipiente epiſcopo reddi debet coniugi relicto. III. 2. 42.
Per profeſſionem diſſoluitur matrimonium ratum. III. 4. 45.
Idque ex priuilegio Chriſti, aut Eccleſiæ. III. 4 46.
Per vota bieonij in Soc Ieſu dirimitur matrimonium ratum ſubſequens non item præcedens. ibid. IV. 3. 27. & 28. & 29. & 30.

Per profeſſionem dirimitur item matrimonium Infideliũ, etiam conſummatum. III. 4. 48.
Papa non diſpenſat cum profeſſo ad matrimonium, ita vt, habita prole, redeat ad Ordinem etiam renitente vxore. III. 5. 9 IV. 3 125.
Quod ſi is redeat, denuò profitetur, & interdum repetit nouitiatum. III. 5. 10.
Papa diſpenſat ad matrimonium, etiam durante Statu religioſo in diſpenſato. III. 5. 26.
Religioſus Sacerdos, ſi mortuus reſurgeret, non poſſet nubere IV. 1. 24.
Nubens poſt votum Religionis nequit conſummare matrimonium. IV. 1. 77.
Poteſt tamen, & debet conſummare poſt primum bimeſtre, niſi alter coniux poſt dictum bimeſtre diutiùs omitteret petere debitum. IV. 1. 78.
Vouens religionem poſt matrimonium ratum ad quid teneatur. IV. 1. 79.
Poſſunt coniuges poſt votum religionis de communi conſenſu factum petere, ac reddere debitum. IV. 1. 80.
Deflorans puellam cum promiſſione matrimonij non ingreditur religionem promiſſam ex voto ante deflorationem; etſi alij id negent. IV. 1. 84.
Quod ſi in tali caſu nubat, non eſt neceſſaria diſpenſatio, niſi promiſſa ſit & Caſtitas. IV. 1. 85.
Diſpenſatus ad matrimonium hòc ipsò cenſetur diſpenſatus etiam in paupertate religioſa. IV. 2. 375.
Matrimonium impedit perfectionis acquiſitionem. IV. 3. 8.
Votum ſolemne Caſtitatis religioſę dirimit matrimonium ratum. IV. 3. 22.
Non item conſummatum. IV. 3. 23.
Hoc enim ex decreto Eccleſiæ irritari non poteſt per votum Caſtitatis religioſæ. IV. 3. 24.
Item inhabilitat ad matrimonium ſubſequens. IV. 3. 25.
Et hoc ſaltem ab Innocentij II. tempore. IV. 3. 26.
Per vota Coadiutorum formatorum in Soc. Ieſu non dirimitur matrimonium ratum præcedens. IV. 3. 29.
Profitens in religione poſt matrimonium conſummatum, inſcio altero coniuge, non poteſt petere debitum, nec contrahere, mortuo altero coniuge. IV. 3. 32.
Quod ſi profiteatur de conſenſu coniugis relicti non ligati voto Caſtitatis perpetuæ, aut religionis, & repetatur, non poteſt petere, ſed ſolum reddere IV. 3. 33.
Limita, niſi coniux relictus vouerit Caſtitatem perpetuã, aut religionem. ibid.
Hòc enim ipsò quod dat alteri licentiam vt profiteatur, & ipſe non vouet Caſtitatem perpetuam, aut religionem, ius habet illum repetendi. IV. 3. 34.
Religioſus ſine cauſa diſpenſatus ad matrimonium non petit debitum. IV. 3. 36.
Religioſus diſpenſatus ad matrimonium tenetur ad Caſtitatem coniugalem. IV. 3. 49.
Profitens inualidè, & manens obligatus voto Caſtitatis, vt ſimplici licitè contrahit matrimonium, ſi intendat non conſummare, & certus ſit ſe ad id non fore aſtringendum. IV. 2. 52.
Religioſus profitens poſt conſummatum matrimonium, ſi poſtea ſuam vxorem cognoſcat, non eſt adulter. IV. 3. 66.
Papa diſpenſat, vt coniuges iam profeſſi vtuntur matrimonio. IV. 3. 118.
Diſpenſat item non abſolutè ſuper Caſtitatis voto, ſed ſolum ad matrimonium vnicum, ac retento adhuc ſtatu religioſo. IV. 3. 119.
Diſpenſat interdum ad matrimonium contrahendum, nõ autem ad illud conſummandum. IV. 3. 120. & 121. & 122.
Interdum diſpenſat ad matrimonium cum onere, vt, habita prole, diſpenſatus redeat ad religionem. IV. 3. 125.
Diſpenſatus ad matrimonium ex voto obedientiæ nulli obedit. IV 4. 141. & 183.
Item non tenetur ad horas. V. 8 58.
Explicatur, qualiter procedere debeat Confeſſarius cum illo, qui repetitur contraxiſſe matrimonium inualidum & quidem mala fide. V. 12. 37 & 38.
Afferuntur mediã, quibus coniux nocens vitet reddere debitum. V. 12. 89.
Declaratur, qualiter expediri debeat diſpenſatio in tali caſu obtenta. V. 10 40.
In tali caſu quam cautiſſimè exploranda bona, aut mala fides coniugum. V. 12. 41.
Matrimonium nulliter initum coram Parocho, ac teſtibus ratione impedimenti occulti coram iiſdem non ratificatur. II. 1. 15.
Matrimonium carnale, & profeſſio religioſa in multis æquiparantur. III. 2. 11. & 29. III. 2. 42.
Matrimonium cõtractum in articulo mortis eſt validum. III. 2 8.
Mutus, & ſurdus ſimul validè contrahunt matrimonium. III. 2. 33.
Matrimonium ratum Fidelium eſt vinculum ſtrictius matrimonio conſummato Infidelium. III 4 48.
Status religioſus, & ſtatus matrimonij ſimpliciter non repugnant. III. 5 26.
Ligatus voto Caſtitatis in aliquo caſu licitè nubit. IV. 3. 52.
Quandocumque Papa diſpenſauit cum Monacho, aut Moniali ad matrimonium, cum illis item diſpenſauit in omnibus votis religioſis. IV. 3 135.
Eccleſia non poteſt irritare matrimonium conſummatũ, immo nec Deus de lege ordinaria. IV. 3 24.
Religioſi non tenerentur ad matrimonium, ſi omnes laici perirent; etſi id negent. IV. 3. 138.

Medicus.

Medicus Regularium gaudet variis gratijs, ac priuilegiis. I 6. 39.
Illius conſilium requiritur ad vſum indulti Pij V. concedentis Nouitio, vt in mortis articulo poſſit profiteri. III. 2. 12.
Item requiritur, vt Fratrer Minimus in ægritudine diſpenſetur ſuper voto Vitæ quadrageſimalis. IV. 1. 6.
Immo ſi Superior iniuſtè renuat diſpenſare, ſufficit ſolius Medici conſilium IV. 5. 67.
Secùs, ſi iuſtè renuat. IV. 5. 66.
Medici iurant ſe curationem infirmorum non proſecuturos, niſi confiteantur. V. 3. 11.

Mediolanum.

Religioſi ſibi degentes in feſto occurrente in ferijs ſextis Quadrageſimæ, in quibus ritu Ambroſiano non dicitur Miſſa, tenentur audire Miſſam. V. 4. 5.
Primis 4. diebus Quadrageſimæ poſſunt veſci cibis paſchalibus, ſi ibi ſint, & non obſtet conſuetudo. V. 5. 58.
Imo etiam data tali conſuetudine poſſent veſci extrà Conuentum. V. 5. 59.
Item iuxta aliquos veſci poſſunt, i. tunc inde recedant breui redituri. V. 5. 60.
Nec ideo ibi tenentur ieiunare in diebus Rogationum. V. 5. 61.

Mendicantes religioſi.

Qui propriè ſint. I. 3. 12.
Retinere poſſunt bona in communi, ſimpliciter loquendo. I. 3. 10.
Non neceſſariò actu mendicant. I. 3. 14.
Dari poteſt religio purè contemplatiua, quæ profiteatur mendicitatem. I. 3. 15.

Regulariter profitentur vitam mixtam. I. 3. 28.
Scholares approbati Soc. Ieſu verè ſunt Mēdicantes I. 3. 45
Mendicantes de licentia ſolius Papæ tranſeunt ad Monachos. III. 5. 123.
De iure communi tranſeunt ad quemcumque Ordinem Mendicantem. III 5. 124.
Cum debita tamen licentia. III. 5. 125.
Quo ad aliquos Ordines Mendicantes extat ſtatutum in contrarium. III 5. 126.
Specialiter exercendi in ſalute Proximorū curāda. III. 6 50
Quæ ſit paupertas Mendicantium. IV. 2. 28.
Ex Concilij Trid. decreto poſſident bona in communi, etiā ſtabilia, exceptis paucis aliquot Ordinibus. IV. 2. 29.
Et tamen adhuc propriè ſunt Mendicantes. ibid.
Poſſunt cedere conceſſioni illi Concilij, ſi velint, immo aliqui ceſſerunt de facto IV. 2. 30.
Et hi vi Concilij non poſſunt amplius frui ea conceſſione. IV. 2. 31.
Non tenentur viuere ex mendicato IV. 2. 32.
Poſſunt tamen viuere, ſi velint, quantumcumq; poſſideant bona. IV. 2. 33.
Non poſſunt impediri ab Ordinarijs, ne mendicent. IV. 2. 34.
Succedūt in hæreditates, etſi aliàs ſint incapaces dominij, non tamen eas retinent, ſed vendunt. IV. 2. 35.
Excipiuntur Fratres Minores, & Societas Ieſu quo ad ſuos Religioſos. IV. 2. 36.
Si aliàs ſint incapaces, non recipiunt alimenta ijs perpetuò legata. IV. 2. 37.
Recipiunt tamen annuas eleemoſynas à Miniſtris Principum. IV. 2. 38.
Retinent hortum, ac vineam cauſa recreationis. IV. 2. 39.
Ex tali vinea non faciunt vinum pro monaſterio, ſed ſolum ad vſum Cuſtodis vineæ. IV. 2. 40.
Non acquirūt annuos redditus perpetuos legatos. IV. 2. 41.
At admittunt tale legatum totum ſimul. ibid.
Acquirunt legata ad modicum tempus relicta. IV. 2. 42.
Item legatum relictum ad vitam Religioſi incapacis, quod non cenſetur perpetuum. ibid.
Recipiunt anniuerſaria perpetua. IV. 2. 43.
Acquirunt legata, quæ videntur facta in fraudem mendicitatis. IV. 2. 44.
Admittunt legata in communi, & in particulari. IV. 2. 45.
Admittunt legatum rei immobilis relictum ſub modo licito. IV. 2. 46.
Bona immobilia ijs relicta venduntur, data ipſis illorum æſtimatione. IV. 2. 47.
Syndicus Monaſterij incapacis non tenetur de lucro faciendo ex pecunia ipſi monaſterio relicta expoſita lucro, & à Syndico extracta. IV. 2. 48
Mendicantes incapaces interſunt venditioni bonorū ſtabilium legatorum, quæ retinere non poſſent, ſi alias acquirunt eorum dominium cum onere illa vendendi. IV. 2. 49.
In alienatione talium bonorum non petitur ſolemnitas iuris. IV. 2. 50.
Ordines incapaces non acquirunt legatum pecuniarium perpetuum. IV. 2. 51.
Niſi ad vendendum ius illius. IV. 2. 52.
Recipiunt prouiſiones carnis &c. hebdomadarias, aut diurnas perpetuò legatas. IV. 2. 53.
Item annuos redditus legatos, niſi aliunde prohibeantur. IV. 2. 54.
Retinent vſumfructum ad modicum tempus. IV. 2. 55.
Acquirunt in particulari legata, & ſuccedunt in hæreditate, ſi Ordo illorum in communi hæc præſtare poſſit. IV. 2. 57.
Alunt iumentum ad vſus neceſſarios. IV. 2. 58.
Exigunt iudicialiter legata, ac hæreditates ipſis relicta, ſtando in iure communi. IV. 2. 59.
Non præſcribunt contra dantes eleemoſynam ex liberalitate. IV. 2. 60.
Retinent annuos redditus ad vſum Eccleſiæ. IV. 2. 61.
Item iura, & actiones in communi. IV. 2. 62. & 63.
Componunt ſuper relicta. IV. 2. 64.
Et quidem ita vt ij, quorum intereſt, teneantur ſtare compoſitioni. IV. 2. 65.
Componunt abſq; iuris ſolemnitate. IV. 2 66.
Prælatus monaſterij incapacis legata annuorum redditūū propria auctoritate validè, ſed non licitè remittit. IV. 2. 67.
Induci poteſt conſuetudo, vt Ordines incapaces poſſideāt bona immobilia in communi. IV. 2. 68.
Mendicantes cum periculo martyrij non vacant miſſionibus Indiarum, ac ſimilibus. IV. 5. 200.

Mercennarij Fratres.

Vide *v. Fratres Mercennarij.*

Metus.

Profeſſio facta ex metu eſt nulla iure ſolùm eccleſiaſtico. III. 1. 54.
Secùs, ſi metus ſit leuis. III. 1. 55.
Nulla eſt profeſſio facta ex metu reuerentiali, ſed nō ſemper. III. 1. 56. & 57.

Militares Ordines.

Per quid propriè conſtituantur. I. 3. 24.
Laudabiliter, ac vtiliter inſtituti in Eccleſia. I. 3. 25.
Tendunt ad perfectionem ſuo ſtatui proportionatam. I. 3. 26.
Sunt verè Religioſi, licèt Caſtitatem ſolum coniugalem promittant. I. 3 28.
Illorum profeſſores ſunt perſonæ eccleſiaſticæ. I. 3. 29.
Milites Melitenſes ſunt in toto rigore Religioſi. I. 3. 30.
Ad quid obligent vota, quæ in his Ordinibus fiunt. I. 3. 31.
Votum Caſtitatis ſolum coniugalis, quod fit in ijs, eſt aliquo modo ſolemne. I 3. 32.
Religioſi Ordinum Militarium ſunt in triplici differentia. I. 3. 27.
Faciunt annum nouitiatus. II. 1. 31.
Validè profitentur anno ætatis 16. non expleto. III. 1. 36.
Item anno nouitiatus nondum expleto. III 2. 13.
Vi profeſſionis in aliquibus Ordinibus Militaribus dirimitur matrimonium ratum. III. 4. 47.
Votum religionis non impletur per ingreſſum Ordinis Militaris. IV. 1. 42.
Vouens religionem in genere non tenetur ingredi Ordinem Militarem, ſi excludatur ab Ordinibus clauſtralibus. IV. 1. 49.
Quæ ſit paupertas Ordinum Militarium. IV. 2. 175.
Eſt varia inter illos. IV. 2. 176.
Illorum Religioſi diſponunt de ſuis bonis, etiam ad vſus illicitos, ac prophanos. IV 2. 177.
Si quidem ſint ex ijs, quibus permittitur matrimonium. ibidem.
Quin & aliqui putant procedere de equitibus Ordinis Melitenſis. IV. 2 178.
Religioſi Ordinum Militarium iure communi teſtantur de ſuis bonis. IV. 2. 179.
Et hoc procedit de Clericis eorumdem Ordinum viuentibus in clauſtris. ibid.
Debent eſſe parati diſtribuere ſua bona arbitrio Superioris. IV. 2. 180
Acquirunt ſibi non ordini. IV. 2. 181.
Caſtitas, quæ vouetur in his Ordinibus, eſt accommodata illorum ſtatui. IV. 3. 6.
Difficilius ſuper ea diſpenſatur quam ſuper voto ſimplici Caſtitatis. ibid.
Per tale votum fit ſolum, vt vouens non poſſit accedere ad alienam fœminam. IV. 3. 35.

Super eo non poteſt diſpenſari vi Iubilei concedentis relaxationem votorum reſeruatorum. IV. 3 113.
Religioſi Ordinum Militarium non incurrunt excommunicationem omittendo proprium habitum, modò deferunt Crucem; aut inſignia Ordinis. V. 7. 11.
Non deferunt Tonſuram. V. 7. 49.
Capaces matrimonij interdum tenentur abſtinere ab vſu illius ex vi voti Caſtitatis. I. 3. 31.
Licentia data Religioſo clauſtrali ad ingredum alium Ordinem non extenditur ad ordinem militaré. III. 5. 114.

Miniſteria ſpiritualia.

Multis indultis promouentur. I. 6. 44.
Debent obiri a Religioſis. III. 6. 49. & 56.
Religioſi Societ. Ieſu ob ea recipere non poſſunt ſtipendium. IV. 2 132.
Si recipiant, non peccant contra paupertatem, aliunde tamen poſſunt peccare. IV. 2. 133.
Si tale ſtipendium accipiant, non poſſunt retinere. IV. 2. 135.
Debent illud reſtituere etiam dimiſſi è Societate, ſi non reſtituant ante dimiſſionem. IV. 2, 136.
Societas Ieſu poteſt ſe obligare ad prouidendum Concionatorem, &c. IV 2 149.
Religioſi poſſunt cogi obire miniſteria Ordinis, etiam quæ maximè auerſatur. IV. 4. 92.
Religioſi Societ. Ieſu tenentur in miſſionibus exercere omnia miniſteria ſpiritualia. IV. 5. 89 & 190. & 191.

Minores Fratres.

Vide v. *Fratres Minores.*

Minimi Fratres.

Vide v. *Fratres Minimi.*

Miſſa.

Fructus illius eſt triplex. V. 9. 57.
Miſſæ aliquot prohibitæ. V. 8 24.
Sacerdos loco hoſtiæ à ſe in Miſſa conſecratæ ſumere poteſt aliam ab alio præconſecratam, retenta ſua ad alium effectum. V. 9. 47.
In Miſſa exhibenda hoſtia tunc conſecrata, & non alia. V. 9. 4.
Plura bona ex Miſſa. V. 9 64.
Vtilior eſt Miſſa Sacerdotis regularis. V. 9. 65.
Quo ad celeriorem liberationem defuncti è purgatorio plus proſunt 30 Miſſæ eodem die celebratæ, quam 30. celebratæ diuerſis diebus. V. 9 83.
Miſſæ dici poſſunt pro hæreticis V 9 86.
Miſſa votiua aliquibus diebus dici nequit. V. 9 77.
Miſſa boni Sacerdotis aliqua ratione fructuoſior, quam mali. V 9. 6.
Miſſæ S. Gregorij propriè dictæ debent celebrari ſine interruptione, non tamen de requiem. V. 9. 82.

Miſſæ auditio.

Fideles omnes, & conſequenter Religioſi ex præcepto Eccleſiæ tenentur audire Miſſam. V. 4. 36. & 37.
Et quidem ſub mortali. V 4. 38.
Omnibus ſcilicet diebus dominicis, & feſtis ſub præcepto, aut ex conſuetudine. V. 4. 39.
Item diebus feſtis ex præcepto Ordinarij V. 4. 40.
Non item in feſto contingente in fer 6. paraſceue. V. 4 41.
Item in feſto incidente fer. 5. hebdomadæ maioris, aut Sabbato ſancto ibid.
Religioſi non tenentur audire Miſſam frequentiùs, quam laici. V 4 42.
Ad implendum hoc præceptum requiritur præſentia moralis. V. 4. 43.
Sicque illud implet, qui canit in choro ad Miſsam cantatam, etiò non videat Sacerdotem. V. 4. 44.
Item qui illam audit ex feneſtra ſuæ domus è regione templi, in quo celebratur. V. 4 45.
Item qui illam audit è ſua domo, dum dicitur in platea varijs domibus circumcincta, ibid.
Ad implendum hoc præcepto requiritur intentio ſaltem virtualis faciendi id, quod præcipitur. V. 4. 46.
Audiens Miſsam animo non implendi præceptum adhuc implet. V. 4. 4.
Quod non omninò concedit Suarez. ibid.
Requiritur item attentio ſaltem virtualis externa. V. 4 48.
Implet hoc præceptum, qui tempore Miſsæ recitat horas ex obligatione. V. 4. 49.
Item qui tunc cõfitetur Sacramentaliter; quod alij negant. V. 4 50.
Item qui huc atque illuc diſcurrit tempore Miſsæ ob neceſsaria ad ipſam Miſsam. V. 4. 51.
Item qui non aſſiſtit conſecrationi, aut quo tempore celebrans communicat. V. 4 52.
Quæ pars Miſsæ dicatur notabilis. V. 4 53.
In natiuitate Domini vnica debet audiri Miſsa ex præcepto. V 4. 54.
Sufficitque audire Miſsam ea nocte dici ſolitam coram Papa. ibidem.
Impotens ad audiendam Miſsam integram non tenetur ad partem illius, ſi hæc non comprehendat conſecrationem. V. 4. 55.
Licet recedere a miſsa quamdiu durat *memento*, ſi celebrans in eo diutiùs ſe detineat. V. 4. 56.
Implet præceptum Miſsæ qui partem illius audit ab vno Sacerdote, & partem ab alio. V. 4. 57.
Item qui eodem tempore Miſsam audit a duobus Sacerdotibus. V. 4. 58.
Immò eodem tempore tres miſsæ audiri poſſunt ex triplici Altari etſi debitæ ex varijs titulis. V. 4 59.
Peregrinus non tenetur audire Miſsam in feſto proprio loci, per quem tranſit. V. 4. 60.
Idque etſi loco, a quo receſſit celebretur feſtum ſub præcepto. ibidem.
Non audit miſsam mane è ſua diœceſi recedens veſpere rediturus, ſi ante meridiem futurus ſit extra ſuam diœceſim. V. 4. 61.
Interdictus tenetur audire miſsam ſi ſit Religioſus, & ad id priuilegiatus. V. 4 62.
Secùs, ſi ſint laici. V. 4. 87.
Audiens miſsam in Oratorio priuato ſatisfacit, iuxta aliquos. quod alij negant. V 4. 63.
Præuidens fore vt poſtea non poſſit audire miſsam anticipat. V. 4. 64.
Non facit contra præceptum miſſæ, qui dat causã excommunicationi, vel non curat ab ea abſolui, vtſi videat hinc ſe reddi impotentem ad audiendã miſſam. V. 4. 65.
Præuidens ſe poſtea non valiturum audire miſſam poſtea præuenit. V. 4. 66.
Item non peccat iuxta aliquos is, qui voluntariè ſe facit impotentem ad miſſam audiendam. V. 4. 67.
Vnicum facit peccatum, qui omittit audire miſſam debitã ex præcepto Regulæ, & ex præcepto Eccleſiæ. V. 4. 68.
Alij tamen id negant. ibid.
Varijs de cauſis excuſari poſſunt Regulares ab audienda miſſa. V. 4. 69.
Impotentia non ſemper excuſat. ibid.
Super hoc diſpenſat Prælatus regularis cũ ſubdito. V. 4. 70.
Mutus, & ſurdus, & cœcus ſimul tenetur præcepto miſſæ. V. 4. 44.
Ad impletionem illius Sacerdos tenetur celebrare. V. 9. 8.
Non item, vt alij illud implere poſſint. V. 9. 9.
Sacerdos ad implendum hoc præceptum nequit celebrare confeſſione non præmiſſa: quod alij negant. V. 9. 8. & 10.

Miſſæ celebratio.

Sacerdos culpabiliter celebrans in mortali non tenetur

quam

quam primùm confiteri. V. 5. 322.
Celebraturus ſi ſit in mortali iure diuino debet ſacramentaliter confiteri. V. 3. 4.
Religioſi celebrant in mari. V. 3. 98.
Religioſus affectus caluitie celebrat cum capillitio præferente ſpeciem Tonſuræ. V. 7. 66.
Et quidem etiam pro tempore Conſecrationis. V. 7. 67.
Celebrans in mortali, non præmiſſa confeſſione ob neceſſitatem occurrentem quam primum poſtea debet confiteri. V 9. 10.
Miſſa interrumpi poteſt interdum ad miniſtranda Sacramenta Proximo. V. 12. 57.

Miſſa celebratio ex obligatione.

Sacerdos nunquam celebrans in anno iuxta aliquos. m. non peccat; quod alij negant. V. 9. 1. & 2.
Idque maximè procedit de Sacerdote Religioſo. V. 9. 3.
Religioſi nullo iure tenentur celebrare quotidie. V. 9. 4.
Id tamen eſt pium, ac rationabile. ibid.
Ex iuſtitia tenentur celebrare, vt impleant onera miſſarum ſuſcepta. V. 9. 6.
Itẽ ſi ſimilia onera habeãt ex beneficio Eccleſiaſtico. V. 9. 7.
Tenentur celebrare, vt impleant præceptum audiendi miſſam, ſi alias implere non poſſint. V. 9. 8.
Non item, vt alij illud impleant. V. 9 9.
Non vt parent hoſtiam conſecratam præbendam moribundo. V. 9. 11.
Non vt ſoluant ſuffragia defunctis Ordinis, ſaltem ſub peccato mortali. V. 9. 12.
Quod maximè procedit in Soc. Ieſu. ibid.
Tenentur ſub mortali celebrare ad complendum Sacrificium miſſæ, quod ab alio Sacerdote abſolui non poteſt. V. 9. 15.
Item ſi Prælatus id ipſis præcipiat per modum veri præcepti. V. 9. 16.
Miſſa Religioſi Sacerdotis prodeſt ei, cui ab ipſo applicatur, etſi contra voluntatem Prælati. V. 9. 17.
Fuſſus celebcare ſub certa pęna eã, interdũ effugit. V. 9. 18.
Sacerdos omittens celebrare vnam miſſam alij promiſſam non peccat m. quod alij negant. V 9. 19.
Idque etſi miſſa eſſet debita ex ſtipendio. V. 9. 20.
In die Commemorationis defunctorum non neceſſariò applicatur miſſa pro omnibus defunctis. V. 8. 21. & 22.
In Natiuit Domini Sacerdos vnicam tenetur dicere miſſam; quod non ſemper procedit de Parocho. V. 8 23.
Religioſi liberè ſe obligant ad celebrandum pro hac, aut illa intentione, ſi aliter Prælatus eorum non diſponat. V. 8. 24
Vouent & certum numerum miſſarum abſque licentia Prælati. V. 8. 25.

Miſſa Conuentualis, ac ſolemnis.

Regulares tenentur dicere quotidie miſſam conuentualem, ſi in Conuentu adſit numerus competens Religioſorum. V. 9. 26.
In Eccleſia Parochiali non eſt neceſſe dicere vnam miſſam pro viuis, & aliam pro defunctis. V. 9. 27.
Miſſa conuentualis correſpondet Officio currenti. V 9. 28.
Variis nominibus vocatur. V. 9. 29.
In Regularium templis, ſecluſo ſcandalo omittitur miſſa ſolemnis ſine peccato, etiam in die feſto. V. 9. 30.
Quarta diei hora canenda a Regularibus. V. 9. 31.
Quid veniat nomine miſſæ ſolemnis. ibid.
Miſſa conuentualis cum myſterio hora 3. aut 6 aut 9. dicitur. V. 9. 32.
Occurrente feſto 9. lectionum in ferijs Quadrageſimę non tenentur Regulares dicere 2. miſſas. V. 9. 33.
Loco miſſæ conuentualis etiam in feſto duplici, quod non ſit de præcepto, cani poteſt miſſa defunctorum. V. 9. 34.
Sacerdos canens miſſam ſolemnem non tenetur dicere priuatim Epiſtolam, aut Euangelium, dum à miniſtris canuntur. V. 9. 35.
Non peccat omittendo recitare *Gloria*, aut *Credo*, aut prophetias. V. 9. 36.
Miſſa ſolemnis debet eſſe diei currentis. V. 9. 37.
Translato Officio alicuius Sancti ex Ordine eius miſſa cani poteſt à Regularibus in proprio templo, ſi populus concurrat ad feſtum. V. 9. 38.
In miſſis votiuis ſolẽnibus dicitur *Gloria*, & *Credo*. V. 9 39.
Dicens miſſam ſolemnem ſi tunc recordetur peccati mortalis non confeſſi ante Conſecrationem debet confiteri miniſtro aſſiſtenti, ſi hic ſit Sacerdos. V. 9 40.
Secùs ſi recordetur poſt Conſecrationem. ibid.
Limita, niſi putet ſe non eſſe contritum; quo caſu item deberet confiteri. V. 9. 41.
Sacerdos in tali caſu celebrans non præmiſſa confeſſione, non tenetur quam primùm confiteri. V. 9. 42.
Tenebitur autem celebrans ex malitia non confeſſus; etſi alij diſſentiant non improbabiliter. ibid.
Celebrans miſſam ſolemnem, ſi peccet mortaliter, dum canitur *Credo*, & intendat confiteri miniſtro aſſiſtenti, priuſquam abſoluatur *Credo*, non peccat peccato ſacrilegij. V. 9. 43.
Accedens ad celebrandum præmiſſa in confeſſione ſi in miſſa recordetur alicuius peccati m. non confeſſi, non tenetur conteri ante communionem V. 9. 44.
Miſſa conuentualis liberè poteſt applicari. V. 9. 45.
Pro ſolemni miſſa dicenda ſtipendium maius exigi poteſt. V. 9 46.
In miſſa ſolemni conuenienter miſcentur moteta, ac ſymphonię. V. 9 50.
Non peccat m. Diaconus canens ſolemniter Euangelium in mortali. V. 9. 51.
Miſſa ſolemnis omitti poteſt a regularibus quo die conueniendum eſt ad proceſſiones. V. 11. 21.

Miſſa ex ſtipendio manuali.

Celebrari poſſunt miſſæ ex ſtipendio. V. 9. 52.
Niſi id alias prohibeatur. V. 9. 53.
Vt in Societate Ieſu. ibid.
Non eſt ſimoniacus, qui celebcat ex ſtipendio, aliàs non celebraturus. V. 9. 55.
Stipendiũ miſſæ iuſtũ eſt, quod taxatur a Prælato. V. 9. 56.
Celebrans ex ſtipendio applicat ſolum fructum medium miſſæ. V. 9. 57.
Reijciuntur docentes Sacerdotem in miſſa poſſe applicare etiam fructum ſpecialem. V. 9. 58.
Ad validam ſacrificij applicationem ſufficit intentio habitualis. V. 9. 59.
Validè applicatur miſſa, id ignorante eo, qui eam petierat. ibid.
Celebrans ex ſtipendio applicat ſacrificium ſolum quo ad opus operatum. V. 9. 60.
Applicatio facienda ante miſſam, vel in ipſa miſſa, ſed ante conſecrationem, & non poſtea. V. 9. 61.
Non eſt tamen improbabile id poſſe fieri poſt Conſecrationem. ibid.
Fructus miſſæ nulli applicatus, aut incapaci manet in theſauro communi Eccleſiæ. V. 9. 62.
Generaliter Sacerdos nulli applicans cenſetur applicare ſibi ipſi. ibid.
Fructus miſſæ ratione obicis reperti in eo, cui applicatur impediri poteſt quoad remiſſionem pœnæ temporalis, non itẽ quo ad collationem gratiæ pręuenientis V. 9. 63.
Etſi expediat ſibi in vita miſſas procurare, non decet tamen, vt eæ ſint *de requiem*. V. 9. 66.
Accipi poteſt ſtipendium pro miſſa quam dicit nouus Sacerdos in ordinatione; cum limitatione tamen. V. 9 67.
Item pro ea, quam Sacerdos ſupplet pro eo, qui illam inchoauit, & nequit abſoluere, ſi prior Sacerdos nondum calicem conſecrauerat, ibid.

Iuxta

Iuxta aliquos applicari poteſt miſſa pro eo, qui primò daturus eſt ſtipendium. V. 9. 68. & 69.
In praxi tamen ſuſtineudum oppoſitum, aut limitanda præcedens doctrina. V. 9. 70.
Notabiliter differens miſſas debitas ex ſtipendio peccat. V. 9 71.
Notabilis eſt autem delatio 50. aut 60. dierum. V. 9 72.
Qualis reſtitutio facienda in caſu talis dilationis. V. 9. 73.
Reducta miſſa quotidiana perpetua ad 200. annuas, ſufficit eas dixiſſe in fine anoi. V. 9. 74.
Habeot plures miſſas iam obligata ex alio titulo aſsumit noua onera. V. 9. 75.
Habens plures miſsas obligatas ad diuerſas intentiooes aliquo ordine debet eas dicere. V. 9. 76.
Obligatus celebrare pro hoc, & illo defunctooon debet celebrare pro iſs in communi. V. 9. 77.
Satisfacit iuxta aliquos, qui dicit vnam miſsam pro alia petita, ac promiſsa. V 9. 78.
Idque etſi miſsa petita dici poſset eo die. V. 9 70.
Obligatus celebrare pro defuncto ad Altare priuilegiatum ſatisfacit celebrando in alio Altari, ſi applicet indulgentiam. V. 9. 80.
Celebrans pro defuncto in Altari priuilegiato iuxta aliquos non debet dicere miſsam *de requiem*. V. 9. 81.
Alij id negant. ibid.
Obligatus celebrare ex ſtipeodio ſatisfacit celebrando poſt incurſam excommunicationem. V. 9. 84.
Sacerdos ſatisfacit celebrando miſsas pro excommunicato vitando debitas ex ſtipendio ipſi ſoluto ante excommunicationem. V 9 85.
Obligatus celebrare ex ſtipendio pro eo, qui poſtea incurrit excommunicationem, poteſt miſsas differre, vſque dum ille abſoluatur. V. 9. 87.

Miſſa celebratio ex legato perpetuo.

Religioſi laudabiliter ſuſcipiunt onera perpetua miſsarum. V 9. 88.
De licentia tamen Geoeralis, aut Prouincialis. V. 9. 89.
Et in hoc datur paruitas materiæ. V. 9. 90.
Ea modo reduci poſsunt a Generali, vt antea. V. 9. 91.
Refertur decretum Concilij Trid. editum quo ad hoc. ibid.
Contra ea præſcribitur ſeruatis ſeruandis. V. 9. 92.
Sic & poſsunt Regulares ex præſcriptione decennali obligari ad illa. V 9. 93.
Illi non alienât bona relicta cum dictis oneribus. V. 9 94.
Hæc impleoda à die acceptationis; etſi bona ad hunc finem data nondum iouestierint, &c. V. 9 95.
Satisfaciunt applicando miſsas generaliter pro iſs, quibus eæ debentur. V. 9. 96.
Peccant & ipſi, & eorum Prælati, ſi dicta onera noo impleant. V. 9. 97.
Obligati ad celebrandum in certo loco, oon eo ipſo teoentur applicare ſacrificium. V 9. 98.
Idque etiam in dubio. V 9 99.
Dicunt miſsas debitas ex legato, etſi pro aliquo tempore differatur eius ſolutio. V. 9. 100.
Si quidem ſint certi moraliter legatum fore ſoluendû ibid.
Dicunt item miſsas debitas ex legato perpetuo de oouo admiſso ante primam eius ſolutionem. V. 9. 101.
Non recuſant celebrare miſsas præfatas, ſi hæredes iterum ſoluant legatum per plures annos nô ſolutum. V. 9. 102.
Non implent per alios onera miſsarum perpetua, ſi in Conuentu ex iis tot ægrotent, vt ad illa omnia non ſufficiant, & morbus ſit breuis. V 9. 103.
Secùs, ſi præter Religioſos ægrotos ad huc ſuperſint Sacerdotes ſufficientes ad dicta onera. ibid.
Morbus breuis eſt, qui oon protrahitur vltra 2. menſes. V 9. 104.
Item non ſupplent per alios, ſi pro aliquo tempore breui in Conuentu deſint Sacerdotes ſufficientes ad præfata onera. V. 9. 105.
Et tunc miſsæ omittendæ ad ratam ſiogulorum onerum. V. 9. 106.
Obligati ad celebrandum quotidie titulo Capellaniæ vacare poſsunt ſemel in hebdomada. V 9 107.
Limita, niſi aliter præſcribatur a Fundatore. ibid.
Vacantes modo dicto non poſsunt alibi celebrare, aut ad aliam intentionem. V. 9. 108.
Idem procedit de obligato celebrare quotidie per annum, aut menſem. V. 9. 109.
Vacantia hæc non conceditur præcisè cauſa voluptatis, &c. V. 9. 110.
Obligati ad celebrandum in certo loco ob commoditatem populi concurrentis ceſsante concurſu deſinunt obligari. V. 9. 111.
Obligati celebrare pro certa intentione quotidie, aliquoties in anno celebrât pro ſe ipſis, aut pro amicis. V 9. 112.
Item in die Commemorationis defunctorum celebraot pro omnibus defunctis. V. 9 113.
Applicat ſacrificium, qui habet capellaoiam fundatam his verbis. *Quotidie celebret in remiſſionem peccatorum*. V. 9. 114.
Secus, ſi in fundatione dicatur *Qui quotidie celebret pro anima mea*. V. 9. 115.
Obligatus celebrare in certo loco pro anima Fundatoris ſatisfacit, ſi alibi celebret applicando miſsam pro Fundatore, & curando, vt alius celebret in loco præſcripto ſine miſsæ applicatione. V. 9. 116.
Limita, niſi locus electus ſit ob finem aliquem ſpecialem. ibidem.
Applicanda miſsa pro Fundatore, ſi fundatio dicat, *Rector pro anima fundatoris exorare teneatur*; cum ante hæc verba dicat, *Miſſas celebrando: & hoc pro ſalute anima fundatoris*. V. 9. 117.
Si fundatio dicat, *celebret pro anima mea iuxta conſuetudinem Eccleſiæ Ferrarien. vſque modò vſitatam*, numerus miſsarum dicendarum colligendus ex fundatione ſimilium Capellaniarum, aut qualitate redditimum V. 9. 11 .
Applicanda miſsa, ſi fundatio dicat *Quotidie celebret pro anima mea faciendo ſemper commemorationem anima mea*. V 9. 119.
Non obligat ad quotidie celebrandum fundatio, quæ dicit, *teneatur aſſiduè celebrare*. V. 9 120.
Legatum ſub his verbis relictum *perche mi dicate tanto bene*, obligat ad miſsas, aut ad alia ſuffragia, prout ea verba ſumuntur à perſonis conditionis ſimilis ſic leganti. V. 9. 121.
Miſſæ præſcriptæ à teſtatore per modum anniuerſarij in certo numero, ſi præfixa die nequeant dici omnes, ſupplendæ alia die. V. 9. 122.
Miſsæ præſcriptæ à teſtatore ſine loci deſignatione, dicendæ in loco ſepulturæ illius. V. 9. 123.
Obligatus celebrare pro aliquo per annum integrum applicat miſsam pro eo quotidie, etſi oppoſitum conuinci nequeat falſitatis. V. 9 124.
Obligatus celebrare alicubi in cultum loci, & ad populi commoditatem alibi celebrare non poteſt. V. 9. 125.
Ex cauſa celebratur in alio Altari, eiuſdem loci, ſed rarò. V. 9. 126.
Epiſcopus diſpenſat, vt alibi celebretur. ibid.
Item Rector Eccleſiæ, in qua celebrandum eſt, interdum dat facultatem celebrandi alibi. ibid.
Si Eccleſia, aut Altare deſignata ad celebrandum ſint impedita, vacat Capellanus, ſi deſignatio facta eſt in honorem loci. V 9 127.
Obligatus celebrare certis diebus hebdomadæ celebrat etiam alijs diebus ſi deſignatio facta eſt abſque myſterio. V. 9 128.
Obligatus dicere 15 miſsas ſingulis menſibus ſatisfacit regulariter eas anticipando. V. 9. 129.
Licita eſt miſsarum poſtpoſitio in caſu, quo licita eſſet anticipatio. ibid.
Obligatus celebrare ſingulis Sabbatis non celebrat in Sab-

ſabbato ſancto, neque anticipat, nec poſtponit. V. 9. 130

Et, ſi celebrat eo die, aut feria V. hebdomadæ ſanctæ, liberè Miſſam applicat. ibid.

Obligatus celebrare quater in vnaquaque hebdomada, non tenetur celebrare diebus feſtis, per ſe loquendo. V. 9. 131.

Obligatus celebrare diebus dominicis, & bis in hebdomada, ſed præcipuè diebus feſtis non ſatisfacit celebrādo ijs diebus, quibus Officium eſt duplex. V. 9. 132.

Anniuerſarium defuncti, ſi non poteſt fieri die præſcripta, fit anticipatè V. 9. 133.

Obligatus celebrare pro Fundatore ter in hebdomada ad tale Altare, ſatisfacit, ſi 3. diebus in alio Altari celebret pro Fundatore, & eadem hebdomada in Altari deſignato celebret applicata Miſſa ad aliam intentionem. V. 9. 134.

Miſſa quo ad Reſtitutionem ex eius omiſſione, &c.

Omittens celebrare Miſſas debitas ex capellania ſupplet poſtea. V. 9. 135.

Recipiens duo ſtipendia pro eadem Miſſa vnum reſtituit. V. 9. 136.

Celebrans per alium Miſſas à ſe dicendas ex ſtipendio manuali reſtituit, quod retinuit de ſtipendio. V. 9. 137.

Differens nimis miſſas celebrandas interdum reſtituit ſtipendium V. 9. 138.

Celebrans pro eo, qui primò daturus eſt ſtipendium, aliquando reſtituit. V. 9. 139.

Obligatus celebrare in certo loco ob cultum loci, ſi alibi celebret, tenetur ſupplere cultum ibi celebrando Miſſas antea omiſſas; etſi id fortè negari poſſit. V. 9. 140.

Obligatus celebrare in certo loco, & applicare Miſſam, ſi alibi celebret Miſſam applicando ſatisfacit, niſi aliter damnificetur. V. 9. 141.

Obligatus celebrare in certo Altari, ſi alibi celebret, ad nil tenetur, niſi damnificetur is, pro quo celebrat. V. 9. 142.

Si relinquantur Miſſæ dicendæ in omnibus Altaribus priuilegiatis alicuius loci, earum aliquæ dicendæ in Altari priuilegiato, quod de nouo erigatur. V. 9. 143.

Ad nil tenetur, qui ſine cauſa pro Miſſa in ſpecie promiſſa aliam dicit V. 9. 144.

Item celebrans per alios Miſſas, quas promiſerat celebrare per ſeipſum. V. 9. 145.

Item qui promiſerat celebrare pro defuncto cum applicatione indulgentiæ, & poſtea celebrat, non applicata indulgentia; at hoc fallit aliquando. V. 9. 146.

Item qui tempore belli omiſit per aliquot menſes Miſſas debitas ex Capellania, eo quod non eſſet accepturus ſolitos reddilus V. 9. 147.

Obligatus celebrare pro infirmi ſanitate, ſi is moriatur antequam miſſæ dicantur, ſtipendium reſtituit, ſed non ſemper. V. 9. 148.

Ad nil tenetur iuxta aliquos, qui pecuniam datam ad miſſas celebrandas in cultum alicuius Altaris, expendit in eo ornando. V. 9. 149.

Ad nil tenetur, qui accipit pro miſſis ſtipendium maius taxato. V. 9. 150.

Prælatus monaſterij ſuppler miſſas a ſuo Prædeceſſore omiſſas. V. 9. 151.

Si Religioſi iuſſi celebrare miſſas à monaſterio ſuſceptas ex ſtipendio non celebrent, tenentur de damno, & in eorum defectum tenetur Prælatus. V. 9. 152.

Miſſiones.

Religioſi Soc. Ieſu faciunt votum ſolemne obediendi Papæ circa miſſiones. IV. 5. 171.

Etiam Scholares approbati dictæ Societatis ex voto generali obedientiæ tenentur ad miſſiones. IV. 5. 175.

Quid ſint miſſiones. IV. 5. 194.

Monachi.

Per quid propriè conſtituantur. I. 3. 10.

Monachi nomine non ſemper veniunt omnes Religioſi. I. 3. 11.

Monachis non congruit paupertas in communi. I. 3. 16.

Ad ipſos hodie tranſeunt Canonici regulares. III. 5. 127.

Ipſi verò non tranſeunt ad Canonicos regulares; quod non approbat Suarez. III. 5. 128.

Monachorum paupertas quæ. IV. 2. 23.

Non excludit peculium. IV. 2. 24

Præſertim ſi Conuentus ſufficienter non prouideat. IV. 2. 25.

Poteſt Monachus pecuniam ei datam dare alteri, qui ipſi ad vitam ſoluat certum lucrum retenturus ſortem poſt mortem Monachi. IV. 2. 27.

Diſpenſatus in voto paupertatis eſſet Religioſus, ſed non Monachus. IV. 2. 31.

Monachi Benedictini.

Ex Clement. *non in agro* ijtenentur ad menſtruam confeſſionem. V. 2. 12.

Non tranſeunt ad Carthuſiam ſine licentia Prælati obtenta. III. 5. 132.

Eugenius IV. ſpeciale indultum ijs conceſſit, quo ad horarum recitationem. V 8. 127.

In profeſſione promittunt ſtabilitatem, obedientiam, & conuerſionem morum. III. 1. 8.

Monachi Ciſtercienſes.

Tenebantur ſub peccato iterum confiteri peccata ritè confeſſa. V. 3. 15.

Et quidem proprio Prælato. V. 3. 18.

Monaſterium.

Fundatori monaſterij tria iura competunt. I. 6. 33.

Gaudet indultis Religioſorum, quibus fundat, ſed non omnibus. I. 6. 34.

Varijs titulis acquirit nomen Fundatoris. I. 6 36.

Fruitur varijs priuilegijs, ac exemptionibus. I. 6. 43.

Monaſterium legitimè deputatum in nouitiatum aliò in eadem vrbe tranſlatum eſſe poteſt locus nouitiatus. II. 1. 29

Monaſterium regulariter non ſoluit debita Nouitij. II. 7. 29.

Non recipit de eius bonis II. 8. 28.

Et quidem nec titulo mutui; quod alij negant. III. 8. 30. & ſeqq.

Recipit tamen de bonis conſanguineorum illius. II 8. 33.

Ei relinqui poteſt aliquid in bonorum renunciatione. III. 9. 34.

Immò id licitè conſulitur. II. 9. 35.

Succedit in bonis Nouitij ex indulto Pij V. profitentis in articulo mortis ante finem nouitiatus. III. 1. 9.

Vt profeſſionis item ſuccedit in bona profeſſorum, ſi ſit capax III 4. 58. & 59.

Religioſis non prouiſus competenter de neceſſarijs, ſibi conſulit ex bonis monaſterij. III 6. 17.

Religioſi monaſterio acquirunt quidquid acquirunt. III. 6. 54.

Bona monaſterij tam communia, quam particularia conſeruanda à Religioſis. III. 6. 56. & 57.

Oblata monaſterio non debent recuſari ſine cauſa. III. 6. 58.

In aliquo caſu ex bonis monaſterij ſua portio cuique Religioſo aſſignari poteſt. IV. 2. 27.

Pro-

Profeſſus non acquirit monaſterio abſque licentia. IV. 2. 210. & 267
Acceptum ſine expreſſa licentia acquiritur monaſterio, IV. 2. 213.
Peccat Religioſus vſurpando bona communia monaſterij. IV. 2. 270.
Secus, ſi ea vſurpet ad vſum temporaneum. IV. 2. 271.
Non peccat recipiendo ab extraneo ſine licentia rem aliàs ipſi ſuppeditandam ex bonis monaſterij. IV. 2. 469.
Reſtitutio, quæ debet fieri monaſterio, fit illi Conuentui in quo tunc degit Religioſus, qui rem reſtituendam diſtraxit. IV. 2. 342
Peccant Officiales monaſterij eius bona diſtribuentes vltra præſcriptum Prælati. IV. 2. 294.
Regulares nec cum licentia Superioris poſſunt diutiùs morari extra monaſterium. V. 6. 24.
Fœminæ prohibentur ingredi, aut recipi intra monaſteria Regularium Vide *v. clauſura quo ad non recipiendas fœminas.*
Quid veniat in hac materia nomine monaſterij. V. 6. 30.
Profeſſi diſpenſati ad manendum extra monaſterium tenentur ad horas. V. 8. 58.
Religioſi non poſſunt facere proceſſiones extraordinarias intra monaſterium iuxta aliquos; qui tamen reijciuntur. V. 11. 27.
Monaſterium non ſemper tenetur ex contractu Monachi. III. 6 22.

Moniales.

Habent inter ſe varietatem. I. 3. 47.
Subſunt præceptis iure communi factis perſonis religioſis aut Eccleſiaſticis. I. 3. 48.
Imperatrices, Reginæ, aliæque primariæ fœminæ factæ moniales. I. 6. 5.
Ante annum 12. non admittendæ ad nouitiatum. II. 1. 4.
Simpliciter tamen recipi poſſunt ad religionem in minori ætate. II. 1. 5.
Nouitij prohibentur accedere ad moniales ſolum quo pacto prohibentur etiam laici. II. 8. 20.
Ad illas adeundas egent licentia Ordinarij. II. 8. 21.
Monialis illegitima eligi nequit in Abbatiſſam; quod alij negant III 4. 38.
Moniales tranſire poſſunt ad Ordinẽ ſtrictiorem. III 5. 78.
Tenentur ad regulam Ordini ſui etſi ei nõ ſubſint. V. 2. 45.
Non item ad ſtatuta, quæ fiunt poſtquam ſubiectæ fuerunt Ordinario. ibid.
Communicãt iure communi ſolum ſemel il anno. V. 3. 89.
Deferunt Tonſuram. V. 7. 49.
Monialium confeſſiones audire non tenentur Religioſi alterius Ordinis. V. 12. 28.
Confeſſarij monialium proprij Ordinis non tenentur ijs miniſtrare Sacramenta cum periculo vitæ, niſi id eis præcipiat Prælatus. V. 12. 29.

Moniales S. Claræ.

Vouent clauſuram. IV. 5. 13.
Sicque ad illã tenentur ſtrictiùs alijs Monialibus. IV. 5. 14.
Hoc votum eſt ſolemne. IV 5. 15.
Violationi Clauſuræ nouam ſuperaddit malitiam. IV. 5. 16.
Non violatur tamen in caſu, quo admittantur perſonæ extraneæ in caſu non permiſſo. IV 5. 17.
Non obſtante hoc voto licitè recedunt è Clauſura in aliquibus caſibus. IV. 5. 18.
Violant hoc votum, ſi tranſlatæ ad tempus in alium locum extra ſuum Conuentũ, inde abeãt ſine licentia. IV. 5. 19.
Item, ſi legitimè recedentes è propria Clauſura aliò tranſituræ ad aliquod tempus indebitè vagentur. IV. 5 20
Poſſunt ex voto manere in clauſura etiam cum periculo vitæ. IV 5. 21
Hoc votũ non obligat in caſu lepræ, vel epidimiæ. IV. 5. 22.
Per bullam Pij V. editam de Clauſura monialium non abrogantur caſus excepti ab Vrbano IV. quo ad obligationem Clauſuræ Monialium S. Claræ. IV 5. 23.
Vi huius voti difficilius eæ poſſunt diſpenſari quo ad egreſſum è Clauſura. IV. 5 24.

Mors.

Religioſi in morte ſpecialiter protecti à Deo I 6. 14.
In mortis articulo ex Pij V indulto profitentur anno nouitiatus non expleto. III. 2 7.
Quid hic intelligatur per articulum mortis. III. 2 11.
Morte vouentis extinguuntur omnia vota. IV. 1. 24.
Profeſſus cum licentia donat cauſa mortis. IV. 2. 206.
Moriens proprietarius priuatur Eccleſiaſtica ſepultura IV. 2. 244.
Si quidem de hoc conſtet IV 2. 245.
Interdum cum periculo mortis obediendũ. IV. 4. 41 & 42.
Iure diuino confitendum in mortis articulo. V. 3. 2.
Quid hic ſignificetur per articulum mortis. ibid.
Non confitens tunc, poſtea non tenetur confiteri. V. 3. 5.
In mortis articulo tenemur confiteri per interpretem iure diuino, non Eccleſiaſtico. V. 3 2.
Iure diuino ſumenda Euchariſtia in articulo mortis. V. 3 69.
Non item ſi paucis diebus ante fuerat ſumpta. V. 3 70.
Sumenda in dicto articulo, etſi in Paſchate fuerit ſumpta. V. 3. 71.
Religioſus, etiam laicus, ſi in præfato articulo communicare nequeat ſub ſpeciebus panis, iuxta aliquos communicat ſub ſpeciebus vini. V. 3. 72.
At obſtat conſuetudo in contrarium. ibid.
In articulo mortis datur Euchariſtia perpetuò amenti, ac phrenetico; cum limitatione tamen. V. 3. 97.
Item datur patienti vomitum, ſed præmiſſa aliqua cautela. V. 3. 102.
Religioſi tenentur aſſiſtere morientibus, at non ſub mortali, niſi in extrema neceſſitate. V 12 21.
Certò ſciens ſe morte propria corporali poſſe liberare Proximum à morte ſpirituali aliàs infallibiliter damnandum morte æterna tenetur pati mortem V. 12 49.
Tenet matrimonium in mortis articulo contractum. III. 2. 8.

Mortificatio.

In ea exercendi Nouitij. II. 5. 15.
Confert ad Caſtitatem. IV. 3. 14.

Mutuum.

Fratres Minores non poſſunt petere mutuum. IV. 2 77.
Accipere mutuo 10. aureos ad breue tempus non eſt culpa mortalis, etſi fiat ſine licentia Prælati. IV. 2. 283.
Religioſus dans mutuum externis non facilè damnandus m. culpæ. IV. 2. 2 : 1.

Natiuitas Domini.

In die Natiuitatis Domini vnica miſſa audienda. V. 4. 54.
In eius Vigilia refectiúcula veſpertina poteſt eſſe 16. vnciarum. V. 5. 12.
Idque etſi feſtum incidat in feria 2. ſicque ieiunium præueniatur. V 5. 14.
Item etſi quis ieiunet ex voto. V. 5. 13.
Item, ſi quis dilata in veſperam cœna ſub meridiem ſumat refectiunculam. ibid.
Regulares ex Regula ieiunantes qualibet feria 6. ieiunant & in die Natiu. Domini incidente in 6 feria. V. 5. 54.
Non item ſæculares ex voto obligati ieiunare qualibet ſexta feria. ibid.
Aliqui putant Regulares in iſto caſu poſſe diſpenſari, ne ieiunent. V. 5. 55.
Etſi non ieiunent, non violant legem Eccleſiæ de non edendis carnibus tunc. V. 5. 56.

Inci-

Incidente Nat Domini in Sabbato edūtur carnes. V. 5. 57.
Sacerdos in Natiu. Domini per ſe loquendo vnicam miſſam celebrare tenetur. V. 9. 23.
At hoc non procedit abſolutè de Parochis. ibid.

Neceſſitas.

Eſt triplex. II. 4 4.
Neceſſitas Parentum impedit filios ab ingreſſu religionis. II. 4. 39.
Non item neceſſitas conſaguineorum. II. 4. 41.
Neceſſitas facit licitum, quod eſſet illicitum IV. 5. 79.
Non frāgit votum, qui illud ex neceſſitate frangit. IV. 5. 81.
Si conſtet de neceſſitate, neceſſaria non eſt diſpenſatio ad eſum carnium, & ad non ieiunandum. V. 5. 57.
Fœmina vrgente neceſſitate, ingreditur clauſuram Regularium abſque licentia. V. 6. 55. & 56.
Beneficiarius ex graui neceſſitate a Choro abſens acquirit diſtributiones V. 5. 146
Religioſus ſolum in neceſſitate extrema Proximi tenetur vacare ſpirituali eius ſaluti cū graui incōmodo V. 12. 9.
Idque item procedit quo ad exercendum Parochi munus. V. 12. 10.
Item de adminiſtrando baptiſmo. V. 12. 11.
In neceſſitate extrema baptiſmi adminiſtrari poteſt in materia dubia. V. 12. 12.
Immò & debet V 12. 13.
Regulares ſolum in extrema neceſſitate tenentur audire confeſſiones cum periculo vitæ V. 12. 14.
Sacerdos mutus in graui neceſſitate poteſt, & debet adminiſtrare Euchariſtiam V. 12. 18.
Regulares in graui neceſſitate tenentur miniſtrare Extremam vnctionem, ſi poſſunt ſine graui incommodo. V 12 19.
Non tamen tenentur aſſiſtere morientibus ſub mortali, niſi in extrema neceſſitate. V. 12. 21.
In graui neceſſitate Epiſcopus diſpenſat ſuper voto reſeruato Papæ. IV. 1. 114.

Negotiatio.

Prohibita Eccleſiaſticis exerceri poteſt per alium. IV. 5. 450.

Nobilitas.

Cæteris paribus æſtimanda in recipiendis ad religionem. II. 4. 4.
Non amittitur per profeſſionem. III. 4. 53.

Nouitiatus.

Definitur quid ſit. II. 2. 1.
Eſt multiplex II. 2 2.
Tria ſunt de eius eſſentia. II 1. 3.
Inchoandus in pubertate completa. II. 1 4.
Ad illum tamen impropriè ſumptum recipi poſſunt impuberes. II. 1. 5. & 7.
Peragi debet intra monaſterium, ſecluſa licentia Prælati. II. 1. 8.
Et de eius conſenſu pars illius fit extra etiam in præſentia. ibidem
Item in habitu regulari II. 1. 9.
Debet durare per annum integrum, & continuum. II. 1 10.
Idque de iure communi, non item ex ſpeciali. II 1. 11.
Validus eſt, etſi Nouitius ex morbo experiri non poſſit Ordinis aſperitates. II. 1. 12.
Inualidus verò, ſi fiat in amentia. II. 1. 13.
Secùs ſi in furore breui. ibid.
Item eſt inualidus, ſi nouitius fictè ingrediatur animo non profitendi, etſi poſtea deponat fictionem; idque quo ad tempus, quo durauit fictio II. 1 14.
Oppoſitum tamen videatur eſſe probabile. II. 1. 14. & 15.
Quid agendum, ſtando in ſententia affirmante. ibid.
Validus eſt quo ad receptum cum impedimento occulto, ſi poſtea ceſſet impedimentum. II. 1. 16.
Item, ſi nouitiatu expleto nouitius recedat, & breui redeat. II. 1 17. & 18. & 43.
Repetendus à Religioſo profeſſo ad alium Ordinem tranſeunte. II. 1 20 III. 5. 176.
Et in hoc caſu validè inchoatur, etſi fiat tranſitus ſine debita licentia. II 1. 21.
Immò poteſt inchoari in habitu prioris Ordinis. II. 1. 22.
Profitens in articulo mortis ex indulto Pij V. nouitiatu nō finito, illum poſtea non proſequitur. II. 1. 22.
Tenet nouitiatus ingredientis ex dolo alterius, vi, aut metu graui. II. 1. 23.
Inchoatur ante annum 15. & finitur ante 16 II. 1. 24.
Faciendus in locis deſignatis, & non in alijs. II. 1. 25.
Excipiuntur tamen aliquot Ordines. ibid.
Ex decreto Vrbani VIII qui nouitiatum fecerunt extra loca deſignata, poſſunt admitti ad profeſſionem & gaudent priuilegijs Ordinis. II. 1. 26
Quod ſi hi velint reclamare ad probandam nullitatem profeſſionis ex nullitate nouitiatus taliter facti, id facere debent coram Sacra Congregatione II. 1. 27.
Abſoluto nouitiatu poteſt nouitius tēpore notabili degere extra loca deſignata, & poſtea validè profiteri. II. 1. 28.
Tenet nouitiatus factus partim in vno loco ex deputatis, partim in alio. II. 1. 28.
Conuentus deſignatus legitimè ad nouitiatum tranſlatus in alium locum eiuſdem vrbis poteſt eſſe locus nouitiatus. II. 1. 29.
Profeſſus laicus trāsferendus ad ſtatum clericalem non repetit nouitiatum. II. 1. 30.
Nouitiatus fit etiam in Ordinibus militaribus. II. 1 31.
Nō tenet factus ante admiſſionem in religionem. II. 1. 32.
Petit, vt nouitius probet, & probetur tanquam nouitius. II. 1. 33.
Incipit regulariter à die, qua nouitius incipit probare religionem, & religio ipſum. II 1. 34.
Computandus de momento in momentum. II. 1. 35.
In anno biſſextili duo dies computantur pro vno. II 1. 36.
Nouitiatus interrumpitur 2. modis. II. 1. 37.
Per dimiſſionem habitus non interrumpitur, niſi ea ſit perfecta. II. 1. 38.
Poteſt prorogari vltra annum. II. 1. 39.
Præmittendus integer promiſſioni. II. 1. 40.
Idque etiam in caſu, quo ſponſus de præſenti ingrediatur, matrimonio non conſummato. II 1. 41.
Non omittitur de conſenſu partium. II. 1. 42.
Nouitius electus illum ab initio repetit, ſed non ſemper. II. 1. 43.
Non contrahitur de conſenſu partium. II. 1. 44.
Receptus in loco non deſignato validè poſtea facit nouitiatum in loco deſignato. II. 1 45.
Admiſſus ad nouitiatum in loco non deſignato incipit probari à die quo peruenit ad locum deſignatum. III. 3. 19.
Quod ſi admittatur ad habitum in loco deſignato, & ſtatim mittatur ad alium locum deſignatum, ibi probandus, inchoat nouitiatum à die receptionis habitus. III 2 20.
Tenet nouitiatus factus partim in vno loco, & partim in alio. III. 3. 21.
Diſpenſatus ad matrimonium cum onere redeundi, habita prole, interdum reperit nouitiatum. III. 5. 10.
Ad ratificandam profeſſionem irritam non repetitur nouitiatus, etſi alias nullus. III. 5. 57.
Tranſiens ad alium Ordinem pro tempore nouitiatus alitur à priori Ordine. III. 6. 26. & 27.

Nouitij quo ad poteſtatem admittendi.

Quicumque admittit ad profeſſionem, item admittit ad nouitiatum. II. 2. 1.

Præ-

Prælatus regularis, etiam localis pro ſua poteſtate reſpectiua admittit. II. 2. 3.
Proponitur qualiter receptio nouitiorum fiat in Conuentibus habentibus filiationem. II. 1. 45
Ad receptionem requiritur conſenſus Capituli. II. 2. 3.
Non tamen in omni caſu, nec in quolibet Ordine. II. 2. 4.
Aliqua à Sixto V quo ad hoc ſtatuta referuntur. II. 2. 5. & 6
In Ordinibus non habentibus vium Capituli recipit ſolus Prælatus. II 2. 7.
Receptio hæc aliter fit in aliquibus Ordinibus ex ſpecialibus indultis II 2 8. & 9.
Ad illam requiritur conſenſus Capituli multis ex iuribus. II. 2 10.
Ex decreto Sixti V. requiritur conſenſus tam Prouincialis, quam Deſinitorum, ſed non eodem modo. II. 2. 11.
In caſu diſcordiæ admittitur nouitius. II. 2. 12.
Prælatus admittit Capitulo iniuſtè conſenſum denegante. II. 2. 13.
Prælatus inferior admitit cum Capitulo, etſi ſit vetita admiſſio, ſine decreto tamen irritante. II. 2. 14.
Prælatus abiens admittit cum Capitulo. II. 2. 15.
Tenet admiſſio facta à Prælato cum vno ſolum vocali, ſi facta ſit capitulariter, pro vt de iure communi. II. 2. 16.
Non item, ſi fiat à Capitulo abſque interuentu Prælati, aut alterius ſubſtituti. II. 2. 17.
Admiſſio nõ fit, ſuffragiis datis per literas, aut ſubſtitutum. II. 2 18.
Tenet, etſi ad eum concurrat excommunicatus, aut priuatus voce actiua. II. 2. 19.
Ad illam ſufficit maior pars ſuffragantium. II. 2. 20.
Excluſus capitulariter poteſt admitti poſtea, & è contra. II. 2. 21.
Admiſſus capitulariter ſi differat ingreſſum ad multum tẽpus, non ingreditur ſine noua admiſſione. II. 2 22.
Admiſſio facienda iuxta decretum Sixti V. non tenet, ſi inter vnumquodque trium Capitulorum præſcriptorum non extet interuallum 10. dierum. II 2. 23.
Admiſſio fieri poteſt per compromiſſum II. 2 25.
Non tamen, ſi fiat iuxta Sixti V. decretum. II. 2. 25.
Facultas recipiendi ad religionem eget ſpeciali expreſſione. II 2. 27.
Petens admitti, ſi ſit habilis, non debet excludi. II. 2 28.
Cognitus indignus ex confeſſione ſacramentali iuxta aliquos excludi poteſt. II. 2 29.
Non tamen neceſſariò debet excludi. II. 2. 30.
Admitti poteſt, qui ob caluitiem non poterit deferre Tonſuram. V 6. 6.

Nouitij quo ad informationes.

Admiſſioni nouitiorum præmittendę certę informationes. II. 3. 1.
Sed non ſemper. II. 3. 2. & 3. & 4.
Et quidem in quolibet Ordine, ſecluſo ſpeciali priuilegio. II 3. 4.
Sumendæ de patria, & parentibus. II. 3. 6. & 7.
Item de vita, ac moribus. II 3 8.
Varij criminoſi excludendi. II. 3. 9.
Admittendi debent duci bono ſpiritu. II. 3. 11.
Dictæ informationes hodiè nõ mittuntur ad Capit. II. 3. 12.
Admiſſio facta ſine illis tenet, ſtando in iure communi. II. 3. 13. & 14
Eæ non omittendæ ſub grauibus pœnis II. 3. 16.
Hæ tamen non incurruntur, ſi admiſſus verè non ſit criminoſus. II. 3. 17.
Neq; in caſu, quo admiſſio criminoſi fiat bona fide, præmiſſis dictis informationibus. II. 3. 18.
Neq; in caſu, quo Religioſus Ordinis eiectus iterum recipiatur vt pote reputatus emendatus. II 3. 19.
Per quos ſumi debeant hæ informationes. II. 3. 20.
Iuxta Sixti V. decretum ſufficit eas ſumi à Iudice laico, non item iuxta Clementis VIII. formam. II. 3. 21.
Sumendæ per teſtes iuratos. II. 3. 22.
Secluſo Sixti V. decreto, non eſt opus, quod fiunt iuridicè. II 3. 23.
Quo tempore debeant ſumi II. 3. 24.
Petens admitti reſpondere debet iuxta veritatem. II. 3. 25.
Et quidem etiam in rebus per ſe infamantibus. II. 3. 26.
Ad hũc effectũ detegi poſſunt defectus etiã graues II. 3 27.
Expelli poteſt, qui interrogatus reticuit veritatem. II 3. 28. & 29. & 30.
Hæ informationes ſolum præmittendæ in admiſſione ad nouitiatum. II 3. 31.
Si tamen tunc omittantur, & nec poſtea ſumantur, ſumendæ in admiſſione ad profeſſionem; alias bis præfatæ pœnæ incurruuntur. II 3 32.

Nouitij quo ad admiſſionem.

Qui generaliter loquẽdo admitti poſſint ad nouitiat. II. 3. 1
Admiſſio facienda cum delectu II. 4. 2.
Regulariter admittendi iuuenes ætatis paulò prouectioris. II. 4. 3.
Item potentes, nobiles, ac diuites, ſi aliàs ſint digni. II. 4. 4.
Filij inſcijs, ac inuitis parentibus poſſunt admitti, ſed regulariter non expedit. II 4. 5.
Non tamen impuberes. II. 4. 6.
Secluſa Sixti V bulla admitti poſſunt & facinoroſi II. 4 7.
Admittendi etiam ex nationibus extraneis, ac barbaris, ſi aliàs ſint habiles. II. 4 8 & 9.
Non admittendi carentes vſu rationis. II. 4 10.
Admitti poſſunt iũcti matrimonio nondũ cõſũmato II. 4. 11
Idq; etſi in primo bimeſtri per vim aut metum alter matrimonium conſummauerit. II 4. 12.
Item in caſu, quo matrimonium fuerit conſummatum, vxore non ſeminante. II. 4 13.
Coniuges item admittuntur poſt cõſummatum matrimonium, ſeruans ſeruandis. II. 4 14.
Sufficit coniugem relictum conſentire ante profeſſionem coniugis admiſſi. II 4. 15.
Conſenſus datus poteſt reuocari. II. 4 16.
In præſenti caſu tria facienda. II. 4 17.
Coniux relictus, ſi ſit iuuenis, vouet Caſtitatem. II. 4. 18.
Idq; etſi vxor ſit quinquagenaria. II. 4. 19.
Idem procedit ſi vxore ingreſſa religionem vir maneat in ſæculo, & ſit ſenex II. 4 20.
Sufficit ipſum ingredi Ordinem Militarem. II 4. 21.
Altero coniuge notoriè adulterante, coniux innocens admittitur ad religionem II. 4 22
Admittuntur Sponſi de futuro etiam iurati. II 4. 23. & 24.
Non item, ſi Sponſus de futuro puellam deflorauit ſub ſpe coniugij II. 4. 25.
Idque etſi illam ducat & poſtea ante matrimonij conſummationem recipiatur, aut etiam poſt deflorationem voueat religionem. ibid.
Validè admittuntur profeſſi alterius Ordinis etiam ſine conſenſu Prælatorum illorum. II. 4. 26. & 27.
Id tamen regulariter non expedit. II. 4 28 & 29.
Non admittuntur epiſcopi abſq; licentia Papæ. II 4. 30.
Nec Papa tenetur dare ſemper talem licentiam. II 4. 31.
Alumni Collegij Anglicani Romæ admitti non poſſunt liberè ad religionem. II 4. 32 & 33. & 34
Admittuntur tamen Clerici Seminarij dãtes fideiuſſionem ſe non deſerturos ſtatum clericalem. II. 4 35.
Item ſerui, ſed de licentia ſuorum dominorum II 4 38.
Nõ itẽ filii, quorũ parentes laborẽt egeſtate. II. 4. 39 & 40.
Idq; etſi filii adſtricti ſint voto religionis. II. 4 42.
Admittuntur parentes, qui habent filios indigentes, ſed non ſemper. II. 4. 43.
Admittitur frater habens fratres indigentes, ſed non ſemper. II. 4. 44.
Admittuntur aere alieno grauati, ſed non ſemper. II 4 46. & 47. & 48 & 49. & 50.
Item qui operam ſuam alii promiſerunt. II. 4. 51.
Non item obnoxii reddendis rationibus. II. 4. 52.
Limitatur aſſertio. II. 4. 53.

Admittuntur illegitimi, ſtando in iure communi. II. 4. 54. & 55.

Item ſenes, ac infirmi non volentes obſeruare regulam II. 4. 56. & 57.

Non admittuntur omninò illiterati ad ſtatum clericalem. II. 4. 58.

Admittuntur, qui habent votum ingrediendi Ordinem ſtrictiorem II. 4. 59 & 60.

De iure communi admittuntur, & nati ex Iudæis, Turcis, &c. II. 4. 61.

Item legitimè eiecti à proprio Ordine. II. 4. 62. & 63.

Nouitij quo ad institutionem.

Bona nouitiorum inſtitutio religionibus vtiliſſima. II. 5. 1.

Illorum Magiſter eligendus maximè idoneus. II. 5. 2.

Eius ductus in omnibus ſequendus. II. 5. 3.

Ei tota Conſcientia ſincerè manifeſtanda. II 5. 4.

Nouitij vacare debent orationi, ac meditationi. II. 5 5.

Qualiter ad hoc iuuari poſſint. II. 5. 6.

Commendanda ipſis lectio piorum librorum. II. 5 7.

Commendandum item examen iam generale, quam particulare. II. 5. 9. & 10. & 11.

Iuuandi pijs hortationibus II. 5 12.

Frequentia Sacramentorum ijs inculcanda. II. 5. 13.

Confeſſionem generalem faciunt in ipſo ingreſſu. II. 5. 14.

Exercendi in ſui ipſius abnegatione. II 5. 15.

Item in auſteritatibus corporis. II. 4 6.

Cum debita tamen ſubordinatione. II 5 17.

Aſſuefaciendi colloquijs ſpiritualibus II. 5. 18.

Silentij obſeruantia in ijs valdè procuranda. II. 5. 19.

Non ſinendi vacare literarum ſtudijs II. 5 20.

Secularium conuerſationes illis ſeueriùs inhibendę II. 5. 21.

Debent vacare varijs ſpiritualib. exercitijs II. 5. 22 II 6 35.

In ijs curanda morum compoſitio, etiam externa. II. 5. 23.

Opportunæ recreationes ijs concedendæ II. 5. 24.

Puniendi, ſi delinquant contra Regulam. II. 5. 25.

Corporales exercitationes ijs præſcribendæ. II. 5. 26.

Nouitij Conuerſi (vt vocant) debitè inſtruendi. II. 5. 27.

Locus nouitiatus qualis. II. 5. 29.

Nouitij quo ad obligationes.

Subſunt etiam extremæ iuriſdictioni Ordinis. II. 6 1.

Et quidem etiam contentioſe, ſi velint perſeuerare. II 6 2.

Poſſunt carcerari, & torqueri, ſi velint perſeuerare. II. 6. 3.

Magiſter non habet in eos externam iuriſdictioné. II. 6. 4.

Prælatus præcipit iis ſub cenſuris Eccleſiaſticis. II. 6 . & 17.

Tenentur ad regulam non per ſe, ſed ex decentia. II. 6. 6. V. 2. 44.

Idque etſi ex priuata deuotione tria vota religionis faciãt. II. 6. 7.

Non tenentur ad paupertatem religioſam. II. 6. 8.

Liberè diſponunt de bonis. II. 6. 9 II 5. 34.

Non tenentur ad Caſtitatem. II. 6. 10.

Neque ad Obedientiam, ſi nolint perſeuerare II. 6. 12.

Illis præcipi non poteſt in virtute obedientiæ. II. 6. 12.

Non tenentur ad horas canonicas. II. 6. 13 V. 8. 65.

Non ſubſunt pœnis latis contra Religioſos. II. 6. 14.

Niſi exprimantur. II. 6 15.

Non ſemper tenentur exequi pœnitentias iniunctas ob defectus commiſſos. II 6 16

De rigore nó tenentur ſoluere ſuffragia pro defunctis Ordinis II. 6 18.

Tenentur tamen ex charitate, ac fidelitate ad ea ſuffragia, quæ Conuentus ſoluit ex contractu oneroſo. II. 6. 19.

Liberè recedunt ab Ordine. II. 6 20.

Niſi fortè vouerint perſeuerare. II 6. 21.

Ingredientes Ordinem ex voto iuxta aliquos non poſſunt recedere ſine cauſa. II. 6 22.

Quod alij negant, & probabiliter. II. 6 23.

Recedentes non tenentur de expenſis. II. 6. 25. & 26.

Illis tamen recedentibus non reſtituitur, quod inſumptũ & ex illorum bonis in eorum ſuſtentationem. II. 6. 27.

Non reſtituitur habitus, ſed eius pretium. II 6. 28.

Inſimò nec pretium, ſi habitus emptus eſt ex eleemoſynis. II. 6. 29.

Non ſubiacent caſibus, ac cenſuris reſeruatis Ordinis; etſi alij id negent. II. 6. 30.

Secùs in Societate Ieſu. II. 6. 31.

Non poſſunt reſeruari caſus pro ijs in ſpecie. II. 6. 32.

Tenentur aperire impedimenta ingreſſus antea occultata. II. 6. 33.

Ex decreto Clementis VIII. confitentur proprio Magiſtro. II. 6. 34.

Inuito Superiore confiteri nequeunt Sacerdoti Ordinis generaliter approbato ad confeſſiones ſecularium. II. 6 35.

Secus, ſi iſte Sacerdos ſpecialiter approbetur ab Ordinario ad confeſſionem Nouitij. II. 6. 36.

Confitentur Sacerdoti approbato à regulari Prælato. II. 6. 37.

Nouitij quo ad priuilegia.

Vtuntur priuilegiis Ordinis. II. 7. 1.

Et quidem, etſi nondum ingreſſi ſint, ſed breui ingreſſuri. II. 7 2.

Secùs, ſi fictè ingrediantur. II 7. 3.

Gaudent etſi admittantur adhuc impuberes. II 7. 4.

Acquirunt indulgentias Ordini conceſſas. II. 7. 5.

In receptione habitus lucrãtur indulgentiam plenariam. II. 7. 6.

Gaudent priuilegio fori. II 7 7.

Idque etſi poſt delictum patratum admittantur. II. 7. 9.

Secluſa tamen Sixti V. bulla delinquentem in tali caſu ſubdente Iudici laico II. 7. 8.

Et hoc, licèt delictum patretur à Nouitio antea voto religionis adſtricto. II. 7. 11.

Exempti ſunt ab Ordinarii iuriſdictione. ibid.

Item à gabellis. II. 7. 12.

Fruuntur priuilegio Canonis II. 7. 13.

At non quo ad Superiores, ac Religioſos ſeniores. II. 7. 13. & 14

Iuxta aliquos per ingreſſum religionis liberantur ab irregularitate ex defectu natalium. II. 7. 15.

Alij id negant. II. 7. 16.

Et probabiliùs. II. 7 17. & 18 & 19.

Liberantur ab obligatione ſponſaliorum; quod alij non admittunt II 7 20.

Et in hoc caſu Sponſus relictus liberè poteſt nubere. II. 7. 21.

Recedentes ab Ordine repetunt data Conuentui. II. 7 22.

Ea tamen non repetunt eorum parentes, ipſis ante profeſſionem decedentibus ibid.

Retinent beneficia eccleſiaſtica vſque ad profeſſionem. II. 7. 23.

Sicque interim euocandi ad electionem, ſi ius habeant eligendi II. 7 24.

Acquirunt legata ipſis relictas ſub conditione ingreſſus religionis, ſi ingreſſi recedant. II. 7. 26.

Secùs, ſi fictè inirent II 7. 27.

In aliquo caſu obligantur à ſolutione debitorum. II. 7. 28.

Validè teſtantur de bonis abſque iuris ciuilis ſolemnitate. II 7. 30.

Et hoc procedit etiam quo ad alios contractus. II. 7. 31.

Abſoluuntur à reſeruatis etiam papalibus per ſuos Prælatos. II. 7. 32.

Et quidem etiam ante ingreſſum. II. 7. 33.

Nec reincidunt cenſuras ſic ablatas, ſi bona fide ingreſſi poſtea recedant. II 7. 34.

Pluries abſolui poſſunt a reſeruatis. II. 7. 35.

Diſpenſantur ſuper irregularitatibus. II. 7. 36. & 37.

Relaxantur eorum vota. II. 7. 38.

Et quidem etiam per Epiſcopum. II. 7 39.

Non tenentur implere vota facta ante ingreſſum. II. 7. 40.
Idque per modum commutationis, aut ſuſpenſionis. II. 7. 40. & 41.
Irritari tamen nequeunt ipſorum vota à Prælato regulari. II. 7. 42.
Diſpenſantur intra religionẽ in præceptis eccleſiæ. II. 7. 43.
Non diſpenſantur ad effectus perpetuos, ſi recedãt II 7. 44.
Recipiunt Ordines ſacros. II. 7. 46.
Et quidem à proprio epiſcopo, quem habebant ante ingreſſum, vel etiam ab eo, quem habent in loco nouinatus. II. 7. 47.
Et tunc obtinent dimiſſorias à regulari Prælato. II. 7. 48.
Poſſunt & recipere Ordines ſine licentia Prælati regularis II. 7. 49.
Non tamen titulo paupertatis. II. 7. 50.
Vtuntur bulla Cruciatæ aliàs vetita Religioſis Ordinis. II 7. 51.
Audiunt confeſſiones laicorum, & in hoc vtuntur priuilegijs Ordinis. II. 7. 52.
Concionantur etiam nondum ordinati. II. 7. 53.
Immò etſi non tonſurati. II. 7. 54. & 55. & 56. & 57.
In articulo mortis faciunt profeſſionem, anno nouitiatus nondum finito. II. 7 58.
Eligunt ſepulturam II. 7. 59.
Non eiciuntur ab Ordine ſine legitima cauſa. II. 7. 60.
Non ſubſunt generalibus Interdictis latis contra laicos. II. 7. 61.

Nouitij quo ad prohibitiones.

Non ſubſunt prohibitionibus factis contra Religioſos profeſſos. II. 8. 1. & 2.
Acquirunt beneficia eccleſiaſtica. II. 8. 5.
Item & penſiones; quod alij negant. II. 8. 6. & 7. & 8.
Sunt capaces beneficij regularis. II. 8. 9.
Sed ſolùm beneficij ſimplicis. II. 8. 10.
Et quidem aliquibus ſeruatis. II. 8. 11.
Eligi non poſſunt ad dignitates regulares. II. 8. 12.
Idq; etſi profeſſus vnius ordinis ad alium tranſeat, durante nouitiatu poſteriori. II. 8. 13.
Is tamen eligi poſſet in Prælatum prioris ordinis. II. 8. 14.
Non habent ius eligendi intra ordinem. II. 8. 15.
Validè, non licitè nubunt. II. 8. 16.
Ingreſſi intra prius bimeſtre matrimonij iam initi nõ profitentur, niſi finito anno nouitiatus. II. 8. 18.
Sine Prælati conſenſu validè ſtant in iudicio. II. 8. 19.
Non prohibentur adire Moniales ex ſpeciali prohibitione facta Regularibus. II. 8. 20.
Non adeunt tamen illas ſine licentia ordinarij. II. 8. 21.
Edunt libros ſine Ordinis approbatione. II. 8. 22.
Appellant à ſuis Prælatis. II. 8. 23.
Non conuerſantur cum profeſſis Monaſterij. II. 8. 24.
Liberè faciunt vota & realia, & perſonalia. II. 8. 25.
Deberent tamen ea facere ſub conditione *ſi Superior voluerit*. II. 8. 26.
Se ſubijciunt ordinario. II. 8. 27.
Nõ dãt de ſuis bonis Conuentui, in quo probantur. II. 8. 28.
Immò nec toti ordini, nec alij conuentui illius. II. 8. 29.
Item non poſſunt illis mutuare. II. 8. 30.
Oppoſitum tamen non eſt improbabile. II. 8. 31.
Maximè ſi mutuum detur ſub peculiari quadam conditione. II. 8. 31. & 33.
Diſponunt de bonis, ſed non in Soc. Ieſu. II. 8. 34. & 35.
Non renunciant bonis, niſi iuxta Conc. Trid. formam. II. 8. 36.

Nouitij quo ad bonorum Renunciationem.

Vide *v. renuntiatio.*

O

Obedientia.

Eſt de eſſentia ſtatus religioſi. I. 1. 15. IV. 4. 5.
Ad quid obliget in Ordinibus Militaribus. I. 3. 31.
Vtilis Religioſis. I. 4. 5.
Ad illam non tenentur Nouitij ex voto. II. 6. 12.
Religioſus Epiſcopus, abdicato Epiſcopatu non ſubditur obedientiæ Prælati regularis, etſi redeat ad Ordinem. III. 5. 17.
Tranſiens ad alium Ordinem hòc ipsò quod profitetur in poſteriori Ordine eximitur ab obedientia prioris Ordinis. III. 5. 151.
Sed non in omni caſu. ibid.
Religioſi ſubſunt obedientiæ ſuorum Pręlatorũ. III. 6. 48.
Fratres Minores faciunt ſpeciale votum obedientiæ Papę, ac Eccleſiæ. IV. 5. 1.
Quid ſit obedientia. IV. 4. 1.
Diſtinguitur à traditione, quæ fit in profeſſione. IV. 4. 4.
In quo conſiſtat ſolemnitas voti religioſæ Obedientiæ. IV. 4. 6. & 7.
Obedientia varia iuxta varietatem Inſtitutorum regularium, non quidem ſubſtantialiter, ſed terminatiuè. IV. 4. 10
Quo ad ſubſtantiam eſt eiuſdem rationis in quouis Ordine. IV. 4. 11.
Per ſe reſpicit præceptum Superioris ad eliciẽdum actum voti Obedientiæ IV. 4. 13.
Simpliciter melius eſſet præcipere Religioſis per pręcepta formalia, ſed non expedit. IV. 4 14. IV. 5. 196.
Actus præſcriptus à Superiore, etiam ſine præcepto formali, poteſt eſſe Obedientiæ actus ex duplici titulo. IV. 4 15.
In aliquibus caſibus conſultum eſt obedire abſq; formali præcepto. IV. 4. 16.
Gradus Obedientiæ 4. ſunt. IV. 4. 17.
Qualis eſſe debeat in Religioſis etiam quo ad res non obligatorias. IV. 4. 18
Reijcit excuſationes, ſed non omnes. ibid.
Qualiter eſſe debeat voluntaria. IV. 4. 19.
Affectus erga rem præceptam iuuat ad perfectionem Obedientiæ. IV 4. 20.
Debet eſſe perfecta etiam ex parte Intellectus. IV. 4. 21.
Idq; ſpectando Deum in Superiore præcipiente. IV. 4. 22.
Qualiter eſſe debeat cæca. IV 4. 23.
In dubio, an res præcepta ſit licita, obediri poteſt, attenta ſola auctoritate Prælati. IV. 4. 24.
Obiectum Obedientiæ duplex. IV. 4. 25.
Obedientia eſt virtus præſtantiſſima. IV. 4. 26.

Obedientia quo ad eius obligationem.

Obligatio religioſæ Obedientiæ fundatur in iure naturali. IV. 4 27.
Ad duo ſe extendit. IV. 4 28.
Adſtringit ſolum quando Superior aperit ſubdito ſuam voluntatem. IV. 4. 29.
Ex obiecto eſt ſub mortali. IV. 4. 30.
Idq; etſi non præcipiatur in virtute obedientiæ. IV. 4. 31.
Prælatus in re leui non obligat ſub mortali. IV. 4. 32.
Obligat tamen in re graui etiam ſolũ ſub veniali. IV. 4 33.
Non aſtringit ad Obedientiam formalem. IV. 4. 34.
Actus Obedientiæ propriè, ac preſsè in quo conſiſtat. IV. 4. 35.
Prælatus non mandat præceptum impleri, quatenus præceptum eſt. IV. 4 36.
Obediendum in omnibus, quæ ſunt iuxta regulã. IV. 4. 37.
Et quidem cuilibet Superiori proprio. IV. 4. 38.
Etiam illi qui aliàs præcipere nequit in virtute Obedientiæ. IV. 4. 39. & 142.
Iis tamen cum debito ordine obediendum IV. 4. 40.
In aliquo caſu obediendũ cũ periculo vitę. IV. 4. 41 & 42.
Non tenemur ſub peccato parere Regulę non obliganti ad peccatum. IV. 4 43.
Idq; etſi promiſſa ſit obedientia iuxta regulam. IV. 4. 44.
Violans regulam non obligantem ad peccatum ſubit pœnam inflictam à Superiore. IV. 4. 45.

In dubio parendum, ſed non in omni euentu. IV. 4. 46.
Non parendum contra conſcientiam inuincibiliter errantem. IV. 4. 47.
Quod ſi Religioſus cenſeat vtramque partem contradictionis eſſe peccatum, eligendum id, quod minus malum apparet. IV. 4. 48.
Putans probabiliter rem imperatam eſſe illicitam obedit, depoſita practicè conſcientia erronea; immò & debet obedire. IV 4 49 & 50.
Obediendum præcipienti ex præſumptione falſa, ſed non ſemper. IV 4. 51.
Obligatio Obedientiæ durat, quamdiu Religioſus viuit in religione. IV. 4. 52.

Obedientia quo ad illius obiectum.

Obediendum in omnibus licitis. IV. 4. 53.
Non eſt idem obiectum voti Obedientiæ in omnibus Ordinibus. IV 4. 54
In Soc. Ieſu eſt ampliſſimum. ibid.
Regularum obſeruantia non cadit ſub votum Obedientiæ. IV. 4. 55.
Votum tamen Obedientiæ Ordinis regulæ addit obligationem commenſuratam ipſi regulæ. IV. 4. 56.
Poſſunt præcipi contenta in regula ſolũ implicitè. IV 4. 57.
Præcipi poteſt obſeruantia regulæ reformatæ, ſed non ſemper. IV 4. 58.
Vt ſi relaxatio inducta erat licitè, v. gr. per diſpenſationem. IV 4. 59
Poſſet tamen præcipi, ſi inducta eſſet illicitè, etſi poſtea ex legitima conſuetudine facta ſit licita. IV. 4. 60.
Idque etiam in caſu quo ita illicitè ab initio inducta ſit, vt poſtea non potuerit fieri licita. IV. 4. 61.
Præſcribi poſſunt nouæ auſteritates non præſcriptæ in regula, ſed non ſemper. IV 4. 63.
Item præſcribi poſſunt ad tempus ob publicam neceſſitatem. IV 4 64.
Quod ſi præſcribantur, ſeruari debent etiam ab ijs, qui in illas non conſenſerunt IV. 4. 65.
Non poſſunt præſcribi auſteritates ſupra regulã. IV. 4. 66.
Hæc faciliùs præcipi poſſent quo ad religioſos poſtea profeſſuros. IV. 4. 67.
Præcipi poſſunt, quæ ſunt infra, aut præter regulã. IV. 4. 68.
Si ea quoquo modo ordinentur ad regulam. IV. 4 69.
Prælatus non poteſt præcipere ea, quæ referuntur ſolum ad bonum ipſius. IV. 4. 70.
Non poſſunt præcipi, quæ apertè ſunt contra regulam. IV. 4. 71.
In dubio, tamen, an ſint contra regulam ſeruari debent. IV. 4 72.
Præcipi non poſſunt difficilia, & impoſſibilia ad probandam obedientiam. IV. 4. 73.
Excuſari tamen poſſunt talia præcepta, ſi fiant. IV. 4. 74.
Quid agendum in caſu, quo fiant. IV. 4 75.
Præcipi non poſſunt apertè illicita. IV. 4. 76.
In dubio, an ſint illicita poteſt, & debet obediri IV. 4 77.
Præcipi non poteſt Religioſo, vt redeat ad vitam ſecularem. IV. 4. 79.
Neque vt tranſeat ad Ordinem laxiorem IV. 4. 80.
Neque vt tranſeat ad ſtrictiorem. IV. 4. 81.
Neque vt acceptet Epiſcopatum. IV 4. 84.
Id tamen præcipere poteſt Papa IV 4. 85.
Neque vt recipiat beneficia eccleſiaſtica. IV. 4 86.
Præcipi poteſt Religioſo, vt in Indijs exerceat parochialia. ibid.
Item vt acceptet prælaturas Ordinis IV. 4. 87.
Non tamen in caſu, quo iudicet rationabiliter ſe eſſe indignum, ac inhabilem. IV 4. 8.
Neq; ſi habeat impedimentum ipſi inuoluntariũ. IV. 4. 89.
Neque ſi alias expertus ſit ſe non poſſe ſine ſuo damno ſpirituali exercere prælaturas. IV. 4 90.
Cogi poteſt Religioſus, vt exerceat miniſteria Ordinis, quæ maximè auerſatur. IV. 4. 92.
Non poſſunt præcipi actus merè interni. IV. 4 93.
Quod tamen alij negant. IV. 4 9.
Damnari non poteſt Religioſus, qui interiùs ſequitur opinionem aliquam, quam prohibitus eſt ſequi. IV. 4. 95.
Qualiter præcipi poſſit Religioſis, ne interiùs opinionem aliquam ſuſtineant IV. 4. 96.

Obedientia quo ad Prælatos, quibus obediendum eſt.

Quibus ex voto Obedientiæ religioſe parendum ſit. IV. 4. 98 & 115.
Ex tali voto non parendum Deo. IV. 4 99. & 100.
Non eccleſiæ. IV. 4. 101.
Non Congregationi Cardinalium ſuper Regulares; etſi id non ſit certum IV. 4 107.
Non Legatis de latere, aut Nuncijs. IV. 4. 109.
Non Protectori Ordinis. IV. 4. 110.
Non toti Collegio Cardinalium, Sede vacante. IV. 4. 111.
Non Ordinarijs, ſecluſa etiam exemptione. IV. 4 112.
Quod tamen alij negat. IV. 4. 113.
Obediendum tamen Papæ. IV. 4. 102.
Ei enim principaliter fit Obedientiæ votum. IV. 4. 103.
Duplicis peccati reus fit Religioſus non obediens Papæ præcipienti non ſolum pro vt Papa, ſed etiam pro vt eſt Prælatus regularium IV. 4. 104.
Papa tamen vi huius voti præcipit ſolum, quæ ſunt iuxtá regulam. IV 4 105.
Papa, & Prælato regulari eodem tempore contraria præcipientibus parendum eſt Papæ. IV. 4. 106.
Religioſi exempti in aliquibus tenentur potiùs parere Epiſcopo, quam proprio Prælato. IV. 4. 114.
Ex Obedientiæ voto regulariter non obeditur Subprioribus, Vicarijs, Miniſtris, & ſimilibus. IV. 4. 116.
Excipe niſi abſit Prælatus Conuentus, & ij ſint Superiores in capite. IV. 4. 117.
Idque de iure communi. IV. 4. 118.
Ex hoc voto obediendum eſt habentibus poteſtatem delegata. IV. 4. 119.
Obeditur proprio Prælato præcipienti extra territorium. IV. 4. 121.
Secùs, ſi ſit excommunicatus vitandus. IV. 4. 122.
Ei obediendum, etſi legitimè accuſato, quamdiu lis pendet. IV. 4. 123.
Si tamen pręcipiat contra regulã, ei nõ parendũ. IV. 4 124.
Neq; in caſu, quo præceptum nitatur falſa præſumptione. IV. 4 125.
Item parendum Prælato nulliter electo ex defectu occulto. IV. 4. 126.
Idque etſi fuiſſet depoſitus, ſed non conſtaret. IV. 4. 127.
Item in caſu, quo conſtaret illum incurriſſe priuationem officij latam in aliqua bulla. IV. 4 128
Idque maximè conſulendum, etſi alij Doctores diſſentiãt. IV. . 129. & 130.
Obediendum Prælato, pendente appellatione. IV. 4. 131.
Parendum Prælato ſuperiori, ſi is, & Prælatus inferior eodem tempore præcipiant oppoſita. IV. . 132.
Si tamen præceptum Prælati inferioris vera contrarietate aduerſetur præcepto Prælati ſuperioris IV. . 133.
Prælato regulari, & Patre viri Religioſi contraria præcipientibus, obediendum regulariter proprio Prælato. IV. 4. 134.
Cui Prælato Relig. peregrinus obedire debeat. IV. 4. 135.
Recedens ab vno Conuentu ad alium ibi habitaturus, quamdiu eſt in itinere, neutri Superiori dictorum Conuentuum paret. IV. 4. 136.
Quod ſi hic Religioſus ex caſu fortuito redeat ad priorem Conuentum, iter ſuum paulò poſt proſecuturus, non tenetur parere Prælato dicti Conuentus. IV. 4 137.
Religioſus Cardinalis, aut Epiſcopus ex voto paret Papæ. IV 1. 138.
Religioſus eiectus paret Prælato regulari in aliquibus. IV. 4. 139.
Non item in pluribus alijs. IV. 4 140.

Diſpen-

Diſpenſatus ad matrimoniū ex voto nulli obedit. IV. 4. 141.
Ex voto parendum Prælato etiam non potenti præcipere in virtute obedientiæ. IV. 4. 142.

Obedientia quo ad eius violationem.

Violatio voti Obedientiæ in quo conſiſtat. IV. 4. 145.
Duplicem habet malitiam. IV. 4. 146.
Non includit ſpecialem malitiam reſpondentem promiſſioni factæ regulari Prælatò de obediendo ei. IV. 4. 147.
Si Prælatus potens aliquid præcipere ex duplici titulo ſe declaret ſe præcipere ex vtroque violatio talis præcepti duplicem malitiam etiam ex hoc capite habet. IV. 4. 148.
Tranſgreſſio facta contra leges Eccleſiæ, & contra legem Prælati vt ſic vnicam habet malitiam. IV. 4. 150.
Inobedientia formalis quæ ſit IV. 4. 152.
Ea non eſt ſemper mortalis. IV. 4. 151.
Prçlatus non ſemper præcipit ſub mortali, etiam in re graui. IV. 4. 153.
In aliquibus Ordinibus præceptum Prælati non obligat ſub mortali, niſi addatur præceptum in virtute Obedientiæ. IV. 4. 153.
Regulariter tamen præſumitur Prçlatus velle obligare ſub veniali. ibid.
Quæ inobedientia cenſeatur reſeruata, ſi in Ordine reſeruetur Inobedientia. IV. 4. 155.
Superior carens poteſtate ſpirituali cenſetur velle obligare ſub mortali per ſua præcepta, eſtò non præcipiat in virtute Obedientiæ. ibid.
Inobedientia circa rem præceptam à duobus Superioribus vnicam includit malitiam. IV. 4. 158.
Inobedientia circa rem ex obiecto leuem grauis fieri poteſt ex circumſtantijs concurrentibus. IV. 4. 159.
Ex grauitate rei præceptæ & ex modo præcipiendi colligitur grauitas Inobedientiæ. IV. 4. 160.
In Soc. Ieſu nullum præceptum obligat ad culpam, niſi fiat ſub certis formis præcipiendi. IV. 4. 161.

Obedientia quo ad diſpenſationem.

Votum religioſæ Obedientiæ eſt diſpenſabile, ſi diſpenſetur ſuper Religioſo ſtatu. IV. 4. 162.
Non item, ſi diſpenſetur Religioſus ſaluo ſtatu religioſo. ibidem.
Ex defectu iuſtæ cauſæ talis diſpenſatio non eſt poſſibilis. IV. 4. 163.
Solus Papa in hoc diſpenſat. IV. 4. 164.
Et quidem ſibi ſoli ſubdendo Religioſum taliter diſpenſatum. IV. 4. 165.
Idq; etiam ſine cauſa quo ad validè. IV. 4. 166.
Poteſt Prælatus ſuperior eximere Religioſum à poteſtate Prælati inferioris illum ſibi immediatè ſubijciendo. IV. 4. 167.
Religioſus vi appellationis interpoſitæ contra Prælatum nō eximitur ab eius Obedientia. IV. 4. 168.
Non præſcribitur contra Obedientiam regularibus Prælatis debitam. IV. 4. 169.
Religioſus factus Papa non eſt liber à voto Obedientiæ. IV. 4. 170.
Multò minùs, ſi fiat epiſcopus. IV. 4. 171.
At eximitur ab immediata ſubiectione Ordinis. IV. 4. 172. & 173.
Idq; etiam in caſu, quo, renunciato epiſcopatu, redeat ad Ordinem. IV. 4. 174.
Limita, niſi ex ſua culpa degradetur. IV. 4. 175.
Et hoc procedit etiam quo ad epiſcopos titulares. IV. 4. 176.
Item quo ad epiſcopum ex ſua culpa depoſitum. IV. 4. 177.
Religioſus Cardinalis eximitur ab obedientia ſui Ordinis, ſed non Papæ. IV. 4. 178.
Item promotus ad Abbatiam ſecularem habentem iuriſdictionem. IV. 4. 179.
Religioſus factus Parochus non ſemper eximitur ab obedientia Ordinis. IV. 4. 180.
Generales Ordinum etſi perpetui, nòn eximuntur à voto Obedientiæ. IV. 4. 181
Item nec Religioſi legitimè eiecti, abſolutè loquendo. IV. 4. 182.
Diſpenſatus ad matrimonium eò ipsò eſt liber ab obediētia Ordinis, ſed non Papæ. IV. 4. 183.

Oblati.

Sunt Religioſi, ſed non omnes. I. 3. 41.
Qui propriè dicantur tales. ibid.
Liberè nubunt, & diſponunt de bonis, ſed non omnes. I. 3. 42.

Obligatio.

Obligatio reciproca inter Religionem, ac Religioſum eſt de eſſentia ſtatus religioſi. I. 1. 22. & 23.
Prælatus promittens alteri de bonis Religioſi ſubditi tenetur etiam ciuiliter. IV. 2. 208.
Obligatio ſtrictè interpretari debet. IV. 5. 32.
Suſcipiens officium Prætoris non tenetur aduertere omnia onera illius. IV. 5. 356.
In obligationibus inducendis valet regula *Si voluiſſet, expreſſiſſet.* IV. 5. 382. & 564.
Grauitas obligationis colligitur ex varijs capitibus V. 2. 10.
Grauitas obligationis regulæ ſumenda ex verbis ipſius regulæ V. 2. 28.
Quæ verba certò inducant obligationem grauem. V. 2. 31.
Ex qualitate pęnæ conijcitur obligationis grauitas. V. 2. 32.
Obligatio regulæ alia eſt quo ad vim coactiuam, alia quo ad directiuam. V. 2. 42.
Obligatio clauſuræ Regularium ex obiecto eſt grauis. V. 6. 10.
Obligatio deferendi habitum regularem eſt de iure poſitiuo. V. 7. 1.
Obligatio ſemel extincta non reuiuiſcit. II. 9. 63.
Obligatus ad maius tenetur ad minus incluſum in eo. IV. 2. 65.
Obligationes Regularium variæ. vide *tract. de obligat. per totum.*

Occultare.

Non peccat Religioſus occultans apud ſe res conceſſas, ſed obiurè etſi prohibitus ſit eas retinere. IV. 2. 314.
Peccat Officialis Conuentus occultando pecuniam à ſe implicandam in bonum ipſius Conuentus, ſed contradicente Prælato IV. 2. 292.
Non peccat Religioſus occultando Officiali Conuentus res ſpectantes ad eius officium. IV. 2. 293.
Peccat occultando Superiori rem conceſſam ex timore, ne ipſi ab eo auferatur; ſecùs, ſi ad vitandam cōfuſionem. IV. 2. 290.
Non peccat claudendo cubiculum, ita vt, eo abſente, nemo poſſit ingredi, modò id non faciat contra Superiorem. IV 2. 291.

Occupatio.

Si ſit grauis, honeſta, ac neceſſaria eximit ab obligatione diuini Officij. V. 8. 120.
Eius tamen recitatio præuenienda, ſi præuideatur occupatio. ibid.
Poſſunt Religioſi reſeruare Officia breuiora pro diebus, quibus præuident ſe fore magis occupatos. V. 8. 121.

Officia.

Quid veniat nomine officiorum in Religionibus. V. 6. 61.
Officium, & prælatio interdum confunduntur. IV. 5. 371.

Officium diuinum.

Vide *v. hora canonica.*

Opinio.

Opinio ſpeculatiuè probabilis eſt talis etiam practicè. IV. 1. 129.
In materia paupertatis religioſę non eſt amplectenda opinio ſtrictior. IV. 2. 256.
Religioſus operans iuxta opinionem, quam prohibitus eſt ſequi, non debet damnari. IV. 4. 95.
Qualiter præcipi poſſit Religioſis, ne ſuſtineant opinionē aliquam doctrinalem. IV. 4. 96. & 97.
Vnius Doctoris grauis auctoritas opinionem facit probabilem IV. 2. 372.
Opinio minùs probabilis, imò ab aliquibus iudicata falſa interdum ſequenda. V. 12. 56.
Et quidem etiam contra propriam opinionem. ibid.
Sequenda opinio penitentis, ſi non agnoſcatur falſa. ibid.
Manifeſtanda opinio minùs probabilis conſulenti, ſed non ſemper. ibid.
Conſulens non remitti poteſt ad Doctorem contrariæ opinionis, quæ certò agnoſcatur falſa. ibid.

Oratio.

Orationis mentalis vſus confert ad reformationem Religionum. I. 5. 9.
Ei debent vacare Nouitij II. 5. 5.
Qualiter ad hoc iuuari poſſint. II. 5. 5.
Confert ad Caſtitatem. IV. 3. 12.
Propria Religioſorum. I 5 9.
Orandum pro omnibus. V. 12. 66.

Ordinarius.

Aliàs approbabat Religiones. I. 1. 9.
Eius conſenſus petitus, vt coniux poſt matrimonij conſummationem ingrediatur religionem. II. 4 17.
Nouitij ab eius iuriſdictione exempti. II. 7. 11.
Sponſo de futuro religionem ingrediente ſponſus relictus nubit ſine licentia Ordinarij. II 7. 21.
Ordinarius relaxat vota Nouitiorum, ſi petatur. II. 7. 39.
Approbat Confeſſarium pro iis. II. 7. 45.
Nouitij ordines recipiunt ab Ordinario tum proprio, tum loci, in quo probantur. II. 7. 47.
Dat Ordinarius licentiam Nouitiis, vt adeant Moniales. II. 8. 21.
Nouitij poſſunt ei ſe ſubijcere, ſi velint. II. 8. 27.
Abſq; eius facultate non renunciant bonis. II. 9. 36.
Talem facultatem dat Epiſcopus nondum conſecratus, imò & Capitulum, Sede vacante. II. 9. 37.
Datur etiam per alium. II. 9 38.
Ordinario præcipiente reſtituendus eſt coniux, qui profeſſionem fecit ſine licentia alterius coniugis III 2 42.
Ordinarius in nullo caſu diſpenſat ſuper religioſa profeſſione. III 5. 24. & 25.
Aliàs coram illo, & coram Prælato regulari reclamabatur pro nullitate profeſſionis. III 5. 35.
Ordinarius in graui neceſſitate commutat votum religionis. IV. 1. 114.
Non item ſuper voto Caſtitatis ſolemni. IV. 3. 111.
Ei non parent Religioſi ex obedientiæ voto, etiam ſecluſa exemptione. IV. 4. 112.
Aliqui negant, ſed reijciuntur. IV. 4. 113.
Religioſi in aliquibus debent potiùs parere Ordinario, quam Prælato regulari. IV. 4. 114.
Non tenentur tamen ad ieiunia indicta ab Ordinario. V. 5. 51.
Iuxta aliquos ſeruāt ieiunia ex voto populi promiſſa. V. 5. 52.
Punit Ordinarius Religioſum incedentem ſine habitu regulari extra Conuentum. V. 7. 44.
Interdum diſpenſat in iure communi. V. 7. 58.
Eo requirente Religioſi Concionatores tenentur facere fidei profeſſionem. V. 10. 4. & 14.
Religioſi non conueniunt ad proceſſiones, niſi ab eo inuitentur, de rigore loquendo. V. 11. 4.
Ab eo cogi poſſunt, vt eant ad proceſſiones, ſed non per cenſuras. V. 11. 6.
Limita, niſi ſint Parochi. V. 11. 7.
Ille componit differentias occaſione proceſſionum exortas inter Regulares quoad præcedentiam. V. 11 15.
Publicæ proceſſiones ab illo indici poſſunt. V. 11. 10.
Quamdiu Ordinarij potuerunt approbare Religiones, potuerunt & diſpenſare ſuper religioſa profeſſione. III. 5. 24.

Ordines ſacri.

Poſſunt recipi à Nouitiis. II. 7. 46.
Et quidem tum ab Epiſcopo proprio originis, quam ab Epiſcopo loci, in quo probantur. II. 7. 46.
Item ſine facultate proprij Prælati regularis. II. 7. 49.
Sed non titulo paupertatis. II. 7. 50.
Per ordinis ſacri ſuſceptionem vt ſic non ratificatur profeſſio, quæ eſt nulla. III. 1. 70.
Qui in ſuſceptione Ordinis ſacri intendit non vouere Caſtitatem, adhuc tenetur ad illam ex peculiari lege Eccleſiæ, & tenetur illam vouere. IV. 5. 346.
Ordo obligat ad deferendam Tonſuram V. 7. 50.
In hoc tamen faciliùs excuſari poſſunt Diaconus, & Subdiaconus, quam Sacerdos, maximè ſi Altari non inſeruiant. V. 7. 53.
Recipiens Subdiaconatum à puncto ſuſceptionis tenetur ad horas illi tempori reſpondentes. V. 8. 101.
Religioſus ſacris Ordinibus initiatus transferri nequit ad ſtatum laicalem. III. 5. 138.
Hoc ipſò quod quis ſuſcipit Ordinem ſacrum, tenetur ad Caſtitatem ex voto implicito, vel ſaltem ex præcepto eccleſiæ. IV. 3. 38.

Otium.

Eius fuga confert ad Caſtitatem ſeruandam. IV. 3. 15.

P

Papa.

Approbat Religiones. I. 1. 11.
Diſpenſat in ſtatu religioſo I. 1. 34.
Eius ſententia de re pertinente ad doctrinam eſt infallibilis I. 1. 6.
Abſque eius conſenſu non ſiunt nouæ Religiones. I. 2; 12. & 13. & 14.
Approbare poteſt quemcumque modum viuendi honeſtum accedentem ad ſtatum religioſum. I 2. 16.
Non approbat ſtatum heremiticum. I. 2. 17.
Plures Religioſi electi ad Papatum. I. 4. 27.
Ordines religioſi viles Papæ. I. 4. 38.
Sine eius licentia Epiſcopi non ingrediuntur religionem. II. 4. 30. I 1. 29.
Se ſolo poteſt admittere ad profeſſionē religioſam. III. 3. 4.
Eius poteſtate deuoluitur profeſſio. III. 5. 8.
Ex cauſa tamen grauiſſima, & non ita frequenter. ibid.
Religioſus promotus ad Papatum adhuc eſt Religioſus. III. 5 15.
Papa diſpenſat cum Religioſo ad matrimonium, etiam durante ſtatu religioſo in eo. III. 5. 26.
Item diſpenſat vt tranſeat ad Ordinem laxiorem ſine cauſa. III. 5. 65.
Poteſt aliquo modo irritare profeſſionem validā. III. 5. 75.
De eius licentia Religioſus Epiſcopus abdicato epiſcopatu tranſit ad Ordinem laxiorem. III. 5. 121.
Quod ſi ipſe, renunciato papatu vellet tranſire ad aliquam religionem, poſſet id facere propria auctoritate, etſi antea fuiſſet Religioſus, III. 5. 122.

De

De eius licentia Religioſi Ordinum Mendicantium tranſeunt ad Monachales. III. 5. 123.
Diſpenſat ſolus in votis religioſis. IV. 1. 25.
Solus per ſe, vel per delegatum commutat votum religionis ſimpliciter IV. 1. 113. & 120.
Votum vouẽdi religionem non reſeruatur Papæ. IV. 1. 116.
Item nec votum Ordinis ſtrictioris. IV. 1. 117.
Vota Papę reſeruata propriè non commutantur in votum ſimplex religionis. IV. 1. 119.
Papa diſpenſat cum Religioſo, vt de bonis teſtetur. IV. 2. 205. & 360.
Solus diſpenſat in Religioſæ paupertatis voto. IV. 2. 350.
Religioſus electus Papa eò ipsò eſt diſpenſatus in dicto voto. IV. 2. 365.
Diſpenſat, vt Religioſus renocet teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem. IV. 2. 363.
Item, vt Religioſus fiat capax ſuccedendi. IV. 2. 364.
Item in voto ſolemni Caſtitatis religioſæ, & pluries diſpẽſauit. IV. 3. 103. & 110.
Diſpenſat in vſu dicti voti, non ablato voto, nec ſtatu religioſo. IV. 3. 115.
Hoc ipsò quod diſpenſat ſuper profeſſione, diſpenſat ſuper voto Caſtitatis. IV. 3. 116.
Facta diſpenſatione ſimpliciter ſuper profeſſione non poteſt non diſpenſare ſuper hoc voto. IV. 3. 117.
Diſpenſat, vt coniuges iam profeſſi vtantur matrimonio. IV. 3. 118.
Diſpenſat interdum ſuper hoc voto ſolum ad matrimonium, & hoc vnicum, relictoq; ſtatu religioſo. IV. 3. 119.
Item ad matrimonium contrahendum, ſed non conſummandum. IV. 3. 120 & 121. & 122.
Non diſpenſat præcisè ad hoc vt diſpenſatus violans Caſtitatem non ſit reus voti. IV. 3. 123.
Non diſpenſat abſolutè ſuper voto Caſtitatis, ſtatu religioſo adhuc ſubſiſtente. IV. 3. 124.
Diſpenſat cum onere, vt diſpenſatus, habita prole, redeat ad religionem. IV. 3. 125.
Poteſt obligare Regulares ad perpetuam Clauſurã. V. 6. 3.
Generalis eius conceſſio non derogat ius commune. IV. 2. 361.
Eius poteſtas extenditur ad illa omnia, quæ apertam non continent abſurditatem. IV. 3. 110.
Religioſus acceptat Papatum ſine conſenſu proprij Prælati IV. 4. 83.
Papa aſtringit Religioſos ad acceptandum Epiſcopatum. IV 4. 85.
Illi ex voto obedit Religioſus factus Epiſcopus, aut Cardinalis. IV 4. 138.
Solus Papa diſpenſat in voto religioſæ Obedientiæ. IV. 4. 164.
Et quidem validè etiam ſine cauſa. IV. 4. 165. & 166.
Religioſus factus Papa non eſt liber à voto Obedientiæ. IV. 4. 170.
Fratres Minores vouent Papæ ſpecialem obedientiam, ac reuerentiam. IV. 5. 1. & 11.
Papa ſine cauſa relaxat votum, quod fit in Societ. Ieſu de obediendo ipſi quo ad miſſiones. IV. 5. 204.
Religioſus Soc. Ieſu factus Papa ex voto non tenetur audire conſilia Generalis. IV. 5. 320.
Solus Papa diſpenſat in dimiſſione habitus religioſi. V. 7. 42.

Parentes.

Parentes Religioſorum protecti ab Eccleſia. I 6. 29.
Admittuntur ad religionem, etſi filios habeant indigentes, ſed non ſemper. II. 4. 43.
Validè tamen admittuntur in omni caſu, ſed non licitè. III. 2. 19.
Parens filio Religioſo legitimè expulſo tenetur de neceſſarijs, niſi aliunde prouideatur. III 6. 19.
Parentibus egenis Religioſorum non ſemper religio ſubuenit. III 6. 40.
Inuitis parẽtibus, filij puberes ingrediũtur religionẽ II. 4. 5.
Parentes negligunt pręalijs filios ſuos hòc ipsò quod ſiunt Religioſi. II. 9. 2.
Ab eorum poteſtate eximitur profeſſus. III. 4. 42.
Idque faciunt vota biennij in Societ. ibid.
Hinc tamen ijs non ceſſat exemptio debita ex 12. filijs. III. 4. 43.

Parochi.

Illis vtiles ſunt Religioſi. I. 4 30. & 31.
Multum debent illis. I 4 31.
Fiunt Religioſi liberè. II. 4. 31.
Religioſi etiam inuiti in Indijs fiunt Parochi. IV. 4. 86.
Promoti ad beneficium parochiale non ſemper eximuntur ab obedientia Ordinis. IV. 4. 180.
Conſenſus Parochi debitus, & negatus ſuppletur ab Eccleſia. IV. 5. 410.
Religioſus Parochus incurrit excommunicationem, ſi depoſito habitu Ordinis induat clericalem. V. 7. 39.
Parochus ratione ſtudij abſens modò non acquirit fructus. IV. 8. 171.
Quod tamen alij negant. ibid.
Parochus in die Natiuitatis Domini iuxta aliquos tenetur dicere vnicam Miſſam; quod non eſt ita abſolutè admittendum. V. 9. 23.
Cum periculo vitæ tenetur miniſtrare Euchariſtiam ſubdito, ſed non ſemper. V. 9 11.
Promotus ad doctoratum, & paulo poſt electus in Parochum iterat fidei profeſſionem. V. 10. 8.
Parochus Religioſus ab ordinario adſtringitur ad proceſſiones, etiam per cenſuras. V. 11. 7.
Munus Parochi tenetur Religioſus obire cum graui ſuo damno ſolum in extrema neceſſitate. V. 12. 10.
Parochus cum periculo vitæ interdum tenetur conferre Extremam vnctionem. V. 12. 19.
Religioſi, per ſe loquendo, non tenentur coadiuuare Parochos. V. 12. 26.
Tempore peſtis in defectum Parochorum ſubſtituendi à Prælatis regularibus. V. 12 30.

Paſcha.

In paſchate omnes Religioſi communicant ex lege Eccleſiaſtica. V. 3. 74.
Quid veniat nomine paſchatis. V. 3. 75.
Satisfit huic legi per communionem factam extra propriam Eccleſiam de licentia proprij Prælati. V. 3. 76.
Et quidem etiam cum licentia tacita. V 3. 77.
Religioſus indebitè miniſtrans Euchariſtiam Religioſo alterius Ordinis non excommunicatur V. 3. 78.
Non communicans in paſchate quàm primùm poſtea debet communicare; quod alij negant. V. 3. 79. & 80.
Præuidens ſe fore impeditum, ne communicet in paſchate, præuenit. V. 3. 81.
Alij tamen diſſentiunt. ibid.
Sic præueniens, ceſſante impedimento, in paſchate iterum communicat. ibid.
Communicans in peccato m. implet præceptum. V 3. 82.
Idque etſi ſit excommunicatus, aut interdictus. V. 3. 83.
Ad implendum hoc præceptum Sacerdos ſe ipſum communicat. V. 3. 84. & 85.
Idque etſi in paſchate communio ſumi debeat de manu Parochi. V. 3. 85.
Immò debet ſe communicare. V. 3. 86.
Non item Diaconus. V. 3. 87.
Non communicans in paſchate nullam pœnam incurrit ipsò factò. V. 3. 88.

Pauperes.

Pauperibus, aut fabricæ fit reſtitutio debita à beneficio ex omiſſione diuini Officij. V. 8. 226.

Qui dicantur pauperes in præſenti caſu. ibidem.
Si beneficiatus ſit pauper, applicat ſibi. V.8.227.
Pauperes talem reſtitutionem iam admiſſam cedunt beneficiario, etiam diuiti, ſi velint. V.8.228.

Paupertas.

Eſt de eſſentia ſtatus religioſi. I.1.13. IV.2.4.
Paupertas in communi non congruit monachis. I.3.16.
Paupertas Ordinum Militarium ad quid obliget. I.3.31.
Paupertas vtilis Religioſis I.4.3.
Ad eam non tenentur Nouitij. II.6.8.
Paupertas religioſa quid ſit. IV.2.1.
Abdicat à Religioſo dominium rerum temporalium. ibid.
Diuiditur in 4. gradus. IV.2.2
Votum illius aliud ſolemne, & aliud ſimplex. IV.2.3.
Non eſt ſimpliciter neceſſaria ad perfectionem religioſam. IV.2.4.
Status religioſus vt ſic non requirit votum ſolemne paupertatis. IV.2.5.
Votum ſimplex paupertatis non diminuit perfectionem ſtatus religioſi. IV.2.6.
Votũ paupertatis cõfert multũ ad perfectionẽ religioſã, ibid
Ad ſtatum religioſum vt ſic ſufficit paupertas tollens vſum ſuperfluum rerum temporalium. IV.2.7.
Solẽnitas voti illius cœpit à tẽpore Iuſtiniani Imper. IV.2.9.
Non eadem ratio paupertatis adaptatur omnibus Religionibus. IV.2.10. & 22.
Aliquibus illarũ expedit, vt habeãt bona in cõmuni. IV.2.11.
Idq; maximè in Ordinibus vitã mixtã profitẽtibus. IV.2.12.
Moraliter loquendo, non expedit Religioſis, vt viuant ex eleemoſynis quotidie emendicatis. IV.2.13.
Carentia dominij moraliter non pertinet ad maiorem perfectionem religioſæ paupertatis IV.2.14.
Dominium bonorum in communi non obſtat perfectioni religioſæ. ibid.
Prouiſio facta pro Religioſis debet eſſe prudens, & accommodata ſtatui paupertatis. IV.2.15.
Materia paupertatis alia remota, alia proxima. IV.2.16.
Eſſentia religioſæ paupertatis in eo conſiſtit, vt tollat poteſtatem vtendi rebus pretio æſtimabilibus independenter à Prælato. IV.2.17
In quo cõſiſtat ſolẽnitas voti religioſæ paupertatis. IV.2.18.
Votum ſimplex paupertatis quid importet. IV.2.19.
Paupertatis obſeruantia ſedulò procuranda IV.2.21.
Prælatus ſi in hoc deficiat, peccat IV.2.21.

Paupertas quo ad effectus.

Abdicat à Religioſo dominium rerũ temporaliũ. II.7.50.
In Soc. Ieſu votum ſimplex paupertatis facit Coadiutorem formatum incapacem dominij. IV.2.3.
Idque olim procedebat de voto ſimplici paupertatis, quod faciebant Clerici ſcholarum piarum. ibid.
Paupertas religioſa non ſemper excluſit dominium ſaltem quo ad vſum. IV.2.8.
Si ſit promiſſa voto ſolemni, facit incapacem dominij. IV.2.187.
Idque ſecluſa lege humana in contrarium, qualis extat in Soc. Ieſu in qua eadem incapacitas ex voto ſimplici ſequitur quo ad Coadiutores formatos. ibid.
Religioſus eſt incapax dominij, etiam pro breui tempore. IV.2.188.
Votum ſolemne paupertatis trãsfert in religionem vſumfructum ſui Religioſi etiã quo ad ius. IV.2.189. & 190.
Aufert vſum proprietariũ bonorũ tẽporalium. IV.2.191.
Sicque Religioſo nequit concedi quidquam ad vſum irreuocabilem. IV.2.192.
Facit incapacem ſucceſſionis, ſi Ordo ſit incapax, ſecùs, ſi capax. IV.2.193.
Non tamen facit incapacem legati IV.2.194. & 195.
Non tollit vſum peculij. IV.2.19.
Facit incapacem ſuccedendi in feudum. IV.2.198.
Nõ facit incapacẽ emphyteuſis, ſi Ordo ſit capax. IV.2.199.
Secus ſi ſit incapax. IV.2.200.
Non tollit adminiſtrationẽ fructuũ beneficialiũ. IV.2.201.
Facit incapacem penſionis. IV.2.202.
Sicq; per profeſſionẽ ceſſat penſio antea obtẽta. IV.2.203.
Aufert ius teſtandi de bonis. IV.2.204.
In hoc tamen Papa diſpenſare poteſt. IV.2.205.
Religioſus donare poteſt aliquid cauſa mortis de licentia Prælati. IV.2.206.
Item poteſt declarare teſtamentum antea factũ. IV.2.207.
Non acquirit monaſterio abſque licentia Superioris. I.2.210. & 264
Quod non omninò admittit Suarez IV.2.211.
Nequit accipere ſine licentia, etſi relinquat dominium rei datæ penes dantem. IV.2.214.
Prohibetur poſſidere bona temporalia. IV.2.215.
Non alienat bona proprijs vſibus data. IV.2.218.
Alienat tamen ſub conditione licentiæ poſtea obtinendæ. IV.2.219.
Peccat expendendo ſine licentia etiam de bonis non pertinentibus ad Conuentum. IV.2.221.
Peccat multipliciter ſoluens meretrici ex pecunia aliena ſurrepta cum licentia. IV.2.222.
Non violat paupertatem dans meretrici data ad hunc finem. IV.2.223.
Peccat ludendo ſummam immoderatã pecuniæ. IV.2.224.
Et ſi ludat abſque licentia, aut excedat quantitatem, & vincat, non tenet, quod lucratur. IV.2.225.
Sine licentia non facit eleemoſynas. IV.2.227.
Debet eſſe paratus abdicare à ſe quidquid habet IV.2.228.
Non retinet ſuperflua ſuo ſtatui. IV.2.437.
Seruat diligẽter cõceſſa ad vſum proprium. IV.2.239.
Recuſat oblata ſine violatione paupertatis. IV.2.230.
Recipit in depoſitum alienam pecuniam. IV.2.232.
Curat habere pecuniam paratam apud tertium, ex qua ſibi poſtea prouideat cum licentia hic, & nunc obtenta. IV.2.233. & 234.
Recipit ſine licentia Prælati immediati animo non vtendi re accepta ſine licẽtia Prælati mediati. IV.2.235.
Petit ab extraneo ſine licentia non accepturus ſine ea. IV.2.235.
Acceptat eleemoſynas diſtribuendas pauperibus ab ipſo eligendis. IV.2.236.
Recipit quaſi in locationem prædium Conuentus cum onere certam ſummam ſoluendi ei. IV.2.237.

Paupertas religioſa quo ad obligationem.

Quæ ſit iſta obligatio. IV.2.238.
Ea varijs iuribus inducta. IV.2.239.
Eſt diuerſa pro Religioſorum varietate. IV.2.240.
Ex obiecto obligat ſub culpa m. IV.2.241.
Inducta ſub varijs pœnis. IV.2.242.
Tollitur per diſpenſationem. IV.2.248.
Ex ea oritur obligatio reſtituendi. IV.2.249.
Qualiter explicanda. IV.2.250.

Paupertas religioſa quo ad violationem.

In violatione paupertatis multiplex malitia reperitur. IV.2.252.
Non ſemper violatur paupertas à retinente rẽ cũ licentia Prælati contra regulã, aut Conſtitutiones Ordinis. ibid.
In hac violatione interdum adeſt ſolum malitia proprietatis. ibid.
Immò & interdum duplex malitia furti. IV.2.253.
Ea ex genere ſuo eſt mortalis. IV.2.254.
Admittit tamen materiæ paruitatem. IV.2.255.
Peccat Religioſus expendendo ſine licentia de bonis non ſpectantibus ad Conuentum. IV.2.221.
Peccat multipliciter ſoluendo meretrici ex bonis ſurre-

ptis ab extraneo de licentia Prælati. IV. 2. 223.
Peccat ludendo ſummam notabilē pecuniæ. IV. 2. 224.
Aſſignatur in noſtra ſētētia quæ ſit talis ſumma. IV. 2. 256.
Religioſus non peccat m. recipiens aut expendens modica vſque ad notabilem quantitatem. IV. 2. 2 7.
Idem procedit de ſurripiente modica ex commeſtibilibus Conuentus IV. 2. 2 8.
Imo & de ſurripiente ſimul quātitatē notabilem. IV 2. 259.
Idque etſi commeſtibilia accipiantur ab externis. 260.
Furta minima comeſtibilium moraliter non continuantur in vnum. IV. 2. 261.
Et hoc procedit de diſtractionibus modicis pecuniæ acceptæ ab exteinis. ibid.
Non violat paupertatem Religioſus ſine licentia inuitatus ab externo ad prandium, & ibi edens. ibid.
Violatio paupertatis facta à profeſſo nō eſt grauior ea, quæ fit à Scholari approbato Societatis. IV 2. 262.
Non peccat quem penitet vouiſſe paupertatem. IV. 2. 263.
Nec qui delectatur de dominio, ac vſu libero bonorum. IV. 2. 264.
Nec qui cupit diuitias, IV. 2. 265.
Peccat, qui furatur ab externis. IV. 2 265.
Item qui ad vſum proprium recipit ab externis indebitè. IV. 2. 268.
Non peccat ſine licentia accipiens rem ab externis aliàs ſuppeditandam ex bonis Conuentus. IV. 2. 269.
Peccat, qui indebitè accipit vſum facti comeſtibilium. ibidem.
Item, qui ſibi vſurpat ex bonis communibus Conuentus. IV. 2 270.
Secùs, ſi vſurpet ſolùm ad vſum temporarium. IV. 2. 271.
Peccat, qui indebitè dat ex bonis ſibi conceſſis. IV. 2. 272.
Quod negat Peytinus quo ad Religioſos eiuſdem Conuentus, aut Prouinciæ, ſed reijcitur. IV. 2. 273.
Non peccat, qui dat domeſticis de conceſſis à Superiore ſciente ea non fore neceſſaria conceſſionario, IV. 2. 274.
In qua quantitate dari poſſit citra violationem paupertatis. IV. 2. 276.
Peccat Religioſus mutuando, aut commodando ex rebus ſibi conceſſis, ſed non mortaliter IV. 2. 281.
Alij id negant in caſu, quo id fiat inter Religioſos eiuſdem monaſterij. IV. 2. 282.
Peccat m. recipiendo mutuum in maiori quantitate. IV. 2 283.
Secùs, ſi recipiat commodatum. IV. 2. 284.
Idque etſi accipiat commodatum cum hoc vt nullus alius eo vtatur. IV. 2. 285.
Peccat permutando conceſſa. IV. 2. 286.
Item, ſi rem monaſterij ad vnum vſum deſtinatam immutet in aliam ad proprium vſum. IV. 2. 287.
Item, ſi remittat ſummam annuam ſibi debitam ad vitam. IV. 2 288.
Secùs, ſi remittat ius miſſarum. ibid.
Non peccat, ſi conceſſa deferat ab vno Conuentu ad alium. IV. 2. 289.
Peccat occultando rem conceſſam, ne ea ſpolietur. IV. 2. 290.
Secùs, ſi occultet ad vitandam confuſionem, ibid.
Non peccat claudendo oſtium cubiculi, ita ut eo abſente nullus ingredi poſſit, ſi id non faciat contra Prælatum. IV 2. 291.
Peccat occultando pecuniam implicandam in bonum Conuentus, ſed contradicente Superiore. IV. 2. 292.
Non peccat m. celando Officiali Conuentus rem ſpectantem ad eius officium. IV. 2. 293.
Peccat Officialis diſtribuens bona Conuentus vltra præſcriptum Superioris. IV 2. 294.
Excipe niſi per accidens excuſetur ibid.
Peccat faciendo alteri picturam magni valoris. IV. 2 295.
Peccat petendo cum licentia pecuniam ab eo à quo Superior, qui dedit licentiam, nullo modo vellet peti. IV. 2. 296.
Peccat ſine licentia recipiendo ſyngrapham campſoriam animo ea non vtendi ſine licentia; ſed non ſemper. IV. 2. 297.
Et in hoc caſu pecunia exigi poſſet paulatim, præhabita licentia toties quoties. IV. 2. 29.
Non peccat dilacerando dictam ſyngrapham, inſcio Superiore; quod eſt limitandum. IV. 2. 299.
Non peccat procurans ſibi committi electionem cauſæ piæ, in qua certa pecunia implicari debet, etſi illam intendat ſibi applicare. IV. 2. 300.
Peccaret tamen, ſed non contra paupertatem, ſi prohibitus facere electionem illam, non deſiſteret. IV. 2 301.
Talem electionem vetare poſſet Superior non tamen transferendo in alium ius eligendi. IV. 2. 302.
Non peccat curans ſibi emi libros, relicto eorum dominio penes ementem. IV. 2 303.
Et tunc Religioſus cogi non poſſet cedere alij vſum talium librorum, ſi eos reddere velit domino. IV. 2. 304.
Secùs, ſi vſus librorum ad certum tempus ſit datus, & adhuc duret tale tempus. IV. 2. 305.
Peccat renuens commodare libros ei conceſſos alijs Religioſis, ſi verè ijs non egeat. IV. 2 306.
Non item, ſi donet ei oblata & ab eo acceptata ſolum externa. ibidem.
Peccat ſi abſque licentia applicet ſibi eleemoſynam petitam pro paupere determinato. IV. 2. 308.
Et quidem peccato furti. ibid.
Secùs ſi ſit petita pro pauperibus in genere. IV. 2. 309.
Et hoc licèt in receptione eleemoſynæ non intenderit ſibi eam retinere. IV. 2 310.
Non peccat conſentiens reuocationi eleemoſynæ aliàs pauperibus applicatæ, conſenſu illius ad talem reuocationem omninò requiſito. IV. 2. 311.
Non peccat applicando pauperi eleemoſynam ei non debitam. ibid.
Eleemoſynam à ſe petitam pro pauperibus in communi licitè ſibi applicat de licentia Prælati. ibid.
Non peccat occultè retinendo conceſſa, ſed ſatis obuiè, etſi ſit prohibitus retinere. IV. 2. 312.
Idque etſi Superior ſit iniuſtus quo ad ſubſtantiam. ibid.
Peccat expendens in bonum Conuentus, ſi Prælatus ſimpliciter repugnet. IV 2 313.
Non peccat expendens in vſibus minùs neceſſarijs pecuniam ſolitam dari pro veſtiario, ſi aliunde prouideatur. IV 2. 314.
Habens licentiam dandi, & accipiendi emit, & vendit. IV. 2. 315.
Violat paupertatem qui ſurripit alterius Religioſi ſcripta. IV. 2. 316.
Item qui tangit pecuniam aliàs prohibitus. IV. 2. 317.
Non item qui diſponit de manuſcriptis. IV. 2. 318.
Non violat dans non habenti licentiam accipiendi. IV. 2. 319.
Diſponit liberè de ſuis manuſcriptis iuxta aliquos. V. 9. 24.
Peccat è cella alterius religioſi manuſcripta ſurripiens. IV. 2. 316.
Non eſt proprietas, qui Sanctorum reliquias recipit ſine licentia ibidem.
Non eſt proprietarius qui contra Ordinis regulam contrectat pecuniam vſu politico. IV. 2 517.

Paupertas religioſa quo ad reſtitutionem.

Vide *v. reſtitutio.*

Paupertas religioſa quo ad diſpenſationem.

Vide *v. diſpenſatio.*

Peccatum.

Plena peccatorum remiſſio habetur per religioſam profeſſionem. III. 4. 12.

Ea nõ reuiuiſcit, ſi profeſſio fiat in m. peccato. III 4. 14.
Obtinenir item per profeſſionis renouationem. III. 4. 15.
Item per profeſſioné tranſeuntis ad aliũ Ordinem. III 4 16.
Item per vota ſimplicia, quæ fiunt in Soc. Ieſu III 4. 17.
Item per profeſſionem, quæ poſt biennij vota fiat in Societate dicta. III. 4 18.
Immò & per vota Coadiutoris formati, quæ poſtea fiant, ibid.
Religioſi à ſuis Prælatis exponi non debent occaſionibus peccandi. III. 6. 8.
Peccati malitiæ plures non incurruntur, niſi aduertantur. IV. 3. 41.
In violatione Caſtitatis plures malitiæ eſſe poſſunt. IV. 3. 72.
Falsò apprehendens ſe peccare, non diſtinguendo, an m. peccet, vel ven. peccet non ſemper peccat mortaliter. IV. 4 78.
Peccatum Inobedientiæ continet plures malitias. IV. 4. 146. & 147. & 148. & 150.
Peccata Regularium vt ſic non ſunt grauiora peccatis ſæcularium. V. 1. 24.
Poſſunt tamen eſſe grauiora ex aliquibus capitibus. ibid.
Poteſt homo pertingere ad eam perfectionem, vt vitet omnia mortalia. V. 1. 5.
Non peccat m. Religioſus contra obligationem religioſæ perfectionis, qui intendit facere quodcumque veniale ei occurrens V. 1. 15.
Violatio regulæ præſcribentis aliquid iure diuino, aut naturali præſcriptum duplicem continet malitiam. V. 2. 19.
Ad vitandum peccatum interdum neceſſaria eſſe poteſt confeſſio de iure diuino. V. 3. 3.
Habens conſcientiam peccati mortalis ſemel in anno confitetur ex præcepto Eccleſiæ. V. 3. 6.
Vnicum facit peccatum, qui omittit confeſſionem debitam ex præcepto Eccleſiæ, & ex regula. V. 3. 39
Iactans ſe de peccato aliàs facto non tenetur exprimere ſpeciem talis peccati. V. 3. 51.
Peccatum verè dubium non neceſſariò cõfitendum; quod alij non admittunt V. 3. 54.
Item nec peccatum, quod probabiliter creditur non eſſe mortale. V. 3 55.
Peccatum confeſſum vt dubium iuxta aliquos non iterum confitendum, etſi poſtea conſtet fuiſſe certum. V. 3. 56.
Omiſſa inculpabiliter circumſtantia peccati aliàs neceſſariò confitenda, exprimitur poſtea, non expreſſo iterum peccato. V. 3. 16.
Intellige, ſi alias hęc ſeorſim ſufficienter exprimi poſſint. V. 3. ·7.
Peccatum v. factum in communione euchariſtica non impedit eius fructum. V. 3. 109.
Accidens cum peccato ven. ad communionem venialiter peccat. V 3. 110.
Id tamen alij negant ibid.
Peccata venialia remittuntur per Euchariſtiam tum mediatè, tum immediatè. V 3. 117.
Communicans in aliquo caſu non peccat, & tamen non recipit gratiam. V. 3. 108.
Vnicum facit peccatum, qui omittit audire Miſſam debitam ex regula, & ex Eccleſiæ præcepto; quod tamen alij negant V. 4. 63.
Eodem die ieiunij pluries comedens vnicum facit peccatum. V. 5. 8.
Religioſus ſimul Profeſſus, Sacerdos, ac beneficiarius, ſi omittat horas, vnicum facit peccatum. V. 8. 96.
Peccata impedienda. V. 12. 61.
Peccatum varijs modis interrumpitur. IV. 1. 125.
Peccata etiam parua non negligenda. I. 5. 51.

Peculium.

Non denegatur Monachis, & Canonicis Regularibus. IV 2. 24.
Maximè ſi monaſterium non prouideat de neceſſarijs. IV. 2. 25.
Votũ ſolemne paupertatis nõ aufert vſũ peculij. IV. 2. 196.

Pecunia.

A Religioſis aliquorum ordinum non poteſt tangi tactu politico IV. 2. 317.
Ab alijs nec phyſico. ibid.

Penſio.

Obtinetur à Nouitijs etiam in ipſo nouitiatu; quod alij negant. I. 6. 7. & 8.
Vacat per religioſam profeſſionem, ſed non omnis. III. 4. 49. & 50. IV. 2. 203.
Votum ſolemne paupertatis facit incapacem penſionis. IV. 2. 202.
Habens penſionem tenetur ſolum ad Officium B. V. non autem ad horas canonicas V. 8. 200.
Habens beneficium ſimul & penſionem ſatisfacit vnica recitatione horarum. V. ·. 20.
Penſionarius omittens Officium B. V. reſtituit. V. 8. 230.
Immò beneficiarius poteſt tunc non ſoluere ei penſionem ad ratam omiſſionis. ibid.
Non tamen poteſt ex ſe illam dare pauperibus in reſtitutionem, inſcio penſionario. V. 8. 231.
Quinſiid faciat, peccat, & reſtituit. V. 8. 232.

Peregrini.

Religioſi peregrini cui Prælato debeant obedire. IV. 4 135 & 136. & 137.
Non ſubſunt ſtatutis proprijs monaſteriorum, per quæ tranſeunt. V 2. 46.
Non tenentur audire miſſam in feſto proprio loci, per quem tranſeunt. V. 4. 26.
Aſſignatur, qualis habitatio requiratur, vt ij teneantur legibus loci, in quo ſunt ibid.
Non tenentur audire miſſam in loco hoſpitij, etſi in loco proprij domicilij item ſit feſtum proprium. V 4. 27.
Item ſi mane recedentes è ſuo territorio, veſpere, illuc redituri ſint, & ante meridiem futuri ſint extra dictum territorium. V. 4 28.
Non ſeruant ieiunia loci per quem tranſeunt. V. 5. 40.
Recedens à loco, in quo ieiunatur, ibi liberè edit; ſed non carnes, ſi eodem die peruenturus ſit ad locum, in quo non ieiunatur. ibid.
E contra recedens à loco in quo non ieiunatur. ibi edit carnes, eſtò acceſſurus ſit ad locum, vbi ieiunatur V. 5. 41.
Peregrinans interdum excuſatur à ieiunio. V. 5. 42.
Religioſus aditurus proprium Prelatum cauſa defenſionis ordinariè petit licentiam. V. 6. 15.
Adiens in caſu propoſito Superiorem, licèt indebitè, nullam incurrit pœnam. V. 6 17.
Religioſus peregrinans ſine licentia peccat, & recipi nequit hoſpitio in ſuis Conuentibus neq; vt hoſpes. V. 6. 18.
Punitur eadem pœna, & alijs modis, ſi Romam petat ſine debita facultate. V. 6 19.
Tranſiens ad partes vltramarinas abſque licentia afficitur excommunicatione reſeruata Papæ. V 6. 20.
Adiens indebitè Principum Curias ad nocendum ſuo Prę-lato ſubeſt excommunicationi non reſeruatæ. V. 6. 21.
Item, ſi ſine licentia accedat ad ſtudia. V. 6. 22.
Itẽ, ſi petat ad ſtudendum medicinæ aut Legibus. V. 6 23.
Beneficiarius peregrinans voluntariè non lucratur diſtributiones. V. 8. 165.
Secùs, ſi ex neceſſitate. ibid.
Quo caſu ipſi concedantur duo, aut tres dies ante diſceſſum, & poſt reditum. V. 8. 166
Peregrinus incurrens reſeruata in aliena diœceſi iuxta aliquos ibi abſoluitur à quocumque Confeſſario. II 7. 46.
Qui multùm peregrinantur, rarò ſanctificantur. III 5. 119.

Perfectio Religionum.

Colligitur ex fine, ac medijs ſuſceptis. I. 3. 57.

Non

Non item ex maiori aſperitate vt ſic. I.3.58.&60.
Non ex maiori,ac ſtrictiori paupertate. I.3.65.
Non ex vſu Chori. I.3. 66.
Religio contemplatiua eſt perfectior. I 3.68.
Mixta eſt perfectior tum contemplatiua, tū actiua. I.3.69.
Votum ſimplex paupetatis non minuit perfectionem Religionis. IV. 2.6.

Perfectio religioſa.

Status religioſus eſt ſtatus perfectionis acquirendæ. I. 1. 32 I.3.53.
Perfectio religioſa in quo conſtat. I.3. 52.V.1.2.&3.
Diuiditur in 3.gradus. I.3. 55.
Alia eſt abſoluta,alia reſpectiua. I.3.56.
Religioſi debent tendere ad eam.III.6 44.
Qualiter impleaot hanc obligationem. III. 6. 45.
Paupertas non eſt ſimpliciter neceſſaria ad perfectionem. IV 2.4.
Confert tamen maximè ad illam.IV.2.6.
Illam non impedit dominium bonorum in communi. IV.2.14.
Perfectio religioſa quoad eſſentiam eſt eiuſdem rationis in omnibus Religionibus. V.1.4.
Acquiri poteſt in hac vita.V.1.5.
Religioſus non tenetur eſſe perfectus. V.1. 6.
Et quidem per media præſcripta in regula.V.1.7.
Obligatio tendendi ad perfectionem non eſt ex peculiari præcepto. V.1.8.&9.
Peccat v.Religioſus, qui intendens ſeruare vota, & præcepta regulæ,cætera negligit. V 1.10.
Intellige, niſi hinc ſe exponat periculo m. peccandi; tunc enim m.peccaret. V.1.11.
Item,niſi adſit contemptus. ibid.
Peccat m.qui ſeruans vota, ac regulam intendit non aſſequi perfectionem. V.1.12.
Item, ſi violans vota, ac regulam adhuc intendat perfectionem. V.1. 13.
Secùs, ſi violet regulam ex conſuetudine, abſtrahendo ab intentione non tendendi ad perfectionem. V.1.14.
Peccat mortaliter, ſi intendat facere quodlibet peccatum. v.ei occurrerit.V.1.15.
Perfectio religioſa varijs modis acquiritur.V.1.16.
Eſt in malo ſtatu, qui eſt notabiliter negligens in vſu dictorum mediorum, ſi aliàs ſeruet ſubſtantialia. V.1.17.
Obligatio tendendi ad perfectionem non afficit ſtrictiùs eos, qui votum emendationis ſpondent in profeſſione. V 1.18.
Contra dictam obligationem in quinque caſibus m.peccatur.V.1.19.
Perfectio propria alienæ præferenda.V.1.20.
In religionibus vitæ mixtæ æqualis acquiri poteſt. V.1 21.
Immo auctior acquiri poteſt in ijs, quàm in Ordine contemplatiuo. V.1. 22.
Facilius acquiritur in monaſterijs, quàm in ſolitudine. V.1.23.

Periculum.

Peccat, qui ſe exponit periculo probabili violandi Caſtitatem. IV.3 88.
Quando tale periculum cenſeatur probabile. IV.3.89.
Probabile periculum mali grauis excuſat à ieiunio. V. 5.45.

Perſeuerantia in religione.

Vouens religionem vt ſic non promittit perſeuerantiam. IV. 1. 59.
Is tamen tenetur perſeuerare, niſi occurrat iuſta cauſa recedendi;quod alij negant. IV.1.60.
Vnde is agnoſcere poſſit perſeuerantiam ſibi expedire. IV. 1. 61.
Vouens ingredi religionem,ac perſeuerare, nec cum cauſa poteſt recedere. IV.1.62.
Excipe, niſi experiatur maximam aliquam difficultatem antea non præuiſam.IV.1 63.
Quod alij negant.ibid.
Non tenetur perſeuerare,qui vouit vel perſeuerare,vel aliquod bonum opus præſtare. ibid.
Vouens religionem in genere, & ſimul perſeuerare, tenetur ingredi plures religiones, ſi excludatur ab hac, & illa. IV.1. 64.
Non tenetur tamen experiri omnes. ibid.
Ingreſſus religionem cum voto perſeuerantiæ, ſi perpetuò eijciatur,ad nihil aliud tenetur. IV.1.68.
Vouens perſeuerare in Soc.Ieſu,ſi ex eius culpa dimittatur regreſſum debet curare. IV.1.66.
Vouens religionem in communi, ſi bona fide ingrediatur vnum Ordinem & recedat,votum implet.IV 1.67.
Vouens religionem ſi præcisè recipiatur ad effectum vt liberetur à voto non ſatisfacit, niſi ingrediatur animo perſeuerandi. IV.1. 89.

Peſtis.

Tempore peſtis regulares Prælati in defectum Parochorum ſubſtituunt Religioſos ſubditos. V. 12. 30.
In hoc tameo debent eſſe admodum cauti. V.12.31.
Licitum eſt ſeruire infectis peſte. IV.5.399.
Clerici miniſtrantes infirmis ad hoc ſe obligant ex voto. IV.5.393.

Pictura.

Peccat pingens turpia. IV.3.104.
Retinens picturas turpes in cubiculis non peccat m. loquendo regulariter. IV. 3. 107.

Pœna.

Lata contra infenſos vnius Ordinis ſuffragatur aliis Ordinibus. I.6.21.
Aliquæ pœnæ latæ contra moleſtantes Religioſos quoad ſua priuilegia. I 6.20.
Pœnarum vſus vtilis in religionibus. I.5.3.
Indicat religionem eſſe obſeruantem. ibid.
Graues pœnæ incurruntur,ſi recipiatur Nouitius non præmiſſis debitis informationibus. II.3. 16.
Nouitij non ſubſunt pœnis latis contra Religioſos. II.6.14.
Excipe,niſi exprimantur. II.6.15 II.7 4.
Item oon ſubſunt pœnis latis contra laicos. ibid.
Profitens ſimoniacè incurrit pœnas latas contra ſimoniacos,ſed ſecuta profeſſione. III.1.65.
Indebitè tranſiens ad alium Ordinem afficitur varijs pœnis. III.5.146.
Pœnæ variæ latæ contra Religioſum proprietarium. IV. 2 242.
Violans regulam non præcipientem ſub peccato tenetur ſubire pœnam latam contra violationem. IV.4. 45.
Priuatio officij, & aliæ ſimiles pœnæ incurruntur ſolum poſt ſententiam Iudicis. IV.4. 128.
Alij id negant. IV.4.129.
Frater Minimus violans votum vitæ quadrageſimalis afficitur varijs pœnis.IV.5.110.
Violans in Soc.Ieſu votum de non ambiendo fit incapax cuiuſcumque prælationis. IV.5 242.
Regula obligans ſolùm ad pœnam non obligat in conſcientia. V.2.14.
Quælibet pœna obligat ad pœnam, etſi in ea id non exprimatur. V 2.15.
Non omnis pœna præſupponit culpam. V.2 24.
Pœna, & pœnalitas inter ſe differunt. V. 2.24.
Ex qualitate pœnæ colligitur grauitas obligationis. V.2 32.
Ignorantia pœnæ excuſat à pœna. V 2.48.
In pœnam prohiberi poteſt communio Euchariſtica. V.3.91.

Non

Non communicans in paſchate non incurrit ipſò facto vllam pœnam. V.3. . 8.

Iure communi nulla extat pœna contra Regulares indebitè egredientes è clauſura. V. 6.8.

Adiens Prælatum ſine licentia ad iuſtam ſui defenſionem nullam incurrit pœnam. V.6.17.

Fœmina ingrediens monaſteria Religioſorum tempore proceſſionis ad fornicandũ non incurrit pęnas. V.6.51.

Delicta debitis pœnis infligenda. V.7.29.

Beneficiarij Chorum omittentes afficiuntur certa pœna. V. 8.132.

Pœnæ Eccleſiaſticę ferri poſſunt contra omittentem horas poſt primum ſemeſtrem. V.8. 234.

Sub certa pœna tenetur beneficiarius facere fidei profeſſionem. V. 10.6.

Ea tamen non ſubitur ante ſententiam. V. 10.7.

Religio reputatur obſeruans, quando in eo puniuntur exceſſus Religioſorum. I. 5. 3. & 6.

Pollutio.

Peccat Religioſus m.ſe habens negatiuè circa delectationem, ſi præuideat periculum pollutionis. IV.3.73.

Item ſi det cauſam propriæ pollutioni, ſed non ſemper. IV.3.83.

Item, ſi prçuideat periculum pollutionis cum periculo conſenſus, & non impediat. IV. 3 84.

Non peccat tamen m. ſi det cauſam ſolùm venialiter culpabilem pollutioni. IV.3.85.

Peccat, ſi faciat actionem ex ſe turpem, & per ſe tendentem ad pollutionem, idque præuideat. IV.3.86.

Confeſſus cauſam culpabilem pollutionis, ſi poſtea adueniat pollutio, hæc non eſt neceſſariò cõfitenda. IV.3.87.

Religioſi in caſu, quo teneantur audire confeſſiones, id debent facere etiam cum periculo præuiſæ pollutionis inuoluntariæ. V. 12. 15.

Præcedentia.

Inualidè profeſſus, ſi ratificet profeſſionem, retinet præcedentiam ei competentem ex profeſſione. III.1. 50.

Profeſſio dat ius præcedentiæ. III. 4. 74.

Tranſiens ad alium Ordinem ſedet in Capitulo iuxta profeſſionem factam in Ordine poſteriori. III.5. 149.

Præcedentia in proceſſionib ſeruãda a Religioſis. V.11.14.

Ordinarius componit differentias inter Religioſos exortas ſuper præcedentia in proceſſionibus. V.11. 15.

Præceptum.

In Religionibus vltra Dei præcepta ſeruari debent conſilia. I.1 4.

Sed non omnia. I. 1 24

Præcepta iure communi facta Religioſis, aut perſonis Eccleſiaſticis, ligant moniales. I.3.48.

Prçcepta Dei facilè ſeruantur in Religionibus. I.4.9.

Nouitij à Prælato regulari diſpenſantur in præceptis Eccleſiæ II.7 43.

Obedientia per ſe reſpicit præceptum Superioris. IV.4. 12.

Simpliciter loquendo melius eſſet imperare Religioſis per formalia præcepta, ſed non expedit. IV.4 14.

Actus præſcriptus à Superiore ſine præcepto formali ex duplici titulo eſt obedientiæ actus. IV 4.15.

In aliquibus conſultum eſt Religioſos obedire ſine formali præcepto, in alijs non item. IV.4 16.

Sub mortali parendum Prælato imperanti, etſi non faciat præceptum in virtute obedientiæ IV.4 31.

Prælatus in re leui non facit prçcepta ſub mortali. IV 4 32.

In re tamẽ graui facit interdũ pcepta ſub veniali IV.4. 33.

Prælatus præcipere nequit, vt præceptum impleatur. quatenus eſt præceptum. IV. 4 36.

Parendum ex voto obediendi etiam Superiori non potenti facere præceptum in virtute obedientiæ. IV.4.39.

Et quidem ſub mortali ibid.

Fieri nequeunt præcepta de re difficilima, aut impoſſibili ad probandam obedientiam. IV 4 73.

Excuſantur tamen talia præcepta, ſi interdũ fiant. IV 4.74.

Quid agendum in caſu quo fiant. IV.4.75.

Præceptum eſſe nequit de manifeſtè illicitis. IV.4. 6.

Præcipere poteſt in virtute obedientiæ is ſolum, qui habet iuriſdictionem ſpiritualem. IV.4. 143.

Varijs modis imponuntur præcepta formalia. IV.4 144.

Prælatus regularis in præcipiendo regulariter præſumitur vti poteſtate ei competente ex voto obedientiæ facto à ſubdito IV.4.149.

Non ſemper prçcipit ſub mortali etiã in re graui. IV.4.153.

In aliquibus Ordinibus prçcepta Superioris non obligant ad peccatum, niſi fiant in virtute obedientiæ, aut alio ſimili modo. ibid.

Præceptum negatiuum obligat ad ſemper, & pro ſemper. IV.5.105.

Preceptum ſub veniali ſufficit ad acceptandam dignitatem prohibitam admitti ſine præcepto. IV.5. 2;5.

In tali caſu non requiritur præceptum formale. IV.5.260.

Non datur peculiare prçceptum tendendi ad perfectionem religioſam. V.1.8

Quæ verba importent præceptum, aut æquipolleant præcepto. V. 2. 30.

Quæ ſint communia & præcepto, & conſilio. ibid.

Verba imperatiua non ſemper important prçceptum. ibid.

Præcepto Eccleſiaſtico annuæ confeſſionis ſatisfit per confeſſionem informem, aut etiam inualidam. V. 3. 26.

Quod alij negant quo ad confeſſionẽ inualidam. V. 3.27.

Præcipit Eccleſia omnibus fidelibus communionem in paſchate. *vide v. paſcha*.

Præceptum Miſſæ factum ab Eccleſia qualiter impleatur. *Vide v. miſſa quo ad auditionem*.

Voluntariè ſe faciens impotentem ad implendum prçceptum iuxta aliquos eſt liber ab eo. V. 4. 3.

Totum diuinũ Officiũ vnico prçcepto prçſcribitur. V 8 94.

Religioſus iuſſus à Prçlato miniſtrare Sacramenta Religioſis Ordinis tenetur cum vitę periculo. V.12.29 & 30.

Preces.

Si ſint importunę, ęquiparantur morali coactioni. IV. 5. 366.

Prædicare.

Nouitij prædicant etiam nondum ordinati. II. 7. 53.

Immò & non tonſurati. II.7.54. & ſeqq.

Frater minimus diſpenſatur in vita quadrageſimali, ſi conciones quadrageſimales ęquè benè habere nequeat. IV. . 76. & 77.

Prædicator eximitur à ieiunio, ſi munus ſuum aliàs æque obire non poſſit. V. 5.46.

Item excuſatur à recitatione horarum in caſu propoſito. V. 8 120.

Debet facere fidei profeſſionem, ſi requiratur ab Ordinario. V. 10.4. & 14.

Laici in iure prohibentur prædicare. II.7. 55.

Prælatura.

Prælaturæ regulares nõ pertinaciter declinandę IV.4. 91.

Religioſus cogi poteſt illas acceptare. IV.4. 87.

Sed non in caſu, quo prudenter iudicet ſe ad illas eſſe inhabilem. IV. 4. 88.

Neque ſi ad eas habeat impedimentum ipſi inuoluntariũ. IV.4.89.

Neque ſi aliàs expertus eſt ſe non poſſe illas obire abſque damno ſuo ſpirituali. IV. 4. 90.

Frater Minimus impotens ad vitam quadrageſimalem eſt incapax prælaturarum Ordinis. IV. 5. 111.

Limita-

Limitatur aſſertio. IV. 5. 112. & 113.
Prælatura,& officiũ interdum confunduntur. IV. 5.375.
Prælatio vitanda vt periculoſa animæ. V. 2. 62.
Prælaturæ non appetendæ neq; à dignis. IV. 5. 364.

Prælati regulares.

Si eligantur digni,conferunt valdè ad Religionum reformationem. I. 5. 14.
Recipiunt profeſſioně Nouitij de conſenſu monaſt.III.3.7
Idq;attento iure communi. III. 3. 8.
Repugnantibus illis Capitulum non recipit ad profeſſionem. III. 3. 12.
Itẽ nec ijs mortuis,ſi alius nõ ſit ſuffectus loco eorũ III.3 13
Prælatus localis recipit,etſi ex regula,aut ſtatuto id competat Prælato ſuperiori. III. 3. 14.
Reſiſtente tamen Prouinciali,Prior non recipit. III. 3.15.
Reiectus a Prælato locali ne profiteatur, non admittitur à Generali. III. 3. 16.
Probatus in aliena prouincia profitetur in manu Prælati prouinciæ,in cuius libro adſcriptus eſt. III. 3. 17.
Idq;nõ obſtãtibus decr.Clem VIII.de hoc editis. III.3.18.
Prohibitus recipere ad profeſſionem validè recipit, ſi non ſit ablata poteſtas. III. 3 23.
Prælatus ſuperior aufert inferiori facultatem recipiendi ad profeſſionem. III. 3. 24.
Tenet profeſſio,ſi dato conſenſu Capitulum poſtea decernat faciendum eſſe nouum ſcrutinium,& Prelatus abſq; alio ſcrutinio recipiat. III 3. 28
Prælatus in tali caſu impedire non poteſt nouum ſcrutinium III 3. 29.
Prælati ratihabitio validat profeſſionem factam nulliter ex defectu poteſtatis. III. 3. 30.
Nec tunc requiritur nouus conſenſus monaſterij. III 3. 31.
Prælatus localis cum ſuo Conuentu non poteſt repellere à profeſſione nouitium admiſſum à Prouinciali.III.3.34
Ad ratificandam profeſſionem nulliter factam non requiritur noua acceptatio Prælati. III. 5. 58.
De licentia Prælati cum Capituli conſenſu tranſit profeſſus ad Ordinem æqualem. III. 5. 64.
Immò & ad laxiorem, ſi adſit cauſa. III. 5. 65.
De facto tamen Prelatus non dat talem licentiam.III. 5.69
Hæc licẽtia requiritur,vt quis trãſeat ad Carthuſiã.III.5.76
Prælatus regularis tranſit ad arctiorem petita licentia,etſi non obtenta. III. 5. 79.
Profeſſus Ordinis arctioris tranſit ad laxiorem, vt ibi ſit Prælatus. III. 5. 133.
Sine cauſa nequit Prelatus negare licentiam tranſeundi ad arctiorem Ordinem. III. 5. 139.
Prælatus debet procurare bonum ſpirituale ſubditorum, immò & temporale. III. 6. 1.
Debet ijs miniſtrare Sacramenta. III 6. 2.
Etiam cum periculo vitæ, ſed non ſemper. III. 6. 3.
Siue ſit Prælatus ſuperior, ſiue inferior. III. 6. 4.
Debet procurare obſeruantiam regulæ. III. 6. 5.
Debet corripere, ac punire ſubditos. III. 6. 6.
Idq;etiam diſquirendo illorũ defectus,ſed diſcretè III.6.7.
Nequit eos exponere periculo peccandi. III. 6. 8.
Intellige de periculo proximo. ibid.
Poteſt illos obſeruare cum teſtibus idoneis, ſi ſuſpicetur de graui aliquo exceſſu. III 6. 9.
Debet vacare reformationi Ordinis. III. 6. 10.
Nõ dimitti eos ab Ord.niſi verè ſint icorrigibiles.III.6.11
Non tenetur eos recipere iterum,licèt emendatos.III 6.14
Debet tamen eos reuocare III. 6. 15.
Prouidet ijs de neceſſarijs. III. 6. 16.
Et quidem etiam faciendo æs alienum ſi opus ſit. III. 6.18.
Non tenetur præſtare neceſſaria Religioſis legitimè eiectis. III. 6. 20.
Secùs, ſi iniuſtè eijciantur. III. 6 21.
Item nec apoſtatis, aut fugitiuis etſi ſenibus, aut infirmis. III. 6. 22.
Tenetur tamen ad id ex charitate. III. 6. 24.
Item nec Religioſo relegato in alio monaſterio ad faciendam pœnitentiam. III 6. 25.
Item nec Religioſo trãſeunti ad arctiorem,ſi excipias tempus probationis. III. 6. 26.
Limitatur aſſertio. III. 6. 28.
Debet dare neceſſaria ſtudijs, ſi illius Ordo vacet ſtudijs. III. 6 31.
Item & ordinarias medicinas pro infirmis, non autem extraordinarias. III. 6. 32.
Item & ſolita ſuffragia pro Religioſo defuncto. III. 6. 33.
Item expenſas pro ſepultura. III. 6 34.
Item & pretium moderatum, quo Religioſus captiuus redimatur. III 6. 35.
Item ſoluere debita contracta à Religioſo,ſed non ſemper. III. 6 36. & 37. & 38.
Non obligatur ad contractus indebitè factos à Religioſo. III. 6 39.
Non ſẽper ſubuenit parẽtibus Relig.indigẽtibus. III.6 40.
Tenetur tamen ſtrictiùs ſubuenire filijs indigentibus ſui Religioſi niſi malit dimittere patrem ad ſubueniendum illis. III. 6. 41.
Non tenetur ſubuenire fratribus aut ſororibus egenis Religioſi ſubditi. III. 6. 42.
Et hæc proportionaliter procedũt quo ad Religioſos Soc. Ieſu biennij votis adſtrictos. III 6 43.
Religioſi ſubſunt ſuis Prælatos. III. 6. 48.
Prælatus regularis non irritat votum ſtrictioris Ordinis factum à ſubdito IV. 1. 109.
Irritat tamen votum factum ab externo de ingredienda eius religione, ipſum excludendo &c. IV. 1. 110.
Et, ſi ſic irritet poſt commutationem dicti voti obtentam, vouens liber eſt ab operibus, in quæ facta fuerat commutatio. IV. 1. 111.
Excipe,niſi vouens redire malit ad prius votum. IV. 1 112.
Peccat Prælatus non procurans ſedulò obſeruantiam paupertatis. IV. 2. 21.
Si promittat dare de bonis Religioſi ſubditi, tenetur etiam ciuiliter. IV. 2. 208.
Remittit ſummam debitam monaſterio. IV. 2. 328.
Et quidem in aliquo caſu rationabiliter. IV. 2. 329.
Prælati religionum,licèt ſupremi afficiuntur voto paupertatis. IV. 2. 376.
Non debent permittere quod inducatur conſuetudo contra religioſam paupertatem. IV. 2. 387.
Voluntas Prælati præſumpta de futuro in materia religioſæ paupertatis ſufficit ad tollendã proprietatẽ.IV.2.401.
In Prælato præcipiente conſiderari debet Deus. IV.4 22.
In re leui Prælatus non præcipit ſub mortali. IV. 4. 32.
In re tamen graui præcipit ſolùm ſub veniali. IV. 4. 33.
Quibus Prelatis parendum ex voto obedientiæ IV.4.115.
Prælati abſentia per vnum diem naturalem ſufficit ad trãsferendam iuriſdictionem in Subpriorem &c. IV.4.117.
Non omnes Superiores præcipiunt in virtute obedientiæ. IV. 4 143.
Licitè poteſt euitari obligatio præcepti eccleſiaſtici modo licito. IV. 5. 327.
Prælati regulares,etiã ſupremi tenentur ad regulã. V.2.42.
Peccant m.ſi paſſim ſinant violari regulas, etiam ad nullã culpam obligantes. V. 2. 60.
At in hoc datur paruitas materię,& aſſignatur. V. 2. 61.
Illorum munus difficillimum,ideoq;vitandum. V. 2. 62.
Hodie Religioſi nequeunt cogi, vt confiteantur proprio Prælato. V. 3. 18.
Prælati etiam cum vitæ periculo euchariſtiam interdum miniſtrant ſubditis. V. 3. 92.
Niſi fortè id per alium faciant. ibid.
Diſpenſant cũ ſubditis in præcepto Miſſę audiẽdę. V.4.38.
Diſpenſant cum ſubditis ſuper ieiunio, & abſtinẽtia à carnibus. V. 5. 65.
Immò & ſecum ipſis V. 5. 68.
Non debent eſſe difficiles in talibus diſpẽſationib. V 5 67.
Nõ poſſunt obligare ſubditos ad perpetuã clauſurã V 6 3.
Itẽ nec dare licẽtiã diu cõmorandi extra clauſurã. V. 6.24.

Diſpenſant ſuper priuatione vocis actiuæ, & paſſiuæ incurſa per admiſſionem fœminarum intra Conuentum. V. 6 65.
Indirectè, & ad tempus diſpenſant cum ſubditis in delatione habitus religioſi. V. 7. 42.
Solùm ad tempus diſpenſant ſuper delatione Tonſuræ. V. 7. 56.
Diſpenſant in recitatione horarum. V. 8. 69. & 124.
Non reducunt modò onera miſſarum perpetua. V. 9. 91.
Refertur decretum Concilij Trid. hac de re editum ibid.
Peccant, ſi non curent impleri onera Miſſarum admiſſa à Conuentu V 9. 97.
Promoti ad prælaturam modò non faciunt fidei profeſſionem V. 10 9 1
Idque ex communi conſuetudine; etſi alij diſſentiant. ibid.
Dato quod ij ad id tenerentur, hæc obligatio afficeret Prælatos tum mediatos, tum immediatos. V. 10. 10.
De mediatis tamen oppoſitum ſuſtineri poſſet. ibid.
Promoti eodem tempore ad prælaturã, & ad doctoratum ſemel tantùm faciunt fidei profeſſionem. V 10 15.
Tenentur ſub mortali curare, vt Religioſi ſubditi conueniant ad proceſſiones. V. 11. 2.
Tempore peſtis in defectum Parochorum ſubſtituunt ſubditos in bonum ſpirituale Proximorum V. 12. 30.
In hoc tamen debent eſſe admodum cauti. V. 12. 31.
Vota ſubditorum irritant etiam ſine cauſa. IV. 5 258.

Præſcribere.

Religioſi præſcribunt ius præcedentiæ III 1 50
Mendicantes incapacis Ordinis non præſcribunt contra dantes eleemoſynam liberaliter. IV. 2. 60.
Non præſcribitur contra religioſam Obedientiã. IV. 4 169
Itẽ nec contra regulã, ſi ea ſæpiùs publicè legatur. V. 2. 7.
Ad præſcribendum contra illam non poteſt determinari certum tempus. V. 2. 58.
Quot actus requirãtur, & ſufficiunt ad talem effectũ ibid.
Regulares præſcribere poſſunt contra onera Miſſarum perpetua, ſeruatis aliàs ſeruandis. V. 9. 92.
Sic & cõtra ipſos præſcribi poſſunt ſimilia onera. V. 9 93.
Religio certo tempore præſcribit contra dominum quo ad ſeruum ſine eius licentia profeſſum III. 2. 44.
Minoribus ætate conceditur reſtitutio aduerſus præſcriptionem. III. 5. 54.

Præſentia.

Ad implendum præceptum Miſſæ audiendæ requiritur præſentia moralis. V. 4. 43
Quæ ſit præſentia moralis. V. 4. 44. & 45.
Fictio præſentiæ qualiter in iure ſe extendat. V. 5. 60.

Principes.

Illis vtiles Religioſi. I. 4. 34.

Priuilegia.

Plura, & ampliſſima Religioſis facta. I. 6. 45.
Plura item competunt Religioſis Nouitijs. *Vide v. Nouitij quo ad priuilegia.*
Nouitij ex Pij V. indulto profitentur in mortis articulo anno nouitiatus non finito. III. 2 7.
Profeſſio dat ius vtendi priuilegijs Ordinis. III. 4. 77.
Si quidem profeſſio ſit valida. III. 4. 8.
Priuilegium non tranſeundi ad Carthuſiam ſine licentia Superioris qualiter ſit iuſtum. III. 5. 76.
Habens priuilegium audiendi Miſſam pro tempore Interdicti non tenetur eo vti V. 4. 30.
Priuilegia interdum fiunt ſolùm ad tollendos ſcrupulos. V. 4. 59.
Priuilegium fori non perdit Religioſus omittens deferre Tonſuram. V. 7. 64.
Priuilegium recitandi horas ex breuiario breui extenditur ad Socium. V. 8. 67.
Explicatur priuilegium Leonis X. factum Minoribus quo ad recitationem horarum mentalem. V. 8. 71.
Priuilegium datum contra Ius commune quo ad interpretationem reputatur odioſum. V. 8. 126.
Priuilegium derogans iuri communi conceſſum in fauorem religioſis latè interpretandum. ibid.
Concilium Trid. facit priuilegium beneficiarijs, vt per trimeſtre abeſſe poſſint a loco beneficij. V. 8 1 9. & ſeqq.
Priuilegia Regularium facta ad commutanda vota non extenduntur ad facta in commodum tertij. V. 10. 25.
Priuilegiis Ordinis gaudet impubes admiſſus ad religionem; non item carens vſu rationis. II 1 5.
Priuilegia à Pio V. conceſſa aduerſùs Concilium Trid. reuocata à Gregorio XIII. fuerunt. III. 2. 7.
Religioſi interdum tenentur vti ſuis priuilegiis. V. 12. 52.

Proceſſiones.

Tempore proceſſionum, quæ fiunt intra Regulariũ clauſtra, intra ea recipiuntur fœminæ. V. 6. 45.
Non tamen fieri poſſunt extraordinariæ proceſſiones ad hunc finem; quod alii negant. V. 6. 47.
Facta proceſſione fęminę ingredi nequeunt ad videndum apparatum V. 6. 49
Quod ſi tempore proceſſionis ingrediantur ad fornicandum, non ideo incurrunt pœnas. V. 6. 51.
Regulares iure eccleſiaſtico interſunt proceſſionibus. V. 11. 1.
Quæ dicantur publicæ proceſſiones. ibid.
Tenentur intereſſe ſub m. culpa. V. 11. 2.
Quamuis ſinguli non peccent m. ſi non interſint. V. 11. 3.
Prælatus regularis ſub mortali tenetur curare, vt ſubditi interſint. V. 11 2.
Regulares vt conueniant ad proceſſiones; præmonendi ab Ordinario. V. 11. 4.
Ab hac obligatione eximuntur aliqui Ordines Regularium. V. 11. 5.
Immò & Religioſi aliquorum Conuentuum Ordinis aliàs obligati ad proceſſiones. ibid.
Quod ſi Religioſi exempti à proceſſionibus ad illas interdum conueniant, non ideo ſibi præiudicant. ibid.
Obligati ad proceſſiones ab Ordinario cogi poſſunt ad illas, ſed non per cenſuras. V. 11. 6.
Primò & per cenſuras, ſi ſint Religioſi Parochi. V. 11. 7.
Religioſi obligati proceſſionibus tenentur intereſſe omnibus proceſſionibus publicis. V. 11 8.
Cogi poſſunt ad illas, etſi per aliquod tempus iis non interfuerint. V 11. 9.
Publicæ proceſſiones indici poſſũt ab Ordinario. V. 11. 10.
Religioſi conuenturi ad proceſſiones ſtatuta hora debent adire Cathedralem. V. 11. 11.
Ad illam tamen non tenentur procedere agminatim cum Clero, ſecluſa conſuetudine. V 11. 12.
Regulares exempti à proceſſionibus, ſi velint, poſſunt cõuenire ad illas. V. 11. 13.
In iis ſeruare tenentur debitas præcedentias. V. 11. 14.
Ordinarius componit differentias in hoc genere exortas. V. 11. 15.
Religioſi excuſantur à proceſſionibus ratione diſtantiæ, aut ex caſu aliquo fortuito. V. 11 16
Itẽ ex paucitate Religioſorũ degentiũ in Cõuẽtu. V. 11 17.
Idque etſi ibi tunc adſint Religioſi hoſpites, qui ad talem effectum ſufficerent V. 11. 18.
Item ex eo, quod plures Religioſi ægrotẽt ita vt benè valentes non ſufficerent ad dictum effectum. V. 11. 19.
Religioſus excommunicatus toleratus conuenire poteſt ad proceſſionem cum ſuis Religioſis. V 11. 20.
Quo die conuenitur ad proceſſionem omitti poteſt miſſa ſolemnis in propria Eccleſia. V. 11 21.
Religioſi non conuenientes ad proceſſionem Rogationum iuxta aliquos non tenentur ad litanias. V. 11. 22.
Alij id probabiliùs non admittunt. ibid.
Intereſſentes dictę proceſſioni, ſed in ea non canentes litanias, vel ad eas non attendentes iuxta aliquos eas poſtea recitant. V. 11. 23. & 24.
Quãquã oppoſitũ videri poſſet alicui nõ improbabile. V. 11. 24.
Regulares extra Conuentum non faciunt proceſſiones extraordinarias. V. 11. 25.

Quod

Quod reijcit Graſſius, ſed immeritò. ibid.
Proceſſio facienda ex ſpeciali indulto extra monaſterium nequit differri ad aliam diem. V 11. 26.
Regulares per publicas vias nequeunt deferre proceſſionaliter cadauer Religioſi defuncti. V. 11. 27.
Inſtituunt proceſſiones extraordinarias intra clauſtra. ibid.
In proceſſione ferunt Crucem cum velo pendente, ſeu pallio. V. 11. 25.

Profeſſio fidei.

Fit à Regularibus ex iure eccleſiaſtico in aliquibus caſibus V. 10. 1.
Et quidem ſub mortali. V. 10. 2.
Etſi non faciant tempore præfixo, tenentur facere poſtea. V. 10. 3.
Fieri poteſt per Procuratorem. V. 10. 3.
Fit in 4. caſibus. V. 10. 4.
Idq; ſub varijs pœnis. V. 10. 3.
Non fit à promoto ad epiſcopatum. V. 10 6.
Pœnæ illæ non afficiunt ante ſententiam V. 10 7.
Beneficiarius omittens profeſſionem fidei reſtituit ſuum fructus perceptos poſt prius bimeſtre. ibid.
Ea non fit à Parocho amouibili V. 10. 8
Non fit à Regulari promoto ad prælaturam Religionis, idq; ex legitima conſuetudine. V. 10. 9
Si detur eam debere fieri a Prælato regulari, facienda à Prælatis tam mediatis, quàm immediatis. V. 10 10.
Etſi quo ad mediatos defendi poſſet oppoſitum. V. 10. 11.
Fit iuxta Pij IV. formam. V 10. 11.
Fit à Lectoribus, ſecluſa conſuetudine in contrariũ. V 10. 12
Et hoc ſub pœna priuationis gradus obtenti. ibid
In Soc. Ieſu fit ex deuotione quolibet anno à Sacerdotibus, ac Clericis. V. 10. 13.
Faciẽda à Prædicatoribus, ſi Ordinarij id exigant. V. 10. 14.
Iteratur ab eo, qui iterum eligitur ad beneficium à ſe alias reſignatum. V. 10. 17.
Semel facienda ab eo, qui ſimul promouetur ad prælaturam, & doctoratum. V. 10. 15.
Bis fit ab eo, qui promotus ad doctoratum poſt aliquot menſes eligitur in Prælatum. V. 1, 16.
Obligatus facere fidei profeſſionem, ad id ſe debet offerre. V 10. 18.
Satisfacit eam faciendo merè materialiter. V. 10. 19.
Et in tali caſu ſolùm v. peccat. V. 10. 20.
Non ſatisfacit, ſi in fine profeſſionis non addat verba illa Ego *N. voueo, & iuro, &c.* V. 10. 21.
Hæc verba important votum, & iuramentum V. 10 22.
Datur paruitas materiæ tum quo ad tempus faciendi profeſſionem fidei, tum quo ad ipſam profeſſionẽ. V. 10 2 .
Violat fidei profeſſionem, qui ea facta dubitat voluntariè de rebus fidei. V. 10. 24.
Votum, & iuramentum, quæ fiunt in fidei profeſſione, non poſſunt commutari, aut diſpẽſari à priuilegiatis. V. 10. 25.
Explicatur, ad quid obligent verba illa, quæ ſunt in forma profeſſionis fidei: *Atque à meis ſubditis*. V. 10. 26.

Profeſſio religioſa.

De iure ordinario eſt de eſſentia ſtatus religioſi. III. 4. 9.
Sed non ſimpliciter. III. 4. 11.
Tenet, etſi inter eius emiſſionem, & annum probationis intermediet tempus notabile, quo profeſſurus commoretur extra locum deputatum. II. 1. 29.
Et præmittendus integer annus probationis etiam in caſu, quo ſponſus de futuro ingrediatur ante conſummationem matrimonij. II. 1. 41. II. 8. 18.
Recedẽs poſt abſolutum annum nouitiatus, ſi redeat, profitetur abſq; nouo nouitiatu. II. 1. 43. III. 1. 19.
Nouitij in articulo mortis profitentur, nouitiatus anno nõ finito. II. 7. 58.
Vltimo bimeſtri ante profeſſionem facienda bonorum renunciatio. vide *v. renunciatio.*
Quid ſit profeſſio religioſa. III. 1. 1.
Plura ſunt de eius eſſentia. III. 1. 2.
Diuiditur in expreſſam, & tacitam. III. 1. 3.
Tacita fit tribus modis. III. 1. 4
Hæc modò non admittitur, niſi aliquibus ſeruatis. III. 1. 5.
In Soc. Ieſu non habet locum. III. 6. 12 & 13.
Ad eam quinq; conditiones requiruntur. III 1 6.
Expreſſa emittitur ſigno aliquo externo. III. 1 7.
Forma profitendi non eſt eadem in omnibus Ord. III 1 8
Verba illius mutari poſſunt abſq; eo quòd irrita reddatur profeſſio. III. 1. 9.
In tali forma plura debent exprimi. III 1. 10.
Profeſſio facta ſub conditione repugnante ipſi ſubſtantiæ ſtatus religioſi non tenet. III. 1. 11.
Profitens ſub conditione indifferenti de futuro, ea pendente, validè nubit. III. 1. 12.
Profitens ſub præfata conditione cogi poteſt, vt profiteatur abſolutè. III. 1 13.
Ad profeſſionem recipi poſſunt quicumq; non ſunt affecti impedimento legitimo. III. 1. 14.
Non tenet profeſſio facta anno probationis non completo de momento in momentum. III 1. 15. & 40.
Vota biennij in Soc Ieſu validè poſſunt emitti, biennio probationis non expleto. III. 1. 16
Intellige, modò ſit completus integer annus probationis. III. 1. 17.
Et hoc procedit etiam ad hoc vt profeſſio, quæ fit in ipſa Soc teneat, licèt alias per tot annos differatur. III. 1. 18.
Ad profeſsionem requiritur conſenſus tum Prælati, tum Capituli. III 1. 20.
Conſenſus autem prçſtandus per ſuffragia occulta, aut publica. III. 1. 21.
Non tenet profeſsio facta in Relig. in communi III. 1. 22.
Acceptari debet ſigno aliquo externo. III. 1. 23.
Non eſt de eius eſſentia, vt legatur ſcriptis. III. 1. 24.
De iure communi non requirit teſtes. III. 1. 27.
Non petit habitus mutationem. III. 1. 28.
Poteſt fieri per Procuratorem. III. 1. 29.
Sed tunc aliqua debent obſeruari. III. 1. 30.
Fieri poteſt & per literas. III 1. 31.
Fit in quouis loco. III. 1. 32.
Facta in monaſterio diuerſi ſexus non tenet. III. 1. 33.
Fit quouis tempore. III. 1. 34.
Ad eam requiritur annus ætatis 16. completus. III. 1. 36.
Sed hoc non procedit in Ordin. Militaribus. ibid.
Frater Minimus ante annum 18. ætatis validè profitetur. III. 1. 37. & 39.
In Soc. Ieſu ad valorem votorum ſimplicium biẽnij requiritur annus ætatis 16. expletus. III. 1. 38
Ex Clemen. Octau. decreto Nouitij laici profiteri non poſſunt ante 23. annum; ſed hoc decr. non eſt in vſu. III. 1. 40
Profeſsio Nouitiorum regiſtranda. III 1. 41
Facienda animo promittendi. III. 1 42.
Fictè emiſſa ratificatͬ ſine noua Prçlati acceptation. III. 1 43
Limita, niſi profeſsio ſit irrita ex defectu ætatis, aut anni probationis, aut ratione impedimenti irritantis; quod tamen alij negant. III. 1. 45.
Quòd ſi ratificetur coram Prælato, non eſt opus repetere ceremonias aliàs fieri ſolitas. III. 1 46.
Sic in Soc. Ieſu vota biennij poſſunt ratificari per votorum renouationem publicam. III. 1 47.
Inualidè profeſſus non tenetur ratificare profeſs. III 1. 48.
Excipe, niſi ſubſit periculum ſcandali. III. 1. 49.
Inualidè profeſſus, ſi ratificet, retinet præcedentiam ipſi competentem ex profeſsione. III. 1. 50.
Profeſsio facta ex errore, ignorantia, aut dolo non tenet ſemper. III 1. 51.
Error tamen debet eſſe circa ſubſtãtialia. III. 1 53. III 3. 32.
Profeſsio facta ex metu graui eſt nulla iure eccleſiaſtico. III. 1. 54. & 55.
Item eſt nulla, ſi fiat ex metu reuerentiali, ſed non ſemper. III. 1. 56. & 57.
Cogens virum ad profeſsionem non eſt excommunicatus. III 1. 58.
Nulla eſt profeſsio facta ex vi. III. 1. 59.

Inualidè profeſſus poteſt reclamare. III. 1. 60.
Profeſſio facta ex ira, aut alia paſſione tenet. III. 1. 61.
Tenet facta ex malo fine, ſi adſit intẽtio profitẽdi III. 1. 62.
Tenet facta ſimoniacè III. 1. 63. & 64.
Simoniacè profitens non incurrit pœnas latas contra Simoniacos. niſi ſecuta profeſſione. III. 1. 65.
Irrita fit profeſſio ex reticentia impedimenti ſubſtantialis. III. 1. 66.
Secùs, ſi impedimentum ſit accidentale. III. 1. 67.
Profeſſio irrita ex defectu acceptantis alias admiſſa nomine legitimi Pręlati reualidatur per ratihabitionem dicti Prælati. III. 1. 9.
Profeſſio irrita non ratificatur per ſuſceptionem Ordinis ſacri præcisè. III 1. 70.
Profeſſio repetenda, ſi profeſſus rebaptizetur ſub conditione. III. 1. 71.
Non tenet profeſſio, ſi in ea aliquod ex 3. votis ſubſtantialibus religionis omittatur. III. 1. 72.
Item, ſi in ea omittatur aliquod votum, quod in eo Ordine ſit ſolemne vltra tria ſubſtantialia. III. 1. 73.
Profeſſio irrita interdũ obligat inſtar voti ſimplicis. III. 1. 74
Profeſſio in dubio præſumitur valida. III. 1. 75.
Profitens ex malo fine peccat. III. 1 76.
Item profitens ex fine indifferenti. III. 1 77.
Secùs, ſi quis profiteatur ex vno fine apto, & ex alio inepto; quod tamen intelligendum cum limitatione. III. 1. 8
Facta in ordine relaxato tenet. III. 1. 79.
Validatur profeſſio nulla ex defectu recipientis per ratihabitionem legitimi Prælati, ſed ſolùm à die qua fit ratihabitio. III. 3. 30.
Et tunc non repetitur monaſterij conſenſus. III. 3. 31.
Profeſſus diſpenſatus ad matrimonium cum onere redeũdi habita prole, ſi redeat, repetit profeſſionem, immò interdum & nouitiatum. III. 5. 1.
Profeſſio facta ad tempus, vel ſub certa cõditione non ſubſiſtit. III. 5. 18.
Aliquo tamen modo dici poteſt diſſolui. ibid.
Recedens ab Ordine ſub prætextu quod nulliter ſit profeſſus, ſi ab Ordinario cœpit proceſſari, poteſt reuerſus ad Ordinem iudicari ab eo, etſi profeſſionem ratificet. III. 5. 37.
Profeſſio nequit eſſe valida ſine cõſenſu profitẽns III 5. 48
Profeſſio valida aliquo modo põt irritari a Papa. III 5. 73.
Tranſiens ad alium Ordinem nouam facit profeſſionem. III. 5. 171.

Profeſſio religioſa quo ad admittendos.

Nouitij reperti idonei ad ꝓfeſſionẽ admittẽdi III. 2. 1. & 2.
Poteſt tamen ex cauſa differri profeſſio vltra annũ. III 2 5.
De iure communi recipi nequit ad profeſſionem qui fecit nouitiatum in loco non deſignato. III 2. 4.
Secùs ex indulto Vrbani VIII. quod tamen non extenditur ad profeſſiones ſecuturas nullas poſt præfatum indultum. III. 2. 4 & 5.
Non admittitur quis ad profeſſionem, niſi poſt annum probationis finitum. III. 2. 6.
Intellige, præterquam in mortis articulo; idq; ex Pij V. indulto. III 2. 7.
Profitens vi talis indultis, ſi ſuperuiuat, non iterum profitetur. III. 2. 8.
Vi talis profeſſionis monaſterium ſuccedit in bona Nouitij decedentis. III. 2 9.
Taliter profitens lucratur plenariam indulgentiã. III. 2. 10
In Ordinibus Militaribus ad profeſſionem non requiritur integer annus nouitiatus III. 2. 15.
Validè admittitur ad profeſſionem hæreticus occultus. III 2. 14.
Item excommunicatus vitandus. III. 2. 15.
Illicita tamen eſt talis admiſſio. III. 2. 16.
Item illegitimus. III. 2. 17.
Itẽ omninò illiteratus, quamuis illicita ſit admiſſio. III. 2. 18.
Item maculatus ex genere. III. 2. 19.
Non item facinoroſus. III. 2. 20.
Validè admittitur infamis, ſed non licitè. 3. 2. 21.
Admittitur legitimè eiectus à proprio Ordine. III. 2. 22.
Hermaphroditus item, ſed non omnis. III. 2. 27.
Profitens vt mulier, ſi poſtea in virum erumpat, non tranſit ad religionem virorum III. 2. 2.
Profitens inter viros, cum ſit mulier, nulliter profitetur, ſi intendat præcisè profiteri inter viros. III. 2. 29.
Validè profitetur impotens ad obſeruandam regulam. III. 2. 30. V. 2. 50. III 4. 71.
Non item reticens impedimentum aliàs manifeſtandum, ſed non ſemper. III 2. 31. & 32.
Admittitur ad profeſſionem mutus immò & mutus ſimul ac ſurdus. III. 2. 33.
Validè profitetur legitimè tranſiens ad alium Ordinem. III 2. 34.
Item qui vouerat aliam religionem. III. 2. 35.
Item & coniugatus de iure communi, etiam poſt matrimonij conſummationem. III. 2. 36.
Sed non in Soc. Ieſu. III. 2. 37.
Seruus validè, ſed illicitè recipitur ad profeſſionem. III. 2. 43. & 4.
Sicq; à proprio domino repeti poteſt intra triennium. III. 2. 44.
Nequit tamen dominus cogere religionem, vt reſtituat dictum ſeruum ſi bona fide ipſum admiſit. III. 2. 46.
In Soc. Ieſu ſerui non admittuntur. III. 2 47.
Admittitur ad profeſſionem obligatus ratiocinijs, ſed non ſemper. III. 2. 8 & 49.
Interdum admittitur ære grauatus alieno, ſed non ſemper. III. 2. 50.
Item obligatus ad aliquod obſequium. III. 2. 53.
Item habens parentes grauiter indigentes. III. 2. 54.
Et, ſi admittatur, non tenetur religio poſtea ijs ſubuenire. III. 2. 55.
Poſſet tamen Religioſus ſic receptus varijs modis ſubleuare illorum indigentiam de licentia Superioris. III. 2. 56 & 57.
Immò & poſſet exire ab Ord de licentia Pręlati. III. 2. 58.
Idq; etiam in Soc. Ieſu, licèt id non expediat, regulariter loquendo. ibid.
Admittitur parens filios habens grauiter indigentes, ſed non licitè. III. 2. 59.
Itẽ habens fratres, aut ſorores indigentes grauiter. III. 2 60
Item promotus ad epiſcopatũ; ſed non licitè III. 2. 61. & 63.
Talis tamen profeſſio eſt inualida quo ad vſum. III. 2 62.
Faciliùs admittitur epiſcopus ſolùm electus. III. 2. 64.
Item qui renunciauit epiſcopatum. III. 2. 65.
Non item epiſcopus titularis. ibid.
Admitti poſſunt & alij Prælati inferiores III. 2. 66.

Profeſſio religioſa quo ad eius admiſſionem.

Talis admiſſio eſt actus ſuperioritatis. III. 3. 1.
Poteſt delegari. III 3. 2.
Et quidem etiam fœminæ. III. 3. 3.
Fit à Papa. III. 3. 4.
Non item à Sacra Congreg. ſuper Regulares. III. 3. 5.
Fit à Prælato regulari de conſenſu Conuentus. III. 3. 7.
Et quidẽ à Prælato immediato, ſtando in iure cõi. III. 3 8.
Requiritur ad eam Monaſterij conſenſus. III. 3 9.
Sufficit tamen, quod conſentiat maior pars illius. III. 3. 20.
Admiſſio aliter facta non tenet. III. 3. 11.
Non fit, repugnante Prælato III. 3. 12.
Itẽ nec eo mortuo, niſi in eius locũ alius ſufficiat. III. 3. 13.
Fieri poteſt à Prælato locali, etſi ex regula vel ſtatuto facultas admittendi competat Prælato ſuperiori. III. 3. 14.
Reſiſtente Prouinciali fieri adhuc poteſt à Prælato locali. III. 3. 15
Reiectus à Prælato locali non admittitur ad profeſſionem à Prouinciali. III. 3. 16.
Reſiſtente Prouinciali non admittit Prior. III. 3. 15.
Probatus in aliena prouincia profitetur in manibus

Præ-

Prælati, prouinciæ, in cuius libro adſcriptus eſt III. 3. 17.
Idque non obſtantibus Clementis Oct. decretis *de receptione Nouitiorum* editis III. 3. 18.
Probatus partim in vno loco, & partim in alio admittitur de conſenſu poſterioris Conuentus, ſi in eo æquali tempore commoratus eſt. III. 3. 22.
Prohibitus admittere ad profeſſionem validè recipit, niſi ei ablata ſit poteſtas. III 3. 23.
Excommunicatus vitandus validè admittit. III. 3. 25.
Valida eſt admiſſio, etſi maior pars Capituli careat voce actiua. III 3 26.
Ex cauſa reuocari poteſt conſenſus datus ad profeſſionem Nouitij. III 3. 27.
Tenet admiſſio, ſi dato conſenſu Capitulum ſtatuat faciendum eſſe nouum ſcrutinium, & Prælatus abſq; alio ſcrutinio admittat. III 3. 28.
In tali caſu vetare nequit Prælatus, ne fiat poſterius ſcrutinium. III. 3. 29.
Profeſſio irrita ex defectu poteſtatis in admittente conualeſcit per ratihabitionem Prælati potentis admittere. III 3. 30.
Nec tunc renouandus conſenſus capitularis. III. 3. 31.
Error circa perſonã admiſſam irritat profeſſionẽ III. 3. 32.
Profeſſus laicus de conſenſu Conuentus non admittitur ad profeſſionem Clericorum. III. 3. 33.
Non reijcitur à profeſſione à Prælato locali Nouitius admiſſus à Prouinciali. III. 3. 34.
Admittens ſimoniacè incurrit pœnas. III. 3. 35.

Profeſſio religioſa quo ad effectus ex ea prouenientes.

Plures effectus manant ex religioſa profeſſione. III. 4. 1.
Aliqui oriuntur ex profeſſione expreſſa, alij ex tacita. III. 4. 2 & 3. & 4.
Profeſſio ſimpliciter nulla nullos gignit per ſe effectus III. 4. 5. & 6.
Item ſi ſit nulla ex iure eccleſiaſtico aliquos habere poteſt effectus in iure expreſſos III. 4. 7
Recenſentur aliqui tales effectus III 4. 8.
Vi profeſſionis obtinetur plena remiſſio peccatorũ. III 4. 12.
Non tamen quo ad culpam. ibid.
Talis remiſſio propriè non eſt indulgentia. III. 4. 13.
Ea non reuiuiſcit, ſi in peccato m fiat profeſſio. III. 4 14.
Iterum acquiritur, quoties profeſſio renouatur. III 4. 15.
Item ſi tranſiens ad aliũ Ordinem ibi profiteatur. III. 4. 16.
Item per vota ſimplicia biennij facta in Soc. Ieſu III. 4. 17
Vi profeſſionis ceſſant oĩa alia vota antea emiſſa. III 4 19.
Et quidem etiã realia implenda poſt profeſſionẽ III. 4 20.
Idq; ipſo facto ſecluſa intentione profitentis III. 4 21.
Et hoc procedit etiam in caſu, quo profeſſus tranſeat ad alium ordinem poſt vota aliquot facta, & ibi profiteatur III 4. 22.
In Societ. Ieſu præfata vota ſolùm ſuſpenduntur per vota biennij. III. 4. 23 & 24.
Profitens in Ordine laxiori liberatur à voto ingrediendi Ordinem ſtrictiorem. III. 4. 30.
Vi profeſſionis ceſſant iuramenta realia, ac perſonalia facta ſoli Deo III. 4. 31.
Ceſſat & irregularitas ex defectu natalium quo ad Ordines III 4 33.
Et quidem etiam quo ad Ordines antea ſuſceptos III 4. 34.
Idque etiam in Soc Ieſu per biennij vota III. 4. 35.
Non item quo ad dignitate, ac prælaturas III. 4 36.
Ceſſat tamen quo ad beneficiũ regulare ſimplex III. 4. 37.
Vi profeſſionis illegitimus non ſuccedit in bona patris. III . . 39
Fit tamen habilis ad teſtificandum ſi aliàs erat inhabilis. III. 4 40.
Profeſſio tollit maculam Ingratitudinis. III. 4. 41.
Idque fit etiam in Soc. Ieſu per vota biennij. ibid.
Liberat à poteſtate patris. III 4. 42.
Quod item faciunt vota biennij in Soc. Ieſu. ibid.
At non ideo pater amittit exemptionem ratione 12. filiorum. III. 4. 43.
Non ſoluit poteſtatem Tutoris ibid.
Profeſſio dirimit ſponſalia. III. 4. 44.
Diſſoluit matrimonium ratum. III 4. 45.
Per vota biennij in Soc. Ieſu dirimitur matrimonium ſubſequens non autem præcedens. III. 4. 46.
In aliquibus Ordinibus militaribus matrimonium ratum dirimitur per profeſſionem. III. 4. 47.
Per eam dirimitur & matrimonium conſummatum Infidelium. III. 4 48.
Per illam vacant beneficia eccleſiaſtica, ac extinguuntur penſiones. III. 4 49
Non tamen omnes. III. 4. 50.
Beneficia autem vacant ipſo iure. III. 4. 51.
Non item in Soc Ieſu. III. 4 52
Per profeſſionem non amittitur nobilitas natalium ſubſtantialis III. 4. 53.
Per illam profitens fit dominij incapax III 4. 54.
Non tamen reuocatur teſtamentum antea factum monaſterio non inſtituto. III. 4 5.
Poſt profeſsionem teſtamentũ ſtatim aperiendũ. III 4 56.
Poſt illam teſtamentum poteſt declarari, ſed non reuocari. III. . 57.
Per illam Ordo, ſi ſit capax, ſuccedit in bona profeſsi. III. 4 8. & 9.
Per eam tranſit Religioſus in dominium Religionis; idq; ex ipſa natura profeſsionis. III. 4. 60.
Per eã acquiritur ius irritãdi vota Religioſorum. III. 4. 61.
Idq; etſi vota ſint de rebꝰ à Deo preceptis, aut ab eccleſia. ib.
Excipiuntur tamen aliqua vota. III 4 62.
Ex profeſſione oritur obligatio ſeruandi regulã. III. 4. 70.
Vi illius vt ſic non oritur obligatio recitandi horas canonicas. III. 4. 72 V. 4. 51.
Vi illius religioſus ſubeſt prohibitionibus, ac pœnis, alijſq; oneribus Regularium. III 4 73.
Profeſsio dat ius præcedentiæ. III 4. 74.
Item & ius Ciuitatis. ibid.
Dat ius eligendi. III. 4 75.
Confert ius ad prælaturas regulares. III. 4. 76.
Dat ius vtendi priuilegijs Ordinis. III. 4 77.
Secùs, ſi profeſſio ſit nulla. III. 4. 78.
Profeſſus etiam profeſſione tacita tenetur voto Caſtitatis. I 4. 47.
Intellige, iuxta intentionem ipſius tunc habitam. IV 3 48.
Profitens inualidè tenetur voto Caſtitatis vt ſimplici, ſi id ipſe intendit IV 3. 51.

Profeſſio religioſa quo ad indiſſolubilitatem.

Profeſſio ex parte Religioſi profitentis abſolutè eſt indiſſolubilis. III. 5 1.
Immò & ex parte Religionis III 5. 2.
In Soc. Ieſu res aliter habet. III. . & 4.
Profeſſio diſſolui nequit ex mutuo conſenſu Religionis, ac Religioſi. III. 5 6.
Eſt autem indiſſolubilis ex voluntate cõtrahentiũ. III. 5. 7.
Diſſoluitur ex auctoritate Papæ. III. 5. 8.
Et quidem interdum cum onere vt diſpenſatus, habita prole, redeat ad religionem. III 5. 9.
Profeſſio prior diſſoluitur per poſteriorem legitimè factã in alio Ordine III. 5. 11
Diſſoluitur profeſſio hermaphroditi facta in Ordine virorum, ſi poſtea erumpat in mulierem. III. 5. 14.
Profeſſio non diſſoluitur per aſſumptionem ad Epiſcopatum, Cardinalatum, aut Pàpatum. III 5. 1 .
Facta ad tempus, aut ſub certa aliqua conditione, etſi verè nulla ſit, aliquo tamen modo dici poteſt diſſolui. III. 5. 19.
Profeſſio non diſſoluitur in pęnã Relig. profeſſi. III. 5. 20.
Immò nec diſſoluitur quo ad vota, quæ fiunt in ea vltra vota religionis ſubſtantialia. III. 5. 21. & 22.
Non datur caſus, in quo profeſſio diſſoluatur ex natura rei III 5. 23.
Profeſſio nunquam diſſoluitur ex ſola diſpenſatione Epiſcopi. III. 5. 24. & 25.

Papa poteſt diſpenſare cum profeſſo, vt nubat, durante in eo ſtatu religioſo. III. 5. 26.
Abſolutè loquendo, diſpenſari poteſt in ſubſtantia profeſſionis, nulla diſpenſatione facta in tribus votis religioſis. III. 5. 27.
Papa hòc ipsò quod ſimpliciter diſpenſat ſuper profeſſione, diſpenſat & ſuper voto Caſtitatis. IV. 3. 116.
Facta diſpenſatione ſuper profeſſione ſimpliciter, Papa nõ poteſt non concedere diſpenſationem ſuper voto Caſtitatis. IV. 3. 117.

Prohibitio.

Non extendenda ad caſus non expreſſos IV. 5. 149.
Prohibito principali prohibitum cenſetur & acceſſorium. IV. 5. 391.
Prohibito antecedenti prohibetur & conſequens. ibid.
Multa prohibentur, quę tamen facta tenẽt. II 2 14. III. 1. 57.
Lex prohibens finem prohibet ea, per quæ venitur ad finem. IV. 5. 391.

Promiſſio.

Si fiat à Religioſo ſine licentia, irritari poteſt à Prælato. III. 4. 69
Omittens Miſſam alteri gratis promiſſam non peccat m. etſi alij id negent, V. 9. 19.
Et hoc procedit etiam in caſu, quo Miſſa deberetur ex ſtipendio V 9. 20.
Religioſi Miſſas ꝓmittere poſſunt etiã ſine licẽtia. V. 9. 24.

Proprietarius.

Votum paupertatis aufert vſum proprietarium bonorum. IV. 2. 191.
Vſus clauis eſt indiciũ proprietatis, ſed non sẽper IV. 2 197
Religioſus proprietarius priuatur eccleſiaſtica ſepultura. IV. 2. 244.
Si tamen certò conſtet illum mortuum fuiſſe proprietariũ. IV 2. 245.
Proprietarius hodie nequit eijci è monaſterio. IV. 2 246.
Incurrit priuationem vocis actiuæ, & paſſiuæ. IV. 2. 247.
Voluntas Prælati præſumpta de facto ſufficit ad tollendam proprietatem IV. 2 401.
Vitium proprietatis in quo conſiſtat. IV. 2. 252.
Religioſus furans in bonum Monaſterij non eſt proprietarius. IV 2 267.

Protectio.

Varijs modis protegit Deus Ordines religioſ. I. 6. 11 & ſeq.
Eos protegit & Eccleſia. I. 6 15. & ſeqq.

Protector.

Non admittit Religioſos ad profeſſionem. III. 3. 6.
Et non parent ſui Religioſi ex voto Obedientiæ. IV 4. 110.

Proteſtatio.

Non prodeſt, ſi factum ei aduerſetur. I. 5. 16.

Puella.

Si careat vſu rationis, recipi poteſt intra clauſtra regularium. V. 6 37.
Quando cenſeatur adepta vſum rationis. V. 6. 38.
In dubio an puella ſeptennis vſu rationis polleat, cenſetur pollere. V. 6. 39.

Q

Quadrageſima.

Fratres Minimi vouent vitam Quadrageſimalẽ. IV. 5 59.
Diſpenſatus ad carnes in quadrageſima veſci poteſt carnibus etiam noxijs. IV. 5. 99.
De eſſentia ieiunij etiam in quadrageſima eſt ſolùm abſtinentia à carnibus, ſtando in iure communi V. 5. 19.
Sicq; in Quadrageſima poſſunt edi lacticinia, attento iure communi. V. 5. 20.
Obſtat tamen conſuetudo in aliquibus locis. V. 5. 11.
Diſpenſatus ad carnes in quadrageſima ratione morbi, nõ ieiunat etiam quo die non veſcitur carnibus. V. 5. 39.
Regulares degentes Mediolani primis 4. diebus quadrageſimæ, ſecluſa conſuetudine in contrarium, illam non ſeruant. V. 5. 58.
Immò, data tali conſuetudine, adhuc extra ſua monaſteria non obſeruant Quadrageſimam. V. 5. 59.
Dato quòd poſſint frui eo indulto, eo item vti poterunt extra territorium Mediolanenſe, ſi diebus illis abſint breui reuerſuri V. 5. 60.
Alij tamen id negant ibid.
Quòd ſi eo indulto vtantur, non ideo tenentur poſtea ieiunare in diebus Rogat iuxta ritũ Ambroſianũ. V 5 61.
Occurrente feſto 9 lectionum in Quadrageſimæ ferijs, regulares non tenẽtur dicere duas Miſſas ſolẽnes. V 9 33.

R

Ratificare.

Profitens nulliter profeſſionem poſtea ratificat ſine noua acceptatione Prælati. III. 1 42.
Non item, ſi ea fuit nulla ex defectu ætatis, aut anni nouitiatus; etſi alij id negent. III. 1. 44. & 45.
In eius ratificatione nõ repetẽdæ ſolitę ceremon III. 1. 46.
Ratificatio votorum ſimplicium in Soc. Ieſu fieri poteſt in ipſa votorum renouatione III. 1. 47.
Nulliter profeſſus non tenetur ratificare, ſecluſo ſcandalo, aut periculo infamiæ. III 5 48.
Profeſſio irrita non ratificatur per ſolam ſuſceptionem Ordinis ſacri. III 1. 70.
Inualidè ꝓfeſſ° ſi nolit ratificare, debet reclamare III. 5. 49
Et, ſi neutrum faciat, eijci poteſt. III. 5. 5.
Inualidè profeſſus ſi iniuſtè prohibeatur reclamare, non ideo tenetur ratificare profeſſionem III 5. 56.
Profeſſio nulla qualiter ratificanda. III. 5. 57.
Non requiritur ad talem ratificationem nouus nouitiatus. III. 5. 58.
Nec noua Prælati acceptatio. III. 5. 59.
Ratificata profeſſione aliàs nullas reualidantur actus facti ante ratificationem. III. 5. 60.
Vota religioſa fictè emittens debet ea ratificare, vel recedere à religione. IV 1. 34.
Ratificari dicitur id, quod eſt irritum. III. 1. 37.

Reclamare.

Inualidè profeſſus reclamat. III 1. 60.
Reclamans contra nullitatem profeſſionis ex nouitiatu facto in loco non deſignato debet id facere coram Sacra Congregatione. II. 1. 27. III 5. 37.
Idq; etiam intra quinquennium II 1 28.
Receptus, aut profeſſus in loco non deſignato ſolũ reclamat intra certũ tẽpus, & cũ alijs limitationibus III. 1. 26.
Quid ſit reclamare III 1 32.
Ius reclamandi competit ex Conc Trid. III. 5. 33.
Competit omnibus Religioſis vtriuſq; ſexus III 5. 34.
Aliàs reclamabatur corã Ordin. ac proprio Prælato. III. 5. 35.
Datur locus reclamandi in quocumque caſu profeſſio eſt nulla. III. 5. 38.
Et in hoc aliqua ſeruari debent. III. 5 39.
Reclamatio facienda in habitu religioſo. III. 5. 40.
Et ſolùm intra quinquennium. III 5. 42.
Excepto tamen aliquo caſu. III. 5. 43. & 44.
Quo caſu quinquennium computandum à die ignorantiæ, aut impedimenti. III 5. 45.
Iuramenti ſe fictè profeſſum fuiſſe, & nunquam ratificaſſe profeſſionem credi non debet. ibid.
Adſtrictus impedimento perpetuo, reclamet, reclamat etiã poſt quinquennium. III. 5. 46.

Immò

Immò & in caſu, quo impedimentum ſit ad tempus. ibid.
Inualidè profeſſus tenetur reclamare, niſi malit ratificare profeſſionem. III. 47.
Dimitti is poteſt, ſi nolit nec reclamare, nec ratificare profeſſionem. III. § 48
Decretum reclamandi ſolùm intra quinquennium obligat tantùm pro foro externo. III § 49.
Iudicium reclamationis cęptum intra quinquennium, perfici poſtea poteſt. III § 50.
Ad hoc iudicium cum Ordinario concurrit Prælatus regularis III. § 51.
Vtriuſq; conſenſus petitur ad dimittendũ reclamantẽ. ibid.
Religio poteſt & ipſa reclamare contra nulliter profeſſum. III § 52.
Idque coram Ordinario, ac Prælato regulari. ibid.
Non tamen poſt quinquennium. ibid.
Tunc verò nulliter profeſſus contra religionem ſe tuetur profitẽdo publicè corã teſtibus inſcio Superiore. III §. 53.
Aliàs dimitti poteſt occultè. III. §. 54.
Recedenti poſt reclamationem non reddenda omnia acquiſita III. § 60.
Inualidè profeſſus poſt quinquennium auditur beneficio reſtitutionis in integrum. III. §. 5.
Si iniuſtè reijciatur à reclamando non tenetur ratificare, nec ſeruare regulam. III § 56.
Peccat, & eſt apoſtata qui reclamat contra profeſſionem validam III § 60.

Recreatio.

Concedenda opportuna Nouitijs. I § 24.

Redemptio captiuorum.

Religio redimere tenetur Religioſum captiuum pretio moderato. III. 6. 35.
Fratres Mercennarij votum ſolemne faciunt de redimendis captiuis apud Saracenos. IV. § 2). & ſeqq.

Refectiuncula veſpertina.

Conceſſa in ieiunio. V. § 9
Sumitur etiam in meridie. ibid.
Aſſignatur eius quantitas, & qualitas. V. § 10. & 11.
In Vigilia Natiu. Domini eſſe poteſt 16. vnciarum plùs minùs. V. § 12.
Idque etſi Natiuitas contingat in feria 2. ſicque ieiunium præueniatur. V. §. 3.
Item etſi ieiunium ſit ex voto. V § 13.
Item in caſu quo cęna in veſperam dilata ſub meridiem ſumatur refectiuncula. ibid.
Quod genus ciborum in ea poſſit ſumi. V § 14.
Vnciæ octo in ea permiſſę non omnes debent eſſe ex pane. V. . 15.
In ea ſumi poteſt iuſculum; adhibita tamen aliqua limitatione. V § 16.

Reformatio.

Quid ſit. I § 1.
Vnde eius neceſſitas. I. § 2.
Quo tempore procuranda I. § 3.
Per quos inducenda. I. .4. & 5.
Ad illam confert vſus pœnitentiarum pro defectibus occurrentibus iniunctarum I. § 6.
Qualiter inducenda. I § 7.
Quibus mediis. I .8
Ad illã multùm confert vſus orationis mentalis. I. § 9.
Item exacta regularum Obſeruantia I · 10.
Item exacta impletio exercitiorum ſpiritualium. I. § 12.
Item recta iuuenum educatio I § 13.
Item bona electio Superiorum I .14
Item fuga nimiæ euagationis. I § 15.
Item vitatio conuerſationis ſęcularium. I § 16.
Item abdicatio exemptionum ſuperfluarum. I. § 17.
Item omnimoda ablegatio ambitionis. I. § 1 .
Item inductio vitę communis quo ad victum, &c. I. § 19.
Item conſeruatio fraternę Charitatis. I. § 20.
Item frequens vſus ſtudiorum. I § 21. & 22.
Item competens rerum temporalium ſuppeditatio. I § 23.
Reformatio amplectenda à Religioſis, ſi inducatur; ſed non in omni caſu I. § 26. & 27. & 28.
Excommunicantur illam repellentes. I. § 28.
Si fiat pręcisè ratione maioris perfectionis, ac rigoris, ad eam cogi non poſſunt Regulares, niſi conſentiant. I § 29. & 30.
Eſt difficilis Religionum reformatio. I § 33.
Pluribus de cauſis illi inſiſtendum. I. § 34.

Regula.

Eſt de eſſentia Status Religioſi. I 1 25.
Regulę Religionum approbatę ab Eccleſia ſunt vndecim. I. 2. 19.
Sub regula S. Baſilij militant plures Ordines, & qui I. 2. 20.
Qui Ordines militent ſub S. Benedicti regula. I. 2. 21.
Qui militent ſub regula S. Auguſtini. I. 2. 22.
Qui militent ſub S. Franciſci regula. I 2 23.
Regularum directio confert ad ſpiritualem profectum Religioſorum. I. 4 13.
Illarum exacta obſeruantia vtilis ad Religionum reformationem. I. § 10.
Regulę, etiam minimę obſeruandę. I. § 11.
Regula, ſi ſit collapſa, & reformetur, obſeruanda; non tamen ſemper. I § 2 . & 26. & 27. & 28.
Simpliciter nequit præcipi regula auſterior, neque à Papa. I § 31.
Quæ dicantur eſſe ſupra regulam. I. § 32.
Admittuntur ſenes, ac infirmi ad profeſſionẽ, etſi non poſſint regulam ſeruare. I 4 56 & 57. III 4 7 . III. 2. 30.
Nouitij, ſi regulam violent, puniri poſſunt II. § 25.
Regulam tenentur ſeruare ex decentia II. 2. 6.
Idque etſi ex deuotione priuata faciant vota religionis. II. 6. 7.
Ex profeſſione oritur obligatio ſeruandi regulam III 4. 70.
Inualidè profeſſus, ſi iniuſtè prohibeatur reclamare, non tenetur ad regulam. III. § 55.
Votum obedientiæ addit regulæ obligationem commenſuratam ipſi regulæ IV 4. 6.
Religioſis præcipi poſſunt contenta in regula etiam ſolùm implicitè. IV. 4 7.
Ad obſeruantiam regulæ ij cogi poſſunt, ſi ea relaxata ſit, & reformetur IV 4. 58 & 60. & 61.
Non item, ſi licitè dicta relaxatio ſit inducta. IV 4. 59.
Nõ poſſunt imponi nouę auſteritates ſup regulã. IV 4 66.
Eę tamen facilius imponi poſſunt quo ad Religioſos imposterum profeſſuros IV. 4 67.
Pręcipi poſſunt, quę ſunt infra, aut pręter regulam IV. 4. 68.
Si quidem ea quoquo modo ordinentur ad regulę obſeruantiam. IV 4 69.
Non poſſunt pręcipi, quę ſunt apertè cõtra regulã. IV. 4. 71.
Obediendum in dubio, an res pręcepta ſit contra regulã. IV 4 72.
Non parendum pręcipienti contra regulam Ordinis. IV. 4. 124.
Vouens aliquid ſecundùm regulam, ſe debet conformare eius intentioni. IV. 4 346. & 356.
Quid ſit regula Religionum. V. 2. 1.
Differunt inter ſe Regula, & Conſtitutiones. V. 2. 2.
Eadem regula ſeruatur in pluribus Ordinibus, etiam diuerſis. V. 2. 3.
Quilibet Ordo proprias habet Conſtitutiones. V. 2. 4.
Conſtitutiones Ordinum poſſunt abrogari, mutari, & alterari. V. 2 5. & 6.
Regula obligat aliquo modo in conſcientia, etſi id in ea non exprimatur. V. 2. 7.
Non obligat tamen eodem modo in vnoquoque Ordine. V 2. 8.
Eius obſeruantia non eſt ex vi regulę. V. 2 9.
Grauitas obligationis illius ex varijs colligitur. V. 2. 10.

Obligat

Obligat ſub mortali,ſi ſit de re graui,& declaret obligationem eſſe in vim præcepti. V. 2. 11.
Regula generaliter obligans ſub veniali non obligat ſub mortali,niſi quo ad vota. V.2.12.
Obligat ſub veniali, ſi in ea exprimatur illam non obligare ſub mortali. V.2.13.
Obligans ſolũ ad pœnã adhuc obligat in cõſcientia.V.2.14.
Quælibet regula obligat ad pœnam , eſtò in ea non fiat mentio de culpa,aut pęna. V.2 15.
Regula,in qua non exprimitur , quod obliget ad culpam, aut pœnam communiter obligat ſub veniali V.2.16.
Id tamen non procedit in conſilijs , quæ interdum miſcentur in regula. ibid.
Et hoc etiam in regula expreſsè excludente obligationem ad culpam etiam venialem. V.2.17.
Regula præſcribens rem grauem aliàs præceptam obligat ſub mortali . V.2. 18.
Sicque eius violatio duplicem continet malitiam . V.2.19.
Regula præſcribens ſpectantia ad vota obligat ſub mortali. V 2.20.
Obligans vero ad opera ſupererogationis ad nihil obligat. V.2. 21.
Præſcribens peculiares obſeruantias non obligat ad culpam, ſi de regula dicatur eam non obligare ad peccatum. V.2. 22.
Regula non obligans ad culpam nihilominus eſt vera lex. V 2.23.
Violatio regulæ non eſt ſacrilega , etſi in profeſſione voueatur regula. V 2 25.
Violans regulam ex ſe non obligantem ad culpam poteſt aliunde peccare. V.2.26.
Violans talem regulam per ſe non peccat , ſi petat facultatem faciendi rẽ in ea vetitam, & non obtineat. V 2.27.
Regula in re graui poteſt obligare ſolũ ſub veniali. V 2 34
In re autem leui non poteſt obligare ſub mortali. V.2.35.
Poteſt obligare ſolùm ad pœnam. V.2 36.
In dubio an obliget ſub mortali, aut veniali, obligat ſub veniali. V.2.37.
Ex triplici capite peccare poteſt, qui violat regulam non obligantem ad culpam. V 2 38.
In quo conſiſtat promiſſio vitæ regularis. V 2 39.
Intendens ſeruare regulam ſolùm in ijs, ad quæ obligat ſub mortali,per ſe loquendo m. non peccat. V.2.40.
Eſt in malo ſtatu , qui habet conſuetudinem violandi regulam non obligantem ad culpam . V.2.41.
Regula ſeruãda,etiã à ſupremis Prelatis religionũ. V.2.42.
Non obligat Religioſum factum Epiſcopum. V.2.43
Non obligat Nouitios. V.2. 44.
Obligat moniales etiam ſubiectas Ordinario. V.2. 45.
Religioſus hoſpes non ſeruat ſtatuta alienæ Prouinciæ . V.2. 46.
Ignorantia excuſat à regula. V. 2. 47.
Item & impotentia. V 2. 49.
Item legitima diſpenſatio. V.2.50.
Item epicheia. V.2. 51.
Item & conſuetudo,ſed non in votorum materia. V.2. 54.
Profitens regulam tunc relaxatam tenetur illam ſeruare in priſtino rigore quo ad vota. V.2.55.
Idque etſi profitens ignorauerit eius rigorem ; etſi tunc poſſet tranſire ad Ordinem laxiorem. V.2.56.
Præſcribi non poteſt contra regulam , ſi ea ſæpiùs legatur publicè. V 2.57.
Ad pſcribendũ cõtra illã nõ acquiritur certũ tẽpus V 2.58.
Ceſſante fine regulæ in particulari , ceſſat eius obligatio . V. 2. 59.
Prælatus ſciens paſſim violari regulas etiam non obligantes ad vllam culpam peccat mortaliter. V.2.60.
At in hoc datur paruitas materiæ excuſans à mortali , & aſſignatur. V.2 61.
Sine cauſa diſpenſari non poteſt in regula. V.2.63.
Peccat v. Religioſus,qui ſtatuens ſeruare vota,& præcepta regulæ intendit cætera non ſeruare. V.1. 10.
Secùs,ſi hinc ſe exponat periculo m. peccandi. V.1.11.
Peccat m. ſeruans voto , & regulam ſi intendit non attingere perfectionem religioſam. V 1. 12.
Peccat contra obligationem perfectionis violans vota , & regulam,etſi intendat perfectionem. V.1.13.
Peccat m. violans regulam ex conſuetudine, ſi habeat propoſitum formale non tendendi ad perfectionẽ. V.1.14.
Nulla de facto regula vniuerſaliter obligans ſub mortali , immò nec ea eſſet conueniens . V.2.11.
Regula generaliter declarans non adeſſe obligationem ſub peccato, vt inducat talem obligationem, non ſufficiunt verba præceptiua. V.2.12.
Regula S.Dominici, neque ad pœnam generaliter obligat ſed ſolum in caſu quo ea taxetur. V.2 17.
Regula non obligans ad culpam, propriè non eſt lex, etſi aliunde ſic poſſit vocari. V 2 23.
Regula poteſt obligare ad confeſſionem venialium . V. 3.13. & 14. & 15.
Item & ad confeſſionem generalem peccatorum ritè confeſſorum. V.3.16.
Item vt confitens Confeſſario extraordinario eandem confeſſionem repetat apud ordinarium. V.3. 19.
Itẽ vt abſolutus à reſeruatis ex poteſtate cuilibet Cõfeſſario cõmiſſa, teneatur poſtea ſe pręſentare Superiori V.3.20.
Non poteſt obligare ad confitendũ per interpretẽ. V 3.21.
Regulæ præcipienti confeſſionem ſatisfit per confeſſionem informem,ac inualidam. V.3 27.
Confitens ex præcepto regulæ ſi quod mortale obliuiſcitur,non tenetur poſtea illud confiteri intra præfixum tempus. V. 3. 29.
Item ſatisfit per confeſſionem , in qua à reſeruatis pęnitens ſolùm indirectè abſoluatur. V. 3. 31.
Confeſſus ſolùm venialia , ſi poſtea m. peccet non debet iterum confiteri , niſi regula præſcribat confeſſionem mortalium. V. 3. 32.
Concurrente ieiunio Eccleſiæ,& ieiunio regulę ,ſi vtrumq; ſeruari nequeat, ſeruari debet ꝙ priùs occurrit. V.5.62.
Omittens ieiunium debitum ex regula & ex præcepto Eccleſiæ vnicum facit peccatum. V.5.63.
Prælatus regularis ex cauſa poteſt transferre ieiunia regulæ quoad ſuos ſubditos. V 5 65.
Regulares non tenentur ad horas canonicas ex ſola regula. V.8. 52.

Religio.

Dari poteſt ſolùm cũ votis ſimplicibus. I.1.6.& 7 & 26.
Dari poteſt etiam cum votis limitaris. I.1.27.
Admittit varietatem accidentalem I.1. 1.
Eſt eſſentialiter ſtatus perfectionis acquirendæ . I.1 32.
Inſtitui poteſt ordinata ad ſalutem proximi , & opera miſericordiæ. I.1.33.
Cenſeretur vna,& eadem Religio, eſtò in aliqua eius parte mutaretur Inſtitutum. I.1. 36.
Eius vnitas deſumitur ex cõueniẽtia in fine,ac medijs. I 1.37.
De eius eſſentia non eſt certus habitus religioſus. I.1.38.
Vx varietate habitus non arguitur varietas religionis. ibid.
De eius eſſentia non eſt vſus Chori. I 1.39.
Religio admittit varietatem. I 1.40.
Non poteſt inſtitui noua religio ſine facultate Papæ . I. 2. 12.& 13.& 14.
Immò nec poteſt attentari. I.2.15.
Varietas religionũ cõfert ad bonũ Eccleſiæ. I.3.1.& 2.& 3.
Quotuplex poſſit eſſe hæc varietas. I.3 4.
Ea reperitur etiam inter Ordines eiuſdem religionis. I 3.5.
Religio monachalis per quid conſtituatur. I.3.10. & 12.
Per quid conſtituatur Ordo mendicans. I.3.12. & ſeqq.
Per quid Religio Clericalis. I.3 17. & ſeqq.
Per quid Ordo militaris. I.3.24. & ſeqq.
Per quid Ordo Hoſpitalarius I.3.33. & 34.
Per quid Ordo Tertiariorum I.3.35. & ſeqq.
Perfectio maior Religionum non deſumitur ex maiori

-ori aſperitate vt ſic. I.3.58. & 60. III.5.85.
Quę Religio dicatur aſperior. I.3.61. & 62.
Religio contemplatiua eſt perfectior actiua. I.3.68.
Solitaria item eſt perfectior Cœnobitica, ſed non reſpectu cuiuſuis Religioſi. I.3. 71. & 72.
Idque facta comparatione ad vitam cõtemplatiuã. I.3.73.
Status religioſus vtilis Eccleſiæ. I.4 26.
Vtilis & Papæ I.4 2.
Vtilis Epiſcopis. I.4.29.
Vtilis Parochis I 4.30. & 31.
Vtilis locis in quibus degunt Religioſi. I.4 32.
Vtilis laicis etiam quo ad temporalia I.4.33.
Vtilis Principibus ſecularibus. I.4.34.
Vtilis Academijs I 4.35.
Vtilis educationi Iuuentutis. I.4 36.
Vtilis propagationi fidei. I.4.37.
Vtilis defunctis. I.4 38.
Religio in qua fit profeſſio ſolemnis, nõ eſt perfectior ea, in qua ſolùm fierent vota ſimplicia religionis. I.3.74.
Impedientes illius ingreſſum variè puniuntur. I.6.22. & 23. & 24.
Religioné ingredi poſſunt filij ſine licentia patris II.3 1.7.
Quæ religio dicatur arctior III 5.89.
Talis exceſſus quo ad tranſeundum ad arctiorem attenditur iuxta actualem obſeruantiam III.5.86. & 88.
Maior item perfectio religionis quoad hunc finem non attẽditur abſolutè, ſed reſpectu perſonæ trãſiturę III 5.87.
Religio ſtrictior non tenetur admittere Religioſum petentem tranſitum, licèt idoneum. III 5.104.

Religioſi.

Sunt Religioſi etiam laici, qui faciunt vota eſſentialia religionis. I.3 41.
Vtiliſſimi Eccleſiæ, vide *v. religio, & v. ſtatus religioſus.*
Protecti à Deo. I 6.1.
Cur à Deo ſic protecti. I.6.2.
Protecti quo ad animam. I 6.4.
Protecti quo ad corpus. I.6.5.
Protecti quo ad conſeruationem Ordinis, eiuſque propagationem. I.6.6.
Protecti contra perſecutores I.6.7.10.
Inuiſi dęmonibus, ac hominibus. I 6.11.
Protecti in tentationibus I 6.12
Protecti in aduerſitatibus. I.6.13.
Protecti in morte I 6 14.
Protecti ab Eccleſia. I.6.15. & 16.
Exempti à poteſtate Principum ſecularium I.6.18.
In eorum bonum erecta peculiaris Congregatio Cardinalium I.6.19.
Protecti contra ſuos aduerſarios. I 6.20.
Protecti quo ad Nouitios, Oblatos, ac Tertiarios. I.6.32.
Item quo ad Fundatores monaſteriorum. I.6.33.
Item quo ad benefactores. ibid.
Item quò ad Medicos, & Famulos. I.6.46. & 47.
Item quo ad ipſorum priuilegia. I.6.45
Item quo ad ipſorum gubernationem. I 6.46. & 47.
Protecti quo ad ſtudia. I.6.48.
Item quò ad bona temporalia. I 6.49.
Religioſo legitimè eiecto non conſulit de neceſſarijs, ſi ei aliunde ſuccurratur. III.6.19.
Religioſi in odioſis non veniunt nomine Clericorum. V 7.55.

Religioſi laici.

Sunt verè Religioſi I.3.41.
Non repetunt nouitiatum, ſi transferantur ad ſtatum Clericalem. II 1 0
Qualiter inſtituendi tempore nouitiatus. II.5.27.
Ex decreto Clementis Octaui profiteri nequeunt niſi excedant 21. annum. III.1.40.
De conſenſu Conuentus non recipiuntur ad profeſſionem Clericorum. III.5.33.
Poſſunt tranſire ad Ordinem arctiorem. III.5.80.
Non item ad laxiorem, niſi admittantur vt Clerici. III.5.134.
Religioſi Clerici transferri poſſunt ad ſtatum laicorum. III.5.136.
De cõnſenſu tamen Prælati Superioris, & Conuentus. III.5.137.
In Soc. Ieſu id fieri poteſt a ſolo Generali. ibid.
Religioſus Clericus Sacris Ordinibus initiatus tranſire nequit ad ſtatum laicorum. III 5.13.
Petens religionem ex voto, ſi recipiatur ſolùm vt laicus, cùm idoneus ſit ad ſtatum clericalem, non tenetur ingredi IV 1 54.
Religioſi laici non tenentur ad horas, etſi ſciant eas recitare. V.8.6.
Deferunt Tonſuram. V.7 46. & 47.
Facilè tamen excuſantur, ſi omittant illam deferre. V 7.52.
Religioſi Clerici ſi tranſeant ad ſtatum laicorum, non tenentur amplius ad horas. V 8 57.

Reliquiæ Sanctorum.

Si abſque licentia accipiantur, non incurritur vitium proprietatis. IV.2 316.

Remiſſio.

Beneficiatio abſenti fieri nequit à præſentibus quo ad diſtributiones. V.5.17.
Hi tamen poſſunt illas donare, vbi eas acquiſiuerunt ibid.
Remiſſio creditoris non liberat debitorem, niſi ſit libera. IV.5.36.

Renouatio votorum.

Facta in Soc. Ieſu facit lucrari remiſſionem peccatorum. III.4.17.
Interdum induxit nouam obligationem. ibid.

Renunciatio bonorum.

Quid ſit. II 9 1.
Nouitij non poſſunt ad illam aſtringi. II.9.2.
Facienda cum ſolemnitate in Conc. Trid. præſcripta. II.9 3.
Limita, niſi fiat ante ingreſſum Religionis, quod alij negant. II 9 4. & ſeqq.
Dicta ſolemnitas ſeruanda, etſi rènuncians ſit maior 16. annis. II 9 7.
Secùs res habet in Soc. Ieſu. II.9 8.
Idq; etſi renunciatio fiat ſine conſenſu Superioris. II 9.9.
Præfata ſolemnitas non ſeruanda in condendo Teſtamento. II.9.12
Seruanda vero, etſi fiat rènunciatio ſub conditione *ſi perſeuerauero.* II 9.13.
Renũciatio, quæ fit in Soc. Ieſu, debet eſſe abſoluta, & talis præſumitur, niſi expreſſa apponatur conditio. II 9 14.
Eſt tamen conditionata, quæ fit non iuxta Societatis Conſtitutiones. II.9.1
Et tunc ſi renuncians exeat, recuperat ſua bona II.9.16.
In quib. cõtractibus ſeruari debeat p̃fata ſolẽnitas II.9. 7.
Non ſeruanda in liberando Tutore à reddendis rationibus. II.9.1
Seruãda in renũciatione beneficij Eccleſiaſt. II 9 19. & 20.
Et tunc fructus beneficij ſunt renunciantis, vſque dum Superior acceptet renunciationem. II.9.21.
Sine dicta ſolemnitate tranſigi poteſt cum parentibus Nouitij, ac monaſterio quo ad legitimam ipſius Nouitij. II 9.22.
Renunciatio fieri poteſt ſub conditione recuperandi bona, ſi renuncians fiat Epiſcopus. II 9.23.
Religioſus factus Epiſcopus non recuperat bona abſolutè renunciata, ſicut nec in caſu, quo ex diſpenſatione recedat ab Ordine. II.9.24.
Nouitius in renunciatione poteſt ſibi reſeruare certam partem

partem bonorum. II. 9. 25.
Nouitius, inſcijs parentibus renuncians paternæ hæreditati, ij patre viuente profitetur, nihil facit. II. 9 26.
Poteſt tamen obligare patrem, cui renunciat, vt det alteri certam portionem II. 9. 27.
Renunciatio, etiam iurata non tenet, ſi fiat ſine debita ſolemnitate. II. 9. 28
Super quæ bona cadat renunciatio. II. 9 30.
Nouitio non renuncianti ſuccedunt hæredes ab inteſtato, ſi decedat ante profeſſionem. II. 9 31.
Intellige, niſi Nouitius ante mortem aliter diſpoſuerit II. 9. 3 .
Renunciatio fieri poteſt in fauorem illius, cui Nouitius maluerit renunciare. II. 9 33.
In ea legari poteſt aliquid monaſterio. II. 9. 34.
Idque licitè ſuaderi poteſt renuncianti. II. 9. 35.
Renunciatio non fit ſine licentia Ordinarij. II. 9. 36.
Licentia hæc dari poteſt ab Epiſcopo nondum conſecrato, a Capitulo, Sede vacante. II. 9. 37.
Dari poteſt etiam per alium. II 9. 38.
Requiritur etiam hodie. II. 9. 39.
Renunciatio facienda vltimo bimeſtri ante profeſſionem. II. 9. 40.
Qualiter computari debeat hoc bimeſtre. II. 9. 41.
Renunciatio tenet, etſi profeſſio differatur vltra dictum bimeſtre II. 9. 42.
Diſpenſatus ad profitendum nono menſe nouitiatus renunciare debet vltimo bimeſtri ante nonum menſem. II 9. 43.
Conditio talis temporis non ſeruatur in caſu, quo profeſſio fiat in articulo mortis ante finem nouitiatus. II 9.44
Talis verò profitens non poteſt renũciare poſtea. II.9.45.
Renunciatio bonorum non petit ſolemnitatem iuris ciuilis. II. 9.46.
Operatur ſolùm à die ſecutæ profeſſionis. II. 9. 47.
Reuocatur ante profeſſionem per confectionem teſtamẽti. II 9.48.
Non tenent, ſi ſequatur profeſſio inualida. II. 9. 49.
Requirit in renunciante ætatem. 15. annorum, & 9. menſium. II. 9. 50.
Non ſubſiſtit, ſi ea facta Nouitius recedat, & poſtea redeat ad religionem. II. 9. 51.
Non poteſt reuocari à renunciante volente perſeuerare. II. 9. 2.
Imo nec limitari. ibid.
At renuncians poteſt fingere ſe è religione egreſſurum, vt renunciatarius conſentiat in limitationem. ibid.
Fructus medij temporis à die renunciationis vſq; ad profeſſionem ſunt renunciantis. II. 9. 53.
Si qui tamen ſuperſunt poſt emiſſam profeſſionem, ſpectant ad hæredem renunciantis. II. 9 54. & 55.
De renunciatione facta in Soc. Ieſu non iuxta eius Conſtitutiones iudicandum ac de ea, quæ fit in alijs Ordinibus. II. 9. 56.
Bonam renunciata tradi poſſunt ante profeſſioné. II.9 60
Renunciatio poteſt reuocari ob ingratitudinem in varijs caſibus. II. 9. 61.
Secuta reuocatione renunciationis ex iſto titulo, hereditas ſpectat ad monaſterium reuocantis, ſi eſt capax II.9.61.
Monaſterium ipſum ex hoc titulo reuocare poſſet renunciationem. II 9. 62.
Vide *v. Soc. Ieſu II. 8. 35 vſque ad II. 9. 63.*

Reſtitutio.

Religioſus reſtituere tenetur monaſterio expenſa in vſibus illicitis. III. 6. 59. & 320.
Idque eo meliori modo, quo poteſt. III. 6. 60.
Secus in certo caſu. III. 6. 61.
Item reſtituere tenetur, qui indebitè recipit à Religioſo. III. 6. 62.
Reſtitutionem famæ ſibi debitam nequit Religioſus ex ſe remittere. III. 6. 66.
Ex obligatione voti religioſæ paupertatis oritur obligatio reſtituendi. IV. 2. 249. & 320.
Ex quibus bonis reſtituere debeat Religioſus. IV. 2 321.
Accipiens ad vſus illicitos mixta aliquos non reſtituit. IV. 2. 322.
Furans minuta comeſtibilia, non tenetur reſtituere, etſi peruenerit ad quantitatem notabilem. IV. 2. 323.
Item nec tenetur, ſi auferat ex bonis Conuentus Superiore inuito ſolùm quo ad modum. IV. 2. 324.
Item nec in caſu, quo res bona fide diſtrahatur. IV. 2 325.
Et quidem nec ſub veniali. ibid.
Expendens in vſibus illicitis, cum poſſit expendere in licitis, tenetur reſtituere, ſed non ſemper. IV. 2. 326.
Tenetur Officialis monaſterij, ſi eius bona pereant ex culpa illius IV. 2. 327.
Dans alteri indebitè, etſi aliàs ſit reſtituere, tenetur monere accipientem, vt reddat accepta, ſi ſperet fructum. IV. 2. 328.
Obligatio reſtituendi ceſſat ex remiſſione Superioris. IV. 2. 329.
Talis remiſſio eſſe poteſt rationabilis. ibid.
Satisfit obligationi reſtituendi curando, vt titulo reſtitutionis detur Conuentui, quod alter daturus erat liberaliter. IV.2.330.
Item ſi preciſè reddatur illud modicum, quod complet furtum in ratione mortalis IV.2.331.
Itẽ ſi obligatus reſtituere, immemor talis obligationis tantundem reſtituat liberaliter. IV.2 332.
Limita, ſi quando dedit liberaliter, tenebatur ad reſtitutionem. IV.2.333.
Non ſatisfit autem, ſtando in rigore, ſi fiant pro Conuentu expenſæ ſuperfluæ, ipſo interim indigente neceſſarijs. IV 2. 334.
Talis tamen reſtituens videtur excuſari poſſe à noua reſtitutione, ſaltem poſt factum. IV.2 335.
Ceſſat onus reſtituendi, ſi quantum dat Religioſus tantundem accipit ab eo, cui dedit, & illud retinet. IV 2.336.
Dans alteri religioſo Ordinis ex bonis ſibi conceſſis reſtituere tenetur ſed non ſemper. IV.2 337.
Dans de licentia Prælati non tenetur reſtituere in aliquo caſu, etſi licentia excedat poteſtatem concedentis. IV.2.338.
Obligatus reſtituere non parat pecuniam ad hunc finem ſine licentia Prælati. IV 2.339.
Ceſſat obligatio reſtituendi, ſi accipiens indebitè reddat rem acceptam danti. IV.2.340.
Si reſtitutio facienda ſit monaſterio, fit illi monaſterio, in quo tunc degit Religioſus, qui diſtraxerat rem reſtituendam IV.2 342 & 343.
Accepta ſine licentia reddi debent danti, ſi Superior accipientis receptionem nolit ratam habere. IV.2. 344.
In tali caſu nequit Religioſus ex ſuo peculio reddere domino, ſi rem acceptam inſumpſit. IV.2 346.
Remiſſio creditoris non eximit à reſtitutione, ſi non ſit libera. IV 5.360.
Accipiens à Religioſo ad vſus illicitos non ſemper reſtituit IV.2.347.
Beneficiarius tenetur ad horas ſub pœna reſtitutionis fructuum ex Pij V decreto. IV.2.186.
A tali pœna excuſat tenuitas beneficij. V.8.187.
Non excuſatur tamen habens plura beneficia tenuia, quæ faciant vnum ſufficiens. V.8.189.
Talis obligatio eſt ſolùm de iure Eccleſiaſtico. V.8.204.
Non ligat primo ſemeſtri. V.8 205.
Omittens horas poſt primum ſemeſtre non reſtituit fructus ante illum perceptos. V.8.206.
In tali reſtitutione deducenda pars reſpondens alijs miniſterijs annexis beneficio. V.8 207.
Ad quam ratam ea ex Pij V decreto fieri debeat. V.8.208.
Si reſtituens plura habeat beneficia, tenetur reſtituere ad ratam fructuum omnium beneficiorum. V.8.209.
Reſtitutio hæc facienda ante ſententiam. V.8.210.

Non ligat prò omiſſione minori, quam vnius horæ integræ V. 8.211.
Quod alij negant. ibid.
Beneficiarius non tenetur ſub mortali reſtituere partem aliàs reſtituendam, ſi in materia furti non pertingeret ad mortale. V.8. 212.
Non tenetur reſtituere, qui in ſingulis horis omittit partem leuem, cuius omiſſio reſpectu totius Officij eſſet quantitas grauis. V.8. 213.
Reſtituit omittens partem Officij notabilem, etſi ſingulis omiſſionibus non reſpondeat pars fructuum notabilis. V.8 214.
Sed non ſemper. V.8.215 & 216.
Iuxta aliquos non reſtituit, qui rarò omittit horas. ibid.
Nō reſtituit, qui inculpabiliter omittit horas. V. 8. 217.
Nec qui recitat ſine debita attentione. V.8.218.
Quod alij reijciunt. V. 8.219.
Nec qui recitat cum alio, minimè attendens ad eius partem V.8 220
Nec qui recitat Officium pro officio. V.8. 224.
Nec qui omittit officium poſt groſſam præbendæ abſolutè acquiſitam quod in ſpecie tradit *Salas* contra communem DD. ſententiam. V.8 225.
Reſtituit verò, qui die ſequenti ſupplet Officium omiſſum die præcedenti V.8.221.
Reſtitutio hæc facienda fabricæ beneficij, aut pauperibus. V. 2. 226.
Beneficiarius eam ſibi applicare poteſt, ſi ſit pauperibus. V.8 227.
Non reſtituit, qui antea fecerat eleemoſynas æquiualentes immemor talis obligationis. V.8.229.
Pēſionarius reſtituit, ſi Officium B Virg omittat. V.8.230.
Reſtitutio hæc facienda ex fructibus temporalibus beneficij, vel penſionis. V. .233.
Secùs, ſi dicatur facienda ante primum ſemeſtre. ibid.
Beneficiarius non reſtituit pro ſuo penſionario omittente Officium B Virginis, V 8.131.& 132.
Notabiliter differens miſſas debitas ex ſtipendio tenetur facere aliquam reſtitutionem in ſpiritualibus. V.9.73.
Beneficiarius omittens fidei profeſſionem tenetur reſtituere fructus perceptos poſt primum bimeſtre. V.10.5.& 7.
Non tamen ante ſententiam V.10.7.
Obligatio reſtituēdi nō oritur ex ſola culpa ven. IV 2.323.
Recipiens a Religioſo eiecto ob fines illicitos non reſtituit. IV.2.373.

Reſtitutio in integrum.

Competit inualidè profeſſis; quod debet intelligi cum limitatione. III.5.54.

Reus.

Damnatus ad mortem per famem poteſt non edere cibos exhibitos. IV.5.81.

Rex.

Plures Reges, ac Reginæ ſuſceperunt Statum Religioſum. I.6.7. & 8.

Rogationes.

In diebus Rogationum Regulares non ieiunant Mediolani, etiā primis 4. diebus quadrageſimæ illam non ſeruauerint iuxta ritum Ambroſianum. V.5.61.
Quicumque Regulares non interſunt proceſſionibus Rogationum, recitant priuatim Litanias; etſi alij id negent. V.8. 7.& 48. V 11.22.
Idque etiam in caſu, quo interſint, ſed non canant, aut non attendant V 11.23.
Oppoſitum tamē videri poteſt non improbabile. V.11.24.

S

Sacramenta.

Illorum frequentia commendari debet Nouitijs. II.5.13.
Ea miniſtranda Religioſis ſubditis à proprijs Prælatis etiā cum vitæ periculo III.6.2. & 3
Idq; ſiue ſint Prælati Superiores, ſiue inferiores. III.6.4.
Frequentia Sacrametorum confert ad caſtitatem. IV.3.18.

Sacerdos.

Iuxta aliquos mortaliter non peccat nunquam celebrando in toto anno V.9.1.

Sacriſtia.

In Sacriſtia Regularium recipi poſſunt fęminæ. V.6.31.
Limita, niſi Sacriſtia habeat oſtium ſitum in clauſtro Conuentus. V.6 32.
In ſacriſtia affigendum Vrbani Octaui decretum de non addendis calendario nouis Officijs Sanctorum. V.8.24.

Salus Proximorum.

Poteſt inſtitui religio ordinata ad illam. I.1.33.
Ei vacant Religioſi ex Inſtituto. V.12.1.
Non tamen ſub mortali, neque ex iuſtitia. V.12.2.
Ad id non tenētur Religioſi Ordinū monachaliū. V 12.3.
Religioſi Soc. Ieſu peculiari ratione ad id tenentur. V.12.4.
Obligatio vacandi ſaluti Proximorum confert ad proprium ſpiritualem profectum. V.12.5.& 6.
Religio ex inſtituto vacans Proximorum ſaluti eſt perfectior ea, quæ ſibi ſoli vacat. V.12.7.
Religioſi non tenentur vacare gratis Proximorum ſaluti. V.12.8.
Nec cum periculo vitę nec cum graui ſuo incommodo, niſi in extrema neceſſitate. V.12.9.

Scandalum.

Qualiter confitenda ſit circumſtantia ſcandali IV.3.91.
Quando contingat ſpeciale peccatum ſcandali. IV.3.92.
Quo caſu confitenda ſit circumſtantia ſcandali. IV.3.93.
Quo modo aliquid excuſari poſſit à peccato ſcandali. ibid.
Cauendum ſcandalum, etiam cum proprio damno notabili IV.5.5 3.
Dimidiatur confeſſio Sacramentalis ad vitandum ſcandalum. V.3 64.
Licet interdum offerre occaſionem ſcandali in bonum delinquentis. III.6.9.
Scandalum paſſiuum cum graui incommodo non vitandum. V.12. 60.

Scriptura.

Ex ſcripto tenetur homo confiteri in aliquo caſu. V. 3. 23.
Oppoſitum non eſt improbabile. V 3. 24.
Confitens ex ſcripto abſoluitur, ſi ſit præſens abſoluenti. V.3 25.
Tranſiens ad alium ordinem deferre poteſt ſua manuſcripta ſine licentia Prælati. III.5.156.

Scrupuli.

Quibus remedijs abigi poſſint. V.3.66.

Secretum naturale.

Non obligat cum diſpēdio boni cōmunis. IV.5.88. & 92.

Senectus.

Ipſa eſt morbus. IV.5.74.
Senes ſexagenarij non tenentur ad ieiunia Eccleſiæ. IV.5.75. V.5.31.
Tenentur tamen ad ieiunia regulæ. ibid.
Et quidem meritò. V.5.32.
Limita, niſi ſenex abſque graui ſuo diſpendio ea ſeruare non poſſit. V.5.33.
Senes à ieiunio Eccleſiæ eximuntur ante 60. annum expletum. V.5 34.
Senes veniunt nomine infirmorum. V.8.10.

Sen-

Senſus.

Senſuum cuſtodia confert ad Caſtitatem. IV.3.19.

Sepultura.

Eligitur à Nouitijs II 7 89.
Pro ea expenſæ ſoluendæ a monaſterio. III. 6.34.
Eccleſiaſtica ſepultura priuatur proprietarius. IV. 2. 245.
Profeſſus diſpenſatus ad matrimonium recuperat ius eligendi ſepulturam. IV.3. 137.
Miſſæ præſcriptæ a teſtatore ſine loci deſignatione dicendæ in loco, vbi ſepelitur teſtator. V.9. 122.

Sermo.

Simpliciter prolatus intelligitur de primo actu. III.5. 117.

Seruus.

Admittitur ad religionem de licentia domini. II.4. 38.
Validè, ſed illicitè recipitur ad profeſſionem inſcio domino. III 2.43 & 41.
Et tunc intra triennium repeti poteſt à domino. III.2.44.
Dominus tamen religionem cogere nequit, vt illum redimat, ſi bona fide admiſit. III. 2. 46.
Seruus in Soc. Ieſu non admittitur III.2.47.

Silentium.

Inculcandum, & obſeruandum quàm maximè à Nouitijs. II.5.19.

Simonia.

Tenet profeſſio facta ſimoniacè III.1,63. & 64.
Taliter profitens incurrit pœnas latas contra Simoniacos ſed ſecuta profeſſione. III.1.65.
Simoniacè recipiens ad profeſſionem incurrit pęnas. III.3.35.
Non eſt ſimoniacus celebrans ex ſtipendio aliàs non celebraturus. V.9. 15.
Simoniacè admiſſus ad profeſſionem expelli debet, ſed poſt ſententiam. III. 1. 63.

Societas Ieſu.

Eſt vera religio, etiam reſpectu eorum, qui ſolùm emittunt vota ſimplicia I.1.7. III.4.9.
Nec id negari poteſt abſque errore in fide. III. 4.9.
Et hoc ſemper fuit. III.4.10.
Includit varietatem graduum. I.3.7.
Et quidem laudabiliter. I 3.8. IV.5.339.
Eius Religioſi laici in odioſis non veniunt nomine Clericorum. I.3.21.
Veniunt tamen Scholares approbati, etſi nondum initiati prima Tonſura. I.3.22.
Interdum eius Religioſi appellantur nomine Fratrum. I.3.23.
In ea Scholares approbati verè ſunt Mendicantes. I.3.45.
In ea viget vſus aſperitatum corporalium, ſed non ex regula. I.3. 63.
Cur in ea non præſcribantur tales aſperitates. I.3.64.
In ea laudabiliter non eſt admiſſus vſus Chori. I.3. 67.
Ea diabolo eſt inuiſa. I. 4. 12.
Ab ea abdicatæ exemptiones etiam quo ad perſonas optimè meritas. I. 5. 17.
In ea triplex fit probatio. II.1.2.
In ea recipiendus debet eſſe annorum 15. nec maior 50. annis. II. 1. 6.
Eius nouitiatus non neceſſariò fit in habitu regulari. II.1.9.
Dimiſſus ab ea poſt vota biennij tenetur facere nouum nouitiatum, ſed non ſemper II.1.19.
In ea admittuntur Nouitij, non præmiſſis informationibus à Sixto V. præſcriptis. II.3 5.
Ingreſſus in Soc. Ieſu reticentis aliquod impedimentum, etiam non dirimens, ſi fiat de poteſtate ſolius Prouincialis, eſt nullus. II.2.34.
Excipitur tamen impedimentum ætatis. II.2. 35.
Nouitij Societ. Ieſu ſubſunt reſeruationi caſuum ipſius Societatis. II. 6. 31.
De bonis non diſponunt licitè ſine cõſenſu Superioris. II 8 35.
In ea bonorum renunciatio non fit iuxta formam præſcriptam in Concilio Trid. II. 8 8.
Idque etſi fiat inſcio Prælato. II.8.9.
Soc. Ieſu capit de bonis Nouitiorum, ſi dentur. II.9.10.
Et hæc non reſtituuntur ipſi poſtea recedenti. ibid.
Renunciatio, quæ fit in Soc. Ieſu debet eſſe abſoluta, & talis præſumitur, niſi expreſſa cõditio apponatur. II.9.14.
Eſt tamen conditionata, quæ fit non iuxta Soc. Conſt. II 9 15.
Et tunc renuncians, ſi dimittatur, recuperat ſua bona II.9 16.
De renunciatione facta in Societ. nõ iuxta Societ. Conſtitut. iudicandum, ac de ea, quæ fit in alijs Ordinib. II.9.56.
Fructus hæreditatis renunciatæ ſub conditione ſuſpenſiua perſeuerantiæ ſunt renunciantis vſq; ad profeſſionẽ. ibid.
De bonis ſub tali conditione renunciatis in Societ. inualidè contrahit renunciatarius. II.9 57.
Renuncians ſub dicta cõditione ſi exeat è Soc. iam formatus Coadiutor repetit ſua bona ſecùs, ſi profeſſus. II.9.58.
Coadiutor formatus bona ſua renuncians filio, ſi hoc mortuo exeat, ei non ſuccedit, ſed filij liberi. ibid.
Dimiſſus acquirit legatum ante formationem relictum ſub conditione, ſi non perſeuerauerit. ibid.
Item acquirit legatum relictum ſub conditione, ſi non fecerit profeſſionem, ſi formatus dimittatur. ibid.
Legatum ſub conditione ſi non perſeuerauerit, cadit ſub vniuerſalem bonorum renunciationem. II.9.59.
Idq; etſi legatum ſit relictum poſt renunciationẽ bonorum. ibid.
Bona renunciata tradi poſſunt renunciatario ante profeſſionem II.9 60
Scholaris approbatus Societatis, ſi dimiſſus poſt renunciationem bonorum factam ſub ea conditione redeat, retinet ſua bona II 9 63.
Emittens vota ſimplicia, biennio probationis non expleto poteſt validè emittere. III.1.16.
Modò ſit expletus integer annus probationis III.1. 17.
Idq; procedit etiam quoad hoc vt profeſſio, quæ fit in Soc. ſit valida, etſi aliàs per tot annos differatur. III.5.18.
Eſt de eſſentia profeſſionis 4 votorum, vt in ea 4. vota exprimuntur. III.1. 25.
Emiſſurus profeſſionem 4. votorum, ſi omittat quartum votum, ex ſua parte eſt profeſſus, non item ex parte Soc. niſi profeſſio fiat coram Generali. III.1.26. & 74.
Faciens vota biennij ante annum 17. ætatis completum, validè facit, ſi legitimus fuit nouitiatus. III.1 27.
Ad valorem votorum ſimplicium biennij requiritur annus 16. ætatis completus. III.1.38.
Fictè emittens vota ſimplicia biennij, ea poteſt ratificare in ſolita votorum renouatione. III. 1. 47.
P. Societate excluditur deſcendens ex maculato genere, ſed non abſolutè III. 2. 19.
Excluditur itẽ homicida voluntarius, etiam occultus iuxtà aliquos; imò & mãdans homicidium, ſed nõ cõſulẽs, ibid.
Eijci poteſt Religioſus Societ. poſt vota biennij, ſi reticuit impedimentum aliquod accidentale. III. 1. 65.
In Societatem non admittitur quicumque ſuſcepit religioſum habitum alterius Ordinis. III 2. 23.
Item non admittitur amens. III. 2. 26.
Non coniugatus poſt matrimonij conſummationẽ. III.2. 37.
Immò nec ante conſummationem. III. 2. 38.
Poſſet tamen admitti coniugatus poſt factum diuortium. III. 2 39.
Seruus in Soc. Ieſu non admittitur. III. 2. 47.
E Societate poſſet licentiari Scholaris approbatus præciſè ad ſubueniendum parenti egeno. III. 2. 58.
Per vota ſimplicia biennij obtinetur plena peccatorum remiſſio. III.4, 17.
Item acquiritur per profeſſionem poſt dicta vota emiſſam. III. 4. 18.
Immò & per vota Coadiutoris formati, quæ poſtea fiant. ibidem.
Per vota biennij non tolluntur, ſed ſolùm ſuſpenduntur alia vota antea facta. III. 4. 23. & 24.
Vota ſimplicia Religionis facta à Nouitio ex priuata deuotione non commutantur in vota biennij. III. 4. 26.
Commutantur tamen in profeſſionem ſolemnem ibid.
Vi profeſſionis factæ in Soc. ceſſant omnia vota. III.4 27.
Per vota biennij tollitur irregularitas ex defectu natalium. III 4. 35.
Tollitur & macula ingratitudinis. III. 4. 41.
Liberatur Religioſus à poteſtate patris, ſaltem quamdiu manet in Societate. III 4.42. & 43.

Per dicta vota non vacant beneficia Eccleſiaſtica . III.4.52.
Iure tamen proprio Societatis debent reſignari ibid.
Societas non ſuccedit in bona ſui Religioſi ab inteſtato . III. 4 59. IV.2.36.& 123.
Per ea vota acquiritur ius irritandi vota Religioſorum . III. 4.63.
Profeſſus Societ.vi profeſſionis vt ſic non tenetur ad horas . III.6 72.V.8.55.
Societas ex cauſa dimittit ſuos Religioſos, III.5.3 & 4.
Aſſignantur aliquæ cauſæ talis dimiſſionis.III.5.5.
Scholaris approbatus indebitè tranſiens ad alium Ordinem inualidè ibi profitetur.III.5.12.
Religioſus non profeſſus dans cauſam culpabilem ſuæ dimiſſioni non eſt tutus in conſcientia.III 5.25.
Sic dimiſſus immediatè non tenetur recitare preces debitas ex voto facto ſub conditione perſeuerantiæ. III 5 29.
Dans cauſam culpabilem ſuæ dimiſſioni peccat m. ſi id faciat ex graui negligentia. III 5.30.
Per legitimam dimiſſionem è Societate ceſſant vota ſimplicia religionis emiſſa iuxta Soc.Conſtitutiones.III.5 30.
Iure proprio ſocietatis non licet ab ea tranſire ad Ordinem ſtrictiorem,præterquam ad Carthuſiam.III.5.7 .
Nec Prælati ſoc.tenentur dare ad hoc licentiam. III.5.97.
Poſſunt tamen illam dare, ſi velint. ibid.
Profeſſi ſociet etiam cum licentia ſuperioris ſolùm tranſeunt ad Carthuſiam. III.5 98.
Non tranſeunt ad aliquos alios Ordines mendicantes ex ſpecialibus indultis. ibid.
Secùs attento iure proprio ſocietatis,ibid.
Profeſſi dimitti poſſunt à Generali ad Ordinem,etiam æqualem, immò ad laxiorem; idque per modum diſpenſationis. III.5.99.
Vſus tamen talis facultatis ſupponit iuſtas cauſas.ibid.
Ex licentia tranſeundi ad vnum Ordinem non poteſt tranſiri ſucceſſiuè ad plures ordines III 5. 117.
Quod ſi habens talem licentiam non tranſeat, & ſtatim non redeat excommunicatur.III.5.117. & 118.
In ſociet.per ſe loquendo,profeſſio tacita non habet locum . III 6.12. & 13.
Societas non tenetur ſubuenire fratribus, ſororibus,filijs, aut parentibus indigentibus ſuorum Religioſorum biennij votis adſtrictorum niſi in caſu,quo tenerentur Religioſi aliorum Ordinum III.6 43.
Obligatio ſoluendi ſuffragia pro Fundatoribus, ac benefactoribus ſocietatis non eſt ſub mortali III 6.52 V 9.12.
Vouens perſeuerare in ſocietate, ſi ex ſua culpa dimittatur, debet regreſſum procurare IV.1 66.
Vouens profiteri in religione ſatisfacit emittendo vota biennij,aut Coadiutoris formati in ſocietate.IV.1 68.
In ea Coadiutores formati ſunt incapaces dominij IV.2 3.
In ea ſaluatur ſubſtantia religionis cum voto ſimplici paupertatis. IV.2 5.
Ex vinea domibus profeſſis ſocietatis conceſſa non debet fieri vinum,niſi ad vſum Cuſtodis illius.IV 2.40.
In ſocietate non poteſt defendi, nec doceri quòd in venereis datur leuitas materiæ.IV.3.57.
Triplex ingreſſus conſiderari poteſt in ſocietate . IV. 5 341.
Societas loco regulæ habet proprias Conſtitutiones . V 2.3.
Habet ſpeciale indultum ad faciendas nouas Conſtit. V.2 4.
Immò & ad illas abrogandas, mutandas aut alterandas , V.2.5. & 6.
Eius Conſtitutiones non ſunt pura conſilia , etſi non obligent ad culpam,nec taxent pœnam. V.2.17.
Eæ ad nullam culpam obligant.V 2.22.
In iis præſcribitur confeſſio generalis ſemeſtris, aut annua . V 3 16.
In ſoc.confitens Confeſſario non ordinario poſtea confeſſionem eandem repetit coram ordinario.V.3.19.
Eius Religioſi à reſeruatis abſoluuntur per quemcumque Confeſſarium,ſed cum onere ſe præſentandi.V.3.20.
Frequenter ſumunt Euchariſtiam. V.3. 90.
Idque etiam Infirmi.V.3 101.
Fœminæ recipi poſſunt in atrium ſcholarum ſocietatis, ſed non decet,nec eſt vſitatum. V.6.36.
Religioſi ſoc.omittentes habitum religioſum non excommunicantur.V 7 8.& 9.
Peccant tamen.V.7.10.
Ex leuiori cauſa dimittere poſſunt habitum religioſum . V.7.35.
Preces iniunctæ pro fundatorib.ac benefactoribus ſoc. ſi ſuo tempore non impleantur,impleri debent poſtea. V.9. 13.
Satisfit pro ijs,ſi anticipentur. V.9.14.
Religioſi ſociet. ex Inſtituto tenentur adire Indias ad fidem propagandam V.12. 14.
In eo quotannis fit profeſſio fidei à ſingulis Sacerdotibus, & Clericis.V 10.1 .
Eius Religioſi ex Inſtituto tenentur tradere doctrinam chriſtianam.V.12 22.

Soc. Ieſu quo ad Generalem.

Solus recipit ad profeſſionem. III.3.8
Votum ingrediendi alium Ordinem ab eo commutari poteſt in biennij vota, III. 4.29.
Religioſi ſoc.reclamant contra ſuam profeſſionem, aut biennij vota coram Generali III.5.3 .
Is diſpenſat cum Profeſſis,vt tranſeant ad Ordinem, etiam laxiorem. III. 66.
Dimittere poteſt profeſſos ad Ordinem æqualem, immò ad laxiorem per modum diſpenſationis III 5.99.
Ex voto tenetur deſtinare profeſſos ad miſſiones iuxta Suarez, ſed reijcitur IV 3 201.
Liberè deſtinat quos vult,immo & reuocat deſtinatos etiam à Papa,ſed non ſemper. IV... 202.
De ſolo conſenſu ſocietatis non acceptat dignitatem extra religionem. IV.5. 254.
Sub pœna excōmunic. denunciandus quicūque noſcitur affectaſſe,aut affectare munus Generalis.IV.5.294.
Profeſſi tenentur audire conſilia Generalis, ſi promoueantur ad aliquam Eccleſiam,idq;ex voto . IV.5.312.
Generalis tamen non tenetur dare talia conſilia. IV. 5. 329.
Non diſpenſat, vt recipi poſſit ſtipendium pro ſpiritualibus miniſterijs. IV 2.134 V 9 53.
Poteſt deponi, & dimitti è ſocietate. IV.4 181.

Soc. Ieſu quo ad paupertatem.

Paupertas in ſociet.eſt varia ac multiplex IV.2 115.
Societas eſt capax bonorum quo ad Collegia, ac domos probationis. IV 2.116.
Non item quo ad domos profeſſas. ibid.
Hæ tamen habent dominium propriæ habitationis, ac ſtabilium relictorum,ſed vt vendantur. IV.2.117.
Non retinet annuos redditus quo ad Eccleſias domuum profeſſarum. IV.2. 118.
Præter quam pro fabrica,idque cum limitatione. ibid.
Amplia, etiam fortè ad alios vſus ; ſed cum limitatione IV.2 119.
Domus profeſſa non retinet annuos redditus,neque ad paucos annos. IV.2. 120.
Non habet vſumfructum bonorum immobilium. IV.2.121.
Eſt incapax bonorum immobilium exceſſione ab ea facta . IV.2.122.
Reditus annui relicti Profeſſis acquiruntur Collegio, aut domui probationis,in quibus ij degunt. IV 2.124.
Domus profeſſa poteſt inſtitui hæres. IV.2.125.
Profeſſi, & Coadiutores formati ſunt incapaces cuiuſcumque ſucceſſionis hæreditariæ IV 2. 126.
Domus profeſſa recipit bona ſtabilia ex legato, ſed vt vendat.IV.2 127.
Subſiſtit legatum rei immobilis relictum domui profeſſæ ſub conditione repugnante eius paupertati. IV 2.128.
Bona immobilia relicta domui profeſſæ venduntur à ſocietate,non ab hæredibus teſtatoris IV.2. 129.
Ea tamen locari poſſunt,vſque dum occurrat occaſio ea vendendi ſed non ad longum tempus.IV.2 130.
Redditus Collegiorum non vtitur domus profeſſa . IV. 2 131.
Religioſi ſoc. non violant paupertatem recipiendo ſtipendium pro miniſteriis ſpiritualibus. IV 2.132.
Aliunde tamen poſſunt peccare etiam contra paupertatem. IV. 2. 133.

Non poſſunt retinere dictum ſtipendium indebitè acceptũ. IV. 2. 135.
Quod ſi non reddant illud danu, & poſtea exeant è ſocietate, adhuc tenentur illud reſtituere. IV. 2. 136.
Non recipiunt miſſas celebrandas cum hoc vt tertio alicui detur ſtipendium pro ijs debitum IV. 2. 137.
Limitatur aſſertio in aliquibus caſibus, qui referuntur. IV. 2. 138. 139. & 140.
Non recipiunt ad ſupplendam omiſſionem Miſſarum aliàs dicendarum ex ſtipendio iam accepto. IV. 2. 140.
Peccat m. Religioſus Societatis retinens ſibi notabilem pecuniam data pro Miſſis à pluribus Sacerdotibus ipſius Societ. procuratis ſed vnam ſolum à ſingulis. IV. 2. 141.
Celebrant ex gratitudine pro dante pecuniam ad effectum procurandi Miſſas ex ſtipendio ab alijs, eamq; retinent. IV. 2. 142.
Accipiens pecuniam data ob Miſſas à Sacerdote indebitè dictas interdum eam retinet. IV. 2. 143.
Celebrant Miſſas, ad quas tenetur hæres ex teſtamento. IV. 2. 144.
Item ſi ingrediantur Societatem iam obligati ad certum numerum Miſſarum; quin etiam in tali caſu adiuuari poſſunt ab alijs Religioſis Societatis. IV. 2. 145.
Item ſi iam ſtipendium acceperunt pro Miſſis, & nunc non ſunt ſoluendo. IV. 2. 146.
Celebrant Miſſas à tertio ex voto promiſſas animo ſoluendi ſtipendium pro illis. IV. 2. 147.
Prohibitio non accipiendi ſtipendium pro miniſterijs ſpiritualibus afficit quoſcumque Religioſos Societatis. IV. 2. 148.
Poteſt tamen Societas ſe obligare ad prouidendum Concionatorem, &c. IV. 2. 149.
Prohibitio præfita cadit ſupra ſtipendium ſolum in quantum videtur dari in compenſationem miniſteriorum ſpiritualium. V 9. 54.

Soc. Ieſu quo ad paupertatem Scholarium approbatorum.

Scholares approbati Soc. ſunt capaces dominij. IV. 2. 150.
Retinent dominium ſuorum bonorum pro arbitrio Superioris, & tamen ſunt verè Religioſi. IV. 2. 151.
Non acquirunt licitè ſine Superioris licentia. IV. 2. 152.
Excipe in caſu, quo ſine noua acceptatione dominij per ſolam nouam rei exiſtentiam dominium dicatur acquiri. IV. 2. 153.
Non vtuntur ſuis bonis independenter à Superiore. IV. 2. 155.
Ex voto tenentur renunciare bonis ad arbitrium Superioris. IV. 2. 156.
Peccant diſtribuendo, aut renunciando ſua bona abſque licentia Superioris. IV. 2. 157.
Idque etſi renuncient in fauorem cauſæ piæ. IV. 2. 158.
Si tamen ſi renuncient, tenet renunciatio. IV. 2. 159.
At poteſt irritari ibid.
Idque procedit etiam in teſtamento ab ijs condito indebitè. IV. 2. 161.
Non peccant m. faciendo teſtamentum occultè. IV. 2. 162.
Sed tale teſtamentum poteſt irritari, etiam poſt mortem teſtatoris IV. 2. 163.
Bona ſua tenentur diſtribuere pauperibus, niſi Superior aliter iudicet. IV. 2. 164.
Aliquando diſponunt etiam in fauorem conſanguineorum. IV. 2. 165.
Cogi poſſunt, vt renuncient in fauorem cauſæ piæ. IV. 2. 166.
Non item, vt renuncient ad vſum non pium. IV. 2. 167.
Eorum bona ipſis inuitis applicari nequeunt Societati. IV. 2. 168.
Non vtuntur rebus ſuis vt proprijs. IV. 2. 169.
Poſſunt eas tradere in cuſtodiam extraneo IV. 2. 170.
Acquirunt, quæ ijs dantur intuitu ipſorum. IV. 2. 171.
Liberè repudiant legata ipſis relicta, ſed non omnia. IV. 2. 172.
At hæc non poſſunt à Superioribus repudiari. ibid.
Explicatur, quando licentia acquirendi ſit ad acquirendum ſibi non religioni IV. 2. 172.
De rebus ſuis non dant, nec mutuant ſine licentia. IV. 2. 173.
Acquiſita ab illis per induſtriam, aut per inuentionem ſunt Societatis. IV. 2. 174.
Quæ quantitas in hoc requiratur ad peccandum m. contra paupertatem. IV. 2. 156.
Scholaris approbatus in Societate violans votum paupertatis non peccat minùs, quàm ſi eſſet profeſſus. IV. 2. 262.

Soc. Ieſu quo ad votum Caſtitatis.

Votum Caſtitatis ſimplex, quod fit in Societate, dirimit matrimonium ſubſequens. IV. 3. 27. & 28.
Idque ex decreto Gregorij XIII. quod extenditur ad præterita. IV. 3. 30.
Per vota Coadiutorum formatorum non dirimitur matrimonium ratum præcedens. IV. 3. 29.
Generalis Societ. non diſpenſat cum ſcholari approbato vt nubat non obſtante voto Caſtitatis. IV. 3. 112.

Soc. Ieſu quo ad votum Obedientiæ.

Traditio, quæ fit in ſocietate per votum ſimplex Obedientiæ, eſtò non ſit perpetua, ac irreuocabilis ex parte ſocietatis, voluntatem Religioſi plenè ſubdit Prælato. IV. 4. 9.
Religioſi Societ. debent obedire in omnibus, in quibus manifeſtè peccatum non cernitur. IV. 4. 10.
Quàm latè ſe extendat votum Obedientiæ in Soc. IV. 4. 54.
In ea nullum præceptum obligat ſub mortali, niſi fiat ſub certa forma præſcripta in Conſtitutionibus. IV. 4. 161.
In ea eſt caſus reſeruatus dicere miniſtro præcipienti *Nolo parere*. IV. 4. 155.

Soc. Ieſu quo ad votum Obedientiæ circa miſſiones.

Religioſi ſociet. faciunt votum obedientiæ Papæ circa miſſiones. IV. 5. 171.
Hoc votum eſt ſolemne. IV. 5. 172. & 173.
Obligat ad proficiſcendum ſine excuſatione, & non petito viatico ad miſſiones. IV. 5. 174.
Eſt diuerſum à voto generalis Obedientiæ. IV. 5. 175.
Fit Deo, & dirigitur ad Papam. IV. 5. 176.
Papa tamen ordinariò inſtituit miſſiones per Generalem. IV. 5. 177.
Interdum etiam ſe ſolo. ibid.
Qualiter obliget ad proficiſcendum non petito viatico. IV. 5. 178.
Non violat hoc votum, qui viaticum procurat ab amico. IV. 5. 179.
Immò nec is, qui illud procuraret a Papa, ſi præuideat certò ſibi defuturam eſſe neceſſariam ſuſtentationem IV. 5. 180.
Vi huius voti prohibitæ ſolùm excuſationes friuolæ, & falſæ. IV. 5. 181.
Quantumuis iuſta afferatur excuſatio, obediendum, ſi Superior adhuc perſiſtat in ſententia. IV 5. 182.
Non violat hoc votum, qui timens deſtinari ad miſſiones præuenit Prælatum, ne deſtinet interim paratus obedire. IV. 5. 183.
Obligat hoc votum ad quaſcumque miſſiones IV. 5. 184.
Obligat ad perſeuerandum in miſſionibus. IV. 5. 185. & 186.
Immò & ad recedendum, ſi legitima poteſtate reuocetur. IV. 5. 187.
Item obligat ad non eundum in certum aliquem locum, qui à ſuperiore prohibeatur IV. 5. 188.
Item ad exercenda ibi miniſteria ſocietatis. IV. 5. 189.
Qualia ſunt omnes actiones miſericordiæ ſpiritualis. IV. 5. 190 & 191.
Item ad vacandum ſtudio linguarum ibi neceſſariarum. IV. 5. 192.
Obligatio huius voti colligenda ex literis Apoſtolicis, ac Conſtitutionibus ſocietatis. IV. 5. 193.
Quid intelligatur nomine *miſſionis*. IV. 5. 194.
Hoc votũ vt obliget, requirit formale præceptum IV. 5. 195.
Regulariter tamen non decet expectare tale præceptum. IV. 5. 196.
Violat hoc votum, qui deſtinatus ad miſſiones voluntariè nimis procraſtinatur. IV 5. 197.
Item qui iam profectus ad miſſionem ibi negligenter ſuum munus exercet. IV. 5. 198.
Non violat autem, qui cupit non deſtinari ad miſſiones. IV 5. 199.
Obligat hoc votum, etiam cum vitæ periculo. IV. 5. 200.

Generalis

Generalis Societatis ex hoc voto tenetur iuxta Suarez deſtinare ad miſſiones; quod alij negant, & benè. IV. ſ. 201.
Generalis liberè deſtinat ad miſſiones, & reuocat deſtinatos à Papa, ſed non ſemper. IV. .202.
Tempus miſſionum varium. IV. 203.
Papa non relaxat ſine cauſa hoc votum. IV. ſ. 204.
Profeſſus renitens parere in materia miſſionum non violat votum generalis obedientiæ. IV. ſ. 205.

Societas quo ad votum non relaxandi paupertatem.

Religioſi Societatis vouent non conſentire in relaxationem paupertatis. IV ſ. 20 .
Hoc votum eſt ſimplex. IV. ſ. 207.
Fit ad cauendam relaxationem paupertatis: IV. ſ. 208.
Eius materia eſt non agere, &c. quod immutetur ius Societ. quo ad votum paupertatis. IV. ſ. 209.
Abſolutè eſt licitum. IV. ſ. 210.
Vi illius duæ actiones in genere prohibentur. IV. ſ. 211.
Prohibetur item votum conſultiuum de dicta relaxatione. IV. ſ. 212.
Non violat hoc votum, qui non reſiſtit procurantibus hanc relaxationem. IV 2. 213.
Non is, qui in dubio, an expediat talis relaxatio, de ea diſſerit in vtramque partem, aperitque quid iudicet veriſimilius. IV. ſ. 214.
Non is, qui extra tale dubium ſimilem tractatum conſcribeberet apud ſe retinendum; quod tamen debet limitari. IV. ſ. 215.
Non is, qui orto dicto dubio, de hoc modo dicto ageret cum Papa. IV. ſ. 216.
Non is, qui talem relaxationem motu proprio imperatam à Papa acceptaret. I . ſ. 217.
Secùs, ſi Papa illam ſolùm indulgeret; quod Suarez negat. IV. ſ. 218.
Si à Papa præcipiatur ſine cauſa nequit acceptari. IV ſ. 221.
Violat hoc votum, qui dat ſuum ſuffragium ad relaxandam paupertatem poſt requiſitum numerum ſuffragiorum. IV. ſ. 222.
Statutum de præfata relaxatione factum eſſet validum. IV. ſ. 223.
Immò licitè ſeruaretur. IV. ſ. 224.
Hoc votũ obligat quo ad totã materiã paupertatis. IV. ſ. 225.
Non violatur à Prælato ſinente induci conſuetudinem paupertati aduerſantem. IV. ſ 226 & 227.
Vt dicatur violari, non eſt opus quòd relaxatio paupertatis inducatur per Conſtitutionem. IV. ſ. 228.

Societas quò ad votum non ambiendi intra Religionem.

Religioſi Societatis vouent non ambire intra Religionem. IV. ſ. 229.
Hoc votum eſt ſimplex. IV. ſ 230.
Fit ad vitandam ambitionem. IV. ſ. 231.
Vetat omnem actionem externam influentem in ambitum. IV. ſ. 233.
Idque etſi per alium ambiatur. IV. ſ. 234.
Hæc tamen actio debet eſſe manifeſtatiua interioris ambitionis. IV. ſ. 235.
Aſſignatur quid veniat hic nomine officij, & dignitatis. IV. ſ. 236.
Suarez nimis ampliat acceptionẽ talium nominũ. IV. ſ. 237.
Non violat hoc votum, qui deſiderat interiùs dignitates. IV. ſ. 238.
Violant verò ambientes ſiue animo non acceptandi dignitatem, ſiue ex bono fine. IV. ſ. 239.
Item ambientes in bonum Religionis IV. ſ. 240.
Non item curantes ſibi non auferri dignitatem iam collatam. IV ſ. 241.
Violans hoc votum fit incapax cuiuſcumque dignitatis Societatis. ibid.

Societas quò ad votum non acceptandi dignitates extra ipſam Societatem.

Profeſſi Societatis vouent non acceptare dignitates extra religionem ſine præcepto Papæ. IV. ſ. 243. & 253.
Hoc votum eſt ſimplex IV. ſ. 244.
Fit in bonum ſpirituale tum vouentis, tum Societ. IV. ſ. 245.
Eius materia eſt fugere dignitates extra Societatẽ. IV. ſ. 246.
Eſt laudabile. IV. ſ. 247.
Non extenditur ad caſum, in quo neceſſitas oppoſitum ſuadeat. IV. ſ. 248.
Vetat omnem actionem externam influentem in ambitum. IV. ſ. 249.
De rigore iuris ſolùm vetat ambitum directum. IV. . 250.
Quid veniat hìc nomine dignitatis, & prælationis. IV. ſ . 51.
In varijs caſibus ceſſare poteſt obligatio huius voti. IV. ſ. 2, 2.
Ligat etiam Generalem. IV ſ. 254
Ad acceptandas dignitates ſufficit præceptum Papæ ſub veniali. IV. ſ 2 ſ.
Non item ſufficit præceptum Collegij Cardinalium Sede vacante IV. . 256.
Sufficit præceptum Papæ, etiam factum ſine cauſa. IV. ſ. 257.
Nec tunc Papa peccaret, ſaltem mortaliter. IV. ſ. 258.
Regulariter tamen venialiter peccaret. IV. . 259.
Non eſt opus quod præfatũ præceptũ ſit formale. IV ſ. 260.
Non ſufficit, quòd Papa iudicet expedire acceptationem dignitatis, niſi addat præceptum. IV. ſ 261.
Idque etſi acceptatio cenſura ſit in bonum tum vouentis, tum publicum. IV. ſ. 262.
Hoc votum extenditur ad Epiſcopatus Indicos; quod alij negant. IV. ſ. 263.
Non ligat ampliùs promotum ad dignitatem extra religionem. IV. ſ. 264.
Et hoc non obſtante Vrbani Octaui decreto hac de re edito. IV. ſ 265.
Quod decretum afficit omnes Religioſos, qui tale votum fecerant ante dictum decretum IV. ſ. 266.
Limitatur tamen aſſertio. IV. ſ. 267.
Vi dicti decreti inducitur incapacitas etiam dignitatum ſæcularium. IV. ſ. 268.
Sicque violat hoc votum, qui ambit dignitates ſæculares. IV. ſ. 269.
Non tenet electio, & acceptatio dignitatis facta contra hoc votum. IV ſ. 270
Ideoque indebitè promotus nequit poſtea ambire iterum. IV. ſ. 271.
Decretũ Vrb. Oct non afficit Religioſos ſimili voto non adſtrictos quò ad acceptandas dignitates extra Ordinem. IV ſ. 272.
Violat hoc votũ, qui curat illud ſibi relaxari IV. ſ. 273.
Non videtur poſſe irritari à Papa. IV. ſ. 274.
Non violat hoc votum, qui acceptat dignitates ex præcepto Papæ ſub cenſura. IV. ſ 275.
Non is qui eas acceptat ſolùm ex ſuppoſitione præcepti Papæ. IV. ſ. 276.
Illud tamen violat aliunde. IV. ſ. 277.
Hoc voto non includitur Papatus. IV ſ. 2 78.

Societas quo ad votum denunciandi ambientes.

Profeſſi Societatis vouent denunciare Religioſos ipſius Societatis ambientes. IV. ſ 279.
Hoc votum eſt ſimplex. IV. ſ. 280.
Fit ad relegandam ambitionem ex metu talis denunciationis. IV. ſ. 281.
Eſt conueniens ac vtile. IV. ſ. 282.
Duplex eſt eius materia. IV. ſ. 283.
Obligat ad denunciandam omnem ambitionem mortalem factam contra votum non ambiendi. IV. ſ. 284.
Denunciatio hæc eſſe poteſt paterna, aut iudicialis iuxta occurrentes circunſtantias. IV. ſ. 285.
Ad eam præſupponitur moralis certitudo delicti. IV. ſ. 286.
Facienda, etſi delictum probari non poſſit. IV. ſ. 2. 7.
Immò etſi delictum ſit cognitum ſub ſecreto naturali. IV. ſ. 28 .
Non item, ſi cognitum ex conſultatione ordinata ad confeſſionem Sacramentalem. IV. 289. & 290
Fit verò, ſi delictum à Superiore ſciatur ex literis miſſis, aut receptis à delinquente. IV. ſ. 292.
Non denunciandus delinquens iam perfectè emendatus. IV. ſ. 293.
Limita, niſi delictum ſit publicum IV ſ. 294.
Ex huius voti extenſione denunciandus ambiens dignitates extra Societatem. IV ſ. 295.

Extenſio illa facta à Societate ligat Profeſſos ante illam ſi dicatur eſſe vera declaratio.IV.ſ.296.
Vi huius voti non denunciandus, qui obtinuit dignitatem ambitam. IV.ſ. 297.
Non is,qui vult ambire,ſed non cępit.IV.ſ 298.
Non is pro quo conſtat alios velle ambire. IV. ſ. 299.
Non is cui Papa ſtatuit conferre dignitatem.IV.ſ.300.
Non is,qui ambiuit occultè,ſed fruſtra. IV.ſ.301.
Non is,qui iam ab alijs denunciatus eſt; quod tamen limitandum. IV. ſ 302.
Denunciatio hęc omittenda,ſi conſtet eam futuram eſſe inutilem. IV.ſ.303.
Denunciandus, qui bona fide ambiuit. IV.ſ.304.
Denunciandi Religioſi ambientes,etiam non profeſſi; quod reprobat *Sanchez*. IV.ſ.305.
Ante denunciationē pmitti pōt fraterna correctio. IV.ſ.306.
At non neceſſariò præmittitur.IV.ſ.307.
Et quidem regulariter. IV. ſ. 308.
Denunciatus de ambitu punitur, ſi denunciatio ſit iudicialis. IV.ſ.309.
Et in hoc ſeruanda certa iudicij forma. IV.ſ.310.
Denunciatio hæc facienda Generali, aut ipſi Societati in Congregatione Generali.IV.ſ.311.

Societas quo ad votum audiendi conſilia Generalis, ſi profeſſus promoueatur in Epiſcopum.

Profeſſi Societatis vouent quod ſi promoueātur in Præſidem alicuius Eccleſiæ, audient conſilia Generalis,eaq; ſequentur, ſi meliora ſuis iudicauerint. IV.ſ.312.
Hoc votum eſt ſimplex. ibid.
Eſt in bonum vouentis,ac Proximorum.IV.ſ.313.
Eſt licitum,& validum IV.ſ.314.
Eſt vtile.IV.ſ.315.
Non eſt pernicioſum regimini Eccleſiæ.IV.ſ.316.
Obligat ad duo IV ſ.317.
Quid ſit detrectare audire conſilia,de quo hìc IV.ſ.318.
Quid ſit promoueri in Præſidem alicuius Eccleſiæ. IV.ſ.319.
Probabile eſt non obligari hoc voto Religioſum promotum ad Cardinalatum. ibid.
Idem dicendum de promoto ad Papatum. IV ſ 320.
Itē & dicendū de indebitè promoto ad Epiſcopatū. IV.ſ.321.
Hoc votum obligat ad audienda conſilia tum Generalis,tum ſubſtituti ab illo. IV.ſ.322.
Si quidē ea iudicētur meliora,Deo ſcilicet gratiora IV.ſ.323
Non obligat tamen in dubio, an ea ſint meliora. IV.ſ.324.
Itē nec in caſu,quo meliora aliunde ſuggerantur. IV. ſ. 325.
Item non obligat ad petenda dicta conſilia. IV.ſ.326.
Neque ad aperienda negotia Generali, quæ ipſum inducant ad danda talia conſilia. IV.ſ.327.
Generalis non tenetur dare præfata conſilia. IV.ſ.329.
Huius voti obligatio non ceſſat per promotionem ad Epiſcopatum. IV.ſ.330. & 331.

Societas quo ad votum ingrediendi Societatem ipſam, quod fit cum votis biennij.

Nouitij Soc. cū votis biēnij promittūt ingredi Soc. IV.ſ.332.
Hæc promiſſio eſt votum. IV.ſ.333.
Et quidem diſtinctum à tribus votis. IV.ſ.334.
Aliquo modo habet rationem voti perſeuerātię.IV.ſ.335.
Et per ſe conueniens. IV. ſ. 336.
Obligat ad recipiendum gradum oblatum debito modo à Generali. IV. ſ. 337.
Fit ad ſeruandam indifferentiam ad varios gradus Societatis. IV. ſ. 338
Et votum ſimplex. IV. ſ. 340.
Nomine ingreſſus hìc venit incorporatio vltimata per gradum. IV. ſ. 341.
Hoc votum non obligat ad procurandum vlteriorem gradum. IV. ſ. 342.
Immò talis procuratio regulariter eſt mala. IV. ſ. 343.
Obligat pro eo tempore, quo vouens erit promouendus ad gradum IV. ſ. 344.
Obligat ad acceptandū gradum indictū à Generali.IV.ſ.345.
Itaq; etſi vouēs intēdat ſe obligare ad certum gradū.IV ſ.346.
Iuxta Suarez obligat Scholarem approbatum ad recipiendū gradū Coadiutoris tēporalis formati,ſi ei offeratur.IV.ſ.347
Quod tamen alij rectiùs negant.IV.ſ.348. & 349.
Non obligat ad acceptandam mutationem inter ipſos vltimos gradus Societatis IV.ſ.350 & 351.
Vt obliget debet Superior iniungere certum gradum ex definita voluntate. IV.ſ.352.
Ad hoc tamen non requiritur formale præceptum. IV.ſ.353.
Vi huius voti Coadiutor temporalis tenetur acceptare gradum Coadiutoris temporalis formati. IV.ſ.354.
Eius obligatio extenditur ad eos, qui vota biennij fecerant ante decretum quæſt.2.relatum.IV.ſ.355.
Item ad illum, qui inuincibiliter ignoraret dictam promiſſionem habere vim voti. IV.ſ.356.
Violat hoc votum, qui conſtanter recuſat gradum inferiorem putans ſuperiorem ſibi debitum eſſe. IV.ſ.357.
Sicque is illud violaret appellando ad Superiorem in hoc caſu IV.ſ.358.
Item violat, qui conſtanter gradum recuſat putans ſe indignum.IV.ſ.359.
Item qui varijs prætextibus gradum oblatum ſubterfugit.IV. ſ.360.
Item qui conſultò malè ſe gerit,vt è Societate dimittatur, ſicque effugiat gradum indictum. IV.ſ. 361.
Non violat verò, qui ad declinandum gradum oblatum trāſit ad Ordinem ſtrictiorem. IV.ſ.362.
Is tamen aliunde peccat. IV.ſ. 363.
Non violat,qui ad prædictum effectum curat ſibi conferri Epiſcopatum. IV.ſ.364.
Etſi is poſſet peccare ex nimia dilatione in acceptando gradu. IV.ſ.365.
Non violat, qui inducit Superiorem, vt altiorem gradum conferat. IV. ſ.366.
Non Coadiutor temporalis, qui ad declinandum gradum Coadiutoris temporalis formati curat promoueri ad Ordines Sacros.IV.ſ.367.

Solemnitas.

Solemnitas voti in quo generaliter conſiſtat. IV.1.11.
Ea eſt duplex IV.1.15.
Votum ſolemne, & votum ſimplex differunt ſolùm accidentaliter. IV.1.16.
Ad ſolemnitatem voti requiritur. vt ſit externum, & publicum.IV.1.17.
Declaratur,quæ ſit ſolemnitas voti Paupertatis religioſę. IV. 2. 18.
Quæ voti Caſtitatis IV.3 4.
Quæ voti obedientiæ.IV.4 16.
Solemnitas voti paupertatis inducta vniuerſaliter à tempore Iuſtiniani Imperatoris. IV.2.9.
Quæ ſit ſolemnitas voti,quod faciunt profeſſi 4. votorum Societatis quoad miſſiones.IV.ſ.172.

Sponſalia.

Ad religionem admittuntur, qui ea contraxerunt etiam iurata.II 4.2.
Ea diſſoluuntur per religionis ingreſſum vt ſic. II.7.20.
Item per profeſſionem.III 4.44.
Vouens religionem poſt ſponſalia iurata adhuc tenetur ingredi. IV.1.8.
Vbi tamen ingreſſus eſt,ſi inſtet alius ſponſus, tenetur implere ſponſalia. IV 1 82.
Qui vouit religionem non poteſt licitè contrahere ſponſalia. IV.1.83
Sponſalia de futuro dirimuntur per votum ſolemne Caſtitatis religioſæ.IV.3.21.
Item per vota biennij Soc. Ieſu. IV.3.31.

Status.

Petit immobilitatem. I. 1 17.
Eius electio eſt libera. IV.1 108.

Status religioſus.

Quid ſit. I. 1. 1.
Ad illum quatuor requiruntur. I. 1. 2.
De eius ſubſtantia eſt, vt in eo ſeruentur paupertas, caſtitas, & obedientia. I. 1. 3.
In eo vltra præcepta ſeruari debent conſilia, ſed non omnia. I. 1. 4.
De eius eſſentia eſt, vt in eo ſub mortali ſeruentur paupertas

tas, caſtitas, ac obedientia. I. 1. 5.
Non item, vt de iis fiat votum ſolemne. I. 1. 6. & 7. & 26.
Debet approbari à Papa. I. 1. 11.
Subſiſtit abſque iuriſdictione propria ſpirituali, non item ſine poteſtate quaſi dominatiua. I. 1. 12.
De eius eſſentia eſt paupertas. I. 1. 13.
Eſt & caſtitas. I. 1. 14.
Et eſt obedientia. I. 1. 15.
Prout viget in præſentia, conſtitui nequit per vota interna. I. 6. 16.
Petit perpetuitatem I. 1. 17.
Item & vitam cœnobiticam. I. 1. 18. & 19.
Simpliciter tamen dari poteſt cum vita ſolitaria. I. 1. 20.
Requirit traditionem. I. 1. 21.
Item & reciprocam obligationem inter Religionem, ac Religioſum. I. 1. 22. & 23.
Petit certam regulam. I. 1. 25.
Subſiſtit cum votis ſubſtantialibus Religionis limitatis. I. 1. 27.
Debet eſſe immobilis, ſaltem ex parte Religioſi. I. 1. 28.
Hæc tamen immobilitas ſufficit quòd ſit moralis. I. 1. 29.
Debet eſſe liber. I. 1 30.
Eſt vnus ac idem ſubſtantialiter in vnaquaque Religione. I. 1. 31.
Eſt eſſentialiter ſtatus perfectionis acquirendæ. I. 1. 32. I. 3. 53.
Dari poteſt inſtitutus ad ſalutem Proximi, & ad opera miſericordiæ. I 1. 33.
Diſſoluitur ex diſpenſatione Papæ. I. 1. 34.
Inſtitutus ſolùm cum votis ſimplicibus non diſſoluitur à potente relaxare vota omnia ſimplicia reſeruata. I. 1. 35.
Vnus, & idem reputatur, etſi in parte aliqua ſui mutet Inſtitutum. I. 1. 36.
Eius vnitas deſumitur ex cõueniẽtia in fine, ac mediis I. 2. 37.
De eius eſſentia non eſt certus habitus religioſus. I. 1. 38.
Idem nec vſus Chori. I. 1. 39.
Status religioſus eſt varius. I. 1. 40.
Sub vna ratione eſt de iure diuino, ſub alia de iure eccleſiaſtico. I. 2. 1.
Per ſe dari potuit in ſtatu Innocentiæ. I. 2. 2.
Non cœpit in lege naturæ, nec in lege ſcripta, propriè loquendo. I. 2. 3. & 4.
Cœpit in lege gratiæ. I. 2 5.
Inſtitutus eſt à Chriſto quò ad ſubſtantialia. I. 2. 6.
Et quidem primò in Apoſtolis, qui fuerunt veri Religioſi. I. 2. 7. & 8.
Ab eo fuit inſtitutus, non per doctrinam ſolùm, ſed etiam poteſtatiuè. I. 2. 9.
Quò ad ſubſtantiam eodem modo fuit in exordio Eccleſiæ, ac eſt in præſentia. I. 2 10.
A quo tẽpore inſtitutus eſt, ſemper durauit in Eccleſia. I. 2. 11.
Non multiplicatur ſine conſenſu Papæ. I. 2. 12.
Diuiditur in eum, qui conſurgit ex votis ſolemnibus, & in eum, qui ex votis ſimplicibus. I. 3. 43.
Diuiditur in actiuum, & in contemplatiuam. I. 3. 46.
Eſt varius etiam quò ad moniales. I. 3. 47.
Diuiditur in Obſeruantes, & Conuentuales, ſeu Clauſtrales. I. 1. 49.
Item in monachos, & laicos. I. 3. 50.
Etſi dicatur ſtatus perfectionis acquirendæ, ſimpliciter eſt ſtatus perfectionis. I. 3. 54.
In eo ſunt tres gradus perfectionis. I. 3. 55.
Eſt perfectior in Religioſis Choriſtis, quàm in Religioſis laicis. I. 3. 75.
Non eſt perfectior ſtatu epiſcopali. I 3. 76. & 77.
Perfectior eſt quocumque gradu Clericali infra Epiſcopatum. I. 3. 78.
Eſt honeſtus, & delectabilis. I. 4. 1.
Confert ad vitandas occaſiones peccati. I. 4. 2.
Remittit omnia peccata præterita. I. 4 6. & 7.
Vtilis eſt ex conſideratione rerum diuinarum. I 4. 8.
Facilem reddit obſeruantiam diuinorum mandatorũ. I. 4. 9.
Ibi facilis virtutum acquiſitio. I. 4. 10.
Ibi maius meritum. I. 4. 11.
Ibi iuuat regimen Prælatorum. I. 4. 12.
Ibi ad ſpiritualem profectum confert directio regulæ. I. 4. 13.
Conferunt & bona exempla. I. 4. 14.
Ibi paſſionum mortificatio facilior. I. 4. 15.
Ibi mutua communicatio bonorum operum, quæ fiunt à religioſis. I 4. 16.
Status religioſus eſt vtiliſſimus ratione votorum. I. 4. 17.
In eo mors ſuauis. I. 4. 18.
In eos habetur moralis certitudo prædeſtinationis æternæ. I. 4. 19.
In eo maior acquiſitio gloriæ. I. 4. 20.
Item copioſior remuneratio, etiam in præſenti vita. I. 4 21.
Status religioſus honorabilis apud viros ſæculares. I. 4. 22.
Confert vitam longiorem I. 4. 23.
Cauſat maximum gaudium. I 4. 24.
Habet ſummam dignitatem. I. 4. 25.
Vtilis toti Eccleſiæ. I. 4. 1. & 2.
Protectus à Deo. I. 6 1. & ſeqq.
Suſceptus à viris nobilitate, ac doctrina conſpicuis. I. 6. 7. & 8. & 9.
Dicitur ſchola perfectionis V 1. 6.
Status religioſus, & ſtatus matrimonii ſimpliciter inuicem non repugnant. III. 5. 26.

Statutum.

Fieri poteſt ſtatutum, & Alumni alicuius Seminarii teneantur reſtituere alimenta, ſi ingrediantur religionem. II. 4. 36.
At regulariter non expedit tale ſtatutum. II. 4. 37.
Statuta de Nouitiorum inſtitutione à Clemente Oct. ſeruanda, ſi acceptata ſunt, & non abrogata. II. 5. 30.
Statutum illicitè factum tenet. IV. 5. 223.
Immò & licitè ſeruatur. IV. 5. 224.
Et quidem ab authoribus illius. ibid.
Seruari debet ſtatutum, etſi non ſit ſtatutum, quod veroſimiliter ſtatuendum fuiſſet. IV. 5. 558.
Statutum obligans ad confeſſionem venialium qualiter interpretandum. V 3. 14 & 15.
Licentia ingrediendi Conuentus Regularium non prodeſt fœminis, ſi obſtent ſtatuta Ordinis. V. 6. 57.
Statuta ſpecialia, quantùm poteſt fieri, debent conformari iuri communi, aut parum diſtare ab eo. III. 3. 14.

Stipendium.

Non recipitur à Religioſis Soc. pro ſuis miniſteriis. V. 9. 52.
Auctius peti poteſt pro Miſſa cantata. V. 9. 46.
Recipi poteſt pro Miſſis. V. 9. 52.
Niſi id aliunde vetetur. V. 9. 53.
Non eſt ſimoniacus qui celebrat ex ſtipendio aliàs non celebraturus V. 9. 5.
Stipendium Miſſæ iuſtum eſt, quod taxat Prælatus. V. 9. 56.
Peti poteſt a pœnitente vt pro eo celebrentur Miſſæ ab ipſo Confeſſario V. 9. 66.
Pro miſſa, quam dicit nouus Sacerdos in ordinatione, recipi poteſt ſtipendium, ſed non ſemper. V. 9. 67.
Applicari poteſt Miſſa pro eo, qui ſtipendium primò dabit. V 9. 68. & 69.
At non in omni euentu. V. 9. 70.
Notabiliter differens Miſſas debitas ex ſtipendio peccat mortaliter. V 9. 98.

Studia ſcientiarum.

Conferunt ad reformationem Religionum. I. 5. 21. & 22.
Quæ ſtudia damnanda. I. 5. 22.
Plura priuilegia facta in bonum ſtudentium I. 6 48.
Nouitii regulariter non expedit, vt vacent ſtudiis. II. 5 20.
In Ordine vacante ſtudiis neceſſariæ expenſæ ſuppeditandæ. III 6. 31.
Religioſi talis Ordinis ſeriò vacare debent ſtudiis. III 6. 31.
Vouens ingredi religionem non tenetur incumbere ſtudiis, etſi aliàs repellatur. IV. 1. 56.
Accedens indebitè ad ſtudia ſubeſt excõmunicationi. V. 6. 22.
Item qui adit indebitè ſtudia legum, aut medicinæ. V. 6. 23.
Beneficiarius abſens ratione ſtudiorum quo ad fructus beneficii reputatur præſens. V. 8 167. & 168.
Ad talem effectum quinquennium conceditur in iure. V. 8. 169.

Stylus Curiæ.

Variat pro varietate temporum. II 9.7.

Subrogatum.

Regula ſubrogatum ſapit naturam eius, in cuius locum ſubrogatur, variè limitatur. IV 1.112. & 113.

Suffragium.

In Nouitiorum admiſſione datur etiã per literas, aut per ſubſtitutum, ſecluſa Sixti V. Bulla hac de re edita. II.2.18.

Ad dictã receptionẽ ſufficit maior pars ſuffragiorũ. II.2.20.

In ea ferri poteſt ſuffragium tum publicè, tum ſecreto iuxta Ordinum conſuetudinem. II.2.24.

Idque etiam in admiſſione ad profeſſionem. III.1.21.

Subſcribens ſententiam moris iniuſtæ poſt neceſſarium numerũ ſuffragiorũ peccat, ſed non tenet' de dãno. IV.5.222.

Qualiter Concilium Trid. ſtatuerit non licere abſentium voces, & ſuffragia ſupplere. II.2.15.

Receptio Nouitij tenet, ſi notoriè inhabilis ad eã cõcurrat modo ex alijs ſuffragantib. ſupſit requiſitus numerus II.2 19.

Iuxta aliquos ſuffragium negari poteſt ex defectu cognito per confeſſionem Sacramentalem. II.2. 29.

Suffragia pro defunctis.

Ad ſuffragia defunctorũ Ordinis nõ tenẽtur Nouitij. II.6.18.

Niſi ex ſola charitate, ac fidelitate. II.6.19.

Religio tenet' taxare ſuffragia ſolita pro ſuis defunctis. III 6 33.

Religioſi debẽt ſoluere ſuffragia pro Fũdatorib. &c III.6.32.

Item & pro defunctis Ordinis. III.6.5,.

Imò & pro alijs. V.12.6,.

Surdus.

Tenet' recitare horas per ſe ipsũ, ſi aliàs ſit obligatus. V.8.113.

Si ſit beneficiarius, lucratur diſtributiones, etſi non aſſiſtat Choro; quod alij negant. V.8 143.

Surdus. & mutus ſimul põt validũ inire matrimoniũ. III.2.33

Item & facere religioſam profeſſionem. ibidem.

Suſpenſi

Si ſint beneficiarij, & aſſiſtant Choro, lucrantur diſtributiones, etſi ſint vitandi. V.8.151.

Suſpenſi à beneficio in pœnam non tenentur iuxta aliquos ad horas V 8.190.

Beneficiarii ſuſpenſi ab Officio tenentur ad horas. ibidem.

Syndici Regularium.

Aſſignantur Regularibus. I. 6. 23.

Gaudent varijs indultis. I. 6. 29 & 31.

Syndici Fr. Minorum magnam habent poteſtatem. I. 6. 30.

Alienant eorum bona. IV. 2. 82.

Emunt ipſis neceſſaria. IV. 2. 8;.

Faciunt pro illis moderatas largitiones. IV. 2. 82.

T

Tactus.

Qui dicatur libidinoſus. IV. 3. 59.

Ex ſe non turpis cõmuniter non eſt peccatũ mortale. IV. 3.61.

Secus, ſi ex ſe ſit turpis. IV. 3. 94.

Abſtinendum à tactu, etiam ſolùm ſenſuali. IV. 3. 95.

Qualiter permitti poſſint oſcula, tactus, & amplexus IV.3.96.

In confeſſione tactuum venereorum exprimenda qualitas vtriuſque complicis IV. 3. 97.

Non item exprimendi tactus, & oſcula, quæ præcedunt copulam, aut certè ſubſequuntur; ſicut nec aſpectus venerei facti ſimul cum tactu libidinoſo. IV. 3. 98.

Aſpectus turpes ſimul habiti cum obſcænis tactibus habiti non ſunt ſeorſim confitendi. ibid.

Tactus obſcæni ſimul exhibiti à perſona tacta ſeorſim non neceſſariò confitendi. ibid.

Vide *v. pecunia.*

Templa.

Regularium templa protecta ab Eccleſia. I. 6. 43.

Conſecrantur etiam non dotata. ibid.

Aſpectus, turpes, & ſimilia habita in templis, ſecluſo pollutionis periculo non continent malitiam neceſſariò exprimendam. V 3. 45.

Templum non polluitur ex pollutione occulta. V. 9. 46.

Sic pollutio occulta habita in templo non continet malitiam ſpecialiter confitendam. ibid.

Furans crumenam alterius in templo non confitetur loci circumſtantiam V. 3. 47.

Beneficiarius aſſiſtens Choro templi polluti acquirit diſtributiones. V. 8. 154.

Mendicantes alias Ordinis incapacis retinent annuas redditus ad vſum ſui templi. IV. 2. 61.

Tempus.

Bimeſtre conceſſum coniugibus ad deliberandum de ingreſſu religionis. II. 8. 17.

Renunciatio bonorum facienda à nouitio intra bimeſtre profeſſioni proximum. II. 8. 41.

Qualiter ſumendus hoc bimeſtre. II 7.41. II.8.17.

Dicta renunciatio non operatur, niſi à die ſecutæ profeſſionis. II.9.47.

Profeſſio religioſa fieri poteſt quolibet tempore. III.1.34.

Non reclamans intra quinquennium contra profeſſionem ex ignorantia, aut impedimento, poſt quinquennium reclamat. III 5. 43.

Idq; ſiue ĩpedimẽtũ ſit perpetuũ, ſiue tẽporale. III 5 47. & 48.

Votum religionis quo tempore impleri debeat. IV.1.95.

Non omnis eius dilatio eſt mortalis. IV.1.96.

Non implens votũ tẽpore præſcripto adhuc tenetur. IV.1.97.

Tempus modicum dicitur ſpatium infra decenniũ IV. 2. 42.

Ad inducendam conſuetudinem contra paupertatem religioſam requiritur, & ſufficit decennium. IV 2. 383.

Tempus breue quoad accipiendum ſine licentia Superioris præſentis annuo eam petendi à Prælato abſente tunc, eſt biduum. IV.2. 426.

Votum ſolemne Caſtitatis religioſæ facit incapacem matrimonij ab Innocentij II. tempore. IV.3.26.

Quod fit intra triduum dicitur fieri ſtatim, ac illico. IV.5 197.

Tempus miſſionum in Societ. Ieſu eſt varium IV.5.203.

Clauſula *Cum primum* varijs modis ſumitur. IV.5.467.

Votum quo tempore implendum. IV.5.4 7.

Quod tempus requiratur ad præſcribendum contra regulam religioſam V.2.59.

Tempus confeſſionis præueniendum, ſi tempore deſignato futurum eſt impedimentum. V.3 23.

Non confitens tempore præfixo à regula: non confitetur poſtea. V. 3. 35.

Obligatus confiteri ſingulis menſibus, ſi vno menſe omittat confiteri, & confiteatur initio menſis ſequentis non ſemper bis eodem menſe confitetur. V.3.36.

Confeſſio præſcripta ex regula differtur aliquantulùm, niſi certo tempori alligata ſit. V 3. 37.

Qualiter cõputandũ tẽpus intra quod confitendum eſt. V.3. 38.

Obligatus ad confeſſionem menſtruam ſatisfacit confitendo quauis die menſis. V.3 41.

Implet præceptum miſſæ, qui mediam miſſam audit ab vno & aliam ab alio Sacerdote ſucceſſiuè V 4. 57.

Eodem tempore audiens mediam miſſam ab vno Sacerdote & aliam mediam ab alio ſatisfacit. V.4.58.

Item eodem tempore audiri poſſunt tres miſſæ ex triplici titulo debitæ. V 4.59.

Hora comeſtionis competens hodie non eſt de valore ieiunij. V 5.25.

Regulares per ſeſquihoram ante meridiem prandere poſſunt in die ieiunij. ibid.

Dato quod hora competens comeſtionis ſit de valore ieiunij ſine culpa m. per mediam horam præuenitur. V.5. 26.

Hora autem competens eſt meridies. V.5. 27.

Ea metiri poteſt variè ex varijs horologijs. V.5.28.

Quod tempus ſit notabile in habitus regularis dimiſſiones ad contrahendam excommunicationem. V.7. 17.

Peccant Prælatus, & Regulares ſubditi non recitantes horas in choro tempore ſtatuto. V.8.12.

At in hoc admittitur aliqua latitudo. ibid.

Sicque ex hoc titulo rarò in peccatur V 8. 13.

Elapſo notabiliter tempore ſtatuto, in Choro omittenda horarum recitatio. V.8.14.

Onus recitandi horas incipit à puncto profeſſionis religioſæ, aut ſuſceptionis Ordinis Sacri quo ad horas reſpondentes illi tempori. V.8. 101.

Horæ

Horæ recitari poſſunt à puncto mediæ noctis antecedentis ad punctum mediæ noctis ſequentis. V. 8. 102.
Matutinum,& Laudes toto anno recitari poſſunt poſt publicam recitationem veſperarum,& completorij. V. 8. 103.
Apponitur tabella facta ad hunc finem. ibid.
Nō eſt opꝰ præponere,aut poſtponere tēpus horarū.V 8.119
Trimeſtre Vacationis conceſſe beneficiarijs à Concil. Trid. qualiter computandum. V. 8. 160.
Beneficiario ex neceſſitate peregrinanti acquiruntur diſtributiones pro 2.aut 3.diebus poſt reditum, immò & ante diſceſſum. V. 8. 166.
Quinquennium beneficiarijs iure conceſſum ad vacandum ſtudijs. V. 8. 169.
Quò ad docendum verò ijs nullum iure reſtrictum eſt tēpus. V. 8. 170.
Miſſa ſolemnis dicenda hora Tertia,aut Sexta,aut Nona. V. 9. 31. & 32.
At hic ſumitur Nona pro hora eccleſiaſtica,non autem viſuali. V. 9. 31.
Anniuerſarium alicuius defuncti ſi præſcripta die fieri nequit, præuenitur. V. 9. 129.
Quoties in aliquo decreto petitur tempus certum illud eſſe debet continuum. II. 1. 10.
In fauorabilibus dies cœpta habetur pro completa. II. 1. 35.
Tempus nouitiatus conſtitutum in bonum & Nouitij,& Religionis. II. 1 41.
Debitor facilè intra biennium paraturus, vnde ſoluat creditoribus differre debet ingreſſum Religionis ex voto promiſſum. II. 4 47
Idē eſt fieri tēpore habili,ac referri in tempus habile.II.9 23.
Incidente anno biſſextili in computando anno nouitiatus duo dies computantur pro vno. III. 1. 19.
Nō firmatur tractu tēporis quod ab initio nō ſubſiſtit.III.1.44
Impedito non currit tempus, ſed non ſemper. III. 5.45.

Tentatio.

Manifeſtanda Prælato. IV. 3. 13.
Citò repellenda. IV. 3. 20.
Ea vrgente protecti à Deo Religioſi. I. 6. 12.

Tertiarij.

Sunt propriè Religioſi, ſed non omnes. I. 3. 35.
Vnde ſic vocentur. I. 3. 36.
Vi ſtatus ad aliqua tenentur. I. 3. 37.
Subſunt correctioni Ordinis quò ad tranſgreſſiones regulæ, etſi extra communitatem viuant I. 3. 38.
Non omnes gaudent priuilegijs Ordinis. I. 3. 39.
Non omnes fœminæ admittendæ inter Tertiarias. I. 3. 40.
Qualis ſit Tertiariorum paupertas. IV. 2. 18.

Teſtamentum.

Nouitij abſq; forma iuris ciuilis validè teſtāt de bonis.II 7.30
Nec tenentur tunc ſeruare formam præſcriptam à Conc.Trident.pro bonorum renunciatione. II. 9. 12.
Per confectionem teſtamenti factam ante profeſſionem reuocatur renunciatio bonorum. II. 9. 48.
Per profeſſionem non reuocatur teſtamentum antea factum monaſterio non inſtituto. III. 4. 55.
Poſt illam tamen aperiendum teſtamentum. III. 4. 56.
Item poteſt declarari poſt profeſſionem,ſed non caſſari. III. 4. 57. IV 2. 107.
Religioſus tranſiens ab Ordine incapaci ad capacem non ſemper rumpit teſtamentum III. 5 163.
Scholaris approbatus Soc.Ieſu validum facit teſtamētum ſine licentia Prælati,ſed poteſt irritari, etiam poſt obitum teſtatoris IV. 2 161. & 163.
Si occultè teſtetur de bonis,mortaliter non peccat. IV.2 162.
Votum ſolemne paupertatis aufert ius teſtandi de proprijs bonis IV. 2 204.
At in hoc diſpenſat Papa. IV. 2. 205. & 360.
Religioſus profeſſus non teſtatur de bonis ad talem effectum ſibi reſeruatis ante profeſſionem. IV. 2. 209.
Item nec de bonis alienis de illius conſenſu. ibid.
Papa cum Religioſo ſo um diſpenſat, vt teſtamentum faciat ad pias cauſas, etſi diſpenſatio fiat abſolutè. IV. 2. 361.
Teſtamentum factum ſine diſpenſatione incipit valere à die diſpenſationis obtentæ. IV. 2. 362.
Papa ex cauſa vrgentiſſima diſpenſat cum Religioſo, vt reuocet teſtamentum factum ante profeſſionem IV. 2. 363.
Diſpenſatio data ad teſtandum de bonis non finitur vnico actu. IV. 2. 368.
Induci poteſt conſuetudo, vt Religioſus teſtari poſſit de bonis. IV. 2. 382.
Teſtamentum irritatur per aperturam factā in vita.III 4 56.
Limita,niſi id fiat ex voluntate teſtatoris. III. 4. 56.
Teſtatoris voluntas omninò ſeruari debet. IV. 2. 194.

Teſtificari.

Inhabilis ad teſtificandum per profeſſionem religioſam fit habilis. III. 4.40.

Tonſura.

Quid ſit regularis Tonſura. V. 7. 45.
Eſt varia pro varietate Ordinum. V. 7 46.
Ob varios fines defertur. V. 7 47.
Deferenda ex iure ſpeciali Religionum,& ex viſu. V 7. 48.
Et quidem in vniuerſis Ordin.exceptis Militaribus. V. 7. 49.
Deferenda ſub mortali V. 7 50
Faciliùs excuſantur quò ad hoc Religioſi non initiati Ordinibus ſacris V. 7 51.
Item & Religioſi laici,& quidem à fortiori. V. 7. 52.
In hoc datur leuitas materiæ excuſans à mortali. V. 7 53.
Aſſignatur, quæ ſit. V. 7. 54.
Omittens deferre Tonſuram,nullam incurrit cenſurā.V.7 55
Super eius delationem interdum diſpenſat Prælatus regularis. V. 7. 56 & 57.
Tranſiens per loca Infideliū non tenetur illā deferre.V 7.59
Detētus in carcere non dānandus,ſi Tonſurā omittat.V.7.60.
Item non damnandus ægrotans in lecto. V. 7. 61.
Electus à religione non eam deferēs,ſi non ſit in ſacris.V.7.62
Item nec Religioſus triremibus damnatus. V 7 63.
Relig.non deferēns Tōſuram gaudet priuilegio fori V.7.64.
Recipi poteſt in religionem,qui ob caluitium deferre nequit Tonſuram. V 7.65.
Talis Religioſus celebrare poſſet cum capillitio artificiali facto in formam Tonſuræ. V. 7. 66.
Idq; pro tempore Conſecrationis. V. 7. 67.

Traditio.

Eſt de eſſentia ſtatus religioſi. I. 1. 21.
Religioſa obedientia differt à tradit one,quæ fit in profeſſione. IV. 4. 4.
Traditio religioſi obedientiæ voto firmata ex iure ſolùm eccleſiaſtico non ſufficit ad ſe obligandum ſine cōſenſu Prælati. IV 4. 8
Idque operatur etiam traditio,quę in Soc.Ieſu fit cum ſimplici voto obedientiæ. IV. 4. 9.

Tranſactio.

Fieri poteſt ſuper diſtributionibus ſub dubio debitis. V. 8.179

Tranſitus ad alium Ordinem.

Religio quò ad tranſitum dicitur perfectior,ſi ſit aſperior. I. 3. 59. III. 5. 25 & 89.
Is tranſitus regulariter non expedit. II. 4. 28. & 29.
Tranſiens quando profitetur in Ordine poſteriori, acquirit plenam peccatorum remiſſionem. III 4 16.
Legitimè tranſiens ad alium Ordinem ibi validè profitetur, caſſata priori profeſſione. III. 5. 11.
Scholaris approbatus Soc. Ieſu indebitè tranſiens ad alium Ordinem ibi inualidè profitetur. II. 5 12.
Idq; tum ex natura rei,tum de iure eccleſiaſtico III. 5. 13.
Tranſitus ad alium Ord. 3. modis fieri poteſt. III. 5. 61.
Fit ad Ord æqualem de licentia Prælati regularis III. 5.64.
Immò & ad Ordinem laxiorem,ſi ſubſit cauſa. III. 5. 65.
Sed tunc requiritur conſenſus Capituli. ibid.
Afferuntur cauſæ,ob quas licitus efficitur tranſitus ad Ordin. laxiorem III. 5. 68
De facto Prælatus regularis non concedit tranſitum ad laxiorem Ordinem,neq; cum cauſa. III 5. 69.
Tranſitus ad alium Ordinem factus ſine debita licentia eſt illicitus, etiam de iure naturali. III 5 6.
Licentia tranſeundi abſolutè conceſſa non extenditur ad Ordinem laxiorem. III. 5 68
Secluſo iure poſitiuo licitus eſt tranſitus ad Ordinem ſtrictiorem. III. 5. 70.

Eſt item licitus de iure communi. III. ſ. 71 & 72. & 77.
At illicitus iure proprio Religioſorum,& præcipuè Soc. Ieſu,ſi excipias Carthuſiam. III ſ. 74.
Ad eam tamen hodie non tranſitur ſine licentia Superioris. III. ſ. 75. & 76. III. 8. 120.
Moniales ipſæ tranſeunt ad Ordinem ſtrictiorem. III. ſ. 78.
Tranſeunt & Prælati regulares licentia petita, & non obtenta III. ſ 79.
Tranſeunt item Religioſi laici. III. ſ. 80.
Hic tranſitus faciẽdus ex deſiderio vitæ perfectioris. III. ſ. 82.
Non faciendus cum graui damno prioris Ordinis. III. ſ. 84.
Exceſſus Ordinis ſtrictioris ſupra alium attenditur iuxta actualem obſeruantiam. III. ſ. 86. & 88. & 116.
Item attenditur abſolutè, non autem reſpectu perſonæ tranſituræ. III. ſ. 87.
Licitus non eſt tranſitus ab Ordine arctiori ex Inſtituto ad arctiorem ſecundùm actualem obſeruantiam, niſi in certis caſibus. III. ſ. 88.
Ad licitum tranſitum petitur licentia ſed non debet eſſe obtenta. III. ſ. 90. & 125.
Tranſitus ad ſtrictiorem non eget conſilio, nec conſenſu monaſterij. III ſ. 96.
Conceditur à Prælato Ordinis habentis priuilegium, ne tranſeatur ad quemuis Ordinem ſtrictiorem. III. ſ. 97.
Prælati Soc. Ieſu non tenentur eũ concedere, etſi poſſint. ibid.
Factus ſine debitis conditionibus tenet, ſed non ſemper; idq; pro ratione conditionis non ſeruatæ. III. ſ. 100.
Non tenet in dubio, an fiat ad ſtrictiorem. III. ſ. 101.
Licentiam habens tranſeundi non tranſit, niſi conſtet illum fuiſſe admiſſum ab alio Ordine. III. ſ. 102. & 144.
Non recipitur in poſteriori Ordine ſine dimiſſorijs prioris Prælati. III. ſ. 103.
Ordo ſtrictior non cogitur recipere petentem tranſitum ad ipſum, etſi aliàs ſit idoneus. III. ſ. 104.
Tranſiens legitimè ad alium Ordinem, ſi ad priorem redeat, recipiendus. III. ſ. 105.
Idq; etſi tranſeat illegitimè, modò redeat ante profeſſionem factam in Ordine poſteriori. ibid.
Profeſſus Ord. ſtrictioris regulariter non tenetur petere diſpenſationem tranſeundi ad laxiorem. III. ſ. 106.
Interdum cogi poteſt Religioſus per modum pacti, vt tranſeat ad alium Ordinem. III. ſ. 107.
Diſpenſatus ad tranſitum certi Ordinis propria auctoritate tranſit ad arctiorem. III. ſ. 109.
Habens votum non tranſeundi ad alium Ordinem non trãſit ad laxiorem, ſi votũ factũ eſt ante profeſſionẽ. III. ſ. 110.
Adſtrictus voto perſiſtendi in ſuo Ordine adhuc poteſt tranſire ad arctiorem. III. ſ. 109.
Perpetuò eiectus à ſuo Ordine, ad laxiorem tranſit. III. ſ. 111.
Sed reuocari poteſt, quamdiu non eſt profeſſus in poſteriori Ordine. III. ſ. 112.
Licentiatus ad vnum Ordinem ſtrictiorem tranſit ad alium ſtrictiorem, non item ad æq; arctum. III. ſ. 113.
Licentiatus indefinitè ad tranſitum alterius Ord. tranſit ad æqualem, ſed non ad laxiorem. III. ſ. 114.
Non conceditur tranſitus ad laxiorem ex eo præciſe quòd proprius Ordo reformetur. III ſ. 115.
Religioſi Soc. Ieſu ſunt excommunicati, ſi licentiati ad tranſitum non tranſeant, & ſtatim non redeant. III ſ. 11[illegible].
Licentiatus ad tranſeundum, ſi inconſtans tranſeat ad varios Ordines, cogi poteſt perſeuerare in vno. III. ſ. 119.
Religioſus Epiſcopus, relicto epiſcopatu, non tranſit ad laxiorem; etſi alij id negent. III. ſ 120.
Si tamen detur eum poſſe tranſire, eget licẽtia Pap. III. ſ. 121.
Papa ipſe abdicato papatu, tranſit ad quẽcũq; Ord. III. ſ. 122
Religioſus Ordinis Mendicantis ſolùm de licentia Papę trãſit ad Monachalem III. ſ. 123.
De iure tamen communi tranſit ad quemcumq; alium Ordinem Mendicantem. III. ſ. 124.
At non attento indulto ſpeciali aliquorum Ord. III. ſ. 126.
Canonici regulares hodie tranſeunt ad Monachos III. ſ. 127.
Non item Monachi ad Canonicos regulares; quod reijcit *Suarez*. III. ſ 128.
Carthuſiani non tranſeunt ad alium Ordinem. III. ſ. 129.
Nec Fratres Minores ad Carthuſianos. III. ſ. 131.
Caſſinenſes non tranſeunt ad Carthuſiam ſine licentia ſui Prælati, eaq; obtenta. III. ſ. 132.
Profeſſus Ordinis arctioris tranſit ad laxiorem, vt ibi ſit Prælatus. III. ſ. 133.
Religioſi laici Ordinis arctioris non tranſeunt ad laxiorem, niſi ibi recipiantur vt Clerici. III. ſ. 134.
Tranſitus ad arctiorem negari nequit à Prælato ſine cauſa. III. ſ. 139.
Cauſa tamen tranſitus non cognoſcẽda iudicialiter. III ſ. 140
Indebitè tranſiens ad alium Ordinem non eſt propriè apoſtata. III. ſ. 141.
Nec ſubeſt pœnis apoſtatæ. III. ſ. 142.
Dici tamen poteſt fugitiuus. III. ſ. 143.
Apoſtata, vel fugitiuus in locis remotiſſimis ſine licentia trãſeunt ad Ordinem, etiam laxiorem. III. ſ. 145.
Indebitè tranſiens incurrit varias pœnas. III. ſ. 146.
Trãſiẽs ad aliũ Ord. fit incapax beneficij ſecularis. III. ſ. 147.
Priuatur voce actiua in Capitulo III. ſ. 148.
Eſt inhabilis ad prælaturas, etiam ſeculares. ibid.
Poſt profeſſionem factam in poſteriori Ordine ſedet in loco reſpondente ſuæ profeſſioni. III. ſ. 149.
At non tenetur ad ſtrictiorem clauſuram. III. ſ. 150.
Profitens in Ordine, ad quem trãſit eò ipsò eximitur ab obedientia Ordinis prioris III. ſ. 151.
At non in omni caſu. ibid.
Eſt liber a votis in priori Ordine editis vltra tria eſſentialia. III. ſ. 152.
Et quidem in ipſo etiam nouitiatu. ibid.
Non defert ſecum bona ipſius vſibus aliàs conceſſa. III. ſ. 153 & 167.
Item nec ſuos libros. III. ſ. 154.
Defert ſolùm veſtes neceſſarias ad actualem vſum. III. ſ. 155
Defert ſua manuſcripta. III. ſ. 156.
Tranſiens ad agendam pœnitentiam in alio Ordine defert ſua bona quò ad vſumfructum III. ſ. 157
Et, ſi quid ibi acquirit, priori Ordini acquirit. III. ſ. 158.
Hæreditas delata Religioſo in Ordine capaci ex morte teſtatoris Religioſo tranſeunti ad alium Ordinem, ibiq; profitenti ante eius aditionẽ acquiritur priori Ordini. III ſ. 159
Hæreditas delata Religioſo degenti in Ordine incapaci, ſi is poſtea tranſeat ad capacem, non ſemper acquiritur priori Ordini. III. ſ. 160.
Res promiſſa Religioſo ſub aliqua conditione debetur Ordini, in quo Religioſus degit tempore contractus, etſi ad alium Ordinem tranſierit, dum impletur conditio; quod tamen non procedit ſemper. III. ſ. 169.
Tranſiens ad alium Ord. facit nouum nouitiatum. III. ſ. 170.
Facit & nouam profeſſionem. III. ſ. 171.
Ei non dantur alimenta à priori Ordine, niſi fortè pro tempore nouitiatus. III. 6. 26 & 27.
At id non ſemper procedit. III. 6. 28.
Religioſo præcipi nequit tranſitus ad Ord. laxiorem. IV. 4 80.
Immò nec ad ſtrictiorem. IV. 4 81.
Profeſſus ſi tranſeat ad Ord. non habentem onus recitandi horas, non ampliùs tenetur ad illas. V. 8. 63.
Vide *v. conditio & v. hereditas.*

Tranſlatio.

Tranſlato Officio alicuius Sancti proprio alicuius Ord. eius Religioſi canũt Miſſam de illo ſancto in die propria, ſi fiat populi concurſus. V. 9. 38.

Tutor.

Ab eius poteſtate non liberat profeſſio religioſa. III. 4. 43.
Irritat vota ſui impuberis. IV. 1. 107.
Liberatur à reddendis ratiocinijs abſq; ſolemnitate petita ad bonorum renuntiationem in Conc. Trid. II. 9. 18.

V

Vacantia.

In Concilio Trid trimeſtre vacantiæ cõceſſum beneficiarijs. V. 8. 159.
Limita, ſi aliqua concurrant. ibid.
Qualiter computandum hoc trimeſtre. V. 8. 160.
Beneficiarius vi dictæ conceſſionis non lucratur diſtributiones,

nes, niſi hæ ſint loco præbendæ. V. 8. 159.
Ex conceſſione fruitur beneficiarius ordinariè abſens à choro per totum annum. V. 8. 161.
Dictum trimeſtre vacantiæ ampliari poteſt ex conſuetudine. V. 5. 162
Beneficiario peregrinanti ex neceſſitate conceduntur etiam duo, aut tres dies vacantiæ poſt reditum, & ante diſceſſum. V. 8. 166.
Obligatus ad Miſſam quotidianam ſemel vacat in hebdomada, ſed non ſemper. V. 9. 107.
Vacans modo dicto nequit celebrare alibi, nec ex alia intentione. V. 9. 108.
Vacantia hæc iuuat obligatum celebrare per annum, aut per menſem. V. 9. 109.
Hæc vacantia non datur cauſa voluptatis, &c. V. 9. 110.

Vagi.

Carent proprio Iudice, & tamen vbique poſſunt puniri. II. 8. 3.
Non ſubſunt legibus loci, per quem tranſeunt. IV. 4. 136.

Varietas Religionum.

Extat in Eccleſia. I. 1. 40.
Sed non eſt ſubſtantialis. I 1. 31.
Non arguitur ex ſola diuerſitate religioſi habitus. I. 1. 38.
Confert ad bonum Eccleſiæ. I. 3. 1. & 2. & 3.
Quotuplex eſſe poſſit. I. 3. 4.
Inuenitur etiam inter Religiones eiuſdem Ordinis. I. 3. 7.
Qualis de facto extet inter Religiones. I. 3. 9.
Extat item in monialibus. I. 3 47.

Verba.

Verborum geminatio in eodem textu continet myſterium. IV 5. 448 V 7 15.
Verba *mutare & alterare* quid ſignificent. V. 5. 429.
Verba *audeo, ac præſumo* important temeritatem. IV. 5 433.
Ex verbis regulæ colligitur grauitas obligationis illius. V. 2. 28.
Verba importantia conſilium ex ſubiecta materia interdum ſunt præceptiua, & è contra. V. 2. 29.
Quæ verba importent præceptum, & quę præcepto æquipolleant. V. 2 30.
Quæ ſint communia præcepto, ac conſilio. ibid.
Verba imperatiua non ſemper important præceptum. ibid.
Quæ verba certò inducant obligationem ſub mort. V. 2. 31.
Verba *ingredi facere, aut permittere* quid ſignificent. V. 6. 62.
Quid verbum *admittere intra clauſuram*. ibid.
Verba in numero plurali interdum vſurpantur pro ſingulari. V 7. 14.
Prolatio verbalis triplex. V 8 72.
Verbum *alias* quid importet. II. 9. 47.
Verbum *excedere* quid ſignificet in materia ætatis. III. 1. 40.
Verba *verè, ac propriè* quam vim habeant. III 4. 9.
Verbum *tantum* limitat. III. 5 45.
Verbum *quicumque & quæcumque* quid importent. III. 5. 47.
Verba ſimpliciter prolata in dubio intelligenda iuxta conditionem perſonæ, ad quam diriguntur IV. 2. 46.
In materia morali verba ſumenda non logicè, ſed moraliter. IV. 3. 88.
Verbum *cum primùm* quid ſignificet. IV. 5 467.
Ille ſenſus verborum eligendus per quem legis ſortiamur effectum. IV. 5. 390.
Verbum *&* interdum ſumitur pro *ſeu*. IV. 5. 470.

Viaticum.

Vide *v. Eucharistia.*

Vicaria.

Habens vicariam perpetuam tenetur ad horas. V. 8. 203.

Violatio.

Violatio paupertatis religioſæ. *vide v. paupertas religioſa.*
Violatio Caſtitatis religioſæ. *vide v. Caſtitas.*
Violatio obedientiæ religioſæ. *vide v. Obedientia religioſa.*
Violatio Clauſuræ in pluribus caſibus eſt grauis. V. 6. 11.
Violatio voti ſæpiùs repetiti vnicam habet malitiam. IV. 5. 7.

Vis.

Profeſſio facta ex vi eſt nulla. III. 1. 59.
Vim inferens viro ad ingreſſum religionis non eſt excommunicatus. III. 1. 58.
Interdum vis alicui inferri poteſt ad ingrediendum alium Ordinem. III. 5. 107.
Habens licentiam tranſeundi ad alium Ordinem, ſi vagetur per varios Ordines, cogi poteſt profiteri in vno. III. . . 119.
Ex voto alieno nemo cogitur ingredi religionem. IV. 1. 123.
Hæredes varijs modis cogi poſſunt ſoluere legata Fratribus minoribus relicta. V. 2. 111.
Preces importunæ æquiparãtur morali violentiæ. IV. 5. 366.

Vita.

A Religioſo non conſeruanda medijs exquiſitis. III. 6. 63.
At non abbreuianda ab eo ex nimia auſteritate III. 6. 64.
Eam ſibi quis indirectè adimere poteſt. IV. 5. 539.
Exponi poteſt periculo ex charitate. IV. 5. 399.
Imo & pro vita amici. ibid.
Cum vitæ periculo Prælati tenentur miniſtrare Sacramenta ſubditis, ſi per alios id non agant. V 3. 92.

Vita communis.

Confert ad reformationem Religionum. I. 5. 19.
Seruanda à Regularibus ſub varijs pœnis. IV. 2 243.
Ea ab illis amplectenda, ſi præſcribatur legitimè. ibid.

Vita mixta.

Æqualis perfectio acquiritur in Ordine vitæ mixtæ, ac in Ordine contemplatiuo. V 2. 21.
Immò & auctior. V. 2. 22.

Viuæ vocis oracula.

Facta Regularibus a Prædeceſſoribus Gregorii XIII. & ab ipſo non ſunt reuocata à Greg XV. & Vrb. Oct. in ſuis decretis. V. 8 127.
Immo ex factis à Succeſſoribus Gregor. XIII. reuocata ſunt ſolùm præiudicialia alijs. ibid.

Vnctio extrema.

Vide *v. Extrema vnctio.*

Vniuerſitates.

Ijs vtiles Religioſi. I. 4. 35

Voluntas.

Qualis in Obedientia religioſa IV. 4. 19.
Mutatio voluntatis non facilè præſumenda. III. 2. 31.
Voluntas alia eſt indirecta in cauſa, alia virtualiter manet in ſuo effectu. IV. 1. 9.
Voluntas præſumpta non habet locum, vbi expreſſa eſt in contrarium. IV 2. 412.
Per obedientiam Deo dicatur propria voluntas. IV. 2. 26.

Votum.

Quid ſit. IV. 1. 1.
Ex ſimplici fieri poteſt ſolemne ſine noua voluntate vouentis. I 1. 8
Vota Nouitiorũ relaxari poſſunt à Prælatis Ordinis. II. 7. 38.
Et quidem etiam ab Epiſcopo. II. 7. 39.
Vota ab ijs facta ante ingreſſum per ipſum ingreſſum deſinunt obligare II. 7 40 & 41.
At non irritantur à Prælato regulari II. 7. 42.
Nouitij liberè faciunt vota realia, & perſonalia. II. 8. 25.
Decet tamen ea ab ipſis fieri cum conditione, *Si Superior voluerit*. II 8. 26.
Vota omnia facta ante profeſſionem, per ipſam tolluntur. III. 4 19.
Etiam realia, quæ aliàs poſt profeſſionem impleri debuiſſent. III. 4. 20.
Et quidem ipſo facto. III. 4. 21.
Item in caſu, quo profeſſus ad alium Ordinem adſtrictus aliquot votis tranſeat, ibique iterum profiteatur. III. 4. 22.
Vota facta in ſeculo commutari poſſunt in ſimplicem ingreſſum Religionis. III. 4. 25.
Vota etiam de rebus præſcriptis à Deo, & ab Eccleſia irritari poſſunt vi religioſæ profeſſionis. III. 4. 61.
Aliquibus tamen exceptis. III. 4. 62.
Monialium vota irritantur ab Abbatiſſa. III. 4. 64.
Et hæc votorum irritatio poteſt fieri etiam à Prælatis localibus ſed cum debita ſubordinatione. III. 4. 65.
Idque etiam quo ad vota facta de eorum conſenſu; etſi irritatio tunc foret illicita. III. 4 66.
Vota facta de conſenſu vnius Prælati licitè irritantur à Succeſſore illius. ibid.
Votorum irritatio ſemper durat. III. 4. 67.

Quę

Quæ deliberatio requiratur in voto. IV. 1. 4.
Factum ex ignorantia, aut inaduertentia interdum non obligat. IV. 1. 5.
Debet eſſe voluntarium. IV. 1. 9.
Factum à moraliter certo ſe illud violaturum eſſe, adhuc tenet. IV. 1. 21.
Factum ex malo fine non tenet. IV. 1. 22.
Votum obligat ſub mortali. IV. 1. 27.
Violatio voti ſæpiùs repetiti eſt vnicum peccatum. IV. 1. 29.
Vouens ſeruare votum, ſi illud violet, vnum facit peccatum. IV. 1. 30.
Violatio cuiuſq; voti eſt eiuſdem ſpeciei. IV. 1. 31.
Pœnitere voti iam facti non eſt ſemper peccatum mortale. IV. 1. 32.
Vouens interdum peccat vouendo, & tamen votum tenet. IV. 1. 33.
Actio facta ex voto auget meritum. IV. 1. 37.
Votum de re difficillima validum eſt. IV. 5. 36.
Obligat ad diligentiam humano modo poſſibilem. IV. 5. 54.
Sed non vltra intentionem vouentis. IV. 5. 55.
Non obligat, ſuperueniente notabili mutatione. IV. 5. 77.
Violans votum ex neceſſitate illud non frangit. IV. 5. 81.
Votum quando dicatur poſſidere. IV. 5. 9.
Eius obligatio ſtrictè interpretanda. IV. 4. 88 & 99.
Per ſe loquendo, obligat inſtar legis diuinæ, aut eccleſiaſticę. IV. 5. 89. & 119.
Votum voluntariè emiſſum non obligat ad actus internos. IV. 5. 103.
Habet conditionem implicitam, vt deſinat obligare, ſi eius materia fiat inutilis IV. 5. 210.
Irritans vota ſine cauſa peccat, ſed non mortaliter. IV. 5. 2 9.
Vouens aliquid iuxta regulam debet ſe conformare intentioni illius. IV. 5. 346. & 356.
Votum interpretandum, vt quàm minimum obliget. IV. 5. 345. & 326.
Vouens propria authoritate commutat ſuum votum in melius, immò & in euidenter æquale. IV 5. 362.
In communi intentione vouentis non cenſentur venire difficilima. ibid.
Votum conditionatum non obligat, conditione non impleta. IV. 5 409
Vouens non petere diſpenſationem voti adhuc ex cauſa poteſt illam petere. IV. 5. 435.
Votum quo tempore impleri debeat. IV. 5. 467.

Votum religioſum.

Quid ſit IV. 1. 2.
Ad quid obligent vota Ordinum Militarium. I. 3 31.
Vota ſimplicia Religionis ex ſe non ſufficiunt, vt quis verè ſit Religioſus I. 3. 44.
Vota religioſa vtilia. I. 4. 17.
Vota ſimplicia Religionis facta à Nouitio Societ. Ieſu ex priuata deuotione non commutantur in vota biennij. III 4 26
Commutantur tamen in profeſſionem ſolemnem. ibid
Vota, quę cum tribus ſubſtantialibus in aliquibus Ordinibus fiunt, non diſſoluuntur per receſſum ab illis. III. 5. 21.
Non iterum facienda a Religioſo epiſcopo redeunte ad Ordinem III. 5. 17.
Et tamen per tranſitum ad alium Ordinem deſinunt obligare. III. 5. 152.
Obligant facta ex errore verſante circa accidentalia. IV. 1. 6.
Vota religioſa non obligant, ſi vnum ex ijs fiat per errorem verſantem circa ſubſtantialia. IV. 1. 7.
Secùs, ſi per errorem verſantem circa accidentalia. IV. 1. 8.
Votum religioſum aliud eſt ſimplex, & aliud ſolemne IV 1. 10
In quo conſiſtat voti ſolemnitas. IV 1 11. & 12 & 13. & 14.
Duplex ſolemnitas attendi poteſt in voto. IV 1. 15
Votum ſolemne, & votum ſimplex ſolùm accidentaliter differunt IV 1. 16.
De ſolemnitate voti eſt vt ſit externum, ac publicum. IV. 1 17.
Vota religioſa ſola mente concepta obligant in conſcientia. IV. 1. 9.
Profeſſione exiſtente nulla, item nulla ſunt vota emiſſa vltra tria ſubſtantialia. IV. 1. 20.
Vota Religionis ſubſtantialia ligant Religioſum factum epiſcopum, aut ab Ordine electum. IV. 1. 23.
Non item quæ alicubi fiunt vltra tria ſubſtantialia. ibid.
Vota religioſa per mortem vouentis omninò extinguuntur. IV. 1. 24.
In ijs ſolus Papa diſpenſat. IV. 1. 25.
Si tamen fiant à Nouitio ex priuata deuotione, Prælatus regularis in ijs diſpenſat, excepto voto Caſtitatis. IV. 1. 26.
Non omnia vota religioſa obligant cum periculo vitę. IV. 1. 28.
Fictè emittens vota religioſa, debet ea ratificare, aut recedere. IV. 1. 34.
Ea emittens nequit ſe obligare ſolùm ad actus externos. IV. 1. 35.
Item nec ſe obligare ad ea ſolùm ſub veniali. IV. 1. 36.
Vota ſpecialia, quæ fiunt in aliquibus Ordinibus, non obligãt extra religionem. IV. 1. 38.
Diſpenſatus ad matrimonium eò ipsò eximitur ab his votis. IV. 3. 135.
At hæc irritari nequeunt à Prælatis, nec a Papa. IV. 5. 274.

Votum religionis.

Vouens religionem poſt defloratam puellam cum ſpe matrimonij non recipitur ad religionem. II. 4. 25.
Voto religionis adſtrictus non recipitur, ſi parentes habeat egenos II. 4. 39. & 40.
Ob fratrum indigentiam religionis votum differri nequit. II. 4. 45.
Admittitur ad religionem, qui habet votum ingrediendi aliũ Ordinem arctiorem. II. 4. 59.
Intrans religionem ex voto liberè non recedit; quod alij negant. II. 6. 21. & 22. & 23.
Vouens religionem bona fide debet ingredi, animo experiẽdi &c. II 6. 24.
Ingrediens ex voto poſt delictum commiſſum extrahi poteſt a Iudice laico. II. 7. 10.
Habens votum non tranſeundi ad aliam Religionem non tranſit ad laxiorem ſi votum ante profeſſionem factum fuerat. III. 5. 110.
Habens votum perſeuerandi in ſuo Ordine adhuc tranſire poteſt ad ſtrictiorem. III 5. 109.
Votum religionis meritorium. IV. 1. 39.
Bonum eſt inducere alios ad idem votum. ibid.
Varijs modis voueri poteſt religio. IV. 1 40. & 41.
Votum religionis non impletur per ingreſſum Ordinis militaris. IV. 1. 42.
Non per ingreſſum Ordinis collapſi ibid.
Vouens ingredi Ordinem ſtrictiorem non ſatisfacit intrando laxiorem. IV. 1. 4.
Limitatur aſſertio IV 1. 44.
Qui vouit Ordinem laxiorem ſatisfacit intrando ſtrictiorem. IV. 1. 45.
Vouens ingredi certum Ordinem ſatisfacit ingrediendo alium arctiorem, vel æquè arctum. IV. 1. 46.
Vouens religionem in genere ad quid teneatur. IV. 1. 47.
Is non tenetur ingredi Ordinem ex ſtrictiſſimis. IV. 1. 48.
Nec Ordinem militarem, ſi excludatur à clauſtralibus. IV. 1. 49
At tenetur adhibere ſufficientem diligentiam ad hoc vt recipiatur in aliquo Ordine. IV. 1. 50 & 92.
Idque procedit etiam de vouente aliquem certum Ordinem. IV. 1. 51.
Vouens ingredi certum monaſterium ſatisfacit procurando ingreſſum illius. IV. 1. 52.
Ad quid teneatur qui dubitat vouerit ne vagè religionem, an certum aliquem Ordinem. IV. 1. 53.
Petens religionem ex voto, ſi intendens recipi vt choriſta recipiatur ſolùm vt laicus, & è contra, non tenetur ingredi. IV. 1. 54.
Item non tenetur ſpurius, qui nouit religionem neſciens ſe eſſe incapacem prælaturæ regularis. IV. 1. 55.
Vouens religionem non tenetur dicere literas, aut artem, etſi aliàs repellatur. IV. 1. 56.

Ad quid teneatur qui vouit religionem tum in genere, tum aliquam in ſpecie. IV. 1. 57.

Intrans Ordinem promiſſum ex voto animo ſtatim recedendi non implet votum. IV. 1. 58.

Vouens præciſè religionem non promittit perſeuerantiam. IV. 1. 59

Liberè tamen non recedit tempore nouitiatus; quod alij negant. IV. 1 60.

Vnde poſſit conijcere ſibi expedire perſeuerare in Ordine. IV. 1 61.

Vouens perſeuerare nec ex cauſa recedit; quod alij negant. IV. 1. 62.

Niſi experiatur maximam difficultatem non præuiſam, ibidem.

At alij id non admittunt. ibid.

Non cogitur perſeuerare qui nouit aut perſeuerare, aut facere aliquod opus pium. IV. 1. 63.

Vouens religionem in genere, & ſimul perſeuerare, tenetur experiri varios Ordines, ſi ab aliquibus repellatur, ſed non omnes. IV. 1. 64.

Ingreſſus religionem cum voto perſeuerantiæ ſi perpetuò reijciatur, ad aliud non tenetur. IV. 1. 65.

Vouens religionem in genere ſi bona fide ingreſſus recedat, non tenetur ad aliud. IV. 1. 67.

Vouens profiteri in religione regulariter ſatisfacit faciendo vota biennij in Soc. Ieſu. IV. 1. 68.

Vouens religionem ſi ingreſſus reijciatur ex morbo, iſto ceſſante non tenetur redire. IV 1. 69.

Vouens religionem in genere ſi ingreſſus Carthuſiam dimittatur ex defectu ætatis, tenetur ingredi alium Ordinem, aut regredi ad Carthuſiam IV. 1. 70.

Ingrediens religionem ex voto bona fide, ſatisfacit, etſi poſtea ex ſua culpa dimittatur. ibid.

Vouens ingredi Ordinem laxiorem poſt votum religionis ſtrictioris ſi ingreſſus ſtrictiorem exeat, tenetur ingredi laxiorem. IV. 1. 71.

Repulſus perpetuo ab Ordine promiſſo ex voto, tenetur ingredi ſi poſtea ſit recipiendus; quod alij non admittunt. IV. 1. 72.

Intellige, rebus in eodem ſtatu exiſtentibus. IV. 1. 73.

Impedimentum ſuperueniens excuſat à voto religionis implendo. IV. 1. 74.

Quòd ſi impedimentum ſit facilè diſpenſabile, eius diſpenſatio petenda IV. 1. 75.

Vouens religionem, cùm eſſet iuuenis, nec potens implere votum niſi in ſenectute, non tenetur ad illud IV. 1. 76.

Nubens poſt votum religionis non tenetur cõſummare matrimonium &c. IV. 1. 77.

Poteſt tamen, & debet conſummare elapſo priori bimeſtri, niſi alter coniux poſt dictum bimeſtrem diutiùs omittat petere debitum. IV. 1. 78.

Vouens religionem poſt matrimonium ratum ad quid teneatur IV. 1 79

Coniuges poſt votum religionis de conſenſu communi factum poſſunt petere, & reddere debitum. IV 1. 80.

Vouens religionem poſt ſponſalia iurata poteſt ingredi. IV. 1. 81

Qui fecit ſponſalia poſt votum religionis, ſi, vbi ingreſſus eſt, alter ſponſus inſtet, debet implere ſponſalia. IV. 1 82.

Poſt votum religionis non poſſunt licitè contrahi ſponſalia. IV. 1. 83.

Qui poſt votum religionis deflorat puellam cum promiſſione matrimonij non tenetur ingredi religionem: etſi alij id negent. IV. 1 84.

Et ſi in tali caſu matrimonium contrahatur, non requiritur diſpenſatio, niſi ſit promiſſa caſtitas. IV. 1. 85.

Admittens epiſcopatum poſt religionis votum peccat, & epiſcopatum tenetur reſignare. IV 1. 86.

Is, cui votum caſtitatis commutatur in votum religionis, tenetur ingredi religionem animo perſeuerandi, ſed non tenetur perſeuerare. IV. 1 87.

Vouens eſſe religioſus tenetur ſolùm ad id, ad quod obligat votum religionis vt ſic. IV. 1. 88.

Vouens religionem ſi præciſè admittatur, vt liberetur à voto, verè non liberatur, niſi intret animo perſeuerandi. IV. 1. 89.

Vouens religionem, & ad nullam admiſſus ad nil tenetur. IV. 1. 90.

Vouens Religionem ſimul & Caſtitatem tenetur ad Caſtitatem, etſi a Religione repellatur, ſi Caſtitatem promiſit principaliter. IV. 1. 91.

Vouens Religionem Superiori admiſſuro aperire poteſt auerſionem ſuam à religione, quam petit IV 1. 92.

At peccat, ſi ſe faciat impotentem ad ingreſſum religionis. IV. 1. 94 & 104.

Votum religionis quo tempore debeat impleri. IV. 1. 95.

Non omnis eius dilatio eſt mortalis. IV. 1. 96

Non impletum tempore debito adhuc obligat. IV. 1. 96.

Votum moriendi in religione ad quid obliget. IV. 1. 97.

Votum religionis ſex modis deſinit obligare. IV. 1. 98.

Nempe per notabilem rerum mutationem. IV. 1. 99. & 100.

Per ceſſationem cauſæ finalis. IV. 1. 101.

Per deficientiam conditionis appoſitæ ipſi voto. IV. 1. 102.

Per irritationem factam à parentibus. IV. 1. 105.

Et quidem etiam poſt pubertatem vouentis ſi votum factum ſit ab impubere. IV. 1 106.

Et hæc irritatio fit etiam à Tutore, ſed non à Matre, ſi Pater viuat. IV. 1. 107.

Votum religionis factum à pubere non irritatur IV. 1. 108.

Votum religionis ſtrictioris non irritat Prælatus regularis. IV. 1. 109.

At irritat votum factum ab externo de intrando eius Ordine; idque illum excludendo perpetuò IV. 1. 110.

Et, ſi ſic irritet, commutatione voti priùs obtenta, vouens tenetur ad opera, in quæ commutatio fuerat facta, niſi malit redire ad prius votum. IV. 1. 111.

Vouens religionem, ſi commutato voto, iterum voueat, tenetur ad commutationem, & ad votum. IV. 1. 112.

Votum religionis ſimpliciter ſolus Papa, aut ab eo delegatus commutant. IV 1. 113.

Commutat item Epiſcopus in graui neceſſitate. IV. 1. 114.

Materia, in quam fit hæc commutatio, commutari poteſt à priuilegiato ſuper vota non reſeruata. IV. 1. 115.

Votum vouendi religionem non reſeruatur Papæ. IV. 1. 116.

Item nec votum ingrediendi religionem ſtrictiorem. IV. 1. 117.

Votum religionis ſtrictioris vouens ex ſe commutat in votum perſeuerandi in laxiori. IV. 1. 118.

Vota Papæ reſeruata non commutantur propriè in votum religionis ſimplex. IV. 1. 119.

Solus Papa, aut ab eo delegatus diſpenſant ſuper voto religionis. IV. 1 120

Eius obligatio interdum ceſſat per impedimentum ſuperueniens. IV 1. 121.

Petens ex voto religionis ingreſſum liberè poteſt repelli. IV. 1 122.

Nemo tenetur ad religionem ex voto alieno. IV. 1. 123.

Contra votum religionis delinquitur tum ingreſſum eius totaliter omittendo, tum illum nimis differendo. IV. 1. 124.

Quæ dilatio ad id petatur. IV 1. 12 .

Votum non ingrediendi religionem eſt nullum; ſed non ſemper. IV. 1. 26.

At in eo non peccatur mortaliter. IV. 1. 127.

Votum religionis tenet reſpectu illius, cui ſalubrius eſſet non ingredi religionem IV. 1. 128.

Votum religionis nequit commutari in aſſumptionem epiſcopatus. IV. 1. 365.

Petens religionis ingreſſum ex voto aperire ſuum votum non tenetur, nec vi ad hoc aliena interceſſione. IV. 1. 50.

Voti commutatio.

Vota Nouitiorum facta ante ingreſſum deſinunt obligare per modum commutationis, aut ſuſpenſionis. II. 7. 40. & 41.

Vota facta in ſæculo commutari poſſunt in ſimplicem religionis

gionis ingreſſum. III 4. 25.
Solus Papa, aut eius delegatus commutant votum religionis, IV. 1. 113.
Materia, in quam commutatur votum religionis commutari poteſt a priuilegiato ſuper vota non reſeruata. IV. 1. 115.
Votum religionis ſtrictioris commutatur a vouente in votum profitendi in laxiori. IV. 1. 118.
Vota Papæ reſeruata propriè non commutantur in votum ſimplex Religionis. IV. 1. 119.
Si petens ex voto religionem perpetuò reijciatur, eſt liber ab implendis ijs, in quæ dictum votum antea commutatum fuerat. IV. 1. 121.

Vota ſpecialia aliquot Ordinum.

Fratres Minores vouent ſpecialem obedientiam Papæ. IV. 5. 1.
Vide *v. Fratres Minores.*
Moniales S. Claræ vouent clauſuram. IV. 5. 13.
Vide *v. Moniales S. Claræ.*
Fratres Mercennarij vouent redimere captiuos, &c. IV. 5. 25.
Vide *v. Fratres Mercennarij.*
Fratres Minimi vouent vitam quadrageſimalem. IV. 5. 59.
Vide *v. Fratres Minimi.*
Religioſi ſoc. Ieſu faciunt plura vota vltra tria ſubſtantialia. *Vide v. Societas Ieſu.*
Diſcalceati Carmelitæ faciunt votum humilitatis. IV. 5. 369.
Vide *v. Fratres Carmelitæ diſcalceati.*
Clerici regulares miniſtrantes infirmis faciunt aliqua vota ſpecialia. *Vide v. Clerici regulares miniſtrantes infirmis.*
Fratres Auguſtiniani diſcalceati vouent humilitatem. IV. 5. 472.
Vide *v. Fratres Auguſtiniani diſcalceati.*
Fratres diſcalceati Trinitatis faciunt votum non ambiendi. IV. 5. 499.
Fratres B. Io. Dei vouent ſeruire infirmis. IV. 5. 508.
Vide *v. Fratres B. Io. Dei.*
Clerici ſcolarum piarum faciunt aliquot vota ſpecialia. IV. 5. 524. *Vide v. Clerici ſcholarum piarum.*

Vox actiua, & paſſiua.

Tranſiens ad alium Ordinem priuatur voce actiua, & paſſiua. III. V. 148.
Item & proprietarius IV. 2. 247.
Regulares admittentes fœminam intra clauſtra priuantur voce actiua, & paſſiua. V. 6. 59.
In tali tamen priuatione à ſuis Prælatis diſpenſantur. V. 6. 66.

Vſusfructus, & Vſus.

Quid ſit vſusfructus, vſus iuris, & vſus facti. IV. 2. 16.
Mendicantes incapaces retinent vſumfructum ad modicum tempus. IV. 2. 55.
Minores de Obſeru. & Capuccini in bonis, quibus vtantur, habent ſolum vſumfacti. IV. 2. 72.
Domus profeſſa ſoc. Ieſu eſt incapax vſusfructus. IV. 2. 120.
Votum ſolemne paupertatis transfert in Religionem vſumfructum Religioſi profeſſi, etiam quò ad ius. IV. 2. 189. & 190.
Vſusfructus ad tempus modicum eſt quid mobile. IV. 2 93.
Vſus rerum, quæ non conſumuntur ipſo vſu, inter Religioſos ordinariè eſt quid leue. IV. 2. 271. & 281.
Vſuarius non dat alteri vſum rei ipſi conceſsæ ad vſum. 2IV. 272.
Vſus rerum reuocabilis non aduerſatur paupertati religioſæ. IV. 2. 285.
Si plures libri ad vſum recipiantur, facilè in hoc peccari poteſt. IV. 2. 303.

Vxor.

Peccat, qui delectatur de copula cogitata cum fœmina, ſi eſſet vxor. IV. 3. 75.
Item Religioſus, qui poſt profeſſionem delectatur venereè de copula aliàs habita cum vxore. IV. 3. 81.
Vxor inuito viro competentes eleemoſynas facere poteſt. IV 5. 133.

F I N I S.